ANNALES ECCLESIASTICI VETERIS TESTAMENTI. IN QUIBUS RES...

Jacques Salian, Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

37
10 G
6

Digitized by Google


37-10-G-6

ANNALES ECCLESIASTICI VETERIS TESTAMENTI.

TOMVS VI.

Digitized by Google

Digitized by Google



ANNALES ECCLESIASTICI VETERIS TESTAMĒTI

Quibus connexi ſunt

ANNALES IMPERII ASSYRIORVM, BABYLONIORVM, PERSARVM, GRÆCORVM, ATQVE ROMANORVM,

Autore IACOBO SALIANO *Auenionenſi Preſbytero Societatis* IESV.

TOMVS VI

LVTETIÆ PARISIORVM.
Sumptibus NICOLAI BVON, *via Iacobæa ſub ſignis S Claudij et Hominis Silueſtris.*

Cum priuilegio Regis. Et ſuperiorum permiſſu

Leonard Gaultier incidit.

Digitized by Google

ANNALES ECCLESIASTICI VETERIS TESTAMENTI.

In quibus res geſtæ ab Orbe condito ad CHRISTI Domini natiuitatem, & mortem, per annos ferè ſingulos digeruntur, & explicantur.

QVIBVS CONNEXI SVNT

ANNALES IMPERII ASSYRIORVM.
BABYLONIORVM, PERSARVM, GRÆCORVM, ATQVE ROMANORVM.

Quantum ex ſacris, profaniſque Scriptoribus agnoſci, atque ordinari potuerunt.

AVCTORE IACOBO SALIANO AVENIONENSI,
Societatis IESV Preſbytero.

TOMVS SEXTVS ET VLTIMVS.

In quo vterque Machabæorum canonicus liber, & ſacroſancta quatuor Euangeliorum hiſtoria, in ſuos digeruntur annos, & præcipuis quibuſque locis breuiter exponuntur.

Totius Operis diſtributionem pagina ab hinc decima demonſtrabit.

LVTETIAE PARISIORVM.

Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY via Iacobæa, ſub Ciconiis.

M. DC. XXIV.

CVM PRIVIL. CAESAREAE MAIEST. ET REGIS CHRISTIANISS.

Digitized by Google

37.10.G.6

Digitized by Google



REVERENDO
ADMODVM IN CHRISTO
PATRI NOSTRO, P. MVTIO VITELLESCO, PRÆPOSITO GENERALI

Societatis IESV, ipſique Societati vniuerſæ, S. P. D.

I. *Abſoluti operis læta dedicatio.*

QVOD *felix, fauſtum, fortunatumque ſit; quod acceptum omnium bonorum largitori Deo, quod familiæ noſtræ, totique Reipublicæ Chriſtianæ ſalutare; Sextum Annalium Eccleſiaſticorum veteris Teſtamenti volumen, ſexto Societatis noſtræ Præpoſito Generali, ipſique adeo Societati vniuerſæ, deſtinatum iam pridem debitumque munuſculum, libentiſſimo animo, gratiſſimaq; voluntate aliquando perſoluimus. Libenti vtique animo, atque gaudenti; vero quippe iuſtoque gaudio coram Domino lætabuntur, qui laborioſo ad eius*
Eſa 9.3. *gloriam opere perfuncti, ad eius finem, ipſius aſpirante gratia, peruenire potuerunt.* Lætabuntur, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut
Iere.48.23 exultant victores capta præda, quando diuidunt ſpolia. *Exultabunt ſicut vinitores, cum redundant vina de torcularibus*, & calcator vuæ ſolitum celeuma decantat. *Triumphabunt gaudio, ſicut qui longa periculoſaq; nauigatione confecta, precioſa onuſti merce, ſecundo vento, paſſiſq; velis tranquillum inuehuntur in portum. Lætitia geſtient, ſicut qui illuſtri, ac pene ſpiranti picturæ ſupremam admouit manum; aut qui ſacræ religioſi templi ædificationi optatam coronidem imponit. Denique ſicut qui carceribus emiſſus, expleto curriculo, metaque feruidis euitata rotis, anhelans ac puluerulentus, ad calcem nobilem palmam rapit.*

AT *nobis in triſti lacrymarum valle degentibus*,

Dum miſeri erramus, pauitantes vltima mortis
Tela, peregrinos ſpeſque metuſque fouent,

ſolida lætitia illũ in locũ differenda eſt, vbi certa erit de veriſſimis ſa- II. *In ſpem mercedis æternæ.*

lutis noſtræ hoſtibus, atque indubitata victoria, & erit nobis anima noſtra quaſi ſpolium *de tartareo hoſte detractum: in illum diem quo fortunati agricolæ gementia plauſtra manipulis, in diuinum horreum inferemus: in auguſtiſsimum illud triclinium, in quo* inebriabuntur ab vbertate domus *Dei, qui* torrente voluptatis potabit *amicos ſuos: in beatiſsimum illum portum, ad quem tot ſcopulos, tot piratarum terrores, tot Sirenum cantus, tot procellarum tumultus, tot naufragiorum fragores, tot denique æſtuoſas præteruecti ſyrteis ſalui atque incolumus, cælo terraque plaudentibus appellemus: cælitibus cum admiratione gratulantibus, & dicentibus;* Quę eſt imago hęc *configurata gloriæ ac pulchritudini filij Dei? Quod eſt hoc palatium quod Dominus conſtruxit ſibi? quæ regia, in qua impoſito victricis perſeuerantiæ faſtigio, habitabit in omnem æternitatem? Ad illam denique metam, ad quam oppletos ſanguine ac ſudore, ſupremus ille Munerarius triumphali habitu ſolioque, venientes præſtolatur athletas, & corona capiti victoris impoſita, inſerta manibus palma, inter mellita oſcula, ſuauiſsimosque complexus dicet,* Euge ſerue bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui.

III. *Cum gratiarum actione.* GRATISSIMAM *dixi voluntatem, Pater religioſiſsime atque optime, vosque omnes patres fratresque mei eximia veneratione, amoréque digniſsimi, gratiſsimam, inquam, dixi voluntatem, qua diues ſum, rerum licet inops, atque operum bonorum. Quid enim reipſa offerre potui, aut in ærarium Domini referre, quod acceptis a Deo in hac Societate beneficijs par eſſe, aut vlla eis ratione reſpondere poſſit? In quibus ego beneficijs illud in primis iure collocare poſſum, quod non ad quartum etiam annum, vt illa in Euangelio ficulnea, ad preces cultoris vineæ, ſed amantiſsimorum patrum meorum, ac fratrum meritis, ad ſextum iam & quadrageſimum ſum reſeruatus annum, ſi quo modo fructus tanta cultura, talique ſolo dignos ferre poſſem. Hoſce enim fructus, & quos iam dudum, à primis vſque ſeculis repetitos, legitis Annales, non tam laboribus meis, etſi nomen illi noſtrum de more præferunt, quam veſtris ipſorum meritis precibusque ſi recte iudicare vultis, omnino tribuetis; quod niſi feceritis, non modico errore de Annalium ſcriptione imperito amanuenſi, non vero eorum Authori gratias habebitis, aut agetis.* Luc. 13. 7.

IV. *Pro auxilio diuinitus impetrato.* VOS *enim ipſi eſtis, tuque in primis Pater humaniſsime, admodumque reuerende, qui huic ætati noſtræ, vt linguæ infantiam diſsimulem, hebetudinem ſenſuum, ingenij tarditatem, & iudicij imbecillitatem, ætati, inquam, ad ſenium deuexæ, vires pene integras, atque iuueniles, ad diuturnitatem continentis tot annorum laboris, de diuina liberalitate conſecuti eſtis, vtque ipſi illi, quos dixi, defectus, nonnihil emendarentur; & naturæ, doctrinæque præſidia*

ad mediocritatem illam eueherentur, quæ iſti operi ſuſcipiendo, prouehendo, perficiendoque quoquo modo reſpondere poſſet. De vobis ergo ſi ego nonnullos protulero nominatim, grati animi mei ad vltimam vſque poſteritatem profitendi cauſa, ſpero vos non grauate laturos; paſſurosque vt ego officii mei potius, quam veſtræ ipſorum modeſtiæ duxerim mihi habendam eſſe rationem.

V. *Primum R. P. Claudio Aquæ viuæ Præpoſito.*

PRINCIPEM *in hoc catalogo locum obtinet religioſiſsimus noſtræ Societatis Antiſtes Claudius Aqua viua, cui ad meliora translato, ſingulari Dei in res noſtras prouidentia peropportune ſuffectus es, Pater humaniſsime, qui eidem erga Annales noſtros ſollicitudini, curaque ſuccederes. Ille enim tum literis meis, tum amantiſsimi patris Ludouici Richeomi, tunc Galliarum apud eundem Generalem Præpoſitum Aſsiſtentis, patrocinio incitatus, pro ſua illa de omnibus filijs ſuis, prolixa bene merendi voluntate, plurimum probauit Operis argumentum, quod erat tum pene in cunabulis; tum eius, cui plurimum non ſine cauſa tribuebat, oratione permotus, ad me humaniſsime ſcripſit, vt alacriter in inſtituto pergerem; quin & literas ad R. P. Prouincialem Franciæ, ac Rectorem Pariſienſis Collegij non ſemel dedit, quibus optabat vt, quantum quidem fieri poſſet, operoſioribus officiis tantiſper immunem me eſſe paterentur, dum iſti ſcriberentur Annales; quod ipſi profecto, pro ſua in illum obſeruantia, & in me beneuolentia, perlibenter præſtiterunt. Antiquiſsimum itaque locum inter bene de nobis, Romæ in hoc genere meritos, aut merentes illi iure occuparunt.*

Eiusque Aſsiſtenti P. Richeomo.

VI. *Tum R. P. Mutio item Generali Præpoſito.*

RECEPTO *autem ad ſuperos Aqua viua, aqua ſatiente in vitam æternam, ſicut tu illi, admirabili Dei in Ordinem noſtrum benignitate ſucceſsiſti, qui Spartam noſtram indignam iſtis oculis, atque autoritate non duceres; neque grauiſsimorum negotiorum mole auerteteris, ne ad minora iſta per te ipſe reſpiceres, & ſimilis argumenti ad nos, Præpoſitosque noſtros literas humaniſsimas dares: ita R. P. Richeomo ſubſtitutus eſt alter pater, vtique verus pater, grauiſsimo, ſuauiſsimoque nomine longe digniſsimus, P. inquam Chriſtophorus Balthazar, poſt aliquot annos in Societate diſcendo docendoque magna cum laude poſitos; poſt traditam non vulgari cum approbatione Philoſophiam, atque Theologiam, in qua nos quoque aliquot annis habuit in lectiſsima auditorum corona diſcipulos; poſt Rectoris, Prouincialis, Viſitatoris munus, ſingulari magnitudine animi, ſapientia, charitate, ipſos viginti annos obitum, frequentiſsimis grauiſsimorum patrum ſuffragijs factus Aſsiſtens, tum alios omnes, tum nos ipſos, noſtramque ſcriptionem tanta humanitate ac cura complexus eſt, quantam ne æſtimare quidem facile quiſquam poteſt. Non excurram ad ſingula, quæ innumerabilia ſunt, & monita vere paterna*

Et P. Balthazari Aſsiſtenti.

miſſa faciam, quibus nonnullis locis factus ſum cautior, illud vnum dicam, ac proculdubio dicam vere, ita illum mihi Dominum IESVM *apud R. P. V. prouidiſſe, vt eius induſtriæ, ac paternæ ſollicitudini, ſecundum Deum, veſtramque Paternitatem, horum Annalium editio debeatur.*

VII. *R.R. PP. Ignatio, & Cotono Prouincialibus.*

HABVERVNT *& alios patronos, & quaſi parentes Annales iſti, ex quo primum de ipſis in lucem edendis cogitatum eſt, quos ſine ingenti ingrati animi nota hoc loco præterire non poſſum, viros Deo hominibusque amabiles; omniqũe noſtra commendatione maiores, R. R. PP. Ignatium Armandum, & Petrum Cotonum, viros multis magniſq; nominibus tota Gallia celebres,* HENRICI *Magni conſtanti gratia, atque intima familiaritate notiſſimos; quorum opera diuina prouidentia apud eundem Regem vti voluit, ad Societatis noſtræ in vniuerſa Gallia reſtitutionem, & mirabile incrementum: quorum ille iam tum in prouincia Francia præpoſitus erat Prouincialis, hic Regi à concionibus, & pœnitentiæ ſacramento; ille nobis pridem in philoſophico ſtadio, theologicóque moderator; hic in eadem mecum fuerat Theologica quadriga decurſor.*

VIII. *A quibus primum animatus Author.*

ILLE *a me primus omnium per literas hoc de negotio compellatus, non iudicem egit, ſed parentem, ac pene dixerim obſtetricem; cui cum ſe P. Cotonus comitem peramanter adiunxiſſet, cœperunt ambo noſtras Pariſiis non improbare nugas, ambo animos ad ſcribendum dare, rati ambo pro ſua prudentia, quæ tum rudia erant & inchoata, multumq; infra meritum Societatis ac nomen, paulatim ſtudio, atque exercitatione diligenti, redditum iri meliora. Quin & P. Cotonus nominatim, pro ingenita illa ſuauitate, ac comitate ſua, non deſtitit verbo, ſcripto, exemplo ſcribenti calcar admouere, benéque precari inchoatis: maxime ex quo priora volumina lucem videre, & aliquam vulgo iactationem habere cœperunt, eaque in Authoris, & librorum commendationem dicere, quæ pro veris agnoſcere non eſt tenuitatis meæ; nimirum amicorum non eſt, quantumuis iudicio polleant, de amicorum negotiis integre ſemper, atque incorrupte iudicare.*

IX. *R. quoque P. Charleto tum Prouinciali.*

AC NE *R. quidem P. Stephanum Charletum ingrato ſilentio premere poſſumus, aut debemus, qui cum Prouinciam Franciam à R. P. V. ſibi commiſſam ſapientiſſime, humaniſſimeque adminiſtraret, & inſtitutam à nobis ſcriptionem haberet ab Vrbe de meliore nota commendatam, vltro currentem charitatem ſuam, quaſi admotis quibuſdam ſtimulis, in noſtrum auxilium, ac leuationem oneris incitauit; a quo etiam quatuor voluminum beneuolentiſſimam habuimus approbationem. Poſſem & alios nominare non paucos, qui à nobis conſulti nonnunquam, libentiſſime, quantum res tulit, deſiderio*

noſtro ſatisfecerunt: poſſumus & alios multo plures, qui precibus ac ſacrificijs ad Deum ſuis, operis totius abſolutionem, ab eo beneuolentiſſimi impetrarunt. A quorum vt nominibus abſtineam, ab eorum mihi modeſtia tacite imperatum eſt; quorum tanto maior, à magnificentiſſimo Domino erit in cœlo merces, quod etiam humanæ laudis omiſſæ fructum, ſua ipſe, angelorum, omniumque beatorum ciuium commendatione, in ampliſſimo illo atque immortali felicitatis theatro, compenſabit. Cæterique PP. & FF.

OMITTERE tamen certe non poſſum, ſine turpiſſima ingrati animi nota, ornatiſſimum virum, Regiarum rationum magiſtrum D. Iacobum Halæum, qui nullo à me officij genere prouocatus, nullius emolumenti ſpe aut cupiditate permotus, ſola optimi ac religioſiſſimi viri Caroli a Turri, in Collegio Pariſienſi Societatis noſtræ tum Rectoris commendatione, ignoto ſe homini quamprimum profudit, & vniuerſam Bibliothecam, quam habet inſtructiſſimam, ſine vlla temporis definitione vtendam dedit, libroſque plurimos ſubinde efferri permiſit; & adiecit etiam egregiam illam, ac liberalem vocem. Vide, inquit, ſi quo egeas codice, qui apud me non ſit, ego illum tibi, vbicunque gentium fuerit, actutum curabo. O virum eximium, & veriſſima charitate complectendum! Nec fuit ille verbo quam facto gratioſior, nec promiſſis quam re ipſa ditior: illa enim liberalitate non contentus, adiecit alteram, cum bonam partem mercedis operarum amanuenſium ære ſuo ipſe diſſoluit; noſque ipſum nonnunquam certis de locis, nominatimque de Chriſti genealogia conſulentes bene monuit, ac direxit: & quod inſtar eſt omnium, imo tanto eſt melius, quanto præſtat fons riuulo, & arbor pomo, præſtanti nos beneuolentia, quamuis immerentes muneratus eſt, ex qua videlicet fructus illi benigniſſime prodierunt. Ergo Dominus, in quo, & propter quem dilexiſti nos, opere & veritate, vt ait Euangeliſta, propter infinitam bonitatem ſuam erit merces tua; & ego dum ſpirauero, imo dum ſcripta iſta viuent, non diffitebor me tibi conſtantiſſimæ beneuolentiæ debitorem. X. Dom. de Halay.

VOBIS ergo quos appellauimus nominatim, reliquóque ſanctiſſimo corpori Societatis huius, cum alia omnia ſecundum Deum debemus, tum quidquid, diuina opitulante gratia, toto hocce opere non ſane perfecimus; à perfectione quippe illa longiſſime abſumus, quæ melioribus ingenijs reſeruata eſt atque doctrinis; ſed pro modulo noſtro conati ſumus, vobis inquam omnibus, & non huic tenuitati noſtræ, gratias habendas, agendaſque exiſtimamus. Quin & te, humaniſſime lector, etiam atque etiam rogo, ſi quid forte ſtudijs tuis, aut ſacris aut exoticis, quod ſane cupiebamus, prodeſſe potuimus, iſti vt Societati gratum animum ſerues, proque eius conſeruatione, perfectio- XI. Iterata gratiarum actio.

Ad quam Lector inuitatur.

ne, feliciqué incremento, apud diuinam maieſtatem feruidas fundas preces: hac mihi gratiam maiorem, aut agere, aut referre nullam potes. Nam & qui magnifice ab aliquo de regni proceribus conuiuio acceptus fuerit, abiturus, non coquo aut piſtori, ſed Domino, eiusque coniugi, de quorum liberalitate & amore profectus eſt totus ille conuiuij apparatus, gratias ſibi agendas putat, Deumque pro eorum ſalute atque incolumitate exorandum.

XII. *Secundum beneficium eius parentem Deum.*

MAGNO *illi principi, ac ſponſo Eccleſiæ Catholicæ, ad quam tecum pertinemus omnes, gratias immortales agamus, qui poſtremis hiſce temporibus, hac hora nouiſsima, in populo quem acquiſiuit ſanguine ſuo, familiam excitauit, quam vt mollem adhuc atque teneram, & caneſcente iam mundo genitam, vt ſuum Iacobus ille Patriarcha Beniaminum ſingulari quodam amore dilexit; in eiusque amoris ſignum, vt Tobias ille ſenior dilectiſsimo filio ſuum illi nomen dedit, vt Societas IESV diceretur, vt tam ſuaui nomine ad mutuum amorem impelleretur, illum vt vnum intueretur ducem, eius vnius in caſtris tanquam cohors prætoria militaret, eius veſtigiis inhæreret, eius conſilia atque mandata peculiari cura, atque obligatione exequeretur. Familiam excitauit, quæ à modico decem Patrum ducta principio, coaluit in Populum tantum, tamque late fuſum, vt extenderit filiorum ſuorum tabernacula, non* vſque ad mare, & à flumine, vſque ad terminos orbis terræ, *ſed propemodum vltra omnes terras & maria, & ad omnes gentes &* populos, *quos ſol ille princeps aſtrorum videt, dum totum orbem terrarum, omniaque maria circumluſtrat.*

XIII. *A quo vehementer ornata.*

POPVLVM, *ope atque exemplo regis ſui, bellatorem, ac pro virili ſua infidelitatis, ignorantiæ, atque vitiorum debellatorem: exercitum, quem inuictiſsimi Imperatoris ſui præſidio tectum, & fortiſsimo nomine animatum, aduerſam hoſti frontem, infeſtamque cuſpidem inferentem, hæreſeon tartareæ legiones, odio, inuidia, fraude, malitiaque obarmatæ, intoleranter perhorreſcunt; & à locis omnibus, in quibus illi dominatur, præ alijs omnibus religioſorum ſanctiſsimis familijs, excluſos, pulſos, exterminatos volunt, eamque voluntatem apud viros principes aperte profitentur. Familiam ſuam, quam abundanti gratia procreatam, & eximia vocatione congregatam, à principio atque ortu ſuo præclaro vitæ inſtituto temperauit, & ad hanc diem ſanctiſsimis legibus regit, atque moderatur, quæ eo extollere poſſunt ſectatores ſuos, vt virtus altius ire non queat. Sub quibus, vti & in cæteris religioſæ vitæ formis, viuit ac floret* genus electum, *liceat enim accommodare parti, quod Petrus Apoſtolus de tota dixit Eccleſia,* regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis; *in quo* 1.Pet.2.9.
mirabilis eſt concordia lectiſsimæ iuuentutis, cum vitæ puritate, &

morum

morum innocentia; multiplicis eruditionis atque doctrinæ, cum animi demiſsione conſpiratio; non vulgaris prudentiæ cum animi candore coniugatio, ætatis in ſenium deuexæ, quæ ſponte ſua reſpectans ad antegreſſos labores, aſpirat ad quietem, cum mentis alacritate, ac feruore prope iuuenili.

His *ille dotibus ornat populum iſtum ſuum, in Eccleſia ſua, vt illi ſit inſtar annuli in digito ſuo, armillæ in brachio, inauris ad aurem, & in capite ſuo corollæ multiplici florum varietate contextæ. Sit pharetra plena ſagittis electis, quæ* ferantur in corda inimicorum regis. *Sit balthens artificioſa pictus acu, ex quo pendeat, ac promatur fortis ille, ac fulgurans gladius verbi Dei, qui nocentem terreat, qui noxia reſecet, qui putrem peccati vomicam confodiat: ſit clypeus qui oculorum aciem fulgore perſtringat, qui hoſtiles fruſtretur ictus, qui fidei hoſtem irruentem vmbone repellat; ſit galea ſalutis, quæ caput, in quo poſita eſt ſalus noſtra, protegat, inuiolatumque ſeruat. Sit turris Dauid,* mille *quippe* clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium. *Sit populo Dei & hoſtibus eius, vt ille propheta,* in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum ſuper omnem terram. *Sit, inquam, inſtar munitæ ciuitatis, cui non ciues, non bellatoris, non arma, non machinæ, non commeatus, non quidquam bellicæ ſuppellectilis deſit: ſit inſtar columnæ ferreæ, ab ignibus machinisque bellicis tutæ, in quam qui impegerit, non eam ipſe lædet, ſed ea illæſa, magnam ipſe cladem accipiet, & quo grauius irruet, grauiorem. Sit denique murus æreus, qui toti ciuitati, ac circumpoſitæ regioni certo præſidio ſit, atque ornamento.* XIV. *Et dilecta.* Cant. 4.4 Iere. 1.18.

Ergo *reges & principes, vt aiebant aliqui nuper viri ſapientia, atque eruditione præſtantes, ciuitates atque reſpublicæ potentiſsimæ, familiam iſtam certatim ad ſe honeſtiſsimis conditionibus euocarunt, & ſedem apud ſe perpetuam collocare voluerunt. Vna quippe eademque opera ſe habituros putarunt iuuentutis erudiendæ atque informandæ moderatores, docendis de ſuperiore loco populis concionatores, inſtituendis ex æquo pueris, ac rudibus catechiſtas, reconciliandis Deo peccatoribus ſacerdotes, paſtores diuina Euchariſtia, immortalitatis cibo nutriendis; reducendis in gratiam diſsidentibus, reſarciendáque violata beneuolentia mediatores, ægrorum, vinctorum, obæratorum, adiutores, conſolatores, ac parentes; idque non ad vnum alterumve diem, vel annum, ſed in omnem poſteritatem immortali opera & labore; ſuccedentibus perpetua ſerie, hinc mortalibus ægris, inde ſalutis eorum, & doctrinæ procuratoribus fructuoſis, & prudentibus adminiſtris. Hæc illi; quæ dum prædicant, officij nos potius admonent, quam vera commendatione exornant. Sed pergunt nihilominus.* XV. *Populisque vtilis, ac gratioſa.*

XVI. *Et poſteritati ſcribendis libris.*

QVIN *etiam, inquiunt, ad hanc ipſam diem plerique non contenti docere præſentes, operam dederunt vt ſcribendis libris longiſſimæ poſteritati in erudiendo pares eſſe poſſent; nec eſt vllum veræ ſapientiæ aut eruditionis genus, quod religioſo viro conueniat, in quo non multa volumina edita ſint, quæ cumulate teſtari poſſint quos viros habeat, habueritque iſta Societas; de quibus vix centeſimus quisque animum ad ſcribendum appulit, ſiue quod aliis eſſent occupati negotijs, quæ in plurima, ac late fuſa familia neceſſario exiſtunt, ſiue quod robur corporis, animi viribus non reſponderet, ſiue quod occupatum iam eſſet argumentum, in quo alij quoque non pauci non minori cum laude verſari potuiſſent. Vt ergo Medicinam, Iurisque ciuilis prudentiam ſeponamus, ita profecto reperiemus nullum eſſe doctrinæ campum, à primis ipſis elementis, & vocabulorum inflexionibus, ad ſacroſancta vſque myſteria incarnati Verbi, & auguſtiſſimæ Trinitatis, quem huius Congregationis viri doctrina & pietate præſtantes non animoſe proſciderint, iterarint, proſeminarint, excoluerint, ex eoque fructus collegerint ſua expectatione maiores.*

XVII. *Omnis generis, omniumque linguarum.*

GRAMMATICAM *conſiderare placet, quæ cæterarum diſciplinarum Imperio viam munit, Grammaticam, inquiunt Latinam, Græcam, Hebraicam, omnium manibus veſtri teruntur libri, quibus nihil in eo genere ſubtilius, accuratius, meliore ratione ac via tradi potuiſſe facile fatebuntur, qui in hiſce ſtudijs ac linguis diligentius fuerint volutati. Placet humaniora ſtudia perſcrutari, & ritus ac mores, leges & inſtituta gentium diuerſarum, Græcorum maxime atque Romanorum, ab vltima vſque antiquitate repetere? per multis illi Poëtis, Oratoribus, Hiſtoricis interpretandis, ſanctis etiam Patribus è Græco in Latinum magna cum fide elegantiaque vertendis, exponendisque, lautitias iſtas eruditiſſimè prodidere. Scribendorum poëmatum, hiſtoriarum, orationum, artem primo, ac præcepta tradidere; quorum deinde vſum pangendis omnis generis verſibus, hiſtorijs, atque orationibus edendis, ſtylo ipſo demonſtrarunt. Philoſophiam omnem, ex qua etiam Medicinæ ac Prudentiæ iuris principia neceſſario petuntur, non viri ſolum ſingulares, ſed Collegia ipſa præclaris commentariis illuſtrarunt, tanta omnes induſtria, ſubtilitate, ac perfectione doctrinæ, vt ad ſummam abſolutionem ea perueniſſe iam, & quæ nulla fieri poſſit acceſſione perfectior, non temere videri poſſit. Mathematicas diſciplinas pauci fortaſſe, ſed plane illuſtres viri demonſtrarunt, in iiſque etiam Eccleſiæ vniuerſæ operam non pœnitendam nauarunt.*

XVIII. *Maxime Theologicis.*

QVID *ſacram Scripturam memorem? Quid Theologiam ſcholaſtico in puluere exercitam, & multiplici victoria glorioſam? Nullus eſt omnino in alterutro teſtamento liber, à libro Geneſeos vſque*

ad Apocalypſim, in quem non plurima extent doctiſsimorum virorum è Societate IESV *volumina. Nullus eſt ſacræ doctrinæ locus, nulla de diuina natura, æternitate, immenſitate, ſapientia, prouidentia, bonitate, cæteriſque eius attributis quæſtio; nulla de vnius in Deo trinitate ſubſtantiæ, aut de trium in Chriſto Domino ſubſtantiarum in vnius ſingularitate perſonæ diſputatio, nulla de Angelorum natura, intelligentia, voluntate, nulla de loco, motu, locutione, gratia, culpa, pœnaque difficultas: nulla de ortu rerum, gubernatione, ac conſeruatione mundi dubitatio, nulla denique, vt verbo multa complectar, de beatitudine aut medijs quibus finem illum conſequi, aut ab eo excidere poſsimus occurrit controuerſia, in quam non extent Theologorum veſtrorum monimenta nobiliſsima, quorum plenæ ſub Bibliothecæ doctorum, plenæ bibliopolarum officinæ, plenæ paginæ magiſtrorum.*

IAM *vero, aiunt, canonum Eccleſiaſticorum doctrinam, quæ officia ac iura Chriſtiani hominis amplectitur, vt pie ac religioſe cum Deo, ſancte & iuſte cum proximo, ſecum prudenter, cum omnibus ex recta ratione verſari poſsit, multa ſunt Patrum veſtrorum commentaria, ad ſacrum pœnitentiæ iudicium, ac tribunal rite prudenterque adminiſtrandum, apprime neceſſaria, quæ leguntur, teruntur, & ad omnem vitæ vſum transferuntur. Controuerſias cum hæreticis de fide ac religione Chriſtiana quæſtiones, non vnus ille notiſsimus atque illuſtriſsimus Bellarminus, ſed plurimi omnino de veſtris tota Gallia, Germania, Polonia, Anglia, Scotia, Hybernia, vniuersóque ſeptentrione, excutere, explicare, illuſtrare non ceſſant. Chriſtiani Oratoris inſtitutores, quique conciones ipſas, & ad eas vtiliter conficiendas ſyluam quandam ac communes locos ediderunt, leuando Parochorum labori, omniumque quibus è ſuperiore loco dicendi munus incumbit, nec ſatis ab otio vel doctrina ſunt parati, tam multi ſunt, ægrè vt eorum numerus iniri poſsit.*

XIX. *Quique canones & controuerſias illuſtrant.*

Concionibus.

DENIQVE *catechiſmorum, quibus pueri cum rudioribus Chriſtianæ elementa doctrinæ vtiliſsimè doceantur, quanta copia, quanta varietas, pro diuerſitate linguarum, regionum, atque populorum; vt tam neceſſaria cognitio non pueris ſolum ac puellis, famulis & ancillis, ſed eadem opera parentibus, atque heris inſtilletur; eaque etiam carceres ipſi, atque ergaſtula perſonare poſsint. Piorum poſtremo librorum, quos non multis annis, ſed plurimis omnino locis Societas iſta fudit, ſyluam pene ingentem habemus in manibus, qui non ſolum religioſæ vitæ cultores ad ſtudium perfectionis excitent, atq; informent, eiſque oculos aperiant vt ſua bona cognoſcant, ſed omne hominum genus, ſtatum ac conditionem inſtituant, & ab ipſo limine primæ conuerſionis ad Deum, ad adytum atque apicem op-*

XX *Et catechiſmis populum erudiunt.*

Et fouent pietatem.

tatiſſimæ, atque abſolutiſſimæ perfectionis adducant. Hæc illi ſane peramanter enumerant; At nos ſerio ipſis, & conſtanter affirmamus, hanc omnem laudem cum alijs quoque religioſis Ordinibus nobis eſſe communem ſed noſtra, vt noua atque recentia, magis incurrere in oculos hominum, quos noua facilius capiunt, ac magis delectant: Ab ipſis autem ex animo nunc quoque poſtulamus, vt ſuum illum in hunc Ordinem amorem, non ſolum pro ſua in Dei famulos charitate foueant ac conſeruent, ſed vt illum ipſum amorem precibus ad Deum ſuis obtineant, vt iuſtum eſſe ac debitum æmuli quoque ipſi fateantur.

XXI. *Ipſius Generalis cõmendatio.*

Hvic *te Ordini, atque populo, vt ad te redeam, Pater ſapientiſſime atque optime, moderatorem ac principem; huic tantæ familiæ patrem prudentiſſimum, huic exercitui fortiſſimum imperatorem, huic illuſtri corpori congruum ac decorum caput; huic denique ciuitati electæ maximum te magiſtratum dedit diuina illa prouidentia, à qua omnia cum ſumma ſapientia, & bonitate proficiſcuntur; & in altum extulit, quo te iampridem tua merita, omnium iudicia, voluntatesque deſtinabant. Extulit inquam, &* poſuit ſuper candelabrum, *vt iſta religioſiſſima pietas, familiaritáſque cum Deo, quæ tot viris pietate præſtantibus dux eſt in cælum; iſta ſingularis aduerſus omnes humanitas, quæ, vel primo ipſo congreſſu, mortales mirifico amoris nexu deuincit ſibi; iſta in tam præſtantibus ingenij, natalium, eximiæque doctrinæ ornamentis modeſtia, animique demiſſio, quæ te omnibus hominibus, cælitibus, atque ipſi etiam Deo reddit amabilem; iſta tam prolixa omnibus gratificandi, & de ſingulis bene merendi voluntas; iſta prudentia rerum gerendarum, quam viri principes identidem ſingulari cum fructu conſulunt, iſta ſuprema in toto Ordine autoritas ac poteſtas, quam cernimus, non ad præfractius imperandum, ſed ad opem vniuerſis ferendam humaniſsimè conferri; iſta denique proſpera inter & aduerſa æquabilitas, conſtantia, animique præſentia,* luceret omnibus qui in domo ſunt, *& in communem plurimorum vtilitatem, longe latéque funderetur.*

XXII. *Et gratulatio facta præſentibus*

Qvæ *cum aliquando auditione accipio ab ijs, qui hæc coram digito tangere, atque experiri potuerunt, libet profecto in familia noſtræ Paſtore, qui ſupremum illum* Paſtorem, atque Epiſcopum animarum noſtrarum, *nobis, ſecundum ſummum eius Vicarium, repræſentat in terris, illud paulo fortaſſe licentius vſurpare,* Beati ocu- Exod. 3.3
li qui vident, quę vos videtis, & aures quę audierunt, quę vos audiſtis. *Ibo ego quoque, animóque illuc, quoniam corpore non licet, excurram,* & videbo viſionem hanc magnam, *non vtique ardentem rubum, ſed inuſitata miracula virtutum maximarum: mi-*

rabor hanc cedrum Libani, egregijs facinoribus odoratam, hanc nobilem palmam, quæ contra rerum aduerſarum pondus, ſuopte niſu conſurgit in arcum, hanc oliuam ſpecioſam, quæ, licet tam copioſos in domo Domini fructus ferat, in rubum tamen aut rhamnum, aliumue neſcio quem ignominioſum fruticem, propria ſe opinione conuertit.

IBO, *& experiar ipſe quoque repræſentatum in ſexto Societatis huius Moderatore, quod de ipſius, ſecundum Deum fundatore, & quaſi architecto, Sanctiſſimo parente noſtro* IGNATIO *ſcriptum legimus, à viro ſapientiſſimo crebris olim ſermonibus vſurpatum; non ſolum magni faciendum Patrem familias, qui dignus eſſet habitus, qui tali familiæ praeeſſet; ſed glorioſam potius videri, fortunatamque familiam, cui talis parens, omnium videlicet ſpiritualium bonorum locupletiſſimus, contigiſſet. O me etiam atque etiam felicem, Pater amantiſſime atque optime, ſi amabilem iſtam faciem coram videre, ſi paterna complecti genua, ſi ad eius me pedes venerabundum abijcere potuiſſem; ſi ipſimet Societatis capiti, & in ipſo capite corpori vniuerſo, quod non diſpari amore, ac veneratione complector, hoc quodcumque eſt Opellæ meæ offerre licuiſſet! & agnoſcere fontem ex quo riuuli iſti profecti ſunt, exoſculari arborem, quæ tam multos, tamque eximios vbique gentium fructus in præpotentis Dei gloriam, & multarum animarum ſalutem, diuite ac benigna vena profudit; & hunc quoque ſarculum, eiusque qualeſcunque fœtus protulit, nondum effœta penitus ſenectute.* XXIII. *Cum deſiderio eius videndi.*

LICVISSET *etiam illos videre Societatis noſtræ proceres, illa veriſſimæ ſapientiæ lumina, illa exquiſita doctrinæ ornamenta, illos plurimorum annorum ac palmarum Athletas rude donatos, Rectores magno numero, Prouinciales, Viſitatores, Aſſiſtentes, non minus in publica, quam in priuata vita mirabiles. Quis mihi dabit ad illa ſepulchra procumbere, illumque deoſculari puluerem, in quo Sanctiſſimi Patres noſtri* Ignatius & Xauerius, *quos nuper cœlitum albo ſolenni ritu à fœlicis memoriæ Gregorio XV. aggregatos, omnes in orbe plagæ venerari cœperunt; in quo Beati Aloyſius & Stanislaus, alijque plurimi immortalis memoriæ confeſſores veſtigia impreſſerunt? quis illos parietes contingere, quos tot fortiſſimi ac glorioſiſſimi Chriſti martyres, Criminalis & Sylueria, Ignatius Azebedius, Emundus Campianus, Rodolphus Aquauiua, alyque quamplurimi, incenſis gemitibus, ac ſuſpiriis martyrium anhelantibus afflauerunt; illa denique honorare cubicula, quæ decem illi gentis noſtræ principes, & aliquot deinceps Præpoſiti Generales, non ſolum frequentarunt, ſed orationum etiam ſuarum thure, ac balſamo conſecrarunt.* XXIV. *Quod offertur Deo.*

VERVM *dum ſperamus vt tanta priuatio voluptatis, tantum gaudium, tam læta viſio, tanta gratulatio, quam magno illi Domino ex animo, ac libenter offerimus, compenſetur in cœlis, quod breui futurum ſperamus, ac cupimus, ſi illi viſum fuerit, ſub cuius nutu vitæ noſtræ momenta decurrunt, dum Paternitas tua, & hoc poſtremum volumen, & reliquos vernas tuos, ad ſacroſanctum Domini altare, peccatoris iſtius nomine offeret Deo, vt illi ad bene moriendum in hoc tam præclaro religioſæ vitæ inſtituto, vberem gratiam largiatur; eius profecto bonitatem infimis quotidie precibus exorabimus, vt te in hoc præſtantiſſimo* IESV *nauigio, ſignifera ſub puppe magiſtrum, omnia in eo munia ſapientiſſimè, ac fidelißimè diſpenſantem, nauticam omnem multitudinem, ad ſua quemque munera, verbo exemploque fortiter ac ſuauiter animantem, ad dies vſque Magni Aquæ viuæ conſeruet incolumen, Pariſiis, ipſo die, quo omnium ſanctorum memoria rediuiua quotannis in Eccleſia catholica refloreſcit, Anno æræ Chriſtianæ 1623.*

Reuerendæ admodum Paternitatis tuæ,

Indignus filius, & inutilis in Chriſto ſeruus,

IACOBVS SALIANVS
è Societate IESV.

OPERIS TOTIVS DIVISIO.

TOTVM OPVS IN SEX TOMOS, SIVE PARTES DISTRIBVTVM EST.

Primus Tomus ab Orbe condito ad ortum vſque Moſis, annos bis mille quadringentos & ſexaginta tres complectitur, totámque Naturæ legem, libro Geneſeos comprehenſam.

Secundus à natiuitate Moſis, ad Pontificatum Heli, & Samuëlem Ptophetam progreditur; geſta Moſis, Ioſue, Iudicúmque duodecim comprehendit; & annis ſex & triginta, ſuprà quadringentos circumſcribitur. Ab Exodo vſque ad libros Regum.

Tertius Tomus habet regnum Iſraëlitarum ſub Saüle, Dauide, & Salomone; Heli & Samuële præmiſſis: centum & ſexaginta annorum decurſu: ex libris Regum, & Paralipomenon.

Quartus à diuiſione regni Iſraëlitici ſub Roboamo, vſque ad Nabuchodonoſorem, & captiuitatem Babylonicam exeuntem protenditur, ex iiſdem libris, additis Tobia, Iuditha, & Prophetis eorum temporum annis quadringentis & quinquaginta ſeptem.

Quintus ab Imperio Cyri orditur, & Perſarum Monarchiam, magnamque partem Imperii Græcorum amplectitur. Ibi Eſdras, Nehemias, Eſther, & vltimi Prophetæ & anni trecenti ſexaginta duo.

Sextus hic & poſtremus à regno Antiochi Epiphanis, ad Chriſti Domini mortem decurrit, ad annos ducentos & octo; eóque libri Machabæorum elucidantur, Euangelici libri in ſuos annos digeruntur.

CANDIDO LECTORI, S.

Habes in hoc opere, erudite Lector, non ſolum vniuerſam veteris ſcripturæ hiſtoriam, per annos ſuos digeſtam (nam id in Euangelica quoque præſtitimus) ſed etiam enarratam, cum expoſitione quamplurimarum, grauiſſimarumque difficultatum.

In eodem Fl. Joſephi infinita errata ex Scriptura ipſa, & certiore hiſtoria corriguntur. Emendatoris etiam temporum vis ingens errorum, parachroniſmorum, & ſupputatio um erronearum demonſtratur.

Scriptores fere omnes, qui hiſtoriam ſacram, profanamve, aut ex profeſſo tractarunt, aut obiter attigerunt in annos ſuos digeruntur, traduntur que compendio; vt propemodum quæcumque ab ijs narrata ſunt, paucis comprehenſa ad ſua tempora reuocari poſſint.

Stemmata familiarum illuſtrium, ſacræ, prophanæque hiſtoriæ, diſpoſita, ſuiſque auctoribus teſtata proponuntur.

Pontifices Hebræi ad mille quingentos annos, ab Aarone ſcilicet ad Chriſti Domini paſſionem, per annos ſingulos annotantur.

Addimus denique παράλληλα *illuſtrium quarumque perſonarum veteris Teſtamenti cum Chriſto Domino, & illuſtrium fœminarum cum beatiſſima Virgine.*

FACVLTAS R. P.
PROVINCIALIS PROVINCIAE
FRANCIÆ SOCIETATIS IESV.

EGO IGNATIVS ARMANDVS *Præpoſitus Prouincialis Societatis* IESV *in Prouincia Franciæ, poteſtate ad id mihi facta ab admodum R. P. noſtro Mutio Vitelleſco, Præpoſito Generali eiuſdem Societatis, facultatem concedo vt ſextus & vltimus Tomus Annalium Eccleſiaſticorum Veteris Teſtamenti, à P.* Iacobo Saliano *compoſitus, & grauium eiuſdem noſtræ Societatis, Doctorumque virorum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem haſce literas manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloque noſtro munitas dedimus. Pariſiis, Calend. Februarij* 1624.

I. ARMANDVS.

PRIVILEGIVM SACRAE

CÆSAREAE MAIESTATIS.

FERDINANDVS SECVNDVS DIVINA FAVENTE clementia electus Romanorum Imperator Semper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Vuittembergæ, Comes Tyrolis, &c. Agnoſcimus, & notum facimus tenore præſentium vniuerſis; quod cum demiſſe nobis exponi curarint, NICOLAVS BVON, ET SEBASTIANVS CRAMOISY Typographi Pariſienſes percupere ſeſe, vtilitatis publicæ cauſa, *Annales Eccleſiaſticos veteris Teſtamenti, quibus connexi ſint Annales Imperij Aſſyriorum, Babyloniorum, Perſarum, Græcorum, atque Romanorum, auctore P. Iacobo Saliano* Auenionenſi *Societatis* IESV *Presbytero*, iterum prelo ſubiectos in publicum procudere. Metuere autem ne æmulorum fraude, qua recentes id genus editiones, lucri captandi cauſa, præproperè, nonnunquam etiam mendosè imitari conſueuerunt, ipſi debito & ſperato laboris, atque ſumptuum ſuorum fructu ab aliis præoccupato deſtituantur. Ac proinde ſuppliciter nos rogarint, vt indemnitati illorum hoc loco diplomate noſtro Typographico ad certum tempus benigne conceſſo, clementer conſulere dignaremur. Nos pro ſingulari noſtro affectu, & propenſione ad rem litterariam promouendam, tum vel maxime ijs, qui dictum opus magnoperè nobis commendarunt, gratificari cupientes, precibus iſtiuſmodi haud grauatim annuendum duxerimus, quemadmodum vigore præſentium annuimus, omnibuſque & ſingulis Typographis, Bibliopolis, aliiſque quibuſcumque librariam negotiationem exercentibus firmiter inhibemus & vetamus, ne quis prænominati Auctoris Annales quocumque modo, charactere, aut forma, ſiue integros, ſiue aliquam eorum partem, citra memoratorum Typographorum voluntatem & aſſenſum, intra DECENNIVM à prima editionis die computandum recudere, aut alij recudendos dare, ſiue alibi etiam impreſſos intra ſacri Romani imperii, regnorumque & dominiorum noſtrorum hæreditariorum fines apportare, vendere, vel diſtrahere audeat, ac præſumat. Si quis autem edictum hoc noſtrum tranſgredi, violare, aut contemnere deprehendatur, cum non ſolum eiuſmodi libris perperam recuſis & apportatis, quos dicti Typographi eorúmve hæredes, vbicumque inuenti fuerint, ſiue propria, ſiue magiſtratus ibi[illegible] authoritate atque auxilio ſibi vendicare poterunt, priuandum, ſed & pœna decem marcharum auri puri, cuius ſemis prædictis Typographis, eorum[illegible] hæredibus, alter vero ſemis fiſco noſtro Imperiali fraudis vindici, toties, quo[illegible]es contra factum fuerit, pendatur, omni ſpe veniæ ſublata mulctandum decernimus, dummodo tamen eiuſmodi Annales nihil in ſe ſcandaloſum, aut orthodoxæ religioni Catholicæ, ſacrique Romani imperii conſtitutionibus aduerſum, vel bonis moribus contrarium, ſiue in præfatione, ſiue in contextu, ſeu alias quocumque modo contineant, & dicti Typographi terna, vt minimum memoratorum Annalium exemplaria ſuis ſumptibus, quamprimum ad cancellariam imperialem aulicam tranſmiſerint. Mandamus ergo vniuerſis noſtris, & ſacri Romani imperii, regnorumque ac ditionum noſtrarum hæreditariarum ſubditis, cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, aut dignitatis exiſtant, tam Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus, præſertim vero iis qui in magiſtratu conſtituti, vel proprio, vel ſuperiorum nomine & loco, iuris & iuſtitiæ adminiſtrationem exercent, ne quemquam priuilegium hoc noſtrum Cæſareum temerè & impunè tranſgredi aut violare patiantur, quin potius contumaces, ſi quos forte

compererint, præſcripta pœna mulctari, aliiſque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipſi eandem mulctam euitare voluerint. Harum teſtimonio litterarum, manu noſtra ſubſcriptarum, & ſigilli noſtri Cæſarei appenſione munitarum. Datum in ciuitate noſtra Viennæ, die decima tertia menſis Auguſti, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo, vigeſimo, regnorum noſtrorum, Romani primo, Hungarici tertio, & Bohemici quarto.

FERDINANDVS.

VTH. L. VON. VLM.

Ad mandatum ſacræ Cæſareæ Maieſtatis proprium.

HERMANVS QVESTAMBERGH.

Priuilege du Roy.

LOVYS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre: A nos Amez & feaux Conſeillers les gens tenans nos Cours de Parlemẽt, Baillifs, Seneſchaux, Preuoſts, ou leurs Lieutenans, & autres nos Iuſticiers, & à chacun d'eux ainſi qu'il appartiendra, Salut. Nos chers & bien amez NICOLAS BVON, & SEBASTIEN CRAMOISY Marchands Libraires demeurans en noſtre ville de Paris, nous ont fait tres-humblement remonſtrer que le R. P. IACQVES SALIAN Religieux de la Compagnie de IESVS les a choiſis pour imprimer vn grand Oeuure par luy compoſé, & lequel il deſire faire veoir, & mettre en lumiere ſous noſtre bon plaiſir, iceluy intitulé *Annales Eccleſiaſtici veteris Teſtamenti, ab origine mundi vſque ad Chriſtum paſſum. Quibus annexi ſunt Annales Aſſyriorum, Babyloniorum, Perſarũ,* &c. & qui doit contenir ſix volumes: lequel Oeuure ne ſe pouuant faire qu'auec long eſpace de temps, & grandes aduances & deſpences, leſdicts Buon & Cramoiſy n'oſeroient en faire l'entrepriſe, craignans qu'apres auoir employé leur temps & deſpenſes, autres perſonnes nos ſubiets le fiſſent, ou ſuſcitaſſent les eſtrangers à ce faire, ſi par nous n'y eſtoit remedié, leur donnant pour ce nos lettres de Permiſſion & Priuilege neceſſaires. A CES CAVSES, inclinans à l'humble ſupplication deſdits expoſans, & voulans leur ayder à l'execution de la bonne intention qu'ils ont de ſeruir au public, par l'impreſſion d'vn ſi bel Oeuure, & auſſi pour leur augmenter le courage à continuer de bien faire, apres qu'il nous eſt apparu de l'acte d'approbation dudit Oeuure du R. P. Eſtienne Charlet Prouincial de ladicte Societé, en datte du premier de ce mois, & ſeellé, cy attaché ſoubs le contreſel de noſtre Chancellerie, leurs auons permis & octroyé, permettons & octroyons de grace ſpeciale par ces preſentes, d'imprimer, ou faire imprimer, vendre & diſtribuer, tant de fois, en telle ſorte & maniere que bon leur ſemblera, ledit Oeuure entier ou ſeparement, ou par Epitome ou Abbregé, tant en Latin qu'en François. Faiſant tres-expreſſes inhibitions & defenſes à tous Libraires, Imprimeurs & eſtrangers, & à toutes autres perſonnes de quelque qualité qu'ils ſoient, d'imprimer ou faire imprimer ledit Oeuure entiere ou ſeparement, ou par Epitome & Abbregé, ny en Latin, ny en François: & de n'en vendre, n'y diſtribuer aucuns autres exemplaires, que ceux qui ſeront imprimez par leſdits ſuplians, ou de leur commun conſentement & volonté: & ce pendant le temps & eſpace de dix ans entiers & conſecutifs, à commencer du iour de l'acheuemẽt de l'impreſſion dudit Oeuure, à peine de confiſcatiõ de tous les exemplaires, qui ſe trouueront auoir eſté faits au preiudice, & contre l'authorité de ceſte noſtre volonté, & de trois mil liures d'amende, le tout applicable au profit deſdicts ſupplians, & de tous leurs deſpens, dommages, & intereſts: à la charge d'en mettre deux exemplaires à noſtre Bibliotheque publique, à preſent gardée au Conuent des Cordeliers de ceſte ville de Paris, auant que les expoſer en vente, ſuiuant noſtre Reglement, à peine d'eſtre decheuz du preſent Priuilege. SI VOVS MANDONS que du

contenu

contenu en ces preſentes vous faciez, ſouffriez & laiſſiez iouyr leſdits Buon & Cramoiſy plainement & paiſiblement, & à ce faire ſouffrir & obeyr ceux qu'il appartiendra, en mettant au cōmencement ou à la fin dudit Oeuure ces preſentes, ou vn bref extraict d'icelles, voulons qu'elles ſoient tenues pour deuëment ſignifiees. Et pource que deſdictes preſentes leſdicts expoſans en pourront auoir affaire en pluſieurs & diuers lieux, voulons qu'au Vidimus d'icelles deuëment collationé par l'vn de nos amez & feaux Conſeillers, Notaires, & Secretaires, ou faict ſous ſeel Royal, foy y ſoit adiouſtee, comme au preſent original: CAR tel eſt noſtre plaiſir. Donné à Paris le 17. iour de Ianuier, l'an de grace mil ſix cens dixneuf, & de noſtre regne le neufieſme.

Par le Roy en ſon Conſeil, RENOVARD.

Deſierunt Operæ Typographicæ in hac ſexta & vltima Operis parte laborare, die 15. Martij 1624.

PRÆFATIO
AVTHORIS IN
SEXTVM AC POSTREMVM
VOLVMEN ANNALIVM ECCLESIASTICORVM VETERIS TESTAMENTI.

Candido atque erudito Lectori,
S. P. D.

I. *Occaſio ſuſcepta præfationis huius.*

STATVERAM ego quidem nuper, Candide atque erudite lector, Annalium iſtorum opere vniuerſo, diuina gratia obſecundante perfunctus; cura quoque defunctus reſpondendi vulgari de Iobi genere libello, nihil te hoc in aditu poſtremi Voluminis morari, ſed illico ad luctuoſam tragœdiam, ab Antiocho Epiphane Iudæa tota, maximéque Hieroſolymis excitatam, & ad glorioſos ſanctiſſimorum Martyrum, Principum, Pontificumque Machabæorum triumphos, admittere te non imparatum. Occurrit tamen hiſce poſtremis diebus, præter ſpem, præterque deſiderium meum, argumentum, de quo mihi poſtremùm alloquendus videreré: ſi forte in ea controuerſia, quæ nobis eſt cum viris egregie eruditis, & quod caput eſt, religioſis in primis, in quibus ipſe quoque Maldonatus, aliiſque noſtri peramantibus ſedere velis honorarius arbiter, aut æquus Iudex.

II. *Et controuerſiæ, de qua ſtatur lectoris arbitrio.*

QVOD officij genus atque muneris ne ſubterfugiendum tibi, aut declinandum, putes, ſpondeo nihil fore cauſæ cur ea vtare cautione, quam vir quidam non mediocri prudentia vſurpabat: qui cum rogaretur, Placeretne de quæſtione quapiam inter communes amicos ferre ſententiam: Mihi vero, inquiebat ille, profecto non placet; malim quippe duorum mihi inimicorum, quam amicorum litem dirimere. Eo quippe officio alterum inimicorum, cui victoriam aſſignarim, lucrifecero: amicorum vero alterutrum, eadem opera & functione perdidero. Nihil, inquam, ea cautione, quamuis vtroſque eadem charitate complectare, opus erit, ita quippe facti omnes in hac cauſa, ac com-

parati ſumus, nullo vt gloriolæ aucupandæ ſtudio ducti, ſolam veritatem, in illuſtrandis ſubobſcuris diuinæ Scripturæ locis, vincere, ac triumphare cupiamus. Simul etiam illud per opportune continget, vt ſacroſanctam ſuppliciorum Chriſti Domini, ac mortis hiſtoriam, anno eius quarto ac trigeſimo breuiter à nobis, ſtrictimque decurſam, aliqua ex parte ſuppleamus.

III. *Diuerſone die Chriſtus & Iudæi Paſcha inchoarint.*

PAVLO quippe pluribus retractandam hoc loco illam hiſtoriam, circa tempus Paſchatis à Iudæis celebrati, propterea cenſuimus, quod nuperrime viri doctrina præſtantes, grauium virorum veſtigia ſecuti, noſtram cum communi doctorum opinione ſententiam animoſe repudiarunt. Rati Chriſtum quidem Dominum Paſchale feſtum legitimo ac ſtato maiorum tempore auſpicatum eſſe, ipſumque adeo legalem agnum cum diſcipulis ſuis comediſſe, ſed pridie quam Iudæi Paſcha celebrarent; ſicque belle figuram veritati reſpondiſſe, vt verus agnus eodem die quo typicus occideretur. Probant autem hanc opinionem magno, vt aiunt, & efficaci argumento, ex S. Ioannis hiſtoria Euangelica, & eo nominatim ex loco, in quo affirmat Apoſtolus Iudæos mane facto, poſt illam videlicet veſperam, qua Chriſtus Dominus legalem cœnam obierat, prætorium Pilati inire noluiſſe, ne contaminarentur, ſed vt Paſcha manducare poſſent, quod ſcilicet nondum comederant: negant enim nomine Paſchatis aliud, quam agnum illum legalem intelligi in Scriptura poſſe, aut debere.

IV. *Eodem omnes die celebraſſe.*

AFFERVNT & alterum ex eodem Ioanne locum, quem priuſquam proferamus, & vlterius dicendo prouehamur, hæc ipſa diiudicanda ſunt. Videntur enim ipſis Sacrorum Euangeliſtarum ſcriptis, apertæque rationi repugnare. De Paſchate enim loquuntur, eiuſque die feſto, vti vulgo & noſcebatur ab omnibus, & celebrabatur. Cui conſuetudini Dominus quoque ſeruiebat: qui apud Matthæum, *Scitis*, inquit, *quia poſt biduum Paſcha fiet.* Non dicit faciemus nos, aut facient Scribæ ac Phariſæi, ſed fiet, ab vniuerſo nimirum populo, ſtato tempore rituque. Marcus quoque ait Diſcipulos adiiſſe Dominum *primo die Azymorum*, imminente videlicet, & proximo veſpertino tempore incepturo, *quando*, inquit, *immolabant Paſcha*, adiiſſe autem rogaturos vbi vellet ſibi parari Paſcha. Qui nam obſecro immolabant? omnes profecto, qui legi Moſaicæ obtemperabant. Sed vrget etiam vehementius S. Luc. *Venit*, inquit, *dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha.* Vnde iſta neceſſitas, niſi ex præcepto legis, quæ omnes aſtringebat, & ab omnibus obſeruabatur? Itaque ciuis ille Hieroſolymitanus, ad quem deſtinati ſunt diſcipuli, vt pararent Paſcha Domino, ex lege ipſa, priſcaque conſuetudine certo nouerat ea ipſa veſpera quæ imminebat, ab omnibus Iudæis paſchalem agnum eſſe comedendum; itaque & locus elegantiore cultu ornatus inuentus eſt, & cætera iſti celebritati opportuna.

V. *Propter ſcãdalum, & tumultum.*

ABSVRDVM etiam eſt exiſtimare, Pontificem & ſacerdotes ſcandalum & ſeditionem populo in tumultus prono inferre voluiſſe, quæ in ipſorum capita redundaret. Nam tumultum populi timuiſſe, propterea que diem feſtum vitare voluiſſe teſtatur Euangeliſta. Ideoque Herodes cum Petrum haberet in vinculis, poſt octiduum Paſchæ cum populo producere cupiebat. Quis autem dubitet ſcandalum allaturos po-

Act.12. 4.

pulo, & ſeditionem in turbulenta ciuitate concitaturos, ſi alieno tempore celebrarent feſtum diem omnium celeberrimum atque ſanctiſſimum, & conſuetudinem mille iam & quingentis annis roboratam, temere antiquarent? Quod hoc erat facilius, quo maior tum populorum multitudo Hieroſolymam vndique confluebat, quæ non ſolum deceptam ſe, ſed legem in re maximi momenti violatam ægerrime, atque indigniſſime tuliſſet.

VI. *Populi legalium obſeruantiſſimi.*

NEMINI ſiquidem dubium eſſe poteſt fuiſſe Iudæos, ab omni retro memoria, legalium obſeruationum retinentiſſimos, vſque adeo vt milleni, ne Sabbati violarent quietem, pecudum ſe more modoque perimi paterentur, & hoſte cruentiſſimo ferociter irruente, non occulta loca oppilare, non gladium ſtringere, non lapidem in eos mittere auderent. Quin & ſanctam ciuitatem, & templum aggere circumpoſito à Pompeio expugnari, & auitam libertatem in tributariam ſeruitutem commutari vniuerſi permitterent; tanta erat eorum animis inſita Sabbati reuerentia! Idque nos ipſi æſtimare facile poſſumus, quicumque Chriſtiani ſumus, ſi vel ipſe ſummus noſtræ religionis Antiſtes ſanctum Paſchæ diem, tot iam ſeculis Dominico diei addictam, in diem Veneris aut Sabbati transferri iuberet, qui populi non tumultuarentur? qui Principes non intercederent? qui Præſules ad œcumenicam ſynodum non prouocarent? Nam quod credibile non putant, auſuros Iudæos ipſo die Paſchæ hominem ſanctiſſimum morti addicere, ipſo rei euentu facile refelluntur. Num enim ignorabant quotus eſſet ille menſis dies, quo hæc illi perpetrabant, aut obliti erant ſolennitatem cadere in decimum quintum diem? Id autem hoc minus erat obnoxiũ ſcandalo, vel ſeditioni, quod ipſi non per ſe, ſed per hominem infidelem Chriſtum Dominum morte mulctabant. Nam feſta Paſchalia crebris fuiſſe contaminata cædibus, Ioſephus ipſe non vno loco teſtatur: diem autem Paſchæ vel ſemel alieno tempore celebratum, omnibus retro ſeculis fuerat inauditum.

Malach. 2. 38. — *Ioſeph. l. 14. c. 8.* — *l. 17. Aug. cap. 11.*

VII. *Nec ea in re figuram reſpondere veritati.*

ALIENO porro tempore celebraſſe Iudæos Paſchalis agni celebritatem neceſſe eſt, ſi Chriſtus legitimo tempore, id eſt decima quarta die, ipſi decima quinta hoc religioſo ritu perfuncti ſunt: cum lex decimam quartam diem ad veſperam præſcribat. Ex quo illud quoq; conſequens eſt, male figuram veritati reſpondiſſe, ſi agnus typicus quartadecima die immolatus eſt, verus autem ad nonam vſque horam veſpertinam diei decimæ quintæ vitam produxit. Multo autem minus figura veritati reſpondebit, ſi dixerimus, cum iis quibuſcum nobis ſuſcepta eſt iſta diſputatio, agnum à Iudæis die decima quinta immolatum. Id enim contra legis præſcriptum factum eſſet, quæ conſtanter exigit decimam quartam diem: Errori autem veritas congruere, ac reſpondere non poteſt. Nimirum figuræ iſtius ratio, non, in vnius eiuſdemque diei concurſu, aliaue periſtaſi, ſed in ipſa immolatione, & ſacrificio vtriuſque agni poſita eſt.

Exo. 12. 9. Num. 9. 2.

VIII. *Obiectio ex S. Ioanne.*

AT ENIM Iudæi in Pilati Prætorium penetrare non audent ipſo decimoquinto die menſis, aiunt, ne comedendo Paſchati inhabiles fiant. Audio, agnoſcoque religionem peruerſam atque præpoſteram hominum, qui excolent culicem, & deglutiant camelum: qui religioni ducant ædes adire ethnici hominis, innocentem autem ſanguinem effun-

dere religioni non ducant. Sed quid ad rem ? Vtique plurimum, inquiunt: hinc enim conſequens eſt eos decimaquinta, quæ tum agebatur die, nondum agnum comediſſe Paſchalem, eumque ſub veſperam, dum Chriſtus Dominus ſepulchro condebatur, immolaſſe; ſicque diem primum Azymorum, in diem ſabbati, qui propterea magnus à magno Ioanne dicitur, tranſtuliſſe. Itane verò? & vnde noſtis Paſcha, cum ad cibum pertinet, ad iſtum duntaxat agnum pertinere ? Negamus, aiunt, aliud in ſcriptura Paſchæ nomine, præter agnum illum legalem intelligi. Male profectò narratis.

IX. *Paſcha nomen aliis cibis conuenire.*

NAM ſi Phaſe idem eſt quod Paſcha, quod profectò negari non poteſt, Phaſe autem de ouibus immolatur ac bobus, vt Moſes ipſe teſtatur, quo iure Paſcha ad vnum agnum hœdumue coarctetur? *Immola iſque Phaſe*, inquit, *Domino Deo tuo:* nimirum agnum anniculum immaculatum; aut hœdulum herbæ inſcium, mollicellum; imo vero *de ouibus, & bobus*, qui ſanctificentur, & octiduo cum azymis cedant in cibum eorum, quos nulla macula inquinarit. Nec eſt quod quis argutius cauilletur, & boues ad Phaſe non referat, id enim ſalua Grammatica, & vi natiua particulæ copulantis, fieri nullo modo poteſt. Itaque & Septuaginta interpres, quibus belle Vulgata noſtra, & Hebræa totidem pene verbis, apicibusque conſentit, *Immolabis*, inquiunt, *Paſcha Domino Deo tuo oues & boues*. Ouibus ergo Scriptura Paſchæ nomen accommodat, aut teſtes omnino 70. falluntur. Nam quod Chaldæus Paraphraſtes, ad quem aduerſarij, deſertis 70. viris, ipſaque adeo canonica latina verſione, confugiunt, addit *victimam ſanctificatam de bobus*, nihil eorum cauſam iuuat. Vocat enim Phaſe victimam, quo modo nos vrbem Romam, aut mulierem ancillam.

Deuter. 16.2.

καὶ θύσεις τὸ πάσχα κυρίῳ τῷ θεῷ σου πρόβατα καὶ βόας.

וזבחת פסח ליהוה אלהיך צאן ובקר

X. *Quod & ſcriptura praxi firmatur.*

SED mittamus ſpinoſiora hæc, & praxim ipſam religioſiſſimorum principum Ezechiæ, & Ioſiæ; & omnium, qui tum cum iplis viuebant in Iudæa Sacerdotum, Pontificum, Leuitarum, Scribarum, ac Phariſæorum attendamus. Scriptum legimus feciſſe Ioſiam Phaſe Domino, quod immolatum eſt decima quarta die menſis primi. Deinde ſubditur. *Dedit præterea Ioſias omni populo in ſolemnitate Paſchæ agnos, & hædos de gregibus, & reliqui pecoris triginta millia, boum quoque tria millia.* In Hebræo habetur explicatius, *omnia pro Peſachim*, id eſt in feſtum Paſchæ, ſiue, vt eſſent totidem paſchata; Septuaginta vertunt, *omnia ad Phaſec;* Vatabl. *omnia pro victimis Peſach*, ad ſacrificia ſcilicet, conuiuiaque Paſchalia. Et mox, *Porro Helcias, & Zacharias, & Iahiel principes domus Domini, dederunt ſacerdotibus ad faciendum Phaſe, pecora commixtim duo millia ſexcenta, & boues trecentos* Pagninus vertit Hebræum, *dederunt pro Peſachim:* Septuaginta, *dederunt in Phaſec*, Vatabl. *in victimas Peſach*.

2. Para. 35. 1.

ver. 7. & 8.

πάντα εἰς τὸ φασέκ.

הכל לפסחים

XI. *Tempore Ioſiæ & Ezechiæ.*

DENIQVE *Principes Leuitarum dederunt cæteris Leuitis, ad celebrandum Phaſe, quinque millia pecorum, & boues quingentos*. Quæ ipſa, eadem plane ſententia in Hebræo textu, Græcoque repetuntur. Cumque mox Scriptura negat tale Phaſe in populo Iſraëlitico celebratum fuiſſe à diebus Samuelis, ineptum eſt exiſtimare ipſum de agnis ſolis, qui ſingulis in familiis immolabantur, agere. Plures enim familiæ Iſraëliticæ fuere temporibus Dauidis & Salomonis, vtroque regno florente, & Paſcha celebrante, quam Ioſia, aut Ezechia regnantibus: quem legimus in eadem celebritate Paſchali populo diſtribuiſſe *mille tauros, &*

ouium ſeptem millia. Principes quoque dederunt populo mille tauros, & ouium decem millia. Quem cibum cum a mundis, ac ſanctificatis tantum ſumi ius eſſet, & plurima turba Iſraelitarum, à diuerſis collecta tribubus, ſanctificata non eſſet, orauit pro eis Dominum Ezechias, vt non imputaretur eis, quod minus ſanctificati forent. *Et Dominus exaudiuit regem, & placatus eſt populo.* Iudæi ergo, de quibus agimus, verebantur, ſi introirent Pilati ædes, ne minus ſanctificati eſſent, ad cibos Paſchales ſumendos. 2.Par.30.24. v.19.&20

XII. *Paraſceue Paſcha quanam.*

IACET ergo profecto, niſi valde fallor, magnum illud, & efficax argumentum. Videamus itaque deinceps num maiorem etiam vim habeat ad victoriam locus ille Ioannis, *Erat autem Paraſceue Paſcha, hora quaſi ſexta.* Ergo, inquiunt, peruigilium erat Paſchæ, non ipſe Paſchalis dies. Itaque negant eum locum vlla penitus commoda interpretatione à nobis explicari poſſe. In promptu tamen eſt commodiſſima, vt reor, maximeque obuia interpretatio, vt Paraſceue Paſchæ dicatur ea dies, quæ incidit in feſta Paſchalia, quæ toto octiduo celebrantur; ſicut Dominica Epiphaniæ, aut Natiuitatis dicitur, quæ incurrit in octauas alterutrius Solemnitatis. Eademque omnino ratio eſt Dominicæ Aſcenſionis, aut Sanctiſſimi ſacramenti: ſicque minime formidandum eſt, ne peruigilium feſti incidat in feſtum ipſum diem. Vides profecto, quicunque es noſtræ huius diſputationis arbiter, quantulo niſu expeditus ſit ille nodus, quam nihil durum, nihil coactum, nihil violentum habeat noſtra interpretatio. cap.19.14

XIII. *Eſſe tantũ Sabbati Paraſceuem.*

SED illud vehementius etiam elidet, atque affliget inuictum hoc argumentum, ſi euicerimus nullam penitus in ſacris literis reperiri Paſchæ Paraſceuem, præterquam in hoc ancipiti, & controuerſo inter nos loco; ſed omnem omnino in Scriptura Paraſceuem ad Sabbatum pertinere. De illo quippe vno dictum à Legiſlatore fuerat, *die ſexto parent quod inferant,* in ſequentem ſcilicet ſabbati diem. Nam aliquanto poſt de hac ipſa Paraſceue, feria ipſa ſexta loquens ait, *Requies Sabbati ſanctificata eſt Domino cras, quodcunque operandum eſt facite, & quæ coquenda ſunt coquite,* hodie videlicet, cocta vero, & parata reponi iubet in ſequentem diem. Ex quo legis decreto hoc nectitur argumentum. Paraſceue inſtituta erat ad ea præparanda, quæ fas non erat die feſto ſequenti præparari, atqui id erat ſolius Sabbati priuilegium, illi ergo vni erat neceſſaria Paraſceue. Exo.16.5.23.

XIV. *Quæ in feſta Paſcha permiſſa.*

NAM vt omittam Pontifices & Sacerdotes Iudæorum, qui eo die quem ſciebant eſſe primum azymorum, menſis decimum quintum, Paſchæ ſolennitati in lege deſtinatum, Chriſtum in iudicium rapuerunt, accuſarunt, atque damnarunt; diſcipuli ipſi Domini Ioſephus ab Arimathia, & Nicodemus eo die *mercati ſunt ſyndonem, & mixturam myrrhæ, & aloës quaſi libras centum;* & Ioannes Euangeliſta, qui Paſcha cum Chriſto comederat, & ſanctæ mulieres, & ipſa Virgo ſanctiſſima, operam cum eis ſedulam dederunt, vel deponendo de cruce Chriſti corpori, vel abluendo, vel vngendo. Cumque piarum mulierum deuotioni nondum hac religioſa ſedulitate factum eſſet ſatis, ipſa prima die Azymorum, ipſo primo Paſchatis die, omnium ſanctiſſimo, atque celeberrimo, veſpere antequam inchoaretur *Sabbatum, reuertentes parauerunt aromata & vnguenta, & Sabbato quidem ſiluerunt*

Luc.23. fi. 24.1. *ſiluerunt, ſecundum mandatum. Vna autem Sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum.* Cui ergo vſui paraſceue Paſchati præuium?

QVID igitur eſt, aiunt aduerſarii, quod Apoſtoli ſuſpicati ſunt dictum Proditori, vt emeret ea, quæ opus erant ad diem feſtum, ſi ipſo quoque die ſancto licuit emere? Vtique licuiſſe demonſtratum eſt apertiſſime, nec eſt eorum ſapientiæ, vel eruditionis, ea de re vllo modo dubitare. Quin hæc ipſa cum dicta ſunt à Domino, & à diſcipulis dubiis iactata coniecturis, iam inchoata nocte, primus Azymorum dies erat in curſu, vt qui à veſpera inchoaretur, ſicut cæteri feſti dies: ex quo etiam veritas eadem quam examinamus valide roboratur. Non enim ſuſpicati fuiſſent tunc præceptum Iudæ à Domino, vt emeret, quæ opus erant ad diem feſtum, ipſo iam feſto die inchoato, ſi nihil eo tempore, non ſecus ac die ſabbati, emere licuiſſet. XV. *Obiectio diluitur.* (Ioan.13. 27.)

ANIMADVERTE illud quoque ſi placet; Si paraſceue Paſchæ proprie ab Euangeliſta ſumeretur, & non cum illa orationis figura quam dixi, vtique ab illo errore Iudæorum, feſtum illegitimo die celebrantium ſumeretur, eiq; potius quam veritati S. Euangeliſta patrocinaretur. Non enim poteſt feria ſexta eſſe Paraſceue Paſchæ, niſi Paſcha hoc à Sabbato, id eſt à decimo ſexto die menſis ducat initium. Vt illud interea miſſum faciam, quod ipſi non inuiti fatentur, nullum fuiſſe Chriſto in terris cõmorante, aut prioribus etiam ſeculis apud Iudæos vſum tranſlationis feſtorum, ſed eam omnem inuentionem nuperam eſſe, atque nouitiam. Denique ſi qua fuit Paraſceue Paſchæ, ea plane in decimam quartam diem incidebat, quæ diem primum Azymorum antecedit, non in ipſum illum feſtum diem. *Menſe enim primo*, ait Legiſlator, *quartadecima die menſis, Phaſe Domini erit, & quintadecima die ſolemnitas.* XVI. *Rurſum arguitur paraſceue Paſchæ.* (Nu. 28. 16)

POSTREMO conſtat non magnum eſſe firmamentum in verbis Euangeliſtæ, ad ſtabiliendum Paſcha diei Sabbati: cum ille idem Ioannes Apoſtolus, qui diem ſabbati præuiam vocauit Paraſceuem Paſchæ, eundem ipſum diẽ Paraſceues Paſcha vocet. Ait enim Chriſtum Dominum *ante diem feſtũ Paſchæ* abluiſſe pedes diſcipulorum ſuorum; abluit autem feria quinta, quando & cęteri Euangeliſtæ cum Paulo memorant Euchariſtiæ myſterium inſtitutum, *pridie quã pateretur* ſiue, vt loquitur Apoſtolus, *in qua nocte tradebatur.* Ergo ipſi quoque Ioanni Paraſceue Paſchæ Paſcha fuit. Ex quibus ſatis ſuperque lectori beneuolo atque erudito probatum arbitror, neque Ioannem vllam propriam Paſchæ Paraſceuem agnoſcere, ſed Sabbati; neque Iudæos puros ſe ac mundos ſeruare voluiſſe, ad eſum agni Paſchalis, ſed reliquorum ciborum, qui in vſum dierum paſchalium ſanctificabantur; ideoque neque pridie quam Iudæi Paſcha celebrarent, ſed eodem plane die atque articulo temporis, Chriſtum Dominum cum ſuis legalem agnum comediſſe. Hæc habui quæ tecum paucis in hoc aditu poſtremùm diſſererem, ſtudioſe lector, quæ ſi tibi, vt ſpero, probabuntur, benigniſſima Dei beneuolentia nixi, & amico precum tuarum præſidio adiuti, primo quoque tempore, quod Bibliopolæ noſtri flagitant, tertiæ Annalium iſtorum editioni, dumviuimus, operam dabimus, vt prodeant iſtis ſecundis curis, quantum quidem in nobis erit, aliquanto meliores. Tu interim ſalue, ac vale. XVII. *S. Ioannes Paſcha vocat 15. diem.* (Cap. 13. 1.) *Concluſio.*

Bonus aliis vaca, Pariſiis 1. *Febr.* 1624.

ANNALIVM ECCLESIASTICORVM VETERIS TESTAMENTI.

TOMVS SEXTVS ET VLTIMVS.

ANNVS MVNDI 3879. SEXTAE AETATIS, 563.

IMPERII GRÆCORVM 137. ONIÆ PONTIFICIS 33. IASONIS PSEVDOPONTIFICIS 1. ANTIOCHI EPIPHANIS 1. PTOLEMÆI PHILOMETORIS ÆGYPTII REGIS 5. PERSEI MACEDONIS 5. OLYMPIADIS CLI. AN. 2. VRBIS CONDITÆ 578. COSS. P. MVTIO SCÆVOLA, ET M. ÆMYLIO LEPIDO II.

ANNVS ANTE CHRISTVM 174.

Pſal. 102.

I. Prolusio cum actione gratiarum.

B*ENEDIC anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius.* Egregia plane vox Regij prophetæ gaudio exilientis in contemplatione beneficiorum, quæ agnoſcebat munificentiſſimum Dominum in ſe copioſe profudiſſe, quibus coronatum ſe atque vndique circumſeptum videbat; ſiue cum illum ab omni retro æternitate à turba pereuntium ſecreuit, atque inde peccatis obligatum, propitiationis ac ſatisfactionis ſuæ participem fecit; ſiue cum ipſum ab externa membrorum molitione ad intima vſque viſcera in vtero fabricatus eſt; ſiue cum omnes animi corporiſque ægritudines curauit, ipſamque vitam fugientem ab interitu vindicauit, atque ab ipſa meta reuocauit ad carceres. Quidni & nos quoque, iiſdem aut maioribus etiam obligati beneficiis, in eandem erumpamus vocem? Benedic anima mea Domino. Laudent illum, vt cætera taceam, omnia viſcera mea, in priſtinam quodammodo tanquam aquilæ renouata iuuentutem, quibus ille vigorem atque incolumitatem præſtat, vt diurno, nocturnoque labore non fatiſcãt, neque tædio longiſſimi operis, neq. variis operarum moleſtiis frangantur, ſed conſtanter connitantur aduerſus ingraueſcentis pondus ætatis, vt decurſis aliquando, qui ſuperſunt aut operis aut vitæ annis, paſſis velis portum cum perſeuerantiæ corona ſubeamus.

II. *Gratiarum actio, cum ſumma huius voluminis.*

QVIDNI laudet anima mea Dominum, qui olim languentem illum triginta octo annis ad piſcinam, expectantem aquæ motum, & ad externa auxilia fruſtra reſpectantem non fruſtra reſpexit; ſed viribus vel inſtructum, vel reſtitutum ambulare iuſſit: & nunc nos ipſis triginta octo iam ſeculis, & annis inſuper octo & ſeptuaginta, toto pene terrarum orbe ſtylo peruagantes optatiſſimo dignatos aſpectu, idoneo quoque virium ac reliquo ad iter agendum commeatu inſtructos benignisſima deduxit manu.

Hac ergo experientia, atque expectatione roborati, hoc ſenſu animoque aduerſum liberaliſſimum Dominum, ac mitiſſimam eius parentem affecti, initium damus huic ſexto volumini, poſtrema totius operis parte, quæ ab impio Antiocho Illuſtri exorſa, in ſanctiſſima Chriſti Domini morte terminatur. In qua lex Moſaica, & teſtamentum vetus, cum ſuis ſacrificiis, ritibus, ceremoniis finem accepit; & clariſſimæ naſcentis Euangelij luci, cum Chriſto triumphante, & effuſo cœlitus, in corda linguaſque fidelium, Spiritu ſancto, aditum patefecit.

III. *Status Reip. Iudaicæ hoc tempore.*

INGREDIMVR porro in luctuoſiſſima Iudaicæ Reipublicæ tempora, quibus in eam omnia ſcelera, cum deſerto magna ex parte Dei cultu, & inuectis Idololatrarum ritibus, patefacta per ſuos ianua inundarunt; quibus ex æquo crimina ſuppliciis, & peccatis ſua pœna certauit; vt ex libris Machabæorum, qui huc maxime pertinent, facile intelligemus; in quibus denique tanta feritate atque barbarie in ſanctos Dei famulos, à perditiſſimo tyranno Antiocho, teterrimis facinoribus nobili, ſæuitum eſt, vt in eo Antichriſti præcurſorem, & eius regni præludia agnoſci queant. Sanctus certe Hieronymus in caput vndecimum Danielis, exiſtimat ea quæ de Antiocho ab illo propheta pronunciantur, ad Antichriſtum potius pertinere, eamque communem eccleſiaſticorum interpretum ſcribit eſſe ſententiam. *Noſtri*, inquit, *hæc omnia de Antichriſto prophetari arbitrantur, qui vltimo tempore futurus eſt.* Et mox. *Sicut igitur Saluator habet Salomonem & cæteros ſanctos in typum aduentus ſui, Sic & Antichriſtus peſſimum regem Antiochum, qui ſanctos perſecutus eſt, templumque violauit, recte typum ſui habuiſſe credendus eſt.* 2.v.2. & 12.

IV. *Antiochus figura Antichriſti.*

ALIQVANTO etiam poſt cum dixiſſet verba Danielis à Porphyrio de Antiocho exponi, ſubdit. *Noſtri autem & melius interpretantur & rectius*, hiſtoricóne ſenſu an myſtico? quem ſæpe ſolet præferre Hieronymus, vt cortici nucleum, & literæ occidenti ſpiritum viuificantem; *Quod in fine mundi hæc ſit facturus Antichriſtus, qui conſurgere habet de modica gente*, &c. Quibus tamen præluſiſſe rebus ipſis Antiochum, etſi nihil minus cogitantem, eaſque ipſas proluſiones Danielis oraculis præmonſtratas minime dubium eſt, ſicut ſuis oſtendetur locis. Illud vnum in hoc aditu regni eius dixiſſe ſufficiat, talem fuiſſe moribus & crudelitate, & in Deum impietate Antiochum, eam ſatellitum eius immanitatem, ea impiorum Iudæorum crimina, ea ſanctorum in eadem gente pro religione certamina, vt poſtremis Antichriſti temporibus, quæ atrociſſima futura ſunt, ſimillima, & quaſi gemina videri poſſint, & iſte Rex illi ſuppar, quo nihil ſceleratius ſol vnquam vidit, aut viſurus eſt in terris. Sed iam propius ad rem aggrediamur.

V. *[illegible]io ten[illegible] [illegible] regni Antiochi.*

CVM proximo anno aulici ſui Heliodori ſcelere Seleucus, regnare ac viuere deſiiſſet, in eius ſe regnum inſinuauit Antiochus, anno regni Græcorum 137. quam temporis rationem in dubium reuocare, Scriptura non ſinit, ſic enim ait. *Et exyt ex eis*, Macedoniæ ſcilicet principibus, *radix peccatrix Antiochus Illuſtris, filius Antiochi regis*, qui ſcilicet Magnus dictus eſt, & 36. annis regnauit, & à Scipione Aſiatico victus eſt, *qui* nimirum Illuſtris *fuerat Romæ obſes*, à patre miſſus ad firmitatem fœderum cum Romanis, *& regnauit in anno* 137. *Regni Græcorum.* Sic ibi. Eſt nihilominus inter Scriptores nonnulla diſſentio, quod aliqui iſtum centeſimum trigeſimum ſeptimum annum, cum primo anno Olympiadis huius, iuxta æram Hebraicam, alij cum ſecundo iuxta Chaldaicam coniungunt, in quibus videtur Euſebius in Chronico. Verum quicumque initium regni Græcorum ad initium Olympiadis 117. referunt, in quibus eſt ipſemet Euſebius, etiam 137. annum in primum Olympiadis centeſimæ quinquageſimæ primæ referre coguntur. Interiectæ ſunt enim ſolidæ 34. Olymp. quæ annos 136. efficiunt. l.1. Mach. c.1.v.11.

Euſebius tamen vno anno prouectus eſt vlterius, & in veriorem de initio regni Græcorum ſententiam, vel volens, vel veritate compellente deſcendit, quem plerique de more ſequuntur.

VI. *Ratio nominis eiuſdem.*

Qvod ad ingreſſum Epiphanis in regnum, iam paulo ante ex Appiano dicere cœpimus, illo Heliodoro ſceleſto regni affectatore pulſo, ab Eumene & Attale deductum in poſſeſſionem eius Antiochum, vt eum amicum ſibi redderent hoc beneficio; iam enim ob quaſdam offenſiunculas, etiam hi Romanos ſuſpectos habebant. Atque ita Antiochus Antiochi magni filius (v. ἐχ.) 1. Syria potitus eſt, ait Appianus; quem Syri cognominarunt Illuſtrem, quod alienis regnum vſurpantibus, Heliodoro videlicet, vel Ægyptiis, ipſe auitæ ditionis aſſertor exortus, ſuis illuxerit. Sic ipſe. Quæ non videntur ſatis conſentanea iis, quæ habet Daniel. (ὑπδαιός. c. 11 v. 21.) *Et ſtabit in loco eius deſpectus*, homo nihili, nullius pretij, *& non tribuetur ei honor regius, & veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia.* Quomodo enim illuſtris appellatur, ſi deſpectus eſt, & priuatur honore regio? Aut quomodo clam venit, ſi euocatus à fratre, miſſo in locum eius Seleuci regis filio Demetrio?

VII. *Cur dictus Epiphanes.*

Respondet ex Porphyrio & Suctorio, ſcriptore antiquo S. Hieronymus. (in Dan. c. 11) *Stabit*, inquiunt, *in loco Seleuci, frater eius Antiochus Epiphanes, cui primum ab iis, qui in Syria Ptolemæo fauebant, non dabatur honor regius, ſed poſtea ſimulatione clementiæ obtinuit regnum Syriæ.* Hæc ſtrictim ex Scriptoribus illis S. Hieronymus. Quidam exiſtimant illum Epiphanem, ſiue Nobilem, aut Illuſtrem dictum eſſe per antiphraſin, aut adulationem, cuius rei ſignum eſt, quod à quibuſdam Græcis dictus eſt Epimanes, id eſt furioſus, cognomine ſæuiſſimæ eius crudelitati ſatis congruo. Dicendum videtur Antiochum iſtum non à principio dictum fuiſſe Epiphanem, ſed poſt aliqua præclare geſta, ſicut Soteres, Ceraunos, Nicanores, Poliorcetas: ſic & hunc poſt primam in Ægyptũ expeditionem, quæ illi admodum ex ſententia ſucceſſit. Deſpectum autem fuiſſe propter conditionem obſidis, vt qui Romæ tot annis captiuus detentus eſt; vt poſt eum Demetrius eius nepos, & multo ante Philippus Amyntæ filius Thebis.

VIII. *Tenuitas principiorum eius.*

(Dan. c. 8. v. 9.) Propter hanc principiorum eius tenuitatem dicitur à Daniele *cornu modicum*, quod poſtea factum eſt grande. Neque his obſtat quod Apollonius eius (Liuius l. 42) Romæ legatus, apud Senatum nomine regis ſui dixit, ea merita Senatus in ſe fuiſſe, cum Romæ eſſet, eam comitatem iuuentutis, vt pro Rege, non pro obſide omnibus ordinibus fuerit. Nam hæc vrbanitatis officia ſupra veritatem augeri ſolent; præſertim ad neceſſariam beneuolentiam colligendam, qua is egebat, ſiue vt Romani eum in Aſia ac Syria regnare paterentur, cum regnum Demetrio, Seleuci fratris defuncti filio deberetur, ſiue vt Syriam quoque modo occupatam diſſimularent, ſiue vt ad eam, quam cogitabat in Ægyptum expeditionem, conniuerent; ſiue vt tarditatem perſoluti ſtipendij, quod iam inde ab Antiocho Magno debebatur Romanis, æquiore animo ferrent. Cornu modicum, ad Antiochi Magni filium, & qui dum viueret Demetrius regni hæres, precario atque alieno nomine rex eſſet.

IX. *Antiochus impudens & ſimulator.*

Non dicitur exiſſe clam, ex vrbe videlicet, ſed veniſſe clam in poſſeſſionem regni Aſiæ, prætextu ſcilicet aliquo vtentem, ne videretur filium fratris ſui abſentem, quique eius libertatem ſua captiuitate redemerat, regno fraudare velle. Quo videtur etiam pertinere illud Danielis. (c. 8. v. 23.) *Et poſt regnum eorum, cum creuerint iniquitates, conſurget impudens facie, & intelligens propoſitiones.* Quod Sanctus Hieronymus refert ad id, quod neſciente Senatu per dolum cepit imperium, & contra Ptolemæum Philometorem, ex ſorore nepotem dimicauit. Alibi autem (c. 11. v. 37.) ad publicam eius turpitudinem, & nequitiam, & dedecus regiæ dignitatis. Poteſt etiam impudens facie, & intelligens propoſitiones, ſiue aſtutus & vafer appellari, quia ſimulator egregius fuit, aliud fronte exhibens, aliud corde volutans, quem mentiri non pudeat, qui alia verbo proferat, alia ſubintelligat, nec ſyncere, ſed ænigmatice loquatur: de propoſito ſcilicet retinendi aut reſtituendi regni; qui etiam ingenij ſagacitate introſpicere poſſet, quæ callida ab aliis, atque aſtuta ſimulatione tegerentur.

X. *Syria nunc ad Ptolemæos pertinebat.*

Clandestinvs hic in regnum ingreſſus vt melius intelligatur, ſciendum eſt Syriam ſiue Cœleſyriam ad reges Aſiæ à longo iam tempore pertinuiſſe, etſi Ægy-

ANT. EPIPHANES SYRIAM OBTINET.

ptij nonnunquam eam poſſederint à morte Alexandri, vt ſuis dictum eſt locis. Nouiſſime autem cum Antiochus Magnus bellum in Romanos meditaretur, & circumpoſitos reges ac populos conciliare ſibi conaretur, cum Philippum Macedonem belli ſocium habere conatus eſt, tum Ptolemæum Epiphanem, Romanis amicum, cuius ante regnum cum Philippo affectauerat, affinitate ſibi coniunxit. *Tradita ei*, inquit Euſebius, *Cleopatra filia ſua vxore, cui dotis nomine Syriam, Phœnicem, Samariam, Iudæamque concedit.* Cui conſentiens S. Hieron. *Volens Antiochus*, inquit, *in Aegyptum quoque regnum ſuum extendere, filiam ſuam Cleopatram, per Euclem Rhodium, ſeptimo anno regni adoleſcentis deſpondit Ptolemæo, & tertiodecimo anno tradidit, data ei dotis nomine omni Cæleſyria, & Iudæa.* Sic Hierony. Qua de re videndus etiam Polybius in legationibus n. 82. Id factum ante annos quindecim, quo toto tempore Syria in Ptolemæorum tam Epiphanis, quam Philometoris poteſtate manſit, Cleopatra non præuaricante, vt ſperauerat pater, ſed marito & filio fauente.

in Chron. Olym. 147.

XI. *Seleucus, & Epiphanes Syriam ambiunt.*

ANTIOCHI Magni ſucceſſor Seleucus, conſcius conſiliorum patris, cum videret ſe neque Syriam poſſidere, quam quaſi eſcam dederat Ægyptio pater, vt vtrumque regnum obtineret; neque Ægyptum occupaſſe, etſi regnante puero id facile fore ſperaret, fratrem Antiochum Romæ obſidem euocauit, miſſo in eius locum filio Demetrio, vt eius opera & Syriam recuperare, & Ægyptum obtinere poſſet. Interea Seleucus, ſcelere Heliodori interficitur, cum iam Antiochus perueniſſet Athenas, vt ait Appianus, & opera Eumenis & Attali in regni fraterni poſſeſſionem immittitur; & Babylone potitus, ſatrapam ei Timarchum præfecit, ærario vero Quæſtorem Heraclidem. Moxque Syriam, nepotis ſui prouinciam, quaſi auunculus, & naturæ iure tutor inuiſit, poſt diuturnam in Europa peregrinationem; non vt illam Ptolemæo nepoti confirmaret, ſed vt eam vindicaret ſibi. Et hic eſt clandeſtinus ille aduentus, quem Daniel commemorat. Quando prouinciæ præſides, qui Domino ſuo fideles, ab eo ſibi timebant, non eum regum more tractarunt, quibus aperiuntur vrbes, præſidia decedunt, arcium claues traduntur, & cum pompa in ciuitates introducuntur. Ergo illi regius honos tributus non eſt, vt notat propheta.

Huius ad eam clandeſtinus aduentus.

Dan. 11. 21.

XII. *Syriam fraudulentia obtinet.*

OBTINVIT nihilominus *regnum in fraudulentia*, vt idem ait; ſiue vt explicat Hieronymus *ſimulatione clementiæ.* Nimirum præ ſe tulit ſe nepotis ſui Ptolemæi Philometoris Tutorem agere, eiuſque nomine velle rem Syriacam adminiſtrare, nihil ſibi quærere, ſed paternæ ſollicitudini pro ipſo, curæque ſuccedere. Aderant ei tum Eumenes & Attalus, quorum ſtudiis Syria potitum Epiphanem ſcribit Appianus: monendo ſcilicet Præpoſitos, ac duces Ægyptios, nihil ipſis ab Auunculo Domini ſui timendum eſſe, honorem quem illi detulerint, ab ſorore matre, & puerulo nepote ſibi ipſis delatum iudicatum iri; ipſis prouidendum eſſe, ne talem virum Romana beneuolentia, & vicinorum regum amicitia, fœdere, ſtudiiſque ſubnixum, hoſtem ſibi ipſis imprudenter quærant, quem amicum ſeruare poſſint, ac debeant. Denique victi ſunt, eique omnia, tanquam ipſi regi, commiſerunt; Ille autem poſtmodum amicis ſuis, ducibuſque ſibi addictis loca munita commiſit, verbo quidem regni tutorem agens; re autem vera regni prædonem, ac tyrannum.

XIII. *Initia Iaſonis pſeudopontificis.*

ANTIOCHVS regnum præter meritum, præterque expectationem partum, cæterorum principum more, firmabat ſibi, principibus viris ſibi ſtudioſe deuinciendis, atque amicitia comprehendendis, vt de Eumene atque Attalo ex Appiano conſtat. Cum Iaſon Pontificis Oniæ frater, pertæſus diuturni pontificatus fratris ſui, eius adipiſcendi cauſa, maturè nouum adijt regem, ſperans ſe illi gratum fore, præſertim cum minime gratis obtinere vellet, quod quærebat, & Rex pecuniarum eſſet appetentiſſimus, ad ſuum, patriſque ſui æs alienum Romæ diſſoluendum. De huius ergo Iaſonis intruſione in Pontificatum ſic Scriptura loquitur. *Poſt Seleuci vitæ exceſſum, cum ſuſcepiſſet regnum Antiochus, qui Nobilis appellabatur, ambiebat Iaſon frater Oniæ ſummum ſacerdotium*; & videlicet, vt ambitioſi adulatores ſolent, *adito rege* fratrem calumniatus eſt, quem volebat ſolio deturbare, tanquam parum ipſi fidelem, & in Ægyptium proniorem. Si ſe velit pontificatus honore dignari, ipſi fideliſſimum, atque aduerſus omnes addictiſſimum fore.

2. Mach. c. 4. v. 7.

XIV. *Pontificatum emit ab Antiocho.*

Ac ne ingratum quidem ſe erga regem, aut ſordidum eſſe velle. Ea quippe dignitate ornatum, in poteſtate habiturum ſe ingentem auri argentique vim, quæ in templi ærario, ac gazophylaciis congeſta eſſet, quam dudum Seleucus eius frater, obnitente Onia, obtinere nequiuiſſet, Deo ipſi reſeruante ea, quibus ille fruſtra inhiaſſet. Ergo *promittit ei argenti talenta trecenta ſexaginta, & ex reditibus aliis talenta octoginta. Super hæc promittebat & alia centum quinquaginta, ſi poteſtati eius concederetur gymnaſium, & Ephebiam ſibi conſtituere; & eos qui Hieroſolymis erant Antiochenos ſcribere.* Vides incredibilem hominis ambitionem, & parem ambitioni nequiſſimi capitis impietatem ac nequitiam, qui tantis opibus, quantas ſeorſim dicam, 2. pontificatum emat, & Dei religioſo cultu, ſanctiſque legibus antiquatis, impudentiſſimæ turpitudinis ſcholam aperire non erubeſcat; ad quam excludendam, hominem in ea dignitate poſitum, fortunas omnes, vitamque per atrociſſimos cruciatus profundere oportuiſſet.

2. ※.

l.12.ant c.3. | XV. *Ius nobiliũ ciuitatum.*

Magnum fuiſſe ius priuilegiorum Antiochenæ ciuitatis, ſicut & Alexandrinæ, non obſcure docet Ioſephus, cum inter alia ſcribit, Seleucum primum cognomento Nicanorem, in conditis à ſe per Aſiam, & inferiorem Syriam vrbibus, in ipſa denique metropoli Antiochia, ius ciuitatis Iudæis dediſſe, voluiſſeque ibi pari cum Macedonibus & Græcis conditione degere; quo iure, inquit, nunc quoque viuunt inter eos homines. Idque in Iudæorum non exigua laude ponit. Oportet ergo id priuilegium, quod Iaſon tanto precio emere vult, valde fructuoſum fuiſſe; & aliqua Iudæorum culpa, vel Regum indignatione fuiſſe ſublatum. Eodem modo ius Romanæ ciuitatis magno precio emi ſolitum, docet Tribunus ille, qui Paulum Apoſtolum alloquens, qui ſe ciuem Romanum dicebat. *Ego*, inquit, *multa ſumma ciuilitatem hanc conſecutus ſum.* Eodem pertinet illud, quod Antiochus oppreſſus doloribus, quibus ad vicinum trahebatur interitum, pollicebatur ſe Iudæos Athenienſibus æquales eſſe facturum, ſi quo morbo conualeſcere potuiſſet.

Act. 22. 28. πολιτείαν.

l.12.ant.c.6 | XVI. *Aliquot hic errata Ioſephi.* 1.

Cæterum Ioſephus quæ de Iaſone paulo ante dicebamus, magna ex parte diſſimulat, cum de Antiocho Epiphane. *Is*, inquit, *defuncto per id tempus, quo regnum occupauit, Onia pontifice, fratri eius Ieſu id ſacerdotium contulit, quod filius ſuperſtes etiam tum eſſet paruulus, de quo ſuo loco dicetur.* Sic ipſe. Ætas paruuli conferendi ſacerdotij cauſa non fuit, ſed promiſſa pecunia, vt Scriptura docet. Paruulum autem dicit Oniam Oniæ filium, quem in Ægypto templum ædificaſſe tradit. Errat tamen iterum hoc loco, cum ait defuncto Oniæ Iaſonem ſucceſſiſſe. Nam Scriptura apertiſſime docet Onia viuo intruſum Iaſonem, atque adeo ab ipſius Iaſonis ſucceſſore Menelao interfici iuſſum, idque poſt triennium & amplius. Pergit Ioſephus. *Hic Ieſus priuatus eſt eo ſacerdotio, per regis indignationem.* Hic quoque diſſimulat cauſam indignationis regiæ, quam Scriptura tradit, non perſolutam promiſſam regi pecuniam. Subdit; *Moxque in Oniam fratrum minimum pontificatus tranſlatus eſt. Simoni enim hi tres fuerunt filij, ad quos omnes pontificatus peruenit. Cæterum Ieſus Iaſonem ſe vocari maluit, ſicut alter frater, pro Onia Menelaus dictus eſt.*

l.12.c.15. & l.13.c.6. 2. Mach. 4. 23 & 34. | 2. | 3.

2. Mach. c. 4. 23. & c 3. v. 4. | 4. XVII. *Errat in filiis Simonis pontificis.*

Errat præterea dum ait hunc Oniam cognomine Menelaum Iaſonis fratrem fuiſſe, & filium Simonis pontificis. Vtrumque falſum eſſe Scriptura docet, quæ ait Menelaum fratrem fuiſſe Simonis de tribu Benjamin. At Iaſon de ſtirpe Aaronis fuit, & tribu Leui. Non ergo Simon ille Pontifex tres habuit filios pontifices, ſed duos duntaxat Oniam & Iaſonem; quorum ille à morte patris ad Antiochum vſque, aut potius ad mortem vſque, pontificatum tenuit. Neque enim illo viuo, & nullius criminis reo, alius potuit eſſe legitimus pontifex. Iſte autem germanus eius maluit Iaſon appellari, mutuata è vicino denominatione, vt nomine ipſo ſuam apoſtaſiam teſtaretur. Idem de Menelao, Lyſimacho, Alcimo, cæteriſque dicendum, qui hac quoque re Græcis ethnicis gratificari voluerunt, vt eis animo, corpore, & nomine ſimiles fierent; repudiato cultu patrio, circunciſione, & appellatione ipſa. *Nam patrios honores nihil habentes*, inquit, *Græcas glorias optimas arbitrabantur*; quin & ritus eorum ſacrilegos præ Iudaicis fructuoſos dicebant, ſuos autem inutiles ac noxios. Vt poſtea dicemus.

2. Mach. c. 4. v. 10. 11. & ſeqq. Ioſeph l. 12. c. 6. 1. Mach. 1. 12.

XVIII. *Examinatur alius eius locus.*

Verum quæ hic de his pontificibus à Ioſepho dicuntur, & prætermittuntur, partim ab ipſomet emendantur in libello de Machabæis, partim ſupplentur. Sic enim habet omiſſa laciniosa parumque fideli Eraſmi paraphraſti. *Iam autem vita*

IASON INVADIT PONTIFICATVM.

functo Seleuco rege, filius eius Antiochus, imo frater, *regni habenas accepit, homo arrogans & impotens, qui Oniam ſummo ſacerdotio ſpoliauit, Iaſonem autem eius fratrem, promiſſis ab eo tribus millibus ſexcentis ſexaginta talentis in ſingulos annos, pontificem creat, eique permittit ſacerdotem, & populi ducem agere.* Sic ipſe. Valde vtique probabile eſt hoc tempore, ante ipſos Machabæos, de quibus id plane conſtat, principatum cum pontificatu fuiſſe coniunctum. *κατ' ἐναντίον.* Sed immanis illa pecunia, niſi numerario mendo excuſetur, prope par mendacium habet. Illa enim talenta ad quinque milliones aureorum aſcendunt, & inſuper triginta duo millia & quingentos; quæ ſexies, & eo amplius, excedunt tres ſummas à Scriptura recenſitas, & nihilominus tantam pecuniam maiore prodigio annuam facit. 1. 2. Mach. c. 4. v. 8. & 9

XIX. *Iaſon intruditur pontifex. Onias fugit.*

PONTIFICATVM ergo Iaſon inuadit, ſic enim virum profanum atque apoſtatam deinceps vocabimus, ſanctiſſimo Ieſu nomine indigniſſimum, qui ad omnem impietatem ac nequitiam in Dei populo aditum patefecit. Intruditur Iaſon, & autoritate regia, & pecunia ſua, ſi tamen ſua. Onias autem ita circumuentus, & extruſus à fratre, vitans fortaſſe mortis admodum probabiles inſidias, Antiochiam ſecus Daphnem, tutum ſcilicet in locũ, ſe recepit. Ille autem *ſtatim ad gentilem ritum contribules ſuos transferre cœpit.* 2. Mach. 4. 33. Nomine contribulium non ſolum Leuitæ, ſed Hebræi omnes, quacunque ex tribu eſſent, intelligendi ſunt. *Græcanici ritus introducti.* Gentilem porro ritum, ſiue Græcanicum characterem, vocat adductionem præputij, quam damnat Paulus Apoſtolus, explicat Ioſephus hac de re agens. *Menelaus,* inquit, *& Tobiæ filij ſeceſſerunt ad Antiochum, dicentes ſe velle, relictis patriis inſtitutis, ac legibus, religionem Regis, & Græcanicos ritus aſſumere, rogaueruntque eum vt ſibi permitteret gymnaſiũ Hieroſolymis extruere; quo impetrato adduxerunt ſibi præputia,* vel attractione extremæ cutis circunciſionem occultarunt, *vt nudi quoque non eſſent Græcis diſſimiles, & contemptis omnibus patriis ritibus, imitabantur mores externarum gentium.* 1. Co. c. 7. 18 l. 12. c. 6.

XX. *Quando, & quibus auctoribus contra Ioſephum.*

VERVM hic quoque diſcedit à Scriptura Ioſephus, & à ſeipſo, qui in libro de Machabæis, pauca quidem, ſed ſimillima iis habet, quæ de Iaſone in poſteriore Machabæorum ſcripta ſunt. ca. 4. 10. 12 Hoc autem in loco 4. in rebus à Scriptura diſſentit. Nam primum illa horum autorem facit Iaſonem pſeudopontificem, iſte Menelaum cum Tobiæ filiis. Secundo illa ſtatim ab impetrato à Iaſone pontificatu, iſte Menelao pontificatum adepto, vtique poſt triennium. Tertio illa cauſam apoſtaſiæ ambitionem facit, iſte ſeditionem. Quarto ſcribit ipſe maiorem populi partem factionem Iaſonis ſecutam, eorumque vim non ſuſtinentem Menelaum cum ſuis Antiochum adiiſſe: cum vice verſa Scriptura dicat Iaſonem, vtique infirmiorem, à Menelao obtento pontificatu profugum, expulſum in Ammanitem regionem. 2. Mach. 4. 26. Sed hæc poſtea contigerunt: plane vt hiſtoriam pro arbitratu cudere, non ex codice ſacro eam mutuari voluiſſe videatur.

XXI. *Iſraelitarũ ea de re deliberatio.*

HOC autem tempore, ſub initia regni Antiochi, qui hoc anno 137. regni Græcorum regnare cœpit. 1. Mach. 1. 12. *Exierunt ex Iſrael viri iniqui,* Iaſonis videlicet ſocij, impietate illi ſuppares, *& ſuaſerunt multis dicentes. Eamus, & diſponamus teſtamentum cum Gentibus,* id eſt fœdus ineamus cum nationibus idololatriæ addictis, *quæ circa nos ſunt,* & ritus eorum imitemur. *Quia ex quo receſſimus ab eis, inuenerunt nos multa mala.* Qui fuit olim ſenſus, & querela impiorum Iudæorum aduerſus Ieremiam. c. 44. 17. 18. *Et bonus viſus eſt ſermo in oculis eorum. Et deſtinauerunt aliqui de populo,* mittendam ſcilicet legationem, ad noui regis gratiam mature promerendam, & legationis eius princeps erat Iaſon ipſius pontificis frater, *& abierunt ad regem.* Cui cum Iaſon magnam vim pecuniæ promiſiſſet, vt illa impetraret, quæ rex ipſe ſponte cupiebat, *dedit illis poteſtatem vt facerent iuſtitiam Gentium,* id eſt ritu gentilitio idololatrarum, abdicata religione Iudaica viuerent. Qua illi poteſtate quamprimum vſi,

XXII. *Religionem plerique deſerunt.*

ÆDIFICAVERVNT *gymnaſium Hieroſolymis, ſecundum leges nationum.* c. 4. v. 14. Poſſunt hæc gymnaſia intelligi de palæſtris, in quibus veteri iam inſtituto Græci lucta, diſco, curſu, pugillatu decertabant. Nam libro ſecundo, vbi hæc fuſius explicantur, mentio fit palæſtræ, & donorum, & exercitationis diſci. Poſſunt etiam officinæ exoletorum, & fornices intelligi ſcortorum, de quibus ibidem. *Denique fecerunt ſibi præputia, & receſſerunt à teſtamento ſancto, & iuncti ſunt nationibus,* morum ſcelerumque ſimilitudine, *& venundati vt facerent malum.*

Iaſon tyrannice agit.

Huic in Deum impietati, & contra naturam dedecori, addidit Iaſon tyrannicam

improbitatem in patriam. Priuilegia quippe tam à Syriæ, quam ab Ægypti regibus, per Ioannem Eupolemi patrem impetrata, antiquauit; omnem ſibi poteſtatem, nulloque priuilegio circunſcriptam cum pontificatu arrogans. Fuit hic Eupolemus vnus de legatis Romam à Iuda Machabæo miſſis, bene de Repub. meritus, ſicut & Ioannes pater eius. Et hæc fuerunt Hieroſolymis initia & cauſæ malorum imminentium.

1. Mach. 8. v. 17. 2. Mach. 2. v. 11.

XXIII. *Romanorũ pietas.*

Romae in principio anni tumultus Gallicus, Liguſtinuſque exortus eſt, qui à Conſulibus haud magno conatu, armis compreſſus eſt. Nihilominus Senatus in triduum ſupplicationes decreuit, & 40. hoſtiis ſacrificari iuſſit: vt agnoſcas eius propenſionem ad pietatem, cultumque religioſum Dei, cum eximia gratitudine & agnitione diuinorum beneficiorum; vt merito negligentiæ noſtræ pudori ac probro eſſe poſſit, quibus eſt vera religio, & verus Deus.

Bellum in Dardania.

Hoc oppreſſo motu in Gallia & Liguribus, belli Macedonici ſubibat cura, inquit Liuius l. 41. miſcente Perſeo inter Dardanos Baſtarnaſque certamina. Et iam legati, qui ad res viſendas in Macedoniam miſſi fuerant Romam reuerterant, horum principem fuiſſe Aulum Poſthumium conſularem ex Polybio dictum eſt, nunciauerantque bellum in Dardania eſſe.

n. 62.

XXIV. *Oratores à Perſeo.*

Simvl venerant & à Rege Perſeo Oratores, qui eum purgarent, docerentque nec accitos ab rege Baſtarnas, nec autore eo quicquam facere. Senatus nec liberum atque immunem ab ea culpa Regem eſſe dixit, nec quaſi obnoxium arguit; moneri eum tantummodo iuſſit, vt etiam atque etiam curaret, vt ſanctum haberet fœdus, quod ei cum Romanis eſſe videri poſſit. Interea Dardani cum Baſtarnis incerto atque ancipiti marte pugnant; partim enim vincuntur & cladem accipiunt, partim etiam inferunt, vt ex Liuij loco mutilo ſuſpicari licet; vbi mox de Perſei moribus & magnificentia nonnulla ſubdit, quæ iam ſupra idoneo loco ac tempore retulimus. Cætera vero cum nouorum Conſulum & Prætorum creatione, apud eundem deſiderantur. Illudque in primis, quod ex ſeq. anno colligitur, legatos à Perſeo Carthaginem miſſos, ad Carthaginienſes contra Romanos ad bellum excitandos; eiuſque rei famam ad vrbem delatam, cauſam fuiſſe mittendæ legationis in Africam à Romanis, vt plenius ex anno ſeq. intelligetur.

Monetur de ſeruãdo fœdere.

Legatos in Africam mittit.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3879.

1. N. vi. Corrigendus eſt Ioſephus in lib. de Machab. vbi non leui negligentia Antiochum hunc filium Seleuci appellat, quod in paraphraſi Eraſmi ſublatum eſt. In textu tamen Græco ſic legitur. Τελευτήσαντος δὲ Σελεύκου τοῦ βασιλέως διαδέχεται τὴν ἀρχὴν ὁ υἱὸς αὐτοῦ Ἀντίοχος ἀνὴρ ὑπερήφανος, &c. Negligentiam vocaui non imperitiam: nam idem Ioſephus l. 12. ant. c. 5. ſi. hunc Antiochum Seleuci fratrem, non filium appellat.

2. N. ii. Hæc talenta vtique Hebraica erant, quæ ſingula cum ſint 125. librarum argenti, vt Epiphanio placet, ſingula valent 4125. francis, ſiue coronatis 1375. Itaque 360. talenta efficiunt 495. millia coron. Hæc ille vt dixi, ex ſacro ærario ſe accepturum ſperabat. Vt pontificem enim ſe id in poteſtate habiturum ſciebat: idque innuit textus cum ſubdit, *& ex reditibus aliis*, ſiue ex alio quodam reditu, vt Græcè habetur, *talenta octoginta*, id eſt centum & decem millia coronat. Rurſus 150. partim pro Ephebio, id eſt lupanari proſtituendorum puerorum, partim pro iure Antiochenæ ciuitatis, quæ reſpondent 206. millibus, & 250. coron. Itaque totæ tres ſummæ aſcendunt ad octingenta & vndecim millia, ducentos & quinquaginta coron.

495000.
110000.
206250.
811250.

ANNVS MVNDI 3880. SEXTAE AETATIS 364. IMPERII GRÆCORVM 139. ANTIOCHI EPIPHANIS 2. ONIAE III. PONTIFICIS 34. IASONIS PSEVDOPONT. 2. PTOLEMÆI PHILOMETORIS 6. PERSEI 6. OLYMPIADIS CLI. AN. 3. VRBIS CONDITÆ 579. COSS. SP. POSTHVMIO ALBINO PAVLLVLO. Q. MVTIO SCAEVOLA.

ANNVS ANTE CHRISTVM 173.

I. *Profani ritus inualeſcunt Hieroſolymis.* — INVALESCEBANT hoc tempore Hieroſolymis impuriſſimi Ethnicorum ritus; id agente in primis pſeudopontifice Iaſone, Onia Pontifice, qui hæc ſi quis alius, prohibere poterat, expulſo. Ea vero Scriptura deplorat his verbis. *Etenim auſus eſt ſub ipſa arce gymnaſium conſtituere, & optimos quoſque Ephoborum in lupanaribus ponere*, in Græco habetur πέτασον, quod geſtamen Ephoborum ſignificare tradunt, & expanſum velum, ſub quo miſeri collocabantur ad nequitiam, pergit. *Erat autem hoc non initium ſed incrementum quoddam, & profectus gentilis, & alienæ conuerſationis, propter impii, & non ſacerdotis Iaſonis, nefarium & inauditum ſcelus*, in Græco habetur, *non pontificis*, ſiue pſeudopontificis. Quamuis enim genere ſacerdos eſſet, vtpote Aaronis filius, moribus tamen nihil habebat ſacerdotij, pontifex autem plane non erat, viuo legitimo pontifice. Neque enim ſacrum religioſæ, aut etiam politiæ Reip. corpus monſtroſum, ac biceps eſſe poteſt.

Annitēte pſeudopontifice. — 1. Mach. 1. 17. & 2. 4. 12. &c. — ἀκμὴ vigor.

II. *Et impiis ſacerdotibus.* — HABVIT etiam dignos ſuo pontificatu ſacerdotes, de quibus ſubdit. *Ita vt ſacerdotes iam non circa altaris officia dediti eſſent, ſed contempto templo, & ſacrificiis neglectis, feſtinarent participes fieri paleſtræ, & præbitionis eius iniuſtæ, & in exercitiis diſci*, ad verbum in Græco eſt, poſt diſci prouocationem, propoſito ſcilicet præmio ab agonotheta, profani ſacerdotes, cum palæſtritis, & athletis, publice cum contumelia dignitatis ſuæ decertabant, & eorum inſtituta æmulabantur, & illis *per omnia* corpore ſcilicet & animo, *ſimiles eſſe cupiebant, quos poſtea hoſtes & peremptores habuerunt*. Ita enim legendum eſſe potius, quam *habuerant*, & Græcus textus docet, & verba illa, quæ mox ſubduntur; *In leges enim diuinas impie agere impune non cedit*; ſiue non facile eſt, *ſed hoc ſequens tempus indicabit*. Denique non apparet, ad quod tempus anteactum id referri poſſit, niſi forte ad tempus, quo Philopator cum Antiocho Magno pugnauit; qua de re vide quæ diximus, Olymp. 141. a. 1. — & ibid. Euſeb. chron.

III. *Antiochus adeſt Tyrio certamini.* — AD hoc ipſum tempus pertinet illud, quod ſub quinquennali agone Tyrio cōtigiſſe ſcriptura tradit: quod ſane ad Olympica Græciæ certamina referri non poteſt; hoc quippe tempore medium Olympiadis agebatur, non initium: ſed alia quædam Phœniciæ ludicra fuerunt, quorum tempus Olympicis certaminibus non reſpondebat. C*um*, inquit, *quinquennalis agon Tyri celebraretur, & Rex præſens eſſet, miſit Iaſon facinoroſus viros peccatores ab Hieroſolymis*, vt qui Antiochenſes eſſent, id eſt donati iure Antiochenorum, quod Iaſon à Rege poſtulauerat: & id omiſſum eſt in edit. Vulg. in Græco, ὡς Ἀντιοχεῖς ὄντας. Vtique peccatores erant, nefariæ idololatriæ procuratores, & adminiſtri. Sed cum Græcus textus eos vocet θεωρούς. forte legendum in Vulgata *viros ſpectatores*. De quibus Suidas, & Sigonius de Rep. Athen. θεωροὶ erant, inquit, qui ad ſpectacula, feſta, oracula, rerumque diuinarū curationem mittebantur. Ita Diodorus Siculus eos vocat, quos Dionyſius tyrannus ad ludos Olympicos, cum ſuis carminibus miſerat. Hinc Stratocles adulator Athenis rogationem promulgauit, vt qui ex plebiſcito publice ad Antigonum, &

2 Mach. 4. 18. — *Themi.* — l. 4. c. 7.

Demetrium mitterentur, non legati, ſed theori dicerentur, ſicut qui Delphis & Olympiæ ſolennibus Græcorum conuentibus victimas pro ciuitatibus agunt, vt inquit Plutarchus in Demetrio. Itaque Athenienſes Antigonum & Demetrium adulatione deos fingebant, ſicut hic Iaſon Herculem, ad cuius ſacrificium miſit trecentas drachmas, vt in codicibus Græcis legitur, in Latinis pro eodem didrachma ponitur; alioqui ſumma pecuniæ miſſæ in ſacrificium Herculis geminabitur. Quamquam eas quidem pecunias Iaſon in ſacrilega eiuſmodi ſacrificia deſtinarat, atque addixerat. At ii qui id argentum attulerant, obtinuerunt, vt in fabricam nauium potius, quam in ſuperuacanea ſacrificia inſumerentur.

IV. *Antiochus dolo ambit regnum Aegypti.*

INTEREA Antiochus cum ſe in regno Aſiæ ac Syriæ confirmatum ſenſit, regnum etiam Ægypti ambire cœpit. Et ſicut olim pater eius per ſpeciem affinitatis & nuptiarum, ita nunc Antiochus, cuius ſoror Cleopatra mater erat Ptolemæi Philometoris, ſub ſpecie regni, Tutoris nomine adminiſtrandi, regnum pupilli nepotis inuadere cupiebat. Id ſignificant illa verba. [a] *Et paratum regnum eſt in conſpectu Antiochi, & cœpit regnare*, ὑπέλαβε, cogitauit, deſtinauit, conſilium cepit, denique affectauit, *regnare in terra Aegypti, vt regnaret ſuper duo regna.* Ioſephus; [b] Captus eius regni cupiditate, expeditionem Ægyptiam tentare ſtatuit, contempto Ptolemæi filiorum ætate, rebus adminiſtrandis nondum idonea.

[a] 1.Mach.1. 17.

[b] l.12.c.6. πόθον αὐτῆ λαβών.

V. *Ideo mittit Apollonium in Aegyptum.*

ITAQVE miſit in Ægyptum [c] Apolloniam Mneſtæi filium, qui cum regni optimatibus ageret, vt ſibi tanquam auunculo tutelam adoleſcentis regis committerent; quod illi recuſarunt, non ignari conſiliorum eius, & in Syria ab eo ſibi occupata iam edocti. Id ille indigne ferens, bellum Aegypto inferre ſtatuit, ſi quo modo id per Romanos liceret, quorum propterea beneuolentiam ſibi conciliare voluit, & occupationes captare, vt ex ſequentibus intelligetur: ratus ſe ad eundẽ finem vi peruenturum, ad quem ſibi aditum fraude ac perfidia præparabat. Hæc eſt ſentẽtia illius loci. *Miſſo autem in Aegyptũ Apollonio Mneſtæi filio, propter optimates Ptolemæi Philometoris, regis, cum cognouiſſet Antiochus alienum ſe à negotiis regni effectum, propriis vtilitatibus conſulens*, (in Græco legitur ἀσφαλείας, id eſt ſecuritatis, videtur interpres legiſſe ὀφελείας, ſed eodem ſententia redit) *profectus inde*, ſcilicet ex Tyro, *venit Ioppem, & inde Hieroſolymam.*

[c] vt eſt l.2.c. 4.21.

VI. *Pacifice adit Ieruſalem.*

ET *magnifice ab Iaſone & ciuitate ſuſceptus, cum facularum luminibus, & laudibus*, ſiue acclamationibus, quales ſolent à populo fieri, in admittendis cum pompa in vrbes amicas regibus, quibus eis vitam, victoriam, felicitatem gratulantur, aut precantur: quales populi exhibebant Holoferni, *cum exirent obuiam venienti, cum coronis & lãpadibus, ducentos choros in tympanis & tibiis.* Ergo Antiochus quoq. cum huiuſcemodi apparatu ingreſſus eſt ciuitatem: cui iam propter hunc ipſum Antiochum, & mala quæ ab eo paſſurus erat illud occini potuit. *Quia ſi cognouiſſes & tu.* Poſtmodum autem digreſſus *inde in Phœnicem exercitum conuertit*, vt ſcilicet inſtructa ibi claſſe ſuo tempore Aegyptum inuaderet: non autem Phœnicem infeſto exercitu petiit, vt quidam putarunt; eam enim iam cum Cœleſyria poſſidebat, ex quo regnum obtinuit. Et paulo ante ſcriptura dicebat, in Tyriis agonibus Regem præſentem fuiſſe. Zonar. t. 2. Annal. aliam refert adeundæ Aegypti ſpeciem Epiphani datam. Aegypti rex Ptolemæus moriens duos filios, & vnam reliquit filiam. Fratribus autem inter ſe de regno contendentibus, Antiochus, Magni Antiochi filius, natu maiorem pulſum ſuſcepit, vt per eius defendendi ſpeciem, aditum in Aegyptum haberet, adductoque exercitu maxima parte occupata, obſedit Alexãdrium cum autẽ reliqui ad Romanos cõfugiſſent, Popilius ad Antiochum miſſus cum Aegypto abſtinere iuſſit. Fratres enim intellecto eius conſilio in Græciam redierant, ſed tota hæc ſpecies, & quæ illi annexa ſunt, poſterius contigerunt.

Iudith. 3. 9. 10.

VII. *Legati Romani Carthagine redeunt. In Macedoniam mittuntur.*

QVOD ad Perſei & Macedoniæ res attinet, Romanorum legati nonis Iulij ex Africa redierant, vt author eſt Liuius l. 41. qui conuento prius Maſaniſſa Rege, Carthaginem ierant; Cæterum certius aliquanto, quæ Carthagine acta eſſent, à Rege reſcierant, quam ab ipſis Carthaginenſibus. Compertum tamen affirmauerunt, legatos à Rege Perſeo veniſſe, iiſque noctu Senatum in æde Aeſculapij datum eſſe. Ab Carthagine legatos in Macedoniam miſſos, & Rex affirmauerat, & ipſi parũ conſtanter negauerant. In Macedoniam quoque legatos mittendos Se-

natus cenſuit, tres miſſi ſunt C. Lælius, M. Valerius Meſſala, & Sex. Digitius.

Perſeus Dolopes ſubiugat. Perſeus per id tempus, quia quidam Dolopum non parebant, & de controuerſiis ſuis Romanos appellabant, ad eos cum exercitu profectus, ſub ius iudiciumque ſuum totam coëgit gentem. Deinde per Græciam ſine vllo cuiuſquam damno, aut iniuria iter habuit, ad ciuitatum erga ſe beneuolentiam colligendam: ſed & legatos, aut literas dimiſit, petens ne diutius ſimultatum meminiſſent, quæ cum patre ſuo fuiſſent: neque enim tam atroces fuiſſe eas, vt non potuerint aut debuerint eius morte finiri. Omnia illis integra eſſe, ad inſtituendam ſecum fideliter amicitiam. Bæotos nominatim Perſei partes amplexos teſtatur Polyb. in Legat. n. 63.

VIII. *Maximeq. Achæos ſollicitat.* Cvm Achæorum maxime gẽte reconciliandæ gratiæ viam quærebat. Achæi enim & Athenienſes eo proceſſerant irarum, vt Macedonibus finibus ſuis interdicerent. Itaque mancipiis ex Achaia fugientibus Macedonia receptaculum erat, quia inde eos heri repetere non poterant. Cum enim ipſi finibus ſuis Macedonibus interdixiſſent, Macedoniæ terminos intrare ipſi non audebant. Id cum Perſeus animaduertiſſet, comprehenſis omnibus, literas ad Achæos miſit cum ſeruis, monens vt cogitarent ne ſimilis fuga ſeruorum poſtea fieret; quod erat petere amicitiã. Serui enim ad amicos dominorum ſuorum non confugerent.

Recitauit literas Xenarchus prætor, qui priuatæ gratiæ aditum apud Regem quærebat; & plerique moderate ac benigne ſcriptas eſſe literas cenſuerunt, illi maxime, qui præter ſpem amiſſa mancipia receperant.

IX. *Res apud eos diſceptatur.* Cvm ſurrexit ad dicendum Callicrates, qui in eo verti ſalutem gentis credebat, ſi cum Romanis inuiolatum fœdus ſeruaretur. Itaque cenſuit manere oportere id decretum, quo Macedones Achæorum finibus arceãtur, nec legatos regum aut nuncios quibus animi ſollicitarentur audiendos. *Contra Perſeum.* Perſeum bellum in Romanos parare, velleq. Achæos paulatim amicitia ac belli ſocietate implicare. Seruanda omnia integra donec appareat, quorſum eius belli metus euadat. De commercio cum Macedonibus prius cogitare, periculoſum & immaturum videri. Hunc Callicratem male de Rep. Achæorum meritum, & dum gratiam Romanorum ambit; patriæ libertatem eis prodidiſſe, diſputat Polyb. n. 58. in Legat. dum de reſtitutione exulum ageretur.

Pro eodem. Reſpondit Arco non agi de Achæorum fœdere cum Romanis, ac ſocietate dirimenda, vt cum Macedonibus iungatur; ſed vt veteres tollantur inimicitiæ, ne pr ę omnibus Græcis, Achæi Macedonibus inimici eſſe debeant ſine cauſa; non eſſe cur Romani ſuſpicentur violata ſecum fœdera, ſi Achæi Macedonibus hoſtes eſſe deſierint; præſertim cum id bellum in ſuſpicione tantum ſit, aperte autem conſtet amicitiam perſeuerare; eum Regem & amicum à Senatu appellatum eſſe. Si bellum erit, Romanos ſequi oportere; in pace, ſi odia non finiuntur, intermittenda.

X. *Amicitia Perſei repudiatur.* Decretvm in fauorem Perſei dilatum eſt, indignatione principum, quod legatos ea de re non miſiſſet; nec decere aiebant, eum id paucorum verſuum literis impetrare. Sed cum legatos poſtea Megapolim ad concilium miſiſſet, data eſt opera ab iis, qui offenſionem Romanorum timebant, ne admitterentur.

Varia variis locis bella omittuntur. Interim Aetoli & Cretenſes inteſtinis odiis, belliſque ardebant. Rhodij quoque contra Lycios in armis erant, ad quorum controuerſias dirimendas legati Romani, tanquam communes mortalium omnium amici, ac parentes, haud magno fructu incumbebant, vt breuiter attingit Liuius l. 41. profeſſus externa bella perſequi ſui inſtituti non eſſe, ſatis ſuperque oneris ſuſtinere ſe, res à populo Romano geſtas ſcribere. Id nobis quoq. dicere licet, ſpiſſum opus aggreſſis, ſatiſq. viſum eſt ad ſacram hiſtoriam adiungere præcipuas Imperiorum res geſtas, eaſque in ſuos annos digerere. Græcorum autem vel Romanorum imperium hæc minuta, vel ciuitatum, vel quarumdam etiam prouinciarum geſta, modice tangunt.

XI. *Græcis & ingis Romæ peſtis.* Romam igitur redeamus, cuius Conſules hoc anno in Liuio, cum bona parte proxime præcedentis hiſtoriæ deſiderãtur: eos ex lapidibus Capit. Caſſiodoro, Cuſpiniano, Sigonio, aliiſque ſuggeſſimus. Res eorum geſtæ obſcuræ manſerũt. Cenſorum autem clariores. Scribit Liuius delectum militum, qui in Corſicam mitteretur, ægre confici potuiſſe, quod peſtilentia, quæ priore anno in boues ingruerat, hoc verterat in hominũ morbos; qui inciderant, haud facile ſeptimum diem ſuperabant: qui ſuperabant, longinquo quartanæ maxime implicabantur morbo. Ser-

uitia maxime moriebantur, eorum ſtrages per omnes vias inſepultorum erat; quod ne liberorum quidem funeribus Libitina ſufficiebat. Cadauera intuta à canibus ac vulturibus tabes aſſumebat, quo magis hanc ſepulturæ vel negligentiam, vel impotentiam potentior morbus ſequebatur. Nihilominus Coſſ. votis in Capitolio nuncupatis in prouincias profecti ſunt.

XII. *Geſta Aemylii Proconſulis.*

Exin M. Æmylio Senatus negotium dedit, *Exin* enim legendum videtur, non ex iis ne M. Aemylius Conſul hoc anno dici videatur, quod falſum eſt: anno enim præterito Conſul fuit; itaque paulo poſt non Conſulis, ſed Proconſulis legendum arbitror. Ei ergo datum à Senatu negotium, vt Patauinorum in Venetia ſeditionem comprimeret, quos certamine factionum ad inteſtinum bellum exarſiſſe, etiam ipſorum legati attulerant. Patauinis ſaluti fuit aduentus proconſulis, indeque Romam rediit.

A cenſoribus legitur princeps Senatus.

Cenſores hoc anno creati Q. Fuluius Flaccus, & A. Poſthumius Albinus, qui principem Senatus iterum legerunt M. Aemylium Lepidum Pontificem Maxim. & de Senatu nouem eiecerunt, in iis L. Cornelium Scipionem prætorem Vrbanum, & M. Cornelium Maluginenſem Prætorium, atque adeo L. Fuluium Cenſoris germanum fratrem; multis etiam equi adempti. Iidem vias ſternendas ſcilice in vrbe, glarea extra vrbem ſubſternendas, marginandaſque primi omnium locauerunt, penteſque multis locis faciendos, aliaque multa, quæ ſub fi l. 41. apud Liuium leges, corruptis nonnullis. Et vtique permirum eſt tam potentem, tam populoſam vrbem, tot frequentatam triumphis, tot templis, & ædificiis publicis, priuatiſq. viſendam, ad annos quingentos, & octoginta non fuiſſe pauimentatam, tamque neceſſario ornamento caruiſſe.

Alij multi notati.

XIII. *Res cũ Celtiberis geſta*

Appivs Claudius Proprætor, ſic enim vocandus eſt non Proconſul, contra Celtiberos in Hiſpania rem præclare geſſit. Nam qui bello domiti ſe Tyberio Graccho dediderant, & M. Titinio prætore prouinciam obtinente pacati manſerant, ſub aduentum Appii Claudii rebellauerunt: orſique ſunt bellum ab oppugnatione caſtrorum Romanorum. Prima ferme lux erat, cum vigiles in vallo, quique in portarum ſtationibus erant, cum vidiſſent procul venientem hoſtem, ad arma conclamauerunt. Appius Claudius ſigno propoſito pugnæ, & paucis milites adhortatus, tribus ſimul portis educit. Obſiſtentibus ad exitum Celtiberis, in anguſtiis pari marte primo certatum eſt: deinde Romanis paulatim aciem explicantibus, & hoſtium cornua exæquantibus, eorum impetum Celtiberi non ſuſtinuerunt, ante horam ſecundam pulſi ſunt, ad quindecim millia cæſa aut capta, ſigna adempta duo & triginta, caſtra etiam eo die expugnata, debellatumque. Nam qui ſuperfuere prælio, in oppida ſua dilapſi ſunt, quietique deinde imperio paruerunt.

Ab Appio Proprætore.

XIV. *Ouans vrbẽ adit.*

Ergo cum Romam rediiſſet Appius Claudius Proprætor, ſub huius anni exitum, ſacrificia ſuperis, ſupplicationeſque decretæ, ipſi à Senatu permiſſum vt ouans vrbem iniret. Decem millia pondo argenti, quinque millia auri in ærarium tulit: prior ſumma eſt centum & decem millium coronatorum, poſterior quingentorum millium.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3880.

I. N. III.

Id eſt centum & tres lib. tur. & 2. ſolid. cum dimid. vel coron. 34. 22. ſolid. $\frac{1}{7}$. poſita vncia ſſ. ſolid. quod eſt vulgare argenti precium. At Cenali, qui drachmam æſtimat tribus ſolidis cum dimidio, trecentæ drachmæ efficiunt duos, & 50. francos cum ſemiſſe. Didrachma vero duplo maiorem efficit ſummam, ſi propriam vocis vim ſpectes.

ANNVS MVNDI 3881. SEXTAE AETATIS 365. IMPERII GRÆCORVM 139. ANTIOCHI EPIPHANIS 3. ONIAE III. PONTIFICIS 35. IASONIS PSEVDOPONT. 3. PTOLEMAEI PHILOMETORIS 7. PERSEI 7. OLYMPIADIS CLI. AN. 4. VRBIS CONDITÆ 580. COSS. L. POSTHVMIO ALBINO & M. POPILIO LAENATE.

ANNVS ANTE CHRISTVM 172.

I. *Antiochi in Aegyptum prior expeditio.* — *Eiuſque cauſa.*

HABET hic annus priorem Antiochi Epiphanis in Ægyptum expeditionem; nam alteram Scriptura commemorat, & in annum regni Græcorum 143. refert. Prior autem illa, vti Liuio placet, & ex legatorum Alexandrinorum apud eundem querela liquet, ideo ſuſcepta eſt, vt maior natu Ptolemæus, cognomento Philometor, matris artibus regno pulſus, & in Cyprum etiam viuo patre ablegatus, vt author eſt Pauſanias, regno ſuo Auunculi opera reſtitueretur: aut certe, iuxta ea quæ ante poſita ſunt, vt Epiphanes negatam ab Optimatibus Aegyptiorum regni tutelam, ad quam etiam pertinebat legitimi regis reſtitutio, vi, atque armis ſibi vindicaret: aut adoleſcentis potius regnum, quod Auũculus tutari debebat, ambitioſus inuaderet, vtrumque enim regnum *propriis vtilitatibus conſulens*, vt ſuperius cum Scriptura diximus, ambiebat; cum iam præter ius faſque Cœleſyriam, quam regni tutores repetebant, occupaſſet. Nec tempus huius expeditionis, quod incertum eſt, anteuertendum videtur; quia prius Aſiam & Syriam ab Antiocho receptam ac firmatam oportuit, & copias ad tantum regnum inuadendas parari, & tempus legationi Apollonij dari.

1. Mach. 5. 1 — 1. Mach. 1. 21. — lib. 44. — l. 1 p. 7. & 8. gr. — l. 1. Ma. c. 1. 17. — l. 1. Ma. c. 4. 21.

II. *Res ibi geſta ex Daniele.* — *Expoſitore S. Hieron.*

REM autem ipſam in hac expeditione geſtam perobſcure, ac more prophetico refert Daniel. Cum enim dixiſſet eum obtenturũ regnum in fraudulentia, Syriæ videlicet, vt exponit Hieronymus, ſubdit. *Et brachia pugnantis expugnabuntur à facie eius, & contererentur, inſuper & dux fœderis. Et poſt amicitias cum eo faciet dolum, & aſcendet, & ſuperabit in modico populo. Et abundantes & vberes vrbes ingredietur: & faciet quæ non fecerunt patres eius, rapinas, & prædam, & diuitias eorum diſſipabit, & contra firmiſſimas cogitationes inibit, & hoc vſque ad tempus.* Quæ ſic S. Hieronymus ex Suctorio & Porphyrio exponit. *Cum poſt mortem Cleopatræ Eulaius Eunuchus nutritius Philometoris, & Leneus Aegyptum regerent, & repeterent Syriam, quam Antiochus fraude occupauerat, ortum eſt inter Auunculum & puerum Ptolemæum prælium: cumque inter Peluſium & montem Caſium prælium commiſiſſent, victi ſunt duces Ptolemæi. Porro Antiochus parcens puero, & amicitias ſimulans aſcendit Memphim, & ibi ex more Aegypti regnum accipiens, pueriq. rebus ſe prouidere dicens, cum modico populo omnem Aegyptum ſubiugauit ſibi, & abundantes atque vberrimas ingreſſus eſt ciuitates, fecitque quæ non fecerunt patres eius, & patres patrum illius. Nullus enim regum Syriæ ita vaſtauit Aegyptum, & omnes eorum diuitias diſſipauit, & tam callidus fuit, vt prudentes cogitationes eorum, qui duces pueri erant, ſua fraude ſubuerteret*

ca. 11. 2.

III. *Diſtinctior expoſitio.*

NOMINE brachiorum pugnantis, intelliguntur Eulaius & Leneus, vel alii Aegyptii duces, quos inter & Antiochum Philometor fœdus conciliare cupiebat, ſuper Syria quam illi repetebant, aut ſuper tutorio negotio, quod hic efflagitabat, quocum Philometor contraxerat amicitias, hoc ipſo quod ad eum confugerat: ſed eo fœdere Antiochi malitia diſcuſſo, ad certamen armorum deducta res eſt, & nauali prælio ad Peluſium pugnatum, vt inquit Liuius: in quo factus ſuperior Antiochus, ſimulque cum Philometore, quem ſecum habebat, doloſe egit, quia

eius nomine vrbes occupauit ſibi, pulſis gubernatoribus, quos regni tutores conſtituerant, & aliis ſibi addictis in eorum locum ſubſtitutis. Quod ſuſpicari poſſumus ex eo, quod Soſtratum, quem arci Hieroſolymitanæ præfecerat, Cypriis præfecit. Et quia ſe regni tutorem, & Philometoris reductorem præferebat, vt literis per omnes Aſiæ & Græciæ vrbes vulgauerat, & prælio vno victor fuerat, modicis viribus ſibi regnum adiunxit. Memphi quoque, & locis circumuicinis occupatis, vt inquit Ioſephus, & ſe militeſque ſuos multa præda & largitione locupletauit, & contra firmiſſimas vrbes, vt Alexandriam, in quam ſe receperat minor Ptolemæus, quem Pauſanias Alexandrum, Euſebius Euergetem, Ioſephus Phyſconem vocant, & alias arces, quæ Antiochum admittere nolebant, animo machinatus eſt, vt eas quoque opportuno tempore ſubiugaret. Quæ videtur Danielis expoſitio, hiſtoriæ in primis conſentanea.

l. 12. c. 6.

IV. *Ex l. 1. Machabæorũ.*

Ex quibus etiam intelligi poteſt, ea quæ in primo Machabæorum de bello contra Ægyptios ab Epiphane patrata narrantur, magna ex parte ad primam expeditionem pertinere, quamuis temporis nota, ad finem totius belli, opera Romanorum terminati referẽda ſit. Ergo *intrauit in Aegyptum*, ait Script. *in multitudine graui, in curribus & elephantis, & equitibus, & copioſa nauium multitudine, & conſtituit bellum aduerſus Ptolemæum regem Aegypti* minorem ſcilicet natu, *& veritus eſt Ptolemæus à facie eius, & fugit* Alexandriam vt munitiſſimam, vbi aliquandiu ab Antiocho Epiphane obſeſſus eſt, *& ceciderunt vulnerati multi. Et comprehendit ciuitates munitas in terra Aegypti, & accepit ſpolia terræ Aegypti.* Hæc ibi. Quæ Ioſephus explicans. *Profectus*, inquit, *cum magno exercitu Peluſium, aſtu circũuento Philometore, Aegyptum occupat, & redacta prius in poteſtatem Memphi, locíſq. circumuicinis ad Alexandriam duxit, & vrbem & regem ſubiugaturus.* Sic ille.

1. Macha. 1. 18.

Ioſepho.

b. 45.

Et T. Liuio

Rem etiam diſtinctius ex Liuio diſcere poſſumus, Antiochus, ait, fruſtra tentatis mœnibus Alexandriæ abſceſſerat, cæteráque Ægypto potitus, relicto Memphi maiore Ptolemæo, cui regnum quæri ſuis viribus ſimulabat, vt victorem mox aggrederetur, in Syriam exercitum abduxit. Et mox ſubdit illum cætera Ægypto Philometori tradita, Peluſij validum præſidium reliquiſſe, quo apparebat eum clauſtra Ægypti ſibi retinere, vt cum vellet in Aegyptum rurſus exercitum induceret.

V. *Legatorum de Perſeo relatio.*

Principio huius anni, ait Liuius principio l. 42. legati qui in Aetoliam & Macedoniam miſſi erant, renunciarunt, ſibi conueniendi regis Perſei factam non eſſe poteſtatem, cum alii abeſſe eum, alii ægrum eſſe, falſo vtrumque fingerent: facile tamẽ apparuiſſe ſibi, bellum parari; nec vltra ad arma ire dilaturum. Id legati Theſſali cõfirmabant. Referebant ſcilicet Perſeum iam bellum viuo patre cogitatum, voluentem animo, omnes non gentes modo Græciæ, ſed ciuitates etiam legationibus mittendis, pollicendo plura quæ præſtando, ſibi cõciliaſſe. Eſſe animos hominum magna ex parte in eum propenſos, magis quam in Eumenem, qui tamen de vniuerſa Græcia, in bello quod Romani contra Antiochum Magnum pro Græciæ libertate geſſerant, optime fuerat meritus; & ita ſe in ſuo regno gerebat, vt quæ ſub ditione eius vrbes eſſent, nullius liberæ ciuitatis fortunam ſecum mutatam vellent. Contrà Perſea fama erat poſt patris mortem vxorem manu ſua occidiſſe. Apellem miniſtrum quondam fraudis in fratre tollendo, atque ob id requiſitum à Philippo ad ſupplicium exulantem, poſt mortem patris, ingentibus promiſſis ad præmia tantæ rei accerſitum, clam interfeciſſe.

Eumeni vulgo prælatus.

Aliquot Perſei ſcelera.

VI. *Cur prælatus Eumeni.*

Intestinis externiſque præterea multis cædibus infamem, nec vllo merito cõmendabilem præferebant, vulgo ciuitates, tam pio erga propinquos regi, tam iuſto in ciues, tam munifice erga omnes homines; ſeu fama & maieſtate Macedonum regum occupati, ad ſpernendum originem noui regni, ſeu mutationis rerum cupidi, ſeu quia eum obiectum eſſe Romanis ad eis reſiſtendum volebant. Ita Liuius, aut legati potius Theſſalorum, qui cum aiũt Perſeum nulla re commendabilem ſeſe hominibus exhibuiſſe, videntur ignoraſſe, aut de induſtria obliti eius magnificentiæ, quam ab eo templis ac ciuitatibus exhibitam, Liuius ſuperiore libro 41. retulit. Apellem porro, hominem morte digniſſimum, ideo videtur interfeciſſe, ne forte ab eo Romani diſcerent Perſeum mortis Demetrii autorem fuiſſe; eiuſque indigniſſimam mortem Romani, qui iuuenem regia indole præditum merito diligebant, ab eoque viciſſim diligebantur, vlciſci vellent. Cæterum quæ de colligenda beneuo-

Num vere omnia criminaretur.

lentia ciuitatum acta referuntur à Perſeo, abunde à Polybio confirmantur.

VII. *Romanorũ in Perſeum odium.*

ROMANORVM vice verſa in Perſea odium patefactum eſt, cum Marcellus legatus in Peloponneſum traiecit, & in publico Achæorum conſilio gentem collaudauit, quod conſtanter vetus decretum, de arcendis aditu finium regibus Macedonum tenuiſſent. Id odium, vt maturius erumperet, Rex Eumenes Romam proximo anno venit, commentarium ſecum ferens, quod de apparatibus belli omnia inquirens fecerat, quod Liuius hoc loco per occupationem tactum, anno ſequenti, qui eſt proximus ante bellum, fuſius enarrat. Quæ videtur cauſa fuiſſe, cur Senatus per idem tempus quinque legatos ad regem mitteret, qui res in Macedonia aſpicerent. In ſuſcipiendo enim bello cunctabantur Romani, vt crebro in ſuperioribus bellis animaduerti potuit, ſiue rerum momenta maturo iudicio ponderantes, & pericula vndique circumſpicientes, ſiue vt ipſos ad id neceſſitate compulſos omnes intelligerent. Iidem Alexand. ad Ptol. renouandæ amicitiæ cauſa, proficiſci iuſſi ſunt.

VIII. *Legatio Antiochi ad Romanos.*

NEC oblitus eſt ſui Antiochus: præuenire enim vel famã, vel querelas Aegyptiorum volens, legatos Romam miſit. Audi enim eodem l. 42. T. Liuium. Et ab Antiocho rege, inquit, ſub idem tempus legati venerunt, quorum princeps Apollonius, ille ſcilicet Mneſtæi filius, quem Scriptura memorat,[a] qui maximo in honore apud Antiochum erat, quamuis nuper apud Aegyptios minus voti campos factus eſſet; idemque populo Romano amiciſſimus, vt ait Liuius. Apollonius ergo in Senatum introductus, multis iuſtiſque cauſis Regem excuſauit, quod ſtipendium ſerius quoad diem præſtaret, id ſe omne aduexiſſe, ne cuius niſi temporis gratia regi fieret. Intelligitur ex hoc loco illa quindecim millia talentûm, quibus Magnus Antiochus belli ſumptus rependere cogebatur, & intra 12. annos perſoluere debuerat, vt ex Polyb. conſtat,[b] nõdum integre fuiſſe perſoluta, etſi annus 12. iamdudum abiiſſet. Eſt enim hic annus ab illa pace decimus ſextus.[c]

[a] 2. Mach. 4. 21.
[b] n. 24. in Excerpt. legat.
[c] Anno V. C 564. Olymp. 147. an vlt. Polyb. Excerpt. n. 35.

IX. *Eiuſdemq. munera.*

DONVM præterea afferre ſe dixit, vaſa aurea quingentûm pondo, id eſt quinquaginta millium aureorum; petere Regem, vt quæ cum patre ſuo ſocietas atque amicitia fuiſſet, ea ſecum renouaretur, imperaretque ſibi populus Romanus, quæ bono fidelique ſocio regi eſſent imperanda, ſe nullo vnquam officio ceſſaturum. Ea merita in ſe Senatus fuiſſe, cum Romæ eſſet, eam comitatem iuuentutis, vt pro rege, non pro obſide omnibus ordinibus fuerit.

Vnde corraſa.

Sentis, lector, vt arbitror, vnde hæc tanta pecunia prouenerit, quæ non modo ad millena talenta Euboica, aliquot fortaſſis annorũ, perſoluenda ſuffecerit, ſed ad donum inſuper quingentarum librarum auri: vtique ex Aegyptiaca præda, quam ingentẽ bonus iſte Tutor, ex ciuitatibus pupilli ſui, auide copioſeque corraſerat: vt omittam illa quingenta & 90. talenta impii & ſacrilegi Iaſonis, quæ magna iam ex parte perſoluerat: ex quo non ſolum hiſtoriæ ſacræ veritatem agnoſcas, ſed etiam ſeriem temporum, atque diſpoſitionis noſtræ ſentias confirmari.

X. *Romanorũ opes.*

SED illud etiam perpende, quanta vis auri argentique Romæ eſſet, quò omnes theſauri, omnis præda omnium prouinciarum, vel in triumphis, vel in vectigalibus annuis, vel in donis regum & ciuitatum deferrentur: quo tanquam in mare flumina, Africæ atq. Aegypti, Syriæ & Aſiæ, Macedoniæ, Græciæ, Peloponneſi, Illyrici, Epiri, Hiſpaniæ, Sardiniæ, Siciliæ, Corcicæ, & omnium Italiæ prouinciarum gazæ deuoluerentur. Porro legatis benigne reſponſum eſt à Senatu, idemque iuſſit A. Atilium Prætorem vrbanum, ſocietatem quæ cum Patre fuerat, cum Antiocho renouare. Quæſtores vrbani ſtipendium, vaſa aurea Cenſores acceperunt, eiſque negotium datum eſt, vt ponerent ea, in quibus templis videretur, egregio ſuæ in ſuperos pietatis, & magnificentiæ argumento, vt propemodum illud vſurpare videri poſſent. *Dilexi decorem domus tuæ, &c.* In legatum quoque non parui fuerunt. Nam legato centum millium æris munus miſſum, quæ ſunt duo millia libr. Tur. & ædes liberæ hoſpitio datæ, ſumptuſque decretus, donec in Italia eſſet.

Et benignitas in ſuperos, & legatos.

XI. *Romani ſocius graues eſſe incipiunt.*

IAM vero quod ad Romanam rem attinet Conſules creati ſunt L. Poſthumius Albinus, & M. Popilius Lænas, non ſine cõtentione, propter multitudinem candidatorum. Cum de prouinciis retuliſſent, Ligures vtrique decreti ſunt. Priuſquam autem in eam prouinciam proficiſcerẽtur, Senatui placuit L. Poſthumium Coſ. ad agrum publicum à priuato terminandum, in Campaniam ire. Hic iratus Præneſtinis, priuſquam Roma proficiſceretur, literas Præneſte miſit, vt ſibi magiſtratus ob-

Liuius l. 41. fi. & 42. init.

uiam exiret, locum publice pararet, vbi diuerteretur, iumentaque cum exiret inde præſto eſſent. Ante hunc Conſulem nemo ſociis, aut oneri aut ſumptui fuit, præter onera videlicet militandi, & cum Romanis vbique gentium ſocia arma iungendi, ſed omnia legatis neceſſaria: publicè ab ipſa vrbe ſuppeditabantur. Sed modeſtia ſilentium, & patientia Præneſtinorum fecit, vt quaſi exemplo probato grauiora in dies talis generis imperia vſurparentur. Liuius l. 42. init. lib.

XII. *Fuluii pontificis ſacrilegium.*

Hoc anno Q. Fluuius Flaccus Cenſor magnam omnium inuidiam contraxit, cum ædem Iunonis Laciniæ, quæ iuxta Crotonem in Brutiis extrema Italia magna in veneratione erat, detexiſſet, ſublatis tegulis marmoreis, quibus ædem Fortunę equeſtris, quam magno ſtudio conſtruebat, obtegeretur. Indignum viſum eſt Senatui Cenſorem, eundemque Pontificem, qui ſacra loca in primis curare debuerat, ea in ſacra æde auſum, quæ in priuatis ædibus nemo pateretur: obſtringere religione populum Romanum, dum ruinis templorum templa ædificaret. Decreuit vt tegulæ reportarentur, & iis ædi ſuæ redditis, Iunoni ſacrificia piacularia fierent. Ipſe Fuluius tertio ab hinc anno fœda morte in pœnam ſacrilegii creditur extinctus, vt ſuo loco cum Liuio dicemus: qui in Fuluii culpa exaggeranda oſtendit, quanta eſſet Romanorum religio, ac cultus in ſuos, quamuis indigniſſimos cultu deos.

XIII. *Popilii pugna in Liguria.*

Ex Coſſ. Poſthumius conſumpta æſtate in recognoſcendis agris, ne viſa quidem prouincia ſua, comitiorum cauſa Romam rediit. At Popilius ad oppidum Caryſtum in Liguria cum Liguribus, magna vtrinque animorum contentione, pugnauit. Tres amplius horas neutram in partem victoriæ ſpes oſtendebatur. Quod vt Popilius vidit, iubet equitem tribus ſimul ex partibus, quanto maximo tumultu poſſent in hoſtem incurrere: pars magna equitum mediam perrupit aciem, & ad terga pugnantium peruaſit. Inde terror iniectus Liguribus, diuerſi in omnes partes fugerunt; decem millia hominum cæſa traduntur, amplius ſeptingenti paſſim capti. Signa militaria relata 82. Nec victoria incruenta fuit, amplius tria millia militum amiſſa, cum neutris cedentibus obſtinatius vtrinque pugnaretur. *Et cruenta victoria.*

XIV. *Eiuſdem in victos ſeueritas.*

Post eam fugam in vnum collecti Ligures, cum maiorem partem ciuium ſuorum deletam viderent, dederunt ſe; nihil quidem illi pacti, ſperabant tamen non atrocius quam ſuperiores imperatores, Conſulem in ſe ſæuiturum. At ille arma omnibus ademit, vrbem diruit, ipſos, bonaque eorum vendidit, literaſque Senatui de rebus à ſe geſtis miſit. Senatus eam ſeueritatem improbauit, & referente A. Attilio prætore S C. factum eſt, placere Senatui M. Popilium Conſulem Ligures, pretio emptoribus reddito, reſtituere in libertatem, bona reſtitui, arma primo quoque tempore in ea gente fieri, Conſulem de prouincia decedere, cum deditos Ligures in ſedem ſuam reſtituiſſet; claram quippe victoriam fieri vincendo repugnantes, non ſæuiendo in afflictos. Conſul qua ferocia vſus erat in Liguribus, eandem prope Romæ in Prætorem, & Senatum oſtendit, nihil tamen impetrauit. Sed anno quoque ſequenti graui clade impune Ligures afflixit, adeo vt decem millia eorum à ſe occiſa Romam ſcripſerit. Decretum tamen Senatus vim ſuam retinuit. *Senatui improbata.*

ANNVS MVNDI 3882. SEXTAE AETATIS 366. IMPERII GRÆCORVM 140. ANTIOCHI EPIPHANIS 4. ONIAE III. PONT. 36. & vlt. IASONIS PSEVDOPONT. 4. & vlt. MENELAI 1. PHILOMET. 8. PERSEI 8. OLYMPIADIS CLII. AN. 1. VRBIS CONDITÆ 581. COSS. C. POPILIO LAENATE, & P. ÆLIO LIGVRE.

ANNVS ANTE CHRISTVM 171.

I. *Res Pſeudo pōtificum.* PRIOR huius anni pars ad Iaſonem, poſterior ad Menelaum, Pſeudopontificem vtrumque pertinet. Nam Iaſon malis artibus, vt diximus in pontificatum viuentis inuaſit, nec niſi eodem viuo tenuit; Menelaus ad malas artes & Simoniam, & generis defectū, etiam cædem veri pontificis adiecit. Pontificum tamen numero inſerimus, quia quoquo modo pontificatū externo vſu tenuerunt.

Iaſon an verus pontifex. Scio eſſe viros in primis eruditos, & ſacrarum ſcripturarum ſcientia nobiles, qui ſentiant, ſcribantque Iaſonem iſtum fuiſſe aliquando legitimum pontificem, deiectum autem poſtea pontificatu, quod ad ritus gentilios declinarit. Ego autem primum ſentio eum nunquam fuiſſe verum, legitimumque pontificem, vt qui malis *Nunquam fuiſſe.* artibus, & per Simoniam pontificatum inuaſerit: non vocatus à Deo tanquam Aaron, ſed aſſumens ſibi honorem, ſemetipſum clarificauit, quod illegitimum fuiſſe, etiam in ſacerdotio Aaronico docet Apoſtolus. Illegitimum quoque, vt qui fuerit in viuentis locū intruſus, eum tamen Aaronici non pecunia, non potentia, non gratia, ſed morte prohiberentur permanere, vt idem teſtatur Apoſtolus: qui ideo Chriſti ſacerdotium vocat æternum, quod ſit ſemper viuēs ad interpellādum pro nobis. *Ad Hebr. c.5.4.5.* *Hebr.7.23.*

II. *Ne ad tempus quidē.* RVRSVM illud ſentio, ſi quando Iaſon Pontifex fuit, nunquam dum vixit eſſe deſiit. Nam ſi deſiit eſſe ſummus ſacerdos, poſtquam ad ritus gentilitios declinauit, cum ſtatim ab impetrato ſacerdotio factus ſit apoſtata, & ad eandem defectionē populum induxerit, certe nunquam ſacerdos fuit, ac propterea neque eſſe deſiit: nam priuatio formæ eam in ſubiecto antegreſſam neceſſario requirit. Audi autem Scripturam. *Quod cum Rex annuiſſet, & obtinuiſſet principatum, ſtatim ad gentilem ritum contribules ſuos transferre cœpit.* Ergo quod à Scriptura dicitur non ſacerdos, non ad *Cur dicitur non ſacerdos.* poſteriora eius tempora, ſed ad ipſum ſpectat exordium profani ſacerdotii; quod vtique illud *ſtatim*, quod in vtroque textu habetur, euincit. Quanquam reuera dici videtur non ſacerdos, quo modo Menelaus aliquanto poſt, dicitur nihil habuiſſe dignum ſacerdotio, ſiue pontificatu, vt in Græco legitur. Ergo Iaſon dicitur non ſacerdos, id eſt ſacerdotio indignus, homo profanus, & ad figuratam locutionem innuendam, ſimul impius ibidem appellatur. Et reuera non potuit non eſſe ſacerdos, ſicut non potuit non eſſe filius Simonis ſecundi ſacerdotis, atque pontificis. *2. Mach. 4.v.10.* *εὐθέως.*

III. *Menelaus quoque pſeudopontifex.* EODEM autem modo Menelai ad tempus aliquod pontificatus euertitur; nec poſſunt, qui contra ſentiunt docere, eum quicquam pontificium vllo tempore egiſſe. Nam acceptis à rege mandatis *venit* occupaturus pontificatum, *nihil dignum habens ſacerdotio*, vt ait Scriptura, *ſed animos crudelis tyranni, & feræ belluæ.* Nec eum Iaſon impius deſertor religionis, apud impium regem, & qui ſui ſimiles omnes Iudæos cuperet, & ad impietatem mox exquiſitiſſimis tormentis compelleret, niſi ſui ſimillimum deſertorem commendaſſet. At validiore etiam telo hanc beſtiam Scriptura configit, & à pontificatu, atque adeo ſacerdotio penitus repellit, cum eum à Leuitis excluſum aggregat tribui Beniamini, ſicut & fratrem eius Simonem illum ſupradictum, qui Oniam Seleuco rege viuente vexauit. *2. Mach. 4. 24.* *2. Mach. 3. 4. & c. 4. v. 23.*

Vidit hoc telum amicus noſter, & ſcutum Ioſephi celebriter obiicit, qui fratrẽ Iaſonis appellat Menelaũ, qui prius Onias dictus fuerit. Sed quia Ioſephũ ſcriptura falſi apertiſſime arguit, vis eius eluditur, & interpretatione, minime vt arbitror idonea, obſcuratur. Frater enim, ait, dicitur Simonis Beniaminitæ non ſanguine, ſed affinitate, vel beneuolentia. Sic ſororẽ vocare potuit Elizabetham B. Virgo, quamuis diuerſa tribu ortam. Et Dauid doluit ſuper fratrem ſuum Ionatham, ad Beniaminiam tribum pertinentem. Denique nunquam Iudæi paſſi eſſent Beniaminitam ingredi in Sancta ſanctorum, cum id ne in rege quidem Ozia tolerauerint.

l. 11. ant. c. 6. — *Quæ contra obiiciãtur.*

VERVM facile apparet Scripturam proprie omnino ac ſimpliciter, ſi vſquam alibi loqui. *Miſit*, inquit, *Iaſon Menelaum ſupradicti Simonis fratrem portantem pecunias regi*: cur non dixit fratrem ſuum, quod in promptu erat? quid opus erat Simonem illum nefarium à longinqua narratione acceſſere? Deinde ſatis innuit Scriptura contra Ioſephum, iſtum Menelaum non fuiſſe Oniæ fratrem, cum illum proprio fratri opponat, vt clarius habetur in textu Græco. Et Iaſon quidem, qui proprium fratrem circumuenerat, circumuentus ab alio, profugus in Ammanitidem expulſus eſt. Vnde illa quoque trahitur coniectura, non crediturum Iaſonem fratri ſuo legationem ad Antiochum, verentem ne quam fraudem in priorem fratrem exercuerat, à poſteriore reciperet; qui præſertim ab eo commendatus eſſet Regi. Denique nota eſt illa ſancti Auguſtini regula, non eſſe à propria verborum ſignificatione diſcedendum, niſi grauis neceſſitas vrgeat, quæ nulla eſt hoc loco. Alioqui ſi ita licet propriam vocabulorum vim pro arbitrio defugere, omnia incerta erunt, atque ambigua. Et Iaſon non erit frater Oniæ ſed cognatus, & Lyſimachus cognatus erit Menelai, non frater. Et Maria non erit certo ſoror Moſis, ſed forte cognata.

IV. Refelluntur, & Scriptura confirmatur.

ET certe pertinet ad diuinam prouidentiam non ambigue loqui, vt Apollo ille Loxias; cum dixerit ipſemet per Sapientem; *Qui ſophiſticè loquitur odibilis eſt.* Itaque quando laxius ſumitur nomen fratris, id ex circunſtantijs rei, aut ex alia hiſtoria cognoſci poteſt: notum enim erat aliunde Ionatham & Dauidem ad diuerſas pertinere tribus, & fratris nomen pro amico vſurpari, cum vtriuſque amicitia multum aliis ante locis celebrata fuiſſet. At nunquam, ait ille, eum tuliſſet populus ingredientem Sancta ſanctorum. Minime ſane, ſi impedire potuiſſet; verum præterquã quod iacebant leges ſub talibus pontificibus & ſacerdotibus, quales ſupra eum Scriptura deſcripſimus, vi agebantur omnia: qua vſus Antiochus homo ſceleratus, & à populo Dei prorſus alienus, *intrauit in ſignificationem cum ſuperbia*. Quæ autẽ de Menelao diximus, eadem de Lyſimacho eius tam ſanguine, quam improbitate germano intelligãtur. Dicamus ergo iſtos externo potius vſu, & vſurpatione officii, quam reipſa fuiſſe pontifices. Quæ eſt Serarii noſtri ſententia in hunc locum, Genebrardi & Becani in Analogia; qui iſtos recte conferunt, iis quos antipapas vocamus, verorum pontificum non ſucceſſores, ſed aduerſarios, non paſtores, ſed idola paſtorum. Hac porro neceſſaria excurſione vſi, ad ipſam redeamus hiſtoriam.

V. Antiqua oratio culpabilis. — *2. Mach. c. 4. 10. 14. &c. 1. Mach. 1. 23.*

POST triennii autem tempus, ait Scriptura, cum ſcilicet quartus iam annus eſſet in curſu, ex quo Iaſon Oniæ ſolio pontificio incubabat, cum Rex ex Ægypto rediiſſet in Syriam, Iaſon Menelaum fratrem ſupradicti Simonis, qui tempore Seleuci Oniæ negotium faceſſerat, miſit ad Regem, partim vt precium ſacerdotii ad eum deferret, partim vt de neceſſariis negotiis reſponſa perferret, vel vt eſt in Græco, commonefaceret. *At ille commendatus regi*, à Iaſone ſcilicet, aut amicis, *cum magnificaſſet faciem poteſtatis eius*, id eſt cum plurimum ei adulatus eſſet, ob potentiam in Aſiæ, Syriæ, & Ægypti regna, alii vertunt, *& magnificans ſe facie poteſtatis*, mutato ſpiritu leni in denſum in voce, αὐτοῦ, id eſt cum multum ſe regi potentiæ nomine venditaret, cui expoſitioni fauet, quod mox quaſi Iaſone potentior, maiorem vim pecuniæ regi pollicetur, *in ſemetipſum retorſit ſummum ſacerdotium, ſuperponens Iaſoni talenta argenti trecenta*, id eſt quadringenta & duodecim millia, & quingentos coron. quæ addita pecuniæ Iaſonis, in immenſum creſcebat; ſed ſperabat Templi theſauros ad omnia ſuffecturos.

VI. Menelaus regem adit. — *2. Machab. c 4. v. 23.* — *Iaſonemq. ſupplantat*

ACCEPTISQVE *à Rege mandatis*, quibus loco Iaſonis pontifex eſſe iubebatur, *venit nihil quidem habens dignum ſacerdotio, animos vero crudelis tyranni, & feræ belluæ iram gerens*. In Græco feræ ſubſtantiuum eſt, & habetur, & feræ barbaræ iras

VII. Fit pſeudopontifex.

gerens, eadem vt patet ſententia. Idque mox ex perpetratis eius conſilio in vrbe ac templo cædibus intelligetur. *Et Iaſon quidem, qui proprium fratrẽ* Oniā ſcilicet, *capti-uauerat*, græcè circumuenerat, per fraudem & Simoniam expulerat ſacerdotio, *ipſe deceptus*, & eodem modo circumuentus, *profugus in Ammanitem expulſus eſt regionem*, vt inde mox rediret ad cladẽ ciuibus inferendā in conatu recuperandi pontificatus.

VIII. *Non ſatis facit Regi.* MENELAVS autem principatum quidem obtinuit, *de pecuniis vero regi promiſ-ſis nihil agebat*, neque Soſtrato Quæſtori regio, arci & vectigalibus præpoſito, à quo eius nomine exigebantur, ſatisfaciebat. Cumque Soſtratus rem detuliſſet ad Antiochum, vterque ad regem euocatus eſt, cui cum pro pecuniis verba daret, *Menelaus amotus eſt à Sacerdotio.* Non videtur in eo vltra menſes aliquot ſteriſſe, rege non differente pecuniæ promiſſæ ſolutionem, quam ille re, quam promiſſis le-gentior facere non valens, Lyſimacho fratri locum dedit. *Ei ſuccedit Lyſimachus.* *Soſtratus autem prælatus eſt Cypriis*, aut vt eſt in Græco, ſuo loco reliquit Cratetem Cypriorum præpoſitū. Ex quo intelligitur Antiochum Cyprum quoque inſulam eripuiſſe Ptolemæo. Nam in illius poteſtate antefuiſſe, teſtis eſt Pauſanias in Atticis, vbi ait, Philometoris fratrem Alexandrum, ſic enim Phyſconem appellat, vt alibi diximus, in Cyprum à Cleopatra miſſum Imperatorem. *vt dicitur 2. Mach 5. v. 5. & ſeq.*

IX. *An vt vicarius.* CÆTERVM græcus textus aliquam habet hoc loco diuerſitatem. Dicitur enim Menelaus reliquiſſe fratrem ſuum Lyſimachū ſummi pontificatus Διάδοχον; Tigurina vertit Procuratorem; alii Vicarium vt Serarius; Baſil. & Xiſti Succeſſorẽ, conſentientes Vulgatæ, quæ maioris expoſitionis cauſa dicit amotum fuiſſe Menelaum à ſacerdotio. In Græco habetur tantum reliquiſſe fratrem Diadochum sūmi pontificatus: nec eſt improbabile Menelaū fuiſſe tantū ſuſpenſum, à Pontificatu dum promiſſam regi pecuniā quoquo modo expediret, Lyſimacho fratre interea officium adminiſtrante. Quæ cauſa ei ſacrilegiorū fuerit. Idq. inferiora ſignificant, dū & ipſe vaſa ſacra, quaſi ex autoritate furatur, & ex eius ſententia Lyſimachus furta in templo cōmittit. Ipſum vnum accuſat Onias, ipſe vnus cū interfici curat, & in eum vnum tota accuſatio deuoluitur. Deniq. apparet Menelaum adhuc Pontificẽ fuiſſe, cum Iaſon vrbem inuaſit: nam principatum non recuperauit, quia Menelaus in arcem fugerat: quaſi dicat, alioqui recepturum fuiſſe pontificatum, ſi Menelao potiri, aut eū interficere potuiſſet. Adde quod eodem modo paulo poſt dicitur rex Andronicū Διαδεχόμενον reliquiſſe, id eſt, Vicariū in abſentia, ſicut Crates Soſtrati. *c. 5. v. 5.*

Quid quod de Lyſimachi pontificatu, nulla apud Ioſephum, aut Euſebium mentio? At quid faciamus editioni Vulgatæ? Reſpondeo, facile eſt interpretari amotum à ſacerdotio Menelaum, ad tempus.

X. *Seditio Tharſenſis.* ET *cum hæc agerentur, contigit Tharſenſes & Mallotas ſeditionem mouere*, vtrique ſunt in Cilicia apud Ptolemæum. Mallus in ſinu Iſſico iuxta Pyramum fluuium, Tharſus autem iuxta Cydnum non magno à littore interuallo. Cauſa autem ſeditionis fuit, quod ſe contemptim tractari arbitrarentur, *eo quod Antiochidi regis concubinæ dono eſſent dati. Feſtinanter itaque Rex venit ſedare illos, relicto ſuffecto*, ſiue Vicario ſuo in vrbe Antiochena, *vno ex comitibus ſuis Andronico.* græ. ex præfectis, ſiue in dignitate conſtitutis, quem demereri donis conatus eſt Menelaus, vt haberet conſiliorum ſuorum fautorem.

Sacrilegia Menelai. *Ratus igitur Menelaus accepiſſe ſe tempus opportunum, aurea quædam vaſa è templo furatus, donauit Andronico, & alia vendiderat Tyri, & per vicinas ciuitates*, ſcilicet Ptolemaidem, Sidonem, Beritum, Laodiceam, & forte Antiochiam vſque, ex quo factum fuerit, vt res in notitiam Oniæ venerit.

XI. *Occaſio mortis Oniæ.* VNDE ſequitur. *Quod cum certiſſime cognouiſſet Onias, arguebat eū ipſe, in loco tuto ſe continens Antiochiæ ſecus Daphnẽ*, græce abſcedens in Daphnem, quæ ad Ant. poſita eſt. Erat Onias Antio. forte recuperare ſtudens pont. à rege, & abiit in Daphnẽ aſylum ſuburbanum, cum ſenſit Menelaum Antiochiam ad Andronicum veniſſe. Tutum enim locum vocat aſylum, à vi, & prædatione immune, ex quo augetur maiorem in modum Andronici & Menelai impietas, qui religioſum hominem à loco ſancto & religioſo abſtraxerint, violato etiam iureiurando, & fide humana. Nam ſubditur. *ἀποκεχωρηκώς.*

A Menelao, Andronici manu occiditur. *Menelaus ergo accedens ad Andronicum rogabat, vt Oniam interficeret. Qui cum veniſſet ad Oniam, & datis dextris cum iureiurando, quamuis eſſet ei ſuſpectus ſuaſiſſet de*

aſylo procedere, ſtatim eum peremit, *non veritus iuſtitiam*, quæ fidem datam, præſertim diuino iureiurando interpoſito, obſeruari flagitat, cædes in carcere acta eſt, ſiue intra domum aliquã, non publicè in oculis hominum, eſt enim in Græco παρέκλεισε, quod eſt includere. Nimirum in ſuam poteſtatem redactum, domique clauſum, ſine tumultu afflictum ſenem extinxit.

XII. *Cum communi luctu.*

O B *quam cauſam non ſolum Iudæi, ſed aliæ quoque nationes indignabantur, & moleſte ferebant de nece tanti viri iniuſta. Sed regreſſum Regem de Ciliciæ locis, adierunt Iudæi, apud Antiochiam*, ita declarandi cauſa dictum ab interprete, græcè eſt, οἱ κατὰ πόλιν, qui in ciuitate, aut circa ciuitatem Antiochenam habitabant, *ſimul & Græci conquerentes de iniqua nece Oniæ. Contriſtatus itaque animo Antiochus, propter Oniam, & flexus ad miſericordiam lacrymas fudit, recordatus defuncti ſobrietatem, & modeſtiam. Accenſiſque animis, Andronicum purpura exutum, per totam ciuitatem iubet circumduci*, Græce additur, ſciſſis veſtibus, aut eius, aut ſuis, non enim expreſſum eſt; & malim Andronici veſtes intelligere, ſicut & purpuram, vt maiore confuſione ſeminudus circumduceretur. *Et in eodem loco, in quo in Oniam impietatem commiſerat, ſacrilegum vita priuari, Domino illi condignam retribuente pœnam.*

Etiam regis.

Qui Andronicum merito ſupplicio afficit.

XIII. *Et Oniam diligit.*

E X his porro intelligi poteſt familiaritatem aliquam ab Onia cum rege contractam, eique conciliatam, agnita eius virtute, beneuolentiam; ex qua illæ lacrymæ, cum ſe meminiſſet virum eximium, ex ſumma dignitate, nulla eius culpa deieciſſe. Potuit & Menelaus, eandem ſubodoratus beneuolentiam timuiſſe, ne priſtinæ dignitati reſtitueretur, præſertim cum ipſe pontificatu fere deiectus eſſet, Lyſimacho ad tempus eo potiente.

I T A ergo mortuus eſt vir ſanctus, ſacrilegorum ac ſicariorum profano ferro, qui ipſos ſex ac triginta annos Iudæorum ſacram profanamque Rempub. magno animi robore ſuſtentarat: impiorum hominũ ambitionem, auaritiam, conatus glorioſe infregerat; & ad tutelam ſancti loci defenſores, vltoreſque ſcelerum diuinitus impetrarat.

XIV. *Eiuſdem laudatio, & funus.*

I T A occubuit bonus ac fortis ſacerdos, qui ſuarum admiratione virtutum, impij ac profani regis beneuolentiam erga ſe viuens, mortuus commiſerationem, & lacrymas excitarat; qui in conatu recuperandæ dignitatis ſuæ, qua quoquo modo pietas hoc deplorato ſeculo reſtaurari poterat, aut ſuſtentari, immori non recuſauit; quantauis honoris ſatietate affectus, & more reliquorum iuſtorum, priuatę vitæ & diuinæ in ea familiaritatis amans. Quod ſtudium publicæ ſalutis, etiam in mortuo viguiſſe, Scriptura extremo hoc libro teſtatur. Vidit enim Iudas Machabæus
l.2.c.15 v.12. in ſomnis Oniam, qui fuerat ſummus ſacerdos, virum bonum & benignum, verecundum viſu, modeſtum moribus, & eloquio decorum, & qui à puero in virtutibus exercitatus fuerat, manus protendentem, orare pro omni populo Iudæorum. Erat autem illi ſocius orationis Ieremias, qui ipſe quoque à ſuis, Dei deſertoribus peremptus fuerat in Ægypto. Eſt porro credibile eum honorifice tumulatum, ſiue iuſſu regis ipſius, ſiue grata piorum voluntate.

XV. *Lyſimachi furta, & in eum tumultus.*

M V L T I S autem ſacrilegiis *in templo*, ſiue in ciuitate, *à Lyſimacho commiſſis Menelai conſilio*, (poteſt verti voluntate, decreto, iuſſione quomodo γνώμη etiam decretum Senatus à Plutarcho dicitur) ſparſóque in vulgus rumore, congregata eſt multitudo aduerſus Lyſimachum, multo iam auro, exportato: in Græco apertius eſt, χρυσωμάτων, vaſis aureis: ex quo intelligitur recte ab interprete dictum ſacrilegia in templo facta, licet in Græco ſit, *in ciuitate*, in qua vtique templum erat. *Turbis autem inſurgentibus, & animis ira repletis, Lyſimachus armatis fere tribus millibus, iniquis manibus vti cœpit, duce quodam tyranno ætate pariter, & dementia prouecto.* Recte; recte quoque Tigurina, affecta iam ætate, nec minus mente: etſi prima fronte Græca phraſis aliud exigere videatur, Tyranno, ſiue vt quidam habent, Aurano prouecto ætate, nihilominus autem & mente.

XVI. *In ſeditione perimitur.*

S E D vt intellexerunt conatũ Lyſimachi. Alij lapides, alij fuſtes validos arripuere, quidam vero cinerem in Lyſimachum iecere, & in reliquam videlicet eius cohortem; ſignificantes eos dignos, qui flammis redigerentur in cinerem. *Et multi quidem vulnerati, quidam autem & proſtrati, omnes vero* reliqui *in fugam conuerſi ſunt. Ipſum etiã*

ſacrilegum ſecus ærarium interfecerunt, vt ſcilicet vbi ſcelus commiſerat ſacrilegij, ibidem ſacrilegam animam effunderet: ſicut paulò ante Andronicus, in eodem loco, in quo impietatem commiſerat, iuſtam ac debitam exoluit pœnam. Vtrum autem hoc ipſo anno, an aliquanto poſt Lyſimachi mors contigerit, affirmare non auſim, iudica tu prudens lector, interea ego Romam propero.

XVII. *Perſei ad bellum apparatus.* POSTREMA hoc anno diſpoſitio allata eſt ad bellum multis iam annis à Philippo & Perſeo deſtinatum, ad Romanorum iugum excutiendum; & vice verſa Romanis iampridem ſuſpectum. Hoc enim anno apertius conſilia Perſei de bello patefacta ſunt, quo ille Romano fœderi atque amicitiæ renunciauit, Romani eum hoſtem iudicarunt, vtrique alteros ſuis excedere finibus iuſſerunt, vtrique copias & commeatum ad graue & diuturnum bellum appararunt, aut propemodum in aciem eduxerunt. Rem breuiter veſtigiis T. Liuij inhærentes perſequamur.

Ex Attali denunciatione. Attalus, vt ſcripſit Valerius Antias, aut Eumenes ipſe, vt mauult Liuius, Pergami Rex, amicus ac ſocius populi Ro. fideliſſimus, eoque etiam nomine Perſeo ingratus, hoc anno Romam venit, ingentique honore exceptus, in Senatum introductus, cauſam ſibi veniendi Romam dixit eſſe, vt coram Senatum moneret, vt Perſei conatibus obuiam irent. Iam inde à Philippo bellum magna ope præparari, ac prope geri cœptum aduerſum Romanos; eò euocationem Baſtarnarum, & bella eorum in Dardania, pertinuiſſe. Inde Perſeum patris conſilia omnibus artibus fouiſſe, atque aluiſſe: hominem multis opibus, multa rerum experientia, & autoritate, multis ſucceſſibus proſperis, multorum vndique amicitia, affinitatibus, ſocietatibuſq; ſubnixum, & quod caput eſt, natiuo in Romanos odio formidabilem videri. Ad ea domeſticos accedere apparatus, triginta millia peditum, quinque millia equitum, frumentum in annos decem præparatum, & in totidem annos ſtipendium, in decem millia mercenariorum militum, præter Macedonum copias; arma vel tribus tantis exercitibus in armamentario congeſſiſſe; accedere ſubiectam Thraciam, ex qua nouos ſemper delectus habere poſſit. Addebat multis modis criminibuſque publice priuatimque violata fœdera, quæ Liuius pluribus ea ſcire cupienti ſuggeret. Id autem quod addit, inſigne ad exemplum videri debet. In præſentia neminem ſcire potuiſſe quid à Rege actum eſſet in curia, ſilentio clauſa fuiſſe omnia, nec niſi perfecto bello emanauiſſe.

XVIII. *Legati Perſei reyciuntur.* PERSEI deinde legatis poſt paucos dies Senatus datus eſt, ſed præoccupatis non auribus modo, ſed animis etiam ab Eumene Rege, omnis & defenſio & deprecatio legatorum reſpuebatur; nihil quippe in iis ſyncerum & candidum agnoſcebant. Animos etiam exaſperauit Harpali principis legatorum animus ferocior, cum defenſioni ſuæ adiecit; velle quidem regem & laborare, vt purganti ſe nihil hoſtile dixiſſe, aut feciſſe fides habeatur. Cæterum ſi peruicacius cauſam belli quæri videat, forti animo defenſurum ſe, Martem communem eſſe, & exitus bellorum incertos. Dimiſſa legatione Harpalus, quanta maxima celeritate potuit, regreſſus eſt in Macedoniam, nunciauitque Regi nondum quidem parantes bellum reliquiſſe ſe Romanos, ſed ita infeſtos, vt facile appareret non dilaturos.

XIX. *Ipſe Eumeni ſtruit inſidias.* PERSEVS qui non dubitaret Romanorum animos aduerſum ſe ab Eumene Rege vehementer incenſos, ad eum è medio tollendum adiicit animum; percuſſores ſubornat Cretenſem vnum, tres Macedonas, talium facinorum miniſteriis aſſuetos. Hi Delphis, quo eum ſacrificandi cauſa venturum conſtabat, idoneum inſidiis locum parant, vbi ſingulos propter anguſtias tranſire oportebat, ibi ex alto ſaxa duo ingentia deuoluunt, quorum altero caput ictum eſt Regi, altero humerus ſopitus; & in prolapſum multa alia ſaxa congeſta. Latrones, cum breui circuitu maceriæ ruentem conficere potuiſſent, fuga in Parnaſſi iuga euaſere. *Effertur ſeminimus.* Rex ſopitus vulnere, nullo cum ſenſu elatus, agnitus tamen eſt viuere adhuc; ſed victurum exigua ac prope nulla ſpes erat. Cumque diu magno ſilentio curatus eſſet, eum mortuum eſſe non in Græcia ſolum, ſed in Aſia etiam, & Romæ fama vulgauit.

XX. *Res innoteſcit Romæ.* RES geſta cognita eſt C. Valerio legato ex Græcia & Macedonia reuertente, qui eadem quæ Eumenes nunciauit, & ſecum Praxo Delphis adduxit, cuius domus receptaculum latronum fuerat. Adduxit ſecum & L. Rammium Brunduſinum, à quo ingens Perſei malitia, & odium in Romanos cognitum eſt. Rammius vir Brunduſij potens, hoſpitio & duces Romanos omnes, & legatos, exterarum quoq;

gentium inſignes, præcipue regios accipiebat. Eius beneuolentiam atq; intimam amicitiam ambiuit Perſeus, & ad ſe literis ſpem magnæ fortunæ facientibus attraxit, præſentem ingentibus promiſſis inuitauit, ad duces omnes legatoſque Romanos, in hoſpitio ſuo veneno tollendos. Et ne difficultas in quærendo, aut periculum in vtendo eſſet, venenum obtulit, quod nullo ſigno in dando, aut datum deprehendi poſſet. Rammius veritus ne ſi abnuiſſet, primus ipſe veneni experimentum eſſet, facturum pollicitus proficiſcitur, C. Valerium adit, iuſſu eius Romam venit, introductus in Curiam rem vulgauit. *Perſeus veneficiis in Romanos agit.*

n. 68. Polyb. in legat. ſcribit Solonem & Hippiam legatos à Perſeo Romam veniſſe, & patrum iram deprecari conatos; præcipue tamen crimen inſidiarum Eumeni factarum purgare: & addit, Poſtquam peroraſſent Senatus, qui bellum iam ante decreuerat, denunciauit eis, vt & ipſi, & quicunque è gente Macedonum Romam tum forte aduenisſet, extemplo mœnibus vrbis, Italia intra trigeſimum diem excederent. Zonaras, qui hæc omnia ſtrictim percurrit, ait Romanos in vrbem legatos non admiſiſſe, & Senatu foris dato nihil aliud reſpondiſſe, niſi Conſulem ſe miſſuros, cum quo ageret quæ vellet; eodemque die illos abire iuſſiſſe, ductoribus adiunctis, ne cum quoquam colloquerentur, ac Perſeo aditu Italiæ in poſterum interdixiſſe. Sic ipſe, quæ ad hoc maxime tempus pertinere perſpicuum eſt. XXI. *Noui eius legati repelluntur.*

Hæc videlicet effecere, vt eo maturius Perſeus hoſtis iudicaretur, quem videbant non regio tantum animo parare bellum, ſed per omnia clandeſtina graſſari ſcelera, latrociniorum ac veneficiorum. Belli adminiſtratio ad nouos Conſules reiecta eſt. In præſentia tamen Cn. Sicinium Prætorem ſcribere milites placuit, qui Brunduſium ducti, primo quoque tempore Apolloniam in Epirum traiicerentur, ad occupandas maritimas vrbes, vbi Conſul, cui prouincia Macedonia obuenisſet, claſſem tuto appellere, & copias exponere poſſet. Interea Eumenes morbo releuatus, magno ſtudio bellum parauit. Ariarates filium ſuum Romæ educandum, & Romanis moribus atque inſtitutis informandum miſit. Thraces, per legatos Romanorum amicitiam ac ſocietatem expetierunt, magna Senatus lætitia, qui eos à tergo Macedonas inuaſuros ſperabat. Sed vt in Aſia quoque, & inſulis explorata omnia eſſent, T. Claudium Neronem, & M. Decimium legatos miſerunt, niſi malis n. 64. aſſentiri Polybio, qui huic officio præpoſitos tradit Tiberium & Poſthumium. Adire eos Cretam & Rhodum iuſſerunt, tum renouandæ amicitiæ cauſa, tum ſpeculandi, num ſolicitati à Perſeo animi ſociorum eſſent. XXII. *Perſeus hoſtis iudicatur, bellum in annum proximum paratur.* *Eumenes reualeſcit.*

Eo tempore Carthaginienſes Romæ erant, qui graues de Maſaniſſa querelas ad Senatum detulerunt, quod cum fœdere prohiberentur cum ſociis populi Romani bellum gerere, hoc ille prætextu in dies, in agro Carthaginienſium occupando pergat. Et iam amplius ſeptuaginta oppida, caſtellaque, biennio proximo Maſaniſſam vi atque armis poſſediſſe. Et quamquam aderat pro Maſaniſſa Guluſſa filius, negauit tamen ſibi facile eſſe iis de rebus agere, quia nihil ſuper ea re mandatum habebat à patre, quod & Carthaginienſium conuentus furtim & noctu habiti, & legatio clam miſſa eſſet. Cenſuit Senatus Guluſſam in Numidiam extemplo proficiſci oportere, ac nunciare patri, vt quam primum legatos de iis, quæ Carthaginienſes querantur mittat, vt ius vtrique parti reddatur, nec gratia, qua Maſaniſſa apud Romanos valet, iniuriæ præſidio ſit. XXIII. *Pœni de Maſaniſſa queruntur Romæ.*

Svb idem tempus Cn. Seruilius Cæpio, cum aliis legatis in Macedoniam miſſi, ad res repetendas, renunciandamque Regis amicitiam, rediere. Vidiſſe ſe dicebant per omnes vrbes Macedonum ſumma vi parari bellum. Cum ad regem perueniſſent, permultos dies eius conueniendi poteſtatem non fuiſſe factam. Poſtremo cum deſperato iam colloquio profecti eſſent, tum demum ſe ex itinere reuocatos, & ad eum introductos eſſe: fœderis leges violatas docuiſſe, Romanos, ſocioſque eorum iniuriis affectos, pro his ſatisfieri Senatum æquum cenſere, reddique ſibi res, ſociiſque ſuis, quas contra ius fœderis habeat. XXIV. *Et Romani apud Perſeum.*

Ad ea Rex accenſus ira, primo multa inclementer locutus, auaritiam Romanis ſuperbiamque frequenter obiecit; poſtremo reuerti poſtero die iuſſit, dicens, ſcriptum ſe reſponſum dare velle. Id ferebat, fœdus cum Patre ictum ad ſe nihil pertinere, id ſe neceſſitate renouari paſſum; ſi nouum fœdus facere vellent, de conditionibus prius diſceptari oportere, quas pars vtraque è re ſua eſſe cenſeat. Atque XXV. *Perſei in Romanos ira.*

BIBLIOTECA NAZ. V. E. ROMA

ita proripuiſſe ſe Perſeum, & ſummoueri cœptos è Regia legatos; qui tum amicitiam eius, ac ſocietatem cum renunciarent, reſiſtens Rex clara voce renunciauit, iubens, vt triduo regni ſui finibus excederent. Quibus auditis Senatui placuit literas de comitiis ad Conſules mitti, vt quamprimum ſciretur quibus ducibus Reſp. vſura in bello eſſet, vt vter eorum eſſet, cui ſors ius habendorum comitiorum dediſſet, Romam ad creandos magiſtratus veniret.

Renunciatio eorum fœderi.

XXVI. *Gentius rex cum Perſeo bellum parat.*

NIHIL eo anno Coſs. memoria dignum geſſere: magis è Rep. viſum Ligurum animos ſedari, quam exaſperari, cum Macedonicum bellum expectaretur. Gentium quoque Illyriorum Regem ſuſpectum Iſſenſes legati fecerunt; habent hi vrbem & inſulam in mari Illyrico. Simul queſti fines ſuos illum ſecundo populatum; ſimul nunciantes, vno animo communique conſilio, Gentium & Perſeum bellum Romanis parare; & ſpecie legatorum Illyrios ſpeculatores Romæ eſſe. Qui in Senatum inducti, cum ſe legatos miſſos dicerent, ad criminationes Iſſenſium purgandas; nec cauſam afferrent, cur tanquam legati, Senatui ſeſe non exhibuiſſent, vt pro legatis haberentur, atque tractarentur; confeſtim abire iuſſi, ac ſine reſponſo dimiſſi ſunt. Ad Gentium autem legatos miſerunt, qui nunciarent non æquum eum facere, qui à ſociis ſuis non abſtineret iniuriam.

XXVII. *Reges Romanorum ſocij.*

Ex Aſia vero legati renunciarunt Eumenem Pergami, Antiochum in Syria, Ptolemæum Alexandriæ ſeſe conueniſſe, omnes ſolicitatos legationibus Perſei, ſed egregie in fido permanere: è ciuitatibus ſolos Rhodios fluctuantes, & imbutos Perſei conſiliis inueniſſe. Ad quæ purganda cum legati veniſſent, ad nouos conſules reiecti ſunt; hęc quidem Liuius de Rhodiis l. 42. quæ ſatis conſentanea ſunt iis, quæ Polybius habet, vbi ait circa tempus idem Tiberium & Poſthumium inſulas circumeuntes, & Aſię vrbes (hoc munus demandatum fuiſſe T. Claudio Neroni, & Marco Decimio, iam ante ex Liuio diximus) Rhodum etiam adiiſſe, ibique inueniſſe quadraginta naues præparatas, in vſum atque auxilium Romanorum, idque factum autoritate Egeſilochi, ſummi tum Magiſtratus; qui cum audiſſet bellum à Romanis cum Perſeo geſtum iri, ciues ſuos hortatus fuerat, vt ſpes ſuas cum Romanis iungerent, tum etiam eis autor fuerat, vt prædictas naues inſtruerent, & in tempore paratas haberent. Eúmque apparatum cum Romanis oſtendiſſet, Legatos collaudatis Rhodiis, optime de iis ſentientes diſceſſiſſe, & Romam reuertiſſe. Verum opinio fluctuantis animi Rhodiorum nata eſt Romanis, quod aliqui ex primariis Rhodiorum Perſeo fauebant, & res in eius vtilitatem trahere cupiebant, in quibus Dinonem & Polyaratum numerat Polyb. in legat. Reliquum tempus bellico apparatui ſtrenue collocatum eſt. Cn. Sicinius Prætor cum mediocibus copiis ſtatim præmiſſus eſt, dum nouo Conſuli Prouincia Macedonia decerneretur.

n. 64.

n. 67. 70. 73.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3882.

1. N. VIII. De Soſtrato vero additur in Græco, eum reliquiſſe Diadochum Craterem, qui ſuper Cypriis. Quod Vatablus etiam explicat de menſuris, quaſi dicat Soſtratum dum ad regem euocatus venit, vicarium reliquiſſe Craterem quendam, qui frugibus dimetiendis præfectus erat. Nam Cypros genus eſt menſuræ. Verum id valde coactum eſt: non enim legitur, ἐπὶ τῶν Κυπρίων, ſed κυπρίων.

ANNVS MVNDI 3883. SEXTAE AETATIS, 367. IMPERII GRÆCORVM 141. ANTIOCHI EPIPH. 5. MENELAI PSEVDOPONTIFICIS 2. PTOLEMÆI PHILOMETORIS 9. PERSEI MACEDONIS 9. OLYMPIADIS CLII. AN. 2. VRBIS CONDITÆ 582. COSS. P. LICINIO CRASSO, ET C. CASSIO LONGINO. BELLI MACED. I.

ANNVS ANTE CHRISTVM 170.

AB anno Othonielis trigeſimotertio, in quem incidit primus Iubilæus Moſaicus, decurſis annis 50. ab ingreſſu in Chananitidem, præſens annus eſt milleſimus & trecenteſimus, & quod conſequens eſt Iubilæus vigeſimus ſextus apud Hebræos; quem tamen in profani ac ſacrilegi pontificiis perfidia, & magna rerum confuſione Hieroſolymis vix obſeruatum putamus: fuit autem ingentium malorum imminentium præcurſor atque prænuncius. Quin etiam huius ipſius anni principium inſigni quadam iniuſtitia, in cauſa Menelai Pſeudopontificis, funeſtatur. Quā ſcriptura tradit.[a] Cum enim Lyſimachus, propter ſacrilegia in templo perpetrata, conſilio ac voluntate Menelai, qui eo ſacrilegiorum adminiſtro potius, quam Pontificatus procuratore vtebatur, à populo per ſeditionem concitato interfectus fuiſſet; aliorum quoque fuga, vulnera, cædes contigiſſent: probe intelligens Menelaus rem ad iudicium regium deductum iri, & ſe de iis ſceleribus periclitari, quæ & mortis Lyſimachi, & ſeditionis cauſa fuerant, aulicum quendam auro corrumpit, Regem deprauat, & ſibi debitam mortem transfert in inſontes. Sed Scripturam ipſam audiamus, vt ſimul eam obiter, cum res feret, de more elucidemus.

I. Iubilæus Moſaicus 26.

a 2. Mach. 4.43.

Improbitas Menelai.

DE his ergo, inquit, *cœpit iudicium aduerſus Menelaum agitari. Et cum veniſſet Rex Tyrum*, ex Antiochia ſcilicet, vbi Andronicum debito ſupplicio affecerat, *ad ipſum negotium detulerūt miſſi tres viri à Senioribus. Et cum ſuperaretur Menelaus* (nec ſatis crimina obiecta purgaret) *promiſit Ptolemæo* Dorymenis filio, *multas pecunias dare, ad ſuadendum Regi*, ne ſcilicet ſeditioſis hominibus fidem haberet, qui altero fratre calumniis oppreſſo, ac per vim ac ſeditionem interfecto, etiam alterum regia ſententia interficiendam curent; & de reis in accuſatores verſi ſint. *Itaque Ptolemæus in quodam atrio poſitum, quaſi refrigerandi gratia, regem adiit, & deduxit à ſententia*, Puniendi ſcilicet Menelai, qui & in promiſſis pecuniis regi illuſiſſet, & ſacrilegiis ſuis populum ad vim, ac ſeditionem compuliſſet. Innuit autem Scriptura hæc æſtiuo tempore contigiſſe. ſed pergit. *Itaque Menelaum quidem vniuerſæ malitiæ reum criminibus abſoluit: miſeros autem, qui etiam ſi apud Scythas cauſam dixiſſent, innocentes iudicarentur, hos morte damnauit.*

II. Euadit iudicium, quod in accuſatores deuoluit.

SCYTHAS profert exempli cauſa, quaſi iuſtitiæ contemptores, ſicut M. Tullius Perſas, extremóſque Indos.[b] Videtur & iudicium præceps reprehendi cum ſubditur. *Cito ergo iniuſtam pœnam dederunt, qui pro ciuitate, & populo, & ſacris vaſis, cauſam proſecuti ſunt. Quam ob rem Tyrij quoque indignati, erga ſepulturam eorum liberaliſſimi extiterunt.* Quod in reorum laudem, & Iudicis condemnationem cedebat. *Menelaus autem, propter eorum qui in potentia erant auaritiam, permanebat in poteſtate, creſcens in malitia ad inſidias ciuium.* Quæ poſtrema verba ſatis aperte oſtendunt Menelaum non fuiſſe plane deiectum de pontificatu, neque illum ad Lyſimachum fuiſſe tranſlatum; permanere enim in poteſtate, ſiue ἐν ἀρχῇ in principatu, eſt plane retinere pontificatum; alioqui dicendum fuiſſet, reſtitutum ei fuiſſe pontificatum, non in eo permanſiſſe.

b l. 7. in Verr.

III. Accuſatores innocentes perempti.

IV. *Omnes populi ac reges in bellum Macedonicum intenti.*

QVOD autem ad Perſeum, & res Macedonicas pertinet, P. Licinio, & C. Caſſio huius anni conſulibus, non vrbs tantum Roma, nec terra Italia, ſed omnes reges, ciuitateſque, quæ in Europa, quæque in Aſia erant conuerterant animos, in curam Macedonici, ac Romani belli. Eumenes, quia eum vetus odium, & recens ira vitæ ſuæ Delphis per ſicarios Perſei artibus attentatæ, vehementius ſtimulabant. Pruſias Bithyniæ Rex ſtatuerat abſtinere, euentumque expectare. Nam neque pro Romanis arma ferre, aduerſus fratrem vxoris æquum cenſebat; & apud Perſea, ſi victor eſſet, veniam per ſororem impetrabilem fore. Ariarates Cappadociæ Rex, præterquam quod auxilia Romanis pollicitus erat, & filium habebat Romæ, ex quo eſt iunctus Eumeni affinitate, in omnia belli paciſque conſilia ſe conſociauerat. Antiochus etſi bello Ægyptiaco intentus erat, ſicut & Ptolemæus; vterque tamen ſe amicum Populi Ro. eſſe volebat, vterque auxilia contra Macedonem promittebat. Quæ tamen hoc loco de Ptolemæi tutoribus, & ætate dicuntur à Liuio, ad anteriora tempora, & primam Antiochi in Ægyptum expeditionem videntur pertinere. Denique omnes alij circum reges & populi expectatione pendebant, quod vel in alterutram partem propendebant, vel alteram obrui plane, cum publico damno reliquorum formidabant.

V. *Singularis pro eo Romanorum apparatus & cura. De Perſico bello rogatio.*

ROMANI etſi non ſine metu tantum bellum ſuſcipiebant, animos tamen faciebant aruſpices, qui victoriam, triumphum, prorogationem imperij portendi ſacrificiis nunciabant: Patres, quod fauſtum fœlixque po. Ro. eſſet, centuriatis comitiis primo quoque die ferre ad populum Coſs. iuſſerunt, vt quod Perſeus Philippi filius Macedonum Rex, aduerſus fœdus cum patre Philippo ictum, & ſecum poſt mortem eius renouatum, ſociis populi Ro. arma intuliſſet, agros vaſtaſſet, vrbeſque occupaſſet, quodque belli parandi aduerſus po. Ro. conſilia iniſſet; arma, milites, claſſem eius rei cauſa comparaſſet, vt niſi de iis rebus ſatisfeciſſet, bellum cum eo iniretur. Hæc rogatio ad populum, perlata eſt: SC. inde factum, vt Coſs. inter ſe prouincias Italiam & Macedoniam ſortirentur. Cui Macedonia obueniſſet, vt is regem Perſea, quique eius ſectam ſecuti eſſent, niſi populo Ro. ſatisfeciſſet, bello perſequeretur.

VI. *Quæ peculiaria belli huius.*

QVANTA porro cum cura ſuſceptum ſit hoc bellum à Romanis, illa quoque indicant. Primùm quod cum binas legiones nouas ſingulis Coſs. ſcribi placuiſſet, id 1.
præcipue prouinciæ Macedoniæ datum ſit, vt cum alterius Conſulis legionibus quina millia & duceni equites ex vetero inſtituto darentur in ſingulas legiones, in Macedoniam ſena millia peditum ſcribi iuſſa, equites trecenti in ſingulas legiones.

Legiones ampliata.

2. Quod in ſociali exercitu auctus eſt numerus, ad ſedecim millia peditum, & octingentos equites, cum Conſuli cui obueniſſet Italia 12. millia ſociorum, & ſexcenti 2.
Et ſociales copiæ.
equites ſatis eſſe viſa ſint. 3. Quod eæ copiæ acceſſerunt ad eas, quas Cn. Sicinius 3.
iam in Epirum traduxerat, ſexcentos equites, & peditum Latini nominis duodecim millia. Infra tamen idem Liuius eum traieciſſe dicit in Epirum quinque millia peditum & trecentos equites.

VII. *Quarto circa centuriones &c.*

4. Vt centuriones, militeſque veteres ſcriberet quos vellet Conſul, vſque ad 4.
quinquaginta annos. Nam in tribunis militum eo anno propter Macedonicum bellum nouatum eſt, ne eo anno ſuffragiis crearentur, ſed Conſulum Prætorumque in iis faciendis arbitrium eſſet. 5. Vnum prætorum, cui ſors obtigiſſet abeundi 5.
quò Senatus cenſuiſſet, quod vix ſemel atque iterum à Romanis factum legimus, claſſi præfecerunt: ea erat nauium quinquaginta, quas iam præcedenti anno parauerat C. Licinius Prætor, in qua duæ partes ciuium Rom. tertia ſociorum eſſet.
6. Præter exercitum Conſularem C. Sulpicio Galbæ prætori negotium datum, vt 6.
quatuor vrbanas legiones ſcriberet iuſto numero peditum equitumque, iiſque 4. tribunos militum ex Senatu legeret qui præeſſent. Sociis Latini nominis imperaret 15. millia peditum, mille & ducentos equites. Is exercitus vti paratus eſſet, quo Senatus cenſuiſſet.

VIII. *Septimo, nono ſociorum auxilia.*

7. P. Licinio Conſuli ad exercitum ciuilem ſocialemque petenti addita auxilia; 7.
Ligurum duo millia, Cretenſes ſagittarij incerto numero, quantum rogati Cretenſes miſiſſent. Numidæ item equites elephantique, quam ad rem in Cretam & Africam ad Maſaniſſam & Carthaginienſes legati miſſi ſunt. Eumenis etiam copiæ fuerunt 6. millia peditum & mille equites. Præter auxilia quæ ſe Romanis in Ma-

cedoniam

cedoniam tranſgreſſis adiunxerunt. Acceſſit deniq; commeatus decretus ex Sicilia, & Sardinia, in vſum claſſis, & legionum, & cura ſolito intentior Conſulum in habendo delectu. Ex quibus intelligi poteſt quãtis iam viribus Reſp. Romana ſubſiſteret: præſertim cum præter hæc omnia, iuſti exercitus, cum ſuis quique imperatoribus, vtramque Hiſpaniam, Siciliam, Sardiniam & Corſicam tenerent. Sortiti ſunt prouincias Conſules & Prætores; P. Licinio Craſſo Macedonia obuenit, C. Caſſio Italia, claſſis C. Lucretio Gallo. Legiones inde ſortiti ſunt, prima & tertia Macedonicæ factæ ſunt, ſecunda & quarta Italicæ.

Quanta nunc Romanæ vires.

IX. *Roma legati Perſei.*

PER idem tempus legati à Rege Perſeo venerunt, eos in vrbem intromitti non placuit, cum iam bellum cũ rege eorum & Macedonibus, Senatus decreſſet, & populus iuſſiſſet. In ædem Bellonæ in Senatum introducti, ita verba fecerunt. Mirari Perſea Regem, quid in Macedoniam exercitus tranſportati eſſent: ſi impetrari à Senatu poſſet, vt ij reuocentur, Regem de iniuriis, ſi quas ſociis factas quererentur, arbitrio Senatus ſatisfacturum eſſe. Sp. Caruilius ad eam ipſam rem ex Græcia remiſſus à Cn. Sicinio, in Senatu erat. Is Perrhæbiam expugnatam armis, Theſſaliæ aliquot vrbes captas, & cætera quæ egerat, aut parabat Rex cum argueret, nihilque haberent legati quod reſponderent, iuſſi ſunt Regi ſuo renunciare, P. Licinium Conſulem breui futurum cum exercitu in Macedonia, ad eum ſi ſatisfacere in animo eſſet, legatos mitteret, Romam ne mitteret. Ita dimiſſis, Licinio Conſuli mandatum vt intra vndecimum diem iuberet eos Italia excedere, & Sp. Caruilium mitteret, qui eos donec nauem conſcendiſſent, cuſtodiret.

Refelluntur, & reijciuntur.

Ad Conſulem.

X. *Romani legationibus amicos in Græcia confirmant.*

INTEREA Cn. Sicinius, qui iamdudum fuerat antegreſſus, ad Nymphæum in agro Apolloniati caſtra habebat. Inde tribunos cum duobus millibus militum ad occupanda idonea loca miſit, & legatos Q. Marcium & A. Attilium partim in Aſiã, præſertim ad Rhodios, partim in Epirum, Illyricum, Ætoliam, Theſſaliam, Peloponneſum, Bœotiam, Eubœam, atque vniuerſam Græciam, ad confirmandas in fide ciuitates, aut dubias conciliandas, præſidióque muniendas: de quibus ſingulis breuiter agit Liuius,[a] de Bœotis & Rhodiis nominatim Polybius:[b] & quo quæq; opulentior ciuitas erat, eo accuratius agebant cum ea, quia minores maiorum autoritatem ſecuturæ erant. Rhodij maximi ad omnia momenti habebantur, quia non fauere tantum, ſed adiuuare etiam viribus ſuis bellum poterant, 40. nauibus autore Hegeſilo comparatis. Qui cum in ſummo magiſtratu eſſet, peruicerat Rhodios, vt omiſſa vana ſpe regum fouendorum, Romanam ſocietatem, vnam tum in terris, vel viribus, vel fide ſtabilem, retinerent. Bellum imminere cum Perſeo, deſideraturos Romanos eundem naualem apparatum, quem ante Philippi & Antiochi bello vidiſſent; ideo enixius faciendum, vt crimina ab Eumene delata fide rerum refellerent. His incitati 40. nauium claſſem, inſtructam ornatamq; Romanis legatis aduenientibus, oſtenderunt. Eos legatos T. Claudium, P. Poſthumium, M. Iuniũ Liuius appellat. Polyb. ex quo videtur Liuius iſta mutuatus,[c] duos tãtum memorat, Tiberiũ, & Poſthumium. Prytanim vero ſiue ſummum magiſtratũ Hegeſilochum. Hęc excurſio legatorum magna ex parte anno ſuperiore ſuſcepta, iſto acrius vrgebatur.

[a] l. 42.
[b] n. 63. & ſeq.
[c] n. 64.

XI. *Perſei cum Marcio colloquium.*

QVEM omnem belli fremitum ac tumultum cum Rex, cuius petebatur caput, aut miraretur, aut ægre ferret, cauſam ab eis per literas petiit: quibus cum nihil reſpondendum eſſe viſum fuiſſet, Rex ipſe vnius legatorum Q. Martij colloquium expetiit, impetrauitque. In eo cum Martius, quaſi literis regiis coram reſponſurus, querelas de Perſeo, & cauſas ſuſcepti à Romanis contra eum belli expoſuiſſet, Rex tam accurata reſponſione ad ſingula obiecta ſatisfecit, vt ego quidem exiſtimem vnam eſſe de accuratiſſimis, quæ apud T. Liuium leguntur. Martius autem dicenti aſſenſus, autor ei fuerit, Romam legatum mittendi, ad idque, vt tuto ire liceret, inducias dederit. Idq; eo facilius, quod eæ neceſſariæ viderentur, Rom. nõdum ſatis paratis: Perſeo contra dãnoſæ, qui cũ omnia haberet inſtructa, vana ſpe pacis occæcabatur.

XII. *Perſeus ſpe pacis illuditur.*

PERSEVS, qui bona fide agebat, cum à colloquio Romanorum in Macedoniam recepiſſet ſeſe, miſit legatos Romam de inchoatis cum Martio conditionibus pacis. Deinde etiam Byzantium & Rhodum cum literis, in quibus eadẽ erat ad omnes ſententia: collocutum ſe cum Romanorum legatis, & vtrimq; habita verba ita retulit, vt ſuperior fuiſſe in diſceptatione videri poſſet. Conſilium ſuum Martius in Senatu profeſſus eſt, quod à pleriſq; antiquæ probitatis Senatoribus eſt impro-

batum, vt qui aperta virtute & cum fide, non fraudibus hiſce, & quadam quaſi perfidia hoſtes ſuperari vellent, & Romanas artes in bello, non Punicas exerceri. Vicit tamen ſententia, quæ vtilitatem dignitati præferebat. Legati enim Regis non ſatis viſi ſunt, ſuſceptum contra Eumenem facinus purgare. Cætera deprecatio erat, ſed non iis animis audiebatur, qui aut doceri, aut flecti poſſent: denunciatum extemplo mœnibus vrbis Romæ, Italia intra trigeſimum diem excederent. Itaque Perſei ſpes & labor in ventos abiere, quia aduenerat tempus vt plurima, maximáque ſcelera lueret.

XIII. *Romanæ copiæ in Macedoniã traijciunt.*

INTEREA Conſul Licinius paludatus ex vrbe, magno omnium Romanorum ſenſu, atque expectatione, ad grauiſſimum, maximique momenti bellum proficiſcitur: duo Conſulares tribuni militum cum eo miſſi, aliique illuſtres viri, cum quibus Brunduſium ad exercitum, atque inde cum omnibus copiis tranſuectus ad Nymphæum, in Apolloniati agro caſtra poſuit. Claſſis præfectus Lucretius, fratrem præmittit, qui cum aliquot nauibus confeſtim Dyrrhachium traiicit. Ibi decem ipſorum Dyrrhachinorum, duodecim Iſſæorum, Gentij Regis lembos 54. nactús, ſimulans ſe credere eos in vſum Romanorum eſſe comparatos, omnibus abductis, tertio die Corcyram, inde protinus in Cephaleniam traiicit. C. Lucretius Prætor Neapoli profectus, ſuperato freto die quinto in Cephaleniam tranſmiſit. Paucos ante dies Perſeus, poſtquam legati Roma regreſſi ſpem omnem pacis præciderunt, de rerum ſuarum ſumma Pellæ, in vetere Macedonum regia conſilium habuit.

XIV. *Perſeus de ſumma rerum ſuarũ deliberat.*

ERANT quibus mollior ſententia placebat, & declinandum bellum potius, quam tantę rei aleam iaciendam cenſebant. Cæterum multo maior pars ferocioris ſententiæ erat; cum Romanis, niſi toto regno cedat, & ignominioſus in aliquam ſe inſulam coniiciat, pacem eſſe non poſſe. Satiuſque eſſe armatum, vindicem fortunæ dignitatiſque ſuæ, ita vt viro forti dignum ſit, pati quodcunque tulerit belli caſus, aut victorem liberare orbem terrarum ab imperio Romano. Hic Rex, geramus ergo, inquit, diis bene iuuantibus bellum, quando ita videtur; literiſque circa præfectos dimiſſis, Citium Macedoniæ oppidum copias omnes contrahit. Summa omnium 39. millia peditum fuere, quatuor equitum; ſatiſque conſtabat, ſecundum eum exercitum, quem Alexander magnus duxiſſet in Aſiam, nunquam vllius Macedonum regis tantas copias fuiſſe. Sextus quippe & vigeſimus annus agebatur, ex quo petenti Philippo data pax erat, perque id omne tempus quieta Macedonia, & progeniem ediderat, cuius magna pars militiæ idonea erat, & leuibus bellis Thracum accolarum, quæ exercerent magis quam fatigarent, ſub aſſidua militia fuerat. Recte 26. annos ab ea pace numerat Liuius, ſed computatis extremis. Contigit enim eam fieri anno V.C. 557. L. Furio Purpureone, & M. Claud. Marcello Coſs. etſi aliter Sigonio in Annot. in Liuium viſum fuerit. Tres enim & viginti annos legi vult, quaſi ea pax T. Sempronio & P. Cornelio contigerit, quam Liuius datam illis, quos dixi Conſulibus perſpicue tradit.

Statuit pugnare.

Eius copiæ.

XV. *Suos ad bellum hortatur.*

PERSEVS ſuos ad bellum cohortatur, & multas fiduciæ cauſas iuſtaſque aperit: addit & rei bene gerẽdæ neceſſitatem. Agi nimirum hoc bello, non de ignotis terræ partibus Macedonum regno acquirendis, ſed de ipſius Macedoniæ poſſeſſione retinenda, niſi vincant, eam ſuperbis dominis cum rege ſuo tradendam eſſe, & Macedonibus olim terrarum dominis, impoſitum ſeruitutis iugum à Romanis ferẽdum eſſe. Tota regis oratio magno aſſenſu excepta eſt. Inde ad hoſtem per Theſſaliam & Perrhębiam duxit, & in tranſitu pleraque loca in deditionem accepit; alia vel vi, vel improuiſo impetu occupauit, donec Sycurium progreſſus, operiri ibi hoſtium aduentum ſtatuit, opportunitate loci ductus; intereáque frumentari paſſim exercitum iubet, in ſubiecto hoſtium agro. Eſt enim Sycurium ad radices Oſſæ montis, qua in meridiem vergit, ſubiectos habet Theſſaliæ campos, ab tergo Macedoniam atque Magneſiam. Accedebat ſumma ſalubritas, & copia perennium aquarum è pluribus circumiectis fontibus.

Ad Sycurium ſubſiſtit.

XVI. *Conſul ad eum accedit.*

CONSVL autem Licinius, ex Epiro Theſſaliam petens, Gomphos peruenit, per aſpera difficiliaq; loca, miratus ea ab hoſtibus non fuiſſe occupata, vbi Romani ingentem cladem accipere potuiſſent. Id gaudium Romanis attulit, & contemptum hoſtium, ignorantium opportunitates ſuas. Inde refecto milite Lariſſam ducit,

ducit, indéque progreſſus ſuper Peneum amnem caſtra poſuit.

Per idem tempus Eumenes ad Chalcidem nauibus appulit, cum Attalo, atque Athenæo fratribus, Philetæro fratre relicto Pergami ad tutelam regni. Inde cum Attalo & 4. millibus peditum, mille equitum ad Conſulem venit; Chalcide reliquit duo millia peditum, quibus Athenæum præpoſuit. *Eumenes cum copiis adit Conſulem.*

XVII. *Alia Romanorum auxilia, præſertim nautica.* Eodem & alia auxilia ex omnibus Græciæ locis Romanis aduenerunt; naues quoque variis ex locis Prætori C. Lucretio, eiuſque fratri ſe aggregarunt, quas quia nuſquam erat maritimum bellum, ſociis remiſit: nihilominus rem bene nonnullis in locis geſſit. Haliartum in Bœotia diu oppugnatam, & ſumma contentione defenſam ſumma vi cepit, ſeniores impuberéſque, quos caſus obuios obtulit, interfecit; armatos qui ad arcem confugerant, deditione facta, ad duo millia & quingentos ſub corona vendidit, ornamenta omnia vrbis, & quidquid pretioſæ prædæ fuit, ad naues detulit, vrbem diruit à fundamentis. Eo terrore Thebæ, non tentato certamine, dedidere ſeſe: Prætor vrbem exulibus tradidit, & qui Romanis partibus fauebant, reliquos ſub corona vendidit. Quibus in Bœotia geſtis, ad mare atque naues rediit. *Res ad Haliartum geſta.*

XVIII. *Perſeus Romanos ad pugnam allicit.* At Perſeus Pheræorum agros, & Theſſaliæ campos late populabatur, ſi quo modo Romanos longius à caſtris abſtractos, opprimere poſſet: quod illi veriti, dum quieſcunt, non leuem ſibi inuidiam conflarunt. Rex ex conceſſa impune vaſtatione ſumptis animis ad hoſtem pergit, quem d. bello tum conſultantem repentinus regis aduentus conterruit: aderat is cum equitibus ac leui armatura, ad mille paſſus ab hoſte, ſignis peditum conſiſtere iuſſis. Ergo Romani dimiſſo concilio, ſignum dant extemplo ad arma capienda, dum interim expediti centum equites Eumeniani, totidemque iaculatores pedites hoſti obuiam eunt. Cum in conſpectum hoſtium ventum eſſet, Perſeus ignarus quantum adeſſet hoſtium conſtitit, & aliquot turmas ſuorum miſit. Inter eos cum pari fere numero pugnaretur, nec alterutra ex parte noua auxilia ſubmitterentur, prælium incerta victoria finitũ eſt. *Prima velitatio.*

XIX. *Altera pugna in qua Perſeus ſuperior euadit.* Seqventibvs diebus Rex perlicere ad certamen Romanos conabatur, ſperans, ſi eos longius à caſtris extraxiſſet, facile conuerſa acie cladem eis illaturum, vt qui ſe equitatu, & leui armatura ſuperiorem credebat. Poſt aliquot dies eundem in locum, cum omnibus copiis prima luce venit, copias inſtruxit. Idem & Romani, pene deprehenſi tam maturo regis aduentu, faciunt. Pugnatur vtrimque animoſe, Thraces equites & initium pugnæ, & victoriam dedere Perſeo, Romanorum equitatu perculſo; Perſeus & ipſe non leue momentum ad victoriam attulit, cum in mediam inuectus aciem, Græcos primo impetu auertit: & opinio fuit ſi inclinatis Romanorum rebus infeſtius, aut conſtantius inſtitiſſet hoſti, eo die debellari potuiſſe.

XX. *Rex ſpe pacis non perſequitur victoriam.* Sed Euander Cretenſis ad Regem accurrit, eumque monere inſtitit ne elatus fœlicitate, ſummam rerum temere in non neceſſariam aleam daret; quieſceret eo die re bene geſta, vel pacis honeſtæ conditionem habiturum, vel plurimos belli ſocios, qui fortunam ſequerentur ſi bellare mallet. Rex qui ad pacem erat pronior, collaudato Euandro receptui cani iuſſit. Plutarchus in Æmylio Paulo ait regem hoc prælio 2. millia & quingentos ſtrenuos milites occidiſſe, cepiſſe ſexcentos. Subditque claſſem Romanam. Quæ ad Oreum ſtationem habebat, repente adortum, viginti naues onerarias, cum ipſo onere cepiſſe, reliquas frumento onuſtas depreſſiſſe, & 4. præterea quinqueremes cepiſſe, quæ cauſa fuerit fortaſſe, vt proximo anno legati Carthaginienſium in Senatu dixerint, tritici decies centum millia, & hordei quingenta, ſe ad mare deuecta habere, vt quo Senatus cenſuiſſet deportarent: paremque ſummam Maſſaniſſa polliceretur: quæ Senatus cum gratiarum actione recepit, rogauitque vt ea quæ pollicebantur ad Hoſtilium Conſulem, is anno ſequenti Conſulatum geſſit, in Macedoniam deportarent. Niſi enim illa iactura contigiſſet, vtique, vt alias, frumentum ſociis remiſiſſet, ne ſe ipſis, accipiendo beneficio obligaret. *Claſſem Romanam affligit.*

lib. 42. XXI. *Romana clades terreſtris.* De magnitudine cladis nõ plane ſentit cum Plutarcho Liuius, ſed eum diminuit. Cecidere, inquit, eo die ab Romanis ducenti equites, peditum haud minus duobus millibus; capti ferme ducenti equites, magnáq; vis omnis generis armorum. Ex regiis 20. equites, pedites 40. Rediere in caſtra victores, omnes quidẽ læti, ſed Thraces in primis, qui cæſorũ hoſtium capita hoſtilibus infixa præferebant. Apud Rom.

non mœſtitia tantum ex male geſta re,ſed pauor etiam erat,ne extẽplo caſtra hoſtis aggrederetur. Suaſit Eumenes Conſuli,vt trans Peneum amnem transferret caſtra, vt pro munimento amnem haberet,dum perculſi milites animos colligerent. Conſul,etſi pudebat hominem timorem fateri; victus tamen ratione, ſilentio noctis traducit copias,& in vlteriore ripa communit,ibique per otium & famæ damnum luget, & Ætolos accuſat, à quibus pauoris & fugæ initium factum eſſet, quorum exemplum cæteri Græci ſecuti eſſent.

XXII. *Rex ſeipſe incuſat imprudentiæ.*

REX poſtero die ad laceſſendos prælio hoſtes progreſſus, vt traieciſſe didicit, faſſus quidem eſt ſe peccaſſe pridie, quod non inſtitiſſet victis, ſed maiorem etiam culpam in eo agnoſcebat, quod nocte ceſſatum fuiſſet, quando in tranſitu magna clades ſparſis trepidiſque inferri potuiſſet.

Pacis iterũ conſilia agitat.

Poſt aliquot dies Miſagenes Numida filius Maſaniſſæ venit cum mille equitibus,parique peditum numero,& Elephantis duobus & viginti. Regis quoque amici,poſtquam conſediſſet ferocia ab re bene geſta, auſi ſunt conſilium dare,vt ſecunda fortuna in conditione honeſtæ pacis vteretur, potius quam ſpe vana euectus in caſum irreuocabilem ſe daret. Paſſus eſt ſe perſuaderi, & miſit ad Conſulem Pantauchum & Medonem legatos,[a] qui fœdus in eaſdem leges renouarent, quibus Philippus pater eius pacem à T. Quintio Flaminino accepiſſet. At Romani aduerſis rebus facti ferociores,reſponderunt ita pacem dari, ſi de ſe Rex, déque tota Macedonia ſtatuendi liberum ius Senatui permitteret.

Fruſtra.

[a] Vide Polyb. n. 69.

XXIII. *Varij contra Romanos conatus.*

HÆC cum renunciaſſent legati, mirari omnes vehementer Romanorum ſuperbiam atque peruicaciam; pleríque vetare pacis vllam fieri mentionem: Perſeus hanc ipſam ſuperbiam timere, quippe ex virium fiducia natam, & Conſulis animum pecuniæ magnitudine tentare,ſi precio pacem emere poſſet. Vt ſe nihil proficere, neque mutari reſponſum videt, deſperata pace ad Sycurium, vnde profectus erat, rediit, belli caſum de integro tentaturus. Atque in omnem occaſionem intentus, nunc incendium in caſtra immittere conatur, nunc improuide vagantes frumentatores opprimit,& prædam cum prædatoribus inuadit & capit. Conatus autem in L. Pompeium Tribunum mil. euentu maiore memorabilis fuit.

XXIV. *Periculum Romani præſidij.*

HABEBAT is in Crannonio agro præſidium 800. militum Romanorum. Rex cum mille equitibus,& duobus millibus Thracum, & Cretenſium, poſt caſtigatos prædatores,ad illud delendum aduolat. Pompeius perculſos milites repentino hoſtium aduentu, in propinquum tumulum recepit; loci ſe præſidio, quia numero & viribus impar erat, defenſurus. Ibi in orbem milites cogit, vt denſatis ſcutis ab ictu miſſilium tuerentur ſeſe. Perſeus circundato armatis tumulo, in magnas obſeſſos anguſtias cogit. Nam cum alij vndique aſcenſum tentarent,ad cominus conſerendas manus,alij eminus tela torquerent,anceps Romanos terror circunſtabat. Nam neque conferti pugnare poterant, propter eos qui in tumulum aſcendere conabantur,& vbi ordines procurſando ſoluiſſent,patebant iaculis ſagittiſve.

Auxiliũ inſperatum.

Cum iam pars militum vulnerata eſſet, alij feſſi vix arma ſuſtinerent, Rex deditionem vrgebat,cum ex inſperato,iam obſtinatis mori,ſpes affulſit.

XXV. *Conſul ſuccurrit ſuis.*

NAM cum ex dictis frumentatoribus quidam elapſi, ad Conſulem periculum præſidij Romani detuliſſent,cum equitatu ac leui armatura caſtris egreditur,& tribunis militum imperat, vt legionum ſigna ſequantur; ipſe cum Eumene, Attalo, & Miſagene latera cingentibus antecedit. Cum prima ſigna Romanorum in conſpectu fuerunt, ab vltima deſperatione obſeſſis recreatus eſt animus. Perſeus etſi nihil ſecum roboris eſſe ſciret, cum ſucceſſu contentum abire intactum oportuiſſet, permanſit, & qui Phalangem accerſerent, propere miſit; imprudenter. Nam & ſerius ventura erat, & raptim acta, & turbata curſu, aduerſus inſtructos & præparatos pugnatura erat. Conſul ante veniens extemplo pugnam conſeruit. Primo reſiſtere Macedones; deinde, vt nulla re pares erant, amiſſis trecentis peditibus, viginti quatuor primoribus equitum, & ala quam Sacram vocant,abire conantur. Cæterum iter prope ipſo prælio tumultuoſius fuit, Phalanx dum iter accelerat, in anguſtiis viarum incurrit in captiuos & prædam, quam Romanis ſublatam Rex in caſtra mittebat. Ibi videlicet tumultus, & rerum confuſio, & perturbatio, alteris alteros impedientibus, protrudentibus,& in præceps homines & iumenta mittentibus.

Cum eo Rex imprudenter pugnat.

XXVI. *Prælium dirimitur.*

Vix Phalanx ab incondito agmine captiuorum expedierat ſeſe, cum regio agmini, perculſiſque equitibus occurrunt. Ibi vero clamor iubentium referre ſigna, prope ſimilem ruinæ trepidationem fecit: vt ſi Romani, introire anguſtias auſi, longius inſecuti eſſent, magnam cladem afferre potuerint. Conſul recepto ex tumulo præſidio, contentus modico ſucceſſu, in caſtra copias reduxit. Et hæc eſt Liuij ſententia; ſcribit tamen eſſe, qui tradiderint, magno prælio eo die eſſe pugnatum; octo millia hoſtium cæſa, in his Sopatrum & Antipatrum regios duces: viuos captos circiter 2400. Signa militaria capta 27. Nec incruentam fuiſſe victoriam; ſupra 4300. de exercitu Conſulis cecidiſſe, ſigna ſiniſtræ alæ quinque amiſſa. Siue hoc, ſiue illo modo res contigit, certe hic dies & Romanis refecit animos, & Perſea perculit, vt dies paucos ad Mopſelum, vbi caſtra locarat moratus, præſidio ſatis valido ad Connum relicto, in Macedoniam reciperet copias. Cum Pellam veniſſet, exercitu in hyberna dimiſſo, ipſe cum Cotye Thraciæ regulo Theſſalonicam eſt profectus: quem etiam ad tutanda ſua, quæ inuadebantur, præclare donatum dimiſit. Conſul quoque, recepta deditione Perrhæbia, ſuos partim domum dimiſit, partim in vicinis locis hyemandi cauſa diſtribuit. Ipſe in Bœotiam venit vocantibus Thebanis, hybernis apta regione. Hæc T. Liuius l. 42.

Clades vtrinque.

Abitur in hyberna.

XXVII. *Bellum inconſulte ſuſceptum à Caßio Conſule.*

Qvæ dum aduerſus Perſeum Licinius Craſſus in Theſſalia exequitur. Alter Conſul C. Caſſius nec in Gallia, quam ſortitus erat, memorabile quicquam geſſit, & per Illyricum ducere legiones in Macedoniam, vano incepto eſt conatus. Ingreſſum hoc iter Conſulem, Senatus ex Aquileienſium legatis cognouit, qui referebant 30. dierum frumentum militi datum, & duces, qui ex Italia itinera in Macedoniam noſſent, conquiſitos, abductóſque. Enimuero Senatum indignari Conſulem tantum auſum, vt ſuam prouinciam relinqueret, alienam adiret, viamque tot exteris nationibus in Italiam aperiret. Decernunt frequentes vt C. Sulpicius Prætor tres ex Senatu nominet legatos, qui eo die proficiſcantur ex vrbe, & quantum accelerare poſſent, Caſſium Conſulem vbicumque ſit perſequantur; nuncient ne bellum cum vlla gente moueat, niſi cum qua Senatus gerendum cenſuerat.

XXVIII. *Et quietis damna illata.*

Ex ſequentis autem anni de eo querelis cognitum eſt, eum agros Alpinorum populorum, qui hoſtes non eſſent, depopulatum eſſe, inde multa millia hominum in ſeruitutem abripuiſſe. Ex medio itinere Macedonico regreſſum, Carnorum, Iſtrorum, & Iapidum fines hoſtiliter peragraſſe, rapinas & incendia paſſim ſine vlla cauſa facta eſſe.

Querela de præfectis Romanis ex Hiſpania.

Hoc quoque anno ex vtraque Hiſpania legati, in Senatu de magiſtratuum Romanorum auaritia, ſuperbiáque conqueſti, nixi genibus à Senatu petierunt, ne ſe ſocios fœdius vexari ſpoliarique, quam hoſtes patiantur: quibus & in præſens per quorundam exilia, & in futurum certis legibus prouiſum eſt. Alia quæ huius anni erant, imo & ſequentis initia, in 43. Liuij deſiderantur.

XXIX. *Fœda mors Fului pontificis.*

Illvd tamen ex 42. quod huius anni eſt, non videtur omittendum. Hoc anno Q. Fuluium Flaccum pontificem, qui priore anno Cenſor fuerat, fœda morte periiſſe. Ex duobus filiis eius, qui tum in Illyrico militabant, nunciatum eſt alterum deceſſiſſe, alterum graui & periculoſo morbo ægrum eſſe. Obruit animum ſimul luctus & metus: mane ingreſſi cubiculum ſerui, laqueo dependentem inuenere. Erat opinio poſt cenſuram minus compotem fuiſſe ſui: & vulgo Iunonis Laciniæ iram, ob ſpoliatum templum eius in Brutiis, alienaſſe hominis mentem ferebant. Inſolitum mortis genus admirationi aut terrori fuit; ſi gladio, vt plerique alij, incubuiſſet, laudem ab iſtis cæco errore deceptis mortalibus conſecutus eſſet. Quaſi mors ipſa vltro ſuſcepta, cuiuſcunque modi ſit, in culpa non ſit.

Pœna ſacrilegij.

ANNVS MVNDI 3884. SEXTAE AETATIS 368. IMPERII GRÆCORVM 142. ANTIOCHI EPIPHANIS 6. MENELAI PSEVDOPONTIFICIS 3. PTOLEMÆI PHILOMETORIS & PERSEI 10. OLYMPIADIS CLII. AN. 3. VRBIS CONDITÆ 583. COSS. A. HOSTILIO MANCINO, AVLO ATTILIO SERRANO. BELLI MACEDONICI 2.

ANNVS ANTE CHRISTVM 169.

I. *Secunda Antiochi expeditio paratur.*

CIRCA hoc tempus arbitramur, Antiochum ſecundam profectionem paraſſe in Aegyptum. Id tempus fuiſſe annum Antiochi ſextum conſentit Torniellus, Regni Græcorum 142. Serarius & Gordonus Olympiadis centeſimæ quinquageſimæ ſecundæ annum ſecundū, Onuphrius: vrbis conditæ 583. Sigonius, Pighius, Onuphrius, aliique paſſim, vt omittam Heluicum, Caluiſium, Capellum, alioſque ſectarios. Expeditionis huius cauſa, iuxta ea quæ de priore diximus, conſentanee Liuio maxime, ac Polybio hæc fuit. Antiochus Memphi conſtituerat Philometorem regem, dum Euergetes minor natu frater Alexandriæ clauſus obſideretur; cuius mœnibus fruſtra tentatis in Syriam abduxit exercitum, partim veritus ne Romanis ſuſpectus eſſet, quaſi Aegyptum ſibi occupare vellet, ſub ſpecie reſtituendi maiorem natu in regnum ſuum; partim ſperans fore, vt ipſimet fratres armis inter ſe decertarent, & ipſe mox victorem certamine feſſum aggrederetur. *l. 1. Mach. c.5.1.*

II. *Eiuſque cauſa.* *Ptolemæi conſentiūt.*

PTOLEMAEVS huius voluntatis non ignarus, dum conterritum obſidionis metu minorem fratrem haberet, ratus poſſe ſe recipi Alexandriæ, ſorore adiuuante, & non repugnantibus fratris amicis, ad fratrem amicoſque eius non prius deſtitit mittere, quam pacem cum iis confirmaret. Itaque conſentientibus cunctis, pace facta Alexandriam recipitur. Quibus cum Antiochum lætari par eſſet, ſi reducendi Philometoris cauſa, exercitum in Ægyptum intuliſſet, (quo ſpecioſo titulo ad omnes & Aſiæ & Græciæ ciuitates legationibus, literiſque vſus fuerat) adeo eſt offenſus, vt multo acrius infeſtiuſque aduerſus vtrumque nepotem, quam ante aduerſus vnum bellum pararet. Ergo Cyprum extemplo claſſem miſit, ipſe primo vere in Cœleſyriam, indeq. in Aegyptum infeſtis armis progreſſurus. Hæc pluribus Liuius. Hoc autem ſe facilius victoriæ compotem fore credidit, quod bellum Macedonicum quod inceptabatur, Romanos ac Macedonas, omneſque reges ac populos, qui pro alterutris in armis futuri erant, detenturum erat, ne Aegyptiis opem ferre poſſent.

III. *Anacleteria in Aegypto, & apparatus bellicus.*

AD hoc ipſum tempus, quo pace facta vterque Ptolemæus regni particeps factus eſt, pertinere arbitror illa Anacleteria, quæ Polybius memorat, cum ait fama ad Achæos perlatum, celebrata eſſe Anacleteria in honorem regis Ptolemæi; vtique Iunioris, quæ ſolebant in Aegypto celebrari, cum reges ad legitimam regnandi ætatem perueniſſent. Itaque Achæos gratulandi cauſa, & amicitiæ renouandæ gratia legatos in Aegyptum miſiſſe. Cum autem vterque Ptolemæus intellexiſſet Antiochum in eos arma parare, per legatos Achæorum auxilia petiuerunt, quibus præfuturi erant Lycortas & Polybius, vt ipſemet refert. Nec minus tam ſubditos ſuos, quam vicinos populos ad arma conuocaſſe par eſt credere. *In Legat. n.78.* *n.89.*

Dvm paratur à rege in Ægyptum altera expeditio, multa oſtenta futurorum prænuncia Hieroſolymis viſa ſunt, vt iis Iſraëlitæ conterriti, peccatorum ſuorum magnitudinem agnoſcerent, atque ſub ipſum imminentis pœnæ tempus deplorarent. Non enim Ægyptiis, ſed Hieroſolymitanis oſtendebantur, quos Deus terrere cupiebat ad pœnitentiam: nec ad vnum aut alterum diem, vt res contemni, & ad naturales cauſas reiici poſſet, ſed quadraginta diebus: Sic enim ait. Contigit autem per vniuerſam Hieroſolymorum ciuitatem videri diebus 40. per aëra equites diſcurrentes, auratas ſtolas habentes, & haſtis quaſi cohortes, armatos, & curſus ſiue turmas equorum per ordines digeſtas, & congreſſiones fieri cominus, & ſcutorum motus, & galeatorũ multitudinem gladiis diſtrictis, & telorum iactus, & aureorum armorum ſplendorem, omniſque generis loricarum. Nonnulla eſt in græco diuerſitas, ſed perexigui momenti. His porro prodigiis effectum, vt omnes metu tangerentur, & orarent vt in bonum monſtra conuerterentur: rectius etiam facturi, ſi Niniuitas imitati, omnes in cinere & cilicio pœnitentem agere cœpiſſent.

IV. Viſa Hieroſolymis cladium prænuncia.

1. Mach. 5. 2.

Conatvs quoque impij Iaſonis in Ieroſolymam ad recipiendum Pontificatum, qui huic narrationi ſubiicitur, ad hunc ipſum annum videtur pertinere; atque adeo ad ſexti menſis initium, anni regni Græcorum centeſimi quadrageſimi ſecundi. Quod vt explicemus, memoria repetendum eſt illud Danielis vaticinium, quod ad hæc ipſa tempora Antiochi, & calamitatum ab eo in Iudæos illatarum, ex omnium interpretum conſenſu pertinet: vbi angelo interroganti quandiu duratura eſſet illa clades, illa deſolatio, illa ſanctuarij conculcatio; reſpondetur, *vſque ad veſperam & mane, dies duo millia trecenti, & mundabitur ſanctuarium*, id eſt, poſtquam nox & dies bis mille ac trecentas conuerſiones confecerit, mundabitur ſanctuarium, & Dei cultus reſtituetur. Siue, Ab initio afflictionis huius magnæ, quæ nomine veſperæ intelligitur, vſque ad mane reſtitutæ lucis & lætitiæ, quo modo dixit Dauid. Ad veſperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia; numerabuntur 6. anni tres menſes & 20. dies, quomodo habet interlinearis, agendo de annis, ſolis periodo per ſuas intercalationes adæquatis.

V. Danielis circa hoc tempus prophetia.

c. 8. 14.

Pſal. 29. 6.

Difficvltas autem poſita eſt in definiendo tempore, quo inchoari debeant iſti dies aut terminari, quæ facile exhaurietur poſito fine ſicut à propheta ponitur, & à D. Hieronymo exponitur, in ipſa emundatione ſanctuarij, quam conſtat contigiſſe die vigeſimo quinto menſis noni, qui dicebatur Caſleu, anni centeſimi quadrageſimi octaui regni Græcorum. A quo die regrediendo ad anteriora, venies ad ſexti menſis initium, anni centeſimi quadrageſimi ſecundi, quando hinc valde credibile fit cladem Hieroſolymis ab impio Iaſone illatam. Nam intra eas metas bis mille & trecenti dies reperiuntur. Elapſi enim erant iam in anno illo centeſimo quadrageſimo octauo 265. dies, id eſt octo menſes & 25. dies. Inde retrocedendum eſt quinque annis ſolidis, qui efficiunt 1825. dies. Superſunt 210. dies, qui efficiunt ſeptem menſes integros, ergo in anno centeſimo quadrageſimo ſecundo peruenietur ad initium ſeptimi menſis. Superſunt quinque dies, quia quindecim menſibus 30. tantum dies tribuimus. Et forte Angelus rotundum numerum dierum dicere voluit, neglectis aliquot, qui tertio centenario deerant, vel abundabant.

VI. Duratio cladis Iudæorum ſub Antiocho.

1. Mach. 4. 52.

265	
825	
210	
2300	
A. M. D.	
8. 25.	
5. 0. 0.	
7. 0.	
6. 3 25.	

Convenienter autem inuaſio vrbis, & clades ab Iaſone illata erit initium horum dierum, cum impius ille apoſtata, occupata improuiſo impetu cum mille viris ciuitate, non parcebat ciuibus ſuis, ſed cædibus impune graſſabatur, quaſi trophæa de hoſtibus, non de ciuibus capturus. Quo tempore fugiente in arcem Menelao, qui inſtar erat Pontificis, & turbata cædibus tota ciuitate, etiam templum deſolatum eſt, & ſacrificia intermiſſa, ſacerdotibus vna cum pſeudopontifice fugientibus, vel latebras captantibus. Quod eo minus videbitur mirum, ſi meminerimus aliquot iam annis ante, ipſoque initio pontificatus Iaſonis, ſacerdotes non iam circa altaris officia deditos fuiſſe, ſed contempto templo, & ſacrificiis neglectis palæſtram Græco ritu frequentaſſe: & Ioſephus in libello de Machab. ait Iaſonem templi procurationem diſſoluiſſe. Non eſt autem neceſſe hoc toto ſex annorum, & trium menſium, & aliquot dierum tempore ceſſaſſe iuge ſacrificium. Sicut enim non de ſolo ſacrificio facta fuerat interrogatio, ſic & reſponſio ad illud vnum referenda non eſt, ſed ad clades quoque, cæteramque deſolationem, & impiorum exercitum conculcantem ciuitatem ſanctam, & fortitudinem eius, quæ ad hoc tempus

VII. Eius initiũ vnde petendum.

2. Mach. 4. 14.

ἐπὶ τοῦ ἱερῦ ...ανδρονεῖ ... καταλῦσαι.

applicari non inuite poſſunt, quamuis hæc mala magnum incrementum accepe- rint, quando Antiochus ciuitatem vi occupauit; & rurſus poſt annos duos, cum Iudaicos ritus antiquauit.

VIII. *Iaſon vrbẽ inuadit.*

Ad huncergo pertinet impetus Iaſonis in ciuitatem Hieroſolymitanam, ad pontificatum, Menelai fraude amiſſum, recuperandum. Id enim illum ſpectaſſe, haud obſcure verba illa ſignificant. *Et principatum quidem non obtinuit; finem vero inſidiarum ſuarum confuſionem accepit.* Occaſio porro eius inſultus fuit, rumor falſus mortis Antiochi, quam ſiue credens, ſiue cupiens Iaſon, vt qui ab illo vno ſibi timeret, quem promiſſione fefellerat, aſſumptis non minus mille viris, repente aggreſſus eſt ciuitatem, & ciuibus ad murum conuolantibus, ad vltimum apprehenſa *ciuitate Menelaus fugit in arcem.* Iaſon autem quomodo ſe in vrbe geſſit? *Non parcebat in cæde ciuibus ſuis; nec cogitabat aduerſus cognatos malum eſſe maximum, arbitrans hoſtium, & non ciuium ſe trophæa capturum.* Quid autem hac clade conſecutus? *Et principatum quidem non obtinuit*, non dicit ſacerdotium, ad innuendum eundem hoc tempore ſummum fuiſſe ſacerdotem, & principem, *finem vero inſidiarum ſuarum confuſionem accepit*, ab vrbe ſcilicet præter opinionem expulſus, conglobata aduerſus ipſius Iaſonis manum, multitudine. Inſidiarum mentio innuit, præter apertam vim, quæ memorata eſt, etiam proditionem aliquam ab amicis Iaſonis interueniſſe. Sed præualente multitudine, profugus iterum abiit in Ammanitidem.

Vt ſe in ea geſſerit.

IX. *Quæ reliqua Iaſonis vita.*

Addit his Scriptura conſequenter, quæ deinceps Iaſoni ad mortem vſque contigerunt; quorum cum ratio temporis tradita non ſit, ea per ſumma capita cum ipſa Scriptura tradamus. [a] *Ad vltimum*, inquit, *in exitium ſui concluſus ab Areta Arabum tyranno, fugiens de ciuitate in ciuitatem, omnibus odioſus, vt refuga legum, & execrabilis, vt patriæ & ciuium hoſtis, in Aegyptum extruſus eſt.* Significat Iaſonem ab Ammonitis abiiſſe ad Arabas, ibique ſuſpectum alicuius molitionis aut criminis, in vincula coniectum fuiſſe; indeque etiam emiſſum, & eiectum inſtar Caini profugum, in Aegyptum ſe ad Antiochi aduerſarios contuliſſe. Bello autem perfecto veritus ne ab Antiocho ad ſupplicium repoſceretur, vt qui vrbem per vim fraudemque occupaſſet, & multam ibi cædem perpetraſſet, ad Lacedæmonios euaſit, apud quos miſere periit. Et quia lætabitur iuſtus, [b] cum viderit vindictam, manuſque ſuas lauabit in ſanguine peccatoris; quaſi diuinæ iuſtitiæ congratulans, & impio inſultans ſubdit. [c] *Et qui multos de patria ſua expulerat, peregre periit, Lacedæmonas profectus, quaſi pro cognatione ibi refugium habiturus; & qui inſepultos multos abiecerat, ipſe & illamentatus, & inſepultus abijcitur, ſepultura neque peregrina vſus, neque patrio ſepulchro participans.* Tangitur illa cognatio cum Lacedæmoniis, de qua ſupra, cum de Arei ad Oniam ſecundum literis copioſius egimus: [d] de qua iterum in pontificatu Ionathæ mentio fiet. [e]

Vbi, & quomodo mortuus.

a 1.Mach. c.5.v.8.

b Pſal.57.11

c 1.Ma.5.9.

d Imperii Græ.79.n.8.

e 1.Mach. 12.6.

X. *Populorum de Romanis querela*

Iam vero de Romanis rebus nihil fere hoc anno habet Liuius, præter varias diuerſarum prouinciarum querelas, de magiſtratuum Romanorum crudelitate, ſuperbia, auaritia, non diſſimiles iis, quas Hiſpania vtraque proximo anno ad Senatum detulerat. Primæ referuntur à Græcis contra Licinium Conſulem, & Lucretium Prætorem, à quibus crudeliter & auare bellatum eſſe in Græcia ferebatur: vt propterea Lucretium abſentem Tribuni plebis concionibus aſſiduis lacerarent. Alteræ fuerunt Abderitarum, qui inuidiam, infamiamque à Lucretio in Hortenſium ſucceſſorem eius auerterunt, flentes ante curiam, querenteſque oppidum ſuum ab Hortenſio expugnatum, ac direptum eſſe, principes ciuitatis ſecuri percuſſos, cæteros ſub corona veniiſſe, quod cum centum millia denariûm, & tritici 50. millia modiûm imperaret, ſpatium petierant, dum ad Hoſtilium Conſulem, & Romam mitterent legatos.

Græcorum.

XI. *Grauis Senatus reſponſio.*

Senatvs cenſuit, ſcribique iuſſit ad Conſulem, & Prætorem, Abderitis iniuſtum bellum illatum, placere conquiri omnes, & reſtitui in libertatem. Frigida videri poteſt, & tenuis iſta ſatisfactio; ſed hic eſt perpetuus ſtylus Romani Senatus, vt ſummam verbis moderationem oſtendat, ſeque factis præbeat, quam verbis grandiorem; Quem morem etiam nunc in ſupremis regum curiis, & à principibus viris obſeruari paſſim videmus. Et ratio exigit vt iudices, præſertim ſupremi, omni motu perturbationis vacent, nec vllam etiam in reos verbis oſtendant.

Tertiæ fuerunt legatorum Cincibilis regis Gallorum, in quibus erat regis frater, qui querebatur C. Caſſium Conſulem agros ſociorum ſuorum depopulatum eſſe, & inde multa hominum millia abducta in ſeruitutem. Quartæ erāt Carnorum, Hiſtrorum, & Iapidum, qui eundem Caſſium accuſabant, quod ex itinere Macedonico regreſſus, prædonem crudeliſſimum in ſuis regionibus egiſſet.

IX. *Dilatum à Senatu iudicium. Chalcidenſiū querela.*

RESPONDIT vtriſque Senatus, ea facta ſibi non probari, ſed abſentem Reip. cauſa, damnari indicta cauſa non oportere, conſularem verum; vbi rediſſet daturum operam vt ſatisfiat. Acceſſerunt quintæ querelæ Chalcidenſium aduerſus Lucretium priorem Prætorem, & præſentem Hortenſium, à quibus maximis damnis, atque iniuriis affecti eſſent, & afficerentur in dies; adeo vt templa omnibus ornamentis compilata, ſpoliataque ſacrilegiis eſſent: quibus de rebus accuſatus à tribunis plebis Lucretius, decies centum millibus æris damnatus eſt, id eſt viginti millibus francorum Turonenſium. Hortenſio ſcriptum iuſſu Senatus, ea quæ Chalcidenſes facta querantur ſibi non placere; ſeruituti addictos iubere libertati reſtitui, iniuriis abſtineri, ſocios pro ſociis, non pro hoſtibus tractari.

XII. *Res Liguſticæ, Macedonicæ, Illyricæ.*

IN Liguribus hoc anno nihil memorabile geſtum eſt. Nam quieſcentibus hoſtibus, Serranus Conſul in agrum eorum legiones non induxit, ſed ſatis explorata eius anni pace, legiones intra 60. dies, quam in prouinciam venit, dimiſit. Nuſquam alibi quam in Macedonia bellum erat, vbi tamen ab Hoſtilio Conſule nulla res memorabilis geſta eſt; niſi quod ad cunctam militarem diſciplinam, ab effuſa licentia militem formauit, ſocios cum fide coluit, & ab omni genere iniuriæ defendit, vt habet Liuius. In Illyrico bellum à Gentio ſuſpectum erat; itaque iuſſu Senatus naues octo inſtructæ, cum duobus millibus militum, miſſæ ſunt ad C. Furium, qui Iſſenſibus cum duabus eorum nauibus præſidio erat. Conſul etiam Hoſtilius Appium Claudium in Illyricum, cum quatuor millibus peditum miſit, vt accolas Illyrici tutarentur.

initi l. 44.

XIII. *Appii Claudii clades ad Vſcanam.*

QVI non contentus iis, quas adduxerat copiis, auxilia à ſociis corrogando, ad octo millia hominum armauerat; cum quibus late peragrata prouincia, prædæ & gloriæ auidus, Vſcanam oppidum, quod ad fines Perſei erat, occupare ſtatuit; cum inde ad eum occulti nuntii veniſſent, ſi propius copias admouiſſet, paratos fore qui ei vrbem traderent, vbi ſe, amicos, militeſque præda expleturus eſſet. Ille inconſulte fide habita, ad conſtitutam diem profectus ad 12. millia paſſuum, aut duo potius millia, vt ſequentia requirere videntur, ab vrbe caſtra poſuit. Quarta inde vigilia ſigna mouit, relictis caſtrorum præſidio mille viris. Reliqui incompoſiti longo agmine effuſi, infrequentes, cum nocturnus error diſſiparet, ad vrbem peruenerunt. Et creuit negligentia, poſtquam neminem armatum in muris viderunt. Cæterum vbi primum ſub iactu teli fuerunt, duabus ſimul portis erumpitur, tanto terrore, atque impetu, vt ne primam quidem eruptionis procellam ſuſtinere Romani potuerint: itaque fugientes plures, quam pugnantes interfecti ſunt, vix duo millia hominum cum ipſo legato in caſtra peruenerunt; nec morati in caſtris ad fugitiuos colligendos ad Lychnidum, quo primum conſederat, reliquias cladis reduxit.

XIV. *Vſcanam Perſeus expugnauit.*

ITA Liuius; & tamen eam ipſam vrbem in poteſtatem Romanorum veniſſe oportet, cum Perſeus eam hyeme proxima obſederit, Illyriorum, & Romanorum præſidio munitā: & ad deditionē coëgerit, Romanos inde eiectos armis exuerit, ciues Vſcanenſes, Illyrioſque venditione diſtraxerit, vt habet idem Liuius. Hæc & alia haud proſpere in Macedonia geſta ſunt hoc tempore à Romanis, diuino numine iniurias, & oppreſſionem pauperum vindicante. Quibus commotus Senatus, veritus ne qua maior ignominia acciperetur, legatos in Macedoniam miſit, exploraturos quo ibi ſtatu res eſsent, ſimulque A. Hoſtilium ad comitia conſularia euocaturos. Relatum etiam mox fuit ab iis, exacto admodum Februario menſe redeuntibus, ea æſtate res proſpere à Perſeo geſtas, plurimaſque vrbes in eius poteſtatem redactas, magno timore ſociorum pop. Romani, nec ab eo hyeme ceſſatum, vt pluribus ſequenti anno à Liuio expoſitum reperies, vſque ad finem libri quadrageſimi tertii. Sed eleuabatur, vt grauiore mox ruina corruens obrueretur.

ſub fi. l. 43.

Deus Romanos caſtigat.

Perſeus proſpere agit.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3885.

1. N. ix. In Græco legitur πέρας οὖν κακῆς ἀναστροφῆς, ἔτυχεν ἐγκλεισθεὶς πρὸς Ἀρέταν &c. quæ Flaminius vertit. Itaque ad vltimum nactus malum reditum, eſt incluſus apud Aretam. Vulgatus interpres videtur legiſſe καταστροφήν, cum verterit exitium; cum paſſim legamus, ἀναστροφήν, quam quidam vertit conuerſationem. Itaque ait terminum malæ conuerſationis ſortitus eſt. Rurſus Tigurina pro ἐγκλεισθεὶς incluſus, quomodo ſcriptũ vbique reperitur, legit ἐγκληθεὶς accuſatus, vnde locũ ita vertit. Tandem igitur infelicem adeptus viciſſitudinem, in crimẽ vocatur apud Aretã &c. quod iuuat ſuſpicionem, quam in textu attigi.

ANNVS MVNDI 3885. SEXTAE AETATIS 369.
IMPERII GRÆCORVM 143. ANTIOCHI EPIPHANIS 7. MENELAI PSEVDOPONTIFICIS 4. PTOLEMÆI PHILOMETORIS & PERSEI 11. OLYMPIADIS CLII. AN. 4. VRBIS CONDITÆ 584. COSS. Q. MARCIO PHILIPPO II. & CN. SERVILIO CÆPIONE. BELLI MACEDONICI 3.

ANNVS ANTE CHRISTVM 168.

I. *Secunda expeditio Antiochi, & ratio temporis.*

NECESSE eſt, niſi à Scriptura diſcedere placet, hoc anno centeſimo & quadrageſimo tertio regni Græcorum, alteram Antiochi in Aegyptum expeditionem, cuius apparatum ſuperiore anno poſuimus, contigiſſe fateamur: in eaque percuſſam Aegyptum, aut expugnationem, Romanorum metu derelictam, quod diſerte Ioſephus aſſeruit. Sed huic chronologiæ, ſi Polybio & Liuio credimus, Romana vtique pugnat, quæ ſolutam Alexandriæ oppugnationem, ſub debellatum Macedonem ſequenti tantum anno refert; vrbis conditæ octogeſimo quinto ſupra quingenteſimum. Aut ſi illos conſentientes habere volumus, oporteret anno vno ſerius imperium Græcorum inchoare, cum tamen illud vno anno ſerius, quam fert communis ſententia inchoauerimus. Itaque Serarius vno anno tardius poſitam à Liuio Popilii ad Antiochum legationem putat. Deſunt etiam apud Liuium hoc anno comitia Conſularia, atque Prætoria, & fere quæcunque ab Coſſ. & Prætoribus hoc anno geſta. Hoſtilius tamen & Serranus Conſules à Caſſiodoro, & tabulis Capitolinis, aliiſque produntur. lib. 12. c. 7. n 92. in Legat.

II. *Modus, & ordo rei geſtæ.*

MODVS porro & ordo geſtæ rei ex Liuio in primis hic fuit. Primo vere Antiochus cum exercitu Ægyptum petens in Cœleſyriam proceſſit. Ea re cognita Ptolemæi legatos ei obuiam mittunt, qui ab eo cauſam ſuſceptæ expeditionis exquirant, illique omni ratione ſatisfacere conentur: ſimul etiam, niſi id factum prius, Romam alios deſtinant, qui à Romanis quamprimum impetrent, vt eorum vel gratia, vel iuſſione, vel armis Antiochus a bello Alexandrino auertatur. Priores ad Rhinocoluram iam progreſſum Antiochum offendunt, quod oppidum in finibus Syriæ & Aegypti poſitum fluuium habet, qui riuus Aegypti in ſacris literis appellatur. Hic legati Ptolemæi nomine gratias agunt, quod per eum regnum patrium recepiſſet, petuntque vt ſuum beneficium tueatur, dicatque potius quid fieri velit, quam hoſtis ex ſocio factus, vi atque armis agat.

III. *Iniuſta Antiochi poſtulatio.*

RESPONDIT ille ſe neque claſſem reuocaturum, neque exercitum reducturum, niſi ſibi & tota Cypro, & Peluſio, agroque qui circa Peluſiacum Nili oſtium

EPIPHANES ÆGYPTO CEDIT METV ROM.

eſſet, cederet. Addebat autem in primis, vt occupatam Cœleſyriæ poſſeſſionem, quam ad ſe pertinere contendebat, retineret, vt ex Polybii legationibus conſtat; diemque præſtituit, intra quam de admiſſis conditionibus reſponſum acciperet. Ex quo plane intellectum eſt, num reſtituendi Ptolemæi cauſa arma ſumpſiſſet, qui reſtitutum, nulla affectus iniuria ſpoliare vellet. Interea autem dum finem induciis præſtitutum expectat, per Arabiæ deſerta excurrit, eiuſque populos ſibi ſubiicit. Alexandrini autem legati, qui Romam petebant, ſumma vſi celeritate Romam peruenere, primique legatorum in Senatum admiſſi, ſordidati vt erant, barba & capillo promiſſo, cum ramis oleæ curiam ingreſſi procubuere: ſimulque docuere, Antiochum, qui Romæ obſes fuerat, Aegypto imminere, regeſque populi Romani ſocios ſubiugaturum, niſi opem ferant. Eam eſſe Senatus in Antiochum autoritatem, & merita, vt ſi legatos mittat, qui ſignificent Senatui non placere ſociis regibus bellum fieri, extemplo mœnibus Alexandriæ abſceſſurus ſit, & exercitum in Syriam abducturus.

n 81. vide n.80.

IV. *Romani legatos mittunt.*

MOTI patres precibus Alexandrinorum, extemplo legatos, in quibus princeps C. Popilius Lænas, ad finiendum inter reges bellum in Aegyptum miſerunt, iuſſeruntque nunciare, niſi abſiſtatur bello, per vtrum ſtetiſſet, eum neque amicum populi Romani, neque ſocium fore. Cum his mandatis legati quamprimum iter ingreſſi Aegyptum petunt; cum interim, finitis dudum induciis, Antiochus Peluſium adiit, & interiectam Aegyptum Alexandriam vſque, ea ad vltimum Nili oſtium Africam verſus ſita eſt, ſibi partim metu, partim voluntate ſubiecit: & Alexandriam modicis itineribus deſcendebat. Cum ad Eleuſinem pagum, qui quatuor millibus abeſt Alexandria, tranſgreſſo flumen legati Romani occurrerunt. Quos cum aduenientes ſalutaſſet, dextramque porrigeret Popilio, quem inter cæteros, cum eſſet obſes Romæ coluerat, ille ſcriptas ei tabellas tradidit, primumque omnium eas legere iuſſit.

V. *Acquieſcit mandatis Senatus.*

QVIBVS perlectis, cum ſe conſideraturum dixiſſet adhibitis amicis, quid faciendum ſibi eſſet, Popilius pro cætera aſperitate animi, virga vitea, vt inquit Polybius, quam in manu gerebat, circumſcripſit regem, ac priuſquam eo circulo excederet, reddere reſponſum iubet, quod Senatui referri vellet. Obſtupefactus Antiochus tam violento imperio, cum parumper hæſitaſſet, faciam, inquit, quod cenſet Senatus. Tum demum Popilius dextram Regi, tanquam ſocio & amico, beneuole porrexit.

Cum deinde conſtituta à legatis die, Aegypto Antiochus exceſſiſſet, concordia etiam ab iiſdem inter fratres ſua autoritate firmata, Cyprum nauigant, & inde claſſem Antiochi, quæ Aegyptias iam naues prælio vicerat, dimittunt. Clara fuit omnibus circumquaque populis iſta legatio, qua & Aegyptus, eam iam habenti Antiocho imperioſe erepta eſt, & patrium regnum ſtirpi Ptolemæi reſtitutum.

VI. *Prædicta à Daniele legatio.*

CLARAM etiam reddidit vaticinio ſuo Daniel, tot ante ſeculis, quam illa contigeret, ſed more prophetico ſubobſcure. Nam de ſecunda Antiochi expeditione agens. *Statuto*, inquit, *tempore*, interiecto ſcilicet quadriennio, *reuertetur, & veniet ad Auſtrum, & non erit priori ſimile nouiſſimum.* Quidni autem? *Et venient ſuper eum trieres, & Romani, & percutietur, & reuertetur, & indignabitur ſuper teſtamentum ſanctuarii. Percuſſus autem dicitur*, inquit ſanctus Hieroymus, *non quod interierit, ſed quod omnem arrogantiæ perdiderit magnitudinem.* Itaque hæc percuſſio ad animum pertinet ingenti pauore perculſum, ne ei à Romanis contingeret, quod ab eiſdem patri ſuo contigerat, & Annibali à Pœnis, & Philippo Macedoni; & nunc Perſeo, cuius vrna verſabatur, imminebat.

n.11. 30.

VII. *Ratio temporis, & noui Conſules.*

COMITIA Conſularia præmature hoc anno habita ſunt, ad quintum Cal. Septembris, vt expeditis, & paratis per hyemem rebus ad bellicam expeditionem neceſſariis, primo ſtatim vere Conſul, cui Macedonia obueniſſet, ſe in viam dare poſſet, nec tempus rebus agendis neceſſarium, nauigationibus & itineribus conſumeretur. Hunc tertium huius belli annum Rhodii nominant, in ſua in vrbem legatione, qua de eo finiendo agunt. Creati ſunt Coſſ. Q. Marcius Philippus iterum, & Q. Seruilius Cæpio. Eſt porro hic ſecundus Marcii Conſulatus; alterum geſſerat octodecim annis ante, cum Poſthumio Albino, Vrb. Con.

567. vnde eum Liuius maiorem ſexaginta annis, & prægrauem corpore fuiſſe dicit. Cæpio autem, à pluribus Cnæus, non Q. appellatur. Conſulibus deſtinatæ ſunt prouinciæ Italia & Macedonia; quas aut comparare ipſos inter ſe, aut ſortiri Senatui placuit. Sed priuſquam rem ſors decerneret, in incertum, ne quid gratiæ tributum videretur, in vtramque prouinciam, quod res ipſa deſideraret, ſupplementi decreuit.

VIII. *Marcius Conſul venit in Macedoniam.* Principio veris Roma profectus Q. Marcius Conſul cum quinque millibus, quod in ſupplementum legionum ſecum traiecturus erat, Brunduſium peruenit, per eoſdemque dies C. Martius Figulus claſſis præfectus Brunduſium attigit, & ſimul ex Italia profecti, Corcyram altero die, tertio Actium Acarnaniæ portum tenuerunt. Inde Conſul ad Ambraciam egreſſus, itinere terreſtri Theſſaliam petit, vbi Hoſtilius ſuperioris anni Conſul caſtra habebat. Prætor ſuperata Leucata Corinthium ſinum inuectus, & Creuſæ relictis nauibus, terra & ipſe per mediam Bœotiam, diei vnius expedito itinere, Chalcidem ad claſſem contendit; vbi accepta claſſe in Theſſaliam, & ipſe celeriter profectus eſt.

IX. *Eius in itinere imprudentia.* Consvl accepto ab Hoſtilio exercitu, milites ad bellum excitat, tum de ſumma gerendi belli conſultat. Placuit non vltra morando in Theſſalia tempus terere, ſed mouere extemplo caſtra, atque pergere inde in Macedoniam, & Prætorem dare operam, vt eodem tempore claſſis quoque, hoſtium littoribus inuehatur.

Decimo die poſtquam exercitum acceperat, Macedoniam verſus caſtra mouit: & poſt crebram de via conſultationem, iter ſuſcepit longe difficillimum, atque impeditiſſimum, vt faterentur omnes tum Romani milites, tum itinerum duces, facile vniuerſum exercitum à Macedonibus, ſi quid animi, vel induſtriæ habuiſſent, deleri potuiſſe: cum præſertim Perſeus, ignarus qua iter facturi eſſent, omnes ſaltus præſidiis inſediſſet; cum quibus etiam nonnulla leuiora prælia, à leui armatura commiſſa ſunt. *Et Perſei imprimis.* Et ſi res cum veteris militiæ Macedonibus fuiſſet, audacis conſilii Conſulem pœnituiſſet. Sed Perſeus & inopia conſilii, & ignauia laborauit, qui cum in propinquo eſſet, & per littora cum equitibus vagaretur, nec auxit copias, integros feſſis ſubmittendo, nec ipſe, quod plurimum intererat, certamini affuit, cum Romanus Imperator, maior ſexaginta annis, & prægrauis corpore, omnia militaria munera ipſe impigre obiret.

X. *Eiuſdē inconſulta trepidatio.* Mvltis diebus non magno itinere laborioſiſſime confecto, ad vicina regi loca peruenit. Lauanti Regi dicitur nunciatum hoſtes adeſſe, quo nuncio cum pauidus exiluiſſet è ſolio, victum ſe ſine prælio clamitans, & per alia atque alia conſilia & imperia trepidans, duobus ex amicis alterum nomine Aſclepiodotum Pellam vbi pecunia depoſita erat, ex præſidiis reuocat, omneſque aditus aperit bello, & quæ temeritas Conſulis videri potuiſſet, eam non inconſultam audaciam fecit. Ipſe ab Dio auratis ſtatuis omnibus raptim in claſſem congeſtis, ne præda hoſti eſſent, ocyus demigrare Pidnam cogit. Qui ſi vel decem dies terrorem appropinquantis ferre potuiſſet, Romanis extrema omnia ferenda erant. Nam nec commeaibtus eo peruehendis patebat aditus, nec regredi per loca tam inuia ac prærupta licebat, quorum experta difficultas ſpem omnem incidiſset: præſertim hoſtibus ſuperiora cacumina tenentibus; neque inde euadere liceret, niſi per anguſtias Tempe, quæ quatuor præſidiis regiis per interualla tenebantur: aut certe ad Dium per mediam hoſtium aciem, iter habendum erat, quod ipſum ingentis difficultatis erat, cum exiguus ad tranſitum locus, nullo negotio claudi, ac muniri potuiſset. Quorum cum nihil animaduertiſset, ſubito terrore excæcatus, Deo ipſi mentem adimente, qui male partum regnum ei adimere ſtatuerat, omnia ſibi præſidia aduerſus hoſtem eripuit, omnes contra ſe aditus patefecit; cuius tamen culpæ ſuæ, mox ſuos ipſe accuſare inepte auſus eſt.

XI. *Marcius loca male relicta ab hoſte occupat.* Consvl ergo & ſtultitia & inertia regis vſus, caſtella cis Tempe ab hoſte relicta occupauit, & explorato tranſitu circa Dium, poſtquam patere omnia in omnes partes animaduertit, ſecundis caſtris peruenit ad Dium, & vrbem ingreſsus eſt egregie munitam, vt vix ſibi perſuadere poſset Conſul, non ſubeſse alicubi inſidias.

Itaque

Itaque vnum diem explorando circum omnia moratus, caſtra mouet, & vlterius in Macedoniam progreditur; Agaſſam recipit, quam vt ſibi reliquorum Macedonum animos conciliaret, obſidibus contentus ſine præſidio relinquit. Inde progreſſus diei iter ad Aſcordum flumen poſuit caſtra; ſed inopia commeatus regredi ad Dium coegit. Inde ex alto conſpecta claſſis ſpem fecit cum commeatu naues venire, ingens enim charitas annonę, ac prope inopia erat; ſed ab inuectis iam portum audit, onerarias naues Magneſiæ relictas eſſe.

XII. *Commeatu laborat.* Itaqve cum ipſa rerum difficultate luctandum erat, cum literæ ad eum allatæ sũt à Sp. Lucretio, qui prædicta circa Tempe caſtella, & circa Philam occuparat, frumenti in iis copiam, & aliarum rerum neceſſariarum inueniſſe. Itaque, quia ſubuectio tarda futura erat, Dium relinquit Conſul, & Philam exercitum ducit.

Perſeus reſipiſcit. Ea profectio, aut metus, aut imperitiæ belli famam Conſuli conciliauit: & Perſeus agnita præcedenti culpa ſua, ſimul ac Conſulis profectionem audiuit, Dium regreſſus, quæ diſiecta, ac vaſtata erant à Romanis reficit, ac muros omni eo parte firmat. Deinde 5. millia paſſuum ab vrbe citra ripam Enipei amnis caſtra ponit, amnem ipſum præruptum ripis, & tranſitu perdifficilem pro munimento habiturus.

XIII. *Popilius occupat Heracleã.* Inter hæc Conſul Popilium à Phila mittit, ad Heracleam tentandam, quam facta teſtudine ad humilem muri locum, occupauit, militibus in muros ſuper clypeatam turbam euolantibus, & inde propugnatores deturbantibus.

Ea vrbe capta Conſul eò caſtra promouit, tanquam Dium, atque etiam inde ſummoto Rege, in Pieriam etiam progreſſurus: verum locum hybernis parabat, & commoda itinera ad commeatum ex Theſſalia ſubuehendum. Hoc tempore Polybius, vt ipſemet refert n.78. Achæorum legatus, ad Q. Marcium Conſulem venit Reip. nomine, oſtendens gentis decretum de expeditione ſuſcipiẽda verſus Theſſaliam, vt omnis fortunæ periculum cum Romanis adirent. Marcius eorum voluntate laudata, laboris & impenſæ gratiam Achæis fecit, quod nihil opus eſſet amplius ad hoc bellum ſociorum auxiliis.

Perſei ſtulta imperia & pudor crudelis. Perſeus tandem animo ex eo pauore recepto, malle imperiis ſuis non obtemperatum eſſe, cum trepidans gazam Pellæ in mare deiici, & Theſſalonicæ naualia iuſſerat incendi. Andronicus Theſſalonicam miſſus traxerat tempus, pœnitentiæ Regis dato prudenter loco. Incautior Nicias, Pellæ proiiciendo pecuniæ partem, quam nactus fuerat. Sed hæc culpa per vrinatores mala admodum mercede correcta eſt. Tantus quippe Regi pauoris eius pudor fuit, vt vrinatores clam interfici iuſſerit. Deinde Andronicum quoque & Niciam, ne quis tam dementis imperii conſcius exiſteret. Hoc nimirum deerat criminibus miſeri regis, quæ illum ad probroſam ruinam trahebant.

XIV. *Varij conatus Romanorũ irriti. Ad Theſſalonicam, Caſſandream.* Interea Romani perexiguo emolumento, maiori clade, terra marique in diuerſas vrbes impetum fecerunt. Nam C. Marcius Figulus Prætor Theſſalonicam irrita oppugnatione tentauit; ad Antigoneam mille de ſuis amiſit, quorum pars capta, pars occiſa eſt. Caſſandream, aduentu auxilii claſſici Eumenis & Pruſiæ regum oppugnauit, multiſque operibus cinxit: quin etiam deiectis latericiis fornicibus in vrbẽ penetrauit, ſed mox repulſus eſt. Nã valida eruptione facta, Romanos palantes, dum ſigna in vrbem inferre parant, incompoſitos fugant, perſequunturque, ad foſſam, in quam compulſos ruina cumulant: ſexcenti ferme ibi interfecti, & omnes prope qui intra foſſam & muros inuenti ſunt vulnerati. Nec magis res Eumeni terra marique aggredienti ſuccedebat. Itaque quia vis non procedebat, operibus mœnia oppugnare parabant, ſed mox ſubſidio à Theſſalonica in vrbem nocturno ſilentio *Toronem.* ſubeunte, obſidio ſoluta eſt, & Toronem irrito quoq. incœpto traducta: eam quippe valida defendi manu animaduerterant.

XV. *Demetriadem & Melibæã.* Inde Demetriadem petunt, vbi cum appropinquantes repleta armatis mœnia conſpexiſſent, præteruecti ad Iolcon claſſem appulerunt, inde agro vaſtato Demetriadem quoque aggreſſuri.

Inter hæc etiãm Conſul, ne ſegnis ſederet tantum in agro hoſtico, Popilium cum 5. millibus ad Melibæam ad radices Oſſæ montis ſitam, & opportune Demetriadi imminentem oppugnandã mittit: & cum primo impetu capi non potuiſſet, obſidio parabatur, nec abſurda ſuſpicio eſt Conſularẽ ſimul & prætorium exerci-

tum Demetriadis obſidionem terra marique deſtinaſſe, propter ſummas eius loci opportunitates. Quibus cognitis Perſeus Epiphanem ducem, cum delectis duobus militum millibus Melibæam mittit, eique imperat, vt ſi à Melibæa ſummouiſſet Romanos, Demetriadem prius occulto itinere intraret, quam ab Iolco ad vrbem Romani caſtra mouerent. Cum Euphranor in ſuperioribus locis repente apparuiſſet, oppugnatores Melibææ quamprimum ſuis ipſi operibus ignem iniiciunt. Euphranor ea obſidione ſoluta, Demetriadem ducit. Tumque non ſolum mœnia ab oppugnatione, ſed agros etiam à populatione defendebant, & erumpentes multa hoſti vulnera imponebant. Itaque Demetriade quoque abſceſſum eſt; ad quam tamen fama fuit tractatas conditiones amicitiæ inter Eumenem & Perſeum reges.

XVI. *Legati ad vrbem. Pamphyliorũ corona.*

Eumenes ad Conſulem nauigat, & proſperum in Macedoniam ingreſſum gratulatus, Pergamum in regnum abiit. Prætor in hyberna conceſſit.

Interea vrbem legati frequentarunt Galli, Pamphiliique, Bythini, Rhodij. Galli auxilia bello Macedonico offerebant, quibus gratiæ actæ, donatique muneribus. Pamphylii munera donauerunt, coronam auream ex viginti millibus Philippæorum factam: quibus ſingulis ſi tres coronatos tribuas, ſexaginta millium coron. fuerit: eam in cella Iouis in Capitolio poſuerunt, & poſt ſacrificia amicitiam renouarunt. Bithyni preces ad conficiendam pacem Romanos inter & Macedonas afferebant, profeſſi nihilominus, ſe adhuc à Romanis ſtetiſſe, & deinceps dum bellum foret, ſtaturum, ſed Perſei ipſius rogatu deprecatores interueni re. *Rhodiorum ſuperbia.* Superbe Rhodii pacem non rogabant, ſed imperabant; adhibitis etiam minis, ſe in eos arma moturos, per quos ſtetiſſet, quo minus pax conficeretur. Eadem ad Conſulem, & Perſeum per legatos miſerunt, quorum eos poſtea vehementer pœnituit.

XVII. *Et inurbana legatio, vt accepta à Senatu.*

Magna cum indignatione legatio audita eſt; quidam tradunt nihil à Senatu reſponſum, ſed tantum Senatuſconſul. recitatum, quo Caras & Lycios liberos eſſe populus Romanus iubebat, literaſque extemplo miſſas, quibus id iis populis indicabatur; ea re audita principem legationis, qui magniloquentia curiam repleuerat, ſtupore corruiſſe. Alii reſponſum eſſe tradunt, iam ab initio belli, ſuſpectos Rhodios de amicitia cum hoſte fuiſſe, quæ nunc ſe aperte proderet: diis authoribus, non Rhodiis, bellũ Romanos ſuſcepiſſe, & iiſdem authoribus breui confecturos: tum demum viſuros, vt pro meritis cuiuſque ciuitatis in eo bello, dignam gratiam referant. Munus tamen legatis bipum millium æris, id eſt 40. librarum Turonenſium miſſum eſt; quod illi non acceperunt. Huius legationis meminit Polybius, eamque obitam refert ab Ageſipoli & Cleombroto, parum conſentaneè his, quæ à Liuio hîc traduntur. In exitu iam annus erat, & populus de Macedonico bello finiendo ſollicitus circumſpiciebat, quos Conſules eſſet creaturus, de comitijs primo quoque tempore habendis SC. factum eſt.

XVIII. *Hieroſolymitana clades, quando contigerit.*

Expeditis porro iis, quæ ad prophanam hiſtoriam pertinent, luctuoſiſſimam Hieroſolymitanæ ciuitatis cladem, atque adeo totius Reipublicæ Iudaicæ immenſam calamitatem aggrediamur, quam minime dubium eſt Ægyptiaco bello abſoluto contigiſſe. In poſteriore enim Machabæorum [a] perſpicue habetur Antiochum efferatis animis ex Aegypto profectum, armis ciuitatem cepiſſe. Quem ipſum temporis ordinem indicat Daniel, [b] vt ſupra diximus. Et author primi libri Machab. [c] *Poſtquam*, ait, *percuſſit Aegyptum in centeſimo & quadrageſimo tertio anno.* Deinde interpunctione in emendatis codicibus addita, quam Græci quoque libri requirunt, ſubditur. *Et aſcendit ad Iſrael, & aſcendit Hieroſolymam in multitudine graui*, nimirum circa centeſimum quadrageſimum tertium exeuntem, & quartum ineũtem, & progredientem, alioque deinceps, vt hiſtoria progreſſa docebit. Nec repugnat huic chronologiæ Ioſephus, [d] quem ſequitur ſanctus Hieronymus in Danielem, [e] & Euſebius in chronico, cæterique deinceps, mediæ, vltimæque ætatis chronologi.

XIX. *Eius cauſa diuerſa.*

Tantæ porro calamitatis cauſa primaria eſt diuina vindicta in crimina Iudæorum exardeſcens, quæ ſuperius Scriptura [f] recenſuit. Hanc cauſam illa verba tangunt. [g] *Non conſiderabat Antiochus, quod propter peccata habitantium ciuitatem, modicum Deus fuerat iratus, propter quod & accidit circa locum deſpectio.* Et quod *in leges diuinas impie agere impune non cedit.* Daniel quoque propheta

a lib. 2. c. 5. v. 11.
b c. 11. v. 30.
c l. 1. c. 1. v. 21. 22.
d l. 12. c. 7.
e in c. 8. v. 14 & c. 11. v. 29. & 30.
f l. 1. c. 1. v. 12. & ſeq.
g 2. Mach. 5 17. & ca. 4. 17.

Cauſæ cladis Iudæorum.

inquit datum illi *robur contra iuge ſacrificium propter peccata.* Altera cauſa meritò tribuatur inſigni Antiochi maliciæ, auaritiæ, & odio in Iudæorum religionem, quam ſummo ſtudio exſcindere conatus eſt, vt ex ſequentibus intelligetur. Peculiaris autem cauſa fuit ſuſpicio Antiochi, ne Iudæi à ſe ad regem Ægypti, tanquam legitimum Syriæ Dominum deficerent. Cui ſuſpicioni occaſionem dederunt tumultus Hieroſolymis excitati, ad Iaſonis dudum pſeudopontificis irruptionem. Cum enim de his egiſſet Scriptura, ſubdit. [a] His itaque geſtis ſuſpicatus eſt Rex ſocietatem deſerturos Iudæos: & ob hoc profectus ex Aegypto efferatis animis ciuitatem cepit. Augebat etiam ſuſpicionem ſparſus de eius morte rumor, viſis prodigiis, quæ ſupra memorata ſunt. Venerunt, ait Ioſephus Gorionis, è gente noſtra impii ad regem, & dixerunt. Ecce viſa ſunt Hieroſolymis oſtenta quædam, & dixerunt ciues, mortuus eſt Antiochus, iidemque de Domini noſtri regis exitio gauiſi ſunt. Voluit ergo Antiochus gaudium eorum vertere in luctum, & riſum in vocem flentium.

a l. 1. c. 5. v. 11.

XX. *Ex Ioſepho*

Iosephvs in libello de Machabæis haſce fere cauſas ſumma breuitate complexus eſt. Commemoratis enim impii Iaſonis inſtitutis addit. Quæ res indignationem diuinam protinus concitauit; nec irato Deo hoſtis alienus quæſitus eſt. Ipſe namque Antiochus contra eos vertitur in furorem. Ptolemæo Aegyptiorum regi bellum inferens, famam mortis ſuæ ab Hebræis audit emiſſam. Alia cauſa fuit, ira eius in Romanos, à quibus iubebatur Aegypto, quam ſpe deuorauerat, ac magna ex parte habebat in poteſtate, abſtinere, neque nepotes ſuos populi Romani ſocios bello vexare. In Iudæos enim, male alioqui in ſe affectos, irã in Romanorũ ſeueritatem, & ſuperba imperia collectam effudit. Sicq. ex coacta pace violentiſſimum bellum natum eſt; quantumuis homo vafer, per legatos Romam hoc anno miſſos, in Senatu dixerit. Omni victoria potiorem pacem, quæ Senatui placuiſſet, ſibi eſſe viſam, ſeque haud ſecus, quam deorum imperio, legatorum Romanorum iuſſis paruiſſe. [b] Quin & coronam 50. talentorum auream Romam per legatos, quaſi quodam affectus beneficio miſit. [c]

Diſſimulatio Antiochi.

b Liu. l. 45. c Polyb. n. 83. d ca. 11. v. 30

XXI. *Ex Daniele*

Tangit hanc ipſam cauſam Daniel. [d] *Et venient ſuper eum trieres, & Romani, & percutietur & reuertetur, & indignabitur contra teſtamentum ſanctuarii, & faciet.* Mala ſcilicet grandia & execranda, ex indignatione, poſtquam à Romanis, qui triremibus & claſſe valida ad eum venerint, ab Aegyptiaco bello prohibitus fuerit. Vnde quaſi victus & bello percuſſus, cum confuſione & ira, reuerteretur in terram ſuam, & ex itinere ſanctam ciuitatem crudeliſſime affliget. Sic hic ipſe Antiochus poſtea, [e] cum fugatus è Perſide cum pudore & ira reuerteretur, arbitrabatur ſe iniuriam illorum, qui ſe fugauerant, poſſe in Iudæos retorquere. Ita dæmon iram ſuam, quam in Deum irritam videt, in homines infirmos conuertit, eoſque pro viribus affligit. Et tyrannici ingenii, animique puſilli eſt, cum in potentem hoſtem non poſſis, in puſillos ſæuire. Sed quæ ab hiſce cauſis effecta prodierint, videamus, compoſita ex vtroque libro [f] Machabæorum narratione.

e l. 2. Mach. 9. v. 4.

f l. 1. c. 1. l. 2. c. 5.

XXII. *An vi vrbem occuparit.*

Ascendit, inquit Scriptura, *ad Iſrael,* ex Ægypto, *& aſcendit Hieroſolymam in multitudine graui,* cum ingentibus ſcilicet copiis, *& efferatis animis ciuitatem armis cepit,* vel haſta captiuam reddidit. His conſentiens Ioſephus, [g] cum magnis, inquit, militum copiis egreſſus, & ciuitatem fortiter expugnatam cepit, & maximam multitudinem, quibus Ptolemæus carior erat, interfecit. Duæ quippe erant in ciuitate factiones, alii Antiocho fauebant vt Menelaus, qui ab eo pontificatum acceperat, & alii impii. Alii Ptolemæo quaſi legitimo principi, in quibus Onias, Oniæ pontificis nuper occiſi filius, qui & in Aegyptum fugit, vt mox dicetur. Videtur autem ſecum pugnare Ioſephus. Nam qui paulo ante vi expugnatam vrbem faſſus eſt, alio in loco [h] ſine pugna admiſſum dicit, apertis portis per ſuæ factionis homines: & rurſum in libro de Machabæis expugnauit ipſos, quod Eraſmus dormitans illa diecula vertit, *magna apud Hieroſolymitas gratulatione ſuſceptus.* Et iterum, ait Antiochum, qui non eſſet hoſtis, tanquam ſocium & amicum acceptum fuiſſe. Iam quæ in vrbe ab eo perpetrata ſunt, videamus.

δορυάλωτον. g l. 1. de bel. c. 1.

κατὰ κράτος.

h ἀμαχητὶ l. 12. ant. ca. 7. ἐπόρθησεν αὐτούς. l. 2. contra Apionem.

XXIII. *Cædes ibi patrata.*

Ea partim ad ipſam ciuitatem, partim ad templum pertinent. De vrbe illa ſunt. [i] *Iuſſit autem* Antiochus *militibus interficere, nec parcere occurſantibus, & per domos*

i l. 2. c. 15. v. 12.

aſcendentes trucidare eos, qui ſe in domos ſuas recepiſſent. *Fiebant ergo cædes iuuenum ac ſeniorum, & mulierum & natorum exterminia, virginumque & paruulorum neces. Erant autem toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta millia vincti, non minus autem venundati.* Ambiguus videtur hic numerus, & ipſa diſtributio impedita. Numerus enim videtur aſcendere ad ducenta millia. Nam ſi octoginta millia interfecta ſunt, & totidem diuendita, habetur enim in Græco textu, nec pauciores interfectis diuenditi, fiunt centum ſexaginta millia, adde quadraginta millia vinctorum, numerus aſcendet ad ducenta millia. Qui numerus videtur totam exhaurire ciuitatem, aut etiam ſuperare. Propterea que nonnulli volunt hæc non de ſola Ieruſalem intelligi, de qua tamen ſola videtur Scriptura loqui. Deinde non videntur vincti à venundandis ſeparandi. Dicendum videtur vniuerſum numerum fuiſſe octoginta millium, quorum dimidia pars in ipſo ardore certaminis occiſa fuerit, altera vendita, vt ſeorſim diſtinctius dicam. 1.

XXIV. *Male à Ioſepho referuntur.*

Expositionem hanc confirmat Ioſephus, qui nuſquam vinctos à venundatis ſeparat, ſed vtroſque captiuorum nomine comprehendit. Sed in numero vehementer errat. *Direptaque*, inquit, *tota vrbe, habitatores partim necauit, partim captiuos vnà cum liberis & vxoribus abduxit, vſque ad decem millium numerum.* Totis hic ſeptem myriadibus, ſiue ſeptuaginta millibus abeſt à vero; aut certe ſexaginta, ſi decem quoque millia perempta ſenſit. Deinde non abduxit captiuos, vt olim Reges Aſſyriorum & Chaldæorum, quo videtur reſpexiſſe, ſed diſtraxit, ac vendidit. In eo quoque errat quod hæc contigiſſe dicit anno centeſimo quadrageſimo quinto Seleucidarum; & confundit, quæ poſt biennium facta ſunt, cum iis, quæ hoc ingreſſu contigerunt. Murorum enim euerſio, & incendium ædium, & prohibitio rituum Iudaicorum, non in hac, ſed in ſecunda clade contigerunt.

1. ex. l. 12. c. 7.

Et alieno tempore.

XXV. *Antiochi vanitas & ıactantia.*

Ad cladem ciuitatis etiam illa pertinent ex priore libro. Et fecit cædem hominum, & locutus eſt in ſuperbia magna. Quæ locutus ſit non difficile eſt intelligere, etiam ſi fuerint à Scriptura prætcrita; nimirum quæ iſtiuſmodi Tyranni ſolent, poſtquam exſaturarunt iram ſuam; afflictis nimirum ac proſtratis inſultant, ſuam iactant potentiam, minas etiam in poſterum intentant. Sic & ipſe inſultabat iis, qui eum mortuum optauerant, qui oſtenta de eius clade, non de ſua ipſorum interpretati fuerant; qui fiduciam in armis ſuis, in Ægyptiorum patrocinio, in munitionibus ac firmitate ciuitatis, in templo ſuo, ſacrificiiſque poſuerant; cæteraque inculcabat his ſimilia. Quæ cum audirentur, factus eſt planctus magnus in Iſrael, & in omni loco eorum, & ingemuerunt principes & ſeniores: virgines & iuuenes infirmati ſunt, & ſpecioſitas mulierum immutata eſt. Omnis maritus ſumpſit lamentum, & quæ ſedebant in thoro maritali lugebant. Et commota eſt terra ſuper habitantes in ea, & vniuerſa domus Iacob induit confuſionem. Hi ſunt threni, quos edit autor, ſimiles Ieremiæ lamentationibus, in perſimili cauſa.

Iudæorum luctus.

XXVI. *Onias filius pontificis quando fugerit in Ægyptũ.*

Non dubium eſt autem has inter cædes & captiuitates, multos fuga, vti aſſolet, euaſiſſe, & in Arabiam, vel Ægyptum terra marique penetraſſe: in quibus fuit Onias, Oniæ iuſti nuper occiſi filius natu minimus: vt ſentit etiam Sigonius libro quinto de Republica Hebræorum; [a] licet eum Ioſephus [b] alicubi vocet Simonis filium, qui reuera, ſi pontificem intellexit, eius auus fuit: & alibi [c] iſtum Oniam eundem faciat cum Menelao. In quo errat toto cœlo, cum Menelaus non fuerit filius Simonis, ſed frater, nec de tribu, aut familia Aaronica, ſed Beniaminia, vt ſupra cum Scriptura docuimus. Sed bene habet quod Ioſephus non perſeuerat in errore, ſed vel ſponte, vel caſu redit in viam. Nam vocat eum Oniæ pontificis filium, ſicut etiam libro 12. c. 15. vbi ait eum fugiſſe in Ægyptum ad Ptolemæum Philometorem, & vxorem eius Cleopatram: quod repetit etiam libro 7. de bello, vbi vocat eum vnum de pontif. qui tamen reuera nunquam pontifex fuit: mortuo tamen patre, ius habuit ad pontificatus dignitatem, in quam duo iam pſeudopontifices inuaſerant. Verum de hac fuga, rurſus occurret ſermo in ſequentibus.

a cap. de pontif.
b lib. 7. de bello c. 10.
c l. 12. ant. c. 6.

XXVII. *Cauſa fugæ male à Ioſepho aſſignata.*

Cavsam autem fugæ iunioris iſtius Oniæ fuiſſe Ioſephus ait, quod videret patruum Menelaum interfectum, & ſacerdotium ad Alcimum eſſe tranſlatum, qui

à reg. Græ. 147. n. l.

nihil pertineret ad cognationem pontificum. Verum neque Menelaus erat patruus Oniæ, vtpote Beniaminius, neque nunc primum ſacerdotium tranſlatum fuerat ex familia Aaronis: ſed cum Menelaus, circunſcripto Iaſone, pontificatum inuaſit, quando illi iuſta fuit cauſa fugiendi, vt legitimo pontificatus hæredi, quem Inuaſor ille mortuum cuperet, mortique deſtinaret, non poſt extinctum Menelaum. Quod ſi tunc cum Menelaus inuaſit pontificatum, & Oniam ſeniorem curauit interfici, amicorum paternorum beneficio latuit Onias iſte iunior, hoc maxime tempore cauſam fugæ habuit, quo cædibus omnia redundabant. Denique verum non eſt Alcimum non fuiſſe de genere ſummorum pontificum, cum Scriptura perſpicue vocet eum hominem ſacerdotem de ſemine Aaronis. De fuga huius Oniæ nihil eſt in ſacris literis. Eam nos probabiliter ad hoc tempus retulimus, quæ poſſet etiam ad biennium differri. Tempus autem excitati in Ægypto templi Iudaici, poſterius eſt, vt infra dicemus. Interim autem Onias beneuolentiam Ptolemæi regis & Cleopatræ conciliauit ſibi.

[1.Ma. 7.v. 14. a.m. 3889. n. 50.]

XXVIII. *Clades tẽpli ipſius.*

FVGÆ quoque eius vel cauſa, vel occaſio eſſe potuit, ipſi etiam templo, cuius ei cura & gubernatio debebatur, ab Antiocho nunc illata vaſtitas, atque deſolatio. De qua Scriptor ſacer in hunc modum. *Sed nec iſta ſufficiunt*, aut neque his contentus, quæ reliqua in ciuitate patrauerat, *auſus eſt etiam intrare templum, vniuerſa terra ſanctius*, ſiue toto terrarum orbe ſanctiſſimum; *Menelao ductore, qui legum, & patriæ fuit proditor.* Quia ſcilicet leges violabat in prophanando templo per introductionem prophani, ſacrilegi, & infidelis hominis, quo ne Iſraelitæ quidem, niſi eſſent ſacerdotes, admittebantur. Violatis autem legibus, & prophanato templo, conſequenter patriam, quæ illis nitebatur, hoſtibus euertendam præbebat. Ex hoc autem loco intelligitur Menelaum adhuc in occupato ſummo ſacerdotio perſeueraſſe. Honoratiſſimus quippe ſacerdotum regem honoris cauſa deducebat: & Ioſephus ipſe teſtatur Menelaum exegiſſe in pontificatu decennium. Pergit autem Scriptura.

[l.2.c 5.v 15.] [*Menelao Antiochi ductore.*] [l.12 ant.c. 15.]

XXIX. *Vaſa ſãcta predatur.*

ET *ſceleſtis manibus ſumens ſancta vaſa, quæ ab aliis regibus, & ciuitatibus erant poſita, ad ornatum loci & gloriam, contrectabat indigne, & contaminabat. Ita alienatus mente Antiochus*, in Græco eſt, *elatus*, ſiue *eleuatus eſt animo.* Sed nimirum ſuperbia miro modo dum hominem eleuat, ſimul deiicit de poteſtate mentis. Antiochus ergo *non conſiderabat, quod propter peccata habitantium ciuitatem, modicum Deus fuerat iratus.* Id eſt ad breue tempus. Nam alioqui, quomodo modica eſt ira, quæ octoginta hominum millia in vna ciuitate perdiderit, vrbem glorioſiſſimam impiorum poteſtati tradiderit, templum ſacroſanctum expilarit, ac profanandum dederit, Dei cultum irrideri, abiici, & conculcari permiſerit? Aut ſi hæc ira modica eſt, quæ tandem ira magna dici poterit? niſi ea quam modo miſeri patiuntur, & quæ perſeuerabit in finem, tam in ſpiritalibus, quam temporalibus bonis, iuxta oracula prophetarum, Oſee, Danielis, & aliorum.

[ver. 16. c 5. l. 2.]

XXX. *Cur permittente Deo.*

NE quis autem infirmior ſcandalum patiatur, & de diuina prouidentia, ac præſentia dubitet; dum videt Deum diſſimulata ira permittere templi, & domus ſuæ vnicæ deſolationem, ſubdit. *Propter quod & accidit circa locum deſpectio. Alioqui niſi contigiſſet eos multis peccatis eſſe inuolutos, ſicut Heliodorus, qui miſſus eſt à Seleuco rege ad expoliandum*, ſiue ad inſpiciendum, aut perſcrutandum ærarium, *etiam hic ſtatim adueniens flagellatus, & repulſus vtique fuiſſet ab audacia. Verum non propter locum gentem, ſed propter gentem locum Deus elegit.* Itaque abiecta vice verſa & repudiata gente, etiam electam dudum ciuitatem, ac templum abiecit à ſe, diſſipauit ac perdidit. Et quia illius gentis loco Chriſtianam elegit, in ea fundauit Eccleſiam ſuã & ſtabiliuit ſupra petram, in cathedra Petri, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Sicut autem genti Iudæorum modo contigit, vt tota gente abiecta, etiam locus, qui ad omnes pertinebat, abiiceretur, impleta illa prophetia. *Venient Romani, & tollent locum noſtrum & gentem*: ita particularibus Chriſtianorum locis contigit, vt populo deprauato, etiam loca & templa nobiliſſima, & monaſteria, & ciuitates deſolarẽtur, & profanis hominibus, hæreticis, Turcis, Saracenis proculcanda, & nefariis ſacrilegiis conſpuranda traderentur. Teſtis eadem ipſa Ieruſalẽ, & Conſtantinop. & Alexandria, & Antiochia, nobiles quondam patriarchatus: teſtes tam multæ ciuitates, ac prouinciæ toto orbe Chriſtiano. Sed reliqua videamus.

[Dan 9 17. Oſee 3.4. Ioan.11.48] [*Repudiante Iſraelem.*]

XXXI. *Locus honoris & dedecoris particeps: Antiochus auſert è templo mille & 800. talenta.*

IDEOQVE *& ipſe locus particeps factus eſt populi malorum*, ſicut veſtimenta vulnerum quæ corpori infliguntur. *Poſtea autem fiet ſocius bonorum, & qui derelictus in ira Dei omnipotentis eſt, iterum in magni Domini reconciliatione cum ſumma gloria exaltabitur.* Græca exemplaria tempus præteritum habent, exaltatus eſt, ſiue ad ſummam gloriam reſtitutus eſt. Cum enim hæc ſcribebantur, iam à Machabæis emundata, & purgata erant omnia. Igitur Antiochus mille & octingentis tam auri quam argenti ablatis de templo talentis, velociter Antiochum regreſſus eſt; exiſtimans ſe præ ſuperbia terram ad nauigandum, pelagus vero ad iter agendum deducturum, propter mentis elationem: id eſt terram nauigabilem, & mare pedibus peruium ſe effecturum, vt habet Tigurina; quæ eſt prouerbialis hyperbole in ſuperbum, ſibique nimium cum animi ferocia præſidentem. ἐπανωρθώθη

XXXII. *In vaſis & pecunia.*

CÆTERVM cum antea pontifex Onias dixerit Heliodoro,[a] vniuerſa argẽti talenta fuiſſe in templo quadringenta, & auri ducenta; cum ex eo tempore multa furto à Lyſimacho & Menelao inde ablata fuiſſe conſtet, vt c. 4. fuſe habetur, exiſtimo hæc talenta non ad ſolam pecuniam ſignatam, ſed ad vaſa quoque tam aurea quam argentea pertinere. Præſertim cum legamus.[b] *Et intrauit in ſanctificationem cum ſuperbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & vniuerſa vaſa eius, & menſam propoſitionis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea, & velum, & coronas, & ornamentum aureum quod in facie templi erat, & comminuit omnia* in græco, decorticauit, detraxit. *Et accepit aurum, & argentum, & vaſa concupiſcibilia: & accepit theſauros occultos, quos inuenit: & ſublatis omnibus abijt in terram ſuam.*

a l.1.c.3.11.

b l.1.c.1.23.

ἐλέπισε.

XXXIII. *Aliaque pretioſa.*

NOMINE ſanctificationis ſiue ἁγιάσματος, totam ædem ſacram intelligit, vſque ad Sanctum ſanctorum, cum meminerit etiam veli, quod Tyranus ait diuiſiſſe inter Sanctum & Sanctum ſanctorum: & id ſimpliciter veli nomine intelligitur, vt cum in Euangeliis velum templi ſciſſum dicitur, id eſt Oraculi, ſiue Sancti ſanctorũ, quomodo explicat Vatablus, *ornamentum aureum, quod in facie templi erat*, id eſt adyti. Verum ſic hoc velum bis poſitum fuerit, primo clare, & poſtea obſcure. Lyranus explicat, id ornamentum cortinam, quæ opere phrygio intexta eſſet auro. Nulla fit arcæ mentio, vel tabularum legis, vel quia aberant, vel quia tunc aurum & argentum quærebat auarus rex, non lignum, & lapidem: nec euerſam, & abolitam volebat Iudæorum religionem, vt poſtea. Itaque potuit ſuam illam arcam, & tabulas Iudæis relinquere, auri autem laminas extrahere, eodemque modo in menſa propoſitionis, & in altari aureo, quæ fulcris & aſſeribus ligneis ſuſtentabantur, idque innuitur illis verbis, *& accepit aurum, & argentum, & vaſa concupiſcibilia*, ſiue, vt habet Tigurina, quibus omnibus detractum argentum & aurum, cum omnibus vaſis deſiderabilibus abſtulit: eo denique refert illud,[d] *Et comminuit omnia.* Nihil enim alioqui videbatur eſſe cauſæ, cur aurum & argentum comminueretur. Vtrum autem arca in hoc templo fuerit, fuſe diſputat Torniel. hoc loco. Vide quæ diximus ſupra anno Chriſti CDXLIV. n. 86. & ſeqq.

Num arcã & tabulas abſtulerit detrahens aurum & argentũ ex ſupellectili.

d 1. Mach. 1.23.

2.m.3609. n.86.

XXXIV. *Eadem clades ex Daniele.*

HANC ipſam cladem obſcure Daniel tangit.[e] *Et magnificatum eſt*, ſcilicet cornu illud modicum, *vſque ad fortitudinem cœli*, id eſt exercitum piorum, qui colunt Deum cœli, *& deiecit de fortitudine, & de ſtellis, & conculcauit eas*, perſeuerat in allegoria, id eſt occidit de exercitu Iſraëlitarum, & de eius principibus. Illud autem quod ſequitur, *& vſque ad principem fortitudinis magnificatum eſt*, ad alteram cladem pertinet, cum Dei cultum exterminare aggreſſus eſt, & de eodem rurſus[f] in expoſitione Gabrielis, *& roborabitur fortitudo eius, ſed non in viribus ſuis, & ſupra quam credi poteſt vniuerſa vaſtabit, & proſperabitur, & faciet. Et interficiet robuſtos, & populum ſanctorum ſecundum voluntatem ſuam, & dirigetur dolus in manu eius: & cor ſuum magnificabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos.* Negat Angelus Antiochum robuſtum fore viribus ſuis: nec tamen copias Ægyptias, aut Romanas, aut alias præterquam ſuas habuiſſe legitur; ſed ſignificat Deum ei vires daturum ad caſtigandum peccata populi: vnde paulo ante dicebat propheta.[g] *Robur autem datum eſt ei contra iuge ſacrificium, propter peccata*, vt ſupra quoque attigimus. Illam autem cordis magnificentiam, ſiue mentis elationem, eleganter exponit ille locus 2. Machab.[h] quem ſupra retulimus, vt agnoſcas prophetiam hiſtoriæ ſacræ egregie reſpondere.

e c.8.v.10.

f v.24.

g v.12.

h 5.v.21.

DE hoc Antiochi in templum ingreſſu audi Diodorum Siculum in Eclogis, eadem cum Apione grammatico malitia, atque ignorantia delirantem. Antiochus, inquit, cognomento illuſtris Iudæis bello ſubactis, inacceſſum Dei fanum ingreſſus eſt, quo tamen Sacerdoti tantum penetrare lege permiſſum erat. In quo cum viri prolixa barba imaginem ex lapide reperiſſet, aſello inſidentem, hanc Moſis eſſe iudicauit, qui Hieroſolyma condidit, gentem coagmentauit, ac mores nefarios, odioque hominum ſcatentes, lege Iudæis ſanciuit. Ipſe igitur odium in vniuerſas gentes deteſtatus, vt leges abolerentur operam dedit. Propterea conditoris imagini, aræque Dei ſubdiali magnam ſuem immolauit, & cruorem illis affudit: carnibus etiam apparatis, harum iure libros ſacros, qui leges odio peregrinorum flagrantes continent, adſpergi iuſſit. Lychnum præterea immortalem ipſis dictum, qui perpetuo in templo ardet, extinxit. Pontificem denique, & cæteros Iudæos, vt carnibus veſcerentur coëgit. Hæc iſte; quæ quam multis ſcateant mendaciis, & cui veritatis fundamento ſuperſtructa fuerint, facile intelligitur, vt non ſit neceſſe nos immorari. XXXV. *Fabula Diodori de ingreſſu in templum.*

IN hoc ſacrario Apion præſumpſit edicere, ait Ioſephus l. 2. contra ipſum, aſini caput collocaſſe Iudæos, & eum colere, ac dignum facere tanta religione, & hoc affirmat fuiſſe depalatum, dum Antiochus Epiphanes & expoliaſſet templum, & illud caput inueniſſet, ex auro cōpoſitum, multis pecuniis dignum. Hæc ibi; Vbi eleganter refellitur, additurque mox Antiochum pecuniarum egeſtate compulſum, templi deprædationem feciſſe. *Cum non eſſet*, inquit, *hoſtis, & ſocios inſuper nos ſuos, & amicos aggreſſus eſt, nec aliquid dignum deriſione illic inuenit*; cumque id idoneis teſtimoniis Scriptorum veterum confirmaſſet, ſubdit. *Hæc igitur Apion debuit reſpicere, niſi cor aſini ipſe potius habuiſſet, & impudentiam canis, qui apud ipſos coli ſolet, &c.* Nimirum alludit ad *Semicaneſque deos, ſemideoſque canes.* Deinde alia etiam in templo inuenta nugatur Apion, quæ ibid. reperies. Nos ad ſequentem annum gradum facimus. XXXVI. *Altera Apionis fabula de eodem.*

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3885.

1. N. xxiii Locus ex Græco intelligendus eſt, in quo ſic habetur. *Ὀκτὼ μυριάδες ἐν ταῖς τρισὶν ἡμέραις τελεῖ κατεφθάρησαν, τέσσαρες μὲν ἐν χειρῶν νομαῖς, οὐκ ἧττον δὲ τῶν ἐσφαγμένων ἐπράθησαν*, id eſt octo myriades, ſiue 80. millia, totis tribus diebus perierūt, conſumpti, ſiue amiſſi ſunt, *καταφθείρω* enim hoc loco latius accipitur, abſtrahitque, vt aiunt, à cæde & ſeruitute. Deinde per diſtributionem, cuius ſigna ſunt *μὲν* & *δὲ*, additur, quatuor quidem myriades, ſcilicet ex illis octo, *ἐν χειρῶν νομαῖς*, id eſt, vt vulgata editio habet, vincti, Tigurina, manu capta, Tremellij & Iunij, trucidationibus, Baſileenſis, in prædam exercitus, regia, in manuum captiuitate. At rectius verſio Xiſti, in ipſo manuum conflictu. Sed legendum eſt *νόμῳ* vel *νόμοις*: quomodo etiam legimus, *ἐν πολέμου νόμῳ*, id eſt in ipſo prælio, in ipſa congreſſione manuum, in ipſo ardore certaminis. Vide *χείρ* in theſauro Stephani, vbi alia exempla reperies. In ipſa ergo vrbis expugnatione, & congreſſione manuum, quatuor myriades ferro ceciderunt, nec pauciores interfectis venundati ſunt, id eſt reliquæ quatuor myriades.

ANNVS MVNDI 3886. SEXTAE AETATIS, 370. IMPERII GRÆCORVM 144. ANTIOCHI EPIPH. 8. MENELAI PSEVDOPONTIFICIS 5. PTOLEMÆI PHILOMETORIS 12. PERSEI MACED. 12. ET VLT. OLYMP. CLIII. AN. 1. VRBIS CONDITÆ 585. COSS. L. ÆMYLIO PAVLO II. ET C. LICINIO CRASSO. BELLI MACED. 4. ET VLT.

ANNVS ANTE CHRISTVM 167.

I. *Antiochus etiam abſens Iudæos vexat.*

LAMENTABANTVR hoc tempore Hebræi acceptas anno proximo ab Antiocho Epiphane clades, & effuſam indignationem eius in ſanctuarium Dei, quam in Romanos ne præ ſe quidem ferre auſus eſſet. Eius enim legati Romæ retulerunt, pacem quæ Senatui placuiſſet, omni victoria ei viſam eſſe potiorem. Falſum id quidem, cum efferato animo eum inde rediiſſe Scriptura teſtetur: illud autem veriſſimum, eum haud ſecus quam deorum imperio, legatorum Romanorum iuſſis paruiſſe. Imo & multo magis, vt qui eorum templa expilare aggreſſus ſit, & veri Dei ſanctuarium omni auro, argentóque vacuatum populatus ſit. Ad hunc autem annum in primis illa pertinent, quæ poſt diſceſſum Antiochi ex vrbe Hieroſolymitana, miniſtri eius, Domini ſui voluntate, in Iudæa perpetrarunt. *Reliquit*, ait Scriptura, *& præpoſitos ad affligendam gentem, Hieroſolymis quidem Philippum genere Phrygem, moribus crudeliorem eo ipſo, à quo conſtitutus eſt. In Garizin autem Andronicum, & Menelaum, qui grauius quam cæteri imminebant ciuibus.* Erat vterque dux cum præſidio militari, Philippus inquam & Andronicus, alius vtique ab eo, qui ob interfectum Oniam, iuſſu Antiochi ignominioſe interfectus eſt.

Liu. l. 45. — *2. Mach. 5. 11.* — *2. Mach. 5. 24.* — *2. Mach. c. 4. 38.*

II. *In primiſque Menelaus pſeudopont.*

Menelavs autem à cæteris in Græco textu ſeponitur, hoc modo, in Garizin autem Andronicum, & præter hos Menelaum, qui peſſime aliis imminebat ciuibus. Nimirum hic Pſeudopontifex ſtimulus erat præpoſitis illis barbara feritate ſæuientibus, & vnguis in vlcere ciuium ſuorum. Et tam Hieroſolymis, quam in Samaria, (vbi erat mons Garizin, & in eo templum Samaritanorum, qui ſchiſmate à Iudæis ſeparati erant, quod magni Alexandri, ætate opera Sanaballetis in gratiam generi ſui Manaſſis excitatum eſt, ante annos centum & ſexaginta quatuor:) vtrobique inquam acuebat crudelitatem præfectorum Antiochi; & per eos, vt credibile eſt, iniurias ſuas vlciſcebatur, & odia exſaturabat, in eos præſertim, ſi qui forte ſupererãt, qui eum in diſcrimen capitis ob ſacrilegia, & ſeditionem, & mortem Oniæ, & Lyſimachi, apud Antiochum adduxerant: aut alioqui tenaces erant inſtituti patrii: quotidianæ ſcilicet erant expilationes fortunarum, corporum verbera, cædes, ſeruitutes. Sed iam Macedoniam dudum in ruinam nutantem, & hoc anno plane collabentem inuiſamus.

Ioſeph. l. 11. c. vlt. & l. 12. c. 1. ad m 3722. n. 12. & 13.

III. *Noui Conſules.*

Livivs de Conſulum huius anni creatione agens. Iam in exitu annus erat, inquit, & propter Macedonici maxime belli curam, crebri erant de creandis Conſulibus ſermones, & quinam, ad finem diuturno bello imponendum, idonei viderentur. Itaque SC. de comitiis Conſularibus factum eſt, Cn. Seruilius Conſul eis præfuit. Creatus eſt L. Æmylius Paulus iterũ, ſeptimodecimo anno poſtquam primo Conſul fuerat, vt ait Liuius, vel potius decimoquinto, vt ex tab. Capit. Caſſiodoro, & aliis conſtat, nec plures conſulatus inueniuntur ab anno V. C. 571. quo primum Conſul fuit, cum Cn. Bæbio Pamphilo. Sigon. vt erroris cauſam inueniat pro 17. legi vult 14. vt ex XIV. factum ſit XVII. duobus II. in V. coaleſcentibus. Id ſi probatur, primus eius conſulatus ab hoc numero excludendus eſt. Eius collega fuit

C. Licinius Craſſus. Habet porro hic annus initium Olympiadis centeſimæ quinquageſimæ tertiæ, in qua Ariſtander Leſbius curriculi palmam tulit.

IV. *Æmylio bellũ Macedonicum obtingit.*

Extemplo placuit deſignatos ſortiri prouincias, vt ſciretur vtri Conſuli Macedonia, & cui Prætori Claſſis obueniret. Æmylio Macedonia, Licinio Italia euenit. Claſſis Cn. Octauio. Æmylius in bellum Macedonicum ſtatim curam omnem intendit; primumque à Senatu petiit, vt legatos in Macedoniam mitteret, ad exercitus viſendos, claſſemque, & comperta referenda, quid aut terreſtribus, aut naualibus copiis opus eſſet; præterea vt copias regias, & vniuerſum belli ſtatum, quantum poſſent explorarent, vt certiora in futurum conſilia capi poſſent. In eam rem tres legati biduo ſunt profecti, nec ante eorum reditum quicquam in ſuam expeditionem petiit Æmylius. Quia tamen reditus expectari non poterat, Collegæ curam prouidendi rebus omnibus relinquere ſtatuit. *Mittit legatos exploratores.*

V. *Conſulatũ init.*

Idibus Martiis Conſulatum iniit, idibus Aprilis cum Cn. Octauio exiuit, aut Calendis potius Aprilis, vt notauit Sigonius ex iis, quæ paulo poſt Liuius ipſe refert; & perſpicuum eſt omnia, quantum fieri potuit, accelerata fuiſſe. Rediſſe quoque legatos è Macedonia omnibus terra marique inſpectis, prius quam exiret Æmylius, idem affirmat, vltimis ſcilicet quinquatribus, quæ Palladi ſub medium Martium celebrabantur. Quod ſane mirum, ac prope incredibile videatur, cum ſumma hyeme iter mari conficiendum eſſet, & loca non ſolum remota, ſed diſiuncta eſſent adeunda, biſque tempeſtate aduerſa turbati eſſent. Hæc vtique mira & abſurda videantur, niſi cogitentur intercalationes, quæ à Pontificibus in gratiam magiſtratuum ita fiebant, vt Calendæ Martiæ non longe abeſſent ab hyberno ſolſtitio: itaque illi legati non in hyeme, ſed in autumno nauigarunt. Legatis auditis SC. de copiis ad bellum conficiendum in Illyrio, in claſſe, in Macedonia neceſſariis, perfectum eſt, & habita ab Æmylio ad Quirites concio, de non temere credendo rumoribus, neque de ignotis rebus ferenda ſententia. Inde Conſul cum Præfecto claſſis in Macedoniam, ciuibus magna frequentia officij gratia proſequentibus, eſt profectus. *Exploratores redeũt.* *Conſul abit.*

VI. *Perſeus Gentium bello implicat.*

Interea Perſeus, vt erant illius præſentiora pericula, ita ſtudioſius per legatos, ſibi Reges adiungere moliebatur, vt Polyb. quoque tradit. [a] Gentium regem Illyriorum, irritis aliquoties legationibus fatigarat, cum pecuniam conficiendo bello neceſſariam non præberet, [b] nunc trecenta talenta, datis vtrimque obſidibus, pactus eſt, miſitque qui eam pecuniam Gentij legatis numerarent: ſed vide callidam hominis improbitatem. Cum Pellæ trecenta illa talenta numeraſſet, etiam ſignare eos pecuniam paſſus eſt, inde decem talenta ad Pantaucum miſſa, eaque præſentia dari regi iuſſit. Reliquam pecuniam ſignatam Illyriorum ſigno, portantibus ſuis præcepit paruis itineribus veherent: deinde cum ad fines Macedoniæ ventum eſſet, ſubſiſterent ibi, ac nuncios ab ſe operirentur. Gentius exigua parte pecuniæ accepta, cum aſſidue à Pantauco ad laceſſendos hoſtili facto Romanos ſtimularetur, M. Perpennam & L. Petilium legatos, qui tum forte ad eum venerant, in cuſtodiam coniecit. Quo audito Perſeus, videns eum contraxiſſe neceſſitatem belli cum Romanis, miſit ad reuocandum qui pecuniam portabant: quaſi daret operam vt victoribus quam maximam prædam pararet. Appianus Alex. l. de bellis Illyr. ait legatos in vincula coniectos, Gentio cauſante eos non legationis, ſed explorandi occaſione ad ſe veniſſe, ſed hæc aliquanto poſt contigerunt. *Perfidioſe.*

[a] n. 85. excerpt.

[b] Vt leges apud Polyb. n. 76. & 77.

VII. *Rhodios, Eumenem, & Antiochum tentat.*

In præſentia vero Perſeus tam ſuos, quam Illyriorum legatos, ad Rhodios tentandos miſit, ratus eos vtriuſque regis ſocietate facilius commotum iri; quod ſi ea ciuitas, penes quam rei naualis gloria tum erat, ſe ipſis adiungeret, Romanis nec terra nec mari ſpem relictum iri. Eodem tempore ad Eumenem, & ad Antiochum dat communia mandata, docere, populum Romanum ſingulos aggredi reges, vniuerſos ſi poſſit perditurum. Indignum eſſe facinus, ſi regum viribus reges expugnentur, ſi Macedonia ſublata fuerit, Aſiam proximam ruinæ fore, quam iam ex parte, ſub ſpecie liberandarum ciuitatum, ſuam fecerint. Deinde Syriam, in qua victor Antiochus, Ægypto belli præmio ab ipſis prohibitus eſt. Quæ cum Liuius l. 44. dicat, ſine dubio Antiochum iam à Popilio Alexandria, atque Ægypto prohibitum ſignificat, priuſquam cum Perſeo debellatum eſſet, quamuis l. 45. id Popilij factum poſt victum Perſeum enarret. Idque nobis videtur verius, vt ſupra diximus

& rurſum ex ipſomet Liuio l. 45. confirmamus, vbi poſt legationem ab Antiocho Romam miſſam, qua ſe paruiſſe imperio Senatus dicebat, addit literis deinde ex Macedonia allatum, Perſeum in poteſtatem Conſulis veniſſe, quod paucis diebus poſt victoriam contigit: cum tamen iam legationes ad Senatum, ex vltima Syria & Ægypto, ab Antiocho & Ptolemæo veniſſent.

VIII. *Conflat in Romanos inuidiam.* *Eumenes Romanis ſuſpectus.*

Hæc cogitantem Antiochum iubebat prouidere, vt aut ad pacem ſecum faciendam Romanos compelleret, aut perſeuerantes in bello iniuſto, communes duceret omnium regum hoſtes. Ad Antiochum aperta mādata erant. Ad Eumenem, per ſpeciem captiuorum redimendorum, miſſus erat legatus. Et iam Eumenes male apud Romanos audiebat, quaſi occulte cum Perſeo ſentiret: quamquam is nec Perſeum victorem eſſe cupiebat, ne ſibi reliquiſque regibus grauis & formidoloſus euaderet; nec eum bello inuadere audebat; & tamen ne bello intereſſet, aut vt pacem cum Romanis tranſigeret, mille & quingenta talenta requirebat, quam pecuniam perfecta re ſe daturum ſpondebat Perſeus: Eumenes partem præſentem habere cupiebat. Ita nihil inter eos perfectum, præter infamiam Eumeni conflatam. Hoc fuit alterum auaritiæ Perſei argumentum, quo rebus ſuis male conſuluit: ſequitur tertium.

IX. *Perſei auaritia ipſi pernicioſa.* *Gallorum ſubſidia perdit.* *Inconſulte.*

Gallorvm ingens agmen, ex Iſtria effuſum, erat circa fines Macedoniæ, 10. millia equitum, totidem peditum, qui equos curſu æquarent, & equites quoque pugnare poſſēt. Hi pacti erant, eques denos pręſentes aureos, pedes quinos, mille dux eorū: in qua pecunia cū ille cunctatur, & ſpe illius pugnaturos ſperat, melior pecunię quam regni cuſtos effectus eſt. Coacto concilio periculoſam regno tātam multitudinem fore oſtendebat: itaque quinque millia ſatis fore dicebat, cum omnes intelligerent eum pecuniæ parcere: nec tamen illis ipſis pecuniam miſit; qua re indignati, iter ad ſua, perpopulata ex itinere Thracia, remetiuntur. Quam inſipiens autem fuerit hoc regis conſilium, & importuna auaritia, res ipſa loquitur. Nam iis copiis potuit Theſſaliam, ex qua Romanis commeatus ſuggerebantur, in poteſtate habere, cum Romani ad opem ferendam, mouere ſe loco, imminente Regis exercitu, non poſſent, nec ſubſiſtere commeatu deſtituti, vt eis de fuga potius, quam de victoria cogitandum eſſet.

X. *Dei prouidentia in Perſei auaritia.*

Agnoscit etiam Polybius in hac Perſei auaritia, & ſordibus, diuinam prouidentiam. Nam ſi illa tempeſtate regulis & ciuitatibus pecuniam, ſi non large ac magnifice, vt ſuperioribus annis inutiliter, ſaltem mediocriter largiri voluiſſet, multi ſe eius partibus adiunxiſſent. Nunc recte fecit Perſeus, inquit, qui hanc non ingreſſus ſit viam, per quam aut plena victoria parta, dominationem ſuperbam erat obtenturus; aut ſi vinceretur, in eiuſdem ruinæ ſocietatem multos ſecum erat attracturus. Sed contrariam potius viam inſtitit, vnde factum eſt, vt pauci omnino Græci, per occaſionem eius belli, quod ipſe geſſit, in fraudem inciderint, in quibus rex Illyriorum Gentius. nu. 77.

XI. *Claſſe mare infeſtum habet.*

Inde Antenorem, & Callippum præfectos claſſis cum 40. lembis, & quinque maioribus nauibus, Tenedum miſit, vt inde ſparſæ per cicladas inſulas, naues Macedoniam cum frumento petentes tutarentur; ex itinere quinquaginta naues onerarias, quæ ad montem Atho clauſæ in portu tenebantur à nauibus Eumenis, diſſipatis hoſtibus eduxerunt, & in Macedoniam miſerunt, mox triginta quinque naues Attali, Romanis auxilio proficiſcentes, necopinantes oppreſſerunt, octingentos Gallos interfecerunt, ducentos viuos ceperunt, equos partim in mari cum nauibus peſſumdederunt, partim in Chij littore, neruis ſucciſis inutiles reddidere, viginti eximiæ formæ cum captiuis Theſſalonicam miſere. Ipſi toto Ægeo mari vagabantur, & obuias naues, niſi quæ Macedoniam peterent, vel nocte furtim elaberentur, aut ſupprimebant, aut ſpoliabant. Maritimam quoque Illyrici oram cum 80. lembis infeſtam habebant, & Dyrrhachiorum & Apolloniatium, ſociorum populi Romani, agros populabantur.

XII. *Sacrorum locorum reuerentia.*

Illvd autem ſilentio minime prætereundum, quod cum hæ naues Macedonicæ ad Delum inſulam veniſſent, eodem Romanorū legati Chalcide profecti cum tribus quinqueremibus venerunt, vbi & quinque Regis Eumenis quinqueremes inuenerunt. Sanctitas templi, inquit Liuius, inſulæque, inuiolatos præſtabat omnes. Itaque Romani, Eumeniani, Macedoneſque permixti in templo, inducias

religione loci præbente, verſabantur. Et quidem eodem fere tempore, quo Epiphanes in veram diuinitatem Hieroſolymis, & tota paſſim Iudæa bacchabatur. Illuſtri documento quãtum hic Antiochus reliquos mortales eo tempore impietate præiret; & quantum locis vere religioſis venerationis, atque immunitatis exhiberi par ſit, quando fallaci ſuperſtitioni tantum ab ethnicis tribuebatur, vt ea ſacrilegia grauibus ſemper cladibus diuinitus punita notarent, vel piaculares homines ipſi acerrime perſequerentur.

XIII. *Rhody Macedones amice accipiunt.*

PER id fere tempus legati Macedones, Illyriique, quos à Perſeo miſſos paulo ante diximus, ſimul Rhodum venerunt, quibus autoritatem & legationi pondus addidit, non modo claſſis Antenoris, Ægeo mari imperitans, ſed coniunctio ipſa Perſei, Gentiique, & fama Gallorum, cum magno equitum peditumque numero, venientium. Ergo fautoribus Perſei cum animi acceſſiſſent, non benigne modo Regibus reſponſum eſt, ſed palam ſuperbe pronunciatum ſe bello finem autoritate ſua impoſituros eſſe; itaque ipſi quoque reges æquos adhiberent animos ad pacem accipiendam. Hæc Liuius habet ex Polyb.[a] ſed meliora fecit. Addit etiam Cretenſes à Rhodiis in Perſei ſocietatem adductos.

a n 86. & 87.

Res geſta cum Gentio.

Dum hæc à Rhodiis, & Perſeo geruntur, Æmylius Conſul in Macedoniam, Cn. Octauius Oreum ad claſſem, Anicius in Illyricum peruenerunt. Hic cum viciniore, & minore hoſte negotium gereris, citius rem ob quam venerat confecit. Gentius ad quindecim armatorum millia Liſſum contraxerat, & inde emiſſa copiarum parte, ſocias Romanis vrbes ad deditionem partim inuitabat, partim compellere conabatur.

XIV. *Ab Appio, & Anicio Pratore. Ad Scodram Illyrij victi.*

APPIVS Claudius cum copiis ſuis, ſociorumque auxiliis bellum parabat, præſertim cum & ſocietatem Gentij cum Perſeo, & legatos Romanos in vincula coniectos accepiſſet; cum Anicius Prætor cum nouo exercitu ad eum venit. Quid ab initio factum ſit, non ſatis liquet, cum Liuius hoc loco diminutus ſit: felicem eum cõmiſiſſe pugnam apparet, quam multarum vrbium deditio ſubſecuta ſit. Ad Scodram ventum eſt, vrbem & ingenio loci, & arte munitiſſimam, quam Rex, vt totius regni arcem, ac belli caput, cum tota Illyriorum gente tutabatur. Tamen Prætor Romanus, quia prima ſucceſſerant, ſperans fortunam totius rei principia ſecuturam, & repentinum valiturum terrorem, inſtructo exercitu ad mœnia ſuccedit. Illyrij porta egreſſi, prælium loco æquo, maiore animo commiſerunt quam ſuſtinuerunt. Pulſi enim & fuga conglobati, cum ducenti amplius in ipſis portæ faucibus cecidiſſent, tantum intulerunt terrorem, vt Oratores extemplo ad Prætorem Gentius mitteret, per quod inducias peteret, vt de ſtatu rerum ſuarum deliberare poſſet.

XV. *Gentius deditionem facit.*

TRIDVVM ei datum eſt, intra quod fruſtra expectatis cum fratre auxiliis, ad Prætorem venit in caſtra, & præmiſſa de more accuſatione ſtultitiæ ſuæ, ad preces lacrymaſque effuſus, genibus Prætoris accidens, in poteſtatem ſe dedit. Eam humilitatem ſummam turpitudinem vocat Appianus in Illyricis, ratus ab ignauo, atque infracto animo profectam: quæ tamen ipſa longe minus habet dedecoris, quam furor ille, violentas inferens ſibimetipſi manus, quem cæci illi laudabilem putabant, in eoque poſitum ſummum fortitudinis decus: quæ amentia eſt omnium perniocioſiſſima, atque dementiſſima. Rex bonum animum habere iuſſus, ad cœnam etiam inuitatus, in vrbem ad ſuos rediit, & cum Prætore eo die honorifice epulatus eſt: deinde in cuſtodiam C. Caſſio tribuno militum traditus eſt; in eamque fortunam miſer recidit, dum decem tantum talenta, gladiatorium pene munus, à Rege Rex accepiſſet, ab eoque perfide deceptus ac deſertus eſſet.

XVI. *Scodra recipitur cum regia familia. Quæ Romã cum Gentio mittitur.*

ANICIVS Scodra recepta, legatos requiſitos ad ſe duci iuſſit, quibus ſplendore ſuo reſtituto, Perpennam extemplo mittit, ad comprehendendos amicos, cognatoſque Regis, quos & Scodram mox in caſtra adduxit, in iis erat Regis vxor, frater, ac filij: atq; ita Illyrico bello intra triginta dies, aut vt ait Appian. viginti, perfecto, Anicius nuncium victoriæ Perpennam Romam miſit, vbi bellum prius perpetratum eſſe quam ceptum nunciatum eſt: & poſt paucos dies Gentium ipſum miſit, cum parente, coniuge, liberis ac fratre, aliiſque principibus Illyriorum.

Perſei timor.

Quibus diebus hæc agebantur, Perſeus quoque in magno terrore erat, propter aduentum noui Conſulis, & Prætoris. Itaque maritimam oram diligentius firmat præſidiis, & ripam Enipei fluminis, vbi caſtra habebat, ingenti ſtudio communit,

Æmylius exercitum ſuum egregiis monitis atque inſtitutis informat.

XVII. *Fama deuicti Gentij.* Interea fama Illyricæ victoriæ emanauit, & vt animos Romanorum erexit, ita Macedonum deiecit. Quo tempore cum Rhodiorum legati pacis imperia ferentes aduenisſent, prope præcipites è caſtris eiecti ſunt. Conſul ſe poſt decimum quintum diem reſponſum daturum dixit. Interea in eorum contemptum, conſultare de ratione belli gerendi cœpit, & mox ſimulat ſe quinque millia delectorum militum cum Scipione Naſica, & Fabio maximo filio ſuo, ad Heracleam cum Pretore mittere, ad maritimam oram interioris Macedoniæ bello premendam, & regem eò trahendum. Verum ſuo ipſe conſilio vſus, ductu mercatorum ad Perrhæbiam nocturna profectione ac pugna, regiis preſidiis eripiendam dimiſit, quæ dum occulte ac diſſimulanter fiunt, ipſe fluminis tranſitum irrito conatu, & cum ſuorum iactura aliquoties tentauit.

Rhodiorum temeritas. *Varia Conſulu de bello conſilia.*

XVIII. *Naſica cum Milone pugna.* Nasica interim cum ſuis iter facit. At transfuga Cretenſis ex itinere elapſus, circuitionem Romanorum Perſeo indicauit. Ille paucſactus caſtra non mouit, ſed mercenariorum militum decem millia, Macedonum duo, duce Milone miſit, imperans vt maturaret, & occuparet ſaltum. In vertice montis occurrerunt ſibi copiæ, ibique ancipiti dimicatione pugnarunt, ſed victus Milo etiam abiectis armis cum ſuis fugit, vt ſcribit Plut. in Æmylio, ex ipſius Naſicæ literis. Eo caſu trepidus Perſeus retro mouet exercitum, ad interiora regni defendenda, & manum cum hoſte conſerendam. Paulus copias traducit, & Naſicæ adiungit ſe: inde quadrato agmine ad hoſtem tendit: verum vt illorum aciem ac numerum contemplatus eſt, ſubſtitit; & veritus ne cogeretur ad pugnam, aciem inſtruxit, & per vltimos caſtris occulte communitis, omnes ſuos incolumes in caſtra coëgit; nequicquam pugnam Fabio & Naſica deſiderantibus. Ita Plut.

Et victoria.

XIX. *Æmylius pugnam cum Perſeo differt.* At Liuius etſi mancus eſt, ſignificat tamen Æmylium pugnam à Perſeo oblatam detrectaſſe, non ſolum propter maiores hoſtium copias, vt in eius oratione apparet, & eas Plutarchus ait fuiſſe 40. fere millium peditum, & 4. millium equitum, ſed maxime propter temporis incommoditatem. Nam anni tempus, inquit, poſt circumactum ſolſtitium erat, hora diei iam ad meridiẽ vergebat, iter multo inpuluere, & incaleſcente ſole factum erat; laſſitudo & ſitis iam ſentiebatur, & meridie inſtante magis auctum iri vtramque apparebat; itaque ſtatuit ſic affectos recenti, atque integro hoſti non obiicere. Rex quoque cum ſine detrectatione pugnare eo die paratus fuiſſet, contentus cognitum eſſe per hoſtem ſtetiſſe, quo minus eo die pugnaretur, & ipſe in caſtra copias reduxit.

XX. *Prædicit à Sulpitio Gallo Lunæ deliquium.* Castris permunitis C. Sulpitius Gallus tribunus militum, qui prætor ſuperiore anno fuerat, & tertio ab hinc anno Conſul fuit cum Marcello, primuſque Romanorum notauit eclipſes, & de iis librum edidit. [a] Conſulis permiſſu ad concionem militibus vocatis, pronunciauit Lunam nocte proxima, ne quis id pro portento acciperet, ab hora ſecunda vſque ad quartam noctis defecturam eſſe. Itáque euenit nocte, inquit Liuius, quam pridie nonas Sept. inſecuta eſt dies, id eſt nocte antecedente quartum Septembris diem. Mirum eſt factam paulo ante æſtiui ſolſtitij mentionem, cum iam ſignificetur vicinum æquinoctium autumnale. Certe plerique Mathematici vno ferme ore conſentiunt factam eclipſim ea nocte, quæ media eſt inter 21. & 22. Iunij, ſi annorum Iulianorum ratio habeatur: differentia vero duorum fere menſium cum dimidio, intercalationibus tribuenda eſt. 1. — a l. 2. c. 12. Plin. — 1. ex.

XXI. *Macedonũ perturbatio, & timor.* Cum deliquium ad prædictum temporis punctum incidiſſet, Sulpitij Galli ſapientia Romanis militibus prope diuina videri. Macedonas, vt triſte prodigium occaſum regni, perniciemque gentis portendens mouit, quem etiam portendebat clamor in caſtris vlulatuſq; Macedonum, donec Luna in ſuam lucem emerſit. Sed iuuat de hoc deliquio etiam audire Plut. Cum iam nocte à cœna corpora ſomno & quieti dare vellent, ecce Luna pleno orbe & ſublimis obſcurata eſt, fugientéque lumine in varios vertit colores dum condita eſt. Hic cum Romani de more æris crepitu lumen eius reuocarent, frequentéſque flammas tedis facibuſque ad cœlum porrigerent; longe diuerſa egerunt Macedones, quorum caſtra horror ſtuporque tenuit; rumórque eſt ſenſim per caſtra vulgatus, portendere hoc regni occaſum. Sic Plutar. nec Sulpitij Galli meminit, ſed eam ſcientiam Paulo Æmylio tribuit. Qui poſtridie rationem reddidit cur pridie pugnare noluiſſet: ſed nec eo quoque

Romanorum ritus in eclipſi.

die,

die, quamuis flagrantibus pugnæ deſiderio militibus, pugnaturus erat, niſi fortuna, inquit Liuius, quæ plus conſiliis humanis pollet, contraxiſſet certamen.

XXII. *Occaſio initæ pugnæ de ſumma rei.*

Flvmen erat haud magnum propius hoſtium caſtris, ex quo & Macedones & Romani aquabantur, præſidiis ex vtraque ripa poſitis, vt id tuto facere poſſent. Cum otium ad flumen eſſet, neutris laceſſentibus, hora circiter quarta iumentum è manibus curantium elapſum, in vlteriorem ripam effugit, quod cum per aquam ferme genu tenus altam tres milites ſequerentur, Thraces duo id iumentum ex medio alueo in ripam ſuam trahentes, cum tribus Romanis militibus manum conſeruerunt. Iamque Romani altero eorum occiſo, receptoque eo iumento, ad ſtationem ſuorum ſe recipiebant. Octingentorum Thracum præſidium in hoſtium ripa erat. Ex his pauci primo ægre paſſi popularem in ſuo conſpectu cæſum, ad perſequendos interfectores fluuium tranſgreſſi ſunt, deinde plures, poſtremo omnes, & cum præſidio Thracum reliquus etiam exercitus in aciem proceſſit. Aliam refert Plutarchus de occaſione initæ pugnæ ſententiam; certamen videlicet initum inter Thraces & Ligures pabulatores. Et potuit duobus in locis ex diuerſis cauſis inchoari certamen.

XXIII. *Pugna cõmittitur.*

Romanos acuebat ad prælium non ſolum ipſa Conſulis præſentia, imperij maieſtas, gloria viri, ſed ante omnia ætas, quod maior ſexaginta annis, iuuenum munia, in parte præcipua laboris, periculique capeſſebat. Pugnatum eſt vtrimque acriter, Romanus immiſſa inter cetratos & phalanges legione, acies hoſtium interrupit, & phalangem, non à fronte, qua parte intentis haſtis horrentes intolerabiles viribus ſunt, ſed carptim à lateribus, à tergo multis in locis inſtando diſſiparunt. Tradit Plut. Pelignos male à phalange acceptos, dum ſignum ſuum militare recuperare conantur, fugam prope inire cepiſſe, certe retuliſſe pedem. Quod cernens Conſul, vt autor eſt Poſidonius, concidit paludamentum ſuum, partim quod hi proni in fugam eſſent, partim quod cæteri Romani denſatam, atque haſtis horrentem phalangem declinarent. Sed Paulus animaduertens aliquibus locis interruptam, & hiantem, illuc immiſit ſuos, & aditum victoriæ aperuit.

XXIV. *Equitum fuga, initiũ victoriæ.*

In iis cædendis dum Romani inſiſtunt, equitatus prope integer; pugna exceſſit, princeps fugæ Rex ipſe erat, & à Pydna Pellam petebat. Accurrebant ad mare pedites, ex hoſtium manibus elapſi, & in aquam ingreſſi orabant vt vitam acciperent: ſed cum ibi quoque è ſcaphis cæderentur hoſtilem in modum, retro qui poterant nando repetentes terram, in aliam fœdiorem peſtem incidebant. Elephanti enim à rectoribus in littus acti, exeuntes obterebant, elidebantque. Cæſa ſunt ad 20. millia hominum, ad ſex millia, qui Pydnam ex acie perfugerant, viui in poteſtatem peruenerunt, & vagi è fuga quinque millia hominum capta. Ex victoribus ceciderunt non plures centum, vulnerati aliquanto plures: cui conſentiens Plutarchus, ſuper 25. millia, inquit, dicuntur cecidiſſe, ex Romanis deſiderati, vt tradit Poſidonius, centum, vt Naſica 80.

Magnitudo cladis.

XXV. *Cur tardius pugnæ tempus.*

Qvod ſi maturius pugnari ceptum eſſet, vt ſatis diei victoribus ad perſequendum hoſtem ſupereſſet, deletæ omnes copiæ forent. Nunc imminens nox & fugientes texit, & Romanis pigritiem ad ſequendum locis ignotis fecit. Cauſam tarditatis in eo ponit Liuius, quod pugna fortuito commiſſa eſt, cum Imperator non ſtatuiſſet eo die pugnare, & bonam diei partem in ſacrificando, ac conſultando poſuiſſet. At Plut. de induſtria pugnam ad veſperam dilatam dicit, dum ſol circumactus in occaſum, non ſuorum, vt matutino tempore, ſed hoſtium pugnantium oculos perſtringeret: quod dudum Imperatorum cautiſſimus Annibal aduerſus Romanos obſeruarat. Cauſam cladis regis ignauiæ tribuit, Polybius apud Plutarc. in Æmylio. Commiſſo, inquit ille, prælio in oppidum Pydnam magna ſe ignauia ſubduxit, per ſpeciem ſacrificij Herculi faciendi, qui trepida, à trepidis ſacra non recipit, neque indigna vota. Neque enim fas eſt, vt qui non iaculatur deſtinatum feriat ſcopum; aut qui locum non tenuit palmam ferat; præſertim cum Paulus Æmyl. aciem celſo & læto ore ſine galea & lorica obequitaret, & victoriam peteret haſtam tenens, pugnanſque opem imploraret Dei.

Ignauia Perſei Æmyly fortitudo.

XXVI. *Perſei fuga, & ſuorum derelictio.*

Persevs ad Pieriam ſyluam via militari, frequenti agmine militum, & regio comitatu fugit, multis ſuorum vel caſu in ſylua per noctem, vel de induſtria derelictis, Pellam ſub mediam noctem, terrore & variis difficultatibus viæ vexatus, per-

uenir. Liuius enim ſignificat Regem de induſtria deflexiſſe de via, & à ſuis ſe ſubduxiſſe. Cuius rei cauſam probabilem affert Plutar. in Æmylio. Ait enim pedites qui pugnæ ſuperfuerant, equites aſſecutos, eoſque tanquam imbelles, & proditores inſectantes, ex equis deturbaſſe, & vulneribus affeciſſe; tum Perſeum metu tumultus de via deflexiſſe, & ne noſceretur detractam chlamydem præ ſe poſuiſſe, & manibus diadema tenuiſſe. Addit etiam pleroſque dilapſos, quod non tam hoſtes quam illius ſæuitiam formidarent, quippe qui miſeriis perculſus, cauſam cladis à ſe auertere cupiebat in ſuos.

Poſtquam Pellam nocte ingreſſus eſt Euctum & Eudæum ærario præfectos, qui ei præſto fuerunt, intempeſtiua libertate admonentes pugione confodit, quo facto omnes prope amicos à ſe abegit. Ita Plut. Nam Liuius illam Eucti mortem ſilet. Itaq; nihil mirum ſi ibi accerſiti amici ad eum non venirent: ideoq; veritus ne ab iis dederetur hoſti, quarta vigilia noctis Amphipolim verſus, cum quingentis fere Cretenſibus profugit. Properans ante lucem Axium amnem traiicere, ratus eum fore perſequendi finem Romanis, propter tranſitus difficultatem.

XXVII. *Amphipolim adit, & quæ ibi geſſerit.* Amphipolim cum iam aduerſæ pugnæ fama perueniſſet, concurſuſque matronarum in Dianæ templum fieret, veritus Præfectus ne Thraces, quorum duo millia in præſidio erant, vrbem in tumultu diriperent, eos per fraudem in Emathiam miſit. Perſeus tertio die quam pugnatum fuerat Amphipolim venit. Inde oratores cum caduceo ad Paulum miſit. Ipſe ad concionem coacto populo, cum filio Philippo ad ciues confirmandos venit, ſed animi dolore ac lachrymis impeditus, cum profari non poſſet, & Euander, cui eam Rex committebat curam, præ lachrymis etiam ipſe loqui non poſſet, multitudo qui ad Regis lachrymas miſericordia mouebatur, Euandri fletus aſpernata, Abite, inquit, hinc, ne pauci qui ſuperſumus propter vos pereamus. Hæc ferocia vocem Euandro clauſit. *Samothraciam fugitiuus petit.* Rex in domum ſe recepit, pecuniaque, & auro argentoque in lembos, qui in Strymone ſtabant delatis, & ipſe ad flumen deſcendit, indéque in Samothraciam cum duobus talentum millibus peruenit.

XXVIII. *Æmylius Macedoniã deditione accipit.* Interea Conſul recepto filio, quem amiſſum timuerat, eóque victoriæ nunciandæ gratia, Romam miſſo, pleraſque omnes Macedoniæ ciuitates, deditione primariorum amicorum Perſei, intra biduum recepit, vt Plut. etiam confirmat; & præſides ad eas miſit, ne qua deditis iniuria fieret. Retentiſque apud ſe caduceatoribus Regis, P. Naſicam, ignarus fugæ regis, Amphipolim cum modica equitum peditúmque manu dimiſit, vt ad omnes regis conatus impedimento eſſet. Ipſe Pellam Macedoniæ regiam vrbem munitiſſimam, & temere à Rege derelictam venit, vbi trecenta duntaxat talenta reperit, quæ ad Gentium deſtinata, deinde retenta fuerant. Ibi dum ſtatiua habuit, multis vndique ex locis legati, maxime ex Theſſalia gratulatum venerunt, & accepto nuncio Perſea Samothraciam traieciſſe, profectus à Pella Conſul quartis caſtris Amphipolim peruenit; effuſa ei obuiam turba omnis ſignum dedit, non admodum bono ac iuſto regi ſeſe hactenus paruiſſe.

XXIX. *Victoria Romæ nũciatur.* Victoriæ nuncij Q. Fabius, qui poſtea minor Africanus, L. Lentulus, & Q. Metellus, cum ſumma feſtinatione Romam veniſſent, præcerptam tamen eius rei lætitiam inuenerunt. Nam quarto poſt die quam cum Rege pugnatum eſt, cum in circo ludi fierent, murmur repente populi tota ſpectacula peruaſit, pugnatum in Macedonia, & deuictum regem eſſe; nec quærentibus magiſtratibus autorem repentinæ lætitiæ, quiſquam apparuit. Omen tamen animis inſedit, quod poſtquam veris nunciis firmatum eſt, cum victoria ipſa, tum augurio animorum ſuorum lætabantur. Credibilius tamen videtur Liuio nuncium à legatis cum literis laureatis miſſum ad Conſulem, eò 13. die à pugna perueniſſe, & literas à Conſule, populo in circo ſpectante oſtenſas eſſe, legatos autem ipſos ſexto poſt die euulgatam rem nunciaſſe. Eadem ferme habet Plut. & alias congerit victorias, quarum fama mira celeritate innotuit. Senatus in quinque dies ad omnia puluinaria ſupplicationes decreuit, ob rem egregie ab Æmylio geſtam, militeſque, qui in omnem euentum parati erant, ad ſuppetias Æmylio ferendas dimitti iuſſit. Liuij li. 45.

XXX. *Rhodij rejecti.* Tradidere quidam ait Liuius, in iis autem eſt Polyb. in legat. [a] à quo totus n. 88.

Svprema Perſei clades.

hic locus deſumptus eſt, legatos Rhodios nondum dimiſſos, poſt nunciatam victoriam in Senatum vocatos eſſe, velut ad ludibrium ſtolidæ ſuperbiæ; qui cum admiſſi gratularentur victoriam, à patribus cum exprobratione vanitatis, & animi Perſeo conſentientis, reiecti ſunt.

Perſei ad Æmylium literæ.

At Æmylius acceptis, per tres ignobiles legatos, à Perſæo rege literis, ſorti humanæ illacrymaſſe dicitur, quod Regem videret paulo ante potentiſſimum, nunc amiſſo exercitu, regno extorrem, in paruam inſulam compulſum, ſupplicem, non ſuis viribus, ſed fani religione tutum. Sed poſtquam in inſcriptione legit. *Rex Perſeus Conſuli Paulo S.* miſerationem omnem ſtultitia ignorantis fortunam ſuam exemit. Itaque quamquam in reliqua parte literarum minime regiæ preces erant, tamen ſine reſponſo, ac ſine literis, ea legatio dimiſſa eſt. Senſit Perſeus cuius nominis obliuiſcendum victo eſſet. Itaque alteræ literæ cum priuati nominis titulo miſſæ, & petiere, & impetrauere, vt aliqui ad eum mitterentur, cum quibus loqui de ſtatu fortunæ ſuæ, & conditione poſſet. Miſſi ſunt tres legati, ſed nihil ea legatione perfectum eſt, Perſeo regium nomen omni vi amplectente, Paulo è contrario contendente, vt ſe ſuaque omnia, in fidem & clementiam populi Ro. permitteret.

Reiecta primum.

Æmylius deditionem ab eo poſtulat.

XXXI. *Romana claſſis Regem & Samothraciam petit.*

Dvm hæc aguntur, claſſis Cn. Octauij Prætoris Samothraciam eſt appulſa, vbi rex iterum tum ſpe, tum minis ad deditionem inuitatur; ad quam caſus quidam etiam compulit. E claſſe in inſulam appulſus L. Attilius illuſtris adoleſcens, conceſſu magiſtratus, queſtus eſt inſulæ ſanctitatem violari Euandri homicidæ præſentia, qui Eumenem Regem ad Delum proditione mactare voluiſſet. Magiſtratus qui ſe totamque inſulam in manu Romanorum eſſe videret, ſpondet ſe iudicio rem confecturum, & Regem adiit, & Euandrum iudicio permitti poſtulauit. Id cum rex improbaret, quod videret patefactum crimen in ſe deuolutum iri, Euandrum vltimum amicorum interfici curauit, & mox eum manus ſibi intuliſſe vulgauit. Quo facto omnium qui ſecum erant alienauit animos, omnes pro ſe quiſque ad Romanos confugere. Ipſe cum prope ſolus eſſet, fugæ conſilium cepit.

Euander petitur.

Quem rex interficit.

XXXII. *Fuga conſilium fruſtra capit.*

Nam Oroandem quendam Cretenſem, cui nota Thraciæ ora erat, appellat, vt ſe ſublatum in lembum ad Cotyn deueheret. Is lembus in promontorio quodam inſulæ erat: in eũ ſub occaſum ſolis deferuntur quæ ad vſum neceſſaria erant, & pecunia quanta clam deferri poterat. Rex ipſe nocte media, cum tribus conſciis fugæ, per poſticum ædium in propinquum cubiculo hortum, atque inde maceriam ægre tranſgreſſus, ad mare peruenit. Plut. ait Perſeum ex anguſta feneſtra per murum ſe pueroſque, & coniugem demiſiſſe. At Oroandes iam tum cum pecunia deferretur, primis tenebris ſoluerat nauem, ac per altum Cretam cum regia pecunia petebat, & defraudatum regem Illyriorum Gentium inſcius vlciſcebatur. Poſtquam nauis in portu inuenta non eſt, vagatus Perſeus aliquandiu in littore, poſtremo timens lucem iam appropinquantem, in hoſpitium redire non auſus, in latere templi prope angulum obſcurum delituit.

Eius pecunia ipſo deſerto auferuntur.

XXXIII. *Eius familia deditionem facit.*

Pveri regis honorarij, principum liberi, vbi iuſſu Prætoris Octauij pronunciatum eſt per præconem, regios pueros, Macedonaſque alios, qui Samothraciæ erant, ſi tranſirent ad Romanos, incolumitatem, & libertatem, & ſua omnia ſeruaturos, quæ aut ſecum haberent, aut in Macedonia reliquiſſent, illico ad eam vocem tranſitio omnium facta eſt. Liberos quoque paruos regios Ion Theſſalonicenſis Octauio tradidit, nec quiſquam, præter Philippum maximum natu, è filiis cum Rege relictus eſt; qui denique ſeſe, filiumque Octauio tradidit: fortunam, deoſque, quorum in templo erat, miſer accuſans, quod nulla ope ſupplicem adiuuiſſent: qui iuſtiſſimam potius vindictam immanium ſcelerum, ab vltore numine inflictam agnoſcere debuiſſet. Plutarch. ait eum ſe Naſicæ, cui maximam fidem habebat, dedere voluiſſe, ſed cum is non adeſſet, queſtum fortunam ſuam, ſe Octauio permiſiſſe.

Et rex ipſe cum primogenito.

XXXIV. *Claſſe Amphipolim deuehitur.*

In prætoriam nauem imponi iuſſus, eodem & pecunia, quæ ſuperfuit, delata eſt, extemplóque claſſis Amphipolim repetit. Inde Octauius Regem in caſtra ad Conſulem miſit, præmiſſis literis, vt in poteſtate eum eſſe, & adduci ad ipſum ſciret. Paulus ratus alteram hanc eſſe victoriam, victimas cecidit eo nuncio, & concilio aduocato literas Prætoris cum recitaſſet, Q. Tuberonem obuiam Regi honoris, vt videtur, cauſa miſit, cæteros in Prætorio frequentes manere

iuſſit, & vltro omnes ad tam inſolitum ſpectaculum confluebant. Pullo amictus pallio Perſeus ingreſſus eſt caſtra, nullo ſuorum comite, qui ſocius calamitatis miſerabiliorem eum faceret, lictore ſummouente turbam, ægre ad Prætorium peruenit. Conſurrexit Conſul, & iuſſis ſedere aliis, progreſſuſque paulum introëunti regi dextram porrexit, ſummittentemque ſe ad pedes, ſuſtulit, nec attingere genua paſſus, introductum in tabernaculum aduerſus aduocatos in Concilium, conſidere iuſſit.

XXXV. *Vt ab eo fuerit acceptus.* Ibi cum nec interrogatus, nec accuſatus reſponderet, ſed tacitus terram intuens fleret, Conſul bonum animum habere iuſſit, multorum quippe Regum, & populorum caſibus cognitam populi Ro. clementiam, non modo ei ſpem, ſed prope certam ſalutis fiduciam præbere. Deinde monitis Latine ſuis, vt in hoc exemplum mutationis rerum humanarum intuerentur, ne proſperis vnquam rebus inſoleſcerent, concilium dimiſit. Plutarchus importunam hic ſeueritatem Æmylij aduerſus humilitatem, & lachrymas Perſei refert, ſed parum probabiliter. Pari ratione Appianus, vt ſupra attigi, Gentij humilitatem animi erga Prętorem Anitium, ſummam turpitudinem vocauit. Ita erat animus iſtorum excæcatus ſuperbia, vt demiſſionis animi pulchritudinem videre non poſſent. Quamquam, ſi verum fateri volumus, abiectus erat, atque infractus iſtorum animus in aduerſis, non ſponte, ex vera ſui cognitione, humilis. Tuendi Regis curam Q. Ælio mandauit. Eo die & inuitatus ad Conſulem Perſeus, & alius ei omnis honos habitus eſt, qui haberi in tali fortuna poterat. Exercitus deinde in hyberna dimiſſus eſt, maximam partem copiarum Amphipolis, reliquas propinquæ vrbes acceperunt.

XXXVI. *Finis regni Macedonici.* Hic finis belli Perſici, ſiue Macedonici, cum quadriennium continuum bellatum eſſet; idemque finis inclyti regni Macedonici. Viceſimum ab Carano, qui primus regnauit, Perſea numerabant, ait Liuius; qui tamen apud Euſebium eſt vndequadrageſimus, & ab Alexandro Magno decimus ſextus. Pergit. Perſeus Q. Fuluio & L. Manlio Coſs. regnum accepit; à Senatu Rex eſt appellatus M. Iunio & A. Manlio Coſs. regnauit vndecim annos. Ita Liuius, Euſebius decem tantum habet. Verum cum Q. Fuluius & Lucius Manlius conſulatum geſſerint anno V.C. 574. & præſens ſit 585. neceſſe eſt primum annum quaſi imperfectum à Liuio non numerari, & Philippi annis attribui.

XXXVII. *Duratio eiuſdem.* De duratione autem regni Macedonici ab Alexandro Magno ita ſcribit. Tum maximum fuit in terris Macedonum regnum, nomenque. Inde morte Alexandri diſtractum in multa regna, dum ad ſe quiſque opes rapiunt, lacerantes viribus, à ſummo culmine fortunæ, ad vltimum finem centum quinquaginta annos ſtetit. Recte hic Liuius, ferme, addidiſſet. Nam cum omnium confeſſione conſtet Alexandrum Magnum anno 1. Olymp. 114. defunctum, inde vſque ad præſentem annum primum 153. triginta nouem Olympiades ſolidæ numerantur, quæ conficiunt 156. annos: quem eundem annorum numerum reperies ab anno V. C. 429. ad 585. Non multum aberrat Iuſtinus l. 33. ſub fi. dum ait Macedoniam 192. annis rerum potitam. Nam cum Macedonum gloria à Philippo Amyntæ filio, patre Alexandri Magni cœperit, vt teſtatur hoc loco Liuius, & Iuſtinus ipſe l. 7. certe ſi prædictæ ſummæ annos Alexandri 12. & Philippi 25. adieceris, tres tantum ſupra 190. reperies. Quorum nos tantum rationem in hiſce Annalibus habuimus. Vide quæ anno primo Philippi Amyntæ filij diximus, anno primo Olympiadis centeſimæ quintæ.

156
12
25
193

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3886.

1. N. xx. Quoniam enim, tum Conſules magiſtratus inibant Idibus Martiis, ideo pontifices, quorum erat intercalatio, vt docet Cenſorinus de die natali c. 20. dabant operam, vt eæ non multo poſt ſolſtitium hybernum inciderent. Itaque idus Martij in tertium Ianuarij Iuliani incidiſſe arbitrantur: quantum autem diſtat tertius Ianuarij a 15. Martij, tantum eſt interuallum ab ſolſtitio æſtiuo vſq; ad 3. Septembris. Neque hoc abſurdum videri debet. Nam Cenſorinus idem loco citait Romanis à principio menſes fuiſſe Lunares, & conſequenter annum 354. [illegible]um, quem tamen 355. vel errore, vel ſuperſtitione faciebant. Vt autem curſui ſolis æquarentur, & ciuilis annus naturali reſponderet, ſtatutum fuiſſe vt intercalarius menſis 22. vel 23. dierum alternis annis insereretur in menſe Februario, inter Terminalia & Regifugium. Idq; diu factum, inquit, priuſquam ſentiretur annos ciuiles aliquanto naturalibus eſſe maiores, imo ſatis multo maiores. Nam ſinguli anni erant 355. dierum, & cum intercalabantur 23. dies fiebant 366. cum dimidio, cum debeant æſtimari 365. cum quadrante. Itaque intra centum annos redundabant dies omnino centum. Dimidia quippe annorũ pars redundabat tribus diei quadrantibus, altera dimidia quinque: priores quinquaginta ſuperfluunt 37. diebus cũ dimidio, poſteriores 62. cum $\frac{1}{2}$. ſed pergit Cenſorinus. quod delictum vt corrigeretur, pontificibus datum eſt negotium, eorumq; arbitrio intercalandi ratio permiſſa. Sed horum plerique, ob odium vel gratiam, quo quis magiſtratu citius abiret, diutiuſve fungeretur; aut publici redemptor ex anni magnitudine in lucro damnóue eſſet, plus minuſve ex libidine intercalando rem ſibi ad corrigendum mandatam, vltro deprauarũt: adeoque aberratum eſt, vt C. Cæſar Pontifex max. ſuo tertio & M. Æmylij Lepidi conſulatu, quo retro delictum corrigeret duos menſes intercalarios dierum 67. in menſem Nouembrem & Decembrem interponeret, cum iam menſe Februario dies tres & viginti intercalaſſet, faceretque eum annum dierum 445. ſimul prouidens in futurum ne iterum erraretur &c. Hæc Cenſorinus, ex quibus intelligas ſolſtitium hoc Æmylij conſulatu in Septembrem incidere potuiſſe, fere 72. dierum errore.

ANNVS MVNDI 3887. SEXTAE AETATIS, 371. IMPERII GRÆCORVM 145. ANTIOCHI EPIPH. 9. MENELAI PSEVDOPONTIFICIS 6. PTOLEMÆI PHILOMETORIS 13. OLYMPIADIS CLIII. AN. 1. VRBIS CONDITÆ 586. COSS. Q. ÆLIO PAETO, ET M. IVNIO PENNO.

ANNVS ANTE CHRISTVM 166.

NON exiguum hoc anno Iudæorum mala, Antiochi quoque & ſatellitum eius ſæua crudelitas incrementa ceperunt. Temporis I. Ratio temporis.
l.12.c.7. rationem confirmat Ioſephus. *Ea clades*, inquit, *accidit anno ſecundo*, poſt vrbem captam addit interpres, *regni eius familiæ centeſimo quadrageſimo quinto, vigeſima quinta eius menſis, qui Caſleu noſtris dicitur, Macedonibus Apellæus, Olympiade centeſima quinquageſima tertia.* Quam vtramque notam præfert index anni huius. Illud tamen minime laudandum eſt hoc loco in Ioſepho, quod cum geminam epocham regni Græcorum proferat, confundit tamen in vnam quæ geſta ſunt in vtraque. (in rer. græ. l.1.c.1 v.30. l.2.c.5.v.24) (Ioſephus id confundit.) Et de poſteriore ait regem aſcendiſſe Hieroſolymam, quod priori conuenit. Poſt duos enim annos ille non venit, ſed, vt ait Scriptura, miſit principem tributorum, quem alio loco vocat Apollonium: neque hoc tempore graſſatum eſt in templi diuitias, ac ſacram ſupellectilem, ſed in priore. Ac ne illud quidem laudauerim, quod decimum quintum diem menſis Caſleu, mutauit in vigeſimum quintum, ſi immunis eſt à mendo

locus. Et cum Scriptura id tempus notauerit ædificati idoli ſuper altare Dei, id ipſe ad initium cladis retulit, & ſimulachrum altari impoſitum turpi ſilentio, ac metu dominorum ſuorum diſſimulauit.

II. *Incrementa malorũ huius anni.*

MALORVM autem huius temporis incrementa contra Iudæos facile agnoſci poſſunt. Habet enim iſte annus quadrageſimus quintus ſupra cẽteſimum, non ſecus ac 43. cædes numeroſas, expilationes, fugas: ſed habet inſuper domorum incẽdia, murorum euerſionẽ, & arcis ad tyrãnidis vſum reſtaurationem: habet diuinam legem imperio regis antiquatam atq; conſciſſam, templum etiam horribilius profanatũ, & abominationem deſolationis conſtitutam in loco ſancto, barbaras & inauditas in Moſaicæ legis obſeruatores crudelitates. Deniq; quidquid immanitatis à ſæuiſſimo tyranno timeri, aut animo fingi poteſt. In quibus explicandis plurimum ipſis Scripturæ verbis vtemur, & temporis ordinem ſequemur, quod a principio ſcriptura notat, cum ait hæc quæ ſignificauimus, poſt duos annos dierum contigiſſe, id l.1.c.1.v 30.
eſt plenos atque integros, omnibuſque diebus ſuis conſtantes, ſicut menſis dierum Nu.11.v.20
totos triginta dies ſignificat: duos autem annos dicit, à priore clade numerandos, cum ipſemet Hieroſolymam, & templum infeſtus, ac populabundus intrauit.

III. *Antiochus per Apolloniũ cædibus in Iudæos ſæuit.*

POST *duos* ergo *annos dierum, miſit Rex prin*[illegible]*m tributorum in ciuitates Iuda, & venit Ieruſalem cum turba magna*, Princeps hic in poſteriore libro vocatur Apollonius, diciturque veniſſe cum exercitu duorum & viginti millium, iuſſus ab Antio- 1 1.c.5.24.
cho, *Omnes perfectæ ætatis interficere, mulieres ac iuuenes vendere.* Apparet principem, aut facinore aliquo violatum, aut calumnia cuiuſpiam recens fuiſſe irritatum: alioqui pluſquam ferina eſſet iſta barbaries. *Qui cum veniſſet Hieroſolymam pacem ſimulans, locutus eſt verba pacifica in dolo, & crediderunt ei, & quieuit vſque ad diem ſanctum ſabbati, & tunc feriatis Iudæis, arma capere ſuis præcepit. Omneſque qui ad ſpectaculum proceſſerant trucidauit.* Quod eſſet iſtud ſpectaculum, non explicatur. Intelligere autem poſſumus theatrales ludos ſcenicos, aut athletarum exercitationes, de quibus ſu- l.1.c.4.24.
pra, vel certamina gladiatorum, quæ in ſpectatores inermes repente conuerſa ſunt. *Nec ea crudelitate contentus, ciuitatem cum armatis diſcurrens ingẽtem multitudinẽ peremit.*

IV. *Rapinis, incendiis, euerſionibus, captiuitate.*

RELIQVA pertexuntur. l.1. *Et accepit ſpolia ciuitatis, & ſuccendit eam igni, & deſtruxit* c.1 33.
domos eius, & muros eius in circuitu. Et captiuas duxerunt mulieres & natos, & pecora poſſederunt. Aliqui etiam prædam non abduxerunt longius, vrbem deſolatam ac deuaſtatam derelinquentes, ſed in arcem, quam reſtaurarunt, vt ibi collocato præſidio, per vrbem & vicina loca, cum liberet populabundi excurrerent. Sequitur enim. *Et ædificauerunt ciuitatem David, muro magno & firmo, & turribus firmis, & facta eſt illis in arcem; & poſuerunt illic gentem peccatricem, viros iniquos, & conualuerunt in ea, & poſuerunt arma & eſcas, & congregauerunt ſpolia Ieruſalem, & repoſuerunt illic, & facti ſunt in laqueum magnum.* Vt inde videlicet captarent occaſionem Iudæos, tanquam laqueo feras cõprehendendi, ſi qui templũ adirent ad deplorandas calamitates ſuas, quod explicãs ſubdit, *& factum eſt hoc ad inſidias ſanctificationi, & in diabolum magnum in Iſrael,* id eſt calũniatorem, ſiue hoſtem perpetuo intentũ, & excubantem ad nocendũ.

V. *Ex arce occupata vexantur.*

Fugitiui ex vrbe.

EFFVDERVNT quippe *ſanguinem innocentem per circuitum ſanctificationis, & contaminauerunt ſanctificationem, & fugerunt habitatores Ieruſalem propter eos, & facta eſt habitatio exterorum, & facta eſt extera ſemini ſuo, & nati eius reliquerunt eam.* Et paulo poſt. *Et effugauerunt populum Iſrael in abditis, & in abſconditis fugitiuorum locis.* In fugitiuis iſtis numeratur initio capitis ſecundi Mathathias cum ſuis, & in ſecundo libro nominatim, vt clariſſimus omnium, Iudas Machabæus cum ſociis. *Iudas autem Machabæus, qui decimus fuerat, ſeceſſerat in deſertum locum, ibique inter feras vitam in montibus cum ſuis agebat, & fœni cibo veſcentes demorabantur, ne participes eſſent coinquinationis.* Quomodo hic dicatur Machabæus decimus, negat ſe inuenire Vide an m.
Rabanus; itaque ad pontifices recurrit, vt Iudam decimum pontificem numeret 3765.n.2.
à Seleuco; Lyranus autem & Dionyſius ab Alexandro Magno, vnde putant ini- vbi de pontif.
tium regni Græcorum peti, nec diſplicet ea ſententia Eman. Sà, neque Serario. At profecto mirum eſt hic decimum pontificem intelligi, cum nulla ſit mentio pontificum hoc loco: nec oſtendi certo poteſt vnde capiendum ſit catalogi principium, & vt à regno Græcorum capiatur, decimus eſſe non poteſt, niſi omiſſis pſeudopontificibus, & inſerto Mathathia. Rectius itaque arbitror, ac ſimplicius dici, Iudam abiiſſe decimum, id eſt cum nouem ſociis, quibuſcum & verſatum in montibus

dixit, & herbis ac radicibus vitam toleraſſe. Quam expoſitionem Serar. non improbat, & puto veriſſimam. Verum hæc per occupationem dicta ſunt. Nam fuga Mathathiæ, & fratrum, & filiorum eius contigit poſt promulgatum regis edictum, de antiquandis ritibus Iudæorum.[a]

a vt patet ex c. 2. l. 1. v. 25. 28.
b l. 12. c. 7.

VI. *Corrigitur Ioſephus.*

Cæterum antequam vltra progrediamur, corrigendus eſt hoc loco ex Scriptura Ioſephus,[b] qui ab ea circa locum arcis temere diſſentit, ait enim. *Incendit etiam ædificiorum eius quidquid erat pulcherrimum, & demolitus mœnia, in inferiore vrbe arcem condidit, erat enim editiore loco ſita, ipſi templo imminens.* Sic ille. At quomodo in inferiore vrbe, ſi in ciuitate Dauid, quæ omnium conſenſu erat in Sion altiſſima parte totius ciuitatis. Nec dici poteſt eum illa verba, *in inferiore vrbe*, retuliſſe ad mœnia; quaſi dicat Antiochum demolitum eſſe mœnia inferioris ciuitatis, arcem autem, quæ erat in editiore loco, templo imminentem condidiſſe. Id enim textus Græcus ferre non poteſt. De præſidio autem pergit. *Quapropter bene prius firmatæ mœnibus ac turribus, Macedonicum præſidium,* Syriacum potius aut Aſiaticum, *impoſuit*: illud autem probabilius, *admixti tamen erant ex impiis Iudæis ſceleratiſſimi, à quibus plurimum vexata fuit ciuitas.*

Vbi legitur τὴν ἐν τῇ κάτω πόλει ᾠκοδόμησεν ἄκραν.

VII. *Antiochus mandat Iudæis defectionẽ à fide.*

Cvmqve iam in deſolata ciuitate omnia poſſent Antiochi miniſtri, omnibus qui reſiſtere poſſent occiſis aut fugatis, & haberent validum in arce præſidium ad vim omnem repellendam, ſola ſupererat tenuis & imbellis turba, (eademque tot cædibus vehementer imminuta) quæ omnem in partem metu compellitur, & profanorum Iudæorum cum rege conſentientium turba non modica. Sub id tempus, *Miſit Rex ſenem quendam Antiochenum, qui compelleret Iudæos, vt ſe transferrent à patriis, & Dei legibus.* Paulo aliter legitur in Græcis. Vocatur enim hic ſenex Athenienſis, diciturque habuiſſe in mandatis compellere Iudæos, vt transferrent ſe à patriis legibus, neque Dei legibus gubernarentur; forte Athenæus erat ei proprium nomen, patria vero Antiochia. Is venit ad exequenda Regis mandata, de antiquanda Iudæorum lege.[c]

c l. 1. c. 1. v. 43.

VIII. *Decretum regis.*

Et *ſcripſit Rex Antiochus omni regno ſuo, vt eſſet omnis populus vnus,* quod ad diuinum cultum attinet, *& relinqueret vnuſquiſque legem ſuam.* Voluit hanc legem generalem eſſe, vt Iudæi, quos ſciebat rituum ſuorum retinentiſſimos, facilius communi omnium exemplo, mandatis regiis obtemperarent. Nec id à cæteris nationibus ægre impetratum eſt: nemo enim tanti idolorum ſuorum cultum faciebat, vt non facile eum, ad gratiam Antiochi regis demerendam, commutaret; præſertim cum ea iuſſio capitali pœna ſanciretur. Itaque *conſenſerunt omnes gentes ſecundum verbum regis Antiochi. Et multi ex Iſrael conſenſerunt ſeruituti eius,* id eſt religioſo cultui, qui ad Deum refertur, vnde ſequitur explicandi cauſa, *& ſacrificauerunt idolis, & coinquinauerunt ſabbatum*, profana & illicita agendo die ſeptimo, perinde ac reliqui. Illi autem multi intelliguntur, præter eos, qui à principio regni Antiochi, Iaſone authore, à Iudæorum ritibus ad Græcos defecerant. Vnde paulo poſt.[d] *Et congregati ſunt multi de populo ad eos, qui dereliquerant legem Domini,* prius videlicet, ac ſponte ſua, & reliquis præiuerant ad ruinam.

c τῇ λατρείᾳ αὐτοῦ.

Cui multi Iudæorum obſequũtur.

d v. 55.

IX. *Edicto vetantur ſacrificia.*

Et *miſit Rex libros*, id eſt diplomata regia, decreta, edicta, libellos frequentius, quam libros vocamus, quo modo vertit Tigurina, & alij quidem, qua forma libelli ſupplices dicuntur. Miſit autem *per manus nunciorum in Hieruſalem, & in omnes ciuitates Iuda, vt ſequerentur leges Gentium terræ, & prohiberent holocauſta, & ſacrificia, & placationes fieri in templo Dei.* Hæc ſunt tria genera ſacrificiorum, quibus ſublatis omnia tollebantur.[e] Præcepit inſuper ne dies feſti, aut loca ſancta, aut perſonæ Deo ſacræ commonefacerent populum diuini cultus. *Miſit qui prohiberent celebrari ſabbatum, & dies ſolennes, & iuſſit coinquinari ſancta, & ſanctum populum Iſrael.* Quibus autem rebus fieret hoc inquinatio & profanatio declarat. *Et iuſſit ædificari aras, & templa*, ſiue delubra, τεμένη, quæ explicandi cauſa vocat εἴδωλα, poſſunt tamen τεμένη, explicari luci, ſunt enim agri partes dicatæ diuis, & Idolia delubra. In vulgata legimus Idola; reſpicit autem ad idolum, quod in templo Dei collocatum eſt, de quo poſtea, *& idola*, ſiue ſimulachra excitari iuſſit, *& immolari carnes ſuillas, & pecora communia*, id eſt immunda, ſic Petrus in viſu.[f] *Abſit Domine, quia nunquam manducaui omne commune & immundum.*

1. Mach c. 1 v. 46. εἴδωλα.

Tolluntur dies feſti.

e Leu. 1. 2. 3.

Ædificãtur delubra, &c. Tollitur ciborum delectus.

f Act. 10. 14

X. *Prohibetur circumciſio.*

ET *relinquere filios ſuos incircumciſos, & coinquinari animas eorum in omnibus immunditiis, & abominationibus*, ciborum ſcilicet lege prohibitorum, vnde ſequitur, *ita vt obliuiſcerentur legem, & immutarent omnes iuſtificationes Dei. Et quicumque non feciſſent ſecundum verbum regis Antiochi, morerentur. Secundum omnia verba hæc ſcripſit omni regno ſuo, & præpoſuit principes populo, qui hæc fieri cogerent.* In Græco eſt ἐπισκόπους, quaſi dicas inſpectores, præfectos, primarios in Republica viros, & optimates, Liuius principes paſſim appellat. Talis fuit ille ſenex Antiochenus, quem iuſſit, *etiam contaminare, quod Hieroſolymis erat templum, & cognominare Iouis Olympij, & in Garizim, prout erant ij, qui locum inhabitabant, Iouis hoſpitalis*, ſiue prout conueniebat moribus & inſtitutis Samaritanornm in eo loco, vbi hoſpitii iura exercebant.

Morte propoſita. — 1.1.c.6.

XI. *Templum Iouis conſecratur.*

QVOD ad præpoſteram hanc Templi Hieroſolymitani dedicationem attinet, aut execrabilem potius profanationem, eius tempus notatur exacte. *Die quintadecima menſis Caſleu*, is erat anni ſacri nonus, *quinto & quadrageſimo & centeſimo anno, ædificauit Antiochus abominandum idolum deſolationis ſuper altare Dei*, intelligit magnum illud altare æneum, in quo ſacrificabatur, vocatur enim ſimpliciter altare, ſine adiectione thymiamatis: adde quod altare aureum, quod erat thymiamatis, ab Antiocho ſublatum biennio ante fuerat. Vox autem ædificandi ſignificat non ſolum ſtatuam erectam fuiſſe, ſed alia pleraque circumpoſita ad eam ſtabiliēdam, vel altius erigendam. Et quia altare ipſum latum ſatis erat, potuit verſus oram vnā collocari ſtatua, & reliquo ſpatio imponi ara, in qua ſacrificaretur idolo. Nam vbi legimus, *ſacrificabant ſupra aram, quæ erat contra altare*, alii vertunt, ſupra altare vel in altari, Tigurina, ſuper aram altari impoſitam. Et vt latius nefaria Idololatria propagaretur, *per vniuerſas ciuitates Iuda in circuitu ædificauerunt aras, & ante ianuas domorum, & in plateis incendebant thura, & ſacrificabant.*

c.1.v.57. — θυμιατήριον. — ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον.

XII. *Libri ſacri exuruntur.*

ET *libros legis Dei combuſſerunt igni, ſcindentes eos. Et apud quemcumque inueniebantur libri teſtamenti Domini, & quicumque obſeruabat legem Domini, ſecundum edictum regis, trucidabant eum. Abolebatur etiam*, inquit Ioſephus, *vbicumque repertum eſſet ſacrum volumen aliquod, & ipſi apud quos inuentum eſſet* (tanquam) *mali male peribant.* l.12.c.7.

Prophetia Danielis.

Hanc calamitatem prænunciabat Daniel, cum de cornu modico agens, id eſt, Antiocho contra ipſum Deum inſurgente, hæc ait. *Et vſque ad principem fortitudinis magnificatum eſt, contra principem principum conſurget: & ab eo tulit iuge ſacrificium, & deiecit locum ſanctificationis eius. Robur autem datum eſt ei contra iuge ſacrificium, propter peccata, & proſternetur veritas in terra, & faciet, & proſperabitur.* c.8.11. v.25.

Cum inædificaſſet altare erecto deſuper Idolo Iouis Olympii, non licuit deinceps ibi ſacrificare. Porro veritatem opponit vanitati, quo nomine ſæpiſſime idolum in ſacris literis appellatur: quoniam ergo ſuper altare, in quo vero Deo ante ſacrificabatur, erectum eſt idolum, etiam veritas proſtrata dicitur.

XIII. *Alia prophetia eiuſdem.*

AD eandem calamitatem pertinent illa prophetæ eiuſdem. *Et brachia ex eo ſtabunt, & polluent ſanctuarium fortitudinis, & auferent iuge ſacrificium, & dabunt abominationem in deſolationem.* Brachia vocat duces ac præfectos Antiochi, qui arcem Sion firmo ac valido præſidio tenebant, in quibus præcipue Apollonius, qui ſingulari odio Iudæos proſequebatur, & ſenex Antiochenus, & Ptolemæus, & Philippus. Hi deſolatis Iudæis tot malorum perpeſſione, inſuper & abominabile idolum erigent ſuper altare Dei. Prædixerat autem, ait Ioſephus, eam deſolationem propheta Daniel, ante annos 408. diſerte dicens à Macedonibus profanandum. Non meminit Macedonum Daniel, nec Antiochus erat Macedo, nec quiſquam ducum eius Macedo appellatur, ſed Macedonas vocat origine, à quibus fundatum fuerat Græcorum imperium. In annis autem fallitur. Centum enim & duas integras Olympiades ponit, cum ab anno tertio Balthazaris, quo hæc prænunciata conſtat ex ipſo Daniele, qui cadit in Olympiadis quinquageſimæ quintæ annum quartum, vſque ad præſentem, non niſi 98. Olympiades, & tres anni reperiantur, qui efficiunt 395. annos computatis extremis. Tredecim ergo annis hallucinatur.

c.11.v.31. — 1 1.c.5.14. c.6.1. v.8. v.11. l.12.c.11. — *Ex Ioſepho.* — *Ratio temporis.*

XIV. *Templum Samaritanorum.*

IAM quod ad templum Samaritanorum attinet, ſcribit Ioſephus Samaritas,

videntes in tali calamitate conſtitutos Iudæos, negaſſe ſe eorum cognatos, & templum ſuum eſſe Dei Maximi, profeſſos autem ſe ex Perſis Mediſque oriundos iuxta ea quæ ſcripta ſunt in libris ſacris.[a] Miſiſſe autem legationem ad Antiochum cum epiſtola ſcripta in hunc modum. *Regi Antiocho Deo illuſtri, ſuggeſtio à Sidoniis in Sicimis habitantibus.* Hinc autem apparet è Phœnicia profectos Sidonios, apud Samaritas habitaſſe, ibique magiſtratum geſſiſſe, cùm eorum nomine ſcribatur epiſtola. Impudens adulatio iam exemplum habuit in patre Callinici, qui Dei cognomen non repudiauit. Populus tamen ipſe Babylonii potius erant, & Chaldæi & Cuthæi, quo eos nomine, vt plurimũ Ioſephus vocat,[b] præſertim l. 9. vbi, ſicut & in hac epiſtola, ſcribit Samariæ incolas peſtilentiis coactos Dei Maximi cultum ſuſcepiſſe; cum tamen Scriptura dicat id factum, quod à leonibus lacerarentur, quod alio quoque loco notauimus.[c]

a 4. Reg. 17. 24. 1. Eſdræ 4. 2.

b l. 9. c. 14.

c a m. 3315. n. 1. ſ 6. &c.

XV. *Eorum poſtulatum.*

Svmma vero petitionis hæc erat, vt quoniam alieni erant à Iudæorum origine & inſtitutis, ne iiſdem malis affligerentur; vtque templum ipſorum, quod ad id tempus nullius Dei titulum habuerat, deinceps Iouis Græcanici vocaretur. At Scriptura vocat, ξενίου non ἑλληνίου, nec dubium eſt, cui potius habenda ſit fides Ioſepho ne, quorum ore Samaritæ loquuntur, an ſcripturæ: licet id in dubio relinquat Scaliger in Euſeb. qui contemptim huius libri ſcriptorem breuiatorem vocat Iaſonis Cyrenæi: ſed ſectarius hic Iudaizans, non agnoſcit hos libros eſſe canonicos, cum Eccleſia Catholica. Accedit etiam huic certitudini ratio probabilis: datum enim eſt templo id nomen, vt Scriptura innuit, conuenienter Samaritanorum conditioni, qui ſe quaſi hoſpites & peregrinos à Perſis & Medis ortos ferebant. Diuus Hieronymus hic hoſpitalem vertit, in Euſebii chronico peregrinum, vbi ait delubrum, rogatu Samaritanorum, in montis Garizim verticeab Antiocho ædificatum. Id tamen in Euſebio Græco non legitur, nec in illo libello ſupplici Samaritanorum apud Ioſephum, vbi templi ſui iampridem extructi, nouam denominationem & dedicationem quærunt. Quis porro ſit annus 46. quo notatur reſcriptum Antiochi, non intelligo; niſi forte numerus centenarius excidit, & anni regni Græcorum notantur. Menſis autem Hecatombæonis apud Athenienſes, qui reſpondet Iunio, decimum octauum ſuſpectum habeo, cum dedicatio iſta templi Hieroſolymitani facta referatur, decima quinta noni menſis.

Templique dicatio.

XVI. *Miſerrimus Iudæorum ſtatus.*

Seqvitvr deinceps narratio eorum, quæ Hieroſolymis perpetrabantur, cum Regis decreta executioni mandarentur. *Peſſima*, inquit, *& vniuerſis grauis erat malorum incurſio. Nam templum luxuria, & conceſſationibus gentium erat plenum, & ſcortantium cum meretricibus, ſecretiſque ædibus mulieres ſe vltro ingerebant, intro ferentes ea, quæ non licebat*, puta immundas hoſtias, quia ſequitur. *Altare etiam plenum erat illicitis, quæ legibus prohibebantur. Neque autem ſabbata cuſtodiebantur, neque dies ſolennes patrij ſeruabantur, nec ſimpliciter Iudæum ſe eſſe quiſquam confitebatur*, quia ſcilicet id nomen non ſolum Iudææ incolam, ſed veri Dei cultorem præ ſe ferebat: eoque pertinet, quod impius Iaſon voluit Ieroſolymitanos ſcribi Antiochenos; & ipſe ne Iudæus appareret, Iaſon dici, ſicut & Menelaus maluit.

l. 2. c. 4. 9.

XVII. *Coguntur ad impias choreas, & ſacrificia.*

2. Mach. c. 6. v. 7. 8.

Dvcebantvr *autem cum amara neceſſitate in die Natalis regis*, ſingulis menſibus, in Græco additur *ad ſacrificia, & cum Liberi ſacra celebrarentur, cogebantur hedera coronati Libero circuire*, id eſt choreas agere circa Bacchi ſimulachrum, Græce ad verbum pompam ducere: ſacrificia autem illa, proprie viſcerationes ex Græco verti poſſent, quod viſcera oblata, mox in epulas ſacrificantium cederent: nec abſurdum eſt ea ſacrificia ſingulis menſibus frequentata: quæ minus audebant Iudæi recuſare, ne male in regem affecti viderentur. Quamquam quid poterant ab eo exaſperato crudelius formidare? Quod autem ſubditur, *decretum exiſſe in proximas Gentilium ciuitates*, puta Palæſtinorum, Phœnicum, Syrorum, Damaſcenorum, Moabitarum, & Ammonitarum, *vt & ipſi cogerent Iudæos*, qui apud ipſos habitabant, ad huiuſmodi ſacrificia, capitali ſupplicio propoſito, id factum dicitur ſuggerentibus Ptolemæis. Ita legitur, numero multitudinis in cod. Vaticano; & forte reſpexerunt ad Ptolemæos Aegypti reges, qui cum eſſent hoſtes Epiphani, non videntur quidquam ei in hac re ſuggeſſiſſe: paſſim autem legitur ſuggerente Ptolemæo, & intelligitur is, qui pecunia delinitus Menelaum pſeudopontificem iudicio Antiochi eripuit.

πομπεύειν.

Etiã apud vicinas nationes.

c. 4. v. 45. & 46.

XVIII. *Piorum ſupplicia, ob circunciſionem datã.*

DEINCEPS autem Scriptura tranſit ad Dira ſupplicia in Iudæos legum obſeruatores inflicta. *Duæ*, inquit, *mulieres delatæ ſunt*, vel vt alii codices habent adductæ, vel productæ ſunt, quod circumcidiſſent infantes ſuos, *quas infantibus ad vbera ſuſpenſis, cum publice per ciuitatem circumduxiſſent, per muros præcipitauerunt*. Eadem hiſtoria in genere libro primo refertur. *Et mulieres quæ circumcidebant filios ſuos, trucidabantur ſecundũ iuſſum regis Antiochi, & ſuſpendebãt pueros à ceruicibus, per vniuerſos domos eorum*, in Græco eſt, *& domos eorum deprædabantur, & eos qui circũciderant illos, trucidabant*. Mortis modũ declarat Ioſephus. Quotidie, inquit, necabantur excruciati tormentis crudeliſſimis. Flagris enim cæſi, & lacerati corpora, viui adhuc & ſpirantes ſuffigebantur crucibus. Vxores autem eorum, & circumciſos liberos ſtrãgulabant, iuxta mandatum regium, & ſuſpendebant à crucifixorum parentem ceruicibus. Hæc ibi non abſurde.

ἀνηνέχθησαν habet editio Xiſti, conſentanee vulgatæ, alii habent. ἀνήχθησαν. 1.1.c.1.n 63. l 12.c 7.

XIX. *Alii ſine defenſione exuſti. Ioſephi error.*

AT in libello de Machabæis non recte, imo falſo, vbi ait mulieres circumciſis paruulis ſuis in præceps ſe ſponte demiſiſſe, quippe quæ id ſe paſſuras præuiderant. Hæc ipſe, contra ſcripturam quæ in præceps deiectas tradit, non autem ad exitiũ ſponte properaſſe, quod ipſe ex ſpiritu Ethnicorum & prophanorum hominum dixit, quibus ſibi ipſis manus inferre, facinus glorioſum fuit. *Alii vero ad proximas coeuntes ſpeluncas, cum indicati eſſent Philippo, flammis ſuccenſi ſunt, eo quod verebantur, propter religionem, & obſeruantiam, manu ſibimet auxilium ferre*. Compoſita vox, quæ ſimul ſuccenſos ſignificat, innuit etiam eos eadem in ſpelunca quieſcentes, nec vim vi repellentes, igne iniecto conflagraſſe: idque perſpicue affirmat Ioſephus. Cum nihil, inquit, proficerent apud obſtinatos, aggreſſi ſunt eos die Sabbati, & ita vt erant in ſpeluncis, exuſſerunt non repugnantes, ac ne aditum quidem ſpeluncarum obturantes.

συνεφλογίσθησαν. L.12.c.8.

XX. *Tranſitus ad hiſtorias Martyrũ.*

PROPOSITA ſunt adhuc exempla gemina crudeliter interẽptorum pro Circunciſionis & Sabbathi obſeruatione, deinceps alia duo longe clariſſima referuntur, pro ciborum delectu. Hiſtoriam vtramq. obiter, & vniuerſe attigerat author libri primi. *Et multi*, ait, *de populo Iſrael definierunt apud ſe, vt non manducarent immunda, & elegerunt magis mori, quam cibis coinquinari immundis, & noluerunt infringere legem Dei ſanctam, & trucidati ſunt*: His alludit Ioſephus libello de Machabæis, vbi cum dixiſſet propoſitum ab Antiocho decretum, vt qui patriis legibus adhæreſcerent, acerbo ſupplicio morerentur; addit id decretum à populo contemptum fuiſſe, ideoque factum, vt vnumquemque deinceps tormentis vrgeret, vt nefarii cibi guſtu, Iudaiſmum eiuraret. At l. 2. habetur primum accurate hiſtoria martyrii Eleazari; deinde cap. ſeq. ſeptem fratrum cum matre ſua, in quibus diuina potentia de immaniſſimo tyranno per pueros, mulierem, & decrepitum ſenem egregie triumphauit. Non deſcriberem notiſſimas hiſtorias, niſi tam egregio monili Annales noſtros ornari cuperem, & in eadem hiſtoria nonnulla declaranda eſſent, & in Ioſepho, apud quem etiam extant, corrigenda.

c.1.60. c 6.v.18.& ſeq.

XXI. *Martyriũ Eleazari.*

IGITVR *Eleazarus vnus de primoribus ſcribarum, vir ætate prouectus, & vultu decorus, aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare. At ille glorioſiſſimam mortem magis, quam odibilem vitam complectens, voluntarie præibat ad ſupplicium*. Glorioſiſſima vtique mors, quæ ianuam aperit ad vitam, & gloriam immortalem. Immortali odio, & execratione digna vita, quæ viam munit ad interitum ſempiternum. Glorioſa mors, quæ triumphato tyranno, & immanibus tormentis, animam reddit conditori ſuo, eumque ſupremo omnium honore afficit, cum reipſa docet eius præcepta recte ac merito, etiam per atrociſſima ſupplicia, obſeruari. Execranda vita, quæ conſcientiam exulcerat, quæ infirmos in ruinam impellit, quæ inferos exhilarat, contriſtat angelos, dedecore afficit ipſum Deum. Supplicium hoc loco memoratum, Græca voce tympanum, ſignificat tormenti genus, quo ſontes diſtendi, & pulſari ſolebant more tympani militaris, dum contrucidati fuſtibus deficerent: qua de re vide Serar. hoc loco, & huc reſpiciens Paulus Hebr. 11. dicit ſanctos fuiſſe diſtentos.

ἐτυμπανίσθησαν. ver.35.

XXII. *Deſtuit carnes ſuillas.*

INTVENS *autem quemadmodum oporteret accendere, patienter ſuſtinens, deſtinauit non admittere illicita, propter vitæ amorem*. Ingeſtæ fuerant in os repugnantis porcinæ carnes, quas ille ſi comedere, & deglutire vellet, liber abiret: at ille expuebat illa, προπτύσας, forte, vt ait Serarius, verbum ὄπτομαι, fraudem fecit

interpreti,vel potius proſpiciés. Quemadmodum & ii qui parati erant ferre ſupplicium,potius quam vitæ amore deguſtare illicitum cibum.In Græco ſententia hæc cum præcedente coniungitur,hoc modo; voluntariè ad ſupplicium accedebat, expuens ea,quæ non licebat guſtare propter vitæ amorem, quemadmodū oportebat accedere eos,qui ſuſtinebant puniri,ſiue qui parati erant parata ſubire ſupplicia.

Hi *autem qui aſtabant iniqua miſeratione commoti,propter antiquam viri amicitiam, tollentes eum ſecreto rogabant afferri carnes,quibus veſci ei licebat,vt ſimularetur manducaſſe,ſicut rex imperauerat de ſacrificii carnibus,vt hoc facto a morte liberaretur: & propter veterem viri amicitiam hanc in eo faciebant humanitatem.* Iniquam miſerationem vertit interpres παρἁνομον σπλαγχνισμὸν, quæ vox eam commiſerationem ſignificat, qua viſcera alicuius miſericordia tanguntur,alii vertunt iniquum ſacrificium,quaſi dicat, iniuſtam viſcerationem,vt habet Tigur.Iſti ergo eum rogabant, vt ipſemet domo carnes afferret à ſe ipſo præparatas,ne quam fraudem ſuſpicaretur, quaſi vetitæ eſſent,aut idolis immolatæ. XXIII. *Ab amicis tentatur.*

At ille cogitare cœpit *ætatis ac ſenectutis ſuæ eminentiam dignam,& ingenitæ nobilitatis caniciem,atque à puero optimæ conuerſationis actus,& ſecundum ſanctæ,& à Deo conſtitutæ legis conſtituta, reſpondit cito,dicens, præmitti ſe velle in infernum.* Duplex ratio mouebat ſenem ad reſiſtēdum ſuaſioni,prior humanum aliquid habebat,ne ſcilicet audiret apoſtata, in extrema ſenectute ſua,& in portu naufragium feciſſe diceretur; ideoque illam vocat ἀστεῖον λογισμὸν, id eſt ciuilem & politicam ratiocinationem: ſed accedit altera,ne ſcilicet diuinam legem violaret, qui finis ſanctum, & Martyrem Eleazarum reddidit,& vtramque in ſequenti oratione expreſſit, addita etiam conſideratione vitandi ſcandali. XXIV. *Quibus reſiſtit ſtudio bonæ famæ ſeruandæq. legis.*

Non *enim*,ait,*ætati noſtræ dignum eſt fingere,vt multi adoleſcentium arbitrantes Eleazarum 90.annorum tranſiſſe ad vitam alienigenarum, & ipſi propter meam ſimulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur;& per hoc maculam atq. execrationem ſenectuti meæ conquiram.* Si præciſè nunc Eleazarus nonagenarius fuit, quod tamen verba ipſa,ex vſu loquendi non requirunt,natus fuerit anno mundi,ter milleſimo ſeptingenteſimo nonageſimo ſeptimo, qui fuit imperii Græcorum quinquageſimus quintus:inde enim ad hanc diem, excluſo priore termino, anni 90.numerantur. Meminerat bonus ſenex illud Sapientis Syracidæ, *Curam habe de bono nomine,hoc enim magis permanebit tibi,quam mille theſauri pretioſi.* Et illud Salomonis. *Melius eſt nomen bonum,quam vnguenta pretioſa, & quam diuitiæ multæ.* Pergit ſanctus ſenex ſeipſum in ſancto propoſito confirmare. XXV. *Vitandi ſcandali.* Eccli 45. v.15. Prou.22.1. Eccl.7.2.

Nam *etſi in præſenti tempore ſuppliciis hominum eripiar,ſed manum Omnipotentis, nec viuus nec defunctus effugiam. Quamobrem fortiter nunc vita excedendo ſenectute quidem dignus apparebo; Adoleſcentibus autem exemplum forte relinquam, ſi prompto animo ac fortiter pro grauiſſimis ac ſanctiſſimis legibus honeſta morte perfungar.* Vide quam multa quamque illuſtria monita ſanctiſſimus ſenex breui oratione comprehendat,de ſpe ac fide alterius vitæ,de diuina prouidentia & iudicio in viuos & defunctos, de perſeuerantia, de mortis contemptu,de vitando ſcandalo, ac zelo diuinorum præceptorum: vt ſingulis per verbis ſua virtutum exempla, & præcepta reſpondeant. Ita animatus Dei Martyr ad ſupplicium trahebatur. XXVI. *Eiuſdē perſeuerantia.*

Hi *autem qui eum ducebant,& paulo autem fuerūt mitiores,in iram conuerſi ſunt, propter ſermones ab eo dictos,quos illi per arrogantiam prolatos arbitrabantur. Sed cum plagis perimeretur, ingemuit,& dixit, Domine qui habes ſanctam ſcientiam, manifeſte tu ſcis,quia cum à morte poſſem liberari,duros corporis ſuſtineo dolores:ſecundum animum vero propter timorē tuum libenter hæc patior.* Figuram orationis græcę variauit interpres, addita apoſtrophe,in græco etiam vox μαστιγούμενος, flagellatus,ſignificat quo mortis genere ſit affectus: ad tympanū ſcilicet alligatus ac diſtentus,ad aliorū terrorem,qui minus digni miſericordia viderentur,vſq.ad necē verberibus laceratus eſt, & cōtrucidatus. XXVII. *Vltimo ſupplicio afficitur.*

Et iſte quidem hoc modo vita deceſſit, nō ſolum iuuenibus,ſed & vniuerſæ genti memoriam mortis ſuæ, ad exemplum virtutis ac fortitudinis ſuæ derelinquens. Nec Iudæis ſolum, ſed Chriſtianis quoque, adeo vt D.Gregorius Nanzianzenus eum D. Stephano protomartyri componat,dicatque eum qui prius pro populo ſacrificia, & preces adhibebat,ſeipſum quoque Deo obtuliſſe perfectiſſimam hoſtiam. orat.20. de Machab.

XXVIII. *Eadem ex Ioſepho hiſtoria.* QVOD ad Ioſephum attinet, habet is hanc hiſtoriam in libello de Machabæis, ſiue de imperante ratione, vbi aliqua non improbabiliter addita reperiuntur, ſed is ab Eraſmo recognitus, laxe admodum, ac declamatorie conuerſus eſt; vix vt agnoſci poſſit, quid Ioſephi, quid Eraſmi ſit, ſi cum textu Græco conferatur. Nec mirum, ipſe enim ſe codice græco caruiſſe fatetur, & è Latinis græca coniectando, nonnulla mutaſſe. Sed longe plura addidit, atque peruertit. Eam ex Græco ſyncere ac fideliter conuerſam accipe, opera perquam eruditi ac religioſi viri P. Ludouici Creſolij, è Societate noſtra, qui rogatus à nobis noſtrum laborem leuauit ſuo, ne culpas Eraſmi Ioſepho tribuamus.

Cum igitur, ait Ioſephus, cum aſſeſſoribus ſuis tyrannus Antiochus alto in ſolio conſediſſet, & armatæ illum cohortes circunſtarent, iuſſit milites vnumquemq. Hebræorum vi pertrahere, & ad carnes porcinas, quæque impio ſacrificio oblatæ forent, guſtandas adigere, qui autem recuſarent edere, eos trochleis diſtentos necare. Inter plurimos, qui hoc modo crudeliter rapiebantur, vnus in primis nomine Eleazarus, è ſacerdotum veteri proſapia, in legum diſciplina eruditus, iam grandis natu, & propter ætatem, multis Antiochi familiaribus ſatis notus, coram adducitur. In quem intuens Antiochus, ita infit.

XXIX. *Antiochi ad Eleazarum oratio.* PRIVSQVAM ſupplicia in te proximam, o bone ſenex, ſum ſibi author vt porcinam edas, vt ſaluus ſis. Te etenim & ætatem tuam reuereor, canoſque tuos. Minime vero mihi videris ſapienter tot annos in Iudæorum religione conterere. Cur enim hanc boni animantis carnem, quam natura ſuauiſſimam largita eſt, execreris? Nam vecordis hominis eſt non iucundis rebus frui, quando id ſine probro fieri poteſt: & iniuſti naturæ beneficentiam repudiare. Tu vero ſtolidius etiam quiddam facturus mihi videris, ſi circa verum inani opinione delirans, adhuc me monentem contempſeris, cum tuo cruciatu. Quid? non euigilabis tandem à dormitante illa veſtra & delira ſapientia? non abiicies tuas illas triſtes ratiocinationes? non hanc meam plenam humanitatis cohortationem venerans, ſenectutis tuæ miſereberis? Etenim cogita, ſi qua vis veſtræ religionis metuenda eſt, fore vt facile veniam largiatur, ſi quid per vim & contra voluntatem impium feceris.

XXX. *Eleazari reſponſio.* HOC modo diſſerentem tyrannum audiens Eleazarus, accepta loquendi poteſtate, ſic orationem ſuam eſt exorſus. Nos, Antioche, cum res noſtras à diuina lege gubernari fateamur, nullam eſſe maiorem exiſtimamus neceſſitatem, quam quæ nobis ab ipſius legis obedientia imponitur. Ideoque nullo eam modo violare poſſumus. Etenim ſi lex noſtra haud diuina foret, quod tu arbitraris, diſſentientibus nobis, non tamen eam nobis fas eſſet de religione opinionem infirmare. Haud igitur exiguum eſſe putes hoc ſcelus, ſi nefarium eum cibum accipiamus. Eſt enim impietatis eadem vis, ſiue in paruis, ſiue in magnis legem violemus, quod vtrobique ſimili audacia lex contemnatur. Stoicæ hoc diſciplinæ dogma eſt, peccatorum paritatem inducentis, non veræ philoſophiæ, aut diuinæ legis; cuius tantula in tanta neceſſitate violatio (niſi in contemptum legis cederet, & apoſtaſiæ ſymbolum) poterat ſine crimine morti anteferri, pia interpretatione adhibita, diuinæ diſpenſationis atq. indulgentiæ, in non exigenda cum tanto damno obedientia, ſed reliqua addimus.

XXXI. *Laudat legem Moſaicam.* ET tu quidem philoſophiam noſtram irrides, quaſi in ea nullo conſilio, nulla mentis ſanitate verſemur; at illa nos temperantiam ita docet, vt omnes voluptates, cupiditateſque vincamus. Ita fortitudinem exercet, vt omne genus laboris vltro excipiamus. Ita iuſtitiam docet, vt tantum verum & vnicum numen magnifice colamus, ideoque profanam eſcam haud attingemus. Et cum nobis perſuademus noſtram legem a Deo conſtitutam, illud quoque intelligimus eundem ipſum legis latorem, ſi quid nobis humanitus acciderit; ſocium adiutoremque futurum. *Offert ſe ad ſupplicia.* Nam quæ animis noſtris vtilia commodaque ſunt, conceſſit edere; quæ contraria, prohibuit. Eſt autem ſane tyrannicum, non ſolum adigere nos ad peccandū, ſed etiam ad comedendum. Sed in hac quidem re mihi non illudes, neque ſacrum maiorum iuſiurandum de conſeruanda lege violabo, ne ſi mihi oculos effodias, aut viſcera labefacias. Non ita ſum vetulus & languidus, vt non mihi in cauſa pietatis mens & ratio iuueneſcat. Ad hæc tu rotas adorna, & quam poteris violentiſ-

ſimum ignem ſuccende, non ita me meæ ſenectutis capiet miſeratio, vt eius intuitu patriam legem contemnam. Non decipiam te, ô lex magiſtra pietatis, non te cara continentia repudiabo, neque pudorem tibi iniiciam ô ſapiens ratio. Non te abnegabo auguſtum ſacerdotium, & veneranda legis diſciplina, purum me mei parentes excipient, tuam vim minime reformidantem, & ſi mors quidem conſequatur.

Ad hunc modum tyranni cohortationem libera voce refutantem Eleazarum, qui circunſtabant ſatellites violentius ad ſupplicii locum pertraxerunt. Et primum quidem veſtibus illum ſuis exuerunt, deinde vtrimque torquentes verberibus deformauerunt: cum interim hinc inde clamaret Præco, vt mandatis regis obtemperaret. At magnanimus Eleazarus, quaſi per ſomnium cruciatus, nulla ratione mutatus eſt. Dum in cœlum oculos attollit ſenex, caro flagellis atteritur, inundat cruor, latera immaniter lancinantur, humi collabens, quod vim dolorum corpus non ferret, tamen erectam & inuictam habuit mentem. Vnus autem de ſatellitibus, qui cæteros diritate ſuperabat, calcem illi in ſummum pectus illiſit, pulſauitque vt ſeſe è terra erigeret. At ille perferebat labores omnes, violentiam deſpiciebat, & plenam contumeliæ verberationem patientiſſime ſuſtinebat; pulſatus ſuos ipſos tortores vincebat ſenex, & apud eos à quibus lacerabatur, propter incredibile animi robur, in admiratione erat. XXXII. *Quibus & afficitur.*

Vnde & quidam ſenectutem ipſius miſerantes, & quidem è regio comitatu, cum eius vicem dolerent, propter familiaritatem ad eum accedebant, dicentes. Quid te his tot tantiſque malis Eleazare, ſine ratione conficis? Nos tibi accommodatas carnes apponemus; tu autem finge te porcinas guſtaſſe, vt ſupplicio libereris. At ille, non ita, inquit, male ſapimus Abrahæ filii, vt mollicia quadam animi difluentes, tanquam in theatro indecoram actionem agamus. Alienum à ratione ſit, ſi cum ex veritate ad ſenectutem vſque vixerimus, nunc è veſtigio immutemur, noſque ad comedendas vetitas carnes conuertamus. Turpiter autem reliquam vitam traduceremus, digni merito omnium hominum irriſione, propter timiditatem. Eum igitur ita magnanimum intuentes, neque ad eorum commiſerationem commutatum, ad ignem adduxerunt, & in eum coniectum crudeli inſtrumentorum machinatione adurebant, præterea in nares ſuccum male olentem infundebant. XXXIII. *Tentatur à familiaribus.*

Cvm autem ad oſſa vſque eſſet aduſtus, & prope eſſet, vt animo linqueretur, oculos in Deum intendens, ita eſt locutus. Noſti ô Deus, quod cum mihi liberari promptum ſit, ignito hoc ſupplicio libens tuæ legis cauſa emorior; quare propitius eſto genti tuæ, & hoc noſtro ſupplicio contentus, eidem placare. Sit hic ſanguis illius expiatio, & animam hanc pro animabus tuorum accipe. Et hæc dicens, vir egregie ſanctus glorioſe animam efflauit. XXXIV *Perſtat in propoſito, & moritur.*

Hactenus declamatio Ioſephi de Eleazaro. In qua vides parem cum ſibi licentiam in narratione rerum geſtarum ſumpſiſſe, atque in oratione probabiliter efformanda. Nam & prolapſionem addit de ſuo, cum equuleo alligatum, & ſuſpenſum vapulaſſe ſit credibilius & calcem in pectus illiſam, & ſuccum tetri odoris ingeſtum naribus. Omittit autem ſuillam in os intruſam, quam ille deſpuebat; & ſtudium eius ac cautionem, ne malo exemplo iunioribus ſcandalo eſſet: contentus ſola ratione politica de vitæ conſtantia retinenda. Et de ſancto Eleazaro ſatis. *Examinatur.*

Transeamvs nunc ad poſtremum & ſummum tyrannicæ crudelitatis, & humanæ, vel diuinæ potius conſtantiæ, & fortitudinis exemplum: dignum quod diuino dictatum ſpiritu, ſicut eius virtute ac gratia editum fuerat, in omnium ſeculorum poſteritatem propagaretur. XXXV. *Martyriũ 7. fratrum.*

Contigit autem & ſeptem fratres, vna cum matre ſua, apprehenſos compelli à Rege edere contra fas carnes porcinas, flagris & taureis cruciatos: vnus autem ex illis, qui erat primus, ſic ait. Quid quæris, & quid vis diſcere à nobis? parati ſumus mori, magis quam patrias Dei leges præuaricari. Ioſephus, l. de Machab. certamen inchoatum ait à natu maximo, & Diuus Ambroſius l. 1. de Iacob. iuſſit maximum natu eligi. At ille ridens, recte, inquit, naturæ ordinem ſeruas, &c. Ad vocis huius libertatem iratus rex, iuſſit ſartagines, & ollas æneas ſuccendi. Hic apparatus primi certaminis.

XXXVI. *Certamen primogeniti.*

Plenæ erant, inquit Theophilus Alexandri, feruentis olei ſartagines, & ad frigenda ſanctorum corpora, terrore incredibili perſonabant; & tamen inter hæc omnia paradiſum animo deambulantes, non ſentiebant quod patiebantur, ſed quod videre cupiebant. *Quibus ſtatim ſuccenſus, iuſſit ei, qui prior fuerat locutus, amputari linguam, & cute capitis abſtracta, ſummas quoque manus, & pedes ei præſcindi, cæteris eius fratribus & matre inſpicientibus.* Nulla eſt in re cum græcis differentia, in verbis explicandi cauſa nonnulla: additur enim cutem capitis fuiſſe detractam huic generoſiſſimo athletæ, qui primus in certamen ingreſſus eſt; nec tamen quidquam prohibet, quin toto corpore excoriatum fuiſſe dicamus, cum nulla parte corporis memorata, in textu Græco cutis ei detracta dicatur, vt ſcilicet totus in ſartagine, ſicut piſcis exſquamis frigeretur. ἀκρωτηριάζεσθαι quoque eſt extremis mutilari, ſcilicet pedibus manibuſque, vt declarat interpres, quæ abſciſſa, vel in feruentem ſartaginem, vel in lebetem proiiciebantur.

XXXII. *Eiuſdemq. victoria.*

Et *cum iam per omnia inutilis factus eſſet, iuſſit ignem admoueri, & adhuc ſpirantem torreri in ſartagine: in qua cum diu cruciaretur, cæteri vna cum matre inuicem ſe hortabantur mori fortiter, dicentes, Dominus Deus aſpiciet veritatem, & conſolabitur in nobis, quemadmodum in proteſtatione cantici declarauit Moyſes, & in ſeruis ſuis conſolabitur.* In cantico Moyſis legimus, *Iudicabit Dominus populum ſuum, & in ſeruis ſuis miſerabitur*, quia ex miſericordia eius conſolatio noſtra proficiſcitur. Dicitur etiam conſolari Deus, ſiue lætitia affici in Martyribus, id eſt acceptiſſimam habere eorum fortitudinem, & mortem quaſi precioſiſſimum munus recipere, ſibique gratiſſimum; cum tanti ſe ſuaque mandata fieri videt, & tam horrenda tormenta ab amicis ſuis ferri potius, quam leuiculum eius mandatum violetur. Cæterum illud, *in qua cum diu cruciaretur*, ex Græco verti poteſt, vapore ex ſartagine ſe late diffundente. Nidore ſcilicet frixæ carnis ad martyrii candidatos perueniente, mutuo ſe hortari cœperunt, interpres ex ſigno cruciatus ipſum cruciatum accepit. *ἀτμίδος ἐφ' ἱκανὸν διαδιδούσης.*

XXXIII. *Certamen ſecundi.*

Mortvo itaque illo primo hoc modo ſequentem deducebant ad illudendum, *& cute capitis eius cum capillis abſtracta, interrogabant, ſi manducaret prius, quam toto corpore per membra ſingula puniretur. At ille reſpondens patria voce dixit, non faciam. Propter quod & iſte ſequenti loco primi tormenta ſuſcepit, & in vltimo ſpiritu conſtitutus, ſic ait. Tu quidem ſceleſtiſſime in præſenti vita nos perdis: ſed Rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus, in æterna vitæ reſurrectione ſuſcitabit.* Si hic ſecundus primi tormenta ſuſtinuit, etiã lingua ei eſt amputata, ſine qua tamen in vltimo ſpiritu conſtitutus, locutus dicitur; quod ſi id miraculum non placet admittere, quod poſteriora ſecula nõ ſemel viderunt, hoc genus tormenti intelligetur exceptum: quod tamen vix auſim dicere, cum in tertio legamus, poſtulatum linguam cito eam protuliſſe.

XXXIX. *Illuſio cum qua.*

Non apparet, quæ eſſet ludificatio, ad quam ſecundus hic athleta, & tertius deducti dicuntur: eſt autem credibile eos excoriato capite, horribili deformitate affectos, fuiſſe ludibrio ferreis illis carnificibus, eorumque domino, iactantibus cum inſano cachinno,

> ——— *Lacerum crudeliter ora,*
> *Ora, manuſque ambas, populataque tempora raptis*
> *Auribus, & truncas inhoneſto vulnere nares.*

Miſericordiæ ſenſum infringebat opinio peruicaciæ, & ſuperbiæ obfirmatæ in mandati regii contemptu; ſed mox crudele ludibrium, generoſo repenſabitur.

Certamen tertii.

Post *hunc tertius illuditur, & linguam poſtulatus cito protulit, & manus conſtanter extendit; & cum fiducia ait: è cœlo iſta poſsideo, ſed propter Dei leges nunc hæc ipſa deſpicio, quoniam ab ipſo me ea recepturum ſpero. Ita vt rex, & qui cum ipſo erant, mirarentur adoleſcentis animum, quod tanquam nihilum duceret cruciatus.* Irriſioni ſuccedit admiratio, ignorantibus qua ſpe, quaue mercede hæc fortitudo ſuſtentaretur. Verba enim glorioſiſſimi adoleſcentis, ad aures quidem cruentiſſimi tyranni, & barbarorum ſatellitum perueniebant, ſed minime deſcendebant in pectus impio furore excæcatum, vt ipſis quoque illud conueniret. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua.*

XL. *Certamen quarti.*

Et *hoc ita defuncto, quartum vexabant ſimiliter torquentes, & cum iam eſſet ad mortẽ, ſic ait. Potius eſt ab hominibus morti datos ſpem expectare à Deo, iterum ab ipſo reſuſcitandos, tibi enim reſurrectio ad vitam non erit.* Omnes enim reſurgemus, ſed non omnes

immutabimur. Etſi autem textus vterque aperte ferat, ſimilia fuiſſe huius & præcedentium tormenta, D. tamen Ambroſ. l. de Iacob. *Et hoc perempto*, ait, *iuſsit quartum vinciri ad rotam, vt eius vertigine membris omnibus ſolueretur, &c.* an forte quia torquere, etiam verſare eſt, poëtis, atque oratoribus? an potius quia initium cruciatuum erat in equuleo, ſiue in rota diſtendi, ad fuſtium & neruorum diuerberationem? Theophilus Alex. in epiſt. 3. paſchali de his agens, *laſſabantur tortores, & non laſſatur [illegible]s: frangebantur oſſa, & volubili rota omnis compago neruorum, atq. artuum ſoluebatur, & in immenſum ſpirantia mortem incendia conſurgebant.*

Et *cum admouiſſent quintum vexabant eum. At ille reſpiciens in eum dixit. Poteſtatem inter homines habens, cum ſis corruptibilis, facis quod vis: noli autem putare genus noſtrum à Deo eſſe derelictum. Tu autem patienter ſuſtine, & videbis magnam poteſtatem ipſius, qualiter te, & ſemen tuum torquebit.* Prædicit futura, ſiue ex communi notione diuinæ prouidentiæ, atq. iuſtitiæ, ſiue ex peculiari reuelatione Dei: etenim morientes quandam futurorum præſentionem habere dicuntur. Quintus, ait B. Cypr. in l. de exhort. Mart. c. 9. præter quod carnificinam regis, & duros varioſque cruciatus, fidei vigore calcabat, ad præſcientiam quoque & notitiam futurorum ſpiritu diuinitatis animatus, prophetauit regi, & indignationem Dei, & vltionem velociter proſecuturam. Ita Cypr. Nec vanus vates fuit. nam Antiochus poſt triennium miſere periit, & filius eius Eupator vix biennium regnauit: indeq. regnum ad Demetrium Seleuci fratris ſui filium deuolutum eſt, extincta funditus Epiphanis familia. XLI. *Certamen quinti.*

Post hunc ducebant ſextum, & is mori incipiens, ſic ait. Noli fruſtra errare, nos enim propter noſmetipſos hæc patiamur, peccantes in Deum noſtrum, & digna admiratione facta ſunt in nobis. Hæc in perſona populi dicuntur, quem cæteris iuſtiorem mirum fuit, tam ſeuere diuinitus caſtigari; cæteris diuitiarum & honorum gloria florentibus: pergit. *Tu autem ne exiſtimes tibi impune futurum, quod contra Deum pugnare tentaueris.* Metum vterque iniicit ſuppliciorum à iuſto & vltore Deo infligendorum, ſed cantilenam ſurdo canebant: *nemo poteſt corrigere, quem Deus deſpexerit.* Porro quæ dicit facta in ipſis admiratione digna, rectius, vt dixi, referuntur ad ſeueritatem diuini iudicii, populi ſui peccata, tam ſeuera animaduerſione punientis, per homines multis etiam partibus deteriores, quam ad ipſa peccata, quæ rectius deteſtatione, quam admiratione digna dicuntur. Et ſane prodigii inſtar eſt Deum, cui peccata ſumme diſplicent, & quæ ſuppliciis æternis caſtigat, eadem permiſſione grauiſſimorum peccatorum punire, cum maxima & ſuæ gloriæ, & animarum iactura. *Sed iuſtus eſt Dominus, & rectum iudicium eius.* XLII. *Certamen ſexti.*

Svpra *modum autem mater mirabilis, & bonorũ memoria digna, quæ pereuntes 7. filios, ſub vnius diei tẽpore conſpiciẽs, bono animo ferebat, propter ſpẽ quam in Deũ habebat ſingulos illorum hortabatur voce patria fortiter repleta ſapientia.* Legit interpres γενναίως, legitur autẽ γενναίῳ φρονήματι, id eſt generoſa & forti repleta ſapientia, & minime molli aut muliebri; vnde ſequitur, & fœmineæ cogitationi maſculinum animum inſerens; διεγείρασα exſuſcitans fœmineam infirmitatem maſculo animo, dixit ad eos. Neſcio qualiter in vtero meo apparuiſtis, neque enim ergo ſpiritum & animam donaui vobis, & vitam, & ſingulorum membra non ego ipſa compegi. Sed enim mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originẽ, & ſpiritum vobis iterum cum miſericordia reddet, & vitam, ſicut nunc voſmet ipſos deſpicitis, *propter leges eius.* Agnoſcit ſancta mulier Deum authorem corporum pariter & animorum, qui poſſit à ſe primum formata corpora, membraque omnia reformare. Eiuſdem quippe eſt artis atque ſapientiæ domum ædificare, & collapſam reſtaurare; eiuſdem liberalitatis animam ſemel gratis donatam, iterum reddere, præſertim in gratiam Donatoris & conditoris amiſſam, imo in eius manu depoſitam. *Iuſtorum* quippe *animæ in manu Dei ſunt, & non tanget eas tormentum mortis, viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace.* XLIII. *Matris eximia fortitudo.*

Antiochvs *autem contemni ſe arbitratus, ſimul & exprobrantis voce deſpecta, cum adhuc adoleſcentior ſupereſſet, non ſolum verbis hortabatur, ſed & cum iuramento affirmabat ſe diuitem & beatum facturum, & tranſlatum à patriis legibus, amicum habiturum, & res neceſſarias ei præbiturum.* Non ſatis apparet quam dicat exprobationem, aut deſpectum. Græca verba, & fere Latina, vt recte vidit Vatabl. & Sà. Hunc quoq. ſen- XLIV. *Antiochi promiſſa facta iuniori.*

ſum recipiunt. Antiochus exiſtimans ſe contemptũ iri, & honorem ſuũ in diſcrimen vocari, ſi nihil tormentis, nihil autoritate regia aduerſus pueros conſequi potuiſſet, & ſuſpicione tactus ne id ſibi exprobaretur, ὑφορᾶσθαι enim non ſolum eſt deſpicere, ſed etiam ſuſpicere, ſiue ſuſpicari. Ita locum hunc videtur intellexiſſe S. Cypr. *cum ſex punitis*, ait, *& occiſis ſupereſſet vnus de fratribus, cui rex diuitias & potentatus, & multa pollicebatur, vt crudelitas eius ac feritas, vel vnius ſubacti ſolatio foueretur, &c.* & Ambr. l. de Iacob. *Superabat iunior ex fratribus, & iã pudebat Antiochum immaturæ ætatis ita fuiſſe ludibrio. Itaque dolis deſiderans eum circumſcribere, pollicebatur honores, diuitias, amicitiam ſuam, conſortium ſecretorum.*

XLV. *Non ex miſericordia.*

Ex quo intelligitur nulla tyrannum hunc miſericordia motum, huic qui reliquus erat, parcere voluiſſe; ſed ſuperbia, & faſtu plenum, contemptum ſui formidaſſe. Illa quoque ϗ χρείας ἐμπιστεύσειν verti etiam poteſt, & negotia adminiſtranda crediturum: & hoc profecto eſt, quod ex Ambr. dixi conſortium ſecretorum, idque glorioſius eſt, & potẽtius ad alliciendũ, quam promiſſio neceſſariorum, quæ præſertim iã claudebatur ea ſpõſione, qua ſe illum diuitem ac beatum facturum recipiebat. Apud Ioſephum promittit Antiochus præfecturas *rerum ſuarum* ſeptem fratribus: in eo diſcedens ab hiſtoriæ veritate, quod non vni, ſed omnibus iam à principio certaminum eas promiſſas tradit, & nihilominus circa hunc vltimum philoſophans, ei promittit rerum imperii adminiſtrationem. *Sed ad hæc cum adoleſcens nequaquam inclinaretur*, imo neque attenderet ad verba tyranni, *vocauit Rex matrem, & ſuadebat ei, vt adoleſcenti fieret in ſalutem*, eius conſiliatrix, ſalutiferum ei præbendo conſilium. τῶν ἐπὶ τῆς βασιλείας ἀφηγεῖσθαι πραγμάτων.

XLVI. *Mater illũ confirmat.*

CVM *autem multis eam verbis eſſet hortatus, promiſit ſuaſuram ſe filio ſuo*, quæ ſcilicet valebant ad ſalutam æternam, non vt ſperabat Rex, ad retinendã vitam, & honores profanos conſequendos. *Itaque inclinata ad illum*, (iam fortaſſe iacebat in carnificina excoriãdus) *irridens crudelem tyrannum, ait patria voce, fili me miſerere mei, quæ te in vtero nouem menſibus portaui, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem iſtam perduxi. Peto nate vt aſpicias ad cœlum & terram, & ad omnia quæ in eis ſunt, & intelligas, quia ex nihilo illa fecit Deus, & hominum genus: ita fiet vt non timeas carnificem iſtum, ſed dignus fratribus tuis effectus particeps, ſuſcipe mortẽ, vt in illa miſeratione cum fratribus tuis te recipiam.* Miſeram ſe fore pia mater exiſtimat, ſi de ſeptẽ filiis vnum amittat, & pro martyre videat apoſtatam. Itaque ſpe futuræ vitæ ab omnium creatore recipiendæ, & communicationis glorioſi martyrii, eius conſtantiam confirmat. Pulchre Auguſt. fili, inquit, miſerere mei, omnes expectabant verba conſequentia conſeati Antiocho, noli deſerere matrem tuam. Illa è contra, conſenti Deo, noli deſerere fratres tuos. Ser. 109. de diuer. c. 7.

XLVII. *Nouo ſermone mortem petit.*

DEO itaque animum adoleſcens inflammante, matris interpellat orationẽ. *Quem ſuſtinetis*, ait, *quid expectatis? quorſum trahitis moras? expectatis qui à fide deficiat? fruſtra expectatis, inani vos ſpe conſolamini, non obedio precepto regis, ſed præcepto legis, quæ data eſt nobis per Moyſem. Tu vero qui inuentor omnis malitiæ factus es in* Hebræos, *non effugies manum Dei. Nos enim pro peccatis noſtris hæc patiemur.* Iuſta videlicet ſatisfactione explandis, id enim eſt quod ſequitur. *Etſi nobis propter increpationem, & correptionem Dominus Deus noſter modicum iratus eſt, ſed iterum reconciliabitur ſanctis ſuis. Tu autem ò ſceleſte, & omnium hominum flagitioſiſſime, noli extolli vanis ſpebus in ſeruos eius inflammatus*, vel ne incerta ſpe fremens, temere teipſum efferas, ſeruis Dei manum afferendo. *Nondum enim omnipotentis Dei, & omnia inſpicientis iudicium effugiſti. Nam fratres mei, modico nunc dolore ſuſtentato, ſub teſtamento æternæ vitæ effecti ſunt. Tu vero iudicio Dei iuſtas ſuperbiæ tuæ pœnas exolues.*

XLVIII. *Cur atrociter regem compellat.*

ACERBIORE multo vtitur oratione in tyrannum, quam præcedentes, veritus ne ab illo dimitteretur, & glorioſiſſima fratrum ſocietate priuaretur. Itaque vocat inuentorem omnis malitiæ, peccatorum ſcilicet, ad quæ tam multos compulit, & tormentorum quæ inflixit: vocat ſceleſtum, & omnium flagitioſiſſimum, qui ſcilicet tunc viuerent, adeo vt figura eſſe potuerit eius, qui omnium hominum, qui vnquam fuerunt, futuriue ſunt, eſſet ſceleſtiſſimus, qui futurus eſt Antichriſtus. Quod ſi flagitia ad libidinum ſordes retuleris, memento Appiani in Syriacis memorantis Timarchum Babylonis præfectum, & Heraclidem ærario præpoſitum, quos impuriſſimus Antiochus in deliciis habuerat. Vocat temerarium, & vana ſpe extirpandæ pietatis, & diuini cultus elatum. Vocat ſuperbum & contemptorem Dei; à quo tamen tu mancipium deterrimum, ſit verberibus & tormentis contrucidendus.

XLIX. *Clades Iudæorũ qui modica ira Dei.*

Sed illud eſt horribile, quod ſupra quoque notauimus, quod tã atrocem Dei in Iudæos animaduerſionem, tam multorum millium cædes, ſeruitutes, piorum fugas, exilia, tormenta, quæ vel cogitata terrorem afferant; ciuitatis ſanctæ euerſionẽ ac deſolationem, ædium incendia, direptiones, tot naufragia animarum, deniq. antiquatam religionem, & bacchantem toto regno idololatriam, modicam iram ad correptionẽ appellat: quæ erit ira magna, ſi hæc modica eſt? vſque adeo verum eſt horrendum eſſe incidere in manus Dei viuentis! Nihilominus modica ſunt hæc omnia, ad ſuppliciorum alterius vitæ immenſitatem, atque æternitatem, quibus Deus hoſtes ſuos non ad correptionem caſtigabit, ſed in æternæ iuſtitiæ monimentum, & odii ſui in peccatum, in omnem æternitatem torquebit.

L. *Victoria ſeptimi.*

Tunc rex accenſus ira, in hunc ſuper omnes crudelius deſæuiit, indigne ferens ſe deriſum: ſi quid tamen addi potuit, ad diſtentionem, diuulſionemque artuum, ad flagra, & neruos taureos, in equuleo ſuſpenſorum, ad linguæ abſciſſionem, ad ſummarum manuum & pedum obtruncationem, ad capitis aut totius etiam corporis crudeliſſimam excoriationem, ad feruentes ollas, ad ſuccenſas ſartagines. *Nouiſſime autem poſt filios, & mater conſumpta eſt*, nõ minore vtique tormento & corona. Licet enim ſextus poterat mollire truces animos; conſtantia tamen eius, & irriſio tyranni, & filiorum cohortatio ad mortem, & deſperatio, dolorque tortorum, qui nihil neque precibus, neque minis, neque promiſſionibus, neque tormentis obtinere potuerant, immanius crudelia pectora exacerbabant.

Et matris omnium.

LI. *Qua octies Martyr.*

Sed prius etiam naturali compaſſione ſepties paſſa eſt, vt octies martyr dici poſſit, Audin. D. Auguſt. *Diſcant fœminæ de matris illius tanta patientia, ineffabili virtute, quæ nouerat conſeruare filios ſuos, habere nouerat, quæ perdere non timebat. Iſti in ſe ſinguli ſentiendo, illa videndo in omnibus paſſa eſt, facta mater ſeptem martyrum ſepties martyr, à filiis non ſeparata ſpectando, & filiis addita moriendo.* Et Prudentius.

ſer.109.c.6.

lo.cit.

Hoſtem ſubegit ſubiugatum ſepties,
Quot fœta natis, tot triumphis inclyta.

S. quoque Leo in Serm. de Machab. glorioſam vocat 7. martyrum matrem, in ſingulis filiis paſſam, & in omnibus coronatam, & infra. *Multiplicatæ ſunt*, inquit, *martyrum palmæ, & dum ſinguli in omnibus vincunt, præter coronas proprias, omnes acquiſiuere ſeptenas.* Non diſſimilia habet S. Gaudentius Brixianus in tract. de Machabæis.

LII. *Nomina & locus certaminis horũ martyrum.*

a.m.3887. n.9.

Addamvs etiam, quod ad hiſtoriam attinet horum martyrum, quod notauit in hũc locum noſter Serarius, & Torniellus, in Ruffini verſione vetere, libelli Ioſephi de Machabæis inueniri, eos è Suſandro caſtello Antiochiam in Regis conſpectum adductos, matre Salomona; primum vocatum fuiſſe Machabæum, ex quo in ſex reliquos deriuatam dominationem coniicere licet, alterum Aber, tertium Machir, quartum Iudam, quintum Achaz, ſextum Areth, ſeptimum Iacobum: quæ nomina cum nuſquam in Græco extent, facile crediderim ab Eraſmo in ſua paraphraſi adiecta de ſuo, ſicut alia pleraque in eodem libello. Fuiſſe autem genere illuſtres, corpore animoque præſtãtes affirmat Ioſephus, vt mox dicemus. D. Auguſt. eos in Antiochia paſſos, ibique à Chriſtianis egregia poſtea baſilica honoratos affirmat. Eorum capita haberi dicuntur Coloniæ, in virginum cœnobio, vbi Eccleſia, quæ olim B. Magdalenæ, nunc ab annis iam quadringentis Machabæorum dicitur: qua de re plura Serar. loco citato, ex quo etiam Torniellus.

ſer.109.de diuerſis c.6

LIII. *Quæ eorum ætas, ex patribus.*

De ætate eorum audi D. Chryſ. in homil. de ipſis. *Agonem*, ait, *proponens Chriſtus non iuuenes exercitos ad certamina athletas, ſed primæuos adoleſcentulos, & cum ipſis ſenem Eleazarum, ſimulq. mulierem anum, matrem ſeptem adoleſcentium vult cõſiderari.* Et Prudent. hymno de S. Romano.

——— Narraui & illud nobile, ac memorabile.
Certamen, vna matre quod ſeptem editi
Geſſere pueri, ſed tamen factis viri, & infra.
Linguam tyrannus amputari iuſſerat,
Vni ex Ephebis. Et D. Ambr. in l. de Iacob. & vita beata c. 11. *Inſultare*, ait, *licet Tyranno, qui dum callide à ſene incipiendum putat, magiſtrum eligit, qui diſcipulos faceret fortiores: quorum velut puerilem ætatem præmiis prouocabat ad culpam, arguebat terroribus ad formidinem. At illi non degeneres tanto duci reſpondent, quid contemnis, vel circũſcribis, vt pueros, ſed fides cana eſt, ſed valida diſciplina. Experire, certa ſubiice quibus placet*

pœnis puerilia viſcera, non inuenies corda puerilia. Et mox, *quem vicit ſenectus, ſuperabit æmula ſenectutis pueritia.*

LIV. *Ex Scriptura & Ioſepho.*

A Iosepho νέοι, παῖδας, μείρακες, μειράκια, & μειρακίσκοι appellantur, quæ ſunt omnia teneræ ætatis vocabula, & Scripturæ conſentanea, quæ tertium vocat παίσκοι, & ſeptimum μειράκιον. Propter hoc ſane, ait ille, & puſiones ipſi pietatis rationiſque ductu philoſophantes, ſuppliciorum omnium acerbitates vicerunt; quandoquidem perſpicua experientia fractus, ſuperatuſque fuit tyrannus, qui plenum annis, caniſque hominem, ad vetitos cibos edendos, cogere nunquam potuerit. Sic ipſe. Sed pergamus ex eodem referre quæ ex reliqua hiſtoria ad rem facere videbuntur, id tamen ſeorſim facere viſum eſt, 3. ne quod fortaſſe lectori tædium afferremus. Addo tamen hic eius in ſanctos martyres Epitaphium. (μειρακίσκοι; 3. *Ex.*)

Eorum ex Ioſepho epitaphiũ.

Hic ſitus eſt ſanctus ſenex, & ſeptem adoleſcentes Machabæi, inhumana Tyranni violentia perempti, Hebræorum diſciplinã atque legem abolere cupientis. Hi gentem ſuam defenderunt, mentis oculos in Deum intendentes, & vſque ad mortem exquiſita ſupplicia pertulerunt. Diuinus quidem certe & vere Olympicus Agon fuit per eos propoſitus, cui præſidens Agonothetæ loco virtus, tolerantiæ ſingularis trophæum ſtatuit, vitæ perennis immortalitate clarum & inſigne. Primus in aciem Eleazarus deſcendebat. Tum ſeptem filiorum parens, decoro puluere glorioſa, & ipſi fratres ſtrenue certabant, Tyrannus reluctabatur. Ipſe huius vniuerſitatis complexus, & hominum vita ſpectabat, victrix pietas, triumphanſque religio athletas ſuos coronabat. Et de his hoc loco ſatis: Romam adeamus.

LV. *Variæ legationes à deuicto Perſeo. Ab Eumene.*

Cvm bellum Macedonicum ſub finem præcedentis anni, ipſomet Perſeo capto, finem accepiſſet, multi è vicino, Theſſali in primis, Æmylio nobiliſſimam victoriam gratulati ſunt; at non ante huius anni initia Romam peruenire potuerunt, etſi Liuius harum gratulationum meminerit, priuſquam nouorum Conſulum mẽtionem inducat. Prima occurrit quæ ab Eumene, Attalo, & Athenæo fratribus communis venit, quæ inter multas Regum, Gentiumque, & populorum legationes propter Attalum Regis Eumenis fratrẽ omnium in ſe oculos maxime conuertit: ſiue quia exceptus eſt à multis, quibuſcum ipſe in hoc bello, inſigni cum laude ac fide militauerat; ſiue quia Eumenis res valde laborabant, ob dubiam atque ancipitem eius in eodem bello fidem, vt videretur paratus Senatus ad omnia Eumeni eripienda, & Attalo tribuenda. Nec ab ea ſpe & cogitatione abhorrebat Attalus; ſuperbia enim & ambitio natiuum eſt malum virorum principum; & qui vno tantum gradu à ſummo abſunt, in quo infra ſe cernant omnia, facile eo voluntate, data præſertim occaſione, feruntur. Sed eum Stratius medicus, in eam rem ab Eumene prudenter electus, tempeſtiuis admonitionibus ab ea ſententia dimouebat.

LVI. *Stratius abducit Attalum ab ambiendo regno fraterno.*

Dicebat enim aliis alia regna creuiſſe rebus, regnum eorum nouum fraterna ſtare concordia; vnum quidem nomen regium, & præcipuum capitis inſigne gerere, omnes tamen fratres regnare. Attalum maxime ætate proximum, & opibus propemodum parem, & qui propediem regnaturus ſit, in ea fratris ætate atque infirmitate, & liberorum orbitate. (Nondum enim agnouerat eum, qui poſtea regnauit; vel vt clarius habet Polyb. Necdum enim is naturalis filius Eumenis declaratus fuerat, qui poſtea illi ſucceſſit.) Nihil attinere vim rei afferre, quæ ſua ſponte mox ad eum ventura eſſet. Tumultus Gallicos vrgere, quibus vix conſenſu & concordia regum reſiſti queat, quanto minus ſi ad externum bellum inteſtina ſeditio adiiciatur? Si vtraque glorioſa res eſſet, & ſeruaſſe fratri regnum, & eripuiſſe, ſeruati tamen regni, quæ iuncta pietati ſit, potiorem laudem fuiſſe. Sed cum altera deteſtabilis ſit, & proxima parricidio, quid ad deliberandum dubij ſupereſſe? His aliiſque ſapientiſſimis monitis Stratius apud Attalum plus potuit, fœlici profecto difficilique victoria, quam quæ inimici fratris eius ei ſuggerebant.

LVII. *Attali in Senatu poſtulata.*

Itaqve introductus in Senatum, gratulatus victoriam, & ſua merita eo bello, fratriſque ſi qua erant, & Gallorum defectionem (Galatas intelligit Galatiæ incolas, à regno Eumenis non ita diſiunctos) quæ nuper ingenti motu facta erat, expoſuit. Petiit vt legatos mitteret ad eos, quorum autoritate ab armis auocarentur. Deinde Ænum ſibi & Maronæam petiit: ita deſtituta eorum ſpe, qui fratre accuſato partitionem regni petiturum crediderant, curia exceſſit. At vide glorioſum veræ virtutis fructum. Vt raro alias, inquit Liuius, quiſquam Rex aut priuatus, tanto fauore, tantoque omnium aſſenſu eſt auditus: ita omnibus honoribus muneribuſ-

que & præſens eſt cultus, & proficiſcentem proſecuti ſunt. Expertus, vt pręmonuerat Stratius, eos ipſos, qui eum contra fratrem ſtimulabant, pietatis conſtantiæque laudatores, quod fidem fratri ad vltimum præſtitiſſet.

LVIII. *Legatio à Maſaniſſa.*

ALTERA fuit à Maſaniſſa, eaque gemina. Nam primum Maſgabas, filius Maſaniſſæ, egregius adoleſcens mitiſſima Senatum oratione, gratiſſimáque demulſit, dum inter alia, duo patri ſuo rubori fuiſſe dixit, vnum quod cum Senatus per legatos rogaſſet, quæ ad bellum opus erant, & non imperaſſet. Alterum quod pecuniã ei pro fruměto miſiſſet. Cum meminerit, inquit, pater à quibus regnum acceperit, proptereáque æquum ſit eos in eodem regno imperium exercere, eiuſque fructus decerpere. Deinde cum ſuperuenientes equites pro deuicta Macedonia patris nomine gratulãdum Senatui Maſgabæ nunciaſſent; tantæ eam rem lætitiæ patri ſuo eſſe dixit, vt Romam venire velit, & Ioui in Capitolio, ſi per Senatum liceat, gratulabundus ſacrificare.

Gratus eius in Senatũ animus.

LIX. *Senatus in eum, eiuſq; filios amor.*

SENATVS regulo humaniſſimè reſpondit, & patris eius beneuolentia in populum Ro. grato animo, multiſque ac diuturnis variis in bellis officiis commendatis, negauit hunc laborem Maſaniſſæ ſuſcipiendum, neque è Republica eſſe dixit eum Africa excedere. Romæ filium pro patre ſacra facturum, ab eoque ſatis vtriuſque nomine gratulatum. Munera deinde ex centum pondo argenti emere iuſſus eſt Quæſtor, quæ illi darentur, præter veſtimenta data comitibus, omnemque ſumptum præbitum, quandiu in Italia fuiſſent, & naues conductas, quæ eos in Africam reueherent. Sicut & cum primum in Italiam appuliſſet præſto ei fuit Manlius quæſtor, qui eum Romam publico ſumptu perduceret.

Pari charitate in alterum Maſaniſſæ filium Miſagenem certatum eſt, cum eum, poſt deuictum Perſea, à L. Paulo miſſum in Africam cum equitibus ſuis, tempeſtas, diſperſa claſſe, Brunduſium cum tribus nauibus, ægrum detuliſſet.

LX. *Legatio Rhodiorum*

ALTERA fuit ſiue legatio, ſiue concertatio Rhodiorum; qui cum veniſſent inter alias multas Aſiæ Græciæque ciuitates, de quibus agit Polyb. n. 94. Romanis victoriam Macedonicam in veſte candida gratulaturi, ita auerſos à ſe omnes inuenerunt, vt neque ſociorum, & amicorum hoſpitali more tractarentur, neque in Senatu dicere permitterentur: quinimo Prætor vrbanus nouo more, rogationem ad populum, inconſulto Senatu, intercedentibus tribunis ferret, vt bellum Rhodiis indiceretur.

Male accipiuntur.

Rhodij extemplo, veſte ſordida ſumpta, domos principum cum precibus & lacrymis circuibant, orantes, vt prius cognoſcerent cauſam, quam condemnarentur; ne noua falſaque crimina plus obeſſe Rhodiis æquum cenſerent, quam antiqua merita, quorum ipſi teſtes eſſent.

LXI. *Cauſam ſuam agũt in Senatu.*

IN curiam tandem admiſſi orationem habuerunt, quam Liuius expreſſit elegantiſſime. In qua poſt deploratum præſentem ſtatum ſuum Romæ, ex comparatione cum præcedenti, quo plurimum gratia apud populum Romanum valuerunt, illud etiam lamentantur, quod cum Macedones, & Illyrij, quibuſcum hoſtibus pugnatum eſt, liberi eſſe iubeantur, Rhodij, qui nihil aliud quam hoc bello quieuerunt, ex ſociis hoſtes à Romanis iudicentur: qui cum niſi iuſtiſſimis de cauſis bella ſuſcipiant, nonnullorum ciuium Rhodiorum culpam, qui Perſeo fauebant, velint in vniuerſam ciuitatem redundare; eóque iniuſtius, quod eos dedere Romanis parati ſint, vt meritas ab eis exigant pœnas.

Non ſtetiſſe à Perſeo.

Inde Rhodios à Perſeo non ſtetiſſe eleganter & acute docent. Dum enim oſtendunt quo ſe modo gerere ſoleant in bello, pro iis quibus ſocij ſunt, ſimul commemorant ſua pro Rep. Rom. benefacta, & vice verſa oſtendunt iuſtam Perſeo, ſi viciſſet, querelæ cauſam futuram fuiſſe de Rhodiis, à quibus ita deſertus, ac nulla re adiutus eſſet.

LXII. *Cur ceſſatũ à Rhodiis.*

CESSATIONIS etiam cauſam recte defendunt, docentes principio belli legatos miſſos à Rhodis ad Romanos, qui ſe ad omnia, ſicut prioribus bellis paratos fore pollicerentur; ne auxilio eſſent per Romanos ſtetiſſe, qui ea aſpernati eſſent. Purgata ceſſatione, verbis etiam atq; adeo cogitationibus patrocinium adhibent. Verborum & legationis in Senatu Romano inſolentiam multipliciter extenuant, quod ea paucorũ volũtate, qui plebem deprauarint facta fuerit, quod eadem ad Perſeum miſſa fuerit, quod ea vanitas, Aſianis vrbibus propria, etiam Rhodum nonnihil in-

fecerit, ſicut ſinguli populi ſuis laborent vitiis. Quod iidem legati ſatis confuſionis ac contumeliæ, pro ea temeritate acceperint, quod ſuperba atque inſolens legatio, hac altera ſupplici ac miſerabili expietur, quod ex contemptu profecta non ſit, denique etiam deos inquiunt, aliqui verbis ferocioribus increpant, nec ob id quemquam fulmine ictum audiuimus.

LXIII. *Excuſant voluntates in Perſeum pronas.*

POSTREMO etiam voluntates, quibus Perſeo victoriam maluerint quam Romanis defendit. Quod nullis vnquam legibus voluntates, perinde atque crimina ipſa, capitali pœna plectantur: quod vt in humanis legibus valeat, quibus hominum voluntates fere occultæ ſunt, non valet tamen in lege Dei, qui ſcrutatur profunda cordium, & internis ſenſibus externiſque dominatur. Illud etiam Rhodij in ſua cauſa ponunt, quod ea voluntas paucorum fuerit, vt iniuſtum ſit paucorum culpam omnium pœna expiari, cum deceat potius propter innocentes, noxiis pœnam remitti. Quod illi ipſi qui in eo deliquerunt, & iam ſatis pœnarum Rhodiorum ciuitati exoluerint, & inſuper Romanis dedantur ad pœnam. Ad extremum orant, vt præcedentia omnia merita, hoc quod nunc in officio ceſſatum eſt expleat. Cum tribus regibus, inquiunt, geſſiſtis bella per hos annos, ne plus obſit nobis, quod vno bello ceſſauimus, quam quod duobus bellis pro vobis pugnauimus, Philippum, Antiochum, Perſea tanquam tres ſententias ponite, duæ nos abſoluunt, vna dubia eſt, vt grauior ſit, &c. Omnia præclara, illa vero aurea.

LXIV. *Poſtrema ſupplicatio.*

VOS iudicate P. C. ſit Rhodus in terris, an funditus deleatur. Non enim de bello deliberatio eſt Patres conſcripti, quod inferre poteſtis, gerere non poteſtis, cũ nemo Rhodiorum arma aduerſum vos laturus ſit. Si perſeuerabitis in ira, tempus à vobis petemus, quo hanc funeſtam legationem domum referamus; omnia libera capita, quidquid Rhodiorum virorum ac fœminarum eſt, cum omni pecunia noſtra naues conſcendemus, ac relictis penatibus publicis, priuatim Romam veniemus, omnia noſtra in veſtibulo curiæ veſtræ cumulabimus, corpora noſtra, coniugum, liberorum, veſtræ poteſtati permittemus, dum procul ab oculis noſtris vrbs noſtra diripiatur, atque incendatur. Hoſtes Rhodios eſſe Romani iudicare poſſunt, Rhodij ſe Romanis eſſe non putant, neque hoſtes agent quamuis hoſtilia patiantur.

LXV. *Quis legationis exitus.*

FRANGERET ſine dubio ferreos animos hæc oratio, præſertim ſi accederet actio, vt aiebat ille, plena animi, plena ſpiritus, plena doloris, plena veritatis. Itaque etiam Porcius Cato, etſi aſper ingenio, tum lenem mitémque Senatorem egit. Nihilominus Rhodiis ita reſponſum eſt, vt nec hoſtes fierent, nec ſocij permanerent, & Lycia, & Caria, quibus dudum donati fuerant, mulctarentur. Tantum inconſulta illa legatio, in ſuperbis Romanorum animis, vulnus inflixerat! tantum atrocis vltionis reliquerat appetitum!

Eam pœnam Rhodij, qui deteriora timuerant, in lucro poſuerunt; & virgam, qua cæſi fuerant, exoſculati, coronam viginti millibus aureorum decreuerunt, vt ſocietatem cum Romanis impetrarent, quam expetebant, non quo tutiores eos ab aliis faceret, neque enim timebant quemquam præter Romanos, ſed quæ Rhodios Romanis in poſterum faceret minus ſuſpectos.

LXVI. *Quid Liuius hic à Polybio differat.*

CÆTERVM cum ex Lycia & Caria ante certam diem Præfectos deducere iuſſi eſſent, etiam vicini alij deficere cœperunt, quos nihilominus armis in officio continuerunt. Et de legationibus anni huius hactenus, ſi addidero eandem legationem apud Polybium n. 93. haberi, cum nonnulla diuerſitate. Nam Liuius orationem vnam apud Senatores habitam dicit, Polybius apud populum duas, priorem à Philophrone, poſteriorem ab Aſtymede, quas ipſemet arguit quaſi imprudenter factas, pro quibus Liuius vnam ſubſtituit longe accuratiſſimam. Polyb. ſocietatem petitam, & auream coronam decem millium aureorum oblatam à Theodoro claſſis præfecto tradit, ante quam decretum de Lycia & Caria ſibi detractis accepiſſent. At Liuius etiam poſt id decretum expetitam ſocietatem, & 20. millium aureorum coronam oblatam tradit, cætera apud vtrumque ſunt quam ſimillima.

LXVII. *Noua Romana prouincia.*

DEINCEPS deſiderantur in Liuio l. 45. tum alia, tum comitia ipſa conſularia atque prætoria, Conſules tamen, & Prætores mox ab eodem in prouinciarum ſortitione recenſentur. Vbi inter alia Q. Ælio & M. Iunio Coſs. de prouinciis referentibus, cenſuere patres duas prouincias Hiſpaniam rurſus fieri, quæ vna per bel-

lum Macedonicum fuerat: & Macedoniam, Illyricumque eoſdem L. Paulum, & L. Anicium obtinere, donec de ſententia legatorum, & res bello turbatas, & ſtatum alium eius regni formando compoſuiſſent. Coſs. Piſæ & Gallia decretæ, cum binis legionibus peditum, & equitum quadringentenis.

ILLVD & gratioſum Senatui, etſi non perinde populo gratum, & ad memoriam inſigne à Cenſoribus, & nominatim à Tib. Graccho factum eſt, vt libertini omnes, qui ſeruitutem aliquando ſeruiſſent, in vnam tribum coniicerentur, nec ad varias vage pertinerent, ſors eis Exquilinam dedit. Hæc quidem Liuius; at Aurelius lib. de viris illuſtrib. longe aliter. Cenſor, inquit, ſcilicet Tib. Gracchus, libertinos, qui ruſticas tribus occuparant, in 4. vrbanas diuiſit. Ob quod à populo collega eius Claudius, nam ipſum autoritas tuebatur, reus factus eſt, & cum Claudium duæ claſſes condemnaſſent, Tib. iurauit ſe cum illo in exilium iturum, ita reus abſolutus eſt. Hæc ibi, quæ à Cicerone l.1. de orat. & 6. de Rep. fidem accipiunt, vt notauit Sigonius. Hi Cenſores decennio ante collegæ in Conſulatu fuerant. LXVIII. *Libertinorum tribus.* | n. 57. | *An vnica.*

Senatus deinde, egregio pietatis argumento, dona ad omnia puluinaria deorum dari iuſſit, in gratiarum actionem pro aucto Romano imperio, Gentio & Macedone ſuperatis, paria iis, quæ ante deuicto Antiocho Magno dari iuſſerat: argumento inquam pietatis ac munificentiæ, quam, in loca ſacra vero Deo, demonſtraſſent, ſi eos in veri Dei cognitionem venire contigiſſet. *Pietas Senatus.*

LEGATOS deinde decreuerunt, quorum de ſententia Impp. L. Paulus, & L. Anicius, in Macedonia, & Illyrico res componerent; in Macedonia decem, quinque in Illyrico. Cæterum quamquam tales viri mittebantur, quorum de ſapientia & conſilio ſperari poſſet, Impp. nihil indignum neque clementia, nec grauitate populi Ro. decreturos eſſe, tamen in Senatu quoque agitata eſt ſumma conſiliorum, vt inchoata omnia legati ab domo ferre ad Impp. poſſent. LXIX. *Legatos mittit in Macedoniam.*

Omnium primum liberos eſſe placebat Macedonas, atque Illyrios, vt omnibus gentibus appareret arma populi Ro. non liberis ſeruitutem, ſed contra ſeruientibus libertatem afferre: vt & in libertate gentes quæ eſſent, tutam eam ſibi, perpetuámque, ſub tutela populi Ro. eſſe ſperarent, & quæ ſub Regibus viuerent, mitiores eos erga ſe, reſpectu populi Ro. experirentur. Et ſi quando bellum populo Rom. cum regibus ipſorum eſſet, exitum eius, victoriam Romanis, ſibi libertatem crederent allaturum. *Quibuſcũ mandat iis.* *Primum conſtituenda libertas.*

METALLI Macedonici vectigal, locationeſque prædiorum ruſticorum tolli placuit, nec ab ipſis Macedonibus exerceri, vt ne libertas diminuta, aut ſeditionibus occaſio data videretur. Commune concilium gentis eſſe placuit, in 4. Regiones deſcribi Macedoniam, & ſuam quamque Concilium habere, ne improbum vulgus libertatem in peſtilentem licentiam traheret. Placuit & dimidium tributi, quod regibus ferre ſoliti erant, eos populo Ro. pendere. LXX. *Alia mãdata pro Macedonibus.*

Similia his & in Illyricum mandata; cætera ipſis Imperatoribus, legatiſque relicta, in quibus præſens tractatio rerum, certiora ſubiectura erat conſilia. Ad ea nos deinceps tranſeamus. *Et Illyriis.*

ET vt ab Illyrico cum Liuio noſtro ducamus initium, L. Anicius, Gentio in poteſtatem redacto, Scodræ, quæ regia fuerat, præſidio impoſito, aliiſque vrbibus præfectis conſtitutis, cum reliquo exercitu in Epirum eſt profectus. Vbi poſt nonnullam in aliquibus locis dimicationem, tota regio in poteſtatem Romanorum tranſiit. Pacata Epiro, diuiſiſque in hyberna copiis per opportunas vrbes, regreſſus ipſe in Illyricum, Scodræ, quo quinque legati Roma venerant, euocatis ex tota prouincia principibus, conuentum habuit. Ibi pro tribunali pronunciauit de ſententia concilij, S.P.Q.R. Illyrios eſſe liberos iubere, præſidia ex omnibus oppidis, arcibus & caſtellis ſeſe deducturum; quoſdam etiam, qui Gentio adhuc incolumi ad Romanos defeciſſent, immunes eſſe; tributum, quod regi ante pendiſſent, eius dimidium Romanis ſoluere. Inde in tres partes Illyricum diuiſit, quarum ſua quæque gentis commune concilium haberet. LXXI. *Anicius Epiro potitur.* *Illyriam prouinciam cum legatis conſtituit.*

HÆC dum in Illyrico geruntur, Paulus ante aduentum decem legatorum, Q. Maximum filium, iam ab vrbe regreſſum, & L. Poſthumium ad aliquot vrbes diripiendas, magis, vt apparet, ad ſatiandum prǫda militem, quam ad culpas vindicandas miſit. Ipſe Græciæ viſendæ ſtudio, per autumnum profectus, maximam eius LXXII. *Aemylius ſatiat præda militem.*

Perſeum diligentius cuſtodit.

partem perluſtrauit. Inde Demetriadem venit, vbi cum fama nunciaſſet decem legatos traieciſſe iam mare, omnibus aliis omiſſis Apolloniam ad eos pergit. Quo cum Perſeus obuiam Amphipoli, nimis ſoluta cuſtodia proceſſiſſet, id diei iter eſt, ipſum quidem benigne allocutus eſt; cæterum poſtquam in caſtra ad Amphipolim rediit, grauiter increpuiſſe traditur C. Sulpicium, quod Perſea tam procul à ſe vagari per prouinciam paſſus eſſet: Deinde illum, cum maiore filio Philippo, A. Poſthumio in cuſtodiam miſit; filiam cum minore filio à Samothrace accitos, Amphipolim, omni liberali cultu habuit.

LXXIII. *Concilium habet cum legatis Amphipoli.*

Vbi dies aduenit, quo adeſſe Amphipoli denos principes ciuitatum iuſſerat, & pecuniam regiam conferri, cum decem legatis, circumfuſa omni Macedonum multitudine, in tribunali conſedit. Silentio per præconem facto, Paulus Latine quæ Senatui, quæ ſibi ex Concilij ſententia viſa eſſent, pronunciauit: ea Cn. Octauius Prætor interpretata ſermone Græco referebat. Omnium primùm populum Romanum liberos eſſe iubere Macedonas, vrbes eaſdem, agroſque habere, & vti legibus ſuis, creare annuos magiſtratus, tributum dimidium eius quod pependiſſent regibus, pendere populo Ro. illud exprimit Plut. Iuſſit, inquit, vt centum talenta tributi populo Ro. ferrent, cum plus altero tanto Regibus pependiſſent.

Libertas datur Macedonibus.

LXXIV. *Regnum quadripertito diuiſum.*

Deinde in 4. regiones diuidi Macedoniam; vnam fore & primam partem, quod agri inter Strimonem & Neſſum amnes ſit, & nonnulla præterea, ab ortu & occaſu, oppida & caſtella; ſecundam quæ vſque ad Axium fluuium, ad occaſum & meridiem porrigeretur; tertiam inde ad amnem Peneum: quartam quæ vſque ad confinia Illyrici, & Epiri protenderetur.

Totidemq; Concilia.

Capita regionum vbi concilia fierent, primæ regionis Amphipolim. Secundæ Theſſalonicem, Tertiæ Pellam, Quartæ Pelagoniam fecit. Eo concilia ſuæ cuiuſque regionis indici, pecuniam conferri, ibi magiſtratus creari iuſſit. Pronunciauit deinde neque connubia, neque commercia agrorum, ædificiorúmque inter ſe, placere cuiquam extra fines regionis ſuæ eſſe, aliáque nonnulla; & quamuis inſperata libertas, & diminutio vectigalis erigebat animos, commerciorum tamen interruptio, dilaceratio membrorum animalis videbatur, quæ mutua inuicem opera indigerent.

LXXV. *Nouus Senatus Macedonum.*

Cvm rurſum Macedonum concilium aduocatum eſſet, pronunciauit, Senatores quos Synedros vocant legendos eſſe, quorum conſilio Reſp. adminiſtraretur. Nomina deinde ſunt recitata principum Macedonum, quos cum liberis maioribus quindecim annis, præcedere in Italiam placeret. Hi erãt qui regiis miniſteriis, præfecturis, legationibus aſſueti, pollentes opibus, neque legum, neque libertatis patientes, haud facile in Macedonia quieturi erant. Hi omnes iuſſi Macedonia excedere, atque in Italiam ire; qui non paruiſſet imperio, mors denunciata.

Optimates Romam abducũtur.

Noua Macedonum leges.

Leges Macedoniæ dedit cum tanta cura, vt non hoſtibus victis, ſed ſociis benemeritis dare videretur; & quas ne vſus quidem diuturni temporis, qui vnus eſt legum corrector, experiendo argueret. Ludicrum deinde conuocatis ex tota Græcia, Theſſalia, Macedonia, aliiſque prouinciis, tam primariis viris, quam artificibus ludicrarum artium, ſummæ hominum frequentiæ exhibuit, omni cum apparatu, qui in magnis Græciæ ludis adhibetur. Addidit epulas legationibus paratas, & opulentia & cura eadem.

Ludicrum & epulæ.

LXXVI. *Spectaculum prædæ Macedonicæ.*

Deinde etiam geminum ſpectaculum; clypeis æreis in naues impoſitis, omnis generis arma cumulata in ingentem aceruum, diis dicata, ſubiecta primus face ſuccendit. Præda inde Macedonica omnis ſtatuarum, tabularum, textilium, vaſorum ex auro, & argento, & ære, & ebore, factorũ ingenti cura, vt viſeretur, vtique imprudenter expoſita, quæ in claſſem impoſita, deuehenda Romam Cn. Octauio data. Imprudenter inquam: id enim ſpectaculum inuidiam ac dolorem Macedonum, qui tanquam à potentioribus prædonibus ſpoliabantur acuere potuit; certe Romani militis auaritiam vehementer accendit, adeo vt permiſſa iterum in Epiro atque Illyrico ſeptuaginta oppidorum, quæ Perſeum iuuiſſe dicebantur, direptione, non pauciora enim numerat Liuius, ſatiari non potuerit. Nec direptione contenti, muros direptarum vrbium diruerunt, centum quinquaginta millia capitum humanorum in ſeruitutem abduxerunt, qui libertatem ciuitatibus pollicebantur.

Inuidioſum Macedonibus.

Et Romanis.

Eorum infanda auaritia.

LXXVII *Æmylius Romam adit.*

PAVLVS ad mare Oricum deſcendit, nequaquam, vt ratus erat, expletis militum animis, qui tanquam nullum in Macedonia geſſiſſent bellum, expertes regiæ prædæ eſſe indignabantur. Orici exercitu in naues impoſito in Italiam traiecit, quem poſt aliquot dies receptis iiſdem nauibus, Anicius cum ſuo exercitu, & Octauius cum claſſe ſua ſecutus eſt.

Appellitque cum ſociis.

Romam primum reges captiui Perſeus & Gentius, in cuſtodiam cum liberis abducti, dein turba alia captiuorum, tum quibus Macedonum denunciatum erat vt Romam venirent. Paulus ipſe poſt dies paucos regia naue ingentis magnitudinis, quam ſexdecim verſus remorum agebant, ornata Macedonicis ſpoliis, aduerſo Tyberi ad vrbem eſt ſubuectus, completis ripis obuiam effuſa multitudine. Paucos poſt dies Anicius & Octauius claſſe ſua aducti.

LXXVIII. *De Triumpho certatur.*

Eadem Velleius.

TRIBVS iis omnibus decretus eſt à Senatu triumphus, ſed odium Sulpicij Galbæ in Æmylium, ei pene triumphum eripuit. Magnam enim militum partem, quibus diſciplina militaris ſeuerior viſa fuerat, & quorum inexplebili auaritiæ & crudeli rapacitati tot vrbium præda non ſuffecerat, excitauit, vt inſolita rogatione ad populum de eius triumpho, contrarium ei ſuffragium ferrent. Et iam primæ tribus rogationem antiquabant, frementibus omnibus bonis, ipſoque Senatu, qui præiudicium tulerat; cum M. Seruilius, qui Conſul & Mag. equitum fuerat, reuocatis à Tribunis plebis ad ſuffragium tribubus, orationem ad Quirites pro Æmylij Pauli triumpho habuit, perfecitq; vt deuicta inuidia frequentibus ſuffragiis Æmylio triumphus decerneretur. Eam orationem Plutarchus in Æmylio repræſentat.

LXXIX. *Triumphus Æmylij.*

TRIVMPHI deſcriptio apud Liuium iniuria temporum intercidit, quem Plutarchus in Æmylij vita fuſe perſequitur, ex quo hæc ſummatim accipe. Pompa ipſius triũphi ſic erat inſtituta, vt tribus diebus perageretur. Prima die bigis ducentis & quinquaginta tractę ſtatuæ captiuę, tabulæ pictæ, coloſſi. Secunda die inuecta ſunt multis curribus arma Macedonica, electis pulcherrimis & artificioſiſſime factis: & inter ſe ita aptatis, vt mutuo in vectatione colliderentur, ſonúmque aſperum ac terribilem ederent, ac victa etiam & innoxia non ſine horrore ſpectarentur. Hos currus ſequebantur vaſa 750. trium talentorum ſingula capacia. In his argenteum nomiſma inferebatur à tribus virorum millibus, quaternis ſingula vaſa ſubeuntibus. Ea talenta, ſi Attica fuerunt, aſcendunt ad duos miliones 362. millia francorum, & inſuper quingentos. Si Euboica, ad tres milliones, 150. millia francorum Gallicorum. Hæc erat argentea pecunia. Nam de aurea mox dicetur.

Spectaculũ primi diei, & ſecundi.

XXC. *Spectaculum tertij.*

ALII autem crateres argenteos, pocula, pateras, caliceſque eximiæ artis, mole ſua ac craſſicie viſenda, quæ, quia pondus non eſt appoſitum, æſtimare non poſſumus. Tertia die ſummo mane tubicines intrauerunt claſſicum canentes, quos ſequebantur 120. tauri altiles, auratis cornibus mitris ſertiſque ornati, quos iuuenes cincti prætexta ad ſacrificium ducebant; iuxtáque pueri pateras ad libandum aureas, argenteaſque ferebant. Poſt hos aureum nomiſmà vaſis 77. portabatur, in quorum ſingulis ſi tria auri talenta capiebantur, & ſingula talenta ſunt centum librarum, & ſingulæ libræ 100. aureorum, conficitur tota ſumma auri duûm millionum 310. millium coronatorum. Hos ſequebantur qui ſacram pateram geſtabant, quam ex 10. auri talentis, gemmiſque vndique inſertis Æmylius fieri curauerat: ergo ex centum millibus aureorum, omiſſo valore gemmarum, quas precioſiſſimas æſtimare res ipſa cogit. His aderant qui Antigonidas, Seleucidas, Thericleas, reliquaque aurea vaſa, quibus in cæna vti ſolitus erat Perſeus, oſtentabant.

XXCI. *Captiui regis cum familia ſpectaculũ;*

HIS ſuccedebat Perſei currus & arma, iiſque impoſitum diadema captiuum. Modico deinc interuallo eius liberi duo maſculi, vna filiola, cum multa alumnorum & pædagogorum caterua plorantium, & manus ad inſpectantes tendentium, & liberos, vt idem facerent admonentium; qui per ætatem cum magnitudinem calamitatis ſuæ æſtimare non poſſent, eo magis miſerationem ſpectatoribus mouebant. Poſt eam turbam Perſeus incedebat pullo amictu, crepidiſque Macedonicis; malorum autem mole attonito, mentique alienato ſimilis videbatur. Cui aderat turba amicorum, & familiarium, eius ſuamq; calamitatem deplorantium. Miſerat quidem ad Æmylium Perſeus qui deprecarentur, ne in triumphum duceretur. Cui ille tacite molliciem, ac vitæ cupiditatem exprobrans, reſpondit, hoc in eius fuiſſe poteſtate, & etiam nunc eſſe.

XXCII. *Victoria Æmylij cum exercitu.*

SECVNDVM hos aureæ coronæ quadringentæ inferebantur, quas diuerſæ vrbes Æmylio per legatos dono miſerant, victoriam gratulandi cauſa. Inde ipſe Æmylius curru ornatiſſimo inuectus eſt, amictus purpura auro intertexta, dextera frondem lauri tenens. Totus exercitus lauro coronatus, centuriatim ac per manipulos diuiſus, Imperatoris currum ſequebatur, canebatque cum patria quædam carmina, riſu ſalibuſq; admiſtis, tum pœana, de victoria, & rebus geſtis Æmylij, qui in omnium oculis erat, & tantæ gloriæ admiratione ac gratulatione, omnium bonorum animos ad ſe rapiebat, tãquam in apice felicitatis humanæ conſtitutus. Verum hæc fœlicitas vt hominis fuit, cui nihil eſt in hac vita ab omni parte beatum. Audi enim Liuium.

XXCIII. *Infelicitas Æmylij.*

SED non Perſeus tantum per illos dies documentum humanorum caſuum fuit, in catenis ante currum victoris ducis, per vrbem hoſtium ductus, ſed etiam victor Paulus auro purpuraque fulgens. Nam duobus è filiis, quos, duobus datis in adoptionem, ſolos nominis, ſacrorum, familiæque hæredes retinuerat domi, minor ferme duodecim annos natus, quinque diebus ante triumphum, maior quatuordecim annorum triduo poſt triumphum deceſſit; quos prætextatos curru vehi cum patre oportuerat, ſibi his ſimiles prædeſtinantes triumphos. Eadem habent Plut. Et Velleius l. 1. Sed Plutarchus maiorem natu ante triumphum deceſſiſſe ait.

Paucis poſt diebus data à M. Antonio tribuno pl. concione, cum de ſuis rebus geſtis, more cæterorum imperatorum diſſeruiſſet, magnáque in omnibus vſum fœlicitate docuiſſet, cum non eſſet, inquit, quod vltra precarer, illud optaui, vt cum ex ſummo retro volui fortuna conſueſſet, mutationem eius domus mea potius, quam Reſp. ſentiret. Itaque defunctam eſſe fortunam publicam mea tam inſigni calamitate ſpero, quod triumphus meus, velut ad ludibrium caſuum humanorum, duobus funeribus liberorum meorum eſt interpoſitus. Et cum ego & Perſeus nunc nobilia maxime ſortis mortalium exempla ſpectemur, ille qui ante ſe, captiuus ipſe, duci liberos vidit, incolumes tamen eos habet: ego qui de illo triumphaui, ab alterius funere filij, curru ex Capitolio, ad alterum prope iam expirantem veni. Ita Liuius.

XXCIV. *Quæ eius cauſa videatur.*

VERVM in hac fortunæ, quam vocant rota retrorſum conuerſa, L. Paulo cogitandum fuit, hanc conuerſionem crebro contingere, non ad temperandam fœlicitatem, ſed ad puniendas culpas, quæ fœlicitate obſecundante contrahuntur. Meminiſſe poterat tot oppidorum in rapinam conceſſorum, non tam ad puniendas miſerorum culpas, quam ad ſaginandam militum auaritiam, quos etiam diuino iudicio habuit triumphi ſui refragatores. Meminiſſe oportuit Perſeum, ad ſibi manus inferendas, cum irriſione à ſe inuitatum, vt paulo ante ex Plutarcho referebamus. Cæterum recte monuit Sigonius in oratione Æmylij legendum; & quod bellum per triennium tres ante me Conſules ita geſſerant, vt ſemper ſucceſſori traderent grauius, id ego quindecim diebus perfeci: non enim per quinquennium durauit hoc bellum, ſed quadriennium tantum; fueruntq; tres Conſules in hoc bello Imperatores Licinius, Hoſtilius, & Marcius. Sed illud quoque conſiderandum videtur, quomodo ſe tanta celeritate vſum in conficiendo bello dicat, vt à profectione Brunduſina, vſque ad prælium quo debellatum eſt, vix triginta dies numeret, cum ex ipſomet Liuio conſtet pridie nonas Septemb. pugnatum eſſe, & pridie Calend. Aprilis ex vrbe in Macedoniam cum Cn. Octauio profectum: num quatuor totos menſes ab vrbe Brunduſium vſque poſuit? Sed aliquid etiam de duobus reliquis triumphis dicamus.

XXCV. *Naualis triumphus de Perſeo.*

CN. Octauius Cal. Decembribus de rege Perſeo naualem triumphum egit. Is triumphus ſine captiuis, ſine ſpoliis fuit; dedit ſociis naualibus in ſingulos denarios ſeptuagenos quinos, id eſt 15. francos, datis 4. ſolidis in ſingulos: gubernatoribus qui in nauibus fuerant duplex, magiſtris nauium quadruplex. Naues regiæ captæ de Macedonibus inuſitatæ ante magnitudinis, in campo Martio ſubductæ ſunt.

De Gentio, & Illyriis.

L. deinde Anitius Quirinalis, (dicendum videtur Quirinalibus, quod ſignificat tempus quo triumphauit, vt patet ex Tab. Capit. Erant autem Quirinalia feſti dies in honorem Romuli, ſiue Quirini celebrari ſoliti) triumphauit de rege Gentio, Illyriiſque. Similia omnia magis viſa hominibus, quam paria; minor ipſe Imperator Anicius cum Æmylio collatus, & nobilitate, & imperij iure: alter quippe iam

bis Conſul fuerat, alter ſemel Prætor; Sed nec Gentius Perſeo, nec Illyrii Macedonibus, nec ſpolia ſpoliis, nec pecunia pecuniæ, nec dona donis comparari poterant. Itaque ſicut præfulgebat huic recens Pauli triumphus, ita apparebat, ipſum per ſe intuentibus, nequaquam eſſe contemnendum.

XXCVI. *Æ. L. Anitio decretus.*

PERDOMVERAT intra paucos dies ferocem, locisque munitis fretam gentem Illyriorum, regem, regiæque ſtirpis omnes ceperat. Tranſtulit in triumphum multa militaria ſigna, ſpoliaque alia, & ſuppellectilem regiam, auri viginti & ſeptem, argenti decem & nouem pondo (prior ſumma reſpondet duobus millibus & ſeptingentis coronatis, poſterior ducentis & nouem; ſed fortaſſe tranſpoſitus eſt numerus; plura enim argenti pondo, quam auri eſſe ſolent) denariûm tria millia, id eſt 200. coron. centum viginti millia Illyrici argenti. Rex Gentius cum liberis, & coniuge, & fratre Spoletium in cuſtodiam ex S.C. ductus eſt, cæteri captiui Romæ in carcerem coniecti. *Quid factũ Gentio.*

XXCVII. *Perſei exitus.*

REX autem Perſeus cum Alexandro filio Albam in cuſtodiam ductus eſt, cum comitibus, pecunia, argento, inſtrumentoque quod habebat. Perſei vero miſeratus conditionem Æmylius, ait Plutarchus, cum maxime ſtuderet opitulari ei, nihil habuit niſi vt pro carcere, in libera & humana cuſtodia teneretur; in qua dum aſſeruatur, ſibi ipſe, vt plerique tradiderunt, inedia mortem conſciuit: aliqui perpetuis vigiliis conſumptum ſcripſerunt. Ita Plutarchus. Velleius l. 1. tradit eum quadriennio poſt in libera cuſtodia Albæ deceſſiſſe. Vide Diodorum, qui hæc copioſius non ſine diuerſitate, libro 31. perſecutus eſt: & de vigiliis conſentit Plutarcho, ſed ei vitam ad biennium duntaxat, largitur, quibus potuiſſet ingentes præterire vitæ culpas pœnitentia expiare. Defuncti etiam eius filius vnus cum filiola, tertium Alexandrum egregium artificem in tornando & cælendo auro & argento fuiſſe referunt. Inde Romanis literis, & ſermone præceptis, ſcribæ operam præbuiſſe magiſtratibus. Sic fere Plutarchus in Æmylio Paulo. *Eccl. 2. in frag.*

XXCVIII. *Legatio regis Thraciæ.*

SVB eos triumphorum dies Cotys Rex Thracum legatos miſit, & pecuniam ad redimendum filium, alioſque obſides, quos antea Perſeo datos, Romani captiuos auexerant. Sed eos quamuis conſtaret Cotyn Perſei amicitiam prætuliſſe Romanæ, Romani liberaliter ad demerendum Thraces reddiderunt; ſimulque & alterum Bitis reguli Thracum filium. Quin etiam legatos ſolitis muneribus duûm millium æris donauerunt: priorem legationem tangit Polybius, n. 96. vbi Cotyn Odryſarum regem vocat.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3887.

1. Num. XXXVII. Nam conſolabitur παρακληθήσεται eſt faciet vt conſolemur, ſicut dicitur facere aliquid vt ſciat, vel cognoſcat, pro eo quod eſt ſcire nos faciat, & cognoſcere, Geneſ. 18. 21. Exod. 35. 5. Sic, vt ſanctificer in medio filiorum Iſraël, Leuit. 22. 32. vt ſanctum me eſſe oſtendam. Deuter. 30. 9. Reuertetur enim Dominus, vt gaudeat ſuper te in omnibus bonis, ſicut gauiſus eſt in patribus tuis: quod eſt gaudere te faciat, ſicut gaudere fecit patres tuos.

2. N. XLIX. Cæterum illud *modicum* hoc quoque loco ad tempus pertinet. Eſt enim in Græco βραχὺν πόνον, & βραχέως ἐπώργισται, id eſt breui ira commotus eſt; & breuem dolorem perpeſſi, diuino perennis vitæ pacto continentur. Tigur. πεπτώκασι, cecidit, quaſi dicat, ſors æternæ vitæ obtigit fratribus meis. Illud quoque, *in ſeruos eius inflammatus*, ad verbum ita legitur, ne fruſtra extollaris fremens incertis expectationibus, contra cœleſtes ſeruos eleuans manum: vbi vulgatus interpres videtur legiſſe ἐπυρώμενος, & non ἐπαιρόμενος, vt nos legimus. Exaudiuit autem Dominus orationem martyris, tam petentis populo ſuo miſericordiam, & inflictorum verberum æquitatem confitentis, quam confeſſionem de tyranni ore exprimi poſtulantis, vt c. 9. l. 2. dicetur.

3. N. LIV. Tranſit autem à ſupplicio Eleazari ad 7. fratres hoc modo. Tunc incredibiliter Rex commotus, iuſſit alios ex ipſa Hebræorum multitudine adduci; & ſi quidem profanas carnes ederent, ſolui ac dimitti, ſin aũtem renuerent, acerbius torqueri imperauit. Statim igitur in medium pertrahuntur cum ſeniore iam matre ſeptem fratres, magna omnes elegantia & venuſtate, & in primis generoſi.

Aſpectu ipſo tactus eſt tyrannus, & iuuenum indole obſtupefactus, irriſis illis, & propius aduocatis. *Adoleſcens*, inquit, *decorem iſtum, & pulchritudinem veſtram admiror, amóque, & hanc tantam vnius matris ſobolem egregie honorare cupiens, non ſolum moneo, ne eadem inſa-*

nia furere velitis, quãis qui ante ſupplicio eſt affe ctus: verum etiam cohortor vnumquemque veſtrum, mihi vt obſequentes gratia omnes mea, & amicitia fruamini. Vt enim imperium meum detrectantes mulctare poſſum, ſeueriuſque punire, ſic obtemperantes beneficio afficere. Mihi igitur credite, & præfecturas apud me capietis, ſi patrias Reſp. veſtræ leges ritusque abnegaueritis. Accipientes autem Græcam viuendi rationem, eique inhærentes in ſumma voluptate adoleſcentiam veſtram tranſigetis. Quod ſi minus dicto audiẽtes, me ad iracundiam prouocaueritis, cogetis me grauiſſimas pœnas ab vnoquoque veſtrum repetere, atque adeo vi tormentorum, omnium vitam extinguere. Capiat igitur vos veſtri ipſorum miſeratio, quos ego hoſtis, iſtius ætatis & venuſtatis gratia miſereor. Nonne ſatius eſt cum animo veſtro reputare, nihil aliud obſtinatos manere, quam vt tormentis exanimati vitam proiiciant? Hæc cum dixiſſet, varia ſuppliciorum inſtrumenta ante oculos poni iubet, vt incuſſa mentibus formidine, profano cibo vti perſuadeat. Statim igitur producunt armigeri rotas, radios, equuleos, rotabula, catapultas, lebetes, frixoria, digitaria, manus ferreas, ſubulas ſuccenſorias: & ſimul *boni adoleſcentes,* inquit, *exhorreſcite, & iſta formidate, & quæ à vobis diuina mens colitur, propitiam vobis fore putatote, ſi quid coacti præter voluntatem deliqueritis.* Hoc ipſo argumento vſus eſt ſupra aduerſus Eleazarum. Et credidit fortaſſe Ioſephus, vel ſi magis placet, Antiochus, aut voluntatem cogi poſſe, aut metu grauis mali licere peccare; quod vtrunque falſum eſt. Quomodo autem potuiſſent, tam ingentibus malis propoſitis, obtemperare tyranno, iam ſupra attigimus; ſi is videlicet, non in odium & contemptum diuinæ legis & cultus, quem omnibus in rebus, etiam lege lata, penitus exſcindere cupiebat, ſed in reuerentiam præcepti Regij, ſuillam comedere imperaſſet. Interpretari enim non imprudenter licuiſſet, Deum in tanta neceſſitate illos ea lege ſolutos eſſe velle, ſicque nullum ſcelus admitti; data nihilominus etiam opera, vt ſcandalum puſillorum tolleretur. Poſita vero & cognita impia Tyranni voluntate, oportuit ſanctos iuuenes ea perpeti, quæ ſunt perpeſſi; aut æternis ſuppliciis obnoxios reddi.

Sed redeamus ad elegantem Ioſephi declamationem, quod hoc libentius facio, quo infidelius hactenus Latinis auribus data eſt. Illi vero, inquit, cum iſtas impiæ linguæ blanditias auribus exciperent, & terribilia illa oculis vſurparent, non modo non cohorruerunt, ſed inſuper bonis dictis, & ſapienti reſponſo immanem hominis importunitatem fregerunt. Et quid eos dixiſſe putemus? quaſi inter eos imbelles quidam fuerint, abiecti, meticuloſi. Qua inquam oratione vſi fuerunt? an forte iſta?

O nos miſeros & impenſe vecordes! Cum Rex ipſe nos cohortetur, & beneficentia ſua prouocet, vt ipſi obſequamur, quid inani & ſtulto conſilio nos ipſos ſuſtentamus, & mortiferæ contumaciæ inſiſtimus? non metuemus mei fratres terribilem hunc apparatum? nec cum animo noſtro reputabimus tormentorum minas in nos intentas? non abiiciemus leuiſſimæ opinionis ſuperſtitionem, & peſtilentem gloriationem? miſereamur ætatis pariter noſtræ, & effœtæ parentis, & cogitemus obaudientibus mortem imminere certiſſimam, veniam autem à diuina mente, ſi coacti iuſſa regia faceſſamus. Quid nos fruſtra iucunda vitæ voluptate, & dulci ornatu ſpoliamus? ne neceſſitati repugnemus, néve mediis in tormentis inani gloriola inſoleſcamus. Intelligit fatalem Stoicorum neceſſitatem, diuinæ prouidentiæ, atque hominum libertati repugnantem; cui adhæſiſſe Ioſephum, alio loco perſpicue oſtendimus, nunc innuiſſe ſufficiat. Pergit autem introductus iſte formidoloſus. Neq; lex ipſa ſpontaneos nos morti obiicit, qui metuenda iſta tormenta reformidemus. Vnde nobis iſta inſedit ambitio: aut cur tantopere patientis animi peſtifera illa obſtinatio placeat, cum liceat magno Regi obtemperando, pacate vitam, & ſine vllo metu agere? At iſtorum quidem fortiſſimi adoleſcentes, priuſquam ſuppliciis admouerentur, nihil aut dixerunt, aut cum animo ſuo cogitarũt. Erant enim omnes eiuſmodi, qui paſſiones contemnerent, & vt quidam imperatores, dominiq; ſui dolorem comprimerẽt. Quare ſtatim ac tyrannus finem dicendi fecit, nefarioſque cibos obtrudendi, omnes ſimul vna voce, tanquam ab vno ſpiritu animaque manante, reſponderunt.

Stoicorum fatum.

Quid cunctaris ô Tyranne? prompti paratique omnes ſumus mori potius, quam patrias leges, aut mandata violare. Nam maiorum quidem iure nos puderet, niſi legum obſeruantia, & magno Moſe veluti conſiliario vteremur. Ne tyranne, ne ſcelus nobis impietatemque ſuggeras, neque tu nos magis, quam ipſi nos ipſos, qui infenſus nobis es, miſerare. Nam iſtam tuam miſerationem, quæ conſceleratam nobis ſalutem pollicetur, ipſa morte grauiorem ducimus. Terres tu nos mortem minitans, per omnes ſuppliciorum gradus quæſitam, quaſi non paulo ante ab Eleazaro doctior euaſeris. Nam ſi bonus ille ſenex Hebræus propter incredibilem pietatem, & reliqui acerbos cruciatus ſuſtinentes piè vixerunt, nos æquius adoleſcentes moriamur, tuam illam quam prædicas neceſſitatem, & ſupplicia contemnentes, quæ ſenex ille optimus omnium doctor & magiſter ſuperauit. Tenta igitur, & experire ô Tyranne, ſi omnium noſtrum animas propter pietatem lacerare poſſis. Neque exiſtima te nobis damnum tuis ſuppliciis illaturum. Nam nos quidem perpeſſionibus iſtis atque tolerantia, virtutis præmia conſequemur; tu vero, quod iniuſte nos atque barbare de medio ſuſtuleris, congruas pœnas ſuſtinebis, & æternas diuino iudicio conſtitutas. Apparet Ioſephum æternitatem ſuppliciorum impiis paratorum agnoſcere, vtique vitæ æternæ piorum reſpondentem, quam prædicauit ſecundus fratrum, & ſepti-

mus. v. 9. & 36. Hæc cum ipſi loquerentur, Tyrannus non modo vt in refractarios, verum etiam vt in ingratos ira inflammatus eſt. Vnde ſubito iuſſit Armigeros natu maximum in medium producere: qui tunicam iuueni diſcerpentes, manus illius atque brachia vtrinque loris colligarunt. Vt autem verberibus eum valide pulſantes fruſtra vexarunt, admouerunt deinde ad rotam: circa quam vehementer extenſus nobilis adoleſcens, luxata compage membrorum, & toto corpore fractus, hæc tyranno exprobrabat. O execrande tyranne diuinæ iuſtitiæ hoſtis, animo ſæue & immanis, non parricidam me, neque impium, ſed diuinas leges propugnantem hac verberum crudelitate excrucias. Cumque ſatellites inculcarent vt comeſturum ſe fateretur, ſi defungi tam acerbo ſupplicio vellet. Non tam potens, tamque valida, inquit, eſt veſtra hæc rota, vt mihi penitus rationem opprimat: membra omnia diſcerpite, carnes inflammate meas, omnium artuum compages luxate, per omnes ſuppliciorum gradus patefaciam, Hebræorum ſobolem pro virtute bellantem, ſolam inuictam & inexpugnabilem eſſe. Iſta glorioſa prædicanti ignem ſtrauerunt, & rotam vehementius intendentes extulerunt. Tum enimuero machina vndique omnis cruore inficiebatur, & ſubiectus carbonum aceruus ſtillante ſanie extinguebatur: caro etiam ſæuum in modum laniata, circum rotæ modium, axemque diffluebat. Cumque oſſium coagmentum omne ſolutum atque ſectum haberet, magnanimus, & vere de genere Abrahami adoleſcens, non ingemuit: ſed nõ ſecus ac medio in rogo in immortalitatem demigrauiſſet, fortiter & generoſe tormenta ſuſtinebat. Illius etiam exaudiebantur hæ voces. Imitamini me fratres mei, ne illam quam intueor æternitatem perfugarũ more deſerite, ne fraternam hancanimi celſitatẽ eierate, ſacram & nobilem pugnam, pietatis cauſa religioniſque pugnate, propter quam iuſta, & patria illa mens, Numiniſque prouidentia, facta generi noſtro placabilis, furialem hunc Tyrannum merito ſupplicio mactabit. Inter hæc verba cœleſtis adoleſcens animam efflauit.

Vides lector non ſcripturæ religioſam paraphraſim, quod fieri poterat eleganter, vt à Philone fieri ſolet, ſed profuſam declamationem hominis ſacræ hiſtoriæ veritatem nihil morantis. Nam & tormenta quæ ſcriptura poſuit, abſciſſionem linguæ, abſtractionem cutis, ſummam manuum & pedum præciſionem, & frixionem in ſartagine ipſe prætermiſit: excogitauit autem pro libidine ſua diuerberationem, diſtentionem in rota, luxationem membrorum, ſubſtratas prunas, quæ carne & ſanguine diffluente extinguerentur. Sed tranſeamus ad ſecundum.

Cumque omnes obſtupefacti in ea tanta animi conſtantia hærerent Satellites, eum qui proxime ætate conſequebatur iuuenem ducunt, ferreaſque manus aptantes, acutis vnguibus ad catapultam [machinæ genus id eſt] ipſum deuinciunt. Cumque rogarent num effugere prius vellet, quàm paratam pœnam exorberet, clarum & generoſum reſponſum acceperunt. Igitur ab iis partibus, quas ferreæ manus compreſſerant, ad mentum vſque, partes corporis omnes lacerantes, pellem etiam capitis crudeles belluæ pardiſque agreſtiores euellerunt. Ille autem omnem doloris acerbitatem perferens, dicebat. Quam iucunda mihi omnis eſt mortis cõditio, pro patria religione occumbenti. Non minori mihi videris, ô tyrannorum omnium diriſſime, quam ego nunc, torqueri ſupplicio, cum intuear regios illos tuos ſpiritus inflatamque ſuperbiam, ab hac noſtra pro pietate conſtantia tolerantiaque ſuperatam. Ego enim pura & liquida virtutis voluptate mediis in laboribus recreor, tu vero in minis & impia contumacia torqueris. Sed profecto infandiſſime Tyranne, haud diuinæ iracundiæ pœnas effugies.

Ex hac verſione intelligis quo abducat lectorem Eraſmus, qui cum Ioſephus pardos vocarit hos tormentorum miniſtros, ipſe ait ferocem pardum, & ſanguinis ſitibundum ſpectaculo propoſitum iuueni, ad incutiendum terrorem. Sed mittamus Eraſmum, ſatis nobis tædij exhibet Ioſephus ipſe, qui hoc quoque loco tormenta ſcripturæ reiicit, ſua intrudit, præter orationem ſuppoſititiam, veræ orationi parum congruentem.

Sed maiora videamus. Cum iſte glorioſam mortẽ obiiſſet, tertius adducitur; quem cùm multis plurimi adhortarentur, vt quærendæ ſalutis cauſa carnem eſitaret; ille exclamans, ignoratis, inquit, quod me geminum ſimilemque illis, qui iam vitam exhalarunt, vterque parens genuerit, & in iiſdem me inſtitutis educarit? Nunquam ego fratrum meorum nobilem proſapiam, & cognationem eiurabo. Hanc viri in dicendo libertatem acerbe ferentes, adhibita cataſta manus ipſius atq; pedes, ex articulis atque naturali coagmentatione emouentes debilitarunt, tum digitos, brachia, crura & lacertos, fregerunt; cumque nullo eum modo poſſent vincere, capitis comam ſimul cum ipſa pelle digitis extremis abſtraxerunt, & è veſtigio ducunt ad rotam: circa quam exartuatus, luxataque ſpinæ dorſi verterba, carnes vndique ſuas laceratas, & pectus omne cruore ſtillans videbat, & iamiam moriturus prorupit in hæc verba. Nos quidem ô contaminatiſſime Tyranne, propter inſtitutionem, Deique virtutem hæc toleramus; tu autem propter impietatem, & iniuſtæ necis crudelitatem, ſupplicia quæ nulla mens cogitando conſequi poteſt, exhauries.

Pergit ſtrenue Ioſephus in audaci licentia illudendi ſacris literis; aut iis potius, qui ſacram hiſtoriam mallent ab eo, quam ex ipſo fonte haurire. Nam tertius primi & ſecũdi tormenta ſuſtinuit, quæ hic, vt ſe ingenioſum in pœnis oſtenderet, voluit variare: pro qua induſtria in ſuis pœnis non iniuria

fortaſſis audiat.

Æacus in pœnas ingenioſus erit.

Martyriũ quarti.

Sequitur quartus de cuius martyrio ita Ioſephus. Hoc autem digne fratribus defuncto, quartum rapiebant dicentes. Num & tu eandem cum fratribus inſaniam inſanire cupis? At ille, non, inquit, tam ardens vobis vlla flamma eſt, vt me timidum, deſpondentémque poſſit efficere: non per beatam fratrum meorum mortem, per ſempiternum tyranni exitium, & claram illuſtrémque vitam piorum, generoſam fraternitatem non abnegabo. Excogita Tyranne ſupplicia, vt per ipſa diſcas, quod eorum frater ſum, qui in tormentis animas poſuerunt. His auditis cruentus, & cædem ſpirans immanitatemque Antiochus, præſcindi eius linguam imperauit, ſed adoleſcens, Licet, inquit, inſtrumentum ipſum vocis abſtuleris, tacentium vota Deus, & mutorum exaudit. Ecce lingua protenditur, lacerate; non enim eodem vulnere mentem & rationem lacerabis: non æquo modo, ſed lubenti etiam animo propter Deum debilitamur totius corporis membris, & truncamur: te vero mox vindex Deus vlciſcetur, qui decantatricem diuinorum præconiorum linguam præſcindis. Non fuit vnius iſtius linguæ præciſio, vt præ ſe fert Ioſephus, ſed commune cum præcedentibus ſupplicium, vt nominatim de primo & tertio ſcriptum eſt.

Martyriũ quinti.

Vt vero inter ſupplicia diem hic extremum clauſit, Quintus proſilit in medium, & hæc ad Tyrannum ait, non cunctor, neq; refugio, Tyranne, pro virtute paratos cruciatus, vltro, & maxima ſponte aduenio, vt & me interficias, & plurium facinorum conſcius, diuinæ iuſtitiæ pœnam exoluas. O humani generis perduellis, hoſtiſque virtutis, quid fecimus nos aliquando, cur nos ita proſtratos & exinanitos velis? an quod rerum omnium effectorem Deum veneramur, & ex ipſius lege, & voluntate vitam agimus? at hæc quidem honoris & gloriæ, non ſupplicio & acerbitate dignantur. Hæc dicentem ſatellites vinctum pertrahunt in catapultam, ſæuum tormenti genus, & orbiculare, cui primum firmiter pedes aſtringunt, tum ſpinam dorſi tendiculis ferreis mollientes, aptanteſque, ad machinæ curuaturam inflectunt, vbi totus quantus eminebat diſtrictus rotæ, ſcorpionis bellici in morem, fractis membris, & luxatis debilitabatur. Hoc modo afflictus coacto in anguſtum ſpiritu, corpuſque iactans. Magnam, inquit, à nobis, ô crudelis tyranne, gratiam inis, quamuis nolens, qui tribuis vt glorioſis laboribus noſtram in lege tuenda conſtantiam velut in communi theatro, oſtendamus.

Martyriũ ſexti.

Hoc etiam demortuo ſextus inducitur adoleſcentulus, qui Tyranno ſciſcitãte, num etiu carnis pœnam velit effugere. Ego, inquit, ætate quidem minor ſum fratribus meis, ſed æqualis mente atque ſententia. Ad eadem virtutis officia, & geniti ſumus, & inuocati, pro iiſdem in commune æqua mors nobis ſubeunda erit: quare ſi lubitum eſt me torquere, haud me ſane funeſtatum cibo cruciabis.

Hæc vbi dixiſſet ad rotam deducunt ſub qua vehementiſſime intentus ſoluta membrorum compage adurebatur: acutos autem è ferro ſtimulos, ſeu verucula inflammantes humeris admouebant, & latera, atque pectus fodicantes cremabant. At ille in tormentis. O ſacrum, inquit certamen, in quod euocati tot fratres propter pietatem, tot laboribus exerciti nuſquam vincimur. Eſt enim inuicta, ô Tyranne, pia doctrina, & inſtitutio morum probitate circũuallata. Moriar & ego vna cum fratribus, cum magna pernicioſaque furia conſtanter belligerans. O ſuppliciorum inuentor nouorum, & pietatis acerbiſſime hoſtis, tuam hodie tyrannidem ſex adoleſcentes plane proſtrauimus; quod enim mentem & rationem noſtram peruertere nequiueris, neque ad vetitos cibos, & profanos adigere, an non te fractum ſuperatumque declarat? Tuus ignis nobis friget, & expertes ſunt doloris catapultæ. Non enim Tyranni ſed diuinæ legis, ſatellites nobis adſunt, atque armigeri, quo fit vt inuictam ſemper rationem habeamus.

Nullum veſtigium eſt ſtimulorum igneorũ in ſcriptura, non magis quam rotæ, aut catapultæ, quam toties repetita vanitate ingerit atque inculcat; cum prudentius ollas & ſartagines, oleo, pice, vel reſina vndantes, & ſummas manus pedeſque, & excoriati capitis exuuium, cum ſtridore, nidoréque frigentes, ſicuiſſet ob oculos ponere. Sed meminit tandem lebetum.

Martyriũ ſeptimi.

Vt beatus hic puer, inquit, ſpiritum edidit, in lebetem coniectus, adeſt ſeptimus, omnium natu minimus, cuius miſeratione captus Antiochus, tametſi graui à fratribus accepta contumelia, eumque videns iam catenis implicitum, ad ſe propius acciuit, & ſolari atque delinire conabatur his verbis. Tu quidem fraternæ vecordiæ, finem, & miſerandum exitum vides; propter contumaciam omnibus ſuppliciis vexati perierunt: & tu, niſi parueris tibi optima ſuadẽti, inter cruciatus miſer immaturo fato occumbes; noſtram autem voluntatem ſecutus, amicus eris, & res imperij noſtri adminiſtrabis.

Hac cohortatione vſus, & pueri matrẽ aduocari iubet, vt eam miſerans, eo grege liberorum ſpoliatam, impellat, atque incitet ad eum permouendum, quem vnum ſibi reliquum eſſe videbat, quo dicto audiens vitam & ſalutem conſequatur. Ille autem à matre hebræa lingua, vt dicemus, animatus, Soluite me, inquit, vti Regi, & vniuerſis illius amicis coram mentem aperiam meam. Qui ſubito exultantes gaudioque delibuti propter eas pueri voces, eum ſoluerunt: iſq; excurrens, & vni etiam ad torquendum paratæ ſartagini vicinus, funeſte, inquit, & bipedum omnium improbiſſime Tyranne, non veritus es à diuina mente tot & tanta bona, atque imprimis regnum conſecutus, eius

famulos contrucidare, & pietatis ſectatores inauditis ſuppliciis lacerare; pro quibus diuina te iuſtitia ad flammas reſeruat exaggeratas, & æternas, & ad ea ſupplicia, quæ te nunquam in omnem æternitatem dimittent? non pudet, ô feris belluis crudelior, homo cum ſis, ſimiles tibi in natura, & ex iiſdem principiis oriundos, lingua priuaſſe, & miſerandum in modum excruciatos necaſſe? ſed illi quidem aduerſus Deum cumulatam, & abſolutam pietatem, conſtanter & generoſe morientes exhibuerunt; tu vero claros virtutis pugiles ſine cauſa conficiens, incredibilibus lamentis & dolore conficieris. Quare cum & mihi moriendum ſit, haud à præſtanti fratrum meorum fortitudine conſtantiaque recedam. Quibus dictis in mediam ſartaginem iniecit ſe, & ita animam Deo oppigneraui.

Errata Ioſephi aliquot. Vides qualia hic peccata cōmittat Ioſephus, ſiue quod patriā vocē interpretatur Hebraicum idioma, quo mater filios ſit adhortata, quaſi reliqua omnia verba lingua Syriaca, vel Græca dicta fuerint, & non Hebraica potius, in qua omnes educati fuerant. Rectius itaq; patriam vocem mulieris, aut pueri hoc loco, interpreteris generoſam & virilem, vt hoc ipſo c. 7. 8. ſingulos illorum hortabatur voce patria, quod explicās ſubdit. *Fortiter*, ſiue *fortis repleta ſapientia*; Sic ſecundus reſpondit voce patria, non faciam. Sic & hoc loco irridens crudelem tyrannum dixit patria voce, fili mi, miſerere mei. Peccat 2. quod nobiliſſimam matris ad hunc ſeptimum cohortationem intactam relinquit, tanto hic verborum parcior, quanto ante profuſior. Poſtea vero, quaſi ſinapi poſt prādium, longiorem infert orationem Hebraice, vt ait, ad omnes filios habitam, in quam quædam ex Mathathiæ morituri cohortatione ad filios transfert. 3. Quod deluſam à matre tyranni expectationem, in filij fraudem cōuertit. 4. Quod fortiſſimum martyrem ſcelerato mendacio ſui homicidam facit, & leuiore morte defunctum, vtpote vitata præuia mortis carnificina, tametſi ſcriptura dicat, Regem accenſum ira, in hunc præ cæteris crudelius deſæuiſſe. Denique vt non minus impius in parentem foret, quam in filium fuerat, poſt copioſam orationem, nihil ad hiſtoricam narrationem pertinentem, initio cap. 17. ſic ait.

Aiebant autem & quidam ſatellites, quod & ipſa ad ſupplicium rapienda foret. Igitur ne impuris illorum manibus attingeretur, ſe ipſa in ardentem pyram coniecit. Id ſi factum ſcriptura diceret, ad diuinam inſpirationem præuiam recurremus, vt ſolemus in quibuſdam aliis. At Scriptura tum tacente, tum contradicente, merito calumniam ſcriptoris condemnamus. Libeat potius audire Victorinum Afrum in carmine de Machab. in quo, de huius ſanctæ matris obitu, ſic loquitur.

Dum puer iſta gerit ſoluerunt gaudia matrem,
Iamque vt erat laxata malis, iam voce negata
Suſpirans, interque manus collapſa ſuorum
Concidit exanimis, reſolutaque membra quierūt.
Sic ipſa, & nati, ſanctorum in pace recepta eſt.

Et Gorionides. Virago ſtans ſuper eorum cadaueribus, palmas ſuas in cœlum expandit, & dixit. *O Deus excelſe, Deus ſeculi abeam quæſo cum filiis meis, ego ancilla tua in locum quem paraſti eis.* Et cum hæc dixiſſet, reddidit animam ſuam, & exiit ſpiritus eius, & cecidit ipſa ſuper filios ſuos, & cum ipſis abiit, ſicque feliciſſimis filiis feliciſſima tandem mater adiuncta eſt.

Cæterum Liuius hæc à Polybio n. 93. mutuatus, non ſolum meliora fecit, vt ſolet, ſed in gratiam etiam Romanorum ex parte diminuit. Ait enim Polybius Senatum, cum Attalus petitionem de diuidendo regno penitus omiſiſſet, exiſtimaſſe eum ſeorſim ea de re acturum; ideoque legatos miſſurum ſe promiſiſſe, & vrbes quas petierat daturum. Sed cum ille, ſine vlla mentione diuiſionis, diſceſſiſſet, patres, dum ille adhuc eſſet in Italia, Ænum & Maronæam liberas pronunciaſſe, promiſſione quam Attalo fecerant reuocata. Legatos tamen cum Attalo ad finiēdum bellum, quod inter Eumenem & Gallos erat exortum, miſſos eſſe teſtatur Liuius; ſed apud Regulum Gallorum, verba legatorum nullius momenti fuiſſe ſcribit: quæ apud Ptolemæum, atque Antiochum, præpotentes reges tantum potuerant. 4. N. LV. I.

Quantum auri argentique Æmylius in vrbem inuexerit, refert Valerius Antias apud Liuium, vbi ait ſummam omnis captiui auri argentique tranſlati fuiſſe, Seſtertiûm millies ducenties. Seſtertiûm millies Cenali æſtimatore, ſunt quinque miliones librarum Turon. Ducenties vero; decies centaria millia librarum. Vtraque ſumma valet 6000000. id eſt ſex miliones lib. ſiue duos miliones aureorum. Addit Liuius. Alterum tantum aut in bellum proximum abſumptum, aut in fuga cum Samothracem peteret, diſſipatum tradunt. Tantum pecuniæ Perſeus intra triginta annos cōgeſſerat. His probabilitatem addit quod paulo poſt refert Plut. tantum pecuniæ eum in ærarium contuliſſe, vt deinceps cenſum pendere populus deſierit, vſque ad Hirtij & Panſæ conſulatum: qui Coſs. a. V. C. 710. fuerunt. Velleius etiam lib. 1. ait eum bis millies centies ſeſtertium ærario intuliſſe, id eſt 10. miliones libr. & quinquies centena millia, quæ ſunt 3500000. coro. A qua ſumma non multum abeſt Plutarchus, etiam non æſtimata omni ſupellectile aurea & argentea, & quadringentis coronis aureis. 5. Num. LXXIX.

ANNVS MVNDI 3888. SEXTAE AETATIS, 372. IMPERII GRÆCORVM 146. ANTIOCHI EPIPHA. 10. MATHATHIÆ DVCIS ET PONTIFICIS I. ET VLT. PTOLEMÆI PHILOMETORIS 14. OLYMPIADIS CLIII. AN. 3. VRBIS COND. 587. COSS. M. CLAVDIO MARCELLO, ET C. SVLPICIO GALLO.

ANNVS ANTE CHRISTVM 165.

I. *Coſſ. anni huius.* HI ſunt poſtremi Conſules, qui à T. Liuio libro 45. extremo ſuggeruntur; reliqui omnes aliunde petēdi ſunt, nam libri ipſi principis huius hiſtorici, à 45. ad 140. vt Epitomæ docent, præter integram decadem ſecundam, magno hiſtoriæ Romanæ detrimēto deſiderantur. *Finis hiſtoriæ Liuianæ.* Itaque pauca quædam quæ superſunt hic apponamus, antequam ad ſacram huius anni hiſtoriam aggrediamur. Marcello Liguria, Sulpicio Gallo Gallia prouincia obtigit, & vterque re bene geſta triumphum eſt adeptus, vt ex Epit. 46. & Tab. capit. conſtat. Meminit horum conſulum Plinius. *Rationem*, inquit, *defectus vtriuſque* ſyderis, *primus Romani generis in vulgus extulit Sulpicius Gallus, qui Conſul cum M. Marcello fuit; ſed tum Tribunus militum, ſollicitudine exercitum liberauit, pridie quam Perſeus rex ſuperatus à Paulo eſt, in concionem ab Imperatore productus ad prædicendam eclipſim.* l. 2. c. 12. Et apparet, cum eo facto tam imperatori, quam toti exercitui factus eſſet gratioſus, non leue id ad conſulatum momentum attuliſſe.

II. *Pruſias Romam venit.* HIS Conſulibus Bithyniæ Rex Pruſias Romam venit, cum filio Nicomede, profeſſus ſe deos, qui vrbem Romam incolerent, Senatumque & pop. Rom. ſalutatum veniſſe, recentes victorias, auctumque imperium gratulatum. Cum ei Prætor Senatum, eodem quo venit die, ſe daturum ſi vellet dixiſſet, biduum petiit, quo templa, vrbem, hoſpites, amicóſque viſeret. Datus qui circumduceret eum L. Cornelius Scipio Quæſtor, qui & Capuam ei obuiam miſſus fuerat; datæ & ædes conductæ, quæ eum comiteſque eius benigne reciperent.

Eius in Senatu acta. Tertio poſt die Senatum adiit, victoriam gratulatus eſt, merita ſua in eo bello commemorauit: petiit vt votum ſibi ſoluere Romæ decem maiores hoſtias, & Præneſte vnam Fortunæ liceret. Ea vota pro victoria pop. Ro. eſſe. Quam ex animo ea vota eſſent, dubitari non immerito poteſt. Nam Pruſias Perſeum propinqua affinitate contingebat, ſororem enim eius habebat vxorem, vt alibi diximus. Eum Scipio tempore Antiocheni belli, populo Ro. amicum reddiderat, eique amicitiæ, vel timori, beneuolentiam & fidem Annibali datam prætulerat.

III. *Et agri poſtulatio.* PETIIT autem à Senatu ſocietatem renouari ſecum, agrumque ſibi de rege Antiocho captum, nemini à Romanis conceſſum, à Gallis occupatum donari; poſtremo filium Nicomedem Senatui commendauit.

Senatus reſponſio. Benigne ei à Senatu reſponſum eſt, omnium quippe imperatorum, qui in Macedonia fuerant, fauore adiutus eſt, quæ petebat conceſſa, de agro quoque, ſi res ita haberet, vt relatum fuerat, legatos ad rem inſpiciendam miſſurum. Facile Nicomedis commendationem accipere. Quanta cura regum amicorum liberos tueatur populus Rom. documento eſſe Ptolemæum Ægypti regem, cui nuper regnum ab Epiphane inuadente, autoritate ſua conſeruarat. Cum hoc reſponſo & muneribus Pruſias dimiſſus eſt, iuſſuſq; idem Scipio eum vbique tota Italia deducere, & ſumptus ei, comitibuſque præbere, donec nauem conſcendiſſent. Hæc Liuius.

IV. *Adulatoria eius humilitas erga Romanos.* ADDIT etiam ex Polybio, eum regem indignum ſe maieſtate regia, adulatoria humilitate reddidiſſe: quæ ex Polybio ipſo petamus licet. *Porro hic Pruſias,*

inquit, *nequaquam maieſtate regia vllo modo dignus erat, quod ex his facile aliquis colligat. Primum cum legati Ro. ad ipſum venirent, raſo capite, pileatus, togatus, & Romano more calceatus eis occurrebat; eo plane habitu, quo ſolent eſſe recens manumiſſi, quos libertos vocant, & cum legatos ſalutaſſet. Ecce me, inquit, veſtrum libertum, omnia veſtra cauſa cupientem, inſtituta omnia veſtra imitari paratum. Qua voce nulla fingi poteſt minus generoſa. Cum vero Curiam adyt, ad ianuam ſtans, ex aduerſo Patrum, demiſſis manibus limen ſalutauit, Senatorumque conſeſſum, & ſimul, Saluete, inquit, dy ſeruatores mei: cui exordio & reliqua oratio conſentanea fuit: quo etiam mitiorem accepit à Senatu reſponſionem.* Hæc fere Polybius. *Pruſiæ ineptiæ.*

V. *Decretum Senatus propter Eumenem.*

Eodem tempore & Rex Eumenes Romam venit, vt colligitur ex eodem loco Polyb. & initio epit. 46. vbi ita ſcriptum eſt. *Eumenes Rex Romam venit, qui quia Macedonico bello ſe medium egerat; ne inimicus iudicatus videretur, ſi excluſus eſſet, aut liberatus crimine ſi admitteretur, in comitio lex lata eſt, ne cuiquam Regi Romam venire liceret.* Plenius paulo Polyb. & clarius, allata etiam huius rei cauſa, parum ſane laudabili, & in qua merito quis iuſtitiam requirat, atque prudentiam, vt de clementia, atque humanitate nihil dicam. *Hæc cum ille reſponſa accepiſſet*, inquit, *contigit Eumenem aduentare; quæ res magnam attulit Senatui dubitationem. Nam cum delati eſſent ad ipſum* (à fratre ſcilicet, & Stratio medico, tanquam odio eum haberent Senatores,) *& ipſis fixa certáque ſtaret ſententia, indicium huius ſuæ voluntatis nulla pacto dare volebant.*

VI. *Cur indirecte ab eo excluſus.*

Qvi *enim antea oſtenderant Regem ſe Eumenem omnium primum ac maximum amicum habere, ſi cum eo congrederentur, & poteſtatem ei facerent cauſæ ſuæ defendendæ, aut dato ex animi ſui ſententia reſponſo imprudentiam ſuam publicaturi erant, qui hominem iis moribus tanti antea feciſſent; aut famæ publicæ ſeruiendo, ac benignum ei reſponſum dando, in veritatem atque vtilitatem patriæ erant peccaturi. Quoniam igitur vtroque modo erant euentura quæ nollent, huic incommodo ſic occurrerunt. Nam quaſi in vniuerſum ipſis diſpliceret Romam aduentus Regum, S C. eſt ab iis editum, quo vetabant Reges vllos ad ſe venire. Deinde certiores facti Eumenem Brunduſium in Italiam appuliſſe, Quæſtorem ad eum miſerunt, qui decretum Senatus ei afferret, & dicere eum iuberet, ecquid ope Senatus in aliquo eſſet ei opus: quod ſi Patres nihil poſceret, denunciaret ei, vt quamprimum Italia excederet. Rex habito cum Quæſtore colloquio, intellecta Senatus voluntate, verbum nullum commutauit, nulla re opus ſe habere dicens.* *Iubetur Italia excedere.*

VII. *Examinatur factum Senatus.*

Verum ſatius profecto erat & iuſtius, Reo cauſæ ſuæ defendendæ facere poteſtatem; & innocentem, calumniiſque oppreſſum, ſolita, aut maiori etiam beneuolentia complecti; vel culpæ conuictum damnare pro meritis; niſi leuem culpam magnis plurimiſque meritis condonare mallent, quam indicta cauſa immutabilem contra eum ferre ſententiam. In quo maiorem iniuſtitiæ culpam contrahunt, quam vitant imprudẽtiæ. Errare quidem, labi, decipi turpe ducimus, vt ait M. Tul. ſed in iis quæ prudentia ſapientis vitari poterant, & debebant. At humana ſapientia prouideri non poteſt, vt is eligatur amicus, qui in fide conſtantiſſime perſeueret. Quin ne Deus quidem ipſe futurorum conſcius, cum nunc ab amicitia ſua repellit, quem præuidet poſtea perditum, ac ſibi inimicum fore. Nec periculum erat ne benignum ei dando reſponſum in veritatem peccarent. Non enim neceſſe erat eum pronunciare innocentem, ſi reuera erat nocens, ſed nocenti poterat clementer ignoſci: nec id erat in patriæ vtilitatem peccare, quæ glorioſior & potentior amicorum multitudine fiebat laude clementiæ, quam diſſimulatione, atque occultatione inimicæ voluntatis; quæ tandem patefacta, nihil enim diſſimulatum poteſt eſſe diuturnum, mirum in modum diſiungit ab iſtiuſmodi ſimulatoribus hominum voluntates. *Atq omni ex parte arguitur.*

VIII. *SC. imprudens, atque iniuſtum.*

Qvid quod nec recte iſti incommodo occurrerunt. Nam vt omittam ea ſententia reges omnes ſuſpectos reddi, aut etiam damno aliquo affici, ſine culpa ſua, certe Eumenem ab vrbe excludendo, famæ de eo publicæ minime ſeruiebant. Non enim ſine cauſa, qui ad eam diem fuiſſet amicus ac benemeritus Rex, nunc excludi ab vrbe cogitari poterat, vt res ipſa docuit, & damnum quod mox in Eumenem eo facto redundauit. Audi enim quid ſubiiciat Polyb. *Hoc pacto conſecuti ſunt Romani ne Eumenes Romam veniret; ſed & aliud quid præterea hoc Senatuſconſulto ſunt adepti. Nam cum ingens illi regno periculum immineret à Gallogræcis,* *Vt nocuerit Eumeni.*

non erat dubium, quin propter hanc contumelioſam Eumenis reiectionem, amicis quidem omnibus illius animi conciderent, Galatæ vero duplo ad perſequendum bellum animoſiores eſſent futuri. Qui igitur cuperent modis omnibus Eumenem deprimere, hoc conſilium inierunt. Atque hæc ineunte hyeme ſunt facta. Hactenus Polybius, qui addit deinceps Senatum legationibus datum eſſe. Nullã quippe fuiſſe ciuitatem, nullum Dynaſtam, nullum regem, qui eo tempore legatos ad gratulandam Romanis victoriam non mitteret. Tantus omnes prope Europæos, Aſianos, atque Africanos Romani nominis terror inuaſerat.

IX. *Antiochus vt Romanos legatos acceperit.* Ad hoc circiter tempus arbitror pertinere legationem illam Romanorum ad Antiochum, quæ habetur apud Polybium n. 101. vbi dicitur veniſſe Tiberium legatum ad Antiochum, ad explorandum rerum ſtatum. *Quem ea dexteritate*, inquit, *excepit Rex, vt non ſolum moliri eum res nouas nihil ſuſpicaretur, aut vllum ſignum animaduerteret animi ſubalienati, propter illa quæ Alexandriæ contigerant, ſed etiam omnibus ſe palam opponeret, qui eiuſmodi aliquid dicerent. Denique tantam humanitatem legatis exhibuit, vt eis aula conceſſerit, & ipſo etiam prope dixerim diademate: in ſpeciem quidem, cum tamen non ad Romanos voluntas eius inclinaret, ſed in contrariam potius partem.* Hæc ibi Polybius, qui n. 105. inquit Tiberium ex Aſiatica legatione reuerſum, certius nihil de Eumenis & Antiochi conſiliis, neque ipſum cognoſcere, neque Senatui renunciare potuiſſe: adeo comitate ſua Reges in mutuis congreſſibus eum ſibi adiunxerant: ex quo intelligas iure eum à Daniele propheta vafrum & fraudulentum depingi. His ita expeditis, ad ſacram hiſtoriam tranſeamus, quo nos ſenſim deducit, tam rex iſte, quam ſanctus ille propheta.

X. *Paruulum Hebræorum auxilium. Vaticiniũ Danielis. Ratio temporis Mathathiæ.* Fvnditvs propemodum perierat Hebræorum Reſp. leges, religio, ſacerdotium, cum Deus hæc ipſa, iuxta vaticinium Danielis, auxilio paruulo ſubleuauit, Mathathiæ ſcilicet & filiorum eius, vt paſſim omnes interpretantur. Accepiſſe autem ipſum hoc anno principatum, & terminaſſe, Scriptura cum Ioſepho teſtantur. Nam illa refert eum anno regni Græcorum 146. defunctum: hic vero tradit vnum annum Rempub. adminiſtraſſe. Nec eſt quod hunc eius annum ab extremis menſibus anni præcedentis inchoëmus, quod facit Torniellus, quod legerit in Ioſepho exacto anno poſt principatum, morbo correptum eſſe defunctum; in Græco enim nihil de integro anno habetur, ſed tantum ἄρξας δ' ἐνιαυτὸν, cum vnum annũ prę̨fuiſſet. Adde quod conſtat eũ populi ſui principẽ agere cœpiſſe, poſt profanatũ templũ, idolo ſuper altare excitato, quod ſub fi. 9. mẽſis, qui in Decembrem quoque incurrit, contigiſſe conſtat. Noſq. annos quantũ poſſumus à Ianuario inchoëmus. Dan. 11. 34. 1. c. 2. v. 70. l. 12. c. 8. 1. Ma. 1. 62.

XI. *A Daniele prædictum.* Cæterum non eſt omittenda prophetia Danielis hoc loco. *Et docti*, inquit, *in populo docebunt plurimos, & ruent in gladio, & in flamma, & in captiuitate, & in rapina dierum. Cumq. corruerint, ſubleuabuntur auxilio paruulo.* Quæ Sanctius noſter eleganti paraphraſi ſic illuſtrat. Et qui veram, ait, & practicam legis doctrinam acceperunt, docebunt alios, & in legis amore atq. obſeruantia confirmabunt. Qui tamen à vita libentius, quam à paterna religione cadent. Quare ferrum iugulo recipient, intrepide flammas ſubibunt, exilium non inuiti, & bonorum ſuorum diuturnam rapinam patientur. Cumque principio corruerint plurimi, ac ſpoliati bonis fuerint, & nihil mali non timuerint ab Antiocho inſolenti ac forti, reſpirabunt tamen, & excitabuntur languentes ſpiritus ab auxilio, quod licet exiguum, attulerunt tamen Machabæi. 1. Ma. 1. 65.

XII. *Auxilium bonorum.* Iisdem porro prophetæ verbis ſignificatur, non vnum Eleazarum, virum de primoribus ſcribarum, in hoc agone decertaſſe, & auertiſſe populum à ſacrilegis regis mandatis, ſed alios quoque, qui variis calamitatibus ac ſuppliciis affecti ſunt: quo pertinet illud. *Et multi de populo Iſrael definierunt apud ſe, vt non manducarent immunda, & elegerunt magis mori, quam cibis coinquinari immundis, & noluerunt infringere legem Dei ſanctam, & trucidati ſunt, & facta eſt ira magna ſuper populum valde.* Auxilium paruulum, ſiue auxilia paruula fuerunt Mathathias cum filiis ſuis, à patria extorres, ſpoliati facultatibus, non domeſticis, non externis nixi præſidiis, ſed egentes, anguſtiati, afflicti, in ſolitudinibus errantes. Iudas enim Machab. cum ſuis, vt ante diximus, ſeceſſerunt in deſertum locum, ibiq. inter feras vitam in montibus agebant, & fœni cibo veſcẽtes demorabantur, ne particeps eſſent coinquinationis, tantoq. minus

In primis Machabæorum.

MATHATHIAS CVM SVIS EXCITATVR.

videbatur hoc auxilium, quo cum potentiore hoſte pugnandum erat, qui Aſiam ac Syriam vniuerſã ſub poteſtate habebat. Deus nimirum infirma eligit, vt fortia quæque confundat, & vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt; quod in Machab. paulatim diuina ope inualeſcentibus, donec à ſuis ceruicibus iugum Græcorum excuſſerunt, perſpicue apparebit.

XIII. *Mathathias, & filii eius.*

1.Par.24. — ibid.v.19. — l.12.c.8. — 1.1.Mach. 2.v.17.23. 27.28.

IN diebus illis, quibus ſcilicet res Iudæorum ruebant in præceps, ſurrexit Mathathias filius Ioannis, filii Simeonis, ſacerdos ex filiis Ioarib, cuius ſors prima exiit tempore Dauidis,[a] fuitque prima in quatuor & viginti vicibus, quæ omnes erant de filiis Aaronis.[b] Habitabat autem Mathathias Hieroſolymis, ſed inde ſe proripuit cum ſuis, ne particeps fieret coinquinationis; & conſedit in monte Modin, vicum Iudææ Ioſephus vocat.[c] At Scriptura ciuitatẽ appellat[d] non vno in loco. Adrichomius in tribu Dan collocat: ſed ea in antiqua diſtributione, finibus tribus Iudę continebatur.

Aſſamonæi.

Habebat autem filios quinque Ioannem, qui cognominabatur Gaddis, & Simonẽ, qui cognominabatur Thaſi, & Iudam, qui vocabatur Machabæus: & Eleazarum, qui cognominabatur Abaron, & Ionathan, qui cognominabatur Apphus. Cognomina ſecundi & quarti Ioſephus variat, ſed & Matthiam pro Mathathia dicit vſitata ſyncope, & eius addit proauum Aſſamonæum; ex quo Machabæi paſſim apud Hebræos Aſſamonæi vocitantur; quo nomine magnos principes ſignificari docet Serarius; idque huic familiæ recte conuenit, quæ ad primam claſſem ſacerdotalem pertinebat. Ex his etiam patet Machabæos paterno genere ad tribum Leuiticam pertinere, non autem ad tribum Iuda, niſi ex contracta cum ea tribu affinitate: quod aliis quoque exemplis, ipſius etiam Aaronis, & Ioiadæ alibi declaratum eſt.

XIV. *Lamentationes eius.*

Mac.1.43. & ſeq.53.54

HI viderunt mala quæ fiebant in populo Iuda, & in Hieruſalem, vnde ſcilicet effugerant: ſed & audiebant quæ aliis in locis, tum vicinis, tum remotioribus fiebant, vt Antiochiæ, vbi erat rex, & in omni regno eius.

Et dixit Mathathias. *Væ mihi! vt quid natus ſum videre contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis ſanctæ, & ſedere illic, cum datur in manibus inimicorum? Sancta in manu extraneorum facta ſunt, templum eius ſicut homo ignobilis. Vaſa gloriæ eius captiua abducta ſunt, trucidati ſunt ſenes eius in plateis, & iuuenes eius ceciderunt in gladio inimicorum. Quæ gens non hæreditauit regnum eius;* Vt in eo videlicet, quaſi in paterna hæreditate dominaretur, pulſis aut cæſis legitimis poſſeſſoribus: quod maxime pertinet ad Sionem, & arcem regiam, in qua cum præſidio præfecti regii erant, & duram in Iudæos fideles tyrannidem exercebant. Pergit Mathathias in threnis ſuis; *Quæ gens non obtinuit ſpolia eius? Omnis compoſitio eius ablata eſt. Quæ erat libera, facta eſt ancilla. Et ecce ſancta noſtra, & pulchritudo noſtra, & claritas noſtra deſolata eſt, & coinquinauerunt ea Gentes. Quo ergo nobis adhuc viuere?*

XV. *Et voluntariæ afflictiones.*

l.12.c.8.

NON vnius alicuius diei fuit hæc querela, ſed quotidiana & perpetua, ſicut & ipſa mala, vnde Ioſephus. Is ſæpenumero queſtus eſt apud filios de tam afflicto rerum ſtatu, direptione vrbis, deprædatione templi, cæteriſque calamitatibus; aiebatque præſtare mori eos pro patriis legibus, quam ſic ingloriè viuere. *Et ſcidit veſtimenta ſua Mathathias, & filii eius, & operuerunt ſe ciliciis & planxerunt valde*, ſponte ſuſceptis corporis afflictationibus, diuinam indignationem in Iudæos ſæuientem mitigare cupientes, & conſilium, atque animos in res bene gerendas accepturi. Hæc eſt enim quaſi criſis Iudaicæ ægritudinis, quæ hactenus ad ſummum elata, modicis leuamentis incipit reſtaurari. Huius autem peripetiæ occaſionem accipe.

XVI. *Occaſio defectionis Mathathiæ*

ET *venerunt illuc qui miſſi erat à Rege Antiocho, vt cogerent eos, qui confugerant in ciuitatem Modin, immolare & accendere thura, & à lege Dei diſcedere*, addit hic aliqua interpres explicãdi cauſa. *Et multi de populo conſentientes acceſſerunt ad eos*, vt alieno loco inconceſſa ſacrificia idolis offerrent. *Sed Mathathias, & filij eius conſtanter ſteterunt.* Hæc præparatio certaminis eſt, quæ paulo aliter habetur in textu Græco. Et venerunt præfecti regii, qui defectionem vrgebant, ſacrificiorum curandorum cauſa, in oppidum Modin, & ad illos acceſſerunt Iſraelitæ quãplurimi. Mathathias quoque & filii eius congregati ſunt; nimirum iuſſi cum cæteris adeſſe nomine Regis ad audiẽdum, quid ille præciperet. Porro horum principem fuiſſe Bacchidem hominẽ crudeliſſimum ſignificat Ioſephus l.1. de bell. c.1. ſed l.12. c.8. vocat Apellem, vt

mox dicetur, aut ille abundauit nominibus, aut Ioſephus memorata diminutus eſt.

XVII. *Mathathias ad ſacrificia inuitatur.*

ET *reſpondentes, qui miſſi erant ab Antiocho, dixerunt Mathathiæ. Princeps & clariſſimus, & magnus es in hac ciuitate, & ornatus filiis & fratribus. Ergo accede prior, & fac iuſſum regis, ſicut fecerunt omnes gentes, & viri Iuda, & qui remanſerunt in Ieruſalem.* Ne prudentior omnibus gentibus, aut religioſior Hieroſolymitis apparere velis. Et erit tibi, tuiſque hæc obedientia fructuoſa. *Eris enim tu, & filii tui inter amicos regis, & amplificatus auro & argento, & muneribus multis.*

Qua ille auerſatur.

Et reſpondit Mathathias, & dixit magna voce. Etſi omnes Gentes regi Antiocho obediunt, vt diſcedat vnuſquiſque à ſeruitute legis patrum ſuorum, & conſentiat mandatis eius, ego & filii mei, & fratres mei obediemus legi patrum noſtrorum.

XVIII. *Tenax patriarum legum.*

HÆC reſponſio eſt prioris ſuaſionis ab exemplo petitæ. De vtilitate vero ita reſpondet. *Propitius ſit nobis Deus: non eſt nobis vtile relinquere legem, & iuſtitias Dei: nõ audiemus verba regis Antiochi, nec ſacrificabimus, tranſgredientes legis noſtræ mandata, vt eamus altera via,* ſiue ad dextram vel ſiniſtram: quaſi dicat nolle ſe mutare legem, ſiue in meliorem, vt putabant infideles, ſiue in deteriorem, vt reuera erat. Porro hæc glorioſa fidei profeſſio eſt, & idonea ad animandos infirmos: ſed potentior fuit metus, & iam probata in multis tormenta. Itaque *vt ceſſauit* Mathathias, *loqui verba hæc, acceſsit quidam Iudæus in omnium oculis, ſacrificare idolis ſuper aram, in ciuitate Modin, ſecundum iuſſum regis:* quem apparet de induſtria comparatum à viris regiis, vt verbis exempla coniuncta, vehementius legis ſuæ tenaces permouerent, ſed falſi ſunt expectatione ſua.

XIX. *Ira Mathathia in præuaricatorẽ.*

ET *vidit Mathathias, & doluit, & contremuerunt renes eius, & accenſus eſt furor eius ſecundum iudicium legis.* Vox, legis, abeſt à Græco, & videtur ſignificare ex recto iudicio, vt animi motus ad vltionem, culpæ magnitudini reſponderet. Quin etiam dolor ille animi, non diſſimilem febri motum excitauit in corpore, quando & medullitus contremuit, & illum tremorem feruidus calor eſt conſecutus; ex quo duorum nocentium cædes, & euerſio aræ prophanæ, & publica defectio ab Antiocho eruperunt. Vnde ſequitur, *& inſiliens,* ſiue occurrens, *trucidauit eum ſuper aram. Sed & virum, quem Rex Antiochus miſerat, qui cogebat immolare, occidit in ipſo tempore, & aram deſtruxit, & zelatus eſt legem, ſicut fecit Phinees zambri filio Salomi.* Auget hæc Ioſephus; ait enim, Non amplius ferens indignitatem rei, irruit in eum cum ſuis filiis armatus gladiis, nec ſolum eum trucidauit, ſed etiam Apellem regium ducem cum ſuis militibus, qui volebat plebẽ eam cogere. At Scriptura duos tantum cæſos tradit. Idẽ alibi, Mathathias Aſſamonæi filius, id eſt pronepos ex ſacerdotibus ex vico cui nomen eſt Modin, cum manu domeſtica, nã 5. filios habebat, ſicis armatus Bacchidem occidit, & ſtatim præſidiorum multitudinem veritus, in montes refugit. li.1.Bel.c.1.

XX. *Euocat populum ad defectionẽ.*

ET *exclamauit Mathathias voce magna in ciuitate, dicens, Omnis qui habet zelum legis ſtatuens teſtamentum,* id eſt ſtabilire & aſſerere volens initum cum Deo fœdus, *exeat poſt me.* Hoc fuit claſſicum canere contra Antiochum, & vexillum defectionis erigere. Tum demum reperto duce facta ſeceſſio eſt. Cædes porro illas abſque culpa fuiſſe, imo ex diuino zelo, & prædicatione dignas, vel ipſa ſcripturæ laus indicat, quæ id facto Phinees comparat, quem hoc nomine Deus vehementer nõ cõmendauit ſolum, ſed & remuneratus eſt. Adde quod princeps populi in ea ciuitate, & ſacerdos primarius tam inſignem, & longe pernicioſiſſimam iniuriam Dei, & populi vindicare potuit. Reliquus quoque populus, qui ducem præter ipſum habebat neminem, in eum tacite conſentiebat. Nam Ioſephus ait multos Iudæorum ad ipſum, hinc inde fuga elapſos confluxiſſe, & principem elegiſſe, & quidem non politicæ tantum, ſed etiam ſacræ militiæ. Sulp.l.2. Numer.25. 7. & 13. & Eccl.45.24. l.1.c.2.v.1.17. l.12.c.8.

XXI. *Fit populi dux, & põtifex.*

IDQVE ratio aperte conuincit. Non enim credibile eſt, vt recte notauit Serar. populum zelo diuinæ legis flagrantem, curam eligendi pontificis neglexiſſe, qui populum in tam turbulentis temporibus, in iis quæ Dei ſunt, dirigeret. Qui etiam Pontificis munus exercuit, cum in diuina lege, in Sabbati cuſtodia diſpenſauit; aut interpretatus eſt illud, in hoſte repellendo non violari. Audi Ioſephum. Multi etiam elapſi adiunxerunt ſe Mathathiæ, eumque principem ſibi elegerunt. At ille docuit eos, pugnãdum etiam Sabbatis, aut ſi ita pergãt, ipſos ſibi futuros exitio. Accedit quod nullus tum erat legitimus Pont. Nam Onias mortuus erat, & filius eius in Ægyptũ fugerat, vbi & ſub hoc tempus templum ſacrilegum extruxit, vt di

cemus. Iaſon, vt ſupra dicebamus malis artibus intruſus fuerat in viuentis locum, & in malam rem abierat: Menelaus ne Leuita quidem erat, nedum ſacerdos, & Pontifex. At Mathathias ſacerdos erat, ex claſſe primaria, vt Scriptura teſtatur, [a] & de ſtirpe primaria Aaronis, vt qui Phineem, non Ithamaris, ſed Eleazari filium parentem agnoſcat. [b] Accedebat, vt alioqui pontificatu digna eſſet viri virtus, & zelus diuinæ gloriæ, & claritas nominis, atque exiſtimatio apud omnem populum. Eius pontificatum Hebræi plerique prædicant, & Chaldæus paraphraſtes, [c] de quibus, & cum quibus Serarius hoc loco, & Abulenſis [d] Torniellus, [e] Genebrard. [f] Becanus in Analogia veteris & noui Teſtamenti, [g] Sigonius l.2. Sulpitii Seueri, vbi de Mathathia & Aſſamonæis, quem tamen omiſit l. 5. de Repub. Hebræorum ca. 2.

a l.1. q2. 21. b L.1. c.2. c in 6. Cāt. v 6. d in c.20. Exod. q.25. & Numer. 10. q.14. e a.m. 3730. n.4. f in l.2. chron. g c.7. in Catal. h v.28.

XXII. *Ad Mathathiam plurimi aggregantur.*

Novvm ergo pontificem fugientem aſſectemur. *Et fugit ipſe*, ait Script. [h] *& filij eius in montes, & reliquerunt quæcumque habebant in ciuitate*, in prima ſcilicet iſta fuga; ſuas tamen res poſtea colligere potuerunt, non ſecus ac ii de quibus ſubditur. *Tunc deſcenderunt multi*, de monte Modin, *quærentes iudicium & iuſtitiā in deſertum*, ad ſummum ſcilicet ſacerdotem, & populi principem, à quo & doceri poſſent & defendi, *& ſederunt ibi ipſi, & filii eorum, & mulieres eorum, & pecora eorum, quoniam inundauerunt ſuper eos mala. Et renunciatum eſt viris regis, & exercitui qui erat in Ieruſalem ciuitate Dauid, quoniam diſceſſiſſent viri quidam, qui diſsipauerunt mandatum regis, in loca occulta in deſerto, & abiiſſent poſt illos multi.* In textu Græco hæc poſtrema verba, non ad Iudæos fugitiuos, ſed ad regios milites referuntur. Hoc ſenſu, quem edit Tigurina. Cum autem viris regiis, & copiis quæ erant Hieroſolymis in ciuitate Dauid, nunciatum eſſet, quoſdam violatores mandati regii in latebras deſerti deſcendiſſe, perſecuti ſunt eos quamplurimi.

XXIII. *Quos obſident regii milites.*

Qvi cum deprehenſos illos vallo iacto obſediſſent, die Sabbatorum eos oppugnare adorti ſunt, Et dixerunt ad eos. Reſiſtitis & nunc adhuc? *Exite, & facite ſecundum verbum regis Antiochi & viuetis. Et dixerunt, non exibimus, neque faciemus verbum regis, vt polluamus diem Sabbatorum. Et concitauerunt aduerſus eos prælium, & non reſponderunt eis*, non reſtiterunt videlicet defendendo ſe, & hoſti damna inferendo; imo *nec lapidem miſerunt in eos, nec oppilauerunt loca occulta, dicentes, moriamur omnes in ſimplicitate noſtra: & teſtes erunt ſuper nos cœlum & terra, quod iniuſte perditis nos. Et intulerunt illis bellum ſabbatis, & mortui ſunt ipſi, & vxores eorum, & filii eorum, & pecora eorum, vſque ad mille animas hominum.*

XXIV. *Et perimūtur die Sabbathi.*

Hoc ſtratagema, Iudæorum hoſtes recte ſibi ſucceſſiſſe iamdudum experti erant. Nam tempore Ptolemæi Lagi, dum die Sabbati ſe defendere nollent, in ſeruitutem redacti ſunt, vt ex Agatharchide refert Ioſephus. [h] Idem reprehendit Seneca apud Auguſt. [i] Et nuper, atque adeo anno præced. Apollonius cum veniſſet Hieroſolymam pacem ſimulauit, vſque ad diem Sabbati, quo die feriatis Iudæis, magnam hominum multitudinem in ſpectaculis interfecit. [k] Idem Philippus quidam de miniſtris regiis aggreſſus eſt eodem euentu, vt in eodem libro ſcriptum eſt. quæ hiſtoria eadem eſt fortaſſis, cum ea quam habemus in manibus; & ibi fuerit anticipata narratio, ab huius libri ſcriptore, antequam facta eſſet mentio defectionis Mathathiæ; quāuis vno in loco igne periiſſe dicantur, in altero nulla fiat ignis mentio. Certe Ioſephus hos igne exuſtos tradit. *Cum nihil proficerent*, ait, *apud obſtinatos aggreſſi ſunt eos die Sabbati, & ita vt erant in ſpeluncis, exuſſerunt non repugnantes, ac ne aditus quidem ſpeluncarum obturantes*, & mox. *Itaque perierunt cum vxoribus & liberis, ſuffocati in ſpeluncis circiter mille, multi etiam elapſi adiunxerāt ſe Mathathiæ.*

h lib. 12. c.1. i l 6. de ciu. c.11. k l.2. c.5. 25.

Idq factū n ſæpius.

XXV. *Mathathias conſtituit defenſionem in Sabbatho.*

Et *cognouit Mathathias, & amici eius, & luctum habuerunt ſuper eos valde. Et dixit vir proximo ſuo, ſi omnes fecerimus, ſicut fratres noſtri fecerunt, & non pugnauerimus aduerſus gentes pro animabus noſtris & iuſtificationibus noſtris, nunc citius diſperdent nos à terra. Et cogitauerunt*, ſtatuerunt videlicet, definiente Mathathia communi duce ac parēte, in hanc ſententiam. *Omnis homo quicumque venerit ad nos in bello die Sabbatorum, pugnemus aduerſus eum, & non moriemur omnes, ſicut mortui ſunt fratres noſtri in occultis*, id eſt in latebris & ſpeluncis. Hoc conſilium, & quaſi interpretationem diuinæ legis, à Mathathia datam ſcribit Ioſephus, vt ante diximus, indeque quaſi ex reſcripto imperatoris, aut definitione pontificia, eum morem ad eius ætatem inoleuiſſe, vt ſi ita neceſſitas poſtulet, Iudæi pugnent etiam Sabbatis, quē morem alibi legē appellat.

l.14. c.8.

XXVI. *Incipiunt reſiſtere hoſtibus.*

Tvnc *congregata eſt ad eos ſynagoga Aſſidæorum fortis viribus ex Iſrael, omnis voluntarius in lege, & omnes qui fugiebant à malis, additi ſunt ad eos, & facti ſunt illis ad firmamentum. Et collegerunt exercitum, & percuſſerunt peccatores in ira ſua, & viros iniquos in indignatione ſua, & cæteri fugerunt ad nationes, vt euaderent. Et circuiuit Mathathias & amici eius, & deſtruxerunt aras, & circumciderunt pueros incircumciſos, quotquot inuenerunt in finibus Iſrael, & in fortitudine* generoſo videlicet animo. *Et perſecuti ſunt filios ſuperbiæ, & proſperatum eſt opus in manibus eorum: & obtinuerunt legem de manibus regum, & non dederunt cornu peccatori:* id eſt non permiſerunt deinceps impios, tam libere tollere cornua, & vexare pro libidine innocentes, nemine repugnante.

XXVII. *Qui eſſent Aſſidæi.*

Cæterum dubium eſt, qui ſe primi ad Mathathiam aggregarint. In pleriſque codicibus Græcis Latiniſque, Synagoga non Aſſidæorum, ſed Iudæorum legitur. Ioſephus non diſtinguit, rectius tamen legitur Aſſidæorum, vt habetur in bibliis correctioribus, & apud Egeſippum, vbi hac de re agit. Eos enim ex Iudæis maxime confluere oportebat ad aſſerendam legem, qui cæteris in Republica Iudæorum ſanctitate, & zelo diuinæ gloriæ eminebant, quos Scrarius eoſdem cum Eſſenis fuiſſe putat; aut certe familias inter ſe inſtitutis coniunctas, de quibus alius erit dicendi locus. Verum ſicut nomine filiorum ſuperbiæ videtur intelligere regios præfectos, & præſidiarios milites; ita nomine peccatorum, & virorum iniquorum intelligit Iudæos apoſtatas: cuius ſignum eſt, quod ait cæteros fugiſſe ad nationes, vt euaderent; & id aperte docet Ioſephus. Collecta, inquit, circa ſe non contemnenda manu, & altaria diruit, & prolapſos in impietatem quotquot adipiſci potuit, trucidauit. In Græco ἁμαρτωλοὺς tantum habetur, ſed ſingulariter peccaſſe dicuntur in Scriptura, qui apoſtatæ facti ſunt, vt paſſim in libb. Reg. & Prophetarum. 1.1.c.1.

XXVIII. *Mathathias moriturus ſuos exhortatur.*

Et appropinquauerunt dies Mathathiæ moriendi. Naturali morte defunctum hæc verba ſignificant, tametſi Porphyrius apud Diuum Hieronymum in 11. Dan. cum in bello occiſum dixerit. Hortatur autem ſuos ad fortitudinem & conſtantiam in patriis inſtitutis, & diuinis legibus propugnandis, tum ex ipſa neceſſitate calamitoſorum temporum, quibus dominetur perſequentium hoſtium ſuperbia, qua Deus vtatur ad caſtigandos & probandos ſuos, quorum res dum patitur euerti, iræ ſuæ atque indignationis magnitudinem patefacit: tum extemplo antiquorum patrum, qui tentationibus probati fideles ſe exibuerunt, & gloriam apud Deum hominesque ſunt conſecuti; tum ab inanitate gloriæ impiorum; *à verbis*, inquit, *viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius ſtercus & vermis eſt, hodie extollitur, & cras non inuenietur, & quia conuerſus eſt in terram ſuam*, ex qua ſcilicet ortus eſt, *& cogitatio eius peryt.*

XXIX. *Prædictio tacita mortis Antiochi.*

Hæc eſt quaſi prophetia vicini interitus Antiochi, qui poſt biennium ferme contigit. Huic porro orationi Mathathiæ ſimiles ſunt illæ voces Dauidis. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem: Quoniam tanquam fænum velociter areſcent, & quemadmodum olera herbarum cito decident*, & mox. *Et adhuc puſillum, & non erit peccator, & quæres locum eius, & non inuenies*, & rurſum. *Inimici Domini, mox vt honorificati fuerint, & exalti, deficientes quemadmodum fumus deficient.* Denique, *Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani. Et tranſiui, & ecce non erat, quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius.* Dauidi conſentiens Salomon. *Memoria iuſti cum laudibus, & nomen impiorum putreſcet.*

Pſal.36.1. ver.35. Prou.10.7

XXX. *Teſtamentũ Mathathiæ*

Conclvdit monita ſua Mathathias. *Vos ergo filii, confortamini, & viriliter agite in lege, quia in ipſa glorioſi eritis*; non vult eos gloriam quærere, id enim vanitatis eſt, & indignum ſanctis viris, ſed eam ſecuturam ait, ſicut vmbram corpus. Male itaque Ioſephus, & non ex ſanctorum virorum mente atque ſenſu. *Præclare*, ait, *geſtorum memoria vice immortalitatis eſſe poterit, cuius amatores vos aſpirare volo ad gloriam, adeo vt non grauemini, vel immori egregiis facinoribus.*

Reliquum eſt teſtamentum, quo diſponens domui ſuæ, & Reipublicæ Iudæorum, belli ducem conſtituit Iudam Machabæum, eique dat conſiliarium Simonem natu maiorem, omiſſo tamen Ioanne, qui primus in catalogo fratrum, à ſcriptura & Ioſepho nominatus eſt, ex quo creditur fuiſſe primogenitus ab Egeſippo, qui & Eleazarum natu minimum appellat, qui tamen tertio loco numeratur. li.1.c.3.

volens,

volens, vt ait Ioſephus, vt quibus quiſque præcelleret artibus his vteretur, reliquis concedentibus. Verum ea de re dicemus aliquid anno ſequenti, interim audiamus ſanctum ſenem; ſunt enim verba eius dulcia, & amabilia.

Et ecce, inquit, *Simon frater veſter, ſcio quia vir conſilij eſt, ipſum audite ſemper, ipſe erit vobis pater. Et Iudas Machabæus fortis viribus à iuuentute ſua, ſit vobis princeps militiæ, & ipſe aget bellum populi*, vel cum populis, in Græco eſt populorum; ſingulæ vrbes habent populum ſuum. *Et adducetis ad vos omnes actores legis, & vindicate vindictam populi veſtri. Retribuite retributionem Gentibus, & intendite in præceptum legis. Et benedixit eos, & appoſitus eſt ad patres ſuos. Et defunctus eſt anno centeſimo quadrageſimo ſexto, & ſepultus eſt à filiis ſuis, in ſepulchris patrum ſuorum in Modin, & planxerunt eum omnis Iſrael planctu magno.* Ex quo intelligitur Mathathiam cum liberis ſuis, licet incolas Hieroſolymorum, oriundos tamen ex oppido Modin, in quo ſepulchra maiorum ſuorum habebant. Intelligitur autem iam regios expulſos ab eo oppido, vt exequiæ & planctus populi pacifice celebrarentur. XXIX. *Iudā conſtituit principem.*

Erit autem hoc noſtrum, ſicut & reliquorum fere clarorum virorum, eius Epitaphium.

EPITAPHIVM MATHATHIÆ.

SALVE RELIGIOSÆ MILITIÆ VETERANE DVCTOR MATHATHIA, TE ENIM QVASI VIVENTEM COMPELLABO, IN ILLO QVIETO PATRIARCHARVM SINV, EXPECTANTEM DVM MORTALE HOC INDVAT IMMORTALITATEM. SALVE INQVAM CLARISSIME MATHATHIA, QVI PRIMVS AD NON DESPERANDVM DE REPVB. IVDAICA SIGNVM SVSTVLISTI, IN QVOD OMNES CIRCVMQVAQVE GENTES, CVM INGENTI ADMIRATIONE RESPICERENT. PRIMVS INVICTA CONSTANTIA, PROFANA TYRANNORVM IMPERIA IMPVNE CONTEMPSISTI, CVIVS PRÆ ANIMI DOLORE CONTREMVERVNT RENES, ET ACCENSVS EST DIVINVS FVROR, VT IN REGIORVM MINISTRORVM OCVLIS IMPIVM SACRIFICVLVM SVPER IPSAM ARAM TRVCIDARES. PRIMVS CLASSICVM CECINISTI, ET COLLECTA CVM FILIIS TVIS ÆMVLATORVM LEGIS MANV, PROFANOS APOSTATAS FERRO ATQVE IGNE PERSECVTVS, EVERTISTI SACRILEGORVM ARAS, SIMVLACHRA CONTRIVISTI, ET DIVINAM LEGEM CIRCONCIDENDIS INFANTVLIS, IVVENIBVS ANIMANDIS, SENIBVS IMBELLIQVE MVLTITVDINE PROTEGENDA, DOCENDAQVE, INVITIS REGIBVS STABILISTI. DENIQVE SIMILES TIBI QVINQVE PRINCIPES, ELECTVM AC DILECTVM DEO SEMEN, VICARIVM PIETATIS AC FORTITVDINIS TVÆ REIPVBLICÆ RELINQVENS, AD HEROAS ILLOS PATRIARCHAS, REGES, PROPHETAS, QVORVM EXPRESSISTI VIRTVTES, HEROVM PARENS EXCESSISTI. ANNO REGNI GRÆCORVM CXLVI. ANTE CHRISTI DOMINI ORTVM CLXV. XXXII. *Epitaphiū Mathathiæ*

ANNVS MVNDI 3889. SEXTAE AETATIS 373. IMPERII GRÆCORVM 147. ANTIOCHI EPIPHANIS II. IVDÆ MACHABÆI DVCIS & PONTIFICIS I. PTOLEMÆI PHILOMETORIS 15. OLYMPIADIS CLIII. AN. 4. VRBIS CONDITÆ 588. COSS. T. MANLIO TORQVATO CNÆO OCTAVIO.

ANNVS ANTE CHRISTVM 164.

I. *Iuda pontificatus.*

CENTESIMVS quadrageſimus ſeptimus annus regni Græcorum nouum ſuggerit pontificem, eundemque populi ducem in paucis clariſſimum; cuius auſpiciis Iudæi non reſpirare ſolum, vt proximo anno ſub Mathathia, ſed florere etiam, hoſtibuſque ſuis terrori eſſe cœperunt: vt deinceps cum Scriptura dicemus. Si tamen aliquid de Iudæ in pontificatum initiatione præmiſerimus: quam ſub huius anni initium oportet contigiſſe, quoniam ſub extremum annum 146. Mathathias defunctus eſt, Repub. vno circiter anno adminiſtrata, vt ex Scriptura & Ioſepho aperte colligitur, & ex dictis anno ſuperiore patet. Nec repugnat hic Ioſephus, cum ait Iudam adminiſtrationi rerum præfectum fuiſſe anno 146. Id enim de extremo anno, quo mortuus eſt pater eius, ab eoque dux populi conſtitutus eſt, intelligi debet.

II. *Fuiſſe primogenitũ.*

Et *ſurrexit Iudas*, ait Scriptura, *qui vocabatur Machabæus filius eius pro eo*, in vtroq. 1.Ma.3.1.
ſcilicet officio ducis & Pontificis. Surrexit autem ſiue ſucceſſit, & inſtitutione ac voluntate patris, vt dictũ eſt, & iure primogenituræ: cuius rei autor eſt Ioſephus, vbi c.a.l. 1. l.1 de bel. c 1.
de Mathathia loquens. *Moritur*, ait, *relicto Iudæ principatu, qui filiorum ſuorũ natu maximus erat.* τῷ πρεσβυτάτῳ τῶν παίδων. Nec videtur conueniens primogenitum in ducatu, maximeque in pontificatu, qui ſemper primogenito dabatur, non ſolum nunc, ſed etiam poſt Iudæ mortem, ſemel iterumque prætermiſſum: idque ad ſcindendam diſcordiis Mathathiæ familiam valuiſſet, quam ille moriens commendata concordia firmare conabatur: dixiſſet merito Ioannes & Simon, quomoda iubes primam nobis curam eſſe concordiæ, qui inimicitiarum inter nos, & diſſentionũ ſemina perpetua ſparſiſti? Nec ſi Scriptura Iudæ fortitudinem commendat, dum cauſam affert, cur ſuffectus ſit patri, ideo ipſum primogenitum negat, vt notauit Serarius in hunc locum, & pro eadem ſententia Ioſippum, & Seder minorem laudat.

III. *Vnctus dicitur à patre.*

De electione & vnctione Iudæ, Ioſephus Gorionides relata patris peculiari ad Iudam adhortatione ad fortitudinem, ſic ait. *Protulit Mathathias cornu cum oleo, & effundens ſuper caput eius vnxit eum ad prælia, vociferanſque vniuerſus populus, & clangentes tuba dixerunt, viuat vnctus.* Huic ceremoniæ affuiſſe populum, habet etiam Egeſippus, qui ait Mathathiam moribundum etiam ciues aduocaſſe. Ioſippus autem l.1.c 1.
Producens, ait, Iudam magnũ & fortem, ſtatuit eum in ſanctuario (religioſum quépiam locum intelligit in Modin, puta ſynagogam: nam Hieruſalem adhuc erat in poteſtate infidelium,) accipienſque cornu olei effudit ſuper caput eius, & plauſerũt omnes de Iſrael, iubilo magno, dicentes, viuat Rex, hæc ibi.

IV. *Quid de eius pontificatu Ioſephus.*

Hvnc Iudæ pontificatum Ioſephus, & qui eum ſequitur Euſebius prætermittunt, adhærentes pſeudopõtificibus Menelao & Alcimo, neque ordine, neque legitime in pontificatum à rege intruſis: niſi quod Ioſephus eum pontificatui ſucceſſiſſe Alcimo refert, cum tamen Scriptura tradat Iudam ante Alcimũ mortuum l.12 c.17.
eſſe, anno 152. menſe 1. Alcimum autem anno 153. menſe 2. Et cum idem Ioſephus l.1.c 9.v 3. l.1.c.9.v.
in fine l. 12. ſcribat Iudam pontificale ſacerdotium adminiſtrauiſſe triennio, 14.& 55.
oportuiſſet Machabæum mortuum eſſe anno centeſimo quinquageſimo ſexto,

id eſt 4. annis ſerius quam Scriptura dicit. Sed quid facias iſti pſeudohiſtorico, qui alibi Iuda prætermiſſo aſſerit Ionatham Alcimo ſucceſſiſſe, & ciuitatem per ſeptennium, ſine pontificatu manſiſſe? (Lib. c. 8.)

V. *Proluſio rerum Iudæ.* Narrationi porro rerum à Machabæo præclare geſtarũ præmittit lib. 1. [a] Scriptura quoddam epinicion, quaſi carmen gratulatorium in laudem Iudæ, quo eius prælia & victoriæ confusè perſtringuntur. Libro quoque ſecundo [b] quodam quaſi præludio, dum eius pietatem, induſtriam, fortitudinem commendat, etiam victoriarum adiumenta commemorat. . Vtriuſque laudationis ſunt hæc ſumma capita. (a l. 1. c. 3. b c. 8. à v. 1. ad 8.)

Colligit copias. Primo non contentus copiis quas à patre acceperat, quam maximas poteſt de contribulibus Deum timentibus colligit. *Introibat* quippe cum ſuis *latenter in caſtella, & conuocantes cognatos & amicos, & eos qui permanſerant in Iudaiſmo aſſumentes, eduxerunt ad ſe ſex millia virorum.* Secundo ad Deum exercituum, à quo eſt omne auxilium precibus conuertuntur, eius miſericordiam in ſuos, odium in hoſtes, deplorabili rerum præſentium ſtatu propoſito, incitare conantur. *Et inuocabant Dominum, vt reſpiceret in populum, qui ab omnibus vcalcabatur, & miſereretur tẽplo, quod contaminabatur ab impiis; miſereretur etiam exterminio ciuitatis, quæ eſſet illico complananda, & vocem ſanguinis ad ſe clamantis audiret. Memoraretur quoque iniquiſſimas mortes paruulorum innocentum, & blaſphemias nomini ſuo illatas, & indignaretur ſuper his*, id eſt quaſi indigne ferens puniret. (*Inuocat Dei opem.*)

VI. *Eius fortitudo inſtar leonis.* Tertio diuino auxilio nixi rem gerere incipiunt. *At Machabæus*, inquit, *congregata multitudine intolerabilis gentibus efficiebatur; ſimilis* nimirum *factus leoni in operibus ſuis, & ſicut catulus leonis rugiens in venatione.* Quibus verbis alluſum vtique videtur ad illam patriarchæ benedictionem. *Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi aſcendiſti, requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum*, vel ad illud Moyſis, *Dan catulus leonis, fluet largiter de Baſan.* Nam Modin, vt dixi, erat in tribu Dan: ait autem Dan fore fortiſſimum & bellicoſiſſimum, vt leones Baſan. Reliquus quoq. populus Machabæi ſuo duce dignus audiet illud Balaam. *Ecce populus vt leæna conſurget, & quaſi leo erigetur: non accubabit donec deuoret prædam, & occiſorum ſanguinem bibat*: quæ verba non ad acquiſitionem tantum terræ promiſſæ, & tempora Ioſue, ſed ad eiuſdem recuperationem, & tempora Machabæorum videntur pertinere. (l. 1. c. 3 4. Gen. 49. 9. Deut. 33 22. Nu. 23. 24.)

XVII. *Aut Gigantis, ſiue Herois.* Ad eiuſdem fortitudinis commendationem giganti comparatur. *Induit ſe loricam*, inquit, *ſicut gigas, & ſuccinxit ſe arma bellica ſua in præliis.* Ita Iob Deum quaſi gigantem in ſe irruiſſe dicit, id eſt potentiſſimum, & terribiles inferentem plagas. Ita Dauid. *Non ſaluatur Rex per multam virtutem, & gigas non ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ.* Vbi Tigurina vertit Heroëm ſicut pſ. 44. *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime.* (16. 15. pſ. 32. 16.)

Iudas ergo *intolerabilis gentibus efficiebatur, quoniam ira Domini in miſericordiam conuerſa erat, & ſuperueniens caſtellis & ciuitatibus improuiſus ſuccendebat eas, & opportuna loca occupans, non paucas hoſtium ſtrages, dabat. Maxime autem noctibus ad huiuſcemodi excurſus ferebatur; & fama virtutis eius vbique diffundebatur, & nominatus eſt vſque ad nouiſſimum terræ.* Syriæ videlicet, vel Aegypti. (l. 1. c. 3. 9.)

VIII. *Iuda prælia contra regios. Contra Apolloniũ* Hi excurſus erant, & velitationes, & quaſi præludia ante legitimum certamen. Mox enim iuſtis præliis, ſignis collatis, contra præfectos regios, quater viuo Antiocho pugnatum eſt: tria prælia ad hunc annum pertinent.

Primum contra Apollonium fuit, qui, vt vicinus, vtpote Samariæ præpoſitus, primus cum Iuda prælium iniit. Et Ioſephus id ſentiens ab eo Iudæ prælia exorditur. *His auditis*, inquit, *Apollonius præfectus Samariæ raptim contra Iudam duxit exercitum*: ſed prius Scripturam audiamus. Res ita ab ea narratur. *Et congregauit Apollonius gentes, & à Samaria virtutem multam, & magnam ad bellandum contra Iſrael. Et cognouit Iudas, & exiit obuiam illi, & percuſſit, & occidit illum, & ceciderũt vulnerati multi, & reliqui fugerunt, & accepit ſpolia eorum. Et gladium Apollonii abſtulit Iudas, & erat pugnans in eo omnibus diebus.* Hæc opima ſpolia vocabant Romani, & omnium glorioſiſſima cenſebant, cum ipſi exercitum duces, quaſi ſingulari certamine confligentes, victor victum cæſumque ſpoliabat; eaque ſpolia Deo fere dicabãtur, vt Dauid gladium Goliath. Iudas Apollonii gladio ad incitamentum virtutis, in reliquis Domini præliis eſt vſus, ſicut & ipſe Dauid. (l. 1. c. 3. 10. 12. c. 10. cap. 1. 1. v. 10.)

VICTORIA DE APOLLONIO, & SERONE.

IX. *Eadem pugna ex Gorionide.*

IOSEPHVS Gorionis [a] hoc prælium ait initum inter Iſraelitas & Macedonas, quos etiam Græcos vocat, vtrumque erant origine; Syros tamen mallem & Samaritas, ſed potuit etiam præſidiarios aliquos habere Macedonas, ex Macedonia nunc Romanis ſubiecta perfugas; verum Hebræus hic Syros paſſim vocat Macedonas, & Syriam Macedoniam, vt notauit Serarius. De pugna vero ipſa ita loquitur. Cũ Iudas pugnaret, & videret Apollonium ſtantem in medio exercitus Macedonum, currens ad eum ex feruore ſpiritus ſui, & penetrans in prælii medium, percuſſit ad ſiniſtram ſuam, atque dextram, & ſtrauit fortiſſimos Macedoniæ; haud ſecus ac meſſor deiicit manipulos, & ſpicas meſſis ſuæ, pergenſque ad Apollonium percuſſit eum gladio ſuo, & mortuus eſt. Illico autem verterunt Græci tergum, & fugerunt. Sic ipſe.

a l.3.c.10.

X. *Quis hic Apollonius.*

HVNC Apollonium præfectum Syriæ cenſent Vatablus & Sà: quin & Scriptura ipſa eum ducem Cœleſyriæ, & Phœnicis fuiſſe teſtatur, tempore Seleuci Regis, nec credibile eſt eum, poſt multa in Antiochum officia, alteri cuipiam in eadem prouincia fuiſſe ſubiectum. Erat enim Apollonius è clariſſimis Antiochi ducibus, eidemque chariſſimus, qui Romæ ipſius nomine fuerat, vt ex Liuio diximus, & longe honorificentius à Romanis habitus, quam ſoleret vulgus legatorum. Hic in Aegyptum ad regni Tutores miſſus eſt ad Ptolemæi tutelam, & regnum interuertendum; & omnino ad præcipua quæque regni munera eligebatur. Hic idem cum exercitu duorum & viginti millium Ieruſalem pacifice ingreſſus, ingentem ſtragem perfide in ſpectaculis die ſabbati ediderat; cuius nunc perfidiæ & crudelitatis meritas pœnas luit.

XI. *Secundum Iudæ prælium cõtra Seronem.*

ALTERVM prælium Iudæ contra Seronem fuit, principem exercitus Syriæ, ſub Apollonio videlicet; ita vt eo defuncto, ipſe locum eius tenuerit, in prouincia, & exercitu adminiſtrando: idque innuitur mox cum dicitur, cum ſtuduiſſe nomen ſibi ex deuicto Iuda acquirere: vt ſcilicet egregio facinore gratiam regis adeptus, ex Vicario, Syriæ Præfectus loco Apollonii fieret. Audiuit ergo Seron princeps exercitus Syriæ, quod congregauit Iudas congregationem fidelium & eccleſiam ſecum: in Græco additur, prodeuntium in prælium. Et inquit, faciam mihi nomen, & glorificabor in regno, & debellabo Iudam, & eos qui cum ipſo ſunt, qui ſpernebant verbum regis.

ἐξουθενοῦντες, qui ſpernunt.

Quæ eius copia.

Et præparauit ſe, & aſcenderunt cum eo caſtra impiorum fortes auxiliarij. Hæc impiorum auxilia, regio exercitui addita, Ioſephus inquit fuiſſe perfugas Iudæorum, qui ſcilicet fidem & religionem eiurauerant, quod viderent Iudam, & ſuos ſibi eſſe infenſiſſimos: de iis enim paulo ante dixerat, *Et perſecutus eſt iniquos, perſcrutans eos, & qui conturbabant populum ſuum, eos ſuccendit flammis*, & repulſi ſunt inimici eius, præ timore eius, & omnes operarii iniquitatis conturbati ſunt: quos etiam Ioſephus impios contribules interpretatur. Hi ergo ſe regiis copiis adiunxerant, vt facerent vindictam in filios Iſrael.

l.12.c.9.

ὁμοφύλους παρανομήσαντας.

XII. *Conuenit vterque exercitus.*

ET *appropinquauerunt vſque ad Bethoron*, ea vrbs erat in tribu Beniamin, iuxta Gabaon, locum miraculo Ioſue notiſſimum. *Et exiuit Iudas obuiam illi cum paucis*, Gorionides ait quoſdam abiiſſe de exercitu, qui eſſent redituri poſtea. Opinor ſane Iudam occurriſſe cum omnibus ſuis, qui tamen pauci erant, ad hoſtium multitudinem; vnde ſubdit, *vt autem viderunt exercitum venientem ſibi obuiam, dixerunt Iudæ, quomodo poterimus pauci pugnare contra multitudinem tantam, & tam fortem, & nos fatigati ſumus ieiunio hodie?* Præter laborem etiam itineris, dum eis veniunt obuiam. Et Gorion. tota nocte eos iter feciſſe tradit. Ioſephus etiam ieiunaſſe, ſed religioniſne gratia, an neceſſitatis nõ ſcribit: forte hoſtium vicinitas ſubito animaduerſa, optatæ refectioni ſpatium non præbuit, id que innuitur, vbi mox ſubditur Iudam, vt ceſſauit loqui, ſubito inſiluiſſe in hoſtem. Forte etiam volũtaria fuit inedia, cum dicat, ἀσιτοῦντες σήμερον cibo abſtinẽtes hodie. Illud enim, *hodie*, diẽ ieiunio dicatam ſonat. Id ſi ita eſt, argumentũ eſt, non leue pietatis in militibus, qui armati, & iter agẽtes, & pugnaturi, Deum ieiunio ſibi propitium reddere voluerint; vel etiam præſcriptum à lege ieiunium obſeruare.

Ioſue 10.

Ieiunium multum Iudæ.

vt infra eod.c.3.47.

XIII. *Iudæ in Deum fiducia.*

VIDE autem eximiam in duce pietatem, & fiduciam in Deum. Et ait Iudas, facile eſt concludi multos in manu paucorũ, & non eſt differentia in conſpectu Dei cœli liberare in multis & in paucis, quoniã non in multitudine exercitus victoria belli,

ſed de cœlo fortitudo eſt. Eodem modo Ionathas olim ad armigerum ſuum; Veni tranſeamus ad ſtationem incircumciſorum horum, ſi forte faciat Dominus pro nobis: *quia non eſt Domino difficile ſaluare, vel in multis, vel in paucis.* Itaque de induſtria, Iudicum ſeptimo, de triginta duobus millibus pugnatorum trecentos tantum retinuit, ad immenſam Madianitarum multitudinem debellandam, ne populus ſuis ſe viribus diceret liberatum.

a 1.Reg.14.6.

Sed cauſam fiduciæ ſuggerit Machabæus non diſſimilem illi, quam Dauid Goliatho obiiciebat, [b] vnde & canebat. *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus.* [c] Iudas autem, *Ipſi veniant*, inquit, *in multitudine contumaci & ſuperbia* (ad verbum in multitudine contumeliæ, & iniquitatis; quaſi dicat multis iam ſceleribus degrauati, & odioſi Deo) *vt diſperdant nos, & vxores noſtras, & filios noſtros, & vt ſpolient nos. Nos autem pugnabimus pro animabus noſtris, & legibus noſtris. Et ipſe Dominus conteret eos ante faciem noſtram. Vos autem ne timueritis eos.*

b 1.Reg.17 45. c Pſal.19.8.

XIV. *Pugna eiuſdem & victoria.*

VT *ceſſauit autem loqui inſiluit in eos ſubito, & contritus eſt Seron, & exercitus eius in conſpectu ipſius: & perſecutus eſt eum de deſcenſu Bethoron vſque in campum; & ceciderunt ex eis octingenti viri, reliqui autem fugerunt in terram Philiſthijm.* Iam nobilitatus fuerat olim hic ipſe deſcenſus Bethoron, [d] immiſſa cœlitus in fugientem hoſtem lapidatione grandinis. Cecidiſſe ducem in hoc prælio tradit Ioſephus, [e] & Gorionides, [f] idque præter Scripturæ autoritatem, quæ vtique mortem eius, ſicut paulo ante Apollonii, non tacuiſſet. Proſtrato enim duce, inquit, omnes in fuga ſpem ſalutis poſuerunt, quos perſecutus vſque ad campum, occidit ex eis octingentos, reliqui euaſerunt in regionem maritimam, qui tractus Philiſtæorum eſt, à Gaza Cæſaream vſque.

d Ioſue 10. 11. e l.12.c.10. f l.3.c.10.

XV. *Tertiũ prælium contra varios duces.*

TERTIVM ſequitur prælium, aut multiplex potius, quod contra Georgiam, Ptolemæum, Nicanorem Antiochi duces aliquot pugnis confectum eſt; quod copioſe à Scriptura, tum reliquo toto cap. 3. l. 1. & quarto vſque ad verſ. 28. refertur. Supplentur autem nonnulla, [g] quæ ipſis Scripturæ verbis narrata, vbi res tulerit, de more explicabimus.

g l.2.c.8. à v.8. fin.cap.

Apparatus Antiochi ad bellum.

Duobus ergo præliis feliciter à Machabæo confectis. *Cecidit timor Iudæ*, inquit Scriptura, *& fratrum eius, & formido ſuper omnes gentes in circuitu eorum; & peruenit ad regem nomen eius, & de præliis Iudæ narrabant omnes gentes. Vt audiuit autem Rex Antiochus ſermones iſtos, iratus eſt animo, & miſit, & congregauit exercitum vniuerſi regni ſui, caſtra fortia valde.* Videtur congregaſſe octoginta millia peditum, & 14. millia equitum: nam paulo poſt dicetur eum accepiſſe ſibi dimidiam partem exercitus; deinde v.39. dicitur Lyſias, cui dimidium relinquebat, habuiſſe in armis quadraginta millia peditum, & ſeptem millia equitum, & quidem rebus omnibus ducibuſque fortiſſimis inſtructorum, vt infra patebit. [h] Ex quo iam intelligitur quanta tempeſtas immineret Iudæis, qui vix ſeptem millia hominum habebant ſub ſignis, quorum plerique neque gladiis ſatis inſtructi erant, neque tegumentis, [i] pergit autem.

h l.1.c.3. v.25.
h c.4.v.7. & l.2.c.8. v.9. i c.4.v.6.

XVI. *Dat ſtipendium exercitui in annum.*

ET *aperuit ærarium ſuum, & dedit ſtipendia exercitui in annum, & mandauit illis, vt eſſent parati ad omnia. Et vidit quod defecit pecunia de theſauris ſuis, & tributa regionis modica, propter diſſentionem, & plagam quam fecit in terra, vt tolleret legitima, quæ erant à primis diebus, & timuit ne non haberet, vt ſemel & bis ſumptus & donaria, quæ dederat ante larga manu, & abundauerat ſuper reges, qui ante eum fuerant.* Hac de re ita Sulpitius l. 2. Id vbi compertum eſt Antiocho, ira & dolore ſuccenſus, quippe angebatur duces ſuos cum magnis exercitibus deuictos, auxilium per omne regnum cõtrahit, donatiuũ militibus, exhauſtis penitus theſauris, largitur. Etenim tum præcipue grauiter pecuniæ inopia affectus erat. Nam deficientibus Iudæis ab eo, qui ei vltra trecenta argenti talenta annua penſitauerant; præterea Græcis vrbibus, multiſque regionibus perſecutionis malo turbatis, ac clade affectis vectigalia ceſſauerant. Nihilominus Scripturæ ſubobſcura eſt ſententia. Videtur tamen huiuſmodi: Antiochus dato exercitui ſuo in annum ſtipendio, exinanitum vidit ærarium ſuum; & timuit ne non haberet in ſumptus, & donaria qualia iam ſemel iterumque magnifice dederat, in quibus præcedentium regum magnificentiam poſt ſe reliquerat.

XVII. *Mira, & iuſta.*

VBI vides quam vera ſit illa vox, male parta male dilabi. Nuper immenſos theſauros in templo Hieroſolymitano, apertos occultoſque rapuerat, ſacra vaſa aurea argenteáque expilarat, numero plurima, valore pretioſiſſima; præter altare aureum, & menſam, & candelabrum, & arcam, ex quibus aurum omne extraxerat, confregerat, abſtulerat in terram ſuam. Acceperat quoque ab Iaſone & Menelao auri argentique vim maximam; præter conflatam ex tot vrbium Iudaicarum & Ægyptiarum direptione prædam. Ingentia tributa ex tota Syria, Phœnicia, maiore & minore Aſia colligebat, & tamen theſauri deficiunt, penuriam timet; ad ſacrilegi prædonis artes animum applicat.

Quomodo exhauſti eius theſauri.

Tangit porro huius egeſtatis cauſam, donorum & munerum magnificentiam. Raptores quippe magna potentia præditi, & ſuperbi, vt magnifici audiant prodigi eſſe ſolent. Vt enim prima facile acquiſierunt, ita ſe deinceps alia pari facilitate quæſituros ſperant. Acceſſit tenuitas vectigalium in expilata prouincia, & quæ geminos iam exercitus nutriebat. Accedebant & mille illa talenta annua, quæ Romanis debebantur, ex quo pax cum Antiocho Magno huius patre inita fuerat. Tardius enim perſoluta fuiſſe, Apollonius legatus in Senatu Rom. apud Liuium [a] excuſat: & paulo poſt, [b] de duobus millibus talentorum, quæ Romanis perſoluerentur fit mentio.

a l. 42 init.
b l. 2. c. 8. 10.

XVIII. *Cogitat Perſidem.*

ERGO *conſternatus eſt animo valde, & cogitauit ire in Perſidem, & accipere tributa regionum, & congregare argentum multum. Et reliquit Lyſiam hominem nobilem de genere regali, ſuper negotia regia, à flumine Euphrate, vſque ad flumen Aegypti; & vt nutriret Antiochum filium ſuum, donec rediret.* Hic eſt Antiochus Eupator, qui patri ad triennium in regno ſucceſſit, & cum Lyſia à Demetrio Sotere conſobrino interfectus eſt, vt ſuo loco dicetur.

Lyſiam proregem relinquit.

Et tradidit ei medium exercitum, ſiue dimidum exercituum, *& elephantos, & mandauit ei de omnibus quæ volebat, & de inhabitantibus Iudæam & Ieruſalem: & vt mitteret ad eos exercitum, ad conterendam, & extirpandam virtutem Iſraël, & reliquias Ieruſalem, & auferendam memoriam eorum de loco. Et vt conſtitueret habitatores filios alienigenas in omnibus finibus eorum, & ſorte diſtribueret terram eorum.* Hæc ille mandabat Lyſiæ.

XIX. *Cum mandatis extinguendi nomen Iudæorum.*

QVÆ erat via delendi penitus Iudaicum nomen, quo modo Aſſyrij decem tribus iam pridem extinxerant, Medis, & Perſis, & Chaldæis, & Sidoniis in eorum regione ſubſtitutis. Mitior fuerat in Iudam & Beniamin Nabuchodon. cum terram eorum, ita deſolatam reliquit, vt poſteritati non irritam ſpem reſtaurationis conſeruaret. Verum diuina prouidentia, quæ Iudæam Rempub. ad filij ſui ſacroſanctum aduentum volebat conſiſtere, crudelia Antiochi conſilia in ventum diſiecit.

¶ *Et Rex aſſumpſit partem exercitus reſidui*, ſiue dimidium exercituum, *& exiuit ab Antiochia ciuitate regni ſui*, (metropoli Syriæ) anno centeſimo & quadrageſimo ſeptimo, nimirum regni Græcorum, ſiue Seleucidarum, quem etiam annum fideliter retinuit Ioſephus, [c] quem vides noſtræ Chronologiæ exacte reſpondere. *Et transfretauit Euphratem flumen, & perambulabat ſuperiores regiones.* Quid autem illic egerit anno ſeq. dicetur. Ioſephus ait paraſſe illum proximo vere in Iudæam irrumpere.

l. 1. c. 3. v. 37.
c l. 12. c. 11.

XX. *Antiochi duces Iudæorum hoſtes. Ptolemæus. Nicanor. Gorgias. Philippus. Timotheus. Bacchides.*

PORRO Lyſias, prorex ab Antiocho in omnibus Syriæ regionibus conſtitutus, *elegit Ptolemæum filium Dorymini, & Nicanorem, & Gorgiam viros potentes ex amicis Regis & miſit cum eis* 40. *millia virorum, &* 7. *millia equitum, vt venirent in terram Iuda, & diſperderent eam ſecundum verbum Regis.* Memorantur quoque hi tres belli duces l. 2. [d] Vbi dicitur Philippũ (qui creditur præpoſitus fuiſſe præſidio Hieroſolymitano, vnde propius conatus, & geſta Iudæorum videbat, quę alij auditione accipiebant) viſis Iudæ Machabæi incrementis, ad Ptolemæum ducem Cœleſyriæ & Phœnicis ſcripſiſſe, vt auxilium ferret regiis negotiis. Cœleſyria, cui hic Ptolemæus præerat, pars Syriæ eſt, ad montem Libanum, cuius caput Damaſcus: & vt ſuberat ipſe Lyſiæ, ita ſubiectum ſibi habebat Philippum; imo & Nicanorem, & Gorgiam, vnde ſequitur. *At ille velociter miſit Nicanorem Patrocli* (filium) *de primoribus amicum, datis ei de permiſtis gentibus armatis non minus viginti millibus, vt vniuerſum Iudæorum genus deleret: adiuncto ei & Gorgia viro militari, & in bellicis rebus*

l. 1. c. 3. 38.
d l. 2. c. 8. v. 8

experientiſſimo. In ducibus & Timotheum & Bacchidem numerat infra, vbi victoria deſcribitur. Addit his copiis Ioſephus magnum perfugarum Iudæorum numerum.

l. 12 c. 11.

XIX. *Nicanor vendit Iudæos nondũ captos.*

Sed vide confidentiam hominis, diuendentis pellem, implicata caſſibus nondum fera. Nicanor cognita regis penuria, ratus ſe magnam apud Regem gratiam initurum, ſi eum ære alieno Romano liberaret. *Conſtituit vt Regi tributum, quod Romanis erat dandum, duo millia talentorum de captiuitate Iudæorum suppleret.* Annuum quidem tributum conſtitutum fuerat mille talentûm in annos 12. vt diximus ſupra, anno vlt. regni Antiochi Magni, in 16. conditione pacis, ſed quia ſerius aliquando ſoluebatur, vt paulo ante ex Liuio dicebam, nunc poſt annum 22. duo millia talentûm debebantur, quæ fortaſſe reliqua erant, de tota ſumma 15. millium talentûm, quæ pro belli ſumptibus Antiochus Romanis ſpoponderat, ab iis poſtremum victus in Aſia. Porro ducenta talenta pro duobus millibus quidam legunt, errore manifeſto, vt ſequentia quoque docent, vbi dicitur mercatores regionum accepiſſe aurum & argentum multum valde ad emenda mancipia.

XXII. *Et quo pretio.*

Nicanor igitur eam ſummam corradere cupiens, miſit ad maritimas ciuitates, [a] conuocans ad coëmptionem Iudaicorum mancipiorum; promittens ſe nonaginta mancipia talento vno diſtracturum: ſingulos videlicet quatuor aut quinque coronatis, prout fuerint Attica talenta vel Euboica, quindecim vero ſi fuerint Hebraica. Et audierunt mercatores [b] regionum, nomen eorum, & acceperunt argentum & aurum multum valde, & pueros, puta famulos, & venerunt in caſtra, (paulo ante dixerat applicuiſſe Emmaum in terra campeſtri) vt acciperent filios Iſraël in ſeruos, & additi ſunt ad eos exercitus Syriæ & terræ alienigenarum; vt ſcilicet mercatoribus præſidio eſſent, & participes prædæ forent. Addit Ioſephus inſtructos fuiſſe mercatores compedibus, vt emptos captiuos vincirent. Sed iam belli apparatum, ex parte Machabæi & Iudæorum videamus, tum certaminis ordinem conſiderabimus.

a l. 2. c. 8. v 11.
b l. 1. c. 3. 41.

XXIII. *Iudas agnoſcit periculum.*

Primo imminens ab hoſtibus diſcrimen agnoſcitur. [c] *Et vidit Iudas, & fratres eius quia multiplicata ſunt mala, & exercitus applicabant ad fines eorum, & cognouerunt verba Regis, quæ mandauit populo facere in interitum, & conſummationem,* id eſt quæ iuſſit ſuos facere in ruinam & perniciem Iudæorum. Id periculum quoſdam perterrefecit, qui partim fugerunt, partim etiam à Iuda dimiſſi ſunt. Nam [d] legitur Iudam, vbi comperit Nicanorem, qui temere iam vendiderat Iudæos in ſeruitutem, aduentare, id indicaſſe iis, qui ſecum erant Iudæis. *Ex quibus,* inquit, *quidam formidantes, & non credentes Dei iuſtitiæ,* quam ſcilicet in hoſtes ſuos eſſet exerciturus, ſubducebant ſeſe, & *in fugam vertebantur.* Dimiſſos autem habes lib. 1. [e] Et dixit his qui ædificabant domos, & ſponſabant vxores, & plantabant vineas, & formidoloſis, vt redirent vnuſquiſq; in domum ſuam ſecundum legem. Vix credibile eſt fuiſſe hoc rerum Iudaicarum ſtatu, qui ædificarent domos, aut plantarent vineas. Sed intelligendum eſt Iudam legem ex Deuteronomio, [f] in qua hæc capita continentur, repetiiſſe, atque euulgaſſe, licet aliqua ad præſens tempus non pertinerent.

c l. 1. c. 3. 42.
d l. 2. c. 8. 12.
e l. 1. c. 3. 56.
f Deut. 20.

Quidam partim abeunt. *Partim dimittuntur.*

XXIV. *Reliquorũ conſtantia.*

Tertio alij conſtantes perſeuerant, ſeſeque mutuo animant. Alij vero ſi quid eis ſupererat [g] vendebant, aut quaſi morituri, ſi res ferret, aut neceſſariis belli vſibus prouiſuri. Nam pleroſque male ad bellum inſtructos fuiſſe, mox dicetur; ſimulque Dominum deprecabantur, vt eriperet eos ab impio Nicanore, *qui eos priuſquam cominus veniret, vendiderat: & ſi non propter eos, propter teſtamentum tamen, quod erat ad patres eorum, & propter inuocationem ſancti, & magnifici nominis eius ſuper ipſos. Et dixerunt vnuſquiſque ad proximum ſuum,* [h] *erigamus deiectionem populi noſtri, & pugnemus pro populo noſtro, & ſanctis noſtris.* Sicut aliqui timiditate ſua frangebant animos ſociorum, ita alij eos verbo exemplóque erigebant.

g l. 2. c. 8. 14
h l. 1. c. 3. 14.

XXV. *Deum placant pœnitentia operibus.*

Qvarto Deum ſibi placare conantur precibus, & pœnitentiæ operibus; quæ quia Hieroſolymis facere non poterant, ea in Maſphat, antiquo orationis loco, perficiunt. [i] *Et Ieruſalem,* ait Scriptura, *non habitabatur, ſed erat ſicut deſertum: non erat qui ingrederetur & egrederetur de natis eius: & ſanctum conculcabatur, & filij alienigenarum erant in arce, ibi erat habitatio Gentium: & ablata eſt voluptas à Iacob, & defecit ibi tibia & cithara. Et congregati ſunt, & venerunt in Maſpha contra Ieruſalem, quia locus orationis erat in Maſpha ante in Iſraël.*

i l. 1. c. 3. 45. 46.

In Maſpha

Intelligit tempora Samuelis. Nam [a] dixit Samuel, Cógregate vniuerſum Iſraël in Maſphath, vt orem pro vobis Dominum. Et conuenerunt in Maſphath, hauſeruntque aquam &c. erat id oppidum in edito loco ſitum, quod in confinio tribus Iuda & Beniamin poſitum putat Adrichomius. [b] In Maſpha igitur *ieiunauerunt, & induerunt ſe ciliciis, & cinerem impoſuerunt capiti ſuo, & diſciderunt veſtimenta ſua, & expanderunt libros legis, de quibus ſcrutabantur gentes ſimilitudinem ſimulachrorum ſuorum.*

a 1. Reg 7. 5. b In trib. Beniamin n. 88.

XXVI. *Eumque orans intentius.*

MANDATO Iudæ hæc facta fuiſſe tradit Ioſeph. [c] qua ceremonia videntur voluiſſe quodammodo commonefacere Deum, de promiſſa venia pœnitenti populo ſuo, & auxilio ſupplicibus ſuis, & vindicta hoſtibus ſuis, imitati Ezechiam apud Dominum de Rapſace conquerentem. [d] Quam autem ſimilitudinem gentes in libris ſacris ſcrutarentur obſcurum eſt. quidam putant eos libros ab idololatris conquiſitos, vt in iis effigies ſimulachrorum ſuorum pingerent, ita Tigurina & Baſileenſis verſio, & Sà: aut vt inſcriberent in ipſis nomina deorum ſuorum. In Græcis pleriſque legitur τοῦ ἐπιγράφειν ἐπ᾽ αὐτῶν. Verum legimus quæſitos potius ab iis, vt eos diſcinderent & comburerent. [e] Dici poteſt Ethnicos non quæſiſſe quidem modo libros ſacros, vt in iis aliquid pingerent vel inſcriberent; ſed ſolitos fuiſſe, ſi quando in libros ſacros incidiſſent, nec erat difficile, cum in Græcum verſi extarent, inſignes quaſque hiſtorias, & Dei miracula, ad ſuos deos, quaſi authores trãsferre ſategiſſe; vti de Eliæ curru in ſolis quadrigam verſa notat Venerabilis Beda. [f] Itaque eo facto videntur Iudæi dicere voluiſſe Deo, eum eſſe qui mirabilia magna faceret pro ſeruis ſuis, prout ſæpius in ſacris literis ſpopondiſſet, quæ impij curioſe ſcrutabantur, vt ea mendaciter & ſacrilege diis ſuis affingerent.

Quid ſit gêtes ſcrutari ſimilitudinem.

c l. 12. c. 11. d 4. Reg. 19. 14. e L. 1. c. 1. v. 59. f In q. 27. in lib. Reg. vt notat Serar.

XXVII. *Lamentãtur apud Dominum ſuam vaſtitatem.*

ATTVLERVNT *quoque ornamenta ſacerdotalia*, erepta ſcilicet ex rerum ſacrarum naufragio, quæ pariter poſuerunt in conſpectu Domini, lamentantes apud eum, quod nullus eſſet eorum vſus, nec primitiæ, aut decimæ offerri iam in ipſius templo poſſent, ex præſcripto legis, nec circa Nazaræos legitima ſeruari. *Et clamauerunt voce magna in cœlum dicentes: Quid faciemus iſtis, aut quo eos ducemus? & ſancta tua conculcata ſunt, & ſacerdotes tui facti ſunt in luctum, & in humilitatem*, id eſt in luctu & afflictione ſunt. 1. 1. 1.

Hebræa phraſis lib. 1. Mach.

Pergit Iudas vt pontifex gemere apud Dominum, & orare pro populo, cui etiam maiora mala immineant præcedentibus. *Et ecce nationes conuenerunt aduerſum nos, vt nos diſperdant, tu ſcis quæ cogitant in nos. Quomodo poterimus ſubſiſtere ante faciem eorum, niſi tu Deus adiuues nos?*

XXVIII. *Iudas conſtituit duces populi.*

QVINTO Iudas vt populi dux, & imperator in exercitu, *conſtituit duces populi, tribunos, & centuriones & pentacontarchos, & decuriones.* Iſti populi duces fuerunt: Iudæ fratres, [g] Simon, Ioſephus, [h] Ionathas, Eleazar, quibus ſingulis ſubiecit millenos & quingentenos: tribuni millenis præeſſe ſolebant, vt centuriones centenis, pentacontarchi quinquagenis, & decuriones denis. Verba porro illa c. 8. varietatem habent & obſcuritatem. Ita enim in Latina editione legimus. [i] *Conſtituit itaque fratres ſuos duces vtrique ordini, Simonem, & Ioſephum, & Ionathan, ſubiectis vnicuique millenis & quingentenis. Ad hoc etiam ab Eſdra lecto illis ſancto libro, & dato ſigno adiutorij Dei, in prima acie ipſe dux commiſit cum Nicanore.*

g vt dicitur l. 2. 8. 22. h qui Ioãnes dicitur l. 1. c. 2. v. 2. i v. 22.

XXIX. *Eſdras pro Eleazaro poſitus.*

IN Græco pro Eſdra legitur Eleazar, & mutatur interpunctio, hoc modo; ſubiectis vnicuique millenis & quingentenis, adhoc etiam Eleazaro. Vt ſcilicet dicatur etiam ipſe præfuiſſe mille quingentis, ſicut & fratres: liber autem ſanctus ab ipſomet pontifice lectus intelligatur, à quo reliqua etiam facta dicuntur, eadem ſeruata formula locutionis. Irrepſit autem mendum, ex inepta alicuius notatione, qui cum vidit mentionem fieri lectionis libri ſacri, Eſdram hic quoque lectorem appinxit, & vnam Eleazari vocem in duas, *ab Eſdra* conuertit. Confirmatur etiam præfectura Eleazari, ex eo quod ſex millibus militum, quos in Græco legimus, oportet quatuor conſtituere duces, ſi mille & quingentos duntaxat ſingulis attribuamus. In Latina autem vulgata legimus fuiſſe cum Iuda ſeptem millia, vt ſcilicet mille cum Iuda in prima acie confligerent, tum reliqui ordines ſequerentur. v. 16.

XXX. *Cohortatio Iudæ ad ſuos, ex l. 1.*

SEXTO ſequitur cohortatio Iudæ, quæ eſt huiuſmodi. [k] *Et mouerunt caſtra*, inquit, *& collocauerunt ad auſtrum Emmaum, & ait Iudas; Accingimini, & eſtote filij potentes, & eſtote parati in mane, vt pugnetis aduerſus nationes has, quæ conuenerunt aduerſum nos, diſperdere nos, & ſancta noſtra: quoniam melius eſt nos mori in bello, quam videre*

k L. 1. c. 3. extremo.

mala gentis noſtræ, & ſanctorum. Sicut autem fuerit voluntas in cælo, ſic fiat. Egregia concluſio viri fortis, & egregie pij; qui vbi fecerit quidquid in ſe eſt, euentum nihilominus omnem diuinæ voluntati, ac prouidentiæ humiliter committit. Etſi autem ſtatuerat mane pugnare, mox tamen rei euentus cum pene ad nocturnam pugnam adegit: ſed alteram prius cohortationem Iudæ videamus. [a] In qua primum profert, quæ valebant ad acuendos ad iram animos aduerſus hoſtes, quoniam ira eſt cos fortitudinis, vt aiunt; tum quæ in Deum fiduciam.

Ex altero.

a 1.2.c.8.16

b Græcè 6.

Convocatis, inquit, *Machabæus ſeptem millibus,* [b] *qui cum ipſo erant, rogabat ne hoſtibus reconciliarentur, neque metuerent inique venientium aduerſum ſe hoſtium multitudinem.* Hæc ſunt duo exhortationis capita, quæ mox ordine declarantur, *ſed fortiter contenderent, ante oculos habentes contumeliam, quæ loco ſancto ab his iniuſte eſſet illata; itemque & ludibrio habitæ ciuitatis iniuriam; adhuc etiam veterum inſtituta conuulſa.*

XXXI. *Acuit odium in hoſtem.*

Iam vero quæ iuſtam fiduciam afferant hæc ſunt. *Illi quidem armis confidunt,* ait, *ſimul & audacia; nos autem in omnipotente Domino, qui poteſt & venientes aduerſum nos, & vniuerſum mundum vno nutu delere, confidimus. Admonuit autem eos & de auxilijs Dei, quæ facta ſunt erga parentes, & quod ſub Sennacherib* 185. *millia perierint.* Id ante 565. annos contigerat, an. mundi 3324. cui ſubdit aliam recentiorem victoriam. *Et de prælio quod eis aduerſus Galatas fuit, in Babylonia, vt omnes, vbi ad rem ventum eſt, Macedonibus ſocijs hæſitantibus, ipſi ſex millia ſoli peremerunt centum viginti millia, propter auxilium illis datum de cælo, & beneficia pro his plurima conſecuti ſunt.*

Et in Deũ fiduciam.

Hæc victoria parta de Galatis, alibi, quod ſciam, non extat, & in Græco nonnihil habet diuerſitatis. Dicitur enim Iudæorum octo millia, cum Macedonum 4. millibus, ad certamen contra Galatas veniſſe, & Macedonibus hæſitantibus, ſola octo millia Iudæorum, centum viginti millia hoſtium perdidiſſe. Quando autem hæc victoria contigerit, & ſub quo Aſiæ principe, non liquet. Quidam putant ſub Seleuco Nicanore, Serarius ſub Antiocho Sotere, qui, vt ſcribit Appianus in Syriacis, Galatas ex Europa in Aſiam irrumpentes repulit. Memorat eorum in Aſiam tranſitum Liuius l.38. ſub Nicomede rege Bithyniæ, qui Soteri ſynchronos fuit, vt ex Euſebio patet: ſed illis 20. millia tantum hominum tribuit, quorum non plus quam decem millia armata eſſent. [c] Iuſtinus vero l.25. Gallorum, inquit, ea tempeſtate tantæ fœcunditatis iuuentus fuit, vt Aſiam omnem velut examine aliquo implerent: denique neque Reges orientis, ſiue mercenario Gallorum exercitu, vlla bella geſſerint; neque pulſi regno, ad alios, quam ad Gallos confugerint. Tantus terror Gallici nominis, ſiue armorum inuicta fœlicitas erat, vt aliter neque maieſtatem ſuam tutam eſſe, neque amiſſam recuperare ſe poſſe, ſine Gallica virtute arbitrarentur.

XXXII. *Iudæorum de Galatis victoria.*

c Pauſan. Olym. 115. 3. Vide cũ locum ſupra.

Nec mirum eſt rem in obſcuro manſiſſe, ſcriptoribus ethnicis Iudæorum odio paſſim laborantibus, vt ex iis quæ ſupra ex Diodoro Siculo retulimus, de ingreſſu Antiochi in templum, intelligi poteſt; & iis, quæ Ioſephus aduerſus Apionem ſcribit. Illud potius mirum eſt tam illuſtrem, tamque glorioſam Iudæis hiſtoriam à Ioſepho aut ignoratam, aut negligenter prætermiſſam. Nos redeamus ad Iudæ exercitum. [d] Cum Iudas ſuos animaſſet, ad mortem pro patria & legibus oppetendam, inſtruit aciem, & aliquem ex Scriptura locum legit, vt exercitus Deum quodammodo ſe in bellum immittentem audiret, dat teſſeram militarem, *Auxilium*, ſiue *Adiutorium Dei*, Θεοῦ βοηθείας.

XXXIII. *Obſcura permanſit.*

d 1.2.c.8.v. 21.&c.

Cum prælium in proximum diem paratum eſſet, Gorgias incautos opprimere nocturno prælio conatus eſt. *Aſſumpſit enim* [e] *quinque millia virorum, & mille equites electos, & mouerunt caſtra nocte, vt applicarent ad caſtra Iudæorum, & percuterent eos ſubito,* necopinantes videlicet & imparatos, *& filij qui erant in arce,* id eſt præſidiarij Sionis, *erant illi duces. Et audiuit Iudas, &* (nocturnum prælium vitans) *ſurrexit ipſe & potentes, percutere virtutem exercitus Regis,* quæ erat cum Nicanore ad Emmaum, capta ſapienter opportunitate diuiſi exercitus inuadendi, à quo abeſſet ſcientiſſimus belli dux Gorgias, cum ipſo exercitus flore, idque ſignificant ea verba. *Adhuc enim diſperſus erat exercitus à caſtris,* id eſt dum adhuc diuulſæ eſſent copiæ, nec vnis caſtris continerentur omnes. Et venit Gorgias in caſtra Iudæ noctu, & neminem inuenit, & quærebat eos in montibus, quoniam dixit, fugiunt hi à nobis, dictitans ſcilicet eos infirmitatis propriæ conſcios, metu fugitare.

XXXIV. *Iudas vitat nocturnum prælium.*

Venit ad Emmaum contra Nicanorem.

e 1.2.c.4.1.

XXXV. *Quæ eius copia, & quomodo instructa.*

AT interea Iudas cum ſuis, confecto per noctem itinere, ad Emmaum venit, vbi hoſtis caſtra metatus fuerat. [a] *Et cum dies factus eſſet, apparuit Iudas in campo cum tribus millibus virorum tantum, qui tegumenta & gladios non habebant.* Difficilis ſane locus. Quomodo enim Iudas cum tribus tantum millibus? quid ergo factum erat reliquis tribus aut 4. millibus, quos ſuis ducibus & tribunis attribuerat, quos ad pugnam animarat? & quomodo inermes ad pugnam, præſertim duobus iam præliis victores? Auxilium ſine dubio ex textu Græco petendum eſt, in quo legitur, *ἐν τρισχιλίοις ἀνδράσι πλὴν καλύμματα, καὶ μαχαίρας οὐκ εἶχον, καθὼς ἐβούλοντο.* Vt ſenſus ſit, in exercitu Iudæ dimidiam partem non fuiſſe inſtructam gladiis, loricis, galeis, ocreis, & aliis id genus veſtibus militaribus, vti voluiſſent; idque agnouerunt animaduertentes hoſtium florentes ære cateruas: ſequitur enim. *Et viderunt caſtra gentium valida, & loricatos, & equitatus in circuitu eorum, & hi docti ad prælium.* Sed nimirum id voluit is, qui infirma eligit, vt fortia quæque confundat; ne gloriarentur Iudæi, & dicerent. *Manus noſtra excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia.*

[a] I. 1. c. 4. 6.

XXXVI. *Confirmatur ex Ioſepho.*

ITA hunc locum intellexit Ioſephus, [b] Iudas, inquit, ſub diluculum peruenit ad caſtra hoſtium, ducens tria virorum millia, non ſatis inſtructa armis propter inopiam: videnſque hoſtem armatum egregie, & caſtra ex arte diſpoſita, hortatus primum ſuos, vt non dubitarent vel nudis, ſi ita opus ſit, corporibus in pugnam ruere: quandoquidem Deus delectetur tali fortitudine, eamque ſuo præſidio contra armatos fulciat. Sed pergit author. [c]

[b] l. 12. c. 11.
[c] I. 1. c. 4. 8.

Et ait Iudas viris qui ſecum erant, ne timueritis multitudinem eorum, & impetum eorum ne formidetis. Memento te qualiter ſalui facti ſunt patres noſtri in mari rubro, cum ſequeretur eos Pharao, cum exercitu multo. Et nunc clamemus in cœlum, & miſerebitur noſtri Dominus, & memor erit teſtamenti patrum noſtrorum; & conteret exercitum iſtum, ante faciem noſtram hodie: & ſcient omnes gentes, quia eſt qui redimat, & liberet Iſraël.

XXXVII *Pugna, victoriaque Machabæi de Nicanore.*

SEQVITVR iam pugna ipſa inita contra Nicanorem, abſente Gorgia. *Et eleuauerunt* [d] *alienigenæ oculos ſuos, & viderunt eos venientes ex aduerſo, & exierunt de caſtris in prælium, & tuba cecinerunt hi qui erant cum Iuda. In prima acie,* [e] *ipſe dux commiſit cum Nicanore, & facto ſibi adiutore omnipotente,* iuxta teſſeram prælij, ad quam videtur alludere, *interfecerunt ſuper 9. millia hominum. Maiorem autem partem exercitus Nicanoris, vulneribus debilem factam, fugere compulerunt.* In fuga vero *nouiſſimi omnes* [f] *ceciderunt in gladio, & perſecuti ſunt eos vſque Gezeron, & vſque in campos Idumeæ, & Azoti, & Iamniæ, & ceciderunt ex illis vſque ad tria millia virorum,* præter eos ſcilicet qui in acie ceciderant: quod aperte ſignificat illud, *ex illis,* ſcilicet fugitiuis, qui palantes cędebantur. Nam de illis qui in acie cæſi ſunt dicitur, *& congreſſi ſunt, & contritæ ſunt gentes, & fugerunt in campum.* Moxque ſubdit nouiſſimos quoſque cæſos, diuque in omnem partem fugatos, donec tria millia ex illis perimerentur; nec vſquam apparet geminum fuiſſe prælium aut congreſſum, ſed quod in vno libro minus explicatum eſt, ſuppletur in altero.

Cæſorum numerus.

[d] I. 1. c. 4. 12.
[e] I. 2. 8. 23.
[f] I. 1. c. 4. 15.

XXXVIII. *Præda, & ſpolia.*

IN his fugitiuis fuerunt etiam mercatores, qui ad emptionem Iudæorum cum pecuniis venerant, quos *ſublatis pecuniis, vſquequaque perſecuti ſunt, ſed reuerſi ſunt hora concluſi,* finiente ſcilicet tempore profeſto, quo Iudæis pugnare fas erat. Quamuis enim pro ſui defenſione neceſſaria, ſe lege ſabbati ſolutos cenſuerunt, vt paulo ante definitum fuerat: hanc tamen aggreſſionem non neceſſariam, ideoque neque licitam putarunt, ergo ſequitur. *Nam erat ante ſabbatum, quam ob cauſam non perſeuerauerunt inſequentes.* [g] *Reuerſus ergo eſt Iudas,* [h] *& exercitus eius ſequens eum.* Et videlicet ſtatim ad ſpolia, & prædas conuertebantur, & ignem in caſtra cõiiciebant, cum eos tantiſper cohibuit Iudas, *Dixitque ad populum, non concupiſcatis ſpolia, quia bellum contra nos eſt,* id eſt imminet nobis dimicatio contra vicinum hoſtem, & ex aduerſo habentem copias, vnde explicandi cauſa ſubditur. *Et Gorgias, & exercitus eius prope nos in monte,* ex irrita ſcilicet venatione reuerſus. *Sed ſtate nunc contra inimicos noſtros, & expugnate eos, & ſumetis poſtea ſpolia ſecuri.*

Differri iubet Iudas.

[g] I. 1. c. 4. v. 16.
[h] I. 1. c. 4. 16

XXXIX. *Et parat pugnam contra Gorgiam.*

ET *adhuc loquente Iuda hæc, ecce apparuit pars quædam proſpiciens de monte. Et vidit Gorgias quod in fugam conuerſi ſunt ſui, & ſuccenderunt* Iudæi eorum *caſtra. Fumus enim qui videbatur declarabat, quod factum eſt.* In Græco non repetitur hoc loco Gorgiæ nomen, & incendium præſens ponitur non præteritum, ſed nihil propterea in ſententia diuerſum eſt. *Quibus illi conſpectis timuerunt valde, aſpicientes ſimul & Iudam, &*

exercitum in campo paratum ad prælium, & fugerunt omnes in campum alienigenarum, verſus Ptolemæum Cœleſyriæ ducem, fortaſſe primo, à quo exiſtimatur mox redintegratum prælium, Timotheo, & Bacchide ducibus, inde vero ad Lyſiam. Nam paulo poſt legitur. [a] *Quicunque autem alienigenarum euaſerunt, venerunt, & nunciauerunt Lyſiæ vniuerſa quæ acciderant. Quibus ille auditis conſternatus animo deficiebat, quod non qualia voluit, talia contigerunt in Iſraël, & qualia mandauit Rex*, cuius ſcilicet reprehenſionem verebatur.

a l. 1. c. 4. 26

Eius copia fugiunt.

XL. INTEREA victor Iudas reuertitur [b] *ad ſpolia caſtrorum, & acceperunt aurum multum, & argentum, & hyacinthum, & purpuram marinam, & opes magnas.* Vnde hæc in exercitu? niſi a mercatoribus, qui præter pecuniam, etiam merces attulerant, quas victori exercitui venderent, aut cum captiuis Iudæis commutarent. *Et conuerſi Iſraëlitæ hymnum canebant, & benedicebant Deum in cœlum,* tollentes ſcilicet illam Dauidis vocem. *Quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Et facta eſt ſalus magna in Iſraël in die illa.* Sed inſignis militum pietas & miſericordia erga pauperes, quorum erat tum ingens multitudo, prætermittenda non eſt. Nam [c] *arma ipſorum, & ſpolia congregantes, ſabbatum agebant benedicentes Dominum, qui liberauit eos in iſto die, miſericordiæ initium ſtillans in eos.*

b c. 4. 23.

Iudas ad ſpolia reuertitur.

c l. 2. 8. 27.

XLI. POST *ſabbatum vero debilibus, & orphanis, & viduis diuiſerunt ſpolia, & reſidua ipſi cum ſuis habuere. His itaque geſtis, & communiter ab omnibus facta obſecratione, miſericordem Dominum poſtulabant, vt in finem ſeruis ſuis reconciliaretur.* Vt ſcilicet quæ cœperat miſericordia ſtillare non exareſceret, ſed iugiter flueret, vſque ad perfectam victoriam de hoſtibus, & integram Iudaicæ gentis reſtitutionem. Et erat congrua poſtulatio. Nam recte qui miſericordiam fecerant, miſericordiam poſtulabant. Credibile eſt autem hanc mentem inditam Iudæ diuinitus, vt qui erat pater populi, vt dux & Pontifex, eiuſque vices gerebat, qui ſe patrem orphanorum & iudicem viduarum appellat. Boni autem milites libenter ducis ſui conſilium & exemplum ſunt ſecuti; præſertim cum magnis opibus ditati eſſent, vt Scriptura teſtatur.

...αἰξαντες, non ...ξαντες ordinans.

Eius miſericordia in pauperes.

XLII. SEQVITVR aliud certamen Iudæ cum Timotheo & Bacchide, quod paucis à Scriptura, ſine certi temporis notatione perſtringitur.[d] A Ioſepho autem prætermittitur, ſicut alia pleraque. Videtur enim tantum quæ libro 1. continentur perſequi, nec 2. attingere. Sub hoc tamen tempus contigiſſe, ante templi expurgationem ſatis conſtat. Nec male exiſtimat Torniellus fuiſſe partem exercitus miſſi à Ptolemæo duce Cœleſyriæ & Phœnicis, qui miſerat Nicanorem, cum non minus viginti millibus. [e] Hi ergo prælium contra Iudæos redintegrarunt, ſimulque ſuam confuſionem, & ipſorum gloriam. *Et ex his*, inquit Script. [f] *qui cum Timotheo & Bacchide erant, contra ſe contendentes, ſupra viginti millia interfecerunt.* Quomodo ſupra 20. millia, cum 20. millia tantum veniſſe dicantur? Intelligi poteſt, plerοſque de fugitiuis præcedenti certamine, ſeſe his adiunxiſſe, & cum his periiſſe. Alios autem ad Lyſiam iterum fugientes perueniſſe.

d c. 8. v. 30. ...2.

Alia victoria de Timotheo, & Bacchide.

e Vt diciur l. 2. c. 8.

f c. 8. 30.

XLIII. AT Iudæi victoria vſi *munitiones excelſas obtinuerunt, & plures prædas*, ab hoſte pulſo acceptas, *diuiſerunt, æquam portionem debilibus, pupillis, & viduis, ſed & ſenioribus facientes. Et cum arma eorum diligenter collegiſſent, omnia compoſuerunt in locis opportunis*, munitis ſcilicet arcibus, in quibus armamentaria pararunt in vſum ſuorum, qui male erant armis inſtructi. *Reſidua vero ſpolia Hieroſolymam detulerunt, & Philarchen, qui cum Timotheo erat*, eius videlicet partes ſecutus fuerat, *interfecerunt, virum ſceleſtum, qui in multis Iudæos afflixerat*, in Græco legitur, τὸν δὲ φυλάρχην τῶν περὶ Τιμόθεον ἀνεῖλον. Philarchem vero eorum, qui circa Timotheum erant, occiderunt, quaſi dicas principem, vel tribui præpoſitum, vt id dignitatis ſit nomen, non perſonæ. Cæterum hæc ſeorſim facta expoſitio mortis eius, ſignificat, eum non in prælio cæſum, ſed viuum captum, Hieroſolymam deductum, ibique occiſum, vt vbi mala perpetrarat, ibi ſupplicium pateretur.

Iudæi victoria vſi.

Philarches occiſus.

XLIV. SVNT enim qui putent hunc eſſe Philippum illum genere Phrygem, qui ad Ptolemæum Cœleſyriæ ducem ſcripſerat de ſecundis Machabæi rebus, [g] qui præpoſitus fuerat Hieroſolymis ab Antiocho, moribus crudelior eo ipſo, à quo fuerat conſtitutus, ad gentem Iudæorum affligendam; [h] qui in ſpeluncis die ſabbathi latitantes flammis ſuccenderat. [i] Ille tamen Gorion alibi eius mortem contigiſſe ſignificat. Ait enim inito contra Bacchidem & Timotheum prælio Iudam perſe-

Quis ille fuerit.

In his ...tar ex ...orionide. ...c. 5 & 12 ...2. c. 5. 26. ...2 c. 6. 11.

quentem effugiſſe, quod ingreſſi eſſent in Aſtaroth Carnaim; apprehendiſſe tamen Philippum, qui mala intulerat terræ Iuda.

An Philippus. Cum autem, inquit, appropinquaret Iudas, declinauit Philippus ab itinere, & diuertit in domum quandam vicinam. Tunc præcipiente Iuda deiecerunt domum ſuper illum, combuſſeruntque cum igni, in loco illo, & vlti ſunt Eleazarum, & ſanguinem Haſidæorum, quem effuderat Philippus &c. *Vel Calliſthenes.* Verum id de Calliſthene videtur narrare Scriptura, ait enim. *Et cum Epinicia*, id eſt feſtos dies pro victoria, *agerent Hieroſolymis, cum qui ſacras ianuas* (templi) *incenderat, id eſt Calliſthenem, cum in quoddam domicilium refugiſſet, incenderunt, digna ei mercede pro impietatibus ſuis reddita.*

XLV. *Nicanoris fuga.* FACINOROSISSIMVS *autem Nicanor, qui mille negotiantes ad Iudæorum venditionem adduxerat, humiliatus auxilio Domini, ab his quos nullos exiſtimauerat, depoſita veſte gloriæ, per mediterranea fugiens, ſolus venit Antiochiam, ſummam infelicitatem de interitu exercitus ſui conſecutus. Et qui promiſerat Romanis ſe tributum reſtituere de captiuitate Ieroſolymorum, prædicabat nunc protectorem Deum habere Iudæos, & ob ipſum inuulnerabiles eſſe, eo quod ſequerentur leges ab ipſo conſtitutas.* Dubium eſt an Nicanor bis congreſſus, bis fugitiuus fuerit. *Ementito habitu.* Et videtur ſane hoc ſecundum iniiſſe certamen, in quo ſolus effugerit: nam præcedente prælio plurima turba effugit, meridiem verſus, ſeptentrionem, & occaſum: videtur tamen potius reſumpta narratio, vt nominatim explicaretur, quid fugato exercitu ipſi duci contigiſſet. De veſte porro gloriæ depoſita conſentit Gorionides. Fugitiuus, inquit, Nicanor euaſit. Nam extrahens veſtimenta purpurea, quibus indutus erat, amiciuit ſe veſtibus vilibus, ſicque incognitus factus, & euadens peruenit in Macedoniam (ita vocat Syriam vt ante dixi, ſicut & Ioſephus,[a] Syros Macedonas, à quibus vaſtatum ait templum,) narrauitque Lyſiæ omnia, quæ acciderant ei. [a l. 13. c. 6.] Quod autem ab hoſte Iudæi dicuntur inuulnerabiles, indicium eſt omnes in his præliis incolumes fuiſſe, nec quemquam in pugna deſideratum.

XLVI. *Coſſ. anni huius.* DE Romana re, deficiente nunc T. Liuio, vix eſt certum aliquid quod dicamus. Conſules ſuggerunt T. Manlium & Cn. Octauium Tabulæ Capit. & Siculæ, cum Caſſiodoro & Iulio Obſequente, qui peſtilentia fame, multiſque prodigiis vrbem hoc anno territam ſcribit. Sed quæ ab iis geſta ſint nemo tradit. Hunc puto eſſe Octauium, qui legatione in Aſiam aliquanto poſt functus eſt, & ibi à Lyſia interfectus, vt ex Polyb. & Zonara dicemus. Primum in familiam ſuam Conſulatum inuexiſſe autor eſt in primis idoneus M. Tullius. [l. 1. Offi. & Philipp. 9.] Cn. inquit Octauij clari & magni viri, qui primus in eam familiam, quæ poſtea viris fortiſſimis floruit, attulit conſulatum, ſtatuam videmus in Roſtris.

XLVII. *Eumenes & Antiochus Romanis ſuſpecti.* IN hunc etiam annum refero illud ex Epit. 46. Legati Pruſiæ regis conqueſti ſunt de Eumene, quod fines ſuos depopularetur, dixeruntq; cum conſpiraſſe cum Antiocho contra populum Romanum. Polybius autem in legat.[b] Legatum Pruſiæ vocat Pythonem, aitque Regem Eumenem accuſaſſe, de quibuſdam locis ſibi ereptis, & quod à Galatia omnino non abſtineret, nec Senatus decretis morem gereret; ſed qui Romanis fauebant deprimeret, qui ſuas partes ſequerentur, omnibus rebus ornaret. [b n. 104.] De conſpiratione autem illa hæc addit. Aderant & e ciuitatibus Aſiaticis nonnulli, qui Eumenem accuſabant, & initam ab eo cum Antiocho ſocietatem ſignificabant. His auditis Senatus neque criminationes reſpuit, neque mentem aperuit ſuam, ſed clam apud ſe habuit, Eumeni atque Antiocho in omnibus rebus diffidens. Et erat iam inter eos à principio regni Antiochi contracta amicitia, vt ſuo loco ex Appiano diximus, quam par à Romanis metus deuinxerat.

XLVIII. *Rhodij ſocietatem Romanam recuperant.* EODEM tempore Rhodij, legatum agente Aſtymede, ſocietatem cum Romanis poſt varias tergiuerſationes, & multa iis illata detrimenta, argumenta ſuæ in eos iracundiæ, tandem obtinuerunt. Rem plenius apud Polyb. reperies,[c] tangit Florus in Epit. 46. [c n. 104.] qui addit Ptolemæum Ægyptiorum regem à minore fratre è regno pulſum, miſſis ad eum Roma legatis, in regnum fuiſſe reſtitutum. *Philometor à fratre pellitur.* Quæ quomodo conueniant cum iis, quæ habet Pauſanias in Atticis non ſatis intelligo. [lib. 1.] Qui cum retuliſſet artibus Cleopatræ pulſum regno Philometorem, & Alexandrum in eius locum introductum, ſubdit. Digna autem facinore pœna Cleopatram conſecuta eſt. Eam enim filius, quem ſuis ipſa conſiliis in regnum euexerat,

perimit. Quo ſcelere detecto, cum ciuium metu fugiſſet Alexander, Ptolemæus in Ægyptum rediit, atque iterum regno potitus, Thebanis, qui ab ipſo defecerant bellum intulit, ac tertio à defectione anno in poteſtatem redactos, tam grauiter mulctauit, vt qui ante ditiſſimas quaſque Græciæ ciuitates, Delphos etiam ipſos, penes quos erat ſacrata Deo pecunia, & Orchomenios opibus ſuperarant, nullum priſtinæ fortunæ veſtigium retinuerint.

Recipitque regnum. Thebanos affligit.

XLIX. *Eadem hiſtoria ex Zonara.*

Hæc Pauſanias, qui admodum diuerſus eſt ab aliis ſcriptoribus. Nec lego alibi hoc tempore Thebanos ab Ægyptiis defeciſſe, aut illis ſubditos, ſed potius Romanis, quibus aduerſus Perſeum addicti erat. Zonaras autem, qui maxime videtur Liuium ſecutus, in hiſtoria horum fratrum, ait eos in gratiam rediiſſe, intellectis conſiliis Antiochi de occupanda Ægypto, ſub ſpeciem reſtituendi Iunioris, cum Antiochus à Popilio Romanorum legato abſtinere iuſſus eſt Ægypto. Et fortaſſe, ſi permittis, erudite lector, ſuſpicionem noſtram efferre, Pauſanias, non admodum alioqui in hiſtoria, quam tangit obiter, accuratus, Thebas Ægyptias in Bœotias commutauit. Nihil enim iamdudum rei Ægyptios inter & Græcos erat, aut controuerſiæ; nedum cum hoc Ptolemæo, cui frater, & mater plurimum negotij faceſſebant, vt externos tentare non liceret.

Addit Zonaras externo metu liberatos Ptolemæos denuo diſſenſiſſe, & à Romanis reconciliatos eſſe, vt natu maior Ægypto & Cypro, Cyrenis vero iunior potiretur; qui inique ſecum agi exiſtimans, Romam profectus, ibi Cyprum etiam impetrauit. At ſenior denuo cum eo pactus, pro Cypro, vrbes quaſdam, & frumentum ei aſſignauit. Sic fere Zonaras, quæ poſteriora in Epitome 47. tanguntur.

L. *Tempus Templi in Ægypto conſtructi.*

Ad hæc ipſa tempora, referenda eſt noua Iudaici templi conſtructio in Ægypto. De quo Ioſephus pluribus locis. [a] Ex eo enim habetur extructum regnante Philometore, poſt fugam Oniæ, filij Oniæ pontificis, & aliquantam eius in Ægypto commorationem, poſt Iudæam vaſtatam, & templum deſolatum à Macedonibus, ſiue Syris, & viuo adhuc Antiocho Epiphane. Idque docent illa verba ſeptimi de bello, quibus Onias hortatur Philometorem, ad permittendam templi conſtructionem in Ægypto. Ita enim, inquit, Iudæos magis excitatum iri ad bellum cum Antiocho gerendum, qui templum Hieroſolymitanum vaſtauerit, ipſique Iudæos beneuolentiores fore. Ergo pugnabant tunc Iudæi contra Antiochum, quod ad præſens tempus pertinet, cum Antiochus mortuus ſit anno proxime ſequenti; non poteſt ergo hoc templum vlterius differri.

[a] l. 7. de bell. c. 30. & l. 12 Ant. c. 15 l. 13. c. 6.

...ἐκπλημμύ-...ναδαι.

Ioſephus inconſtans.

Quamuis ab eodem Ioſepho ſibi parum conſtante in Antiquitatum libris, & Euſebio eum ſecuto, res ad tempus Demetrij Soteris, qui regnauit poſt Eupatorem filium Antiochi Epiphanis, differatur.

LI. *Fuga Oniæ, eiuſque cauſa & tempus.*

Qvam porro Ioſephus cauſam fugæ tribuit Oniæ, quod videret, ſe excluſo, Alcimum factum pontificem loco Menelai, parum probabilis videtur. Nam præterquam quod id non contigiſſet viuo Antiocho, qui mortuus eſt antequam Alcimus fieret pontifex, etiam credibile non eſt nullam eius hoc tempore habitum iri rationem, ſi adfuiſſet, cum Machabæis delatus eſt vterque principatus. Verum de hac fuga ſatis alio in loco dictum eſt à nobis. [b]

[b] ...a m 3885. ...26. & 27.

Videtur autem S. Hieronymus, cum de huius templi extructione, & Oniæ fuga agit, [c] inductus in fraudem ſimilitudine nominum Oniæ; & Oniam tertium virum ſanctiſſimum, quem Menelaus curauit interfici, [d] pro eius filio, qui Onias quoque dictus eſt, vſurpaſſe. Nam Onias filius neque ad tempora Antiochi magni pertinet, neque pontifex vnquam fuit. Ad patrem autem templum ſacrilegum referri non conuenit.

[c] in ca. 11. ...an. v. 14.
[d] 2. Mach. 4. 34.

LII. *Occaſio & cauſa excitati templi, ex Ioſepho.*

Hæc de tempore, res autem ipſa apud Ioſephum, [e] ſic habet. Onias Oniæ pontificis filius, qui profugus Alexandriæ degebat apud Ptolemæum Philometorem, videns Iudæam vaſtatam à Macedonibus, eorumque Regibus, & ſibi æternam memoriam parare volens, decreuit à Rege Ptolemæo, & regina Cleopatra per literas petere, vt ſibi liceret templum in Ægypto, inſtar illius Hieroſolymitani templi ædificare: & in eo Leuitas & Sacerdotes, ex ſuo genere conſtituere. Hoc autem conſilium cepit, fretus maxime prophetæ Iſaiæ vaticinio, qui ante ſexcentos amplius annos prænunciarat fore omnino, vt templum aliquando Deo maxi-

[e] l. 13. c. 6.

mo ædificaretur in Ægypto, idque hominis Iudæi opera. Frigidum alicui videri poſſit, & fortaſſe falſum, non adiiſſe Oniam regum ipſum, in re præſertim tanti momenti, nec coram petiiſſe quod cupiebat. Verum hunc fuiſſe morem apud Ægypti reges, vt apud eos non niſi per literas ageretur, ſupra cum de Philadelpho ageretur, diximus. *an. eius 1. n. 31.*

LIII. *Expenditur Eſaiæ oraculum.*

ILLVD potius animaduertendum, nimium laxe à Ioſepho dictum, ante annos amplius ſexcentos id oraculum ab Eſaia editum, quaſi diceret 30. aut 40. amplius; corrigendo quod l. 7. de bello [a] dixerat, id nongentis ſeptuaginta annis ante fuiſſe prædictum. Etſi autem præciſe ſcire non poſſumus, quo anno id oraculum editum ſit, ad initia tamen regni Ezechiæ pertinere, facile ex D. Hieronymo in c. 14. eiuſdem prophetæ colligimus. Ab initio autem Regni Ezechiæ, quod cadit in annum Vrb. Cond. 8. & Olymp. octauæ 4. ad præſentem annum tantum 580. numerantur, ſiue 145. Olympiades ſolidæ.

a cap. 30. *ver. 28.*

LIV. *Male à Ioſepho expoſitum.*

ID porro oraculum eſt huiuſmodi. [b] *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini iuxta terminum eius.* Et mox. *Clamabunt enim ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis ſaluatorem, & propugnatorem, qui liberet eos.* Ex altari quidem templum intelligi poteſt, quia templum propter altare, & non vice verſa. Rectius tamen Ioſephus ſeruaſſet θυσιαστήριον Septuag. quam in eius locum ναὸν ϰ̀ ἱερὸν ſubſtitueret. Sed errat etiam vehementius, & maiore damno ſuo, dum hoc templum ab Eſaia prædictũ exiſtimat cum authore ſuo. [c] *Eſaias,* inquit, *prædixerat huius templi futuram in Ægypto conſtructionem, à quodam viro Iudæo,* [d] & id alibi repetit. Verum neque Eſaias viri Iudæi meminit, neq; cuiuſquam alterius, cuius opera id extruendum eſſet; neque vllam mentionem illius templi facit. Nam gratulabundus de altari quodam loquitur, ſicut & de ciuitatibus Ægyptiis Dei cultum amplectentibus, & iurantibus per Dominum exercituum; quod ſacrilego iſti templo conuenire non poteſt, quod contra Dei legem conſtructum fuiſſe, ipſe quoque Ioſephus fatetur.

b Eſa. 19. 11. *l. 7 de bello c c. 30.* *d l. 13. c. 6.*

LV. *Vera prophetæ mẽs.*

SED aliud omnino templum, & aliud altare intuebatur propheta, & alium ſpiritualis templi conditorem, ad quem & Ægyptij, & omnis Ethnicorum gens à facie cacodæmonis tribulantis clamatura erat, eumque ſaluatorem, & propugnatorem agnitura, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum; qui etiam in ſuperſtitioſiſſima Ægypto, & vbique gentium, templis & altaribus colendus erat, Hieroſolymitano templo, & omnibus eius ceremoniis antiquatis. Non poterat lætari Eſaias de altari, aut templo excitato, quo lex Moſaica violabatur, cuius obſeruatio Iudæis ſub maledictionis interminatione præcepta fuerat. Etenim Moſes, ait Euſebius, [e] altare & ſacrificia nuſquam terrarum, niſi in ſola Iudæa, & in huius vna duntaxat ciuitate conſtitui, lege à ſe poſita iubet. Prophetia autem Eſaiæ ait in terra Ægypti altare Domino ſtruendum, dicandumque eſſe; & Ægyptios ipſos non amplius diis patriis rem ſacram, ſed ipſi prophetarum Deo facturos; & quod verum Deum ſint agnituri, non Moſem illis, neque alium ex prophetis quempiam autorem fore, ſed nouum quendam diuinitus miſſum hominem.

Confirmatur ex Euſebio. *e l. 1. Demonſt. Eu. c. 6.*

LVI. *Reprobatio templi, legiſque Moſaicæ*

HÆC & plura in eandem ſententiam ibi Euſebius eleganter; vbi & locum refert Malachię, in quo de ſacrificio, in omni loco ſibi offerendo Dominus gloriatur; cum Iudaicorum munerum reprobatione, quæ Ioſephus, cæterique reprobi Iudæi velamento ſupra cor eorum poſito, agnoſcere nolentes, in excæcata obſtinatione miſere perierunt.

Petit Onias templũ in Ægypto.

Hoc ergo oraculo, in patrocinium ſuæ improbitatis ac ſuperbiæ male traducto, Onias literas ſupplices Regi ac reginæ obtulit, quibus poſtulauit ſibi vt liceret in Ægypto templum Deo ſuo excitare, eumque ritu patrio colere. Ita enim contra Antiochum libentius pugnaturos Iudæos, qui templum apud Hieroſolymam vaſtauiſſet, ipſique beneuolentiores eos fore, eoque plurimos Iudæorum religionis ergo collectum iri.

LVII. *Et impetrat à Ptolemæo.*

ASSENSVS eſt Ptolemæus, eique locum dedit 180. ſtadiis à Memphi diſtantem. Heliopolitanus autem ille tractus dicitur, vbi apud Leontopolim caſtello fabricato, Onias templum diſſimile quidem magnitudine ei, quod erat Hieroſolymis, turrim autem ſimilem extruxit, ingentibus ſaxis ſexaginta cubitis erectam. Ita Ioſephus. At Scriptura, 2. Paral. [f] eam turrim, quæ erat ad templi

f ca. 3. 4.

Templum Ægypriacum Oniæ.

frontem, erectam fuiſſe tradit 120. cubitis. Addit Ioſephus excitatam aram ad Hieroſolymitanæ ſimilitudinem, & donaria & reditus à rege ei templo aſſignatos, & lichnum aureum candelabri loco, de aurea catena ſuſpenſum, & totum circa templum ſpatium muro lateritio cinctum. Conceſſit etiam rex, inquit, multum agri modum, ac pecuniæ reditus, vt & ſacerdotibus eſſet copia ad multa, quæ Dei cultus deſiderat, & concludens.

LVIII. *Onia ædificantis intentio.*

Non tamen hæc Onias, inquit, ſana voluntate faciebat, ſed erat ei contentio cum Iudæis apud Hieroſolymam degentibus, propter fugæ memorem iracundiam: & hoc templo ædificato, arbitrabatur ad id ſe omnem ab Hieroſolymis multitudinem reuocaturum, vt quæ meliore loco futura eſſet: integro ſcilicet & non vaſtato, & ſub amico principe, qui beneficium ſuum tueri vellet, non ſub crudeli tyranno, qui ſacra profanaque æque deprædetur, & innocentiſſimos homines crudeliſſimis ſuppliciis interimat.

Arguitur iterum Ioſephus.

a l. 12. c 15.

Verum nullam iræ cauſam in Hieroſolymitas Iudæos Ioſephus ipſe profert; quin potius, [a] ait eum iratum, ob ſacerdotium in aliam familiam, ab Antiocho Lyſiæ ſuaſu tranſlatum, ad Ptolemæum in Ægyptum fugiſſe. Itaque non in Hieroſolymitas, in Antiochum eum iraſci oportuit, qui eum metu ſuppliciorum fugarat, & iure ſacerdotij pecunia victus ſpoliauerat. Ibidemque male ſupponit Menelaum fuiſſe patruum huius Oniæ, & Alcimum ab Aaronica familia alienum; quod vtrunque falſum eſſe, ex Scriptura ſupra demonſtratum eſt.

LIX. *In Ægyptio Rege non ſeruat decorum.*

Sed nec illud videtur admodum probabile, quod Ptolemæum & Cleopatram, quaſi Iudæorum proſelytos, ſolicitos facit de loco, in quo excitandum erat templum, & de lege Moſis non violanda. *Quod ſane*, inquiunt, *miramur ſi poterit acceptum eſſe Deo templum, ſtatutum in impuro loco, & pleno animalibus. Sed quoniam ais prophetam Eſaiam iam olim prædixiſſe, permittimus tibi hoc, quatenus poteſt, ſalua legis obſeruatione fieri, ne videamur per hoc peccare in Dominum.* Id populus curat ſcilicet; aut Ptolemæus, cuius pietatem ac virtutem his verbis Iuſtinus commendat. *Rex Syriæ Antiochus*, Epiphanes videlicet, *Ptolemæo maioris ſororis ſuæ filio regi Ægypti bellum infert, ſegni admodum, & quotidiana luxuria ita marcenti, vt non ſolum regiæ maieſtatis officia intermitteret, verum etiam ſenſu hominis nimia ſagina careret.* Sic ille. Sed quam ineptum illud, permittimus tibi excitare templum apud Leontopolim, quatenus id poteſt ſalua legis obſeruatione fieri; quæ videlicet id ſeueriſſime prohibet. Si ſenſum hominis habuit, nihil petenti conceſſit, ſed poſtulationem irriſit. Perinde enim fecit ac ſi dixiſſet, permittimus tibi hominem interficere, quatenus id poterit ſalua eius vita fieri; aut concedimus iter media nocte conficias, modo lucente adhuc ſole. Sed nimirum tales fingit Ioſephus erga Iudæos Ptolemæum atque Cleopatram, quales erga ſe ſuoſque voluiſſet habere Romanos, quorum gratiam aucupabatur. Vbi forte libenter templum ædificaſſet, & patronum ſibi aliquem Prophetarum feciſſet.

lib. 34.

LX. *Quandiu id templũ ſteterit. Ex Ioſepho. S. Hieronymo.*

Sed addamus de hoc templo, quandiu viguerit in eo ſuperſtitio. *Tempus autem fluxerat*, ait Ioſephus l. 7. de bello, *vſque ad clauſum templum* (à Paulino præfecto Lupi ſucceſſore) *ex quo fuerat conditum anni trecenti triginta tres.* Sic enim habetur in verſione Latina; nam in Græco libro habentur, ἐν τρία, καὶ τεσσαράκοντα, καὶ τριακόσια. quadraginta tres ſupra trecentos. D. autem Hieronym. in c. 11. Dan. ait permanſiſſe vſque ad imperium Veſpaſiani annis ducentis quinquaginta. *Ipſa autem vrbs*, inquit, *quæ ex nomine pontificis vocabatur Onie, ſiue Onion, dimicantibus poſtea aduerſus Romanos Iudæis, ad ſolum vſque deleta eſt, & neque vrbis, neque templi vllum reſtat veſtigium.* Hæc D. Hieronym. numeratis videlicet annis ab initio regni Philometoris, ad quod putatur prophetiæ Danielis locus pertinere, quod Chronologiam noſtram confirmat. Nam cum Philometor regnare cœperit initio anni 178. ante Chriſtum, & id templum cum vrbe deſtructum fuerit, Chriſti anno 73. vt docet Baronius, certe 250. efficiuntur, vno extremorum excluſo. Ioſephus ergo annis tribus & 90. à vera Chronologia aberrauerit. Quod ſi eius extructionem ad mortem Demetrij differamus, vt idem ſignificat, [b] triginta fere annis maior erit parachroniſmus.

b l. 13 ant. c. 5. & 6.

Ex noſtra Chronologia.

Chronologia autem quam inſtituimus exigit, vt id templum annis 237. ſtetiſſe dicamus, tot enim à præſenti anno, qui eſt 164. ante Chriſtum, ad ſeptuageſi-

mum tertium à Chriſti natiuitate numerantur, quo anno exciſum id templum, illo anno Baronius docet, vt diximus.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3889.

1. N. XXVII. Phraſis Hebræum hominem ſapit, vt & aliæ nonnullæ: & D. Hierony. epiſt. 106. affirmat ſe hunc primum librum Hebraice ſcriptum reperiſſe, qui poſtea in Græcum, etiam retenta ſæpe Hebræa phraſi, verſus eſt, indicio fidelis conuerſionis. (Sic illud l. 1. 3. 18. *Concludi multos in manu paucorum*, id eſt tradi, ſic 4. 31. l. 1. c. 4. v. 2. filij arcis, id eſt præſidiarij.

2. N. XI. Recte ex Græco τάξαντες, pro quo plerique τάξαντες, ordinans, conſtituens. Non eſt auté exiſtimandum Iudæos arma hæc, & ſpolia congregaſſe in ſabbato, ſed ante initium ſabbati. Nam in Græco legimus, *ὁπλολογήσαντες δὲ αὐτοὺς, καὶ τὰ σκῦλα ἐκδύσαντες τῶν πολεμίων, περὶ τὸ σάββατον ἐγίνοντο.* Lectis armis hoſtium, ſpoliiſq; detractis, ſabbato ſe dediderunt. Tigur.

3. N. IX. Scaliger autem in hoc loco apud Euſebium examinando, & Ioſephi, Euſebij, ac D. Hieronymi hallucinatione arguenda, vehementer hallucinatur in ea verba Euſebij, *Templo ad ſimilitudinem patrij templi conſtructo.* Conſtructum fuit, inquit, eodem tempore, quo Alexander Antiochi Epiphanis filius bello fratrem Demetrium laceſſiuit, vt ſcribit Ioſephus, anno Seleucidarum 140. n. 1864. Dirutum eſt anno Chriſti 70. n. 2086. poſt excidium Hieroſolymorum. Stetit igitur annis 222. Hinc arguitur ingens hallucinatio Ioſephi. Qui poſtquam obſtructum fuit à Paulino præfecto (neque multo poſt dirutum) ab eius conditu ad illam diem putat annos trecentos quadraginta tres, *χρόνος ἦν εἰς τὴν ἀπόκλεισιν τοῦ ναοῦ γεγονὼς ἀπὸ τῆς κατασκευῆς ἔτη τρία καὶ τεσσαράκοντα καὶ τριακόσια.* In hoc autem loco Euſebij eſt prochroniſmus annorum octo. Hieronymus in c. 9 Dan. de hoc templo, quod permanſit vſq; ad imperiũ Veſpaſiani, annis ducentis quinquaginta, ſeptem annis plus dicit quam Ioſephus. Ipſe autem Ioſephus 21. plus iuſto. Viginti octo igitur annis plus dicit Hierony. Hactenus Scal. ad verbum. In quibus pleraque partim in ipſo, partim in typographo videntur corrigenda.

1. Nuſquam Ioſephus ait conſtructum hoc templum eo tempore, quo Alexander Demetrium bello laceſſiuit, ſed eius morte narrata, interſerit narrationem de hoc templo excitato: ex quo colligitur potius poſt eius mortem ædificatum, quam cum Alexander bello Demetrium laceſſiuit. Verum ſupra docuimus ex Ioſepho id templum viuo Antiocho Epiphane cœptum ædificari; itaque ruinoſo fundamento nititur Scaliger, & quidquid ſuperſtruxit euertitur; ſcilicet id templũ ſtetiſſe 222. annis. Secũdo Alexander nõ fuit frater Demetrij, ſed conſobrinus, ſiue patruelis, fuerunt enim filij fratrum. Nam Antiochus Epiphanes, & Seleucus Philopator eius frater genuerunt, ille Alexandrum, iſte Demetrium Soterem. 3. Corrigendus typographus & pro CXI. ſcribendum CLX. Nam annus 140. Seleucidarum non reſpondet n. 1864. ſed 1845. quamquam id bellum non contigit anno 160. Seleucidarum, ſed potius 161. vt ſuo loco dicetur. 4. Dirutum eſt id templum, anno Chriſti non 70. ſed 73. vt recte docet Baron. neque prochroniſmus eſt in Euſebio annorum octo, ſed potius metachroniſmus annorum quinque. 5. Corrigenda eſt ingens hallucinatio Scaligeri, qui cum legerit in Græcis Ioſephi codicibus l. 7. belli. c. 30. extremo, annos trecentos quadraginta tres ſtetiſſe id templum, & afferat ex Hieronymo annos tantum 250. ait tamen hunc Hieronymi numerum eſſe præcedenti Ioſephi maiorem 7. annis, cum ſit minor nonaginta tribus. Ex quo corrigendus eſt 6. cum ait Ioſephum vnum & viginti annos plus iuſto dicere, cum iuxta ipſiuſmet Scaligeri ſupputationem, ſint 121. Totidem enim diſtant 222. à 343. Iuxta noſtram autem plus iuſto dixit Ioſephus 106. annos, vel potius ſex annis, quoniam apud eum legendum eſt 343 / 222 / 121
διακόσια, non *τριακόσια*, vt Torniellus quoque notauit, anno ſextæ ætatis 404. n. 5. Deniq; non plus iuſto D. Hieron. dicit 28. annos, ſed tredecim duntaxat, ſi à præſenti anno numerentur anni, ſin autem ab initio Philometoris, rectiſſima eſt eius ſupputatio, vt ſupra diximus.

ANNVS MVNDI 3890. SEXTAE AETATIS, 374. IMPERII GRÆCORVM 148. ANTIOCHI EPIPHA. 12. IVDÆ MACHAB. DVCIS ET PONTIFICIS 2. PTOLEMÆI PHILOMETORIS 16. OLYMPIADIS CLIV. AN. 1. VRBIS COND. 589. COSS. A. MANLIO TORQVATO. C. CASSIO LONGINO.

ANNVS ANTE CHRISTVM 163.

ADMODVM ieiuna eſt Romana hiſtoria, vſque ad initium tertij Punici belli; verum tanto copioſior eſt Hebræa l.1. Machabæorum c. 4. cõprehenſa, à v. 28. ad fi. cap. Quo ipſo cap. v. 52. ratio temporis comprobatur, & nominatim ſcribitur hic annus 148. regni Græcorum. Olympiadem quoque 154. firmat Ioſephus, qui annum illius tacet, ſed primum ratio temporis requirit, qui habuit Olympionicam Leonidam Rhodium; quo anno Perſeum in cuſtodia mortuum ex Velleio Paterculo colligitur: iuxta ea quæ ſupra diximus. Huc quoque pertinent nonnulla ex cap. 5. li. prioris, & initium decimi libri poſterioris, nominatim autem celebris templi emundatio, à Iuda Machabæo Hebræi populi Iudice, atque Pontifice celebrata, & complures ab eodem relatæ victoriæ. Quarum hoc erit initium.[a] — *I. Ratio temporu.* — *a.m 3887. nu.67.* — *a l.1 c.4.v.28.*

ALTERO anno à victo cæſoque Apollonio & Serone, à Ptolemæo, Nicanore, Gorgia, reliquiſque ducibus fuſis fugatiſque cum exercitibus ſuis: altero item anno principatus & pontificatus Iudæ, Lyſias dolore animi, & vindictæ cupiditate ardens, *Congregauit virorum electorum ſexaginta millia, & equitum quinque millia, vt debellaret* Iudæos. *Et venerunt in Iudæam, & caſtra poſuerunt in Bethoron, & occurrit illis Iudas cum decem millibus viris.* Græci codices pro Iudæa Idumæam habent; non rectè, vt patet in oppido Bethorõ, pro quo Bethſuram habet Ioſephus, diuerſa tamẽ eſt Bethſura à Bethoron, illud enim oppidum in tribu Iuda ſitum erat, hoc autem in Benjamin: neutrum admodũ Hieroſolymis diſtabat. Cætera Ioſephus vulgatæ conſentit, quam Vatablus quoque prætulit Græco textui, quantumuis in omnibus codicibus conſentienti. Confirmatur etiam lectio vulgatæ, ex eo quod paulo inferius,[b] Lyſias ſtatuit rurſus venire in Iudæam, quo ſcilicet ante iam venerat. — *II. Exercitus Lyſiæ.* — *b v.35.*

ET *viderunt exercitum fortem.* At Iudas, ad nota fidáque præſidia confugiens, orauit Deum exercituum, cum ſibi concilians commemoratione priſtinarum victoriarum, quas Dauidi, & Ionathæ filio Saülis olim tribuiſſet, tum auxilium, & victoriam aduerſus tam potentem exercitum implorans. *Conclude*, inquit, *exercitum iſtum in manu populi tui Iſraël, & confundantur in exercitu ſuo, & equitibus. Da illis formidinem, & tabeſac audaciam virtutis eorum, & commoueantur contritione ſua. Deyce illos gladio diligentium te, & collaudent te omnes, qui nouerunt nomen tuum, in hymnis. Et commiſerunt prælium, & ceciderunt de exercitu Lyſiæ quinque millia virorum.* Modica hæc erat pars tanti exercitus, ſed non modicus pauor reliquos auertit in fugam, iuxta poſtulationem Iudæ. Nam ſequitur. *Videns autem Lyſias fugam ſuorum, & Iudæorum audaciam, & quod parati ſunt aut viuere, aut mori fortiter, abiyt Antiochiam, & elegit milites, vt multiplicati rurſus venirent in Iudæam.* Vide præclarè voti compotem Machabæum, & pene impletum ad verbum illud.[c] *Perſequemini inimicos veſtros, & corruent coram vobis; perſequentur quinque de veſtris centum alienos, & centum de vobis decem millia &c.* Cæterum Lyſias maluit videri nimium timidus, quam parum prudens. Etſi enim maximas adhuc copias haberet, videns tamen hoſtium audaciam & fortitudinem; & è contrario non ſolum ad fugam & pauorem inclinatam aciem ſuam, ſed imminentem etiam, vt ab his initiis ſeſe res dabat, interneccionem totius exercitus, receptui cani iuſſit; iterum poſtea cum incremento copiarum, & — *III. Oratio Iudæ ante prælium.* — *c Leu.26.7.*

ſuppletis iis qui ceciderant, poſito ſuorum metu pugnaturus.

IV. *Eadem ex Ioſepho.*

EADEM eſt Ioſephi ſententia, hunc locum præter morem fideliter ex Græco reddentis. *Huic*, inquit, puta Lyſiæ, *Iudas occurrit, cum decem millibus; & cum videret hoſtem longe præſtare numero, votis pro victoria factis, Deo fretus primam aciem aggreditur tanto impetu, vt ex eis quinque millia ſterneret; quo facto reliquis tantum terrorem incuſſit, vt Lyſias, animaduertens eis certo ſtatutum aut mori, aut in libertatem ſe aſſerere, veritus magis deſperationem eorum quam vires, copias Antiochiam reduceret; vbi mercenarios conducens, & maiores vires colligens, parabat ſe, vt ad primam opportunitatem bello Iudæos repeteret.* Expreſſit illud ἐξενάγει, ſed non παλαιᾶς στρατιᾶς, pro quo Tigurina, *& exercitu ad priorem numerum reparato, cogitabat cum eo ſupplemento Iudæam de integro inuadere.*

V. *Iudas ſuſcipit emundationem templi.*

INTEREA Machabæus, expleto ſtrenue ducis atque Imperatoris munere, pij ac religioſi pontificis curam ſuſcipit: conſilio enim cum fratribus inito, diuinum cultum Hieroſolymis reſtituere quam primum ſtatuunt. Hoc illa verba ſignificant. *Dixit autem Iudas, & fratres eius; Ecce contriti ſunt inimici noſtri, aſcendamus nunc mundare ſancta, & renouare. Et congregatus eſt omnis exercitus, & aſcenderunt in montem Sion.* Laxius accipitur mons Sion, prout etiam comprehendit contiguum montem Moria, in quo extructum erat templum. Oportuit autem congregari exercitum, vt ſacram ceremoniam tuto celebrare poſſent; præſertim ab imminente arcis, ſiue ciuitatis Dauid præſidio. Simul etiam maiore vt pompa & numero ſolennitas cohoneſtaretur.

VI. *Ipſum adeunt Iudæi.*

ET *viderunt ſanctificationem deſertam*, domum ſcilicet ſanctam conſtantem porticu, ſancto, & oraculo, *& altare profanatum*, æneum ſcilicet. Nam aureum iam dudum abſtulerat Antiochus: profanatum autem vel ſacrificiis idolorum, vel impoſito idolo Iouis Olympij, *& portas exuſtas*, cuius ſceleris pœnas dederat exuſtus cum portis & domicilio ſuo Calliſthenes. [a] *Et in atriis*, (tam Sacerdotum & Leuitarum, quam Iſraëlitarum, & gentium,) *virgulta nata ſicut in ſaltu, vel in montibus*, (quia præſidiarij, qui in arce erant, irruebant in omnes, qui templum adire voluiſſent, eoſque male mulctabant. [b] *Et paſtophoria diruta*, quæ tum exedræ, tum [c] gazophylacia, ædiculæ, cubicula dicuntur, variis vſibus deſtinata, tam in porticibus, quam ad latera ipſius ædis ſanctæ. Παστὸς ſignificat thalamum, inde paſtophorium quaſi ferens thalamum, vel via aut tranſitus ad thalamum ducens, ſiue porticus, vt πρόπαστος eſt locus ante thalamum.

a 2. Mach. 8. 33.
b 1. Mach. 1. 35. & ſeq.
c Ezech. 42. 13.

VII. *Eiuſque cladem lugent.*

ET *ſciderunt veſtimenta ſua, & planxerunt planctu magno, & impoſuerunt cinerem ſuper caput ſuum, & ceciderunt in faciem ſuper terram:* Etſi confuſe iam ſciebant quam luctuoſus eſſet templi ſtatus, obiectum tamen præſens hos animorum corporumque motus vehementius excitauit. Poſt eum luctum *exclamauerunt tubis ſignorum, & clamauerunt in cœlum.* Clangorem vehementiorem tubarum intelligit, quibus feſti dies populo denunciabantur, vel ad bellum, aliáue negotia conuocabantur. Inſtitutum id iampridem à Moyſe, [d] iubente Domino, ac dicente. *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare poſſis multitudinem, quando mouenda ſunt caſtra:* imo & in omnem alium vſum, vt ibid. fuſius habetur, [e] vbi nominatim dierum feſtorum fit mentio, quales erant hi encæniorum dies; iſte præſertim qui bonis omnibus magnæ conſolationi futurus erat. Erat autem hoc ſacerdotum officium. *Filij*, inquit, *Aaron ſacerdotes clangent tubis, eritque hoc legitimum ſempiternum in generationibus veſtris.* Ne quis ſcilicet putaret hæc in vſu fore duntaxat in peregrinatione iſta Arabica.

Et diem encæniorũ indicunt.

d Num. 10. 2.
e v. 9. & 10. a. m. 2545. nu. 107. 108. & ſeq.

VIII. *Dant operam emundationi.*

TVNC ordinauit Iudas viros, vt pugnarent aduerſus eos, qui erant in arce, donec emundarent ſancta. Et elegit ſacerdotes ſine macula, voluntatem habentes in lege Dei; zelo ſcilicet diuini cultus præditos. Et mundauerunt ſancta, & tulerunt lapides contaminationis in locum immundum. In locis immundis nominatim intelligi ſolet vallis Gehennon, & Tophet ad torrentem Cedron, quo iuſſit Ezechias immunditias efferri, quas pater eius Achaz in Ieruſalem, & omnem Iudæam inuexerat. [f] Eodem abiecit Ioſias omnia vaſa, quæ facta fuerant Baal, & in luco, & vniuerſæ militiæ cœli, quam coluerat impius Manaſſes eius auus. [g] Hoc quoque loco intelliguntur ſimulachra Idolorum, & aræ, quas Antiochus, & eius præfecti, tam in templo, quam in ciuitate, totáque regione excitarant; legimus enim. [h] *Et iuſſit*

f 2. Paral. 29. 15. 16.
g 4. Reg. 23. 4.
h l. 1. c. 1. 50.

ædificari aras, & templa, & idola &c. Hæc ergo nunc Hieroſolymis deſtruuntur, & abiiciuntur in ſterquilinium.

a l. 2. c. 10. 1

b l. 1. c. 1. v. 57.

IX. *Omnia idololatriæ monimenta deſtruūt.*

RES diſtinctius habetur l. 2. [a] *Machabæus*, inquit, *& qui cum eo erant, Domino ſe protegente, templum quidem & ciuitatem recepit, aras autem, quas alienigenæ per plateas extruxerant, itemque delubra demolitus eſt.* In Græco habetur numero ſingulari in foro: ex 1. quidē li. [b] tam in Græco quā Latino habetur, *& in plateis incendebant thura, & ſacrificabant*, ſed illud ad plures ciuitates referri poteſt. Nam ibidem præmittitur, *& per vniuerſas ciuitates Iuda in circuitu ædificauerunt aras, & ante ianuas domorum, & in plateis incendebant thura, & ſacrificabant.* Verum cum non ſolum plateas, ſed ianuas etiam domorum Scriptura memoret, facile intelligitur plures aras in ſingulis vrbibus excitatas, in quibus nefanda ſacrificia dæmonibus fiebant; ſed nunc de Hieroſolymis agitur duntaxat.

c l. 1. c. 1. 57.

d Ezech. 43. 13. 14. vide ibi Villalp.

e l. 1. c. 14. 41.

X. *Altare holocauſtorum euertunt.*

Reſeruant lapides.

ET *cogitauit* Iudas tanquam pontifex *de altari holocauſtorum, quod profanatum erat, quid de eo faceret.* Profanatum erat, vel immundis ſacrificiis, vel potius ædificato ſuper illud abominando idolo deſolationis, vti diximus. [c] *Et incidit illis conſilium bonum, vt deſtruerent illud, ne forte illis eſſet in opprobrium, quia contaminauerunt illud Gentes.* Habuiſſent deinceps Iudæi Ethnicos irridentes profanata ſacra, & communicationem eiuſdem altaris; Deum quoque & populum contemnentem altare, profanatum ſpurcitiis Idolorum. Itaque *demoliti ſunt illud*: lapides tamen quibus ſuperpoſitum erat altare æneum, [d] quia ſacris vſibus inſeruierant, vt ſacris ritibus conſecratos non abiecerunt, cum reliquis lapidibus profanis, ſed *repoſuerunt in monte domus* (extra ſepta ſcilicet, & peribolum templi) *in loco apto, quoadusque veniret propheta, & reſponderet de eis.* Carebant iampridem Iudæi prophetis, vt tanto expectatior eſſet ille Propheta magnus, deſideratus cunctis gentibus, de quo eſſe poteſt hoc loco ſermo, ſicut etiam infra, [e] vbi Simoni decernitur ſummum ſacerdotium in æternum, donec ſurgat Propheta fidelis, vt notauit Serar. Poteſt etiam alius quiſpiam intelligi propheta, quales fuerant Zacharias, & Malachias, per quos conſultus Dominus reſpōderet: nam oraculum Domini ex arca iampridem nullum erat.

f Exod. 20. v. 25. Deut. 27. 5.

g l. 12. c. 11.

h 1. Mach. 1. 23.

i 2. Par. 4. 1. 3. Reg. 8. 64.

k Exo. 38. 1. 2. Par. 1. 5. 6.

l 2. Paral. 4. 7. 8

IX. *Et nouum excitant.* *An æneum.*

ET acceperunt lapides integros ſecundum legem, [f] videtur intelligere lapides impolitos quos ferrum nō tetigit, vt præcipitur in ipſa lege. Ioſephus[g] diruto etiam holocauſtorum altari, quod profanatum fuerat, nouum ex collatitiis ſaxis impolitis conſtruxit. Ergo ædificauerunt altare nouum, ſecundum illud quod fuit prius. Vtrum autem prius lapidibus iſtis altare æneum impoſitum fuerit, definire non poſſum. Nuſquam enim in his Machabæorum libris, imo neque Eſdræ, altaris ærei fit mentio; & tamen cum aliud altare fuerit aureum, & pleraque vaſa aurea, [h] videtur etiam altare æneum in templo fuiſſe, quale à Salomone extructum fuerat, [i] aut certe quale à Moyſe. [k] Nam penuria præſens, poſt immenſas clades, & vaſtitates, Salomonis magnificentiam non recipiebat, ideóque vnius candelabri, & vnius menſæ panum fit mentio, quæ dena fecerat Salomon. [l]

XII. *Ædificāt ſancta loca.*

ET *ædificauerunt ſancta*, illa ſcilicet paſtophoria diruta reſtaurarunt, *& quæ intra domum erant intrinſecus*; iiſque redintegratis, *& ædem, & atria ſanctificauerunt*, (legitimis videlicet expiationibus. In Græco vox, ædem, abeſt, ſed omnino deſideratur, vt tam de internis quam externis dicatur, omnia tum reparata, tū ſanctificata fuiſſe.

m v. 57.

Vaſa noua conficiunt.

Et fecerunt vaſa ſancta noua, & intulerunt candelabrum, & altare incenſorum, & menſam in templum. Addit Ioſephus ex auro fabricata omnia: quod cum à Scriptura taceatur, quæ tamen infra meminit coronarum aurearum, [m] & parum conſentaneum ſit horum temporum vaſtitatibus, & expilationibus, non magnam apud me fidem meretur. Pergit Script. *Et incenſum poſuerunt ſuper altare, & accenderunt lucernas, quæ ſuper candelabrum erant, & lucebant in templo.*

n c. 10. l. 2.

XIII. *Ignis nouus.*

OMITTITVR etiam nouus ignis, ſed ſuppletur l. 2. [n] Purgato templo, inquit, aliud altare fecerunt, & de ignitis lapidibus igne concepto ſacrificium obtulerunt. Nihil puto in his ignitis lapidibus ineſſe, aut quærendum eſſe myſterij, ſed ignitos dici lapides, ex quibus facile ignis ex mutua attritione excutitur in paratum fomitem, exceptuſque accenditur, quamquam πυρώσιμοι λίθους dici poteſt, qui lapidem igne candentem reddit, vt ex eo, ſicut ex ferro ignito, ignis in materia idonea concipiatur.

o l. 3. c. 13.

An cum miraculo.

Gorionides.[o] *Cum compoſuiſſent*, inquit, *ligna non inuenerunt ignem ſanctum*, prunas puto eum dicere accenſas, *ſed clamauerunt ad Dominum, & exilijt, ignis è lapide, qui erat*

altari ſuppoſitus, adiicientes ei ligna. Durauit ille ignis ad captiuitatem tertiam, ſic ille. Iudæi ſigna petunt, [a] ſed etiam inueniunt. At nos Scripturæ ſimplicitati ſtemus, nec miracula, niſi ex eius autoritate, admittamus. Acceſis lucernis poſuerunt ſuper menſam panes, & appenderunt vela, & conſummauerunt omnia opera quæ fecerant. Et hactenus purificationis apparatus.

[a] 1. Cor. 1. 22.

XIV. *Quandiu durarit cõtaminatio templi,*

ET *ante matutinum*, id eſt diluculo *ſurrexerunt, quinta & vigeſima die menſis noni (hic eſt menſis Caſleu) centeſimi quadrageſimi octaui anni, & obtulerunt ſacrificia ſecundum legem ſuper altare holocauſtorum nouum quod fecerũt. Secundum tempus, & ſecundum diem in qua contaminauerunt illud Gentes, in ipſa renouatum eſt in canticis, & citharis & cinyris, & in cimbalis.* 1. 1. c. 4. v. 52.

Occurrit hic non leuis de tempore huius purificationis controuerſia: nam contaminationem templi per biennium duraſſe, poſterior Machabæorum tradere videtur, [b] itaque eum locum intelligit Bellarminus, [c] vbi quidam Græci codices habent duos annos & ſex menſes. Tres annos habet hic primus liber Machab. [d] & Ioſephus. [e] Verum tres annos cum dimidio ponit idem Ioſephus l. 1. c. 1. de bello. & Porphyrius apud D. Hieron. in c. 12. Dan. vbi 1290. dies prophetæ, ab eo huic deſolationi tribuuntur, id eſt 3. anni, 6. mẽſes, dies 15. Poſtremo apud eundem [f] Danielẽ ponuntur dies bis mille trecenti, qui à ceſſatione iugis ſacrificii, vſque ad mundatum ſanctuarium videntur numerari. De quibus omnibus eodem ordine aliqua diſſeramus.

[b] l. 2. c. 10. v. 3.
[c] l. 1. de verb. Dei 15 c. obiect. 6.
[d] c. 1. 57. 62. & c. 4. 52.
[e] l. 12. c. 11.
[f] c. 8. v. 13. & 14.

XV. *An biennium duntaxat.*

PRIMVM igitur dicendum videtur, purificationem templi non factam eſſe poſt biennium ab eiuſdem profanatione, per ſublatum iuge ſacrificium, & illatam in id idololatriam. Primum quia id tempus Scriptura apertis verbis integro triennio definiuit, vt dicemus; nunquam autem biennium poteſt eſſe triennium, nec Scriptura reuera ſibi repugnare. Deinde ſi profanationi huic biennium tantum tribuas, tam initium eius, quam finis cadet in Olymp. 153. cum tamen Ioſephus [g] profanationẽ referat ad 153. emundationem vero ad 154. Deniq. Script. hoc interuallum biennii eſſe non dicit. Etſi enim poſteriorem terminum aſſignat, quo emundato templo ſacrificium à Iuda oblatum eſt, anteriorem tamen non aſſignat.

[g] l. 12. c. 11

XVI. *Alia expoſitio illius biennii.*

QVIDAM recurrunt ad annos Syriacè, aut Iudaicè computatos, quorum illi ſex menſibus poſterius inchoarentur, quam Iudaici. Itaque tres anni Iudaici euoluti erant, cum duo tantum Syriaci integri effluxerant. Quod quidem recte dici poſſet, ſi quæſtio eſſet quoto anno, aut profanatio, aut emundatio contigiſſet: ſi enim alii prius inchoantur & abſoluuntur, alii poſterius, quod factum erit anno 45. Iudæorum, idem factum fuerit 44. Syrorum: ſed cum quæratur quanto tempore durauerit, quot ſcilicet annis, menſibus, vel diebus, certe tres anni, non poſſunt vllo modo duobus circunſcribi, nec 36. menſes aliquãto paucioribus. Quidam retulerũt illud *poſt biennium* ad mortem Antiochi, vt refert Bellar. & confirmant ex eo quod in eodem libro hæc emundatio narretur poſt enarratam Antiochi mortem: non tamen aſſeritur facta poſt mortem, & ibi dedicatio hæc breuiter, & quaſi per parentheſin reliquæ narrationi inſeritur, vt patet ex cap. 10. verſ. 9. Adde quod Ioſephus l. 1. belli ca. 1. perſpicuis verbis aſſerit mortuum Epiphanem aliquanto poſt hanc purificationem.

Improbatur.

Altera itẽ improbata.

[h] l. de verbo Dei c. 15 obiect. 6.

XVII. *Expoſitio Tornielli.*

TORNIELLVS, finem huius biennii terminari vult in aduentu Iudæ in Hieruſalem, cum dari cœpit opera præparandis vaſis, & reliquis ad purificationem neceſſariis. Verum ea expoſitio vim facere videtur Scripturæ, quæ perſpicue refert biennium ad tempus oblati ſacrificii, non aduentus Iudæ, aut capti conſilii de purgando templo; ait enim. *Et de ignitis lapidibus igne concepto, obtulerunt ſacrificia poſt biennium, & incenſum, & lucernas, & panes propoſitionis poſuerunt.* Non agitur de præpaparatis, ſed reipſa oblatis, & poſitis ſacrificiis, panibus &c. eumq. diẽ præciſe Scriptura notare voluit, ſicut priore libro, vbi vigeſimus quintus dies menſis nominatur; non autem vage ſignificare voluit poſt biennium, vt eius finis late per integrum annum diffundatur: alioqui etiam finis quadriennii & decennii, erit vtique biennium.

Non placet

XVIII. *Vnde inchoandum biennium.*

FIXO ergo poſteriore termino huius biennii prior quærendus eſt, de quo ita Diuus Thomas [i] hoc loco. Vno anno, inquit, durauit contaminatio, antequam Iudas, & ſui aliquod remedium apponerent: poſtquam vero ille incepit reme-

dium adhibere, durauit duobus annis, & ſic loquitur hic cum dicit, poſt biennium. Hactenus ſanctus Thomas. Verum hæc expoſitio tollit annum illum, quo Mathathias rebus Iudaicis præfuit, quem nos ipſi cum Ioſepho tribuimus. Nam hic eſt ſecundus annus Machabæi, & quidem fere extremus, vt patet ex iis, quæ initio eius pontificatus diximus. Itaque exiſtimamus hoc biennium, de quo eſt quæſtio, in pontificatu Iudæ Machabæi inchoari, & in hac Encæniorum celebritate terminari: agit enim eo loco de Machabæo, eiuſque rebus geſtis; itaq. & tempus quo illa geſta ſunt, ad eundem Machabæum referendum videtur: quæ ſententia etiam Serario probatur. Ex quo etiam conſequens eſt improbandam lectionem illam, quæ in aliquibus Græcis libris inuenitur, in quibus ſex menſes biennio adiiciuntur, qui non à vulgata Latina tantum, ſed à Græco Vaticano Xiſti, regiaque abſunt.

à Iuda pontificatu.

XIX. *Interuallũ profanorum ſacrificiorũ integrum triennium.*

Dicendvm ſecundo profanationem templi, per ſacrificia oblata idolo ſuper altare holocauſtorum, inchoatam, vſque ad tempus eius purificationis, & oblati rite ſacrificii, integro triennio circumſcribi. Nam prior terminus perſpicue habetur, [a] li. 1. notato die vigeſimo quinto menſis noni, & anno centeſimo quadrageſimo quinto: poſterior autem eodem libro c. 4. 52. notato item die eodem & menſe anni centeſimi quadrageſimi octaui, quod ſpatium eſt integri triennii. Conſentit iſti chronologiæ Ioſephus. *Vigeſima*, inquit, *& quinta menſis Caſlei, quem Apellæum Macedones nominant, accenderunt lumina in candelabris, & ſuffitum fecerunt in altari, & panes ſuper menſam propoſuerunt, & in nouo altari holocauſtomata immolauerunt, idque accidit eadem die, qua ante triennium ſacra eorum profanata fuerunt; integro triennio deſertum fuit templum, poſt factam ab Antiocho profanationem.* Ea enim incidit *in annum* 145. *& diem Apellæi menſis vigeſimum quintũ*, id ſi verum eſt, oportet Apellæum menſem Caſlæo adæquate reſpondere, (quod tamen aliis non probatur,) & Olymp. centeſimam quinquageſimam tertiam. Renouatum eſt autem eadem die, 148. anno, ſic enim ex Græco legẽdum eſt; [b] Olymp. 154. De triennio conſentit Euſeb. in chron. & de anno 1. Olympiad. 154. in quam cadit hæc emundatio, quidquid contradicat Scaliger, nulla allata ratione.

[a] l. 1. c. 1. v. 52. idem tangitur, l. 2. c. 10. 5. l. 12. c. 11.

[b] vbi habetur. ...

XX. *Qui profanatum dicatur templum per 3. annos cũ dimidio.*

Dicendvm tertio dici poſſe templi profanationem per tres annos & ſex menſes duraſſe, inchoando eam non ab idolo Iouis Olympii ſuper altare extructo, ſed ex quo Apollonius cum exercitu duorum & viginti millium venit Hieroſolymam, ab Antiocho miſſus, vbi die feſto multam Hieroſolymitarum ſtragem edidit, & ædificauit arcem, & præſidio impoſito prohibuit adire templum, & adeuntes interfecit. *Et factum eſt*, inquit Scriptura, *hoc ad inſidias ſanctificationi, & in diabolum malum in Iſrael: & effuderunt ſanguinem innocentem per circuitum ſanctificationis, & contaminauerunt ſanctificationem.* Audis templi contaminationem ante aduentum ſenis Antiocheni, à quo ſtatua Iouis ſuper altare collocata eſt, vt eſt l. 2. c. 6. vbi dicitur non poſt multum temporis, à miſſo Apollonio, miſſum etiam illum ſenem. Eoque videtur reſpexiſſe Ioſephus, l. 1. de bell. c. 1. cum inquit, dataque paſſim militibus prædandi licentia, ipſe & templum ſpoliauit, & quotidianæ religionis aſſiduitatem, per annos tres, ſexque menſes inhibuit: partim etiam lege lata per Antiochenum illum ſenem.

l. 2. c. 5. 24.

l. 1. c. 1. v. 38.

XXI. *Locus Danielis c. 7. 25. an huc pertineat.*

Eadem videtur ſententia Perer. l. 5. in Dan. vbi illa 7. Nabuchodonoſoris tempora explicans, ait tradi perſecutionem Antiochi aduerſus Iudæos, vel potius profanationem, & deſolationem templi Hieroſolymitani ab eo factam, per tempus & tempora, & dimidium temporis duraturam, hoc eſt per tres annos & dimidium. Quamquam Perer. ſub conditione loquitur, videlicet ſi is locus Danielis de Antiocho ſit intelligẽdus, (quod ibi D. Hieron. negat, & fuſius in c. 12, in fi.) nam l. 9. in illa verba, *dies duo millia trecenti*, ſcribit tempus profanationis templi, vſque ad eius renouationem, tribus integris annis præciſe circũſcriptum fuiſſe. Et l. 8. refellit cum D. Hieron. Porphyrium, eum locum, qui de Antichriſto eſt, ad Epiphanem transferentem. Ianſenius c. 122. tres annos cum dimidio huic deſolationi tribuit, eoque applicat illud Daniel. *& in dimidio hebdomadis*, quæ ſcilicet ſeptennis æſtimãtur annis, *deficiet hoſtia, & ſacrificium*: ſed ipſemet mox fatetur, ea quę proxime ſequuntur de deſolatione perſeueratura vſque ad finem, Antiocho non conuenire; quo fit vt ne priora quidem, quæ eadem ſententia continentur, ſatis conueniant.

c. 7. Dan. 25.

c. 9. 27.

XXII. *Conuenire vt figura.*

DICENDVM nihilominus quarto, eadem ipſa loca Danielis, quamuis hiſtorico ſenſu Antiocho minus conueniant, propter ſimilitudinem tamen illi accommodari poſſe. Nam figura fuit Antichriſti, propter multarum rerum expreſſam vtriuſque ſimilitudinem, & quæ figuratæ rei conueniunt, in figuram facile transferuntur, & vice verſa quæ figuræ ſunt, facile figuratæ rei accommodantur. Itaque & dimidium hebdomadæ, & tempus & tempora, & dimidium temporis, & 1290. dies, & defectus hoſtiæ, & perennis ſacrificii Iudæorum, & alia id genus, hiſce quoque Antiochi temporibus congruunt, ſicque Ioſephum [a] excuſare poſſumus, hanc deſolationem ex Daniele confirmantem; quamuis triennii diuturnitatis eius non meminerit, ſed ſexcênii potius, ex ca. 8. [b] vbi quod dicitur, de bis mille & trecentis diebus, ad vnum Antiochum pertinet; qua de re ſupra diſputauimus, eoſque dies diximus hoc ipſo emundationis tempore terminari. Nunc quæ reliqua ſunt huius celebritatis perſequamur, qua poſteriorem eſſe Antiochi mortem, poſtea oſtendetur.

a l. 12. c. 11.

b ex c. 8. v. 14. a. m. 3883 n. 5. & ſeqq.

XXIII. *Celebritas purificationis.*

DVM celebrantur ſacrificia, luminaria rutilant, panes propoſiti cernuntur in menſa, organa muſica hilares reddunt ſonos; *cecidit omnis populus in faciem, & adorauerunt, & benedixerunt in cœlum eum, qui proſperauit eis.* [c] *Rogabantque Dominum proſtrati in terram, ne amplius talibus malis inciderent, ſed &, ſi quando peccaſſent, vt ab ipſo mitius corriperentur, & non barbaris ac blaſphemis hominibus traderentur.* Et ſi enim rei non eſt eligere aut deprecari pœnam, qua plectatur à Iudice, filios tamen reos non dedecet ſupplicibus precibus pulſare parentem, vt mitiore animaduerſione puniantur ab eo, qui ineffabili miſericordia totam aliquando condonat. Dominus tamen hæc ipſa caſtigatione fere ſemper vſus eſt in Hebræos, vt ex Pharaone, Nabuchodonoſore, Seſaco, Benadaco, & plurimis tyrannis, qui in Iudicum libris recenſentur, intelligi poteſt; cum eo ſaltem fructu, vt populis illis aliquam veri Dei cognitionem darent.

Et populi preces.

c l. 1. c. 4. v. 55. l. 2. c. 10. v. 4

XXIV. *In dies octo propagata.*

CÆTERVM non vnius diei lætitia, ac ſolennitate contenti, qui duodecim fere annos, quibus regnauit Epiphanes, in maximis malis & lamentis egerant, *fecerunt dedicationem altaris diebus octo, & obtulerunt holocauſta cum lætitia, & ſacrificium ſalutaris, & laudis*, id eſt gratiarum actionis de ſalute recuperata. His adde ex l. 2. [d] modum huius celebritatis. *Cum lætitia*, inquit, *diebus octo egerunt in modum tabernaculorum, recordantes quod ante modicum temporis* ante tres menſes & decẽ dies, *diem ſolenniem tabernaculorum in montibus, & in ſpeluncis more beſtiarum egerant:* [e] *propter quod thyrſos & ramos virides, & palmas præferebant ei, qui proſperauit mundari locum ſuum*, id eſt Deo, qui proſperum dediſſet populo ſuo ſucceſſum in emundatione templi ſui. [f] *Et ornauerunt faciem templi coronis aureis, & ſcutulis, & dedicauerunt portas, & paſtophoria*, quæ ſcilicet recens fuerant reſtaurata, *& impoſuerunt eis ianuas, & facta eſt lætitia in populo magna valde, & auerſum eſt opprobrium gentium*, quibus inuitis Dei cultus reſtauratus erat.

In modum tabernaculorum.

Templi ornatus.

d c. 10. 6.

e die ſcilicet 15. Septembris, ſiue Tiſri, de quo Leuit. 23. 34. Nu. 29. 12.

f l. 1. c. 4. 57.

XXV. *Decretũ de 8. diebus purificationis.*

ET *decreuerunt communi præcepto, & decreto vniuerſæ genti Iudæorum, omnibus annis agere dies iſtos.* Eadem plenius habentur l. 1. [g] *Et ſtatuit Iudas*, vtpote pontifex, & princeps populi, *& fratres eius*, quaſi conſiliarii eius, *& vniuerſa Eccleſia Iſrael*, conſentiens & admittens pontificium decretum, *vt agatur dies dedicationis altaris in temporibus ſuis, ab anno in annum per dies octo, à quinta & vigeſima die menſis Caſleu, cum lætitia & gaudio.*

l. 2. 10. 8.

g c. 4. v. 59.

Ex Ioſepho

Sed operæpretium eſt etiam de huius celebritatis inſtitutione audire Ioſephum. *Celebrauit autem Iudas recepti templi feſtiuitatem, per dies octo ſacrificans, in quibus nullum honeſtæ voluptatis genus omiſſum eſt, ſed populo quidem ſumptuoſum ac ſplendidum epulum eſt exhibitum: in Dei vero laudem hymnis & canticis perſonabant omnia. Tanta vero lætitia ob reductos ritus patrios, & priſcam religionem occupauit gentis eius animos, maxime quod ea felicitas ex inſperato obtigerat, vt lex lata ſit ad poſteros, quæ iuberet quotannis hoc feſtum, reparati cum ceremoniis templi, per octos dies celebrari. Et ex eo tempore mos hic apud noſtros obtinuit; vocamuſque hanc feſtiuitatem Luminum, opinor ideo quod ex inſpirato nobis illuxerit tanta felicitas.*

l. 12. c. 11.

XXVI. *Dies luminum.*

DICTI ergo ſunt dies φῶτα, id eſt lumina, vt inquit Ioſephus, cuius cauſa cũ ſpiritualior ſit, videtur minus frequentem feciſſe iſtam diei feſti denominationem: vix enim eam alio loco reperies, niſi forte huc pertinent illæ illuminationes, ſiue

Dies feſtus purificati templi.

a l.2.c.2.v.22. apparitiones, quæ hoc tempore factæ memorantur. [a] *De illuminationibus*, inquit, *quæ de cœlo factæ ſunt ad eos, qui pro Iudæis fortiter fecerunt, ita vt vniuerſam regionem, cum pauci eſſent, vindicarent, barbaram multitudinem fugar[illegible], & famoſiſſimum in toto orbe templum recuperarent &c.* Quæ autem fuerint iſt[illegible] [illegible]ωνειαι non ſatis apparet. Sa interpretatur diuinos fauores, λυχνοκαία etiam dicitur a Iudæis, ex lychnorum copia, quibus his diebus illi vti ſolent. Etſi enim in eorum ſynagogis plura ſemper lumina, lucernæque accenſæ rutilent, nunquam tamen tot, quot iſtis octo dedicationis diebus viſuntur: vt notauit Antonius Margarita l. de ritibus Iudæorum, & poſt eum Serarius. Fortaſſis etiam à Sacerdotibus & Leuitis lumina præferebantur, ſicut à plebe palmæ, virideſque rami. Vide Baronium de purif. B. Virg. & luminum vſu. Nonnullas enim ceremonias à Iudæis ad nos fuiſſe tranſlatas negari non poteſt.

XXVII. *Dies Scenopegiæ.*

b c.1.v.9.& 18. c l.1.c.10.v.6. Dicti etiam ſunt Scenopegiæ menſis Casleu, vt conſtat ex l. 2. Machab. [b] *Frequentate*, inquit, *dies Scenopegiæ menſis Caſleu*, Scenopegiæ quidem, quia primum acti ſunt in modum, quo feſtum tabernaculorum celebrabatur, [c] vt ante retulimus, menſis autem Casleu, ad differentiam menſis Tiſri, in quo proprie dicta Scenopegia à Moyſe decreta celebrabatur.

ἐγκαίνια. *Encæniorũ.*

d Ioan. 10.22. Dicti poſtremo ſunt hi dies Encænia, quaſi dicas innouationes, propter renouatam templi & altaris dedicationem, & manſit id nomen ad Chriſti tempora. De hac enim ſolennitate, [d] vt plerique omnes interpres antiqui recentioreſque annotarunt, eſt illud, *facta ſunt Encænia Hieroſolymis, & hyems erat.* Tempus enim hyemale, hanc noni menſis extremi feſtiuitatem notat, & à duabus aliis ſecernit. Nam Encænia templi Salomonici 23. die 7. menſis, qui olim Ethanim, poſtea Tiſri dicebatur, celebrabantur, ſub autumnale æquinoctium [e] Templi autem Zorobabelis menſe Adar, qui eſt 12. cum iam ver imminet in regionibus illis. [f]

Triplex feſtum Encæniorum.

e vt patet ex 3.Reg.8.2. 2.Paral.7

f 1.Eſd.6.15. Vide S. Cyril l.7. in Ioan. c.9.

XXVIII. *Templum munitur ædificiis.*

g l.1.c.4.v.60. Divino cultu, & religionibus, pie feliciterque reſtitutis, etiam prouidendum fuit, vt id bonum Iudæis perpetuum foret, neque iterum locus ſanctiſſimus prædæ & profanationi impiorum pateret. Itaque *ædificauerunt in tempore illo montem Sion, & per circuitum muros altos, & turres firmas*; templum erat in monte Moria, cui à dextra læuaque imminebant Sion & Acra montes, in quibus hæ turres ædificatæ intelliguntur ad templi cuſtodiam, [g] *ne quando venirent gentes, & conculcarent illud ſicut antea fecerant*; præſertim cum in arce adhuc eſſet præſidium impiorum. Ideoque *collocauit illi* Iudas *exercitum* ſiue præſidium validum: nec eo munimento contentus, contra remotiores hoſtes, aliud præſidium paulo remotius ad quinque ſtadia in Bethſura excitauit, [h] *vt haberet populus munitionem contra faciem Idumææ*, vnde hoſtes plerumque Iudæam inuadebant.

Et præſidio.

h 1.Ma.11.9

XXIX. *Bethſura munitio.*

Textvs Græcus ambiguus eſt, an Bethſura munita ſit, ad cuſtodiam loci ſancti; an exercitus, qui iuxta templum poſitus erat, tam templum, quam Bethſuram cuſtodiret. Et vtrumque verum eſt, ſibi enim mutuas operas præſtare poterant; prior tamen ille ſenſus videtur conuenientior, quem etiam habet Ioſephus. *Circumdatis deinde vrbi mœnibus, & extructis in eis firmis turribus, cuſtodias ad arcendum hoſtem impoſuit, muniuitque Bethſuram oppidum, vt eo tanquam arce vti poſſet contra conatus hoſtium.* Suſtulit Vatablus ambiguitatem ita vertens locum. *Copias ibidem præſidii cauſa collocauerunt, eidemque tuendo munierunt Bethſuram, vt præſidium haberet populus aduerſus Idumæam*, quæ ſententia habetur infra. [i]

l.12.c.11. Ant.

i l.1.c.6.v.7.

Cæterum Ioſephus parum fideliter facit, cum muros & turres, ad templum & Sionem poſitas, ipſe in vrbem, præter Scripturæ mentem transfert: fortaſſe tamen etiam verbis mœnia reſtaurauit, ſed id hoc loco Scriptura non dicit; de Bethſura erit alius dicendi locus.

XXX. *Cura Iudæ circa libros ſacros.*

Non leuem etiam Iudas curæ ſuæ partem tranſtulit in libros ſacros, quos Antiochus dilaceratos quoſcumque repererat flammis tradiderat, vt ſupra dictum eſt. [k] Nam id ſatis aperte traditur l.2. [l] vbi ſimilis Nehemiæ induſtria commendatur. *Inferebantur*, inquit, *in deſcriptionibus, & commentariis Nehemiæ hæc eadem: & vt conſtruens bibliothecam congregauit de regionibus libros, & prophetarum, & Dauid, & epiſtolas regum, & de donariis. Similiter autem ea quæ deciderant per bellum, quod nobis acciderat, congregauit omnia, & ſunt apud nos.*

k c.1.l.1.v.59.

l c.2.13.

Alia bella Iudæ differuntur.

Narrantur deinceps capite quinto prioris libri, multæ res bello geſtæ à Iuda, &

Simone, in Galilæa & Galaatide, tam cis, quam trans Iordanem, quæ multo plus temporis videntur poſtulare, quam id quod ſupererat temporis à dedicatione templi: itaque nonnulla poſſunt geſta eſſe, dum præparatur dedicatio, præſertim contra Idumæos, & Azotios, & Samaritas vicinos. Reliqua vero anno ſeq. quæ quia à Scriptura coniunctim exponuntur, & ægrè ſeparari poſſunt, & nos quantum licet annos Iulianos ſeruamus, in annum ſeq. differemus.

XXXI. *Legatio Eumenis ad vrbem.* AD præſentem vero pertinere arbitror, quæ habet Polybius in Legat. nu. 106. de miſſis ab Eumene fratribus Romam, ad diluendas criminationes, quibus eum Pruſias præcedēti anno in Senatu onerauerat. Viuo enim adhuc Antiocho ea legatio facta eſt, vt mox patebit, cuius mors ſub initia ſequentis anni creditur contigiſſe. Cum ergo Eumenes intellexiſſet, Pruſiam non ſolum omni ſtudio ſe, fratremque ſuum Attalum calumniis inceſſere, ſed pleroſque Aſiæ populos ad ſui accuſationem impellere, fratres ſuos Attalum & Athenæum ad Senatum miſit, qui ad omnes criminationes reſponderent. Hi igitur curiam ingreſſi, omnibus qui aliquid obiicerent non male viſi ſunt reſpondere; itaque priuſquam in patriam reuerterentur, à Senatu honoribus aucti ſunt.

XXXII. *Suſpiciones Romani Senatus, & legatio.* AT non propterea, inquit Polybius, ſuſpicionem dudum conceptam aduerſus Eumenem & Antiochum remiſit Senatus, ſed C. Sulpicium (Gallum, vt arbitror proconſulem, qui anno Vrb. Cond. 587. Conſul fuerat,) & M. Sergium decreuit legatos, miſitque partim vt res Græcorum propius aſpicerent, partim vt inter Megalopolitanos & Lacedæmonios controuerſiā diſceptarent, quæ ſuper agro quodam dubii iuris, fuerat inter ipſos exorta. Præcipuus tamen legationis huiuſce erat finis, vt de conſiliis Antiochi, atque Eumenis quæ admodum tecta videbantur, accurate inquirerent, nunquid bello neceſſaria appararent, ac ſocietatem aduerſus Romanos iunxiſſent. Hæc Polybius. Suſpicionibus autem Romanorum ſeruire poterant, quæ Lyſias contra Iudæos parabat, ne forte contra Romanos pararentur.

XXXIII. *Coſſ. res geſtæ.* CONSVLES Romani quid rerum geſſerint, nemo tradit. Eorum alterum Longinum in magiſtratu mortuum ſcribit Sigon. in faſtis: nemo tamen ſuffectus traditur, quod fortaſſis ſub anni finem è viuis exceſſerit.

Cenſura Aemylÿ. Inſignitus eſt hic annus Cenſura Æmylii Pauli, & Marcii Philippi, à quibus cenſa tradit Plut. ciuium capita 337. millia 452. Epitome Liuii 46. habet tantum 327. millia & 22. Princeps Senatus lectus eſt iam quintùm M. Aemylius Lepidus. Plura in hunc annum diligenter ex hiſtoria Romana collecta, reperies apud Stephanum Pighium in Annalibus ſuis.

ANNVS MVNDI 3891. SEXTAE AETATIS 375.

IMPERII GRÆCORVM 149. ANTIOCHI EPIPHANIS 13.
ANTIOCHI EVPATORIS 1. IVDÆ MACHAB. 3. PTOLEMÆI PHILOMETORIS 17. OLYMPIADIS CLIV.
AN. 2. VRBIS CONDITÆ 590. COSS. TIB. SEMPRONIO GRACCHO II. & M. IVVENTIO THALNA.

ANNVS ANTE CHRISTVM 162.

I. *Tempus mortis Epiphanis.* MORTVVM hoc anno Epiphanem perſpicuo teſtimonio Scripturæ conſtat [a] & Ioſephi. [b] Et quidem ſub huius anni initium. [c] Nam dicitur accepto nuncio victoriarum Iudæ, & emundationis templi, in ſupremam ægritudinem incidiſſe, qua & extinctus eſt. Peruenit autem ad eum hic nuncius, non multo tempore poſt rem geſtam. Et Ioſephus idem l. 1. belli c. 1. *Sacro autem ritu*, inquit, *vix ciuitati reddito, moritur Antiochus*

a l. 1. Mach. c. 6. v. 16.
b l. 12. c. 14. init.
c l. 1. c. 6. v. 7. & 8.

Antiochus hæres exiſtit &c. At ille ſacer ritus redditus eſt, vti diximus, extremo anno centeſimo quadrageſimo octauo, vigeſimo quinto noni menſis, quæ cauſa eſt, vt hic annus non ipſi, ſed eius filio tribuatur; imo ne primus quidem annus eius, quod cum non ſolidum regnarit, in ipſius annis ab Euſebio numeratur, qui ei 11. tantum attribuit, licet in tredecim annis regnarit.

Irritvm Perside Antiochi sacrilegivm.

II. *Initium Eupatoris.*

Non recte tamen ponitur ab eo Eupator anno præcedenti, id eſt anno primo Olympiadis centeſimæ quinquageſimæ quartæ; oportuiſſet enim eius patrem Epiphanem mortuum fuiſſe, anno centeſimo quadrageſimo octauo regni Græcorum, contra Scripturam, quæ mortuum tradit centeſimo quadrageſimo nono. Sed Euſebium fortaſſe Chaldaica ſupputatio in errorem induxit, aut numerus annorum Antiochi diminutus. Quod autem Appianus in Syriacis ſub fi. ait non totis duobus annis Epiphanium regnaſſe, longe profecto fallitur; & ex Scriptura, Ioſepho, Euſebio, aliiſque omnibus corrigendus eſt, & pro duobus, legendũ duodecim. Sed priuſquam de Eupatore, & rebus ab eo geſtis dicamus, mortem Antiochi, & quæ ſub eius mortem à Iudæis ſunt geſta, exponemus.

δύο ἐ πλήρων.

III. *Bellum Epiphanis in Artaxiã. Eiuſdem auaritia ſacrilega. Elymais.*

a l.1.c.3.v.37.

Dictvm eſt ſupra [a] Antiochum aſſumpta parte exercitus ſui, exiuiſſe ab Antiochia, anno 147. & traiecto Euphrate ſuperiores regiones Aſiæ, corradendæ pecuniæ gratia, perambulaſſe; quo tempore oportet contigiſſe bellum eius contra Artaxiam Armenorum regem, quem ab eo captum tradit Appianus & eo capto eſſe mortuum. Meminit eius Polybius vocatque maioris partis Armeniæ principem. Dum autem in ea pecuniaria cura anno ſuperiore verſatur, *audiuit eſſe ciuitatem Elymaidem in Perſide nobiliſsimam, & copioſam in auro & argento.* Hæc vrbs [b] vocatur Perſepolis, nec mirum eſt plura eſſe nomina ciuitatis eiuſdem, in linguis præſertim diuerſis; autor libri primi, qui hebraice ſcripſiſſe creditur, Hebræo nomine vſus eſt, ab Elam vel Elimo fundatore ducto: autor 2. Græco; nec obſtat quod ab Alexandro Magno legatur euerſa: nam intra 160. & amplius annos potuit eſse reſtaurata. Perſepolim certe Ptolemæus in Perſide ſtatuit, iuxta Rhogomanem fluuium Aſiæ tab.5. in qua tamen idem Elymaidem prouinciam facit in Media. Verum nihil vetat idem eſse vrbis & prouinciæ nomen, vt Babylonia.

nu.59.

b l.2.c.9.

Perſepolis.

IV. *Quod templum ſpoliare voluerit.*

c.8.25.

Pererivs l.9. in illa verba Danielis. *Et ſine manu cõteretur* interpretatur Perſepolim, vrbẽ Perſidis aliquam, ſiue Elymaidis, eamq. arbitratur fuiſseSuſam, quam idẽ Daniel eodem loco dicit fuiſse in regione Aelam, id eſt Elamitide, ſiue Elymaide; ex eoq. probat, quod templum Dianæ, quod Antiochus ſpoliare voluit, inibi fuiſſe teſtetur Plinius, [c] *Euleus*, ait, *fluuius circuit arcem Suſorum, & templum Dianæ, quod eſt illis regionibus auguſtiſsimum.* Id porro templum fuiſse Dianæ, autor eſt Ioſephus [d] & Polyb. Apud eundem ibid. D. Hieron.[e] idem refert ex Diodoro Siculo, ſed is locus intercidit in Diodoro. Idem affirmat Porphyrius apud eundem v.45. Quibus mirum eſt non conſentire Appianum in Syriacis ſub fi. vbi ait ſpoliato in Elymæis templo Veneris tabe periiſse. Itaque præter vrbis opulentiam, audiuit Epiphanes *templum in ea eſſe locuples valde, & illic velamina aurea, & loricas, & ſcuta, quæ reliquit Alexander Philippi Rex Macedo, qui regnauit primus in Græcia*, id eſt qui primus Græcorum principum in Aſia atque Oriente regnauit. Pro ſcutis, quæ Ioſephus quoque agnoſcit, [f] in Græco legitur arma, ex quibus etiam intelligi poteſt, non totam vrbem conflagraſse, ſed Cyri tantum palatium, vt Strabo & Arrianus tradunt.

c l.6.c.27.
d l.12.c.13.
e in c.11. Dan.v.36.
f l.12.c.13.

V. *Vrbem fruſtra ingreditur.*

Et *venit, & quærebat capere ciuitatem, & deprædari eam, & non potuit, quoniam innotuit ſermo iis, qui erant in ciuitate, & inſurrexerunt in prælium, & fugit inde, & abiit cum triſtitia magna, & reuerſus eſt in Babyloniam.* Hic dicitur voluiſse capere ciuitatem: at l.2. dicitur intraſse in eam, & tentauiſse expoliare templum, & ciuitatem opprimere. Verum nihil eſt abſurdi eſse aliquem principem in ciuitate, nec tamen ea potiri; prius contigerat Antiocho, poſterius ambiebat, ſed multitudine ad arma concurrente in fugam verſus eſt, tametſi eſset Aſiæ Rex, ſicut & Syriæ. Sed illi non legitimum regem, ſed ſacrilegum prædonem fugauerunt. Hunc locum cum Ioſephus non ſatis perpendiſset, & illud ſecundi εἰσελθὼν γὰρ εἰς τὴν λεγομένην πόλιν, intrauerat enim in eam quæ vocatur Perſepolin, fortaſse non legiſset, ita ſcripſit. [g] *Motus, ait, hac fama admoto exercitu, vrbem oppugnare conatus eſt. His vero qui inerant nec aduẽtu eius, non oppugnatione territis, ſed fortiter reſiſtentibus, ſpe ſua fruſtratus eſt. Non contẽti enim repuliſſe eũ à mœnib. recedẽtẽ, perſecuti ſũt, ita vt plurimis*

Ex li.2.cõtra Ioſephũ

lib.1.c.6.v.3.& 4.
g l.12.c.13.

chum confiteri, quod ipſe eſt Deus ſolus.

X. *Agnoſcit culpam ſuam.*

Vervm hæc agnitio propriæ culpæ plenius habetur l. 2. c. 9. tribuiturque morbi violentiæ, quæ tanta erat, *vt de corpore impii vermes ſcaturirent, ac viuentis in doloribus carnes eius effluerent: odore etiam illius, & fœtore exercitus grauaretur: & qui paulo ante ſydera cœli contingere ſe arbitrabatur, eum nemo poterat, propter intolerantiam fœtoris, portare.* Apparet hinc voluiſſe Antiochum Babylonem ſella geſtoria portari, ſicut paulo ante dictum eſt, eum humiliatum ad terram, in geſtatorio portatum fuiſſe: ſed viui cadaueris teterrimum odorem nemo ferre poterat. *Hinc igitur cœpit, ex graui ſuperbia deductus, ad cognitionem ſui venire, diuina admonitus plaga, per momenta ſingula doloribus ſuis augmenta capientibus. Et cum nec ipſe iam fœtorem ſuum ferre poſſet, ita ait, Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire.*

XI. *Irrita pænitentia.*

Agnoscit culpam ſuam Antiochus, vt obſtinatus Pharao, [a] vt Iſraelitæ rebelles, [b] vt reprobus Saul, [c] Et humiliatus eſt coram Deo, vt Achab [d] vt Nabuchodonoſor, [e] ſed non ſucceſſu pari, vt Heli [f] Imo & copioſiſſimam ſatisfactionem offert, & tamen audit. *Orabat autem hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus*; Nimirum vera pœnitudine, propter offenſum Deum non tangebatur, ſed propter dolores ſuos, ſicut tanto ante Eſau propter amiſſam primogenituram: de quo Diuus Paulus, [g] *poſtea cupiens hæreditare benedictionem reprobatus eſt: non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquiſiſſet eam.*

a Exod. 10. 16. b Num. 14. 40. Deut. 1. 41. c 1 Reg. 15. 24. & iterũ v. 30. d 3. Reg. 21 29. e Dan. 4 31 f 1. Reg. 3. 18. g Hebr. 12. 17. v. 14.

Verum audiamus quid ſatisfactionis offerat, quæ vota nuncupet, vt ſanitatem recuperet, quam non erat impetraturus, nec voti reus futurus.

XII. *Quam ſatisfactionẽ offerat.*

Et ciuitatem ad quam feſtinans veniebat, vt eam ad ſolum deduceret, ac ſepulchrum congeſtorum faceret, quaſi dicat ſepulchretum, nunc optat liberam reddere, *& Iudæos, quos ne ſepultura quidem ſe dignos habiturum, ſed auibus ac feris diripiendos traditurum, & cum paruulis exterminaturum dixerat, æquales nunc Athenienſibus facturum pollicetur.* Qui ſcilicet inter omnes Græcos maxime liberi, ac ſui iuris fuerunt, quod maxime ſemper expetierunt Iudæi, qui patriarum legum obſeruationem grauiſſimis omnium ſuppliciis hoc tempore redemerunt, vide etiam Ioſephum. Nec finis promiſſionum. *Templum etiam ſanctum, quod prius expoliauerat, optimis donis ornaturum, & ſancta vaſa multiplicaturum, & pertinentes ad ſacrificia ſumptus, de reditibus ſuis præſtaturum: Super hæc & Iudæum ſe futurum, & omnem locum terræ perambulaturum, & prædicaturum Dei poteſtatem.* Credibile eſt reprobum hunc non habuiſſe animum iſta perficiendi, ſed Deum promiſſis inanibus onerare, ac irridere voluiſſe, ſed Deus non irridetur. Et quamuis ex animo promitteret, vota nihilominus irrita fuerunt: non enim ſemper exaudit Deus, etiam iuſtos, ad remiſſionem pœnæ, vel damni temporalis. Nam Dauid pro vita pueruli irritas ad Deum preces fudit, quam ſolam peccator hic quærebat: ſed neque hanc obtinuit, & inſuper æternam mortem incurrit, vnde ſequitur.

& quo animo.

l. 11. c. vlt.

XIII. *Scribit ad Iudæos.*

Sed non ceſſantibus doloribus, *ſuperuenerat enim in eum iuſtum Dei iudicium*, quaſi dicat, lata erat diuinitus in eum ſententia mortis irreuocabilis, quod ille ſentiens de vita *deſperans ſcripſit ad Iudæos in modum deprecationis epiſtolam hæc continentem. Optimis ciuibus Iudæis plurimam ſalutem, & bene valere, & eſſe felices, Rex & princeps Antiochus. Si bene valetis, & filii veſtri, & ex ſententia vobis cuncta ſunt, maximas agimus gratias.* In Græcis nunc paulo aliter legitur, ſcilicet, Deo ago maximas gratias, in cœlo ſpem habens. Et ego languide iacens, veſtri honoris & beneuole recordatus ſum; hæc molliora ſunt & adulatoria. Priora autem illa ſunt conſentanea iis, quæ paulo ante vouebat, Iudæum ſe futurum, & Dei poteſtatem ſe prædicaturum &c. ſequitur narratio. Reuerſus de Perſidis locis, & infirmitate graui apprehenſus, neceſſarium duxi pro communi vtilitate curam habere, vel communi ſecuritati conſulere. Non deſperans memetipſum, ſed ſpem multã habens effugiendi infirmitatẽ: aliud dicit, aliud ſentit, ſed vult Iudæos timore aliquo continere, nec timorem ipſe præ ſe ferre.

vt patet ex v. 18.

XIV. *Nunciat deſignatum ſucceſſorem.*

Respiciens autem quod & Pater meus, Magnus videlicet Antiochus, *quibus temporibus in locis ſuperioribus ducebat exercitum, oſtendit qui poſt ſe ſuſciperet principatum, vt ſi quid contrarium*, ſiue præter opinionem, *accideret, aut difficile nunciaretur,*

ſcientes hi qui in regionibus erant, cui eſſet rerum ſumma derelicta, non turbarentur. Hæc eſt prima cauſa deſignandi ſucceſſorem, Antiochi Magni parentis imitatio, qui peregre in longinquas regiones proficiſcens, in omnem euentum declarabat, quis ſibi in principatu ſucceſſurus eſſet, vt ea re cognita, ſubditi minime turbarentur; quod Perſarum quoque reges obſeruaſſe, alibi ex Herodoto diximus. Altera eſt ne vicini principes, qui in occaſionem rei gerendæ intenti eſſe ſolent, dato interregno, in vacuam hæreditatem inuolarent. Id ſignificant illa verba. *Ad hæc conſiderans de proximo* [a] *potentes quoſque, & vicinos temporibus inſidiantes, & euentum expectantes, deſignaui filium meum Antiochum regem, quem ſæpe recurrens in ſuperiora regna, multis veſtrum commendabam, & ſcripſi ad eum, quæ ſubiecta ſunt.*

a παρακειμένους δυνάστας. quaſi dicat adiicientes, confines principes.

XV. *De eo merito ſollicitus.* ADDEBATVR hic exemplum epiſtolæ ſcriptæ ad Antiochum Eupatorem quæ non extat. Cæterum timebat in primis Antiochus, ne Demetrius, qui Romæ obſes erat, filius Seleuci, primogeniti Antiochi Magni, regnum ſibi debitum vendicaret, quod & fecit, Lyſia & Eupatore occiſis, vt ſuo loco dicetur, nunc quæ ſuperſunt de Epiphane expleamus. Reliqua eſt concluſio, putido, atque impudenti mendacio fœdata. *Oro itaque vos, & peto, memores beneficiorum publice & priuatim, vt vnuſquiſque conſeruet fidem ad me, & ad filium meum. Confido enim eum modeſte & humane acturum, & ſequentem propoſitum meum, & communem vobis fore,* conuerſaturum vobiſcum, aut vſurum vobis. Recte ſane coniicit propoſitum patris exemplum ſecuturum. Nam regni eius, & in Iudæos odii filius eius Antiochus hæres extitit, vt ait Ioſephus.

b συμπεριενεχθήσεσθαι ὑμῖν.
c l.1.bell. c.1.

XVI. *Filio Tutorem relinquit.* QVONIAM vero hic regni hæres tenera valde ætate erat, [d] puerulum nouemnem vocat Appianus in Syriacis. Iuſtinus l.34. Decedit, inquit, Antiochus, relicto paruulo admodum filio; ei pater tutorem aſſignat Philippum quendam ex amicis, & optimatibus ſuis. [e] *Et vocauit Philippum vnum de amicis ſuis, & præpoſuit eum ſuper vniuerſum regnum ſuum, & dedit ei diadema, & ſtolam ſuam, & annulum,* ſignatorium ſcilicet, conſtituens eum ſimul regni Cancellarium, Proregem, & regis tutorem, vt adduceret Antiochum filium ſuum, & nutriret eum, & regnaret, id eſt regno educaret. Id tamen officium Lyſias, apud quem puer erat, ipſi enim eum rex commiſerat, cum iret in ſuperiorem Aſiam, videtur vſurpaſſe, vt ex ſequentibus intelligetur.

d παιδίον ἐννεαετές.
e l.1.c.6.14
f l.1.c.3.33.
g l.1.c.6. v.17.

XVII. *Quo loco mortuus fuerit.* SEQVITVR poſtremo impii tyranni mors. Et mortuus eſt illic, ait Antiochus Rex, [h] anno 149. Duo hic dubia ſunt tempus & locus. Nam quomodo mortuus eſt pater anno 149. cum filius regnans dictet epiſtolas anno 148. Id dubium poſtea tolletur commodius, ſed de loco proprius eſt hic dubitandi locus. Quò enim refertur illud aduerbium illic? & rurſum v.9. & erat illic per multos dies, & rurſum v.13. ecce pereo in terra aliena. Secundus liber, etſi clare loquitur, non tollit tamē difficultatem. *Igitur homicida & blaſphemus peſſime percuſſus, & vt ipſe alios tractauerat, peregre in montibus, miſerabili obitu vita functus eſt.* Difficilis ſane eſt hic locus, nā cum [i] dictum ſit, Antiochum reuerſum eſſe in Babyloniam, cuius ſcilicet dominus erat, quomodo ſe mori dixit in terra aliena? Num Babylone rediit in montes Mediæ & Perſidis, vt illic peregre moreretur?

h l.1.c.6. v.16.
i l.1.c.6. v.4.

XVIII. *An mortuus Babylone.* RESPONDEO Antiochum reuera in terra aliena, & in montibus, in itinere Babylonem verſus, periiſſe, nec cogitatam, & deſtinatam animo Babylonem attigiſſe. Itaque illa verba v.4. quæ difficultatem afferunt. *Et abiit cum triſtitia magna, & reuerſus eſt in Babyloniam,* oſtendunt interpretem legiſſe ὑπέστρεψε, quomodo etiam legitur in Baſileenſi. At editio vaticana Xiſti, & regia habent ἀποστρέψαι reuerti, ſiue, abiit inde vt reuerteretur, quomodo vertit interpres vaticanæ & regiæ, & Baſileenſis, conſentit Tigurina, quæ habet, abſceſſit inde repetens Babyloniam. Porphyrius certe apud D. Hieronymum, ait illum mœrore conſumptum in Tabes oppido Perſidis mortuum eſſe; quod Scripturæ non repugnat, ſi id oppidum in montibus circa Ecbatanam ſitum fuit. Sic ergo ex vnius literulæ mutatione, difficillimus locus planiſſimus redditur.

in c.11. Dan.v.45.

XIX. *Eius ex Daniele Epitaphium.* ADDAM hic Epitaphium Antiochi Epiphanis, quod Serarius noſter ex Daniele excerpſit.

c.8.23.

Dan.8.23. 24.& ſeq. *Rex impudens facie, & intelligens propoſitiones; & roborata eſt fortitudo eius, ſed non in viribus ſuis: & ſupra quam credi poteſt, vniuerſa vaſtauit, & proſperatus eſt, & fecit. Et interfecit robuſtos, & populum ſanctorum, ſecundum voluntatem ſuam, & directus eſt dolus in manu eius, & cor ſuum magnificauit, & in copia rerum omnium occidit plurimos, & contra Principem principum conſurrexit, & ſine manu contritus eſt.*

Dan.8.9. 10 &c. ADDE ex eodem Daniele alterum, quod ſepulchro inſcribi poſſit. XX. *Alterum ex eodem.*

Hic proiectum eſt cornu modicum, quod factum eſt grande contra Meridiem, & contra Orientem, & contra fortitudinem, & magnificatum eſt vſque ad fortitudinem cæli, & deiecit de fortitudine, & de ſtellis, & conculcauit eas, & vſque ad principem fortitudinis magnificatum eſt, & ab eo tulit iuge ſacrificium, & deiecit locum ſanctificationis eius. Deeſt concluſio quam adde ex 2. Machab. 9. fi. *Homicida & blaſphemus percuſſus eſt: & vt ipſe alios tractauerat, peregre in montibus miſerabili obitu vita functus eſt.*

1.2.c.1.v.11. POSSVNT & alia de eo Scripturæ elogia colligi, qualia ſunt illa. *Radix peccatrix Antiochus Illuſtris. Alienatus mente, Sacrilegus, Impius, Crudelis.* Sed audi ſanctos Martyres. *Tu quidem ſceleſtiſſime in præſenti vita nos perdis.* Alius Theomachum vocat. *Ne exiſtimes tibi impune futurum, quod contra Deum pugnare tentaueris.* Et eorum mater, *irridens crudelem tyrannum. Non timeas,* inquit, *carnificem iſtum, Et puer. Inuentor omnis malitiæ in Hebræos,* non effugies manum Dei, & rurſum. *O ſceleſte, & omnium hominum flagitioſiſſime, iudicio Dei iuſtas ſuperbiæ tuæ pœnas exolues, ego autem ſicut & fratres mei, animam & corpus meum trado pro patriis legibus, inuocans Deum maturius genti noſtræ propitium fieri, teque cum tormentis & verberibus confiteri, quoniam ipſe eſt Deus ſolus.* XXI. *Alia de eo Scripturæ elogia.* 1.2.c.7.v.9. & ſeq.

REQVIRAT fortaſſe Lector eruditus, à nobis quoque dignum Antiochi vita, ac facinoribus Epitaphium; quod ne fruſtra deſideret, habeatque quod appendat in Antiocheno Mauſolæo, ſic habeto. XXII. *Epitaphium aliud Antiochi.*

EPITAPHIVM ANTIOCHI EPIPHANIS.

ADES VIATOR, NEC VLTRA SPIRANTIS CADAVERIS ANTIOCHI EPIPHANIS FOETOREM, QVEM ILLE IPSE QVI FEREBAT FERRE NON POTERAT, REFORMIDA: EVANVIT ILLE PRIDEM CADAVERE IN ARENTEM PVLVEREM DISSOLVTO, SED MANET ILLE TAMEN, QVEM IMMENSA HOMINIS SCELERA IN COELVM CONTINENTER EXHALABANT. HOMINIS QVI POST FRAVDVLENTER OCCVPATVM A FRATERNA MORTE REGNVM, ET AB HEREDE AC NEPOTE ASIAM SYRIAMQVE INTERVERSAM, ÆGYPTVM QVOQVE TVTORIS NOMINE PTOLEMÆIS NEPOTIBVS SEMEL ITERVMQVE ERIPERE CONATVS EST: FECISSETQVE, NISI ROMANO PERCVLSVM IMPERIO, PRIORE EIVSDEM REGNI DEPRÆDATIONE, QVAM IN ROMANOS EFFVDERAT, CONTENTVM ESSE OPORTVISSET. *Eius ambitio.*

HIC EST ILLE CONTEMPTOR DIVVM, QVI CVM ADVERSVS DEVM CONIVRASSET, HIEROSOLYMITANA POTITVS VRBE, PRÆTER TRIDVO ILLATAM OCTOGINTA MILLIVM VIRORVM, VEL CÆDEM VEL SERVITVTEM, TEMPLVM EIVS CONTEMPTIM INGRESSVS, AVREAM OMNEM ARGENTEAMQVE SVPELLECTILEM INVASIT, AC SV- XXIII. *Impietas.*

STVLIT: THESAVROS EIVS OCCVLTOS AC PATENTES, SACROS PROFANOSQVE SACRILEGE POPVLATVS EST, LEGITIMA SACRIFICIA REPVDIARI IVSSIT, LIBROS SACROS CONSCIDIT, ATQVE EXVSSIT, CIRCVNCISIONEM, DELECTVM CIBORVM, OMNESQVE MOSAICÆ LEGIS CEREMONIAS ANTIQVAVIT. DENIQVE IMPVRVM IOVIS OLYMPII SIMVLACHRVM DIVINO ALTARI IMPOSVIT: ET TOTA REGIONE SACRILEGIS FVMANTE HOLOCAVSTIS, OMNIVM TVRPITVDINVM, QVAS IMPVDENS ILLE FREQVENTABAT, CLOACAM, IN MORES HEBRÆORVM INVEXIT, PIOSQVE DECVMANIS SVPPLICIIS, AD DIVINAM LEGEM EIVRANDAM, SACRILEGOSQVE RITVS PROFITENDOS, INDVCERE CONATVS EST.

XXIV. *Fœdaque mors.* POSTREMO CVM ADVERSVS HANC BELLVAM, MODICAM VLTOR DEVS SERVORVM SVORVM SVSCITASSET MANVM, QVÆ QVATVOR EIVS EXERCITVS FVDIT, FVGAVIT, CONCIDIT, EX RAPINIS FACTVS EGENTIOR, NOVVM EXORSVS SACRILEGIVM, TVRPITER PVLSVS FVGATVSQVE, SPIRANS MINARVM AC CÆDIVM IVDÆAM COGITAT. DVMQVE CITATIS QVADRIGIS PRÆCEPS ITER ACCELERAT, IN TERRAM EFFVSVS, TOTOQVE CORPORE CONTRVCIDATVS, DIVINA INSVPER PLAGA PERCVSSVS, TABE DIFFLVENS, VERMIBVS SCATENS, TETERRIMAM EXHALANS MEPHITIM, DIVINAM IN SE ANIMADVERSIONEM FRVSTRA CONFESSVS, IN IMVM TARTARVM ANIMAM EXECRANDAM EVOMVIT. ANNO REGNI GRÆCORVM CXLIX. REGNI SVI XII. DIGNVS QVI EXPRESSA ESSET ILLIVS IMAGO, QVI ERIT OMNIVM POST HOMINES NATOS SCELERATISSIMVS ANTICHRISTVS.

XXV. *Dicitur inſaniſſe.* IVVAT hic obiter quæ de eiuſdem morte, apud D. Hieronymum ex Porphyrio Diodoro Siculo, & Polyb. leguntur adiungere. *Polybius*, inquit, *& Diodorus, qui Bibliothecarum ſcribunt hiſtorias, narrant eum non ſolum contra Deum feciſſe Iudææ, ſed auaritiæ facibus accenſum, & templum Dianæ in Elymaide, quod erat ditiſſimum ſpoliare conatum, oppreſſumque à cuſtodibus templi, & vicinis circum gentibus, & quibuſdam phantaſiis atque terroribus verſum in amentiam, ac poſtremam morbo interyſſe.* Et mox, ait eum attentato fruſtra Dianæ templo, mortuum eſſe in Tabes oppido Perſidis, mœrore conſumptum. Pleraque habet Gorionides, [a] de morte Antiochi Scripturæ non abſurda amplificatione adiecta, quæ non eſt opus huc accerſere.

In cap. 11. Dan. v. 36. & 45.
In v. 45. ex Porphyrio.
a l. 2. c. 12.

XXVI. *Quid Ioſephus de morte Antiochi.* NON oportet tamen nos Ioſephi ſententiam de Antiochi morte, eiuſque cauſa prætermittere: ſunt enim quædam ad limam, aut ſtateram reuocanda. *Morbo*, inquit, *magis ac magis inualeſcente, intelligens adeſſe fatale tempus, amicos conuocat, eiſque & vim morbi, & cauſam indicat*, nimirum quod pœnas ob afflictam Iudæorum gentem lueret, atque ob ſpoliatum ſacrilegio templum, & contemptum cœleſtis numinis: atque his dictis exhalauit animam. Quamobrem demiror Polybium Magalopolitanum, qui vir alioqui probus ait hunc Antiochum periiſſe, quod conatus ſit Dianæ templi theſauros, ac donaria diripere. *Voluiſſe enim tantum, ac non etiam perfeciſſe ſacrilegium, non videtur res digna ſupplicio.* Quod ſi hæc cauſa Polybio digna videtur cur Antiochus deberet capite pænas perſoluere, multo veriſimilius eſt ob exhauſtum ſacrilegiis Hieroſolym. templum, acceleratum eſſe eius interitum. Si quis tamen magis probat Polybij ſententiam, cum eo nunc non libet contendere.

τὸ γὰρ μαλὰ ποιῆσαι τὸ ἔργον συλλογισάμενον, οὐκ ἔστι τιμωρίας ἄξιον.

XXVII. *Arguitur ex Dei lege.* CONTENDERE quidem non libet, Sacerdotem tamen legis, in lege turpiter errantem corrigere neceſſe eſt, qui merito à Paulo audiat. [b] *Etenim cum deberetis magiſtri eſſe propter tempus, rurſum indigetis vt vos doceamini, quæ ſint elementa exordij ſermonum Dei*, qui duo præcepta diuinæ legis nunquam, aut legiſſe, aut intellexiſſe, videatur, prohibentis concupiſcere non ſolum vxorem proximi ſui, ſed domum,

b Heb. 5. 12.

Magna voluntas pœna digna.

agrum, ancillam, bouem, aſinum, & vniuerſa quæ illius ſunt. Atqui, *Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſeratione, duobus vel tribus teſtibus moritur*, vt teſtatur Apoſtolus in lege doctiſſimus,[a] quò ergo voluiſſe tantum, & non etiam perfeciſſe ſacrilegium, non videtur Ioſepho res digna ſupplicio? Fruſtra ergo monet propheta regius. *Quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini*, nimirum vt pœnitentia vitetis ſupplicium: fruſtra, cum Ioſephi iudicio liceat etiam impune ſacrilegia attentare.

a Hebr. 10. 28.

XXVIII. *Eius deniq. iudicio.*

Aliter viſum eſt ſapientiſſimo, atque æterno Iudici, qui Luciferum dicentem in corde ſuo, *in cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti in lateribus aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo.* Hæc inquam cogitantem Luciferum, detractum è cœlo empyreo, præcipitauit in profundum laci, & cum ſuis omnibus ſociis, ſuppliciis addixit ſempiternis. Aliter viſum eſt omnibus rerum publicarum adminiſtratoribus, ſupremiſque iudicibus, qui omnibus ſeculis, omnibuſque regionibus attentatam principum ſuorum necem, diriſſimis exquiſitiſſimiſque ſuppliciis, viuos mortuóſque mactarunt. Aliter viſum eſt Danieli prophetæ, qui impuriſſimos ſenes Suſannam mortis ſupplicio tradere cupientes, calumniæ conuictos, vniuerſo populo conſentiente & cooperante iuſtiſſimæ morti tradidit. Aliter viſum Dario regi, qui innocentis Danielis accuſatores, qui eum leonibus diſcerpendum dederant, licet facinore diuinitus impedito, crudelem tamen voluntatem vlciſcendam ratus eſt, & iiſdem leonibus deuorandos dedit; omneſque puncto temporis ab iiſdem dilacerati ſunt.[b]

Et communi ſapientum. *Danielis proph.* *Darij regis.*

b Dan. 6.

XXIX. *Rurſum arguitur ratione.* *Et exẽplis.*

Quod ſi cogitatum facinus, & attentatum in crimine non eſt, vtique neq; opus ſanctum laudem aut præmium mereatur, niſi perfectum & abſolutum. Quid ergo eſt quod Deus Opt. Max. Abrahamo qui filium ſuum voluerat Deo iubente offerre in ſacrificium, dixit.[c] *Per memetipſum iuraui, dicit Dominus, quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me.* Quid eſt feciſti hanc rem? non fecerat, voluerat, nihil fecit, prohibuit angelus. Ita ſane, ſed Deus factum opus dicit, quod efficaci voluntate ſuſceptum eſt, & quantum in Abrahamo fuit perfectum eſt. Itaque eadem omnino merces datur viuente filio, quæ data fuiſſet ſacrificato. *Benedicam*, inquit, *tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Plumbeum hominem eſſe neceſſe eſt, qui non intelligat totam malitiam, vel bonitatem humani actus à voluntate pendere. Nec nudam executionem operis, apud iudicem Deum, pœnam nouam vel procemium promereri.

c Gen. 22 16.

XXX. *Corrigitur à S. Hieron.*

v. 36. D. Hieronymus in c. 11. Danielis ad hunc locum Ioſephi alludit, ſed ita tamen vt corrigat. Hoc ei, inquit, accidiſſe commemorant, quia templum Dianæ violare conatus ſit. Nos autem dicimus, etiamſi acciderit ei, ideo accidiſſe, quia in ſanctos Dei multam exercuerit crudelitatem, & polluerit templum eius. Non enim pro eo quod conatus eſt facere, & acta pœnitentia deſiuit implere, ſed pro eo quod fecit punitus eſſe credendus eſt: quaſi dicat malam voluntatem, ſi pœnitentia reuocata fuerit, non puniri, ſed ſcelus reipſa perpetratum, nec vſquam apud Hieronymum leges, voluiſſe tantum, ac non etiam perfeciſſe ſacrilegium, rem dignam ſupplicio non videri. Sed omittamus nunc Ioſephum: in iis enim eſt, de quibus Dominus.[d] *Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum.*

d Matth. 15. 14.

XXXI. *Ethnici Iudæos a reſtaurato Dei cultu perſequuntur.*

Iam nobis de Eupatore Antiochi ſucceſſore dicendum eſſet; ſed prius quæ geſta ſunt in Iudæa ſub ipſam templi emundationem, viuente adhuc Antiocho, vel ſub eius interitum, ex Scriptura proferamus:[e] quoniam non facile diſiungi poſſunt, & modico diſtant temporalis interuallo.

e I. 1. Mach. c. 5.

Et factum eſt, vt audierunt gentes in circuitu, quia ædificatum eſt altare, & ſanctuarium ſicut prius, iratæ ſunt valde, & cogitabant tollere genus Iacob, qui erant inter eos, ſcilicet Iacobi filios, ſiue Iſraelitas, qui vndique impiis, & idolorũ cultoribus cincti erant: & impletum eſt illud Dauidis, *Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet, deſiderium peccatorum peribit. Et cœperunt occidere de populo & perſequi*, ſiue perdere, improuiſis ſcilicet excurſionibus, inſidiis, aliiſque hoſtilibus modis, vt Ioſephus quoq. confirmat. Nimirum rectũ putabant eos perdere, qui tanta leuitate Dei cultũ religionemq; commutabant, vt prius Deum ſuum, deinde ipſorum deos colerent, rurſum noua defectione ad relictum Deum conuolarent. Deorum quoq; ſuorum, ac Regis ſui zelo tangebantur, & vtriſque obſequium ſe præſtare arbitrabantur.

XXXII *In eos inſurgit Iudas. In Idumæos Acrabathenos.* Contra quos Iudas conſurrexit, & primo contra Idumæos. *Et debellabat*, ait Scriptura, *Iudas filios Eſau in Idumæa, & eos qui erant in Acrabathane, quia circunſedebant Iſraëlitas*, & percuſſit eos plaga magna, tollenda eſt cõiunctio, ne duo putentur prælia, alterum in Idumæa, alterum in Acrabathane. Eſt enim Acrabathane oppidum in Idumęæ, & tribus Iudæ finibus meridianis; in iis Idumęæ rupibus, quas vocant Aſcenſum ſcorpionis, [a] propter ſerpentum & Scorpionum copiam, vt aiunt Hebræi, aut vt aliis placet, propter rupes ſcorpiones referentes. Certe ſcorpionem Hebræi dicunt Ghacrab עקרב, & עקרבים Ghacrabbim ſcorpiones; ex quo factum huic oppido nomen tradit ex Hieronymo Adrichom. ſed id in Hieronymo non inueni. Ergo in Acrabbathane Idumæi erant, vbi vt in tuto præſidio poſiti, excurrebant circumquaque in Iudæos: eos autem magna clade Machabæus affecit, & deprædatus eſt, vt ait Ioſephus.

1. Mach. 5. 3 — *a Num. 34. v. 4.*

XXXIII. *Et in Bæanitas.* Altera expeditio fuit in Bæanitas. Et recordatus eſt, inquit, malitiam filiorum Bæan, *qui erant in populo in laqueum*, in quem ſe tanquam feræ necopinantes Iſraëlitæ induerent, *& in ſcandalum, inſidiantes ei in via. Et concluſi ſunt ab eo in turribus, & applicuit ad eos, & anathematizauit eos*, vt ſcilicet funditus delerentur, nec ſpolia eorum ſeruarentur, ſed omnia flammis abſumerentur: nam ſequitur, *& incendit turres eorum igni, cum omnibus qui in eis erant.* Significat Ioſephus iſtos quoque fuiſſe Idumæos, quos Iudas obſedit, & eos, cum rebus ſuis omnibus, quaſi holocauſtum Deo conſecrauit, vt Ioſue olim Iericho. [b]

b c. 6. v. 17.

XXXIV. *Et Ammonitas.* Tertia fuit expeditio in Ammonitas. *Et tranſiuit ad filios Ammon, & inuenit manum fortem, & populum copioſum, & Timotheum ducem ipſorum: & commiſit cum eis prælia multa, & contriti ſunt in conſpectu eorum, & percuſſit eos: & cepit Gazer ciuitatem, & filias eius, & reuerſus eſt in Iudæam.* In hyberna, vt arbitror: nec enim apparet cur potentem adhuc hoſtem deſeruiſſet, ad quem opprimendum mox redeundum fuit in Galaaditidem. Ammonitæ ſunt Hieroſolymitis trans Iordanem, quemadmodum & ciuitas Iazer, vt in Græco legitur, & apud Prophetas [c] & Ioſephum. Nam Gazer eſt cis Iordanem in tribu Ephraim; Iazer autem, quæ & Iezer, vrbs quondam Amorrhæorum, decimo lapide à Philadelphia, terminus tribus Gad, & data Leuitis. [d] Videntur autem prædicti prophetæ eam in Moabitide regione collocare, Ioſephus in Ammonitide.

c Eſaiæ 16. 8. & Ierem. 48. 32. — *d Ioſue ca. 13. 25. & 21. 36. 37.*

XXXV. *Ex Ioſepho.* Eius hæc eſt oratio. *Quibus perdomitis in Ammanitas arma tranſtulit, quorum numeroſam manum Timotheus ductabat; & his quoque deuictis Iazorum eorum vrbem expugnauit, abductiſque in captiuitatem vxoribus eorum ac liberis, direptam prius, incendit, atque ita domum victor reuerſus eſt.* Sic ipſe, Filias Gazeris dixit Scriptura vicos & oppidula, quæ Gazerem metropolim agnoſcebãt, Hebræorum more, quem alibi notaui. 1. In hoc loco, ſeruata phraſi Hebræa, Græcus interpres poſuit θυγατέρας: & profecto vehementer fallor niſi Ioſephus, non attendens ad phraſim Hebræam, mirabili metamorphoſi vicos in puellas conuertit; & quia indecorum videbatur ſolas abductas, fratres eorum adiunxit & matres; quin & homo parum miſericors vrbem diripuit, atque incendit, cui ſcriptura pepercerat.

1. εχ.

XXXVI. *Iudas in Galaaditide vexantur.* Post diſceſſum Iudæ ex Galaaditide, timidi prius hoſtes, facti ſunt inſolentes. Quamprimum vicinæ gentes, ait Ioſephus, ſenſere eius abitum, contractis copiis in Galaditica regione, finitimos Iudæos adorti ſunt &c. Scriptura vero. *Et congregatæ ſunt gentes, quæ ſunt in Galaad, aduerſus Iſraelitas, qui erant in finibus eorum, vt tollerent eos, & fugerunt in Dathemam munitionem.* Non eſt alia huius loci mentio in Scriptura, quod iudicio eſt id caſtrum recens extructum, pro Dathema quidem codices Græci habent Diathema, ſed Dathema habet etiam Ioſephus. Et miſerunt literas ad Iudam, & fratres eius, dicentes. *Congregatæ ſunt aduerſum nos gentes per circuitum, vt nos auferant, & parant venire, & occupare munitionem in quam confugimus: & Timotheus eſt dux exercitus eorum. Nunc ergo veni, & eripe nos de manibus eorum, quia cecidit multitudo de nobis. Et omnes fratres noſtri, qui erant in locis Tubin interfecti ſunt, & captiuas duxerunt vxores eorum, & natos, & ſpolia, & peremerunt illic fere mille viros.*

Baſil.

XXXVII *Et in Galilæa.* Raro aduerſa nuncia ſolitaria ſunt, ecce alterum. *Et adhuc epiſtolæ legebantur: & ecce alii nuncii venerunt de Galilæa, conſciſſis tunicis eſt nunciantes ſecundum verba hæc. Dicentes, conueniſſe aduerſum ſe à Ptolemaida, & Tyro, & Sidone. Et repleta eſt*

omnis terra alienigenis, vt nos conſumant. Vides vbique furentem cacodæmonem, & ſublatam ex templo Dei, in quod inuaſerat, idololatriam, & diuinam iniuriam magno eius dolore vindicatam. In Græco eſt, & omni Galilæa alienigenarum ἀλλοφύλων, quæ dicitur Galilæa gentium, [a] & Galilæa ſuperior, quæ pertinebat ad tribum Aſer, & Phœniciæ adiacet. Inferior autem ſubiecta eſt ſtagno Geneſareth, quod propterea Mare Galileæ, deinde Tiberiadis dictum eſt, & pertinet ad tribum Zabulon & Iſſachar. Quid hic conſilii Machabæus cœperit, ita refertur.

a Eſaiæ 9.1.

XXXVIII. *Iudas copias diuidit.*

V T *audiuit autem Iudas, & populus ſermones iſtos, conuenit eccleſia magna, cogitare quid facerent fratribus ſuis, qui in tribulatione erant, & expugnabantur ab eis. Dixitque Iudas Simoni fratri ſuo. Elige tibi viros, & vade, & libera fratres tuos in Galilæa: Ego autem, & frater meus Ionathas ibimus in Galaaditim.* Nunc primum diuiduntur copiæ Iudęorum, vt hoſtes locis diſiunctos perſequantur. Vides copias Iudæorum prælijs non diminui, ſed creſcere? Nã relicto Hieroſolymis valido pręſidio, de quo mox ad duo millia ceciderunt, in ſeptentrionem & orientem abducuntur vndecim millia virorum, & nihilominus reliquit Ioſephum filium Zachariæ, & Azariam duces populi, cũ idoneo exercitu, ad cuſtodiã Iudææ. Sed reliquas expeditiones videamus.

XXXIX. *Expeditio Simonis in Galilaeam.*

Qvarta eſt Simonis in Galilæam, in quam profectus eſt cum tribus millibus, *& commiſit* prælia multa cum Gentibus, & contritæ ſunt gentes à facie eius; & perſecutus eſt eos vſque ad portam Ptolemaidis, & ceciderunt de gentibus fere tria millia virorum, *& accepit ſpolia eorum.* Ne autem iterum ab eis vexarentur, *aſſumpſit eos, qui erant in Galilæa, & in Arbatis*, cum vxoribus & natis, & omnibus quæ erant illis, & *adduxit in Iudæam cum lætitia magna.* Quæ ſint Arbata non ſatis conſtat: apparet tamen eſſe oppidum, vel regiunculam Galilææ. Nuſquam alibi extat id nomen, niſi placet Abialbon Arbathitem, vnum de fortibus Dauid, [b] qui [c] Abiel quoque appellatur, inde oriundum eſſe.

b 2. Reg. 23.31.
c 1. Paral. 11.32.

XL. *Et Iuda trans Iordanem.*

Qvinta expeditio eſt Iudæ & Ionathæ trans Iordanem, quò cum 8. virorum millibus profecti ſunt. *Et Iudas Machabæus, & Ionathas frater eius tranſierunt Iordanem, & abierunt viam trium dierum per deſertum,* quod vocatur Solitudo ſiue deſertum Boſor ab ea ciuitate, quæ illic ſita eſt, [d] Et confirmatur, quia mox vrbis Boſor, quam occupauit Iudas, & deſerti Boſor, fit mentio. Idemque colligitur ex occurſu Nabuthæorum ſiue Nabathæorum Arabum; quod nomen vel à Nabaioth primogenito Iſmaëlis acceperunt, vt placet D. Hierony. & Ioſepho, vel à Metropoli Arabiæ Petra, quam etiam Nabatham olim dictam aliqui putant. Iter ergo Arabiam verſus acceperunt, vt incautos & necopinantes hoſtes inuaderent. *Occurreruntque eis Nabuthæi, & ſuſceperunt eos pacifice, & narrauerunt eis omnia, quæ acciderant fratribus eorum in Galaaditide*: erant ergo in Iſraëlitis hi Nabuthæi. Qui Iudæ imminens periculum nunciarunt ſuorum, qui in ciuitatibus Galaaditidis circunuenti eſſent, & in diem ſequentem obſidionem ab hoſtibus expectarent, qui conſtituerant tollere eos in vna die. In Græco eſt, admouere exercitum munitionibus, ad quas ſcilicet Iudæi confugerant, & nominatim Datheman, idque patet ex ſequentibus.

d Ioſue ca. 20.8. & ca. 21.36.

XLI. *Occupat vrbes Galaaditidis.*

E T *conuertit Iudas, & exercitus eius viam in deſertum Boſor repente, & occupauit ciuitatem Boſorram, & occidit omne maſculinum in ore gladij, & accepit omnia ſpolia eorum, & ſuccendit eam igni.* Hæc vrbs, in quibuſdam codicibus Græcis, prima ponitur earum ſex, quæ ante numeratæ ſunt, ne vna vrbs bis hic capta ponatur, [e] & quidem prius capta & incenſa, poſtea autem capta. Vocatur autem in edit. vulg. Baraſa, in Græco tum Boſſora, tum Boſorra, apud Ioſephum. [f] Licet eius Latina verſio habeat Baraſa. *Et ſurrexerunt inde nocte, & ibant vſque ad munitionem,* (Datheman, vt arbitror, [g] ſed eam neque Ioſephus nominat, qui ſub veſperam profectum dicit, cum Scriptura dicat ſurrexiſſe nocte. Cúmque interim nox appeteret, inquit, nihilominus Iudas iter cõtinuauit vſq; ad caſtellum, in quo Iudæos oppugnari acceperat.) *Et factum eſt diluculo, cum eleuaſſent oculos ſuos, ecce populus multus, cuius non erat numerus, portantes ſcalas & machinas, vt comprehenderent munitionem, & expugnarent eos.*

e v.28. & 36.
f l. 12. c.12.
g vt ſupra v.9.

XLII. *Suos obſidione liberat.*

E T *vidit Iudas quia cœpit bellum, & clamor belli aſcendit ad cœlum ſicut tuba, & clamor magnus de ciuitate.* Breuius in Græcis nunc legitur, & clamor vrbis aſcendit vſque ad cœlum, tubis & voce magna.

Et dixit exercitui ſuo. *Pugnate hodie pro fratribus veſtris. Et venit tribus ordinibus poſt eos, & exclamauerunt tubis, & clamauerunt in oratione.* Videtur ſignificare eos cum

clamore diuinum nomen appellâſſe Adonai, Sabaoth, aut quid ſimile. Loci autem huius ſententia eſt, quam perſpicue habet Ioſephus, Iudam, vbi ſuos adhortatus eſt, ad rem pro fratribus ſuis bene gerendam, copias ſuas trifariam diuiſiſſe, & hoſtium tergo, tribus ſimul in locis infeſtos inhæſiſſe, & necopinato aduentu, clamoréque terruiſſe, ſed cecidiſſe etiam ac fugaſſe. Nam ſequitur. *Et cognouerunt caſtra Timothei, quia Machabæus eſt, & refugerunt à facie eius, & percuſſerunt eos* (Iudæi) *plaga magna, & ceciderunt ex eis in die illa fere octo millia virorum.*

XLIII. *Occupat Maſpha, & alia oppida.*

NEC quieſcit Iudas, vt lætetur cum ſuis ex tam præſenti periculo, & vltimo diſcrimine liberatis, ſed vtitur victoria bonus imperator. Nam perterrefactis inſtat. *Et diuertit Iudas in Maſpha, & expugnauit, & cepit eam, & occidit omnem maſculum eius, & ſumpſit ſpolia eius, & ſuccendit eam igni.* Mallon vocat Ioſephus barbarorum vrbem. Inde perrexit, & cepit Caſbon, 3. & Mageth, & Boſor, & reliquas ciuitates Galaaditidis. Neque hic fuit huius expeditionis finis: ſequuntur victoriæ duæ illuſtres, altera ad Carnain, altera ad Ephron. In priore prælium fuit glorioſum ac nobile contra Timotheum. *Poſt hæc verba*, inquit Scriptura, [a] *congregauit Timotheus exercitum alium, & caſtra poſuit contra Raphon, trans Torrentem.* 4.

3. χ.

Timotheus obſidet Raphon.

a ca. 5. v. 37.

4. χ.

XLIV. *Et de victoria ominatur.*

ERAT autem Iudas cum ſuis cis torrentem in tribu Gad. Et miſit ſpeculari exercitum, & renunciauerunt ei dicentes. *Quia conuenerunt ad eum omnes gentes, quæ in circuitu noſtro ſunt, exercitus multus nimis: & Arabas conduxerunt in auxilium ſibi, & caſtra poſuerunt trans torrentem, parati ad te venire in prælium. Et abijt Iudas obuiam illis. Et ait Timotheus principibus exercitus ſui. Cum appropinquauerit Iudas & exercitus eius, ad torrentem aquæ, ſi tranſierit ad nos prior, non poterimus ſuſtinere eum, quia potens poterit aduerſum nos. Si vero timuerit tranſire, & poſuerit caſtra extra flumen, transfretemus ad eos, & poterimus aduerſus illum.* Eadem habent Græca omnia, & torrentem etiam flumen appellant, ſed Ioſephus ſententiam nonnihil mutat. Ibi, inquit, hortatus eſt, Timotheus ſcilicet, ſuos milites vt ſtrenue pugnarent, arcerentque Iudæos à torrentis tranſitu; in hoc enim ſitam victoriam; Iudæis futuris ſuperioribus, ſi tranſire potuerint. 5

5. χ.

XLV. *Iudas traiecto torrente vincit.*

VERVS ſibi vates malorum fuit, Deo Machabæum dirigente, quamuis ſuperſtitioſæ obſeruationis ignarum, ſequitur enim. *Vt autem appropinquauit Iudas ad torrentem aquæ, ſtatuit ſcribas populi ſecus torrentem*, erant fortaſſe iidem centuriones, aut tribuni, vt plus autoritate valerent ad prohibendum populum ne ſubſiſteret cis Iordanem, vel cis torrentem. Nec mirum ſcribas tribunos eſſe vel cēturiones, cum vnus idemque Iudas, & belli dux eſſet, & ſacrorum pontifex. *Et mandauit eis dicens, neminem hominum reliqueritis*, (videtur deeſſe vocabulum, caſtra metari, aut vallum iacere, aut ſubſiſtere, in Græco eſt παρεμβαλεῖν. *Sed veniant omnes ad prælium. Et transfretauit ad illos prior, & omnis populus poſt eum, & contritæ ſunt omnes gentes à facie eorum; & proiecerunt arma ſua, & fugerunt ad fanum, quod erat in Carnaim*, vt in aſylum videlicet. erat autem Carnaim in tribu Manaſſe trans Iordanem. *Et occupauit ipſam ciuitatem, & fanum ſuccendit igni, cum omnibus qui erant in ipſo, & oppreſſa eſt Carnaim, & non potuit ſuſtinere contra faciem Iudæ.*

XLVI. *Reditus expeditionis. Iudas abducit Iſraelitas.*

RELIQVVS eſt reditus expeditionis huius, qui illuſtri etiam victoria nobilitatur. *Et congregauit Iudas vniuerſos Iſraëlitas, qui erant in Galaaditide, à minimo vſque ad maximum, & vxores eorum, & natos, & exercitum magnum valde, vt venirent in terram Iuda*, grauibus vtique de cauſis. Siue vt tuti eſſent ab inſultibus & vexatione infidelium; ſiue ne in medio nationis prauæ, diſcrimen amittendæ religionis adirent; ſiue vt terram Iuda, quam Antiochus, & eius duces deſolatam cladibus, ac pene deſertam effecerant, populoſiorem, & fortiorem ad reſiſtendum Gentibus redderent. Eadem eſt ratio cur Simon Machabæi frater, Galilæos quoque in Iudæam tranſtulerit. Sicut ergo cum olim à regno Iudæ, impulſore Ieroboamo defecerunt, ſimul etiam religionis naufragium, moxque etiam regni & regionis paſſi ſunt; ita & nunc eidem regno quoquo modo reſtituti, religioſæ pietatis & libertatis emolumento perfruantur.

ſupra v. 23.

XLVII. *Res ab eo ad Ephron geſta.*

ET *venerunt vſque Ephron, & hæc ciuitas magna in ingreſſu poſita*, id eſt in ipſo itinere, *munita valde, & non erat declinare ab ea dextera vel ſiniſtra, ſed per mediam iter erat*, locis vtrimque inuiis, præſertim promiſcuæ multitudini, quæ ſecum abduceret quidquid poterat de rebus ſuis, cum vxoribus & paruulis. Itaque Ephronitæ

animaduerſa tanta multitudine, & colonia nouatum ſedium candidata, occluſerunt vrbis ſuæ ianuas, & lapidibus etiam obſtruxerunt. A quibus cum Iudas pacificum tranſitum peteret, nec impetraret, iuſſit totis caſtris nunciari, *vt applicarent vnuſquiſque in quo erat loco. Et applicuerunt ſe viri virtutis*, id eſt potentes; ſeu viri exercitus, ſiue milites, [a] qui prout ſors tulerat, quiſque ex loco ſuo vrbem oppugnaturus erat.

a infra v. 55.

XLVIII. *Expugnatur, & deletur.*

Et *oppugnauit ciuitatem illam tota die & tota nocte, & tradita eſt ciuitas in manu eius*, ſiue perfractis ianuis, ſiue dirupto, vel ſuperato generali aſſultu muro, nec deditio vlla facta, vel admiſſa eſt: cuius rei ſignum eſt, *quod peremerunt omnem maſculum in ore gladij, & eradicauit eam*, omnibus maribus, qui ſtirpem renouarent, ferro ſublatis. *Et accepit ſpolia eius, & tranſiuit per totam ciuitatem ſuper interfectos.* Tanta ſeueritas ad ſolum negatum tranſitum referri non poteſt, ſed eos alioqui hoſtiliter ſe in Iudæos geſſiſſe, mortemque commeritos fuiſſe neceſſe eſt. Ioſephus, [b] addit & oppidi incendium. *Diem noctemque*, inquit, *ibi remoratus, vi cepit oppidum; occiſiſque omnibus maribus, per incenſi cineres traduxit exercitum: tantus autem erat occiſorum numerus, vt in tranſcundo calcanda eſſent cadauera.* De hac eadem ciuitate, ſi tamen eadem, iterum infra dicetur. [c]

b l. 12. c. 12.

c l. 2. c. 12. v. 57.

XLIX. *Reducit ſuos domũ incolumes.*

Et tranſgreſſi ſunt Iordanem in campo magno cõtra faciem Bethſan. Eam vrbem locat Adrichom. in tribu Iſſachar, Scythopolim dictam à Græcis ait Ioſephus; *& erat Iudas congregans extremos, & exhortabatur populum per totam viam*, ducis ſimul & pontificis officio fungens, firmabat in Deum fiduciam, & in auita fide conſtantiam, *donec venirent in terram Iuda. Et aſcenderunt in montem Sion*, templum videlicet illi coniunctum, *cum lætitia & gaudio, & obtulerunt holocauſta*, quod nemo ex eis cecidiſſet, *donec reuerterentur in pace.* Vides in Machabæo boni ac prouidi ducis officium. Cum enim ſciret extrema exercitus abeuntis, incurſionibus hoſtium infeſta eſſe ſolere, eam partem ſua ipſius præſentia munitam eſſe voluit; quæ etiam valebat vt ἰσχατίζοντες, qui in poſtremis hærebant, vel infirmitate, vel laſſitudine, excitarentur ad alacrius carpendam viam: præſertim cum ipſiuſmet Imperatoris cohortationes accederent. Vide etiam Pontificis pietatem, qui recta in montem Sion, id eſt in templum gratias acturus Deo, de tam lætis ſucceſſibus, & tam ſingulari eius protectione; qua per tot prælia atque diſcrimina, & tot hoſtium cædes, nemo omnino ex ſuis deſideratus eſſet. Neque par erat, vt ſi reliquus triumphi deerat apparatus, ea prætermitteretur, quæ non in colle Capitolino, dæmonibus, ſed in Sionis monte, omnium bonorum largitori Deo debebantur.

L. *Ioſephus & Azarias ſuſcipiunt expeditionẽ.*

Vervm ne pura undique liquidáque lætitia Iudæi diffluerent, aut ſuperbia efferrentur, ea gaudia non modica triſtitia permiſit temperari. Rem deinceps Scriptura narrat his verbis. [d] *In diebus quibus erat Iudas, & Ionathas in terra Galaad, & Simon frater eius in Galilæa, contra faciem Ptolemaidis, audiuit Ioſephus Zachariæ filius, & Azarias, quæ facta ſunt.* Dicitur hic Azarias princeps virtutis, in Græco tamen de vtroque legitur, ἄρχοντες δυνάμεως, quomodo ſupra [e] ambo vocati ſunt duces populi, ſicut & apud Ioſephum. [f]

d l. 1. c. 5. v. 55.

e v. 18.

f l. 12. c. 12.

Et dixit vterque faciamus & ipſi nobis nomen, & eamus pugnare aduerſus gentes, quæ in circuitu noſtro ſunt. Nec intentio ſatis laudabilis, nec legitima executio; quippe contra præceptum [g] ſupremi ducis atque pontificis; vt non mirum ſit rem infœlici euentu terminatam, eo vindicante, qui obedientiam mauult quam ſacrificium.

g v. 19.

LI. *Cladem à Gorgia accipiunt.*

Et *præcepit* vterque *ijs, qui erant in exercitu ſuo*, vt pararent expeditionem in hoſtem, *& abierunt Iamniam.* Ciuitas eſt maritima in tribu Dan, Ioſephus enim à meridie tribus Iudæ eam collocat, Adrichomius prope Ioppem. Erat ei loco præſidio Gorgias, quem ſupra belli ſcientiſſimum Scriptura dixit, [h] vt his quoque caſus deprimendæ ſuperbiæ iſtorum æmulorum Iudæ, ac fratrum eius deſeruiret. *Et exiuit Gorgias de ciuitate, & viri eius obuiam illis in pugnam.* Et videlicet inſonuit claſſicum, conſeruerunt manus: moxque timore ſuo debilitati, *fugatique ſunt Ioſephus, & Azarias, vſque in fines Iudææ, & ceciderunt illo die de populo Iſraël ad duo millia viri, & facta eſt fuga magna in populo*, diuturna videlicet, perſequentibus diu hoſtibus, perpetuóque cædentibus quos apprehendiſſent. Et poterant diu perſequi, vt qui recentes eſſent, & inſtarent ex longo itinere fatigatis. Duodecim horarum id iter erat, aut duorum fere dierũ, ſi tabulis Adrich. habetur fides. Sed audi cauſam cladis.

h l. 2. c. 8. 9.

LII. *Cauſa cladis gemina.*

QVIA *non audierunt Iudam & fratres eius*, prior hæc cauſa fuit; & iſti inobedientiæ ianuam aperuit exiſtimatio ſui, *exiſtimantes fortiter ſe facturos*, non ſecus ac Machabæos, quorum gloria tangebantur. *Ipſi autem non erant de ſemine virorum illorum, per quos ſalus facta eſt in Iſraël.* Tangitur hic altera cauſa, & cladis iſtorum, & victoriarum Machabæorum, diuina ſcilicet electio, quæ pro arbitrio ſuo, ſumit quos habere vult inſtrumenta ſuorum mirabilium. Fuiſſe autem iſtos de genere ſacerdotali infra [a] indicatur, ſi tamen hic verſus huc pertinet. Nam Ioſephus & Azarias hic fugati tantum ſunt, neque enim ibi cædem, quæ ad rem non parum faciebat, Scriptura tacuiſſet; illi autem ſacerdotes occiſi ſunt; quin & locus & tempus diuerſa videntur. Nam illi fugati, cum Iudas eſſet in Galaaditide; hi occiſi cum idem perambularet Samariam, dudum inde reuerſus. Dionyſius ſuſpicatur iſtos ſacerdotes in illa expeditione Ioſephi fuiſſe, & illis duobus cæſorum millibus contineri. [a v. 67.]

LIII. *Machabæi glorioſe celebrantur.*

ET *viri Iuda magnificati ſunt valde.* Quidam ex verbis iſtis argumentum petunt ad docendum Machabæos fuiſſe de tribu Iuda, vtique obſcurum ac debile, ex antitheſi ducum illorum, qui à Gorgia victi ſunt, & filiorum Mathathiæ, qui hic dicuntur viri Iuda. At textus Græcus facile hanc dirimit litem, in quo pro *viri Iuda* legitur, *vir Iudas & frater eius. Hi ergo magnificati ſunt valde in conſpectu omnis Iſraël, & gentium omnium, vbi audiebatur nomen eorum.* Et conuenerunt ad eos fauſta acclamantes.

Sexta eorũ expeditio, ad Auſtrum.

Sequitur altera Machabæorum expeditio ordine ſexta, quæ nonnullam proximæ cladi conſolationem attulit. *Exiuit ergo Iudas & fratres eius, & expugnabant filios Eſau, in terra quæ ad auſtrum eſt; & percuſſit Chebron, & filias eius, & muros eius, & turres ſuccendit igni in circuitu.* Hæc eſt vrbs in montanis Iudææ antiquiſſima, atque clariſſima, ab ipſis Abrahæ temporibus, quam cum his temporibus Idumæi tenerent, valde in arcto erant conſtituti Iudæi: vt non ſine cauſa ſupra dictum ſit Bethſuram à Iuda munitam fuiſſe, contra faciem Idumææ.

LIV. *Septima an Aquilonẽ.*

SEPTIMA expeditio Iudæ fuit ſeptentrionem verſus, quæ mox declinauit in occidentem. *Et mouit caſtra vt iret in terram alienigenarum*, ſiue Allophylorum, quod fuit proprium iampridem Philiſthæorum cognomen; qui etiam intelliguntur hoc loco, ſicut & paulo poſt, *& perambulabant Samariam. Et declinauit Iudas in Azotum in terram alienigenarum, & diruit aras eorum, & ſculptilia deorum ipſorum ſuccendit igni, & cepit ſpolia ciuitatum, & reuerſus eſt in terram Iuda.* Azoti nomine videtur intelligere illius ciuitatis agrum, cuius oppida, & vicos Iudas populatus eſt. Nam ipſam vrbem non occupauit; id enim à Ionatha factum poſt aliquot annos, conſtat ex cap. 10. huius primi libri. [b] Idque etiam hic ipſe locus oſtendit, in quo non tanquam de vno aliquo loco, ſed de pluribus loquitur; nec ait Iudam in Azotum vrbem alienigenarum, ſed in terram alienigenarum veniſſe. [b v. 83. & 84]

LV. *Notatur Ioſephus.*

MIRVM eſt hoc loco legi apud Ioſephum Mariſſam oppidum, pro Samaria, quo modo legitur in omnibus græcis eius latiniſque codicibus. *Peruaſtatis*, inquit, *agris hoſtium*, Idumæorum ſcilicet, *euerterunt etiam Mariſſam oppidum.* Quod nuſquam in Scriptura reperitur. Putarem eſſe Mareſam, niſi id oppidum poſtea reperiretur integrum, cum eò Gorgias fugit. [c] Sed magis mirum eſt timido ſuppreſſam ſilentio euerſionem ararum, & combuſtionem ſculptilium. *Inde*, inquit, *Azotum delati, eodem impetu expugnata ea quoque ac direpta, omnes ditati præda reuerſi ſunt in Iudæam victores, & incolumes.* [c 2. Mach. 12. 35.]

LVI. *Supprimit euerſionem altarium, & ſimulachrorum.*

DVPLEX error. Nam & facta dicit, quæ facta non ſunt, & quæ glorioſe, & laudabiliter facta ſunt, prætermittit. Azotum enim neque expugnauit, neque diripuit; certe id Scriptura non dicit, hoc loco; & poſtea id factum Ionathæ tribuit, imo & Ioſephus ipſe, [d] vt ſuo loco oſtendemus. Cladem autem Idololatriæ in eo tractu ad Dei gloriam à Iuda illatam, Romanorum metu prætermiſit. Cum enim hęc ſcribenti occurrunt, trepidatio excutit calamum de pallentis manu; verentis ne & gratiam, quam apud eos adeptus erat amitteret, & odium ſuæ genti conflaret, quaſi iam olim ſacrilegis, & deorum ſuorũ inimicis. Supra quoque, in dedicatione templi, illud ex l. 2. [e] non attigit. *Templum quidem & ciuitatem recepit, aras autẽ, quas alienigenæ per plateas extruxerant, itemque delubra demolitus eſt.* Euerſum quoque Iouis Olympij ſimulachrum, à Scriptura memoratum vbique miſſum fecit. Noli ergo [d l. 13. c. 8.] [e l. 2. c. 10. v. 2.]

Chriſtiane lector, eam hiſtoriæ legem à Ioſepho expectare. *Ne quid falſi audeat, ne quid veri non audeat.*

LVII. *Philippus corpus Antiochiam transfert.*

Hæc dum à Machabæis glorioſe circumquaque perpetrantur, Antiochi Epiphanis, nuper in ſuperiore Aſia mortui, *corpus Philippus collactaneus eius transferebat* (Antiochiam opinor ad Eupatorem & Lyſiam, quibus abſentibus ciuitatem occupauit,) [a] *ſed metuens filium Antiochi, ad Ptolemæum Philometorem in Aegyptum abyt.* Ita ſcriptum in 2. Machabæorum.[b] Cauſam metus author nullam profert, ſicut nec Ioſephus. Coniicio nihil illum quidem ab Antiocho nouenni puerulo metuiſſe. Sed à Lyſia, qui regem habebat in poteſtate, & de regio erat genere, & præpoſitus fuerat regno à defuncto rege, à flumine Euphrate, vſque ad flumen Ægypti: Philippus autem acceperat à moriente Rege diadema,[c] annulum, veſtemque regiam, & mandatum gubernandi Regem, & nutriendi, & ab Lyſia abducendi, quod ſine ſumma eius offenſione fieri non poterat.[d] Itaque Philippus ſe tanquam æmulum dignitatis Proregis, à Lyſia de medio ſublatum iri formidabat; nec ſeſe parem illi viribus, vel gratia exiſtimans, competitori cedens, in Ægyptum profectus eſt. Id tamen non ante ſequentem annum contigiſſe ex ſequentibus [e] intelligetur. Interim nos paululum ad initia Eupatoris regrediamur.[f]

LVIII. *Eupator regno ſufficitur.*

Et *cognouit Lyſias quoniam mortuus eſt Rex, & conſtituit regnare*, id eſt regno ſuffecit, *Antiochum filium eius, quem nutriuit adoleſcentem*, [g] *& vocauit nomen eius Eupator.* Syri, inquit Appianus, Antiocho cognomen addiderunt *Eupatori, propter patris virtutem, quaſi dicerent eum fœlicem, cui talis pater contigiſſet.* Sed eam appellationem reſpuere videtur Scriptura, li. 2.[h] Nam expoſita breuiter emundatione templi, *Et Antiochi quidem*, inquit, *qui appellatus eſt Nobilis, vitæ exceſſus ita ſe habuit.* Eam autem vulgarem appellationem quodammodo corrigens, ſubdit. *Nunc autem de Eupatore Antiochi impy filio, quæ geſta ſunt narrabimus.* Vbi ad verbum ex Græco ita habetur. *Nunc autem quæ ad Antiochum Eupatorem pertinent qui illius impy filius fuit, narrabimus &c. Hic ſuſcepto regno,* [i] *conſtituit ſuper negotia regni Lyſiam, Phœnicis & Syriæ militiæ principem*, Protarchum vocat Græcus, cui cæteri duces harum regionum ſubeſſent,[k] Nunc autem Eupator eum toti regno præpoſuit.

LIX. *Exitium Macri, eiuſque cauſa.*

Svb hæc initia Ptolemæus quidam ad voluntarium exitium compulſus eſt, quod minus in Iudæos acerbus eſſet. *Ptolemæus*, inquit, [l] *qui dicebatur Macer, iuſti tenax erga Iudæos eſſe conſtituit, & præcipue propter iniquitatem, quæ facta erat in eos.*

Oppreſſio enim pauperum, & puſillorum commiſerationem mouet, & ad opem ferendam humaniores, qui id poſſint inuitat. Itaque & Deus ipſe huiuſmodi ſe affectu tangi aperte docet. Locus ille vnus ex lege id clamat.[m] *Viduæ & pupillo non nocebitis. Si læſeritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum; & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt vxores veſtræ viduæ, & fily veſtri pupilli.* Mox etiam iubet reſtitui pignus pauperi ante ſolis occaſum, ſi veſtem ſuam creditori oppignorauerit. Sed redeamus in viam.

Ergo & Ptolemæus hic conſtituit *pacifice agere cum eis. Sed ob hoc accuſatus ab amicis regis, apud Eupatorem, cum frequenter proditor audiret, eo quod Cyprum creditam ſibi à Philometore deſeruiſſet, & ad Antiochum Nobilem tranſlatus, etiam ab eo receſſiſſet, veneno vitam finiuit.* Græcus textus hunc Macronem appellat, aitque adactum ad interitum, non quod ab Antiocho Epiphane reuera receſſiſſet. Non enim apud filium locum vllum haberet, ſed quod nulla eſſet honorifica præfectura decoratus. Receſſiſſe tamen eum dicebant eius æmuli, quod Iudæis Antiochi hoſtibus fauere videretur.

LX. *Proditores odio habiti.*

Recte autem dicitur parum ab Eupatore, aut Lyſia honoratus. Nimirum principes proditiones amant, proditores oderunt; meritóque eos ſibi infidos fore ſuſpicantur, qui fidem ante fefellerint: prima proditio & defectio aditum ad ſecundam munit.

In quibuſdem etiam Græcis additur, præ infirmitate animi eũ vltro ad venenum confugiſſe. Etſi enim quidam iſtiuſmodi homines inuictis animis, atque atrocibus

[a] Vt patet ex l. 1. c. 6. 56.
[b] c. 9. 29.
[c] l. 1. c. 3. 32.
[d] Vide l. 1. c. 6. v. 56.
[e] l. 1. c. 6. 55.
[f] Ex l. 1. c. 6. 17.
[g] Græcè πάτρον, ἢ τὸ παιδίον ἔτρεφε Λυσίας. App.
[h] l. 2. c. 10. 10.
[i] Vt eſt in l. 2. c. 10. 11.
[k] Vt patet ex c. 3. l. 1. v. 38.
[l] l. 2. c. 10. v. 12.
[m] Exod. 22. 22.

præditos putant, iuxta illud Horat.

Et cuncta terrarum ſubacta, Præter atrocem animum Catonis.

Num fortes ſint qui ſibi manus inferunt. Infirmos tamen reuera, atque infractos omnes fateri ratio exigit, vt qui calamitati ferendæ pares eſſe non poſſint; vere autem fortes ac patientes, poſſunt, & malis non cedendo ſuperiores euadunt. Et vt carmen carmini opponamus, vulgatum eſt illud, & verum. Mart.

Rebus in aduerſis facile eſt contemnere vitam.
Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.

LXI. *Iudæi à Gorgia, & Idumæis vexantur.* Hoc eſt primum damnum, quo Iudæi ſub Eupatore affecti ſunt, quod homine minus à ſe auerſo priuati ſunt. Sequitur alterum à Gorgia, qui nuper ingenti clade Iudæis illata, ſuperbia ac temeritate Ioſephi & Azariæ, eis nunc perpetuo imminebat. *Gorgias autem* ait author lib. 2. [a] *Cum eſſet dux locorum, aſſumptis aduenis frequenter Iudæos debellabat.* In Græco ad verbum, peregrinum militem, & bellum aduerſas Iudæos nutriebat; frequentibus ſcilicet excurſionibus eis moleſtus erat. a c.10. 14.

Accedebant Idumæi, qui cum opportunas munitiones tenerent, exercebant Iudæos, & fugatos Ieroſolymis recipiebant, bellumque & ipſi contra Iudæos fouebant.

LXII. *Mendum in Vulgata.* In editione Vulgata pro Idumæis leguntur Iudæi, manifeſto mendo, tam ſententia loci, quam Græcis omnibus repugnantibus. Quomodo enim Iudæi recipiebant, quos ipſimet expellebant? Accedit quod ſtatim verſus ſeq. quorum eſſent hæ munitiones oſtendit, cum ait. *Hi vero qui erant cum Machabæo per orationes Dominum rogantes, vt eſſet ſibi adiutor, impetum fecerunt in munitiones Idumæorum, multaque vi inſiſtentes loca obtinuerunt, occurrentes interemerunt, & omnes ſimul non minus viginti millibus trucidauerunt.* In Græcis additur, *omneſque qui in muro pugnabant, vlti ſunt.* Significatur hæc viginti hoſtium millia, ſeu viginti quinque, vt aliqui codices habent, partim in muris, dum expugnantur caſtella munita, partim in occurſu ſiue in acie, ſiue in locis expugnatis fuiſſe interemptos.

LXIII. *Res ad duo caſtella ſuſcepta contra fugitiuos.* Qvidam autem cum confugiſſent *in duas turres valde munitas, omnem apparatum ad repugnandum habentes, Machabæus ad eorum expugnationem relicto Simone, & Ioſepho, itemque Zachæo, eiſque qui cum ipſis erant ſatis multis, ipſe ad eas, quæ amplius perurgebant, pugnas conuerſus eſt.* Nomine turrium videntur intelligenda caſtella ſatis magna. Nam in Græco legimus, non minus nouem millibus eo confugiſſe: ideo Tigurina pro turribus arces vertit. Quin etiam paulo inferius, [b] eaſdem turres Scriptura munitiones vocat. Porro ſatis credibile eſt Iudam ſecum aſſumpſiſſe Ionathan fratrem ſuum, ſicut nuper in expeditione Galaaditica, [c] Simonem autem & Ioſephum, qui ad iſta caſtella relinquuntur, eiuſdem eſſe fratres, qui & cap. 8. memorantur, [d] videturque idem Ioſephus, alibi Ioannes dici. [e] b v.23. c l.1.c.5.17. d l.2.c.8.22 e l.1.c.2.2.

LXIV. *Quorundam militum auaritia.* Hi vero qui cum Simone erant *cupiditate ducti, à quibuſdam qui in turribus erant, ſuaſi*, atque adeo perſuaſi *ſunt pecunia; & 70. millibus didrachmis acceptis, dimiſerunt quoſdam effugere.* Quæ ſumma ſupra octo millia coronatorum noſtratium aſcendit.

A Machabæo accuſatur, & plectitur. *Cum autem Machabæo nunciatum eſſet, quod factum eſt, principibus populi congregatis, accuſauit quod pecunia fratres vendidiſſent, aduerſariis eorum dimiſſis.* Non enim vitam ſuam duntaxat, aut bona recipiebant, ſed poteſtatem vexandi Iudæos cædibus, incendiis, rapinis, &c. *Hos igitur proditores factos interfecit, & confeſtim duas turres occupauit. Armis autem ac manibus omnia proſpere agendo, in duabus munitionibus, plus quam viginti millia peremit.* Turrium iſtarum magnitudo hinc apparet, *Occupat munitiones.* & oportet ad vndecim millia hominum illic iam ante fuiſſe, quam nouem millia eo confugerent, cum plus quam viginti millia cæſa dicantur, præter eos qui pecunia ſalutem inuenerant. Armorum autem ac manuum nomine, videtur exprimere violentam expugnationem, ſecluſa deditione, & conditionibus omnibus: niſi placet etiam machinas, & conflictum pugnæ, arma & manus interpretari.

LXV. *Iudæ bellum contra Timotheũ.* Seqvitvr alia Iudæ glorioſiſſima de Timotheo victoria, in qua Machabæus, ſingulari Dei benignitate, armigeros habuit angelos: à quibus defende-

retur ipſe, & hoſtes perderentur. Res breuiter & egregie à Scriptura deſcribitur in hæc verba.

l. 2. c. 10. v. 24. a l. 1. c. 5. v. 6. 7. b l. 2. c. 8. 30.

At Timotheus, qui prius à Iudæis fuerat ſuperatus; in Galaaditide cum dux Ammonitarum eſſet, non multo ante prælijs aliquot afflictus fuerat à Iudæis, [a] forte etiam ſuperiore anno cum Bacchide, [b] vtrum enim ſit idem Timotheus mihi non ſatis conſtat. Timotheus ergo *conuocato exercitu peregrinæ multitudinis, & congregato equitatu Aſiano aduenit, quaſi armis Iudæam capturus.* Fuiſſe exercitum numeroſiſſimum Græca illa indicant δυνάμεις παμπληθεῖς, quaſi dicat quamplurimos exercitus, idque etiam multitudo cæſorum, præter fugitiuos, poſtea indicabit.

LXV. *Iudæ bellũ contra Timotheum.*

Machabævs *autem, & qui cum ipſo erant, appropinquante illo deprecabantur Dominum, caput terra aſpergentes, lumboſque cilicijs præcincti, ad altaris crepidinem prouoluti, vt ſibi propitius, inimicis autem eorum eſſet inimicus, & aduerſarijs aduerſaretur ſicut lex dicit.* [c] *Quod ſi audieris vocem eius, & feceris omnia, quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te. Præcedétque te angelus meus.* Vide quanto ſit factis copioſior quam promiſſis, vnum promiſit, quinque miſit. Non exſuſcitat ſuorum animos Iudas, Scipionum, aut Fabiorum more, commemoratione tot præliorum, quibus iam glorioſe victores fuerant, & iſtum ipſum hoſtem toties profligarant, veritus ne quid aut de diuina gloria, cui omnia tribuebat, aut de ſua, ſuorumque in Deum fiducia decerperet; ſed eundem Deum pœnitentiæ armis, infimiſque precibus, ſibi propitium, ac propugnatorem reddit.

c Exod. 23. 22.

LXVI. *Adit hoſtem, & pugnat.*

Et *ita poſt orationem, ſumptis armis longius de ciuitate procedentes,* vtique Hieroſolymitana, in qua erat altare, ad quod fuerant prouoluti, *& proximi hoſtibus effecti reſederunt,* aut reſtiterunt, ſiue ſubſtiterunt; ad verbum, apud ſe erant, attenti rei gerendę, imminentique diſcrimini.

Li. 2 Mach c. 10. v. 28. 29. 30.

Primo autem ſolis ortu vtrique commiſerunt, *iſti quidem victoriæ, & proſperitatis ſponſorem cum virtute Dominum habentes,* virtutis ſcilicet, & fortitudinis ipſorum authorem, & adiutorem. *Illi autem ducem belli animum,* ſiue iram *habebant;* ſibi ipſis videlicet confidebant, & recedentes à Domino, imo pugnantes contra Dominum, ponebant carnem brachium ſuum. *Sed cum vehemens pugna eſſet, apparuerunt aduerſarijs de cœlo viri quinque in equis, frenis aureis decori, ducatum Iudæis præſtantes. Ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis ſuis circumſeptum, incolumen conſeruabant, in aduerſarios autem tela & fulmina iaciebant. Ex quo & cæcitate* ob igneum fulgorem *confuſi, & repleti perturbatione cadebant.*

LXVIII. *Et diuino Angelorum auxilio vincit.*

Interfecti *ſunt autem viginti millia quingenti, & equites ſexcenti.* Non pauciores etiam fugiſſe credibile eſt, præſertim equites, cum Iudæi maxima ex parte pedites eſſent. Aliquos tamen equites fuiſſe, innuunt equites illi diuini, qui alioqui, vt videtur, pedites viſi fuiſſent. Gorionides [d] ait hos nobiles equites viſos à Iuda, & cognitos, tanquam in auxilium Aſſidæorum miſſos, quorum duo clypeis ſuis protegebantur Machabæum, tres alij contra Timotheum pugnabant: nihil autem abſurdi eſt, vt qui ab hoſtibus, ad terrorem & mentis confuſionem cernebantur, à Iudæis quoque, ad incrementum fiduciæ, & fortitudinis cernerentur. Nam in ſequenti prælio contra Lyſiam inito, viſus eſt ab omnibus angelus, in armis aureis, præcedens Iudæorum exercitum, vt dicetur.

d l. 3. c. 13.

LXIX. *Timothei fuga in Gazara.*

Timothevs vero confugit in Gazaram, præſidium munitum, cui præerat Chæræas. Nuſquam de hoc loco, tanquam de magna vrbe loquitur, ſed quaſi de caſtello, arce, vel præſidio; vt falli neceſſe ſit Gorionidem, qui Gazaram Gazam interpretatur; præſertim cum hoc loco Gazara deuaſtetur, & Gaza incolumis ſit, Ionatha principatum adminiſtrante. [e] De hoc porro Gazaræ præſidio, iterum inferius mentio eſt, [f] vbi dicitur Simon præſidium Iudæorum collocaſſe in Gazara, quæ eſt, inquit, in finibus Azoti, in qua hoſtes antea habitabant: alluſione facta ad hoc tempus, quo vaſtitas à Machabæo illata eſt. Sed cum nos de inchoata victoria lætantem, & fugitiuum hoſtem fortiter perſequentem, aſſectemur.

e 1 Mach. 11. 61. f l. 1. c. 14. 34.

LXX. *Expugnatur à Iuda locus.*

Machabævs autem, [g] *& qui cum eo erant, lætantes obſederunt præſidium diebus quatuor.* At hi *qui intus erant, loci firmitate* (præcipitio ἐρυμνότητι) *confiſi, ſupra modum maledicebant* Iudæ, & Iudæis, à quibus obſidebantur, *& ſermones nefandos*

g l. 2. c. 10. 3[?]

iactabant. Sed cum dies quinta illuceſſeret, viginti iuuenes, ex iis qui cum Machabæo erant, Aſamonæos ait fuiſſe Ioſephus Gorionis, *accenſi animis propter blaſphemiam, viriliter acceſſerunt ad murum, & feroci animo incedentes aſcendebant*, per prærupta videlicet; ſed & alij, (viginti illorum exemplum ſecuti) ſimiliter aſcendentes, turres, portáſque ſuccendere aggreſſi ſunt, atque ipſos maledicos viuos concremare. Cæterum cum vulgatam editionem comprobent 70. Vaticana, & prædictus Ioſephus, alij Græci legunt vigeſima quinta die iuuenes in murum conſcendiſſe, maiore numero à perſonis ad dies translato. Minus recte. Nam quatuor dies quos prædixit, videntur hunc quintum exigere, non vigeſimum quintum.

LXXI. *Ioſephi ſilentium.* Ioſephi ſententiam fruſtra hic exquiramus: nam tam nobilem victoriam apparet, ipſum neſciuiſſe ſicut neque cæteras, quæ hoc poſteriore Machabæorum libro continentur, ſicut ſupra monuimus. Videntur autem Machabæani, patefacto flammis aditu, in præſidium penetraſſe; eoque *per continuum biduum vaſtato, Timotheum occultantem ſe, in quodam repertum loco peremerunt.* *Timothei cædes.* Lacu fortaſſe, vt vertit interpres Vaticani codicis. Nam in Græcis eſt λάκκῳ, id eſt foſſa, alij cauo, cuniculo alij vertunt. D. Hieronym. paſſim lacum, præſertim Danielis 6. & 14. Cum Timotheo, *& fratrem illius Chæream, & Apollophanem occiderunt.* Vtriuſque capita abſciſſa dicit Gorionides; in eo minime probandus, cum ait Timotheum fugientem abſcondiſſe ſe in vno lacuum, neque potuiſſe reperiri: ergo cenſet non fuiſſe interfectum. Id forte credidit, quia non multo poſt iterum Timothei fit mentio. Sed vnde ſcit eundem, & non alium eſſe Timotheum? *Quibus geſtis in hymnis & confeſſionibus benedicebant Dominum, qui magna fecit in Iſraël, & victoriam dedit illis.*

LXXII. *Iudæ bellū contra Lyſiam proregem.* Seqvitvr deinceps altera Machabæi victoria, nihilo præcedenti minor, ſed multo etiam maior. Illa quippe prælio commiſſo, aduerſus vnum de inferioribus ducibus reportata eſt; hæc de Lyſia ſummo omnium duce ac prorege cum totius pene regni viribus pugnante, relata eſt. In cuius enarratione author primum temporis admonet, quo ea contigit, breui ſcilicet admodum tempore poſt deuictum, & extinctum Timotheum; quod tamen poſſit etiam ad Antiochi Epiphanis mortem, quæ hoc ipſo anno contigit, referri. Sed ipſa eius verba de more proferamus. 1.2.c.11.1.

LXXIII. *Quæ Lyſiæ copiæ, quæ mens.* Sed *paruo poſt tempore Lyſias procurator Regis, & propinquus, ac negotiorum præpoſitus*, (ὁ ἐπὶ τῶν πραγμάτων, vt Heliodorus tempore Seleuci, patrui Eupatoris, [a] *grauiter ferens de his quæ acciderant, congregatis octoginta millibus, & equitatu vniuerſo, veniebat aduerſus Iudæos: exiſtimans ſe ciuitatem quidem captam Gentibus habitaculum facturum.* Recte pro Græcis interpres Gentes poſuit; id enim frequentiſſime eſt in Scriptura. Addo quod Græci hoc tempore non erant in poteſtate Lyſiæ vel Eupatoris, ſed ita liberi erant, vt ſupremos tamen Dominos Romanos agnoſcerent, contra quos Antiochus ne hiſcere quidem audebat. Eadem porro moliebatur Lyſias, quæ iamdudum ſtatuerat Epiphanes, cum Antiochia in ſuperiorem Aſiam profectus eſt. [b] Et rurſum cum in eos ſpirans minorum & cædis in itinere diuinitus percuſſus interiit. Pergit. πατραδελ. a 1.2.c.3.v.7 b 1.1.c.3.35.

Templum vero in pecuniæ quæſtum, ſicut cætera delubra gentium habiturum, & per ſingulos annos venale ſacerdotium; nuſquam recogitans Dei poteſtatem, tametſi iam ſæpe in ſe ſuiſque probatam, & cognitam, *ſed mente efferatus in multitudine peditum, & in millibus equitum, & in octoginta Elephantis confidebat.* Quos tamen ei habere non licebat, per conditiones pacis, Romanos inter & eius auum Antiochum Magnum initas; vt ex conditione 10. conſtat, vt habes in vltimo regni eius anno. a.m.3866. n.8.

LXXIV. *Quæ Iudæ, & ſociorū. Iteratum Angeli auxilium.* Ingressvs *autem Iudæam, & appropians Bethſuræ*, quam Gorionides Bæther vocat, [c] *quæ erat in anguſto loco, ab Hieroſolyma interuallo quinque ſtadiorum, illud præſidium expugnabat. Vt autem Machabæus, & qui cum eo erant, cognouerunt expugnari præſidia, cum fletu & lachrymis rogabant Dominum, & omnis turba ſimul, vt bonum angelum mitteret ad ſalutem Iſraël. Et ipſe primus Machabæus, ſumptis armis, cæteros adhortatus eſt ſimul ſecum periculum ſubire, & ferre auxilium fratribus ſuis. Cumque pariter prompto animo procederent Ieroſolymis, apparuit præcedens eos eques in veſte candida, armis aureis haſtam vibrans.* Explicandi cauſa de haſta dictum, in Græco eſt, omnem armaturam auream quatiens. c 1.3.c.14.

2. Mach. 11. 9. 10. & ſeq. — Tvnc omnes ſimul benedixerunt miſericordem Dominum, *& conualuerunt animis, non ſolum homines, ſed & beſtias ferociſsimas, & muros ferreos parati penetrare.* Dabat hanc illis animi præſentiam & robur Deus, vt intus & foris ab eo auxilium haberent. *Ibant igitur prompti, de cœlo habentes adiutorem, & miſerantem ſuper eos Dominum. Leonum autem more impetu irruentes in hoſtes, proſtrauerunt ex eis vndecim millia peditum, & equitum mille ſexcentos, vniuerſos autem in fugam verterunt: plures autem* id eſt pleriq; *ex eis vulnerati nudi euaſerunt*, abiectis ſcilicet armis ad celeriorem fugam, vt milites Timothei profugientes in fanum Carnaim. [a] — LXXV. *Pugnant & vincũt.*

a Mach. 5. 43.

Sed *& ipſe Lyſias turpiter fugiens euaſit*, hoc iam tertio prælio victus, quantumuis ſingulis prælis copias vehementer auxiſſet. Quæ ſecum ipſe conſiderans, ſe contra Deum pugnare intellexit; cui cedendum ratus, à rege quippe ſuo diſcere potuerat, iuſtum eſſe ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire, pacis conſilia agitare cœpit. Vnde ſubdit Scriptura. *Et quia non inſenſatus erat, ſecum ipſe reputans factam erga ſe diminutionem*, acceptam ſcilicet tot millium cladem, & vniuerſi exercitus, tanquam panico terrore acti, ignominioſam fugam, *& intelligens inuictos eſſe Hebræos omnipotentis Dei auxilio innitentes, miſit ad eos* legatos, *promiſitque ſe conſenſurum omnibus, quæ iuſta ſunt*, æquis videlicet conditionibus pacis, *& regem compulſurum amicum fieri.* Tuto promittere poterat, qui Regem habebat in poteſtate, ſub cuius nomine ipſe regnabat. — LXXVI. *Fuga Lyſiæ, & pacis conſilia.*

Annvit *autem Machabæus precibus Lyſiæ, in omnibus vtilitati conſulens*, (publicæ videlicet, quæ pace maxime continetur, modo religio, diuinuſque cultus integer, inuiolatuſque ſeruetur,) *& quæcumque ſcripſit Machabæus Lyſiæ de Iudæis, ea Rex conceſsit.* Petiiſſe autem Machabæum, vt in patriis legibus, atque inſtitutis viuere liceret, ſatis omnes intelligunt, quando ea vna ſummáque ſuſcepti belli cauſa fuerat. Idque intelligebat Lyſias, cum in altero dudum fœdere, [b] diceret regi. *Conſtituamus illis, vt ambulent in legitimis ſuis ſicut prius; propter legitima enim ipſorum, quæ deſpeximus, irati ſunt, & fecerunt omnia hæc.* Idemque clare habetur in epiſtola regis infra ſcripta. [c] Ex quibus intelligitur epiſtola Lyſiæ, quæ deinceps in textu ſubiicitur. — LXXVI. *Quibus Iudas acquieſcit.*

b de quo l. 1. c. 6. 59.

c v. 24.

Nam *erant ſcriptæ Iudæis epiſtolæ, à Lyſia quidem hunc modum continentes. Lyſias populo Iudæorum ſalutem. Ioannes & Abeſalom, qui miſsi fuerant à vobis tradentes ſcripta,* Græcè, ſubſcriptum reſponſum, quo poſtulata Machabæi publica fide teſtata continebantur: erant autem, vt dixi, pro conſcientiæ libertate, legati autem prædicti, *poſtulabant vt ea quæ per illos ſignificabantur implerem*, 6. — LXXVIII. *Epiſtola Lyſiæ de pace.*

Quæcumque igitur Regi potuerunt (ſiue oportebat) *perferri, expoſui, & quæ res permittebat*, id eſt quæ concedi poterant, quod licuit conceſſit. *Si igitur in negotiis fidem*, Græcè beneuolentiam *conſeruaueritis*, id eſt bene affectos erga regia negotia vos oſtenderitis, *& deinceps bonorum vobis cauſa eſſe tentabo*, bene de vobis mereri ſtudebo. *De cæteris autem per ſingula verbo mandaui, & iſtis, & his qui à me miſsi ſunt*, id eſt vtrorumque legatis, *colloqui vobiſcum. Bene valete anno centeſimo quadrageſimo octauo menſis Dioſcori, die vigeſima & quarta.*

Hæc notatio temporis non leuem inuehit difficultatem, quî fieri queat, vt hæc, ſequenteſque epiſtolæ datæ ſint anno 148. regnante Eupatore, cum eius pater mortuus ſit anno 149. vt habetur l. 1. [d] Sed communis eſt & vera reſponſio, Græcorum annos aliter à Iudæis, aliter à Syris & Chaldæis fuiſſe numeratos: & illos quidem annum inchoaſſe à menſe Niſan, quì reſpondet Martio: iſtos autem à Tiſri, qui reſpondet Septembri; & authorem libri primi Iudaicam ſupputationem ſequi, authorem vero ſecundi Syriacam. Ideoque bellum quod primo libro [e] dicitur contigiſſe anno 150. idem in 2. [f] ad annum 149. refertur. Itaque totis ſex menſibus numerabant Iudæi annum 149. cum Syri adhuc 148. numerarent; & ita de cæteris. Ex quo etiam intelligitur, intra iſtos æſtiuos menſes, tam mortem Antiochi, & promotionem Eupatoris in regnum, quam hæc prælia, & præſens fœdus inter Machabæum & Eupatorem contigiſſe. — LXXIX. *Anni Græcorum dupliciter computati.*

d l. 1. c. 6. n. 16.

e c. 6. v. 20. & ſeq.
f c. 13. 1.

Menſis quoque Dioſcori, ſiue Dioſcorinthij, vt Græci libri habent, difficultate non caret; quia is in Macedonum menſibus non inuenitur, quorum tamen menſibus notari has epiſtolas, conſtat ex Xanthico menſe, qui ſubſcriptus habetur in duabus. Itaque merito creditur hic menſis fuiſſe embolimæus, — XXC. *Menſis Dioſcori Macedonicus.*

ſiue intercalaris, vt ſentiunt Andreas Maſius & Serar. inſertum inter Dyſtrum, & Xanthicum, qui Martio & Aprili reſpondent, quomodo Adar à Iudæis inſerebatur ſuis temporibus, inter priorem Adar & Niſan, vocabaturque Adar poſterior. Nec obſtat, quod prælia præcedentia hoc fœdus nimium cito facta eſſe videbuntur, & ante tempus, quo ſolent reges ad bella procedere; quæ forte cauſa fuit cur Emanuel Sà Dioſcorum Iunium interpretaretur. Nam intercalatio vnius menſis faciebat annum tardiorem: & potuit is annus mitior eſſe, vt per hyemem quoque bellaretur, præſertim neceſſitate cogente. Multa de hoc menſe & anno diſputat Serar. hoc loco contra Scaligerum, eúmque multiplicis erroris erudite arguit; eum conſule.

XXCI. *Regis ad Lyſiam epiſtola.*

REGIS autem Epiſtola iſta continebat, *Rex Antiochus Lyſiæ fratri S.* Mirum eſt non dici potius patrem, ſicut Demetrius Rex Laſthenem cognatum parentem vocat,[a] præſertim ſi nouennis tantum erat, vt Appiano placet; certe tantula ætas ex Scriptura colligi non poteſt, quæ eum vocat adoleſcentem.[b] An Patrem non vocat, quia Patris Antiochi defuncti ſtatim mentionem facit? at propter idipſum conuenientius parentem vocaſſet, quod eius è viuis ſublati locum & officium teneret, & paternam erga eum prouidentiam, vt Tutor exerceret. An id beneuolentiæ, & intimæ familiaritati datum? Sed epiſtolam ipſam videamus; cuius initium ducitur ab impudenti adulatione, vſitato tamen mendacio, & in filio vtcunq; excuſabili. Quamquam reuera ad inferos illos deos tranſlatus erat.

XXCII. *Suam Iudæis religionem, & Rempub. permittit.*

PATRE *noſtro*, inquit, *inter Deos tranſlato, nos volentes eos, qui ſunt in regno noſtro ſine tumultu agere, & rebus ſuis adhibere diligentiam. Audiuimus Iudæos non conſenſiſſe patri meo, vt transferrentur ad ritum Græcorum, ſed tenere velle ſuum inſtitutum, ac propterea poſtulare à nobis concedi ſibi legitima ſua. Volentes igitur hanc quoque gentem quietam eſſe, ſtatuentes iudicauimus templum reſtitui illis, vt agerent ſecundum maiorum ſuorum conſuetudinem.* In Græco eſt, πολιτεύεσθαι, Rempubl. ſuam adminiſtrare, idque latius patet, quam patriam religionem retinere. Itaque non ſolum ſuos illis pontifices ac ſacerdotes, omnéque Leuitarum genus; ſed duces etiam ac Senatum, cum ordinario magiſtratu reſtituebat. Ita tamen vt illi eum, tanquam ſubditi legitimum principem, agnoſcerent; & id ſolitis obſequiis, aut tributorum penſitationibus teſtarentur, idque innuitur illis verbis, *eos qui ſunt in regno noſtro.*

Regum officium.

Quod autem de quiete memorat, alludit ad illud officium Regum ac principum erga ſubditos ſuos, cuius meminit Apoſtolus,[c] cum Timotheum diſcipulum Epheſi præſulem hortatur, & obſecrat vt fiant orationes pro omnibus hominibus, & nominatim, *pro regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt, vt quietam,* inquit, *& tranquillam vitam agamus, in omni pietate & caſtitate.* Cæterum nolunt videri principes vnquam cogi, præſertim ab inferioribus; itaque ſponte ſe facere præ ſe ferunt, & ex propria prouidentia, quæ inuitiſſimi faciunt. Concludit, *Bene igitur feceris, ſi miſeris ad eos, & dextram dederis: vt cognita noſtra voluntate bono animo ſint, & vtilitatibus propriis deſeruiant.*

XXCIII. *Regis ad Iudæos epiſtola.*

AD Iudæos vero Regis epiſtola talis erat. *Rex Antiochus Senatui Iudæorum, & cæteris Iudæis S.* Hinc apparet modeſtia Machabæi, qui literas ad Regem, ad Lyſiam, ad Romanos, non ſuo, ſed Senatus, populique Iudaici nomine ſcripſerit, vt ex reſcriptis intelligitur: ſcripſerat enim ipſe, vt ex præcedentibus intelligitur,[d] nec tamen ad eum reſcribitur: ſubſcripſit quippe quaſi vnus è multis, non quaſi populi dux, & pontifex ſacrorum. Ioſephus Gorionides,[e] ait ſcriptum ab Eupatore ad Iudam belli ducem, & ad reliquum populum eius. *Si valetis*, inquit Rex, *ſic eſtis vt volumus, ſed & ipſi bene valemus. Adijt nos Menelaus, dicens velle vos deſcendere ad veſtros, qui ſunt apud nos.* In Græco legitur velle vos deſcendere, & eſſe cum propriis; quod tam res quam perſonas continet; Vulgata retulit ad perſonas, alij referunt ad res, Baſil. venire ad veſtra, Tigurina, ad veſtras proprias poſſeſſiones fruendas, quas ſcilicet Regij tenebant, apud quos non erant niſi transfugæ & apoſtatæ, quos Iudæi deteſtabantur. Sequentia nihilominus videntur exigere Vulgatam verſionem. Quorſum enim quindecim dies ad poſſeſſiones fruendas?

XXCIV. *Quid ab eo Iudæi peterent.*

SENTENTIA igitur loci huius videtur eſſe; Optare Iudæos vt pluribus ipſo-

a 1.1.11.32. b 1 1.6.17. παιδάριον, iuniorem nô παῖδα.
c 1. Tim. 2.
d c.11. v.15. e l.3.c.14.

rum liceat adire Regem, & adiungi legatis, vt cauſam ſuam de libertate, & conſeruatione rituum ſuorum agant. Reſpondet Rex dare ſe quindecim dierum inducias, dum fœdus percutiatur: & nihilominus conſentit, *vt Iudæi vtantur cibis, & legibus ſuis, ſicut & prius. Et nemo eorum vllo modo moleſtiam patiatur, de his quæ per ignorantiam geſta ſunt.* Amniſtiam videtur inducere eorum, quæ hactenus vtrimque hoſtiliter geſta fuerant, quæ quaſi per ignorantiam commiſſa excuſata cenſerentur. *Miſimus autem & Menelaum, qui vos alloquatur. Valete anno centeſimo quadrageſimo octauo, Xanthici menſis quintadecima die.* παρακαλέσοντα ὑμᾶς, qui vos conſoletur; puta demonſtrata mea in vos beneuolentia atque indulgentia. Si hic idem Menelaus eſt, qui miſſus fuerat à Iudæis, verbum miſimus, pro remiſimus poſitum fuerit. Caue autem Menelaum illum intelligas pſeudopontificem. Is enim perſeuerabat hoſtis Iudæ Machabæo, & omnibus bonis, vt ſequentia, & ipſe exitus eius demonſtrabit.

Inducit Eupator amniſtiam.

XXCV. *Iudæi cur Romanos adierint.*

Iam vero quod ad Romanos attinet, facile intelligi poteſt cur eos Iudæi adiiſſent, quorum tamen literæ ad eos, ſicut neque ad Eupatorem, & Lyſiam, non ſunt relatæ in hanc hiſtoriam. Iudæi ergo cum viderent Syriæ, Aſiæ, atque Ægypti Reges, ab eorum propemodum nutu pendere; facilèque facturum Eupatorem, & Lyſiam, quod Romanis gratum eſſe intelligerent, eos adeundos putarunt. Romani autem facile ſupplicibus omnibus iniuſte vexatis aderant; quæ fuit prima origo potentiæ ipſorum, & incrementi in Sicilia, in Hiſpania, in Græcia, in Aſia, in Africa, & vbique gentium, vt hactenus Romanæ hiſtoriæ decurſus oſtendit. Cum ergo Iudæi ad Romanorum legatos, qui per id tempus in Syria erant, ſe contuliſſent, & fortaſſe iam tum amicitiam eorum, ac ſocietatem ambire ſe oſtendiſſent, petierunt, vt quæ à Lyſia concedebantur confirmarent, aliáque nonnulla in ſuæ gentis gratiam cum Rege tranſigerent. Itaque

XXCVI. *Romanorũ legatorum ad Iudæos epiſtola.*

Miservnt *etiam Romani ad eos epiſtolam ita ſe habentem. Q. Memmius & T. Manilius legati Romanorum, populo Iudæorum ſalutem. De his quæ Lyſias cognatus Regis conceſſit vobis, & nos conceſſimus: de quibus autem ad regem referendum indicauit, confeſtim aliquem mittite, diligentius inter vos conferentes, vt decernamus ſicut congruit vobis: nos enim Antiochiam accedimus*, apparet ibi fuiſſe concilium Regium, *ideoque feſtinate reſcribere*, in Græco eſt, feſtinate, & mittite aliquos, *vt nos quoque ſciamus cuius eſtis voluntatis. Valete, anno* 148. 15. *die menſis Xanthici.*

XXCVII *Quibi legati.*

Qvod ad Romanorum legatos attinet, in fine præcedentis anni ex Polybio diximus, miſſos à Romanis legatos, qui in res Antiochi & Eumenis diligentius inquirerent; ſed alios ab iis, quos Scriptura hoc loco profert. Videlicet C. Sulpicium, & M? Sergium. Verum nihil abſurdi eſt, neque à Romano more alieni, ſi dicamus quatuor, aut etiam plures legatos miſſos à Romanis, quorum aliqui Eumenem in Aſia adirent, alij Antiochum in Syria, in quam ſolam tres
n.107. legatos paulo poſt miſſos ex Polybio oſtendemus. Ea vero legatio, quam memorat Appianus in Syriacis, & Polyb. cuius legationis princeps fuit Cn. Octauius, aliquanto poſterior eſt: non enim miſſa eſt, niſi poſtquam auditum eſt Romæ Antiochum Epiphanem mortuum eſſe. Non potuit autem intra tam paucos menſes & nuncius Romam deferri, & legatio decerni à Senatu, eadémque pro perſonarum dignitate apparari, & per tot maria terráſque Antiochiam peruenire. Multum eſt vt hoc anno & nuncius Romam delatus, & poſt Demetrij obſidis in Senatu querelas, legatio decreta fuerit: qua de re iterum dicendum erit, cum Iudaicas huius anni res abſoluerimus.

XXCVIII. *Fœdera cũ Lyſia cito rupta.*

.2.c.12.v.1. Ad quas caput quoque duodecimum lib. 2. pertinet, quo rupta fœdera, à quibuſdam ducibus regiis, & res præclare contra eos à Machabæo geſtæ continentur. Nimirum miles pacem non amat, qui in tumultibus bellicis ſpoliis, & rapinis ſaginetur: nec patitur tubarum inter armorumque ſtrepitus legum clamorem exaudiri. Ac ne principes quidem ipſos dum eorum opera indigent, patiuntur ipſis pro arbitratu quæ publica res poſtularet, imperare; ne verſi in ſeditionem, deſerto, vel etiam occiſo imperatore ſuo, ad hoſtem transfugiant, vel nouum principẽ ſe ſuo corpore conſtituant; vt ſexcentis exemplis doceri poteſt. Sed redeamus ad Lyſiam.

His *factis pactionibus*, inquit author, *Lyſias pergebat ad Regem. Iudæi autem agriculturæ operam dabant. Sed hi qui reſederant*, in vicinis videlicet locis,

vno verbo Præfecti locorum numero quinque, *Timotheus, & Apollonius Gennæi filius, ſed & Hieronymus, & Demophon ſuper hos,* id eſt præter hos, & non Superbus, vt legit Dionyſius, & Emanuel Sa, *& Nicanor Cypriarches, non ſinebant eos in ſilentio agere & quiete.* Iniuriis videlicet afficiebant, quarum vnam inſignem Ioppe factam recenſet, alteram Iammiæ præparatam. His enim aliiſque inimicis vrbibus, & præſidiis præerant prædicti duces.

XXCIX. *Facinus Ioppitarum in Iudæos.* IOPPITÆ, inquit, *tale quoddam flagitium perpetrarunt. Rogauerunt Iudæos, cum quibus habitabitant, aſcendere ſcaphas quas parauerãt, cum vxoribus & filiis, quaſi nullis inimicitiis inter eos ſubiacentibus. Secundum commune itaque decretum, & ipſis acquieſcentibus;* Apparet pleroſque alios de ciuibus eandem excurſionem ſuſcepiſſe, vt vitaretur ſuſpicio, & vt ad paratum excidium præualere poſſent Iudæis. Pergit, *paciſque cauſa nihil ſuſpectum habentibus: cum in altum proceſsiſſent, ſubmerſerunt non minus ducentos,* Cõmune decretum ciuitatis quod memorat, videtur fuiſſe de profectione quapiã maritima, quæ communiter à ciuibus, aliiſque ſuſciperetur, ne fraus deſtinata panderetur: ex quo ſequitur ipſam Rempublicam communiter cum ſuo magiſtratu decretum ferentem, ſceleris huius conſciam & autorem fuiſſe; vt non immerito mox communiter luerit, quod communiter peccarat. Itaque ſequitur.

XC. *Vltio à Iuda expetita.* QVAM *crudelitatem Iudas in ſuæ gentis homines factam vt cognouit, præcepit viris, qui erant cum ipſo,* vt arma caperẽt, *& inuocato iuſto iudicio Deo, venit aduerſus interfectores fratrum, & portum quidem noctu ſuccendit, ſcaphas exuſsit, eos autem qui ab igne refugerant, gladio peremit.* In Græco eſt, qui illuc confugerant, confodit; rem magis quam verba reſpexit interpres, vt rem faceret clariorem, ſicut in ſeq. *Et cum hæc ita egiſſet, diſceſsit, quaſi iterum reuerſurus, & vniuerſos Ioppitas eradicaturus.* In Græco eſt; *ipſa autem regione,* χωρίῳ loco munito, oppido, propugnaculo, *concluſa, diſceſsit* &c. ſignificare videtur Iudam, oppido clauſo repẽtino impetu potiri non potuiſſe, ſed excluſum, in nauale & portum flammas inieciſſe, moxque diſceſſiſſe, cum voluntate illud, altera vice occupandi, & euaſtandi; quam ſententiam habet Tigurinus interpres. — 2. Mach. 12. 5.

XCI. *Et de Iamnitis quoq.* SED *cum cognouiſſet, & eos qui erant Iamniæ, velle pari modo facere habitantibus ſecum Iudæis, Iamnitis quoque noctu ſuperuenit, & portum cum nauibus ſuccendit, ita vt lumen ignis appareret Hieroſolymis, à ſtadiis ducentis quadraginta,* id eſt ad triginta milliaria, quæ ſunt decẽ duodecimue leucæ Gallicæ. Cæterum prædam hic captã de donariis idolorũ, conſtat ex iis, quæ extremo hoc capite narrantur. Hic autem cõueniendus eſſet Ioſephus, oranduſque, vt Iudam Machabæum oratione defenderet; qui cogitatum crimen, non etiam perpetratum, non leui animaduerſione vindicauit. Qui cogitatum in vndis facinus, flammis expiauit, & nauibus admittendum ſcelus, nauium excitata conflagratione prohibuit. — vers. 8. 9.

Ob ſuſceptũ ſcelus.

XCII. *Latrones Arabas in itinere ſuperat.* INDE *cum iam abiiſſent nouem ſtadiis, & iter facerent ad Timotheum, commiſerunt* prælium cum eo Arabes, quinque millia viri, & equites quingenti. Erat hæc graſſatorum manus, quæ in Iudam cum ſuis publica via gradientem inuaſit, cuius non ſegnes ad arma manus inuenit. *Cumque pugna valida fieret, & auxilio Dei proſpere ceſſiſſet, reſidui Arabes victi, petebant à Iuda dextram ſibi dari, promittentes ſe paſcua daturos, & in cæteris profuturos.* Vocantur in Græco textu hi Arabes Nomades, id eſt paſcendis pecoribus occupati, quorum diuitiæ greges erant, βοσκήματα vertit interpres paſcua, alii autem pecora, quæ ſcilicet paſcuntur: paſcua ſæpius βοτάνια dicuntur.

XCIII. *Res geſta ad Caſphin.* AGGRESSVS *eſt autem & ciuitatem quandam firmam, pontibus muriſque circumſeptam, quæ à turbis habitabatur gentium promiſcuarum, cui nomen Caſphin.* Græci libri habent Caſpi, eam in tribu Dan collocat Adrichomius, prope Iamniam: ſed videtur longe vlterius ad Meridiem, verſus Arabiam conſtituenda, vt colligi ex hoc loco poteſt.

Hi vero qui intus erant, confidentes in ſtabilitate murorum, & apparatu alimoniarum remiſsius agebant, in defendendo ſeipſos. Tigurina cum ſe peruicaciores exhiberent, ἀπαγωγότερον inſolentius, petulantius, vt ſolent qui negligenter, & remiſſis habenis enutriti à parẽtibus, liberali inſtitutione caruerunt: ἀγωγὴ παίδων inſtitutio & educatio liberorum, cui oppoſita eſt laxior ac remiſſior viuendi ratio, id eſt diſſoluta & intemperans, qualis eſt illius, de quo ſapiens. [a] *Equus indomitus* [b] *euadit durus* — a Eccl. 30. 8. b ἀδάμαστος, ἀδάμαστος.

a ἀνειμένως. *& filius remiſſus euadet præceps.* [a]
Hi ergo remiſſius agebant, *maledictis laceßentes Iudam, & blaſphemantes, ac loquẽ-*
b l.2. c. 10. 34. *tes quæ fas non eſt.* Imitabantur qui in Gazara præſidio Chæreæ dudum erant, [b] ſed
non diſſimili pœna caſtigati ſunt. *Machabæus enim inuocato magno mundi principe,* XCIV. *Iudas vrbẽ occupat, ac delet.*
qui ſine arietibus & machinis temporibus Ieſu præcipitauit Iericho, irruit ferociter muris, in-
ὠίοντο. cuſſo videlicet ariete: non enim exemplo Ioſue inferri poteſt, Iudam nunc machi-
nis caruiſſe. Gorionides tamen ait obliniſſe portam pice, & ſpinas è deſerto ad por-
l.3.c.18. tam aggeſſiſſe, & incenſa porta in vrbem penetraſſe. *Et capta ciuitate per Domini*
voluntatem, innumerabiles cædes fecit, ita vt adiacens ſtagnum, ſtadiorum duorum latitudi-
l.2.c.12.16. *nis, ſanguine interfectorum fluere videretur.*

ver. 17. Inde diſceſſerunt ſtadia 750. quæ ſunt 93. milliaria, & ſex inſuper ſtadia, quæ XCV. *Adit Tubianæos.*
ſunt triginta fere leucæ gallicæ: ſed quam in partem iter habuerint, non ſatis appa-
ret, etſi in Characa veniſſe dicantur: nuſquam enim alibi huius loci Scriptura me-
c l.1 5. 13. minit, niſi quod ſupra [c] mentio eſt Tubin, ex quo dictos apparet Tubianæos, qui
loco hoc memorantur. Videtur autem huic præſidio datum Characis nomen,
quod naturali, aut egregio quodam vallo munitum eſſet. Nam χάραξ vallum ſignifi-
cat; quid enim hic præter coniecturas afferamus? *Et Timotheum quidem in illis locis*
non comprehenderunt, qui ſcilicet ibi paulo ante fuerat, occupandi loci cauſa, *nullo-*
que negotio perfecto regreſſus eſt, non expectato Machabæo, *relicto tamen in quodam loco*
firmiſſimo præſidio. Doſitheus autem & Soſipater, qui erant duces cum Machabæo, pereme-
runt à Timotheo relictos in præſidio decem millia viros.

At *Machabæus ordinatis circum ſe ſex millibus, & conſtitutis per cohortes aduerſus* XCVI. *Copia Machabæi & Timothei.*
Timotheum proceſsit, habentem ſecum centum viginti millia peditum, equitumque duo mil-
lia quingentos. In numeris iſtis nonnulla, vt aſſolet, inuenitur inter Græcum Lati-
numque textum diuerſitas; in priore præſertim, vbi ad verbum legitur. At Ma-
chabæus inſtructo turmatim exercitu, eum per cohortes diſpoſuit. Videtur inter-
pres noſter, qui ſex millia militum circa Iudam collocat, inueniſse alicubi expreſ-
ſas duodecim cohortes, quæ vt plurimum quingentis peditibus conſtabant, & de-
d l 16.4. næ in legionibus ſingulis erant, vt tradit ex Cincio Gellius, [d] & fuſe docet noſter
e l 3 de re milit. c.2. Valtrinus. [e] In poſteriore plerique libri Græci, etiam Vaticanus habet tantum
equites mille quingentos. At Vulgatæ conſentit Tigurina: Amanuenſes videntur
δισχιλίους in χιλίους diſtraxiſse; & certe in tanto peditum numero, pauci alioqui equites
adiunguntur.

Cognito *autem Iudæ aduentu Timotheus præmiſit mulieres, & filios, & reliquum* XCVII. *Res cum Timotheo geſta.*
apparatum in præſidium, quod Carnion dicitur; erat enim inexpugnabile, & acceſſu diffici-
le, propter locorum anguſtias. Similitudo vocabulorum Carnion & Carnaim, Timo-
thei, & Ephronis dubitationem excitant, num quæ narrantur hoc 12. cap. de iſtis,
ex li.1.c.5. eadem ſint cum iis, quæ ſuperius narrauimus. Verum res ipſæ, quæ vtroque
narrantur loco, vſque adeo diuerſæ ſunt, vt diuerſa eſse loca, diuerſaſque hiſto-
rias veriſimile ſit. Eundem tamen eſse Timotheum nihil prohibet. Et Carnaim *An diuerſa à ſuperiore.*
f l. 12. c. 12. v. 44. quidem tam à Ioſepho [f] & à Scriptura ſupra ciuitas dicitur, in qua delubrum
eſſet amplum, ad aſylum exercitui fugitiuo. Hoc autem loco Carnion præſi-
dium tantum appellatur, ſed in Græco fit etiam fani mentio, vt dicemus. Adri-
chomius geminum locum agnoſcit, & vtrumque in dimidia tribu Manaſſis, trans
Iordanem collocat. Iam vero diuerſa eſse prælia, vel illa circunſtantia videtur do-
cere, quod nihil illic de periculo Timothei ducis totius exercitus dicitur, re in pri-
mis memoranda; hic autem totum id diſcrimen exacte memoratur, vt ſequens
narratio docet.

Si quis tamen maluerit eadem eſse, non multum repugnauero. Etſi enim Car- XCVIII. *An potius eadem.*
nion dicatur tantum præſidium, poteſt id nomen etiam ciuitatibus firmis ac be-
g l.1.11.5. c.13.19. ne munitis tribui. Nam Bethſura præſidium dicitur, [g] & munitio, [h] & nihilomi-
h l.1.c.4.65. c.6.26. l.1.6.7. c.9.52. nus ciuitas quoque appellatur. Deinde cum in Carnio mox dicantur cæſa à Iuda
viginti quinque millia, præter eos videlicet qui in acie ceciderant, oportet non
paruum oppidum fuiſse. Adde Atargateium fanum, reſpondens fano Carnaim
innominato, & cædes vtrobique factas. Nec abſurdum eſt quædam in aliqua hi-
ſtoria omitti, aut aliter dici, quæ in alio libro ſuppleantur, vt ex libris Reg. & Pa-
ral. & ex ipſis Euangeliis aperte conſtat. Quid quod difficile videtur tot expeditio-

nes vno anno à Machabæo geri potuiſſe. Itaque fateor hanc mihi partem probabiliorem videri.

XCIX. *Victoria magna Iudæ.*

Cvmqve *cohors Iudæ prima apparuiſſet, timor hoſtibus incuſſus eſt ex præſentia Dei, qui vniuerſa conſpicit, & in fugam verſi ſunt alius ab alio, ita vt magis à ſuis deiicerentur, & gladiorum ſuorum ictibus debilitarentur. Iudas autem vehementer inſtabat, puniens profanos, & proſtrauit ex eis triginta millia virorum.* Quæ ſpecies diuinitus oſtenſa ſit hoſtibus, vt ita præcipites pauore, alius alio ferrentur impetu, non declaratur. Ex ſuperioribus [a] coniicere poſſumus angelos Iudaici populi protectores, & in primis Iudæ Machabæi angelum cuſtodem, eis viſibiliter terrifico aſpectu apparuiſſe, irruentes infeſto impetu, & ſimul terrorem, fugam, amentiam, interitum afferentes.

l. 2. c. 12. 22.

a l. 2. c. 10. 29. c. 11. 8.

C. *Timotheus captus dimittitur.*

Ipse vero Timotheus *incidit in partes Doſithei & Soſipatris, & multis precibus poſtulabat, vt viuus dimitteretur; eo quod multorum ex Iudæis parentes haberet, ac fratres,* captiuos ſcilicet in poteſtate ſua, *quos morte eius decipi eueniret,* puto legendum eſſe, deſpici. Eſt enim in Græco ἀλογηθῆναι, non ἐξαπατᾶσθαι; ſignificat autem neglectum iri ſalutem Iudæorum captiuorum, & in vindictam potius occiſi Timothei, occiſum iri. Quamquam & illud decipi, recte exponitur ab Emanuele Sà, fruſtrari ſpe liberationis. *Et cum fidem dediſſet reſtituturum ſe eos ſecundum conſtitutum, illæſum eum dimiſerũt, propter fratrum ſalutem.* In Græco ἀπημάντους illæſos, refertur ad Iudæos, non ad Timotheum. Et credibile eſt eum ſtetiſſe conuentis; alioqui non videtur author id diſſimulaturus. Forte autem, cum non dicat ſtatim dimiſſum, non prius dimiſſus eſt, quam Iudæos libertati dediſſet.

c. 12. v. 25.

CI. *Cædes in Carnio, & Atargate.*

Ivdas *autem egreſſus eſt ad Carnion, interfectis viginti quinque millibus;* præter eos ſcilicet, qui in acie ceciderant: in Græco etiam memoratur alius locus; dicitur enim Iudas perrexiſſe in Carnion & Atargation, quod fanum fuiſſe dicitur cuiuſdam Syrorum deæ, nomine Atargate, quo multi tanquam ad Aſylum fruſtra confugerant. De qua Plinius. Hierapolis, inquit, Syris vocatur Magog, ibi prodigioſa Atargatis. Græcis autem Derceto dicta, colitur. Strabo l. 16. in fine, ait Atargatam corrupto à barbaris vocabulo dici Atharã, quam Cteſias, inquit, Derceto vocauit. Athenagoras in Apologia ait hanc Derceto Matrem fuiſſe Semiramidis, laſciuam mulierem, & homicidam, quæ, vt ſcribit Diodorus l. 3. filiam ex laſciuo adoleſcente ſuſceperit, Venere matre ſua lenocinante, filiam columbis nutriendam dederit, ipſa ſe pudore flagitii in ſtagnum abiecerit, vbi in piſcem verſa fuerit, & filia in columbam. Quare, inquit, Syri piſcibus abſtinent, & templum in ſtagni littore conſtituerunt, Derceto facie quidem formoſæ mulieris, reliqua parte piſcis ſimulachrum coluerunt. Sic ipſe, ex quo intelligitur, cur Atargatis à Plinio prodigioſa dicatur. Sed de his, plura vide apud Girald. ſyntag. 1.

Quid Atargate & decreto.

b vide a. m. 2049. n. 1.

CII. *Res ad Ephronem geſtæ.*

Post *horum fugam & necem, mouit exercitum ad Ephron ciuitatem munitam, in qua multitudo diuerſarum gentium habitabat, & robuſti iuuenes pro muris conſiſtentes fortiter repugnabant; in hac autem machinæ multæ, & telorum erat apparatus. Sed cum omnipotentem inuocaſſent, qui poteſtate ſua vires hoſtium confringit, ceperunt ciuitatem, & ex iis qui intus erant, viginti quinque millia proſtrauerunt.* In Græco additur Lyſiam in hac ciuitate habitaſse; videtur tamen tunc abfuiſse, cum nulla eius fugæ fiat mentio: nam cæſum non eſse certo conſtat, vt ſequentia clare docent. Ex eo autem quod ibi Lyſias habitabat, qui ſecundum regem Eupatorem, caput erat omnium hoſtium populi Iudaici, ibidemque in præſidio erant milites eidem populo infenſiſſimi, & ad mores ducum ſuorum facti, ratio aliqua peti poteſt, cur in eam vrbem tanta ſeueritate animaduerſum ſit à Machabæo.

CIII. *Eadem videtur quæ ſupra.*

Non improbabile autem eſt hanc eandem eſse Ephron, cum ea quæ l. 1. [c] funditus exciſa memoratur, & latius ibi expoſitam cladem, ſtrictius hic perſtringi; idque ordo rerum geſtarum confirmat. Nam ibi quoque contra Timotheum pugnatur ad Carnaim, à Carnaim ventum eſt ad Ephron, eaque peruaſtata Iudæi ad Bethſan venerunt, quam Ioſephus, vt ſupra dixi, vocatam dicit à Græcis Scythopolin. Hic autem etiam de Scythopoli mentio mox erit. Denique vtrobique deinceps Hieroſolymam ventum eſt, & inde rurſus prima expeditio contra Idumæos ſuſcepta. At, inquies, illa quæ ibi recitantur facta ſunt ante mortem Antiochi Epiphanis, quæ c. 6. deſcribitur. Hæc autem quæ hoc cap. 12. lib. 2. refe-

c. 5. 46.

runtur, contigerunt, regnante Eupatore, eoque graui prælio afflicto, & poſt initum fœdus. Reſpondeo non omnia, quæ illo capite continentur, antegreſſa eſſe mortem Antiochi, ſed tantum vſque ad verſum 8. vbi dicitur, capta Gazer ciuitate, Iudam reuerſum eſſe in Iudæam. Interea vero mortuus eſt Antiochus, ſucceſſit Eupator, pugnauit Lyſias contra Iudam & victus eſt, pacem petiit, & obtinuit, quam regii duces perturbarunt, & contra eos Machabæus pugnauit, eiuſque pugnæ tam hoc capite 12. quam illo quinto, à verſu nono, vſque ad finem continẽtur: quæ tamen nos propter temporis breuitatem, & materiæ ſimilitudinem coniunximus, ſicut & Scriptura ipſa, quæ paululum propterea mortis Antiochi narrationem diſtulit.

CIV. *Res geſta Scythopoli.*

Post *deletam Ephronem, Iudæi ad ciuitatem Scytharum abierunt, quæ ab Hieroſolymis ſexcentis ſtadiis aberat. Conteſtantibus autem his, qui apud Scythopolitas erant, Iudæis, quod benigne ab eis haberentur, etiam temporibus infelicitatis, quod modeſte ſecum egerint,* (tempora infelicitatis memorat annos illos, quibus maxime deſæuiit Antiochus, à quo tempore inuaſit vrbem, vſque ad illud, quo Mathathias & filii eius arma ſumpſerunt,) *Gratias agentes eis, & exhortatis etiam de cætero erga genus ſuum benignos eſſe, venerunt Hieroſolymam die ſolenni ſeptimanarum inſtante.* Nomen habuit hæc ciuitas à Scythis reſtauratoribus & habitatoribus: ſita autem fuit cis Iordanem in tribu Manaſſis, vrbs decapoleos maxima, de qua plura collegit Adrichom. in tribu Manaſſ. intra Iordanem n.13.

CV. *Dies ſeptimanarum.*

Porro dies ſolennis ſeptimanarum, quis eſſet, ſtatim explicatur cum ſubditur. *Et poſt Pentecoſten abierunt contra Georgiam.* Alludit autem author ad verba legis. [a] *Numerabitis ab altero die ſabbati, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas, vſque ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, id eſt quinquaginta dies &c.* Feſtus quoque dies hebdomadarum vocatur. [b] Cæterum hæc notatio temporis indicat mira celeritate factam eſſe hanc expeditionem Iudæ, cum fœdus initum fuerit poſt 15. diem Xanthici, qui reſpondet Aprili; vt ex literis Regis, & Romanorum ſupra allatis conſtat; & feſtum Pentecoſtes ſub finem Maii, aut initium Iunii contingat; ſed reliqua videamus.

[a] Leuit. 23. 8.
[b] Deuter. 16.10.

CVI. *Pugna Iudæ contra Gorgiam.*

Et *poſt Pentecoſtem abierunt contra Gorgiam præpoſitum Idumææ. Exiuit autem cum peditibus tribus millibus, & equitibus quadringentis. Quibus congreſſis contigit paucos ruere Iudæorum. Doſitheus vero quidem de Bacenoris eques, vir fortis Gorgiam tenebat, & cum vellet illum capere viuum, eques quidam de Thracibus irruit in eum, humerumque eius amputauit, atque ita Gorgias effugit in Maræſa.* Primum hic dubium eſt, quis exierit cum hiſce tribus millibus peditum, & quadringentis equitibus, Gorgiaſne an Iudas; nam vterque cum copiis ſuis exiit contra aduerſarium ſuum. Verum maiores Gorgiæ copias fuiſſe arbitror, quam hæ quæ hic recenſentur. Tigurina in hanc ſententiam ita vertit, Gorgiæ præfecto Idumææ bellum intulerunt, eductis in expeditionem peditum tribus millibus, & equitibus quadringentis.

CVII. *Bacenor, & Doſitheus.*

Eadem etiam indicat Bacenorem præpoſitum fuiſſe turmæ, in qua eques Doſitheus Gorgiam viuum infelici ſucceſſu capere conatus eſt. Serarius mauult eſſe Bacenoris filium vel nepotem, ſecutus Gorionem, qui eum militiæ principem facit; ſicut & ſupra v.19. Verum Scripturæ textus piorem expoſitionem confirmat. Non enim dicitur Doſitheus Bacenoris, ſed de Bacenoris, & græce τῶν τοῦ Βακήνορος, eorum qui ad Bacenorem ducem pertinebant, eumue ſequebantur, & mirum eſſet, ſi poſt honorificam de eo, vt principe militiæ mentionem nunc hoc eodem cap. Doſitheum quendam appellaret, quaſi ignotum hominum. Porro Maræſa oppidum fuit in tribu Iuda antiquum & nobile, quod Adrichomius non longe collocat ab Hebron: ex quo etiam intelligitur, quod ſupra dicebamus, Idumæos bonam partem terræ Iuda occupaſſe.

CVIII. *Iudas ſuis auxilium Dei petit, & obtinet.*

At *illis qui cum Eſdrin erant, diutius pugnantibus, & fatigatis, inuocauit Iudas Dominum adiutorem, & ducem belli fieri, incipiens voce patria, & cum hymnis clamorem extollens, fugam Gorgiæ militibus incuſſit.* Erat hic Eſdrin vnus de ducibus Iudæ: codex Baſil. pro Eſdrino habet Gorgiam. At conuenientius eſt vt Iudas diuinum auxilium ſuis fatigatis, quam hoſtibus implorarit: nec dicitur Iudas patria voce dominum inuocaſſe, quod alioqui græca aut peregrina lingua loqueretur; ſed quod pleno fiducia in Deum pectore, vt veros decebat Iudæos, certos hymnos, &

...er.19.
...c.12. 36.

pſalmorum locos diuino auxilio implorando idoneos, cum clamore vſurpabant, & Deum adiutorem experti, fugatis hoſtibus victores effecti ſunt. Et hæc de re geſta contra Gorgiam.

CIX. *Iudas culpam ſuorū agnoſcit.*

IVDAS *autem collecto exercitu venit in ciuitatem Odollam*, vtique vicinam loco, in quo prælium commiſſum fuerat, & in eadem tribu Iuda, & ab ipſis primis temporibus celebrem, iuxta quam erat ſpelunca conſcia latebrarum Dauid, [a] quam vrbem reſtaurauit Roboam. [b] *Et cum ſeptima dies ſuperueniret, ſecundum conſuetudinem purificati, in eodem loco ſabbatum egerunt. Et ſequenti die venit cum ſuis Iudas, vt corpora proſtratorum tolleret, & cum parentibus poneret in ſepulchris paternis. Inuenerūt autem ſub tunicis interfectorum de donariis idolorum, quæ apud Iamniam fuerunt, à quibus lex prohibet Iudæos. Omnibus ergo manifeſtum factum eſt, ob hanc cauſam eos corruiſſe. Omnes itaque benedixerunt iuſtum iudicium Domini, qui occulta fecerat manifeſta.*

a 1. Reg. 22. 1. b 2. Paral. 11. 7.

CX. *Eius victoria incruēta.*

TACITA hæc admiratio ſatis oſtendit, in præliis Iudæ ſolitas ei victorias incruentas diuinitus contingere, vt clare etiam habetur l. 1. c. 5. [c] Donaria porro quæ hic ἱερώματα alibi ἀναθήματα dicuntur, qualia fuerint non eſt expreſſum: parua quædam, & precioſa fuiſſe par eſt, quæ cupiditatem accenderent, & ſub tunicis facile laterent. Lex quæ hic violata dicitur in iiſdē donariis, ea nonnihil illuſtrat. [d] *Sculptilia eorum igne combures, non concupiſces argentum & aurum, de quibus facta ſunt: neque aſſumes ex eis tibi quicquam, ne offendas, propterea quod abominatio eſt Domini Dei tui. Nec inferes quippiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, ſicut & illud eſt; quaſi ſpurcitiam deteſtaberis, & velut inquinamentum, ac ſordes abominationi habebis, quia anathema eſt.* Hæc ibi Dominus.

Lex de prædis idolorum.

c v. 54. d Deut. 7. 25

CXI. *Quæ circa cæſos Iudæos facta.*

VIDE autem hic accurate expletas à Iuda, & ſociis virorum religioſorum partes. Primo diuinum iudicium in ſuorum caſtigatione agnoſcunt, & probant, cum iuſtum appellant, & benedicunt Deum, qui etiam in eo ſcelere vindicando miſericordia vſus, victoriam nihilominus Iudæ conceſſerit; cum olim violato ab Achan anathemate, Iudæorum exercitus cum cæde actus fuiſſet in fugam. [e] Secundo Deū pro ipſis orant, vnde ſequitur. *Atque ita ad preces conuerſi rogauerunt, vt id quod factū erat delictum, obliuioni traderetur.* In Græco eſt, τελείως ἐξαλειφθῆναι, perfecte deleretur: imperfecte quippe peccatum deletum eſt, cum ſublata culpa diuinæ offenſæ, per animi dolorem & pœnitudinem, remanet reatus ad pœnam ſubeundam, & miniſterio ignis inferendam, ob inordinatum in creaturam amorem, conditoris lege neglecta.

Orat pro defunctis. Peccati purgatio perfecta.

e Ioſue 7. 5.

CXII. *Iudas ſuos monet ea occaſione.*

TERTIO Iudas, hac tam idonea occaſione oblata, ſuos hortatur, vt præſenti ſociorum animaduerſione commoniti, Dei offenſam reformident. *At vero fortiſſimus Iudas*, inquit *hortabatur populum conſeruare ſe ſine peccato, ſub oculis videntes quæ facta ſunt pro peccatis eorum, qui proſtrati ſunt*, (ſiue propter peccatum διὰ τὴν ἁμαρτίαν) Quarto deſtinatur ſacrificium expiatorium, pro defunctorum animabus, à peccatorum ſuorum pœnis eripiendis, eamque in rem collatitia pecunia datur, & à Iuda Hieroſolymam mittitur. *Et facta collatione*, inquit author, *duodecim millia drachmas argenti miſit Hieroſolymam, offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium.* Explicandi cauſa dicitur pro peccatis mortuorū, in Græco eſt tantum περὶ ἁμαρτίας θυσίαν. Altera maior eſt in Græco circa numerum diuerſitas, cum in eo duo tantum millia drachmarum legantur, deſiderata voce μυρίας: duodecim tamen legerat S. Proſper ante duodecim ſecula. [f] Et credibile eſt tantam pecuniam non in ſola ſacrificia, ſed in eleemoſynas, & miſericordias pauperum fuiſſe expenſam, iuxta ſapiens Danielis conſilium. [g]

Deſtinat ſacrificium expiatoriū.

f l. de prædict. part. 2. c. vlt. g Dan. 4. 24. Eccl 3. 33.

CXIII. *Preces pro mortuis in communi vſu Iudæorum.*

PORRO hoc Iudæ factum, ad quod acceſſit conſenſus vniuerſi exercitus, ſatis docet vſu receptas apud Iudæos preces, & ſacrificia pro defunctis. Docet ſecundo Iudam cum ſuis immortalitatem animorum, & corporum reſurrectionem credidiſſe; contra quam ſtupidi quidam hæretici apud Iudæos mentiebantur. Ideo ſequitur in textu. *Bene & religioſe de reſurrectione cogitans, niſi enim eos qui ceciderant reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur & vanum orare pro mortuis.* In Græco eſt πάνυ καλῶς καὶ ἀστείως πράττων, valde bene & ciuiliter faciens, aut etiam honeſte & præclare, qualia ſunt opera, & cogitationes politorum hominum & ſapientum, præ agreſtibus & ruſticanis, quod reſurrectioni proſpiceret, vt defunctis ſanctorum reſurrectio contingeret, de qua dicebat ſanctus ille martyr Antiocho. *Rex mundi defunctos nos*

ſupra c. 7. 9

ctos nos pro ſuis legibus, in vitæ æternæ reſurrectione ſuſcitabit. Tibi enim reſurrectio ad vitam non erit.

CXIV. *Ob ſpem reſurrectionis.*

Dices non videri ſuperfluum, & vanum orare pro mortuis, licet nulla futura eſſet reſurrectio, quia poſſent animæ ſolui peccatis, & transferri in cœlum, corpore in æternum in puluere relicto. Verum quia animabus beatitudo non poteſt perfecta contingere, ſi perpetuo à corpore ſuo ſeparatæ ſint, nec expleri iuſtũ & naturale earum deſiderium, erga corpus proprium, cuius coniunctionem, vt formæ perpetuo appetunt, recte poſita immortalitate infertur reſurrectio. Et ita Chriſtus, ex eo quod animæ Abraham, Iſaac, & Iacob viuant apud Deum, probat reſurrectionem,[a] & vice verſa, & D. Paul.[b] aſſerit animas defunctorum perire, ſi non ſit reſurrectio. Et ideo impii Sadducæi vtrumque negabant, ſicut Phariſæi vtrumque affirmabant; vt Sa quoque notauit. Itaque ſuſpicio eſt Ioſephum Gorionidem ad Sadducæos pertinuiſſe, qui hæc omnia, præter Iudæ admonitionem, prætermiſit. Si tamen eius interpres, hæretica fuligine tinctus, hebræa fideliter exhibuit, aut reddidit, licet eam à ſe culpam ille ibi amoliatur.

a Matth. 22. 31. 32.
b 1. Cor. 15. 18.
l. 3. c. 19.

CXV. *Merces benefactorũ.*

Docet tertio hoc Iudæ factum eos, qui pro religione ac pietate propugnanda mortem obeunt, non exiguam mercedẽ expectare debere, ſi vt par eſt credere, ſuorum eos peccatorum pœniteat: ait enim. *Et quia conſiderabat quod hi qui cum pietate,* id eſt pie de peccatis propter Deum dolore concepto, *dormitionem acceperant, optimã haberent repoſitam gratiam. Non enim iniuſtus Deus*, ait Paul.[c] *vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtenditis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis, & miniſtratis*, Quanto magis qui animas ſuas dant, pro fide ac religione diuina? quia *anima plus eſt quam eſca, & corpus plus quam veſtimentum.* Cæterum cum hi defuncti dicantur, *cum pietate dormitionem accepiſſe*, patet eos aut veniali tantum cupiditate peccaſſe, aut nõ ſine pœnitentia è viuis exceſſiſſe. Quanquam licuit etiam pro dubiis, quorum non non eſt certa ſalus vel damnatio, preces fundere, & ſacrificia offerre.

c Hebr. 6. 10.

CXVI. *Sancta & vtilis oratio pro defunctis.*

Reliqva eſt totius loci huius concluſio, *Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio, pro defunctis exorare, vt à prædictis ſoluantur.* Quæ verba diuiſim in Græcis leguntur hoc modo. Sancta & pia conſideratio! per quoddam epiphonema; deinde additur. Quare pro defunctis propitiationem fecit, vt à peccato ſoluerentur. Non recte Tigurina, *Propterea quod conſideraret, iis qui cum pietate obiiſſent, optimum eſſe repoſitum munus, ſanctam & piam cogitationem*, quaſi ſancta & pia cogitatio ſit munus, ſeu merces repoſita iis, qui cum pietate moriantur, & non potius æterna vita. Sed de hoc loco pro inſtituto ſatis; plura hic ſuggeret contra hæreticos Nicolaus Serar. & Bellarminus in libris de purgatorio; nos Romanam huius anni hiſtoriam videamus.

CXVII. *Mors Antiochi Romam defertur.*

Cvm Antiochus ſub huius anni initia mortuus eſſet, vt ex literis Eupatoris eius filii aperté conſtat, eius etiam mortem Romam poſt aliquot menſes eſſe delatam, ratio poſtulat. Is nuncius Demetrium Seleuci filium, & Eupatoris patruelem, qui Romam in locum Antiochi Epiphanis, miſſus à Patre fuerat obſes, incitauit, vt miſſionem à Senatu flagitaret. Id teſtatur Polybius in Legationibus n. 107. *Demetrius*, inquit, *Seleuci filius cum multos iam annos Romæ eſſet detentus, iam pridem ille quidem iniuria ſe detineri querebatur.* Datum enim ſe fuiſſe à Seleuco patre fidei eius obſidem, ideoque cum patris loco Antiochus Illuſtris regnâret, æquum non eſſe, vt pro illius liberis obſes remaneret &c. Audita autem Antiochi patrui morte, cum tempus ætatis florentiſſimæ ageret, inquit, in curiam ingreſſus à Patribus poſtulauit, vt per populum Rom. in regnum reſtitueretur; ad ſe enim potius, quam ad Antiochi filios regnum pertinere.

CXVIII. *Iuſtinus refellitur.*

Hæc Polybii hiſtoria, cui conſentit Appianus, Ioſephus, Euſebius, aliique paſſim, erroris arguit Iuſtinum,[d] qui hunc Demetrium vocat Antiochi fratrem, aitque Senatum adiiſſe, & dimitti ſe ad regnum petendum poſtulaſſe; quo ſicuti iure gentium maiori fratri ceſſerit, ita nũc ſibi, qui pupillum ætate antecederet, deberi. Sed nõ videt Iuſtinus ſe bonam Demetrii cauſam, ignorantia malam reddere. Nam ſi ita eſſet, Eupator recte ſuccedebat Antiocho, filius parenti, non frater fratri, niſi defectu prolis. Ius autem fauebat Demetrio, quippe qui debuerat ſuccedere Seleuco patri, primogenito Antiochi Magni; cui tamen Epiphanes, abſente Romæ Demetrio, ſucceſſerat, & regnum Demetrio debitum 12. annos tenuerat.

d lib. 34.

Nunc autem eius iniuria augebatur, ſi ne Epiphane quidem mortuo, ei regnum tradebatur. Nam Eupator, non aliud ius habebat ad regnum, quam quod à patre acceperat; & pater viuente, filio Seleuci primogeniti, nullum habebat. Sed redeamus ad Polybium.

CXIX. *Romani parum in illũ æqui.*

DEMETRIVS ergo cum de iure ad regnum ſuo in Senatu plura diſſeruiſſet, atque illud præſertim ſubinde repetiiſſet, patriam ſibi, & altricem terram eſſe Romanam, omnes Senatorum filios inſtar fratrum, ipſos Senatores loco patrum habere, vt qui Romam puer veniſſet, iam autem annos tres & viginti eſſet natus: non tamen eos admodum patres expertus eſt; ac ne iudices quidem ſatis æquos, qui per apertam in ipſum iniuriam, ſuæ dubiæ ſecuritati conſulunt, vt mox patebit. Quod ſi hic annus eſt tertius & vigeſimus Demetrii, natum eum oportuit anno cẽteſimo vigeſimo ſexto regni Græcorum, qui fuit ſecundus regni patris eius, vt ſuo loco notauimus. Decennis autem Romam venit, anno 136. quo ipſo anno Epiphanes celeriter profectus eſt in Syriam. Itaque hic decimus tertius eſt annus Romanæ commorationis. Etſi autem, inquit Polybius, mouebantur Patres cum hæc dicentem audirent, omnes tamen communi conſenſu decreuerunt Demetrium eſſe detinendum, & puero quem Antiochus reliquerat, regnum firmandũ.

CXX. *Et qua de cauſa.*

CVIVS conſilii ea, niſi fallor, inquit Polybius, cauſa fuit, quod florem ætatis, in qua tum erat Demetrius, ſuſpectum habebat Senatus, & rebus ſuis conducibiliorem iudicabat infirmam ætatem illius, qui relictus erat ſucceſſor. Atque hoc, quæ poſtea ſunt ſecuta palam fecerunt. Extemplo enim legatos decreuerunt Cn. Octavium, Sp. Lucretium, & L. Aurelium, quos ad regnum illud adminiſtrandum, ex voluntate ipſius Senatus, miſerunt. Conſularis erat Cn. Octauius, Conſul fuerat anno vrbis 588. cum T. Manlio Torquato. Reliquorum memoria obſcurior eſt in T. Liuio, quem deſideramus hoc loco. L. Aurelius forte is eſt, qui poſtea anno ſexcenteſimo nono, cum Seruio Galba Conſul fuit: eximios tamen fuiſſe viros, negocii commiſſi magnitudo declarat. Iuſtinus l. 34. etſi eos non nominat, Tutores tamen eos Regis à populo datos ait, quod Polybius non dicit. Zonaras autem τοῦ παιδὸς ἐπιτρόπους, miſſos à Romanis inquit, id eſt Curatores, ſiue Tutores. Exiſtimauit tamen Senatus regni adminiſtrationem per legatos ſuos minus difficilem fore, nec quidquam impedimento futurum, inquit Polybius l. c. Rege puero, & principibus aulæ bene ſecum agi exiſtimantibus, ſi Romani Demetrio regnum non traderent, qui alios ſibi domeſticos, atque aulicos quæreret, quod futurum exiſtimabant.

Senatus Eupatori Tutores mittit.

CXXI. *Quæ illis mandata dederit.*

QVÆ porro illis mandata tradita eſſent, pergit idem author exponere, quæ ſcire neceſſe eſt, ad aliquam obſcuræ horum temporum hiſtoriæ lucem. Profectus eſt, inquit, Cn. Octauius cum cæteris legatis, cum mandata huiuſmodi accepiſſent, ante omnia vt naues tectas comburerent; deinde vt elephantis neruos inciderent, & vno verbo regias opes quam maxime poſſent, imminuerent. Præterea mandatum eſt illis, vt Macedoniam inuiſerent. Nam Macedones, qui popularis ſtatus inſolentes erant, & publici concilii vſum nullum habebant, ſeditiones inter ſe agitabant. Iuſſi etiam fuerant hi legati res Gallogræcorum, & Ariarathis regnum diligenter inuiſere. Deinde miſſæ ſunt ad illos literæ, quibus iubebantur reges Aegypti in Alexandria omni ſtudio inuicem conciliare. Hactenus Polybius. Quibus conſentanea tradit Zonaras, ex quo ſuperius dixi fratres reges inter ſe, de facta inter ipſos à Romanis diuiſione, diſſenſiſſe. Pighius hoc anno M. Æmylium Lepidum in Ægyptum Tutorem regum diſſidentium miſſum exiſtimat.

CXXII. *Huius anni Coſſ.*

DE Conſulibus anni huius T. Sempronio Graccho II. & M? Iuuentio Thalna perpauca traduntur, quæ Sigonius ſtudioſe collegit vt ſolet, & poſt eum Pighius. Fuiſſe hunc Sempronium Gracchum patrem Gracchorum, qui multas poſtea turbas in Republica excitarunt, bis Conſulem fuiſſe: alterum quippe conſulatum fauente populo adeptum, propter eximiam eius in Cenſura cum collega conſenſionem, quo inſciente nihil fecerat, vt ſcribit Valerius, qui in conſulatu mortuum eius collegam tradit. M. Iuuentius Thalna, inquit, Collega Tiberii Gracchi Conſulis iterum, cum in Corſica, quam nuper ſubegerat, ſacrificaret, receptis literis decretas ei à Senatu ſupplicationes nunciantibus, intento illas animo legens, caligine orta ante foculum collapſus, mortuus humi iacuit. Quem

Alterius præ gaudio mors. | l. 9. c. 12.

quid aliud quam nimio gaudio enectum putemus? Illud ante foculum explicat Plinius, cum ſacrificaret. Huic Conſuli decretam eſſe prouinciam Corſicam ex prædicto Valerii loco patet. Sempronio autem Sardiniam ex Cicerone epiſt. ad Q. Fratrem. Quanquam Sardiniam & Corſicam hactenus vni eidemque Prætori ſubiectas fuiſſe ex Liuio perſpicuum eſt. Nullus autem reperitur in locum demortui Conſulis ſuffectus: mors ei fortaſſe ſub extremum eius Conſulatum contigerit.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3885.

1. N. XXXV. Et frequentiſſima eſt locutio 1. Paral. 7. 8. Poſſeſſio autem eorum, & habitatio Bethel cum filiabus ſuis, Gazer & filiæ eius, Sichem quoque cum filiabus ſuis, vſque ad Aza cum filiabus eius, &c. octies eodem loco vocauit filias vicos, ideoque ibidem 70. vertunt κώμας.

2. N. XXXVI. At his locis Tubin, qui in Arabiam vergunt, dicti ſunt Tubianæi, de quibus fit mẽtio 2. Machab. 12. 17. Septuaginta Xiſti habent Τωβίν; ex quo conijcit Vatablus, legendum τῷ βίῳ quaſi dicat, qui in viuis erant, parum felici coniectura.

3. N. XLIII Græce χασθὼν cum gemina aſpiratione, Ioſephus χάσφωμα, ſupra dicta fuit Caſphor, ſed facile eſt in barbaris nominibus literas aliquas, & nominatim ח chet in χ à principio.

4. N. XLIII. Eum Adrichom. in tribu Gad n. 13. putat eſſe Iaboc vel Ieboc, quo diuidebatur tribus Gad à tribu Manaſſe trans Iordanẽ, Ioſue 12. 2. Deut. 3. 16. ſed Raphon prætermiſit, quam vrbem fuiſſe Ioſephus l. 12. c. 12. affirmat.

5. N. XLIV. De huiuſcemodi omnibus vide quæ diximus, anno mundi 2964. numer. 59. & 60. & an. mund. 2973. num. 54. & an. mu. 2768. numer. 40. De Ionatha, Dauide & Gedeone. De ſeruis quoque Benadad omen rapientibus ex ore Achab, vide an. mund. 3135. n. 12.

6. N. LXIV. Didrachma pro drachma poſitum fortaſſe fuerit, vt habetur in Græcis. Eſt autem Didrachma quarta pars vnciæ, drachma vero octaua. Itaque poſita vncia argentea 55. ſolid. Turon. Septuaginta millia drachmarum valent viginti quatuor millibus, & ſexaginta francis cum dimidio; ſiue octo millia coronatorum, & inſuper viginti cum quinquaginta ſolid. quæ ſumma geminanda eſt, ſi placet proprie Didrachma, pro dimidio ſiclo accipere.

Codex Vaticanus habet δι᾽ αὐτὸ per illud, reſcriptum ſcilicet, ſiue per illa ſcripta, quomodo legit & Tigurina; Baſil. habet δι᾽ αὐτῆς, quomodo & vulgata legit, vel vſitatius δι᾽ αὐτῶν, ſed res eodem redit: quamquam δι᾽ αὐτοὺς potius verteretur, propter ipſos. Etſi Demoſthenes πρὸς τῶν θεῶν per deos dicit. 7. N. LXXVIII.

Gorionides l. 3. c. 8. ait Timotheum dixiſſe. Obſecro Domine vt non interficias me. En habitant multi Iudæi in regione mea; & ego iuro tibi me eis benefacturum, cunctis diebus vitæ meæ, & iuramentum factum confirmauit. At Scriptura agit de captiuis reſtituendis, non de bene tractandis incolis alterius loci. 8. N. C.

Codex Baſil. incertas habet voculas duas χωρὶς ἁμάρτημα; quibus plane diuerſus ſenſus efficitur: petitur videlicet, vt ne propter delictum mortuorum viui penitus delerentur. Sed ea lectio ſuſpecta eſt, & à ceteris aliena, etiam à Tigurina, & fruſtra videretur illa petitio, cum iam illis victoriam dediſſet, nedum eos deletos optaret: quin etiam ſequentia clare poſtulant, vt hæc de peccato mortuorum delendo intelligantur. 9. N. CXI.

Valent duo millia drachmarum argenti, quarum 8. vnciam conſtituunt, æſtimata vncia 55. ſolid. 687. libras cum decem ſolid. ſiue 229. coron. & decem ſolid. Duodecim autem millia valent 4125. franc. ſiue 1375. coronat. 10. N. CXII

ANNVS MVNDI 3892. SEXTAE AETATIS 376. IMPERII GRÆCORVM 150. ANTIOCHI EVPATORIS 2. IVDÆ MACHAB. DVCIS & PONTIFICIS 4. PTOLEMÆI PHILOMETORIS 18. OLYMPIADIS CLIV. AN. 3. VRBIS CONDITÆ 591. COSS. P. SCIPIONE NASICA, & C. MARTIO.

ANNVS ANTE CHRISTVM 161.

I. *Summa capita reru anni huius*

NOTATVR hic annus 1. Machab. 6. v. 20. & l. 2. c. 13. initio; ſed priore illo loco ex ſupputatione Iudaica, quam ſequitur Ioſephus, (l.12. 14.) poſteriore autem ex Syriaca, quæ ſex menſibus tardius inchoat annos ſuos, vt ſupra diximus. Vt autem ab hiſtoria ſacra, vt par eſt, ducamus initium, eandem habet vterque locus hiſtoriam, ſed in vno ſuppletur, quod in altero deſideratur circa bellum à Iuda geſtum contra Eupatorem Regem, & Tutorem eius ac proregem Lyſiam. Habet hic quoque annus cædem Menelai pſeudopontificis, Eupatoris iuſſu, Lyſiæ hortatu perpetratam. Mortem item Eleazari fratris Iudæ: & res à legatis Romanis in Syria geſtas, aliaque his connexa nonnulla. A bello autem quod multis iam prælijs, & Iudæorum victorijs irritatum fuerat, initium ducendum eſt.

II. *Præludia belli ab arce Sionis.*

PRÆLVDIA belli orta ſunt ab iis, qui in arce Sionis, in ciuitate Dauid reſidebant; à quibus crebri fiebant incurſus in Iudæos, qui templum frequentabant, ſic enim legimus. [a] *Et hi qui erant in arce concluſerant Iſrael in circuitu ſanctorum, & quærebant eis mala ſemper, & firmamentum gentium.* (a 1.1. c. 6. v. 18.) Quid eſt concluſerant Iſrael, ſiue erant concludentes Iſrael? ipſi potius erant in arce concluſi, Iudæi autem liberi erant ab obſidione. Verum phraſis hebraica eſt, qua ſignificatur Hebræos ſæpe

Num concluſi Hebræi.

deprehenſos, cæſoſque, aut male mulctatos ab iis, qui erant in arce, dum in templum aut ſacrificiorum, aut orationis cauſa adibant. Ita ſupra [b] dicebat Iudas, facile eſſe Deo concludere multos in manu paucorum. Et iterum. [c] *Conclude exercitum iſtum in manu populi tui Iſrael.* (b l.1.c.3.18. c c.4.31.) Idque confirmant verba illa quæ ſubduntur, *& quærebant eis mala ſemper*: intenti ſcilicet erant damnis eis inferendis, vt vires eorum attererent, atque opprimerent; impiorum autem potentiam ſtabilirent.

III. *Iudas obſidet Sionē.*

NEC aliter locum hunc intellexit Ioſephus, [d] qui nullo modo iudicat concluſos ab iſtis præſidiariis Hieroſolymitas. (l.12.c.14.) *Interea*, inquit, *qui Hieroſolymitanæ arcis præſidium tenebant Macedones, cum Iudæorum perfugis, multa Iudæis inferebant incommoda. Excurrentes enim in eos, qui ſacrorum cauſa templum adibant, conficiebant eos non magno negotio, quod arx ipſi templo eſſet ſupra verticem. Et cogitauit Iudas diſperdere eos, & & conuocauit vniuerſum populum, vt obſiderent eos. Et conuenerunt ſimul, & obſederunt eos anno 150. & fecerunt baliſtas & machinas.* Quod cum vidiſſent qui erãt in arce, timuerunt incredibilem Iudæ in bello felicitatem, quamuis in loco totius regni munitiſſimo, atque firmiſſimo præſidio clauſi eſſet. *Eius timoris indicium eſt, quod exierunt quidam ex eis qui obſidebantur, & adiunxerunt ſe illis aliqui impii ex Iſrael, & abierunt ad Regem*, vt eo cum magis copiis adueniente, obſidio ſolueretur, & Iudas opprimeretur cum ſuis. Ioſephus: fabricatis igitur machinis, & extructis aggeribus totus incumbebat huic operi. Multi tamen perfugarum noctu elapſi, adiunctis ſibi ſimilibus impiis, venerunt ad Antiochum.

IV. *Et de Iuda queruntur.*

HÆC autem fuit iſtorum ad regem oratio. *Quouſque non facis iudicium, & vindicas fratres noſtros?* vindictam de Iudæis contribulibus ſuis petit; qui maxima non ſolum Dei, ſed regis ipſius animaduerſione digni erant, vt qui fœdera à rege cum Iudæis inita violabant, nec quietem, quam ille ſpoponderat, Iudæorum ferre poterant. pergũt. *Nos decreuimus ſeruire patri tuo, & ambulare in præceptis eius, & obſequi edictis eius.* Hæc eſt profeſſio apoſtaſiæ horum perfugarũ, quam ipſi præmittunt beneuolentiæ

De Iuda queruntur.

colligẽdæ cauſa, & vt eam malorum ſuorum cauſam oſtendentes, Regem ad ſui defenſionem excitent, vnde ſequitur. *Et filii populi noſtri propter hoc alienabant ſe à nobis, & quicunque inueniebantur ex nobis interficiebantur, & hæreditates noſtræ, diripiebantur.* Vtique non mentiuntur iſti. Hæc enim fuerunt rudimenta militiæ Iudæ, vt
a l.1.c.3.5.6.8. ex pleriſque in ſuperioribus patet, [a] ſed hæc modica erat pœna tantæ impietatis.

V. *Regem cõtra eum incitant.*

Veriti autem ne Rex eorum mala contẽneret, priuatam cauſam communem faciunt, & ſua damna ad regis damnum atque iniuriam pertinere criminantur. *Et non ad nos tantum*, aiunt, *extenderunt manum, ſed & in omnes fines noſtros:* perambulauit enim ciuitates Iuda perſcrutans eos, & perdidit impios ex eis. *Et ecce applicuerunt hodie ad arcem Ieruſalem occupare eam.* Iamdudum obſederant arcem, cum templum expugrarent, non expurgandi ſpe, ſed excurſiones in templum impediendi voluntate. Hoc autem tempore expugnationem moliebantur, ſicut iam Beth-
b l.1.6.7.16. ſuram occuparant, & munierant ſibi. [b] *Et niſi*, inquiunt, *praueneris eos velocius, maiora quam hæc facient, & non poteris obtinere eos.* Breuiter hæc & eleganter Ioſephus. Venerunt ad Antiochum, poſtulantes ne ſe in extremum periculum à ſuis contribulibus redactos deſpiceret: maxime quod patris ipſius autoritatem ſecuti, in eam neceſſitatem adducti ſunt, dum malunt patrios ritus, quam regia mandata contemnere. Nunc vero periculum eſſe ne Iudas arcem cum præſidio vi capiat, niſi ipſe mature ſuis opem afferat. Pergit author.

VI. *Rex conuocat ingẽtes copias in Iudæos.*

Et *iratus eſt Rex, vt hæc audiuit, & conuocauit omnes amicos ſuos, & principes exercitus ſui, & eos qui ſuper equites erant. Sed & de regnis aliis, & de inſulis maritimis venerunt ad eum exercitus conductitii. Et erat numerus exercitus eius centum millia peditum, & viginti millia equitum, & elephanti triginta duo docti ad prælium.* Nonnulla
c l.2.c.13. eſt in hiſce numeris collatis cum li. 2. diuerſitas. *Anno*, ait, [c] *centeſimo quadrageſimo nono cognouit Iudas Antiochum Eupatorem venire cum multitudine aduerſus Iudæam, & cum eo Lyſiam procuratorem, & præpoſitum negotiorum, ſecum habentem peditum* 110. *millia, & equitum quinque millia, & elephantos viginti duos, currus cum falcibus trecentos.* In Græcis ad verbum legitur, vtrumque, ſcilicet Eupatorem & Lyſiam, ſecum habentem exercitum græcum, peditum vndecim myriades, equitum quinque millia trecentos &c. videtur ſignificare iſtas copias diuiſas bipertito, ſed vtrumque exercitum hunc numerum confeciſſe.

VII. *Earum diuerſitas in vtroque libro.*

Iosephvs priorem illum catalogum ſequitur, ſicut & librum, itemque Sulpicius Seuerus l.2. hiſtoriæ ſacræ, & Diuus Ambroſius l.1. offic. c.4. Rex Antiochus, ait, qui cum centum viginti millibus hominum armatus venerat, & cum triginta duobus elephantis &c. Gorionides autem ſequitur poſteriorem. Serarius ait in vna ſumma eos interdum numerari qui tunc aderant, equites cum equitibus, elephantos cum elephantis, in alia etiam alios, qui ſubinde acceſſerunt. Videtur ſignificare minorem numerum prius relatum ſcriptumque, ſed cum deinde nouo copiarum acceſſu multiplicatum. Quod facile intelligeretur, ſi vnus author omnes minores numeros haberet, alter autem maiores, ſed res aliter habet. Nam prior multo pauciores pedites habet, & multo plures equites quam poſterior: qui rurſum habet falcatos currus, quo caret prior, nec numerorum ſimilitudo mendi ſuſpicionẽ facere poteſt. Ego ſane non habeo quid dicam, niſi authorem vtrumque in diuerſa incidiſſe monimenta, & catalogos copiarum, quos verè, & fideliter expreſſerunt,
d l.1. Mach. c.1. v.13. & c.2. v.32. ειρωνία l.2. c.13.3. fide apud autores relicta, vt ait Emanuel Sa in ſuis in hunc librum notis. [d]

VIII. *Menelaus pſeudopontifex.*

Venienti regi cum exercitu, aut certe legatis Apoſtatarum *commiſcuit ſe Menelaus*, ille ſcilicet dudum pſeudopontifex, *& cum multa fallacia, & diſſimulatione deprecabatur Antiochum, non pro patriæ ſalute, ſed ſperans ſe conſtitui in principatum*, puta loco Iudæ futurum ſimul ducem & pontificem: ſed cum ſua ſcelera iamdudum ad interitum depoſcebant, quem prius inuenit quam principatum: ſicut Aman illo ipſo tempore, quo ſummam gloriam aucupabatur, ſumma confuſione affectus eſt, & quod ſupplicium parabat inimico, inuenit præparatum ſibi.

Morti addicitur.

Sed Rex regum, inquit author, *ſuſcitauit animos Antiochi in peccatorem, & ſuggerente Lyſia hunc eſſe cauſam omnium malorum, iuſſit, vt eis eſt conſuetudo, apprehenſum in eodem loco necari.* In Græco eſt, præcepit vt conſuetudo eſt, in eo loco, abductum Berœam necari: id eſt, vt habet Tigurina, mandauit Beroeam abducendum, eoque loci vſitato ſupplicio necandum. Eſt autem Berœa in Syria, ad fluuium Singam

prope Hierapolin apud Ptol. Procopius l. 2. Perſic. æquidiſtantem facit vnius diei itinere ab Antiochia & Hierapoli. Quod autem ſupplicij genus ibi eſſet vſitatum, mox explicat.

IX. *Quo ſupplicio interierit.*

E R A T, inquit, *in eodem loco turris quinquaginta cubitorum, aggeſtum vndique habens cineris, hæc proſpectum habebat in præceps, inde in cinerem deijci iuſsit ſacrilegum, omnibus eum propellentibus ad interitum.* Apparet interpretem diuerſis exemplaribus vſum ab his, quæ hodie extant, quæ ſic habent. Eſt autem in eo loco turris 50. cubitorum plena cinere, aggeſtam habens in fundo cineris copiam. Hæc autem inſtrumentum habebat rotundum vndique præceps in cinerem, hic ſacrilegij reum, & quorundam aliorum malorum principem, ſiue exceſſum habentem, omnes protrudunt in interitum. Tigurina ſic. Eo in loco plena puluere quinquaginta cubitorum turris erat, quæ machinam habebat circunuerſatilem, in puluerem vndique decliuem. Ibi eum qui damnatus eſſet ſacrilegij, aut qui aliud quodcunque malum inſigne patraſſet, omnes protrudebant ad interitum. Hocce genus ſupplicij memorat Valerius,[a] & à Dario Ocho Perſarum rege excogitatum refert: egimus & nos ſupra ex Cteſia, cum de Cyro minore & Artaxerxe Mnemone.

pro ὄργανον videtur legiſſe ὄχημα.

a l. 9. c. 2.

X. *Dei in Menelaum iuſtitia.*

S E Q V I T V R commendatio diuinæ in vindicandis ſceleribus ſapientiæ. *Et tali lege præuaricatorem legis contigit mori, nec terræ dari Menelaum: & quidem ſatis iuſte. Nam quia multa erga aram Dei delicta commiſit, cuius ignis & cinis erat ſanctus, ipſe in cineris morte damnatus eſt.* Tigurina pro τῆς γῆς habet ταφῆς, neque ſepulchri compotem factum; quomodo in eius impietatis anteſignano Iaſone[b] notatum eſt. Verum ſine dubio τῆς γῆς legitimum eſt, & ita habent omnia quæ vidi exemplaria. Ioſephus hunc Menelai interitum differt, non improbabiliter in tempus factæ pacis, autore Lyſia hoc ipſo anno. Cum enim coactus eſſet iterũ pacem inire cum Iudæis, à quibus toties debellatus eſſet, merito in authorem, & inſtigatorem bellorum Menelaum excanduit, & ſacrum caput ſacrilegorum ſupplicio addixit. Quòd ſi probamus, mors eius alioqui propinqua, hoc loco per anticipationem inducta eſt, occaſione coniunctionis eius cum regiis copiis, vel cum perfidiæ in Deum legatis.

Ratio temporis.

b l. 2. c. 5. v. 10.

XI. *Rex Iudæã adit.*

S E D Rex mente efferatus veniebat, nequiorem ſe patre ſuo Iudæis oſtenſurus. Ad verbum, Rex ſuperbia barbarus factus veniebat, peſſima eorum, quæ ſub patre eius facta fuerant, Iudæis exempla præbiturus. Quibus Iudas cognitis præcepit populo, *vt die ac nocte Dominum inuocarent, quo, ſicut ſemper, & nunc adiuuaret eos; quippe qui lege & patria, ſanctóque templo priuari vererentur: ac populum qui nuper paululum reſpiraſſet, ne ſineret blaſphemis rurſus nationibus ſubdi. Omnibus itaque ſimul id facientibus, & petentibus à Domino miſericordiam, cum fletu & ieiuniis, per triduum continuum proſtratus, hortatus eſt eos.* Ita Machabæus egit pontificem, quaſi omnia in propitiando numine poſita arbitraretur; & rurſum ita munia Imperatoris expleuit, quaſi vnicum in armis & induſtria militari præſidium haberet; vnde *hortatus eſt eos vt ſe præpararent.*

Iudas propitiatur Deum.

XII. *Et defenſionem parat.*

I P S E *vero cum ſenioribus cogitauit*, ſiue conſilium cepit ἐβουλεύσατο, *priuſquam Rex admoueret exercitum ad Iudæam, & obtineret ciuitatem, exire, & domini iudicio committere exitum rei. Dans itaque poteſtatem omnium Deo mundi creatori*; ἐπιτρέψας, curam, procurationem, tutelam, inſtar pupilli videlicet in tutoris, aut curatoris manu eſſe deſiderans, *& exhortatus ſuos vt fortiter dimicarent, & vſque ad mortem pro legibus, templo, ciuitate, patria & ciuibus ſtarent, circa Modin exercitum conſtituit.*

Et prodit obuiam hoſti. Soluta obſidione arcis.

Interea hoſtes *venerunt per Idumæam, & applicuerunt ad Bethſuram, & pugnauerunt dies multos*, obſidendo præſidium egregie munitum, *& fecerunt machinas. Et incluſi* Bethſuræi, *exierunt, & incenderunt eas igni, & pugnauerunt viriliter. Et receſsit Iudas ab arce*, ſoluit nimirum obſidione ciuitatem Dauid, & prius venit Modin; quod oppidum nimium diſtrahit Adrichomius à Bethſura; eandemque culpam in Bethzachara committit, quam Græca biblia vocant Bethzacharia. Nam cum in hoc loco eſſet Iudas, erat contra caſtra Regis, quæ erant ad Bethſuram, ergo ſatis vicinum eſſe oportuit Bethſuræ. Et ſane videtur hoc oppidum eſſe domus Zachariæ, & notatio nominis id perſuadet, quam ipſe, vt ſingularem domum, prope Emmaus ponit: cum etiam credibile ſit Zachariam in oppido domum habuiſſe, ibique habitaſſe.

XIII. *Caſtra regis nocte inuadit.*

M O V I T ergo Iudas *caſtra ad Bethzacharam contra caſtra Regis.* Et quia temera-

Apparatvs regivs contra Ivdam.

rium videbatur modicam manum, contra tantas copias, aperto ſtatim marte pugnare, nocturnam occupauit pugnam, vt turbatos tutius interdiu inuaderet. Suam autem fiducium in Deum prodidit, ipſa teſſera militari, quam voluit eſſe, *Dei victoria.* Ergo *dato ſigno ſuis Dei victoriæ,*[a] *iuuenibus fortiſſimis electis, nocte aggreſſus aulam regiam,* tabernaculum regium, Prætorium, *in caſtris interfecit viros 4. millia, & maximum elephantorum, cum his qui ſuperpoſiti fuerant,* qui ſcilicet eius ruina prolapſi, ſimul & caſu contriti, & hoſtili ferro conciſi ſunt, *ſummoque metu ac perturbatione hoſtium caſtra replentes, rebus proſpere geſtis abierunt,* in caſtra ſcilicet ad Bethzacaram. Non erant illi omnes in Prætorio, ſed eò multi accurrerunt, auxilij cauſa, qui ibidem perniciem inuenere.

a l. 2 13. 15. — *Initium victoriæ.*

XIV. *Rex copias mouet contra Iudã.* — b l. 1. c. 6. 33.

Hæc tumultu excitatus, [b] *ſurrexit Rex ante lucem, & concitauit exercitus,* Lyſiæ ſcilicet & ſuum; diſtincti enim erant, vt ſupra diximus, *in impetu contra viam Bethzacharam.* Furebat ſcilicet iracũdia ex nocturna clade, quam in eius authores extemplo vindicare cupiebat; cuius rei indicium eſt, quod beſtias etiam ipſas efferare cupiebat, vt mox dicetur, *& comparauerant ſe exercitus in prælium, & tubis cecinerunt.* De ſolis regis copiis agit: forte etiam plurali vtitur propter multitudinem copiarum, quæ plurium exercituum inſtar erant; nam paulo poſt de exercitu Iudæ obuiam veniente aget.

Apparatus Elephantorũ.

Et elephantis oſtenderunt ſanguinem vuæ & mori, ad acuendum eos in prælium, & diuiſerunt beſtias per legiones, (ſiue phalanges) *& aſtiterunt ſingulis elephantis mille viri, in loricis concatenatis* (id eſt hamatis, hamis conſertis, ἁλυσιδωταῖς, quaſi dicat inſolubilibus) *& galeæ æreæ in capitibus eorum, & quingenti equites ordinati vnicuique beſtiæ, electi erant. Hi ante tempus,* id eſt opportune, *vbicunque erat beſtia, ibi erant, & quocunque ibat, ibant,* nimirum beſtiæ motum propter celeritatem anteuertebant, *& non diſcedebant ab ea.*

πρὸ καιροῦ.

XV. *Turres Elephantorũ.* — ἐζωσμέναι.

Sed *& turres ligneæ ſuper eos firmæ, protegentes ſuper ſingulas beſtias;* id eſt Turres ligneæ firmæ ſingulis Elephantis impoſitæ eos protegebant, machinis quibuſdam illigatæ, ſiue accinctæ, adaptatæ, ne ſcilicet vllam in partem prolaberentur, ſed cum æquilibrio rectæ conſiſterent, vt neque beſtiæ motus, & pugna impediretur, & impoſiti milites, quaſi ex immobili ſolo, miſſilia validius eiacularentur. Vulgata ſignificat machinas beſtiis impoſitas, quibus tela maiora, maiore impetu vibrarentur. *Et ſuper eas machinæ,* inquit, *& ſuper ſingulas viri virtutis triginta duo, qui pugnabant deſuper, & Indus magiſter beſtiæ.* Nimirum Indici erant Elephanti, qui ſunt omnium maximi, & validiſſimi, longéque rebus omnibus Lybicis præſtant, vt ſupra ex Liuio dicebamus. Et ſane in tanto onere turris vnius firmæ & capacis, & inſuper 32. hominum armatorum cum miſſilium copia, præter Elephanti rectorem, longe maximos & robuſtiſſimos fuiſſe neceſſe eſt. Arbitror autem turres aliquot habuiſſe tabulata, cum idoneis luminibus, per quæ diuiſi eſſent hi milites, ne alij alios pugnantes impedirent: & ſinguli quaſi ex colle in ſubiectos cum virtutis incremento pugnarent.

Indici maximi. — lib. 37.

XVI. *Diſpoſitio equitatus.*

Pergit author, *& reſiduum equitatum hinc & inde ſtatuit in duas partes, tubis exercitum commouere, & perurgere conſtipatos in legionibus eius.* In Græco nulla eſt mentio tubarum, neque legionum: ſed dicitur reſiduum equitatum, qui ſcilicet non aſſiſtebat Elephantis, quorum ſinguli, cùm quingentos equites haberent, ſedecim millia equitum circa illas aderant, reliquum inquam equitatum, qui erat 4. millium, diuiſum eſſe in duas partes caſtrorum, concutientes κατασείοντες, & conſtipatos in conuallibus, ſiue in anguſtiis, ἐν ταῖς φάραγξιν, pro qua voce vulgatus interpres legis φάλαγξιν, id eſt phalangibus, ſiue legionibus: tubas autem addidit, ad explicandum modum, quo totus exercitus incitabatur ad pugnam, per tubicines in lateribus exercitus, & cum equitibus collocatos.

XVII. *Et totius aciei ex Ioſepho.* — l. 12. c. 14.

Iosephvs aliquid lucis huic diſpoſitioni affert, cum ait. Iudas autem cognito regis aduentu, omiſſa oppugnatione, Regi cum copiis obuiam profectus, caſtra poſuit circa fauces quaſdam dictas Bethzacharia, diſſitas ab hoſte 70. ſtadiis. At Rex relictis Bethſuris, exercitum duxit ad eas fauces, vbi Iudas caſtra metatus erat; & quamprimum dies illuxit, aciem ſeu pugnaturus, iuſſit ire compoſitam. Cumque non poſſet Elephantos explicare per aciei latitudinem, propter locorum anguſtias, iuſſit vt vnus poſt alium inciderent, attributis qui ſtiparent

Mors Eleazari fratris Ivdæ.

ſingulos mille peditibus & equitibus quingentis. Beluis autem impoſita erant celſa propugnacula, inſtructa ſagittariis. Reliquum autem exercitum ab vtroque latere iuſſit montes aſcendere, præpoſitis ex amicorum cohorte ducibus: atque ita ſublato militari clamore hoſtem aggreditur micans aureis & æreis clypeis, ita vt fulgore eorum coruſcarent omnia; clamore autem reboabat quidquid erat in circuitu montium. Sed redeamus ad Scripturam.

XVII. *Apparatus pugnæ.*

Et *vt refulſit ſol in clypeos aureos & æreos, reſplenduerunt montes ab eis, & reſplenduerunt ſicut lampades ignis.* Quidam Græci codices carent voce χαλκαῖς, habet tamen Ioſephus vt audiſti, *Et diſtincta eſt pars exercitus regis per montes excelſos, & alia per loca humilia, & ibant caute & ordinate, & commouebantur omnes inhabitantes terram à voce multitudinis, & inceſſu turbæ, & colliſione armorum: erat enim exercitus magnus valde & fortis. Et appropiauit Iudas, & exercitus eius in prælium, & ceciderunt de exercitu Regis ſexcenti viri.* Eundem numerum fideliter retulit Ioſephus. Nec Iudas, inquit, tali aſpectu eſt territus, ſed excepto fortiter impetu hoſtium, circiter ſexcentos ex eis occidit, qui primi ad manus venerant. Non par eius in omni narratione fides; ſed audiamus nobile Eleazari facinus.

XVIII. *Eleazari glorioſa mors.*

Et *vidit Eleazar filius Saura vnam de beſtiis loricatam loricis regiis, & erat eminens ſuper cæteras beſtias: & viſum eſt ei quod in ea eſſet rex, & dedit ſe vt liberaret populum ſuum, & acquireret ſibi nomen æternum. Et cucurrit ad eam audacter in medio legionis, interficiens à dextris & à ſiniſtris, & cadebant ab eo huc atque illuc & iuit ſub pedes elephantis, & ſuppoſuit ſe ei, & occidit eum, & cecidit in terram ſuper ipſum.* Cadebant ab eo, huc atque illuc, ἐσχίζοντο diuidebantur, aditum ſcilicet faciebant irrumpenti cadentes hinc & inde, *& mortuus eſt illic.* Quem Scriptura filium Saura vocat, codex Vaticanus vocat Sauaran, quaſi ſublata contractione, Baſil. Abaran. Ioſephus Auran, aitque eum [a] fratrem fuiſſe Machabæi; admodum probabiliter. Non enim vocatur in vllo codice Græco, quem videre potuerim τῶ Σαυαρὰν, ſiue Αὐαρὰν, ſed ὁ, ſubintellecto καλούμενος, id eſt vocatus Auaron, ſiue Abaron. & hoc idem eſt cognomen, quo vocatus eſt initio. [b] & paſſim omnes libri eodem nomine vtrobiq; Eleazarum cognominant, cum permodica mutatione literæ alicuius. Denique nulla eſt deinceps in his libris Eleazari fratris Machabæi mentio. Conſentit Ioſepho [c] Gorionides, & Serarius, putatque pro, filius Saura, legendum, dictus Aura, ſiue Abaron, vt habet Tigurina quoque, & innuit Sà.

Fratris Iudæ.

[a] l. 12. c. 14. & l. 1. Belli. c. 1.

[b] c. 2. l. 1.

[c] l. 3. c. 20.

XIX. *Ex Ioſepho*

Eivs mortem Ioſephus his verbis deſcribit. Cæterum Eleazarus eius frater quem Auranem vocabant, conſpicatus excellentem Elephantum, ornatum faleris regiis, & ratus in eo regem inuehi, generoſo animo in eum fecit impetum. & occiſis multis, priuſquam ad eum penetraret, cæteris vero metu cedentibus, ſuccedens ſub eius ventrem confodit belluam, & ipſe ſimul pondere eius illabentis oppreſſus eſt; atque ita non inultus generoſe interiit, inter hoſtilium cadauerum aceruos. Nulla alia re geſta, inquit idem, [d] niſi quod magnum opus aggreſſus, vitam gloriæ poſthabuit. Addit etiam hiſtoriæ, voluiſſe Eleazarum illum, quem regem eſſe opinabatur, contingere. Sed quod is multum ſupereminerct, minime potuiſſe. Gorionides ait eum id facinus Iuda hortatore ſuſcepiſſe.

σπουδῇ εὐ-καρδίας.

[d] l. 1. bel. c. 1.

XX. *Et S. Ambroſio.*

Contigit eidem Eleazaro egregium habere laudatorem Ambroſium, [e] cuius verba non inuitus opinor lector hoc loco recognoſcet. *Quanta igitur virtus,* inquit, *animi, primo vt mortem non timeret: deinde vt circunfuſus legionibus inimicorum, in conſertos raperetur hoſtes, medium penetraret agmen, & contempta morte ferocior, abiecto clypeo, vtraque manu vulneratæ molem beſtiæ ſubiret, ac ſuſtineret, poſt infra ipſam ſuccederet, quo pleniori feriret ictu. Cuius ruina incluſus magis quam oppreſſus, ſuo eſt ſepultus triumpho. Nec fefellit opinio virum, quamuis regius fefellerit habitus. Tanto enim virtutis ſpectaculo defixi hoſtes, inermem occupatum incurſare non auſi, poſt caſum ruentis beſtiæ ſic trepidauerunt, vt impares ſe omnes vnius virtuti arbitrarentur.* Et mox. *Itaque Eleazarus hæredem virtutis ſuæ pacem reliquit.* Ita S. Ambroſius; ſed de pace paulo poſt.

[e] l. 1. offic. c. 40.

XXI. *Ex S. Gregorio.*

Placet enim prius laudatori Ambroſio adiungere Gregorium monitorem. Is enim [f] alludens, vt videtur, ad illa verba, *vt acquireret ſibi nomen æternum*, ita ſcribit, *Eleazar in prælio Elephantem feriens ſtrauit, ſed ſub ipſo quem extinxit occubuit. Quos ergo iſte ſignificat, quem ſua victoria oppreſſit, niſi eos qui vitia ſuperant, ſed ſub ipſa quæ ſubyciunt, ſuperbiendo ſuccumbunt? Quaſi enim ſub hoſte, quem proſternit, moritur, qui de culpa*

[f] l. 19. c. 13.

quam ſuperat eleuatur. Ita S.Gregorius. Quem tamen ſatis conſtat hoc factum Eleazari non damnare, ſed eo quaſi parabola vti, ad cautionem ſpiritualis bellatoris. Nec tam iniuſtus mercator fuit Eleazarus, vt vitam vellet pro laude paciſci, ſed vt liberaret populum ſuum; cui primariæ intentioni, alteram acquirendæ gloriæ ſine culpa potuit adiungere. Eſt enim gloria ex natura ſua indifferens, nec primum illum finem corrumpit.

XXII. *Machabæani recedunt.*

Hoc inito prælio Machabæani, *Videntes virtutem regis, & impetum exercitus eius, diuerterunt ſe ab eis*, quæ Ioſephus explicans. *Iudas*, inquit, *animaduertens hoſtem tanto ſuperiorem numero, Hieroſolyma ſe recepit, volens arcem iterum oppugnatione aggredi.* Corrigit quod dixerat alibi, [a] vbi vellicata Eleazari audacia. *Hoc*, inquit, *fratri eius totius prælij præſagium fuit. Nam fortiter quidem Iudæi diuque decertarunt, ſed à regiis ſecunda fortuna vſis, numeroque præſtantibus ſuperati ſunt; multiſque interfectis Iudas cum cæteris in Gophniticam toparchiam refugit.* Ea eſt in tribu Ephraim, longe diſtans Hieroſolymis. Addit quoque de ſuo multos ex parte Iudæ interfectos, cuius rei ne minimum quidem habet in Scriptura veſtigium, ſed illud tantum, *diuerterunt ſe ab eis.* E contrario vero de Eupatore. *Fugabatur*, inquit, *impingebat, minorabatur*, &c. Pergit Ioſephus.

a l.1. bel. c.1.

XXIII. *Eupator ad Bethſuram male rem gerit.*

Antiochvs vero parte exercitus miſſa ad oppugnandam Bethſuram, cum reliquo venit Hieroſolyma: Sic ipſe. Quid autem ad Bethſuram geſtum ſit, diſcemus ex l.2. [b] *Rex accepto guſtu audaciæ Iudæorum*, tam in nocturno, quam in diurno prælio, maxime autem in cæde elephantis, *arte difficultatem locorum tentabat* eluctari, *& Bethſuræ, quæ erat præſidium Iudæorum munitum, caſtra admouebat, ſed fugabatur*, per eruptiones incluſorum, *impingebat*, per temerarios inſultus obſidentium, *minorabatur*, per ſuorum varias cædes, & funera, quæ bellum fameſque inferebant. Nam famem mox Lyſias fatetur. Interea vero *iis qui intus erant, Iudas* pro ſua tenuitate, *neceſſaria mittebat.* Nam etiam Hieroſolymis fame laborabatur, vt mox patebit.

b c.13.18.

XXIV. *Proditio Rhodoci.*

Tangitvr deinde hiſtoria quædam obſcura de Rhodoco, & ideo obſcura, quia tangitur tantum. *Enunciauit*, inquit, *myſteria hoſtibus Rhodocus quidam de Iudaico exercitu, qui requiſitus comprehenſus eſt, & concluſus.* Exiſtimo autem myſteria illa, fuiſſe ſecretas quaſdam vias, & modos, quibus alimenta Bethſuræis ſuggerebantur, quæ perfidus Rhodocus hoſtibus patefecerit, transfugere ad eos deſtinans, ſed re patefacta, inquiſitus, inuentuſque, in carcerem coniectus eſt. Huic coniecturæ anſam præbet, quod proxime ante dictum erat, Iudam obſeſſis neceſſaria ſummiſiſſe. Confirmat & quod ſequitur. *Iterum Rex ſermonem habuit ad eos qui erant in Bethſuris, dexteram dedit, accepit, abijt.* Quaſi dicat, Regem primo quidem allocutum Bethſuræos, & ad deditionem inuitaſſe, ſed contemptum, ac repulſum, & damnis affectũ. At poſtquam eos fame laborare cognouit, & vias obſtruxit inferendo commeatui. Iterum eos allocutus, ad amicam deditionem compulit; itaque dextram dedit, accepit, abiit, *commiſit cum Iuda, ſuperatus eſt*, non poſtquam abiit, ſed cum amiſit primum 4.millia, deinde ſexcentos de ſuis: præter eos quos hauſit obſidio Bethſuræ, incolumi Iuda cum ſuis, excepto Eleazaro, qui vitam vltro profudit, vt ex l.1. explicatum eſt.

XXV. *Bethſuræorum amica deditio.*

c c.6.49. De eadem deditione in l.1. [c] paulo plenius. *Et fecit pacem cum his, qui erant in Bethſuris, & exierunt de ciuitate, quia non erant eis ibi alimenta concluſis. Quia ſabbata erant terræ, & comprehendit Rex Bethſuram, & conſtituit illic cuſtodiam ſeruare eam.*

d l.12.c.14. Bethſuritæ, inquit Ioſephus, [d] territi apparatu regio, maxime cum commeatus eos deficeret, deditionem fecerũt, pacti prius vt hoſtis à ſe iniuriam omnem abſtineat; quod quidem à Rege, non niſi ſalute tenus ſeruatum eſt: alioqui nudis eiectis oppidanis, ſuorum præſidium ibi conſtituit. Clarum eſt Ioſephum addere iis qui Scriptura tradit, non improbabiliter illum quidem hoc loco, ſed parum conſentaneè,

e l.10. ant. c.11. illi aſſertioni ſuæ, qua dixit, [e] ſe nihil ſacris voluminibus addere de ſuo, neque auferre.

XXVI. *Annus ſabbaticus 187.*

Cæterum ſabbata terræ vocat annum ſeptimum, quo terræ vacatio dabatur. Ex quo egregie confirmatur noſtra circa annos ſabbaticos chronologia, quæ hunc annum ſabbaticum conſtituit, ordine 187. ab ingreſſu Iſraëlitarum in Chananitidem, vt ſæpius dictum eſt, ita vt primus ſabbaticus ſit Ioſue ſeptimus, à quo ſi quis diſſenſerit, à veritate diſceſſerit, & huic Scripturæ loco repugnarit. Confirma-

Obſidio vrbis et templi, eiuſdemque ſolutio.

tur etiam ex Olympiadibus annus ſabbaticus. Cadit enim in annum tertium 154. Olymp. vt habes in indice anni huius, & apud Torniellum, qui eſt etiam annus 150. regni Græcorum, quem Scriptura prodit, vt initio anni huius diximus. Itaque qui initium regni Græcorum in primum annum Olympiadis centeſimæ decimæ ſeptimæ conferunt, prſentem, quem Scriptura vocat centeſimum quinquageſimum regni Græcorum, ſabbaticum habere non poſſunt.

XXVII. *Obſidio Hieroſolymorum & Templi.* Qvod ad Hieroſolymæ obſidionem attinet. Iam caſtra Regis aſcenderant contra Iudæos in Ieruſalem, & applicuerant ad Iudæam, & montem Sion. [a] Nunc autem Rex potitus Bethſura, copias omnes traduxit Hieroſolymam, eáque facile potitus, *Conuertit caſtra ad locum ſanctificationis dies multos*, vrbe inquam potitus, alioqui templi munimenta, & propugnacula obſidere non potuiſſet. *Et ſtatuit illic baliſtas, & machinas, & ignis iacula, & tormenta ad lapides iactandos, & ſpicula, & ſcorpiones ad mittendas ſagittas, & fundibula. Fecerunt autem & ipſi obſeſſi machinas aduerſus machinas eorum, & pugnauerunt dies multos. Eſcæ autem non erant in ciuitate, eo quod ſeptimus annus eſſet: & qui remanſerant in Iudæa de Gentibus, conſumpſerant reliquias earum, quæ repoſitæ fuerant. Et remanſerunt in ſanctis*, id eſt in templo ad eius defenſionem, *viri pauci, quoniam obtinuerat eos fames, & diſperſi ſunt vnuſquiſque in locum ſuum.* Dilabebantur ſcilicet vrgente victus inopia. Ex quo plane ad deditionem faciendam ventum erat, niſi Deus, qui eos tam ſæpe à præſenti morte in præliis eripuerat, etiam nunc neceſſariam deditionem, per ipſos hoſtes præueniſſet. Sed prius de oppugnatione prædicta, & anno ſeptimo, pauca ex Ioſepho petamus. — a Vt dicitur l. 1. c. 6. v. 48.

XXVIII. *Refertur ex Ioſepho.* Apvd Hieroſolyma inquit, per multum tempus eum tenuit templi obſidio, quod fortiter à Iudæis defenſum eſt. Nullam enim eis Rex intentauit machinam, quam non illi contrariis machinationibus eluderent; tantum laborabatur victus penuria, quod fruges veteres abſumpſerant, & annus inciderat ſeptimus, per quem fructus non colliguntur, quod eum ceſſare ab agricultura lex noſtra iubeat, nec permittat tum vel arare terram, vel ſerere: quo factum eſt, vt multi ſe clam ſubducerent propter inopiam, vt penes paucos templi tutela remanſerit. Lex porro quam citat Ioſephus habetur in Exodo, & Leuitico. [b] Ex his autem corriguntur aliquot eiuſdem errata in libro de bello. [c] Antiochus inquit, ad Hieroſolymam profectus, ibique dies paucos commoratus, penuria vtenſilium abſtitit, relicto quidem ibi præſidio, quantum ſatis eſſe arbitrabatur; cætera vero multitudine ad hyemandum deducta in Syriam. Antiochus non manſit paucos dies ad Hieroſolymam, nec ibi præſidium reliquit, nec diſceſſit hyemandi cauſa. Nam Scriptura diebus multis pugnaſſe affirmat & tacito præſidio, diſceſſus cauſam affert aduentum Philippi Lyſiæ proregis æmuli. — li. 12. c. 14. — *Qui & emẽdatur.* — b Exod. 23. 11. Leuit. 25. 2. c l. 1. bel. c. 1.

XXIX. *Deus Iudam liberat vt olim Ezechiam.* Cvm in eo ſtatu Iudaicæ res eſſent, vt non ſolum deſperanda victoria, ſed qualeſcunque etiam deditionis leges ſubeundæ viderentur: Iudæ Machabæo Dei benignitate non diſſimile auxilium contigit, illi quod olim Deus per Iſaiam afflicto Ezechiæ ab Aſſyriorum rege Sennacherib nunciauit. [d] *Noli timere à facie ſermonum quos audiſti, quibus blaſphemauerunt pueri Regis Aſſyriorum me. Ecce ego immittam ei ſpiritum, & audiet nuncium, & reuertetur in terram ſuam, & deiiciam eum gladio in terra ſua.* Hæc enim omnia Eupatori, & curatori eius Lyſiæ, breui tempore, intra hunc & ſequentem annum contigerunt. Spiritus æmulationis in Lyſiam inuaſit Philippum, cui Eupatorem filium regni hæredem commiſerat moriturus pater, quem conſtituerat ſuper vniuerſum regnum ſuum, cui dederat diadema, & ſtolam ſuam, & annulum. Ille ergo his munitus præſidiis, ab Antiochenis receptus, vrbem occupat. Quo accepto nuncio Lyſias conſternatus eſt; Rex cogitur pacem facere cum Iudæis, redit Antiochiam, à Romanorum legatis tractatur acerbius, legatum per ſuos occidit, & mox ab æmulo imperij Demetrio, cum Lyſia interficitur. Quæ nobis paulo vberius explicanda ſunt. — d 4. Reg. 19. 6. — *Turba in regno Eupatoris.*

XXX. *Lyſias in Philippum æmulum inſurgit.* Lysias ergo vt [e] *audiuit quod Philippus, quem conſtituerat Rex Antiochus cum adhuc viueret, vt nutriret Antiochum filium ſuum & regnaret*, [f] *reuerſus eſſet à Perſide, & Media, & exercitus qui abierat cum ipſo*: [g] qui erat 40. millium peditum, & 7. millium equitum, cum quo Artaxem regem Armeniorum debellatum ceperat, *& quia quærebat ſuſcipere regni negotia*, redacto ſcilicet in ordinem Lyſia, qui hoc munere fungebatur, quamprimum aggreſſus eſt eius conatus infringere. Dices tar- — e l. 1. c. 6. 55. f c. 6. v. 14. & 15. g c. 1. 37.

diorem videri eius aduentum in Syriam, ex quo mortuus eſt Epiphanes: præſertim cum author [a] eum in Ægyptum ad Philometorem metu Eupatoris profugiſſe dicat. Reſpondeo videri Philippum interea res in Perſide, Media, Babylonia, aliiſque ſuperioribus regionibus, quaſi Proregem ordinaſſe. Hoc autem tempore Antiochiam veniſſe, eamque occupaſſe: mox autem Rege contra eum veniente, Antiochenis diffidentem aufugiſſe, quod per anticipationem lo. cit. author tetigit.

a l. 2. c. 9. ß.

XXXI. *Suadet ſolui obſidionem.*

Ergo *Lyſias feſtinauit ire, & dicere ad Regem, & duces exercitus. Deficimus quotidie, & eſca nobis modica eſt, & locus quem obſidemus eſt munitus, & incumbit nobis ordinare de regno.* Ita fideliter habet Vaticanus codex Græcus, vulgatæ recte conſentiens. At Baſilienſis, & Tigurina verſio meminerunt arcis, quaſi Lyſias ſtimulauerit eos, qui in arce erant, ad dicendum deficimus quotidie &c. Verum cum arcis obſidio iamdudum ſoluta eſſet, non erat cur illi magis de rerum penuria, quam reliquus exercitus quereretur. Ioſephus longius etiam abit à ſimplici Scripturæ veritate, quē oportet in viam reducere. *Cæterum*, inquit, *Rex & Lyſias imperator cognito quod Philippus, vſurpato ſibi regno, aduentaret è Perſide, decreuerunt ſoluta obſidione illi occurrere; celantes tamen, quantum fieri poterat, id conſilium tam militem quam duces reliquos. Quapropter diſſimulato aduentu Philippi, iuſſit Rex Lyſiam vt alloqueretur duces & milites; dicens oppugnationem eam non eſſe modici temporis, quod locus eſſet munitiſſimus, & commeatus eos iam deficerent, & auocarent multa regni negotia, quæ opus eſſet regem componere.*

XXXII. *Diſcedit à Scriptura Ioſephus.*

Deflectit ſane à via Ioſephus, quod hoc conſilium à Rege & Lyſia profectum tradit, cum à Lyſia Scriptura id ortum referat, qui apud regem metum ſuum, & inuidiam diſſimulabat. Et quid opus erat perſuadere pacem exercitui Regio, ſi Rex ipſe & Lyſias, duo ſumma rerum capita, in eam conſentiebant? Non ergo Lyſias iuſſu regis allocutus eſt exercitum, ſed contra Lyſias ſponte ſua, aut æmulatione ſtimulante, Regem duceſque adiit, eiſque pacem perſuaſit. Non accuſo Ioſephum, quod dicat Philippum vſurpato ſibi regno aduentare, ea enim interpretis culpa eſt non Ioſephi, qui habet, ϗ τὰ πράγματα εἰς ἑαυτὸν καταβιβάζειν, quæ non male reſpondent Scripturæ verbis, *quærebat ſuſcipere regni negotia*, vicario ſcilicet nomine, loco Lyſiæ adminiſtranda. Et ita intelligi oportet illud. [b] *Vt autem cognouit rebellaſſe Philippum Antiochiæ, qui relictus erat ſuper negotia*: Epiphanis ſcilicet teſtamento, quod officium Lyſias vſurpabat, & contra eum rebellio erat, quæ tamen in regem quoque videbatur eſſe, quem Lyſias habebat in arbitrio & poteſtate ſua. Is ergo cauſis allatis, cur pacem dare Iudæis oporteret, ita concludit.

b l. 2. c. 13. 23.

XXXIII. *Lyſias ſuadet pacem dari Iudæis.*

Nvnc itaque demus dextras hominibus iſtis, & faciamus cum illis pacem, & cum omni gente eorum, & conſtituamus illis, vt ambulent in legitimis ſuis, ſicut prius; propter legitima enim ipſorum, quæ deſpeximus, irati ſunt, & fecerunt omnia hæc. Legendum videtur diſperſimus, non deſpeximus, legitur enim Græcè διεσκεδάσαμεν. Non enim tantum deſpexerant, ſed ferro ac flammis perſecuti fuerant. *Et placuit ſermo in conſpectu Regis, & principum, & miſit ad eos pacem facere; & receperunt illam, & iurauit illis Rex, & principes, & exierunt de munitione.* Libro ſecundo [c] ſignificatur Iudam difficilem ſe exhibuiſſe in pace admittenda, aut aliquibus eius conditionibus: *mente conſternatus*, ſcilicet Rex Eupator *Iudæos deprecans, ſubdituſque eis, iurat de omnibus quibus iuſtum viſum eſt, & reconciliatus obtulit ſacrificium, honorauit templum, & munera poſuit: Machabæum amplexatus eſt, & fecit eum à Ptolemaide, vſque ad Gerrenos ducem & principem.* Quid eſt quod ait Regem ſubditum Iudæis? niſi reluctantem acquieuiſſe iis, quæ expoſcebant Iudæi.

c. 13. ß.

Rex conſentit.

XXXIV. *Machabæū honorat, & ornat præfectura.*

Qvam ſententiam vel parum aſſequitur, vel nimium auget Tigurina verſio, quæ habet, perturbatus ſuppliciter ſe ſummiſit Iudæis, iurauit in quaſcunque conditiones, pacem iniit, ſacrificium fecit, honorem detulit templo, locum benignitate proſecutus eſt, & Machabæum amplexatus eſt, &c. In Græco eſt, reliquit belli ducem à Ptolemaide, vſque ad Gerrhenorum principatum. Videtur enim conſtituere terminos regionis, quibus præficiebat Iudam Eupator, Ptolemaidem vrbem maritimam, cis Tyrum verſus Ieroſolymam poſitam, & regionem Gerrhenorum, ſiue Geraſenorum, qui habitabant ad lacum Geneſareth, ſiue quem alium populum intelligi placet. Nam Gerrhenos alibi Scriptura non memorat, nec Adrichom. aut Ioſephus quod ſciam: & multa eſt in nominibus propriis vbique diuerſitas.

ως τῶν γερ- ... ἡγε- ...

XXXV. *Rex abit Antiochiam.*

SED breuis fuit hæc beneuolentia, breuis iuriſiurandi fides. Nam l.1.ita legimus. *Et intrauit Rex montem Sion, & vidit munitionem loci, & rupit citius iuramentum quod iurauit, & mandauit deſtruere murum in gyro. Et diſceſſit feſtinanter, & reuerſus eſt Antiochiam, & inuenit Philippum dominantem ciuitati, & pugnauit aduerſus eum, & occupauit ciuitatem.* Summa hic narrationis eſt breuitas: quæ partim ex l. 2. partim ex Ioſepho ſuppletur. Ex itinere adiit Ptolemaidem, quo vt venit grauiter ferebant Ptolemenſes amicitiæ conuentionem, *indignantes ne forte fœdus irrumperent*: in Græco ad verbum eſt, indignabantur enim, pro quibus voluerunt rumpere fœdera; id eſt, indigne ferebant quædam conceſſa Iudæis, ob quæ volebant fœdera pacis irrita facere. Fuiſſe enim hoſtes Iudæorum Ptolemenſes, ex l.1. [a] ſatis patet. Ionathan enim Machabæi fratrem, eiuſque ſucceſſorem, proditorie comprehenſum, cum ſuis interfecerunt. Itaque non recte Tigurina vult indignatos Ptolemenſes, propter conditiones pacis per nefas violatas.

Transit Ptolemaide. *Contra fœdus tumultuantur.*

ca.6.v.1. ca.13.25. a ca.12.48.

XXXVI. *Quæ cauſa tumultus.* *Sedatur à Lyſia.*

CAVSA autem indignationis videtur poteſtas, & præfectura data Machabæo: ob quam cum illi tumultuarentur, *aſcendit Lyſias tribunal, & expoſuit rationem, & populum ſedauit, regreſſuſque eſt Antiochiam: & hoc modo regis profectio, & reditus proceſſit.* Cum ergo populus ſedatus fuiſſe dicatur à Lyſia, eiuſque rationibus acquieuiſſe, ſatis intelligitur fœdus cum Iudæis non fuiſſe ſtatim diremptum, (licet Eupator templi munitionem dirui iuſſerit, forte cauſatus id in conditionibus fœderis non eſſe comprehenſum.) Eius rei perſpicuum argumentum eſt, ſi verum eſt, quod quidam aiunt Iudæos multum adiuuiſſe Regem in occupanda Antiochia: ex qua elapſus Philippus, in Ægyptum, vt diximus. [b] profectus eſt. Ex quo corrigendus eſt Ioſephus. [c] *Cæterum*, inquit, *Antiochus cum offendiſſet Philippum iam occupaſſe tyrannidem*, κατὰ πάντα τῶν πραγμάτων, negotiis præpoſitum, ex Epiphanis ſcilicet voluntate. (Non enim bene interpres Philippum tyrãnum facit, vt ante diximus) *bello victum, & in poteſtatem ſuam redactum, affecit ſupplicio.* Quomodo potuit, cum is in Ægyptum fugiſſet?

Philippus num tyrannus.

b ex l.2.c.9.6. c l.12.c.15.

XXXVII *Mors Menelai ex Ioſepho.*

IN hoc ipſo Regis in vrbem Antiochenam regreſſu, tradit Ioſephus, quem ſequitur Gorionides, Menelaum ab Eupatore ſuaſione Lyſiæ interemptum; de cuius interitu paulo ſuperius cum Scriptura diximus. Hic quæ de eo Ioſephus habet videamus, quoniam non improbabile eſt illum in hoc reditu comprehenſum, & ſupplicio affectum. *Reuerſus eſt* Eupator ſcilicet, *Antiochiam, ducens ſecum Oniam Pontificem, qui Menelaus dicebatur alio nomine* (hoc falſum eſſe, ex Scriptura iam ſemel iterumque demonſtratum eſt. *Lyſias enim Regi author fuit, vt eum interficeret, ſi vellet Iudæos quieſcere, & ipſe liber eſſe ab eorum ſeditionibus. Hunc enim eſſe malorum omnium autorem & principium, qui perſuaſiſſet eius patri, vt Iudæos ab inſtitutis patriis deficere cogeret. Rex igitur Menelaum miſſum in Berœam Syriæ necauit, poſt exactum in pontificatu decennium*, id confirmat Chronologiam noſtram, iuxta quam exacto decennio, hic annus vndecimus pontificatus eius numeraretur. Pergit. *Hominem malum & impium, qui vt ſibi principatum aſtrueret, totam gentem à religione deficere compulit.* Sic ipſe.

XXXVIII. *Menelao tribuit crimen Iaſonis.*

QVI rurſum minime probandus videtur in eo, quod ait Menelaum perſuaſiſſe Epiphani, transferre Iudæos ab inſtitutis patriis. Id enim facinus fuiſſe Iaſonis fratris Oniæ conſtat. [d] Errat præterea quod illum ait pontificatum decennium tenuiſſe, ex quo ſcilicet Iaſon, ipſius fraude, pontificatu deiectus fuerat; anno regni Græcorum 139. At neque tunc pontifex fuit; minime autem omnium ex quo Mathathias factus eſt populi dux & pontifex, & ſecũdum eum Iudas Machabæus. Nec diſtinctus erat his temporibus principatus à Pontificatu, vt ſignificat Ioſephus ipſe, [e] cum deplorat Regnum, quo prius pontificale genus honeſtabatur, ad plebeios homines fuiſſe tranſlatum. Et apertius alio loco, [f] ait Pontifices Iudæorum à Cyro Perſarum rege, vſque ad Antiochum Eupatorem ſtatum Reip. popularem rexiſſe, per annos 413. imo per annos trecentos 75. qui ſunt anni ſextæ ætatis: nec plures omnino à Cyro reperiuntur, etiam numeratis extremis. Abeſt ergo à vera chronologia Ioſephus annis duodequadraginta.

d ex l.2.c.4.8. e l.14.c.8. f l.20.c.8.

Anni à Cyro.

XXXIX. *Principatus apud Iudæos connexus nunc Pontificatui.*

IIDEM ergo erant tunc populi principes & pontifices, authore Ioſepho; atqui ex Scriptura, [g] conſtat Menelaum ſe addixiſſe Regi Eupatori, ſperantem ſibi collatum iri principatum, ergo non erat tunc pontifex, neque reipſa, quoniam Machabæi illi infenſiſſimi rerum potiebantur; neque iure ipſo, quoniam alienus erat

g l.2.c.13.3.

à ponti-

à pontificali, imo à Leuitica familia, cum eſſet de tribu Beniamin, ſicut eius frater Simon. Quamquam illa Ioſephi aſſertio facile erroris conuinci poteſt. Zorobabel enim, & Nehemias, & Eſdras populi duces fuere, nec tamen pontifices, ſed Ioſue, Eliaſib &c. vt ſuis ſemper locis notauimus.

a l. 1. c. 34. & c. 4. 13. Nomine ergo tenus pontifex fuit Menelaus, cui pari fere iure ſucceſſit Alcimus, ſed non niſi anno ſeq. poſt occupatum à Demetrio Syriæ regnum: [a] contra quam ſcribit hoc anno Capellus ſectarius, neque Ioſephum, neque Scripturam ſecutus; cuius omnes obiectiones contra huius anni hiſtoriam, ex l. 2. petitæ, ex dictis facile corruunt, ſi quis velit, quod æquiſſimum eſt, maiorem Scripturæ, quam Ioſepho attribuere autoritatem. Nec operæprecium eſt in ſingulis reuincendis oleum, & operam perdere.

Torniellvs vir optimus atque doctiſſimus, & de Chronologia ſacra valde bene meritus, refert in hunc annum 150. epiſtolam vnam, quæ habetur ſub init. l. 2. quæ inchoëtur verbis illis v. 10. *Populus qui eſt Hieroſolymis*, & finiatur v. 19. Ab eius tamen opinione diſcedere cogimur, quod nonnulla habeat, quæ parum nobis probantur: ſiue quod tres epiſtolas illic agnoſcat, quarum vna ſcripta ſit hoc anno, qui tamen annus non ſit notatus, altera 169. v. 7. tertia 188. v. 10. cum vnicam tantum eſſe credamus, datam 188. quæ alterius meminit datæ 169. & illius ſummam attingit; quæ eſt Serarij quoque noſtri ſententia: ſiue quod exiſtimet Antiochum, qui in templo Nanez percuſſus dicitur v. 16. eſſe Epiphanem, cum nos exiſtimemus eſſe Antiochum Sedetem, qui ſub ea tempora regnauit. Sed nec Iudam illum, qui v. 10. memoratur, arbitramur eſſe Machabæum. Verum totam rem in annum illum 188. quo data eſt epiſtola differemus. XL. *Opinio Tornielli de tribus epiſtolis.* l. 2. c. 1. *Improbatur.*

Qvod ad rem Romanam attinet, Tib. Graccho II. Conſule habente comitia, creati ſunt Coſs. P. Cornelius Scipio Naſica, cui cognomen Corculum additum eſt, filiuſque fuit eius, qui peregrinam deam Romæ recepit, vir optimus à Senatu iudicatus, Cic. in Brut. Eius collega fuit C. Marcius Figulus, cui Gallia prouincia obtigit, Scipioni Corſica, id habetur ex Valerio,[b] qui ait à Tiberio Graccho literas ex prouincia miſſas ad collegium augurum, quibus ſignificabat ſe comitiis Conſularibus habendis vitio tabernaculum cepiſſe. Qua re ab auguribus ad Senatum relata, iuſſu eius C. Figulum è Gallia, Scipionem Naſicam è Corſica Romam rediiſſe, & ſe Conſulatu abdicaſſe: eadem pluribus refert Cic. l. 2. de nat. Capitolinæ tabulæ in eorum locum ſuffectos tradunt P. Cornelium Lentulum, & Cn. Domitium Ænobarbum. XLI. *Coſſ. anni huius.* b l. 1. c. 1. *Abdicaruut; qui ſuffecti.*

Hoc anno legati Romanorum Cn. Octauius, Sp. Lucretius, & L. Aurelius in Aſiam & Syriam ſuperiore anno deſtinati, in Aſiam primo ad Ariatathem regem Cappadociæ venerũt, vt ex Polybio in legat.[c] perſpicuum eſt. Qui vbi regem allocuti ſunt, ſuper controuerſia quam habebat cum Galatis, ille paucis rem omnem exponere, ac dicere eorum ſe iudicio facile acquieturum. Cæterum de Syriæ rebus pleraque omnis eius fuit oratio, quod ſciret eo pergere Octauium cum ſuis. Oſtendit res ibi admodum turbatas; ſibi cum iis, qui rerum ibi potirentur, neceſſitudinem magnam intercedere: ſeſe etiam cum copiis comitem obtulit, donec ex Syria eſſent reuerſi. Legati beneuolentiam grato animo, & cum laude acceperunt, comitatum remiſerunt. Intelligit autem turbas tum Regis contra Iudæos, tum Lyſiæ & Philippi æmulationes, circa regni adminiſtrationem. XLII. *Legati Romani ad Ariarathem Cappadocem.* c n. 108.

Inde Laodiceam Syriæ venerunt, vbi quid factum ſit, his verbis declarat Appianus in Syriacis. Cum audiſſet Senatus multos elephantos eſſe in Syria, & naues aliquot ſupra definitum Antiocho numerum, legati miſſi ſunt qui elephantos interficerent, & naues exurerent. Hoc ſpectaculum miſerabile viſum eſt, occidi manſuetas & raras belluas, & naues concremari. Id non ferens quidam Leptines, qui tum erat Laodiceæ, Cn. Octauium legationis principem, dum vngitur, in Gymnaſio confodit; quem Lyſias ſepeliit. Sic Appianus. Huius Leptinis conſtantiam prædicat Polyb.[d] vbi ait illum poſt patratam Cn. cædem, nihilominus Laodiceæ in publico eſſe verſatum, auditamque illius vocem, iure cæſum legatum, neque id ſine numine diuũm: quin etiam ſe obtulit, vt Romam iret, factumq; ſuum Senatui Romano probaret: nec aliter quam promiſerat fecit, vt ſuo loco dicetur. XLIII. *Cn. Octauius legatus Laodiceæ occiditur.* d n. 122.

Idem refert Iſocratem quendam declamatorem, publice etiam verba facien- XLIV. *Cæterorum periculum.*

tem prænunciaſſe, iure fuiſſe occiſum Cnæum; quin cæteros quoque populi Romani legatos eſſe iugulandos, ne eſſet qui cladis nuncium Romam referret, & Romani diſcerent modeſtius imperare. Cic. Philippica 9. *At ea fuit legatio Octauij, in qua periculi ſuſpicio non ſubeſſet. Nam cum eſſet miſſus à Senatu, ad animos regum perſpiciendos, liberorumque populorum, maximéque vt nepotem Antiochi regis, eius qui cum maioribus noſtris bellum geſſerat, claſſes habere, elephantos alere prohiberet, Laodiceæ in gymnaſio, à quodam Leptine eſt interfectus. Reddita eſt ei tum à maioribus ſtatua pro vita, quæ multos per annos progeniem eius honeſtaret.* Sic M. Tul. eius ſtatuæ meminit Plinius. [a] Sed fallitur dum Popilij legationem cum iſta confundit, quæ toto cœlo differunt. Illa enim ad Epiphanem, hæc ad Eupatorem miſſa fuerat, in illa legatus incolumis Romam rediit, in hac interfectus eſt.

Cædes illa à M. T. relata.

a l. 34. c. 6.

XLV. *Ratio temporis.* *Eadem cædes ex Zonara.* *Authore Lyſia.* *Ex Polybio.*

Chronologiam confirmat Iul. Obſequens, qui hanc Octauij cædem contigiſſe tradit Marcio & Scipione Conſulibus, qui hoc anno magiſtratum geſſere. Zonaras, Antiocho rege mortuo, inquit, Romani filio eiuſdem nominis regnum confirmarunt, eique ob teneram ætatem tres curatores miſerunt; qui cum præter pacta & conuenta triremes & elephantos inueniſſent, belluas occidi iuſſerunt, ac cætera ex Romanorum vtilitate adminiſtrarunt. Qua de cauſa Lyſias, cui regis tutela commiſſa erat, populum concitauit vt Romanos eiiceret. C. vero Octauium occideret. His factis ſtatim legatos Romam miſit, vt id facinus purgaret. Sic ipſe. Polyb. eius facinoris authore Lyſia perpetrati, meminit n. 112. legationis autem n. 114. Eodem tempore, inquit, poſtquam eſſet nuncius Romam allatus de cæde Cn. Octauij; cum etiam legati Antiochi, quos Lyſias miſerat, Romam veniſſent, & multa diſſeruiſſent, quo probarent cædis eius conſcium Regem non fuiſſe, Senatus legatos remiſit, nulla prolata ſententia, quia mentem ſuam prodere omnino nolebat.

XLVI. *Demetrius obſes de fuga conſilium capit.*

At Demetrius hoc nuncio perculſus Polybium accerſit, & cum eo deliberat, deberétne iterum de ſuis rebus cum Patribus agere. Polybius Demetrium monuit caueret ad eundem lapidem bis offendere, quin potius in iſtis occaſionibus auderet aliquid regno dignum. Demetrius etſi animaduertebat, quò id conſilium ſpectaret, vſus tamen Apollonij familiaris ſui conſilio in Curiam venit, & vt ſaltem liberaretur neceſſitate manendi Romæ pro obſide orat, quando Regnum Antiocho Eupatori firmaſſent. Cum nihilominus Senatus in ſententia permaneret, conſilio Polybii vti ſtatuit, furtimque ſe Roma proripere. Id quia anno ſequenti factum eſſe conſtat, [b] eam fugam, & quæ illam ſicut conſecuta, in proximum annum differamus.

b ex l. 1. Mach. c. 7.

XLVII. *Querelæ regum Ægypti.*

Hoc ipſo tempore, vt refert Polyb. [c] Ptolemæus iunior querelas de iniqua regni cum fratre ſuo partitione, à Romanis ipſis facta, Romam detulerat, petebátque à Senatu, vt Cyprum ſibi adiudicaret; qua impetrata, etiam portionem fratris potiorem futuram. At contra Philometoris legati, qui tunc aderant, (quorum princeps erat Menithyllus, qui fugam Demetrii iuuit, vt dicemus) dicebant iuniorem Ptolemæum non ſolum regnum Cyrenes, ſed etiam vitam, fratris opera retinere: adeo omnium animos ab eo alienatos eſſe, tantamque offenſam contractam, vt pro magno beneficio conceſſum ſibi præter ſpem ſuam, & omnium opinionem, vt Cyrenes regnum acciperet: idq; legati Romanorum Canuleius & Quintius ſuo teſtimonio confirmabant. (Offenſio porro hæc ex matris Cleopatræ cæde orta erat, iuxta ea quæ ex Pauſania ſupra recitauimus.) Nihilominus Senatus, qui diuiſum regnum cupiebat, vt ſi res ferret diuiſum facilius, quam vnitum in ſuam poteſtatem redigeret, vt notauit Polybius, iuniori Cyprum adiudicauit, & T. Torquatum, & Cn. Merulam legatos decreuit, qui Ptolemæum, ex ſua & ipſius voluntate, in Cyprum reduceret.

c n. 113.

Senatus iniuſtitia.

ANNVS MVNDI 3893. SEXTAE AETATIS, 377. IMPERII GRÆCORVM 151. ANTIOCHI EVPAT. 3. ET VLT. Demetrii Soteris 1. Ivdæ Machab. dvcis et Pontificis 5. Ptolemæi Philomet. 19. Olympiadis CLIV. an. 4. Vrb. Cond. 591. Coss. M. Valerio Messala, et C. Fannio Strabone.

ANNVS ANTE CHRISTVM 160.

1. Mach. 7. 2. Mach. 14. I. *Initium regni Demetrij.* ANNO *centeſimo quinquageſimo primo exijt Demetrius Seleuci filius ab vrbe Roma, & aſcendit cum paucis viris in ciuitatem maritimam, & regnauit illic.* Ita primus Machabæorum confirmat Chronologiam regni Græcorum. Secundus autem tertium annum Eupatoris, qui maxima ex parte concurrit cum primo Demetrij; ait enim [a] poſt triennij tempus Iudam cognouiſſe Demetrii aduentum. Non enim referri poteſt hoc triennium, ad ea quæ proxime narrata erát, de Ptolemęenſibus à Lyſia ſedatis; id enim ſub finem præcedentis anni contigit; nec ad aliud quippiam commodius, quam ad durationem Regni Eupatoris, quandoquidem de illius ſucceſſore agere incipiebat. Quamquam triennium non abſolutum, ſed inchoatum accipiendum eſt.

a cap. 14.

II. *Ratio temporis regni Eupatoris.* Cvm enim ex Scriptura conſtet Epiphanem mortuum fuiſſe anno 149. [b] & Demetrium regnare cœpiſſe anno 151. non poteſt intra eos terminos triennium reperiri, quod Eupatori tribuatur. Ideoque paſſim omnes biennio regnum eius circunſcribunt, vt Euſebius in chron. & Ioſephus, [c] & recentiores omnes. Quin imo Sulpicius l.2. hiſtoriæ ſacræ, ei vnum annum & ſex menſes duntaxat attribuit. Nam de Demetrio agens. *Clam*, inquit, *Roma profugit, in Syriam venit, regnumque occupauit, Antiocho filio*, id eſt Eupatore, *qui annum vnum & menſes ſex regnauerat, interfecto.* Sic ipſe ſumit videlicet ſex menſes anni 49. & totum annum quinquageſimum, præſentem autem totum Demetrio ſucceſſori attribuit: cuius tamen partem aliquam Eupatori recte aſcribere poſſumus, vt ſequens ex Polybio narratio docebit.

b l.1.c.6.16.
c l.12.c.16.

III. *Demetrius cur dictus Soter.* Soterem cognominat Euſebius, & Appianus in Syriacis, qui etiam nominis rationem reddit. *Electo*, inquit, *Heraclida, & Timarcho vt rebelle occiſo, qui alioqui etiam præfecturam Babylonis male adminiſtrauerat; quamobrem Soter appellatus eſt, orto à Babylonis initio.* Et iterum ſub finem libri, *Soter*, inquit, *à Syris, ſecundus poſt Nicatoris filium cognominatus eſt.* Multi iam reges glorioſum hoc nomen ambierunt. Nam Ptolemæus Lagi Soter dictus eſt, vt ſupra diximus, [d] & eius filius Philadelphus à Rhodiis, & Antiochus is cuius filius dictus eſt Theos, & hic noſter Demetrius, & vt quibuſdam placet, alter Ptolemæus, qui dictus eſt Phyſcon.

d Ioſephus l. 12. 1.

IV. *Renouat conſilium fuga.* Vervm age Demetrium ex vrbe educamus, ſiſtamus in Syria, & regno patrio, ſublatis aduerſariis reſtituamus. Facem magna ex parte præferet Polyb. in legat. [e] Poſtquam Demetrius experientia didicit rectum fuiſſe conſilium Polybii, negantis bis ad eundem lapidem impingendum eſſe, Diodorum, qui recens è Syria venerat, ad ſe vocat, hominem vafrum, à quo fuerat olim educatus. Ab eo diſcit res in Syria, propter Octauii cædem turbatas, cum neque populi Lyſiæ fiderent, neque Lyſias populis, & Senatus crederet fraude aulicorum regis ſuos legatos fuiſſe violatos: itaque tempus illi ita opportunum, vt ſi ſe Syris oſtenderet, vel vno puero comitatus, ſtatim regnum in ipſum eſſent tranſlaturi: nec ei quicquam à Romanorum armis timendum, non enim auxilium Lyſiæ, à quo tantum facinus eſſet admiſſum, præbituros.

e nu. 114. 120. 122.

V. *Quis eius modus.* Ita perſuadet fugam, ſed ratio eius quam occultiſſime ineundæ quæritur. Menityllus, qui tum Romæ erat pro Philometore legatus, conſilii huius factus particeps, nauim, & quæcunque eſſent ad iter neceſſaria paraturum ſe recepit; & fecit,

ſine cuiuſquam ſuſpicione, quod reditum ſuum parare præ ſe ferret, nauem conduxit Carthaginenſem, quæ Tyrum nauigatura erat, & diis patriis Carthaginienſium primitias de more allatura; ex quo etiam intelligitur vernum hoc tempus fuiſſe. Paratis omnibus Demetrius ſuum illum educatorem Diodorum in Syriam præmittit, qui rumores colligeret, & ſenſus hominum exploraret. Poſtquam conſtituta cum nautis dies venit, ipſe paucos itineris ſocios futuros, maxime omnium fidos, atque ad rem idoneos aſſumit; cum quibus apud amicum cœnam ſumit, reliquos Anagniam amandat, quo ipſe poſtridie venationis cauſa eſſet venturus.

VI. *Cum paucis euadit.* Interea Menithyllus venit ad præparatam ad Oſtiam nauim, & nautis ſignificat noui aliquid à Rege ſe accepiſſe, cuius gratia oporteret ipſum adhuc in vrbe hærere, ſed iuuenes aliquot ſe ad illum mittere probatiſſimæ fidei, qui ad regem omnia de fratre referant. Id Nauclero perinde erat, quippe cui nihil de pacta mercede deperibat. Interea exeunte tertia vigilia adeſt Demetrius cum octo ſociis, famulis quinque, & pueris tribus, quos cum Menithyllus Nauclero, qui rem ignorabat, obnixe commendaſſet, náuem conſcendunt, & ſimul cum luce anchoras ſoluunt, & vela dant ventis. De eius diſceſſu nihil Romæ cogitatum ante diem quartum, quo ſollicite quæſitus non comparuit. Die quinto Senatus eſt ea de re habitus, cum iam Demetrius ad fretum Siculum perueniſſet.

VII. *Senatus nō inſequitur ſed legatos mittit.* Abeuntem patres perſequendum non duxerunt, quod perſuaſum haberent multum iam itineris ab eo eſſe confectum, quod ſecundo vento vteretur.

Poſt aliquot deinde dies Tib. Gracchum, L. Lentulum, & Seruilium Glauciam legatos decreuerunt, (fuerat Gracchus biennio ante Conſul, & niſi prænomen obſtaret putarem hunc eſſe Lentulum, qui proximo anno, in locum abdicatorum conſulum, Conſul ſuffectus fuerat, & forte Lucius in Polybio in P. vertendus eſſet) qui res in Græcia inſpicerent. Deinde in Aſiam transgreſſi, quid moliretur Demetrius obſeruarent, animos item aliorum regum explorarent.

VIII. *Demetrius ſcribit ad Senatum.* Interea Demetrius defertur in Lyciam, vnde ad Senatum ſcripſit, ſe non contra patruelem Antiochum, ſed contra Lyſiam proficiſci, & Octauii necem vlturum eſſe. Zonaras. Inde Tripolim Syriæ, ſiue Phœniciæ ciuitatem maritimam appellit, & à Syris magna gratulatione, ſecundóque omnium fauore excipitur.[a] Eſt ea vrbs Septentrionalior Tyro & Sidone apud Ptolem. tab. Aſiæ 4. Diodorus[b] nominis originem aſſignat, quod ea tripliciter diſtincta eſſet, in Arabum, Tyriorum, ac Sidoniorum vrbem. *Cum Tripolim Syriæ*, inquit Zonaras, *celeriter ſibi adiunxiſſet, tanquam à Senatu ad regnum occupandum miſſus* (de fuga enim eius nemo cogitabat) *& Apamea potitus, comparatis copiis Antiochiam contendit; ibique puerum & Lyſiam amice obuiam egreſſos, Romanorum enim metu armis abſtinuerant, interjecit.* Sic ipſe.

A Syris libenter accipitur.

[a] Appianus, in Syriacis. Iuſtinus l. 34. ſub fin. 1. Mach. 7. 2. Mach. 14 Ioſeph. l. 12. c. 16. [b] l. 16.

IX. *Eupatorē, & Lyſiam iubet interfici.* Verum hanc geminam cædem paulo aliter Scriptura[c] narrat. *Exijt*, inquit, *Demetrius Seleuci filius ab vrbe Roma, & aſcendit cum paucis viris*, (octo ex Polybio retulimus, præter famulos numero pares,) *in ciuitatem maritimam*, Tripolim Syriæ, *& regnauit illic*, ibi ſcilicet primum pro rege acceptus, ac ſalutatus, Syriæ regem agere cœpit. Idque ſignificat quod ſequitur, *& factum eſt, vt ingreſſus eſt domum regni patrum ſuorum*, ſibi ſcilicet à patre Seleuco, & Antiocho Magno auo debitum, tanquam primogenito Seleuci, eius primogeniti, *comprehendit exercitus Antiochum & Lyſiam, vt adducerent eos ad eum, & res ei innotuit, & ait. Nolite mihi oſtendere faciem eorum, & occidit eos exercitus. Et ſedit Demetrius ſuper ſedem regni ſui.*

[c] 1. 1. c. 7.

X. *Diuina in eum iuſtitia.* Cædem Eupatoris tribuit Sulpitius diuinæ iuſtitiæ perfidiam eius vlciſcenti; & reuera datam Iudæis pacem breui tempore ſemel iterumque violauit. Verum merito poſſumus altius diuinam vindictam repetere, patris peccata in filio vlciſcentem, & radicem eius de terra tollentem, ſicut domum Achabi, & Ieroboami, & aliorum impiorum principum. Sic radix peccatrix in primo frutice exaruit, nec arbore ſucciſa, præciſiſque ramis eius, permiſſum eſt germen radicum eius in terra viuere. Nimirum longe Nabuchodonoſorem immanitate ſuperauerat; & impletum eſt celeriter, quod ſanctus ille martyr moriendo prædixerat.[d] *Tu autem patienter ſuſtine, & videbis magnam poteſtatem ipſius, qualiter te, & ſemen tuum torquebit.*

Luit peccata patris.

[d] l. 2. 7. 17

XI. *Communit ſe in regno.* Occiſis qui maxime regno Demetrii domi officere poterant, munita loca, & defenſioni opportuna occupare ſtuduit. Id habetur ex initio capitis decimi quarti

libri poſterioris. *Sed poſt triennij tempus*, inquit, inchoati videlicet, à morte Antiochi Epiphanis, *cognouit Iudas, & qui cum eo erant, Demetrium Seleuci cum multitudine valida, & nauibus, per portum Tripolis aſcendiſſe ad loca opportuna, & tenuiſſe regiones aduerſus Antiochum, & ducem eius Lyſiam.* In Græco habetur ἀνελόμενον, poſt ſublatum Antiochum, & Curatorem eius Lyſiam; quod ad firmandam temporis rationem in primis pertinet.

DEINDE foris de Romanis omni ratione placandis, atque demerendis cogitauit, quoniam nihil ſibi aliunde timendum eſſe intelligebat. Itaque in eam rem ſtudium omne contulit. 1. Tib. Gracchum legatum cum ſociis, omni officio atque humanitate proſecutus eſt. Teſtis Polyb. in legat. [a] *Poſtquam Menocrates*, inquit, *Antiochiam ad Demetrium veniſſet, & ſermones Regi expoſuiſſet, quos in Cappadocia cum Tiberio, aliſque legatis habuerat, exiſtimans Rex ſuper omnia neceſſarium ſuis rebus eſſe in præſentia, vt prædictos viros omnibus modis ſibi adiungeret, & placaret, omnibus aliis rebus neglectis, ad eos miſit primum in Pamphiliam, deinde iterum Rhodum, quiduis facturum ſe in gratiam Romanorum promittens, donec perfecit, vt Rex ab illis ſalutaretur.* Tiberius enim inſigni eum beneuolentia complectebatur: itaque & plurimum eum adiuuit, ad impetrandum quod cupiebat, & ius regni illi conciliandum.

a n. 120.

XII. *Conatur placare Romanos.*

Comitate in legatos.

SECVNDO conciliatis ſibi perſonis, quæ Romæ cauſam ſuam agere, magna cum autoritate & fructu poſſent, muneribus quidem, vt par eſt credere, legatos priuatim proſecutus eſt: ſed publice etiam S.P.Q.R. Coronam enim auream maximi pretij Romam dono miſit. Teſtatur id idem Polybius. *Demetrius vero*, inquit, *occaſionem nactus quam diximus, legatos extemplo Romam miſit, qui coronam afferrent.* Eius precium idem refert poſtea, [b] aitque decies mille aureorum fuiſſe. Idemque affirmat Appianus, eamque miſſam dicit χαριστήριον, & grati animi monimentum: quod cum Romæ eſſet obſes, liberaliter habitus fuiſſet. 3. Ad expiationem facinoris in legatum Romanum admiſſi, non contentus interfeciſſe Lyſiam Regni moderatorem, ipſumque Regem Eupatorem; cædis authorem Leptinem, & approbatorem Iſocratem Romam, dedendos, ſuppliciiſque pro arbitrio afficiendos miſit. In illorum autem cæde fortuna Demetrio inſigniter fauit, vt quos de medio tolli rerum eius maxime intererat, in iiſdem etiam tollendis ſummam quandam Romanis ſatisfactionem præberet.

lo. cit. b n. 122.

XIII. *Dono coronæ in S.P.Q.R.*

3. Vltione cædis legati, per cædem Eupatoris & Lyſiæ.

QVOD autem attinet ad dedititios, ſcribit Polyb. Leptinem, patrata vt diximus cæde, poſtquam Demetrius regnum ſuſcepit ipſum adiiſſe, hortatumque eſſe ne cæde Cnæi moueretur, néve propterea in Laodicenſes grauius aliquid conſuleret; ipſum enim ſe Romam profecturum, & Senatui probaturum, id ſe diis volentibus perpetraſſe. Itaque quia ſponte ſua, atque alacris ibat, ſine vinculis, & cuſtodibus Romam ductus eſt. Iſocrates contra, ſimul ac nomen eius fuit delatum, mente plane alienatus eſt: vbi vero etiam collum boia ſibi circundari vidit, & vincula admoueri, cibum raro ſumere, corporis cultum penitus aſpernari; vt cum Romam peruenit, vix hominis ſpeciem retineret, vt qui per annuum ſpatium, & eo amplius, neque ſordes, neque vngues, neque pilos purgaſſet. Hæc & plura eo loco Polyb. Ex his autem intelligis lector hoſce deditios, non ante ſequentem annum Romam perueniſſe. Itaque quid ipſis Romæ factum ſit, ſequenti anno ex eodem dicendum erit. Nunc ad res Iudæorum conuertamus orationem.

n. 123.

XIV. *Et deditionem ſontium.*

Leptinus. Et Iſocrates.

VT ſedit *Demetrius ſuper ſedem regni ſui, venerunt ad eum viri iniqui, & impij ex Iſraël, & Alcimus dux eorum, qui volebat fieri ſacerdos.* Ita l. 1. [c] Genere ſacerdos erat, ex ſemine Aaron, vt ibi [d] habetur, ſed ſummus eſſe cupiebat: libro autē 2. [e] res habetur paulo plenius. *Alcimus autem quidam, qui ſummus ſacerdos fuerat, ſed voluntariè coinquinatus eſt temporibus commiſtionis, conſiderans nullo modo ſibi eſſe ſalutem*, proſperitatem videlicet, reſq; ſecundas, *neque acceſſum ad altare, venit ad Regem Demetrium* 150. *anno, offerens ei coronam auream & palmam, ſuper hæc & thallos, qui templi eſſe videbantur.* Non apparet quando Alcimus hic, quem & Iacimum appellat Ioſephus, ſummus ſacerdos fuerit, & in ea re expedienda non parum ſe vexat bonus Torniellus, [f] dum quærit quomodo fuerit ſummus pont. tempore commiſtionis, putatque viuo Menelao pontificatum geſſiſſe, nec illi ſucceſſiſſe, ſed Iudæ.

c l. 1. c. 7. 5. d v. 14. e c. 14. 3.

f anno ſextæ æt. 437. n. 2. & 446. n. 1.

XV. *Alcimus ambit à Demetrio pontificatum.*

VERVM ope Græci textus res facile expediri poteſt, vt recte vidit noſter Serar. Dicitur enim προγεγονὼς ἀρχιερεὺς, id eſt, ante factus ſummus ſacerdos, paulo ante

XVI. *An, & quando fuerit pontifex.*

ſcilicet, ab Eupatore, poſt occiſum Menelaum, vt ait etiam Ioſeph.[a] idq; ratio ipſa poſtulat. Nam ſummam in Iudaica Repub. dignitatem atq; poteſtatem ſtatim viri ambitioſi ac potentes, quique erant de genere ſacerdotali, qualis erat Alcimus, ambierunt, atque impetrarunt: qui etiam gentilitiam ſuperſtitionem mutato nomine præferebat. Nam qui Iacim Hebræo nomine dicebatur, Græco factus eſt Alcimus. Hic ergo quamprimum deſignatus ac creatus fuerat ab Eupatore, ſiue Lyſia pontifex. Verum Eupatore interempto, & rerum potiente Demetrio, a b eo pontificatum ſibi voluit confirmari. Nec Scriptura dicit eum fuiſſe pontificem tempore commiſtionis; ſed eum voluntarie coinquinatum eo tempore, quo Antiochus cogebat ſummis ſuppliciis profanos Ethnicorũ ritus, deſerta religione Iudaica, profiteri: quando Iudæi commiſti ſunt gentibus, neglecto vt illi ciborum delectu, ſuperinducto præputio, ludis ſacrificiiſq; idolorum celebrandis, vt ex l. 1.[b] conſtat. Ioſephus Gorionis,[c] ait illum porcinas carnes comediſſe, in diebus Antiochi crudelis: vtique & aliis ſeſe peccatis contra religionem contaminaſſe, ideoque factum irregularem, & alienum à ſacerdotio, odioſum atque execrabilem bonis omnibus.

Coinquinatus & irregularis.

a l. 12. c. 15.
b l. 1. c. 1.
c l. 3. c. 11.

XVII. QVOD autem dicitur veniſſe ad Demetrium anno centeſimo & quinquageſimo, regni ſcilicet Græcorum, cum agamus centeſimum & quinquageſimum primum, id de Chaldaica ſupputatione accipiẽdum eſt, vt non ſemel diximus: quamquam Græci libri habent, anno, vel, ſub annum 151. imminente ſcilicet Septembri menſe, quando Syri inchoabant annum 151. quem Iudæi ſex menſibus ante numerare cœperant. Verum Alcimus pretio ac muneribus obtinere conatus eſt illegitimum pontificatum, ſicut Iaſon antea, & Menelaus: quamquam cum eſſet ex genere ſacerdotali, & de Aaronis familia, vt eſt in priore libro,[d] plus iuris habuit ad pontificatum, quam Menelaus, qui ne ad tribum quidem Leuiticam pertinebat. Denique illi ſucceſſit, vt recte quoque Ioſephus ſcribit,[e] ſed iniuſtus atque illegitimus pontifex. Munera porro fuerunt corona aurea; quam ſane ſuſpicor eam eſſe, quam Demetrius Romam miſit; Palma item aurea, & Rami, *qui templi eſſe videbantur*, id eſt ex templo ſacrilegio ſublati; idemque de Palma & corona dicendum videtur, quæ vel gypſatas Antiochi Epiphanis manus, à Iudæis occultata, effugerant: vel potius recens à Iuda in templi dedicatione conſecrata fuerant.[f] Et ſane Palmæ aureæ fidem facit vitis aurea quingentorum talentorum, de qua Ioſephus,[g] ſed illæ quoque Palmæ & Cherubim prominentes de pariete, & egredientes.[h]

Quando venerit ad Demetriũ.

Muneribus captat ſacerdotium.

d l. 1. c. 7. 14.
e l. 12. c. 15
f l. 1. c. 4 47
g l. 14. c. 5.
h 3. Reg 6. 29. 32. 35.

XVIII. HIC ergo Alcimus cum intelligeret non ſatis eſſe à Rege obtinere pontificatum, niſi Iudam, qui eo potiebatur, & amicos eius, fautoreſque ope Demetrij perderet, cum ad regem veniſſet cum ſociis, *Accuſauerunt populum apud Regem, dicentes, Perdidit Iudas, & fratres eius omnes amicos tuos, & nos diſperſit de terra noſtra. Nunc ergo mitte virum cui credis, vt eat, & videat exterminium omne, quod fecit nobis, & regionibus regis, & puniat omnes amicos eius, & adiutores eorum.* Intelligit Aſſidæos, vt patet ex poſteriore libro, vbi ad conflandum illis odium, damna ſua cum publico regis detrimento communicant, vt is vel ſua ipſius cauſa vltionem de Iuda, boniſque omnibus expetat. Ibi habetur hæc accuſatio paulo plenius.[i]

Et Iudæ ruinam.

i l. 2. c. 14. 4.

XIX. TEMPVS, inquit, *opportunum dementiæ ſuæ nactus, conuocatus à Demetrio ad concilium, & interrogatus, quibus rebus & conſiliis Iudæi niterentur. Reſpondit; Ipſi qui dicuntur Aſſidæi Iudæorum, quibus præeſt Iudas Machabæus, bella nutriunt, & ſeditiones mouent, nec patiuntur regnum eſſe quietum. Nam & ego defraudatus parentum gloria, dico autem ſummo ſacerdotio, huc veni, primo quidem vtilitatibus regni fidem ſeruans, ſecundo autem etiam ciuibus conſulens; nam illorum prauitate vniuerſum genus noſtrum non minime vexatur. Sed oro his ſingulis ô Rex cognitis, & regioni & generi, ſecundum humanitatem tuam peruulgatam, omnibus proſpice. Nam quandiu ſupereſt Iudas, impoſſibile eſt pacem eſſe negotiis. Talibus autem ab hoc dictis, & cæteri amici eius, hoſtiliter ſe habentes aduerſus Iudam, inflammauerunt Demetrium.* Conflat inuidiam quam maximam poteſt Aſſidæis, vt qui omnium Iudæorum integerrimi eſſent, & Iudæ ſocii fideliſſimi, in quorum pernicie ſuam gloriam & ſacerdotii poſſeſſionem conſtruendam putabat. De Aſſidæis pleraque Serar. in hunc locum, docetque eoſdem fuiſſe cum Eſſenis, quorum eſſet quędam congregatio, ſicut Phariſæorum & Sadducæorum, qui pietate, vnde & no-

Quem apud regẽ accuſat.

men habebant, ſcientia, & zelo diuinæ legis præſtarent, vt non mirum eſſet eos ſe Iudæ Machabæo adiunxiſſe.

a l. 1. c. 7. 8. Et *elegit Rex ex amicis ſuis Bacchidem,*[a] *qui dominabatur trans flumen magnum in regno, & fidelem Regi; & miſit eum, vt videret exterminium quod fecit Iudas. Sed & Alcimum impium conſtituit in ſacerdotium,* (in Græco habetur, & conſtituit ei ſacerdotium) *& mandauit ei facere vltionem in filios Iſraël. Et ſurrexerunt, & venerunt cum exercitu magno in terram Iuda, & miſerunt nuncios, & locuti ſunt ad Iudam, & ad fratres eius verbis pacificis in dolo. Et non intenderunt ſermonibus eorum; viderunt enim quia venerunt cum exercitu magno.* Iudas cum ſuis ex diuino lumine, & rerum militarium peritia, intellexit non eſſe fidem adhibendam ſacrilego Alcimo, & Bacchidi proditionis architecto. Alij autem viri minime mali, quiq; ex ſeipſis reliquos metiebantur, fidem eis adhibentes, in eorum retia inciderunt. Sequitur enim. XX. *Rex mittit exercitum in Iudam.*

Et *conuenerunt ad Alcimum, & Bacchidem congregatio ſcribarum, requirere quæ iuſta ſunt. Et primi Aſſidæi, qui erant in filiis Iſraël, & exquirebant ab eis pacem.* Ordo vocum nonnihil perturbatus eſſe videtur, vt ſit ſenſus. Et Aſſidæi, qui primi erant in filiis Iſraël, exquirebant ab eis pacem: quam ſententiam exhibet textus Græcus, à quo abeſt relatiuum *qui*, idque pertinet ad Aſſidæorum gloriam. Alij habent, & Aſſidæi, qui erant in filiis Iſraël, primi exquirebant ab eis pacem, Tigurina in hanc ſententiam. Atque adeo primi inter Iſraëlitas fuerunt Aſſidæi, qui pacem ab eis poſcerent. *Dixerunt enim homo ſacerdos, de ſemine Aaron venit, non decipiet nos. Et locutus eſt cum eis verba pacifica, & iurauit illis dicens, non inferemus vobis malum, neque amicis veſtris.* Omiſſa eſt in hoc iuramento ipſa conteſtatio diuini nominis. *Et crediderunt ei, & comprehendit ex eis 60. viros, & occidit eos in vna die, ſecundum verbum quod ſcriptum eſt, Carnes ſanctorum tuorum, & ſanguinem ipſorum effuderunt in circuitu Ieruſa-*
b v. 2. *lem, & non erat qui ſepeliret.* Sumpta ſunt hæc ex Pſ. 78.[b] vbi Genebr. Sancti, inquit, hoc loco vocantur profeſſione religionis & fidei, & non tantum ratione fidei & morum. Religioſos nimirum in Iudaiſmo vult fuiſſe Aſſidæos, vt pluribus hoc loco docet Serarius. XXI. *Alcimus male credulos perdit.* *Aſſidæi.*

Et *incubuit timor, & tremor in omnem populum: quia dixerunt, Non eſt veritas, & iudicium in eis; tranſgreſſi ſunt enim conſtitutum, & iuſiurandum quod iurauerunt.* Hic aliorum malo ſapientiores facti plerique, ab eis aufugerunt; quidam comprehenſi, & ex fuga retracti pœnas dederũt. Non videtur Iudas Ieruſalẽ adhuc muros, reſtau-
c l. 1. c. 12. 36 raſſe; id enim factum eſt ſub Ionatha,[c] quos deinde Simon exaltauit,[d] vrbs tamen
d l. 1. c. 14. 37. quoquo modo clauſa erat opera Iudæ, qui eam recepit ab hoſte.[e] Itaque Hieroſo-
e c. 2. c. 10. v. 1. lymitæ eis portas occluſerunt. Etſi enim totus exercitus non admittebatur in ciuitatem, plerique tamen vltro citroque ad eos, qui ſe amicos ferebant, commeabant, donec præpropera malitia, paucis illis interfectis, ſeſe hoſtes prodiderunt, & reliquos abſterruerunt. Hæc ſequentibus lucem præbent. XXII. *Populus eũ auerſatur.*

Et *mouit Bacchides caſtra ab Hieruſalem, & applicuit in Bethzeca:* Videtur locus vicinus Hieroſolymis, ad quem diuertit Bacchides, Adrichom. ponit in tribu Manaſſis intra Iordanem, & quidem iuxta ipſum fluuium. Ioſephus vicum vocat Bethzetho. *Et miſit, & comprehendit multos ex eis, qui à ſe effugerant, & quoſdam de*
1. ex. *populo mactauit, & in puteum magnum proiecit.* 1. XXIII. *Bacchides abit Hieroſolymis.*

Denique Bacchides, *commiſit regionem Alcimo,* vt ſcilicet dux eius eſſet, & pontifex loco Iudæ, eumque omni ope, ac ſtudio perſequeretur: eumque in finem, *reliquit cum eo auxilium in adiutorium ipſi, & abijt Bacchides ad regem:* quaſi Iudææ negotiis ſatis proſpectum eſſet, ſi mutuis ſe ipſi cædibus Iudæi attererent, nec poſſent deinceps Demetrio regi reſiſtere.

f c. 15. & 16. l. 12. Antequam vero ad vlteriora progrediamur, nonnulla in Ioſepho[f] ex-
g l. 12. c. 6. pendenda ſunt, quæ ad hunc locum pertinent. *Filius,* inquit, *pontificis Onias, quem diximus,*[g] *orbatum patre adhuc puerum, videns quod rex, interfecto ipſius patruo, ſacerdotium Alcimo dediſſet, nihil pertinenti ad cognationem pontificum, Lyſia ſuadente, vt transferret eum honorem in aliam familiam, fugit ad Aegypti regem Ptolemæum.* Hic, vt omittam fugam Oniæ, quam alibi examinauimus, falſum eſt 1. Menelaum fuiſſe patruum Oniæ iſtius, ſiquidem non ſolum familia, ſed tota etiam tribu ſeparatus fuit Menelaus ab Onia, illo Beniamita exiſtente, iſto Leuita de familia Aaronis, vt ſæpius dicere cogimur, quia Ioſephus ſæpius iterat errorem ſuum. XXIV. *Arguitur in his Ioſephus.*

2. XXV. *Errat in Alcimi genere.* Errat quoque quod putat Alcimum non pertinuiſſe ad familiam pontificiam, cõtra apertum Scripturæ teſtimonium.[a] Aaronica enim familia, ſiue ab Eleazaro, ſiue ab Ithamar deduceretur, vtraque pontificia fuit, vtraque multos ſuggeſſit pontifices: quamquam Eleazaro in primis debebatur pontificatus. Ioſephus autem putauit ſuaſu Lyſiæ pontificatum à domo Aaronis, in aliam familiam, ex qua eſſet Alcimus, fuiſſe tranſlatum; cum vice verſa ex aliena familia, ex qua erat Menelaus, in Aaronicam, in qua erat Alcimus, eſſet reuocatus.

a 1. Mach. c. 7. v. 14.

3. *Et in copiis miniſterij.* Nec probandum,[b] quod ait Demetrium, contractis quotquot potuit militibus mercenariis, regnum inuaſiſſe: cum Scriptura dicat exercitum Eupatoris & Lyſiæ ei ſe dedidiſſe, illis comprehenſis, & ad ipſum adductis: & Appianus, Iuſtinus, alii ſecundo cum fauore ab omnibus exceptum dicant, vt armis opus non eſſet; licet Zonaras dicat Demetrium Apamea potitum, comparatis copiis Antiochiam contendiſſe: imo & Ioſephus ipſe ſcribat certatim ad eum populos defeciſſe, & obuiis manibus excepiſſe. Quid ergo opus fuit, aut mercenarium contrahere militem, aut regnum inuadere?

b l. 12. c. 16.

4. XXVI. *Et in Bacchide amico Demetrij.* Errat quarto, quod Bacchidem, cuius hoc primum loco Scriptura meminit, vocat amicum regis Antiochi Epiphanis; cum eadem dicat Demetrium Regem elegiſſe ex amicis ſuis, & fidelem regi vocet. Neque enim potuiſſet hoc regni initio æſtimari ſatis fidus Bacchides, ſi fuiſſet amicus Epiphanis, erga Demetrium interfectorem filii Epiphanis, & regni eius occupatorem.

5. Errat quinto, quod cauſam, cur Iudæi nihil ſibi ab Alcimo timerent, dicit fuiſſe communem patriam; cum in eo ipſo loco vnde hæc mutuabatur, legeret, *homo ſacerdos de ſemine Aaron venit, non decipiet nos.* ὅτι τῆς ὁμο- φυλῆς.

6. Errat ſexto, quod iuſiurandum, quod ſoli Alcimo Scriptura tribuit, ipſe ad Bacchidem quoque transfert.

7. Denique cum illa dicat ſexaginta viros comprehenſos ab Alcimo, & occiſos, ipſe id factum attribuit Bacchidi; quibus adde ſi libet cædem perfugarum, quæ non perfugarum, ſed credulorum fuit.

XXVII. *Alcimus vexat Iudæos. Reprimitur a Iuda.* Nvnc redeamus ad Alcimum[c] Bacchide Antiochiam ad regem reuerſo. *Satis agebat* forte, ſatagebat ἠγωνίσατο, decertabat *Alcimus pro principatu ſacerdotij ſui*, ſiue ſacerdotali, quia coniuncta erant hoc tempore; in Græco tantum eſt ἀρχιερωσύνης, vt ſcilicet eo ſpoliaret Iudam Machabæum, eoque ſe, iuxta Demetrii voluntatem indueret. *Et conuenerunt ad eum omnes, qui perturbabant populum ſuum, & obtinuerunt terram Iuda, & fecerunt plagam magnam in Iſrael.* Excurſiones videlicet faciebant, & in iis cædes, rapinas, & genus omne hoſtilitatis: contra quæ inſurrexit Iudas, & impiorum inſultus non ſolum repreſſit, & debilitauit, ſed & ſuſtulit. Nam ſequitur. *Et vidit Iudas omnia mala, quæ fecit Alcimus, & qui cum eo erant, filij Iſrael, multo plus quam gentes*, hoc ſcilicet tempore, minore odio Iudæorum flagrabant Ethnici, quam ipſimet Iudæi, qui ad impietatem prolapſi, omnem Dei timorem excuſſerant. *Et exiit in omnes fines Iudææ in circuitu, & fecit vindictam in viros deſertores, & ceſſauerunt vltra exire in regionem*, hoſtiliter videlicet excurrere.

c l. 1. c. 7. 21

XXVIII. *Quem rurſus accuſat.* Vidit autem Alcimus quod præualuit Iudas, *& qui cum eo erant, & cognouit quia non poteſt ſuſtinere eos, & regreſſus eſt ad regem, & accuſauit eos multis criminibus.* Hic mos ignauæ, & muliebris calumniæ, vt rea innocentiam præueniat, & credulas aures celeriter occupet. Scribit Ioſephus Alcimum, volentem ſibi principatum conſtabilire, ad colligendam popularium beneuolentiam, comiter ac blande appellando, & ſingulis ad gratiam loquendo, breui ſibi numeroſam manum adiunxiſſe, quorum plerique erant profugi, & impii. Imo omnes, ſi Scripturæ credimus: neque enim alii poſt ſexaginta virorum perfidam, & proditoriam, & periurio cumulatam cædem, ei ſe credere potuerunt, aut blanditiis fidere, quas ille præter Scripturæ autoritatem inducit.

XXIX. *Rex Nicanorem in Iudæam mittit.* Demetrivs Alcimi querelis & criminationibus ſollicitatus, & ne ſuis quidem rebus tutum exiſtimans, ſi ita Iudæ vires augeri fineret, *miſit Nicanorem vnum ex principibus ſuis nobilioribus*, præpoſitum elephantorum,[d] *qui erat inimicitias exercens contra Iſrael, & mandauit ei euertere populum, & ipſum quidem Iudam capere, eius comites diſpergere, & conſtituere Alcimum maximi templi ſummum ſacerdotem.*[e] Non intelligo quæ cauſæ inimicitiarum eſſent Nicanori aduerſus Iudæos, niſi

d l. 1. 14. 12.
e 2 Mach. c. 14. 13.

Imperii Græcorvm 151. Res a Simone cvm Nicanore geſta.

quia turpiter victus à Iudæis, Antiochiam profugerat, vt ſupra dictum eſt. [a] Ioſepho autem aſſentior, dicenti eum regi Roma fugienti comitem fuiſſe. [b] Nam numeratur à Polybio inter fugæ ipſius comites. Nominat quoq. Apollonium, qui educatus fuerat cum Demetrio, Meleagrum, & Mneſtæum eius fratres. Exiſtimo autem illum, niſi me coniectura fallit, mortuo Epiphane Romam ad Demetrium veniſſe, aut etiam poſt Octauii legati necem, vna cum Diodoro, quem Polybius idem n. 114. recens è Syria ad ipſum veniſſe dicit. Hic ergo Nicanor, qui nondum malitiæ ſuæ pœnas dederat, in hanc contra Iudam expeditionem iterum deligitur.

a exl. 2. c. 8. v 31. b l. 12. c. 17.

XXX. *Multi ſe Nicanori aggregant.*

Veniebat ergo Nicanor in Ieruſalem cum exercitu magno, *cum gentes, quæ de Iudæa fugerant Iudam, gregatim ſe Nicanori miſcebant, miſerias & clades Iudæorum, proſperitates rerum ſuarum exiſtimantes.* Apparet iſtos fuiſse alienigenas, qui inter Iudæos in hac rerum confuſione verſabantur. Fugerant autem Iudam perſequentem Alcimum cum ſuis, vt paulo ante dictum eſt: quod mirum eſt interpretem Tigurinum non attendiſse, cum vertit, gentes quæ fugarant Iudam; refert enim πεφυγαδευκότα ad Iudam, non ad ἔθνη, vt oportuerat: vbi enim fugatum ex Iudæa Iudam hoc ſaltem tempore reperit?

φυγαδεύειν pro φεύγειν.

Metus Iudæorum & preces.

Audito itaque Iudæi Nicanoris aduentu, & conuentu nationum, conſperſi terra rogabant eum, qui populum ſuum conſtituit, vt in æternum cuſtodiret, quique ſuam portionem ſignis euidentibus protegit; portionem Dei vocat populum Iudaicum, ſicut alibi hæreditatem ſuam, ſiue funiculum hæreditatis ſuæ: poteſt etiam verti partes ſuas, quod Deus ex parte Iudæorum ſe ſtare iam aliquoties miraculis oſtendiſset. In Græco non habetur, vt in æternum cuſtodiret, ſed conſtituit in æternum; verum interpres claritatis cauſa ſuppleuit; certum eſt enim eos Deum rogaſse, vt ab ipſo conſeruarentur.

XXXI. *Simonis periculum à Nicanore.*

Imperante *autem duce ſtatim inde mouerunt.* Hunc ducem fuiſse Simonem, & Iudam abfuiſse, ſequentia ſignificant, *conueneruntque ad caſtellum Deſſau. Simon vero frater Iudæ commiſerat cum Nicanore, ſed conterritus eſt repentino aduentu aduerſariorum.* Obſcurum ipſa narrationis breuitate factum, etiam ex textu Græco fit ambiguum, an hæc congreſſio Simonis cum aduerſariis, armorum fuerit, an verborum duntaxat; quæ ſic vertit Tigurina. Ad vicum Deſſau in colloquium, ad illos ierunt. Ibi Simeon Iudæ cum veniſſet in congreſſum Nicanoris, nonnihil propter ſubitum hoſtium ſilentium conterritus eſt. Nam & ἀφωνία compreſſam vocem ſignificat, & συμβάλλειν & συμμίσγειν eſt committere pugnam, & conferre ſermones: [c] & alio loco dicitur Nicanor expetiiſſe colloquium Iudæ, & fratrum eius.

c l. 1 c. 7. 27.

XXXII. *Loci ſententia.*

Colloqvivm ergo indictum fuerit ad vicum Deſſau, eoque Iudas Simonem virum conſilii miſerit, qui cum Nicanore ageret. At Nicanor qui non colloquium, ſed comprehenſionem & fraudem in Iudam pararat, aduentu Simonis ſubito obmutuit. Ille autem ſuſpicatus inſidias, continuo receſſit; in eo impingens quod non ſatis mature hoſtium inſidias præuidiſſet. Idque confirmatur ex eo quod l. 1. legimus, hoſtes paratos fuiſſe rapere Iudam: ſed id poſtea contigit. Vt autem Vulgatam lectionem non deſeramus, facile eſt intelligere agnitis inſidiis, aliquam fuiſſe velitationem, commiſſam inter Simonem, & aduerſarios, ex qua illis concurrentibus, non ſine periculo, atque offenſione euaſerit: velitationem dixi. Nam ſi iuſtum prælium factum fuiſſet, & quaſi ſignis collatis pugnatum, minime videtur id author fuiſſe prætermiſſurus. Accedit quod huiuſmodi prælia Nicanor, ſua ipſe experientia conterritus, libenter vitabat; ſequitur enim.

c. 7. v. 19.

XXXIII. *Nicanor conſilia pacis ſectatur.*

Nicanor *tamen audiens virtutem comitum Iudæ, & animi magnitudinem, quam pro patriæ certaminibus habebant,* ſiue in certaminibus pro patria, *ſanguine iudicium facere metuebat,* id eſt ferro decernere. *Quam ob rem præmiſit Poſidonium & Theodotium, & Matthiam, vt darent dextras, atque acciperent. Et cum diu de his conſilium ageretur, & ipſe dux ad multitudinem retuliſſet, omnium vna fuit ſententia, amicitiis annuere.* (Hæc quoque cunctatio antegreſſas inſidias innuit.) *Itaque diem conſtituerunt qua ſecreto inter ſe agerent, & ſingulis ſellæ prolatæ ſunt, & poſitæ. Præcepit autem Iudas armatos eſſe locis opportunis, ne forte ab hoſtibus repente mali aliquid orīretur: & congruum colloquium fecerunt,* & ſcilicet pacem ſtabiliuerunt, quamuis inconſulto rege, vt ſequentia docent.

l. 1 c. 14. v. 18.

XXXIV. *Amicitiã init cum Iuda.*

PACE nihilominus conſtituta *morabatur Nicanor Hieroſolymis, nihilque inique agebat, gregeſque turbarũ, quæ congregatæ fuerant, dimiſit. Habebat autem Iudam ſemper charum ex animo, & erat viro inclinatus.* Ad verbum ex Græco; habebat autem ſemper Iudam in conſpectu, Iudam ferebat in oculis, erat ex animo viro inclinatus. a Ita virtus in hoſte metum primo & admirationem, deinde etiam beneuolentiam peperit, ſed & quandam etiam dignitatis communicationem, pacto & conuentione firmatam, vt amicitia eo quaſi vinculo necteretur. Hinc illa amica monitio & familiaris adhortatio. *Rogauitque eum ducere vxorem, filioſque procreare. Nuptias fecit, quiete egit, communiterque viuebant,* aut viuebat potius; eſt enim ἐκοινώνησε βίου, non autem comiter vixit, vt habet Tigurina. Significat autem, vt recte interpretatur Serarius, Iudam accepta vxore, nihilominus in Eſſenorum vitæ inſtituto conſtanter perſeueraſſe, quod eſt ἀπεσχῆσθαι, & communem vitam egiſſe, qualis eſt eorum, qui nihil habent proprium, ſed omnia communia. Sobolem virilem ex vxore ſuſcepiſſe ſcribit Gorionides, ſed fortaſſe Poſthumam: vix enim menſes nouem ſuperuixit: eius nulla eſt in Scriptura mentio.

Eius ſuaſu ducit vxorem.

a 1 Mach. 14. v. 14.

XXXV. *Alcimus pacem turbare parat.*

QVIES porro diuturna non fuit. Alcimus enim tabeſceat inuidia, & irrito iam ſemel iterumque conatu, & expectatione ſummi ſacerdotii; lugens eum quem quæſierat æmulo ſuo perduellem, factum illi ex animo amicum. Itaque tertiam profectionem hoc anno ad regem inſtituit, vt coaleſcentem amicitiam quamprimum diſtraheret atque diſiungeret. *Alcimus autem,* inquit Author, [b] *videns charitatem illorum ad inuicem, & conuentiones, venit ad Demetrium, & dicebat Nicanorem rebus alienis aſſentire,* id eſt probare & amplecti, quæ à negotiis regis aliena eſſent, *Iudamque,* ſiue Iudam enim *regni inſidiatorem, ſucceſſorem ſibi deſtinaſſe.* In Græco διάδοχον ἀναδέδειχεν ἑαυτοῦ, quæ auſim vertere, Vicarium inſtituit ſuum, vel cum Tigurina, legatum ſibi creauit.

b l. 2. c. 14. 26.

XXXVI. *Iudas vicarius Nicanoris. Succeſſor pro vicario.*

NON enim erat in poteſtate Nicanoris Iudam ſibi conſtituere ſucceſſorem; regium quippe id erat, ſed vicarium poterat, vt duces omnes ſolent. Nec futura dignitas angebat Alcimum, ſed præſens; nam vna cum pontificatu, etiam populi ducatum, quæ tum erant coniuncta; ambiebat, quamuis ſubiectum Syriæ proregi. Nec propterea ſucceſſoris nomen repudio, ſed in hac ſignificatione vſurpo; quo etiam modo pontifices, Chriſti ſucceſſores interdum legimus, eoſdemque vice verſa nonnunquã Diui Petri vicarios: ſed modo de re conſtet, de verbis litem mouere non placet. Eodemque modo ſuperius [c] frater Menelai Lyſimachus, factus eſt eius διάδοχος ſiue vicarius, & permanſit nihilominus in poteſtate Menelaus. [d] Vbi nota dici permanſiſſe eum in poteſtate, non autem reſtitutum eſſe dignitati ſuæ, poſt mortem Lyſimachi, quia ſcilicet totũ decennium ſeſe geſſit pro pontifice, vt Ioſephus affirmat, [e] qui propterea etiam Lyſimachum in pontificibus nuſquam agnoſcit. Sed hæc iam alio loco diſputata ſunt. Redeamus ad regem.

c l. 2. c. 4. v. 29. d eod. c. v. 50.

e l. 12. c. 15.

XXXVII. *Rex iubet Iudã vinctum ad ſe mitti.*

ITAQVE [f] *Rex exaſperatus, & peſſimi huius* Alcimi *criminationibus irritatus; ſcripſit Nicanori, dicens, grauiter quidem ſe ferre de amicitiæ conuentione, iubere tamen Machabæum citius vinctum mittere Antiochiam. Quibus cognitis Nicanor conſternebatur, & grauiter ferebat, ſi ea quæ conuenerant irrita faceret, nihil læſus à viro. Sed quia regi reſiſtere non poterat, opportunitatem obſeruabat, qua præceptum perficeret.* Non poterat regi reſiſtere, ſed nec volebat, vt qui regis amicitiam rebus omnibus anteferret; quam vt conſeruaret, huic amicitiæ nuncium remittebat, & inſontẽ proditoriè ipſius hoſti tradere cupiebat. Rectius Ionatham imitatus eſſet, qui Dauidem innoxium paternæ iracundiæ, etiam cum ſuo periculo, ſubducebat: at iſte inſonti Machabæo periculum creabat.

f l. 2. 14. 27.

XXXVIII *Iudas cauet ſibi.*

AT *Machabæus videns ſecum auſterius agere Nicanorem, & conſuetum occurſum ferocius exhibentem,* vtique parum callidè, ſed *quam difficile eſt crimen non prodere vultu. Intelligens non ex bono eſſe auſteritatem iſtam, paucis ſuorum congregatis, occultauit ſe à Nicanore:* in Græco, non paucis.

Nicanoris minæ de eo.

Quod cum ille cognouit, fortiter ſcilicet, *ſe à viro præuentum,* detectis inſidiis & vitatis, *venit ad maximum & ſanctiſſimum templum, & ſacerdotibus ſolitas hoſtias offerentibus, iuſſit tibi tradi virum. Quibus cum iuramento dicentibus neſcire ſe vbi eſſet, qui quærebatur, extendens manus ad templum iurauit, dicens. Niſi Iudam mihi vinctum tradideritis, iſtud Dei fanũ in planiciem deducam, & altare effodiam, & templum hoc Libero patri*

conſecrabo. Perterrefacere volebat Iudæos, religioſos, ac Deum timentes, eius rei metu, quæ ipſis eſſet omnium formidoloſiſſima. Cæterum non *templum hoc*, ſed *hic* legendum eſt; Græci omnes habent, ἐνταῦθα; non τὸ. Quomodo enim templum in planitiem deductum conſecrari poteſt? adde quod ibidem legitur, ἱερὸν ἐπιφανὲς ἀναστήσω: templum illuſtre excitabo.

Et *his dictis abiit*, ad regem ſcilicet, vt recte opinatur Torniellus, tum vt ſe, de obiectis ab Alcimo criminibus, coram purgaret verbis, qui factis nondum potuerat; tum vt collectis iterum viribus, nam magnam partem copiarum dimiſerat, vt dictum eſt, vim adhiberet, vbi fraus irrita cecidiſſet. XXXIX. *Regẽ adit Nicanor.*

v. 23. *Sacerdotes autem protendentes manus in cœlum, inuocabant eum, qui ſemper propugnator eſſet gentis ipſorum* (ἡμῶν noſtræ, Iudæum enim ſe author declarat) *hæc dicentes. Tu Domine vniuerſorum qui nullius indiges, voluiſti templum habitationis tuæ fieri in nobis. Et nunc ſancte ſanctorum omnium Domine, conſerua in æternum impollutam domũ iſtam, quæ nuper mundata eſt.* In quibuſdam Græcis additur, *obſtrues vero omne os iniquum*, quod habet etiam verſio Tigurina. *Sacerdotes orant.*

Post tempus aliquod *venit* ſecundo *Nicanor in Hieruſalem cum exercitu magno,* XL. *Redit Nicanor Hieroſolymam & Iudam cupit fallere.*
l. 1. c. 7. v. 27 *& miſit ad Iudam, & ad fratres eius verbis pacificis cum dolo, dicens, non ſit pugna inter me, & vos, veniam cum viris paucis, vt videam facies veſtras cum pace.* Aberat nimirum ab vrbe Iudas, quæ cum facile hoc tempore expugnari poſſet, neminem, nedum magnos exercitus, arcebat ab ingreſſu. Iudas autem non vno aliquo in loco conſiſtebat, ſed regionem obibat; & paulo poſt dicitur fuiſſe in locis Samariæ. Plura alia finxiſſe credibile eſt; verbi gratia Regem à ſe placatum eſſe, tutam deinceps atque inuiolatam fore inter ipſos amicitiam, vicariam ſe ei dignitatem conſeruare, & id genus alia. Addit Ioſephus oblatum à Nicanore iuſiurandum, & alia his conſentanea. *Aiebat*, inquit, *nihil eſſe cauſæ cur belli aleam ſubire deberent, paratum ſe illi cauere iureiurando ſanctiſſimo, ſi quid forte periculi metuat. In hoc enim tantum ſe veniſſe, cum amicorum comitatu, vt mentem ſui Regis ei notam faceret, quam propenſus ſit in fauorem Iudaici generis.*

Quæ non temere credidit Iudas, vt qui ſciret eum inuitum ſibi factum inimicum: quanquam ita credidit, vt caueret ſibi, & fraudem, ſi qua eſſet, circunſpiceret, quam etiam patefecit. Sic enim legimus. *Et venit ad Iudam, & ſalutauerunt inuicem pacificè, & hoſtes parati erant rapere Iudam. Et innotuit ſermo Iudæ, quoniam cum dolo venerat ad eum, & conterritus eſt ab eo, & amplius noluit videre faciem eius.* Ex quo intelligitur hac vltima vice viſum à Iuda Nicanorem: ideoque amicitiam & familiaritatem ex libro ſecundo iam narratam, hanc de qua agimus, fictam ſalutationem anteceſſiſſe. Ioſephus modum detectarum inſidiarum excogitauit. Sic autem habet. XLI. *Et Iudas caute fidit.*

Hac legatione perſuaſi fratres, nihil amplius hoſtile ſuſpicati, data viciſſim & accepta fide, exceperunt eum hoſpitaliter cum toto exercitu, ſiue cum copiis, vt eſt in Græco: at paulo ante dixerat eum tantum cum amicis veniſſe, & reuera exercitum reliquerat Hieroſolymis; pergit. Cumque poſt primam ſalutationem colloqueretur cum Iuda familiariter, ſignum quoddam ſuis dedit, vt eum comprehenderent. Ille mature intellectis inſidiis, propere ad ſuos refugit, & detecto iam dolo, ad apertam vim vterque ſe vertit. Sic Ioſephus. *Aperitque inſidias.*

Et *exiuit* [a] *obuiam Iudæ in pugnam iuxta Capharſalama,* Baſil. habet Capharſarama, Ioſephus autem vt vulgata. Eam vrbem Adrichomius in tribu Manaſſis cis Iordanẽ collocat; poſteaque reſtauratam ait ab Herode, & à parente ſuo Antipatrida appellatam. *Et ceciderunt de Nicanoris exercitu fere quinque millia viri, & fugerunt in ciuitatem Dauid.* Ita quoque habet Græcus codex Vatic. Baſil. autem quingentos. Neutrum numerum Ioſephus reddidit, ſed peruertens hiſtoriam eos qui ceciderunt, de exercitu Iudæ cecidiſſe dicit, contra omnium librorum Græcorum, Latinorumque conſenſum: ſic enim habet. Commiſſo deinde prælio prope vicum Capharſalamã, inferior inde diſcedẽs Iudas, in Hieroſolymitanam arcem compulſus eſt. Hæc nimirum arx hominem induxit in fraudem; immemorem eam hoc quoque tempore, ab alienigenis regis nomine fuiſſe detentam; neque oſtendi poteſt, eam hactenus in Iudæ poteſtatem veniſſe. XLII. *Pugnat cũ Nicanore. Et vincit. Contra Ioſephum.*
a l. 1. c. 7. 31.

Eo igitur fugitiui, fuſo Nicanoris exercitu, ſe receperunt. Eodem venit & Ni- XLIII. *Fugitiui adit Sionẽ.*

canor, indeque facilem habuit tranſitum ad templū. Nam ſequitur. *Et poſt hæc verba aſcendit Nicanor in montem Sion, & exierunt de ſacerdotibus populi, ſalutare eum in pace*, Græcè, & exierunt de ſacerdotibus è ſanctis, ſecunda ſcilicet templi parte, in qua menſa propoſitionis, & candelabrum, & altare thymiamatis; & de ſenioribus populi, vt ſalutarent eum pacifice; *& demonſtrare ei holocauſtomata, quæ offerebantur pro rege, & irridens ſpreuit eos, & polluit*, ignominioſe tractauit, eos à quibus, vt ſacerdotibus, & legatorum vice fungentibus, debuit iure gentium temperare. Sed miſer mox iſtam iniuriam cum cæteris luet: *& locutus eſt ſuperbe, & iurauit cum ira dicens. Niſi traditus fuerit Iudas, & exercitus eius in manus meas, continuo cum regreſſus fuero in pace, ſuccendam domum iſtam; & exiit cum magna ira.*

XLIV. *Inepte deditionem Iudæ poſtulat.*

INGRESSVS igitur fuerat in templum, quatenus licuit gentili, ſed vt par eſt credere, ſine copiis, & paucis comitibus; nec tamen à minis abſtinuit iiſdem, quas dudum intentauerat. Volebat autē exorari Iudam à ſacerdotibus, metu deflagrationis templi, vt ſe ſuoſque ipſi in manus traderet; ineptus, qui poſt irritam vim preces valituras putabat. Qui etiam inconſulte ac temere ſibi promittebat pacificum reditum, ſuperato ſcilicet Iuda Machabæo, à quo ſemper cæſus, fuſus, fugatuſue fuerat. Quod ſi conſcii fuiſſent futurorum hi ſacerdotes, vtique illi cum amara irriſione dicerent, ſicut olim Michæas filius Iembla impio Achab, [a] ſi reuerſus fueris in pace, ſuccendes domum iſtam. Verum ignari diuini conſilii ad preces confugiunt.

a 3 Reg 22. 17.

XLV. *Sacerdotes ſupplices orant.*

ET *intrauerunt*, inquit author, *ſacerdotes*, qui exeuntem comitati fuerant, *& ſteterunt ante faciem altaris & templi*; erat enim altare in medio atrio Leuitarum, ante veſtibulum templi, & ſacerdotes cis altare prociderūt ad preces cum lachrymis. Nam illud *ſteterunt* non ſignificat ſemper erecto in pedes corpore manſiſſe, ſicut cum Magdalena dicitur ſtetiſſe retro ſecus pedes Domini, qui cum iaceret in triclinio, conuenientior compoſitio corporis ad flendum ſuper pedes, & eos capillis tergendos fuit, vt genibus niteretur. Sic ſtabat, id eſt manebat, iuxta crucem mater Ieſu; ſic Loth prohibetur ab angelis ſtare in omni regione. [b] Sic ſtabant illi operarii tota die otioſi. Eodem modo naues dicuntur ſtare, & ſtella ſupra domum, [c] & currus ad fontem. [d] Hi ergo ſacerdotes procidentes in faciem ſuas & flentes dixerunt.

Stare quid.

b Gen. 19. 17. Luc. 5. 2. c Matth. 2. 9. d Act. 8. 38.

XLVI. *Oratio ſacerdotum.*

TV *Domine elegiſti domum iſtam, ad inuocandum nomen tuum in ea, vt eſſet domus orationis, & obſecrationis populo tuo. Fac vindictam in homine iſto, & exercitu eius, & cadant in gladio: memento blaſphemias eorum, & ne dederis eis, vt permaneant.* Gorionides [e] ait Nicanorem conuitia protuliſſe in templum Domini, & ſpuentem contra ipſum dixiſſe. Ego ſubuertam templum, & non relinquam in eo lapidem ſuper lapidem, & euertam omnia fundamenta eius; quæ Ioſephus quoque attingit. [f] Sed hæc pœna, maiori cuidam culpæ gentis huius reſeruata erat.

e lib. 3. c. 21

f l. 12. c. 17.

Hiſtoria Raziæ.

Interea cum eſſet Hieroſolymis Nicanor, ne nihil mali Iudæis inferret, Raziam virum inſignem comprehendere voluit; forte in eum animaduerſurus, quo modo cupiebat in Machabæum, eiuſque ſupplicio mitigare interim crudelem iracundiam ſuam. Eius hiſtoriam à Ioſepho prætermiſſam, Gorionides ad hoc ipſum tempus retulit. [g] *Porro Nicanor*, inquit, *quærebat Iudam in cunctis domibus Ieruſalem, miſitque cohortem quingentorum militum ad domum Ricaſu ſenis*, ſic enim eum appellat, & eam occaſionem affert inſerendæ hiſtoriæ ipſius. Eum ita Script. depingit.

g l. 3 c. 22.

XLVII. *Raziæ laus triplex.*

RAZIAS *autem quidam de ſenioribus ab Hieroſolymis* [h] *delatus eſt Nicanori, vir amator ciuitatis & bene audiens: qui pro affectu pater Iudæorum appellabatur. Hic multis temporibus continentiæ propoſitum tenuit in Iudaiſmo, corpuſque & animam tradere contentus pro perſeuerantia.* Triplex his continetur hominis commendatio, ſed alicubi obſcura. Prima eſt à genere. Nam dicitur de ſenioribus ab Hieroſolymis quod Tigurina interpretatur, è Hieroſolymitano Senatu, & quidem nobili loco natus, ideoque infra dicitur cauiſſe, ne contra natales ſuos, indignis poſſet iniuriis affici. Altera eſt à conuerſatione ciuili, in qua mutua eius cum ciuibus beneuolentia, valde bona apud omnes fama, & paternus affectus continetur.

h 2. Mac. 14. 37.

v. 42.

XLVIII. *Raziæ, & Aſſidæorū religioſa profeſſio.*

TERTIA eſt à pietate & profeſſione religioſa. Gorionides cum dicit fuiſſe de Aſſidæorum familia, probatum in diebus Antiochi, & integrum. *Nam ſuſceperat*, inquit, *in corpore ſuo plagas, & paſſiones plurimas, vocatuſque fuit pater Iudæorum, &*

iudex Ieruſalem. Aſſidæi autem, ſicut & Eſſeni religioſi erant illorum temporum, ſicut & filii prophetarum, ſi qui tum Carmelum montem incolebant. Scriptura vero, tenuiſſe ait propoſitum continentiæ in Iudaiſmo, pro quibus in Græco legitur. In ſuperioribus temporibus ἀμιξίας, impermixtionis, ſecretionis, continentiæ, quo ſcilicet boni Iudæi continebant, & ſecernebant ſe à profanis, nec eorum ſe ritibus immiſcebant, eo inquam tempore in iudicium delatus fuerat, id enim eſt εἰς κρίσιν φέρεσθαι, & accuſatus Iudaiſmi, quando nemo ſe Iudæum dicere audebat, [a] & perſtiterat conſtans, & confeſſionis gloria clarus, corpus & animam obtulerat, pro religionis & Iudaiſmi profeſſione, paratus eandem cum Eleazaro aleam ſubire; quo autem caſu factum fuerit, vt dimitteretur, non liquet.

a 2. Mac. 6. 6.

Volens autem Nicanor manifeſtare odium, quod habebat in Iudæos, *miſit milites quingentos, vt eum comprehenderent; putabat enim ſi illum decepiſſet, ſe cladem Iudæis maximam illaturum.* Legẽdum eſt ſi illum cepiſſet, ex Græco συλλαβών. Niſi forte eum à Iudaiſmo etiam auertere cupiebat. Sequentia quoque nonnihil diuerſa ſunt, vbi enim legimus. *Turbis autem irruere in domum eius, & ianuas diſrumpere, atque ignem admouere cupientibus, cum iam comprehenderetur gladio ſe petiit.* In Græcis habetur, Turbis autem occupaturis turrim, & aulæ oſtio vim facientibus, & iubentibus ignem admouere, & portas ſuccendere, cum tantum non comprehenſus eſſet, ſuppoſuit ſibi gladium, vel gladio incubuit. Eadem tamen manet ſententia; fuit quippe viri nobilis turrita domus, in modum arcis.

XLIX. *Nicanor Raziam conatur comprehendere.*

Sed maiorem habet difficultatem eius facti commendatio; ſequitur enim. *Eligens nobiliter mori potius, quam ſubditus fieri peccatoribus, & contra natales ſuos indignis iniuriis agi. Sed cum per feſtinationem non certo ictu plagam dediſſet*, forte recto ictu, vt intime penetraret in viſcera, eſt enim κατὰ ἰθυτενῶς, quod ab ἰθὺς rectus deductum videtur, *& turbæ intra oſtia irrumperent, recurrens audacter ad murum, præcipitauit ſemetipſum viriliter in turbas, quibus velociter locum dantibus caſui eius, venit per mediam ceruicem.* κατὰ μέσον τὸν κενεῶνα, alii vertunt in medium ventrem delatus eſt, alii per medium latus, quidam per vacuum ſpatium, quia κενεὼν vario exponitur: videtur interpres legiſſe αὐχένα. Ceruicem etiam hic legit D. Auguſt. [b] contra Gaudentii epiſtolam, *qui vulneratus*, ait, *murum petiit, qui ſe inde in ceruicem præcipitem dedit. Et cum adhuc ſpiraret, accenſus animo ſurrexit, & cum ſanguis eius magno fluxu deflueret, & grauiſſimis vulneribus eſſet ſaucius, curſu turbam pertranſiit, & ſtans ſupra quandam petram præruptam, & iam exanguis effectus, complexus inteſtina ſua, vtriſque manibus proiecit ſuper turbas, inuocans dominatorem vitæ ac ſpiritus, vt hæc illi iterum redderet. Atque ita vita defunctus eſt.* Hactenus ibi Scriptura.

L. *Qui gladio ſe petiit.*

b l. 2. c. 23.

Maiorem inquam difficultatem habet hæc tota expoſitio, commendationi propior, quam narrationi; ex qua exiſtimari poteſt Raziam impulſu ſpiritus ſancti ſibi mortem conſciuiſſe, vt qui alioqui vir pius fuerat ac prudens, & religioſi profeſſor inſtituti, populi ſui amator & parens, bonæ apud omnes exiſtimationis, quique iam plagas à tyranno pro religione pertulerat, & pro ea corpus & animam tradere paratus ſemper fuerat, neque alio nunc nomine Nicanori odioſus erat, & petebatur ad mortem. Non enim aliquod eius facinus vlturus erat Nicanor, ſed id facturus, quod omnes pii de populo Dei, & amici Iudæ ægerrime laturi erant. Denique in extremo ſpiritu conſtitutus Deum inuocat, eique ſpiritum ſuum commendat; quem reſurrectionis, quam profitetur, autorem agnoſcit. Diuus Auguſtinus l. c. & ep. 61. cum varie hoc factum in omnem partem verſet, ad condemnandum multo pronior eſt, quam ad probandum. Quod & ipſa facti natura exigit, & illius temporis Donatiſtarum, contra quos diſputabat, & Circuncellionum furioſa dementia poſtulabat. Vide lector fuſam de Razia diſputationem apud Serar. hoc loco, & D. Auguſtinum hoc totum argumentum l. 1. de ciuit. Dei copioſe tractantem: nos ad alia properamus.

LI. *An recte ac laudabiliter.*

Videri motum à S. Spiritu.

Cur ab S. Auguſt. improbatũ.

Cvm Nicanor Iudam abeſſe Hieroſolymis intellexiſſet, & in locis Samariæ verſari, exiit ab Hieruſalem, & caſtra applicuit ad Bethoron, *& occurrit illi exercitus Syriæ*, incrementum copiarum, quas Hieroſolyma reducebat, *& Iudas applicuit in Adarſa cum tribus millibus virũ.* Hunc vicum triginta modo ſtadiis abfuiſſe à Bethoro ſcribit Ioſephus, non abſurde, licet Adarſa in locis Samariæ, & tribu Efraim eſſet, Bethoron autem in tribu Beniamin: contiguæ enim erãt illæ tribus

lib. 2. c. 15. & l. 1. c. 7. 39

LII. *Nicanor perſequitur Iudam.*

ſed illud perabſurde, atque inuerecũde, quod dicat habuiſſe circa ſe Iudam non plus mille militum, contra omnium librorum conſenſum, putida vanitate volens Iudæ victoriam reddere glorioſiorem. Sed non minore vanitate mox 9. millibus, hoſtiũ exercitum definit, cum Secundus Mach. 35. millia interfecta fateatur: ſed is Iaſonem Cyreneum, vel eius abbreuiatorem videtur non vidiſſe, vt ſupra diximus; in 1. autem Machab. quem ſequitur, in hoſtium numero diuinaſſe, in domeſticorum, falſum dedita opera ſcripſiſſe. Sed priora videamus. *c.15.27.*

LIII. *Prouocatur ab eo.* GORIONIDES non infacetus eſt hoc loco, qui vt concinne prioribus poſteriora coniungat, ait Iudam audita morte Raziæ vehementer iratum, miſiſſe ad Nicanorem, qui eum ad ſingulare certamen prouocaret, diceretque. *Quandiu accingis te? egredere in agrum, & oſtendam tibi virum, quem etiam intra penetralia quæſiuiſti. En is expectat te in conualle & planicie. Congregans ergo Nicanor omnes copias ſuas, abiit in occurſum Iudæ die Sabbati.* Sic ille. Et Scriptura, cogitauit Nicanor cum omni impetu die Sabbati committere bellum. Electo videlicet eo die de induſtria, vt quietos & ſecure agentes improuiſus opprimeret, vt græca ſignificant. Opinabatur etiam fortaſſe illos, vt olim, ne arma quidem ad ſui defenſionem capturos, ſed in ſua ſimplicitate morituros. Sed illi columbarum ſimplicitati, hi iam ſerpentum prudentiam addiderant. *1.1.c.2.32-33 41.*

LIV. *Diſſuadetur a pugna die ſabbati.* IVDÆIS *vero, qui illum per neceſſitatem ſequebantur, dicentibus; ne ita ferociter, & barbare feceris*, græcè ἀγρίως ſæuieris, *ſed honorem tribue diei ſanctificationis, & honora eum, qui vniuerſa conſpicit.* In Græco, honorem tribue diei præhonoratæ cum ſanctificatione, id eſt honorifice conſecratæ ab eo, qui vniuerſa conſpicit. Ex his porro qui Nicanorem neceſſitate ſequebantur, intelligitur eum tam Hieroſolymis, quam Iudæa magna ex parte potitum eſſe, præter aliqua loca, quæ cum præſidio à Iuda, eiuſque ſociis tenebantur; Inde eſt, quod paulo ante dictum eſt, Nicanorem exiiſſe ab Ieruſalem. Peccabant autem iſti ſine dubio, qui impia arma contra Iudam, in religionis interitum ſumebant, & ſi fortaſſe defectionem ad eundem, in ipſo neceſſitatis articulo, cogitabant. *1.1.c.7.v.39.*

Quod ille contemnit. *Ille infelix*, [a] *interrogauit, ſi eſt potens in cœlo, qui imperauit agi diem* Sabbatorum. Et *reſpondentibus illis. Eſt Dominus viuus ipſe in cœlo potens, qui iuſſit agi ſeptimam diem. At ille ait; & ego potens ſum ſuper terram, qui impero ſumi arma, & negotia regis impleri.* *a τρισαλιτήριος. ter ſceleſtus.*

LV. *Superbe, ac ſine fructu.* VIDES ſuperbiam hominis ſeſe exæquantis Deo, eique imperium in homines eripientis. Quaſi dicat, imperet ille in cœlo, & illi cœlites obtemperent, ego in terris regio nomine impero. Non diſſimili Dei contẽptu dicebat Pharao, Exod. 5. 2. *Quis eſt Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Iſrael? Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam.* Sed vterque breui ſuæ impietatis meritas pœnas dedit, & habuit peccatum, ſine peccati fructu. Nam & ille vel inuitus dimiſit Iſraelitas; & hic non eſt conſecutus, vt die ſabbati pugnaretur: ſequitur enim, *tamen non obtinuit, vt conſilium perficeret*, græcè additur, σχέτλιον, nefarium, ſceleratum: ſed & primaria intentione fruſtratus eſt. *Nam cum ſumma ſuperbia erectus, cogitauerat commune trophæum ſtatuere de Iuda*, codex Vaticanus addit, *& iis qui cum ipſo erant*, quo modo etiam legit Tigurina. Auctis quippe recens copiis, ſuperueniente ſibi auxiliari Syrorum exercitu, modicam Iudæorum manum ſe facile profligaturum ſperabat. Demens qui experientia ſemper inuicti Machabæi non terrebatur; dementior etiam, qui non meminerat ſe Deum in certamen prouocaſſe.

LVI. *Iudas hortatur ſuos.* MACHABÆVS *autem ſemper confidebat cum omni ſpe auxilium ſibi à Deo affuturum, & hortabatur ſuos ne formidarent ad aduentum nationum, ſed in mente haberent adiutoria ſibi facta de cœlo; & nunc ſperarent ab omnipotente ſibi affuturam victoriam.* Sapienter autem ex præteritis coniecturam faciebat de futuris, cum eædem vtrinque cauſæ ſubſiſterent. Alloquebatur eos de lege & prophetis, & admonens certaminum, [b] *quæ fecerant prius, promptiores conſtituit eos, & ita animis eorum erectis ſimul oſtendebat Gentium fallaciam, & iuramentorum præuaricationem*, ἀθεσίαν irritationem, perfidiam, quæ apud nationes omnes ſemper execrationi fuit. Videtur innuere, Iudæ cum Nicanore amicitiam fuiſſe iuramento firmatam; tangitque nuper paratas inſidias, quibus primum Simon, deinde etiam Iudas ipſe pene oppreſſus eſt. Forte autem etiam reſpicit fœdera cum Lyſia & Eupatore inita, quamuis hi *b ὑπομνήσας. cõmonẽs.*

Et ſpe repleт animiſque.

mortui erant, & rerum ſtatus ſub nouo rege commutatus erat.

SINGVLOS *autem illorum armauit, non clypei & haſtæ munitione, ſed ſermonibus optimis, & exhortationibus, expoſito digno fide ſomnio, per quod vniuerſos lætificauit. Erat autem huiuſcemodi viſus: Oniam, qui fuerat ſummus ſacerdos, virum bonum, & benignum, verecundum viſu, modeſtum moribus, & eloquio decorum, & qui à puero in virtutibus exercitatus ſit, manus protendentem orare pro omni populo Iudæorum.* Diuinum hoc fuiſſe ſomnium, proptereaque fide dignum, cum alioqui ſomniorum obſeruationem vanitatis Scriptura condemnet, [a] res ipſa docuit, & verba Scripturæ, vt ſcorſim dicam. 4. Fuit autem hic Onias, qui Menelai artibus interfectus fuerat, [b] qui in ſinu Abrahæ poſitus, de ſua requie ac felicitate ſecurus, ſuorum neceſſitatibus opem ferre ſuis precibus non deſiſtebat: manifeſto argumento Catholicæ veritatis, de ſanctis Deum pro nobis orantibus, quibuſcum communi charitatis, quæ nunquam deficit, vinculo ſunt colligati. Eſt autem hic locus vnus ex iis, qui Sectarios noſtri temporis, ad repudiandos hos libros, & deterendam eorum autoritatem impulerunt: ſed rumpantur licet, eos vniuerſa Eccleſia, ſanctorum patrum veſtigiis inſiſtens, pro canonicis complexa eſt. Hic murus aheneus eſto.

LVII. *Relato diuini ſomnii.*

a Eccl. c. 34. 1. 2. 5.
b l. 2. c. 4. 34.

POST *hoc apparuiſſe, & alium virum ætate, & gloria mirabilem, & magni decoris habitudine circa illum:* legi etiam poteſt habitudinem, quia in Græco eſt μεγαλοπρεπεστάτην ὑπεροχήν; excellenti magnificentia vndique adornatum, quæ gloria index meritorum erat ſanctiſſimi prophetæ, & gloriæ, quæ illi in cœlo debebatur. Et ille quidem ea ſpecie apparuit, qua ante annos vndecim agnitus à Machabæo fuerat; mortuus quippe eſt anno 140. Regni Græ. vt non fuerit neceſſe illum aliunde notum fieri: at Ieremias annis 445. ante defunctus, [c] debuit ab alio declarari. 5. De Ieremia igitur interrogatus, Onias reſpondit. *Hic eſt fratrum amator, & populi Iſrael, hic eſt qui multum erat pro populo, & vniuerſa ſancta ciuitate, Ieremias propheta Dei. Extẽdiſſe autem Ieremiam dextram, & dediſſe Iudæ gladium aureum, dicentem: Accipe ſanctum gladiũ munus à Deo, in quo deiicies aduerſarios populi mei Iſrael.* Hæc tria poſtrema verba abſunt à Græcis, ab interprete autem addita ſunt declarationis cauſa; continentur enim illis, quibus ante dictus eſt φιλάδελφος, fratrum amator, vbi etiam declarationis gratia additum eſt, & populi Iſrael.

LVIII. *Apparet cum Onia Ieremias.*

c V C. 147. Nabuc. 24. a. m. 3448. n. 16.

EXHORTATI *itaque Iudæ ſermonibus bonis valde, de quibus extolli poſſet impetus,* Græcè clarius, qui poſſent ad virtutem incitare, *& animi iuuenum confortari, ſtatuerunt dimicare, & confligere fortiter, vt virtus de negotiis iudicaret.* In Græcis paulo plenius & planius, ſtatuerunt non caſtra metari, ſed generoſe inuehi, ſiue inferri, aut impetum facere, & cum omni virtute confligentes, [d] iudicare negotia, id eſt prælio dirimere controuerſiam, eo quod ciuitas ſancta, & templum periclitarentur, [e] *Erat enim pro vxoribus & filiis, itemque pro fratribus & cognatis minor ſollicitudo, maximus vero & primus pro ſanctitate timor erat templi,* ideſt pro ſanctitate templi, vel ſanctificato templo.

LIX. *Exercitus Iudæ prælium appetit.*

d ἐμπλακέντες quaſi implicãtes ſe hoſtibus. Baſil. etiam addit ἐμφύντες inhærẽtes.
e Græ. & ſancta ἡ ἁγία.

SED *& eos qui in ciuitate erant, non minima ſollicitudo habebat, pro his qui congreſſuri erant. Et cum iam omnes ſperarent iudicium futurum,* quod eſt, cum iam prælium immineret, quo Dei iudicium de cauſa vtriuſque ducis pateſieret, *hoſteſque adeſſent, atque exercitus eſſet ordinatus, beſtiæ equiteſque opportuno in loco compoſiti; conſiderans Machabæus aduentum multitudinis, & apparatum varium armorum, & ferocitatem beſtiarum, extendens manum in cœlum, prodigia facientem Dominum inuocauit, qui non ſecundum armorum potentiam, ſed prout ipſis placet, dat dignis victoriam.*

LX. *Communis omnium ſollicitudo.*

Dixit autem inuocãs hoc modo. Tu Domine qui miſiſti angelum tuum ſub Ezechia rege Iuda, & interfeciſti de caſtris Sennacherib centũ octoginta quinq. millia & nunc dominator cœlorum mitte angelum tuum bonum ante nos, in timore & tremore magnitudinis brachii tui, vt metuãt qui cum blaſphemia veniunt aduerſus ſanctum populum tuum. Et hæc quidem ita perorauit. Habetur eadem oratio cum eodem exemplo Sennacherib lib. 1. ſed additur illud, *& ſciant cæteri quia male locutus eſt ſuper ſancta tua, & iudica illum ſecundum malitiam illius.*

Oratio Iudæ ante prælium.

c. 7. v. 41.

SEQVITVR prælium ipſum, quod ex vtroque loco contextũ, ſic habet. Nicanor, & qui cum ipſo erant, cum tubis & canticis admouebant (procedebãt.) Iudas vero, &

LXI. *Prælium committitur.*

qui cum eo erant,inuocato Deo per orationes,manu quidē pugnantes,ſed Dominum cordibus orantes,proſtrauerunt non minus 35.millia,præſentia Dei magnifice delectati. Cōtradicit ergo Scripturæ Gorionides,qui tantum proſtrata dicit 30. millia; quid ergo Ioſephus qui nouem millia? vt ante dicebamus. Additur tempus certaminis,ex quo intelligetur hoc prælium ſub initium ſequentis anni Iuliani factum eſſe, ſed viſum non eſt diſtrahere in ſequentem annum, cum alioqui non ſatis appareat, vbinam præſentē terminare poſſemus. Ait ergo. Et commiſerunt exercitus prælium tertia decima die menſis Adar,& contrita ſunt caſtra Nicanoris, & cecidit ipſe primus in prælio. Ioſephus; [a] edito acri certamine multi ceciderunt ex hoſtibus, & inter cæteros Nicanor, & ducis & militis ſtrenue perfunctus officio.

Cadit Nicanor. — I 1.7.43. — a l.12.c.17.

LXII. *Mortis modus ex Gorionide. Improbatur.* — b c.22.l.3. — c l.2.c.15. v.28. — d l.2.c.12. 24.

At Gorionides; [b] *vidit Iudas in ipſa pugna Nicanorem habentem in manu ſua gladium euaginatum, clamanſque ait, contra te o Nicanor. Et cum curreret contra illum in feruoris ſui virtute, auertit Nicanor humerum ſuum, & fugit à facie Iudæ, & Iudas apprehendit eum, percuſsitque gladio ſuo, & diſſecuit in duas partes, deijciens ipſum in terram.* Sic ipſe. Sed eum mihi videtur Scriptura refellere, [c] cum ait exercitum reuertentem cum gaudio, cognouiſſe Nicanorem ruiſſe cum armis; & quaſi in re noua, & inſperata exclamaſſe, & prorupiſſe in Dei laudes. Niſi forte placet arbitrari Iudam tam lætum nuntium diutius occultaſſe; quod mihi veriſimile non eſt. Multo autem minus, quod falſo ſcribit Ioſippus apud Serarium, viuum comprehenſum, ſub fœdere dimiſſum, & cum rubore ac ignominia ad regem eſſe reuerſum: quod ne præcedenti quidem eius cladi, quæ l. 2. c. 8. memoratur, conuenire poteſt, nuſquam enim captus legitur. Id potius in Timotheum caderet, qui [d] à Doſitheo & Soſipatro captus, & cum conditione dimiſſus reperitur.

LXIII. *Exercitus Nicanoris deletur.* — I.1.c.7.v. 44.

Vt *autem vidit exercitus eius, quod cecidiſſet Nicanor, proiecerunt arma ſua*, vt expeditius fugerent, ac celerius, & inermes deprehenſi vitam facilius impetrarent, *& fugerunt. Et perſecuti ſunt eos viam vnius diei ab Adazer* (loco prælii, qui ante v. 40. dictus eſt Adarſa) *vſquequo veniatur in Gazara.* Si inter hæc duo loca iter diei vnius conſtituendum eſt, emendanda erit tabula Tribus Ephraim in Adrichomio, apud quem vix diſtat itinere 4. horarum. *Et tubis cecinerunt poſt eos cum ſignificationibus*, vt ſcilicet omnes vndique conuolarent ad fugientium hoſtium cædem. *Et exierunt de omnibus caſtellis Iudææ in circuitu, & ventilabant eos cornibus, & conuertebantur iterum ad eos, & ceciderunt omnes gladio, & non eſt relictus ex eis nec vnus.* Ὑπερεκέρων αὐτοὺς quidam interpretantur cornua extendendo claudebant hoſtes; at id conuenire non poteſt Iudæ copioſis. Qui enim fieri poteſt, vt tria millia militum 35. millia circumcludant. Phraſis potius hebræa eſt, quæ ſignificat fortitudine præualuiſſe, & ex oppidis recētes in occurſum eorū veniſſe, vt rurſum faciem conuertere cogerentur, ad eos, à quibus ante fugiebant: ſicque in medio concluſi omnes cæſi ſunt.

LXIV. *Iudæorum victoria, lætitia, gratiarum actio.*

Cvmqve *ceſſaſſent*, perſequi & occidere, *& cum gaudio redirent, cognouerunt Nicanorem ruiſſe cum armis ſuis: facto itaque clamore, & perturbatione excitata*, ταραχῆς, ſtrepitu, tumultu, confuſo omnium clamore, *patria voce omnipotentem Deū benedicebant:* patriam vocem aut hebræam licet interpretari, per pſalmos quoſdam Dauidicos, gratiarum actioni deſtinatos; vel generoſam, & viris fortibus, ac victoribus congruentem.

Præcepit autem Iudas, qui per omnia corpore, & animo mori pro ciuibus paratus erat, πρωταγωνιστὴς τῶν πολιτῶν, princeps ciuium propugnator, ex antecedente conſequens accepit interpres, inuariata ſententia; ſed additur in Græco, qui ætatis beneuolētiam, vel ab ineunte ætate in contribules ſeruabat, *caput Nicanoris, & manum cum humero abſciſſam, iuſsit Hieroſolymam, perferri.*

LXV. *Mortuo Nicanori inſultant.* *Lingua, brachio.*

Qvo *cum perueniſſet conuocatis contribulibus, & ſacerdotibus ad altare, accerſiit & eos, qui in arce erant; & oſtenſo capite Nicanoris, & manu nefaria, quam extendens contra domum ſanctam omnipotentis Dei magnifice gloriatus eſt &c.* Suo iudicio magnifice, re autem vera nefarie, ἐμεγαλαύχησε, ſuperbe iactauerat: non eſt autem veriſimile eos qui in arce erant veniſſe ad Iudam, vt qui hoſtes erant, nec ſe illi credituri erant; ſed excitato clamore intenti facti ſunt, ad ſpectaculum capitis, & brachii Nicanoris. *Linguam etiam impij Nicanoris præciſam iuſsit particulatim auibus dari, manum autem dementis contra templum ſuſpendi*, vtique dementis, qui in Deū ipſum arma moueret.

in Græco τὰ ἐπίχειρα τῆς ἀνοίας, præmia vel manubias dementiæ, fortaſſe legit interpres τὴν χεῖρα, aut rem explicatius dicere voluit: nam præmium dementis dexteræ, erectæ contra templum, fuit eam exciſam contra templum ſuſpendi: eoque
l.1.c.7.47. motus videtur, quod in primo libro nominatim de ſuſpenſa dextera ſit mentio. *Et acceperunt*, ait, *ſpolia eorum in prædam, & caput Nicanoris amputauerunt, & dexteram eius, quam extenderat ſuperbe, & attulerunt* ad Iudam, *& ſuſpenderunt contra Ieruſalem.*

LXVI. *Capitis, & vbi id ſuſpenſum.*

l.2.c.15.34. Omnes *igitur cœli benedixerunt Dominum* (nimirum Dominum cœli: quanquam in Græco eſt, εἰς τὸν οὐρανὸν in cœlum; cœlum verſus vocem grati animi extulerunt) *dicentes, benedictus qui locum ſuum incontaminatum ſeruauit.*

Suſpendit autem Nicanoris caput in ſumma arce, vt euidens eſſet, & manifeſtum ſignum auxilii Dei. Non tamen ſuſpenderunt in ciuitate Dauidis, ea quippe potiebantur hoſtes. Et forte nomine Ἄκρας intelligit certum Hieroſolymis montẽ Acra dictum, ſitum in inferiore ciuitate, de quo vide Villalpand. t. 3. Porro notat Vatablus in quibuſdam libris Græcis legi non κεφαλὴν caput, ſed προτομὴν, id eſt hominis imaginem, vmbilico tenus ductam, ad diuturniorem ſcilicet ignominiam.

LXVII. *Feſtum memoriale victoriæ.*

Sicvt vice verſa ad diuturniorem, atque adeo perpetuam aduerſus Deum gratitudinem, & accepti beneficii memoriam, *Omnes communi conſilio decreuerunt nullo modo diem ipſum abſque celebritate præterire. Habere autem celebritatem tertia decima die menſis Adar, quod dicitur voce Syriaca, pridie Mardochæi diei*; traiectio eſt vocabulorum, pro, qui Adar dicitur. Nam Græca habent, tertia decima die menſis duodecimi (Adar dicitur Syriaca voce) pridie Mardochaicæ diei, id eſt die quæ antecedit feſtiuitatem Mardochæi, quæ erat Phurim, ſiue ſortium, & celebrabatur biduo, ſcilicet die 14. & 15. menſis Adar, vt habetur c. 10. Eſther v. 13.

Porro vox Adar mutuata ab Hebræis, ſicut & reliquorum menſium nomina, à Syris vſurpabatur paſſim. Propterea Ioſephus, ea victoria, inquit, contigit decimatertia die menſis Adar, vt Iudæi nominant, qui Macedonibus Dyſtrus dicitur. Eadem habentur & l.1 Mach.c.7. in fi.

LXVIII. *Res Romana. Senatus decretum de ſumptibus.*

De Romana re, & Conſulibus, & rebus ab iis geſtis, quod dicam non habeo. Sigonius in faſtis colligit leges aliquas, Romæ hoc tempore latas, de moderandis ſumptibus, quoniam luxus, vt fit, cum opibus ſe in vrbem infuderat: & SC. de Philoſophis & Rhetoribus ex vrbe pellendis, quæ apud eum inuenies, & vberius
a l.2.c.24. apud Stephanum Pighium. Satis erit nobis locum ex Gellio [a] adſcribere. *Legi adeo nuper in Capitolinis Acteis collectaneis, Senatus decretum vetus C. Fannio, & M. Valerio Meſſala Coſſ. factum, in quo iubentur principes ciuitatis, qui ludis Megalenſibus antiquo ritu mutitarent*, id eſt mutua inter ſe conuiuia agitarent, *iurare apud Coſſ. verbis conceptis, non amplius in ſingulas cœnas ſumptus eſſe facturos, quam centenos vicenoſque æris*, id eſt 48. ſolid. turon. quia mille æris 20. francis tur. æſtimantur, *præter olus, & far, & vinũ; neque vino alienigena, ſed patrio vſuros; neque argenti in conuiuio plus pondo, quam libras centum illaturos. Sed poſt id S C. lex Fãnia lata eſt, quæ ludis Romanis, item ludis plebeiis,*
b 40. ſolid. tur. *& Saturnalibus, & aliis quibuſdam diebus, in ſingulos dies centenos æris inſumi conceſſit*, [b]
c id eſt 4. ſolid. *decemque aliis diebus in ſingulis menſibus tricenos*, id eſt triginta in ſingulos illorum decem, quæ ualent 12. ſolid. *cæteris autem omnibus diebus denos.* [c] Quod autem Plinius [d]
d l.7.c.30. ait hanc legem latã vndecim annis ante tertium bellum Punicum, quod anno V.C. 604. inchoatum eſt, id intelligendum eſt non computatis extremis. Hunc C. Fannium Conſulem hoc anno, miſſum arbitror legatum in Illyricum poſt duos annos, propter Dalmatarum motus; habetur ea legatio apud Polybium n.124.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3893.

1.N.xxiii. Emendata biblia habent, qui à ſe effugerant, iuxta ſenſum ante expoſitum, cui fauet Græcus codex Vatican. ἀπ' αὐτοῦ αὐτομολησάντων ἀνδρῶν. De viris qui ab ipſo vltro diſceſſerant, ſiue effugerant; nec quidquam videtur eſſe cauſæ; cur comprehenderet, & occideret eos, qui ad ipſum transfugerant, & cum ipſo ſentiebant: etſi Ioſephus dicat eum multos transfugas occidiſſe, eique Tigurina verſio conſentiat, quod quidam Græci habeant, μετ' αὐτοῦ αὐτομολησάντων, non ἀπ' αὐτοῦ.

2.N.xxix. Cæterum cum multa de Nicanore, recenſeantur, tam l.1. c.7.a.v.26. ad finem, cap. quam lib. 2. cap. 14. 2. v. 12. ad finem libri, ea ex vera & legitima temporis ſerie ordinanda ſunt, ne parum inter ſe conſentanea eſſe videantur: & tamen, neceſſe erit geminum eius in Iudæam aduentum inducere, quod Torniellus præmonuit. Antecedunt autem, quæ 2. libro narrantur.

3.N.xxxi. Sic enim legitur συμμίσγουσιν αὐτοῖς ἐπὶ κώμην Δεσσαοῦ. Σίμων δὲ ὁ ἀδελφὸς Ἰούδα συμβεβληκὼς ἦν τῷ Νικάνορι, βραχέως δὲ διὰ τὴν αἰφνίδιον τῶν ἀντιπάλων ἀφασίαν ἐπταικώς. Et commiſcent ſe eis ad caſtellum Deſſau. Simon vero frater Iudæ commiſerat cum Nicanore: paululum vero, ob repentinum aduerſariorum aduentum timore prolapſus. Ita Flaminius; quæ quia Iunius & Tremellius non intellexerunt, hæc non ſolum cum Ioſepho, quod leue eſt, ſed cum priore etiam libro pugnare certo certius eſſe putant. Imo & ſcatere mendaciis, impudentes nebulones aſſeruerunt. l.2 c.13. & 14.

4.N.lvii. Non ſolum vocat, ὄνειρον ἀξιόπιστον, ſed etiã ὕπαρ τι. Sic enim legitur in Vatic. pro quo alij non recte legunt ὑπέρ, & Tigur. vt recte animaduertit Serar. Quo nomine viſio clara & certa ſignificatur, quæ ipſo euentu comprobetur, & opponitur ὄναρ. Nam Homerus Odyſ. οὐκ ὄναρ ἀλλ' ὕπαρ ἐσθλόν, vt Lexic. notant, non ſomnium, ſed viſum fortunatum.

Quamquam in futura vita omnes nobis etiam incognitos, cognitos fore, imo & eorum omnes actiones, de quibus à Deo iudicabuntur, ſatis conſtat, vt omnes mortales diuinum iudicium ſuo ſuffragio, cum certa cognitione comprobent, dicentes. *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.* D. Petrus in Chriſti transfiguratione agnouit Moyſem & Heliam, tot ſeculis ante ex hominibus ſublatos. Sed redeamus in viam. 5.N.lviii

Phraſis inquam Hebræa eſt, quibus hic autor abundat, qualis eſt illa Pſal. 43. 6. In te inimicos noſtros ventilabimus cornu, κερατιοῦμεν, ſic Ezech. 32. 2. cap. 34. 21. Dan. 8. 4. Zachariæ 1. 19. 21. 3. Reg. 22. 11. *his cornibus ferreis, ventilabis Syriam, donec deleas eam.* Conuerſionem porro illam ſignificant illa verba, καὶ ἀνέστρεφον οὗτοι πρὸς τούτους, & conuertebãtur hi, nempe fugitiui, ad hos, ſcilicet Iudæos, à quibus fugabantur. Ita locum intellexit Ioſephus, cum ait, & tuba ſignificabat vicinis oppidis & vicis victoriam: moxque vndique armati proſilientes, profligatis incondite ruentibus occurrebant infeſtis gladiis, ita vt ne vnus quidem incolumis euaſerit ex nouem millibus. Tot enim in vniuerſum fuerunt. Sic ipſe. 6.N.lxiii Li.2.c.17.

ANNVS MVNDI 3894. SEXTAE AETATIS, 378. IMPERII GRÆCORVM 152. DEMETRII SOTERIS 2. IVDÆ MACHAB. DVCIS ET PONTIFICIS 6. IONATHÆ 1. PTOLEMÆI PHILOMET. 29. OLYMPIADIS CLV. AN. 1. VRB. COND. 593. COSS. L. ANITIO GALLO, ET M. CORNELIO CETHEGO.

ANNVS ANTE CHRISTVM 159.

I. *Res anni huius.*

LVCTVOSISSIMVS Iudæis annus exoritur, triſtiſſimo funere Machabæi, dum Græci in Olympicis certamina ludicra de more agitant, & Leonidam Rhodium pedum pernicitate victorem iterum coronant: tertium etiam poſtea, atque adeo quartum coronaturi. Is, ait Pauſanias in Eliacis, [a] quatuor Olympiadum præmia conſecutus eſt, cumque nulli aduerſariorum ſuccubuiſſet, duodecim palmas vnus abſtulit. Cladem illam anteceſſit Romam miſſa legatio, amicitiæ Romanos inter & Iudæos, & fœderis ineundi cauſa. Sed ea legatio priuſquam Romam perueniret, Iudas ex humanis ſublatus eſt, & aliquanto poſt Ionathas frater eius, in demortui locum eſt ſuffectus. Ratio autem temporis ex ante dictis, & memorato decimo tertio mẽſis Adar, [b] qui antecedit vernum æquinoctium, & ipſa rerum geſtarũ ſerie, planiſſima eſt, & mox iterum firmabitur. Quę priuſquam aggrediamur, Romæ inuiſamus legatos Demetrij, & dedititios, & dona ferentes.

Leonidas curſor.

[a] l. 6. p. 190. græ.

[b] 1. Mach. c. 7. fi.

II. *Legati Demetrij Romam cur miſſi.*

CVM Demetrius Romanos omni ſtudio placare conaretur, quos & ſibi, & regno infenſos non ignorabat; ſibi, propter fugam inſcio, atque inuito Senatu initam, & regnum Syriæ iniuſſu occupatum; Regno propter violatos populi Rom. legatos, omnia ad eum ſibi conciliandum molitus eſt, vt ſuperiore anno dicebamus. Inter alia vero, & coronam auream miſit ingentis pretij, vt ſe ipſius beneficio regnare profiteretur; & violatores vltro dedidit, vt meritas ab iis exigeret pœnas, regnum culpæ immunem agnoſceret. Verum, vt ſcribit Polybius in legat. [c] perdiu dubitatum eſt à Patribus, quid eſſet opus facto. Tandem & legatos ſuſcepit Senatus, & coronam accepit; homines vero qui fuerant adducti, reiecit, Leptinem ſcilicet, qui Cnæi Octauij cædem propria patrauerat manu, & Iſocratem, qui eam publice approbarat, ne ſcilicet vulgo crederetur, Senatum debitas pro eo facinore à Syris exegiſſe pœnas, ſi eius authores ſupplicio affeciſſet. Itaque iis reiectis, omnia ſibi integra ſeruare voluit, vt quoties vellet vindicandi in Demetrium, eiuſque regnum criminis poteſtatem haberet.

Vt Romæ accepti.

[c] n. 111.

III. *Quid Demetrio à Senatu reſponſum.*

IDCIRCO etiam Demetrio huiuſmodi reſponſum dedit. Senatum ſuam illi beneuolentiam impertiturum, ſi idonea ratione cauerit, ſe in ipſius poteſtate futurum, ſicut eſſet olim. Sic Polybius. Ita Senatus ſpemque metumque inter retinere voluit Demetrium, dum nec plane omnia reſpuit, quo facto in deſperationem hominem, apertaſq; inimicitias cõieciſſet: nec dedititios recepit, vt eo metu in officio regem contineret, ne quid admitteret, quod inclinantes ad iuſtam vltionẽ Romanos, ad arma inuitaret. Videtur etiam Senatus tacite obſidẽ exigere regij generis, qui ipſum Romæ repræſentare poſſet. Et hinc ſane factum apparet, cur Iudæorum legatio eis tam ex animi ſententia Romæ ſucceſſerit: quod eorum opera Demetrium ex vicino, cum liberet, vexare poſſent.

IV. *Romani reges in metu continent. in Aegypto.*

EADEM cauſa fuit cur hoc ipſo tempore Ptolemæum iuniorem in Ægypto, contra Philometorem protegerent, vt ex Polybio n. 113. ſupra retulimus. Et rurſum n. 117. idem ſcribit legatos ab vtroque fratre Romam miſſos, qui longam & contentioſam in Senatu concertationem habuerent, & annitentibus Torquato & Merula, qui antea in gratiam Iunioris Ptolemæi miſſi fuerant, ſeniorẽ Ptolemæum

cauſa cecidiſſe, adeo vt Senatus decreuerit, vt intra quinque dies Menithyllus (is erat princeps legatus Philometoris) vrbe excederet, & fœdus, quod cum ipſius domino erat, tolleretur. Legatos præterea decreuit ad Iuniorem mittendos, qui hoc Patrum decretum illi afferrent. [a]

[a] n. 117.

V. *Et in Aſia.* Persimili prudentia & calliditate, cum Eumenem Pergami regem non diligerent, quamuis eiuſdem fratri fauerent, Pruſiam tamen Bithyniæ regem, & Ariarathem Regem Cappadociæ eorum hoſtes fouebant, muneribuſque eorum ſocietatem ac beneuolentiam ſtabiliebant, teſte Polybio in legat. [b] Denique ad deterendam Carthaginienſium potentiam, Maſſaniſſam, eos iniuriis ſubinde damniſque afficientem, non obſcure beneuolentia ſua ſuſtentabant, & hoc ipſo pœna dignum afficientes præmio, ad deteriora prouocabant: cum ei non ſolum impune, ſed gemino etiam cum fructu peccare liceret, vt non ſemel ex Liuio ſuperioribus annis demonſtratum eſt, & ſub hunc ipſum annum docet Polyb. [c] Sed omnia hæc exacte perſequi non eſt inſtituti noſtri, attingere ſatis fuit. Nunc Iudam legationem parántem reuiſamus.

[b] nu. 109. 112. 119. 121.
[c] n. 118.

VI. *Legatio Iudæ quando miſſa Romam.* Eam legationem non ante hunc annum miſſam, ſatis ex eo conſtat, quod ea poſt deuictum Nicanorem inſtituta eſt, reſpirantibus paululum Iudæis, & quietem ſuam ſtabilire cupientibus. Inde enim *ſiluit terra Iuda dies paucos*, ait Scriptura: nec tardius à Iuda mitti potuit, qui ſub huius anni menſem primum mortuus traditur, vt dicetur. Nam quod Ioſephus prius Alcimi mortem narrat, quam eam legationem, præpoſtere facit, cum diſertis verbis ex Scriptura habeamus impium illum anno ſequenti centeſimo quinquageſimo tertio Regni Græcorum paralyſi diſſolutum. [d] Nec minus errat cum Iudam ſucceſſorem facit Pontificatus Alcimi, cum Iudæ mors vno anno, atque eo amplius Alcimi mortem præuenerit.

Ioſephi parachroniſmus.

[d] l. 1. c. 9. 54.

VII. *Quamque ob cauſam.* Ivdas igitur extincto Nicanore, & deletis copiis eius, ad pacem gentis ſuæ intentus, & humana quoque præſidia circumſpiciens, cum Romanorum potentiam didiciſſet, quantumque ſibi Demetrius inde timeret, eum augere metum, & in ſuam rem conuertere conſtituit.

Romanorū potentia. *Audiuit Iudas*, inquit author, [e] *nomen Romanorum, quia ſunt potentes viribus, & acquieſcunt ad omnia, quæ poſtulantur ab eis, & quicunque acceſſerunt ad eos, ſtatuerunt cum eis amicitias.* Illud, acquieſcunt ad omnia quæ poſtulantur ab eis, reddi poteſt, beneuolos ſe præbent iis, qui ſe ipſis adiungunt, ſcilicet acquieſcendo iuſtis eorum poſtulatis; idque nō ſemel, & in vno aliquo euentu, ſed perpetuo: quandoquidem facile in amicitiam homines recipiunt, vt eis ſemper auxilio & præſidio eſſe poſſint. Duas ergo cauſas ponit, quæ Iudam ad hoc fœdus incitarunt, potentiam, & humanitatem Romanorum. Illa tam in opibus & vectigalibus omnium prouinciarum, quæ Romam perpetuo confluebant, quam in multitudine ſubditorum populorum, & ſociorum, & amicorum ſita erat. Hæc autem cernebatur in eo, quod omnibus afflictis, tam populis quam regibus, perfugio erant atque præſidio. Inde ſequitur enumeratio rerum ab eis præclare geſtarum.

[e] l. 1. c. 8.

Et humanitas.

VIII. *Eorum victoria in Galatia.* Et audierunt prælia eorum, & virtutes bonas quas fecerunt in Galatia, quia obtinuerunt eos, & duxerunt ſub tributum. Reſpicit ad bellum geſtum contra Gallogræcos, qui & Galli & Galatæ, quod in bello contra Antiochum Magnum à Romanis geſto illi adfuiſſent; qua de re ex Liuio [f] diximus anno 564. A Cn. Manlio Volſone victi, & biennio poſt triumphati ſunt. Quod autem tributum eis imperatum ſit, apud Liuium non inuenio, ſed prædam diuturno tributo parem; tantam ſcilicet quantam auidiſſima rapiendi gens, cum cis montem Taurum, armis omnia per multos annos tenuiſſet, coaceruare potuit, vt idem Liuius ſcribit.

[f] l. 38.

IX. *Et in Hiſpania.* Et *quanta fecerunt in regione Hiſpaniæ, & quod in poteſtatem redegerunt metalla argenti & auri quæ illic ſunt, & poſſederunt omnem locum conſilio ſuo, & patientia.* Romanorum bella in Hiſpania, eodem ferme tempore clareſcere cœperunt, quo bellum Annibalicum in Italia, multiſque Imperatoribus triumphi materiam pene quotannis tribuerunt. Omnium illuſtriſſimæ ſunt Scipionum in vtraque Hiſpania res geſtæ, maxime patris patruique Africani maioris, & ipſiuſmet Africani. De theſauris autem Hiſpanicis conſule P. Pinedæ Salomonem. [g] Illud nobis ex Strabone referre ſufficiat. [h] *Nondum*, inquit, *adhuc compertum eſt vllibi terrarum, aurum, argentum, æs, aut ferrum, tanta cum copia tum bonitate inueniri. Atque hic aurum non effo-*

[g] l. 4. c. 14. n. 6.
[h] lib 3.

ditur modo, ſed & flumina & torrentes auro permiſtam arenam voluunt, &c. fuſc. *Locaque quæ longe erant valde ab eis, & reges qui ſuperuenerant eis ab extremis terræ contriuerunt, & percuſſerunt eos plaga magna: cæteri autem dant eis tributum omnibus annis.*

Hæc remota loca intelligit transmarina, in Sicilia primum, deinde in Africa, vbi vtrumque bellum Punicum contra Carthaginienſes geſtum eſt per multos annos; & Ioſephus obiter hunc locum de Carthaginienſibus interpretatus eſt. Reges autem intelligo Syphacem Numidarum regem, & Verminam eius filium: vixque alium in Africa regem, præter Maſſaniſſam reperias, qui hoſtis à principio, vbi ſe Romanis dedidit, eis ſemper fuit addictiſſimus, ſicut Gelo, & Hiero in Sicilia. Carthaginienſes autem coacti ſunt à Romanis decem millia talentûm, deſcripta penſionibus æquis, in annos quinquaginta ſoluere, cum pax eis à ſuperiore Africano deuictis data eſt, vt eſt in Liuio l. 30. & Polybio l. 15. qua de re nos egimus ſupra anno Vr. Con. 551. Recte ergo Scriptura. *Dant eis*, inquit, *tributum omnibus annis*, quia quinquaginta anni nondum erant euoluti: quin etiam ex omnibus prouinciis quotannis ingentes theſauros euerrebant. X. *Et remotioribus locis.*

Et *Philippum, & Perſen Ceteorum regem, & ceteros, qui aduerſum eos arma tulerunt contriuerunt in bello, & obtinuerunt eos.* Bellum primum contra Philippum, ſtatim inchoatum eſt à pace facta cum Pœnis, anno V.C. 553. durauitque ad annum 557. quo pax facta eſt. Deinde renouatum eſt bellum Macedonicum contra Perſea Philippi filium, ſub quo imperium illud euerſum eſt à L. Æmylio Paulo, anno V.C. 585. cum quadriennium alterum tenuiſſet id bellũ; anno quippe 582. inchoatum fuerat. Quare autem Macedones Cetei, vel Citiæi, vt eſt in Græco, dicãtur, non eſt facile reperire: certe Macedonia terra Cethim dicitur in ipſo initio huius libri, vbi Alexander Philippi egreſſus dicitur de terra Cethim. Quam Hebræi dicunt כתים Chitthiim, ſicque ex Cethim factum eſt Cetei, vt ex Chitthiim Citiæi, ſublatis aſpirationibus. XI. *A Romanis ſubacti Macedones.* *Cur dicti Cetei.*

Eo porro nomine appellant Hebræi Cyprum, & adiacentes ei inſulas intelligunt, & nominatim Ierem.[a] *Tranſite ad inſulas Cethim, & videte &c.* Vt ibi autor eſt D. Hieronym. & Theodoret. in eundem locum. Ductum autem videtur id nomen à Cethim, qui inter filios Iauan numeratur, à quibus diuiſæ ſunt inſulæ gentium.[b] Sed quid hoc ad Macedoniam? Audi Epiphan. hæreſi 30. *Omnibus*, inquit, *manifeſtum eſt, quod Citium Cypriorum inſula appellatur*, ita loquitur epiſcopus Cypri. Sed pergit. *Citij enim Cyprij ſunt ac Rhodij. Sed & in Macedonia genus Cypriorum ac Rhodiorum habitauit, & ea de cauſa in Machabæis habetur, quod exiuit ſemen è terra Citienſium.* Terra Cethim etiam Græcia appellatur, & hic à Ioſepho quaſi explicando ponitur, quod totus ille tractus, qui mari Ægæo & Ionio alluitur, pene inſularis eſt, & infinitis inſulis magnis, paruiſque conſperſus. XII. *Terra Cethim Cyprus.* *Macedonia* *Rhodus.* *Græcia.*

[a] 2. 10. [b] Gen. 10. 4. 5.

Et *Antiochum Magnum Regem Aſiæ, qui eis pugnam intulerat, habens 120. elephantos, & equitatum, & currus, & exercitum magnum valde, contritum ab eis. Et quia ceperunt eum viuum, & ſtatuerunt ei, vt daret ipſe, & qui regnarent poſt ipſum, tributum magnum, & daret obſides, & conſtitutum, & regionem Indorum, & Medos, & Lydos de optimis regionibus eorum: & acceptas eas ab eis dederunt Eumeni regi.* Multa hic de Antiocho Magno Demetrij auo dicuntur, quæ expoſitione indigent. Primum dicitur Romanis bellum intuliſſe, quod fecit incitatus ab Afris, quibus fuit auxilio contra Romanos; ſed occulte ſecundo bello Punico, vt ſupra dictum eſt: deinde autem aperte inſtigantibus Ætolis, & Annibale, anno V.C. 561. & 562. regni ipſius 33. & 34. XIII. *Victus ab eiſdẽ Antiochus Magnus.*

Quod ad 120. elephantos, in Liuio l. 37. vbi ſuprema contra ipſum pugna deſcribitur, quatuor tantum & quinquaginta numerantur. Verum vt recte notauit Serar. cum hic idem Antiochus centum & duos contra Ptolemæum Epiphanem inſtruxerit, vt autor eſt Polyb. l. 5. quid mirum ſi contra Romanos centum & viginti armauerit? Quin etiam ex eodem Polyb.[c] habemus, eum circa Bactrianam regionem, facta cum Euthydemo pace, ad centum & quinquaginta elephantos habuiſſe. Potuit & reliquos habere in Syria, quo victus confugit; vel in Perſide, Babylone, & ſuperioribus Aſiæ regionibus; neque enim eos in exercitu illo fuiſſe omnes neceſſe eſt. Sed hac de re ſupra diximus, anno Antiochi 35. vbi ex Appiano retulimus & Liuio, eum ad 70. millia peditum, & ſupra 12. millia equitum ſub ſignis habuiſſe; currus autem falcatos neuter numerat. Quod ad contritum exercitum, hæc ſunt verba Liuij.[d] *Ad 50. millia peditum cæſa eo die dicuntur, equitum quatuor* XIV. *Numerus elephantorum eius.* *Et reliquarum copiarum.*

[c] in fi. l. 11. [d] l. 37.

millia, mille & quadringenti capti, & quindecim cum rectoribus elephanti.

XV. *An viuus captus fuerit.* — a. m. 3864. n. 42. 43. &c.

Id autem maximam difficultatem ingerit, quod viuus captus dicatur, cum id confirmari ex hiſtoria profana nō poſſit; quæ tradit eum fugiſſe cum paucis, & media ferme nocte Sardeis conceſſiſſe; inde Apameam, poſtremo in Syriam euaſiſſe: de conditionibus autem pacis per legatos egiſſe. Nec tamen, vt notat Emanuel Sà, & Serar. pluribus, Scriptura poteſt argui falſitatis, quia ad eius veritatem ſufficit, vt hæc ita Iudas audiuerit, etſi aliter forte res haberet, & huc recte illud Auguſtini transfertur, l. contra Priſcillaniſtas, & Origeniſtas c. 9. *In Euangelio quamuis verum ſit omnino quod dicta ſint, non tamen omnia quæ dicta ſunt vera eſſe creduntur, quoniam multa à Iudæis falſa & impia dicta eſſe, verax Euangelij Scriptura teſtatur.* Eodem ergo modo vere recitantur audita à Iuda, quæ rumore nuncio non ſatis fideliter vulgabantur. Quamquam fieri poteſt, inquit Serar. vt captus ſit, ſtatimque dimiſſus opera Africani, qui ei, ob receptum ab eo filium, bene affectus fuit; aut captus dicatur, qui pene captus fuit.

XVI. *Tributum, & aliæ conditiones pacis.*

Tribvtvm magnum vocat quindecim millia talentûm Euboicorum, quingenta præſentia, duo millia & quingenta cum S.P.Q.R. pacē comprobaſſent; deinde 12. millia talentûm intra annos duodecim: id autem tributum vltra duodecim annos propagatum eſt. Nam ab Epiphane perſoluebatur ad plures regni eius annos, vt patet ex l. 2. Mach.[a] vbi anno Epiphanis vndecimo duo millia talentorum quærebantur, quæ tributi nomine Romanis penderentur. Obſides viginti imperati ſunt, & per triennium mutandi: de quibus vide quæ diximus anno Antiochi 35. n. 43. & anno eiuſdem 37. n. 11. in 18. conditione pacis: quas omnes conditiones nomine conſtituti intelligimus hoc loco, id eſt fœderis, quo modo accepit præcedēti ca.[b] *Tranſgreſſi ſunt conſtitutum, & iuſiurandum quod iurauerant*,[c] & primo illo loco στάσις, & altero διαλλαγή idem valent quod διαθήκη, fœdus. Nam vt notant libri lexici, apud idoneos authores διαλλαγή pacificationem, & reconciliationem animorum ſignificat.

Conſtitutū. — a c. 8. 10. — b cap. 8. 18. — c l. 2. c. 12. v. 25.

XVII. *Num India erepta Antiocho.*

De regione Indorum mirum eſt dici aut ereptam Antiocho, aut datam Eumeni Regi. Nam Indiam neuter vnquam poſſedit. A morte enim Alexandri Magni conſtat Indiam iugum Macedonum excuſſiſſe. Et Seleucum primum Aſiæ regem, cum Sandrocotto, qui Indiam poſſidebat, ea tempeſtate qua Seleucus futuræ magnitudinis fundamenta iaciebat, pacem feciſſe, vt ſcribit Iuſtinus.[d] Deinde Antiochus hic noſter non ſolum Indiam non poſſedit, ſed ne Bactrianos quidem multo citeriores recuperare potuit, ſed eorum imperium Euthydemo cum regio nomine conceſſit, vt habetur apud Polybium.[e] Vbi etiam habetur Antiochum ſuperato Caucaſo Indorum fines ingreſſum, amicitiam cum Sophagaſeno rege renouaſſe. Amicus ergo erat Indorum, non Dominus.

d l. 15 ſi. — e in fi. l. 11.

XVIII. *Nimirum quæ circa Pontum.*

Itaqve Indicam regionem hoc loco dici arbitror regionem circa Pontum dictam Indicam apud Stephanum, cuius vrbs Gorgippia, cuius Rex Alexander quidam bellum in Theſſalos mouerat, quorum vicini Ixibatæ dicti; de quibus vide Ortelium in theſauro geographico. Hanc ergo regionem & à Magno Antiocho poſſeſſam, & Eumeni, qui non longe inde regnabat, à Romanis dono datam facile eſt intelligere. Senatus enim Eumeni regi conceſſit, vt cis Taurum montem, quæ intra Antiochi regni fines fuiſſent, Eumeni attribuerentur, præter Lyciam & Cariam, quæ Rhodiis dabantur, vt habet Liuius l. 37.

An & Media, ſiue Myſia eidem erepta.

Iam quod ad Medos attinet, ſuſpicatur etiam Serar. Myſos pro Medis legendum eſſe: cui fauere poteſt, quod vbi Liuius l. 35. in Antiochi copiis numerat Dahas, Medos, Elymæos, Caduſios, Appianus, Dahas, Myſos, Elymæos &c. & Myſia vicina erat regno Eumenis, imo coniuncta, Media vero toto cœlo diſtat, ſupra Perſidem, & vltra maiorem Armeniam collocata.

XIX. *Aut potius Media Thracica.*

Rectivs tamen fortaſſe Mediam dixerimus Thraciæ prouinciam, Macedonibus infeſtam, vt tradit Liuius l. 28. & Strabo l. 7. Medicam etiam prouinciam in Thracia ponit Ptolem. tab. 9. Ortelius in Geogr. Mædos Thracicos ſcribit, & Medos Aſiaticos. Iidem videntur dici Maduateni à Liuio l. 38. & MedoBithyni à Stephano, apud eūdem. Iuxta eam prouinciam Antiochus Magnus Lyſimachiam reſtaurauit, ad Iſthmum Cherſoneſi Thraciæ. Liuio teſte l. 33. l. vero 38. quod ad rem noſtram in primis facit, dicitur legatos decem Romanorum, qui in Aſiam

Romani à Iuda extolluntur.

Senatus iuſſu venerant, vt prouincias Antiocho ademptas diſtribuerent; Regi Eumeni dediſſe Cherſoneſum in Europa, & Lyſimachiam, caſtella, vicos, agros eius, quibus finibus tenuerat Antiochus. In Aſia vero Phrygiam vtramque, alteram ad Helleſpontum, maiorem alteram vocant, & Myſiam, quam Pruſiæ Rex ademerat, ei reſtituerũt; & Lycaoniam, & Myliada, & Lydiam, & nominatim vrbes Tralleis, atque Epheſum, & Telmeſſum. Ita Liuius l.c. Erant autem hæ prouinciæ, & loca de optimis & præcipuis Regum Aſiæ & Syriæ. Quod ait hoc loco Scriptura.[a] Itaque l.38. ſub initia dicitur omni Aſia, cis Taurum montem opimo regno exceſſiſſe.

a l.1.c.7. v.8.

XX. *Aetoli à Romanis deuicti.*

Et *quia qui erant apud Helladam* (id eſt Græciam, ab accuſandi caſu formatus rectus, ſicut & Ptolemaida, & lampada) *voluerunt ire & tollere eos, & innotuit ſermo his, & miſerunt ad eos ducem vnum, & pugnauerunt contra illos, & ceciderunt ex eis multi, & captiuas duxerunt vxores eorum, & filios, & diripuerunt eos, & terram eorum poſſederunt, & deſtruxerunt muros eorum, & in ſeruitutem illos redegerunt vſque in diem hunc.* Hoc maxime loco intelligi arbitror Ætolos, qui in vmbilico Græciæ locati ſunt, Liuio l. 35. qui à principio belli contra Philippum, primi tranſmarinarum gentium in amicitiam Romanorum venerunt.[b] Deinde victo Philippo, minoribus præmiis, atque honore affecti expectatione ſua, à Romanis deficiunt, & Antiochum, Nabim, & Philippum ad arma excitant, quorum princeps Damocritus T. Quintio Flaminino legato Exconſuli petenti reſponſum, dixerat ſe in Italia daturum, cum caſtra ibi ſupra Tyberis ripam, Ætoli poſuiſſent, eodem lib. quo explicatur illud, *voluerunt ire, & tollere eos.*

b Liuius l. 26.

l. 35.

XXI. *Duce Acilio Glabrione.*

Dvx qui Ætolos in Græcia debellauit, vna cum Antiocho ibidem pugnantes, fuit M. Acilius Glabrio, Conſul anno 562. de quibus & triumphauit anno 563. multaque turba captiuorum Ætolorum, expugnata Heraclea potitus eſt, in quibus etiã Damocritus l. 36. qui deinde cum aliis tribus & 40. primariis Romam miſſi, in Latomias coniecti ſunt l. 37. Quibus autem poſtea conditionibus pacem obtinuerint, quibuſue oppidis, agriſque mulctati, quo tributo grauati à M. Fuluio Nobiliore, anno V.C. 564. vide apud Liuium ſub initia l. 38. Poſtremo Romani *reſidua regna, & inſulas, quæ aliquando reſtiterant illis, exterminauerunt, & in poteſtatem redegerunt.* Illyrios videlicet, Epirotas, Siculos, Sardes, Corſos, Achæos, præter Italiæ populos, quos diuturniore tempore in poteſtatem redegerunt.

Aliaque regna, & inſulæ.

XXII. *Romani cultores amicitiæ ſociorum.*

l.1.c.7.v.12

Cvm *amicis autem ſuis, & qui in ipſis requiem habebant*, id eſt ſociis & fautoribus, *conſeruarunt amicitiam*, vt cum Gelone rege Syracuſano, cum Maſſaniſſa rege Numidiæ, cum Ptolemæis Ægypti regibus, cum Athenienſibus, & Rhodiis, cum Pruſia, & Attalo Bithyniæ, & Pergami regibus, cum Ariarathe Cappadociæ, *& obtinuerunt regna quæ erant proxima*, puta in tota Italia, Illyrico, Dalmatia, Epiro, Sicilia, *& quæ erant longe*, in vtraque Hiſpania ad vltimum Oceanum: *quia quicunque audiebant nomen eorum, timebant eos, quibus vero vellent auxilio eſſe, vt regnarent, regnabant, quos autem vellent, regno deturbabant.* Id expertus erat proxime Demetrius Soter, qui iam regnabat, qui à Romanis regno priuabatur, Eupatore ex Senatus voluntate regnante. Expertus & Antiochus Epiphanes, virga à Popilio Lænate circunſcriptus, & prius reſpõſum dare iuſſus, & omnia belli conſilia diſſipare, quam circulo exiret; & Ptolemæus vterque, quorum regna pro arbitrio definiebant, augebant, minuebant. Præter Philippum, & Perſeum, & Carthaginienſes, & tot Hiſpaniarum regulos. Itaque *exaltati ſunt valde.*

Regibus dominantur.

XXIII. *Romanorum modeſtia, & laudabilia inſtituta. Ex Liuio.*

Et *in omnibus iſtis*, (cum tantum vbique potentia, opibuſque præſtarent) *nemo portabat diadema, nec induebatur purpura, vt magnificaretur in ea, & quia Curiam fecerunt ſibi, & quotidie conſulebant 320. conſilium agentes ſemper de multitudine, vt quæ digna ſunt gerant; & committunt vni homini magiſtratum ſuum per ſingulos annos, dominari vniuerſæ terræ ſuæ, & omnes obediunt vni, & non eſt inuidia, neque zelus inter eos.* Hæc ex Liuio l. 2. illuſtrantur omnia, vbi de Conſulibus primùm inſtitutis. Libertatis, inquit, originem inde magis numeres, quia annuum imperium conſulare factum eſt, quam quod diminutum quidquam ſit ex regia poteſtate. Id modo cautum eſt ne ſi ambo faſces haberent, duplicatus terror videretur. Brutus prior, concedente collega faſces habuit: & paulo poſt.

XXIV. *Senatorum numerus.*

Deinde quo plus virium in Senatu, frequentia etiam ordinis faceret, cædibus regis diminutum Patrum numerum, primoribus equeſtris gradus lectis, ad trecen-

torum ſummam expleuit, additis 164. vt ait Feſtus, & quidem ex plebe, propter inopiam patriciorum. Pergit Liuius. Traditumque inde fertur vt in Senatum vocarentur qui Patres, quique Conſcripti eſſent. Conſcriptos videlicet in nouum Senatum appellabant lectos.

Quamuis porro trecentorum numerus, ab ipſo vſque Tarquinio Priſco fuiſſet inſtitutus, qui ducentis à Romulo creatis, centum adiecerat, vt autor eſt Halicarnaſ. potuit tamen labentibus annis numerus iſte aliquot Senatoribus vel augeri, vel minui Cenſorum arbitrio, retento tamen nomine tenus numero trecentorum: ſicut centumuiri dicebantur, & 70. diſcipuli, & 70. conſiliarij Moſis, & 70. interpretes Scripturarum, quamuis aliquanto plures eſſent. Hoc ergo tempore, quo Iudas legationem in vrbem miſit, 20. ſupra trecentos in Senatu numerabantur, qui quotidie pro recte adminiſtranda Repub. populoque regendo conueniebant; idque in Syria ex Romanorum legatis cognoſci potuit.

XXV. *Vſus purpuræ Romæ.* AT, inquies, ſi regia erat purpura, videtur etiam facta conſularis. Reſpondeo videri togas Romanorum non purpureas, ſed purpura tantum prætextas: præſertim cum hæc legamus apud Liuium, [a] quando de abroganda lege Oppia diſputabatur, inter Catonem Conſulem, & L. Valerium Tribunum plebis. Purpura viri vtemur, prætextati in magiſtratibus, in ſacerdotiis, liberi noſtri prætextis purpura togis vtentur, magiſtratibus in coloniis municipiiſque, hic Romæ infimo genere magiſtris vicorum togæ prætextæ habendæ ius permittemus, nec id vt viui ſolum habeant tantum inſigne, ſed etiam vt cum eo crementur mortui: fœminis duntaxat purpuræ vſu interdicemus? Et cum tibi viro liceat purpura in veſte ſtragula vti, matrem familias tuam purpureum amiculum habere non ſines? & equus tuus ſpecioſius inſtratus erit, quam vxor veſtita? Sic ibi.

[a] l. 34. init. a. V. C. 558.

XXVI. *De eodem ex Halicarnaſ.* VERVM aliquid amplius Conſulibus videtur tribuere Dionyſ. Halicarnaſſ. apud quem l. 4. legimus Brutum de conſtituenda Rep. conſultantem, ita ſentire. E tam multis regiis inſigniis, ſi qua ſunt inuidioſa & moleſta populo, partim minuenda, partim plane tollenda iudico, ſceptra iſta dico, & coronas aureas, & purpureas auro intertextas trabeas; niſi ſtatis feſtis, & in pompis triumphalibus aſſumantur honoris deorum gratia. Et l. 3. agens de Etruſcis ſeſe Romanis dedentibus, legati redeunt inquit, afferentes principatus inſignia, quibus ſuos reges ornare conſueuerant, coronam auream, & ſellam eburneam, ſceptrumque in ſummitate habens aquilam, & purpuream tunicam auro diſtinctam, purpureumque amiculum varium, qualia Lydorum atque Perſarum reges geſtarunt. Et mox de Tarquinio: toto deinceps vitæ tempore amictus toga picta purpurea, geſtabat coronam auream, & cum ſceptro eburneo, ſella item ſedebat eburnea, duodecim lictoribus cum ſecuribus & virgis iura reddenti adſtantibus, & per vias eum præcedentibus. Idem ornatus manſit & ipſius ſucceſſoribus, & poſt pulſos reges annuis conſulibus, excepta corona, togaque picta. Sic Dionyſ. ex quibus ſatis videtur intelligi qua purpura non vterentur Conſules. lib. tamen 5. cum ouationem à triumpho diſcernit, ait in ouatione imperatorem, pro picta auroque intertexta trabea, indui toga prætexta. Quod inquit, vſitatum Conſulum & imperatorum geſtamen eſt. Sed de his ſatis, plura ſuggeret Sigon. l. 3. de iudiciis c. 18. qui etiam de numero Senatorum plura congerit l. 2. de antiq. iure ciu. Rom. c. 2.

XXVII. *De inſtitutione duorũ Conſulum.* DE binis conſulibus nulla poteſt eſſe dubitatio. Nam primo anno conſtitutæ Reip. ita Brutus apud Dionyſ. loquitur. Deinde non vnius arbitrio committenda rerum ſumma, ſed duobus viris permittendum regium imperium; ſicut Lacedæmonios audio facere iam multis ætatibus, & propter hanc formam Reipub. inter omnes Græcos maxime florere legibus & opibus. Minus enim iniurioſi erunt, & moleſti, diuiſa poteſtate bifariam, ambobus eandem vim obtinentibus, & alter alterum reuerebitur, ac viciſſim reuocabit à licentia: æmulatio quoque ad virtutis opinionem, ex æquata poteſtate maxime naſci videtur. Quin etiam ſcribit idem, [b] C. Claudium Conſulem, collega Valerio Publicola in magiſtratu mortuo, dixiſſe tribunis, opus eſſe vt alius in defuncti locum ſubrogaretur, quod enim à ſe vno ageretur, nec legitimum, nec ratum futurum; quod vero ab ambobus, id demum & legitimum futurum, & pondus habiturum.

XXVIII. *Quomodo apud vnũ Romæ poteſtas.* NIHILOMINVS apud eundem Romilio Conſule quinque annis poſt, oſtenditur

[b] l. 10. anno V. C. 294.

tur quando ambo ſimul Conſules in bello eſſent, alternatim penes vnum belli imperium fuiſſe; qui idem & teſſeras dabat, & aciem inſtruebat, & pugnæ tum ineundæ, tum omittendæ tempus præſcribebat. Is ſcilicet apud quem faſces eo die erant, iuxta ea quæ ex Liuio retulimus. Apud quem etiam legimus in pugna Cannenſi contigiſſe, vt eo die, quo male pugnatum eſt, non penes Paulum, ſed penes Varronem eſſet imperium. Quamquam rarum erat, vt vterque Conſul ſimul eſſet; eóque fiebat vt ſinguli: alter in bello & prouincia, alter in vrbe; aut in diuerſis disiunctiſque prouinciis ſinguli, Rempub. adminiſtrarent, & ab ipſo anni principio ſua cuique Conſuli, aut etiam Prætori prouincia decerneretur: & huc potius videtur Scriptura reſpexiſſe, quæ de imperio annuo agit non diali. Niſi placet cum Emanuele Sà exiſtimare, Iudam aliquorum relatione deceptum exiſtimaſſe, vnicum fuiſſe in Repub. ſummum magiſtratum; cui opinioni Dictatura præbere potuerit occaſionem; quæ tamen neque annua fuit, neque ordinarius magiſtratus, vt Conſulatus, de cuius in tempus annuum inſtitutione, hic poſtremo Bruti apud Dionyſium orationem adtexamus.

l. 22.

XXIX. *Annua conſularis poteſtas.*

Svperest vnum, inquit, quod omnium quæ dixi vtiliſſimum fore arbitror, & ad magiſtratus à delictis abſtrahendos efficaciſſimum, ne imperium iiſdem per totum vitæ ſpacium prorogetur. Prægrauis eſt enim omnibus magiſtratus, qui certo temporis ſpatio limitatus non eſt, nec vllas adminiſtrationis rationes reddere cogitur, vnde tyrannis naſcitur. Contrahenda igitur poteſtas exemplo Athenienſium intra tempus annuum; imperandi enim parendique viciſſitudo, & poteſtatis antequam corrumpat animum depoſitio, cohibet ingenia contumacia, nec ſinit mores inebriari nimia licentia. Hæc ibi.

Perpetuus magiſtratus communiſſimus.

Ergo ingenia minime contumacia, & contra egregiis naturæ & gratiæ præſidiis diuinitus ornata, merito poſſunt ſummo in magiſtratu perpetuo præſidere. Idque vſus perpetuus tam in eccleſiaſtica, quam in ciuili adminiſtratione confirmat. Reges & principes, duces, comites, & barones, perpetui ſunt iudices ſubditorum ſuorum; perpetui præſides, conſiliarij, cæterique iudices. Perpetui Pontifices, epiſcopi parochi: & quibuſdam in religioſis ordinibus in primis florentibus, ſumma dignitas conſtans eſt atque perpetua; eadémque opera crebro ſubnaſcenti ambitioni via præcluditur.

XXX. *Imperij prorogatio.*

Qvamqvam ſæpiſſime apud Romanos contigit imperium tam Conſulibus quam Prætoribus prorogari, fierique Proprætores atque Proconſules, ſiue propter prouinciarum longinquitatem, in quibus adeundis bona pars anni conſumebatur; ſiue quia res bene inchoatæ, facilius atque vtilius abſolui ab vno eodemque poterant, quam ab altero, qui ſuccederet nouus; & omnia nonnunquam perturbaret, dum ſuo iudicio mallet, quam alieno res conficere. Poſtremo res male non raro gererentur à ducibus, metuentibus, ne laboris ſui gloriam, ſibi debitam, & prope maturam ſucceſſori decerpendam relinquere cogerentur; vt aliquoties etiam cum T. Liuio annotauimus.

XXXI. *Num inuidia vacent & zelo.*

Deniqve de inuidia & zelo quod dicitur, niſi id falſo iactatum ab aliquo Romanorum adulatore, & à Iuda auditum dicere placet cum aliquibus, id dictum accipi poterit per comparationem aliarum gentium, præſertim Græcorum, & Iudæorum ſub pſeudopontificibus Iaſone, Menelao, Alcimo, apud quos in Rerumpub. adminiſtratione, his temporibus omnia erant corruptiſſima: aut etiam comparatione priorum, & multo magis poſteriorum temporum, quibus Romani ſeditionibus, belliſque ciuilibus agitati ſunt. Multa in hanc ſententiam à D. Auguſtino in libris de ciuit. Dei copioſe elegantérque diſputantur, quæ lector conſulere poteſt. Nos cum authore noſtro, cui lucem aliquam ex prædictis datam oportuit, beneuolo vt ſpero lectori non ingratam, ad ipſam tandem legationem veniamus.

XXXII. *Legati Iudæ & populi.*

Et *elegit Iudas Eupolemum filium Ioannis, filij Iacob*, ſiue vt in Græcis habetur filij Accos; memoratur libro ſecundo hic Ioannes pater Eupolemi legati, [a] tanquam de Iudæorum Republica bene meritus, ex quo etiam loco tam patris quam filij excellentia commendatur, cum alter ab altero accipiat claritatem. Eupolemus tamen notior erat, vt recentior. Alter legatus fuit Iaſon filius Eleazari, ſed cuius Eleazari non conſtat, forte fratris Iudæ, qui propterea

[a] l. 2. c. 4. 11

quaſi iunior poſteriore loco numeretur; aut certe martyris illius nonagenarii qui felicem legationis ſucceſſum apud Deum impetrarit. *Et miſit eos Romam, conſtituere cum illis amicitiam, & ſocietatem, & vt auferrent ab eis iugum Græcorum quia viderunt quod in ſeruitutem premerent regnum Iſrael. Et abierunt Romam, viam multum valde, & introierunt Curiam, & dixerunt. Iudas Machabæus, & fratres eius, & populus Iudæorum miſerunt nos ad vos, ſtatuere vobiſcum ſocietatem & pacem, & conſcribere nos ſocios, & amicos veſtros*, ſocietas armorum eſt, at amicitia res omnes temporaque complectitur, nec omnes amici ſocii erant. Vrſiſſe vero in primis vt eximerentur à poteſtate Demetrii, queſtoſque de eo legatos Romæ, reſcripti verba ſignificant. Porro Iudæ, fratrumque ac totius populi nomine facta eſt legatio, tum vt maioris authoritatis res eſſet; tum vt ſi quid humanitus Iudæ contingeret, vt reuera contigit, priuſquam legati Romam attigiſſent, eodem fœdere eius ſucceſſores nominatim comprehenſi reperirentur.

XXXIII. *Admittuntur in amicos & ſocios.*

E T *placuit ſermo in conſpectu eorum*, & legatorum poſtulatis acquieuerunt: non ſolum quia amicis abundare vtile atque honorificũ eſt, ſed maxime, quia, vt ſupra dicebamus, hoc quaſi freno Demetrium regem retinere voluerunt in officio, cui ob cauſas ante memoratas, non ſatis æqui erant Romani: cuius rei teſtes ſunt illæ minæ, quæ literis ipſorum ad Demetrium continentur, quæ habentur in fine cap. huius.

Cõditiones fœderis ex parte Iudæorum.

Et hoc reſcriptum eſt, quod reſcripſerunt in tabulis æreis, & miſerunt in Ieruſalem, vt eſſet apud eos ibi memoriale pacis & ſocietatis. Bene ſit Romanis, & genti Iudæorum in mari & in terra in æternum, gladiuſque & hoſtis procul ſit ab eis. Quod ſi inſtiterit bellum Romanis prius, aut omnibus ſociis eorum, in omni dominatione eorum, auxilium feret gens Iudæorum, prout tempus dictauerit corde pleno: & præliantibus non dabunt, neque ſubminiſtrabunt triticum, arma, pecuniam, naues ſicut placuit Romanis: & cuſtodient mandata eorum, nihil ab eis accipientes. l. 1. c. 8. 22. 23. & ſeq.

XXXIV. *Et Romanorum.*

S IMILITER *autem & ſi genti Iudæorum prius acciderit bellum, adiuuabunt Romani ex animo, prout eis tempus permiſerit. Et adiuuantibus non dabitur triticum, arma, pecunia, naues: ſicut placuit Romanis. Et cuſtodient mandata eorum abſque dolo.* Tota ſententia decreti eſt, vt Iudæi pro Romanis, & vice verſa Romani pro Iudæis ſuis ſumptibus militare teneantur, pro arbitrio eorum, in quorum vtilitatem pugnabitur. Nam quibus bello neceſſaria ſuppeditanda ſunt, ii non amici aut ſocii, ſed conductitii milites videntur.

Quod ſi poſt hæc verba, hi aut illi addere, aut demere ad hæc aliquid voluerint, facient ex propoſito ſuo, conſenſu videlicet vtriuſque partis; *& quæcumque addiderint, vel dempſerint, rata erunt.* Eadem additur clauſula in fœdere cum Antiocho Magno inito, apud Polyb. in Legat. & Liuium l. 38. in hæc verba. *Si quid addi detrahiue de communi ſententia placuerit, id ſaluo fœdere liceat.* n. 35.

XXXV. *Romani Demetrio pro Iudeis minantur.*

S ED *& de malis quæ Demetrius Rex fecit in eos* (συντέλεσται facit. Nam adhuc manus eius extenta, vt ſequenti capite intelligitur; quæ aut fecerit in Iudæos, & quæ paſſus ſit, capite præcedenti narratum eſt,) *ſcripſimus ei, dicentes. Quare grauaſti iugum tuum ſuper amicos noſtros*, hæc quoque phraſis hebraica eſt, Latina: quare opprimis ſeruilem in modum amicos noſtros, *& ſocios Iudæos? Si ergo iterum adierint nos, aduerſum te, faciemus illis iudicium* (perſequemur armis ius eorum) *& pugnabimus tecum mari terraque.*

Quo porro fructu initum fuerit hoc fœdus, nuſquam apparet. Nihil enim auxilii à Romanis, aut petitum aut acceptum reperitur in his libris, etſi ſemel iterumque cum Ionatha & Simone renouatum fuerit.

XXXVI. *Aliquãin eo errata.*

H ABETVR hæc fœdus apud Ioſephum,[a] ſed non parum deprauatum. *Erat*, inquit, *Senatuſconſultum de ſocietate & amicitia Iudæorum huiuſmodi. Ne cui Romanæ ditionis cum Iudæis bellum gerere liceat.* Hoc additum eſt fœderi à Ioſepho, *neque præbere hoſtibus eorum triticum, aut naues, aut pecuniam.* Hoc deprauatum eſt à Ioſepho; Scriptura enim ait, Iudæis præliantibus pro Romanis, nihil ſubminiſtraturos Romanos ex obligatione, ideoque ſequitur, *nihil ab eis accipientes:* quod Ioſephus ad auxilia non tribuẽda hoſtibus non fideliter trãſtulit; pergit, *vtq. ſi quis Iudæos inuadat Romani ſuccurrãt pro viribus, & viciſſim ſi quis Romanos bello impetat, Iudæi contra eum ſint auxilio.* Hic quoq. infideliter agit, omittit enim quod plurimũ

a l. 12. c. 17.

refert, vt ſcilicet vtrique pro ſociis mutuo propriis ſumptibus pugnent. Ne reliqua quidem ſatis fideliter.

XXXVII *Aliqua in eo errata.*

Qvod *ſi Iudæi velint in hoc fœdere addi aliquid, aut detrahi* (imo alterutri, non Iudæi ſoli) *id oportere fieri de communi populi Romani ſententia.* Imo de vtriuſque populi; eſt enim in textu, οὗτοι καὶ οὗτοι, hi aut illi, ſubdit poſtremo quaſi ſubſcriptionem hanc. *Scriptum eſt hoc SC. per Eupolemum Ioannis filium, & Iaſonem Eleazari, ſub pontifice Iuda, & duce Simone fratre eius.* In qua primum ſubſcriptionem Romanorum deſiderarem, & legatorum Iudæ, nomine ipſius. Deinde non intelligo cur non nominet Iudam eundem ducem & Pontificem populi, quoniam ipſiuſmet Ioſephi aſſertione conſtat, vtramque dignitatem hoc tempore fuiſſe coniunctam. Nam quod Simonem vocat ducem, non magis ille tum dux fuit, quam Ionathas. Itaque vterque ſilendus videbatur, cum literæ ad Senatum datæ, ſolum Iudam nominatim expreſſerint, vt vnicum tunc totius Reipublicæ Iudaicæ caput.

XXXVIII. *An Iuda fœdus cum Romanis in culpa fuerit.*

Illvd poſtremo, non contra Ioſephum, ſed contra aliquos diſputari hoc loco poteſt, qui Iudam reprehendunt initi cum Romanis fœderis, eamque proxime ſubſecutæ mortis ipſius cauſam fuiſſe affirmare non dubitant; eandemque culpam & pœnam cum Ionatha, & Simone communicant. In his Rupert. l. 10. de vict. c. vlt. & Sà.[a] Verum hanc ipſi culpam probare non poſſunt. Neque enim ex natura rei malum eſt fœdus inire cum infidelibus, ad iuſtam ſui tuitionem, aut religioſi cultus Dei propugnationem, non autem ad impium aliquem iniuſtúmve finem, ſi id citra periculum ſubuerſionis, aut ſcandali fieri contingat. Humana enim nobiſcum ſocietate continentur, nec magis id auxilium repudiandum videtur, quam id quod à belluis, armis, ignibus, & id genus aliis rebus, hominum vſibus deſtinatis mutuamur. Nec par eſt ratio dæmonum quibus cum nobis omnis interdicta communicatio, vtpote quorum inteſtinum in Deum odium, perpetuam ruinæ noſtræ ſitim in eorum mentes infundit.

Non prohiberi id iure natura.

XXXIX *Neque iure humano, aut diuino.*

Neqve vero ex aliquo humano vel diuino præcepto, iſtiuſmodi fœdera condemnantur. Illud enim mandatum, quod crebro in lege Moſis legimus inculcatum,[b] de non incundo cum alienigenis fœdere, neque omnibus æque gentibus datum eſt, niſi par ſit periculum ſubuerſionis, aut finis malus: neque omnes æque alienigenas gentes excludit, ſed certas quaſdam, certóque numero, quibuſcum nolebat Dominus Iſraëlitas viuere; Heuæos ſcilicet, Ethæos, Gebuſæos, & id genus alias, ad quarum ſectandam idololatriam prolapſuri erant. Accedunt exempla ſanctorum virorum, quos nuſquam Scriptura eo nomine reprehendit, ſicut nec Machabæos noſtros. Nam Dauid à Saule vexatus, cum Achis Philiſtæo rege fœdus iniit,[c] & cum Naas Ammonita,[d] & cum Tolmai rege Geſſur, cuius filiam duxit vxorem,[e] Abraham quoque, & Iſaac, cum Palæſtinis amicitias & fœdera inierunt, vt conſtat ex l. Geneſ.[f]

Fauent exempla Sanctorū.

Nec repugnat Ioſaphati exēplum.

Sed aduerſatur nobis exemplum Ioſaphat.[g] Quem propheta Iehu reprehendit. *Impio*, inquit, *præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris, & idcirco iram Domini merebaris*, &c. Verum dici poteſt peculiare id eſſe in Ioſaphat aduerſus Achab, quem Dominus cum vniuerſa domo ſua funditus exterminatum volebat, ſicut ante pronunciarat

XL. *Concluſio pro Iuda innocentia.*

Cvm ergo Iudas, cæterique principes Machabæi, neceſſitate coacti has amicitias & fœdera expetierint, eáque ad ſanctiſſimum finem retulerint, nullum periculum ſubuerſionis adierint, nemini in ea re offendiculo fuerint, neque ſe gentilitiæ impietatis protectores exhibuerint; nullam ſuper ea re prohibitionem acceperint; & vbi non eſt lex, ibi non ſit præuaricatio, quam poſſunt idoneam inuenire excuſationem accuſatores eorum, quos Scriptura non arguit, imo modis omnibus commendat, vt viros imo Heroas & fortitudine & ſanctitate clariſſimos? Quin etiam arbitror eos id fœdus non ſolum prudenter, ſed ex diuina etiam inſpiratione iniuiſſe, ne Deum tentare, humana præſidia negligendo viderentur: quæ aduocare poterant, debita in Deum fiducia nihil imminuta, cuius ordinaria prouidentia deſiderat concurſum, & cooperationem cauſarum ſecundarum. Sed iam ad poſtremum Iudæ prælium, quaſi renitentem conuertamus orationem.

[a] in c. 9. l. 1.
[b] Exod. ca. 23. 32. ca. 34. 15. Deut. c. 7. 2.
[c] 1. Reg. 27
[d] 2. Reg. 10
[e] 2. Reg. 3. 3.
[f] c. 14. 21. 26 &c.
[g] 2. Paral. 19.

XLI. *Demetrius iterum vexat Iudæos.* *Arbela.* *Ioſephus arguitur.* *Per Bacchidem & Alcimum.*

Interea *vt audiuit Demetrius, quia cecidit Nicanor, & exercitus eius in prælio, appoſuit Bacchidem & Alcimum rurſus mittere in Iudæam, & dextrum cornu cum illis. Et abierunt viam quæ ducit in Galgala, & caſtra poſuerunt in Maſaloth, quæ eſt in Arbellis, & occupauerunt eam, & peremerunt animas hominum multas.* Arbelam prouinciam facit Scriptura, in qua oppidum Maſaloth collocat. Ioſephus Arbelam oppidum Galilææ ſuperioris facit, & Maſaloth miſſam facit. Adrichom. vtramque in tribu Nephtali conſtituit. Addit Ioſephus, ibi fuiſſe ſpeluncas, ad quas magnus hominum numerus confugerat, eaſque expugnatas, non repugno. Non laudo autem quod ſocium Bacchidis omiſerit Alcimum; ſed quod hominem, quem iam occiderat, à mortuis, præſertim impium, excitare noluit, id vero ego ſane laudo.

XLII. *Qui quærũt Iudam.*

In *menſe primo anni centeſimi & quinquageſimi ſecundi, applicuerunt exercitum ad Ieruſalem*, quærebant ſcilicet Iudam cum copiis ſuis. Ipſo enim incolumi, nihil ipſis tutum in Iudæa fore merito arbitrabantur. Ergo eo ibi non inuento, *ſurrexerunt, & abierunt in Beream 20. millia virorum, & duo millia equitum.* Beream caue accipias eam, in quam miſſus eſt Menelaus ſupplicij cauſa, [a] ſed oppidulum aliquod Hieroſolymis non longe poſitum, quod Ioſephus vocat Berzetho, & vicinum Layſæ, ſiue Eleaſæ, vt habent Græci: neque enim eadem eſt hæc Layſa cum altera, quæ ad Libanum mortem, & fontes Iordanis erat, quæ etiam Dan dicta eſt. Quomodo enim inde vſq; ad montem Azoti, id eſt ad oppoſitos Iudææ fines, compulſus fuiſſet fugitiuus hoſtis à Iuda?

1. Machab. c. 9. v. 3.

a Vt l. 2. c. 13. 4 diximus.

XLIII. *Copia Iudæ timore diſfluunt.*

Et *Iudas poſuerat caſtra in Layſa, & tria millia viri electi cum eo: & viderunt multitudinem exercitus, quia multi ſunt, & timuerunt valde; & multi ſubtraxerunt ſe de caſtris, & non remanſerunt ex eis niſi octingenti viri.* Nongentos legimus apud D. Ambroſium [b] errore, vt fit, in numerum illapſo. Hos fuiſſe perpetuos Iudæ ſocios ſcribit Gorionides. Mirus profecto hic timor, in iis qui paulo ante pari numero Nicanorem, cum multo maioribus copiis, internecione deleuerant; [c] quique iſtum ipſum Bacchidem proximo anno ex Iudæa re infecta repulerant.[d] An forte ex præcedente victoria vanitas quædam, & fiducia ſui obrepſit, quæ nunc iſta timiditate diuinitus caſtigetur? Dum ſeſe potius intuentur, quam victoriarum largitorem Deum. Sic Petrus cum reſpexiſſet ventum validum, & non vocantem magiſtrum, timuit, & mergi cœpit. Quid ſi & Iudam eadem tentatio pupugit? Audi enim.

b l. 1. offi. c. 41.

c l. 1. c. 7. 40 46. l. 2. c. 15. 27.

d l. 1. c. 7. 20

XLIV. *Ipſe timore tentatur.* *Quem augent ſocij.*

Et *vidit Iudas quod defluxit exercitus ſuus, & bellum perurgebat eum, & confractus eſt corde, quia non habebat tempus congregandi eos, & diſſolutus eſt.* Verum minime ſuccubuit tentationi. Nam ſequitur. *Et dixit iis qui reſidui erant: Surgamus, & eamus ad aduerſarios noſtros, ſi poterimus pugnare aduerſus eos.* In Græco, ſi forte poſſimus debellare eos. Vides dubitationem, & hominem relictum ſibi: nulla hîc precum mentio, nullum apparet propitiandi numinis ſtudium; nec auditur, *cum defecerit virtus mea ne derelinquas me.* Augebant tentationem ſocij, & auertebant eum dicentes. *Non poterimus, ſed liberemus animas noſtras modo, & reuertamur ad fratres noſtros, & tunc pugnabimus aduerſus eos; nos autem pauci ſumus.* Prudens vtique conſilium, ſed humanis principiis nixum. Ex quibus etiam videtur petita illa reſponſio, cum ait Iudas.

XLV. *Iudas fugam auerſatur.* *Fuga dedecori.*

Absit *iſtam rem facere, vt fugiamus ab eis; & ſi appropiauit tempus noſtrum, moriamur in virtute propter fratres noſtros, & non inferamus crimen gloriæ noſtræ.* Crimen vocat maculam, probrum, quod exiſtimationi ſuæ inurere noluit; quod ſcilicet intelligebat in Dei dedecus, & blaſphemiam apud infideles redundaturum. Vnus enim Deus, eiuſque cultus & honoris conſeruatio, hoc totum bellum accenderat, & fouebat, vt ipſi quoque hoſtes fatebantur. [e] Eo autem fine & pugnandi & moriendi propoſito, potuit Iudas, ſeſe ad ſociorum captum accommodans, ad eos excitandos medium partæ iam gloriæ conſeruandæ aſſumere, præceptum ſecutus Sapientis. [f] *Ne dederis maculam in gloria tua.* Etſi enim reuera nullum erat dedecus, tam impares viribus ad tempus cedere, quin potius id recta ratio poſtulabat; erat tamen in eius opinione, idque in Deum redundare exiſtimabat: cui vitæ ſuæ terminos committebat, cum diceret, *ſi appropiauit tempus noſtrum, moriamur*, norat quippe illud. [g] *Breues dies hominis ſunt, numerus menſium eius apud te eſt, conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* Sic ille ſe in ærumnis ſuis conſolabatur.

e l. 1. c. 6. 19.

f Eccli. 33.

g Iobi 14. 5.

E T ne quis hæc eius verba ad fatalem quandam neceſſitatem trahat, libet pauca ex Serario noſtro in hunc locum mutuari. Abſit, inquit, vt tam ſiniſtre optimi Machabæi ſententiam interpretari quiſquam audeat. Chriſtus Dominus, quia definitè ſuæ mortis tempus prænorat, abſque vllo (ſi) dicit, *appropinquauit hora, ſurgite eamus.* Iudas vero hic noſter, temporis quo mori deberet incertus, præponit hominum more, ſi, prout etiam locuti ſunt S. Martinus apud Sulpicium, S. Ambroſius apud S. Paulinum, & boni quotidie Chriſtiani, cum à Medicis deſperantur. Redeamus ad Iudam. XLVI. *Nec fatum agnoſcit.*

Qui iam minaci murmure cornuum
Perſtringit aures, iam litui ſtrepunt
Iam fulgor armorum fugaces
Terret equos, equitumque vultus.

1. Mac. 9. v. 11. E T *mouit exercitus* Bacchidis *de caſtris, & ſteterunt illis obuiam*, ex aduerſo Iudæis: *& diuiſi ſunt equites regij in duas partes*, duo cornua, *& fundibularij, & ſagittarij*, leuis armatura, velites, *præibant exercitum, & primi certaminis*, qui primos ductabant ordines, *omnes potentes. Bacchides autem erat in dextro cornu. Et proximauit legio*, phalanx Græcè, more Macedonico, hæc erat grauis armatura peditum, & totum robur exercitus, *ex duabus partibus.* Iudę ſcilicet & Bacchidis, vt interpretatur Tigurina. At, dictum oportuiſſet Phalanges ſiue legiones; reſpicit potius partes duas, quas proxime dixerat, vnde addit articulnm, ἐκ τῶν δύο μερῶν, quaſi dicat ex prædictis duabus partibus, ſiue cornibus promouebatur exercitus regius; in modum Lunæ recens enatæ, *& clamabant tubis.* XLVII. *Prælium init Bacchides.*

E X C L A M A V E R V N T *autem & hi, qui erant ex parte Iudæ etiam ipſi, & commota eſt terra à voce exercituum, & commiſſum eſt prælium à mane vſque ad veſperam. Et vidit Iudas quod firmior eſt pars exercitus Bacchidis in dextris; & conuenerunt cum ipſo omnes conſtantes corde: & contrita eſt dextera pars ab eis, & perſecutus eſt eos vſque ad montem Azoti. Et qui in ſiniſtro cornu erant, viderunt, quod contritum eſt dextrum cornu, & ſecuti ſunt poſt Iudam, & eos qui cum ipſo erant, à tergo, & ingrauatum eſt prælium, & ceciderunt vulnerati multi ex his & ex illis, & Iudas cecidit, & cæteri fugerunt.* Nimirum deiecta columna, corruiţ quæ illi innitebatur domus. XLVIII. *Init & Iudas.*

N E C aliter Ioſephus rem narrat. Id conſpicati, inquit, qui ſiniſtrum cornu tenebant, à tergo adorti Iudam circumueniunt: qui videns nullum ſupereſſe effugium, vrgentibus circumquaque hoſtibus, in veſtigio cum ſuis conſtitit, & cæſis hoſtium plurimis, laſſitudine magis, quam vulneribus confectus, cecidit non inultus, ad priora præclara facinora, extremo hoc mortis decore addito. Quo proſtrato non habentes amplius quem ſequerentur milites, orbati tanto Imperatore, tum demum in fugam effuſi ſunt. Ita Ioſephus. Gorionides quoque ait Iudam pugnæ labore vehementer feſſum cecidiſſe, ſed pro Azoti monte, ipſe vrbem Azoti ſubſtituit, eóq; Nicanorem fugiſſe tradit. Moxque reuerſum cum ſuis Iudam occidiſſe, cum ſcilicet ille vultum in eos, qui à tergo inſtabant conuertiſſet. XLIX. *Eadem clades ex Ioſepho.*

I T A victoria Bachidi ceſſit: non cruenta ſolum, ſed etiam pudenda; cum 22. millibus, octingenti viri non ſolum totum diem reſtiterint, ſed robur ipſum exercitus contriuerint, fuderint, fugarint, & cæſum ducem ſuum incolumes è prælio ſui fratres abſtulerint: certe D. Ambroſ. Iudam glorioſiorem triumphis mortem inueniſſe profitetur. *Et Ionathas & Simon tulerunt Iudam fratrem ſuum, & ſepelierunt eum in ſepulchro patrum ſuorum in ciuitate Modin. Et fleuerunt eum omnis populus Iſraël planctu magno, & lugebant dies multos: & dixerunt. Quomodo cecidit potens, qui ſaluum faciebat populum Iſraël.* Ioſephus factas inductas ait a fratribus ad recipiendum Iudæ cadauer. Sed cum inſigni mendacio, librum duodecimum claudit; cum ait Iudam per triennium ante obitum pontificale ſacerdotium adminiſtraſſe, cum hic ſextus pontificatus eius agatur annus; Iudam tamen immemor & ingratus è pontificum catalogo l. 20. cap. penultimo expunxit. Sex autem anni principatus & ſacerdotij Iudæ ab anno 146. quo mortuus eſt Mathathias, ad 152. quo occiſus eſt Iudas, numerantur: quæ eſt ipſius Scripturæ aperta chronologia. L. *Bacchidis victoria pudenda.* *Iudæ funus.*

H A C T E N V S Iudæ Machabæi res præclare geſtas Scriptura deſcripſit, & erexit monimentum ære perennius. Sed à nobis id etiam deſiderari arbitror, vt laudes tanti herois, ex ipſius cum Chriſto Domino comparatione, quam admodum LI. *Typus Chriſti Iudas.*

expreſſam multis in locis facile reperiemus, pro noſtra tenuitate cumulemus: præſertim cum eius nos quodammodo ſacer author admoneat.[a] *Et dilatauit*, inquit, *gloriam populo ſuo, & induit ſe loricam ſicut gigas, & ſuccinxit ſe arma bellica ſua in prælus, & protegebat caſtra gladio ſuo. Similis factus eſt Leoni in operibus ſuis, & ſicut catulus Leonis rugiens in venatione.* Quis non intelligit hæc ipſa quæ de Iuda dicuntur hoc loco, Ieſu Chriſto perſpicue quadrare ac conuenire? vt cum eædem figuræ, eademque elogia vtrique conueniant, alterum alteri, ſimilem, & quaſi geminum eſſe neceſſe ſit. (a 1.1.c.3.)

LII. *Elogia vtrique communia.* QVIS eſt enim gloria populi ſui Chriſtiani, populi electi à Deo in hæreditatem ſuam, præter Chriſtum, quem prædeſtinauit Deus ante ſecula, in gloriam noſtram?[b] Quis eſt qui *exultauit vt gigas ad currendam viam; à ſummo cælo egreſſo eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius?* Cui dictum eſt *accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime, ſagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent, in corda inimicorum regis?* Nonne Domino ac ſaluatori noſtro?. (b 1.Cor.2.7)

Iam illa quoque de eodem peruulgata ſunt. *Ne fleueris, ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid.*[c] Et illa illuſtriſſima, vt ſolum Machabæi cognomen deeſſe videatur.[d] *Iuda, te laudabunt fratres tui, manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi aſcendiſti, requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum?* (c Apoc. 5.5. d Gen.49.8)

LIII. *Vterque primogenitus, vnctus in principem atque pontificem.* MACHABÆVS primogenitus patris, vnctus à Patre in ducem populi, & pontificem, vt ſupra dicebamus. Chriſtus *primogenitus in multis fratribus*,[e] idemque *primogenitus omnis creaturæ.*[f] Chriſtus vnctus. *Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.*[g] *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit Dominus me, ad annunciandum manſuetis miſit me.* Chriſtus populi dux. *Ecce teſtem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.*[h] Et *Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, vt pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum, filius meus es tu, ego hodie genui te.*[i] Et, *Chriſtus autem aſſiſtens pontifex futurorum bonorum.*[k] *Talis decebat, vt eſſet nobis pontifex, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus.*[l] (e Rom.8.29 f Coloſ.1.15. g Pſal.44. Heb.1.9. h Eſa.55.4. i Hebr.5.5. k Heb.9.11 l Heb.7.26)

LIV. *Vterq. ſuſcitatus deploratis temporibus.* SVSCITAVIT Dominus Machabæum ſaluatorem Reipub. Iudaicæ calamitoſiſſimis Iudæorum temporibus, cum ipſi, qui ſummos ſe ſacerdotes ferebant, Alcimus, Iaſon, Menelaus, duces erant ad omnem nequitiam, & impietatem: & inſuper regno Syriæ, & Iudææ occupato à crudeliſſimo rege Antiocho, quod Demetrio filio Seleuci debebatur, qui ad reliquam in ſanctos Dei famulos crudelitatem, illud adiecit epimetron, vt circuncifos infantulos cum matribus mitteret in præceps.[m] Suſcitauit Deus Chriſtum Dominum, cum ſectæ perditionis in Synagogam introductæ eſſent, Saducæorum, Phariſæorum, aliorum, qui vt ſepulchra dealbata pleni erant omni ſpurcitia.[n] Et regnum à crudeliſſimo Herode Idumæo tenebatur, quod domui Dauidis debebatur, qui innocentum ſanguine matres, cunaſque cruentauit. (m 1.Mach.1.64. n Matth.23.27.)

LV. *Vterque Dei hoſtes mirabiliter vincit.* ACCEDVNT ad Chriſti figuram tam crebræ Machabæi, tamque admirabiles victoriæ, in quibus pauci & pene inermes, maximos potentiſſimoſque exercitus regios profligabant; cui angeli ipſi militabant, cuius vel ab ipſis hoſtibus ductores propugnatoreſque cernebantur, qui eis terrorem & amentiam inijcerent, qui ſternerent funderentque armatas acies. Facile eſt hic agnoſcere paucos illos Chriſti milites inermes, agnos in medio luporum, & ab omnibus humanis præſidiis deſtitutos, qui & ipſi vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, cæteraque omnibus nota perpetrarunt.[o] Sed ipſi eorum principi angeli aſtabant, miniſtrabant, famulabãtur, in natiuitate, in ieiunio, in paſſione, in reſurrectione; à quibus exterriti ſunt milites, & facti ſunt velut mortui, quique opera mirabilia in martyrum glorioſis certaminibus quotidie perpetrabant. (o Hebr.11.33.)

LVI. *Viſione cõfortatur.* PVGNATVRO Iudæ contra Nicanorem ſuperbum hominem atque blaſphemum, & maximam omnium victoriarum relaturo, apparet Onias Pontifex manus protendens in cœlum, & Ieremias propheta confortans eum, & præbens gladium aureum, ad deiiciendos aduerſarios populi Dei.[p] Chriſto contra diabolum, Dei ac mortalium omnium hoſtem infenſiſſimum, in paſſione ſua pugnaturo, principem mundi huius foras eiecturo, & glorioſiſſimum omnium triumphum de morte, & (p 1.2.c.15.)

a Lucæ 22. 45. b c. 25. 15. interno relaturo apparuit angelus confortans eum, [a] offerens vtique ebibendum calicem paſſionis, cum illis Ierem. verbis. [b] *Sume calicem vini furoris huius de manu mea.* Gladium videlicet crucis precioſiſſimum, in quo eſt vita & victoria noſtra.

Ivdas cum ſuis Idola deiicit, repurgat templum, reſtaurat cultum diuinum; frementibus vndique populis & principibus terræ: in apertam vtique figuram deturbandæ à Chriſto, eiuſque diſcipulis Idololatriæ, repurgandæ ſynagogæ, conſtituendæ eccleſiæ, cum melioribus ritibus atque ſacramentis, reſtituendæ adorationis Dei in ſpiritu & veritate, frementibus licet Iudæis, & gentium populis meditantibus inania, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Machabæus poſt inſignem de Nicanore victoriam, vt partam populo ſuo pacem ſtabiliat, amicitiam init cum Romanis, duobus ad eos legatis miſſis Eupolemo & Iaſone. Chriſtus Dominus poſt victoriam & reſurrectionem ſuam initurus erat pacem cum Romanis, & ſtabiliturus apud eos eccleſiam ſuam, per Petrum & Paulum legatos & Apoſtolos ſuos. LVII. *Dei cultum reſtaurat.*

Vterqve iuuenis obit, & poſt paucos annos adminiſtrationis ſuæ; vterque pro fratribus ſuis moritur. *Moriamur*, inquit Iudas, [c] *in virtute propter fratres noſtros.* Expedit vobis ait Spiritus ſanctus, *vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Vterque ante nouiſſimum certamen animo vehementer afflictus eſt, Iudas *confractus eſt corde, & diſſolutus eſt.* Chriſtus *cœpit pauere, & tædere, & mœſtus eſſe*: vterque deſertus eſt à ſuis, licet vterque pugnaret pro ſuis. Ille ait, *ſi appropiauit tempus noſtrum moriamur.* Hic autem. *Ecce appropinquauit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum, ſurgite eamus.* Vtrumque ſui à pugna irrito conatu retrahunt, vterque victor, morti nihilominus ſuccumbit. Ad Iudæ mortem dux Bacchides, & profanus Pontifex Alcimus, quaſi Pilatus & Cayphas ad Chriſti mortem concurrunt: vterque à ſuis effertur mortuus, & cum planctu magno ſepelitur; vtriuſque ſepulchrum eſt glorioſum, vtriuſque plurimæ res præclaræ geſtæ non ſunt mandatæ literis, [d] vterque viuit, & regnat in cœlis.

c 1. 1. c. 9. 10. d Ioan. 20. v. 30. LVIII. *Vtriuſque in mortis myſteriis ſimilitudo.*

1. Machab. 9. 22. Placet autem & tabellam ad paternum Iudæ Machabæi ſepulchrum in oppido Modin appendere, cum hoc Epitaphio, quod præcipua eius facinora feræ poſteritati denunciet. LIX. *Epitaphiũ Iudæ.*

EPITAPHIVM IVDÆ MACHABÆI.

Pande sinvs Mathathia, religiosæ militiæ veterane dvctor, ecce rvit in amplexvs tvos Ivdas ille Machabævs primogenitvs tvvs, ornamentvm familiæ, et gloria gentis tvæ; vir immortalibvs promeritis svis dignvs, eivs vt gloriosissimvm nomen, cvm lavdis excessv, atqve exvperatione virtvtis vsvrpetvr, et Ivdas Machabævs dicatvr, qvicvnqve fverit omnibvs nvmeris egregivs Imperator. Hic ille est, viator, qvi armatas regvm ac principvm acies, qvadragenorvm ac sexagenorvm millivm, qvi eqvos et qvadrigas, falcatos cvrrvs, efferatos elephantos, cvm modica fratrvm ac sociorvm manv, fvdit, fvgavit, contrivit. Hic ille est qvi trivm Asiae ac Syriae regvm, Epiphanis, Evpatoris, Demetrii vim ac fvrorem partim effvdit in ventos, partim compvlit ad petendam pacem. Qvi cvm novem tvm dvcibvs ac praesidibvs provinciarvm, tvm proregibvs ac militiæ principibvs, in acie dimicavit: qvorvm alios percvlit atqve prostravit, victos spoliavit, castra svccendit, alios in iisq. Apollonivm, Seronem, perfidvmqve Nicanorem, relatis opimis spoliis, interfecit; et plvrimvm svos ad vnvm redvxit incolvmes.

LX.

QVID MIRVM, HIC EST ILLE IMPERATOR SVB CVIVS SIGNIS COELITES IPSI MILITANT, QVEM MEDIVM VTRIMQVE PROTEGVNT, HOSTIVM ORA FERRO VERBERANT, ATQVE INSANO PAVORE CONFVNDVNT. ILLE BELLATOR CVI SANCTI PROPHETÆ AVREOS GLADIOS PRÆBENT, CVI SANCTI PONTIFICES MANVS IN COELVM EXTENDVNT. QVI DENIQVE CVM DEI AC PIETATIS INIMICOS EGREGIE VLTVS ESSET, DIVINVM CVLTVM, EMVNDATO INSTAVRATOQVE TEMPLO, RESTITVISSET, INITO CVM BACCHIDE, ET VIGINTI DVOBVS BELLATORVM MILLIBVS PRÆLIO, IPSE CVM OCTINGENTIS VIRIS CVM NON SOLVM TOTVM DIEM IN ACIE FEROCITER RESTITISSET, SED ROBVR IPSVM EXERCITVS AVERSVM IN FVGAM, INCREDIBILI FORTITVDINE CONTRIVISSET, AB ALTERO CORNV OPPRESSVS AC CIRCVMVENTVS CADIT, ET ELATVS A FRATRIBVS, HOC IN MAVSOLÆO, IN PARENTIS SINV CONDITVS EST, ANNO REGNI GRÆCORVM CLII. SACERDOTII, AC PRINCIPATVS ANNO VI.

LXI. *Mortuo Iuda quæ rerũ facies in Iudæa.* NVNC quæ conſecuta ſunt mortem Machabæi videamus. *Et factum eſt*, inquit author, [a] *poſt obitum Iudæ emerſerunt iniqui in omnibus finibus Iſrael, & exorti ſunt omnes qui operabantur iniquitatem*: qui ſcilicet metu Iudæ, aut abſcondebant ſe, aut pietatem ſimulabant, hi nunc impune volitant, & oſtentant perfricta fronte impietatem. Sed qui eos flagello Machabæi caſtigabat, alterum flagellum aſſumpſit manu. *Nam in diebus illis facta eſt fames magna valde, & tradidit ſe Bacchidi omnis regio eorum cum ipſis.* In Græco tantum eſt, & tradidit ſe regio cum ipſis; tota ſcilicet Iudæa, omniaque loca munita, nihil vt tutum fratribus, aut amicis Iudæ remaneret; qui partim in deſerta fugere compulſi ſunt, vt tempore Epiphanis, partim comprehenſi multis modis afflicti, atque irriſi fuerunt: vt contingere ſolet in rebus publ. quas diuerſa ſtudia diſtraxerunt. Cum enim altera pars vicerit, ea quæ ſuccubuit, irriſionibus, damnis, moleſtiiſque vexatur. Hæc ipſa in Iudæa facies rerum fuit. Nam ſubdit. *a 1. 1. c. 9. 23.*

LXII. *Bacchides pios vexat.* ET *elegit Bacchides viros impios, & conſtituit eos dominos regionis & exquirebant, & perſcrutabantur amicos Iudæ, & adducebant eos ad Bacchidem, & vindicabat in illos, & illudebat eis*; aliquos videlicet puniebat acerbius factis ipſis, aliis verbis tantum inſultabat. *Et facta eſt tribulatio magna in Iſrael, qualis non fuit ex die, qua non eſt viſus propheta in Iſrael*, à tempore ſcilicet ædificati templi, quando vltimi prophetæ floruerunt; ſiue vt habet Ioſephus poſt captiuitatem Babyloniam. Hanc autem tribulationem putarim referendam, non ad tormenta qualia dudum Epiphanes exercuit, neque ad profanationem ſacrorum, & violentiam ad deſerendam religionem: nam Scriptura aliquid tantarum rerum attigiſſet, ſed ad paucitatem virorum conſtantium in fide, quod omnes, ſicut oues ſine paſtore, ſe vltro in prædam darent. Vindictam tamen illam, quam exercebat Bacchides, ita explicat Ioſephus. Et is tortos primum, cruciatoſque ad libitum, poſtremo omnes ad vnum enecabat.

LXIII. *Ionathas fit princeps populi.* HAEC cauſa fuit cur reliquiæ virorum bonorum Ionathan Iudæ ſuffecerint. *Et congregati ſunt omnes*, inquit, *amici Iudæ, & dixerunt Ionathæ. Ex quo frater tuus Iudas defunctus eſt, vir ſimilis ei non eſt, qui exeat contra inimicos noſtros Bacchidem, & eos qui inimici ſunt gentis noſtræ. Nunc itaque te hodie elegimus, eſſe pro eo nobis in principem, & ducem ad bellandum bellum noſtrum. Et ſuſcepit Ionathas tempore illo principatum, & ſurrexit loco Iudæ fratris ſui.* Potitus eſt, ait Gorionides Ionathan principatu fratris ſui, functuſque ſimul ſacerdotio ſeptem annis. Imo vero fere nouemdecim, vt per annos ſingulos oſtendemus, quod vel authoris eſt, vel deſcriptoris erratum. *Sine ambitione.* Nulla porro hic de ſucceſſione ambitio, nulla æmulatio, nemo ſibi vltro poteſtatem vel honorem aſſumit: & prætermiſſo Simone, qui putatur fuiſſe natu maior, vt qui à moriente patre deſtinabatur, quaſi cæterorũ pater, propter maturitatẽ, & prudentiam, Ionathas quaſi manu promptior eligitur, ſine vlla cuiuſquam querela. Res enim erat non tam honoris, quam oneris atque periculi.

Ecce enim, eam electionem *cognouit Bacchides, & quærebat eum occidere*, vt qui intelligeret ſublato capite reliquum corpus facile diſſipatum iri. *Et cognouit Ionathas, & Simon frater eius, & omnes qui cum eo erant, & fugerunt in deſertum Thecuæ, & conſederunt ad aquam lacus Aſphar*: omnis quippe regio ſe tradiderat Bacchidi, qui tam Hieroſolymis, quam omnibus munitis locis potiebatur: porro deſertum Thecuæ, & aqua lacus Aſphar, ad quam conſederant, in tribu Iuda ponitur ab Adrichomio, & quidem longiſſime à Iordane, cum tamen infra ſignificetur eum locum eſſe ad ripam Iordanis. Nam v,42. facta quadam expeditione, dicuntur reuerſi ad ripam Iordanis. Niſi dicamus, quod verius puto, Ionathan ad Bacchidis aduentum ex eo loco abiiſſe ad Iordanem; vbi & prælium inter ipſos commiſſum eſt. LXIV. *Bacchides ei mortem ſtruit.*

Et cognouit Bacchides, & die ſabbatorum venit ipſe, & omnis exercitus eius trans Iordanem, vt confluentem illuc militem reciperet, vt ait Ioſephus: quin etiam vt ibi omnem, vel fugæ, vel auxiliorum viam, intercluderet Iudæis.

l. 1. c. 9. v. 35. Qui cum nullum haberent in Iudæa tutum receptum, aut ſibi aut rebus ſuis, ad externos confugerunt. Nam *Ionathas miſit fratrem ſuum*, Ioannem cum militum manu, ideoque eum vocat, *ducem populi: & rogauit Nabuthæos amicos ſuos*, qui longius trans Iordanem ad orientem habitabant, *vt commodarent illis apparatum ſuum, qui erat copioſus*; ad verbum ex Græco habetur, deponere apud ipſos apparatum, ſiue impedimenta ſua; itáque habet Ioſephus. *Ionathas autem*, inquit, *cognito illius aduentu, miſit fratrem ſuum Ioannem Gaddim ad Nabathæos Arabas, vt apud eos impedimenta deponeret, donec armis cum Bacchide decerneret; erant enim amici*: eodemque modo vertit etiam Tigurina. Itaque in vulgata ſubaudiendæ vocalæ duæ hoc modo, vt commodarent illis (*locum ad*) apparatum ſuum, alii legunt, vt commendarent ipſis, quod videtur rectius. LXV. *Fratrem mittit ad Nabuthæos*

Et *exierunt filii Iambri ex Madaba*; ſita erat ea vrbs trans Iordanem in tribu Ruben, ad torrentem Arnon in tab. Adrichom. Aliqui legunt Zābri, Ioſephus Amarei, & pro principe Canaan, virum illuſtrem inter Arabas, *& comprehenderunt Ioannem*, imo & occiderunt, vt mox ſignificatur: addit etiam Ioſephus interfectos omnes ſocios eius, & videlicet deprædati ſunt *omnia quæ habebat, & abierunt habentes ea. Poſt hæc verba renunciatum eſt Ionathæ, & Simoni fratri eius, quia filii Iambri faciunt nuptias magnas, & ducunt ſponſam ex Madaba, filiam vnius de magnis principibus Chanaan, cum ambitione magna. Et recordati ſunt ſanguinis Ioannis fratris ſui, & aſcenderunt, & abſconderunt ſe ſub tegumento montis.* LXVI. *Quia Madabais occiditur. Non impune.*

l. 1. c. 9. v. 39. Et *eleuauerunt oculos ſuos, & viderunt: & ecce tumultus, & apparatus multus. Et ſponſus proceſſit, & amici eius, & fratres eius obuiam illis, cum tympanis, & muſicis, & armis multis. Et ſurrexerunt ad eos ex inſidiis, & occiderunt eos, & ceciderunt vulnerati multi, & reſidui fugerunt in montes: & acceperunt omnia ſpolia eorum: & conuerſæ ſunt nuptiæ in luctum, & vox muſicorum ipſorum in lamentum. Et vindicauerunt vindictam ſanguinis fratris ſui, & reuerſi ſunt ad ripam Iordanis.* In quibuſdam Græcis eſt, ad paludem Iordanis, quo modo habet etiam Ioſephus; qui hæc poſtrema amplificat hoc modo. *Vt vero in conſpectum venit ſponſus cum virgine, & amicorum comitatu, vt fieri ſolet in nuptiis, coorti ex inſidiis omnes ad vnum interfecerunt*, quomodo ergo reſidui fugerunt in montes, vt Scriptura teſtatur, & habent codici omnes Græci Latinique? *& cum ornamentis, cæteraq. præda reuerſi ſunt voti compotes, & egregie vlti germani interitum de Amaræi filiis. Ceciderunt enim hi non ſoli, ſed cum vxoribus, & liberis, & amicis vſque ad quadringentorum numerum. Atque ita Simon cum Ionatha in paluſtria Iordanis reuerſi, illic commorabantur*, citra Iordanem ſcilicet verſus Hieroſolymam, vt ſequens pugna declarat. LXVII. *Nuptias ſanguine turbant.*

Quod vt à Bacchide intellectū eſt, *venit die Sabbatorum, vſque ad oram Iordanis, in virtute multa*, copioſo ſcilicet exercitu. Captat autem diem ſabbati, vel in contemptum Iudaicæ legis, vt Nicanor: [a] vel vt quietos Iudæos, incautoſque opprimat, *ratus*, inquit Ioſephus, *non repugnaturos propter religionem diei*: ſed iamdudum Iudæi, autoritate Mathathiæ, iſta religione ſoluti erant. [b] LXVIII. *Bacchides adit Ionathan.*

a l. 2. 15. 1.
b l. 1. c. 2. v. 40. 41.

Et *dixit ad ſuos Ionathas ſurgamus, & pugnemus cōtra inimicos noſtros; non eſt enim hodie, ſicut heri & nudius tertius*, cum ſcilicet eramus in deſerto Thecue, & liberum nobis erat præliū, tam declinare, quam admittere: *ecce enim bellum ex aduerſo*, id eſt hoſtis à

fronte, aqua vero Iordanis hinc & inde, & ripæ, & paludes, & ſaltus, & non eſt locus diuertendi. In Græcis legitur bellum ex aduerſo nobis, & à tergo nobis; aqua vero Iordanis hinc & inde, & palus & ſylua; non eſt locus declinandi. Ioſephus, *clauſi,* inquit, *à tergo amne, à fronte hoſtibus.* Itaque ſic fortaſſe videretur legendum. Ecce enim bellum ex aduerſo nobis; à tergo vero aqua Iordanis, hinc & inde palus & ſylua. Nam quomodo poſſit eis eſſe aqua Iordanis, hinc & inde non ſatis intelligo; aut quomodo hoſtem haberent à fronte & à tergo, cum ad ripam fluminis conſediſſent.

XLIX. *Et cum eo pugnant.* Pergit Ionathas. *Nunc ergo clamate in cœlum, vt liberemini de manu inimicorum veſtrorum; & commiſſum eſt bellum. Et extendit Ionathas manum ſuam percutere Bacchidem,* vt ſublato duce reliquum exercitum in metum & fugam verteret; ſed *diuertit ab eo retro, & diſſilijt Ionathas, & qui cum eo erant in Iordanem, & tranſnatauerunt ad eos Iordanem.* Videtur deſiderari negatio, quæ in libris Græcis habetur, καὶ οὐ διέβησαν ἐπ αὐτούς, Bacchidæi ſcilicet non ſunt perſecuti Iudæos trans flumen. Eadem ſententia eſt apud Ioſephum, qui ſic habet. Votiſque Deo factis pro victoria, impigre hoſtem aggreditur; & proſtratis non paucis, videns ipſum Bacchidem in ſe ruere, ferire cum conatus eſt, ſed cum ille caute ictum declinaſſet, Ionathas cum ſociis deſilientes commiſerunt ſe flumini, & in oppoſitam ripam enatarunt, hoſtibus non auſis traijcere: ſic ipſe. 1 1.c.9.v 42 & 46.

LXX. *Optauit certamine ſingulari.* Crediderim Ionathan ad ſingulare certamen quæſiuiſſe Bacchidem, ſicut quæſierat Eleazarus regem, [a] & Doſitheus Gorgiam, [b] & Soſipator Timotheum, [c] & Iudas illum eundem Bacchidem in dextro cornu pugnantem. [d] Sic Ionathas inuentum Bacchidem magno impetu euertere voluit; ſed ictu, Bacchidis declinatione fruſtrato, de victoria deinceps deſperans traiecit Iordanem, διενήξατο Ioſephus, natando tranſiuit, διανηξάμενοι natatu tranſierunt, nimirum cum veſtibus & armis: & forte aliqui fluctibus obruti ſunt. De parte autem Bacchidis ceciderunt in hoc prælio mille viri, ſiue, vt eſt in Græcis codicibus ad mille viros. Qui numerus quum nimium paruus Ioſepho videretur, eum duplicare non dubitauit. Ait enim hoſtem in arcem reuerſum, *deſideratis* [e] *ex eorum numero ferme duobus millibus.*

a 1 1.c.6. v.43. b 1.2.c.12. v.35. c Ibid. v. 24. d 1.1.c.9.v. 14.& 15. e l.13.c.1.

LXXI. *Præſidia muniunt contra Iudæos.* Et *reuerſi ſunt*, Bacchidæi, *in Ieruſalem, & ædificauerunt ciuitates munitas in Iudæa*, id eſt ædificando communierunt; idque docet quod ſequitur, *munitionem quæ erat in Iericho, & in Ammaum, & in Bethoron, & in Bethel, & Thamnata, & Phara, & Thopo muris excelſis, & portis, & ſeris. Et poſuit cuſtodiam in eis, vt inimicitias exercerent in Iſrael. Et muniuit ciuitatem Bethſuram, & Garazam, & arcem, & poſuit in eis auxilia, & apparatum eſcarum: & accepit filios principum regionis obſides, & poſuit eos in arce in Ieruſalem in cuſtodiam.* Ne ſe vſquam ſeruitute preſſi commouere poſſent, aut auderent. Nonnulla diuerſitas reperitur in propriis hiſce nominibus. Ioſephus omiſit Bethſuram, quam, ſecundum arcem Hieroſolymitanam, munitiſſimam fuiſſe ſatis conſtat. [e] Illud autem, *vt inimicitias exercerent in Iſrael* ἐχθραίνειν, vt hoſtiliter ſe gererent in Iſrael; minus dicit Ioſephus, aut eius interpres, *vt res Iudæorum infeſtarent excurſionibus.* Nihil enim erat opus excurſionibus, quaſi in agrum hoſticum; totam enim regionem, & loca omnia præſidiis tenebant; ſed præſidiarii iſti exactionibus, plagis, cædibus, hoſtilem in modum contra Iudæos ſæuiebant. Et hæc ſunt quæ hoc anno, de rebus Iudaicis, Scriptura ſuggerit.

Eiuſque vexuit.

LXXII. *Mors Aemylii Pauli.* In Romanis faſtis nihil aliud memoria dignum lego, quam ſub huius anni Coſſ. L. Æmylium Paulum, qui Perſen vicerat, mortuum eſſe; cuius funus ornatum fuiſſe, inquit Plutarchus, non auro vel ebore, ſed eximia ciuium beneuolentia, atque adeo eorum populorum, quos ipſe deuicerat. Nam qui tum Romæ fuerunt iuuenes Macedonũ, Ligurum, Hiſpanorum, eius feretrum vltro ſubierunt, ac deportauerunt. *Eius abſtinentia.* Cuius tanta abſtinentia fuit, ait Florus in Epitome 46. vt cum ex Hiſpania & Macedonia maximas opes retuliſſet, vix ex auctione bonorum eius redactum ſit, vnde dos vxori eius redderetur: eadem habet Victor in viris illuſtribus. Sed hæc parum conſentanea ſunt iis, quæ ſcribit Plutarch. in eius vita. n 56. Facultates eius, inquit, vix ſeptem & triginta myriadum fuiſſe dicuntur, id eſt vt ego interpretor, trecentum ſeptuaginta millium æris: ſic enim cuiuſque bona in cenſu æſtimabantur, & patet in diſtributione claſſium à Seruio Tullio facta, vt

Imperii Græcorvm 153. | Mors Alcimi pſeudopontif.

eſt apud Liuium l. 1. quæ ſumma, iuxta ea quæ alibi diximus, [a] aſcendit ad ſeptem millia francorum, & inſuper quadringentos: quam ſi ad drachmas retuleris, longe maiorem pecuniæ vim effeceris. [b] Sed de his ſatis.

a 2.m.3487. n.3 & ſeq. b nimirum 64710 fr. vel 21583. aur. ⅔.

ANNVS MVNDI 3895. SEXTAE AETATIS 379. IMPERII GRÆCORVM 153. DEMETRII SOTERIS 3. IONATHÆ DVCIS & PONTIFICIS 2. PTOLEMÆI PHILOMETORIS 21. OLYMPIADIS CLV. AN. 2. VRBIS CONDITÆ 594. COSS. CN. CORNELIO DOLABELLA, & M. FVLVIO NOBILIORE.

ANNVS ANTE CHRISTVM 158.

LÆTOS ſibi ſpondebat deinceps annos, & liberum ab omnibus æmulis pontificatũ impius Alcimus, opinione ſua ſummus ſacerdos, re autem ipſa pſeudopontifex, & ſicarius improbiſſimus, proſtrato Iuda Machabæo, cum duobus fratribus Ioanne & Eleazazaro, quorum hic ſub elephanto, alter à latronibus Madabæis oppreſſus interiit; pulſis procul vltra Iordanem, qui reliqui erant, Ionatha & Simone: & tota regione cum omnibus vrbibus, & præſidiis in regis poteſtatem, à quo Sacerdotium obtinuerat redacta; cum impium quoddam opus in templo molitus, diuinitus extinctus eſt. Rem breuiter Scriptura narrat, [a] & ſimul notatione temporis chronologiam noſtram valide confirmat. I. *Alcimus Pſeudopontif.*

a I. 1.c.9.54.

Anno, inquit, *centeſimo quinquageſimo tertio, menſe ſecundo, præcepit Alcimus deſtrui muros domus ſanctæ interioris, & deſtrui opera prophetarum, & cœpit deſtruere.* In Græco eſt murum atrii ſanctorum; in Ioſepho [b] murum ſancti, opus ſanctorum prophetarum. Puto autem intelligi atrium Leuitarum, quod totum vndique templum circundabat: ipſum autem atrium quatuor porticus centenis cubitis longæ omni ex parte cingebant, ſed poſtremæ illius columnæ, quæ terminabant atrium muro, aut ſi mauis quatuor muris, ad certam quandam altitudinem obſeptæ erant, ne liber daretur aditus Iſraelitis in atrium Leuitarum. Videtur autem hic murus conſtrui iuſſus ab Aggæo & Zacharia, quibus prophetantibus hoc templum ædificatum eſt. Vocat hunc murum Giſum Ioſephus. [c] *Circumdedit*, inquit, *templo ſeptum quoddam trium cubitorum altitudine, quod noſtra lingua Giſon vocamus, excluſurum profanam multitudinem, & ſolos ſacerdotes*, intelligit omne genus Leuitarũ, *admiſſurum.* Vocatur hic murus peribolus atrii interioris ab Ezechiele, [d] vt interpretatur Villalpandus, [e] aitque pro ſymmetria & proportione ædificii, fuiſſe altum duos cubitos & ſemis. II. *Vult deſtrui murũ atrÿ Leuitici.*

b l.12.c.17. c l.8.ant.c.2 d c.42.10. e t.2 p.2.l 3. c.43.

In *tempore illo*, ait Script. *percuſſus eſt Alcimus, & impedita ſunt opera illius, & occluſum eſt os eius, & diſſolutus eſt paralyſi, nec vltra potuit loqui verbum, & mandare de domo ſua; & mortuus eſt Alcimus in tempore illo, cum tormento magno.* Vide iudicium Dei, qui male iuſſerat dirui murum in domo Dei, vt ſe Pontificem eſſe, & dominum templi oſtenderet, repentina plaga vocem amittit, vt domui ſuæ diſponere, & teſtamentum condere non poſſet. *Alcimo*, inquit Ioſephus, *morbus diuinitus inflictus eſt, per quem repente voce priuatus, in terram procidit, & cruciatus non paucis diebus, miſere periit, poſt exactum in ſacerdotio quadriennium, quo defuncto pontificatum populus communibus ſuffragiis Iudæ tradidit*: ſic ipſe, quæ iam quod ad ſacerdotium attinet, ante refutauimus. Quamquam res ipſa tam clara eſt ipſa per ſeſe, vt nullius orationem deſideret: oportet enim reſurrexiſſe Iudam, vt Alcimo in pontificatu ſubrogaretur. III. *A Deo punitus.*

IV. *Mala Ioſephi chronologia.* Et quamuis Alcimum concederemus fuiſſe pontificem, non tamen potuit quatuor annis egiſſe pontificem, cum à Demetrio factus ſit pontifex, cuius eſt hic annus tertius, & Alcimus ſecundo menſe huius anni, abierit ad furuæ regna Proſerpinæ. Deinde ſi Ioſephum audire placet narrantem Alcimum mortuum, antequam Iudas legationem in Italiam mitteret, vix ſecundum pontificatus ſui annum inchoauerit, nedum quartum abſoluerit. Vides ergo quantam fidem mereatur in iis, quæ non minus falſo, quam audacter affirmat; adeo vt Euſebium eum clauſis oculis in chronico ſequentem, in manifeſtam fraudem induxerit; quam mirum eſt ab Emendatore temporum non animaduerſam: nam diſſimulatam, qui hominem nouerit, nemo ſibi facile perſuaſerit. Cæterum hæc in Ioſepho propterea minus diſſimulanda videntur, aut ignoſcenda, quod cum ea perſpicuo ac legitimo ordine digeſta haberet in hoc libro, quem vnum ipſe in hac hiſtoria ſequitur, pro arbitrio tamen cuncta tranſpoſuit, & Alcimi mortem alieno loco poſuit, vt ei Iudas ſucceſſiſſe videretur: vt certum ſit eum non ex ignorantia, ſed ex certa voluntate temporum, ac Scripturæ ordinem confudiſſe.

V. *Quies Iudææ ad biennium.* Et vidit Bacchides, quoniam mortuus eſt Alcimus, & reuerſus eſt ad regem: puta vt eum de conſtituendo Ieroſolymis pontifice conſuleret, ſed eo abſente ſiluit terra annis duobus. [a] — a 1. Mach. c. 9. 57.

Sub hunc annum ponit Euſebius Oniæ templum Helipolitanum, Ioſephum ſecutus, de quo nos ſupra, anno Græcorum centeſimo quadrageſimo ſeptimo. [b] Vbi iuſtis opinor de cauſis ab vtroque diſceſſimus. — b nu. 50. & ſeqq.

Coſſ. otioſi. Mors Terentii. A Dolabella porro, & Fuluio Nobiliore Coſſ. nihil memoria dignum legimus. Creditur his Conſulibus mortuus Terentius poëta, cum è conſpectu omnium abiiſſet in Græciam, in terram vltimam. Mortuus autem in Stymphalo Arcadiæ oppido; aut, vt aliis placet, periit in mari, cum centum & octo fabulis, ex Menandro conuerſis, vt eſt in eius vita, ſiue ea à Donato ſcripta eſt, ſiue à Suetonio. Euſebius tamen eius mortem in annum ſequentem differt, & priorem opinionem de illius in Arcadia morte amplectitur. In quem etiam annum differendum eſt, quod collector Olympionicarum in annum ſecundum Olympiadis centeſimæ quinquageſimæ quintæ refert de Horologio, Romæ conſtituto, & aqua horas dierum atque noctium diuidente. Illud enim Scipio Naſica dicauit, anno Vrbis Conditæ quingenteſimo nonageſimo quinto, vt author eſt Plinius lib. 7, cap. 60.

I. N. II.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3895.

Hæc quoque menſium denominatio ex ordine ipſorum, quam author huius libri ſæpe vſurparat, vt hic verſ. 54. & ſupra verſ. 3. & infra cap. 10. 21. ca. 13. 51. ca. 16. 14. phraſim hebraicam teſtatur: vix enim aliter eos Hebræi olim nominabant. At l. 2. author ſemper recentiora nomina menſium vſurpat,

ANNVS MVNDI 3896. SEXTÆ ÆTATIS 380.

IMPERII GRÆCORVM 114. DEMETRII SOTERIS 3. IONATHÆ DVCIS ET PONTIFICIS 4. PTOLEMÆI PHILOMETORIS 22. OLYMPIADIS CLV. AN. 3. VRBIS CONDITAE 595. COSS. M. AEMYLIO LEPIDO, & C. POPILIO LÆNATE II.

ANNVS ANTE CHRISTVM 157.

a c.9. l.1. v. 50. b l.13. c.1. — I. *Iudæa ſilentium.*

IONATHAS cum ſociis trans Iordanem agit, tota Iudæa in Demetrii poteſtate poſita, vt ex Scriptura [a] aperte paulo ante declarauimus, & confirmat Ioſephus. [b] *Atque ita Simon cum Ionatha in paluſtria Iordanis reuerſi, illic commorabantur. Bacchides autem per totam Iudæam præſidiis diſpoſitis, ad Regem ſuum reuerſus eſt, quo tempore per integrum biennium ſtatus rerum Iudaicarum fuit pacatior.* Et impletum eſt illud Saluatoris, cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt quæ poſſidet. Somniant ergo qui Ionatham Hieroſolymis hoc anno ſecura pace potitum putant; aut contra eum rediiſſe hoc anno Bacchidem, hortatu præuaricatorum, ſcribunt: cum à morte Alcimi, quæ negari non poteſt anno præcedenti contigiſſe, Iudæa à bellis quieuerit biennio, vt Scriptura, eique conſentiens Ioſephus tradunt, quod rectius obſeruauit Caluiſius: ſed infinitus ſim, ſi crebros ſectariorum errores coarguere velim, ſatis ſit perſpicuam veritatem proponere, & quantum poſſumus operam dare, vt linea rectè conſtituta iudex ſit obliquarum. — *Ratio temporis.*

c n.114. — II. *Legatio C. Fannii.* — *Motus in Illyrico.*

CENSEO ad hunc ipſum annum pertinere legationem C. Fannii, quæ à Polybio refertur, [c] vbi habetur Dalmatarum finitimos querelas Romam detuliſſe, iiſque auditis Senatum miſiſſe C. Fannium (fuerat is Conſul anno Vrbis Conditæ quingenteſimo nonageſimo ſecundo) ad res Illyrici viſendas, & maxime Dalmatarum. Hic populus, inquit, quandiu vixit Pleuratus ei paruit; poſt obitum vero illius, cum regno Gentius ſucceſſiſſet, ab illo defecerunt Dalmatæ, & bella cum finitimis gerebant, vicinoſque populos imperio ſuo ſubiiciebant, ita vt eorum nonnulli tributa ipſis penderent; tributum autem erat pecus, & frumentum. Atque hæc legationis Fannii cauſa fuit. Cur autem in hunc annum hanc legationem coniecerim, cauſa fuit ipſe Polybius, qui reducem ex legatione Dalmatica C. Fannium ſcribit anno 12. à bello Macedonico, vt ſequenti anno dicemus.

d l.34. c.6. — III. *Sublatæ ſtatuæ.* — e li.7 c.vlt. — *Horologiũ aqueum.*

MEMINIT horũ Coſſ. Plin. [d] L. Piſo, ait, prodidit, M. Aemylio & C. Popilio II. Coſſ à Cenſoribus P. Cornelio Scipione, & M. Popilio, ſtatuas circa forum, eorũ qui magiſtratus geſſerant, ſublatas omnes, præter eas quæ populi, aut Senatus ſententia ſtatutæ eſſent. Valuit id ad ambitionem immeritorum caſtigandam, qui vltro viris præſtantibus, ac publico iudicio probata virtute, præmiis æquari volebant, qui egregiis facinoribus, aut nolebant, aut non valebant. Et alio loco, [e] etſi conſulum non meminit, præſentem tamen vrbis annum notat. Scipio Naſica, ait, Collega Lænatis, (in Cẽſura ſcilicet, vt habet Cenſorinus c.23.) primus aqua diuiſit horas, æque noctium ac dierum: idque Horologium ſub tecto dicauit, anno vrbis 595. Tandiu populo Romano indiſcreta lux fuit.

f l.4. c.20. — *Eques neglector equi à Cenſ. punitus.*

Addamus & illud de iiſdem Cenſoribus, quod eſt apud Gellium. [f] Cenſoribus, inquit, P. Scipione Naſica, & M. Popillio, cum equitum cenſum agerent, equum nimis ſtrigoſum, & male habitum, ſed equitem eius vberrimum & habitiſſimum viderunt. Et inurbanè, cur, inquiunt, ita eſt, vt tu ſis quam

equus curatio? *Quoniam*, inquit, *ego me curo, equum Statius meus*, nempe famulus. Viſum eſt parum reuerens eſſe reſponſum, itaque relatus eſt in ærarios, vt conſuetudo fert.

IV. *Metalla in Macedonia*

His Conſulibus, inquit Caſſiodorus, metalla in Macedonia inſtituta. Breuiter id quidem, & ſatis obſcure. Exiſtimo impoſitum vectigal eruendis metallis, quod deuicto Perſe, diuiſa quadripertito Macedonia, ſublatum fuerat. Teſtis Liuius lib. 45. *Metalli quoque Macedonici*, inquit, *quod ingens vectigal erat, locationeſque prædiorum ruſticorum tolli placebat.* Ita quidem dum res in Senatu agitarentur; vbi autem in prouinciam venerunt legati, & cum Æmylio Paulo conſultauerunt, ita conſtituerunt, vt eodem libro habetur. *Metalla*, inquit, *auri atque argenti non exerceri, ferri & æris permitti; vectigal exercentibus dimidium eius impoſitum, quod pependiſſent regi.* Sic Liuius. Coniicere ergo poſſumus auri quoque & argenti metalla hoc anno exerceri cœpta, & integrum vectigal reſtitutum.

V. *Demetrii bellum in Cappadocia*

Hoc ipſo anno Demetrius liber à bello Iudaico, res turbauit in Cappadocia. Cum enim in ea duo fratres Ariarathes & Holofernes de principatu contenderent, Demetrius acceptis mille talentis pulſo Ariarathe, Holophernem in regnum induxit, quamuis Romanis placeret vtrumque fratrem regnare pariter. Ita Appianus in Syriacis. Iuſtinus autem cauſam belli Demetriani in Ariarathem hanc refert. *Ariarathi*, inquit, *regi Cappadociæ, propter faſtiditas ſororis nuptias, infeſtus, fratrem eius Orofernem, per iniuriam regno pulſum, ſupplicem recepit, datumque ſibi honeſtum belli titulum gratulatus, reſtituere eum in regnum ſtatuit. Sed Orofernes ingrato animo, inita cum Antiochenſibus pactione offenſus tunc Demetrio, pellere ipſum regno, à quo reſtituebatur, conſilium cepit. Quo cognito Demetrius vitæ quidem eius pepercit, ne Ariarathes metu fraterni belli liberaretur: ipſum autem comprehenſum, vinctum Seleuciæ cuſtodiri iuſſit.* Sic ipſe, quæ parum conſentanea ſunt iis, quæ à Polybio, Appiano, Zonara ſcripta ſunt. li. 35.

VI. *Ex Polybio & Zonara*

Nam Polybius ſub initio l. 3. Ariarathes Rex Cappadocum ab Oroferne regno expulſus Demetrii regis opibus, per ſe mox regnum paternum recepit. Clarius hanc hiſtoriam Zonaras. Ariarathes rex, inquit, filium habuit Ariarathem; ante quem ſuſceptum, vxor eius longo tempore ſterilis, Orophernem adoptarat, qui deinde nato legitimo, propter ſuſpicionem inſidiarum pulſus, poſt Ariarathis obitum contra fratrem inſurrexit, Ariarathi opem tulit Eumenes, Oropherni Syriæ Rex Demetrius. Ariarathes victus ad Romanos confugit, ab eiſque vna cum Oropherne regnare iuſſus, quia populi Romani amicus & ſocius appellatus erat, totum imperium ſibi vendicauit; atque Attalus Eumenis ſucceſſor, Orophernem & Demetrium Cappadocia prorſus exegit. Hactenus Zonaras. Temporis notam dat Polybius, qui ſequentis anni Conſulibus Ariarathem Romam veniſſe ſcriptum reliquit. Meminit etiam Florus epitome 47. Qui addit etiam, quod ad hunc vel præcedentem annum referri oportuit, inter Ptolemæos fratres, qui diſſidebant, fœdus ictum fuiſſe, vt alter in Ægypto, alter Cyrenis regnaret. n.126.

ANNVS MVNDI 3897. SEXTAE AETATIS 381. IMPERII GRÆCORVM 155. DEMETRII SOTERIS 5. IONATHÆ DVCIS & PONTIFICIS 4. PTOLEMÆI PHILOMETORIS 23. OLYMPIADIS CLV. AN. 4. VRBIS CONDITÆ 596. COSS. SEX. IVLIO CÆSARE, & L. AVRELIO ORESTE.

ANNVS ANTE CHRISTVM 156.

I. *Turba in Iudæa renouata.*

RENOVATÆ ſunt hoc anno turbæ in Iudæa. Cum enim ab Alcimi morte biennium terra quieuerit, vt ait Script. & ille menſe ſecundo anni 153. extinctus fuerit, oportet quæ deinceps à Script. narrantur hoc anno contigiſſe.

Impij Iudæi Bacchidem faciũt.

Et cogitauerunt omnes iniqui, dicentes; ecce Ionathas, & qui cum eo ſunt, in ſilentio habitant confidenter: id nimirum graue eſt hominibus improbis, ac turbulentis ſi inimicos ſuos, quamuis innoxios, pacis bono frui perſpexerint. *Nunc ergo adducamus Bacchidem, & comprehendet eos omnes vna nocte. Et abierunt, & conſilium ei dederunt.* Transfugæ autem, inquit Ioſephus, & vulgus impiorum hominum, videntes Ionathan, & eius factionem ſecure verſari in Iudæa, propter tranquillitatem temporum, per nuncios ſollicitauerunt Demetrium, vt Bacchide miſſo Ionathan in ſuam poteſtatem redigeret: fore enim hoc perfacile, & vnica nocte poſſe omnes eius milites inſperato incurſu opprimi. Redierat porro Ionathas in Iudæam relictis Iordani paluſtribus locis, ſed ita vt nullo certo loco moraretur, quia omnia erant in regiorum poteſtate. Sicut olim Dauidi contigerat, cum eum perſequeretur Saul.

II. *Ionathas inſidiatores 50. perimit*

ET *ſurrexit Bacchides, vt veniret cum exercitu multo.* Verum quia multus exercitus, non niſi multo molimine iter conficit, faciliuſque incauti à paucis, quam à pluribus opprimuntur, *miſit occulte epiſtolas ſociis ſuis, qui erant in Iudæa, vt comprehenderent Ionathan, & eos qui cum eo erant; ſed non potuerunt, quia innotuit eis conſilium eorum: & apprehendit de viris regionis, qui principes erant malitiæ, 50. viros, & occidit eos.* Hæc ad verbum in codice ſacro. Errat ergo hic Ioſephus manifeſte, & nonnemo eum incaute ſecutus. Hos enim quinquaginta occiſos ait è Bacchide, quod Ionathan inſidiis circunuenire non poſſent. *Cum Ionathas,* ait, *omnium inſidiis appeteretur, nec tamen quicquam proficerent; cautus enim erat, vt qui dolum præſenſerat, iratus Macedo transfugis, putanſque ſe, & regem ab eis haberi ludibrio, interfecit ex eis quinquaginta præcipuos.* Sic ipſe falſo, atque improbaliter. Quis enim credat, & amicos, & primarios viros, & tanto numero interfectos, quod irrito labore communem hoſtem inſidiis crebro appetiiſſent? qua in re mercede potius, aut certe conſolatione digni videbantur. Itaque Ionathæ eam cædem tribuunt Dionyſ. Vatablus, Lyranus.

Contra Ioſephum.

III. *Bacchidem Ionathas & Simonẽ obſidat.*

ET *receſſit Ionathas & Simon, & qui cum eo erant Bethbeſſen, quæ eſt in deſerto*, Iericho in tribu Beniamin, non longe à Iordane, quem locum Ioſephus maluit vocare Bethalagam, in Græcis vocatur Bethbaſi, à Gorionide Beerſcheba. *Et extruxit diruta eius, & firmauerunt eam.* Vt autem *cognouit Bacchides* inſidias non procedere, & Ionathan in tutum ſe recepiſſe locum, vi agendum ratus, *congregauit vniuerſam multitudinem ſuam, & iis qui de Iudæa erant, denunciauit*, vt venirent ad expugnandum prædictum locum. *Et venit & caſtra poſuit deſuper Bethbeſſen, & oppugnauit eam dies multos & fecit machinas. Et reliquit Ionathas Simonem fratrem ſuum in ciuitate, & exiit in regionem, & venit cum numero, & percuſſit Odarem, & fratrem eius, & filios Phaſeron in tabernaculis ipſorum.* Erant hi, vt Gorionidi placet, de exercitu Bacchidis, vtique admodum probabiliter. *Egrediens*, inquit, *Ionatham natu irrui- in tabernaculum Bacchidis, &*

& interfecit Adaraham, & fratres eius qui fuerunt cum Bacchide. Quidam Odarem poſitum putant pro Odurem, eſſeque non proprium nomen, ſed appellatiuum ſignificans latronem, ſiue obſeſſorem viarum, quem Ionathas cum ſociis occiderit. Inde autem reſumptis animis cœpit cædere hoſtes, & factis egregiis clareſcere. li. 4. c. 1. ὁδοῦρες.

IV. *Ab eis cōtritus eſt.* Simon *vero, & qui cum ipſo erant, exierunt de ciuitate, & incenderunt machinas. Et pugnauerunt contra Bacchidem* in illa fortaſſe irruptione improuiſa, *& contritus eſt ab eis, & affixerunt eum valde, quoniam conſilium eius, & congreſſus eius erat inanis*: irrita ſcilicet tanti apparatus expeditio, quæ in dedecus eius, cladem que cederet. Non improbabiliter Ioſephus ait eodem tempore eruptionem factam, ex condicto à Simone, quo Ionathas noctu in Bacchidis caſtra irruit, vt machinæ incenderentur. L. 1. c. 9. 67.

Et iratus contra viros iniquos, qui ei conſilium dederant, vt veniret in regionem ipſorum, multos ex eis occidit, & impletum eſt illud quod prouerbio fertur, malum conſilium conſultori peſſimum. *Ipſe autem cogitauit cum reliquis*, qui cladi ſuperfuerant, *abire in regionem ſuam*, Antiochiam ſcilicet ad regem Demetrium. Hoc vnum cogitans, ait Ioſephus, quomodo ex ſua & regis dignitate obſidioni fine impoſito exercitum poſſet ſine ignominia reducere.

V. *Pax inita inter eos.* Et *cognouit Ionathas, & miſit ad eum legatos, componere pacem cum ipſo, & reddere ei captiuitatem: & libenter accepit, & fecit ſecundum verba eius, & iurauit ſe nihil facturum ei mali omnibus diebus vitæ eius. Et reddidit ei captiuitatem, quam prius erat prædatus de terra Iuda: & conuerſus abiit in terram ſuam: & non appoſuit amplius venire in fines eius.* Quæ ſic explicat Ioſephus. Qua eius voluntate cognita, Ionathas miſit ad eum nuncios, petens ſocietatem & amicitiam inter ſe, & eum fieri, captiuis vtrinque redditis. Id Bacchides ratus ſibi honorificum, & oblatam occaſionem, qua poſſet non inglorius obſidionem ſoluere, amicitiam cum Ionatha iniit, iureiurando interpoſito neutrum arma moturum in alterum: redditiſque & receptis captiuis Antiochiam ad ſuum regem reuerſus eſt, nec vnquam poſt Iudæam cum exercitu repetiit. Ver. 70. L. 12. c. 13.

VI. *Quis Iudæorū ſtatus hoc tēpore.* Et *ceſſauit gladius ex Iſrael, & habitauit Ionathas in Machmas, & cœpit Ionathas ibi iudicare populum, & exterminauit impios ex Iſrael.* Eademque habet Ioſephus. Ex quibus apparet bonorum Iudæorum res parum felici loco fuiſſe, cum Ionathas prior conſilia pacis aperiat, eoque ipſo conditionem ſuam deteriorem efficiat; tum etiam quod Ieroſolymam, ſi ea ſatis munita fuit hoc tempore, & idonea ad reſiſtendum hoſtibus; aut non ſit auſus poſtulare, in qua quiete degeret, & pontificis munia exerceret; aut impetrare non potuerit; ſed apud Machmam oppidum, quod erat in confinio tribuum Beniamin & Ephraim, adminiſtrationi rerum, & iure populis reddendo, & profligandis apoſtatis operam impenderit. Quo minus audiendus eſt Gorionides, qui Bacchidem in deſertum fugiſſe, ibique a Ionatha captum dicit. Si enim ea illi felicitas contigiſſet, longe meliores obtinuiſſet conditiones pacis.

VII. *Semina belli Dalmatici.* Dvæ hoc anno memorabiles legationes Romam venerunt, altera ex Illyrico, ex Cappadocia altera; vtriuſque meminit Polybius in Legat. [a] Retulit ex Illyrico Fannius, Dalmatas neque ſatisfacere iis voluiſſe, quos plurimis iamdudum iniuriis affecerant, neque aures ſibi præbere, vt qui dicerent nihil ſibi cum Romanis eſſe commune: & non ſolum nulla ſibi hoſpitii, & humanitatis officia exhibita, ſed equos etiam ademptos, & vim timentem, ſilentio ex eorum finibus excedere coactum. Eam belli occaſionem Romani libenter arripuerunt. Nam Italicos homines longa pace torpere nolebant: agebatur autē duodecimus iam annus, à bello cum Perſeo, & Macedonibus geſto. Terrorem quoq. Illyricis iniicere volebant, vt facilius deinceps dicto audientes eſſent. Propter has ergo cauſas bellum Dalmatis indixerunt. Etſi apud exteros belli cauſam afferebant ſuorum legatorum violationem. Hæc fere Polybius. Vbi vides eum chronologiam noſtram confirmare, quæ habet deuictum Perſea an. 1. Olymp. 153. Itaque cum bellum Dalmaticum indictum eſt, tres Olympiades integræ euoluebantur, à bello Macedonico abſoluto, anno V.C. 585. a n. 125. & 126.

VIII. *Ariarathes Romæ cauſā agit.* Qvod ad legationem alteram, refert Polybius. Ariarathem Cappadociæ regem Romam veniſſe, cum magiſtratum iniiſſet Sextus Iulius cum Collega Aurelio Oreſte, illumque adiiſſe, cum ea ſpecie, quæ afflictam eius fortunam oſtende- a. 126.

ret, vt Conſulis opera Senatus illi daretur, ad expromendas querelas de fratre Holoferne & Demetrio Sotere. Sed venerat eodem tempore Demetrii legatio, cuius princeps Miltiades, paratus ad excuſanda, quæ obiiceret Ariarathes, & ad eum odioſe criminandum. Holofernes quoque legatos miſerat Timotheum & Diogenem, vt coronam Romam afferrent, & amicitiam ac ſocietatem renouarent. Præcipue autem vt purgarent Dominum ſuum, & crimina in Ariarathē conijcerent. Quod cum illi falſo & impudenter facerent, nec teſtibus ab Ariarathe reuinci poſſent; & inſuper iſte afflictus eſſet, illi florerent, iſte vnus cauſam ſuam ageret, illi plures eſſent, longe ſuperiores fuerunt. Ita ipſe, nec plura hac de re. Florus tamen, in Epitome Liuii 47. ait eum à Senatu fuiſſe reſtitutum. Huc pertinet altera legatio quæ habetur apud Polyb. à Phænica vrbe Epiri Romam miſſa. n. 127.

l. 33. c. 3. Meminit horum Conſulum Plin. vbi tradit quanta vis argenti atque auri, in ærario populi Romani fuerit Sex. Iulio, & L. Aurelio Coſſ. ſeptem annis ante bellum Punicum tertium; ſed locus tam varie legitur in variis codicibus, & apud Cuſpin. Budæum, Sigon. Capellum, vt nihil certi ea de re conſtitui poſſe videatur. Probabilis lectio eſt, fuiſſe auri mille ſeptingenta viginti ſeptem pondo, quæ ſingula, cum centenis aureis noſtratibus reſpondeant, fient decies & ſepties centena millia coronatorum, & inſuper duo millia & ſeptingenti. Argenti autem pondo 92. millia 385. quæ valent tres milliones, & 48. millia 705. libras Tur. ſiue coronatorum millionem vnum, ſedecim millia, & ducentos triginta quinque, aſſignando tres & triginta francos ſingulis pondo argenti. IX. *Aerarii Romani copia hoc anno.*

ANNVS MVNDI 3898. SEXTAE AETATIS 381. IMPERII GRÆCORVM 156. DEMETRII SOTERIS 6. IONATHÆ DVCIS & PONTIFICIS 5. PTOLEMÆI PHILOMETORIS 24. OLYMPIADIS CLVI. AN. I. VRBIS COND. 597. COSS. L. CORNELIO LENTVLO LVPO, & C. MARTIO FIGVLO II. BEL. DALMATICI I.

ANNVS ANTE CHRISTVM 155.

QVATVOR annorum res Iudaicas Scriptura ſilētio inuoluit, quod iis nihil memorabile contigiſſe videretur, Bacchide ad Demetrium regem reuerſo, & illo in Cappadocia pro Holoferne res agente: Ionatha vero ad Machmas ius populis dicente, & apoſtatas perſequente. Quo tēpore Græci in Olympicis certamina cōſueta celebrarunt, vbi qui antea Leonidas Rhodius, pedeſtri certamine tertiam palam tulit. I. *Res Iudaicæ.*

At Romani bellum Dalmaticum incepere. De quo hæc habet Appianus in Illyricis. Dalmatæ, Illyriorum natio, Romanis obſequentes Illyrios inuaſerūt, & legatos Romanorum eam ob cauſam ad eos venientes minime admiſerunt. Quā obrem videntur Romani aduerſus illos arma ſumpſiſſe, Marcio Figulo Conſule ducēte. At hi Figulo quamprimum inferente copias cuſtodias aggreſſi ſuperauerunt, eaſque ab exercitu in campum pepulerunt, ita vt ad Naronem vſque fluuium fuga peruenirent. Verum iidem retrouertere gradum, iam enim inſtabat hyems. Figulus ratus eos inopine inuadi poſſe, diſcurrentes vndique ad eius impetum ex oppidis offendens in fugam vertit, donec ad vrbem Delminium, à qua Dalmatarum illis nomen inditum, terga dare compulit. II. *Init. belli Dalmatici.* *Figuli fuga*

Qvvm nihil ex impetu aduerſus munitam vrbem conari, neque machinas ob altitudinē adhibere poſſet, ad alias excurſiones ſe conuertit. Deſtitutis omnibus (deſolatis ſcilicet vicis & oppidis) & inhoſpitis, ob inſultus ad Delminiū factos, III. *Delminii obſidio.*

ipſe bicubitales ſudes, pice, ac ſulphure, ſtuppaq; componens, ex catapultis in Delminium iacit, quæ ab impetu ſuccenſæ, & lampadarum vice per inane volitantes, quæcumque attigiſſet igne corripiebant. Ita multa flammis abſumuntur, eoque modo finis belli à Figulo Dalmatis imponitur. Hęc Appianus; ex quo Cuſpin. & Sigon. cui facile aſſentior, Figulum de Dalmatis, ob cladem primo acceptam, non triumphaſſe; ſed nec bellum plane confecerat, vt docet ſequentis anni triumphus à Naſica de Dalmatis obtentus: quæ cauſa eſt, vt Zonaras hoc bellum in annum ſeq. reiiciat: qui de eo hæc pauca. Belli cauſa erat, quod in finitimos Romanis amicos iniurij, nec Romanorum legatis moderate reſpondiſſent, & aliorum legatos occidiſſent. Hos Scipio Naſica domuit, eorumque vrbibus expugnatis captiuos vendidit. Sic ipſe. Frontinus quoque iſta [a] ad ſequentis anni Conſulem Naſicam retulit. a l.3.c.6.

IV. *Hoc bellum biennium tenuit.* Verum vtramque ſententiam conciliat Liuius Epit. 47. C. Marcius Conſul inquit, aduerſus Dalmatas parum proſpere primùm, poſtea feliciter pugnauit; cum quibus bello confligendi cauſa fuit, quod Illyrios populi Romani ſocios vaſtauerant; eandémque gentem Cornelius Naſica Conſul domuit. Sic ibi. Ex quo intelligitur bellum Dalmaticum hoc anno inchoatum duntaxat, ſequenti abſolutum.

Scite dictũ Figuli. Cæterum quod à C. Figulo habetur non ſcite minus, quam iracunde dictum, apud Valer.[b] perſpicuum eſt ad huius filium pertinere. C. inquit, Figulum manſuetiſſimum, pacato iuris ciuilis iudicio celeberrimum, prudentiæ moderationiſque immemorem iracundiæ ſtimuli reddiderunt. Conſulatus enim repulſæ dolore accenſus, eo quidem magis, quod illum bis patri ſuo datum meminerat, cum ad eum poſtero comitiorum die multi conſulendi cauſa veniſſent, omnes dimiſit, præfatus. An vos conſulere ſcitis, Conſulem facere neſcitis? Dictum grauiter & merito; ſed tamen aliquanto melius non dictum. Nam quis populo Ro. iraſci ſapienter poteſt? Sic Valer. nimirum quia licet iuſte poſſit, vtiliter tamen non poteſt. Sed nec ira ſua Conſulatum, magis quam precibus & ambitione obtinuit: nuſquam enim eum ſequentibus annis Conſulem inuenias. b l.9 c.3.

ANNVS MVNDI 3899. SEXTAE AETATIS, 383. IMPERII GRÆCORVM 157. DEMETRII SOTERIS 7. IONATHÆ PONTIFICIS 6. PTOLEMÆI PHILOMET. 25. OLYMPIADIS CLVI. AN. 2. VRB. COND. 598. COSS. P. CORNELIO SCIPIONE NASICA II. ET C. CLAVDIO MARCELLO II. BELLI DALMATICI 2.

ANNVS ANTE CHRISTVM 154.

I. *Annus Sabbaticus 188.* HOC anno vnde nongenteſimo ſupra ter milleſimum, eodémque Sabbatico apud Hebræos 188. quem crediderim opera Ionathæ ac Simonis, ab iis qui in fide perſtabant Iudæis, ſtudioſe quaſi per antiperiſtaſim obſeruatum; hoc inquam anno ab vtroque Conſule res bene in bello geſtæ ſunt, & ab vtroque triumphatum, vt ex fragmentis Capitolinis notat Sigon. Et vt dubium ſit de quibus populis Marcellus triumpharit, de Scipione certe ex dictis proximo anno, eum de Dalmatis ſubactis triumphaſſe affirmari poteſt. *Triumphus vtriuſque Conſulis.* Quamquam Victor lib. de vir. illuſtr. ait Naſicam Conſulem Delminium quidem vrbem Dalmatarum expugnauiſſe, Imperatoris tamen nomen à militibus, & à Senatu triumphum oblatum recuſauiſſe. nu. 44.

II. *Attali de Pruſia querela.* Ad hunc circiter annum, quantum rerum geſtarum ſeries docere poteſt, pertinent quæ Polyb. habet in Legationibus, n. 128. & 129. vbi habetur Attalum Perga-

Res Ligurum cum Maſſilienſibus

mi regem à Pruſia victum, fratrem Athenæum cum P. Lentulo proficiſci iuſſiſſe, ad declarandum Senatui quod acciderat. Romani enim poſt Andronici aduentum (cum dudum præmiſerat Attalus) cum ille primam hoſtium impreſſionem narraret, dictis non mouebantur, ſed in ſuſpicionem veniebant Attalum, quod cuperet ipſe Pruſiam adoriri, occaſiones belli præparare, & criminationibus eum anteuertere. Dein Nicomede & Antiphilo Pruſiæ legatis teſtantibus nihil eorum factum, multo adhuc minus fidei Patres habere iis, quæ de Pruſia nunciabantur: donec venit P. Lentulus cum Athenæo; quibus auditis legatos tres decreuit Senatus, C. Claudium Centonem, L. Hortenſium, & C. Aurunculeium, qui Pruſiam à bello contra Attalum reuocarent.

III. *Maſſilienſium legatio contra Ligures.*

Habetvr in Epit. Liuij 47. hoc anno Vrbis Cond. 598. Conſules, antequam inirent magiſtratum, ſequentis anni Conſules creaſſe, & cauſam mutandi comitia fuiſſe, quod Hiſpani rebellabant. Verum id videtur ad 599. annum pertinere, vt ex Caſſiodoro colligimus, qui anno V. C. 600. Conſules ait iniſſe magiſtratum Cal. Ianuariis. Circa hoc idem tempus, ait Polyb. n. 131. adfuerunt Romæ Maſſilienſium legati, quos iampridem Ligures vexabant, tum vero in magnas anguſtias redegerant, quod eorum vrbes Antipolim & Nicæam obſiderent. Quibus à Senatu auditis, legatio decreta eſt, partim ad inuiſendum regionum illarum ſtatum, partim ſi fieri poſſet, ad emendandum ſine armis, quæ peccata erant à Barbaris. Hæc Polyb. qui n. 134. eos legatos nominat Flaminium, Popilium Lænatem, ac L. Lupium.

ANNVS MVNDI 3900. SEXTÆ ÆTATIS 384.

IMPERII GRÆCORVM 158. DEMETRII SOTERIS 8. IONATHÆ Pontificis 7. Ptolemæi Philomet. 26. Olympiadis CLVI. an. 3. Vrb. Cond. 599. Coss. Q. Opimio Nepote, et L. Posthvmio Albino, cvi mortvo svffectvs est M. Acilivs Glabrio.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 153.

I. *Conſulum prouinciæ.*

Explet hic ſecularis annus ſeptuageſimum octauum mundi Iubilæum, in quo Poſthumio Conſuli Luſitania, Opimio Gallia Liguſtica prouinciæ videntur contigiſſe. Nam cum Iulius Obſequens lib. de prodigiis ſcribat Romanos his Conſulibus Gallorum & Luſitanorum armis grauiter fuiſſe vexatos, de Opimio conſtat eum rem geſſiſſe apud Tranſalpinos Ligures. Sic enim habetur in Epit. 47. *Q. Opimius Coſ. Tranſalpinos Ligures, qui Maſſilienſium oppida Antipolim & Nicæam vaſtabant, ſubegit.* Altera ergo prouincia ad Poſthumium Albinum pertinet, déque ea accipiendum eſt, quod de ipſius morte habet idem Obſequens. *In prouinciam*, inquit, *proficiſcens Poſthumius Conſul, cum immolaret, in plurimis victimis caput in iecinore non inuenit, profectuſque, poſt diem ſeptimum æger Romam relatus, expirauit.* Ei ſuffectum M. Acilium Glabrionem ſolæ Capitolinæ tabulæ tradunt.

Mors Poſthumij Coſ.

II. *Ligures Romanorum legatos vexant.*

nu. 134. Bellvm porro pro Maſſilienſibus ab Opimio geſtum, pluribus recenſet Polybius, quorum hæc ſumma eſt. Legati tres ante dicti cum Maſſilienſibus profecti, Ægitnam vrbem in agro Oxybiorum naues appulerunt. At Ligures cum accepiſſent veniſſe illos, vt obſidionem ſolui iuberent, cæteros quidem tum portum ſubire, tum exſcenſionem facere prohibuerunt. Flaminium vero, cum iam naui egreſſum inueniſſent, & ſarcinas in terram expoſitas, principio excedere agro ſuo iuſſerunt. Deinde, quia imperium contemnebat, impedimenta illius diripere, eos qui pro ſarcinis dimicabant, vi, ac ferro inuadere,

ac ſternere, ipſum Flaminium vulneribus affectum in nauim compellere, vt ægre ſaluti ſuæ præciſis anchoris conſuleret. Inde Maſſiliam delatus, omnique ſtudio curatus eſt.

III. *Opimius Aegitnam expugnat.* *Oxybios vincit.* *Et Deciatos.*

QVIBVS intellectis extemplo Conſulem Q. Opimium cum exercitu, aduerſus Oxybios & Deciatas Senatus mittit; qui poſitis ad Apronem fluuium caſtris, hoſtem acie confligere paratum ibi expectauit. Mox admotis copiis ad oppidum Ægitnam, vbi violati fuerant legati Rom. vi oppidum occupat, ciues mulctat ſeruitute; authores iniuriæ catenis oneratos Romam mittit. Tum obuiam hoſti procedit. Oxybij de venia deſperantes cæco impetu in Romanos irruerunt, priuſquam ſe cum ipſis Deciatæ iunxiſſent, qui ad quatuor millia conuenerant. Romanus fortiter impetum ſuſtinuit, & oppoſitam aciem cito perculit, multos occidit, reliquos auertit in fugam. Interim adueniunt Deciatæ, fugam ſiſtunt, prælium redintegrant; ſed iterum victi, ſine mora omnes & ſe, & vrbem ſuam, in fidem Romanis dedunt.

IV. *Pro Maßilienſibus debellatū.*

CONSVL his populis ſuperatis, agri capti quantam maximam poterat partem Maſſilienſibus ſtatim attribuit, Ligures deinde compulit, vt obſides Maſſilienſibus darent, certis temporibus renouandos. Ipſe eas gentes, quæ ſecum pugnauerant, exarmat, & diſtributo per oppida exercitu, hyberna ibi egit. Atque ita bellum hoc & ſuſceptum eſt, & magna celeritate confectum. Hæc eo loco Polyb. De triumpho autem tacet; triumphaſſe tamen Sigonio aſſentior, qui id tanto magis affirmaſſet, ſi hæc Polybij legiſſet. Iam quod ad res Ægypti attinet, hæc de iiſdem rebus Polybius habet.

V. *Ptolemæus iunior Romæ fratrem accuſat.* *Romanorū iniuſtitia.*

QVO tempore Senatus Opimium, ad gerendum bellum aduerſus Oxybios miſit, iunior Ptolemæus in vrbem venit; qui vt ingreſſus eſt in Curiam, fratrem cœpit accuſare, autoremque eum dicere inſidiarum, quibus fuerat appetitus; ſimul vulnerum cicatrices oculis ſpectandas exhibebat, qua re ita flexit Senatorum animos, vt cum adeſſent ſenioris Ptolemæi legati, ad eius criminationes refellendas, Neolaidas & Andromachus, ne audientiam quidem obtinere potuerint: mira vtique in grauitate Romana, ſed tamen aperta iniuſtitia, niſi Polybio, res ſui temporis ſcribenti, fidem derogare volumus; qui addit legatos, iuſſos faceſſere, & legatos quinque fuiſſe decretos (inter quos erant Cn. Merula, & L. Thermus) & ſingulis quinqueremes attributas.

VI. *Et pro eodē legatio.*

DATVM iis negotium fuit, vt cum iuniore Ptolemæo profecti, in inſulam Cyprum eum reſtituerent. Scripſerunt etiam ad ſocios Græcos & Aſiaticos, licere illis Ptolemæum in recuperatione Cypri adiuuare. Hæc Polyb. nec ſatis apparet, vbi hic iunior Ptolemæus has plagas acceperit. Suſpicari tamen licet tum ex dictis, tum ex iis, quæ tangit idem Polyb. n. 117. & fuſius perſequitur n. 115. cum illas dum Cyprum & Cyrenem occupare vellet, & ſuo imperio adiicere, accepiſſe. Ibi enim à Cyrenenſibus prælio victus dicitur, qui eum tanquam tyrannum oderant, & quiduis pati potius parati fuerant, quam ſe illi ſponte ſubiicere.

VII. *Res Attali & Pruſiæ.*

DE Aſianis rebus hæc quoque Polyb. n. 133. Cum Hortenſius & Auruncuſeius Pergamo reuerſi renunciaſſent, quanto contemptui Pruſias mandata Senatus habuiſſet, qui violato fœdere, aduerſus ipſos, & Attalum Pergami incluſos, omnem vim atque iniuriam exprompſiſſet: Patres irati, & indignitate rei commoti, decem extemplo legatos decreuerunt, in quibus L. Anicius, & C. Fannius, & Q. Fabius Max. eoſque ſtatim cum mandatis miſerunt, vt bello finem imponerent, & Pruſiam, pro iniuriis bello illatis, pœnas Attalo pendere cogerent. Sic Polyb. ſed res ab his geſtæ ad ſequentem annum pertinent.

Theatrum lapideum.

His Conſulibus cenſores fuerunt M. Valerius Meſſala, & C. Caſſius Longinus, à quibus lapideum theatrum ſpectandis ludis extrui cœptum eſt, ſed poſtea imminente bello Punico tertio, autoritate Scipionis Naſicæ, SC. deſtructum eſt, tanquam inutile, & nociturum publicis moribus, vt eſt in epito. 48. Liuij, qua de re plura Sigon. in faſtis.

VIII. *Heraclidis legatio pro nomine Alexandro*

AD hunc annum pertinere arbitror Heraclidis legationem, quæ habetur apud Polyb. n. 138. vbi dicitur Heraclidem Romam veniſſe, & Alexandrum & Laodicen eius ſororem adduxiſſe, quos Epiphanis eſſe filios dicebat. Itaq; inquit Polyb.

dum in vrbe commoratur Heraclides magnæ fortunæ ſpeciem oſtentauit, vafre agens omnia, & conſulto tempus extrahens, vt Senatum ad ea quæ moliebatur flecteret. Videtur hic Alexander eſſe is, qui anno ab hinc quarto Demetrium vita & regno priuauit: quod ex iis quæ anno ſequ. de eo ex Polyb. dicemus, erit apertius: vbi hunc Heraclidem ſicut & hoc loco, callidum veteratorem depingit. Nec quidquam prohibere video, quo minus illum eundem eſſe dicamus Heraclidem Byzantium, qui pro Antiocho Magno legatus apud Romanos fuit, [a] L. Scipione Conſule, an. Vrb. Cond. 563. id eſt 36. ab hinc anno. Deinde pro Antiocho Epiphane, de Cœleſyria cum Ptolemæo contendente, de qua ſupra egimus anno V.C. agit Polyb. n.72. & nunc tertio pro Alexandro, ei regnum Syriæ acquirere deſiderans: qua de re iterum ſequ. anno cum Polybio dicemus. Cur autem ad hunc annum hanc legationem referam, commodiorem non habeo rationem, quam quod ſic hiſtoria profana cum ſacra recte conſentiet, quod ad tempus quo in Syriam veniſſe, & regnaſſe dicitur in Scriptura. [b]

a De qua legatione Polyb n.23.

b l.1 Mach. c.10.

ANNVS MVNDI 3901. SEXTAE AETATIS, 385. IMPERII GRÆCORVM 159. DEMETRII SOTERIS 9. IONATHÆ PONTIFICIS 8. PTOLEMÆI PHILOMET. 27. OLYMPIADIS CLVI. AN. 4. VRB. COND. 600. COSS. Q. FVLVIO NOBILIORE, ET T. ANNIO LVSCO. BELLVM CELTIBERICVM.

ANNVS ANTE CHRISTVM 152.

ANNVS ſexcenteſimus ab V. C. antiquum inſtitutum ineundi conſulatum mutauit. Nam vt autor eſt Caſſiodorus, hi primi Coſs. Calendis Ianuariis magiſtratum inierunt, propter ſubitum Celtiberiæ bellum. Manſiſſe autem ab anno 531. ad hunc vſque annum ſolennem Conſulatus diem in Idib. Martiis, ſcribit Sigon. Deinceps vero ſtante Rep. in Cal. Ianuariis perſeueraſſe.

I. Nouum initium Conſulatus.

Habet porro hic annus initium belli Celtiberici, quod ad vigeſimum ferme annum, & Numantiam deletam, propagatum fuiſſe tradit Strabo l. 3. multis Romanorum exercitibus perditis: cui conſentiens l.2. Paterculus. Illæ prouinciæ (Hiſpaniæ) Scipiones conſumpſerunt: illæ contumelioſo 20. annorum bello ſub duce Viriatho maiores noſtros exercuerunt, &c. Habet hic idem annus res cum Pruſia geſtas in Aſia; priorem narrationem ab Appiano in lib. de bellis Ibericis, ſiue Hiſpanicis, poſteriorem ex Polybij legationibus mutuabimur.

Res anni huius.

Appianvs igitur narratis iis, quæ in Hiſpania ſuperioribus annis à tribus Scipionibus, à Catone maiore, à Fuluio Flacco, & proxime à Ti. Sempronio Graccho fortiter glorioſeque geſta fuerant, ad bellum, cui conficiendo Fuluius Nobilior Conſul præfectus eſt, aggreditur. Idque hac occaſione exarſiſſe ſcribit, quod Segeda Celtiberorum, qui Belli cognominantur, vrbs ampla & potens, fœderique Sempronij Gracchi adſcripta, minoribus oppidis excitos ciues ad ſe traducebat, murumque in ambitu 40. ſtadiorum ducebat. Idemque Titthos vicinam gentem facere compellebat. Senatus certior factus, primum vetare murum extrui. Deinde tributa à Graccho impoſita poſtulare; poſtremo vt cum Romanis militarent. Nam & hoc in Gracchi pactione iubebatur.

II. Initia, & cauſa belli Celtiberici.

Qvod ad murum attinet, reſponderunt, Celtiberis quidem interdictum à Graccho ne nouas vrbes conderent, at ne veteres inſtaurarent, aut munirent, nullum verbum eſſe factum: tributa autem & militiam, ab ipſis Romanis poſt Gracchum remiſſam. Et ita ſe res habebat. Sed cum Senatus huiuſmodi priuilegia alicui indulget, ſemper hanc addit exceptionem, quãdiu ſibi populoq; Romano libuerit.

III. Excuſatio Celtiberorum.

Nobilior in eos mittitur.

Itaque aduerſus eos miſſus eſt Nobilior, cum exercitu fere 30. millium. Cuius aduentum vt præſenſere Segedenſes, quia murus nondum perfectus erat, cum vxoribus ac liberis ad Arbaccos fugere; à quibus non ſolum recepti ſunt, verum etiam Carus quidam Segedenſis, vir bello ſtrenuus, electus eſt belli dux.

IV. *Eius anceps cum Caro pugna.*

Hic tertio poſt delatum imperium die, viginti millibus peditum, equitum quinque, locum quendam inſidiis peropportunum, & arboribus veſtitum inſedit. Inde prætereuntes aggreſſus Romanos, diu æquo marte depugnauit, tandem ſex millibus Romanorum cæſis, victor extitit.

Sed dum poſt victoriam, effuſo inordinatóque agmine, perſequitur fugientes, Romani equites qui impedimenta ſeruabant facto impetu, tum Carum ipſum gnauiter dimicantem, tum alios non pauciores ſex millibus cædunt. Prælium nox diremit, qua nocte Arbacci Numantiam validiſſimam vrbem conueniunt, nouoſq; duces Ambonem & Leuconem creant.

V. *Copiæ Conſulis auctæ.*

Triduo poſt Nobilior ſubſecutus, ad 24. ſtadia caſtra munit. Tum ad eum trecenti equites à Maſiniſſa miſſi, cum decem elephantis accedunt. Quibus aſſumptis in hoſtem aciem promouet, belluaſque poſt principia, ne conſpici ab hoſtibus poſſent, collocat. Commiſſo prælio cum ſe acies deduxiſſet, belluæ ex improuiſo conſpectæ tantum terroris iniecerunt, tum Celtiberis, tum eorum equis, qui antea nunquam elephantos viderant, vt terga vertentes in oppidum fugerent. Fugientibus inſtans Romanus Imperator, mœnibus elephantos admouet. Ibi acriter pugnatum; quoad elephas ingenti ſaxo in caput adacto ſauciatus, iras concepit, & immani clamore edito in ſuos conuerſus, in obuium quemque ſæuire cœpit. Cæteri ad eius vocem turbati, eadem & ipſi facere, paſſimque Romanos proterere, diſiicere, & proboſcide in altum iaculari. Solent enim cum turbati ſunt elephãtes, omnes pro hoſtibus habere, ac propter hanc perfidiam, ſolent ab aliquibus communes hoſtes appellari.

Elephantorum turbatio Romanis pernicioſa. | *ἀνερρίπτουν.*

VI. *Aliquot Romanorũ offenſiones.*

Fuga inde Romanorum effuſa fieri cœpta eſt, quam intuiti è mœnibus Numantini, eruptione facta in palatos illati, ac inſecuti quatuor millia trucidant, elephantis tribus, multis armis ſigniſque captis: Celtiberorum circiter duo millia deſiderata. Nec finis hic malorum Romanis fuit. Nam Nobilior cum ſe ex hac clade tantulum collegiſſet, commeatum quem hoſtes ad Axenium vrbem congeſſerant, fruſtra oppugnare conatus, amiſſis è ſuis non paucis, noctu in caſtra rediit.

Inde Biaſium equitum præfectum ad vicinam quandam gentem miſit, vt iuncta amicitia equeſtria auxilia poſceret. Redeunti, & aliquot equites ſecum adducenti, Celtiberi inſidias tetenderunt: quibus detectis, ſocij quidem fugere, ſed Biaſius, & qui cum eo erant Romani multi, interfecti ſunt.

VII. *Nobilior defectionibus, fame, & frigore vexatur.*

Tam crebræ offenſiones, & clades, etiam ſociorum animos auertere. Nam Ocilis vrbs, in qua Romanorum commeatus, & pecuniæ aſſeruabantur, ad Celtiberos tranſiit. Rebus omnibus diffidens Nobilior in caſtris pro præſenti facultate tectis & obſtructis hybernauit, ſed inopia frumenti laborauit. Ad hæc crebræ & aceruatim decidentes niues (non recte interpres, grandines, vertit νιφετὸν, præſertim in rigida hyeme,) & frigoris vis non parum milites afflixit, vſque adeo vt multi inter lignandum, alij in hybernaculis, ob anguſtias friguſque morerentur. Hæc de rebus à Nobiliore geſtis hoc anno Appianus, quem non victoriæ, ſed clades & aduerſa omnia nobilitarunt.

VIII. *Res in Luſitania geſta.*

Eodem tempore in Luſitania res L. Mummio Prætore, haud fœliciorem habuere ſucceſſum. Nam vt idem Appianus, eodem in libro Iberico, aliquanto poſt narrat, Luſitani ſociorum populi Ro. agros depopulati erant, & Punico duce, fugatis Romanorum imperatoribus Manlio & Calphurnio, ſex millia interfecerant; inter quos Terentium Varronem quæſtorem. Qua victoria elatus Punicus, ad Oceanum vſque peruagatus eſt, & Veronibus ſecum aſſumptis, Romanorum ſubditos Blaſtophœnicas obſedit, vbi Punicus ſaxo in caput impacto moritur, in cuius locum ſuffectus eſt quidam nomine Cæſaras.

L. Mummij clades.

Hic cum L. Mummio, qui Roma cum exercitu recens venerat, commiſſo prælio victus fugit. Sed cum effuſo incompoſitoque agmine Mummius eum inſequeretur, cõuerſa in perſequentes facie ad nouem millia corũ cecidit, & præda omni, caſtriſque ſuis receptis, Romanorum caſtris eſt potitus, & ſigna multa, armáque diripuit,

quæ Barbari tota Celtiberia per ludibrium circunferebant.

IX. *Nonnihil reparata.*

Mvmmivs quinque millia quæ ſuperfuerant intra vallum exercebat, non prius in campum deſcendere auſus, quam militum animos recenti clade territos confirmaſſet. Cúmque Barbaros obſeruaſſet prædæ partem aliquam transferentes, ex improuiſo adortus, multis interfectis, & prædam & vexilla recuperauit. Prorſus quaſi ſerium hunc ludum ludere, & ſe alternis ſpoliare velle viderentur.

Luſitani Cuneos inuadunt.

Fœlicius etiam res ei ſucceſſit contra Luſitanos, qui alteram Tagi ripam incolunt. Nam cum & ipſi Romanis bellum intuliſſent Caucæno ductore, Cuneos Romanorum ſubditos inuaſere, & amplam eorum vrbem Corniſtorgim expugnauere. Deinde traiecto ad columnas Herculis Oceano, pars Africam populari, alij Ocilam vrbem obſidere.

X. *Ingens de eis Mummij victoria.*

Mvmmivs ſubſecutus cum nouem millibus peditum, equitibus quingentis, quindecim millia eorum, qui agros vaſtabant occidit, ex aliis aliquot, & Ocilæ obſidionem ſoluit. Occurrens etiam iis, qui prædam auertebant, omnes ita deleuit, vt ne nuncius quidem cladis ſuperfuerit. Prædam omnem, quæ ferri poſſet militibus diuiſit, reliquam diis belli præſidibus conſecratam incendit. His rebus geſtis Romam reuerſus triumphauit. *Et triumphus.* Hactenus Appianus. Vides hic duas vrbes Ocilin in Hiſpania Tarraconenſi, & Ocilam in Luſitania, alteram Romanis fidam, alteram perfidam. Neque enim res hoc ipſo anno geſtæ, eandem eſſe patiuntur. Et Ptolemæus Luſitanam non longe à Tago collocat, & Ocellum vocat, alteram prope Minium fluuium, & vocat Ocelum.

Ὀκιλις. Ὀκίλη. Ὀκελον. Ὀκελλον.

n.135. & 136.

XI. *Quid legati Romani cũ Pruſia.*

Qvod ad res Aſiæ anni huius attinet Polyb. ſcribit Attalum, dum adhuc eſſet hyems, magnum exercitum contra Pruſiam coëgiſſe, cum & Ariarathus & Mitridates eius ſocij, copias ipſi tum equeſtres, tum pedeſtres, duce Demetrio Ariarathis filio, ſubmiſiſſent. Interea legati Romani veniunt, qui regem Quadis conuenerunt, & de omnibus rebus cum eo locuti, ad Pruſiam recta ſunt profecti: cui cum Senatus voluntatem declaraſſent, Pruſias ex iis quæ imperabantur nonnulla facturum ſe pollicitus, de pleriſque negabat. Itaque Romani legati offenſi, amicitiæ & ſocietati ipſius renunciarunt, & ad Attalum extemplo perrexerunt. Tum vero Pruſias pœnitentia ductus, orans legatos ſequebatur, ſed cum nihil proficeret, conſilij inops domum reuertit.

XII. *Bellicum contra eum apparatum.*

Interim Romani Attalum iubent cum exercitu in regni finibus manere, ita vt neminem bello laceſſat, ſed vrbes ſuas ac pagos ab iniuria defendat. Ipſi in varias partes diuiſi, partim Romam properant, ad ſignificandam Senatui regis Pruſiæ pertinaciam: partim in Ioniæ regiones tendunt; quidam ad Helleſpontum & vicinos Byzantio tractus. Quorum omnium vnum idemque erat propoſitum, vt ab amicitia & ſocietate Pruſiæ homines reuocarent, Attalo vero cunctorum beneuolentiam & auxilia conciliarent.

Quem etiã Attali frater vexat.

Circa idem tempus Athenæus Attali frater adduxit inſtructas ad bellum naues octoginta, directóque in Helleſpontum curſu, quoties aliquam vrbem præteruehebatur earum, quæ Pruſię parebant, crebras exſcenſiones faciens, earum agros populabatur. Hæc Polybius. Quæ autem de pace facta per nouos legatos Roma miſſos recitat, ad ſequentem annum videntur pertinere. An etiam illa ex Epit. 47. Legati ad diſceptandum inter Maſaniſſam & Carthagihienſes miſſi, nunciauerunt vim naualis materiæ ſe Carthagine deprehendiſſe: idque affirmat Sigonius in an. V.C. 604. vbi ait in illis legatis fuiſſe M. Catonem.

num. 136.

Legatio ad Pœnos.

XIII. *Romam pueri filij regum adeunt.*

num. 140.

Ad res Aſiaticas Syriacæ pertinent, de quibus quæ ad hunc annum pertinere videantur habet Polyb. in excerptis legationib. Vbi primum habetur Attalum Eumenis regis filium, admodum adhuc puerum Romam veniſſe, vt Senatui ſe commendaret, & amicitiam hoſpitiique ius, quod Patri fuerat cum pop. Romano renouaret. Ibi à Senatu & paternis amicis ſingulari humanitate ſuſceptum, & honoribus affectum, quæ illi ætati conueniebant, & paucos poſt dies domum reuerſum, omnibus Græciæ ciuitatibus magno illum honore excipientibus.

Affuit ibidem per id tempus, inquit idem Polyb. qui tum Romæ verſabatur, & Demetrius, qui modico paratu vt puer exceptus, in patriam denuo ſe contulit. Eſt hic Demetrius Demetrij Soteris filius, quem pater Romam videtur miſiſſe, vt ipſi, quem regni hæredem habebat, mature populi Romani fauorem conciliaret, ſine

cuius gratia regnare non poterat.

XIV. *Alexandri à Senatu poſtulata.* Aderat etiam Romæ Heraclides ab æſtate præterita, cum Alexandro & Laodice, Antiochi Epiphanis, vt dicebat, filiis, quibus Romanorum beneuolentiam conciliabat, vt eorum auxilio in Syriæ regnum admitterentur. Heraclides, ait Polyb. diuturniore mora in vrbe facta, in Curiam vna cũ Laodice & Alexandro venit. Ibi primo adoleſcens pauca eſt locutus, poſtulauitque vt meminiſſent Romani amicitiæ & ſocietatis, quæ Antiocho parenti ſuo cum illis fuiſſet. Deinde vt maxime quidem in recuperando regno ſe adiuuarent. Sin id minus vellent, reditum ſaltem ſibi in Syriam permitterent; neque eos impedirent, qui ad paternum regnum obtinendum, opem ſibi ferre parati eſſent, intelligit autem Ptolemæum Ægypti, Attalum Pergami, Ariarathum Cappadociæ reges, vt dicemus anno ſeq. Pergit Polyb.

XV. *Heraclides pro eodem orat.* Mox Heraclides ſermonem excipere, & poſtquam laudes ac merita Antiochi pluribus expoſuiſſet, adiecta criminatione Demetrij Soteris, poſtremo orare, vt huic adoleſcenti, & Laodice, qui eſſent legitima ſtirps Antiochi, reditus in regnum concedatur. Sed eorum omnium quæ dicebat iſte, inquit Polyb. nihil quicquam placebat ſanæ mentis hominibus; qui & fictam eam eſſe commentitiamque fabulam intelligebant, & Heraclidem palam abominabantur.

At vulgus Senatorum, quos præſtigiis ſuis ſibi Heraclides conciliauerat, in eam ſententiam conſenſerunt, vt hoc S C. ſcriberetur. Quod Alexander & Laodice regis filij, qui amicus ſociuſque populi Ro. fuit, in Senatu verba fecerunt &c. Senatus vt in patris regnum velut poſtliminio reuerterentur iis permiſit, & ferre ipſis opem, vt poſtulauerunt decreuit.

XVI. *Bellum in Demetriũ parat.* Hac arrepta occaſione Heraclides militem extemplo conducere, & multos viros illuſtres ſibi adiungere. Dein Epheſum vt venit, bellum quod moliebatur ſedulo apparare cœpit. Hactenus ibi Polyb. ex quibus intelligi poteſt Heraclidem à Demetrio aliqua in re offenſum, hunc ei æmulum ſuſcitaſſe. Senatum autem, qui diſcordiam malebat in regnis, quam pacem & concordiam, ne potentiores eſſent ad reſiſtendum, ſed vt, ſi res ferret, cum altera parte coniuncti, alteram facile opprimerent, Senatum inquam non ægre ei poteſtatem feciſſe regnum Syriæ inuadendi: qui tamen eodem ipſo tempore Demetrio Demetrij filio, amicos ſe beneuoloſque exhibuiſſent. Ex his autem plurimam lucem accipiunt, quæ ſequenti anno de Alexandro & Demetrio ex Scriptura referemus.

ANNVS MVNDI 3902. SEXTAE AETATIS, 386. IMPERII GRÆCORVM 160. DEMETRII SOTERIS 10. IONATHÆ PONTIFICIS 9. PTOLEMÆI PHILOMET. 28. OLYMPIADIS CLVII. AN. 1. VRB. COND. 601. COSS. M. CLAVDIO MARCELLO III. ET L. VALERIO FLACCO. BELLI CELTIB. 2.

ANNVS ANTE CHRISTVM 151.

I. *Exoritur Alexãder æmulus Demetrij.* REDIMVS hoc anno ad ſacram hiſtoriam; hoc inquam anno Olympiaco, qui Leonidam Rhodium quartum in ſtadio victorem vidit, quo anno dum regnum Demetrii labefactatur, res Iudaicæ refloreſcunt. Suſcitatur enim æmulus Demetrio, & ambo certatim Ionatæ auxilium ambiunt, eiuſque dignitatem, & potentiam, vel inuiti amplificant. Horum motuum initia tempuſq; deſcribit Scriptura his verbis. *Et anno centeſimo ſexageſimo aſcendit Alexander Antiochi filius, qui cognominatus eſt Nobilis, & occupauit Ptolemaidam, & receperunt eum, & regnauit illic.* Sic ibi.

II. *Quis fuerit hic Alexander. Ex Iuſtino.*

Qvis hic fuerit Alexander, & ſimul quæ cauſa ſuſcitati belli, præter ea quæ ſuperiore anno ex Polyb. diximus, docet Iuſtinus l. 35. vbi ait Antiochenſes, qui prius cum Holoferne contra Demetrium conſpirauerant, etſi re patefacta, à defectione minime deſtitiſſe. *Itaque adiuuantibus*, inquit, *& Ptolemæo rege Aegypti, & Attalo rege Aſiæ, & Ariarathe rege Cappadociæ, bello à Demetrio laceſſitus ſubornant Prompalum quendam ſortis extremæ iuuenem.* Quidam habent Pompanum, forte legẽdum propalam, vt plerique legunt, etſi fraudes iſtiuſmodi minime omnium propalam fiunt: *qui Syriæ velut paternum regnum armis repeteret: & ne quid contumeliæ deeſſet, nomen ei Alexandri inditur, genituſque ab Antiocho rege dicitur.* Tantum odium Demetrij apud omnes erat, vt æmulo eius non vires regiæ tantum, verum etiam generis nobilitas conſenſu omnium tribueretur. *Igitur Alexander admirabili varietate rerum, priſtinarum ſordium oblitus, totius ferme orientis viribus ſuccinctus, bellum Demetrio infert.* Sic ipſe.

III. *Videri ſuppoſititium. Ex Polybio. Appiano, Floro. Sulpitio.*

a D. 140.

Svppositititvm quoque hunc Alexandrum fuiſſe, ſcribit Polyb. in legat.[a] vt ante retulimus, & Appianus in Syriacis. *Aduerſus hunc*, inquit, puta Demetrium Soterem, *exortus eſt quidam Alexander, falſo in Seleucidarum gentem ſe ingerens, quem Ptolemæus Aegypti Rex fouebat odio Demetrij.* Florus quoque epit. 52. vocat hunc Alexandrum hominem ignotum, & incertæ ſtirpis. Dum hæc intra Iudæam geruntur ait Sulpitius, adoleſcens quidam Rhodi educatus nomine Alexander, Antiochi ſe eſſe filium dictitans (quod falſum erat) adiutus opibus Ptolemæi regis Alexandrini, in Syriam cum exercitu venit &c. [b] Denique Genebrardus ſuppoſititium vocat.

b Sulpit. Seuer. l. 2. hiſt.
c l. 1. c. 10.
d l. 13. c. 5. & 8.

IV. *Altera opinio, fuiſſe Antiochi nothũ.*

Scriptvra tamen eum Antiochi Epiphanis filium vocat,[c] & conſentit Ioſephus, [d] eumque Velem cognominat ſeu potius Ballem; eſt enim in Græco Βάλλας. Strabo vero l. 16. Balan. Conſentit & Euſebius in Chronico. Non male autem res componi videtur ab iis, qui eum filium quidem Antiochi eſſe fatentur, ſed nothum præter recentiores in iis & Appianus ipſe in Syriacis, vbi de eius filio, agit nec diſſentire videtur Euſeb. qui Olymp. 159. an. 2. quem ante vocarat filium Antiochi Epiphanis, vocat filium Balæ, cuiuſpiam ſcilicet concubinæ, ex qua cognominatus ſit Balas. Vide Pontac. in Euſeb. cui placet Balam eſſe eius patrem. Minime vero audiẽdus eſt Lyranus, qui eum filium Ant. Eupatoris appellat, quem ſecuti ſunt Carthuſ. & Adrichom. tum quia Scriptura eum appellat filium Antiochi Epiphanis, ſiue Illuſtris, quod cognomen nullus vnquam tribuit Eupatori, ſed nec iſti Alexandro, præter Samerium, & Adrich. quos decepit illud relatiuum, *qui* quod ipſi retulerunt non ad proximum antecedens, vt cæteri omnes, ſed ad remotum. Verum ambiguitatem ſuſtulit Ioſephus, dum vocat Ἀλέξανδρον τὸν Ἀντιόχου τοῦ Ἐπιφανοῦς υἱόν. Et in Græco Euſebio aperte dicitur, υἱὸς Ἀντιόχου τοῦ Ἐπιφανοῦς. Tum etiam quia Eupator abſque liberis mortuus eſt; vix enim duodecimum agebat annum, quando eum Demetrius, cum Lyſia eius Tutore, interfecit. Nouennis quippe factus eſt rex, & non totum triennium regnauit.

Gordon. Tempor. ſub fin. lib.

Non tamen Eupatoris.

V. *Demetrius cur odio habitus.*

Conflati porro in Demetrium odij cauſam, quod ad vicinos attinet reges, ſatis explicat Iuſtinus, quod ad ſubditos autem Ioſephus Alexander, inquit, Antiochi Epiphanis filius, veniens in Syriam Ptolemaidem occupauit proditione militum, qui eam tenebant præſidio, moreſque Demetrii oderant, vt parum comis, & ſuperbi admodum. Incluſus enim in regium quoddam caſtellum, munitum quatuor turribus, non procul ſitum ab Antiochia (Daphnem fortaſſis intelligit, locum in ſuburbiis Antiochiæ Syriæ delicioſiſſimum. Ioſephus tamen ait, ὃ κατεσκεύασεν αὐτός, quem ipſe præparauit, adornauit, aut etiam conſtruxit,) neminem admittebat, & omiſſa Reip. cura, degebat in otio per ſegnitiẽ: vnde grauiora etiã odia contra eum exorta ſunt. Sic ipſe. Non ſolum ergo Antiocheni, ſed Ptolemeenſes quoque infeſti erant Demetrio, quando primi tyrannum, contra legitimũ principem, pro rege acceperunt: tyrannum inquam. Nam quamuis hic Alexander legitimus fuiſſet filius Antiochi Epiphanis, ad eum tamen regnum non pertinebat, ſed ad Demetrium iſtum Soterem qui ex Seleuco Philopatore, primogenito Antiochi Magni natus erat, cuius Ant. Epiphanes erat ſecundo genitus. Sed redeamus ad Scripturam.

VI. *Demetrius bellum parat.*

Et audiuit Demetrius Rex, & congregauit exercitum copioſum valde, & exiuit obuiam illi in prælium; prius tamen, gemina prouidentia rebus ſuis proſpicere

conatus eſt, altera circa filios. Nam vt Iuſtinus ait, initio belli duos filios Demetrium Nicanorem, & Antiochum Sedetem, qui ambo poſtea regnarunt, apud hoſpitem ſuum Gnidium (eſt autem Gnidus in Aſia extrema, prope Halicarnaſſum, & Rhodum, in extremo promontorio, quod reſpicit Cretam,) cum magno auri pondere demandauerat, vt belli periculis eximerentur, &, ſi ita fors tuliſſet, vltioni paternæ ſeruarentur. Altera cura fuit in minuendis hoſtibus, augendiſque belli ſociis, proptereáque Ionathæ reconciliari, cumque ab Alexandro auertere ſtuduit.

VII. *Ionathan ſibi conciliare cupit.* Et *miſit Demetrius*, ait Scriptura, *epiſtolam ad Ionathan verbis pacificis, vt magnificaret eum*, id eſt quibus eum magnifacere ſe oſtendebat, & ad maiora velle promouere, vt ſequētia docent. Nec ficta fuiſſe videtur hæc reconciliatio, vt putat Lyran. ſed coacta. Quamquam pax iam ante quadriennium inita fuerat, & inter Ionathan & Bacchidem res compoſitæ, [a] rege vtique conſcio, ac probante. Itaque verbis pacificis interpretor, quibus vti ſolent, qui pacifice inter ſe viuunt, non quibus pax concilietur, ideoque Græce legitur, λόγοις εἰρηνικοῖς, non εἰρηνοποιοῖς. Illud ergo quod ſequitur. *Anticipemus facere pacem cum eo, priuſquam faciat cum Alexandro aduerſum nos*: Illud inquam facere pacem, idem eſt quod confirmare pacem, quæ iamdudum facta fuerat, nec interrupta: ideóque Ioſephus hanc non pacem, ſed amicitiam & ſocietatem interpretatur, imo & Scriptura ipſa paulo poſt.

[a] Vt eſt in l. 1. c. 9. 70.

VIII. *Et demereri beneficiis.* Causam vero quæſitæ ſocietatis ſubdit, *Recordabitur enim omnium malorum quæ fecimus in eum, & in fratrem eius, & in gentem eius. Et dedit ei poteſtatem congregandi exercitum, & fabricare arma, & eſſe ipſum ſocium eius*, vt ſcilicet contractas copias, armiſque inſtructas coniungeret ſuis, vt armis animiſque coniunctis, Alexandrum debellarent. Vt autem illius gratiam beneficio aliquo demereretur, Iudæorum *obſides, qui erant in arce*, [b] *iuſſit tradi ei*. Et venit Ionathas, *in Ieruſalem, & legit epiſtolas in auditu omnis populi, & eorum qui in arce erant. Et timuerunt timore magno, quoniam audierunt quod dedit ei Rex poteſtatem congregandi exercitum. Et traditi ſunt Ionathæ obſides, & reddidit eos parentibus ſuis*. Demetrius tamen etſi obſides reddiderat, ipſam tamen arcem, ſiue ciuitatem Dauid, cum præſidio retinebat, vnde poſtea, [c] dicet, *remitto etiam poteſtatem arcis, quæ eſt in Hieruſalem*, &c. Quod Ioſephus etiam confirmat.

[b] de quib. c. 9. 55.

[c] v. 38.

IX. *Ionathas Ieroſolymā inſtaurat.* Nixvs porro Ionathas præſenti fauore Demetrij, relinquens Machmas, *habitauit in Ieruſalem, & cœpit ædificare, & innouare ciuitatem*, quam decimum quintum iam annum Apollonius vaſtauerat, [d] præter eam cladem, quam Antiochus ipſe templo ac ciuitati biennio ante intulerat. *Et dixit facientibus opera vt extruerent muros, & montem Sion in circuitu lapidibus, quadratis ad munitionem; & ita fecerunt.* Muros & montem dixit, pro eo quod muros montis Sion, vt poëta, *maculis inſignis & albo*, pro albis maculis. Et clarum eſt ex Græco Latinóque textu, conſtructionem ciuitatis, & Sionis ad diuerſas periodos pertinere. Ideoque videtur Ioſephus corrigendus, quod dicat mœnia Ieroſolymorum à Ionatha quadrato ſaxo exſtrui iuſſa, cum Scriptura id tantum dicat de monte Sion, quem muro ambiebat Ionathas, vt eo ciuitas, contra inſultus eorum qui erant in arce protegerentur. Idque ipſum iam fecerat Iudas ſub templi emundationem. [e]

[d] Regni Græc. 145. 1. Mach. 1. 40. 2. Mach 5. 24.

[e] l. 1. c. 4. v. 60.

X. *Eidem cadunt alienigenæ præſidia ſua.* Et fugerunt alienigenæ, qui erant in munitionibus, quas Bacchides ædificauerat, ſeptem numerauit author cap. 9. [f] præter Betſuram, & Gazaram, & arcem Hieroſolymitanam. Præſidiarij autem eorum locorum cognita virtute Ionathæ, ad quam nunc regia authoritas & copiæ accedebant, cum eſſent magna ex parte apoſtatæ, & timerent ne deuenirent in eius manus, *fugerunt, & reliquit vnuſquiſque locum ſuum, & abijt in terram ſuam*, vt proprio lateret abditus agro. *Tantum in Bethſura remanſerunt aliqui, ex his qui reliquerant legem & præcepta Dei. Erat enim hæc eis ad refugium*: propter eximiam loci firmitatem, qui dudum exercitum Eupatoris centum millium peditum, & viginti millium equitum, & triginta duorum elephantorum contempſerat, irritoſque reddiderat eius conatus; donec fame vrgente, pacem cum rege deditionemque fecerat. [g]

[f] n. 50. 51.

[g] l. 1. Mach. c. 6. 30. 31. 49.

XI. *Alexāder Ionathæ amicitiam quærit.* Et *audiuit Alexander rex promiſſa, quæ promiſit Demetrius Ionathæ, & narrauerunt ei prælia & virtutes, quas ipſe fecit, & fratres eius, & labores, quos laborauerunt, & ait: Nunquid inueniemus aliquem virum talem.* Addit Ioſephus, qui & virtute ſit eximia, & peculiares odii cauſas in Demetriū habeat, quod datis viciſſim, & acceptis cladibus

exacerbatum fuerat. Pergit Scriptura, *& nunc faciemus eum amicum, & ſocium noſtrum.* Et ſcripſit epiſtolam, *& miſit ei ſecundum hæc verba, dicens: Rex Alexander fratri Ionathæ ſalutem. Audiuimus de te, quod vir potens ſis viribus, & aptus es vt ſis amicus noſter: & nunc conſtituimus te hodie ſummum ſacerdotem gentis tuæ, & vt amicus voceris regis, (Et miſit ei purpuram, & coronam auream) & quæ noſtra ſunt ſentias nobiſcum, & conſerues amicitias ad nos.*

XII. *Num Alexander cõferat pontificatum.*

E x quo Iaſon impius Pſeudopontifex regem Antiochum Epiphanem adierat, pontificatus obtinendi gratia, depulſo fratre Onia,[a] eam poteſtatem libenter ſibi ethnici reges retinebant. Itaque eundem adiit eadem ex cauſa poſtea Menelaus,[b] & Demetrium Alcimus.[c] Et quia mortuo Alcimo, nemo à Rege nominatus fuerat Pontifex, vt ſe legitimum regem oſtenderet Alexander, hoc quaſi regium munus vſurpat, vt Pontificatum Ionathæ conferat. Quo tamen ille iam à fratris morte fungebatur, ſicut & principatu.[d] Erant enim eo tempore hæc officia copulata, & ab vno eodemque gerebantur, vt non ſemel ex Ioſepho[e] diximus. Alioqui eccleſia Iudaica annis nouem legitimo pontifice caruiſſet, atque adeo prorſus omni, à morte Alcimi; à cuius morte octauus agitur annus.[f] Eadem ergo opera Ionathas dux & pontifex factus eſt. Idem ſentit Serar.[g] vbi agit de iuniore Demetrio, aitque Ionathan nunc non ſimpliciter, & omnium primo ſtolam pontificiam induiſſe, ſed primo tantum, quod ad bonam regis veniam, & conceſſionem.

a 2. Mach. 4 7.
b l.2.c 4.24
c 1. Mach. 7.5.
d Vt patet ex l.1.c.9.v. 18.
e l.10 c.8.
f 1. Mach. c.9.54.
g in c.10.l. 1.

XIII. *An peccarit hic Ionathas.*

I T A Q V E Ionathas quod dabatur non neglexit, ſed *induit ſe ſtola ſancta ſeptimo menſe anno 160. in die ſolenni ſcenopegiæ, & congregauit exercitum, & fecit arma copioſa.* At, inquies, nonne iniuſte facit Ionathas, ſiue pontificiam poteſtatem à profano rege, atque adeo à tyranno accipiendo; ſiue ab vtraque bellantium parte munera recipiendo, cum vtrinque bellum iuſtum eſſe non poſſit, & ipſe receptis vtrinq; muneribus, vtrique ſe commilitonem futurum ſpondeat; ſiue denique deſerta iuſta parte, quæ prior ſocietatem ambierat, iniuſtæ adhærendo.

An pontificatum à rege acceperit.

Ad primam obiectionem reſpondeo, Ionatham non accipere pontificiam poteſtatem ab Alexandro; eam quippe nonum iam annum gerebat, vnde nec ſtolam ſanctam ab eo dicitur accepiſſe, aut illius conſenſu & voluntate geſtaſſe, ſed publice pontificem agere cœpiſſe in ſolemnitate ſcenopegiæ. Hactenus autem non potuiſſe propter Hieroſolymam, totamque Iudæam Demetrij præſidiis occupatam. Ex accidente autem contigit Alexandrum eam dignitatem ei ſub idem tempus offerre; quo tacente, non minus publice pontificem egiſſet, cum iam templum, & vrbem haberet in poteſtate.

XIV. *Defenditur Ionathas.*

S E C V N D O loco dicimus Ionatham nihil à Demetrio præter obſides accepiſſe, quos ille iniuſte retinebat, ſicut & totam Iudæam iniuſte vexabat; quam etiam iniuſte vſurparat, cum ea prouincia ad Iſraëlitas, iam à mille trecentis & nouendecim annis pertineret, ex quo Imperatore Ioſue, & ductore Deo, tranſmiſſo Iordane in Chananitidem armati penetrarant. Et quamuis regio fauore vſus ſit ad ſolatium gentis ſuæ, ei tamen armorum ſocietatem non promiſit. Poſtremo dicimus Demetrium iuſtum quidem Syriæ fuiſſe regem, non tamen Iudææ, ſed eam tyrannice vexaſſe, à qua vt Ionathas populum ſuum liberaret, potuit alteri adhærere: imo auxilium eius vltro aduocare, ſicut potuiſſe diximus Iudam cum Romanis armorum ſocietatem inire.

XV. *Ab Alexandro dona recipit.*

C Æ T E R V M purpura hæc, & corona aurea, nihil pertinent ad amictum pontificiũ, nec iis rex voluit ornare pontificem, qui eius ornatum ignorabat, ſed ad eorum dynaſtarum amictũ, qui amici regis, & ex amictu purpureo purpurati vocabantur. Sic de Mardochæo legimus,[h] eum proceſſiſſe de palatio, coronam auream portantẽ in capite, & amictum ſerico pallio atque purpureo: erat quippe in primariis regis amicis, vt ex eiuſdem cap. initio perſpicuum eſt. Sic Mathathiæ & filiis eius promittebant miniſtri regij eos fore inter amicos regis, amplificatos auro & argento, & muneribus multis, ſi inducerent animum à patria religione deſciſcere. Quales ſcilicet erant Ptolemæus, Nicanor, Gorgias,[i] & Philippus,[k] & Bacchides,[l] & in primis Lyſias.[m] Denique eodem pertinet, quod iuſſus eſt Ionathas ab Alexandro indui purpura, & ſcribi inter primos amicos regis.[n] Hæc dona Euſebius miſſa tradit ab Alexandro initio regni ſui, non male. Scriptura quippe præmiſit eum occupaſſe hoc anno Ptolemaidem, & illic regnaſſe: hunc tamen eius annum omittimus, quod

h Eſther. 8. 15.
i l.1. Mach c.3 38.
k c 6.14.
l c.7. 8.
m c.3.32
n c. 10 v. 62.64 65.

Demetrius legitimus Rex, adhuc & vitæ & regni compos eſſet. Non recte tamen in editione Scaligeri hoc factum ponitur poſt mortem Demetrij, quem conſtat adhuc fuiſſe in viuis anno ſequenti. Rectius in Pontaci editione id refertur ad vltimum annum Demetrij.

XVI. *Chronologia Ioſephi vana.*

De tempore indutæ primùm à Ionatha veſtis pontificiæ ita Ioſephus. *His literis acceptis, Ionathas pontificiam ſtolam induit, in ipſo Scenopegiæ feſto, poſt quadrienniū exactum à Iudæ fratris obitu, cum vacaſſet interim ſacerdotium.* Qua in aſſertione multum ille & à veritate aberrat, & à ſeipſo diſſentit. Quomodo enim poſt 4. annos à morte Iudæ induit Ionathas ſtolam pontificiam, cum præſentem hunc annum tam Scriptura, quam Ioſephus ipſe appellent annum regni Græcorum 160. mortuum autem Iudam anno 152. in menſe primo Scriptura teſtetur? [a] Vt non quatuor anni, ſed octo omnino, & ſex menſes ab eo tempore iam abierint. Deinde cum hoc loco dicat ſacerdotium vacaſſe quadriennio, quo iure [b] ait poſt mortuum Alcimum ſiue Ioacimum, per ſeptennium ſine pontifice manſiſſe ciuitatem, donec creatus eſt Ionathas. Omiſſo ſcilicet Iuda, quem ipſemet in fine l. 12. ſcribit per triennium adminiſtraſſe pontificatum; vtro igitur in loco mauult conuinci vanitatis?

Et ſecum pugnans.

[a] 1. Mach 9.3. [b] l. 20. c. 8.

XVII. *Num Ionathas factus à Rege pontifex.*

Sed neque religioſe facit, quod Ionathan ab Alexandro factum pontificem videtur agnoſcere; cum eius pontificatum, quem ait vacaſſe quadriennium, hinc numerare incipiat, dicatque Ionatham poſt acceptas Alexandri literas, quibus dicebatur, *& noſtro ſuffragio hodie te pontificem Iudæorum conſtituimus*, ſtolam pontificiam induiſſe. Neque conſtanter, cum [c] dicat poſteros Aſſamonæorum creauiſſe Ionatham ſummum pontificem, poſtquam à Macedonibus rebellaſſent. Quod ne ſatis quidem vere dicitur. Nam poſtquam ab Epiphane rege Syriæ, duce & impulſore Mathathia, Iudæi rebellarunt, primus dux & pontifex factus eſt Mathathias, deinde Iudas, tertio Ionathas, quarto Simon, quinto Hyrcanus, poſteriore ſemper in demortui locum ſuccedente.

χειροτονῶ σε ἀρχιερέα τῶν Ἰουδαίων. [c] l. 20. c. 8.

XVIII. *Arguitur Scaliger.*

Habes hic eadem opera emendatum Emendatorem temporum, qui dum Ioſephum imprudenter ſequitur, ait Ionathan quatuor annis poſt Iudæ fratris cædem renunciatum ſummum Sacerdotem, atque Ethnarcham Iudæorum. Eodem etiam duce male reprehendit Euſebium, qui ſtatim poſt cędem Machabęi, vult ei fratrem in Ethnarchia, & ſacerdotio ſucceſſiſſe. Id enim rectiſſime factum eſt ab Euſebio, qui vidit Ethnarchiam & Pontificatum his temporibus fuiſſe coniuncta: nec voluit creatum Ionatham pontificem à tyranno, qui ius quod non habuit conferre nō potuit. Male quoque vtrunque ſecutus, Iudæ tres pontificatus annos duntaxat attribuit, cum is tandiu fuerit pontifex, quam diu populi dux: à morte ſcilicet patris ad mortem ſuam, id eſt ab anno regni Græcorum 146. [d] vſque ad initium anni 152. [e] quod interuallum non eſt ſex annorum cum ſemiſſe, vt vult Emendator, ſed quinque annorum, & vnius aut alterius menſis. Nam totus annus 146. tribuitur Mathathiæ ab ipſo Ioſepho; & Scriptura tradit menſe primo anni 152. Iudam in bello occubuiſſe.

1. 2. 3.

[d] 1. Mach. 2.70. [e] 1. Mach. 9.3.

XIX. *Eiuſdem anachroniſmus & ἀνιστορησία.*

Male denique de prædictis donis ab Alexandro miſſis ratiocinatur. Nam in ea verba Euſebij, *Alexander Antiochi, qui Epiphanes cognominatus eſt, filius, Syriæ & Aſiæ imperans, Ionathan corona, & multis inſignibus donis proſequitur*, in ea inquam verba ſic ſcribit. *Duplex error* ἀναχρονισμὸς καὶ ἀνιστορησία, *Anachroniſmus, quod cum hoc acciderit 4. annis poſt Iudæ cædem, ipſe vndecim annis poſterius hoc geſtum facit:* ἀνιστορησία, *quod alio tempore pontificatum iniuiſſe Ionathan, alio coronam illi à Rege Alexandro oblatam exiſtimat*, &c. Vtrunque autem probat ex Ioſepho. Verum, vt ex dictis luce clarius eſt, duplex hic error in eius caput refundēdus eſt; Anachroniſmus quidem, quod cum hoc acciderit nouum annis poſt mortem Iudæ, vt Scriptura perſpicue docet, ipſe maluit cum Ioſepho errare, & 4. annos tantum ponere: ἀνιστορησία vero, quod eodem tempore putarit iniſſe pontificatum, & accepiſſe coronam, quaſi Ionathas à tyranno factus ſit pontifex, & non legitima ſucceſſione, populiq; conſenſu, qui de ducatu habetur, [f] cui eo tempore coniunctus erat pōtificatus, vt toties ex Ioſepho diximus.

XX. *Demetrius rurſū ambit Ionathæ & Iudæorum amicitiam.*

Nunc redeamus ad Demetrium, qui, [g] *vt audiuit verba iſta, contriſtatus eſt nimis, & ait, Quid hoc fecimus, quod præoccupauit nos Alexander apprehendere amicitiam Iudæorum ad munimen ſui?* Mittendis ſcilicet donis, & conferenda pontificia dignitate. Nam alioqui Demetrius anteuerterat Alexādrum in ambienda Ionathæ amicitia.

[f] 1. Mach. 9.30. [g] c. 10. v. 21.

Id confirmat, quod ſubditur. *Scribam & ego illis verba deprecatoria, & dignitates, & dona, vt ſint mecum in adiutorium.* Ad verbum ex Græco, verba exhortationis, dignitatis & donorum; id eſt, quibus ad iungendam mecum amicitiam exhortabor, dignitatem conferam, dona promittam. Et ſcripſit eis in hæc verba. *Rex Demetrius genti Iudæorum ſalutem. Quoniam ſeruaſtis ad nos pactum, & manſiſtis in amicitia noſtra, & non acceſſiſtis ad inimicos noſtros, audiuimus & gauiſi ſumus.* Callida plane captatio hæc beneuolentiæ; falſam eis laudem attribuit, vt putent Iudæi ſe in bona eſſe adhuc apud Demetrium exiſtimatione, eóſque pudeat eam fefelliſſe; & culpam, dum adhuc latere creditur, corrigant. Porro pactum, ſiue pacta, vt eſt in Græco, & apud Ioſephum, accipe tam de nuper datis ad Ionathan literis, quam de pace ante quadriennium inter Bacchidem & Ionathan compoſita. [a]

a c. 9. 70.

XXI. *Quæ ſe remiſſurum ſpondeat.*

Pergit Rex. *Et nunc perſeuerate adhuc conſeruare ad nos fidem, & retribuemus vobis bona, pro his quæ feciſtis nobiſcum: & remittemus vobis præſtationes multas, & dabimus vobis donationes.* Duplex liberalitas in remittendo debita, & vltro donis largiendis. Præſtationes vocat ἀφέματα, dimiſſiones, aut potius res quas præſtare Iudæi obligabantur Demetrio, quas mox recenſet, à quibus eos ſe immunes redditurum promittit, doniſque inſuper affecturum: & ne inania tantum verba ac promiſſa iactare videatur, ſubdit 12. fere capita rerum, quæ ad duo illa ſumma reuocantur, remiſſionum & donationum. Ex magnitudine autem remiſſionum, intelligitur quanta iamdudum ſub profanis regibus ſeruitute premerentur. Primum conſiſtit in tributorum immunitate, quæ ſigillatim explicat in quinque rebus, ſale, coronis, frugibus, pomis, pecoribus.

XXII. 1. *Tributorum immunitate.*

Et *nunc abſoluo vos, & omnes Iudæos à tributis, & pretia ſalis indulgeo, & coronas remitto.* Intelligitur impoſitum vectigal ſalis, & coronarum præbendarum, quod Ioſephi interpres vertit aurum coronarium, quod dudum à prouinciis vltro oblatum, poſtea quaſi debitum exigebatur. Hæc ergo nunc à Demetrio remitti dicuntur, ſicut & tertiæ ſeminum, id eſt frugum, vt Lyranus interpretatur, & Sà. Sed vix credibilis eſt tam dura exactio, vt pro decima quæ dabatur Deo, tertia principi ſolueretur, præſertim cum inferius [b] decimæ tantum fiat mentio. *Et alia*, inquit Rex, *quæ ad nos pertinebant, decimarum & tributorum, ex hoc tempore remittimus eis.* Sumamus ergo proprie Scripturę verba, (etſi Ioſephus, pro σπορᾶ, καρπῶν poſuerit,) quoniam nihil prohibet, dicamúſque verbi gratia, ſi quis duodecim modios tritici ſeminaſſet, debuiſſe in meſſe quatuor modios tritici fiſco tribuere, non autem ſi collegiſſet in meſſe ſexaginta, debuiſſe regi viginti.

b c. 11. 35.

Vt ſeminũ.

XXIII. *An & pomorum omnium.*

Dvrissimvm quoque videtur Iudæos mediam partem pomorum, quæ ex arboribus colligebāt, regiis publicanis perſoluiſſe: ideóque illa verba, *& dimidiam partem fructus ligni, quod eſt portionis meæ, relinquo vobis*, non de omnibus, ſed de certis arboribus, puta oliuis & nucibus, quarum fructus diutius conſeruantur, accipienda ſunt, quarum dimidia pars fructus ad regem pertinebat, reliquis immunibus à tributo; idque confirmat Scriptura, quæ non ait dimidiam partem fructuum, quæ eſt portionis meæ, ſed ligni, quod eſt portionis meæ. Quamquam ſi quis hic contentioſius agere voluerit, hanc ego illi victoriam ſine offenſione remittam.

XXIV. *Ciuitates additæ Hieroſolymis.*

Hoc ergo vectigal *relinquo vobis*, inquit, *ex hodierno die & deinceps, ne accipiatur à terra Iuda, & à tribus ciuitatibus, quæ additæ ſunt illi, ex Samaria, & Galilæa ex hodierna die, & in totum tempus.* Ioſephus pro ciuitatibus habet toparchias, alij præfecturas; ſed res eodem redit, quia in ſingulis toparchiis, ſiue præfecturis erat ciuitas vna metropolis, in qua ius dicebatur, & ad quam cæteræ conueniebant, vt patet apud Liuium l. 45. in quadripertita illa diuiſione Macedoniæ: quo modo poſtea tota illa regio, quam incolebant Iudæi, in tetrarchias Abilinæ, Ituræ, Traconitidis, Galilææ diuiſa eſt; & inſuper Iudęæ proprie dictæ, cui præerat Pilatus. Addit etiam Ioſephus hoc loco prouinciæ Samariæ, & Galilææ, Peræam, quæ eſt prouincia trans Iordanem, vnde & trans amnana dicta eſt. Sicut & Peræa à περᾶν quod eſt tranſire, vel traiicere. Poteſt tamen ſimpliciter accipi verborum ſignificatio, vt dicatur ex prouinciis illis duabus, Samaritide & Galilæa, tres ciuitates fuiſſe Hieroſolymis attributas, ſiue ab Antiocho magno, ſiue à Ptolemæo Philopatore, dum de Syriæ regno inter ſe decertabant: attributæ autem, vt ad prouinciam Iudææ pertinerent, de quibus rurſum agens Demetrius, concedit vt non obediant alij poteſtati, niſi

Luc. 3.

ver. 38.

ſummi ſacerdotis.

XXV. *Et immunitas præſidij.*

SECVNDVM caput Ieroſolymam ipſam reſpicit, cui remittit decimas, & præſidii ſeruitute eam liberat. *Et Ieruſalem ſit ſancta, & libera cum finibus ſuis, & decimæ & tributa ipſius ſint. Remitto etiam poteſtatem arcis, quæ eſt in Ieruſalem, & do eam ſummo ſacerdoti, vt conſtituat in ea viros quoſcunque ipſe elegerit, qui cuſtodiant eam.* Erat ergo adhuc arx Hieroſolymitana in poteſtate Regum Syriæ.

Relaxatio captiuorũ.

Tertium caput, gratuita relaxatio captiuorum. *Et omnem animam Iudæorum, quæ captiua eſt à terra Iuda, in omni regno meo, relinquo liberam gratis, vt omnes à tributis ſoluantur, etiam pecorum ſuorum.* Hæc remiſſio tributi pecorum pertinet ad primum caput, quod autem de captiuis dicitur, in omnem euentum dictum videtur, ſi qui forte captiui etiam tunc erant in poteſtate Demetrij. Nam ante quadriennium, pace inter Bacchidem & Ionathan conſtituta, captiui vtrinq; redditi ſunt, vt habetur. [a] 3.

[a] ca. 9. c. 9. 70. 71.

XXVI. *Permiſſio feſtiuæ quietis.*

QVARTVM caput, permiſſio quietæ celebrationis feſtorum dierum. *Et omnes dies ſolennes, & ſabbata, & neomeniæ, & dies decreti, & tres dies ante diem ſolennem, & tres dies poſt diem ſolennem,* hoc pertinet ad dies qui octiduo celebrabãtur, vt paſchæ tabernaculorum, dedicationis templi &c. *Sint omnes immunitatis, & remiſſionis, omnibus Iudæis, qui ſunt in regno meo, & nemo habebit poteſtatem agere aliquid, & mouere negotia aduerſus aliquem illorum in omni cauſa.* Dies decretos exiſtimo intelligendos eos, qui certis ex cauſis, non à lege & Moyſe, ſed à Iudæis ipſis decreti & conſtituti fuerant, vt in poſterum celebrarentur, vt nuper emundationis templi, & victoriæ Iudith, & Mardochæi &c. His ergo omnibus feſtis diebus, tam à Deo quam ab hominibus inſtitutis, non ſolum concedit liberam vacationem à publicis, communibuſque oneribus omnium ciuium, ſed ne permittit quidem eos ad iudicum tribunalia vlla in cauſa compelli. 4.

XXVII. *Ius honoratæ militiæ.*

QVINTVM caput, ius militiæ, cum priuilegiis & ſtipendiis regiorum militum, ne militia oneri potius eſſet, quam honori. Cum tamen ſocietas nuper inita cum Romanis ferret, vt alteri pro alteris ſuis ſumptibus militarent, *Et aſcribantur, ait rex, ex Iudæis in exercitu regis, ad triginta millia virorum: & dabuntur illis copiæ,* ſiue ſtipendia, *vt oportet, omnibus exercitibus regis, & ex eis ordinabuntur, qui ſint in munitionibus regis magni.* Etſi Rex Perſarum, & ſuperiorum Aſiæ regionum, quaſi proprio titulo Rex magnus appellaretur, vt Nabuchod. [b] vt Artaxerxes, ſiue Aſſuerus. [c] Ita Cyrus, & reges Aſſyriorum, quibus regionibus Demetrius Soter dominabatur: non videtur tamen id ſibi nomen hoc loco vſurpare: præſertim cum in Græcis legatur, ὀχυρώμασι μεγάλοις non βασιλέως μεγάλου. Vult ſcilicet eos cum poteſtate præeſſe munitis vrbibus, & arcibus magni momenti, quæ cum præſidio tenentur. Et hoc pertinet ad Sextum caput, quod eſt de iure gubernandi, & adminiſtrandi negotia regia, in fidei, & honoris argumentum. *Et ex his conſtituentur ſuper negotia regni, quæ aguntur ex fide, & principes ſint ex eis,* id eſt Præfecti & Præſides. 5. 6.

Ius gubernandi.

[b] Iudith. 1. & c. 11. 5.
[c] Eſther. 13. 1. & ca. 16. 1.

XXVIII. *Obſeruandique leges patrias.*

SEPTIMVM eſt de libertate viuendi ex patriis legibus, tam in Iudæa, quam in toto regno. *Et ambulent in legibus ſuis, ſicut præcepit Rex in terra Iuda.* Contra quam ſcilicet nuper edixerat Antiochus Epiphanes: ſicut olim Daniel, etſi præpoſitus 120. prouinciis, non permittebatur pro arbitrio ſuo orare Deum ſuum. [d] quod tamen edictum ad breue duntaxat tempus fuit. 7.

[d] Dan. 6.

Amplificatio dominij pontificij.

Octauum eſt amplificatio dominij ac iuris ſummi pontificis. *Et tres ciuitates, quæ additæ ſunt Iudææ ex regione Samariæ, cum Iudæa reputentur, vt ſint ſub vno, & non obediant alij poteſtati, niſi ſummi Sacerdotis.* Quas ante declararat tributorum immunes, nunc in eas ius ſummum ac regium tribuit Pontifici. 8.

Donat etiã Ptolemaidem.

Nonum eſt donatio Ptolemaidis ciuitatis, & eius agri: in eam quippe infenſus erat, vt quæ prima recepiſſet hoſtem ſuum Alexandrum, qui & regni ſedem ibi collocarat. Itaque eam quaſi proſcriptam Iudæis tradit, ſi forte illam eorum ope recuperare poſſet, vultque redditus illos templi ſumptibus & ſacrificiis addici. *Ptolemaida & confines eius,* agrum illi addictum, & adiudicatum, *quas dedi donum,* donandũ putaui; iam nunc dabat, *ſanctis qui ſunt in Ieruſalem, ad neceſſarios ſumptus ſanctorum.* 9.

ἢ τῶν προσκυρούντων, ſupple χώρα.

XXIX. *Triplex in templum liberalitas.*

DECIMVM caput continet tripertitam munificentiam in templum, & res ſacras Iudæorum; quas cum illi maxime æmularentur, putabat hac maxime via ſe gratiam eorum collecturum. Prima eſt largitio 15. millium ſiclorum, quæ cum ſingula ſemiunciam pendant, valeántque iuxta æſtimationem gallicam 27. ſolid. cum 10.

dimidio, tota ſumma eſt viginti millium ſexcentorum viginti quinq; francorum, ſiue 6875. coronatorum. *Et ego do ſingulis annis quindecim millia ſiclorum argenti de rationibus regis, quæ me contingunt.* In Græco, ex locis quæ me contingunt, quæ ad me
2. ſpectant, quæ proprii iuris ſunt regum Syriæ. Altera liberalitas eſt remiſſio debitorum, quæ vult publicanos Iudæos, qui ſint obnoxii reddendæ rationi, nec regiis quæſtoribus adhuc ſatisfecerint, ea non ærario regio, ſed templo perſoluere Ieroſolymitano. *Et omne quod reliquum fuerit, quod non reddiderant, qui ſuper negotia erant annis prioribus, ex hoc dabunt in opera domus.* Tertia eſt annua largitio quinque millium
3. ſiclorum, id eſt ſex millium octingentorum & 75. francorum, ſiue coronatorum duûm millium ducentorum nonaginta vnius; & 40. ſolid. quæ de templi reditibus quotannis accipiebantur. *Et ſuper hæc* inquit, *quinque millia ſiclorum argenti, quæ accipiebant de ſanctorum ratione per ſingulos annos: & hæc ad ſacerdotes pertineant, qui miniſterio funguntur.*

Remiſſio debitorum.

Et quinque millium ſiclorum.

11. VNDECIMVM caput, Templum Hieroſolymitanum iure Aſyli donatur. *Et quicunque cõfugerint in templum, quod eſt Hieroſolymis, & in omnibus finibus eius, obnoxÿ regi, ad* luendam pœnam, *in omni negotio dimittantur, & vniuerſa, quæ ſunt eis in regno meo, libera habeant.* Vt ſcilicet non ſolum perſonæ, quæ fugerint in templum, violari non poſſint, ſed nec eorum bona, quocunque in loco ſita fuerint.

XXX. *Ius Aſyli templo datur.*

12. DVODECIMVM & poſtremum caput regalium promiſſionum eſt tripertitum. *Ad ædificanda vel reſtauranda opera ſanctorum*, id eſt totius ædificii domus Domini, *ſumptus dabuntur de ratione regis*, 2. *Et ad extruendos muros Ieruſalem, & communiendos in circuitu, ſumptus dabuntur de ratione regis.* Quia ſcilicet audierat Ionathan operam dare reficiendis hiſce muris, vt habetur in hoc ipſo capite v. 10. 3. *& ad conſtruendos muros in Iudæa*, in præſidiis & munitionibus, quæ Iudæis habere placuerit. Nam ſic locum intellexit Ioſephus, *tum ſi quæ ſunt loca*, inquit, *per Iudæam apta ad ſtruendas arces, imponendaque præſidia, & hæc meo ſumptu muniantur.*

Alia triplex promiſſio.

HÆC tam profuga promiſſionum copia, hoc ipſo parum probabilis viſa eſt, quod ab homine proficiſceretur, qui rebus ipſis docuiſſet ſe odiſſe Iudæos. Itaque ſubditur. *Vt audiuit autem Ionathas, & populus ſermones iſtos, non crediderunt eis, nec receperunt eos, quia recordati ſunt malitiæ magnæ, quam fecerat in Iſrael, & tribulauerat eos valde.* Præſertim occiſo à Bacchide Iuda Machabæo, aliiſque cladibus, quæ toto c. 9. memorantur. Repudiato igitur Demetrio, Ionathas Alexandri partibus adhæſit. Qua de re priuſquam dicamus, quæ circa hanc epiſtolam Ioſephus nõ recte commentatur videnda ſunt. Nam vt quæ bene & probabiliter ab eo dicuntur libenter accipimus; ita quæ perperam & contra Scripturam, reprehendimus. Et vt minutiora diſſimulem, quæ addita, detracta, mutata, tranſpoſita, ne infinitus ſim, illa tria non videntur omittenda; Omiſſio donationis Ptolemaidis regiæ vrbis, cum agro ſuo; adiecta prohibitio adeundi religionis cauſa aliud templum à Hieroſolymitano; mutatio quinque millium ſiclorum, in decem millia drachmarum; magno vtique templi diſpendio, nempe totius ſummæ parte dimidia, cum drachma ſit octaua pars vnciæ, ſiclus dimidia. Itaque decem millia drachmarum valent ter mille quadringentis triginta ſeptem francis cum dimidio; quinque autem millia ſiclorum ſex millibus octingentis ſeptuaginta quinque francis.

XXXI. *Iudæi diffidunt Demetrio.*

Male tractat Ioſephus eius epiſtolam.

SEQVITVR in Scriptura victoria Alexandri de Demetrio, eiuſdemque Demetrii cædes: ſed ea ad annum ſequentem pertinet, cum Ioſephus dicat Demetrium annos vndecim regnaſſe, hic autem decimus eſt duntaxat. Profanam ergo hiſtoriam repetamus. Et primum Hiſpanicam, vt quid Marcellus Conſul, quid Attilius Prætor, ille Nobilioris in Celtiberia, hic Mummii ſucceſſor in Luſitania geſſerint hoc anno, ex Appiano petendo, referemus.

XXXII. *Tranſitus ad hiſtoriã profanam.*

Cum ergo M. Claudio Marcello Conſuli Hiſpania citerior obtigiſſet, cum 8. millibus peditum, & quingentis equitibus in prouinciam venit, & vitatis prudenter inſidiis, exercitu incolumi traducto, ad Ocilim caſtra poſuit, eamq. ſtatim ſubegit, vt erat bello felix imperator, acceptiſque obſidibus, & argenti talentis 30. (Atticis vt arbitror, id eſt decies mille & quingentis coron.) ei veniam dedit.

Marcellus in Hiſpania Ocilum ſubegit.

AVDITA hac clementia Nergobriges miſſis legatis quæſiuere, ecquid ſibi quoque, ad pacem obtinendam, agendum foret. Ille 100. equites ſecũ militaturos petiit, quos ſe daturos promiſerunt. Interea alia ex parte extremum Romanorum

XXXIII. *Nergobriges pacem quærunt.*

agmen aggreſſi nonnihil ex ſarcinis diripuerunt. Mox aduenerunt qui centum illos equites ex pacto adducerent; qui de ſarcinis direptis interrogati, reſponderunt nonnullos ignoratione pactorum id admiſiſſe. At Marcellus eos vinciri iuſſit, equoſque vendi. Deinde præda, quam ex peruaſtatis eorum agris contraxerat, inter milites diuiſa, vrbem obſedit. Nergobriges vbi vallo machiniſque admotis, ſua mœnia quati conſpexerunt, præcone miſſo, qui pro caduceo pelle lupi eſſet amictus, veniam erroris petiuerunt. Imperator pacem daturum negat, niſi reliquæ etiam gentes, quæ rebellauerant, peterent.

XXXIV. *Eorum legatio ad Senatum.* QVOD cum illæ facerent, res ad Senatum reiecta eſt, ad quem legati miſſi, cum priuatis Marcelli literis, quibus Senatum hortabatur, vt controuerſias omnes decideret, quoniam cupiebat imperii ſui tempore, huic bello finem imponere. At Senatus indigne ferens, quod ſe Romanis non permiſiſſent, ſicut Nobilior cenſuerat, pacem improbauit; nec aliud legatis reſponſum dedit, quam Marcellum illis declaraturum Senatus voluntatem. Hæc Appianus. At Polybius, qui hanc habet legationem [a] ait Celtiberos cum M. Claudio inducias pactos, legatos Romam miſiſſe. Intereaque illum expeditione facta aduerſus Luſitanos, vrbem Ercobrigam vi cœpiſſe, quam Appianus vocat Nergobrigam, & in Celtiberia ponit, nec captam, ſed obſeſſam; & legatos Romam miſiſſe, ſicut & Aruaccos Bellos & Titthos, quos Polybius vocat Aranacos Bellos & Tingos: tum Marcellum Cordubæ in hybernis fuiſſe; vt mirum ſit eruditiſſimum Sigonium eam vrbem ab hoc Marcello fuiſſe conditam dicere. Quod enim eam Strabo lib. 3. Marcelli opus vocat, de hoc Marcello accipi non poteſt, aut ſi forte id intellexit Strabo, merito à Polybio, qui res ſui temporis ſcribit, corrigendus eſt.

Ex Polybio.

[a] nu. 141.

XXXV. *Aranacorum ſimulatio.* SCRIBIT idem Polybius, Bellos & Tingos fuiſſe ſocios Romanorum, Aranacos autem hoſtes; cumque illis prius datus eſſet Senatus, hortati ſunt Patres ne pacem cum Aranacis facerent; aut retinerent, etiam pace facta, in Hiſpania legiones, alioqui ſe tanquam patriæ proditores, Aranacis prædæ fore: aut certe in cæterorum exemplum, egregie caſtigandos eſſe. Sociis cum hac præmonitione egreſſis.

Aranacæ mox introducti, humili ad ſpeciem oratione apud Patres vtuntur, nihil aliud quam præſens periculum declinare cupientes. Summa porro legationis eorum fuit, vt ſibi aliquid mulctæ nomine, pro admiſſa culpa imperaretur; tum autem fœdus ſibi reſtitueretur, quod Conſule Graccho cum Senatu pepigerant. Vtraque legatione audita Patres eos etiam acciuerunt, quos Marcellus miſerat, quos cum ad pacem proniores eſſe cernerent, & Conſulem hoſtium petitioni potius facere, quam ſociorum: vtriſque reſpondit, eos in Hiſpania à Marcello voluntatem Senatus eſſe intellecturos. Ex quibus intelligimus, Appianum parum aliquando in ſua hiſtoria accuratum videri: quod ex Liuio quoque paſſim notari poteſt: iſtis autem plus eſſe fidei tribuendum, omnes merito fatebuntur.

XXXVI. *Ab Attilio geſta in Luſitania.* SVCCESSOR Mummii M. Attilius incurſione facta ſeptingentos Luſitanos interfecit, exciſaque eorum maxima vrbe, Oxthracas vocitabant, ſic vicina loca terruit, vt omnia deditione acciperet: inter quæ nonnulla erant Vetonum, gentis finitimæ Luſitanis; ſed Attilio in hyberna profecto, omnes illico defecerunt, & Romanorum quoſdam ſubditos obſederunt: ita materia bello in annum ſequentem parata eſt.

XXXVII. *Pax inter Pruſiã & Attalum.* IAM vero quod ad res Aſianas attinet, Senatus, vt ſcribit Polybius n. 136. auditis legatis, qui à Pruſia redierant, tres alios continuo miſit, Appiũ Claudium, L. Oppium, & A. Poſthumium. Hi in Aſiam vbi venerunt, bello finem impoſuerunt, regibus in has pacis conditiones inductis: Pruſias vt Attalo viginti naues tectas confeſtim traderet, talenta quingenta intra viginti annos penderet, id eſt quingenta & viginti quinque millia francorum noſtratium; agrum vterque poſſideret, quem ante hoc bellum obtinebat, Pruſias damna ſarciret agris illata Methymnæorum, Ægienſium, Cumæorum, & Herculæorarum, centumque illis talenta ſolueret, id eſt 105000. francorum, agendo vtrobique de talentis Atticis. Eo fœdere ſcripto, Attalus nauales terreſtreſque copias domum reduxit.

XXXVIII. *Carthago bellum Punicum parat.*

CARTHAGINIENSES iamdudum fatigati Maſaniſſæ iniuriis, & iniquis Romanorum iudiciis, bellum parabant. Ad hunc enim annum pertinent, vt Sigonio placet, in anno Vrbis Conditæ ſexcenteſimo quarto, illa ex Epitome quadrageſima octaua. *Semina tertii belli Punici referuntur. Cum in finibus Carthaginenſium maxemus Numidarum exercitus, duce Archobazane Scyphacis nepote diceretur eſſe, M. Porcius Cato ſuaſit vt Carthaginenſibus, qui exercitum, ſpecie contra Maſaniſſam regem, ſed reuera contra Romanos, accitum in finibus haberent, bellum indiceretur. P. Cornelio Naſica contra dicente, placuit legatos mitti Carthaginem, qui ſpecularentur quid ageretur. Caſtigato Senatu Carthaginenſium, quod contra fœdus exercitum, & nauales materias haberent, pacem inter Maſaniſſam, & eos facere voluerunt, Maſaniſſa agro, de quo lis erat, cedente. Sed Giſgo Amilcaris filius, homo ſeditioſus, qui tunc in magiſtratu erat, cum Senatus pariturum ſe iudicio legatorum dixiſſet; ita bellum ſuadendo aduerſus Romanos concitauit, vt legatos, quo minus violarentur, fuga explicuerit. Id nunciantes, infeſtum iam Senatum Carthaginienſibus, infeſtiorem fecerunt.*

XXXIX. *Funus iunioris Catonis.*

ADDIT idem Florus conſequenter Catonem maiorem filium ſuum Prætorem morte ſublatum, ſumptu pro ſua paupertate tenuiſſimo tumulaſſe. De filio Catonis in Prætura mortuo author quoque Plutarchus in Catone maiore. Verum quod ad tenue funus Catonis, id conſilio potius, quam neceſſitati tribuendum videtur. Nam Lælius apud Ciceronem de Senectute. *Forte dixerit quiſpiam*, inquit, *tibi propter opes & copias, & dignitatem tuam tolerabilem ſenectutem videri: id autem non poſſe multis contingere.* Quod mox Cato ipſe non diffitetur. De funere autem filii ſui, agit idem in extremo libro, innuitque patrem cito filii mortem conſecutum. *Proficiſcar*, inquit, *ad Catonem meum, quo nemo vir melior natus eſt, nemo pietate præſtantior: cuius à me corpus crematum eſt, quod contra decuit ab illo meum. Animus vero non me deſerens, ſed reſpectans in ea profecto loca diſceßit, quo mihi ipſi cernebat eſſe veniendum.* Et mox, *In eo caſu me ipſe conſolabar, exiſtimans non longinquum inter nos digreſſum, & diſceſſum fore.* De tempore autem mortis Catonis maioris, alio iam loco dictum eſt.

XL. *Pſeudophilippi initia.*

SVB hæc poſtrema Demetrii Soteris tempora, exortus eſt in Aſia Andriſcus quidam, de quo deinceps plura dicentur. De illo in Epitome quadrageſima nona Liuii ita ſcriptum eſt. *Andriſcus quidam vltimæ ſortis homo, Perſei regis ſe filium ferens, & mutato nomine Philippus vocatus, cum ab vrbe Roma, quò illum Demetrius Syriæ rex, ob hoc ipſum mendacium miſerat, clam profugiſſet &c.* Subdit fuſius illum finxiſſe, ex pellice ſe Perſeo rege ortum, traditum Cyrtheſæ cuidam educandum in omnem belli euentum, quod ille cum Romanis gerebat. Poſtquam autem parentes ſuos didiciſſet, metu Eumenis Perſei inimici, ad Demetrium, à quo auxilium aliquod ſperabat, in Syriam ſe contuliſſe, ibique primũ expromere auſum, quis ipſe omnino eſſet. Sed cum ea res directe Romanorum imperium peteret, cui ſe valde charum eſſe cupiebat Demetrius, vt illi gratificaretur, hominem comprehenſum Romam miſit. Inde fuga ſecuta eſt, de qua ſuo loco dicetur.

ANNUS MUNDI 3903. SEXTÆ ÆTATIS 387.

REGNI GRÆCORUM 161. DEMETRII SOTERIS 11. ET ULT.
Alexandri Balæ 1. Ionathæ ducis et Pontificis
10. Ptolemæi Philometoris 29. Olympiadis
CLVII. an. 2. Urbis Conditae 602. Coss.
L. Licinio Lucullo, & A. Posthumio Albino. Belli
Celtib. 3.

ANNUS ANTE CHRISTUM 150.

I. *Periodus regni Demetrij.*

TRES ſunt de annis regni Demetrii ſententiæ, extremæ duæ, altera media, quam putamus eſſe veriſſimam. Eſt ergo extrema vna Polybii, ſub initium l. 3. Demetrius, inquit, Seleuci filius cum annos duodecim regnum Syriæ tenuiſſet, cæteris regibus in ipſum conſpirantibus, vita ſimul cum regno priuatus eſt. Totidem ei tribuit Euſebius in chronico, & Sulpitius Seuerus l. 2. hiſtoriæ ſacræ; eos ſequuntur Bellarminus, Scaliger, Caſaubonus. Altera extrema eſt Gordoni, Samerii, Genebrardi, Temporarii, & vt videtur Mercatoris; qui nouem illi annos aſſignant, ſecuti, vt videri poteſt Scripturam, quæ cum illum regnare cœpiſſe dicat anno 151. regni Græcorum, anno 160. ei ſucceſſorem Alexandrum videtur dediſſe.

II. *Verior ſententia.*

MEDIA ſententia eſt Ioſephi. [a] *Hic fuit*, inquit, *finis Demetrii, poſt exactum regni annum vndecimum, ſicut in aliis commentariis iam ante demonſtrauimus.* Sic ibi. Verum non ſatis exacte interpres. Non enim, ait Ioſephus exactum vndecimum, quaſi duodecimum attigerit, ſed tantum cum regnaſſet annos vndecim, ſcilicet inchoatos, idque in primis Scripturæ conſentaneum eſt, [b] quæ ait eum regnare cœpiſſe anno regni Græcorum 151. quem primum annum diximus ibi ad ipſum maxima ex parte pertinere. Alexandrum autem ei ſuſcitatum æmulum anno centeſimo ſexageſimo; [c] cuius anni quod reliquum fuit contrahendis vndique copiis, & ſociis poſitum eſt, vt ſub huius anni primordia, quando ſolent reges ad bella procedere, prælio inito Demetrius pugnans occumberet. Sicque ſtabit Ioſephi ſententia de vndecimo eius regni anno ſaltem inchoato: quam probat, & ſequitur Auguſtinus Torniellus, anno ſextæ ætatis 457. Caluiſius, Capellus, qui eius mortem in 161. regni Græcorum conferunt. Nec ab hac ſententia diſſentiunt, qui huic Demetrio annos decẽ tribuunt, vt Functius: initium quippe ſequentis vndecimi ad Alexandrum referunt, quem nos quoque primum eius ponimus: nam dum vixit Demetrius, Alexandro tyranno regnum adſcribendum non eſt. Hæc de tempore.

[a] l. 13 c. 5. in fi. [illegible]
[b] l. 1. c. 7. v. 1
[c] c. 10. v. 1.

III. *Mors Demetrii Soteris.*

DE morte quoque Demetrii Appianus in Syriacis diuerſa videtur à cæteris referre: ab Alexandro videlicet, regno expulſum, & in exilio defunctum eſſe; ſed ea ſententia interpretis eſt, non Appiani; qui ait tantum Demetrium regno excidiſſe, & mortuum eſſe; ἐξέπεσε τῆς ἀρχῆς, καὶ ἐτελεύτησε At Ioſephus, Iuſtinus, Polybius, Sulpitius, in prælio occiſum ſcribunt, cũ Scriptura ipſa, cum qua huius cædis narratio, paulo altius repetenda eſt.

Iudæi illi præferunt Alexandrum.

Et complacuit eis, inquit illa, *in Alexandrum, quia ipſe fuerat eis princeps ſermonum pacis, & ipſi auxilium ferebant omnibus diebus*, quibus ſcilicet rerum potitus eſt Alexander, quod tempus Sulpitius quinquennio definit, ea de re nos in eius morte dicemus, ſed quomodo princeps ſermonũ pacis Alexander? Nonne prior de pace egit Demetrius? imo iam à quatuor annis inita erat, vt diximus. Emanuel Sa, & Dionyſ. id interpretantur, quod primus egerat

cum ipſis bona fide, Græce ἀρχηγὸς, dux, author: forte ſecretis iam nunciis egerat cum Ionatha, quando Demetrius exiſtimauit ſe Alexandrum occupare, atque anteuertere.

1. Matth. 10.48. E**t** *congregauit Rex Alexander exercitum magnum, & admouit caſtra contra Demetrium. Et commiſerunt prælium duo reges, & fugit exercitus Demetrii, & inſecutus eſt eum Alexander, & incubuit ſuper eos*, præualuit ſcilicet Demetrio, eiuſque copiis, quas ante verterat in fugam. *Et inualuit* aut perdurauit *prælium nimis, donec occidit Sol:* de regno quippe Aſiæ ac Syriæ acquirendo, retinendoque agebatur: *& cecidit Demetrius in die illa*, & cum regno vitam pariter amiſit. Vnicum prælium ponit Scriptura, Iuſtinus l. 35. vt videtur geminum. *Quamquam*, inquit, *Demetrio nec animus in propulſando bello defuit. Nam & primo prælio hoſtem fugauit; & regibus bellum reſtituentibus, multa millia cecidit in acie. Ad poſtremum tamen inuicto animo inter confertiſſimos hoſtes fortiſſime dimicans, cecidit*; verum primum prælium interpretari poſſumus primum conflictum, ſiue impetum prælii. Id perſpicue ex Ioſepho intelligitur. IV. *Clades Demetrii, & cades. Ex Scriptura. Iuſtino.*

l.13 c.5. A**lexander**, inquit, *Rex magnis copiis contractis, tam è mercenario milite, quam eo, qui in Syria defecerat à Demetrio*, addere potuit auxilia Ægypti, Pergami, & Cappadociæ, quæ Ptolemæus, Attalus, & Ariarathes ſubmiſerant, *omnes in hoſtem duxit, collatiſque ſignis ſiniſtrum cornu Demetrii appoſitam ſibi aciem terga coegit vertere: hærenteſque diu fugientium veſtigiis, etiam caſtra eorum diripuerunt. At dextrũ cornu, in quo Rex ipſe pugnabat, compulſum eſt loco cedere, & reliquis effuſe fugientibus, Demetrius fortiter decertans alios hoſtium occidit, alios non ſuſtinentes ipſius impetum perſequens, abreptus eſt cœnum quoddam profundum, & tranſitu difficile, vbi prolapſo equo omni effugio deſtitutus, ab occurrentibus oppreſſus eſt. Circundatum enim corona confixerunt iaculis: at ille etiam pedes generoſe repugnabat, donec crebris vulneribus confectus ſuccubuit.* Hæc Ioſephus, qui eum paulo ante otioſæ ſegniciei accuſarat. V. *Ex Ioſepho.*

V**ictor** Alexander deſiderans partum ſibi regnum Syriæ confirmare, potentis Aegypti regis affinitatem ambiuit. *Itaque miſit Alexander*, vt ait Scriptura, *ad Ptolemæum regem Aegypti legatos, ſecundum hæc verba, dicens. Quoniam regreſſus ſum in regnum meum, & ſedi in ſede patrum meorum, & obtinui principatum, & contriui Demetrium, & poſſedi regionem noſtram, & commiſi pugnam cum eo, & contritus eſt ipſe, & caſtra eius à nobis, & ſedimus in ſede regni eius.* Pacificum ſe regni poſſeſſorem vult oſtendere, vt facilius Ptolemæi affinitatem impetrare poſſit. *Et nunc* inquit, *ſtatuamus ad inuicem amicitiam, & da mihi filiam tuam vxorem, & ego ero gener tuus, & dabo tibi dona, & ipſi digna te*: antidora videlicet regiæ dotis. VI. *Alexãder Aegypti affinitatem quærit.*

H**æc** oratio in multa eorundem verborum repetitione, ſatis indicat hominem lætitia ac vanitate tumentum, & pene ebrium ob inſperatam atque immeritam felicitatem. Cum autem ſcripta ſit ad Ptolemæum, qui dicitur à Iuſtino vnus fuiſſe eorum, qui ſubornarũt Prompalum aduerſus Demetrium, id valde eam ſententiam infirmat atque debilitat. Quomodo enim ita ſcriberet ad eum, qui eſſet totius fabulæ conſcius & adminiſter? aut ſi dicas ita illum, & mox Ptolemæum ipſum diſſimulata veritate, ſcripſiſſe, num veriſimile eſt Ptolemæum homini ſtirpis incertæ, aut de fæce populi filiam ſuam in matrimonium daturum fuiſſe? Itaque longe credibilius arbitror, vt ante dixi, eum Epiphanis filium fuiſſe, ſed illegitimum, ex Bala quapiam fidicina, aut ſaltatrice genitum, aut potius concubina. VII. *Quomodo id probabile ſit.*

E**t** *reſpondit Rex Ptolemæus, dicens, Felix dies in quâ reuerſus es ad terram patrum tuorum, & ſediſti in ſede regni eorum*, Antiochi ſcilicet Magni, & Epiphanis, *& nunc faciam tibi quod ſcripſiſti; ſed occurre mihi* venienti *Ptolemaidam, vt videamus inuicẽ nos, & ſpondeam tibi ſicut dixiſti*, id eſt, dem tibi ſponſam filiam meam, aſciſcam te mihi generum ſicut petiſti, ἐπιγαμβρεύσω σε. Recte verbo ſpondere vſus eſt, eſt enim ſpondere parentis, ſicut viri deſpondere, quæ ſignificatio bonis autoribus vſitata eſt, indeque nomina ſponſi & ſponſæ, & ſponſaliorum, & ſponſandi. Cæterum hæ nuptiæ, non ante ſequentem annum celebratæ ſunt, vt mox eodem loco dicitur, itaque ea narratio ad ſequentem annum differatur. VIII. *Ptolemæus ſpondet filia nuptias.*

n.141. Q**vod** ad res Hiſpanicas attinet, ſcribit Polybius, ita remiſſos Hiſpanorum legatos ad Marcellum, vt quoniam exiſtimabant eum metu bellum refugere, IX. *Hiſpanum bellum plerique refugiunt.*

gatis ſuis arcana darent mandata, vt bellum fortiter, atque vt Romanos decebat, gererent. Decreta autem continuatione belli, quia virtuti Marcelli diffidebant, ante omnia de mittendo alio duce cogitarunt; iam enim noui Coſſ. inierant, A. Poſthumius, & L. Licinius Lucullus. Ergo omni ſtudio bellum apparant, vt ei finem imponant: ſed quo maiore ſtudio in delectum incumbitur, hoc magis à profitendis nominibus plerique omnes abhorrent, & ineptas excuſationum cauſas comminiſcuntur. Metum incutiebat Marcelli metus; quanquam ille non belli metu pacem quærebat, ſed triumphi deſiderio de Hiſpania pacata.

Num & Marcellus.

X. *Minor Africanus ſe offert.* *Aliosque exſuſcitat.*

Incvtiebant & Q. Nobilioris milites, qui formidoloſa inde referebant, vt nihil ſimile vnquam accidiſſe ſeniores affirmarent. Tandem cum neque Senatus, neque magiſtratus haberent, quo ſe verterent, P. Cornelius Africanus, ætate iuuenis, probitatis & temperantiæ laude inſignis, quique belli ſuaſor fuerat, ſurgit è medio, dixitque ſiue Tribunum, ſiue legatum vellent ſe mittere in Hiſpaniam, cum Conſulibus ſe iturum; etſi in Macedoniam nominatim, ad quaſdam controuerſias componendas vocaretur, & ſecuritatem atque vtilitatem priuatam, Reip. temporibus poſthabiturum. Excepta eſt magna omnium approbatione eius oratio, quæ res iuuentutem commouit, vt deinceps cateruatim nomina profiterentur. Hæc fere Polybius.

Appianus ait milites ſorte fuiſſe vocatos, cum prius deligerentur, Scipionemque fuiſſe Lucullo Conſuli legatum, Scipionem inquam illum, qui Aemylianus dictus eſt, quem Carthago mox, & Numantia illuſtrarunt.

XI. *Marcellus bellum finit in Hiſpania.* *Naufragio perit.* *Et tertium triumphat.*

Dvm hi ad bellum proficiſcuntur, Marcellus omni ſtudio conabatur ante Luculli aduentum bello finem imponere, & Celtiberis perſuadere, vt ſe ſuaque omnia arbitrio ſuo permitterent; quod cum Numantini feciſſent, acceptis quos imperarat obſidibus, ac pecuniis, cunctos liberos dimiſit; hoc pacto priuſquam Lucullus acceſſiſſet Bellorum, Titthorum, & Aruacorum bellum extinctum eſt. Narrat Poſidonius, inquit Strabo l. 3. M. Marcellum exegiſſe è Celtiberia tributum ſexcentorum talentum. Quod argumento eſt, inquit, Celtiberos & populoſam fuiſſe gentem, & pecunioſam, quamquam ſolum incolerent vtcunque incommodum. Triumphaſſe Marcellus de Celtiberis creditur, quoniam tres eius triumphi, ſicut & conſulatus celebrantur. Scribit tamen Pedianus eum ad ipſam Africam, paulo ante cœptum tertium bellum Punicum, naufragio periiſſe; eo fortaſſe in reditu ex Hiſpania tempeſtate proiectum. Quod vero Polyb. eum timiditatis habuit, non arguit M. Tullium ſibi ſubſcribentem, qui de eo in Piſonem, M. inquit Marcellus, qui ter conſul fuit, ſumma virtute, pietate, gloria militari, periit in mari, qui tamen ob virtutem in gloria, & laude viuit.

XII. *Luculli crudelis auaritia in Vaccaeos.*

At Lucullus tum gloriæ, tum rei familiaris, quam anguſtam habebat, augendæ auidus, vt inquit Appianus, vltro Vacceis bellum intulit, nullo mandato Senatus, nulla iniuria prouocatus: & cum poſt aliquas velitationes ad Caucam vrbem, ciues pacem petiiſſent, eamque obtinuiſſent datis obſidibus, ac centum argenti talentis, vrbem ingreſſus eam cædibus implet, ac diripit, perfidiam Romanorum, ac crudelitatem deteſtantem.

Res geſta ad Intercatiã. Scipionis fortitudo & fides.

Inde Intercatiam vrbem aggreſſus, eam tametſi fame, atque omnibus belli malis afflictam, nullo modo ad deditionem ſibi faciendam adducere potuit. Ibi Scipio iuuenis Barbarum armis & membris inſignem, Romanos ad ſingulare certamen crebro prouocantem, & antiquum Goliathum ſuperbia referentem, ad certamen progreſſus interemit, ſuiſque animos addidit; quod Velleius quoque ſcriptum reliquit. Addit Florus in Epit. in expugnatione captæ vrbis maius etiam periculum adiiſſe, quod primus omnium murum tranſcendiſset; ſed vtrum de Intercatia intelligat incertum eſt. Id enim Appianus non habet, ſed diſiectos potius machinis muros, Romanos irruẽtes vi repulſos, tandemq. obſeſsos fidei ſe Scipionis commiſiſse. A quo bellum his conditionibus diremptum eſt, vt Intercatii Lucullo darent ſex millia ſagorum, pecudum certum quendam numerum, obſides quinquaginta. Auri atque argenti, cuius gratia, quod Hiſpaniam iis abundare credidiſset, bellum intulerat, & ob inopiam, & quod in pretio apud gentem illam non eſset, nihil eſt datum.

XIII. *Lucullus Palantiã male rem gerit.*

Postremo Palantiam itum eſt (ea quoque ciuit. s Vaccæorum eſt in Tarraco-

nenſi, vrbem nobilem, in quam plurimi confugerant. Ea de cauſa quidam monebant Lucullum, vt intentato oppido abſcederet, ſed homo auarus ab vrbe, quam locupletem eſſe inaudierat, non ante abſtrahi potuit, quam crebris Palantinorum equitum incurſibus frumentari prohibitus, commeatus inopia regredi coactus eſt, vrgentibus à tergo & inſequentibus Palantinis, donec ad Dorium flumen paruentum eſt. Inde Palantinis domum regreſſis, Lucullus in Turdetania hybernauit. Hoc modo confectum eſt Vaccæorum bellum; quod quamuis Lucullus iniuſſu populi Romani ſuſcepiſſet, geſſiſſetque, nunquam tamen ob id, ne in iudicium quidem vocatus eſt. Hactenus Appianus de Lucullo, niſi quod aliquanto poſt addit, cum quatuor Luſitanorum millia, qui loca Turdetaniæ proxima inuaſerant, occidiſſe, & circa Gades ad mille quingentos fudiſſe, & infinitam hominum multitudinem cepiſſe. Denique Luſitaniam ingreſſum carptim depopulatum eſſe. *In Luſitanos non male.*

XIV. *Galba immanis in Hiſpanis crudelitas.*

INTEREA Seruilius Galba Prætor, qui Attilio ſucceſſerat, cum præpropere cum fatigato exercitu hoſtem fugatum perſequitur, ſeptem ſuorum millia amiſit. Inde in Cuneis hyemauit. Ad quem cum legati veniſſent, ſeque dicerent velle ea fœdera firmare, quæ paulo ante cum Attilio inita violarant; placide quidem illos excepit, fidemque dedit, ſimulans ſe eorum vicem dolere, qui ob terræ ſterilitatem ad latrocinia adigerentur: promittit terram opulentam, ſi amici eſſe voluerint. Perſuaſos tres in partes diuiſit, & primam partem exarmatam circumuentam, crudeliter ac perfide concidit. Eodem modo ſecundos & tertios priuſquã aliquid de ſociorum clade inaudiſſent, ſumma celeritate deleuit, Deûm atque hominum fidem implorantes, & Romanorum perfidiam deteſtantes.

XV. *Viriathus exoritur.* *Galba accuſatur à Catone.*

EVASERE tamen ex illis pauci, in quibus Viriathus, qui mox non paucis Romanos affecit detrimentis: cumque Galba ditiſſimus eſſet, & nihilominus Lucullum auaritia ſuperaret, in iudicium tractus, diuitiarum præſidio euaſit. Hic eſt quem M. Cato nonageſimum annum agens, ad populi iudicium adduxit, vt ait Titus Liuius l. 39. ex quo Plutarchus in eius vita, eumque non Seruilium, ſed Sergium vocant. At diſſentire videtur Cicero, qui eum anno ante quam moreretur, inducit dicentem ſe quartum annum & octogeſimum agere; nunc ergo octogeſimum tertium agebat. Mortuus eſt enim ipſo primo anno 3. belli Punici, Vrb. Cond. 604. vt ex Velleio conſtat, Cenſorino & Manilio Coſſ. Et de Hiſpanicis rebus hoc anno ſatis.

XVI. *Diſpoſitio ad bellum Punicum.*

DE Punicis autẽ, illud ad belli diſpoſitionem contra Carthaginenſes pertinet, quod his Coſſ. vt Sigon. quoque opinatur, Guluſſa Maſaniſſæ filius denunciauit Carthagine delectus agi, claſſem comparari, & haud dubium bellum ſtrui. Cum Cato ſuaderet, vt iis bellum indiceretur, Scipione Naſica dicente nihil temere faciendum, placuit decem mitti legatos exploratum: qui eo mature profecti, ſequentibus Coſſ. redierunt: fuiſſe Catonem in his legatis, ſentit Plutarch. in eius vita. Appianus in Punicis ait Scipionem à Lucullo miſſum in Numidiam ad Maſaniſſam, vt ab eo Elephantos obtineret, & cum iis in Hiſpaniam rediiſſe.

ANNVS MVNDI 3904. SEXTÆ ÆTATIS 338. REGNI GRÆCORVM 162. ALEXANDRI BALÆ 2. IONATHÆ DVCIS ET PONTIFICIS 11. PTOLEMÆI PHILOMETORIS 30. OLYMPIADIS CLVII. AN. 3. VRBIS CONDITAE 603. COSS. T. QVINTIO FLAMININO M'. ACILIO BALBO. BELLI CELTIBERICI 4.

ANNVS ANTE CHRISTVM 149.

I. *Nuptiæ Alexãdri & Cleopatræ.*

CELEBRATÆ ſunt hoc anno nuptiæ inter Alexandrum Balæ, & Cleopatram filiam Philometoris. Rem Scriptura explicat in hæc verba. *Et exiuit Ptolemæus de Aegypto, & Cleopatra filia eius, & venit Ptolemaidem, anno centeſimo ſexageſimo ſecundo. Et occurrit ei Alexander rex, & dedit ei* Ptolemæus *Cleopatram filiam ſuam. Et fecit nuptias eius Ptolemaidæ, ſicut reges in magna gloria*: conuiuiorum ſcilicet, ludorum, certaminum, ſpectaculorum, & conuentu virorum principum, in quibus Ionathas dux & pontifex Hebræorum. Nam ſubdit Scriptura. *Et ſcripſit Rex Alexander Ionathæ, vt veniret obuiam ſibi*, inuitatus ſcilicet ad nuptias honoris cauſa. Nimirum occurrerunt ſibi duo reges, profecti è ſuo quiſque regno, cumque media eſſet Iudæa, occurrit vtriſque Ionathas, & cum vtriſque Ptolemaidem profectus eſt, *& dedit illis argentum multum, & aurum, & dona, & inuenit gratiam in conſpectu eorum.* Additur in textu Græco Ionathæ liberalitas erga regum amicos, ſed idem & de regina intelligendum eſt.

II. *Et fit ex accuſatione glorioſior.*

Ecce autẽ nouam in Ionathã & minacem nubem, ſed quæ ſtatim diſſipata eſt. Nam *conuenerunt aduerſus eum viri peſtilentes ex Iſrael, viri iniqui interpellantes aduerſum eum.* Apparet hos fuiſſe de apoſtatis, quos Ionathas perſequebatur, quem illi viceuerſa calumniis apud nouum regem opprimere conabantur: ſed ipſe inſtar palmæ conſurrexit altius, & factus eſt ex accuſatione glorioſior. Nam *non intendit ad eos rex, & iuſsit ſpoliari Ionathan veſtibus ſuis, & indui eum purpura, & ita fecerunt, & collocauit eum rex ſedere ſecum,* quaſi eiuſdem conſortem imperii. *Dixitque principibus ſuis. Exite cum eo in medium ciuitatis, & prædicate, vt nemo aduerſus eum interpellet de vllo negotio, nec quiſquam ei moleſtus ſit de vlla ratione. Et factum eſt, vt viderunt, qui interpellabant gloriam eius quæ prædicabatur, & opertum eum purpura, fugerunt omnes;* ne ſcilicet pro autoritate ſua iuſtis eos pœnis affici curaret.

III. *Vehementius honoratur ab Alexãdro.*

Et *magnificauit eum rex, & ſcripſit eum inter primos amicos, & poſuit eum ducem & participem principatus*, non quidem regni ſui ſocium, ſed quaſi proregem in omni regione Iudæorum, quæ regi Syriæ ſubeſſet; quidam interpretantur tribunum militum, at in Græco non dicitur χιλιάρχης, ſed μεριδάρχης. *Et reuerſus eſt Ionathas in Ieruſalem cum pace, & lætitia.* Eadem habet Ioſephus valde fideliter, niſi quod pro ſua in Ionathan beneuolentia, non contentus eum inter primos Alexandri amicos numerare, primum omnium conſtituit: legit videlicet non τῶν πρώτων φίλων, ſed τὸν πρῶτον φίλων. Sed minuta mittamus. l. 13. c. 7.

IV. *Vetilius Hiſpanos in arctum cogit.*

Celtibericvm bellum langueſcens, Viriathi induſtria renouatum eſt. Nam, vt ait Appianus, non multo poſt Hiſpani, quos Luculli & Galbæ perfidia reliquos fecerat, ad decem millia congregati, Turdetaniam incurſionibus vaſtarunt. Aduerſus quos Roma miſſus eſt C. Vetilius Prætor, cum nouis copiis, quibus, additis quæ erant in Hiſpania, exercitum decem millium confecit; cumque in pabulatores hoſtium incidiſſet, multis necatis reliquum exercitum in arctum compulit locum, in quo aut fame moriendum erat, aut hoſti deditio facienda. Et iã

fieri cœperat, cum Viriathus, qui inter eos erat, & nuper Galbæ cruentas, & perfidas euaſerat manus, ſingulos Romanorum perfidiæ admonere cœpit, docuitque illum ipſum exercitum nihil aliud eſſe, quam reliquias periurii Luculli & Galbæ. Ad extremum ſi pareant ſibi, tutum ſe ipſis ex eo loco receptum daturum.

V. *Viriathus dux fit eorum, quos & liberat.*

HIS verbis permotis, & in ſpem erectis omnium animis, omnium cõſenſu dux eligitur. Ac primum omnes tanquam ad pugnam inſtructos in fronte collocat, deinde iubet, vt cum ipſe in equum conſcenderit, in varias diſperſi partes, diuerſis itineribus Tribolam, quam celerrime fugiant, ibique ſe opperiant. Interea mille ſelectos, qui ſecum in acie ſtarent, retinet, & equum conſcendit, ſtatimque reliqui ex condicto fugam corripuere. Vetilius ita diſſipatos perſequi veritus, qui Viriathum cerneret ſtantem cum globo ſuo, & occaſioni rei gerendæ imminentem, illum adoritur. At ille velocitate equorum variis curſibus, recurſibuſque totum diem eludens, tutum ſuis receptum dedit. Tum & ipſe deuiis itineribus nocte Tribolã peruenit: Romanis propter grauem armaturam, & locorum ignorantiam ſubſequi nõ valentibus. Ita Viriathus, cum ex inſperato exercitum incolumen è ſummo diſcrimine eripuiſſet, plurimum ſibi gloriæ, & virium adiunxit, quarum præſidio triennium totum aduerſum Romanos bellum ſuſtinuit.

VI. *Vetilium Prætorem ſuperat, & interficit.*

VETILIVS Viriathum perſequẽs Tribolam ibat; verum inter eũdem dum ſyluã quandam ſuperat, conuerſus Viriathus, qui diſceſſum ante ſimulabat, à fronte Romanis obſiſtit, ſtatimque qui in inſidiis erant exilientes à tergo Romanos inuadũt. Tum occiſi multi, multi in valles præcipitati, viui etiam non pauci in manus hoſtium venere. Inter alios Vetillus Prætor, quem qui cœperat, quia ſenex erat, & obeſo corpore, tanquam hominem nihili interfecit. At Diodorus captum à Viriatho & gladio cæſum ait. Ex decem millibus Romanorum vix ſex millia Carpeſſum profugerunt. Quos ex fuga receptos, Vetilii Quæſtor per mœnia diſponit adhuc trepidantes; ac quinque millia ſociorum, quos à Bellis Titthiſque impetrauerat, obuiam Viriatho miſit; quos ita ille cecidit, vt ne nuncius quidem cladis ſuperfuerit. Exinde Quæſtor intra vrbem quietus auxilium Roma expectabat, quod ſequenti anno C. Plautius attulit.

in frag. l. 33. eclog. 5. — *Eiuſdem Quæſtorem clade afficit*

VII. *Deliberatio de bello Africano.*

INTEREA Acilio & Flaminino Conſulibus, legati decem ex Africa, cum Carthaginenſium oratoribus, & Guluſsa Maſaniſſæ filio redierunt; dixeruntque & exercitum & claſſem ſe Carthagine deprehendiſſe. Perrogari ſententiam placuit, Catone & aliis principibus Senatus ſuadentibus, vt in Africam confeſtim tranſportaretur exercitus, Scipio Naſica negauit ſibi adhuc iuſtam belli cauſam videri. Itaque placuit vt à bello deſiſteretur, ſi Carthaginenſes claſſem exuſſiſſent, & exercitum dimiſiſſent; ſin minus, proximi Coſſ. de bello Punico referrẽt. Huc pertinet illud Plinii. Cato, ait, perniciali odio Carthaginis flagrans, nepotumque ſecuritatis anxius, cũ clamaret omni Senatu Carthaginem delendam, attulit quodam die in Curiã præcocem ex ea prouincia ficum, oſtendenſque Patribus, interrogo vos, ait, quandudũ hoc pomum demptum putetis ex arbore; cum inter omnes recens eſſe conſtaret. At qui tertium inquit ante diem ſcitote decerptum Carthagine; tam prope à muris habemus hoſtem: ſtatimque ſumptum eſt Punicum tertium bellum, quo Carthago deleta eſt, quanquam Catone anno ſeq. rapto. Ita Plinius. Ficuum meminit etiam Plutarchus in Catone maiore.

l. 15. c. 18.

VIII. *Tempus mortis Catonis maioris.*

AT conſtat ex Velleio illũ anno proximo, qui eſt V. C. 604. L. Cenſorino, & M. Manilio Coſſ. mortem obiiſſe. Idque confirmatur à M. Tullio ſub perſona Lælii. nã hoc anno fingitur ſermo à Catone habitus de Senect. vt patet ex lib. de Amicit. *Senectus enim*, ait Lælius, *quamuis non ſit grauis, vt memini Catonẽ, anno antequam mortuus eſt, mecum & cum Scipione diſſerere, tamen aufert eam viriditatem*, &c. His quæ de Catone diximus conſentanea ſunt illa apud Ciceronem. *Bella, ait, non gero, at Senatui quæ ſunt gerenda præſcribo; & Carthagini male iam diu cogitanti, bellum multo ante denuncio, de qua vereri non ante deſinam, quam illam exciſam eſſe cognouero. Quam palmam vtinã dii immortales Scipio tibi reſeruent, vt aui reliquias perſequare, cuius à morte ſextus hic & 30. annus eſt.* Ita Cic. quæ confirmant, quæ à nobis de eius morte dicta ſunt, anno V. C. 566. mortuum videlicet anno 568. Ap. Claudio Pulchro, & M. Sempronio Tuditano Coſſ. qua de re ibi quoque diximus.

l. de Senectute.

IX. *Pœni cum Maſaniſſa bellum gerunt.*

INTEREA Carthaginenſes aduerſum fœdus bellum Maſaniſſæ intulerunt; à quo etſi ſecũdum & nonageſimum annum agente, victi ſunt. Hæc Florus Epit. 48. Appianus autem, ipſe primo mane, inquit, inſtruebat aciem octoginta octo annos natus, adhuc tamen eques validus, non ſtratum equum more patrio ſolitus inſcendere, & militis pariter ac ducis obire munia. Quod autem fuerit hoc fœdus explicat Zonaras, qui ait Romanos per Naſicam expoſtulantes de apparatu bellico, eumque omitti iubentes, reſponſum accepiſſe ſe propter bellum cum Maſaniſſa illa paraſſe. At Scipio pactione inter illos facta, à Maſaniſſa impetrauit, vt quadam prouincia eis cederet. Nihilominus rupto fœdere, ſuſcepto in eum bello, magno prælio victi ſunt, & inſuper Romanum bellum meruerunt. Quibus non videntur admodum congruere, quæ ab Appiano narrantur. *Et vincuntur.*

X. *Tres Carthagine factiones.*

HANC enim Maſaniſſæ victoriam pluribus exequitur App. Videturq. ad præcedentem annũ referre, quo L. Lucullus in Celtiberia bellum gerebat, ſed id bellum ad hunc quoque annum propagatum eſt. Ex eodem hæc pauca accipe. Tres erant Carthagine factiones Romana, Regia, Popularis, ſed hæc ſeditione facta regiam eiecit, exilio mulctatis circiter 40. ciuibus: exacto à plebe iuſiurando, ne vnquam exules reciperet, aut de iis recipiendis mentionem fieri ſineret. Illi ad Maſaniſſam cõfugerunt, ad bellũ eum inſtigaturi, qui ad id ſpõte animatus, miſit Carthaginem duos è filiis Guluſſam & Micipſam, vt poſtularẽt recipi actos propter ipſum in exilium. Sed ad portam propinquantes excluſit Boëtarchus, veritus ne plebs, per cognatos exulantium, lachrymis flecteretur. Guluſſam vero in reditu Amilcar cognomine Samnis, qui popularis factionis dux erat, adortus ex inſidiis, & cæſis aliquot è comitatu, ipſum perterrefecit. (in Punicis) *Vna pulſa confugit ad Maſaniſſã.*

XI. *Pro iis Rex bellum ſuſcipit.*

HAC occaſione Rex Horoſcopam oppidum obſedit, Eo Carthaginẽſes cum viginti quinq. millibus peditũ, & quadringentis equitibus vrbanis occurrerunt, ductore Haſdrubale, qui tũ Boëtarchus erat. Ad hos propinquãtes Aſaſis & Suba præfecti Maſaniſſæ, diſſidentes à regiis iuuenibus trãsfugerunt, cum ſex millibus equitum. Qua acceſſione Aſdrubal factus animoſior, regem velitationibus fatigabat. Sed cum tãdem ſimulato metu, in magnam, & incultam planiciem traxit, cinctam prærupțis tumulis, & rerum neceſſariarum inopem. Tum vero in hoſtem obuerſus caſtra in planicie poſuit, Aſdrubal in tumulos, vt munitiores aſcendit, ad quẽ multi etiam ex agris confluxerant: vtraque acies decem ſupra centum millia militum habuit; & ſpectante Scipione à mane vſque ad noctem pugnatum eſt, & multis vtrinque cæſis, Maſaniſſa viſus eſt ſuperior. *Pugnat.*

XIII. *De pace agitur.*

SCIPIONIS aduentu cognito rogarunt eum Carthaginenſes, vt inter ſe & Maſaniſſam pacem componeret: & fere conueniebat, donec Maſaniſſa transfugas repetiit, tunc enim re infecta diſceſſum eſt. Stabat Haſdrubal in tumulis, cum poſſet impetu facto per medios hoſtes erumpere, & quia commeatu abundabat, expectabat dum Rex pacem peteret: cum etiam audiret Romanorum legatos aduentare, pacis componendæ gratia; quibus mandatum erat, ſi Maſaniſſa bello ſuccumberet, liti finem imponere, quod ſi ſuperaret, animum illi addere, quod & fecerunt. Quæ res quantum abſit à fide & candore bonorum virorum, nemo non videt. Vt enim vltro demus perſpectam fuiſſe Romanis malam in ſe Pœnorum voluntatem, ei tamen per fraudes, & iniuſta media occurrendum non fuit, de quibus merito queritur Polybius.[a] *Qua Romanorum voluntate.* (a in Legat. n. 118.)

X˙III. *Pœni conditiones admittunt.*

INTEREA fames & morbi Aſdrubalem opprimebant, eoque adegerunt, vt transfugas Maſaniſſæ dederet, & 5. millia talentũm argenti, Pœni intra quinquageſimum annum penderent, exules ſuos poſthabita iuriſiurandi religione reciperent, militeſque ipſi cum ſingulis tunicis ſub iugum mitterentur. Guluſſa memor ſe paulo ante ab eis exagitatum, incertum an conſcio patre, immiſit in abeuntes equitatum Numidicum, cui nec reſiſtere potuerunt inermes, nec fugere defecti viribus. Sic è quinquaginta octo millibus admodum pauci Carthaginem incolumes reuerſi ſunt, in quibus ipſe Aſdrubal, cum aliis nobilibus. Quem locum male vertit interpres; ait enim hos deſideratos fuiſſe, cum Appianus habeat διεσώθησαν; & ſequens hiſtoria docet vixiſſe adhuc Aſdrubalem. His finis belli fuit inter Maſaniſſam & Carthaginienſes. (1250000. ſt. Ac 7000000. Eub.)

XIV. *Turbæ in Macedonia à Pſeudophilippo.*

INTEREA Romana res in Macedonia turbabatur. Puto hoc anno Roma profu-

giſſe Pſeudophilippum,& Macedoniam commouiſſe; anno ſeq. Iuuentium Prætorem contra illum miſſum male rem geſſiſſe. Tertio deinde,qui fuit ſecundus belli Punici,à Cæcilio Metello profligatum,Calphurnio & Poſthumio Coſſ. vt notauit Iulius Obſequens. De eius fuga hæc legimus Epitome quadrageſima nona. Andriſcus, inquit, cum ab vrbe Roma, quo illum Demetrius Syriæ Rex, ob hoc ipſum mendacium miſerat, clam profugiſſet; multis ad falſam eius famam, velut ad veram euntibus, contracto exercitu totam Macedoniam, aut voluntate incolẽtium, aut armis occupauit. Hæc deinceps fabula educationis eius pertexitur. Zonaras ſcribit illum per contemptum à Romanis dimiſſum. Sic enim habet.

XV. *Eadem hiſtoria ex Zonara.*

Andriscvs vero quidam Adramyttenus Perſeo forma non diſſimilis, aſcito ſibi Philippi nomine, eiuſque filium ſeſe dictitans, ad defectionem plurimos impulit. Nam primo aduentu Macedoniam turbare conatus, cum̃ à nemine curaretur, in Syriam ad Demetrium ſe contulit, ſpe auxilii propter cognationem impetrandi; ab ęoque comprehenſus, & Romam miſſus, cum neque Perſei filium eſſe conſtaret, & alioqui nihil inſigne haberet, per contemptum dimiſſus, magnã factioſorum hominum manum coëgit, multas vrbes attraxit. Denique regio habitu ſumpto, collectoque exercitu in Thraciam profectus, multis populis liberis, multis dynaſtis Romanorum imperium ægre ferentibus adſcitis, impreſſionem in Macedoniam fecit, eaque occupata, in Theſſaliam tranſgreſſus, non pauca loca ſubegit. Ita Zonaras: Florus Epit. 50. ait Theſſaliam, cum in illam armis inuaderet, per Romanorum legatos, auxiliis Achęorum eſſe defenſam. Hactenus res Macedonicæ huius anni.

ANNVS MVNDI 3905. SEXTÆ ÆTATIS 389.

REGNI GRÆCORVM 163. ALEXANDRI BALÆ 3. IONATHÆ DVCIS ET PONTIFICIS 12. PTOLEMÆI PHILOMETORIS 31. OLYMPIADIS CLVII. AN. 4. VRBIS CONDITAE 604. COSS. L. MARCIO CENSORINO, & M. MANILIO NEPOTE. BELLI CELTIBERICI 5. TERTII PVNICI 1.

ANNVS ANTE CHRISTVM 148.

SACRA Machabæorum hiſtoria, hunc & ſequentem annum tranſilit. Hunc autem celebrem reddidit initium tertii Punici belli, quod exciſa Carthagine terminatum eſt. His Conſulibus inchoatum hoc bellum, author eſt Titus Liuius in Epitome quadrageſima nona. Appianus in bellis Punicis, Eutropius l. 4. Oroſius l. 4. c. 22. Florus l. 2. c. 15. Cenſorinus de die Natali c. 17. Tab. Capitolinæ. Zonaras quoque Paterculus, & Solinus c. 2. Quæ eſt communiſſima recentiorum ſententia, Cuſpiniani, Onuphrii, & Sigonii in Faſtis Conſularibus: Bellarmini, & Gordoni in ſuis chronologiis, Stephani Pighii in Annalibus Romanis, Tornielli in ſacris, Scaligeri in Olympicis, vbi & de anno Olympiadis nobiſcum ſentit, Mercatoris, Caluiſii, Temporar. l. 1. chronolog. & aliorum paſſim. Quamuis enim nõnulli in annis vrbis pro diuerſa numerandi ratione diſſentiant, de Conſulibus tamen omnes conſentiunt, quos aliqui ponunt anno ab eius fundatione 602. quibus præit Titus Liuius, alii 605. vt Onuphrius, reliqui 604. quorum magnus eſt numerus; cuiſentẽtiæ & nos ſuffragium noſtrum adiunximus.

I. *Tertium bellum Punicum, & ratio temporis.*

Ipsvm bellum fuſe admodum perſequitur Appianus, ex quo præcipua quæque mutuabimur. Optabant Romani, & id continenter vrgebat Cato, vt Car-

II. *Cauſa, & occaſio belli*

thago deleretur, rati Romanum imperium, ea non ſolum florente, ſed vel ſtante, firmum ac ſtabile eſſe non poſſe. Itaque eius atteri potentiam, perpetuis propemodum Maſaniſſæ iniuriis, non moleſte ferebant, idque experientia ipſa docti non ignorabant Carthaginienſes. Nunc autem accepta clade a Maſaniſſa debilitati, & ipſum regem timebant, in propinquo magnas habentem copias, & populum Rom. inſuper, alioqui ſemper iniquiorem ſibi: tunc vero etiam occaſionem arrepturum, ob bellum ſuſceptum contra Maſaniſſam, ipſorum amicum & ſocium: qui vt à Romanis contra potentiores hoſtes protegeretur, ratio poſtulare videbatur.

III. *Romani bellum parant.*

Nec mali fuere Pœni coniectores mali ſui. Namque Romani his auditis ſine mora milites tota Italia imperarunt, vt parati eſſent, in quem eos cumque locum Senatus deſtinaret. Id autem factum eſt, vti ſupra dicebamus, poſt multã in Senatu inter Porcium Catonem, & Scipionem Naſicam altercationem, quorum ille Reipubl. periculo conſulens claſſicum perpetuo aduerſus Carthaginem canebat: iſte morum corruptelam & luxuriam, ſublatis hoſtibus formidoloſis reformidans, eam deleri nolebat. Placuit nihilominus, inquit Florus in Epitome 49. eis bellum indici, quod contra fœdus naues haberẽt, & extra fines duxiſſent exercitum; quodque ſocio populi Romani, & amico Maſaniſſæ arma intuliſſent; & quod filium eius Guluſſam, qui cum legatis Romanis erat, in oppidum minime recepiſſent. Intelligit autem excluſum Carthagine Guluſſam cum fratre, quo modo ex Appiano ſuperiore ánno diximus.

IV. *Quos Pœni placare ſtudent.*

Qvi pergit de Carthaginienſibus dicere, eos vt Romanos mitigarent, & crimen diluerent, quaſi non publico factum conſilio, publico præconio capitales declaraſſe Aſdrubalem, belli contra Maſaniſſam geſti ducem, & ſocios eius: ſimulque miſiſſe Romam legatos, qui id Senatum docerent, & Maſaniſſam accuſarent. Sed cum eam excuſationem Senatus non acciperet, quod diceret belli authores non ab initio belli, ſed tantum poſt acceptam cladem fuiſſe damnatos: turbati petierunt, quid ſatisfactionis à Carthaginienſibus Senatus exigeret, ſi peccaſſe viderentur. Nihil certi reſponſum eſt, ſed tantum ſcire Carthaginienſes, quis eſſet ſatisfaciendi modus.

Vticenſes dedunt ſe Romanis.

Dum res hoc in diſcrimine verſantur, Vticenſes magnam ſecurim in Carthaginienſium Remp. iniecerunt. Nam vt ait Florus in epit. priuſquam vllæ copiæ in naues imponerentur, Vticenſes legati Romam venerunt, ſe ſuaque omnia dedentes.

V. *Magno Carthaginis damno.*

Ea legatio, velut maximum belli omen, grata patribus, acerba Carthaginienſibus fuit. Et merito. Nam præterquam quod Romanus commodiſſimam in propinquo belli gerendi ſedem habiturus erat, ſexaginta enim tantum ſtadiis Carthagine diſtat, etiam id vehementer angebãtur, vt ait Polyb. quod eam vltimam ſpem quam Carthaginienſes ad placandos Romanos ſibi deſtinabant, & ad quam ſuperioribus bellis nunquam deſcenderant, Vticenſes ſibi præripuiſſent: vt ſi eorum exemplum ſequerentur, nihil tamen noui, aut miri feciſſe Romani eſſent exiſtimaturi. Nihilominus quia aut bellum gerendum erat, ad quod male inſtructi erant, præſertim poſt cladem à Maſaniſſa acceptam, aut deditio Romanis facienda, poſt multam in Senatu contentionem, decreuerunt legationem mittere, quæ pro præſentium rerum ſtatu Reip. conſuleret. D. 142.

Pœni legatos Romam mittunt.

VI. *Romani bellum decernunt, & copias mittunt.*

Interea dum illi abeunt, Senatus Romanus Vticenſium deditione excitatus, iampridem ad bellum propenſus & paratus, mentem ſuam aperit, & decernit Carthaginienſes bello perſequendos eſſe. Continuóque in Africam vtrunque deſtinat Conſulem, M. Manilium cum exercitu, Cenſorinum cum claſſe; eiſque ſecreto mandat, ne niſi diruta Carthagine à bello deſiſtant. Attribuit 80. millia peditum, equitum lectiſſimorum 4. fere millia. Nam ad tam nobilem expeditionem, & certam ſpem, ciues ſociique vltro properabant.

Legati Pœnorum vt Romæ acceſſit.

Perueniunt interea Romam legati, qui bellum decretum inuenerunt, inquit Polyb. & duces cum exercitibus iam profectos. Itaque cum nullum daretur deliberandi tempus, ſe ſuáque omnia Romanorum fidei atque arbitrio permiſerunt. Hic laudare illos patres, quod rectam conſilij viam inueniſſent, concedere libertatem, leges ſuas, agrumque omnem, bonorumque omnium poſſeſſionem, ſi tamen intra dies triginta obſides trecentos Lilybæum mitterent, principum ciuitatis liberos, & ea facerent, quæ Coſs. imperarent.

Acerbiſſimæ pacis conditiones a Rom. VII.

Tenvit hæc poſtrema conditio Senatus Conſulti legatos ſuſpenſos, & domi Senatores Africanos, vtpote ignaros quid Conſules eſſent imperaturi; nec immerito, ſed deditione facta, iacta erat alea. Iam pene ad portas erat maximus hoſtium exercitus. Ipſi autem & paulo ante maximam partem iuuentutis amiſerant, nec claſſem habebant, nec ſocios, nec mercenarios paratos, nec frumentum ad ſuſtinendam obſidionem conuectum, nec aliud quidquam ad tantum tamque repentinum bellum gerendum. Ergo quamuis ſuſpicabâtur ſe, ne datis quidem obſidibus, ſatis firmam pacem habituros, tamen in tanto rerum diſcrimine, ſpem in parendi celeritate collocarunt. Decretum eſt Lilybęum obſides eſſe mittendos. Confeſtim igitur trecentos è iuuentute delectos mittunt, non ſine magnis eiulatibus & lachrymis, neceſſariorum, cognatorum, & maxime matrum proſequentium, & miſerabilem eius ſpectaculi faciem exhibentium; quin & vaticinantium nihil profuturos ciuitati liberos, nullis certis conditionibus datos.

Pœni ad bellum imparati.

Trecentos dant obſides.

Poſtquam Lilybęum obſides appulerunt, Conſules illos Q. Fabio Maximo tradiderunt, qui tum Prætor Siciliam adminiſtrabat. Is Romam eos tuto deferendos curauit, vbi fuerunt ſimul omnes in vnum è naualibus concluſi, vt ait Polyb. Addit Appianus dictum Pœnis audituros ex ſe apud Vticam reliqua, quæ ad tollendum bellum pertineant.

Romam deportatur.

VIII. *Legati apud Romanum exercitum cauſam dicunt.*

Terrestres copiæ, poſtquam in Africam traiecerunt, caſtra metatæ ſunt, vbi quondam Scipio: Claſſis in portus Vticenſium diuertit. Eodem & legati Pœnorum venerunt. Tum Conſules pro tribunali ſederunt, adſtantibus tribunis militaribus; ab vtroque latere totus exercitus longo ordine conſtitit. Euocantur præconis voce legati, & per caſtrorum longitudinem traducti, ſiſtuntur Conſulibus. A quibus iuſſi dicere quid peterent. Multa miſerabiliter præfati de priſtinis vtriuſque populi fœderibus, de Carthaginis ipſius antiquitate, frequentia, imperio terra marique ampliſſimo: ſubiunxerunt non ſe hæc iactantiæ cauſa memorare, quæ calamitoſis temporibus non conueniant, ſed vt Romani tantæ mutationis exemplo, clementiæ atque humanitatis admonerentur. Cœperunt inde cauſæ ſuæ patrocinari, non minus accurate quam vere, vt pluribus apud Appianum leges: oſtendentes nullam fuiſſe iuſtam cauſam, cur bello præſenti vrgerentur; præſertim cum ſe, ſuaque omnia eorum arbitrio permiſiſſent.

IX. *Exarmantur.*

Respondit Cenſorinus Conſul, quoniam pax futura eſſet, nihil armis opus eſſe; itaque eam primam eſſe conditionem pacis, quam ex ſe audituri erant, vt arma omnia traderent. Cumque legati reſponderent, velle ſe quidem ea in re parere, ſed prouidendum eſſe quomodo Aſdrubali, quem capitis damnarant, reſtituri eſſent, qui cum 20. millibus armatorum contra ſe eſſet venturus. Cumque reſpondiſſent Coſs. id S.P.Q.R. curæ fore, polliciti ſunt arma tradere, ad quæ accipienda miſſi ſunt Scipio, & Hiſpalus. Vis ingens armorum omnis generis ex vrbe educta eſt, tanta copia, inquit Oroſius, [a] vt tota ex eis Africa facile potuiſſet armari. Plauſtra ſequentibus legatis, & principibus ciuitatis ac ſacerdotibus, vt Conſules miſericordia mouerentur. Addit Florus, [b] Conſules ſpe pacis iniecta, traditam à volentibus claſſem, mox ſub ipſa vrbis ora incendiſſe.

a l. 4. c. 22.

b li. 2. ca. 15.

X. *Iubentur vrbe cedere vt diruatur.*

Lavdavit Cenſorinus eorum obedientiam, in obſidibus, armiſque prompte tradendis: ſupereſſe vnum mandatum Senatus paulo durius, quod eis ad certam pacem obtinendam obeundum, & fortiter ferendum ſit, quando neceſſitas cogat. *Cedite nobis*, inquit, *Carthagine*, ſedes ad quemlibet ditionis veſtræ locum transferte, modo vltra octogeſimum à mari ſtadium; certum eſt enim nobis hanc diruere. Hæc Conſulis verba interrupit clamor tollentium manus ad cœlum, & deos irritorum fœderum teſtes inuocantium, non ſine multis grauibus conuiciis, ſiue mortem appetebant, ſiue mentis erant impotes: procumbebant humi, & ſolum frontibus, manibuſque pulſabant, veſtes dilacerabant, ſua ipſi corpora præ furore laniabant, adeo vt Romanis ipſis lachrymas elicerent. Deinde facto ſilentio redintegrarunt preces. Hanno princeps ciuitatis orationem habuit luculentam, ad deducendos ab ea ſententia Romanos, ſed nihil impetrauit. Reſpondit Cenſorinus. Id eſſe mandatum Senatus, quod neque à ſe mutari, neque differri poſſit. Quod etiam ipſis vtile, ſi ſuperis placet, futurum eſſet, quoniam opportunitate maris impellerentur ad facinora quibus ſibi perniciem accerſerent.

Quis hic legatorum motus, & luctus.

XI. *Referunt in vrbem nuncia.*

His dictis cum ſummouerentur, & abire iuberentur: rogauerunt vt claſſem ad ipſam vrbem admouerent, ſi forte eo metu ad hanc calamitatem ferendam adigi poſſent, cuius ſolo nuncio ſe à ciuibus diſcerptum iri prouidebant. Illis profectis Cenſorinus cum 20. quinqueremibus circa vrbem oberrabat, legatorum pars ex itinere diffugerunt, alij taciti in vrbem pergebant.

Vt accepti in vrbe. Carthaginienſes ex mœnibus proſpectabant reditum, & impatientia moræ capillos ſibi vellebant; alij procurrebant obuiam, deſiderio ſciendi, quæ nimium cito cognituri erant, & mœſtos percunctabantur, quidam ex vniuerſis, quidam vt quiſque in amicum, notúmve inciderat, prehenſando & ſciſcitando, & nemine reſpondente ingemiſcebant, vt rebus perditis; quorum ad gemitum, qui in mœnibus erant, magni alicuius mali præſagio, etiam ipſi ingemiſcebant. In aditu portæ conferti pene conculcabant ſe inuicem, nec multum vis aberat, niſi dixiſſent ſibi primum opus eſſe rem ad Seniores deferre: tunc enim certatim loco cedere, vt quamprimum ſua fata cognoſcerent.

XII. *Vt in Curia.* In curia ſummotis cæteris, legati Senioribus iuſſa Conſulum renunciarunt; ad quod nuncium conclamatione orta in Curia, plebs quoque foris clamorem reddidit. Tum facto ſilentio, pertexentibus legatis quid à ſe fruſtra dictum eſſet, ad flectendos Romanorum animos, & impetrandam legationem alteram, præ ſumma deſperatione rerum ingentem vlulatum ediderunt, ad quem plebs irrupit in Curiam: & acerbiſſimo nuncio cognito, omnes quaſi in furorem acti, alij in legatos *Populi furor.* irruebant, quos partim raptabant per vrbem, partim lapidibus impetebant: alii in optimates, qui autores fuerant tradendorum obſidum, vel armorum, cum contumeliis inuolabant; alii Italos, qui in vrbe reperti fuerant, variis cruciabant modis: matres obſidum, quaſi furiæ quædam tragicæ, perditos filios lamentabundæ ſenatoribus exprobrabant, plorabant armamentaria vacua, naualia exinanita, deos ipſos conuitiis impetebant, qui ne ſua quidem ſacraria tuerentur. Denique omnia plena ira & furore, omnia clamoribus & eiulatibus perſonabant.

XIII. *Carthag. defenſionẽ parant.* Verum alii magis ſobrii vrbis portas claudere, defenſionem parare, lapides in muros congerere. Non quod ſpes aliqua miſeris ſupereſſet adhuc, ſed quod patriam ſuam mallent hoſtium, quam ſuis manibus euerti, vt ait Florus. [a] Senatus eadem die bellum decernit, ſeruos per præconem ad libertatem vocat, Aſdrubalem eligit belli ducem, paulo ante capite damnatum, qui foris cum 20. millibus armatorum erat: mittit curriculo qui oret vt patriæ miſereatur, in ſuo ſupremo diſcrimine, ei culpam condonet in ſe immerentem, cogente neceſſitate admiſſam: in vrbe alterum Aſdrubalem, Maſaniſſæ nepotem ex filia, ducem creat. Deinde à Coſ. per nuncios 30. dierum inducias petunt, vt legatos Romam mittant; ſed iis non impe- *Summo ſtudio.* tratis, cum quiduis pati mallẽt, quam vrbem deſerere, totam vrbem in officinas armorum conuertunt, tantáque contentione die noctéque operi inſtiterunt, vt breui non exiguam copiam compararint; tanto ardore, vt tendendis catapultis, cum aliorum pilorum eſſet inopia, etiam vxores ſuas raderent. Ita Appianus. Addit Oroſ. [b] eos arma facere aggreſſos, æris ferrique inopiam, auri argentique metallis ſuppleuiſſe.

a l.2. c.15.

b l 4. c.22.

XIV. *Quae eu fauerint.* Cvnctabantvr Conſules vim afferre ciuitati, quam exarmatam ſe cum liberet occupaturos ſperabant; & tempus aliquod dandum putabant ciuibus, dum aliquantum reſediſſet furor, vt nullo ſuo periculo vrbem diruerent. Iuuit etiam Africanorum cauſam ira Maſaniſſæ in Romanos, qui victoriæ laudem, quam ipſe peperiſſet, colligerent, ideóque auxilia mittere tergiuerſabatur. Iræ cauſam refert Zonaras, quod neque principio belli accerſitus eſſet, neque permiſſum ei pollicenti fuerat, vt Haſdrubalem debellaret. Iuuit poſtremo penuria commeatus in Romano exercitu, ad quem paucis ex locis ſubuehebatur. Aſdrubale reliquam Africam tenente, & commeatum Carthaginem mittente.

XV. *Vrbs fruſtra oppugnatur.* Inter hæc paucis diebus tranſactis, vrbem terra marique oppugnare parant, rati ſe inermes, & animis infractos nullo negotio eſſe capturos. Verum cum & armatos, & ad pugnam, repellendámque vim alacres reperiſſent, falſi opinione ſua retroceſſerunt: iterato deinde conatu, cum res non ſucceſſiſſent, creuerunt animi Pœnis. Coſ. vero timentes Aſdrubalem, qui à tergo non longe caſtra poſuerat, & ipſi bina caſtra muniuerunt: deinde vrbem variis aſſultibus, ſed irritis petierunt,

Scipionis prudentia, et virtus.

murorum partes crebro ariete, nullo tamen emolumento deiecerunt: vbi Scipio Tribunus egregie prudentiam ſuam atque virtutem probauit, ſuis à certa clade protegendis. Vice verſa Pœni Himilcone duce, non nulla damna Romanis intulere: in quibus illud memorabile; quod ſcaphas arida materia clam oppletas, & pice deinde ac puluere conſperſas, immiſſo igne, vento obſecundante in Romanorum claſſem immiſerunt, quo facto magna eius pars conflagrauit.

Claſſis Romana adu‑ſta.

XIII. *Pœnorum eruptiones poſt abitum Conſulis.*

Censorinus in vrbem paulo poſt comitiorum cauſa profectus eſt: cum Pœni tanto animoſiores facti, Manilij caſtra nocturna eruptione inuaſerunt, & iam vallum conuellere cœperant, cum turbato intus nocturno tumultu exercitu, Scipio per auerſam caſtrorum partem cum equitibus procurrens, & quà nullus erat hoſtis circunuectus, Pœnos perterruit, & in vrbem ſe recipere coëgit: quod ſecundo etiam fecit, cum hoſtis nauale Romanorum caſtellum intempeſta nocte eſſet aggreſſus.

Romanorũ populationes.

Inde Romani verſi ad mediterranea, cum decem peditum, duobus equitum millibus agros populabantur, additis lignatoribus, pabulatoribus, frumentatoribuſque. His populatoribus tribuni per vices præerant. Himilco autem cognomento Phrameas Afrorum equitum præfectus, crebris adortos inſidiis vexabat, idoneis quippe locis latitans, cum hoſtem agere diſſolutius animaduertebat, in morem aquilæ irruebat inopinatus, & damno dato in tutum recipiebat ſe.

XIV. *Scipionis prudentia & virtus. Sociorum æmulatio non inulta.*

At cum vices Scipionis contigiſſent, continebat ille ſe, quod videbat illum ſuos præclare continentem, & ſemper ad hoſtem excipiendum expeditos: quam ob rem inuidiam Scipioni quærebant alij tribuni, quaſi auitum eſſet hoſpitium Scipionis & Himilconis familiarum. Rurſus cum Manilius Aſdrubalem iniquo loco, renitente Scipione oppugnare eſſet aggreſſus, ingentem accepit cladem; in qua tribuni tres, qui eam expeditionem ſuaſerant in odium Scipionis, interfecti ſunt, reliquus exercitus, eiuſdem induſtria in tutum receptus, & cohortes aliquot, quæ in tumulum ſe ex fuga receperant, & ab hoſte obſidebantur, quos alii vt deploratos, deſerendos putabant, ne paucorum ſalus, totum exercitum in maiorem calamitatem traheret, eiuſdem Scipionis virtute ab vltimo diſcrimine liberati ſunt. Tribuni autem illi, in gratiam Scipionis, qui immemor æmulationis, id requiſierat, ab Aſdrubale ſepulturæ mandati ſunt.

XV. *Senatus virtutem Scipionis agnoſcit.*

Interea Romanus Senatus in caſtra miſit, qui rebus diligenter inſpectis, omnia renunciarent. Apud quos & Manilius, & Tribuni militares qui reliqui erant, & conſilium, & vniuerſus exercitus Scipionis virtutem, atque egregia facinora, victa iam continuis ſucceſſibus inuidia, vno ore prædicabant: quæ Romam relata, Senatum populumque Romanum lætitia perfuderunt.

Mors Maſaniſſæ quando contigerit.

Inter hæc mortem Maſſaniſæ contigiſſe arbitror; eáque ſine dubio eſt Appiani ſententia, qui ſub ipſum anni ſequentis initium Scipionem Romam à Manlio præmiſſum ſcribit, ante aduentum Calphurnii Piſonis, qui ineunte vere Carthaginem venit. Oportuit ergo hoc anno mortuum Maſſaniſam, ad quem Scipio profectus, mortuum reperit, & regnum eius filiis diuiſit, indéque mox cum Guluſſa Carthaginem ad exercitum rediit. Quæ Appiani ſententia, hiſtoriam hanc ordine temporum narrantis, pluris eſſe videtur, quam Valerii Maximi, qui [a] ſentit Manilio Proconſule Africam obtinente Regem obiiſſe, cum quo ſentit Sigon. in Faſtis anno 605.

a l. 5. c. 2. ſi.

XVI. *Variæ ſententiæ.*

At ne Proconſul quidem fuit Manilius in Africa, cum ei Piſo Conſul, cum Collega Mancino ſtatim ſucceſſerint, & in Africam ineunte vere peruenerint. In hunc quoque Cenſorini & Manilij annum eam mortem refert Paulus Oroſ.[b] Zonaras aperte Scipionem à Manilio Conſule miſſum ad moribundum Maſſaniſam ſcribit, & eius filium Guluſſam ad Conſulem ab eodem deductum. Dirimi controuerſia poteſt, ſi media hyeme mortuum dicamus, cum iam Romæ Cal. Ian. creati eſſent Coſ. vt propterea Manilius Proconſul dici poſſet, licet ei non eſſet prorogatum imperium: & rurſus Conſul adhuc diceretur, quod noui Conſules nondum Carthaginem perueniſſent. Idque innuit Appianus illis verbis, ἐν δὲ τῇ χειμασίᾳ, quaſi dicat, in illa hyematione, dum hyems illa in curſu eſſet. Itaque nos quoque eius mortem, & quæ eam ſecuta ſunt, in ſequentem annum differemus. Quæ ratio temporis etiam Pighio probata eſt.

b l. 4. c. 22.

Conciliantur.

XVII. *Plautius Prætor ſemel iterũque à Viriatho vincitur.*

Qvod ad Bellum Hiſpanienſe attinet, Viriatho Carpetanum agrum depopulante, C. Plautius Prætor Roma cum peditum decem millibus, equitibus mille trecentis venit. Cuius aduentu ſimulata fuga Viriathus, miſſa ad ſe inſequendum quatuor millia, conuerſus paucis exceptis deleuit. Deinde traiecto flumine Tago, caſtra in monte oleis conſito, qui Veneris nominatur, poſuit. Vbi eum aſſecutus Plautius, dum damni accepti reparandi cupiditate, collatis ſignis dimicat, victus ingenti clade, ſine vllo ordine intra oppida refugit, & circa mediam æſtatem ad hyberna ſe recepit, nuſquam auſus prodire. Quapropter Viriathus totam regionem libere peruagatus eſt, frugum vaſtitatem precio redimentibus oppidanis.

XVIII. *Res à Viriatho in Quintium geſta.*

Qviescente Plautio, inquietus Viriathus in altera Hiſpaniæ parte cum Quintio altero imperatore Romano, collatis ſignis dimicauit, & victus montem Veneris repetiit; vnde iterum in hoſtes conuerſus, ex Quintianis militibus mille necauit, ſignis aliquot captis, atque hoſtibus in caſtra compulſis. Quinetiam præſidium quod Itucæ erat, vi deiecit, & Baſitanorum regionem depopulatus eſt: cum interea Quintius Cordubæ incluſus, C. Marcium quendam Hiſpanum in hoſtem emitteret. Vtrique Romano duci apparet ſucceſſiſſe Fabium Æmylianum, ſi Appiano in Hiſpanicis credimus: ſed multos ille Prætores prætermiſit, qui Hiſpaniam adminiſtraſſe his temporibus, apud idoneos authores reperiuntur, Claudium Vnimanum, C. Nigidium. C. Lælium, vt Sigonius anno 607. notauit, qui & mendoſos eius libellos non ſemel fatetur. Itaque in hac non exigua rerum confuſione, quod veriſimilius pluribuſque probatum reperiemus, id ſequemur.

XIX. *Andriſcus Iuuentium Prætorem cum exercitu delet.*

Romani qui Andriſcum ante contempſerant, cum non exiguis cum incrementis augeri accepiſſent, Scipionem Naſicam ad tumultum illum pacandum miſerunt: qui rebus illis in Græcia cognitis, ad Romanos ſcripſit omnia, & coacto à ſociis exercitu, rei gerendæ intentus ad Macedoniam proceſſit. Romani autem P. Iuuentium Prætorem cum exercitu contra eum miſerunt. Quem Andriſcus circa Macedoniam adortus interfecit, ac cæteros quoque trucidaſſet, niſi noctis beneficio effugiſſent. Ita Zonaras. Eutropius ait hunc P. Iuuentium Prætorem ad internecionem fuiſſe deuictum. Idem habet Florus, [a] non ſine ſtomacho, quem pro Romana gloria tumentem vbique circunfert. *Dum hæc ipſa contemnit populus Rom.* inquit, *Iuuentio Prætore contentus, virum non Macedonicis modo, ſed Thraciæ quoque auxiliis ingentibus validum temere tentauit, inuictuſque non à veris regibus, ſed ab illo imaginario, & ſcenico rege ſuperatur;* imo & interficitur, vt ex Epitome Liuiana libri quinquageſimi conſtat.

[a] l. 2. c. 14.

ANNVS MVNDI 3906. SEXTÆ ÆTATIS 390. IMPERII GRÆCORVM 164. ALEXANDRI BALÆ 4. IONATHÆ PONTIFICIS 13. PTOLEMÆI PHILOMET. 32. OLYMPIADIS CLVIII. AN. 1. VRBIS COND. 605. COSS. SP. POSTHVMIO ALBINO, ET L. CALPHVRNIO PISONE CÆSONINO. BEL. CELT. 6. TERTII PVNICI 2.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 147.

I. *Res anni huius, & ratio temporis.*

SILET hoc quoque anno hiſtoria Syriaca, niſi quod ad initium Olympiadis centeſimæ quinquageſimæ octauæ, quæ curſorem coronauit Orthonem Syracuſanum, refert Euſebius controuerſiam Alexandriæ agitatam, Samaritanos inter & Iudæos, quam Ioſephus ad hæc tempora [a] retulit. Nos Euſebium ſequemur; non enim habemus certiorem de tempore geſtæ rei ducem, licet cum Scaliger ſolito more diuinare dicat. Inde res Africanas, deinde Macedonicas, & Celtibericas perſequemur. Ad Africanas res Numidicæ Maſſaniſæ regis pertinent, aliáque in Africa geſta, ante aduentum nouorum Conſulum, quibus Africa decreta eſt; tum quæ ab ipſis Conſulibus facta reperiuntur. Sed prius ad Alexandrinam controuerſiam orationem conuertamus.

a l.13. c.6.

II. *Controuerſia Iudæorum, & Samaritanorum.*

APVD *Alexandriam*, inquit Ioſephus, [b] *inter Iudæos & Samaritas, qui ſub Alexandro Magno Garizitani templi religionem induxerunt, ſeditio eſt exorta, de ſacris ipſorum; ita vt res ad regis cognitionem perueniret, dum Iudæi contendunt, iuxta Moyſi præſcripta, Hieroſolymitanum templum eſſe legitimum, Samaritæ vero Garizitanum: prouocatumque eſt ad regem, & amicorum eius conſeſſum, vt ab iis cauſa audiretur, & vtrius partis cauſidici ſuccumberent, morte mulctarentur.* Acerba vtique pœna, ſed non indigna Hæreticis ſeditioſis, & impoſtoribus, errorem pro veritate colentibus, & immenſam in Eccleſia Dei animarum ſtragem excitantibus. Patrocinabatur Samaritis Sabbæus cum Theodoſio, Hieroſolymitanis Iudæis Andronicus Moſſalami filius; iuraueruntq; per Deum, & Regem, quod ex lege probationes allaturi eſſent, & rogauerunt regem vt necaretur, qui iuſiurandum non ſeruaſſe deprehenderetur.

b l.13. ant. c.6.

III. *Victoria Iudæis tribuitur.*

ITAQVE *rex multis amicis in conſilium adhibitis, conſedit cauſam auditurus. Iudæi vero, qui Alexandriam habitabant, valde erant ſolliciti pro tuentibus iura Hieroſolymitani templi, ægre ferentes autoritatem antiquiſſimi & nobiliſſimi in orbe templi in diſcrimen vocari. Sed cum Sabbæus & Theodoſius conceſſiſſent Andronico vt prior diceret, orſus ex lege approbare eius ſanctitatem, & religionem, oſtendénſque per continuas pontificum ſucceſſiones, ſacerdotij vſque in ſua tempora propagationem, & ab omnibus Aſiæ regibus maieſtatem eius loci honoratam donariis: Garizitani vero, ac ſi omnino nullum eſſet, nunquam ab his habitam rationem: His & talibus rationibus perſuaſit Regi, vt decerneret Hieroſolymitanum eſſe ex ſententia Moyſis conditum, Sabbam vero & Theodoſium afficeret ſupplicio. Atque hæc ſunt quæ Alexandrinis Iudæis acciderunt, Ptolemæi Philometoris tempore.*

IV. *Eadem eſt cauſa Eccleſiæ cōtra Sectarios.*

PROBAVIT primum Andronicus ex lege Moſis ſacrificia, & celebritates præcipuas ter in anno fieri oportere, in loco quem elegiſſet Dominus. Deinde locum illum Hieroſolymis electum fuiſſe, vbi ſibi templum à Salomone conſtrui nominatim iuſſiſſet, illudque ingentibus prodigiis ſanctificaſſet, & regibus ipſis honorabilem reddidiſſet. Poſtremo ſacerdotium in eo per continuam ſucceſſionem propagaſſet; quæ neque Garizitano templo, neque Heliopolitano conuenirent, quæ nuper admodum per ſeditionem extructa conſtaret. Eadem eſt, ac multo verior, & iuſtior Eccleſiæ Catholicæ atque Apoſtolicæ gloria, quæ à Chriſto Domino ſupra petram fundata, mille iam ac pene ſexcentos annos, à ducentis ac quadraginta tribus ſummis Pontificibus, à Petro Apoſtolorum principe, vſque ad Gregorium

decimum quintum, qui nunc an. Chriſti 1623. in Romana Petri cathedra ſanctè ac feliciter ſedet, adminiſtrata, nouas ſubinde Hæreſum ſectas exorientes confutauit, confudit, extinxit. Quæ vt recens emergunt ex inferis, nullam antiquitatem, niſi in damnatis Hæreſiarcharum erroribus, inueniunt, quos vel inuiti fatentur millenis ipſis annis interruptos. Sed iam ad Romanam hiſtoriam tranſeamus.

V. *Maſaniſſæ mors.* De tempore mortis Maſſaniſæ paulo ante diximus, nunc rem ipſam videamus. Quieſcebat ille domi, Romanis nonnihil iratus, vt diximus, cum ſenio morbóque feſſus, vt ait Appianus in Punicis, Scipionem vt auitum amicum, literis ad Manilium Conſulem datis accerſiit, conſulturus eum de regno relinquendo liberis, quos plurimos habebat illegitimos, tres autem ex legitimo matrimonio natos. Scipio ſine mora profectus eſt, ſed paulo ante quam veniret, Maſſaniſſa agens animam *(Zonar.)* filiis præcepit parerent Scipioni, quomodocunque eis patrimonium diuideret. Ita *(Et præceptum datum ſuis.)* Appian. plenius Valerius Max. [a] Ille aduentum Scipionis fatis ſuis præcurrentibus, hæc vxori liberiſque præceperat, vnum in terris populum Rom. & vnam in populo Ro. Scipionis domum noſſe. Integra omnia Æmyliano ſe ſeruare, cum diuidendi regni arbitrum haberent. Quod is ſtatuiſſet, perinde ac teſtamento cautum, immutabile ac ſanctum obtinerent.

(a l. 5. c. 2. Valer. l. c.)

VI. *Multa eius fœlicitas.* Multis rebus hic princeps fœlix fortunatuſque perhibetur, adeoque à Suida vir regum optimus ac beatiſſimus; quod regnum paternum, à Syphace, & Carthaginienſibus occupatum, ope Romanorum non ſolum receperit, ſed vehementer etiam amplificarit à Mauritania vſque ad Cyrenenſem regionem, & per annos fere ſexaginta tenuerit, Eutrop. Suidas, & Diodorus: [b] quod fidem & pietatem infatigabilem, populo Romano ad mortem vſque ſeruauerit: quod integris viribus ad vltimam vſque ſenectutem, atque adeo centeſimum annum vixerit, eam enim ætatem ei tribuit Valer. [c] Eutropius [d] ſeptem & nonaginta. Appianus & Diodorus vocant nonagenarium. [e] Florus in Epit. maiorem nonagenario mortuum tradit. [f] Liuius tamen, qui eum anno Vrb. Cond. 540. Fabio & Sempronio Coſs. annum egiſſe tradit decimum ſeptimum, exiſtimauit eum hoc anno egiſſe tantum octogeſimum ſecundum; & in bonæ valetudinis argumentum, quadriennem filium, quem ſex & octoginta annos natus genuerat, reliquiſſe. Idem habet Diodorus, [g] vt minus mirũ ſit, eum quoad vixit interfuiſſe prælijs, & equum ſine ephippiis aſcẽdiſſe. Deniq. quod plurimos liberos genuerit, viuoſq; reliquerit. Naſcentibus, inquit, Appian. decedentibuſq; filiis, nunquam tamen minus decem habuit. Filios decem, ait Diodor. [h] vita excedens reliquit. Valerius, & Eutropius [i] quatuor & quinquaginta filiorum numerum reliquiſſe tradunt: ex diuerſæ, inquit Zonaras, conditionis mulieribus ſuſceptos.

(b l. c. — c l. c. d l. 4. e lib. 51. ecloga 3. f l. 24. ſi. — g l. c. — h l. c. i l. 4.)

VII. *Scipio regnum eius in filios eiuſdem diſtribuit.* Scipio filiis aliis paternam munificentiam cumulate reddidit, inquit Appianus, legitimis vero pecunias addixit, & vectigalia. Nomen quoque regium eis commune eſſe voluit; cætera diuiſit pro dignitate, ex ipſorum ſententia. Micipſæ natu maximo, amantiſſimóque pacis aſſignata præ cæteris Certa regia. Guluſſæ vero militari & proximo ætate, belli paciſque cura commiſſa. Maſtanabal natu minimus, aſſuetus iura dicere, (qui etiam Græcis literis erat eruditus Epit. 50) controuerſiarum inter ſubditos iudicium accepit. Ad hunc modum regno, patrimonioque diuiſo inter Maſſaniſæ liberos, confeſtim Guluſſam ſecum adduxit in auxilium; quem priuſquam aſſectemur familiæ Maſſaniſæ Stemma ſpectandum lectori proponamus.

FAMILIA MASANISSAE.

VIII. N. Rex Maſæſylorum in Numidia genuit.

Galam patrem M.ſaniſſæ, qui à Carthaginienſibus ad bellum contra Syphacem vocatus, filium cum auxiliari exercitu miſit. Liu. lib. 24. fi. Eodemque in Hiſpania pro Carthagine militante, mortuus eſt. lib. 29 p. 348. edit. Francfort. 1588.

- Maſaniſſa, qui 17. annos natus à patre contra Syphacem miſſus, eum bis prælio vicit; inde in Hiſpaniam pro Pœnis profectus eſt, vnde audita morte patrui, dein nece fratris patruelis, venit in Mauritaniam, moxque ope Numidarum regnum recepit. Liu. l. 29. vxorem habuit Aſdrubalis Giſconis filiam. Diutiſſime vixit, & quamplurimos ſuſcepit liberos, in quibus. A — an. V. C. 540. n. 7.

Deſalcem, qui fratri Galæ more patrio, in regnum ſucceſſit, qui & mox abiit è viuis, relictis duobus filiis hæredibus. Liuius l. 29 p. 348.

- Capuſa, in quem inſurgens Mezetalus regiæ ſtirpis, eum vicit & occidit, regnumq; occupauit: ſe tamen non Regem ſed Tutorem minoris dixit, & viduam Deſalcis, neptem Annibalis duxit vxorem.
- Lacumace, contra quem eiuſq; Tutorem Mezebulum Maſaniſſa dimicat, eoſque ſemel iterumq; vincit, & regnum recuperat, eoſdemque mox ad ſe amice reuocat.

A *Filij Maſaniſſæ.*

- Miſagenes, quem pater parabat mittere in bellum Macedonicum contra Perſea, & reipſa miſit, Liuius l. 42. p. 538. & 548. edit. Francfort. a. 1588. Idemque mox poſt illum deuictum, miſſus ab Æmylio Paulo in Africam, tempeſtate in Adriaticum mare eiectus, æger Brundiſium venit. Idem l. 45. p. 576. Eum Muſicanem vocat Valer. Maximus lib. 5. c. 1.
- Maſgaba, qui patris nomine Romæ gratulatus eſt Senatui victoriam de Perſe. Liu. lib. 45. pag. 576.
- Guluſſa legatus Romę pro patre, ſuper agro cum Carthaginienſibus controuerſo, Liu. l. 42. pag. 536. 537. vir bellicoſus Appian. in Pun. p. 64. gr. lat. morbo abſumptus, Saluſt. in bello Iugur. filium habuit.
  - Maſſiuam, qui dedita Cirtha, & Adherbale interfecto, profugus ex Africa abierat, quem regnum appetentem Bomilcar iuſſu Iugurthæ obtruncat. Saluſt. in Iugurthino.
- Micipſa natu maximus dicitur moriente patre ab Appiano in Pun. p. 64. idemque pacis amantiſſimus. Illi annulum dederat moriens pater, Zonar. vt Alexander Perdiccæ. Ei Scipio Cirtham regiam attribuit, vt fratrum primo: eum ſolum regnum obtinuiſſe author eſt Saluſt. in Iugurth. Liberos reliquit ex Saluſt. in Iugur. & Epit. Liuij 62.
  - Adherbalem, qui à Iugurtha regno pulſus, à Senatu Romano reſtitutus eſt. Epit. 61. à Iugurtha excruciatus necatur, Saluſt.
  - Hiempſalem natu minorem natura ferocem. Is infenſus Iugurthæ ab eodem occiditur per inſidias. Saluſt. in bello victus. Epit. 62. Eius filius Iuba dicitur à Dione l. 41. Plutarchus tamen in Sertorio, eius genus ad Syphacem refert. Pompeij partes ſecutus rebus deſperatis cum Petreio pugnans occubuit. Filium habuit alterum Iubam, qui ductus à Cæſare in triumphum: literis excultus ſcripſit hiſtoriam, & inter doctiſſimos Græcorum numeratus eſt. Plut. in Cæſ. Appian. Plinius l. 5. c. 1. fi. ait eum ſtudiorum claritate memorabiliorem, quam regno; filium habuiſſe Ptolemæum. — a.m. 4008. n.17. — nu. 14.
- Manaſtabal, ſiue Maſtanabal Appiano, ſiue Maſtanamus Zonaræ. Gręcis literis eruditus Epit. 50. aſſuetus iura dicere, Appianus: qui & natu minimũ vocat in Pun. morbo conſumptus eſt. Saluſt. in Iugurtha, filios habuit.
  - Gaudam, quem Micipſa teſtamento ſecundum hęredẽ ſcripſerat, morbis & mente affectus fuit Saluſt.
  - Iugurtham ex concubina ortum; Saluſt. Viribus, forma, ingenio valuit. Multis ſceleribus clarus effectus eſt, adoptatus à Micipſa. Idem, à Boccho rege genero ſuo proditus, vinctus Syllæ traditur. Romam à Mario perductus in triumphũ, in carcere mœrore periit. Meminit liberorum eius confuſe Saluſtius. Appianus in l. 1. Ciuilium memorat.
    - Oxintam, qui in Venceſina cuſtodia aſſeruatus, à papio eductus eſt, ornatuſq; purpura, ad quem Numidæ transfugiebant.
    - Filiam, quæ Boccho regi nupſit, qui ſocerum Iugurtham Romanis prodidit.
- Filia innominata mater Aſdrubalis Pœni, qui Carthagine Prætor, alterius Aſdrubalis criminationibus, quod Rempub. Guluſſæ proderet, in curia ſubſelliis obrutus interiit. Appia. in Pun. Flor. Epit. 50.
- Alios pleroſque habuit ex concubinis. Nam Eutropius l. 4. ait eum anno vitæ ſuæ nonageſimo ſeptimo defunctum, filiis 44. relictis. Valer. l. 5. c. 2. ait quatuor & quinquaginta filiorum numerum reliquiſſe. Appianus in Pun. Naſcentibus decedentibuſque filiis, nunquam minus decem habuit, & nouiſſimum quadriennem nonagenarius reliquit.

IX. *Himilco Phamæas ſe dedit Scipioni.*

Eadem tempeſtate cum Scipio, & Himilco Phamæas occurriſſent ſibi, induxit Phamæam Scipio ad defectionem, quando patriæ ſaluti eſſe non poſſet; promiſſa apud Romanos nō ſolum venia, ſed etiam gratia. Nec ille admodum cunctatus, mox cum bis mille & ducentis ferme equitibus eam executus, Scipioni, cui ſe ſuóſque crediderat, adæſit: quo facto Manilius, qui rurſum imprudenter Haſdrubalem aggreſſus, in periculum Romanos adduxerat, impune euaſit, hoſtium viribus tanta equitatus deceſſione diminutis, & Scipione cum Guluſſa & Phamæa commeatum ex præda ſuppeditante.

Ambo Romam veniunt.

Manilius autem audito ſucceſſorem ſibi venire Calpurnium Piſonem, præmiſit Romam Scipionem cum Phamæa. Eum exercitus ad naues deduxit, comprecatus ſuperos, vt eum Conſulem in Africam reuertentem, ad expugnandam Carthaginem videret: idque multi Romam ſcribebant ad ſuos. Senatus Scipionem publice laudauit, Phamæam honorificis etiam cumulauit donis, iuſſitque ampliora ſperare, ſi bello conficiendo ſtrenuam operam attuliſſet. Ille omnia pollicitus, in Africam ad Romana caſtra reuerſus eſt.

X. *Res à nouo Conſule geſta.*

Inevnte vere Calphurnius Piſo Conſul eodem venit, cum L. Mancino claſſis præfecto, qui nec Carthaginem tentarunt, nec Aſdrubalem, ſed bellum circa oppida circuntulerunt. A Clupea terra marique oppugnata repulſi ſunt. Piſo propinquum oppidum cepit, ac diripuit: priorem locum Zonaras Aſpidem vocat, poſteriorem Neapolim. Inde Hippagretam (Zonaras Hipponem appellat) quæ media inter Carthaginem & Vticam, Romanos commeatus intercipiebat, profectus eſt, ſperans ſe pœnas ab oppidanis de latrociniis exacturum. Sed cum ad eam vrbem rebus omnibus inſtructam per totam æſtatem aſſediſſet, & obſeſſi bis eruptione facta, Carthaginienſibus quoque opem ferentibus, Romanorum machinas incendiſſent, infecto negotio, irritóque labore Vticam in hyberna diſceſſit.

Parum feliciter.

XI. *Pœni animi eriguntur.*

At Carthaginienſes ſpe atque animis erigebantur, cum & Aſdrubalis exercitum haberent incolumen, & ad Hippagretam ſuperiores fuiſſent: aucti etiam octingentis equitibus Numidis, qui Bithya duce à Guluſſa transfugerant, Phamææ iactura aliquatenus reſarcita, viderentque alios Maſſaniſæ filios, in ſuppeditandis armis pecuniiſque, tardiores, quaſi rei euentum expectantes, quos ipſi quoque à Romanis territabant, quaſi ſublata Carthagine, etiam ipſi ſubiugandi eſſent. Eundem quoque terrorem Mauris liberis ingerebant. Miſerunt & in Macedoniam alios, ad vulgo creditum Perſei filium, qui tunc bellum gerebat aduerſus Romanos, hortantes vt bellum fortiter duceret; non illis naues & pecunias Carthagine defuturas.

Fouent Andriſcū.

Hæc fere in Africa hoc anno geſta, præter nonnulla quæ cum rebus Scipionis coniuncta, commodius ſequenti anno dicentur.

XII. *Res Macedonica à Metello bene geſta.*

Cæterum in Europa fœlicius à Q. Cæcilio Metello Prætore, contra Andriſcum Pſeudophilippum Macedoniam occupantem, geſta res eſt, & damna Iuuentij Prætoris caſu accepta, reparata. *Prætore Metello*, inquit Florus. [a] *Populus Romanus amiſſum cum legione Prætorem pleniſſime vltus eſt. Nam & Macedoniam ſeruitute mulctauit, & ducem belli deditum, ab eo ad quem confugerat, Thraciæ regulo, in vrbem in catenis reduxit: hoc quoque illi in malis ſuis indulgente fortuna, vt de eo populus Romanus, quaſi de vero rege triumpharet.* Sic ipſe. Eutropius addit receptam à Metello Macedoniam, viginti quinque millibus militum Andriſci interfectis. Addamus & Zonaram, qui rem paulo exactius recitat. Poſt hæc, inquit, in Theſſalia paſſim graſſatus Thraces ſibi adiunxit. Quamobrem Romani Q. Cæcilium Metellum Prætorem cum magnis copiis miſerunt, cui Macedoniam ingreſſo Attalus claſſe auxilio venit. a l.2.c.14.

XIII. *Andriſcus diuiſis copiis vincitur.*

Andriscvs igitur de ora maritima ſolicitus, vlterius progregi non eſt auſus, ſed paulum extra Pydnam productis copiis, equeſtri prælio victor, metu pedeſtris exercitus retro abiit. Ea tamen victoria elatus, copiis bifariam diuiſis, partem ad vaſtandam Theſſaliam miſit, partem apud ſe retinuit. (Stulto vtique conſilio, quodque hominem ſtatim præcipitauit in interitum.) Metellus enim eorum paucitate contempta, in aciem deſcendit, ac victis iis qui primi ad manus venerant, facilius etiam cæteros ſubactos ad deditionem compulit, ingenue peccatum ſuum agnoſcentes. Andriſcus vero in Thraciam profugus, reparatis copiis cum Metello,

progrediente qua res ferebat conflixit, ſuiſque propugnatoribus profligatis, ſociiſque diſſipatis, à Byzo Thrace proditus, pœnas dedit. Et Domitori ſuo Macedonici cognomen inuitus fabricatus eſt. *Et proditione capitur.*

XIV. *Græci legatis Romanis iniurij.*

Sed & Alexander quidam Perſei filium ſe profeſſus, regionem Meſto flumini adiacentem occupauit, quem Metellus vſque in Dardaniam eſt perſecutus. Hactenus Zonaras, qui conſequenter res à Calphurnio Piſone in Africa geſtas exponit, ſignificans eodem anno hæc contigiſſe, ſicut & Appianus, vt paulo ante dictum eſt, quod Obſequens quoque confirmat. Sub hæc ipſa tempora, bis legatos Romanorum à Græcis violatos ex Polybio [a] conſtat. Primum ea legatione cuius princeps fuerat Aurelius; qui Senatui retulit prope factum fuiſſe, vt & vitæ & omnium rerum periculum adirent. Iterum quando miſſi à Metello legati blande conabantur eos à ſtudio contentionis auertere, & ab odio Romanorum, cum turbæ continere ſe nequiuere, ſed legatos ſubſannantes, cum tumultu ac clamore concione eiecerunt. Et cum omnes inquit, ciuitates ſtultitia, quaſi populari quodam morbo, tenerentur, Corinthiorum tamen præ cæteris amentia inſignis extitit. Sic Polyb. quæ cauſa fuit vt Corinthij præ cæteris pœnas darent.

a n 143. & 144.

XV. *Semina belli Achaici.*

Metellus in Macedonia Prætor, cum cognouiſſet res in Peloponneſo, & Achaia valde perturbatas, eo legatos miſit, ad res placide ac pacifice componendas, vt ſcribit Polyb.[b] In iis legatis valde mihi mirum videtur numerari Scipionem Africanum; quippe qui anno præterito in Africa fuerat, & hoc anno Romæ candidatus erat: ſi non placet in eius nomine irrepſiſſe mendum, aut deceptum fuiſſe Polybium, cum ait Scipionem in Peloponneſum miſſum cum Fannio, Gabinio, atq; Papyrio. Qui cum in concilium Achæorum, quod Corinthi celebrabatur, veniſſent, ſingulari humanitate Achæos mitigare conati ſunt, qui propter violatos Romanorum legatos metu efferati, bellum moliebantur, verbo quidem in Lacedæmonios, re autẽ ipſa in Romanos; quo autem mitius à Romanis tractabantur, hoc illi ferocius inſoleſcebant, perſuaſi ſe à Romanis timeri, qui bello Punico, & Celtiberico tenerentur, hanc illis inſaniam Critolao præ cæteris inſtillante.

b in legat. n. 144.

XVI. *Eiuſdem cauſa ex Iuſtino.*

Cavsam huius belli Iuſtinus in Romanos transfert, Soli, inquit, Achæi ex vniuerſa Græcia nimis potentes tum temporis Romanis videbantur, non propter ſingularum ciuitatum nimias opes, ſed propter conſpirationem vniuerſarum. Quid ergo eſt quod Achæorum primarios, quos apud ſe Romæ habebant, iam inde à ſubacta ab Æmylio Paulo Macedonia, vt teſtatur Zonaras, liberos nuper dimiſerant. Si eorum concordiam timebant, dimiſſos non oportuit, ſi non timebant, quid opus erat ab Achæorum cœtu Spartam & Corinthum ſeparare voluiſſe? vt affirmat Pauſanias in Achaicis, vbi ait conuocatis Corinthi populis ſententiam Senatus aperuiſſe: placere Spartam & Corinthum ab Achæorum concilio ſeiungi, tum Achæos in Lacedæmonios, & reliquos qui tum Corinthi peregrinabantur, ſine vllo legatorum Romanorum reſpectu inuaſiſſe, & Lacedæmonios quidem in vincula coniecisſe, cæteros eiecisſe, & Critolaum belli ducem elegiſſe. Bœotos etiam, qui grandi pecunia à Metello mulctati fuerant, ad arma concitaſſe. Quod autem Pauſanias de duabus ciuitatibus Sparta & Corintho dicit, id Florus in Epit. 51. de omnibus ciuitatibus, quę in ditione Philippi fuerant, affirmat. Iuſtinus autem vniuerſe de omnibus, ea ſpecie ac prætextu, vt ſingulæ legibus ſuis, iuribuſque vterentur.

Anno ab V.C. 603. vt refert ex Plutarch & Pauſan. Caſaub. in Synopſi Polyb.

XVII. *Viriathus Vnimanũ delet.*

C. Plavcio in bello Celtiberico contra Viriathum ſucceſſit Claudius Vnimanus Prætor, de quo hæc habet Florus. [c] Viriathus inquit, caſtra Prætorum & Præſidum aggreſſus, Claudium Vnimanum pene ad internecionem exercitus cecidit, inſignia trabeis & faſcibus noſtris quæ cœperat, in montibus ſuis trophæa fixit &c. meminit oppreſſi Vnimani Victor in libello de vir. illuſtr. n. 71. & Paulus Oroſius, [d] ex citato Flori loco. Quem mirum eſt ab Appiano, & Pighio eximiæ diligentiæ viro prætermiſſum.

c l. 2. c. 17.

d l. 5. c. 4.

ANNVS MVNDI 3907. SEXTÆ ÆTATIS 391.

IMPERII GRÆCORVM 165. ALEXANDRI BALÆ 5. IONATHÆ PONTIFICIS 14. PTOLEMÆI PHILOMET. 33. OLYMPIADIS CLVIII. AN. 2. VRBIS COND. 606. COSS. P. CORNEL. SCIPIONE, QVI ET AFRIC. MINOR. ET C. LIVIO DRVSO. BEL. CELT. 7. TERTII PVNICI 3.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 146.

I. *Res huius anni.* HABET hic annus bellicas in Syria turbas, Alexandrum inter & Demetrium Demetrij filium, quas deinceps Scriptura [a] perſequitur, proptereáq; nos ab iis ducemus initium: ſequentur deinde Punica, & Celtiberica; ſicque in tribus Mundi partibus miſeros mortales, ſe miſeris modis in interitum rapiẽtes ſpectabimus. *a l. 1. c. 10. 67.*

Filius Demetrij venit contra Alexandrum. *In anno centeſimo ſexageſimo quinto venit Demetrius filius Demetrij à Creta, in terram patrum ſuorum*, vtique paterni regni recuperandi cauſa. *Acceptis*, inquit Ioſephus, *multis mercenariis militibus à Laſthene Cretenſi, ſoluens ab ea inſula, traiecit in Ciliciam.* Rem paulo pluribus habet Iuſtinus l. 35. cum belli huius cauſa, occaſione, & apparatu.

II. *Eius ætas, belli cauſa, occaſio, apparatus.* DEMETRIVS, inquit, *annos pubertatis egreſſus*, tenera illum adhuc ætate fuiſſe illud perſuadet, quod eius pater, ſub mortẽ Antiochi Epiphanis, tres & viginti annos natus fuit: [b] ille autem mortuus eſt anno regni Græcorum centeſimo quadrageſimo nono, à quo hic decimus ſextus annus eſt; quæ potuit eſſe ætas huius Demetrij iunioris. Illa enim ætate clam Roma euaſit, & quam primum regno potitus, accepta vxore Demetrium iſtum genuerit. Pergit Iuſtinus. *Audita Alexandri luxuria, quem inſperatæ opes, & alienæ fœlicitatis ornamenta, velut captiuum inter ſcortorum greges, deſidem in Regia tenebant, auxiliantibus Cretenſibus, ſecurum, ac nihil hoſtile metuentem aggreditur. Antiochenſes quoque, veterem patris offenſam nouis meritis correcturi, ſe ei tradunt: ſed & milites paterni fauore Iuuenis accenſi, prioris ſacramenti religionem noui regis ſuperbiæ præferentes, ſigna ad Demetrium transferunt.* Sic Iuſtinus. *b Polyb. legat. 107.*

III. *Alexander defenſionem parat.* Ex quibus illuſtratur quod de Alexandro Scriptura ſubdit. *Et audiuit Alexander Rex, & contriſtatus eſt valde, & reuerſus eſt Antiochiam*, vt ſcilicet Antiochenorum defectionem impediret. Reuerſus autem eſt ex Phœnicia, vnde properauit Antiochiam, vt ibi res in tuto ante Demetrij aduentum conſtitueret, quæ ſcilicet pro inſita Antiochenis leuitate, nutabant.

1. *Diuerſi Apollonij.* *Et conſtituit Rex Demetrius Apollonium ducem, qui præerat Cæleſyriæ.* Multos legimus in his libris Apollonios, vnum Tharſææ filium, tempore Seleuci regis, præfectum Cœleſyriæ & Phœnicis. [c] *c 2. Mach. 3. 5.*

2. Alterum Mneſtæi filium, quem Epiphanes à principio regni ſui miſit in Ægyptum, [d] qui cum exercitu duorum & 20. millium Hieroſolymam occupauit, [e] quem à Iuda occiſum cenſet Lyran. [f] *d 2. Mach. 4. 21.* *e 2. Mach. 5. 24.* *f l. 1. c. 3. 11.*

3. Tertium Apollonium Gennæi filium, qui ſub Eupatore vexabat Iudæos, nec eos pace à Lyſia data frui patiebatur, de quo 2. Mach. 12. 2.

IV. *Apollonius dux Demetrij iunioris contra Iudæos.* QVARTVS eſt hic Apollonius, quem Ioſephus Daum cognominat, [g] quem credibile eſt ducem fuiſſe Cœleſyriæ tempore Demetrij Soteris, neque tum quidquam contra Ionathan & Iudæos memorabile gerere potuiſſe, eique præfecturam Syriæ poſt Demetrii mortem, ab Alexandro, in defectionis præmium confirmatam. Idem ex Iuſtino firmatur; qui ait milites paternos ad filium Demetrium ſigna tranſtuliſſe. *τὸν Δάον.* *g l. 13. c. 8.*

Hunc ergo Apollonium conſtituit exercitus ſui ducem ad Iudæos, qui Alexandro fauebant, [a] debellandos, dum ipſe Antiochiam proficiſcitur. Apollonius autem *congregauit exercitum magnum, & acceſſit ad Iamniam*, erat ea vrbs maritima Palæſtinæ egregie munita, ſicut & Ioppe, & Geth, & Azotus. Accaron quoq; & Aſcalon, de quibus omnibus mox fiet mentio. Cum autem caſtra metatus eſſet ad Iamniam, *miſit ad Ionathan ſummum ſacerdotem dicens, Tu ſolus reſiſtis nobis.* In Græco, extolleris, eleuaris ſuper nos. Tigur. intumeſcis aduerſus nos. Volebat ſcilicet Apollonius Ionathan, ſicut & reliquos, relictis Alexandri partibus, ſecum ad Demetrium tranſire; ſed ille in fide perſtabat. Volebat quoque Ionathan [b] Iudææ ducem, agnoſcere ipſum vt ſuperiorem, vt qui Cœleſyriæ præpoſitus erat, ad quam Iudæa referebatur. Cum Ionathas ſolum Alexandrum agnoſceret, à quo poſitus fuerat inter primos amicos, atque adeo dux & particeps principatus.

[a] Supra v. 47.

[b] l.1.c.10. 65.

Cur de Ionatha conqueratur.

V. *Eiuſdem inuidia & iactantia.*

EA igitur inuidiæ cauſa erat, quod Ionathas ab Apollonij iuriſdictione exemptus eſſet. Hinc iſtæ querelæ. *Ego autem factus ſum in deriſum, & in opprobrium, propterea quia tu poteſtatem exerces in montibus aduerſum nos. Nunc ergo ſi confidis in virtutibus tuis*, copiis videlicet militaribus, *deſcende ad nos in campum, & comparemus illic inuicem*, ſiue decertemus cominus, armis corporibuſque coniunctis, *quia mecum eſt virtus bellorum*, ſiue ciuitatum. Legit enim interpres πολέμων, in Græcis tamen conſtanter legitur πόλεων, quomodo habet etiam Ioſephus. Idem videtur ſentire Apollonius, quod olim milites Benadab Regis Syriæ. [c] *Dij montium ſunt dij eorum, ideo ſuperauerunt nos, ſed melius eſt vt pugnemus contra eos in campeſtribus, & obtinebimus eos.* Sed vt illi tunc, ſic & Apollonius hoc tempore, fruſtratus eſt expectatione ſua.

[c] 3. Reg. 20.23.

VI. *Reliqua eiuſdem vanitas.*

AVDIAMVS vero reliquam Apollonij vanitatem. *Interroga, & diſce quis ſum ego, & cæteri, qui auxilio ſunt mihi, qui & dicunt, quia non poteſt ſtare pes veſter ante faciem noſtram, quia bis in fugam conuerſi ſunt patres tui in terra ſua. Et nunc quomodo poteris ſuſtinere equitatum, & exercitum tantum in campo, vbi non eſt lapis, neque ſaxum, neque locus fugiēdi.* Non libet excutere Thraſonicas iſtius orationis ineptias. Ioſephus recte explicat. Prouoco te in eum locum, vbi armis non ſaxis pugnandum eſt, & in quo nullum præſto eſt victo refugium. Habes & huic ſimilem Rabſacis iactantium.[d] Quod autem ait bis fuiſſe in fugam actos Iudæos, videtur intelligendum tum de pugna, in qua cecidit Iudas, [e] tum de fuga Mathathiæ cum filiis ſuis. [f]

[d] 4.Reg.18.

[e] l.1.c.9.18.

[f] 1.Mach. 2.28.

VII. *Ionathas ei eripit Ioppen.*

VT autem audiuit Ionathas ſermones Apollonij, *Motus eſt animo, & elegit decem millia virorum, & exijt ab Ieruſalem, & occurrit ei Simon frater eius in adiutorium.* Vtique cum aliquibus copiis, quibus dudum propugnabat dies multos oppidum Bethbeſſen, aduerſus Bacchidem. [g] *Et applicuerunt caſtra in Ioppen, & excluſit eum à ciuitate*, populus videlicet eius vrbis; aut potius præſidium, quod in ea habebat Apollonius, non permiſit Ionathan cum ſuis in vrbem ingredi; id enim illa verba ſignificant, *quia cuſtodia Apollonij Ioppe erat. Et oppugnauit eam; & exterriti qui erant in ciuitate, aperuerunt ei, & obtinuit Ionathas Ioppen.* Hoc iam primum facto glorioſe refutata eſt Apollonij vaniloquentia, præſertim cum Iamnia, quam inſederat Apollonius, perquam vicina eſſet Ioppe.

[g] l.1.c.9.v. 63. & ſeqq.

VIII. *Apollonius conatur Ionathan cōcludere.*

HIC Appollonius, qui equitatu valebat, cupiens Iudæos in planicie concludere, progreditur meridiem verſus, relicta parte equitatus, quæ mox à tergo Iudæos, qui inſtarent abeuntibus, adoriretur, ſimulque facie conuerſa hoſtiles copiæ, quæ anteceſſerant eiſdem inſtarent: ſed ipſammet Scripturam audiamus.

Et audiuit Apollonius amiſſam Ioppen, & admouit, inſtruxit ad pugnam, *tria millia equitum, & exercitum multum*, pedeſtrem ſcilicet, quem octo millium fuiſſe Ioſephus ait, *& abijt Azotum tanquam iter faciens, & ſtatim exijt in campum, eò quod haberet multitudinem equitum, & confideret in eis, & inſecutus eſt eum Ionathas in Azotum, & commiſerunt prælium.* Græca phraſis verti poteſt, appropinquauerunt exercitus ad committendum prælium: agnouit enim inſidias Ionathas priuſquam pugnaretur, alioqui circuncluſus, & vtrinque cæſus ab hoſte fuiſſet. Idque vidit etiam Lyranus: ait enim non commiſiſſe ſtatim prælium, ſed poſtea.

συνῆψαν αἱ παρεμβολαὶ εἰς πόλεμον.

IX. *Relicto Iamniæ equitatu.*

ET reliquit Apollonius in caſtris mille equites poſt eos occulte, ad Iamniam ſcilicet, vbi iam ante caſtra metatus fuerat. Eſt autem diſpoſitio, & ſitus harum vrbium Ioppe, Iamnia, Azotus, qualis eſt harum literarum A. B. C. Ionathas potitus erat Ioppe, Apollonius caſtra metatus erat in Iamnia, ibique, abiens

verſus Azotum, reliquerat occulte mille equites, in quodam torrente, vt ait Ioſephus, vt cum Ionathas ſequens Apollonium prætergreſſus eſſet Iamniam, illi ex inſidiis emergerent, & Iudæorum terga cæderent. Cum autem appropinquarent exercitus, *cognouit Ionathas quoniam inſidiæ ſunt poſt ſe*, vtpote qui ſuperauerat Iamniam, *& circuierunt* equites illi qui ex inſidiis emerſerant, *caſtra eius*, ſcilicet Ionathæ, *& iecerunt iacula in populum*, in exercitum Ionathæ, *a mane vſque ad veſperam. Populus autem ſtabat, ſicut præceperat Ionathas.* Præceperat autem, vt ait Ioſephus, vt obiectis ſcutis exciperent tela immiſſa ab equitibus; qui cum hoc feciſſent, exhauſti ſunt telis equites, nec tamen quemquam læſerunt. Non enim penetrabant ad corpora, ſed obiecta ſcutorum teſtudine, denſitate eorum facile repellebantur, & cadebant irrita. Hæc ipſe.

Qui iaculatur in Iudæos.

X. *Pugna Simonis & victoria.*

Et *laborauerunt equi eorum*, ſcilicet alienigenarum, id eſt equitatus fatigatus eſt diuturna iaculatione, vt ſtatim ſubditur. *Et eiecit Simon exercitum ſuum, & commiſit contra legionem; equites enim fatigati erant, & contriti ſunt ab eo*, ſcilicet legionarij pedites, *& fugerunt, & qui diſperſi ſunt per campum, fugerunt in Azotum, & intrauerunt in Beth Dagon idolum ſuum, vt ibi ſe liberarent.* Videtur legendum, vt in Græco eſt, Idolium, quod eſt idoli phanum ſiue domus: alioqui dicendum eſſet, in domum Dagon idoli ſui. Nam Beth Dagon non eſt idolum, ſed Dagon; & ita legit Sà, & Serar. imo & Ioſephus, vt mox dicam. Hi autem qui diſperſi erant, per campum erant equites, vt eſt in Græco. Recte Tigurina totam hanc ſententiam vertit hoc modo. Tum Simon acie ſua explicata phalangem adortus eſt (Nam laſſatus erat equitatus) qua ab eo fuſa & fugata, equites quoque ſparſa per campum fuga petentes Azotum, in ædem Dagonis ſimulachri ſui confugerunt. 1. 1. Mach. c. 10. v. 82.

XI. *Ex Ioſepho.*

Recte quoque Ioſephus. Vbi vero, inquit, iaculando à mane vſque poſt meridiem laſſatum hoſtem animaduertit Simon, Phalangem aggreditur, & vſus egregia ſuorum opera, hoſtem coëgit fugere. Quo viſo equites ne ipſi quidem locum ſuum tenuerunt, ſed feſſi diutina iaculatione, & videntes nihil amplius ſpei ſitum in peditibus, nullo ordine confuſi fugiebant, diſſipati per totam planiciem. Ionathas autem victos Azotum vſque perſequens, multis cæſis, reliquos deſperata ſalute in templum Dagonis, quod eſt in ea vrbe, compulit. Hæc Ioſephus. Pergit autem Scriptura [a] exponere reliquam victoriam. a v. 84.

Reliquiæ victoriæ.

Et *ſuccendit Ionathas Azotum, & ciuitates quæ erant in circuitu eius, & accepit ſpolia eorum, & templum Dagon, & omnes qui fugerant in illud ſuccendit igni: & fuerunt qui ceciderunt gladio, cum his qui ſuccenſi ſunt, fere octo millia virorum.* Eadem habet Ioſephus, qui vicinas ciuitates interpretatur circumpoſitos pagos: & vrbem Azotum captam eodem impetu tradit, irrumpentibus videlicet Iudæis, vna cum fugientibus.

XII. *Deditio Aſcalonis.*

Hac altera victoria refutata eſt inanis Apollonij iactantia. Sequitur tertia, ſed incruenta ad Aſcalonem, quæ aliquanto vltra Azotum erat, meridiem verſus, media inter Azotum & Gazam. Ionathas ergo victoria præclare ſapienterque vſus, *Mouit inde caſtra, & applicuit ea Aſcalonem*, ſi forte illi vt Ioppitæ reſiſterent: ſed illi proxima Azotiorum clade edocti, *exierunt de ciuitate obuiam illi in magna gloria*, magno videlicet cum honore afficientes, Ioſephus, cum hoſpitalibus muneribus. *Et reuerſus eſt Ionathas in Ieruſalem, cum ſuis habentibus multa ſpolia*, data Apollonio iuſtiſſima cauſa dicendi, *ego autem factus ſum in deriſum, & in opprobrium.*

XIII. *Aliquot errata Ioſephi. Primum.*

Nvnc ſi placet confectum iter remetiamur, vt nonnullis in locis Ioſepho labenti opem feramus. Primum autem in limine grauiter lapſus eſt, dum hunc Apollonium facit non Demetrij cum Scriptura, quæ ait, *Et conſtituit Demetrius rex Apollonium ducem*, ſed Alexandri ducem. Quod etiam cum manifeſta ratione pugnat: non enim Ionathas, qui ſtabat ab Alexandro, contra eum pugnaſſet. Vnde illud quoque non recte queritur apud ipſum Apollonius, cum viuere non ſubditum Regis imperio. Alexandro enim plane addictus erat relicto Demetrio, vt totum hoc caput docet.

Secundum.

Secundo labitur dum Apollonij nomine dicit, eius copias, Iudæorum maiores ſemper aſſuetas vincere. Non ita deſipuit Apollonius; nimis enim apertum fuiſſet, atque impudens mendacium, cum plus decem, aut duodecim præliis illi victi eſſent. Iudæi autem vix ſemel atque iterum.

Tertio labitur in exitu ciuitatis, vnde educit Ionathan ac Simonem, cum Scriptura dicat Simonem occurriſſe Ionathæ, cum hic exiiſſet Ieroſolymis. Satius erat illum eo ex loco adducere, vbi eum Scriptura reliquerat.

Qvarto labitur, & inutili labore vexat Apollonium, quem omiſſa Iamnia, deducit Azotum cum copiis, deinde reducit Ioppem; indéque rurſum deducit Azotum verſus. Cum ex Scriptura conſtet eum recta veniſſe Iamniam, & inde profectum Azotum verſus, ad eliciendum Ionathan ad certamen. XIV. *Quartum.*

Inſtructam in laterculi formam aciem non arguo, quia Scriptura id non refellit. Quod autem quis forte reprehendat, quod dixerit de Ionatha, hortatus eſt ſuos, vt vtrinque pugnarent in hoſtem; cum eos ſtantes, & quietos Scriptura faciat, donec fatigatus eſt hoſtis; id non Ioſepho, ſed interpreti potius tribuendum eſt, qui hoc loco πολεμίους ἀμύνεσθαι, reddidit, pugnare in hoſtem, cum id ſit tantum arcere impetum eorum, & tela propulſare, impetum tamen proprium cohibere.

Qvintvm nihilominus lapſum, Ioſephus merito proprium agnoſcat, & ſuum, & ex primo propagatum. Cum enim Scriptura dicat, *& factum eſt, vt audiuit Alexander Rex ſermones iſtos, addidit adhuc glorificare Ionathan, & miſit ei fibulam auream, ſicut conſuetudo eſt dari cognatis Regum: & dedit ei Accaron, & omnes fines eius in poſſeſſionem.* Ioſephus autem memor ſe initio dixiſſe Apollonium ducem fuiſſe Alexandri, eundem errorem dedita opera confirmans, ait ſimulatam fuiſſe Alexandri lætitiam. Audi enim eum. Cæterum Alexander, audito quod victus eſſet dux eius Apollonius, ſimulabat ſe lætum, quandoquidem ille, præter animi ſui ſententiam, aggreſſus eſſet Ionathan amicum, & ſocium, &c. Sequens porro expeditio, quoniam ad ſequentem annum pertinet, abeamus in Africam. XV. *Quintum.*

Cvm in vrbe de Piſonis ſegnitie, & hoſtium incrementis nunciatum eſſet, & Scipio rerum iam in Hiſpania, & Africa, quamuis ſine imperio, geſtarum gloria celebraretur, omnes optabant illum in Africam mitti Conſulem: & inſtabat comitiorum dies. Sed obſtabat ætas viri, nondum ad ſummum magiſtratum per leges idonea; minor enim erat decem annis ætate legitima, Epit. 50. Et ipſe ædilitatem ambiebat, cum populus Conſulatum obtulit. Contradicentibus autem Conſulibus, aut Senatoribus potius aliquantum repugnantibus, vt ait Flor. epitom. 50. & legem obiicientibus, peruicit populus, vt crearetur Conſul: legum ſe quippe, & comitiorum arbitrum, iam inde ab vrbis exordio factum eſſe; velle ſe Scipionem ea nunc lege ſolutum eſſe. Quin etiam Druſo Collega ſortitionem prouinciarum Conſularium de more poſtulante, populus extra ſortem Scipioni Africam dedit, permiſitque vt ex delectibus ſupplementum conſcriberet, voluntarios acciperet, & ad reges ac ciuitates arbitratu ſuo literas daret, nomine populi Romani, ad auxilia belli; quæ & impetrauit. XVI. *Scipio ætate immatura fit Conſul.* *Extra ſortem ei datur Africa.*

Rebvsqve ita diſpoſitis, vela fecit in Siciliam, atque inde Vticam traiecit; & aduentu ſuo Mancinum claſſis præfectum, qui in munitione quadam, in quam ſe in ſuburbio temere coniecerat, clauſus, ad deditionem breui fame adigendus erat, & per præruptas rupes agendus in præceps, adductis eo copiis liberauit; eóque facto ad tria millia & quingentos milites, maxima ex parte inermes, præſenti morti eripuit. Iam enim à Carthaginienſium exercitu circunuenti, vim telorum, & vulnera vltra ſuſtinere non poterant: ſed imminente Scipione, dum Pœnus aliquantulum cedit, Scipio recipit ſuos. Mancinum Romam remiſit, quoniam ei Serranus ſucceſſor aduenerat claſſicæ præfecturæ: & caſtra non longe ab vrbe metatus eſt. Pœni quinto à mœnibus ſtadio, Aſdrubale duce, caſtra locarunt. XVII. *Ad quam vela facit.* *Liberat Mancinũ præfectum.*

Deinde Scipio cogitans nunquam deuicturum ſe hoſtes, niſi ſuos in poteſtate haberet; idque niſi reſtaurata diſciplina militari, quæ collapſa erat, fruſtra ſe deſideraturum; induſtriam ſuam in eam rem primum contulit, & exhortatus ad officium milites, caſtra repurgauit, latrocinia, negociationes, delicias ſuſtulit, & ad exequenda mandata promptos reddidit, atque expeditos. Inde Megara, qui locus erat in vrbe peramplus mœnibus contiguus, nocte duobus ex locis XVIII. *Diſciplinam militarem inſtaurat.* *Megarám occupat.*

aggreſſus occupauit, eoque cum quatuor millibus introgreſſus, celeriter Carthaginenſes intra Byrſam, quaſi capta reliqua vrbe, compulit. Erat autem Byrſa, arx in edito vrbis loco, & imminens mari. Inde tamen, locum ſuis periculoſum ratus, mox receſſit. Zonaras eum locum vocat Megalia, dicitque à Mancino occupatum, & cum à Carthaginenſibus ibi vehementiſſime premeretur, à ſuperueniente Scipione liberatum, eundemque Scipionem ſub noctem mediam, transfugis ducibus, intra mœnia penetraſſe, & portis effractis, magnam ſuorum partem introduxiſſe.

XIX. *Inſignis Aſdrubalis crudelitas in Romanos.* Asdrubal indigne ferens eam audaciam, vbi lux rediit, quotquot ex Romanis captiuos habebat, productos in mœnia, vnde ſuis poterant eſſe conſpectui, aut oculis, aut linguis, aut neruis, aut pudendis mulctauit; aliorum plantas, aliorum digitos amputauit, aut pellem detraxit toto corpore, atque ita viuos præcipitauit per rupes; ne Carthaginenſibus vllam ſpem pacis à Romanis impetrandæ relinqueret; ſed in ſolis armis ſalutem reponerent. At res in contrarium ceſſit, vt inquit Appianus. Nam Pœni tam nefariorum facinorum ſibi conſcii, timidi potius quam audaces reddebantur; & Aſdrubalem oderant, qui veniæ ſpem eis præciderat, & Senatus eam immanitatem deteſtans, & intempeſtiuam vociferans, hominis furorem in ſe conuertit: eorum aliquot comprehenſos, vt proditionis ſuſpectos, occidit, tyranno propior, quam præfecto.

XX. *Scipio Carthaginem intentus obſidet.* Scipio caſtra hoſtium pridie deſerta, cum in vrbem fugerent, incendit, & vniuerſo iſthmo potitus, foſſam à mari ad mare per ſtadia viginti quinque, hoſte fruſtra impedire conante, perduxit, ad teli iactum ab hoſte ſemotus. Inde aliam ei parem duxit verſus mediterranea, non longe à priori diſſitam; additiſque duabus tranſuerſis totum locum quadrangulum fecit, & vallis acutis permuniuit: & rurſus interius alias foſſas effodit. Verſus Carthaginem murum duxit viginti quinque ſtadiorum longitudine, altitudine pedum duodecim, latitudine ſex; turribus ac propugnaculis per interualla eminentibus: in medio autē erecta turri altiſſima, ex qua quicquid in vrbe fiebat, conſpici poterat. His diurno nocturnoque labore intra dies viginti quatuor à milite perfectis, & ſuos in tuto collocauit, & magna commeatus penuria, qui magna ex parte terreſtri itinere deferebatur, ciuitatem afflixit; raro enim, vento & tempeſtate obſecundante, mari deuehebatur: & hunc ipſum Aſdrubal ſolis triginta millibus virorum, quos ad militiam delegerat, diſtribuebat; reliqua tota multitudine, quæ vel maxime fame premebatur, contempta. *Et commeatu excludit.* *Zonaras.*

XXI. *Scipio obſtruit os portus. Pœni aliud aperiunt. Nauale certamen.* Evm commeatum vt impediret Scipio, aggerem ex ſaxis prægrantibus deiecit in mare, ad claudendum os portus quod occidentem ſpectabat, cuius aggeris latitudo fuit viginti 4. pedum in ſuperficie, in imo autem quadrupla, eūque contentioſiſſimo totius exercitus labore perfecit: Pœnis vice verſa diuerſa portus parte aliud os aperientibus, non minus occulto, quam indefeſſo etiam mulierum labore; quo patefacto, magnam vim nauium inſtructarum eduxerunt, quibus deſertas tum Romanorum naues, ſi mens non læua fuiſſet, occupare potuerant, ſed ſtulta oſtentione contenti, in portum reuerterunt. Tertia inde die nauali prælio ad noctem vſque certamen eſt, paribus fere vtrimque damnis, atque emolumentis. Florus in Epit. 51. ait Afros infeliciter pugnauiſſe.

XXII. *Pœni machinas Scipionis incendunt.* Postridie cum Scipio inuaſiſſet aggerem, qui erat ante mœnia ſpacioſus, dudum ad recipiendas negotiatorum ſarcinas extructus, quod ex eo loco portum infeſtare commode poterat, & loricam huius belli tēpore ibi extructam, machinis quatere cœpiſſet, noctu Pœni, quamuis fame maliſq. fatigati, natatu conudi clam peruenerunt; & quāuis accenſis facibus agniti, ora & pectora configentur telis, non remittebant tamen impetum, ſed more ferarum in vulnera ruebant, donec incenſis machinis, nudi armatos propugnatores earum verterunt in fugam; dum fugitiuos Scipio non verbis ſolum, ſed plagis etiam ac cædibus ſiſteret: tantum terroris furor deſperatorum intulerat! Illi machinis incenſis domum natatu redierunt.

In aggere pugnatur. In eodem aggere ſatis diu pugnatum eſt, aliis antemurale inſtaurantibus, aliis certatim diruentibus. Eum tandem Scipio totum occupauit, foſſa muniit, & muro lateritio, pari cum mœnibus altitudine, nec longe ab iis di-

ſtante; quo abſoluto 4. millia militum aſcendere iuſſit, & tela in aduerſos hoſtes non parce ingerere, atque ita æſtas abſumpta eſt.

XXIII. *Nepheris occupata, cum magna hoſtiũ clade.*

Hyemis autem initio, Scipio ſtatuit Carthaginenſium copias & auxilia, quæ foris habebant, vnde illis commeatus ſubmittebantur, tollere. Dimiſſis igitur aliis alio ducibus, ipſe Nepherim cum Guluſſa, & C. Lælio, additis Numidis & elephantis, proficiſcitur; vbi dirutis caſtellis duobus, & vrbe per duos & viginti dies loco ac tempore frigido oppugnatis, partim vi, partim inſidiis & vrbe & caſtris hoſtilibus potitus, ad ſeptuaginta millia, connumeratis paganis, perdidit, cepit decem millia, euaſerunt circiter quatuor millia. Ea victoria plurimum ad expugnationem Carthaginis contulit, quod ab hoc exercitu, cui Diogenes quidam Aſdrubalis fautor præerat, commeatus ſuppeditarentur obſeſſis. His caſtris, & vrbe captis, reliqua eius regionis loca Scipionis ducibus dediderunt ſeſe; ita commeatus Carthaginenſes defecit: nec plura in Africa ad initium veris ſequentis geſta memorantur. Expugnatio enim ipſa ad annum ſequentem pertinet.

Et aliorum locorum deditione.

XXIV. *Res Viriathi.*

Hoc, vel ſequenti anno, neque enim certo conſtat, C. Nigidius Prætor Vnimano contra Viriathum ſucceſſit, eodem cum illo ſucceſſu: ab eodem quippe Viriatho Nigidius cum copiis ſuis oppreſſus eſt. Meminit eius Victor in libello de viris illuſtribus, numero 71. Pighius eum differt in annum ſequentem, non minore cum probabilitate. Florebat ergo Viriathus hoc tempore, & copiis in dies, viribuſque creſcebat; ſiue ad Romanorum faſtum comprimendum, ſiue ad Prætorum auariciam, & crudelitatem caſtigandam. Neque hic Nigidius cognomento figulus, alia re in Romana hiſtoria, quam clade à Viriatho accepta memoratur, ſicut neque Claudius ille Vnimanus, quem apparet altera manu debilem fuiſſe, vel mancum: aut eum certe cui primùm datum eſt id cognomen.

Et Metelli contra Achæos.

Cum clade Critolai.

Cvm autem bellicus Achæorum apparatus Romæ auditus eſſet, bellum eis indictum eſt, & prorogato Metello Prætori, qui Macedoniam regebat, imperio, in Peloponneſum armatus deſcendit, vt Sigonio placet. Zonaras tamen videtur ſignificare, illum ſponte contra eos profectum, verentem ne Macedoniam quoque inuaderent, qui iam in Theſſaliam intrauerant, ibique eos cæſo Critolao duce profligauiſſe. Idem recitat ex Polybio Paulus Oroſius libro quinto capite tertio; *Polybius Achiuus*, inquit, *quamuis tunc in Africa cum Scipione fuerit, tamen quia domeſticam cladem ignorare non potuit, ſemel in Achaia pugnatum Critolao duce aſſerit: Diæum vero adducentem ex Arcadia milites, ab eodem Metello Prætore* (Proprætore potius, licet Florus libro ſecundo capite decimo ſexto habeat Conſule,) *oppreſſum cum exercitu docet.* Ita Oroſius. At Zonaras Diæum contra Conſulem L. Minucium pugnaſſe ait, vt ſequenti anno dicemus; itáque cenſuit Liuius, vt ex Epitome quinquageſima ſecunda conſtat. *Cum Achæis*, inquit, *qui in auxilium Bœotios, & Chalcidenſes habebant, Q. Cæcilius Metellus ad Thermopylas bello conflixit: quibus victis dux eorum Critolaus veneno ſibi mentem conſciuit.* Eius autem ſucceſſorem à Mummio victum ſubdit, vt poſtea dicetur. Cætera ad annum, & Conſulatum L. Mummii pertinent.

ANNVS MVNDI 3908. SEXTÆ ÆTATIS 392.

REGNI GRÆCORVM 166. ALEXAND. 6. ET VLT. IONATHÆ DVCIS ET PONTIFICIS 15. PTOLEMÆI PHILOMETORIS 34. & vlt. OLYMP. CLVIII. AN. 3. VRBIS CONDITAE 607. COSS. CN. CORNELIO LENTVLO & L. MVMMIO ACHAICO. BELLI PVN. 4. & vlt. CELTIB. 8. ACHAICI 2.

ANNVS ANTE CHRISTVM 145.

I. *Expeditio Philometoris in Syriam.*

HABET hic annus expeditionem Philometoris in Syriam, & amiſſum ab Alexandro regnum cum ipſa vita, Philometore eandem regni & vitæ aleam, triduo poſt ſubeunte, vt ex l. 1. Machabæor. cap. 11. conſtat. [a] Quamquam mors vtriuſque ad ſequentis anni initia referri poſſet, id eſt Olympiadis centeſimæ quinquageſimæ octauæ quartum, cum Euſebio

a c. 11. v. 17. & 18.

Eiuſque cauſa.

Huius expeditionis cauſa alia vera erat, quam Scriptura expreſſit his verbis. *Et Rex Aegypti congregauit exercitũ, ſicut arenam quæ eſt circa oram maris, & naues multas, & quærebat obtinere regnum Alexandri dolo, & addere illud regno ſuo.* Eadem repetitur infra v. 11. Apparet autem illum eam cogitationem ſuſcepiſſe, vt altera ex parte cõpenſaret, quod ei à fratre ex Romanorum arbitrio fuerat diminutum. Iuniori enim Ptolemæo Romanos magis fauiſſe, clare ex Polybii legationibus intelligitur. Alia cauſa ſimulata fuit. Fingebat enim ſe auxilio venire genero ſuo Alexandro, contra Demetrium; proptereaq. Alexander omnia illi in vrbibus ſuis permittebat: & hanc cauſam ponit Ioſephus, omiſſa priore. *Per idem tempus*, inquit, *Ptolemæus Philometor, cum naualibus & terreſtribus copiis venit in Syriam, Alexandro genero laturus auxilium, alacriter excipientibus ipſius iuſſu ciuitatibus.* Pergit Scriptura.

n. 115. 116. 117. 132.

II. *Amice accipitur vbique.*

ET *exiit in Syriam verbis pacificis*, amicum ſe, vt ſocerum decebat, verbis oſtẽdens, *& aperiebant ei ciuitates, & occurrebant ei: quia mandauerat rex exire ei obuiam, eo quod ſocer ſuus eſſet. Cum autem introiret ciuitatem* aliquam *Ptolemæus, ponebat cuſtodias militum in ſingulis ciuitatibus. Et vt appropiauit Azoto, oſtenderunt ei templum Dagon ſuccenſum igni, & Azotum, & cætera eius demolita, & corpora proiecta, & eorum qui cæſi erant in bello tumulos, quos fecerant ſecus viam. Et narrauerunt regi, quia hæc fecit Ionathas, vt inuidiam facerent ei, & tacuit Rex.* Diſſimulanter audiſſe Regem Azotiorum querimonias, ait Ioſephus. Sicut enim Alexandri ruinam moliebatur, quamuis diſſimularet, ita & Ionathæ amici eius.

III. *Ionathas occurrit Philometori eumque comitatur.*

ET *occurrit Ionathas Regi in Ioppem cum gloria*, magnifico videlicet apparatu, ac comitatu, *& inuicem ſe ſalutauerunt, & dormierunt illic. Et abiit Ionathas cum rege vſque ad fluuium, qui vocatur Eleutherus*, quem Adrichomius vltra Ptolemaidem & Tyrum collocat, non longe à Sidone, ex Libano monte prorumpentẽ. Vide eũ in tribu Aſer n. 37. eum tamen Ptolemæus vltra Libanum collocat, *& reuerſus eſt Ieruſalem.* Ionathas, vt in tuto expectaret, quem res exitum habitura eſſet, in abſentia Alexandri, quam captarat Ptolemæus: erat enim tum Alexander in Cilicia, vt mox Scriptura refert. Præſidiorum quoque mutatio rem valde ſuſpectam reddebat. Tacuit nihilominus Ionathas.

IV. *Qui odium in generũ patefacit.*

REX *autem Ptolemæus obtinuit dominium ciuitatum*, quas præſidiis occuparat, *vſque Seleuciam maritimam, & cogitauit in Alexandrum conſilia mala*, atque adeo patefecit ante cogitata, cum ſe iam multarum in Syria vrbium poſſeſſorem vidit. Seleuciam porro maritimam vocat, quod in maris mediterranei littore ſita

ſit, prope Orontem fluuium, non longe ab Antiochia, vt eſt apud Ptolemæum tab. 4. Aſiæ, qui & eam Pieriam cognominat, ad differentiam aliarum multarum, Piſidiæ, Iſauriæ, Elimaidis, Gaulanitidis, Comagenæ, Parthorum, ſiue ad Tygrim, de quibus conſule Theſaurum Ortelii. Denique nouem Seleucias exſtructas à Seleuco Antiochi filio, author eſt Appianus in Syriacis, vbi ſic ait. *Ornauit imperium ſuum* (Seleucus Nicanor) *extructis per totam eius longitudinem vrbibus, quarum ſedecim à patre denominauit Antiochias, quinque a matre Laodiceas* (non ſex vt habet interpres, cum in Græco ſit πέντε) *nouem ſibi cognomines Seleucias, quatuor ab vxoribus, tres Apameas, vnam Stratoniceam. Ex quibus clariores nunc extant Seleuciæ duæ, altera ad mare* (hæc eſt quam Scriptura memorat) *altera ad Tigrim fluuium, &c.* Hactenus Appianus.

V. *Calumniatur Alexandrum.*

Et *miſit legatos ad Demetrium, dicens, Veni, componamus inter nos pactum, & dabo tibi filiam meam, quam habet Alexander, & regnabis in regno patris tui*, quod ſcilicet occupat Alexander, quem regno tibi debito extrudam. *Pœnitet enim me, quod dederim illi filiam meam, quæſiuit enim me occidere. Et vituperauit eum propterea quod concupierat regnum eius.* Satis opinor perſpicue docet Scriptura hanc fuiſſe criminationem confictam, veramque calumniam. Ioſephus tamen veram fuiſſe putat accuſationem, vt qui à Scriptura libenter diſſentit, & inſidias ab Alexandro factas, ſic explicat. *Poſtquam*, inquit, *Ptolemaidem peruenit, minimum abſuit, quin præter omnem expectationem, oppreſſus ſit Ptolemæus, Alexandri inſidiis, per Ammonium eius amicum, appetitus. Quibus detectis ſcripſit Alexandro, depoſcens Ammonium ad ſupplicium, quod meritum aiebat propter ſtructas ſibi inſidias. Qui cum non dederetur, intellexit ipſum Alexandrum earum fuiſſe autorem; & cœpit eum magno odio proſequi. Antiochenos autem iam antea infenſos habebat Alexander, propter eundem Ammonium, à quo plurimis affecti fuerant incommodis. Non tamen effugit pœnam Ammonius, turpiter, vt mulier cæſus, dum amictu fœmineo quærit latebras, vt in alio commentario diximus.* Hactenus Ioſephus; is commentarius non extat.

An vera inſidiæ Alexādri.

Ammonij cædes.

VI. *Conciliatur Scripturæ Ioſephus.*

Hæc autem ſi vera eſſe volumus, non male congruent cum Scriptura, ſi dicamus appetitum inſidiis Ptolemæum ab Alexandro, poſtquam animaduertit, ipſum ſibi multas Syriæ vrbes, propriis firmatas præſidiis, vendicaſſe: & id illum agere, vt generum è regno ſuo exturbaret. Ad hunc porro Ammonium videntur pertinere, quæ habet Florus Epitome quinquaginta Liuii. *In Syria*, inquit, *quæ eo tempore ex ſtirpe generis Perſei regis Macedonum, inertia ſocordiaque ſimilem Pruſiæ regem habebat: iacente eo in ganeo & luſtris Ammonius regnabat, per quem & amici omnes Regis, & Laodice regina, & Antigonus Demetrii filius occiſi.* Sic ibi. Locus, & tempus, & perſonarum nomina ſatis congruunt. Iuſtinus tamen l. 35. duos tantum Demetrii filios recēſet, vnum ipſe vocat Demetrium qui cognominatus eſt Nicanor, alterum Euſebius vocat Antiochum Sedetem, & vterque regnauit; tertium ergo oportet fuiſſe Demetrio filium, qui viuo patre artibus Ammonii fuerit interfectus. Nec male vocatur Demetrius de ſtirpe Macedonum. Nam reges Alexandri ſucceſſores, omnes fuere Macedones: ex quibus reges Aſiæ, & Syriæ, & Ægypti, & Macedoniæ propagati ſunt.

Ammonii dominatus in Syria.

VII. *Philometor dat filiam ſuam Demetrio.*

Pergit author. *Et abſtulit filiam ſuam, & dedit eam Demetrio*; non vtique quod eum magis amaret, quam Alexandrum; neutrum enim cupiebat poſſidere regnū, quod ipſe cupiebat ſibi: ſed noluit vtrumque ſimul habere aduerſarium, ſperans altero ſublato, alterum poſſe in ruinam impelli: *& alienauit ſe ab Alexandro, & manifeſtatæ ſunt inimicitiæ eius.* Fuit hæc mulier poſtea in ruinam Demetrio, à quo deficiens, eius fratri Antiocho Sedeti nupſit, vt ſuis dicetur locis.

Accipit diadema Syriæ.

Et intrauit Ptolemæus Antiochiam, & impoſuit duo diademata capiti ſuo, Ægypti & Aſiæ, ignarus vtrumque ſibi paulo poſt cum vita, in vltionem ambitioſæ cupiditatis, ereptum iri. Non videntur hæc conſentire, iis quæ paulo ante dicta ſunt, vbi promiſit Ptolemæus Demetrio, ipſum in regno Patris ſui regnaturum, idque regnum quaſi dotem fore noui matrimonii.

VIII. *An inuitus ex Ioſepho.*

Ioſephvs ait Ptolemæum id inuitum feciſſe, compulſum ab Antiochenis, quibus etiam mox perſuaſerit, vt Demetrium in regem reciperent. *At Demetrius*, inquit, *& amicitiam Ptolemæi, & oblatam coniugem perlibenter amplexus eſt. Vnus etiam reliquus erat labor Ptolemæo, vt Antiochenſibus perſuaderet Demetrium recipere*,

alienatis ab eo, propter iniurias à patre eius acceptas. Perfecit tamen hoc quoque. Nam propter Ammonium habentes exoſum & Alexandrum, facile impulſi ſunt, vt eum ex vrbe eycerent. Atque ita elapſus Antiochia venit in Ciliciam. Ptolemæus vero vrbem ingreſſus, & à ciuibus rex conſalutatus eſt, & ab exercitu coactus eſt duo ſibi imponere diademata, alterum Aſiæ, Aegypti vero alterum. Sed cum eſſet natura iuſtus, & nimiæ potẽtiæ minime cupidus: ad hæc prudens, & qui nollet Romanis inuidioſus fieri, aduocata Antiochenſium concione, perſuaſit, inquit *eis, vt Demetrium reciperent, pollicitus eum maiorem rationem habiturum recentis eorum beneficii, quam odiorum, quæ illis cum patre eius interceſſerant,* & mox. *Nam quod ad dominationem attineat, contentum ſe eſſe Aegypti imperio. Atque ita perducti ſunt in eam ſententiam Antiocheni, vt Demetrium reciperent.* Hæc Ioſephus, & Zonar. pene ad verbum.

IX. *Qui & arguitur ex Scriptura.* In quibus ille aperte cum Scriptura pugnat, cum eum minime ambitioſum fingit, cum illa diſertis verbis affirmet, cum hanc expeditionem ſuſcepiſſe, vt dolo regnum Alexandri obtineret, & adderet illud regno ſuo; in quo ſe Philometor 1
non natura iuſtum, vt ille ait, ſed & ambitioſum, & iniuſtiſſimum erga generum ſuum, & proditionem exhibuit, qui ambitione inſtigante, generum ſuum repudiarit, eique regnum, atque vxorem eripuerit. Ex quo etiam falſum eſſe intelligi- 2
tur, eum coactum ab exercitu duo ſibi diademata impoſuiſſe: niſi forte id ille finxit, vt mox Demetrium eo quaſi dono ſibi magis deuinctum redderet. Illud quoque in dubium facile reuocari poteſt, quod ait Antiochenſes Demetrio Ptolemæi opera fuiſſe placatos. Nam Iuſtinus ait Antiochenſes à principio è Creta reuertenti Demetrio ſe tradidiſſe, quaſi veterem patris offenſam nouis meritis correcturos. lib. 35. 6.

X. *Nam eiectus Alexander Antiochia* Falsvm denique etiam illud videtur, eiectum Antiochia Alexandrum in 3
Ciliciam veniſſe, cum Scriptura doceat eum iam antea propter Cilicum motus, Ciliciam petiiſſe. *Alexander autem Rex,* inquit, *erat in Cilicia illis temporibus, quia rebellabant, qui erant in locis illis.* Non ergo fugit Antiochia propter Antiochenorum tumultus, ſed propter rebellantes Cilicas ad eos profectus fuerat. Idque iterum Scriptura confirmat, cum ſubdit. *Et audiuit Alexander, & venit ad eum in bellum.* Erat ergo in Cilicia, cum accepit nuncium, occupatum regnum ſuum à ſocero; non autem propterea euaſit in Ciliciam, vt vult Ioſephus. Exiſtimo ergo Ptolemæum, vt ab initio expeditionis ſuæ inſtituerat, regnum vtrumque ſibi vſurpaſſe, cum Alexander commodum abeſſet. Mox tamen, vt Ioſephus indicat, ad demerendum ſibi Demetrium, & Romanorum in primis metu, paternum ei regnum reſtituiſſe.

XI. *Alexãder redit è Cilicia.* Hæc ergo cum in Syria gererentur, Alexander, qui aduentu Ptolemæi ſoceri, & amicitia Ionathæ res ſuas ſatis ſibi tutas in Syria credebat contra Demetrium, dũ Cilicum motus compeſceret, nuncium accepit, ab eo ſe proditum fuiſſe, & fortunis omnibus perfidioſe euerſum, à quo ſalutem & firmamentum ſperabat. Itaque contractis copiis contra Ptolemæum bellum geſturus venit, & fortaſſe minus inſtructus ab exercitu, certe non accitis amici Ionathæ auxiliis. Non ita Ægyptius. Nam *produxit Ptolemæus Rex exercitum, & occurrit ei in manu valida, & fugauit eum. Et fugit Alexander in Arabiam, vt ibi protegeretur, Rex autem Ptolemæus exaltatus eſt,* tanquam Aſiæ, Syriæ, & Ægypti Rex, fugato in Arabiam Alexandro, vbi is non amicos, ſed ſicarios, non protectionem, ſed indignam cædem inuenit.

XII. *Occiditur in Arabia* Et *abſtulit Zebdiel Arabs caput Alexandri, & miſit Ptolemæo,* ſiue illi ſponte gratificaturus, ſiue ab eo redemptus ſicarius, ad vitandam, quam à violato tam tam inſigniter genero, timere poterat, vltionem. Sed vltionem Dominus ipſe, qui iudicat iuſtitias, occupauit. Nam ſubditur. *Et Rex Ptolemæus mortuus eſt in die tertia, & qui erant in munitionibus perierunt ab his, qui erant intra caſtra.* In Græco, *ab iis qui erant in munitionibus,* quaſi dicat, qui erant in præſidiis & munitis locis, tam ex parte Demetrii, ſiue Ptolemæi, quam Alexandri, alteri ab alteris interfecti ſunt. Paucis verbis, & pugna, & victoria, & mors duorum regum perſtringitur. Diodorus Siculus paulo aliter rem narrat. Nam in fragmentis l. 32. ecloga prima, ſcribit Alexandrum à pugna cum quingentis in Arabiam fugiſſe ad vrbem Aban, & principem Dioclem. *Apud quem,* inquit, *etiam filium Antiochum,*

teneræ adhuc ætatis, prius depoſuerat. Poſtea duces Heliadæ adiuncti, qui cum Alexandro erant, de imperatore ſuo ad Demetrium legatos mittunt, ſe eum dolo necaturos promittentes. Quorum petitioni cum locum dediſſet Demetrius, non proditores tantum, ſed interfectores regis facti ſunt. Hæc ibi. Hiſtoriam paulo plenius habet Ioſephus, in hæc verba.

XIII. *Eadem hiſtoria ex Ioſepho.*

Cæterum *cum Alexander ducens validum exercitum è Silicia inuaſiſſet Syriam, & Antiochenum agrum vaſtaret rapinis atque incendiis, occurrit ei Ptolemæus, vna cum* nouo *genero ſuo Demetrio, iam enim confectæ erant nuptiæ: & victus Alexander compulſus eſt fugere in Arabiam. Forte accidit in eo prælio, vt equus Ptolemæi, conſternatus barritu elephanti, eum excuteret; proſtratumque aggreſſi hoſtes, vulneribus in caput inflictis, in periculum extremum adducerent, ni ereptus eſſet interuentu ſatellitum: attamen per integrum quatriduum ſopitis ſenſibus, nec loqui potuit, nec loquentes intelligere. Alexandri vero caput Zabelus Arabum dynaſta reciſum miſit ad Ptolemæum; qui die quinta demum reſpirans à vulneribus, & ad ſe reuerſus, iucundiſſimo ſibi rumore, ſimul & ſpectaculo capitis, ac mortis Alexandri, oculos & animum pauit; nec ita multo poſt, exſatiatus gaudio percepto ex inimici interitu, & ipſe vitam finiit.*

XIV. *Ex aliis cōfirmatur.*

Ne crediderıs porro à Ioſepho excogitatam fabulam de excuſſo in terram Ptolemæo, vulneribus in caput inflictis, vnde ſemimortuus relatus fuerit ad ſuos; etſi Scriptura dicat eum victoria exaltatum fuiſſe, & credibilius arbitretur Lyranus, eum diuinitus percuſſum intra triduum interiiſſe. Nam eum in bello vulneratum, & poſtea ex vulnere mortuum, affirmat etiam Strabo, qui ait eum apud fluuium Oenoparam, ſuperato in pugna Alexandro Bala, ſiue Balæ filio, ex vulnere obiiſſe. Affirmat etiam diſtinctius Florus Epit. 52. *Ptolemæus* inquit, *in caput grauiter vulneratus, inter curationem, dum oſſa medici terebrare contendunt, expirauit*, ſicque impletum eſt illud: *vidi impium exaltatum ſicut cedros Libani, tranſiui, & ecce non erat.*

XV. *Accuſatio Ptolemæi & Ioſephi*

Qvomodo enim non impius, quem iſte natura iuſtum, & moderatum, & prudentē fingit; imo quomodo non ſupra modum crudelis in Alexandrum, & generum, & innocentem, quod ad ipſum quidem attinet, vt eius interitu gaudio exaturaretur? vt tam triſti ſpectaculo oculos animoſque paſceret? Id ſi glorioſum putauit Ioſephus, valde à Scripturæ mente, & communi bonorum ſenſu alienus fuit. Nam vt omittam diuinam legem præcipientem humanitatis officia inimicis exhiberi; etiam in eorum aſinis, & bobus. [a] Idem certe Deus, qui per Moyſem, illa mandauit, per mortalium ſapientiſſimum ita loquitur. *Cum ceciderit inimicus tuus*, ait Salomon, [b] *ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum; ne forte videat Dominus, & diſpliceat ei*, &c. qui ſcilicet, pro bonitate & clementia ſua, gratulatus eſt Salomoni, quod non petiuerit animam inimicorum ſuorum. Alius à Ioſepho ſenſus, alia mens ſanctiſſimi regis Dauidis fuit, qui profuſis lachrymis, non ſolum Ionathan, ſed Saulem etiam, & Abſalonem fleuit; qui delatum ad ſe Iſboſethi æmuli ſui caput, cum ſicariorum execratione & ſupplicio, & occiſi commiſeratione recepit.

Gaudium de ruina inimici improbum.

a Exod. 23. 4. 5.
b Prouerb. 24. 17.

XVI. *Etiam Ethnicis ipſis.*

Mvlta quoque nobis exempla hiſtoria profana ſuppeditat, quæ non eſt neceſſe ſcrutari, ac perſequi pluribus. Nam ne longe abeamus, hoc anno Scipio Aemylianus exciſam Carthaginem, quamuis inimicā, lachrymis proſecutus eſt, vt author eſt Appianus in Punicis. Iulii etiā Cæſaris animus erga Pompeium, Catonem, alioſque hoſtes ſuos, inſtar multorum exemplorum eſſe poteſt; ad confuſionem eorum, qui diuinæ legis cognitione tumentes, cum ſua approbatione, commendationeque tacita alienam feritatem celebrant.

Mores Philometoris.

Scribit Iuſtinus l. 34. Ptolemæum iſtum Philometorem ſegnem admodum fuiſſe, & quotidiana luxuria ita marcidum, vt non ſolum regiæ maieſtatis officia intermitteret, verum etiam ſenſu hominis nimia ſagina careret. Non obſcurum quoque in eo Dei iudicium apparet, vt qui alienum regnum ambiebat, amiſerit etiam ſuum, & qui de inimici morte lætabatur, de ſuo ipſius interitu lætos redderet inimicos.

XVII. *Ratio temporis regni eius.*

Porro fuit hic annus trigeſimus quartus regni eius, etſi 35. ipſi Euſebius in chronico tribuit; quod ſi probatur, ita recipiendum eſt, vt initia tantum anni ſequentis ipſi tribuamus; quandoquidem illum ipſum annum Demetrio Script.

aſſignat. 1. Machab. c. 11. 19. Probari certe nullo modo poteſt, quod idem Euſebius facit Alexandrum Ptolemæo Philometori quatuor annis ſuperſtitem; imo vult ab eius ſucceſſore Euergete filiam in vxorem accepiſſe, cum ex Scriptura conſtet Alexandrum prius occiſum ab illo Arabe dynaſta, Philometorem autem triduo poſt eſſe defunctum: quomodo ergo regnante Euergete, & quidem ſecundo eius regni anno, accepit filiam eius vxorem, qui adhuc viuo & regnante eius patre mortuus eſt? vt Ioſephus Scripturæ conſentiens affirmat; quam hiſtoriæ temporiſque perturbationem, mirum eſt ab Emendatore non emendatam, aut animaduerſam.

XVIII. *Periodus regni Alexandri.* Qvin ne probandus quidem eſt Euſebius, cum Alexandro tribuit annos decem & menſes ſeptem, cum vix ad ſeptimum annum peruenerit. Ioſephus ei dat quinquennium; Alexander, inquit cognominatus Veles, per quinquennium regnum obtinuit, ſicut alias indicauimus. Sic ipſe, quem ſecutus eſt Sulpicius Seuerus, licet ibi Sigonius dicat, id ex ingenio ſuo Sulpicium dixiſſe, non autem, in Scriptura expreſſa inueniſſe. Scriptura tamen libro primo capite decimo ait eum regnaſſe anno centeſimo ſexageſimo regni Græcorum, eiuſque ſucceſſorem Demetrium anno centeſimo ſexageſimo ſeptimo regnare cœpiſſe; ex quo decennium Euſebii, & menſes ſeptem facile conuelluntur, quibus Scaliger maluit Ioſephum, quam Scripturam opponere. Alexander porro, ſiue nothus Epiphanis fuit, ſiue ſuppoſititius filius, meritas occupati Syriæ regni, & occiſi Demetrii legitimi regis pœnas dedit. Audi Iuſtinum l. 35. extremo. *Atque ita Alexander non minori impetu fortunæ deſtructus, quam elatus, primo prælio victus interficitur*, non tamen in prælio, vt ex dictis patet, *deditque pœnas, & Demetrio quem occiderat, & Antiocho, cuius mentitus originem fuerat.* 1 Camm.

XIX. *Excidium Carthaginis.* Nvnc Carthaginis excidium ſpectemus, quod Conſulibus Mummio & Lentulo contigiſſe, & Olympiadis centeſimæ quinquageſimæ octauæ anno tertio, author eſt Euſebius in Græco & Lat. Chron. & Onuphrius in faſtis: & de Coſſ. paſſim antiqui omnes recentioreſque conſentiunt, vt nihil neceſſe ſit, in re minime dubia, catalogum inutiliter texere: rem potius ipſam ex Appiano, qui omnium accuratiſſime eam tradidit, compendio mutuemur.

Scipio irrupit in forū. Sub veris initium creatis iam à Calendis Ianuariis Romæ prædictis Conſulibus, Scipio conſulari imperio prorogato, Byrſam arcem, & portum, quem Cothonem vocabant, aggreſſus eſt, cuius partem quadrangulam noctu Aſdrubal incendit; at murum eius Lælius occupauit, vnde Scipio in forum propinquum irrupit, vbi, quia nox imminebat, pernoctauit armatus; ciuibus ita affectis, quaſi ferrum iam in viſcera recepiſſent. Vbi illuxit quatuormillia recentium militum vocauit, qui ingreſſi templum Apollinis, auratam eius ſtatuam, & faſtigium opertum laminis aureis, pondo mille talentorum deprædati ſunt. 1050000 ſr. Attica 140000 ſr Euboi...

XX. *Vicem ad arcem molitur.* Interim Scipio properabat ad Byrſam, ad quam tribus viis aſcendebatur à foro: ſed cum ex ædibus celſis circumpoſitis Romani peterentur telis, prioribus expugnatis, ex iis ſeſe à proximis defendebant: & in eas tranſuerſis trabibus, & tabulis, quaſi pontibus in alias atque alias traiiciebant; ſociis interim in mediis viis pugnantibus, & ingentes ſtrages edentibus. Erant omnia plena clamoribus & eiulatibus, dum alii cominus cæduntur, alii viui deiiciuntur in præceps, & nonnulli cadentes rectis haſtis, lanceis, gladiiſue excipiuntur. Nemo tamen ignem iniiciebat ædibus, propter eos qui pugnabant in ſolariis, donec ad Byrſam Scipio euaſit; tum vero momento eodem tres angiportus incenſi ſunt, militibus viam munire iuſſis per ruinas incendiorum, vt exercitus poſſet vno agmine procedere. *Miles in vrbe ſtrages edit.*

XXI. *Aedium ruina, & incendium.* Hic deploratiſſima rerum facies; nam ædificiis cum horriſono fragore corruentibus, cum ruderibus confertim in publicum cadauera omnis generis, ſexus, ætatis mortalium proruebant, quos vel incendium, vel Romani militis, vel propriū etiam, aut neceſſariorum ferrum hauſerat. Quidā etiam viui, præſertim ſenes, mulierculæ, pueri, quiſe in intimas ædium latebras abdiderant, pars vulnerati, aut ſemiuſtulati edebant clamores triſtiſſimos; alii rurſum è tanta celſitudine, inter lapidum lignorūmque fragmenta propulſi, membratim, fruſtatimqne cadendo lacerabantur. Deinde purgatores ruderum raſtris, furcis, aliiſque ferramentis *Strages mortaliū.*

viuos mortuoſque in foueas tractim, cum lignis lapidibuſque congerebant: vbi diu palpitantes alii hac, alii illa parte corporis extantes, vngulis equorum dedita opera conterebantur. Quibus in tormentis ſex diebus noctibuſque continenter conſumptis,

XXII. *Scipio exire ab arce permittit.*

DIE ſeptimo quidam ſupplices adiere Scipionem, vt ex arce ſaluis liceret excedere, prælatis Æſculapii verbennis, cuius nobiliſſimum erat in arce templum. Id omnibus præter transfugas à Scipione conceſſum: exiueruntque mox ad quinquaginta millia virorum promiſcue ac mulierum, quadraginta millia deditiorum numerat Florus, & Aſdrubalem eorum ducem. Oroſius libro quarto capite vltimo, duplici agmine ex arce exceſſiſſe tradit; primum agmen mulierum inquit ſatis miſerabile; virorum poſt magis deforme deſcendit: nam fuiſſe mulierum viginti quinque millia, virorum 30. millia memoriæ traditum eſt. Transfugæ autẽ ad ſummum nongenti deſperata ſalute in Æſculapii templum cum Aſdrubale, vxore, duobuſque filiis ſe receperunt. Inde vt è loco edito & munito, facile repugnabant. Tandem famis, vigiliarum, pauoris, exitio iam appropinquante, impatientia; fano deſerto in ſummam ædem ſe proripuerunt.

lib.2.c.11. — *Transfugis quid factũ.*

XXIII. *Aſdrubal ad Scipionẽ confugit. Transfugæ pereunt incendio. Et vxor Aſdrubalis.*

INTERIM Aſdrubal clam ad Scipionem confugit, cum ramis oleæ. Eum Scipio iuſſum aſſidere ſibi ad pedes, oſtendit transfugis: quo viſo, impetrato ſilentio, poſt effuſa in Aſdrubalem multa variaque conuitia, templum incenderunt, & ſe concremauerunt. Multos tamen in Scipionis poteſtatem veniſſe in Epitome quinquageſima prima legitur: quos ille beſtiis obiecit, ſiue obterendos elephantis, ſiue leonibus Africis lacerandos. Dum ignis accenditur, vxor Aſdrubalis aſtantibus duobus filiis, Scipioni bene precata, in maritum contumelias, imprecationes, & probra vbi conieciſſet, iugulatis duobus filiis, eos in ignem, ſeque inſuper abiecit. A culmine ſe domus, inquit Florus, in medium miſit incendium; imitata reginam, quæ Carthaginem condidit. Idem Paulus Oroſius libro quarto capite vltimo, & Epitome quinquageſima prima, vbi dicitur eam biduo ante de marito impetrare non potuiſſe, vt ad victorem transfugeret.

XXIV. *Scipio ſuper vrbis ruinã lacrymatur*

AT Scipio vrbem, quæ per annos ſeptingentos ex quo fuerat condita, maris & inſularum imperio floruerat; armis, claſſibus, elephantis, auro, argentoque cum maximo quouis regno conferenda; eam inquam vrbem Scipio euerſam atque incenſam videns, illacrymaſſe dicitur, hoſtium triſtiſſimæ ſorti condolens, & varias fortunæ vices, in regnorum atque imperiorum ruinis, ſecum reputans, ſimilemque aliquando patriæ ſuæ cladem reformidans, vt ipſemet Polybio, qui tunc aderat, remque ſcripto tradidit eſt confeſſus: quantumuis æternam Romam adulatorẽs vaniſſime celebrarent: quæ vtique ſuo ipſius ferro, ſæpius adacto in propria viſcera, poſt euerſa cætera imperia, proſtrata perpetuo iacuiſſet; niſi eam Chriſtus Dominus ac Saluator noſter, fundata in ea Eccleſia ſua, vniuerſo huic mundo aſpectabili coæuam reddidiſſet.

Timens æterna Romæ.

XXV. *Prædæ traditur Carthago.*

DIRVTA Carthagine, præda per aliquot dies militi conceſſa eſt, exceptis auro, argento, & donariis. Militaria deinde dona diſtribuit, iis exceptis, qui fanum Apollinis violarant; exornataque ſpoliis naui, celerrima victoriæ nuncia in vrbem miſit; Siciliæ quoque populis denunciauit (addit Eutropius etiam Italiæ, & Africæ,) vt erepta ſibi à Pœnis inſulam bello infeſtantibus, donaria repeterent, quæcumque poſſent agnoſcere; qua re maximam ſibi populorum gratiam conciliauit. Reliqua deinde præda, quam aſportare non libuit, diuendita; ſcuta, machinas, naues inutiles Marti Mineruæque ſacratas, more patrio accinctus cremauit. Quanta vrbs, inquit Florus, deleta ſit, vt de cæteris taceam, vel ignium mora probari poteſt: quippe per continuos decem & ſeptem dies vix potuit incendium extingui, quod domibus ac templis ſuis ſponte hoſtes immiſerant. Idem habet etiam Paulus Oroſius.

l.2 c 15. — l.4.c. vlt.

XXVI. *Variæ ſententiæ de ortu Carthaginis.*

HIC denique finis Carthaginis fuit: de cuius duratione variæ veterum paſſim ſententiæ circumferuntur, non ſatis ſibi conſentientes: adeo vt Euſebius in chron. ad quatuor tempora, iuxta diuerſas authorum ſententias retulerit, vt diximus anno mundi ter milleſimo centeſimo ſexageſimo ſexto, quæ libuit hoc loco diſtinctius tradere.

Prima eſt quæ Troia capta antiquiorum facit, annis circiter quinquaginta, tempore Iair Iudicis apud Hebræos, conditoribus Zaro & Carchedone Tyriis. Eam ſententiam refert ex Philiſto Euſebius, eamque ſequi videtur Appianus init. de bellis Punicis, qui pro Zaro habet Xorum conditorem. Altera centum quadraginta tribus annis Troia poſteriorem facit, & conditam à Carchedone Tyrio, vel à Didone filia eius, ſub extrema tempora Dauidis; quam ſententiam Appianus Romanorum dicit eſſe, ipſorumque Carthaginienſium: eam Bellarm. amplect. in chronicis. 1. 2.

Tertia ſententia ab eodem Euſebio profertur, quæ Didonem quidem facit conditricem Carthaginis; ſed differt conditionem ad annum Salomonis tertium & vigeſimum. 3.

XXVII. *Eiuſdemq. duratione.* QVARTA denique initium Carthaginis ponit initio regni Amaſiæ regis Iuda, qui fuit pater Oziæ. Sed nulla harum ſententiarum congruit cum tempore durationis eiuſdem vrbis, quæ habetur apud eundem Euſebium, vbi ruinæ ipſius tempus notat Olympiadis 158. an. 3. qui præſens annus eſt, aitque Carthaginem in ditionem Romanorum per Scipionem redactam; habentem à conditione ſui annos 648. vt vero alii affirmant 748. Sic ibi. Ad priorem durationis huius periodum accedit Velleius, ſub finem prioris libri, cum ait eam dirutam, cum ſtetiſſet annis DCLXVII. ex quo fieret, vt Romæ ortum Carthago ſexaginta annis antecederet. Eſt enim communis omnium ſententia, eam ſexcenteſimo ſeptimo vrbis fuiſſe deletam, Cornelio & Mummio Coſſ. Idem tamen Velleius ſub initium libri eiuſdem, parum conſtanter ſcribit conditam ante annos quinque & ſexaginta, quam Roma conderetur. Sed modica eſt hæc differentia, ſicut & Timæi apud Dionyſium, [a] qui ait conditam triginta octo annis ante primam Olympiadem, id eſt ſexaginta duobus tribuſue ante Romam. Paulo maior eſt Iuſtini, [b] qui annos ſtatuit ſeptuaginta duos, niſi ibi potius legas ſexaginta duos, cum Gordono noſtro. 4.

a l. 1. p. 60. gr. lat. b l. 18.

XXVIII. *Opinio Ioſephi.* AD poſteriorem durationis huius ciuitatis periodum, ab Euſebio allatæ accedit Ioſephus, ad quem fortaſſe reſpexit Euſebius. Ille ergo libro primo contra Apionem ſub medium, conditam dicit Carthaginem anno 144. à fundatione tẽpli Hieroſolymitani, quod tempus cadit in decimum regni Ioas patris Amaſiæ. Eam ſequitur Torniellus; ex qua opinione ſequitur Romam centum triginta ſeptem annis poſteriorem eſſe Carthagine; eademque centum duodecim annis antecedet primam Olympiadem. Quod ſi annis 137. addas 607. quo anno Vrbis deleta eſt Carthago, ſequitur eam ſtetiſſe annis 744. Verum quid nobis de hac Ioſephi ſententia videretur, diximus ſub annum templi centeſimum quadrageſimum quartum. [c] 5.

c nu. 2. 3. & ſeqq.

XXIX. *Quæ videtur probabilior.* SEXTA opinio eſt ſtetiſſe Carthaginem ſeptingentis annis, & quod conſequens eſt, vrbis ortum tribus & nonaginta annis anteceſſiſſe. Eaque videtur fuiſſe Titi Liuii ſententia, l. 16. qui deſideratur, & habetur expreſſa apud Florum Epit. 51. eamque amplectitur Appianus ſub fi. l. de bel. Pun. vt ante retulimus: probauit & Paul. Oroſ. & Eutropius l. 4. & Suidas in voce Africanus. Quarum opinionum diuerſitatem aliquo modo conciliant, qui per partes extructam Carthaginem arbitrantur; & prius quidem Byrſam arcem, vt innuit Virgilius & Appianus, excitatam eo ſpacio, quod ſecto in tenuiſſimam corrigiam bouis corio cingeretur. Procedente tempore arci vrbem circundatam ſcribit idem Appianus, cui poſtea Megara adiecta ſit. [d] 6.

l. 4. c. vlt.

Conciliatio aliqua opinionum.

Earum opinionum quæ vera ſit Deus aliquis viderit, inquit ille, mortalium enim arbitror ſcire neminem. Probabilis admodum videtur coniectura de duplici conditione Carthaginis, quæ duas illas Euſebii ſententias, de eius duratione, fere conciliat. Quamquam fateor illam de ſeptingentis annis ſententiam mihi non parum placere: quia multis eam video placuiſſe; etſi tam rotundus numerus ſuſpicionem quandam affert, ipſum non plane exactum eſſe.

d Vide Gordon. an. m 3108. & 3109.

XXX. *Scipionis de Carthagine triumphus.* DE Carthagine hoc ipſo anno triũphatum eſſe à Scipione, docet aperte Macrobius. *Anno*, inquit, *ab vrbe condita ſexcenteſimo ſeptimo hic Scipio deleta Carthagine triumphauit.* Appianus autem in fi. li. Punici triumphum Scipionis eo tempore cõtigiſſe ait, quo de Macedonibus & Andriſco, qui Pſeudophilippus vocabatur, ter-

l. 2. c. 11.

tio triumphatum eſt. Itaque in ſupplemento tabularum Capitolinarum habetur apud Onuphrium, Sigonium, & Pighium. P. Cornelivs P. F. P. N. Scipio Africanvs Æmylianvs anno dcvii. Procos. ex Africa, de Poenis et Asdrvbale trivmphavit. De ipſo autem triumpho hæc habet idem Appianus. Scipio mandata Senatus executus, ſacrificia ludoſque voti compos perſoluit diis immortalibus, perfectiſque rite omnibus, claſſe reuectus in vrbem, triumphum egit omnium nobiliſſimum, refertum ſtatuis ac donariis, quæ Carthaginienſes per tot ætates, ex tot victoriis toto orbe partis comportauerant in Africam.

XXXI. *Quid argenti tranſlatum.*

Addit Plinius; [a] *Idemque Africanus, cum de Pœnis triumpharet* 4470. *pondo argenti tranſtulit*, (quæ ſumma efficit 49170. coron.) *hoc argenti tota Carthago habuit, illa terrarum æmula, quod nunc in menſarum eſt apparatu.* Verum permulta diuturno incendio perierant, multa permiſſa militibus, multa ſociis reſtituta. Ductum Aſdrubalem in triumphum ſatis conſtat. [b] Ex captiuis, inquit Zonaras, plerique in carcere perierunt, pauci, principibus exceptis venditi. Nam ii, & obſides, & Aſdrubal, & Bithias, alii in aliis Italiæ partibus, vitam in liberis cuſtodiis exegerunt, Scipio gloriam & honorem adeptus, nomen Africani non iam ab auo hæreditarium, ſed per ſe partum habuit. Hæc ibi.

a l.33.c.11.

b ex Epit. 52.

XXXII. *Africa in prouinciam redacta.*

Illa porro mandata Senatus Appianus ita explicat. Senatus decem legatos lectos è patrum numero, miſit in Africam, vt vna cum Scipione ordinarent eam prouinciam. Si quid Carthaginis ſupererat, decreuerunt id Scipionem diruere; interdixeruntque ne quis ibi habitaret, additis etiam diris deuotionibus, ſi quis contra faceret; præſertim ſi quis Byrſam denuo, Megaráue conderet. Placuit & ciuitates hoſtium eo bello ſocias, omnes ad vnam delere, & agros earum quæſitos bello, attribuere ſociis populi Romani, maxime Vticenſibus, quidquid ab vtroque latere Carthaginem & Hipponem vſque protenditur: cæteros tributarios fecerunt, & ſtipendiarios tum viros, tum mulieres; decreueruntque vt prætor ad eos, ſingulis annis ex vrbe mitteretur.

XXXIII. *Corinthi clades, eiuſque duratio*

Eodem *anno quo Carthago deleta eſt, Cn. Cornelio Lentulo, & L. Mummio Coſſ. ruinam Carthaginis euerſio Corinthi ſubſecuta eſt, duarumque potentiſſimarum vrbium, par uo vnius temporis interuallo, per diuerſas mundi partes miſerabile colluxit incendium*, inquit Oroſius. [c] Clare Velleius Paterculus l. 1. *Eodem anno quo Carthago concidit L. Mummius Corinthum, poſt annos* 952. *quam ab Alete Hippotis filio erat condita, funditus eruit.* Duas alias habet de huius vrbis conditu ſententias Euſebius, ab hac longe diſcrepantes: priorem ſub Moſe, & egreſſum filiorum Iſrael ex Aegypto, poſteriorem ſub finem principatus Othonielis; vtralibet dat Corintho annos plus mille trecentos. Sed redeo ad eius ruinam, Florus lib. 2 cap. 16. *Carthaginis*, inquit, *ruinam ſtatim Corinthus excepit, Achaiæ caput, Græciæ decus, inter duo maria Ionium & Aegæum*, illud ab occaſu, iſtud ab ortu habet, ideo bimarem Corinthum poëta dixit, *quaſi ſpectaculo expoſita.* Zonaras quoque duas illas vrbes ſimul euerſas tradit: à quo & rem geſtam mutuabimur, quoniam eam habet paulo, quam cæteri exactius.

c l.1.c.3.

XXXIV. *Corinthiorũ conatus ſub Diæo. Mummii caſus. Pugnat cũ Diæo, & vincit.*

Critolao cæſo, Græci in duas partes ſunt diſtracti, cum alii poſitis armis pacem expeterent, alii ſeditionem vrgerent, Diæo ſumma rerum permiſſa. Quo Romani cognito Mummium Metello ſucceſſorem miſerunt; qui cum belli adminiſtratione ſuſcepta, plagam ex inſidiis cum parte exercitus accepiſſet, Diæo fugientes vſque ad caſtra perſecuto, viciſſim egreſſus, eo profligato ad Achæorum vallum venit. Diæus vero maioribus copiis collectis pugnare paratus, Romanos in caſtris ſe continentes contempſit, in conuallem inter caſtra mediam progreſſus. Eo viſo Mummius aliquot equites miſit, qui hoſtes ex obliquo aggrederentur, à quibus cum turbati eſſent, phalange à fronte adducta, multos occidit.

XXXV. *Diæi ex ſuperbia deſperatio, & mors.*

Vnde Diæus, qui paulo ante hoſtem contempſerat, deſperatis rebus ſibi manus attulit; ex iis vero, qui è pugna euaſerant Corinthii paſſim in agris ſunt diſperſi, cæteri domum refugerunt. Diæi mortem plenius explicat. Victor in viris illuſtribus. *Mummius Corinthios*, inquit, *apud Leucopetram vicit, duce Diæo, qui domum refugit, eamque incendit, coniugem interfecit, & in ignem præcipitauit, ipſe veneno interiit.* Pergit Zonaras.

Proinde Corinthii, qui mœnia tuebantur, omnes periiſſe rati, vrbem deſeruerunt. Qua Mummius viris vacua occupata, & illos, & cæteros Græcos citra

laborem domuit. Ac tum eis arma, donaria templorum, ſtatuas, picturas, & alia ornamenta ademit. Hæc Zonar.

XXXVI. *Eadem clades ex Floro.*

Addit nonnulla Florus in Epit. 52. *In Critolai locum, qui ſibi veneno mortem conſciuerat, Drachus* (ſic enim Dixum vocat, corrupto, vt arbitror, vocabulo. Nam Polybius in legat. 144. eum Dixum vocat, & Valerius Antias apud Oroſ. Pauſanias, Victor,[a] & Zonaras) *Achaici motus primus author ab Achæis dux creatus, ad Iſthmum à L. Mummio Conſule victus eſt. Qui omni Achaia in ditionem accepta, Corinthum ex SC. diruit, quia ibi legati Romanorum violati erant; Thebæ quoque & Chalcis, quæ auxilio fuerant, dirutæ.* Sic ibi Florus; in hiſtoria vero.[b] *Mummius exercitũ, ſub ipſis Iſthmi faucibus fudit; geminoſque portus ſanguine infecit. Tandem ab incolis deſerta ciuitas, direpta primum, deinde tuba præcinente deleta eſt. Quid ſignorum, quid veſtium, quidue tabularum raptum, incenſum, atque proiectum eſt? Quantas opes & abſtulerit, & cremarit hinc ſcias, quod quidquid Corinthij æris toto orbe laudatur, incendio ſuperfuiſſe comperimus. Nam æris notam pretioſiorem ipſa opulentiſſimæ vrbis fecit iniuria, quia incendio permiſtis plurimis ſtatuis, atque ſimulacris, æris, auri, argentique venæ in commune fluxere.* Hactenus Florus. I.

Aes Corinthium.

[a] li. de Vir. illuſt. c. 60.

[b] l. 2. c. 16.

I. ex.

XXXVII *Ex Polybio ſpectatore.*

Non omittamus hoc loco eiuſdem cladis ſpectatorem Polybium, apud Strabonem l. 8. allata primum cladis huius cauſa præcipua. Corinthij porro, inquit, cum Philippo parerent, non illius modo conatus adiuuerunt, ſed & per ſe priuatim ita Romanos deſpexerunt, vt quidam in legatos eorum domum ſuam prætereuntes, auſi ſint cœnum defundere; pro quo, aliiſque peccatis mox pœnas dederunt. Miſſo enim à Romanis iuſto exercitu Corinthus à L. Mummio eſt euerſa. Et paulo poſt. Polybius quæ in excidio Corinthi euenerunt narrando deplorans, militarem contemptum artificiorum, ac donariorum inter alia commemorat. Ait enim ſe præſentem vidiſſe tabulas in ſolum proiectas, ac milites ſuper iis talis ludentes; nominatque inter alias Bacchum ab Ariſtide pictum, de quo nonnulli dictum illud putant, nihil ad Bacchum; & Herculem Deianiræ tunica excruciatum &c.

XXXVIII. *Reliquiæ cladis in Græcia.*

Sed addamus quæ reliqua ſunt de Corintho, quæ præ cæteris rea, grauiores cæteris pœnas dedit. Patre autem Mummij, ait Zonaras, cum aliis ad res poſt victoriam componendas miſſo, quorundam mœnia euertit, omneſque liberos, & ſui iuris eſſe paſſus eſt; præter Corinthios, quos diligenter conquiſitos ſub corona vendidit, agro eorum publicato. Maximam eius partem obtinuiſſe Sicyonios autor eſt Strabo l. 8. muris, cæteriſque omnibus ædificiis ſubuerſis. Ea vrbe ſic euerſa, Græcia initio ſtatim & cædibus, & pecuniarum exactionibus eſt vexata. Deinde tantam libertatẽ & fœlicitatem adepta eſt, vt dicerent ni mature capti eſſent, ſe incolumes eſſe non potuiſſe. Hæc Zonar. Mummij triumphum recte Sigo. in annum ſequentem differt, poſtquam ſcilicet omnia in Achaia compoſita ſunt. De bello Celtiberico nihil occurrit hoc anno.

XXXIX. *Metelli de Macedonia triumphus.*

At triumphus Metelli ad hunc ipſum pertinet: author Appianus, vt ante retuli. De quo ita Valer. Max.[c] Q. Cæcilium Metellum, inquit, pauci & mœſti amici, conſulatus repulſa afflatum triſtitia, ac rubore plenum domum reduxerunt, quem de Pſeudophilippo triumphantem, vniuerſus Senatus lætum & alacrem in Capitolium proſecutus erat. Achaici etiam belli, cui ſummam manum L. Mummius adiecit, maxima pars ab hoc viro profligata fuerat. Eiuſdem triumphi meminit Florus.[d] Macedoniam, inquit, Metellus Prætor ſeruitute mulctauit, & ducem belli deditum ab eo ad quem confugerat Thraciæ regulo, in vrbem in catenis reduxit, hoc quoque illi in malis ſuis indulgente fortuna, vt de eo populo Ro. quaſi de vero rege triumpharet.

[c] l. 7. c. 5.

[d] l. 2. c. 14.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3909.

l. N. XXXVI Quæ habent etiam Oroſ. l. 5. c. 3. & Plin. l. 34. c. 2. Vbi ſine dubio corrigendus eſt, vt notauit etiam Cuſpinianus, cum ait: *Corinthus capta eſt Olymp. 156. anno 3. noſtræ vrbis* 608. Nam vrbis 608. reſpondet Olym. 158. anno 4. Nam tolle ſex Olympiades, quæ anteceſſerunt Vrbis conditum, remanent 150. Olymp. id eſt 600. anni; quibus addendi ſunt 7. anni, id eſt vna Olymp. cum tribus annis, quæ eſt communiſſima Chronologia, quam ſequimur.

ANNVS MVNDI 3909. SEXTAE AETATIS, 393. IMPERII GRÆCORVM 167. DEMETRII NICANORIS 1. IONATHÆ PONTIF. 16. PTOLEMÆI EVERGETIS 1. OLYMPIADIS CLVIII. AN. 4. VRB. COND. 608. COSS. Q. FABIO MAXIMO ÆMYLIANO. L. HOSTILIO MANCINO. BEL. CELT. 9.

ANNVS ANTE CHRISTVM 144.

I. *Initium Demetrij iunioris.*

DE nouis Aſiæ, & Ægypti regibus iam aliquid in exitu præcedentium dictum eſt. Hoc loco dicendum, vtriuſque initium hoc anno perſpicue à Scriptura tradi, [a] quæ habet regnaſſe Demetrium anno 167. mortuo ſcilicet Alexandro: quo viuo, etſi biennio ante in Syriam terram patrum ſuorum venerat, [b] non tamen regnaſſe dicitur, niſi æmulo, aut verius tyranno ſublato. Cæterum hunc iuniorem Demetrium, Demetrij Soteris ab Alexandro ſublati filium, vocat Demetrium Nicanorem Ioſephus, [c] Nicatorem Secundum Appianus in Syriacis cognominat, idque ei cognomen à Syris inditum ait, quod alienum à ſua familia viciſſet, patriumque ſibi regnum, in quod irrepſerat Alexander, vindicaſſet.

[a] 1. Mach. 11. 19
[b] 1. Mach. 10. 67.
[c] l. 13. c. 8.

II. *Initium Ptol. Euergetis.* *Fratris Philometoris.*

ALTERVM autem Ptolemæum mox regnare cœpiſſe, Scripturæ ipſi conſentaneum eſt, quæ ait [d] Philometorem triduo poſt Alexandrum eſſe defunctum. De cuius regni ſucceſſione Epit. 52. *Ptolemæus*, inquit, *in caput grauiter vulneratus, inter curationem, dum oſſa medici terebrare contendunt, expirauit. Atque in locum eius frater minor Ptolemæus, qui Cyrenis regnabat, ſucceſſit.* Idem habet Strabo l. 17. & Iuſtinus l. 38. Ioſephus vero l. 2. contra Appionem non longe ab initio, vocat hunc Ptolemæum filium Philometoris. Ptolemæus enim, inquit, qui cognominatus eſt Phyſcon moriente ſuo patre Ptolemæo Philometore egreſſus eſt de Cyrene, volens reginam Cleopatram expellere, & filios regis, vt ipſe regnum iniuſte ſibimet applicaret &c. Verum in Græco textu habetur mortuo fratre ſuo Ptolemæo Philometore, idq; ſequens oratio aperte confirmat. Non enim iniuſte ſibi regnum vſurpaſſet, cum eſſet legitimus hæres, neque cogitaſſet Cleopatram reginam, vtpote matrem expellere, neque filios eius minores natu fratres, neq; eandem Cleopatram accepiſſet vxorem, quod factum tradit Iuſtin. l. 38. Denique Ioſephus ipſe [e] Moritur, inquit, Ptolemæus Epiphanes ſuperſtitibus duobus filiis impuberibus, quorum grandiori Philometor cognomen inditum, minori vero Phyſcon. Eum Euergetem vocat Euſebius.

[d] ex eod. c. 11. 18.
[e] l. 12. c. 5.

III. *Ratio nominum huius.*

PTOLEMÆVS autem ſe ipſum quidem Euergetem, ſiue beneficum proclamari voluit; ab Alexandrinis autē Cacergetes, ſiue Maleficus appellatus eſt, vt ex Athenæo notauit Scal. Ab Epiphanio autem dictus etiam eſt Philologus, quia vt idem ait, reuera eruditus, & Ariſtarchi diſcipulus fuit. Sed id ab eo probatū malim, quā ſimpliciter affirmatum. Nefaria enim hominis crudelitas, & luxuria, & gula, vix vllam doctrinæ vmbram vel ſuſpicionem relinquūt, ſed cacoërgetis nomen valde confirmant. Strabo certe inter deterrimos, nequiſſimoſq; Ægypti reges hunc ſeptimum Ptol. numerat. Philologum ergo potius à loquacitate dictum putarim, quē floruiſſe

l. 17.

ſub Olymp. 56. paulo ante dixit Euſeb. conſentiente Suida. Nimirum etiam cum fratre regnauit, vt ſæpius ex Polybio & Liuio dictum eſt. Eundem Ptolemæum Strabo Phyſconem dictum refert, quomodo eum Ioſephus quoq.[a] appellat, id eſt vt quidam vertunt, ventrioſum, φύσκη enim eſt craſſum inteſtinum, quo lucanicæ fiunt. Idque egregie confirmat Iuſtinus l. 38. Erat, inquit, & vultu deformis, & ſtatura breuis, & ſagina ventris non homini, ſed belluæ ſimilis, &c. de nomine Phyſconis. Vide Euſebium.[b]

[a] l. c. & l. 11. ant. c. 5.

[b] l. 9. c. 1.

IV. *Regni exordium ex Iuſtino.*

De initiis etiam Ptolemæi aliquid ex Iuſtino l. 38. dicendum eſt. *In Aegypto,* inquit, *mortuo rege Ptolemæo, ei qui Cyrenis regnabat Ptolemæo, per legatos regnum, & vxor Cleopatra regina ſoror ipſius defertur. Lætus igitur hoc ſolo Ptolemæus, quod ſine certamine fraternum regnum recepiſſet, in quod ſubornari à matre Cleopatra, & fauore principum fratris filium cognouerat. Cæterum infeſtus omnibus, ſtatim vbi Alexandriam ingreſſus eſt, fautores pueri trucidari iuſſit. Ipſum quoque die nuptiarum, quibus matrem eius in matrimonium recipiebat, inter apparatus epularum, & ſolennia religionum, in complexu matris interficit:* atque *ita thorum ſororis, cæde filij eius cruentus aſcendit. Poſt quod mitior in populares, qui eum in regnum vocauerant, fuit,* &c. Hæc ibi, vt non ſine cauſa eum Cyrenenſes tanquam tyrannum execrati fuerint, regno expulerint, acie inſtructa contra eum ſteterint, vicerintque, vt docet Polyb. in legat. n. 115. Quod ſi quando in regno quietus fuit, id metu Romanorum factum eſt.

Nepotem regno priuat, & vita.

V. *Num ab Onia bello petitus.*

Hæc porro de aduocato per legatos ad regnum Ptolemæo de Cyrene, & oblata in vxorem regina vidua, vt ſcilicet & Rex eſſet, & pupillorum tutor. Hęc inquam probabilius à Iuſtino dicuntur, quam quod habet Ioſephus,[c] ſponte ſcilicet egreſſum de Cyrene, voluiſſe Cleopatram reginam expellere, & filios regis, vt ipſe regnum ſibi iniuſte vſurparet: proptereáque Oniam aduerſus eum bellum pro Cleopatra ſuſcepiſſe, & Iudæos internecioni Elephantorum deſtinatos, diuinitus fuiſſe liberatos. Id enim bellum commentitium videtur, ab Apione, vt pleraque alia, excogitatum, à Ioſepho vero in laudem Iudæorum tractum, accommodando Phyſconis temporibus, quæ ſub eius auo Ptolemæo Philopatore contigerant; vt fuſe in tertio Machabæorum libro expoſitum eſt, vnde hæc narratio extorta eſt. Quis enim credat Oniam ſacrilegi templi in Ægypto conditorem, diuino miraculo honoratum, aut virum exulem, & peregrinum, exercitum Iudæorum conflare potuiſſe, regi formidabilem? non certe qui multiplicem Ioſephi vanitatem nouit. Nec Iuſtinus, qui[d] huius temporis bella à Iudæis contra reges Syriæ geſta commemorat, hoc tam memorabile, tantóque miraculo terminatum prætermiſiſſet. Sed hinc ad rem Iudaicam Syriæ tranſeo.

[c] l. 2. contra Appionem.

[d] l. 36.

VI. *Iudas obſidet arcem Sion.*

Ad horum regum initia pertinet conatus Ionathæ, ad occupandam Ieroſolymorum arcem, impiis Iudæorum obſiſtentibus. *In diebus illis,* inquit Script.[e] *congregauit Ionathas eos qui erant in Iudæa, vt expugnarent arcem, quæ eſt in Jeruſalem, & fecerunt contra eam machinas multas,* v[id]ebat videlicet tutum ſe reddere Ieroſolymis, in hac mutatione regum Aſiæ & Æ[gy]pti, in quorum medio erat Iudæa. Id licet ad bonum ac libertatem populi maxime pertineret, *Abierunt* tamen *quidam, qui oderant gentem ſuam, viri iniqui ad regem Demetrium, & renunciauerunt ei quod Ionathas obſideret arcem. Et vt audiuit iratus eſt,* nolens id ſibi præſidium eripi, quo Hieroſolymam & omnem pene Iudæam habebat in poteſtate. *Et ſtatim venit ad Ptolemaidam, & ſcripſit Ionathæ ne obſideret arcem, ſed occurreret ſibi ad colloquium feſtinato.*

[e] l. 1. Mach 11. 20.

VII. *Adit regẽ Demetriũ.*

Scribit Ioſephus eum ex Antiochia veniſſe cum exercitu aduerſus Ionathan; idque probabile reddit amicitia Ionathæ, dudum inita cum Alexandro inimico Demetrij patris ſui. Ionathas ergo non expectata vi, regem adire, eumque placare ſtatuit: & nihilominus iuſſit vrgeri & continuari obſidionẽ, vt habet etiã Ioſephus: quam tamen ſolutam fuiſſe, ſiue expugnationis difficultate, ſiue potius præſentis regis imperio, ex ſequentibus patet,[f] vbi Ionathas à Rege poſtulat ab arce præſidiarios eiici. Omnino credibile eſt Ionathan, in adeundo rege, paraſſe quid ei reſponderet de obſidione arcis. Id ſe videlicet neceſſitate compulſum aggreſſum eſſe, quod multis quotidie à præſidiariis afficerentur iniuriis, eſſetque id perfugium omnium ſceleratorum gentis ſuæ; cuius rei vt fidem faceret, deduxit ſecum primarios in Rep. viros, & ſacerdotes fide digniſſimos, vnde ſequitur.

[f] v. 41.

VIII. *Cum viris, & muneribus.*

Et *elegit de ſenioribus Iſraël, & de ſacerdotibus, & dedit ſe periculo,* quod vt di-

minueret, *accepit aurum, & argentum, & veſtem, & alia xenia multa.* Proprio enim experimento didicerat hac ſe via duos nuper reges ſibi conciliaſſe, [a] nec falſus eſt expectatione ſua. Nam profectus ad regem Ptolemaidem, *inuenit gratiam in conſpectu eius. Et interpellabant aduerſus eum quidam iniqui ex gente ſua*, ſed irrito labore. Nam *fecit ei rex, ſicut fecerant ei, qui ante eum fuerant*: Ptolemæus videlicet Philometor, & Alexander Balæ, *& exaltauit eum in conſpectu omnium amicorum ſuorum, & ſtatuit ei principatum ſacerdotij, & quæcunque alia habuit prius pretioſa.* Confirmauit videlicet ei pontificatum, & principatum in populo ſuo, quibus ſub præcedentibus regibus potitus fuerat, *& fecit eum principem amicorum.* Sicq; non minus hoc, quam illo tempore confuſi ſunt nefarij Iudæi: niſi quod ad obſidionem arcis attinet. Quam rex in poteſtate ſua retinere voluit, promittens ſe tutos ab iniuria Iudæos redditurum: quod tamen non præſtitit.

[a] c 10. v. 60. 61.

IX. *Quid à rege impetrarit.*

CVM eam gratiam Ionathas obtinere nequiuiſſet, alia poſtulauit, quæ facilius conceſſit Rex, ne illum cum ſuis triſtiores dimitteret, & ad res turbandas iterum impelleret.

Et poſtulauit Ionathas à Rege vt immunem faceret Iudæam, & tres toparchias, & Samariam, & confines eius. Samariam pro ipſa vrbe poſuit, ideoque addidit interpres, & confines eius, Græcus textus voce Samaritidis omnia comprehendit, primariam ſcilicet vrbem, & vicos eius. Porro hæ præfecturæ in literis regis mox declarantur, *& promiſit ei talenta trecenta.* Exiſtimo hæc fuiſſe talenta auri Hebraica 125. lib. iuxta Epiph. æſtimationem, quibus tot locorum immunitatem emeret, quæ ſumma aſcendit ad 3750000. coron.

X. *Literæ eius in gratiam Ionathæ.*

ET conſenſit Rex, & ſcripſit Ionathæ epiſtolas de his omnibus, hunc modum continentes. Erant hæ literæ patentes, non miſſæ ad Ionathan, ſed præſenti in manum datæ. *Rex Demetrius fratri Ionathæ ſalutem, & genti Iudæorum. Exemplum epiſtolæ quam ſcripſimus Laſtheni parenti noſtro de vobis, miſimus ad vos, vt ſciretis. Rex Demetrius Laſtheni parenti ſalutem.* Inſtar parentis Laſthenem Cretenſem colebat Demetrius, quod eius ope adiutus, ex Creta cum exercitu veniens, regnum recuperaſſet, vt ſupra ex [b] Ioſepho retulimus. Epiſtola ipſa ſic habet. *Genti Iudæorum amicis noſtris, & conſeruantibus quæ iuſta ſunt apud nos, decreuimus benefacere, propter benignitatem ipſorum, quam erga nos habent. Statuimus ergo eis omnes fines Iudææ, & tres ciuitates Lydan & Ramathan, quæ additæ ſunt Iudææ ex Samaria, & omnes confines earum, ſequeſtrari omnibus ſacrificantibus in Hieroſolymis, pro his quæ ab eis prius accipiebat Rex per ſingulos annos, & pro fructibus terræ & pomorum.*

[b] l. 13. c. 8.

XI. *Quæ earum ſententia.*

SATIS obſcurus eſt locus. Nam nec ciuitates in Græco textu vocantur, ſed νόμοι, ſiue præfecturæ, nec numerus earum conſtat. Nam duæ tantum ponuntur, cum tres eſſe dicātur, nec ſequeſtrationis vlla fit in eo textu mentio. Hunc locū ita vertit ad verbum Flaminius, interpres editionis Vaticanæ. Statuimus ergo illis fines Iudææ, & tres ciuitates Aphærema, & Lyddam, & Rhamathem, quæ additæ ſunt Iudææ ex Samaritide, & omnia pertinentia ad ipſas omnibus ſacrificantibus in Hieroſolymis, pro regalibus, quæ ab eis prius accipiebat Rex, per ſingulos annos de fructibus terræ, & de fructibus arborum. Notatque idem interpres Aphærema videri nomen proprium alicuius præfecturæ, vt conſtet numerus trium. Interpretem autem vulgatum id vocabulum accepiſſe, vſitata notione ſegregationis, cum ait, *confines earum ſequeſtrari.*

XII. *Ex Ioſepho cõfirmatur.*

IOSEPHVS quoque Aphærema, ſiue Ἀφαιρεμά præfecturam agnoſcit, [c] quam Adrichomius, in tribu Ephraim collocat, iuxta Lyddam, quæ Dioſpolis quoque dicta eſt, & Ramathan, Samuelis natalibus, habitatione, & ſepultura illuſtrem. Nomos porro erudite vertit interpres Ciuitates, quo nomine non tam ædificia, quam ciuium cœtus iiſdem iuribus vtentes continentur, vt Serar. quoq; notauit. [d] Quid autem ſibi velit Ioſephus non intelligo, cum pro tribus præfecturis, quarum Scriptura meminit, ipſe ſex introducit. Nam præter tres prædictas, ille addit Samariam, Ioppen, & Galilæam, quas ait à Ionatha poſtulatas. Verum & has duas Scriptura non agnoſcit, & aperte tertiam Samariam, ſiue Samaritidem à toparchiis ſegregat, cum ait, & tres Toparchias, & Samariam, vt in omnibus Græcis codicibus, Latiniſque legitur.

[c] l. 13. c. 8.

[d] Vide quæ diximus in c. 10. v. 30.

XIII. *Reliqua regis epiſtola.*

SED reddamus reliquam epiſtolam. *Et alia quæ ad nos pertinebant, decimarum, &*

tributorum, ex hoc tempore remittimus eis, & areas ſalinarum, & coronas, quæ nobis deferebantur, omnia ipſis concedimus, & nihil horum irritum erit, ex hoc & in omne tempus. Areas ſalinarum, ſiue ſtagna ſalis, vt in Græco legitur, accipere poſſumus receptacula aquarum maritimarum, quæ tum ſolis, tum ignis ardore excoctæ, in ſalis naturam vertuntur, eaque ſtagna regio tributo dudum grauata, nunc immunia reddebantur. *Nunc ergo curate facere horum exemplum, & detur Ionathæ, & ponatur in monte ſancto, in loco celebri.* Montem ſanctum explicat Ioſephus templum: diſtinctius autem ex ſequentibus [a] locum celebrem accipimus peribolum templi. a ex c. 14. v. 49.

XIV. *Demetrius dimittit exercitum.*

R EBVS cum Ionatha & Iudæis compoſitis. *Videns Demetrius Rex quod ſiluit terra in conſpectu ſuo, & nihil ei reſiſtit, dimiſit totum exercitum ſuum, vnumquemque in locum ſuum, excepto peregrino exercitu, quem contraxit ab inſulis gentium, & inimici erant ei omnes exercitus patrum eius.* Quæ Ioſephus ita explicat, [b] *Porro Demetrius videns ditionem ſuam pacatam, & nihil timendum periculi, dimiſit exercitum, & ſtipendia militum minuit,* non vt minus ſingulis daret, ſed vt paucioribus, vnde ſubdit, *ſolis exteris mercedem ſoluens, quos ſecum a Creta, aliiſque inſulis collectos adduxerat; quamobrem odium ſibi conciliauit apud proprium exercitum, cui ipſe nihil numerabat, ſolito ab aliis ante eum regibus, etiam pacis tempore ſtipendium accipere, vt hoc pacto alacriores fierent ad ſubeunda, quoties opus eſſet, pericula.* b l. 13. c. 8. 6.

XV. *Imprudenter, atque auare.*

I MPRVDENS vtique Demetrij auaritia fuit. Veteranum enim militem potius, & domeſticum retinere oportuit, cuius bona pars dudum Alexandrum ſecuta, ei reconciliata fuerat, & poterat facile, data tali occaſione, fidem frangere, atq; odium renouare; & peregrinum miſſum facere, à quo vel tumultuante nihil facile turbari poterat, vtpote peregrino, nec vllis affinitatibus, aut cognationibus ſubnixo. Fiduciam vero illi videntur attuliſſe, tum affinitas cum Rege Ægyptio, cuius ſororem recens acceperat vxorem, tum amicitia Ionathæ, quam ſibi aliquanto poſt expertus eſt ſalutarem, idque vt arbitror anno ſeq. non enim tantæ turbæ tam cito concitari potuiſſe contra regem videntur. Præſertim cum Tryphon, qui cum cætero exercitu miſſione accepta in Arabiam ſe contulerat, ibi dicatur manſiſſe diebus multis.

XVI. *Tryphon res nouas molitur.*

T RYPHON autem inquit, *erat quidam partium Alexandri prius; & vidit quoniam omnis exercitus murmurabat contra Demetrium, & iuit ad Emalchuel Arabem, qui nutriebat Antiochum filium Alexandri, & aſsidebat ei, vt traderet eum ipſi, vt regnaret loco patris ſui: & enunciauit ei quanta fecit Demetrius, & inimicitias exercituum eius aduerſus illum, & manſit ibi diebus multis.* Hominem conſtanter vrgebat, vt datam occaſionem bene gerendæ rei, ne pateretur elabi, quæ vltro oblata multis theſauris redimenda eſſet, & beneuolentiam in patrem mortuum, in filio in regnum promouendo demonſtraret. Duæ res Tryphonem ipſum acuebant, odium in Demetrium, à quo tanquam ſibi inutilis dimiſſus eſſet, ex quo propterea vltionem expeteret, & deſiderium regni Tutorio nomine adminiſtrandi, aut etiam regnandi, vt res ipſa docuit.

XVII. *Quis ille fuerit.*

H VIVS Tryphonis, de quo multa deinceps erit mentio, genus & initia ex Ioſepho repetenda ſunt. [c] Eam, inquit, alienationem militum à Demetrio, animaduertens quidam ex Alexandri ducibus genere Apamenus, Diodotus, cognomine Tryphon venit ad Malchum Arabem, qui educabat Alexandri filium Antiochum Et cum iudicaſſet ei, quam infenſi eſſent Demetrio milites, ſuaſit vt ſibi Antiochũ. traderet, effecturum enim ſe, vt is receptus potiretur paterno imperio. At ille primum difficilem ſe præbebat, quod non ſatis ei fideret, tandem Tryphon euicit aſſiduis precibus. Sic ibi. Vides hic nomen Emalchuel in Malchum conuerſum, pro quo quidam Græci habent Simalcuæ. Alij Eimalcue. Diodotus autem in epit. Liuij 52. Diodorus dicitur, & ab Oroſio; [d] à Strabone vero conſtanter Diodotus appellatur. [e] Tryphonis autem cognomen à luxu & delicata vita ſumptum videtur. Eſt enim τρυφᾷν luxui indulgere, & τρυφὴ deliciæ, vt mirum ſit illum ſibi hoc nomen indidiſſe, vt tradit Appianus in Syriacis: vbi non recte Alexandri Nothi filium Alexandrum vocat, quem Scriptura, eique conſentiens Ioſephus Antiochum vocat, & ſuſceptum ab eo refert ex Ptolemæi filia, quam ſcilicet ipſi ereptam pater Demetrio tradidit. c l 13. c. 9. d l. 5. c. 4. e l. 14. & 16.

Tryphon vnde dictus.

XVIII. *Demetrij ſegnities ex Iuſtino.*

C ÆTERVM videtur Iuſtinus, [f] hanc exercituum dimiſſionem à ſegnitie inter- f l. 36. init.

pretari profectam. *Recuperato paterno regno*, inquit, *Demetrius & ipſe rerum ſucceſſu corruptus, vitiis adoleſcentiæ in ſegnitiem labitur: tantumque contemptum apud omnes inertiæ, quantum odium ex ſuperbia pater habuerat, contraxit. Itaque cum ab imperio eius paſſim ciuitates deficerent, ad abolendam ſegnitiæ maculam, bellum Parthis inferre ſtatuit.* Ita Iuſtinus; qui non videtur veram contracti à Demetrio odij cauſam, quam nobis Scriptura, & Ioſephus ſuggerunt, intellexiſſe. Sicut nec Abbreuiator Liuij epit. 52. cum ait Demetrium ob crudelitatem quam per tormenta in ſuos exercebat, à Diodoro, ſic enim Tryphonem vocat, bello ſuperatum.

a l.7.c.5. Qvod ad Romanam rem attinet, & huius anni Coſs. memorat Valerius,[a] vt ante dixi, Q. Cæcilium Metellum, quamuis triumphalem, paſſum eſſe repulſam, in petitione Conſulatus: quem tamen comitate quadam adeptus eſt L. Hoſtilius Mancinus, *qui primus*, inquit Plinius,[b] *Carthaginem irruperat; ſitum eius expugnationeſque depictas proponendo in foro, & ipſe aſſiſtens populo ſpectanti, ſingula enarrando, ea comitate proximis comitiis conſulatum adeptus eſt.* Subiugata porro triumphatáque Macedonia, deleta Carthagine, ac Corintho, & toto oriente ad Romanum nomen trepidante, non tamen illi in Hiſpania pax fuit; nec fractus animo eſt ad tantarum ſonitum ruinarum Viriathus, qui tot iam Romanos duces, exercitúſque fregerat. Miſſus eſt contra illum C. Lælius Prætor, qui nuper in Africa cum Scipione militauerat. Is rei bene geſtæ in Hiſpania præconem habet M. Tullium l.2. offic. XIX. *Coſſ. huius anni.*

b l.35.c.4.

Progreſſio belli Celtiberici.

Mvlto *maiores*, inquit, *opes habuit Viriathus Luſitanus, cui quidem exercitus noſtri, Imperatoreſque ceſſerunt; quem C. Lælius, is qui ſapiens vſurpatur, Prætor fregit & comminuit, ferocitatemque eius ita repreſſit, vt facile bellum reliquis traderet.* Id autem huius anni Conſulibus contigiſſe, teſtis eſt idem in l. de Amicit. *Atque vt ad me redeam*, inquit Lælius, *meminiſtis Q. Maximo fratre Scipionis, & L. Mancino Coſs. quam popularis lex de Sacerdotiis C. Licinij Craſſi videbatur. Cooptatio enim Collegiorum ad populi beneficium transferebatur*, & paulo poſt, *atque id actum eſt Prætore me, quinquennio ante quam factus ſum Conſul.* Ita Tullius, diſſuaſit autem Lælius eam legem, quæ ſacerdotum electionem ad populi ſuffragia, à Collegis eorum transferebat, priuſquam iret in prouinciam, in qua abſente Fabio Conſule bene rem adminiſtrauit. XX. *Res à Lælio geſta in Viriathum.*

Nam hoc anno miſſum in Hiſpaniam Q. Fabium Æmylianum Conſulem, recte ſentit Sigonius in hunc annum, & biennio in Hiſpania rem geſſiſſe: quæ dubio procul Appiani eſt ſententia, & Flori epit. 52. & 53. Patres, inquit ille, Fabium Maximum Æmylianum, Æmylij Pauli, qui Perſeum Macedonum regem ſuſtulit, filium in Hiſpaniam miſerunt, delectus habendi facta poteſtate. Ille quia Carthagine prius, deinde Græcia ſubacta, poſtremo bello Macedonico proſpere confecto, viris vrbs exhauſta erat, vt iis parceret, qui tot bellis ſupereſſent, Tyronum duas legiones conſcripſit, atque impetratis à ſociis aliis copiis, exercitum habens peditum quindecim, equitum circiter duorum millium, Orſonem Hiſpaniæ Vrbem venit. Inde quod militem inexercitatum, & rudem nollet hoſti obiicere, nullo tentato prælio Gades, Herculi ſacrificaturus, freto traiecto petiit. XXI. *Fabius Coſ. in Hiſpaniam miſſus.*

Tyronem habet exercitum.

Viriathvs ex eius militibus lignatum miſſis aliquot interfecit, reliquos fugauit. Eam labem delere volens legatus eius, aut nomen ſibi abſente Imperatore acquirere, copias contra eum inſtruxit, ſed victus ingentem etiam prædam amiſit. At Fabius, ex paterna belli Macedonici diſciplina, reliquo anno milites continuit, & diligenter exercuit, nec iuſto prælio cum Viriatho, quamuis aſſidue prouocante, pugnare voluit, leuibus aliquot velitationibus contentus. XXII. *Res cum Viriatho geſta.*

Iam quod ad L. Mummij triumphum attinet, (quem ſuperiore anno geri non potuiſſe certum eſt, etſi non pauci illum ad annum 607. Vrb. conditæ referant, quo anno bello finito, cum legatis Roma miſſis totius prouinciæ res compoſitæ ſunt) eius triumphi teſtis eſt Florus in epit. L. Mummius, inquit, de Achæis triumphauit, ſigna ærea, marmoreáque, & tabulas pictas in triumpho tulit. Virgil. l.6. *Triumphus Mummij.*

Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum, cæſis inſignis Achiuis.

c 60. De ſpoliis, eiuſque continentia Victor l. de vir. illuſtr.[c] *Mummius Corinthum ſignis, tabuliſque ſpoliauit, quibus cum totam repleſſet Italiam, in domum ſuam nihil contulit.* In quo rude hominis ingenium notat Velleius Paterculus l.1. *Mummius*, inquit, *tam rudis fuit, vt capta Corintho cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas, ac* XXIII. *Spolia Corinthiaca.*

ſtatuas in Italiam portandas locaret, iuberet prædici conducentibus, ſi eas perdidiſſent, nouas eos reddituros. At Strabo [a] magnitudini animi id tribuit. Pleraque, inquit, & præſtantiſſima donariorum, ſiue operum quæ Romæ ſunt, Corintho allata fuerunt, quædam etiam, quę circa Romam ſunt, vrbes adeptæ ſunt. Nam Mummius homo, vt traditur, magnanimitatis quam artificiorum ſtudioſior, facile petentibus ea largiebatur. Velleius idem eum deuictæ à ſe gentis nomine honoratum dicit, vt Achaicus, ſicut Scipio Africanus, appellaretur: *Nec quiſquam*, inquit, *ex nouis hominibus prior Mummio cognomen virtute partum vindicauit.* Quod L. Mummius, inquit, Plutarchus in Mario, Achaicus dicitur, id à re geſta cognomen ei factum eſt, ſicut Africani Scipioni, & Macedonici Metello. Idem habet & Plinius. [b]

Mummius tabularum cõtemptor.

Cognomen Achaici.

Ionathas liberat Antiochiæ Demetrium.

a l. 8 voca: [illegible]

b l. 35. c. 4.

ANNVS MVNDI 3910. SEXTÆ ÆTATIS 394.

IMPERII GRÆCORVM 168. DEMETRII NICANORIS 2. IONATHÆ PONTIFICIS 17. PTOLEM. EVERGETIS 2. OLYMPIADIS CLIX. AN. 1. VRBIS CONDITÆ 609. COSS. SER. SVLPITIO GALBA, L. AVRELIO COTTA. BEL. CELT. 10.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 143.

I. *Res anni huius.*

FREMEBAT iam inde ab anno præterito Syria, militum imprudenter à Demetrio dimiſſorum tumultibus; fremebant ſeditionibus Antiochenſes contra Demetrium, ſed iſti opera Ionathæ compreſſi ſunt, ab illis Tryphone duce regno pulſus eſt Demetrius, in eiuſque regnum intruditur Antiochus puer; cui Ionathas adhæret, pugnátque fœliciter: quæ anno primo Olympiadis centeſimæ quinquageſimæ nonæ contigerunt, quæ victorem habuit in puluere Olympico Alcimum Cyzicenum.* Sed res ſigillatum ex Scriptura diſcamus. Deinde paucis rem ab Æmyliano proconſule geſtam in Hiſpania expediemus.

II. *Ionathas petit tolli ab arce præſidium.*

IONATHAS, qui Regis Demetrij voluntate, arcis Hieroſolymitanæ obſidionem ſoluerat, expectabat vt præſidiariorum inſolentiam Rex pro ſua autoritate comprimeret, ſed eius promiſſa in ventum abierant. Ideoque coactus eſt Ionathas regem vrgere, pro exigendo ab arce, aliiſque locis præſidio. *Miſit Ionathas*, inquit, Scriptura, *ad Demetrium regem vt eiiceret eos, qui in arce erant in Ieruſalem, & qui in præſidiis erant, quia impugnabant Iſraël; & miſit Demetrius ad Ionathan dicens: Non hæc tantum faciam tibi, & genti tuæ, ſed gloria illuſtrabo te, & gentem tuam cum fuerit opportunum. Nunc ergo recte feceris, ſi miſeris in auxilium mihi viros, quia diſceſsit omnis exercitus meus.* Quæ Ioſephus paulo latius explicans, ait primum miſſos à Ionatha legatos ad regem cum muneribus. Deinde excuſaſſe regem, quod non in præſentia deſiderio Ionathę ſatisfaceret, quod ſcilicet ei, per præſentis belli negotia, id non liceret nunc facere; facturum autem, cum primum bello leuatus eſſet: interim pro amicitia petere, vt ſibi auxilium militare, in præſenti neceſſitate mitteret. 1. Machab. c. 11. v. 41.

III. *Ionathas ei mittit tria millia.*

IONATHAS ratus fidem à Regibus non falli, quamprimum regi candide obſecutus eſt, exiſtimans gratiorem & firmiorem fore gratiam, quæ non eſſet ab inuito, & in articulo neceſſitatis expreſſa. Itaque *miſit ei Ionathas tria millia virorum fortium Antiochiam, & venerunt ad regem, & delectatus eſt rex in aduentu eorum. Et conuenerunt, qui erant de ciuitate, centum viginti millia virorum, & volebant interficere regem, & fugit rex in aulam, & occupauerunt qui erant de ciuitate itinera ciuitatis, & cœperunt pugnare. Et vocauit rex Iudæos in auxilium, & conuenerunt omnes ſimul ad eum, & diſperſi ſunt omnes per ciuitatem, & occiderunt in illa die centum millia hominum, & ſuccenderunt ciuitatem, & ceperunt ſpolia multa in die illa, & liberauerunt regem.* In Græco additur illa 120. millia Antiochenorum conueniſſe in medium ciuitatis, quibus conglobatis reſiſti vtique non poterat; ſed rege in Regiam fuga lapſo, dum per omnes vicos, qui

Iudæi cæſis Antiochenis liberant regem.

ferrent in regiam diuiſi ſunt, ne qua via regi ferretur auxilium, vt ſe coniuratis dedere cogeretur; ſuperuenerunt Iudæi, qui diſperſos ſigillatim aggreſſi, magna ſtrage conciderunt.

IV. *Eadem hiſtoria ex Ioſepho.*

Hanc pugnam, atque victoriam, pro arbitrio ſuo effingit Ioſephus. Quamuis enim illud non admodum improbem, quod ait mixtos Iudæis mercenarios milites pro rege ſtetiſſe; improbem tamen, quod verius ſit omiſſos à Scriptura, quia tunc aberant; abfuiſſe autẽ putem ad diuerſa loca Syriæ tutanda, contra milites rebellantes. Illa certe quidem mihi probanda non videntur, ſiue quod ait Regem cum Antiochenſibus conflixiſſe, ſiue quod Iudæos victos in regiam ſe recepiſſe, ſiue quod è regiæ tecto pugnaſſe, quorum nullum omnino eſt in Scriptura veſtigium: cum vice verſa illa dicat omnes Iudæos ſimul ad regem conueniſſe, deinde per ciuitatem totam diſperſos pugnaſſe: ſiue quod à vicis & itineribus in regiam ducentibus, prælium transfert ad tecta ædium, per quæ Iudæos, tanquam feles tranſiliiſſe memorat: quæ memorare piget, tu lector lege ſi placet, ſi ex cœnoſo mauis, quam ex puro fonte haurire, ad quem redeo.

V. *Antiochenorum ingens clades.*

1. Mach. c. 11 v. 47. & ſeqq. Et *viderunt qui erant de ciuitate, quod obtinuiſſent Iudæi ciuitatem, ſicut volebant; & infirmati ſunt mente ſua, & clamauerunt ad regem cum precibus dicentes, da nobis dextras, & ceſſent Iudæi oppugnare nos, & ciuitatem. Et protulerunt arma ſua, & fecerunt pacem, & glorificati ſunt Iudæi in conſpectu regis, & in conſpectu omnium, qui erant in regno eius, & nominati ſunt in regno, & regreſſi ſunt in Ieruſalem, habentes ſpolia multa.* Donatos Iudæos ait Ioſephus præda, quam ex direptionibus parauerant, & collaudatos, quaſi autores eius victoriæ, remiſit ad Ionathan, non ſine præclaro virtutis eorum teſtimonio. Multam fuiſſe prædam facile eſt intelligere ex maxima, atq; opulentiſſima, & tot annis intacta ciuitate, in quam omnia Syriæ bona certatim confluebant: & ex eo quod eam rex ipſe iuſta hac animaduerſione caſtigari cupiebat, vt ne ſi vellent quidem deinceps poſſent animos tollere, tot cædibus ac direptionibus attriti.

VI. *Demetrij in Iudæos ingratitudo & imprudentia.*

Hactenus fœlix Iudæorum expeditio pro rege Demetrio. Sequitur eiuſdem facinus, imprudentia, perfidia, atque ingratitudine pleniſſimum, cuius etiam mox grauiſſimas dedit pœnas. Quid enim imprudentius, quam ſi, cum plurimis hoſtibus vallatus ſis, ab vno ægre liberatus, cæteros omnes obliuiſcare? & cum penuria propugnatorum periculum maximum adieris, eos per quos euaſeris à te abiicias, in eandem ſolitudinem redeas, hoſtiumque vires, benefactorum tuorum, amicorúmque acceſſione amplifices? Id ab Demetrio factum eſt. Quid magis perfidum & ingratum, quam Regem fidem fallere, nec ſtare promiſſis apud eos, in re facili ac debita, qui eum vt regno ſeruarent, ſupremum capitis diſcrimen adierant, cum tria millia virorum, centum & viginti millibus ciuium armatorum, ac ſeditione furentium ſe mactandos obiecerunt.

VII. *Alienat à ſe Ionathã.*

Has Demetrij culpas produnt illa verba. *Et ſedit Demetrius Rex in ſede Regni ſui, & ſiluit terra in conſpectu eius.* Compreſſis nimirum aliquantiſper hoſtibus, audita tanta cæde Antiochenorum, tanta vrbis regiæ vaſtitate, atque incendio. *Et mentitus eſt omnia quæcunque dixit* (de educendis præſidiariis ex arce, & caſtellis) *& abalienauit ſe à Ionatha, & non retribuit ei ſecundum beneficia, quæ ſibi tribuerat, & vexabat eum valde*, opera vtique Antiochenorum, qui ſuam in regem iram, in Iudæos transferebant, per quos rex ipſos afflixerat: ſic canes lapidem, quo pulſati ſunt, dentibus petunt. Quin etiam bellum minatus eſt, inquit Ioſephus, niſi redderet tributa omnia, quæ Iudæorum gens ſolita eſt prioribus regibus pendere: exercitum quoque in Iudæos mouiſſe tradit. Quæ ſi vera ſunt, omnem immunitatem anno ſuperiorem Iudæis conceſſam, alieniſſimo tempore antiquare auſus eſt. Sed audi debitam ſtultæ improbitati pœnam.

VIII. *Triphon inſurgit in Demetriũ.*

1. Machab c. 11. v. 54. Post *hæc autem reuerſus eſt Tryphon, & Antiochus cum eo puer adoleſcens, & regnauit, & impoſuit ſibi diadema.* παιδάριον νεώτερον, vocat textus Græcus, Tigurina vertit adoleſcentulum, Baſil. puerulum iuniorem, Ioſephus μειράκιον τὴν ἡλικίαν, ætate adoleſcentulum, decem fortaſſis aut duodecim annorum, & infra pubertatem: nec poſſum aſſentiri Abbreuiatori Liuij, qui epit. 52. bimulum vocat. *A Diodoro quodam*, inquit, vel potius Diodoto, vt ſupra dixi, *vno ex ſubiectis, qui Alexandri filio bimulo admodum regnum aſſerebat*, &c. Deinde cum occiſus eſt decennem fuiſſe tradit

Regem vincit & fugit.

epit.55. *Et congregati ſunt ad eum omnes exercitus, quos diſperſerat Demetrius, & pugnauerunt contra eum*, & fugit, & terga vertit, & accepit Tryphon beſtias, Elephantos ſcilicet, quos Demetrius habebat in exercitu ſuo, vt explicat Ioſephus, & accepit Antiochiam. Facile fuit tunc Antiochiam viduatam ciuibus, incendio deformatam occupare. Athenæus l. 8. ex Poſidonio refert Demetrium vſum Sarpedone duce, qui ad Ptolemaidem cum Tryphone congreſſus, victus fuerit.

IX. *Quo ille fugerit.*

Qvo autem fugerit Demetrius, Scriptura non dicit: Ioſephus ait compulſum in Ciliciam cedere. Deinde traiecto flumine in Meſopotamiam & Babyloniam peruenisse, vt potitus ſuperioribus ſatrapiis, ſedem belli ibi conſtitueret. Vocabatur enim, inquit, per crebras legationes ab eorum locorum Græcis, atque Macedonibus, pollicentibus deditionem ſi veniſſet, atque etiam contra Parthorum regem Arſacem auxilia. Epit. 52. Seleuciam fugiſſe dicit. Vrbem ſcilicet maritimam, ex qua breuis eſt traiectus in Ciciliam, eoque videtur adiiſſe, vt eam prouinciam firmaret, antequam ſuperiores prouincias peteret.

Ex his autem intelligitur eum non exemplo prioris Nicatoris, vt ſignificat Appianus, neque ad abolendam ſegnitiæ maculam, bellum Parthis inferre ſtatuiſſe, vt ait Iuſtinus; ſed regno pulſum, id bellum partim neceſſitate, partim occaſione ſuadente ſuſcepiſſe, atque infœliciter geſſiſſe. Sed nos Syriam interea, & Iudæam repetamus.

X. *Tryphon puerulı regis tutor.*

Victo pulſoque rege, & occupata Antiochia, Tryphon vt maiore cum authoritate, & dignitate regnum adminiſtraret, Tutorem ſe pupilli (ſic enim legendum eſt apud Iuſtinum l. 36. non priuigni) à populo conſtitui voluit. Deinde eius nomine ſcripſit ad Ionathan, quem Demetrio ſciebat, ob recentem iniuriam infenſum. Id Scriptura tradit in hæc verba.

Conciliat ſibi Ionathan.

Et ſcripſit Antiochus adoleſcens (ὁ νεώτερος forte ad differentiam Antiochi Sedetis fratris Demetrij, qui poſtea Tryphonem regno expulit) ſcripſit ergo Antiochus Alexandri filius Ionathæ dicens. *Conſtituo tibi ſacerdotium, & conſtituo te ſuper 4. ciuitates, vt ſis de amicis regis.*

XI. *Præfecturis, & muneribus.*

Iosephvs hic iterum ciuitates interpretatur præfecturas, quæ Iudæorum regioni attributæ fuerant, ſed eas non nominat; ſuperius trium tantum mentio facta fuerat, ſed nouus rex alteram ſe adiecturum promittit. In præſentia vero *miſit illi vaſa aurea in miniſterium* (domus aut menſæ ſuæ, ſequitur enim. *Et dedit ei poteſtatem bibendi in auro, & eſſe in purpura, & habere fibulam auream. Et Simonem fratrem eius*

Et fratrem eius Simonem.

conſtituit ducem à terminis Tyri, vſque ad fines Aegypti, id eſt totam Palæſtinæ, quæ maritima eſt, oram dedit, vt eam ſibi Iudæorũ armis ſubiectam redderet. Addit Ioſephus ex cõgrua probabilitate, Ionathan etiam ipſum legatos ſuos ad Antiochum & Tryphonem miſiſſe, amicum ſe & ſocium profeſſum, geſturumque vna bellum contra communem hoſtem Demetrium, à quo pro beneficio iniuria ſibi repoſita fuiſſet: & conueniebat amorem & fidem in patrem defunctum, in filium eius transfundi, atque transferri.

XII. *Ionathas militat Antiocho iuniori.*

Et *exijt Ionathas, & perambulabat trans flumen* (Iordanem) *ciuitates; & congregatus eſt ad eum omnis exercitus Syriæ in auxilium.* Qui ſcilicet à Demetrio abalienati, Tryphonis & Antiochi iunioris partes ſequebantur, quibus ſe quoque addixerat Ionathas; cum his autem *venit Aſcalonem*, neque enim eos aſpernatus eſt, aut ſolis ſuis contribulibus vti voluit, ne eos à ſe, ſicut ante Demetrius, redderet alienos. Aſcalonitæ autem *occurrerunt ei honorifice de ciuitate. Et abijt inde Gazam, & concluſerunt ſe qui erant Gazæ, & obſedit eam, & ſuccendit quæ erant in circuitu ciuitatis*, ſuburbia videlicet, & villas circumpoſitas, *& prædatus eſt ea. Et* accepta clade *rogauerunt Gazenſes Ionathan, & dedit illis dexteram, & accepit filios eorum obſides, & miſit illos in Ieruſalem, & perambulauit regionem vſque Damaſcum.* Eadem habet Ioſephus, [a] addens Ionatham omnes ciuitates, quantum vi verbiſque valuit, à Demetrio ad Antiochum traduxiſſe. a l.13. c.8.

XIII. *Miles Demetrij exurgit in Ionathan.*

Et *audiuit Ionathas, quod præuaricati ſunt principes Demetrij in Cades, quæ eſt in Galilæa, cum exercitu multo, volentes eum remouere a negotio regni; & occurrit illis.* Pro præuaricati ſunt, forte legendum præparati ſunt. In Græco enim eſt παρῆσαν adfuerunt, parati videlicet ad bellum. Videtur interpres legiſſe παρεσόμενοι, vel παρῄνουν, vt ait Serarius, vt Vaticana legit quoque μεταστῆσαι τῆς χρείας, non τῆς χώρας, vt Baſil. & aliæ

habent, & vtraque ſatis quadrat ſententia loci. Volebant enim illi exturbare Ionatham ex regione illa, & in ſuam Iudæam cogere, vbi negotia regni Antiochi non attingeret. Ioſephus legit τῆς χώρας. Habet enim; *vellentque Ionathan abſtrahere à Syria; laturum opem Galilæis ſuæ ditionis hominibus*. 1. (1. εχ.)

XIV. *Simon expugnat Bethſurã.*

INTERIM autem dum Ionathas contra has Demetrij copias pugnaturus progreditur, *fratrem ſuum Simonem reliquit intra prouinciam Iudæam. Et applicuit Simon ad Bethſuram, & expugnabat eam diebus multis, & concluſit eos*: Diu videlicet oppugnatos in ſummas redegit anguſtias, adeo vt deditionem facere cogerentur, qua facta *eiecit eos inde, & cepit ciuitatem, & poſuit in ea præſidium*. Sicque Bethſura rediit in poteſtatem Iudæorum; quam primùm Iudas Antiocho Epiphani ereptam diligenter muniuerat.[a] Deinde eam filius eius Eupator fame domitam occuparat, anno ſabbatico 187. qui fuit Iudæ quartus: eamque alienigenæ decimum ſeptimum iam annum tenebant.[b] An autem diu in poteſtate Iudæorum manſerit, ex Scriptura non liquet.

[a] 1 Mach. c. 4. & 6. ca. 6. 7.
[b] ab anno m. 3892. n. 25.

XV. *Ionatha prælium in Demetrianos.*

HÆC dum in Iudæa fiunt, multis enim diebus durauit obſidio, loci, vt Ioſephus ait, totius Iudææ munitiſſimi, *Ionathas & caſtra eius applicuerunt ad aquam Geneſar, & ante lucem vigilauerunt in campo Aſor*. Aqua Geneſar à Ioſepho vocatur ſtagnum Genneſara, aliquando mare Galileæ, & Tiberiadis, & Cenereth, in tribu Zabulon. Aſor autem glorioſa quondam ciuitas, ante ipſa Ioſue tempora,[c] cum campo ſuo in Nephtalim: ad quem locum nocturno itinere ſummo mane peruenerunt. *Et ecce caſtra alienigenarum occurrebant in campo, & tendebant ei inſidias in montibus; ipſe autem occurrit ex aduerſo. Inſidiæ vero exſurrexerunt de locis ſuis, & commiſerunt prælium*. Pro tendebant, legendum videtur tetenderant, ἐξέβαλον, mutato tempore. Alioqui enim nimium tarde ponebantur inſidiæ, & fruſtra iactum fuiſſet rete, ante oculos pennatorum.

[c] Ioſue 11. 1. 10.

XVI. *Anceps ab inſidiis.*

IOSEPHVS quoque, *In campum Aſor*, inquit, *progreſſus eſt, neſcius hoſtem eſſe in eo. Demetriani vero, qui ante vnum diem aduentum eius præſenſerant, collocatis prius in monte inſidiis, ipſi in campo ei ſe oppoſuerunt. Quos conſpicatus Ionathas paratos ad prælium, & ipſe ſuos pro tempore ad certamen inſtruit. Sed cum à tergo ſe inſidiatores Iudæis oſtendiſſent, veriti ne intercepti in medio contrucidarentur, in fugam ſe dederunt, ita vt, pene omnes Ionathan deſererent in periculo.* Sic ipſe, conſentanee vtique Scripturæ, quæ ait, *Et fugerunt qui erant ex parte Ionathæ omnes, & nemo relictus eſt ex eis, niſi Mathathias filius Abſolomi, & Iudas filius Calphi princeps militiæ exercitus*, vel, vt eſt in Græco, principes. Significat autem reliquos duces, tribunos, centuriones cum ſuis militibus eſſe dilapſos; hos autem duos cum ſuis remanſiſſe: non enim tres viri contra exercitum pugnam iniiſſent.

Fuga Iudæorum.

XVII. *Victoria reliquiarum.*

ET ita ſenſit Ioſephus, qui ait illos duos, cum quinquaginta virorum fortium manu, permanſiſſe cum Ionatha: qui à deſperatione, inquit, ſumpta audacia tanto impetu aduerſam hoſtium frontem impulerunt, vt territi ſeu furentibus cederent. Malebat Dominus à paucis obtineri victoriam, vt Dei auxilium ſingulare agnoſceretur, ideoque fugaces illos à timore vinci permiſit.

Data precibus Ionatha.

Sed omittit Ioſephus, quod ad exemplum minime omnium prætermittendum fuit. *Et ſcidit Ionathas veſtimenta ſua, & poſuit terram in capite ſuo, & orauit*, (& ab oratione vires accepit, non à deſperatione audaciam, vt ait Ioſephus,) *& reuerſus eſt Ionathas ad eos in prælium, & conuertit eos in fugam, & pugnauerunt*, vel potius, vt eſt in Græco, *& fugerunt*, fuſi fugatique ſunt.

XVIII. *Fugitiui redeunt in prælium.* *Et vincũt.*

ET *viderunt qui fugiebant partis illius* (Ionathæ) *& reuerſi ſunt ad eum, & inſequebantur cum eo omnes vſque Cades ad caſtra ſua*, hoſtilia, *& peruenerunt vſque illuc, & ceciderunt de alienigenis in die illa tria millia virorum, & reuerſus eſt Ionathas in Ieruſalem*. Tum vero illi qui Ionathan deſtituerant, inquit Ioſephus, videntes fluctuantem & inclinatam hoſtium aciem, reuerſi in prælium. Iam in apertam fugam verſos perſequebantur, donec ad Cadaſa ventum eſt, vbi intra caſtra compulſi ſunt. Ionathas autem egregia victoria potitus, recepit ſe Ieroſolyma. Hæc ibi, diminuit Ioſephum interpres: omiſit enim illa eius verba, καὶ δισχιλίους τῶν ἐχθρῶν ἀποκτείνας, & cæſis duobus hoſtium millibus, ſicut Ioſephus ipſe Scripturam diminuit, & Ionathæ victoriam, aut pro δισχιλίους, τρισχιλίους, vt habent Græca, legendum eſt.

XIX. *Coſſ. non ſunt miſſi in Hiſpaniam.*

SEQVITVR in Romana hiſtoria res à Fabio Æmyliano Proconſule geſta in

Celtiberia. Neutrum enim Conſulum eo profectum, expeditionem impediente Fabij fratre Scipione Æmyliano, ex Valerio conſtat, qui [a] hæc ſcribit de eo. Idem cum Ser. Sulpicius Galba, & Aurelius Cotta Conſules in Senatu contenderent vter aduerſus Viriathum in Hiſpaniam mitteretur; ac magna inter patres conſcriptos diſſenſio eſſet, omnibus quonam eius ſententia inclinaretur expectantibus: *Neutrum*, inquit, *mihi mitti placet, quia alter nihil habet, alteri nihil eſt ſatis.* Æque malam licentis imperij magiſtram iudicans inopiam, atque auaritiam. Quo dicto, vt neuter in prouinciam mitteretur obtinuit. Hæc ibi. Quid autem eſt licentis imperij? An mutandum in allicientis? an quod Imperator, qui nemini in prouincia ſubeſt, dicere poſſit cum Apoſtolo. [b] *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt?* Hic porro Galba nunc Conſul, res iam in Hiſpania Prætor geſſerat, & incendium pararat, quod mox Viriathus accendit, qui & accuſatus à Catone fuit, vt ſuo loco diximus.

[a] l. 6. c. 4.

[b] 1 Cor. 6. 12.

XX. *Quid ibi geſtum ab Æmiliano proconſule.*

De re autem à Fabio geſta, hæc breuiter Appianus in Celtib. *Exacta hyeme*, inquit, *exercitato iam, & confirmato exercitu Viriathum fortiter præliantem ſecundus ipſe in fugam vertit.* Et quis primus fuit? neque enim nominat; An Vetilius? qui primus quæ à Lucullo & Galba deprauata fuerant, corrigere cœperat, & eos qui à Romanis defecerant in ſummum diſcrimen adduxerat, & ad pacem, cum ramis oleæ petendam adduxerat. Is tamen mox ab eo occiſus eſt. An C. Lælius? quem, vt diximus, rei bene contra illum geſtæ laudat M. Tul. [c] *Duarumque eius vrbium alteram diripuit, alteram incendit: Viriathum ipſum fugientem, ad locum vſque cui nomen erat Bæcor inſecutus, multos peremit. Deinde Cordubæ hyemauit.*

[c] in 2. off.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3910.

1. N. XIII.

Duas porro Cades, præter deſertum in quo mortua eſt Maria Moyſis ſoror reperio, alteram in tribu Aſer, Tyriorum agro, & regioni Galilææ propinquam, quo in loco Adrichom. nu. 29. putat hæc quæ narrantur de Ionatha contigiſſe, Ioſephum hoc loco ſecutus, qui eam vocat Cedaſam: malim tamen in altera Cades tribus Nephtalim contigiſſe, de qua idem n. 32. Sita eſt enim in Galilæa ſuperiore, quod vrbi Cades, quam Scriptura memorat, conuenit. Ait enim ſitam eſſe in Galilæa, non prope Galilæam: alteri autem minus conuenit, aut certe corrigendus eſt Ioſephus, qui eam propinquam Galilææ facit, quod non eſt eſſe in Galilæa.

LEGATIO IONATHÆ AD ROMANOS, ET SPARTIATAS.

ANNVS MVNDI 3911. SEXTAE AETATIS, 395. IMPERII GRÆCORVM 169. DEMETRII NICANORIS 3. IONATHÆ PONTIF. 18. PTOLEMÆI EVERGETIS 3. OLYMPIADIS CLIX. AN. 2. VRB. COND. 610. COSS. AP. CLAVDIO PVLCHRO, Q. CAECILIO METELLO MACED. BEL. CELTIB. II.

ANNVS ANTE CHRISTVM 142.

I. *Demetrius regnat, etiã Syria pulſus.*

QVAMVIS pulſum è Syria Tryphonis ſeditione Demetrium, regem tamen numerare pergimus, non ſolum quia regno in ſuperioribus Aſiæ prouinciis potiebatur, ſed etiam quia Tryphon, & Antiochus in Syria tyranni erant, non legitimi principes. Inuaſerant enim regnum Demetrij Nicanoris, filij Demetrij Soteris, qui ex Seleuco primogenito Antiochi Magni ortus fuerat. Nec nouus hic Antiochus, aliud ius in regnum habuit, quam quod à patre illegitimo Alexandro Bala, ſiue Vele acceperat; qui vt maxime legitimus eſſet, filius erat Epiphanis frater Eupatoris. Epiphanes autem fuit ſecundo genitus Antiochi Magni, cui regnum, niſi deficiente prole Seleuci primogeniti, non debebatur.

II. *Ionathas legatos Romam mittit.*

INTEREA Ionathas videns res ſibi proſpere cedere, pulſo Demetrio, Demetrianis victis, Antiocho & Tryphone beneuolis, recordatus fœderis à fratre ſuo Iuda cum Romanis iam pridem initi, illud renouare ſtuduit, vt vndique ſubnixa Iudæorum Reſp. firmius ſtaret. Id fuſe explicatur cap. 12. ad quod iam aggredimur.

1. Mach c. 12. v. 1. — *Et ad Spartiatas &c.*

Et vidit Ionathas, quia tempus eum iuuat, & elegit viros, & miſit eos Romam ſtatuere, & renouare cum eis amicitiam. Et ad Spartiatas, & ad alia loca miſit epiſtolas ſecundum eandem formam. Nomina legatorum fuerunt Numenius Antiochi filius, & Antipater Iaſonis, quæ habentur infra in literis ad Spartanos. Ioſephus ait datum illis à Ionatha mandatum, vt in reuertendo obiter Lacedæmonios inuiſerent, eoſque admonerent cognationis atque fœderis. Obiter Lacedæmonij inuiſuntur & perfunctoriè, quod deleta Corintho, attritis Achæis cum Peloponneſo, & Spartani, & Arcades, & Sicyonij, & Achæi, & Græci fere omnes iugo Romanæ dominationis premebantur; promptioréſque erant ad implorandam, quam ad ferendam opem.

III. *Renouandæ amicitiæ gratia.*

SVMMA Romanæ legationis ponitur primo. *Et abierunt Romam, & intrauerunt Curiam, & dixerunt; Ionathas ſummus ſacerdos, & gens Iudæorum miſerunt nos, vt renouaremus amicitiam, & ſocietatem ſecundum priſtinum,* prout videlicet inita, ac ſtabilita fuerat ante annos octodecim, eo ipſo quo mortuus eſt Iudas, Regni Græc. 152. *Et dederunt illis epiſtolas ad ipſos per loca,* (id eſt ad præſides locorum, per quæ tranſituri erant,) vt deducerent eos in terram Iuda cum pace. Nam οἱ κατὰ τόπον, ſunt ſingulorum locorum præpoſiti. Quæ eſt Ioſephi quoque interpretatio. Impetratis, inquit, quæ volebant omnibus, acceptiſque literis commendatitiis ad reges Europæ & Aſiæ, quo tutius poſſent iter facere, in reditu peruenerunt etiam ad Lacedæmonios, & obtulerunt eis literas &c.

c. 12. v. 5. — IV. *Exemplar literarum ad Spartanos.*

ET *hoc eſt exemplum Epiſtolarum, quas ſcripſit Ionathas Spartiatis, Ionathas ſummus ſacerdos, & ſeniores gentis, & ſacerdotes, & reliquus populus Iudæorum, Spartiatis fratribus ſalutem. Iampridem miſſæ erant epiſtolæ ad Oniam ſummum ſacerdotem ab Ario, qui regnabat apud vos, quoniam eſtis fratres noſtri, ſicut reſcriptum continet, quod ſubiectum eſt,* infra [a] in hoc ipſo capite. Nam verba proxime ſequentia, non ad veterem illum, ſed ad hanc nouam pertinent. In Græco legitur à Dario, ſed recte emendatum eſt

[a] verſ. 20.

in correctis vulgatis. Cæterum de his epiſtolis fuſius diſputatum eſt à nobis anno Regni Græcorum 79. probatumque accurate contra Scaligerum, hunc Oniam, ad quem miſſæ ſunt Arij literæ, eſſe huius nominis ſecundum, qui fuit Pontifex ab anno tertio Olympiadis 133. vſque ad annum quartum 136. Ergo *iampridem* annos minimùm nonaginta ſignificat; tot enim iam anni ab eius morte fluxerant.

V. *Pergit in eadem epiſtola.* ET *ſuſcepit Onias virum, qui miſſus fuerat cum honore.* Appellatur hic Demoteles apud Ioſephum. [a] *Et accepit epiſtolas, in quibus ſignificabatur de ſocietate, & amicitia. Nos cum nullo horum indigeremus*, (nec ſocietate armorum, debellatis inimicis noſtris, nec amicitia, cum & vicinos reges, Antiochum ſcilicet & Tryphonem, & Romanos amicos habeamus, quorum opera quieti,) *Habemus ſolatio ſanctos libros, qui ſunt in manibus noſtris, maluimus mittere ad vos renouare fraternitatem, & amicitiam, ne forte alieni efficiamur à vobis.* Amicitiæ enim ſicut mutua communicatione firmantur, ita ſilentio ac deſuetudine diſtrahuntur. *Multa enim tempora tranſierunt, ex quo miſiſtis ad nos.* Tempus dixi minimùm 90. annorum. Nam cum annus miſſæ epiſtolæ notatus non ſit, huius interiecti temporis periodus exacte proferri non poteſt. a l. 12. c. 5. & l. 13. c. 9.

VI. *Hebræi orant pro Ethnicis.* Nos [b] *ergo in omni tempore, ſine intermiſſione, in diebus ſolemnibus, & ceteris quibus oportet, memores ſumus veſtri in ſacrificiis quæ offerimus, & in obſeruationibus*, ſiue orationibus (προσευχαῖς) *ſicut fas eſt, & decet meminiſſe fratrum. Lætamur itaque de gloria veſtra.* b 1. Mach. c. 12. v. 11.

Vides hic priſcam Hebraicæ Eccleſiæ conſuetudinem, offerendi Deo preces & ſacrificia, etiam pro infidelibus & peccatoribus, quomodo de Nabuchodon. apud Ieremiam legimus: idque receptum ab ipſis Moyſis, & Abrahæ temporibus, quorum hic pro Abimelech, [b] ille pro Pharaone orabat. [c] Quam porro gloriam Lacedæmonum dicant, de qua illis gratulantur Iudæi, non intelligo; niſi ad præterita tempora reſpiciant, quibus in Græcia præ omnibus populis floruerunt, & Athenienſes ipſos, maris imperio diu exultantes domuerunt: nunc enim fractis Achæis, qui ſoli cum aliqua poteſtate remanſerant, omnia Lacedæmone, totáque Peloponneſo conciderant. b Gen 20. 7. c Exod 8. 8 9.

VII. *Dei auxilio victores fiunt.* AD eorum porro conſolationem pertinet commemoratio malorum & cladium, quibus Iudæi diu multumque fuerant exerciti. Nunc autem reſpirare cœperant, vt & Spartani finem aliquem ſuarum ærumnarum ſperent. Quamquam diuerſa eſt fidelium, & infidelium ſpei ac fiduciæ ratio. *Hi* enim *in curribus, & hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus. Nos autem*, inquit, *circundederunt multæ tribulationes, & multa prælia, & impugnauerunt nos reges, qui ſunt in circuitu noſtro*, (Antiochum intelligit Epiphanem, Eupatorem, Demetrium Soterem, eiuſque filium Nicanorem, eorumque duces plurimos.) *Noluimus ergo vobis moleſti eſſe, neque cæteris ſociis, & amicis noſtris in his præliis*, auxiliares videlicet copias efflagitando contra inimicos noſtros. *Habuimus enim de cœlo auxilium, & liberati ſumus nos, & humiliati ſunt inimici noſtri. Elegimus itaque Numenium Antiochi filium, & Antipatrem Iaſonis filium, & miſimus ad Romanos renouare cum eis amicitiam, & ſocietatem priſtinam. Mandauimus itaque eis, vt veniant etiam ad vos, & ſalutent vos, & reddant vobis epiſtolas noſtras, de innouatione fraternitatis noſtræ. Et nunc benefacietis reſpondentes nobis ad hæc.*

VIII. *Exemplar epiſtolæ Arij regis ad Oniam.* HACTENVS epiſtola Ionathæ. Quæ proxime ſequuntur v. 19. verba ſunt Autoris. *Et hoc eſt reſcriptum Epiſtolarum quod miſerat Oniæ*, cuius ſcilicet facta eſt mentio v. 7. Erat autem hic locus admodum perturbatus, mutatis, tranſpoſitiſque nominibus propriis, adeo vt ſequens epiſtola non Arij Spartani Regis, ad Oniam pontificem eſſet, ſed regis qui diceretur Onias, ad Ionathan. Sic enim legebatur. *Et hoc eſt reſcriptum epiſtolarum, quod miſit Onias Rex Spartiatarum: Onias Ionathæ Sacerdoti magno Salutem.* Quibus mendis anſam dare potuit vox Scripturæ in iis literis poſita. Abſurdum autem videbatur Regem profanum Scripturæ, vt putabatur, ſacræ habere cognitionem. Nunc autem in emendatis Bibliis ita recte legitur. *Arius Rex Spartiatarum Oniæ Sacerdoti magno Sal.* Inuentum eſt in Scriptura, in veteribus ſcilicet Lacedæmoniorum monumentis, de Spartiatis & Iudæis quoniam ſunt fratres, & quod ſunt de genere Abra-

ham. Multa de hoc genere hic inueſtigat Serarius: nobis ea ſufficiunt, quæ ſuo loco hoc de argumento diximus, [a] vbi hæc epiſtola ſuo tempore poſita, breuitérque expoſita eſt. Et hæc quidem eſt epiſtola Ionathæ cum antiquo Arij ad Oniam reſcripto; præſens autem Spartiatarum reſponſio infra c. 14. reperitur. Cum iam in viuis Ionathas eſſe deſiiſſet, eique ſucceſſiſſet Simon, vt Vatablo etiam placet.

[a] ann. m. 3821. n. 8. & 9.

IX. *Ionathas occurrit Demetriadis.*

INTEREA dum Numenius & Antipater legationem ad Romanos, Spartanoſque obeunt, Ionathæ quieto eſſe non licuit; ſed renouatæ turbæ ad maiorem Iudæorum gloriam, & vtilitatem, & hoſtium confuſionem ceſſere. *Et audiuit Ionathas quoniam regreſſi ſunt principes Demetrij cum exercitu multo, ſupra quam prius*, multo videlicet maiori, quem ex ſuperiore Aſia deducebant aduerſus eum, eo quod Tryphoni & eius Antiocho adhæſiſſet. *Et exijt ab Ieruſalem, & occurrit ei in Amathite regione.* Ab vrbe Amath, quæ frequentius Emath in Scriptura dicitur, regio nomen habet.[b] Eſt autem Emath, vt habet Adrichomius n. 45. in tribu Nephtalim, iuxta montem Libanum, in confiniis regionis Damaſci, quæ fuit terminus longitudinis regionis Iſraëlitarum verſus Septentrionem. Eam Antiochus Epiphanes, commutato nomine Epiphaniam appellari voluit, vt ſcribit D. Hieronym. in locis Hebraicis.

1. Machab. 12. 24.

[b] Amathitis, & crebrius terra Emath, vt 4. Reg. 23. 33. & c. 25. 21.

X. *Qui nocte dilabūtur.*

FVISSE autem etiam nunc Iudæorum terminum, ſaltem adminiſtrationis eorum, iuxta ea quæ ſupra [c] dicta ſunt, demonſtrat quod ſubdit author. [d] *Non enim dederat eis ſpatium, vt ingrederentur regionem eius. Et miſit ſpeculatores in caſtra eorum, & reuerſi renunciauerunt, quod conſtituunt ſuperuenire illis nocte. Cum occidiſſet autem ſol, præcepit Ionathas ſuis vigilare, & eſſe in armis, paratos ad pugnam tota nocte, & poſuit cuſtodes per circuitum caſtrorum. Et audierunt aduerſarij, quod paratus eſt Ionathas cum ſuis in bello, & timuerunt, & formidauerunt in corde ſuo, & accenderunt focos in caſtris ſuis.* Crebro factum refert Liuius, vt qui caſtra ſua metu vicini hoſtis noctu deſerere vellent, crebros ignes accenderent, vt hoſti præberent opinionem, totis ſe caſtris vigilias obſeruare, & ad pugnam expeditos eſſe, dum tamen ſe illi clam proriperent, & hoſti poteſtatem inſequendi prompte, & fugientium tergis inhærendi adimerent. Idipſum nunc à Demetrianis factum Scriptura tradit.

[c] c. 11. v. 59.
[d] c. 12. 25. 26

XI. *Ex Ioſepho.*

SCRIBIT Ioſephus, [d] Ionathan ad 50. ſtadia prope hoſtem caſtra poſuiſſe, & miſſis ſpeculatoribus quoſdam captiuos adduxiſſe, à quibus intellectum fuit, hoſtem noctu in Iudæos necopinantes irruere velle, quod ſe aperto marte pares Ionathæ non futuros ducerent, ideóque patefactis inſidiis, relictis multis per tota caſtra ignibus, quo magis hoſtem fallerent, noctu diſceſſiſſe: & reuera fefellerunt; ſequitur enim.

[d] l. 13. c. 9.

Eos perſequitur Ionath.

Ionathas autem, & qui cum eo erant, non cognouerunt vſque mane: videbant autem luminaria ardentia, quæ inania erant ſigna præſentis exercitus. *Et ſecutus eſt eos Ionathas, & non comprehendit eos: tranſierant enim flumen Eleutherum.* Ne porro laborioſa expeditio ſine vtilitate cederet, diuertit Ionathas ad Arabas, qui vocantur Zabadæi, *& percuſſit eos, & accepit ſpolia eorum*: caſtriſque inde motis, *venit Damaſcum, & perambulabat omnem regionem illam*, non populabundus, ſed inquirens potius Demetrianos.

XII. *Simon Ioppen conſeruat.*

NEC quieuit interea Simon. *Exijt quippe*, expeditione bellica ſuſcepta, *& venit vſque ad Aſcalonem, & ad proxima præſidia: & declinauit in Ioppen, & occupauit eam.* Erat illa quidem in poteſtate Ionathæ, [e] ſed præuenit defectionem eius. *Audiuit enim quod præſidium tradere vellent* ciues *partibus Demetrij: & poſuit ibi cuſtodes, vt cuſtodirent eam.* Vbi huic periculo prouiſum eſt, *& reuerſus eſt Ionathas* ab expeditione ſua, *conuocauit ſeniores populi, & cogitauit cum eis ædificare præſidia in Iudæa, & ædificare muros in Ieruſalem, & exaltare altitudinem magnam, inter medium arcis & ciuitatis, vt ſepararet eam à ciuitate, vt eſſet ipſa ſingulariter, & neque emant, neque vendant.* Altitudinem interpretatur Ioſephus celſam molem inter arcem & vrbem, quæ præſidiarios ſecluderet, & omni commeatu, & communicatione cum ciuibus prohiberet; quoniam arcis expugnatio diuturnioris erat laboris & temporis, vt incluſi fame domiti ſuccumberent, quod & contigit, vt habetur infra. [f] Cauſa vero inſtitutæ reparationis fuit, quod pars muri orientalis, qui reſpicit torrentem Cedron, corruerat.

[e] vt ex c. 10. 75. 76. conſtat.

Ionathas arcem ab vrbe ſecludit.

[f] c. 13. v. 49.

XIII. *Iudæi ſcribunt ad ſocios in Ægyptum.*

Inter hæc Iudæi ſcribunt in Ægyptum, ad eos qui illic habitabant Iudæos: & habetur inſerta ea epiſtola in compendium redacta, in alia quæ multo poſt ad eoſdem ſcripta eſt: vtraque habetur cap. 1. lib. 2. Machab. Hæc autem de qua agimus verſ. 7. in hæc verba. *Regnante Demetrio anno centeſimo ſexageſimo nono, nos Iudæi ſcripſimus vobis in tribulatione, & impetu, qui ſuperuenit nobis in iſtis annis*: conſentanea ſunt hæc epiſtolæ Ionathæ, paulo ante miſſæ ad ſocios Spartiatas: pro impetu vero habetur græcè ἐν τῇ ἀκμῇ, Tigurina, in ſummo diſcrimine: eſt enim cuiuſque rei ſummum incrementum, ſiue ætatis, ſiue certaminis, caloris, periculi, vt notauit Budæus. Pergit, *ex quo receſſit Iaſon à ſancta terra, & à regno.* Ab apoſtaſia Iaſonis, & ſociorum eius, id enim in Græco additur; quæ defectio ante duos & triginta annos contigit, initio regni Epiphanis, anno Græcorum centeſimo trigeſimo ſeptimo. *Portam ſuccenderunt, & effuderunt ſanguinem innocentem: & orauimus ad Dominum, & exauditi ſumus, & obtulimus ſacrificium & ſimilaginem, & accendimus lucernas, & propoſuimus panes.* Sic ibi. Hæc facta ſunt in emundatione templi, de qua libro primo capite quarto verſu quinquageſimo ſecundo, anno centeſimo quadrageſimo octauo, ex quo feſtum Scenopegiæ ſeptimo menſe inſtitutum eſt, vt ibidem habetur: ad quod hortantes Iudæos, quæ in Aegypto erant, dicunt. *Et nunc frequentate dies Scenopegiæ menſis Caſleu.* 1. Ma 4. 38. 2. Ma. 8. 33.

XIV. *Ratio temporis.*

Hac ex illa epiſtola, quæ nullo modo ſcripta videtur poſt captum Ionathan: quia tantæ rei, tamque recentis cladis, quæ populum vniuerſum vehementer affixit aliquam omnino mentionem facerent, & in eius cladis remedium aliquod, preces expoſcerent. Ideoque nos captiuitatem, & mortem Ionathæ, & initium pontificatus Simonis, in ſeq. annum diſtulimus. Et quoniam liber 2. Machab. annis Chaldaicis vtitur, qui ſex menſibus tardius inchoantur, quam Iudaici, quibus vtitur l. 1. vt alibi dictum eſt, dici poteſt eam epiſtolam ſcriptam initio anni 170. cum tamen nondum mortuus eſſet Ionathas. Hactenus ergo Hebraicæ res anni huius, ad Romanas tranſeamus.

XV. *Quintii cũ Viriatho pugna.*

In Celtiberia videtur Quintius Prætor pugnaſſe contra Viriathum. Nam rem turbat Appianus, qui bis ponit Fuluium Æmylianum, ſemel ante Quintium, & ſemel poſt ipſum; ſed poſteriore loco pro Æmyliano vtiq. Seruilianus legendus eſt, vt ſequenti anno dicemus. Hoc autem anno Viriathus collatis ſignis cum Quintio dimicauit, & victus montem Veneris repetiit, vnde iterum in hoſtes conuerſus, ex Quintianis militibus mille ferro ſuſtulit, ſignis aliquot captis, atque hoſtibus in caſtra propulſis. Quin etiam præſidium quod Itucæ erat, vi deiecit, & Baſitanorum regionem depopulatus eſt. Quintio interea Itucæ incluſo, & C. Martium per eruptiones emittente.

Cenſet Sigonius hoc anno Claudio Conſuli Galliam, Metello Celtiberiam prouinciam obtigiſſe, & huius res geſtas apud Appianum intercidiſſe; quæ dum extant, quæ vix diſtingui poſſunt à Conſule ne, an à proconſule geſta fuerint, propterea que ſequenti anno coniungentur.

XVI. *Ortus Antonii Oratoris.*

Hoc autem natus videtur Romæ M. Antonius Orator, apud Marcum Tullium celeberrimus. Nam triennio eum maiorem L. Craſſo, item Oratore ipſi æquali, author eſt idem Tullius in Bruto. Iſtum autem natum Lælio & Cæpione Coſſ. ibidem affirmat. De re ab Appio geſta hæc habet Oroſius libro quinto capite quarto. Appius Claudius aduerſus Salaſſos Gallos (hi apud Ptolemæum ſub Inſubribus ſunt, vulgo *la val d' Oſte* dicuntur, vt notauit Ortelius) congreſſus, & victus decem millia, alii habent quinque, militum perdidit: reparata pugna quinque millia hoſtium occidit. Sed cum iuxta legem qua conſtitutum erat, vt quiſquis quinque millia hoſtium peremiſſet, triumphandi haberet poteſtatem; iſte quoque triumphum expetiſſet, propter damna vero ſuperiora non impetrauiſſet, infami impudentia atque ambitione vſus, priuatis ſumptibus triumphauit. Hæc Oroſ. Sed fortaſſe non primus ea ambitione laborauit. Nam qui in Albano monte contra voluntatem Senatus triumpharunt, vix credibile eſt eis è publico ſumptus fuiſſe ſuppeditatos.

Appii triumphus notatus ambitionis.

XVII. *Tribuni in triumphãtẽ audacia.*

In triumpho Claudii id memorabile contigit, quod à Valerio libro quinto capite quarto refertur. Animoſius, inquit, fuit Claudiæ Veſtalis virginis factum.

Quæ cum patrem ſuum triumphantem è curru, violenta Tribuni plebis manu, detrahi animaduertiſſet, mira celeritate vtrique ſe interponendo, ampliſſimam poteſtatem inimicitiis accenſam depulit. Igitur alterum triumphum pater in Capitolium, alterum filia in ædem Veſtæ duxit. Nec diſcerni potuit vtri plus laudis tribueretur, an cui Victoria, an cui Pietas comes aderat. Eadem habet Cic. pro Cœlio, & Suetonius in Tiberio, ſed hic non filiam vocat, ſed Sororem. Ex quo illud etiam in primis licet animaduertere, quanto in honore apud Romanos eſſent virgines Veſtales, vt eius filiam tribunus plebis violare auſus non fuerit, quem Conſulem & triumphantem de curru deturbare aggreſſus fuerit. *Veſtalis fortitudo, & in eã reuerentia.*

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3811.

1.N.11. Refert Lyranus ex Ioſepho hos Zabadæos fuiſſe filios Zambri, qui vt refertur cap. 9. lib. 1. v. 39. interfecerunt Ioannem, fratrem Ionathæ & Simonis; ſed id non habet Ioſephus. Flexo, inquit, in Arabiam itinere, & Nabathæis vaſtatis, abactaque præda, & captiuis abductis, Damaſcum veniens illic omnia vendidit. At vereor ne Ioſephus quoque fallatur, aut fallat: nam Scriptura Nabathæos, ſiue Nabuthæos amicos Iudæorum facit, vt patet ex primo Machabæorum cap. 5. 25. & cap. 9. 35. Porro illud, *iunxit*, ex verbo ἀνέζευξε, redditum, poteſt verti, regreſſus; eſt enim ἀναζευγνύειν, vt notant lex. equos iterum iungere currui ad reditum, & iter reflectere, quod recte loco iſti quadrat. Eſt enim Eleutherus fluuius, quo vſque videtur Ionathas hoſtes perſecutus, longe vltra Damaſcum, apud Ptolem. tab. 4. Aſiæ: inde ergo regrediens, venit Damaſcum Ieroſolymam verſus.

2.N.12. Sic enim Vatablus & Sa: nec repugnat Lyranus; verba Scripturæ ſunt. *Et conuenerunt vt ædificarent ciuitatem, & cecidit murus* (τὸ τεῖχος pars muri; Vaticana habet, ἤγγισε τῷ τείχει appropinquauit muro, frigide) *qui erat ſuper torrentem ab ortu ſolis, & reparauit eum, qui vocatur Capheletha*, ſiue vt eſt in Græco Caphenata, *& Simon ædificauit Adiada in Sephela, & muniuit eam, & impoſuit portas & ſeras.* Sephela, inquit D. Hieron. de locis Hebr. pro quo Aquila campeſtrem, Symmachus vallem interpretatur, vſque hodie omnis regio iuxta Eleutheropolim campeſtris & plana, quæ vergit ad aquilonem, & occidentem Sephela dicitur. Sic ibi. In ea ergo regione Simon ædificauit Adiada præſidium. Adrichomius vocat vrbem in monte ſitam, non longe ab Eleutheropoli. Ioſephus peculiarem eius mentionem non facit, & altitudinem illam murum interpretatur, inter arcem & vrbem excitatum, vt excluderet, inquit eos, qui arcem cuſtodiebant, & ad commeatuum penuriam eos adducerent: præterea vt arces, hinc inde per regionem diſpoſitas, additis nouis munitionibus, firmiores etiam ac tutiores facerent.

Hanc Claudiam Veſtalem M. Tullius pro Cœlio Quintam vocat. Quinta etiam Claudia memoratur ab eodem in Orat. de Aruſpicum reſponſis, eiuſque caſtitas in primis cõmendatur. Sacra iſta, inquit, maiores noſtri adſcita ex Phrygia, Romæ collocauerũt: quæ vir is accepit, qui eſt optimus à populo Romano iudicatus, P. Scipio. fœmina autem, quæ matronarũ caſtiſſima putabatur Quinta Claudia. Eandem putat Manucius vtramque Claudiam: ſed plurimi anni inter vtramque intercedunt. Sacra enim illa Romam aduecta ſunt, anno V. C. 549. hic autem eſt 610: illa ergo hanc 60. annis antecedit. 3.N. XVII.

ANNVS MVNDI 3912. SEXTÆ ÆTATIS 396.

REGNI GRÆCORVM 170. DEMETRII NICANORIS 4. IONATHÆ PONTIFICIS 19. ET VLT. SIMONIS I. PTOLEMÆI EVERGETIS 4. OLYMP. CLIX. AN. 3. VRBIS CONDITAE 611. COSS. L. CÆCILIO METELLO. Q. FABIO MAXIMO SERVILIANO. BELLI CELTIB. II.

ANNVS ANTE CHRISTVM 141.

I. *Res anni huius.*

REDINTEGRAVIT hic annus luctum Iudæorũ, in amiſſione Ionathæ principis ſui, atque pontificis, quem nimia credulitas ſua, & Tryphonis proditoris fraus ſacrilega perdidit. Eum luctum accumulauit irrita patris redemptio, & indigniſſima trucidatio filiorum, gladio periuri perfidique hominis: qui vt tyrannica dominatione potiretur; & pupilli, & innocentis, & ſi placet etiam regis cædem leue ſcelus arbitrabatur, & ad id perpetrandum per clariſſimi viri, amiciſſimique proditoriam cædem aditum muniit. Factum id Demetrii anno ſecundo putat Seuerus Sulpitius l. 2. qui tamen facile quartus ex Scriptura colligitur, quæ habet Demetrium hunc regnare cœpiſſe, anno Græcorum centeſimo ſexageſimo ſeptimo, [a] principatum autem Simonis, & partam pacem, quæ ad initium principatus eius pertinet, an. 170. [b] Rem totam Scriptura hoc modo enarrare incipit.

Ratio temporis.

a c. 11. 19. b c. 13. v. 41. & 42.

II. *Tryphonis in regẽ, & Ionathan molitio.*

Et *cum cogitaſſet Tryphon regnare Aſiæ, & aſſumere diadema, & extendere manum in Antiochum regem, timens ne forte non permitteret eum Ionathas, ſed pugnaret aduerſus eum,* pro defenſione videlicet regii adoleſcentis, bene de ſe, ac Simone fratre ſuo meriti, quod eum ſciret virum fortem ac potentem, quique pietatem, ac fidem, ambitioni rebuſque omnibus anteferret. Hoc ergo impedimentum perfidiæ & ambitionis ſuæ Tryphon auferre volens, *quærebat comprehendere eum, & occidere. Et exurgens abijt in Bethſan.* Erat hæc ciuitas præclara in tribu Manaſſis citra Iordanẽ, ad vnum fere miliare à Iordane, & mare Tyberiadis, quæ & Scythopolis dicta fuit. Oportet autem ſuſpectam fuiſſe Ionathæ Tryphonis expeditionem, ne ſcilicet iam tutus à Demetrio, ſibi Iudæam ſubiugare vellet, arcem Hieroſolymorum obſidione liberare, ſicut res ipſa docuit, poſtquam comprehendit Ionathan, vt patet ex c. 13. Denique & Antiochi Epiphanis luctuoſiſſima tempora reſtaurare.

c c. 11 v. 57 58. &c.

III. *Occurrit ei Ionathas.*

Itaqve *exiuit Ionathas obuiam illi, cum quadraginta millibus virorum electorum in prælium, & venit Bethſan. Et vidit Tryphon, quia venit Ionathas cum exercitu multo, vt extenderet in eum manus, timuit.* Legendum videtur, & extendere in eum manus timuit, quomodo habent libri Græci omnes, & ſententia loci id requirit; alioqui plura verba ſuppleri oportet, aut certe legendum, *& timuit,* vt aliqui libri habẽt, *& excepit eum cum honore, & commendauit eum omnibus amicis ſuis, & dedit ei munera, & præcepit exercitibus ſuis, vt obedirent ei ſicut ſibi.* Hoc ille honoris fumo excæcare voluit Ionathæ oculos, ne videret anguem in herba latentem. Sed hæc per quandam hyſterologiam præmiſſa vidẽtur. Anteceſſit enim mutua ſalutatio, & colloquium, & illa in primis interrogatio, *cum dixit Ionathæ, vt quid vexaſti vniuerſum populum, cum bellum nobis non ſit.* Hic primus actus fabulæ huius.

IV. *Dimittit ſuos fidens Tryphoni.*

Vide iam hamum ad capiendum incautum piſcem. *Et nunc remitte eos in domos ſuas: elige autem tibi viros paucos, qui tecum ſint, & veni mecum Ptolemaidem, & tradam eam tibi, & reliqua præſidia, & exercitum, & vniuerſos præpoſitos negotii, &*

& conuerſus abibo, propterea enim veni. Erant hæc conſentanea illi promiſſioni. *Conſtituo te ſuper quatuor ciuitates, vt ſis de amicis regis &c.* Cumque nullius ſibi in regem delecti eſſet conſcius, & ei ſe in primis vtilem ac neceſſarium videret, vt Demetrio reſiſteret, Tryphonem ex animo ſuo metitus, *credidit ei, & fecit ſicut dixit,* c. 11. v. 57. *& dimiſit exercitum, & abierunt in terram Iuda. Retinuit autem ſecum tria millia virorum: ex quibus remiſit in Galilæam duo millia,* vt propius abeſſent ab ipſo, ſi res ferret, vt euocandi eſſent. *Mille autem venerunt cum eo.* Hic agnoſcas licet alterum tragœdiæ actum; ſequitur tertius.

V. *Capitur Ionathas cũ ſuis.* DEVORAT enim hamum Ionathas, & piſcatorem ſecutus ingreditur Ptolemaidem, ſperans ſe ibi conſtitutum iri principem ciuitatis eius, & earum quæ illi ſuberant; ſed ſpe inani. Nam *vt intrauit Ptolemaidam Ionathas, clauſerunt portas ciuitatis Ptolemenſes, & comprehenderunt eum: & omnes qui cum eo intrauerunt gladio interfecerunt.* Neque ea ſtrage mille virorum contentus, *miſit Tryphon exercitum, & equites in Galilæam, & in Campum magnum, vt perderent omnes ſocios Ionathæ.* Illa ſcilicet duo millia paulo ante dimiſſa. Porro Campus magnus proprium eſt loci nomen, qui etiam dicitur campus Eſdrelon, & Mageddo, & Planicies Galileæ, de qua in Ioſiæ morte diximus. Vide Adrichomium in tribu Iſachar.

VI. *Cæteri cladem vitant* AT *illi cum cognouiſſent, quia comprehenſus eſt Ionathas, & periit*: opinione ſua perierat; ſed maiore ſcelere reſeruatus fuerat à Tryphone, vt & filios eius interficeret, & domum exinaniret, *& omnes qui cum eo erant; hortati ſunt ſemetipſos, & exierunt parati in prælium, & videntes hi qui inſecuti fuerant, quia pro anima res eſt illis, reuerſi ſunt:* rati ſibi cum deſperatis, & in vltionem proditionis, ac mortis principis ſui furentibus, certamen fore. Iudæi autem *venerunt omnes cum pace in terram Iuda, & planxerunt Ionathan, & omnes qui cum ipſo fuerant valde, & luxit Iſrael luctu magno.* In Græco præmittitur, & timuerunt valde; & paulo poſt, videns quia in tremore populus eſt, & in timore, vtpote exercitus ſine duce, & oues ſine paſtore, quo proſtrato lupi exultare cœperunt; ſequitur enim, *Et quæſierunt omnes gentes, quæ erant in circuitu eorum, conterere eos, dixerunt enim. Non habent principem, & adiuuantem: nunc ergo expugnemus illos, & tollamus de hominibus memoriam eorum.*

VII. *Ioſephi lapſus.* NVNC antequam ad reliqua pergamus, paucis nobis conueniendus eſt Ioſephus, qui cætera quidem ſimilia tradit, iis quæ hoc loco Scriptura recitat. Illud c. 10. l. 13. tamen contra eam, quod Lyranus quoque animaduertit, quod fingit Tryphonem cogitaſſe de interficiendo Antiocho & Ionatha, poſtquam audiuit Demetrium coniectum in carcerem ab Arſace. Cum enim in fi. cap. 9. dixiſſet, Demetrium prælio ſuperatum, amiſſo exercitu, viuum in poteſtatem hoſtium veniſſe, ſubdit c. 10. Tryphon autem cognita calamitate Demetrii, non amplius fidus erat Antiocho, ſed cogitabat quonam pacto eo ſublato regnũ poſſet ipſe inuadere. Verum cum ea calamitas contigerit anno centeſimo ſeptuageſimo ſecundo, vt ex init. l. 14. conſtat, oporteret Ionatham captum, & occiſum poſt illum annum: cum tamen ex eadem Scriptura conſtet eum mortuum ſub annum 170. eodemque ipſo anno Simonem illi ſucceſſiſſe. c. 13. 41.

VIII. *Diuinum circa Ionatham iudicium.* ILLA autem non Ioſephi, ſed interpretis culpa eſt, cum de Tryphone ait. Inuenit ibi Ionatham cum quadraginta millibus lectiſſimorum militum: quaſi Ionathas anteuerterit Tryphonẽ proficiſcendo Scythopolim, cum Ioſephus Script. conſentiens, dicat Ionathan occurriſſe Tryphoni, qui anteuerterat eius aduentum. Sed hæc minuta ſunt; illud maiori conſideratione, & admiratione dignum, in diuina circa Ionathan prouidentia, quæ eum paſſa eſt primum in hoſtium venire poteſtatem: deinde cum filiis ſuis, ab homine ſceleſto per fraudem interfici. Si ex effectis diuina conſilia inueſtigare licet, nos quoque hic dicemus. *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.*

IX. *Quid ab eo peccatum videatur.* MEMINISTI lector Alexandrum tyrannum in legitimum regem Demetrium inſurrexiſſe, & vtroque ambiente Ionathæ opem atque beneuolentiam, illum deſerto Demetrio, à quo poteſtatem congregandi exercitum acceperat, & obſides, nihilominus Alexandro adhæſiſſe? Fateor hæc aliquo modo excuſari c. 10. v. 48. poſſe, quod ficta eſſent promiſſa Demetrii, & hactenus male meritus eſſet de Iudæis. Sed quid male meritus erat filius eius Demetrius? cur non relicto Alexandro

SIMON CONSTITVITVR LOCO IONATHÆ.

ei reconciliatus eſt, aut certe pacem quæſiuit, priuſquam cum eius duce Apollonio confligeret. Agnouit hominem iniquum & doloſum, cui tuto fides haberi nō poſſet, & reuera mortuo Alexandro, expertus eſt Demetrium mendacem & fœdifragum. Itaque eo relicto, Tryphoni & filio Alexandri Antiocho adhæſit, conuerſa in filium, quæ erga patrem fuerat, beneuolentia, ſicque ex accidente tyrannum contra legitimum regem ſuſtentauit. Et quidem contra Regem ingratum & improbum, & perſecutorem. Id tamen videtur Deo gratum non fuiſſe; qui non bonos reges, tyrannis præfert, quique eam culpam, ipſius & filiorum eius morte viſus eſt expiaſſe.

Deus regibus fauet. Et vice verſa poſtquam Simon Demetrio reconciliatus eſt, & in Tryphonem tyrannum nequiſſimum arma conuertit, Deus Iudæorum Rempub. conſtabiliuit, iugo gentium ab Iſraële ſublato. [a]

[a] vt patet ex c. 13. v. 40. 41.

X. *Defenditur Ionathas.* HIS non obſtātibus rectius dici videtur poſſe, mortem Ionathæ occulto Dei iudicio eſſe relinquendam; nec illum contra priorem aut poſteriorem Demetrium iniuſte inſurrexiſſe, ſed iuſtiſſima ex neceſſitate arma ſumpſiſſe, ad ſe, Deique populum ſibi commiſſum, quem illi opprimere conabantur, protegendum. Nec Alexandro, aut Antiocho, & Tryphoni fauit vt tyrannis, ſed eorum viribus, ſicut & Romanorum, & Spartiatarum, innocentiam & pietatem, contra perfidos & ingratos tutari conatus eſt. Simon autem, felici rerum cōmutatione, reconciliatus eſt Demetrio, amiſſione regni Syriæ diuinitus caſtigato, & emendato, ad opprimendum importuniſſimum tyrānum, eadem molientem, quæ ne in legitimis quidem regibus potuerant tolerari. Nunc quæ deinceps ſunt conſecuta videamus.

XI. *Simō offert ſe populo.* ET *audiuit Simon, quod congregauit Tryphon exercitum copioſum, vt veniret in terram Iuda, & attereret eam, videns quia in tremore populus eſt, & in timore, aſcendit Ieruſalem*, ex locis in quibus ædificabat, ac muniebat præſidia, [b] *& congregauit populum, & adhortans dixit. Vos ſcitis quanta ego, & fratres mei, & domus patris mei fecimus pro legibus, & pro ſanctis prælia, & anguſtias quales vidimus. Horum gratia*, per has ſcilicet anguſtias omnes, & prælia, *perierunt omnes fratres mei propter Iſrael.* Nam Iudas in prælio occubuit, Eleazar ab elephanto oppreſſus eſt, Ioannes à Iambritis interceptus necatuſque eſt. Ionathas in manibus eſt perfidi Tryphonis, cædem in ſingulas horas expectans, *& relictus ſum ego ſolus. Et nunc non mihi contingat parcere animæ meæ, in omni tempore tribulationis: non enim melior ſum fratribus meis*, etſi præ cæteris vir conſilii celebratus fuerat à patre ſuo, ante annos viginti quatuor. [c] *Vindicabo itaque gentem meam, & ſancta, natos quoque noſtros, & vxores, quia congregatæ ſunt vniuerſæ gentes conterere nos inimicitiæ gratia.* Quaſi dicat, non quia offenſi ſunt à nobis, ſed quia hoſtili nos odio proſequuntur, nos perditos volunt, & ſanctum Dei cultum ſacrilega idololatria cupiunt commutatum.

[b] l. 1. c. 12. 38

[c] l. 1. c. 2. v. 65. & 70.

XII. *Ab eo eligitur in ducem.* EXIMIA hæc Simonis in Deum, & patriam charitas, & fortitudo non inanis fuit. Nam *accenſus eſt ſpiritus populi, ſimul vt audiuit ſermones iſtos: & reſponderunt voce magna, dicentes. Tu es dux noſter, loco Iudæ & Ionathæ fratris tui; pugna prælium noſtrum, & omnia quæcumque dixeris nobis faciemus.* Ita dux electus, communi ſuffragio populi obedientiam pollicentis, ſtatim publicæ rei prouidere cœpit. *Et congregans omnes viros bellatores, accelerauit conſummare vniuerſos muros Ieruſalem*, qui iam cœpti erant reparari, [d] *& muniuit eam in gyro.* Et quoniam magni momenti erat Ioppe, & verebatur Simon ne oppidani ſeſe Tryphoni dederent, vt ait Ioſephus, vt qui eorum inconſtantiam eſſet expertus, [e] *miſit Ionathan filium Abſalomi, & cum eo exercitum nouum in Ioppem, & eiectis his, qui erant in ea, remanſit illic ipſe.*

[d] c. 12. 37.

[e] l. 1. c. 10. 75. & c. 12. 33

XIII. *Tryphon adit Iudæā.* ET *mouit Tryphon à Ptolemaide cum exercitu multo, vt veniret in terram Iuda, & Ionathas cum eo in cuſtodia. Simon autem applicuit in Addus contra faciem campi.* Iuxta oppidum Addida, inquit Ioſephus, in monte ſitum, cui Iudæorum campi ſubiecti ſunt; ita quoque & Græci codices vocant. Adrichomius id oppidum in tribu Ephraim collocat. Serarius eandem putat cum Adiada, [f] ſicque campi facies quæ hic dicitur, erit Sephela ibi poſita, quam vocem appellatiuam eſſe Vatablus putat, & recte conuenit, vt Simon iuxta præſidium ſuum caſtra poſuerit. Vide autem deinceps artificioſam proditoris malitiam ſuperiori, qua Ionathan deceperat, non diſparem, ſed crudeliorem etiam, & immedicabilem.

[f] c. 12. v. 38.

ET

XIV. *Petit pecuniam, & obſides.*

ET *vt cognouit Tryphon, quia ſurrexit Simon populi dux, loco fratris ſui Ionathæ: & quia commiſſurus eſſet cum eo prælium, miſit ad eum legatos, dicens, Pro argento quod debebat frater tuus Ionathas in ratione Regis, propter negotia quæ habuit, detinuimus eum. Et nunc mitte argenti talenta centum, & duos filios eius obſides, vt non dimiſſus fugiat à nobis, & remittemus eum.* Legendum arbitror, transfugiat à nobis. Nam in Græco eſt, ἀποστάτης ἀφ' ἡμῶν, ne deficiat à nobis, fiatque inimicus. Clare Ioſephus. Mandabatque, vt ſi vellet dimitti fratrem Ionathan, centum argenti talenta perſolueret, & cum eis duos Ionathæ filios mitteret ad ſe, obſides futuros, quod ille dimiſſus non ſit alienaturus Iudæam è Regis imperio. Nunc enim eum tantiſper ſeruari in vinculis, dum debitam regi pecuniam redderet. Fingebat autem ſe timere, ne in vltionem vinculorum ſuorum, ad Ægyptios, Romanoſue deficeret.

XV. *Conſentit Simon, & an recte.*

E T *cognouit Simon*, vt vir dono conſilii præditus, *quia cum dolo loqueretur ſecum; iuſſit tamen dari argentum, & pueros, ne inimicitiam magnam ſumeret ad populum Iſrael, dicentem. Quia non miſit ei argentum, & pueros, propterea periit.* Videbat ſe accuſatum iri auaritiæ, quod vitæ fratris pecuniam prætuliſſet; & ambitionis, quod vt rerum ipſe potiretur, fratrem vinculis eximi noluiſſet. At ipſe noluiſſet damnum damno accumulare, & pecuniam puerosque ſine vtilitate perdere. Quin & cædes mille virorum, Ptolemaide à Tryphone perpetrata, oſtendebat eum aliud à pecunia quærere. Quia tamen recte formidare poterat, populi ſui natura prudenter æſtimata, ſe ex iſtiuſmodi ſuſpicionibus in populi odium incurſurum, ſicque illum duce deſtitutum prædæ hoſtibus fore, minus malum maiori ſapienter prætulit. Pluris enim intererat Dei gloriæ, reique publicæ Simonem eſſe incolumen, & gratia valere apud populum, quam amiſſo Ionatha, pueros inſuper, pecuniamque perdi. Sicque conſecutus etiam eſt, vt odium ſui in Tryphonem refunderet, eoque fortius ad eius interitum niteretur.

XVI. *Fidem fallit Tryphō.*

A D D I T Ioſephus, Simonem aduocata concione poſtulata Tryphonis propoſuiſſe, & ſuſpicionem ſuam; & nihilominus pueros pecuniamque mitti placuiſſe. Itaque *miſit pueros, & centum talenta, & mentitus eſt* Triphon, *& non dimiſit Ionathan.* Necdum tamen interfecit, cogitans ſi quam aliam fraudem patrare poſſet. *Et poſt hæc venit Tryphon intra regionem, vt contereret eam*; Græcè, vt intraret regionem, & contereret eam, *& gyrauerunt per viam, quæ ducit Ador*, in Græcis Adora dicitur & Dora, *& Simon, & caſtra eius ambulabant in omnem locum quocumque ibant.* Quæ Ioſephus explicans. Quibus acceptis, inquit, Tryphon non ſeruauit fidem, nec dimiſit Ionathan; ſed cum exercitu peragrabat regionem, volens per Idumæam aſcendere Ieroſolyma, perueniتque vſque Dora Idumææ oppidum. At Simon eum perpetuo conſectabatur, caſtra caſtris illius opponens. Sic ipſe.

XVII. *Ador ſiue Dora vbi ſita.*

Q V I de illo Idumææ oppido ſe ipſe refellit, libro ſecundo contra Apionem. Idumæa, inquit, prouinciæ noſtræ confinis eſt, poſita iuxta Gazam, & nulla ciuitas huius Dora nuncupatur. In Phœnice vero iuxta montem Carmelum Dora ciuitas appellatur, quatuor dierum itinere procul à Iudæa. Ita ibi. Vltro placet loco errare Ioſephum, aut fallere? Huius Doræ meminit Diuus Hieronymus in locis Hebraicis. Dora, inquit, in nono milliario Cæſareæ Palæſtinæ pergentibus Tyrum; nunc deſerta; quæ cum cecidiſſet in ſortem tribus Manaſſe, eam poſſidere non potuit, quia in ea habitatores priſtini permanſerunt. Et hæc Dora venienti à Ptolemaide occurrebat, ſed cum hic mentio fiat circumducti exercitus, nempe vt commodum exercitui ingreſſum daret in Iudæam, quem Simon non occupaſſet, alio loco Doram, ſiue Adoram conſtituere conſentaneum eſt.

Ioſephus ſibi repugnat

XVIII. *Tryphon venit in Galaaditim.*

c.13.v.21. QVI *autem in arce erant*, Adorea, vt videtur, verſus quam iter erat Tryphonis, *miſerunt ad eum legatos, vt feſtinaret venire per deſertum, & mitteret illis alimonias. Et parauit Tryphon omnem equitatum, vt veniret illa nocte: erat autem nix multa valde, & non venit in Galaaditim.* Aliquot verba in editione vulgata videntur deſiderari. In Græcis enim omnibus habes, vt notauit ante nos Emanuel Sa. *Et fuit nix multa valde, non venit propter niuem. Et mouit caſtra, & venit in Galaaditim*: quo-

modo habet etiam Ioſephus. Et quomodo non venit in Galaaditidem, cum venerit ad eius oppidum, dictum Baſcaman ad quod occidit Ionathan, & filios eius? vt ſtatim ſubditur. Videtur amanuenſis à priore *venit*, ad poſterius imprudenter tranſiliiſſe.

XIX. *Ibique Ionathan cũ filiis interficit.* Cvm ergo ait, *appropinquaſſet Baſcaman, occidit Ionathan, & filios eius illic.* Modum atque ordinem cædis Scriptura tacuit: neque apparet, Tryphonem quamuis crudelem tyrannum ac barbarum, in talem virum, nihil de ſe male meritum, ignominiam morti, aut cruciatus adieciſſe; aut inſultantem, filios ante ora parentis trucidaſſe. Non enim videtur autor, ſi tale quid contigiſſet, id ſilentio preſſurus. Veneno fortaſſe necopinantes extinxerit. Cauſam mortis huius excogitauit Ioſephus, haud ſatis Scripturæ conſentaneum. *Eo,* inquit, *vincto contra Iudæam mouit exercitum, vnde repulſus à Simone Ionathæ fratre, quodque ab eo ſuperatus eſſet iratus, eundem Ionathan interfecit.* Fictum eſt hoc prælium, Simonem inter ac Tryphonem; paratum fuit, geſtum non fuit; nedum ille victor, aut hic victus fuit: nec ira hominem ad cædem, ſed ambitio perpulit. *Sepelitur.* *Et conuertit Triphon,* iter ſuum ad occidentem, *& abiit in terram ſuam.* Ioſephus ait Antiochiam ſe contuliſſe, ſepulto Ionatha; idque innuit Script. cum ait Simonem non corpus, ſed oſſa repetiiſſe ad ſepulturam. *Et miſit Simon,* inquit, *& accepit oſſa Ionathæ fratris ſui,* vtique & filiorum eius, *& ſepeliuit ea in Modin ciuitate patrum eius. Et planxerunt eum omnis Iſrael planctu magno, & luxerunt eum dies multos,* non definit numerum; & inueniuntur vſurpati ad luctum aliquando plures, aliquando pauciores, à 30. vſque ad 70.

XX. *Simon magnificum ſuis excitat ſepulchrũ.* Et *ædificauit Simon ſuper ſepulchrum patris ſui, & fratrum ſuorum ædificium altum viſu, lapide polito ante & retro.* Græcè, & exaltauit illud ad aſpectum, vt videri poſſet propter altitudinem, & propter pulchritudinem res eſſet viſenda, vtpote ex marmore candido & polito, vt inquit Ioſephus. Quod autem eſſet id ædificium explicans, ſubdit; *& ſtatuit* (ſuper ea Græcè) *ſeptem pyramides vnam contra vnam,* ſingulis ſingulas aduerſas, vel alteram è regione alterius, recto videlicet ordine, vt præternauigantibus à fronte ſingulæ apparerent, *patri & matri, & quatuor fratribus* iam defunctis, & ſeptimam ſibi, *& his circumpoſuit columnas magnas.* Græcus textus; & his fecit machinamenta, circumponens columnas magnas: alia verſio, tum has artificioſa columnarum ingentium ſtructura circumdedit. Ioſephus, excitato enim monimento in late conſpicuam altitudinem, porticus circumdedit, & columnas ſingulas è ſingulis lapidibus, opus admiratione digniſſimum. Hæc ibi. τῷ ὁρᾶν.

XXI. *Ornamẽta columnarũ* Existimo hiſce machinamentis intelligi lapideum ſolidi muri apparatum, ad excipiendas, & ſuſtentandas columnas, cuius ima pars, quæ inſtar fundamenti eſt, dicitur ſtereobata, cui imponuntur ſtylobatæ è lapide ſolido, opere quadrangulo, altitudine ſeſquialtera ad craſſitiem, quæ ſint quaſi columnarum pedes, quæ vulgo dicuntur *piedeſtal*, quibus columnæ baſis imponitur, tum columna ipſa erigitur, quæ ſuo tegitur, atque ornatur capitello, vt Vitruuius, cæterique architecti docent.

Et Zophori. Addit Scriptura poſita fuiſſe *arma ſuper columnas ad memoriam æternam, & iuxta arma naues ſculptas, quæ viderentur ab omnibus nauigantibus mare.* Hæc arma videntur ſculpta fuiſſe, ſicut & naues: alioqui enim res diuturna eſſe non poterat, nedum æternæ memoriæ; id autem fieri ſolet in Zophoro, qui ſuper Epiſtylia, & ſub Coronice collocatur, in quo alternatim capita animalium, ſcuta, frondes, arma, naues, coronæ, lances, & id genus alia ſculpuntur, vt media ſui parte extent, atque emineant, quod ſemitoreuma vocant, vulgo *demyreliefe.*

XXII. *Diuturnitas ſepulchri.* Hoc *eſt ſepulchrum, quod fecit in Modin, vſque in hunc diem,* quo ſcilicet author hæc ſcribebat. Sed & Ioſephus ſuo tempore id duraſſe ſcribit. Nec mirum, cum etiam Diui Hieronymi tempore, poſt trecentos & amplius annos extiterit. *Modin,* inquit, *vicus iuxta dioſpolim, vnde fuerunt Machabæi, quorum hodieq. ibidẽ ſepulchra monſtrãtur;* vtrum autem & columnæ & pyramides non dicit. Quod autem addit. Sat itaque miror, quomodo Antiochiæ eorum reliquias oſtendant, aut quo hoc certo autore ſit creditum: facilem habet reſponſionem. Nam Antiochiæ monſtrari poterant reliquiæ ſanctorum martyrum, quorum certamina libro

ſecundo capite ſeptimo deſcribuntur. Modini autem horum principum monimenta.

Placet porro etiam tabella ſepulchrali celſam Ionathæ pyramidem exornare, quam non prænternauigantes videant, ſed quam ſi qui oculis hos annales decurrent, animo in pium principem beneuolo lectitent, & ſenii victricem ad ſeram vltimorum ſeculorum, ſi Domino viſum fuerit, poſteritatem tranſmittant.

EPITAPHIVM IONATHÆ.

IACET HIC CLARVS ILLE DVX HEBRÆORVM PONTIFEXQVE IONATHAS, QVEM NATIVVS CANDOR MINIMEQVE SVSPICAX POTIVS, QVAM HOSTILE FERRVM BARBARI PRODITORIS PROSTRAVIT. HIC EST ILLE IONATHAS, QVI CVM FRATERNARVM VICTORIARVM, AC TRIVMPHORVM PARS MAGNA FVISSET, POPVLVM GLORIOSISSIMI IVDÆ MORTE PERCVLSVM EREXIT, EIQ. CONSTANTIÆ SIGNVM ET PIETATIS EXCITAVIT, QVOD NE TERTIO QVIDEM FRATRE AMISSO DEPOSVIT. QVI ITA CVM DEI HOSTIBVS DECERTAVIT, VT AFFLICTA BACCHIDIS POTENTIA, AC DEINDE APOLLONII SVPERBIA, MAGNAM VT ILLIS TEMPORIBVS, POPVLO SVO PEPERERIT TRANQVILLITATEM, FREGERIT IDOLOLATRIAM, HIEROSOLYMAM INSTAVRARIT. HIC EST ILLE BELLATOR, PRO CVIVS AMICITIA OBTINENDA, BENEFICIIS INTER SE REGES, PRIVILEGIISQVE DECERTANT, QVEM ILLI HONORANT, QVOS HIC TVTATVR, ET DOMESTICIS CONIVRATI POPVLI TVRBIS MIRABILITER ERIPIT: QVI MIRABILIVS ETIAM DEMETRIANAS COPIAS DESERTVS A SVIS, PRECIBVS ET DEXTRA FVDIT AC PERCVLIT: REDDIDITQVE ETIAM SVOS IGNOMINIÆ DELENDÆ AVIDOS, EX IGNAVIA FORTES, EX FVGA VICTORES. RVRSVMQVE HOSTI AD EXTREMOS REGNI FINES OCCVRRENS, AD NOCTVRNAM COMPVLIT FVGAM, NE FRONTEM QVIDEM FORTISSIMI IMPERATORIS AVSVM INTVERI. XXIII. *Epitaphium Ionathæ.*

DENIQVE PERFIDI TRYPHONIS FRAVDE CAPTVS, DVOBVS EIVS FILIIS PARI SCELERE IMPETRATIS, CENTVMQVE TALENTIS, QVASI PRETIO PRODITIONIS CORRASIS, PARENS CVM FILIIS A FVRENTI AMBITIONE TRVCIDATVR ANNO SELEVCIDARVM CLXX. ANTE CHRISTI MESSIÆ ORTVM CXLI.

Tryphon ſublato impedimento, quo vno ſibi obſtrui aditum ad regnum Aſiæ arbitrabatur, non diſtulit cæſo rege adoleſcentulo illud inuadere. Itaque ſubdit author. *Tryphon autem cum iter faceret cum Antiocho rege adoleſcente, dolo occidit eum, & regnauit loco eius, & impoſuit ſibi diadema Aſiæ, & fecit plagam magnam in terra.* Eum dolum refert Liuii breuiator Epit. 55. *Alexandri filius*, inquit, R*ex Syriæ decem annos admodum habens, à Diodoro, qui Tryphon cognominabatur, tutore ſuo per fraudem occiſus eſt, corruptis quidem medicis, qui eum calculi dolore conſumi ad populum mentiti, dum ſecant illum, occiderunt.* Eademque videtur Ioſephi ſententia lib. 13. c. 12. vbi ait, καὶ τινάς, ὡς χειριζόμενος ἀπέθανεν, διήγγειλε, ſparſo rumore, ait interpres, quod inter exercendum ſe eſſet extinctus, deceptus verbo χειρίζεσθαι, quod chirurgicum eſt hoc loco, ſignificans manibus curationem accipere, vt vertendum ſit, & vulgauit eum mortuum inter chirurgorum curantium manus; quod Philometori contigerat, vt antea ex Epitome 52. diximus. XXIV. *Tryphon pupillum regem occidit.* *Opera chirurgorum.*

XXV. *Eiuſdẽ regis mors ex Ioſepho.*

SED totus Ioſephi locus videndus eſt, in quo & huius Antiochi mortem refert, & à Tryphone tyrannidem occupatam. Non multo autẽ poſt ait, quam Demetrius captus eſt, Alexandri filius, cognomine Deus, à Tryphone eſt necatus, anno quarto poſtquam eius tutelam ſuſceperat, ſparſoque rumore quod inter curandum eſſet extinctus, per intimos amiços ſollicitauit milites magnis pollicitationibus, vt ſibi regnum deferrent, captum à Parthis Demetrium dictitans. Antiochum vero fratrem, qui dicebatur Sidetes, ſi potiretur imperio, vltorem fore defectionis, qua fratrem eius deſeruerint. Illi adducti in ſpem maximam, quaſi ditescendi hoc principe, imperium ei continuo deferunt, &c. atque ita miſer ille Deus mortuus eſt.

XXVI. *Corrigitur locus aliquot*

IAM ante Ioſephum correximus de captiuitate Demetrii. Ioſephum ſecutus eſt Oroſius,[a] ſimulque agit, occiſo Alexandri filio: in qua ille ſententia perſeuerat, eoque argumento Tryphonem vſum fingit, ad perſuadandam militi ſuam promotionem in regnum; cum tamen ex Scriptura conſtet,[b] non captum fuiſſe Demetriũ ante annum centeſimum ſeptuageſimum ſecundum. Mors autem huius Antiochi initio pontificatus Simonis contigit, anno centeſimo ſeptuageſimo.[c] De anno tutelæ res dubia eſt, cum ex Epitome Liuii 52. & 55. octo anni colligantur. Ait enim illum bimulum veniſſe in poteſtatem Tryphonis, & ſub annum decimum occiſum; quod fieri non poteſt. Nã ante quatuor annos pater eius viuebat, (anno enim 166. occiſus eſt) vt Tutore opus non eſſet. Sed non obtinuit Tryphon puerum à nutritio Arabe, niſi *poſt multos dies*, ex quo illum adierat, poſt dimiſſas à Demetrio copias,[d] imo & poſt compreſſam ſeditionem Antiochenam opera Iudæorum, quod factum eſt anno 148. Itaque tertium hunc annum tutelæ Alexandrinæ Tryphonis, non quartum numeramus.

a l.5.c.4.
b c.14.1.
c vt patet ex c.13.v.31. & 41.
d c 11.40.

XXVII. *In annis Ionathæ valde fallitur.*

NEC mirum eſt in hac minoris momenti chronologia dormitaſſe Ioſephum, qui in Ionathæ pontificatus, & ducatus annis ſomno oppreſſus fuiſſe videatur.[e] *Tanta fuit*, inquit, *Simonis cura vt Ionathas, cæterique domeſtici, quam magnificentiſſimo ſepulchro eſſent conditi: qui defunctus eſt exacto pontificatus ſimul, & imperii anno quarto.* Sic ibi. At infra.[f] *Rebellantes*, inquit, *noſtri Macedonibus Ionatham creauerunt ſummum pontificem, qui ſeptennio toto præfuit, quo per inſidias Tryphonis ſublato e viuis, frater eius Simon obtinuit id ſacerdotium &c.* Quod ſi annos numerare voluit, ex quo Rex Alexander eum conſtituit ſummum ſacerdotem, quando & ſtola ſancta indutus eſt, neuter annorum numerus à Ioſepho inuectus conſtabit: id enim contigit ſeptimo menſe, anni centeſimi ſexageſimi;[g] itaque hic annus decimus eſſet, non quartus, aut ſeptimus. Emendator temporum priorem illum Ioſephi locum emendare voluit, hoc modo. Periit Ionathas annum agens pontificatus decimum quartum, cum iam decem & octo annos nationi præfuiſſet, eaque emendatione nihil verius putat. At vnde habet quatuordecim annos pontificatus? quo authore pontificatum à ducatu ſeiungit? certe non Ioſepho.

Arguitur Scaliger.

e l.13.c.11.
f l.20.c.8.
g vt dicitur c.11.v.21.

XXVIII. *Vera annorum eius ratio.*

RE autem vera ſtatim poſt mortem Iudæ dux populi à populo electus, & ſimul pontificatui ſuffectus eſt:[h] qui cum initio anni 152. mortuus fuerit, vt ex eodem loco colligitur, cum ad 19. annum principatus ſui perueniſſe dicendum putamus; ſed ita, vt idem decimus nonus maxima ex parte ad Simonem pertineat, & primum illius pontificatus annum conſtituat, qui eſt regni Græcorum 170. vt hoc ipſo loco habetur.[i] Scio Euſeb. totos ei nouemdecim annos tribuere, ſed nullum poſſumus habere Scriptura certiorem ducem.

h c.9.v.30
i cap 13. v.41.42.

XXIX. *Triphon plagam magna infert Reipub.*

IAM vero quod ad plagam magnam, quam Scriptura tradit à Tryphone factam in terra, Syria videlicet, de ea ita Ioſephus. Tum vero *Tryphon* adeptus iam concupitam poteſtatem, non amplius diſſimulare prauum ingenium valuit, quod priuatus tegere conatus eſt, quo magis animos hominum ſibi conciliaret. Quam primum enim Rex declaratus eſt, abſque perſona Tryphonem agere cœpit, & cæt. hominem ſcilicet vafrum, ambitioſum, crudelem, perfidum, denique tyrannum. Et alioqui plaga magna eſt, quæ infertur in caput, ex quo ſenſus omnis, & motus in reliqua membra ciuilis corporis deriuantur; quæ neceſſe eſt vehementer conturbari, quamuis illud non eſſet fortaſſe admodum ſanum. Boni autem principis iactura nullo pretio æſtimari, nullis lamentis ſatis plangi poteſt.

XXX. *Simon trãſit ad Demetrium.* *Cum muneribus.*

DVM autem nouus iſte rex ſumma ſuorum cum offenſione Tryphonem agit. Simon prouinciam ſuam vndique communit, & ad Demetrium, quamuis Syria profugum tranſit, Tyranno proditore repudiato. *Et ædificauit*, inquit author, *Simon præſidia Iudææ, muniens ea turribus excelſis, & muris magnis, & portis, & ſeris, & poſuit alimenta in munitionibus. Et elegit Simon viros, & miſit ad Demetrium regem, vt faceret remiſsionem regioni*, (id eſt vationẽ daret ab oneribus & tributis,) *quia actus omnes Tryphonis per direptionem fuerant geſti*, id eſt fuerant rapinæ & direptiones. Addidit etiã munera, vt ex reſponſione patet, tum vt ſolennẽ ſeruaret morem adeundi olim reges, quem morem etiam vſurpans in lege Dominus, vt ſe Regem demonſtraret, nolebat ſuos apparere in conſpectu eius vacuos; tum vt facilius à delinito muneribus principe, quod poſtulabat impetraret: quamquam non multo id artificio eblandiendum fuit.

XXXI. *A quo libenter admittitur.*

GAVDEBAT enim Demetrius, qui tota Syria excluſus erat, & multo pretio libenter redemiſſet aditum in eam, illum per Iudęos ſibi conſentientes obtinere, & eorum ope Tryphonem communem hoſtem, & vita & fortunis omnibus euertere.

Ergo *Demetrius Rex ad verba iſta reſpondit, & ſcripſit epiſtolam talem.* In Græco eſt, & remiſit ei Demetrius Rex, iuxta ſermones hos; & reſpondit ipſi, & ſcripſit epiſtolam talem, quæ priora verba in vulgata fere omiſſa, verſio Vatabli ad remiſſos legatos refert: nam ἀπέστειλε miſſionem legatorum interdum ſignificat. Nec abſurde fortaſſis interpretabimur: & conceſſit ei remiſſionem, ſiue vacationem, quam petebat, ſiue iuxta petitionem ſuam, idque factum ſubiecta epiſtola oſtendatur.

XXXII. *Epiſtola Demetrii.*

a 1. Macha. c. 13. v. 36. REX [a] Demetrius Simoni ſummo ſacerdoti, & amico regum, & ſenioribus, & genti Iudæorum Sal. Coronam auream, & Bahen quam miſiſtis, ſuſcepimus, in Græco eſt βαΐνην, & in aliquibus Latinis b̩ainem, quam, inquit Vatablus & Sa, alii torquem interpretantur, in quibus Lyranus, alii ſmaragdum, alii baltheum. Serarius putat ſignificare palmam, aut quid palmariũ, quia βαΐς & βαΐον ramus eſt palmæ arboris, Ioan. 12. 13. βαΐα τῶν φοινίκων ſunt rami palmarum, quomodo in fine huius capitis vſurpatur. (v. 51.) Quod ſi probamus, aureum miſſum palmæ ramum credibile eſt, qualem Alcimus obtulit Demetrio huius patri, ante annos viginti, anno (2. Ma. 14. 4.) ſcilicet centeſimo quinquageſimo regni Græcorum. Alioqui, communis rami palmæ nunquam Rex in reſponſione meminiſſet, qui pergit.

XXXIII. *Pacem cõcedit, & alia pleraq.*

ET *parati ſumus facere vobiſcum pacem magnam, & ſcribere præpoſitis regis, remittere vobis quæ indulſimus.* In Græco, & ſcribere eis qui præſunt negotiis, remittere vobis remiſſiones, id eſt, vt meo nomine vobis vacationes, & immunitates concedant, nihil à vobis exigendo. *Quæcumque enim conſtituimus vobis conſtant*, rata eſſe volo. Videtur autem intelligere, ea quæ dudum ipſe Ionathæ conceſſerat, quæ habentur in eius epiſtola ad Laſthenem. (c. 11. v. 30. & ſeq.) *Munitiones quas ædificaſtis, vobis ſunt. Remittimus quoque ignorantias, & peccata vſque in hodiernum diem*: concedit amniſtiam ad firmitatem pacis, *& coronam quam debebatis, & ſi quid aliud erat tributarium in Ieruſalem, iam non ſit tributarium. Et ſi qui apti ſunt conſcribi inter noſtros*, aulicos ſcilicet & domeſticos, *vel regiorum negotiorum curatores, conſcribantur, & ſit inter nos pax.*

XXXIV. *Iudaorum plena libertas.*

HÆC vti promiſit, ita cum fide perfecit, expertus quantum ſibi mali perfidia contigiſſet. Et ſic *ablatum eſt iugum gentium ab Iſraelitis anno centeſimo ſeptuageſimo*, vt habet Scriptura, & deinceps plane ſui iuris, ac liberi fuerunt, regum Syriæ amici, non ſubditi, quandoquidem ab omni tributorum penſitatione liberantur; & præſidia, quæ ab ipſis vnis dependeant, habere permittuntur. Ea res tanta, tamque iuſta lætitia populum perfudit vniuerſum, huius vt temporis notam ad omnes annos conſequentes transfundi voluerit. *Et cœpit populus Iſrael*, inquit author, *ſcribere in tabulis & geſtis publicis*, vel inſcribere huiuſmodi initio ſyngraphas, & contractus, ex Græco, ἐν ταῖς συγγραφαῖς, καὶ συναλλάγμασιν. *Anno primo ſub Simone ſummo ſacerdote, magno duce, & principe Iudæorum*, quem ſcilicet religioſe celebrare voluerunt, tanquam publicæ libertatis conditorem.

XXXV. *Ex Ioſepho, qui & corrigitur.*

TANTO in honore, inquit Ioſephus, apud populum fuit Simon, vt tam in priuatis inſtrumentis, quam in ſcripturis publicis adiicerent, actum eſſe anno primo Simonis Iudæorum ethnarchæ, optime de ſua gente meriti. Oportuiſſet hanc ſolennem formulam fideliter exhibere, nec miſſum in ea facere pontificatum Simo-

nis. Quod autem ait hæc contigiſſe poſt annũ 170. ex quo Seleucus Nicanor Syriæ regno potitus eſt, non repugnat Scripturæ. Illud enim, *poſt annum*, idem eſt ac ſub annum, vt ſæpe alias. Corrigendus eſt autem locus l. 1. de bello c. 2. vbi legitur. *Clariſsimáque potitus victoria pontifex declaratur, & ducentos ſeptuaginta poſt annos Iudæos liberat à dominatione Macedonum*, legendum enim eſt, centum, quomodo & Græcus habet codex Baſil. nec à victoria, ſed à fratris clade declaratus eſt pontifex, quãdo & populi princeps. Sub huius anni finem videtur Simon obſediſſe Gazam vrbem munitiſſimam, nec tam cito expugnaſſe: itaq; rem totum in ſeq. annum reiiciemus.

XXXVI. *Res à Seruiliano cũ Viriatho geſta.* Appianvs autem res in Celtiberia hoc anno geſtas explicans ait, exacto anno ſucceſſiſſe Quintio Æmyliani fratrem, Fabium Maximum Æmylianum: vbi legendum eſt, Seruilianum, vt docet eiuſdem Appiani ſubiecta narratio, & præſentis anni Conſulatus, & quod Æmylianus habuit ſucceſſorem Quintium non vice verſa. Seruilianus ergo in prouinciam profectus, ſecum adduxit duas legiones Romanas, & ſocios aliquos, ita vt omnes eius copiæ eſſent ſedecim millium peditum, & equitum mille & ſexcentorum. Scripſit etiam ad Micipſam Numidarum regem, vt ad ſe elephantos quam celerrime mitteret. Interea properanti Itucam cum parte exercitus, occurrit Viriathus cum ſex militum millibus, quem ille quantóuis impetu ac terroris apparatu irruentem fortiter ſuſtinuit, atque irritum repulit. Sed vbi altera pars exercitus, atque ex Libya decem elephanti cum trecentis equitibus aduenerunt, aucto exercitu vltro Viriathum aggreſſus, eum fudit fugauitque.

XXXVII *Anceps fortuna.* Sed dum turbatis ordinibus fugientem inſequitur, Viriathus ea confuſione animaduerſa, reuerſus circiter tria millia interfecit, reliquos in caſtra compulit, eaque ipſa noctis beneficio magis, quam militum virtute defenſa ſunt. Nec deſtitit deinceps noctu diuque Seruilianum fatigare, donec eum Itucam motis caſtris migrare compulit: ipſe in Luſitaniam conceſſit, Seruilianus abeuntem non aſſecutus, in Bæturiam tranſlato bello, quinque oppida, quæ Viriathi rebus ſtuduerant, diripuit. Inde in Cuneos copias traduxit, Romanorum ſcilicet ſubditos, vt apud eos hyemaret, vt dudum Seruilius Galba. Quæ cauſa eſt, vt rem cum latronibus geſtam, & profectionem eius in Luſitaniam ad annum ſeq. differamus.

XXXVIII. *Metellus ad Contrebiam victor.* Eodem tempore in altera Hiſpaniæ parte Q. Cæcilius Metellus Macedonicus, qui ſuperiore anno in Celtiberiam Conſul venerat, hoc quoque anno res bellicas Proconſul adminiſtrauit. Idque affirmat Flor. in epit. 53. Res autem in primis ad Contrebiam bene geſſit, vbi & diſciplinam militarem ſeuere exercuiſſe proditum eſt à Velleio l. 2. Tam ſeuerum, inquit, illius Q. Macedonici in his gentibus imperium fuit, vt cum vrbem Contrebiam nomine in Hiſpania oppugnaret, pulſas præcipiti loco 5. cohortes legionarias, eodem protinus ſubire iuberet, facientibuſque omnibus in procinctu teſtamenta velut ad certam mortem eundem foret, non deterritus propoſito, perſeuerantia ducis quem moriturum miſerat, militem victorem recepit. Tantum effecit mixtus timori pudor, ſpéſq; deſperatione quæſita. *Eius ſeueritas diſciplinæ milit.* Captam fuiſſe vrbem Florus affirmat,[a] eadem habet Valer. Max.[b]

a l.2.c.17. b l.2.c.7.

XXXIX. *Exemplum humanitatis eiuſdẽ.* Sed illud ſeueritatis fuerit, hoc clementiæ fuit & humanitatis, quod ab eodem hoc anno geſtum eſt ad Centobricam, quam eandem cum Contrebia putat eſſe Ortelius, & refertur à Valerio.[c] Q. Metellus Celtibericum in Hiſpania gerens bellum, cum vrbem Centobricam obſideret, & iam admota machina partem muri, quæ ſola conuelli poterat, diſiecturus videretur, humanitatem propinquæ victoriæ prætulit. Nam cum Rhetogenis filios, qui ad eum tranſierat, Centobricenſes machinæ ictibus obieciſſent, ne pueri in conſpectu patris crudeli genere mortis conſumerentur, patre licet contra ſentiente, ab obſidione diſceſſit. Quo quidem tam clementi facto, etſi non vnius ciuitatis mœnia, omnium tamen Celtiberarum vrbium animos cepit, effecitque vt ad redigendas eas in ditionem populi Romani, non multis ſibi obſidionibus opus eſſet.

c l.5.c.1.

XL. *Aliud odij grauiſſimi.* Verum hanc clementiæ laudem, immitis, atque inconſulti odij magnitudo, in hac ipſa prouincia, ac bello fœdauit. Audi enim Valer. Max.[d] *Q. Metellus cũ prouinciam Hiſpaniam Conſul prius, deinde proconſule pene totam ſubegiſſet, poſtquam cognouit Q. Pompeium Conſulem inimicum ſuum ſucceſſorem ſibi mitti, omnes qui modo militiam ſuam voluerunt finiri, dimiſit.* Et mox. Horrea cuſtodibus remotis opportuna rapinæ præbuit, arcus ſagittaſq; Cretenſium frangi, atq; in amnem abiici iuſſit: elephantis

d l.9.c.3.

cibaria dari vetuit. Quibus factis vt cupiditati ſuæ indulſit, ita rerum magnifice geſtarum gloriam corrupit, meritumque honorem triumphi, hoſtium quam iræ fortior victor amiſit. Hæc fere Valer. Vide tamen quæ infra an. V. C. 613. n. 16. ex Appiano dicuntur. Et tamen Paterculus l. 1. vocat acres, & innocentes eius pro Rep. cum inimicis contentiones. Quæ nocentes ſunt, ſi hæ innocentes?

Hoc ipſo anno in Macedonia bellum renouatum eſt à quodam Pſeudoperſeo, autore Eutropio, l. 4. qui id contigiſſe tradit eodem tempore, quo Metellus in Celtiberia apud Hiſpanos res egregias geſſit, prius quam ei Q. Pompeius ſuccederet; ex quibus apparet ſatis hunc annum notari. Nam ſequenti anno Q. Pompeius cum imperio Conſulari in Hiſpaniam venit vt dicemus, & iam ex Valer. Max. declaratum eſt. De ipſo autem bello hæc pauca Eutropius. Iterum in Macedonia Pſeudoperſeus, qui ſe Perſei filium eſſe dicebat, collectis ſeruis rebellauit, & cum ſeptemdecim armatorum millia haberet, à Tremellio Quæſtore ſuperatus eſt. Hanc victoriam tangit de more Epit. 53. & L. Tremellium appellat. At eam paulo fuſius narrat M. Varro l. 2. de re ruſt. vbi hunc Quæſtorem vocat Cn. Trebellium Scrofam, aitque ſub Licinio Nerua Prætore præclare rem geſſiſſe, cum illo abſente hoſtes in Romana caſtra impreſſionem feciſſent. Hortatus enim milites vt arma caperent, dicens celeriter ſe hoſtes, vt Scrofa porcos, diſiecturum, hoſtes vicit, & Scrofæ cognomen inuenit. — XLI. *Pſeudoperſeus in Macedonia exoritur.* — *Et opprimitur.*

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3912.

I. N. XIV. Ea pecunia, ſi 125. libras cuiuis talento tribuamus, vt Epiphanio placet, & librá argenti 33. Frácis æſtimemus, ſiue 11. coronatis aſcendet ad 412500. Francos, vel 137500. coron.

ANNVS MVNDI 3913. SEXTÆ ÆTATIS 397.

IMPERII GRÆCORVM 171. DEMETRII NICANORIS 5. SIMONIS PONT. 2. PTOLEM. EVERGETIS 5. OLYMP. CLIX. 4. VRB. COND. 612. COSS. CN. SERVILIO CÆPIONE, ET Q. POMPEIO A. F. BEL. CELTIB. 13. — I. X.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 140.

NASCITVR hoc anno Antiochus, Gryphus Demetrij filius. Mortuus eſt enim, teſte Ioſepho, ætatis anno quadrageſimo quinto, qui fuit ducenteſimus decimus quintus regni Græcorum. Simon autem dux & pontifex Iudæorum pace cum Demetrio, plenaque libertate conſtituta, Gazæos ſibi ſubiecit, & quod magis optandum erat, arcem Hieroſolymitanam, tamdiu fruſtra expetitam atque tentatam. Quid porro contigerit vt Simon Gazenſes bello peteret, quibus iam dudum Ionathas poſt ſuburbiorum prædam, & incendium pacem conceſſerat, & filios eorum obſides Hieroſolymam miſerat, [a] non reperio. Rebellaſſe iterum neceſſe eſt mortuo Ionatha, idque innuunt ipſimet, cum expugnationi proximi, fatentur malitiam ſuam, & implorant miſericordiam. Ergo qui in Ionathæ locum ſuffectus eſt Simon, eiuſdem loco contra Gazenſes bellum renouauit, quod præcedente anno inchoatum, hoc abſolutum exiſtimamus. — I. *Ortus Antiochi Gryphi.* *Simonis in Gazæos expeditio, eiuſque cauſa.* — 1. Machab. 13. 43. — a c. 11. 61. 62

In *diebus illis*, inquit Author, *applicuit Simon ad Gazam, & circundedit eam caſtris; & fecit machinas, & applicuit ad ciuitatem; & percuſſit turrim vnam, & comprehendit eam, & eruperunt qui erant intra machinam in ciuitatem, & factus eſt motus magnus in ciuitate*, tumultus ſcilicet, clamor, & lamentatio, quaſi iam capta vrbe. *Et aſcenderunt qui erant in ciuitate, cum vxoribus & filiis, ſupra murum ſciſſis tunicis ſuis, & clamauerunt voce magna, poſtulantes a Simone dextras ſibi dari, & dixerunt. Non nobis reddas ſecundum malitias noſtras, ſed ſecundum miſericordias tuas*, in quibuſdam libris additur, *& ſeruiemus tibi*. Sed abſunt ea verba à Græcis, & ab emendatis Latinis. — II. *Obſidet Gazam.*

III. *Quam deditione accipit.*

E t *flexus Simon non debellauit eos*, id eſt in deditionem iterum accepit, nec delere voluit, *eiecit tamen eos de ciuitate, & mundauit ædes, in quibus fuerant ſimulacra, & tunc intrauit in eam cum hymnis benedicens Dominum* exercituum, & victoriarum largitorem Deum, *& eiecta ab ea omni immunditia* ſimulacrorum, *collocauit in ea viros, qui facerent legem, & muniuit eam, & fecit ſibi habitationem.* Egregie vſus eſt Simon occaſione victoriæ, ad emundandam ab omni idololatria ciuitatem, quæ illi, etiam poſterioribus ſeculis, addictiſſima fuit. Ibi autem etiam habitationem ſibi fecit, in quam ſcilicet ſubinde ſe conferret. Nam Pontificia ſedes erat Hieroſolymis, vbi & ſibi ædes iuxta templum & arcem ædificauit, vt mox dicetur, ſed Gaza vrbs erat egregia in primis, & ad belli vſus opportuniſſima, & frequentem principis præſentiam, propter inconſtantiam populi, requirebat.

IV. *Recipit arcem Sion.*

Q v i *autem erant in arce Ieruſalem prohibebantur egredi*, è latibulis ſuis, *& ingredi regionem, & emere ac vendere, & eſurierunt valde, & multi ex eis fame perierunt.* Tertium quippe iam annum obſidionem ferebant. [a] *Et clamauerunt ad Simonem, vt dextras acciperent*, incruenta videlicet deditione facta, & acquieuit petitioni eorum, *& eiecit eos inde, & mundauit arcem à contaminationibus; & intrauerunt in eam tertia & vigeſima die ſecundi menſis, anno centeſimo ſeptuageſimo primo, cum laude*, & gratiarum actione, ob iugum hoc ingens deiectum de ceruicibus ſuis, cum ramis palmarum victricium, *& cinyris, & cymbalis, & nablis, & hymnis, & canticis, quia contritus eſt inimicus magnus ex Iſraël.* Inimicum magnum non alium intelligit, quam præſidiarium militem, vt Lyranus quoque & Sà intellexerunt, qui ceruicibus Iudæorum die ac nocte imminebat. Recte autem notauit tempus, quo tanta lætitiæ materia erat oblata, ſicut præcedenti anno tempus libertatis ac pacis. Cæterum fuit hæc arx in hoſtium poteſtate annis 27. numeratis extremis, ab anno ſcilicet 145. [b] vſque ad præſentem annum.

Cum magno gaudio. — *Poſt annos 27.*

c.13.v.49. — a c.12.36. — b vt patet ex l.1.c.1.v.21.30.35.

V. *Conſtituit filium ſuũ principem militiæ.*

E t *conſtituit vt omnibus annis agerentur dies hi cum lætitia. Et muniuit montem templi, qui erat ſecus arcem, & habitauit ibi ipſe, & qui cum eo erant. Et vidit Simon Ioannem filium ſuum, quod fortis vir prælij eſſet* (vox *fortis* à Græcis abeſt, & à quibuſdam Latinis) *& poſuit eum ducem virtutum vniuerſarum, & habitauit in Gazaris*, id eſt in Gaza, vbi Pater ſibi habitationem fecit, vt paulo ante diximus. In ſequentibus etiam aliquoties Gazara pro Gaza ponitur, & ne ſimilitudo nominis pareret confuſionem [c] dicitur eſſe in finibus Azoti. Eſt enim alia Gazara, quæ frequentius Gazer dicitur, ſita in tribu Ephraim, multo ignobilior ſuperiore, de qua agimus, quæ ad mare ſita erat in tribu Simeonis, verſus Ægyptum & meridiem.

Gaza & Gazara. — c c.14.34.

VI. *Ioſephus arcem Sionis ſolo æquat &c.*

L o c v m hunc parum fideliter reddit Ioſephus. [d] *Huius principatu*, Simeonis videlicet, *res Iudæorum magnis acceſſionibus auctæ ſunt, & multas de finitimis hoſtibus retulere victorias. Deuaſtauit enim Gazaram, & Ioppem, & Iamniam, expugnataque Ieroſolymorum arce, ſolo eam æquauit, ne poſthac eſſe poſſet hoſtibus receptaculum, néue inde vrbi aliquod inferretur incommodum. Quo facto viſum eſt ei operæpretium, ſi mons quoque, in quo ſita fuerat, complanaretur, vt ſolum templum emineret: effecitque id commemoratis pro concione malis, quæ in eam diem Iudæi paſſi fuerant, quæque etiam in poſterum ferre cogerentur, ſi externus aliquis princeps ei loco imponeret præſidium. Adeoque permotus eſt eius exhortatione populus, vt non intermiſſo per triennium, neque die, neque noctu opere, tandem ad planiciem eum locum indefeſſo labore, per vices ſibi ſuccedentes redegerint: atque ita nihil reliquerint quod obſtaret, quo minus templum omnibus in vrbe locis eſſet longe celſius.*

d l.13.c.11. in fi.

VII. *Refellitur de Gaza vaſtata.*

H æ c Ioſephus: quæ miror credita à viris doctrina iudicióque præſtantibus, Torniello, & Serario, quibus P. Gordon. [e] timidius contradicit: quæ tamen & à Scriptura, & à Ioſepho ipſo refelluntur; & par eſt nos veritatem ſuæ luci reſtituere. Errat ergo primo, quod deuaſtatam ait Gazam, ſiue Gazaram, κατέσκαψαν. At ſi deditione accipere ciuitatem, mundare, ædificare, præſidio firmare, filium ei præficere, eſt eam deuaſtare, & ſubuertere, fateor à Simone ſubuerſam; quin etiam ſequentibus annis, & nominatim 175. regni Græcor. dicitur Simon dominari Gazaræ, & eam habere in poteſtate. [f]

e c.16.n.19. — f c.14.7.34. c.15.28.35.

VIII. *Et Ioppe. Quam nũc Iudæi tenebant.*

E r r a t ſecundo quod Ioppem ſimiliter deuaſtatam dicit. Cur id faceret homo prudentiſſimus, qui eam habebat in poteſtate? Occupauerat enim eam cum Ionatha fratre, anno 165. [g] eiecto Apollonij præſidio. [h] Eam tenebat, & in eam cum gloria ingreſſus eſt cum Ptolemæo. Et ne dicas eam tunc præſidio Ptolemæi occu-

g c.10.76. — h c.1.6.

patam, quod in cæteris vrbibus faciebat. Dico id factum in vrbibus, quæ ab Alexandro tenebantur, cuius regnum volebat occupare, non in Ioppe, quam tenebat
a ex c.12. 34. Ionathas. Idq. aperte cõfirmatur ex c.12.[a] vbi dicitur Simon declinaſſe in Ioppem, & occupaſſe eam, eo quod audiſſet, Ioppitas velle tradere præſidium partibus Demetrij, & poſuiſſe ibi cuſtodes, vt cuſtodirent eam: quod eſt validiore præſidio ciuitatem ſibi retinere obſequentem. Denique [b] miſit eo Ionathan filium Abſalomi
b c.13.11. c 14.v.34. cum nouo exercitu. Cap. quoque ſeq.[c] dicitur Ioppem & Gazaram muniuiſſe. Et
d c 15.28. infra [d] conqueritur Antiochus apud Simonem, quod Ioppem & Gazaram teneat,
e v.35. quod fatetur Simon. [e]

DE Iamnia erroris non arguo, ſed diuinationis, cum probabilitate mentiendi. Id enim ex Scriptura probari non poteſt. — IX. *De Iamnia, & ciuitate Dauid.*

Errat 3. de arce ſolo æquata. Nam eam ſtetiſſe anno ſequenti Scriptura teſtatur,
f c.14.7. [f] quæ dicit dominatum Gazaræ, & Bethſuræ, & arci. Et ne dubitaremus de qua ar-
g v.36. ce dicat, paulo poſt Simon [g] dicitur ſuſtuliſſe gentes de ciuitate Dauid, quæ eſt Ieroſolymis, & quidem in monte Sion iuxta templum, vt notum eſt omnibus: idque
h c.13.v.50. & 51. factum narratur [h] ca.13. vbi ſcriptũ eſt deditione receptos præſidiarios, ex arce eiectos, locum emundatum à ſordibus idololatriæ, eoque populum ingreſſum cum multa lætitia, de euerſione ἄκρας. Denique poſt annos 4. queritur Antiochus quod Simon non ſolum Ioppem & Gazaram teneat, *ſed arcem etiam*, inquit, *quæ eſt in Ieruſalem*. Quomodo ergo ante annos 4. à Simone, imo à Ioſepho æquata ſolo eſt?

ERRAT 4. de arcis monte complanato, & facto humiliore monte Moria, in quo erat templum. Nam vt omittam rem tantam, tanti tamque diuturni laboris, non omiſſum iri à Scriptura, certe Ioſephus ipſe l.6. de bello c.6. in deſcribenda ciuitate ait, in altero collium vrbis ſitam fuiſſe ſuperiorem ciuitatem, multo excelſiorem reliqua ciuitate, in eaque fuiſſe caſtellum Dauid. Et vt videas hominis in fingendo licentiam, quod hic de monte Sion complanato à Simone aſſerit, certiſſi- — X. *De monte Sionis complanato.*
i l.6.c.6. mum eſt enim in Sione fuiſſe arcem, & ciuitatem Dauid; in eodem [i] de alio quodam monte tradit, qui Acra dicebatur. *Aſſamonæi*, inquit, *Acræ altitudinem cæſam humiliorem fecerunt, vt ex ea quoque fanum ſupereminens cerneretur*. Verum arx quæ expugnata eſt, ſiue Ciuitas Dauid, erat in Sione, non in Acra. Vtro quæſo loco placet dormitaſſe Ioſephum? Sed iam quietum ei ſomnum permittamus, dum alia ſe dederit occaſio, vt à ſomno iterum excitemus eum.

IN Celtiberia cum Seruilianus apud Cuneos hyemaſſet, rurſus in Luſitaniam, vt ait Appianus, contra ipſum Viriathum contendit. In itinere duo latronum principes obuij facti Curius & Apuleius, cum decem millibus hominum, Romanos turbauere, conſertóque prælio in quo Curius cecidit, prædam eripuerunt; quam omnem non multo poſt Seruilianus recepit, & alias item vrbes vi cepit, Viriathi præſidiis firmatas, quarum nonnullas diripuit, aliis veniam dedit. Ex decem millibus captiuorum quos habuit, quingentos ſecuri percuti iuſſit, reliquos vendidit. Poſt hæc in hyberna, inde Romam rediit, altero ſui imperij anno. Hæc Appian. — XI. *Seruiliani de latronibus victoria.*

k l.2.c.7. VALERIVS [k] Omnium, inquit, qui ex præſidiis Romanis ad hoſtes transfugerant, captique erant manus abſcidit, vt trunca præ ſe brachia geſtantes, defectionis metum reliquis iniicerent: rebelles itaque manus à corporibus ſuis diſtractæ, inque cruentato ſolo ſparſæ, cæteris ne idem committere auderent, documento fuerunt. — XII. *Transfugis manus abſcindit. ex Valerio.*
l l.4.c.1. Idem habet Frontinus, [l] verum id Appianus ad latronis cuiuſdam milites refert, iterumque pro Seruiliano Æmylianum ponit, & res ab eo geſtas iterum perſequitur, poſtquam eum Romam reuertiſſe, & illi à Q. Pompeio Aulo ſucceſſum dixit; vt mendoſam & perturbatam eius hiſtoriam agnoſcas. Ait ergo. Cæterum frater eius Maximus Æmylianus (Seruilianus potius, is enim pacem cum Viriatho fecit, de qua mox dicturus eſt, non Æmylianus, cui eam Appianus tribuere videtur) Connobam quendam latronum ducem cum deditione cepiſſet, ei quidem ignouit, ſed omnium militum eius manus amputauit. — *Ex Appiano.*

m l.5.c.4. OROSIVS hanc manuum præciſionem aliter tradit. [m] Fabius Conſul, inquit, is eſt Seruilianus, conſulari imperio adhuc fungens, contra Luſitanos & Viriathum dimicans, Bacciam oppidum, quod Viriathus obſidebat, depulſis hoſtibus liberauit, & in deditionem, cum plurimis aliis caſtellis recepit. Fecit facinus etiam vltimis barbaris Scythiæ, non dicam Romanæ fidei & moderationi, execrabile, — XIII. *Ex Paulo Oroſio.*

DEMETRIVS CAPTVS A PARTHIS.

Quingentis enim principibus eorũ, quos ſocietate inuitatos deditionis iure ſuſceperat, manus præcidit. Sic ibi, quæ mihi videntur obſcura. Si enim obſidebantur à Viriatho, amici erant Romanorum; quomodo ergo dedidere ſe, quod hoſtium eſt, non amicorum, & quomodo amicis præciſæ manus?

XIV. *Pax facta cum Viriatho.* IAM quod ad pacem hoc anno cum Viriatho à Seruiliano factam attinet, hæc de illa Appianus. Dum, inquit, Viriathum perſequens Eriſanem eius vrbem vallo foſſáque circundat, Viriathus vrbem noctu ingreſſus, facta ſub lucem eruptione, non ſolum eos qui vallum ducebant, in fugam ligonibus abiectis conijcit, verum etiam reliquas copias à Seruiliano inſtructas, vrgendo inſtandóque in loca prærupta atque iniqua, vnde euadere non erat, deducit. Ibi Viriathus non inſolenter ſua fortuna vſus, ſed honeſtis conditionibus bellum deponi, & magnam à Romanis *Eiuſque moderatio.* gratiam iniri poſſe ratus, fœdus pepigit, quod populus Rom. poſtea ratum eſſe voluit. Ipſumque Viriathum amicum nominauit, & eius ſocios, quos agros poſſederant, habere iuſſit.

XV. *Non diuturna.* SIC bellum Romanis grauiſſimum, cum bona gratia extinctum videbatur: ſed pax non diuturna fuit, A Q. enim Seruilio Cœpione eiuſdem Seruiliani fratre (qui in familiam Fabiorum adoptione tranſlatus erat) qui ei ſucceſſit, anno ſeq. ſublata eſt.

Metello in Celtiberia ſucceſſit Q. Pompeius Aulus, à quo bellum cum Numantinis inchoatum. Sed res ab eo geſtæ ad ſequentem fere annum pertinent, vt Sigonius quoque notauit.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3913.

1. N. xv. Aulus apud Appianum in Hibericis, quod Sigonius an. V.C. 612. pro Auli filio poſitum putat; ſicut & Aufidium apud Valer. Max. li. 8. c. 5. vbi in emendatioribus legitur, in Q. Pompeium A. F. Aulus enim Prænomen eſt, non cognomen.

ANNVS MVNDI 3914. SEXTAE AETATIS, 398. IMPERII GRÆCORVM 172. DEMETRII NICANORIS 6. SIMONIS PONTIFIC. 3. PTOLEMÆI EVERGETIS 6. OLYMPIADIS CLX. AN. 1. PRÆTORE ATHENIS ANTITHEO. VRB. COND. 613. COSS. Q. SERVILIO CÆPIONE, ET C. LAELIO SAP. BELLI CELTIB. 14.

ANNVS ANTE CHRISTVM 139.

I. *Ortus L. Craßi, & ratio temporis.* CONSVLIBVS anni huius natum eſſe L. Craſſum Oratorem 34. annis ante Ciceronẽ, teſtis eſt ipſe M. Tul. in Brut. Pauſanias,[a] Prætorem hoc anno ſuggerit Athenis Antitheum, Olympionicam vero Diodorum Sicyonium, quo anno ait confectum fuiſſe bellum Achaicum. Verum cum id confectum fuerit, quo anno Corinthus à L. Mummio exciſa eſt, vt Pauſanias ipſe ſignificat, eam ille Conſul excidit an. Vrb. Cond. 607. ſex ergo totis annis abeſt Pauſanias à communi ſententia. Verum certiora de re Iudaica videmus. Nam & præſentem annum regni Græcorum, & pontificatus Simonis Scriptura tradit,[b] ſed Demetrio luctuoſum: qui dum cogitat ope Iudæorum Tryphonem Syria exturbare, & temere Arſacem aggreditur, ab eo captus, & in vincula coniectus, in multos annos regno caruit.

II. *Demetrius victus, & captus à Parthis.* ANNO, inquit author, *centeſimo ſeptuageſimo ſecundo congregauit Rex Demetrius exercitum ſuum, & abijt in Mediam ad contrahenda ſibi auxilia, vt expugnaret Tryphonem*

[a] l. 7. p. 222.

[b] c 14. v. 1 & 27.

qui interfecto Antiocho Demetrij æmulo, in regnum Aſiæ ac Syriæ tyrannus inuaſerat. *Et audiuit Arſaces rex Perſidis, & Mediæ, quia intrauit Demetrius confines ſuos, & miſit vnum de principibus ſuis, vt comprehenderet eum viuum, & adduceret eum ad ſe. Et abijt, & percuſſit caſtra Demetrij: & comprehendit eum, & duxit eum ad Arſacem, & poſuit eum in cuſtodiam.* Perſidis & Mediæ Rex vocatur Arſaces, ab autore ſacro, cum alij omnes eum Parthorum regem appellent: ſed nimirum Parthi has iam regiones occuparãt. Imo & vltra progreſſi in occidentem, Meſopotamiam auulſam à Syriæ regno ſibi ſubiecerant, vt ait Appianus in bellis Syr. vbi de Demetrio Sotere, qui Romæ obſes fuerat.

III. *Ex Ioſepho & Iuſtino.*

Demetrivs ergo cum & imprudentia ſua, & ſcelere Tryphonis iamdudum regno Syriæ careret, & in ſuperioribus ſatrapiis incertis ſedibus verſaretur, vocatúrque, vt ait Ioſephus, [a] per crebras legationes ab eorum locorum Græcis, atque Macedonibus, pollicentibus deditionem ſi veniret, atque etiam contra Parthorum regem Arſacem auxilia, ea ſpe accenſus properauit ad illos, cogitans ſi res aduerſus Parthos proſpere ceſſiſſent, facile ſe deinde regno Syriæ exturbaturum Tryphonem. Vt vero magna alacritate exceptus eſt ab eius regionis hominibus, collecto valido exercitu Arſaci bellum intulit: ſed ſuperatus prælio, amiſſóque exercitu, ipſe viuus in poteſtatem hoſtium venit. Non multum abeſt à Ioſepho Iuſtinus. [b] *Demetrij aduentum*, inquit, *non inuiti Orientis populi videre, & propter Arſacidæ regis Parthorum crudelitatem, & quod veteri Macedonum imperio aſſueti, noui populi ſuperbiam indigne ferebant. Itaque cum & Perſarum, & Elimæorum, Bactrianorumque auxilijs iuuaretur, multis prælijs Parthos fudit. Ad poſtremum tamen pacis ſimulatione deceptus capitur, traductuſque per ora ciuitatum, populis qui deſciuerant, in ludibrium fauoris oſtenditur.*

a l. 13. c. 9. & 6.

b l. 36. init.

IV. *Rurſum ex Iuſtino, & Oroſio.*

Nonnvlla diſtinctius, lib. 41. de hac hiſtoria habet, ſicut & Oroſius, [c] qui hunc Arſacem Mithridatem vocat, & ſextum à primo Arſace Imperij Parthorum fundatore. Arſacis nomen Parthorum regibus commune fuit, vt ſupra diximus, & affirmat Iuſtinus lib. 41. qui hunc Arſacem tertium vocat, proprio nomine Pampatium, ſiue Priapatium, cuius filij duo Mithridates & Prahates, qui ambo deinceps Parthis imperarunt. Cæterum Oroſius ait Demetrium ſecundo bello occurrentem Arſaci, victum ac captum fuiſſe, in quo videtur conſentire Iuſtino. Ioſepho autem, in eo quod Tryphonis, ſiue Diodori tyrannidem differt ad captum vſque Demetrium, quod Scripturæ repugnare iam demonſtratum eſt. *Quo capto*, inquit, *Diodorus quidam cum Alexandro filio*, legendum eſt Alexandri filio, *regnum eius, & regium nomen vſurpauit. Qui poſtea ipſum Alexandrum filium*, lege hic quoque Alexandri filium, *quem participem periculi in peruadendo regno habuerat, ne in obtinendo conſortem haberet, occidit.* Addit Iuſtinus l. 38. miſſum deinde in Hyrcaniam benigne habitum, & iuxta cultum priſtinæ fortunæ; adeo vt etiam filiam ſuam illi Arſaces in matrimonium daret. Quibus alludit Appianus, in Syriacis in fine, cum ait Demetrium vixiſſe in Phraathæ regia, & Rodogunam eius ſororem in matrimonium duxiſſe. Sed hæc poſterius contigerunt.

c l. 5. c. 4.

Arſaces tertius, eiuſque filij.

V. *Pax Iudæorum, & Simonis gloria.*

Inde autem excurrit Scriptura in celebranda tranquillitate pacis, qua Iudæi fruebantur, dum Demetrius in ſuperiore Aſia captiuus eſſet. Tryphon autem cum fratre, & vxore Demetrij digladiaretur, vt poſtea ex Ioſepho referemus. *Et ſiluit omnis terra Iuda omnibus diebus Simonis, & quæſiuit bona genti ſuæ, & placuit illi poteſtas eius, & gloria eius omnibus diebus. Et cum omni gloria ſua accepit Ioppen in portum, & fecit introitum in inſulis maris.* Glorioſum quippe erat Iudæis potiri celeberrimo portu, ex quo in mare, & inſulas, ſiue ad auxilia petenda, ſiue ad celebranda commercia, & negociationes, liceret excurrere. Cæterum Iudaicæ pacis fundamentum ponit, quod Simon ſtudioſus eſſet commodorum Reip. & vice verſa in ſumma eſſet apud omnes ciues ſuos gratia.

VI. *Et populi beneuolentia. Varia eiuſdem in Remp. beneficia.*

Pergit autem ea referre, quæ ei ſuorum beneuolentiam conciliarant: *& dilatauit fines gentis ſuæ, & obtinuit regionem.* Obtinuit enim pleraque loca Palæſtinæ, quæ olim in eorum poteſtate non fuerant; idque de Gaza & Ioppe poſtea audiemus Antiochum conquerentem. Aſcalonem quoque habebant aut ſubditam, aut amicam. [d]

Et congregauit captiuitatem multam, ſuorum ſcilicet, qui variis in locis captiui

d Vt patet l. 1. c. 10. 86. & ca. 11. 60. & c. 12. 53.

detinebantur, quos vel gratia, vel pretio recollegit. *Et dominatus eſt Gazaræ, & Bethſuræ & arci.* Hæc tria loca tanquam omnium munitiſſima commemorat, quorum poſſeſſio præbebat dominium Hieroſolymorum, Iudææ & Palæſtinæ. *Et abſtulit immunditias ex ea*, vt dictum eſt in fi. cap. præced. *& non erat qui reſiſteret ei, & vnuſquiſque colebat terram ſuam cum pace, & terra Iuda dabat fructus ſuos, & ligna camporum fructum ſuum*, quæ ſcilicet belli tempore direptioni, & incendiis patebant. *Seniores in plateis ſedebant omnes, & de bonis terræ tractabant, & iuuenes induebant ſe gloriam, & ſtolas belli.* Seniores conſultabant de vtilitate Reipub. & iuuenes armati, ſi opus eſſet deliberata exequebantur.

VII. *Magna in Iudaea träquillitas.* ET *ciuitatibus tribuebat alimonias, & conſtituebat eas, vt eſſent vaſa munitionis*: in omnem belli euentum, inſtruxit ciuitates commeatibus, & armamentis, *quoadusque nominatum eſt nomen gloriæ eius vſque ad extremum terræ.* Reſpicit ad ea, quæ paulo poſt de Romanis, & Spartiatis dicet, & rurſum capite ſeq. de literis Roma ſcriptis ad plurimas gentes, in gratiam Simonis, & Iudæorum. Sed pergit in laude Simonis.

Fecit pacem ſuper terram, & lætatus eſt Iſraël lætitia magna. Et ſedit vnuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficulnea ſua, & non erat qui eos terreret. Defecit impugnans eos ſuper terram, reges contriti ſunt in diebus illis. Et confirmauit omnes humiles populi ſui, & legem exquiſiuit, & abſtulit omnem iniquum & malum, ſancta glorificauit, & multiplicauit vaſa ſanctorum, quæ pridem ab Antiocho, & ſacrilegis Pſeudopontificibus ſublata fuerant, & ægre adhuc reſtaurari potuerant, propter aſſiduos belli ſumptus, hoſtiles deprædationes, & tributa ingentia, quibus aliquam pacem redimere cogebantur.

VIII. *Et Dei in Iudæos prouidentia.* PORRO hic eminet non vulgare diuinæ prouidentiæ argumentum, quæ res deſperatas in florentiſſimum ſtatum, & omni expectatione meliorem reſtaurat. Nam præter omnes clades, quæ ſuperioribus annis contigerant, recens occiſus erat princeps ac pontifex Ionathas, & cum eo mille viri primarij de amicis eius; occiſi filij eius, ſublata ingens pecunia, populus luctu & mœrore conficiebatur, & timore tremoréque concuſſus, quo ſe verteret neſciebat; & eorum hoſtes ſperabant fore, vt tollerent de hominibus memoriam eorum: cum repente reſtaurati ſunt, eaque pace, ac proſperitate donati, quam ne ſub potentiſſimis quidem regibus obtinuerant; vt tempus ipſum Salomonis hæc tempore repræſentatum fuiſſe videatur.

IX. *Mors Ionathæ Romæ & Spartæ innoteſcit.* ET *auditum eſt Romæ, quia defunctus eſſet Ionathas, & vſque in Spartiatas, & contriſtati ſunt valde. Vt audierunt autem quod Simon frater eius factus eſſet ſummus ſacerdos loco eius, & ipſe obtineret omnem regionem, & ciuitates in ea, ſcripſerunt ad eum in tabulis æreis, vt renouarent amicitias, & ſocietatem, quam fecerant cum Iuda, & cum Ionatha fratribus eius.* Dum legati Ionathæ ad Spartiatas, Romanóſque proficiſcuntur, moritur Ionathas, nuncius defertur Romam, legati ibi moras trahunt, dum de nouo Reipubl. principe ac pontifice per nouos nuncios certiores fiant, vt eadem opera pacem nomine Ionathæ initam, ſub nomine ſucceſſoris eius renouent. Hæc dum per tanta marium & terrarum interualla fiunt, tertius annus agi cœpit: & hæc eſt Vatabli ſententia, vt ſupra notauimus. 1. r. c. 12. fi. ca. 13. init.

X. *Ordo rei geſtæ per legatos.* VERVM probabilius videtur & verius, & ad totam narrationis ſeriem conuenientius, vt dicamus legatos Ionathæ Romam perueniſſe, & ſocietatem eius nomine renouaſſe cum Romanis; Legatiſq; inde digreſſis, & Lacedæmona venientibus, auditum eſſe Romæ, & Lacedæmone de morte Ionathæ, & vtroſque valde doluiſſe. At quia non oportebat legatos è medio curſu Romanum iter remetiri, non adito prius nouo pontifice, & nouis ab eo mandatis acceptis, Ieroſolymam adeunt, renouata interim cum Spartanis nomine Simonis amicitia. Et hæc eſt cauſa, cur relatę ſunt Spartiatarum tantum literæ, ad Simonem nouum pontificem directæ. Et eadem cauſa eſt, cur ſtatim legati Romam à Simone remiſſi ſunt cum muneribus, à qua legatione non niſi anno 174. reuerſi ſunt. [a] Et hæc lucem dabunt ſequentibus, & ab iis viciſſim accipient. [a] Vt habetur c. 15. v. 10. & 15.

XI. *Literæ Spartiatarum ad Simonem.* ET *lectæ ſunt*, inquit author, literæ Spartiatarum ſcilicet, vt ſubditur, *in conſpectu Eccleſiæ in Ieruſalem. Et hoc exemplum epiſtolarum, quas Spartiatæ miſerunt. Spartianorum principes, & ciuitates Simoni ſacerdoti magno, & ſenioribus, & ſacerdotibus, & reliquo populo Iudæorum fratribus, Salutem.* In Græcis ciuitas tantum habetur; nimirum

hoc

hoc tempore Spartiatæ nullum habebant in alias ciuitates dominium, poſt Achaicum bellum confectum, ſed omnia, ſicut & Sparta ipſa, Romanis parebant. Verum nomen ciuitatum Scriptura modicis etiam oppidis tribuit, vt Modin, &c. Cauſa porro fraternitatis eius ſupra ex literis regis Ariæ, & Oniæ pontificis, [a] habetur. *Legati qui miſſi ſunt ad populum noſtrum, nunciauerunt nobis de veſtra gloria, & honore ac lætitia, & gauiſi ſumus in introitu eorum, & ſcripſimus quæ ab eis erant dicta in conciliis populi. Sic, Numenius Antiochi, & Antipater Iaſonis filius legati Iudæorum venerunt ad nos, renouantes nobiſcum amicitiam priſtinam. Et placuit populo excipere viros glorioſe, & ponere exemplum ſermonum eorum in ſegregatis populi libris, vt ſit ad memoriam populo Spartiatarum. Exemplum aut horum ſcripſimus Simoni magno Sacerdoti.* 1. vel, vt alij legunt, *ſcripſerunt*. Vt ſint verba Scriptoris, non Spartiatarum.

a c. 12. v. 20. & ſeq.

1. χ.

XII. *Clypeus aureus Simonis.*

P OST *hæc autem miſit Simon Numenium Romam habentem clypeum aureum magnum, pondo nimirum mille, ad ſtatuendam cum eis ſocietatem.* Quæ ſumma ſi minam auri pro libra poſueris, cum parum differant, cum libram auri centum coronatis æſtimemus, mille libræ auri efficient centum millia coronatorum, ſiue trecenta millia libr. Turon. 2. Idem Numencus iam ante Romam à Ionatha miſſus fuerat.

2. χ.

Gratus animus Iudæorum.

Cum autem audiſſet populus Romanus ſermones iſtos dixerunt. Vox *Romanus* abeſt à Græcis omnibus & Latinis, præterquam vulgata: & improbatur à Vatablo, & Serar. & omnino videtur ex margine, vbi ea vox explicandi cauſa, ab homine minime malo poſita fuerat, in textum irrepſiſſe. Porro ſequentem orationem non eſſe Romanorum, ſed Iudæorum ex eo patet, quod reſponſio Romanorum, in qua de hoc dono agitur, habetur c. ſeq. v. 16. Deinde tota oratio Hebraici ritus eſt, & nihil ſapit Romanum morem: & qui aliter ſentiunt ad anticipationes, & repetitiones neceſſario confugiunt, vt Lyra. & Torniel. Quid Ioſephus hic ſenſerit non apparet, vt qui totam hanc legationem miſſam fecerit.

XIII. *Laudant Iudæi Simonem cũ fratribus.*

I V D Æ I ergo, læti iam de tranquillitate rerum quam Simon inuexerat, auditis literis Spartiatarum commoti ſpiritu gratitudinis. *Quam*, inquiunt, *gratiarum actionem reddemus Simoni & filiis eius? Reſtituit enim ipſe fratres ſuos, & expugnauit inimicos Iſraël ab eis.* In Græcis ita legitur, firmauit enim ipſe, & fratres eius, & domus patris eius, (ſcilicet Iſraëlitas) & debellarunt inimicos Iſraëlitarum ab eis. Sequentia vero, *Et ſtatuerunt ei libertatem*, plerique libri Græci referunt ad populum libertate donatum, non ad Simonem; cui fruſtra dicatur populus libertatem ſtatuiſſe, qui ante non erat obnoxius vlli ſeruituti, aut oneribus, à quibus leuari nunc dicatur: totus quippe populus iamdudum à tributis, opera Simonis factus erat immunis. Totum itaque locum alij ita vertunt. Nam ipſe cum fratribus ſuis, domóque paterna ſua conſtabiliuit Iſraëlem, & hoſtibus bello propulſatis, libertatem eidem peperit.

Et agnoſcũt beneficium.

XIV. *Et publico ſcripto teſtantur.*

C ONSCRIPTAS itaque tabulas æreas in columnis in monte Sion propoſuere. Villalp. [b] hos titulos, ſiue cippos, vel columnas intelligit ſolidas periboli partes, quæ certis interuallis opere reticulato diſtinguebantur, quas vocat atas ſiue ſtylobatas.

b t. 2. l. 3 c. 13. in Ezechiel. c. 40.

Et hoc eſt exemplũ Scripturæ. Octaua decima die menſis Elul. qui eſt ſextus, & reſpondet ex parte Auguſto, *anno centeſimo ſeptuageſimo ſecundo*, regni Græcorum, *anno tertio ſub Simone Sacerdote magno in Aſaramel.* Confirmatur & reuocatur in praxim, quod ſupra dictum eſt, obſeruatum iri à populo, in tabulis publicis priuatiſque, annos Simonis. Illud autem *in Aſaramel*, vel, vt habent Græca, *Saramel*, Vatab. vocem corruptam putat, & legendum, in Ieruſalem. Serar. ait retentam vocem Hebræam, qua ſignificetur, in principe Deo, vt Simon dicatur Sacerdos magnus in Domino Deo, ſiue Domini Dei. Pergit.

XV. *Decretum Iudæorum in gratiam Simonis.*

I N *conuentu magno ſacerdotum, & populi, & principum gentis, & ſeniorum regionis nota facta ſunt hæc.* Quidam Græci codices habent, innotuit nobis, alij, notum fecimus vobis. Hoc eſt exordium, ad recolendam expoſitionem rerum hactenus bene geſtarum, quibus populus excitatus eſt ad gratias referendas Simoni. Tantus porro perſonarum apparatus oſtendit hanc non eſſe promulgationem Romani decreti, ſed proprij. Adde quod decretum hoc lex quædam eſt; at legem accipere à Romanis, non eſſet eos habere ſocios & amicos, ſed dominos.

Quoniam frequenter facta ſunt prælia in regione noſtra, illud, noſtra, abeſt à Græcis,

probat autem hanc Iudæorum orationem eſſe, non Romanorum. Quamquam omnia ferme in tertia perſona recitantur, vt res publici decreti formam habeat, & de Iudæis ab omnibus gentibus intelligi poſſit.

XVI. *Epitome rerum à Machabæis geſtarum.* Simon *autem Mathathiæ filius, ex filiis Iarib, & fratres eius dederunt ſe periculo, & reſtiterunt aduerſariis gentis ſuæ, vt ſtarent ſancta ipſorum & lex*, quæ ſcilicet pridem ab impiis proſtrata fuerant, *& gloria magna glorificauerunt gentem ſuam. Et congregauit Ionathas gentem ſuam, & factus eſt illis ſacerdos magnus, & appoſitus eſt ad populum ſuum.*

Et voluerunt inimici eorum calcare, & atterere regionem ipſorum, & extendere manus in ſancta ipſorum. In Græco ἐμβατεῦσαι eſt inuadere, penetrare, non calcare; eodémque verbo vſus eſt ſupra, [a] vbi dicebatur Tryphon intrare velle regionem, Simone eius copias ſemper aſſectante, nec vllum ei aditum præbente, quò alluditur hoc loco. Quamquam veſtigia figere, ingredi, calcare vicina ſunt. a c.13.20.

XXVII. *Et nominatim à Simone.* Tvnc *reſtitit Simon, & pugnauit pro gente ſua, & erogauit pecunias multas, & armauit viros virtutis gentis ſuæ, & dedit illis ſtipendia, & muniuit ciuitates Iudææ, & Bethſuram quæ erat in finibus Iudææ, vbi erant arma*, ſiue præſidia, *hoſtium antea, & poſuit illic præſidium viros Iudæos. Et Ioppen muniuit quæ erat ad mare*, id eſt maritimam, abeſt verbum à Græco, nec neceſſarium eſt. Sicut nec paulo ante, vbi de Bethſura agitur, nec mox vbi de Gaza, quæ dicitur Azoti finitima, quæ tamen propior eſt Aſcaloni, ſed Azotus notior erat. *Et Gazaram*, inquit, *quæ eſt in finibus Azoti, in qua hoſtes antea habitabant, & collocauit illic Iudæos, & quæcunque apta erant ad correptionem eorum poſuit in eis.* Videtur legendum correctionem, id eſt inſtaurationem, eſt enim in Græco ἐπανόρθωσιν, & ita emendat Sà, Vatabl. aliæque verſiones.

XVIII. *Electio Simonis in ducem & ſummum ſacerdotū.* Et *vidit populus actum Simonis, & gloriam quam cogitabat facere genti ſuæ, & poſuerunt eum ducem ſuum, & principem ſacerdotum, eo quod ipſe fecerat hæc omnia, & iuſtitiam, & fidem quam conſeruauit genti ſuæ, & exquiſiuit omni modo exaltare populum ſuum, & in diebus eius proſperatum eſt in manibus eius, vt tollerentur gentes de regione ipſorum, & qui in ciuitate Dauid erant in Ieruſalem, in arce de qua procedebant*, militaribus eruptionibus, *& contaminabant omnia, quæ in circuitu ſanctorum ſunt, & inferebant plagam magnam caſtitati.* Hinc ſatis apparet de qua arce ſuperius actum fuerit, quæ omnibus circunſtantiis deſcribitur, ne deprauationi Ioſephi adhæreamus. Cæterum nomine caſtitatis legalem munditiam videtur intelligere, vt proxime antecedentia docent, & quæ habentur l.1.c.1. [b] Nec de proprie dicta caſtitate recte poteſt hic locus exponi, licet legamus. [c] *Auſus eſt ſub ipſa arce Gymnaſium conſtituere*, &c. Illa enim iam à Iuda templum emundante ſublata fuerant. [d] Porro hæc omnia fere habentur c.13. præcedenti. b 38. 39. c l.2.c.4.12 d l.1.c.4. l.2.c.10.a.

XIX. *Eius cum Demetrio amicitia & honor.* Et *collocauit in ea viros Iudæos, ad tutamentum regionis & ciuitatis, & exaltauit muros Ieruſalem. Et rex Demetrius ſtatuit illi ſummum ſacerdotium*, confirmauit videlicet iam ipſi à populo traditum. *Secundum hæc fecit eum amicum ſuum, & glorificauit eum gloria magna. Audiuit enim quod appellati ſunt Iudæi à Romanis amici & ſocij, & fratres, & quia ſuſceperunt legatos Simonis glorioſe.* Fratres beneuolentia non cognatione, ſic Alexander Rex Ionathan vocabat fratrem, [e] ſicut & Demetrius, [f] & Laſthenem parentem, &c. [g] *Et quia Iudæi, & ſacerdotes eorum conſenſerunt eum eſſe ducem ſuum, & ſummum ſacerdotem in æternum, donec ſurgat propheta fidelis*, intelligit venturum Meſſiam Chriſtum Dominum, ad quem poſteros Simonis propagandos ſupponit. Vtrum autem ad Chriſtum peruenerint, & an Herodes pertineat ad Simonis familiam, alterius loci erit diſputatio. Cætera perſpicua ſunt, & pertinent ad ſtabiliendam dignitatem Simonis. Hactenus ergo decretum Iudæorum de Pontificatu, & ducatu Simonis. e l.1.c.10.18. f c.11.30. g c.11.31.

XX. *Res Cæpionis in Hiſpania.* In vtraque Hiſpania gemina pax hoc anno, altera facta, altera fracta eſt à Romanis, Cæpione Conſule, & Proconſule Pompeio; quorum ille pacem cum Viriatho indecore fregit; & turpius etiam, quem amicum habere noluerat, & hoſtem timebat, interfecit; hic pacem indecoram cum Numantinis compoſuit. De priore hæc fere habet Appianus. Seruilius Cæpio, frater Fabij Seruiliani, fœderis huius cum Viriatho authoris, & eiuſdem in imperio ſucceſſor, criminando pacta, tanquam indigna populo Romano, primo à Senatu impetrarat ſibi vt liceret clam pro arbitrio Viriatho incommodare: deinde aſſidue obtundendo, literaſque miſſi-

tando effecerat, vt idem Senatus ruptis fœderibus, palam bellum Viriatho inferendum decerneret.

Qvo SC. fretus Arſam vrbem, deſerente Viriatho, deditione accepit, & ipſum Viriathum fugientem, & obuia quæque vaſtantem, circa Carpetaniam aſſecutus eſt. Sed is ſiue quod minoribus inſtructus eſſet copiis, ſiue quod de reſarciendo fœdere cogitaret, pugna abſtinere decreuit; itaque maiore copiarum parte, per obſcuram quandam vallem dimiſſa, reliquas in tumulo quodam inſtruxit, vt ſpeciem dimicare volentis hoſti præberet. Sed vbi quos præmiſerat iam extra periculum eſſe ſenſit, ad eos aduolauit, tanto contemptu hoſtis, tantáque celeritate, vt qui inſequebantur, quonam ſe proripuiſſet non ſentirent. *Curat fœdus cum Viriatho frangi.* XXI. *Eumque perſequitur.*

Dvmqve alij latrones exemplo Viriathi, etiam ipſi Luſitaniam Romanis ſubditam populabundi incurſarent, & contra eos Sex. Iunius Brutus bene rem gereret, non ceſſabat Viriathus ipſe fidiſſimos amicorum Audacem, Ditalconem, & Minurum pro fœdere paciſcendo ad Cæpionem mittere; quos iſte donis ingentibus, ac promiſſis induxit, vt Viriathum ſe interfecturos pollicerentur. Ergo Audax cum cæteris coniuratis, noctu ad hominem in armis dormientem, quaſi pro graui quodam ac ſubito negotio adeunt, illatáque in iugulum plaga, quod ea pars ſola vulneri pateret, iacentem necant, & taciti ad Cæpionem transfugiunt, præmium petunt. Concedit Cæpio, vt quæ ad eum diem poſſederant, tuto habeant, de præmiis ad Senatum remiſſi ſunt. Eutrop. ait à Cæpione reſponſum, nunquam Romanis placuiſſe Imperatorem à ſuis militibus interfici. Et vero crimen proditionis & cædis, grauiſſimo eos ſupplicio luere oportebat. XXII. *Et à ſuis interfici curat.*

Mortem cognitam ſui ingenti luctu, & apparatiſſimo funere celebrarunt; quod is in diuiſione prædæ æqualitatis ſtudioſiſſimus fuiſſet, & ne rogantibus quidem ſuis, aliquid amplius quam cæteri abſtuliſſet, ſed potius iis, qui fortitudine præſtarent, diſtribuiſſet. *Quo factum eſt*, inquit Appianus, *vt licet exercitum haberet diuerſis ex gentibus conflatum, tamen octo annis, quibus bellum geſſit, nulla ſeditio in eius caſtris orta ſit, ſed militem ſemper habuerit ad omnia impigrum, & obſequentem. Luſitanos*, inquit Florus. [a] *Viriathus erexit, vir calliditatis acerrimæ, qui ex venatore latro, ex latrone ſubito dux & Imperator, & ſi fortuna ceſſiſſet, Hiſpaniæ Romulus*, &c. De eius autem morte ſic ait. *Eum Fabius Max. Conſul oppreſſerat. Sed à ſucceſſore Seruilio Cæpione violata victoria eſt: quippe qui conficiendæ rei cupidus, fractum ducem, & extrema deditionis agitantem, per fraudem, & inſidias, & domeſticos percuſſores aggreſſus, hanc hoſti gloriam dedit, vt videretur aliter vinci non potuiſſe.* Sic Florus, non modicus Romanæ gloriæ amplificator. Neque enim Appianus fractum ducem, & extrema deditionis agitantem repræſentat, vt vidimus. XXIII. *Eius funus, & ſuorum amor. Ex Appiano. Et Floro.*

a l. 2. c. 17.

Vervm de annis Viriathi vereor vt Appiano aſſentiri poſſimus, cum plerique ei 14. annos attribuant. *Viriathus*, inquit Epit. 54. *à proditoribus conſilio Seruilij Cæpiones interemptus eſt, & ab exercitu eius multum comploratus, ac nobiliſſime tumulatus. Vir duxque maximus, per quatuordecim annos, quibus cum Romanis bellum geſſit, frequentius ſupe ior.* Idem de 14. annis affirmat Eutrop. l. 4. Florus l. 2. c. 17. & Paulus Oroſius, eum de more ſecutus. [b] XXIV. *Quandiu bellum geſſerit.*

b l. 5. c. 4.

Verum neutra ſententia ſatis firma videtur. Nam ſi, vt affirmat Appianus, Viriathus cœpit exiſtere Prætore Vetilio, qui Galbæ ſucceſſit, qui Præturam geſſit in vlteriore Hiſpania Lucullo Conſule, vt confirmat Sigon. in Faſtis anno Vrbis Conditæ 600. oportet primum annum Viriathi, eſſe annum Vrbis 603. & conſequenter præſentem annum Vrbis 613. eſſe eiuſdem Viriathi vndecimum. Itaque 14. illi anni Eutropij, Flori, & aliorum, de annis belli Celtiberici accipiendi ſunt, quod Viriatho duce in annum decimum quartum protractum eſt; quod tamen triennio ante fuerat inchoatum: ex quo etiam Chronologia noſtra firmatur. *Annus 14. Belli Celtiberici.*

Nec ſtatim cum extincto Viriatho bellum Viriathicum, aut Celtibericum potius extinctum eſt. Milites eius Tantalum quendam Imperatorem creant, & eo duce aduerſus Saguntum expeditionem ſuſcipiunt: ſed inde repulſi, cum Bætim amnem tranſirent, ſubſecutus Cæpio ita preſſit, vrſitque, vt Tantalus ſuis rebus diffidens, & ſe & exercitum traderet, ea conditione, vt eos non iniquius quam ſubditos tractaret. Omnibus armis ſpoliati, & ne deinceps latrociniis viuerent, terra ſatis ampla donati ſunt. Atque hunc finem Viriathicum bellum accepit. XXV. *Finis Viriathici belli.*

Bellum ad Numantiam.

Quod ad citeriorem Hiſpaniam, Metellus bellum iam pene confecerat; ſed reſtabant oppida duo, vt ait Appian. Termantia & Numantia, quorum poſterius propter duo flumina, & valles, ſyluaſque denſiſſimas circuniectas, aditu difficile erat, & octo millibus egregiorum militum defendebatur, à quibus Romani exercitus diu multumque fatigati ſunt.

XXVI. *Quæ ibi à Q. Pompeio geſta.*

Metellus exacta hyeme, exercitum optime exercitatum Q. Pompeio ſucceſſori tradidit, peditum 30. millia equitum duo. Quæ admodum pugnant cum iis, quæ ſupra ex Valerio Maximo retulimus. [a] Cum his copiis Numantinos aggreſſus, ab iis tot excurſionibus fatigatus eſt, vt cum quotidianis velitationibus cerneret copias ſuas à paucioribus impune carpi, minuique, exercitum Termantiam transferret; vbi aliquoties maiore damno, quam emolumento pugnauit. Inde oppidum Maliam deditione accepit. Mox ad obſidendam Numantiam reuerſus, fluuium quendam deriuare conabatur, quaſi vrbem fame expugnaturus. At oppidani egreſſi opus impediebant, & Romanos propugnatores in caſtra compellebant: & ſemel quadringentos cum eorum præfecto interfecerunt. Sub idem tempus nouus tyronum exercitus ex Italia venit, veteranique poſt ſextum annum Romam dimiſſi.

[a] l. 9. c. 3. e. V. C. 611. n. 40.

XXVII. *Occulte pacem cum eis quærit.*

Pompeius, quem tot cladium pudebat, totam hyemem in caſtris egit, vbi & miles variis morbis tentatus eſt, & mox inſidiis circumuentus Numantinorum, noua etiam damna accepit, dum vetera cogitat reparare. Itaque iudicium ob rem male geſtam metuens, clam cum Numantinis de bello diſſoluendo ſermones habebat. Numantini & ipſi nonnullis affecti damnis, legatos de pace ad Pompeium mittunt. Ipſe propalam hortabatur, vt ſe Romanorum voluntati permitterent; ſed clam quid acturus eſſet docebat. Conuentum eſt vt obſides, captiuos, transfugaſque reciperet, quos & accepit. Vt triginta talenta numerarent, quorum parte accepta, alteram expectabat: quam cum ad Pompeium attuliſſent, ſuperuenit M. Pompilius Lænas Pompeij ſucceſſor, de quo ſequenti anno, quo is Conſul fuit, dicendum erit.

SCHOLIA IN ANNUM MUNDI 3914.

1. N. xi. Tigurina & Baſil. Regia & Complut. habent, ſcripſerunt, non ſcripſimus, vt hæc verba poſtrema, authoris ſint, non Spartiatarum. Et ratio eſt, quia ipſæ literæ ad Simonem diriguntur, dicendumque eſſet ſcripſimus ad te: & confirmatur ex ſimili loco infra c. 15. 34.

2. N. xii. Cenalis has mille minas Hebraicas æſtimat 504. millia lib. Turon. Quod ſi vellemus minas Hebraicas æſtimare ſingulas duabus libris cum dimidia, vt putat Ioſephus l. 14. c. 12. mille minæ auri efficerent 250000. coron. ſiue ſeptingenta & 50. millia franc. ſiue libr. Turon.

ANNVS MVNDI 3915. SEXTAE AETATIS, 399. IMPERII GRÆCORVM 173. DEMETRII NICANORIS 7. SIMONIS PONTIFIC. 4. PTOLEMÆI EVERGETIS 7. OLYMPIADIS CLX. AN. 2. VRB. COND. 614. COSS. CN. VEL L. CALPHVRNIO PISONE, ET M. POPILIO LÆNATE. BEL. CELTIB. 15.

ANNVS ANTE CHRISTVM 138.

I. *Res Syriæ turbida.*

DVM Iudæa, Simone principe ac pontifice Iudæorum, alta pace frueretur: & Demetrius Nicanor apud Regem Parthorum Arſacem haberetur in vinculis, res Syriæ non parum turbatæ erant. Nam Tryphon tyrannus magnam Syriæ partem occupabat: exulis autem Demetrij vxor Cleopatra, cum filiis ſuis Seleuciam tenebat, cum quibuſdam copiis, quæ nuper cum Ionatha conflixerant. [a] Sed Tryphone tyrannice agente cum ſuis, plerique eo deſerto ad Cleopatram transfugerunt; quæ vt partes ſuas redderet validiores, etiam mariti fratrem natu minorem Antiochum, ſibi adiungere ſtatuit. Id docet Ioſephus. [b]

a l. 1. c. 11. 63. c. 12. 24. b l. 13. c. 12.

II. *Vxor Demetrij euocat Sidetem leuirum.*

QVAM primum, inquit, Tryphon Rex declaratus eſt, abſque perſona Tryphonem agere cœpit. Id quod aduerſariorum partibus non mediocriter profuit. Milites enim pertæſi eius mores, defecerunt ad Cleopatram vxorem Demetrij, quæ tum in Seleuciam cum liberis ſe incluſerat. Et cum Demetrij frater Antiochus cognomine Soter oberraret, nec ab vlla vrbe reciperetur metu Tryphonis, miſit ad eum Cleopatra, coniugium ſuum, & regnum ei offerens: fecit autem hoc partim amicorum ſuaſu, partim quod timeret ne quidam Seleucienſes vrbem Tryphoni traderent. Sic ipſe.

c l. 13. c. 12. & 17.

III. *Quæ eius cognomina.*

QVEM Soterem Ioſephus [c] cognominat, Euſebius in Chronico Sidetem appellat, in cuius Græco habetur Σιδήτης, etſi vulgati libri habent Sedetes, & Rabanus. Veriſimile autem eſt, inquit Pontacus, ita dictum eſſe à Side vrbe Pamphyliæ, Ptolemæo, prope oſtium Eurymedontis fluuij, itemque Plinio, Straboni, aliis; ſiue Ciliciæ, vt habet Euſeb. quæ Pamphyliæ contigua eſt. Sed quare ab ea vrbe nomen acceperit, non apparet; an forte ibi natus, vel educatus? Iuſtinus l. 35. ait in Aſia educatum fuiſſe, forte pro Aſia Sida reponendum eſſet, ſi quis olim male correxit. Eundem etiam ab omnibus Pium cognominatum tradit Ioſephus, [d] Pium quoque vocat Appian. in Syriacis. Quod autem ait nullam vrbem eum auſam recipere, metu Tryphonis, id de initio tyrannidis eius accipiendum videtur, vt propterea ad inſulas confugere coactus fuerit. Vnde ad Simonem literas dedit, vt Scriptura teſtatur, & quidem, vt videtur, poſtquam in ſpem regni à Cleopatra eſſet adductus, & literæ ipſæ, quas mox proferemus, id ſatis oſtendunt.

d l. 13 c. 16.

IV. *Antiochi Sidetis ad Simonem literæ.*

SCRIPSIT autem ad Simonem, quem potentem ſciebat, vt ſibi eum deuinciret, veritus ne propter beneuolentiam, & ſocietatem Simonis cum Demetrio, ſe fratrem ipſius, quaſi regni inuaſorem, vellet excludere.

Et miſit Rex Antiochus, ait Scriptura, *filius Demetrij epiſtolas ab inſulis maris, Simoni ſacerdoti, & principi gentis Iudæorum, & vniuerſæ genti.* In Græcis Antiochus non dicitur Rex, necdum enim rex erat, vnde mox dicit, *cum autem obtinuerimus regnum noſtrum.* Sed filius Demetrij regis, id eſt Soteris, quem Alexander interfecerat, frater autem Demetrij Nicanoris, qui erat in Parthia: nec recte Lyran. eum vltimi Demetrij filium vocat, ſed penultimi dicendum fuit: nec bene Ioſephum reprehendit, cui aſtipulantur Appianus, Iuſtinus, Euſebius, Rabanus, & recentiores omnes. Inſulas autem intelligo Rhodum; audi enim Appianum in Syriacis. Verum Antiochus capti Demetrij frater, poſtquam Rhodi de captiuitate fratris, & quid ſecutum ſit didicit, in patriam reuerſus, Tryphonem magno labore victum interfe-

cit. Intelligo etiam Cretam, vnde frater eius Demetrius cum copiis venerat, & quo ambo ante bellum cum Alexandro, à patre miſſi fuerant, vt eſt apud Iuſtinum l. 35.

V.
Ipſa epiſtola, qua magnifacit ſe.

Ipsa vero Sidetis epiſtola ſic habet. *Rex Antiochus Simoni ſacerdoti magno, & genti Iudæorum Salutem. Quoniam quidem peſtilentes obtinuerunt regnum patrum noſtrorum; volo autem vendicare regnum, & reſtituere illud ſicut erat antea, & electam feci multitudinem exercitus, & feci naues bellicas.* Pertinent hæc ad conciliandam ſibi autoritatem, ne fruſtra regis nomen vſurpaſſe viderentur. *Volo autem procedere per regionem, vt vlciſcar in eos, qui corruperunt regionem noſtram, & qui deſolauerunt ciuitates multas in regno meo.* Rectius dixiſſet in regno fratris mei; ſed vel eum tanquam captiuum nihili faciebat, vel putabat ægre duos fratres in Aſia & Syria ſimul regnate poſſe nunc, vt nuper in Ægypto duo Ptolemæi. [l.1.Mach. c.15.v.2.]

VI.
Et Iudæis priuilegia promittit.

Conciliandi vero ſibi Simonis cauſa iſta ſubdit. *Nunc ergo ſtatuo tibi omnes oblationes, quas remiſerunt tibi ante me omnes reges, & quæcunque alia dona remiſerunt tibi: & permitto tibi facere percuſſuram proprij numiſmatis in regione tua.* Hoc ſignum erat ſupremi dominij permiſſi Iudæis; hinc autem intelligitur eis hoc ius ablatum fuiſſe, forte ab eo tempore, quo à Nabuch. abducti fuerant in captiuitatem, vbi Chaldæorum numiſmate, deinde Perſico, Macedonico, vel Syriaco, aut etiam Ægyptiaco vſi ſunt, pro diuerſitate dominorum, quibus ſubiecti fuerunt. Cui rei argumento eſt illud ex Euangelio, *cuius eſt imago hæc, & ſuperſcriptio?*

Ieruſalem autem ſanctam eſſe & liberam, in Græco eſt, & ſancta eſſe libera, id eſt templum, & quæ ad pietatem & verum Dei cultum pertinent. *Et omnia arma, quæ fabricata ſunt, & præſidia quæ conſtruxiſti, quæ tenes maneant tibi, & omne debitum regis, & quæ futura ſunt regi*, legendum videtur regia. In Græco enim eſt βασιλικά. Vulgo regalia, aut iura regaliæ dicuntur, *ex hoc, & in totum tempus remittuntur tibi. Cum autem obtinuerimus regnum noſtrum, glorificabimus te, & gentem tuam, & templum gloria magna, ita vt manifeſtetur gloria veſtra in vniuerſa terra.* Sapienter ea promittit, quibus Iudæos maxime capi poſſe intelligebat, pro ſua in Deum pietate, & zelo in cultum eius. Cæterum quid reſponſi datum fuerit à Simone aut Iudæis, non apparet ex Scriptura. Ioſephus,[a] ait Simonem poſtulata eius libenter admiſiſſe. [a l.13.c.12.]

VII.
Res Hiſpanica.

Videtvr hoc anno Cæpio, confecto bello Viriathico, prouinciam ordinaſſe; præſertim cum non niſi tarde ad exercitum Coſs. noui venire poſſent, vt recte notat Sigonius. De Citeriore autem Hiſpania hæc habet Appianus. Pompeius depoſito belli metu, quia ſibi à M. Popilio Lænate ſucceſſum erat, ſciens ſe ignominioſam pacem, populique iniuſſu cum Numantinis feciſſe, inficiari cœpit quidquam à ſe cum eis fuiſſe tranſactum. At cum eum multi teſtes omnis generis qui interfuerant reuincerent, Popilius eos Romam ad Senatus iudicium remiſit, apud quem cum diſceptatum eſſet, Senatui placuit bellum cum Numantinis geri. Popilius nulla alia re interim geſta, niſi quod in Numantinorum vicinos Luſonas exercitum duxit, Atilio Mancino ſibi ſuccedente Romam rediit. Ita Appianus. At Epit. 55. ait Popillium à Numantinis, cum quibus pacem factam Senatus irritam fieri cenſuerat, cum exercitu fuſum fugatúmque. Sed id ſequenti anno eodem Proconſule factum videtur. Nam dum de pace Romæ diſputatur, dum itur reditúrque, totus annus videtur effluxiſſe.

Pompeius Numantinam pacem negat.

Quæ nec Senatui placet.

ANNVS MVNDI 3916. SEXTÆ ÆTATIS 400.

IMPERII GRÆCORVM 174. DEMETRII NICANORIS 8. ANTIOCHI SIDETIS 1. SIMONIS PONTIF. 5. PTOLEM. EVERGETIS 8. OLYMP. CLX. AN. 3. VRB. CONDITÆ 615. COSS. P. CORNELIO SCIPIONE NASICA SERAPIONE, ET D. IVNIO BRVTO. BEL. CELTIB. 16.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 137.

I. *Duo fratres Syriæ reges.*

DVOS Syriæ Reges deinceps ad aliquot annos ponimus, ambos fratres, ambos Demetrij Soteris filios, ambos ſimul vnius vxoris viros; alterum cum Regni iure in Aſia captiuum, alterum cum Regni poſſeſſione in Syria dominantem, & Tryphonem tyrannum bello perſequentem. Hunc enim annum ingreſſus Antiochi Sidetis in regnum Scriptura notat. [a] *Anno*, inquit, *centeſimo ſeptuageſimo quarto, exijt Antiochus in terram patrum ſuorum, & conuenerunt ad eum omnes exercitus, ita vt pauci relicti eſſent cum Tryphone.* Quæ Ioſephus explicans. [b] *Quò poſtquam venit Antiochus*, inquit, id eſt Seleuciam, vbi Cleopatra erat cum filiis ſuis, à qua & regni & coniugij viuentis fratris factus eſt particeps, *affluente ad eum quotidie multitudine, & creſcentibus viribus bellum Tryphoni intulit; quem prælio victum eiecit ex ſuperiore Syria, & vſque Phœnicem perſequens, compulſum in Doram caſtrum munitiſſimum obſidione cinxit.*

a l.1.c.15.10 · *b l.13.c.12.* · *Sidetes in Tryphonem inſurgit.*

II. *Tryphonis fuga, & obſidio.*

EAM fugam & obſidionem Scriptura exponit, nulla facta mentione prælij; nec opus fuit bello decernere cum eo, qui ab exercitu derelictus, quos in aciem educeret non habebat. *Et inſecutus eſt eum Antiochus Rex; & venit Doram fugiens per maritimam, ſciebat enim quod congregata ſunt mala in eum, & reliquit eum exercitus.* In Græcis eſt, & venit fugiens in Doram maritimam, ſiue quæ eſt ad mare, prope Ioppem, ad differentiam alterius, quæ in Idumæa eſt, vt ſupra diximus. *Et applicuit Antiochus ſuper Doram, cum centum viginti millibus virorum belligeratorum, & octo millibus equitum, & circuiuit ciuitatem, & naues à mari acceſſerunt, & vexabant ciuitatem à terra & mari, & neminem ſinebant ingredi vel egredi.*

III. *Antiochi initia ex Iuſtino.*

IVSTINVS l. 36. de his Antiochi initiis hæc habet. *Regno Syriæ diu potitus Tryphon, tandem exoleſcente fauore recentis imperij, ab Antiocho puero admodum Demetrij fratre, qui in Aſia educabatur, bello vincitur; rurſuſque regnum Syriæ ad ſobolem Demetrij reuertitur. Igitur Antiochus memor quod etiam pater propter ſuperbiam inuiſus, & frater propter ſegnitiem contemptus fuiſſet, ne in eadem vitia incideret, accepta in matrimonium Cleopatra, vxore fratris, ciuitates, quæ initio fraterni imperij defecerant, ſumma induſtria perſequitur, domitaſque rurſus regni terminis adiecit.* Hæc Iuſtinus, bello victum dicit Tryphonem, non autem prælio, ſicut nec Appianus. Cæterum nec patri ſuperbia vehemẽter obfuit, nec filio ſegnities, ſed patri, vicinorum Regum odium, variis ortum ex cauſis, (vt patet ex l. 35. eiuſdem Iuſtin.) æmulum ſuſcitauit Alexandrum, & filium auaritia perdidit, dum exercitus ſuos temere dimiſſos contra ſe concitat. Quod autem Antiochum puerum admodum vocat, & tamen ſtatim matrimonio Cleopatræ iungit, non ſatis conueniunt; nec potuit eſſe admodum puer, cuius pater ante annos fere quatuordecim mortuus erat.

Obiter emendatur.

IV. *Reditus legatorum Simonis.*

DVM Antiochus Doram terreſtri, maritimáque obſidione cinctam premit, *Venit Numenius, & qui cum eo fuerant, ab vrbe Roma, habentes epiſtolas, Regibus & regionibus ſcriptas, in quibus continebantur hæc. Lucius Conſul Romanus, Ptolemæo Regi ſalutem.* Hunc eſſe Euergetem Ægypti Regem ſatis conſtat: quis autem fuerit Lucius ille Conſul non ſatis. Serar. pro Lucio Lepidum legendum putat, qui Conſul fuit anno ſequenti, vel certe recurrendum ad L. Furium Philum, qui cum Atilio Serrano Coſs. fuit anno 617. quod non nemo etiam alius ſenſit, qui videntur

Quis Lucius Coſ.

annos Græcorum cum annis vrbis non recte componere. Alii ad L. Cæcilium Metellum referunt, qui conſulatum geſſit cum Fabio Seruiliano anno centeſimo ſeptuageſimo. Sed hi non animaduertunt Numenium rediſſe Hieroſolymam Simone pontifice, & remiſſum Romam anno centeſimo ſeptuageſimo ſecundo, biennio poſt Metelli conſulatum. Abſurdum etiam eſt iſtum Numenium legatum, totam peragraſſe Aſiam per triennium, antequam ad Simonem Pontif. qui eum miſerat, veniret, & rationem redderet legationis ſuæ.

V. *Videri L. Calphur. Piſonem.* EXISTIMARIM ergo ad præcedentem potius annum veniendum eſſe, quo legati ex vrbe dimiſſi, hoc anno Ieroſolymam peruenerunt: in quibus inuenitur Calphurnius Piſo, qui Romæ erat, collega Popilio in Hiſpaniam profecto. Calphurnium autem Valerius Maximus libro primo capite quarto Lucium vocat. *C. Cornelius Hiſpalus Prætor peregrinus, M. Popillio Lænate, L. Calphurnio Coſſ. edicto* *Chaldæi vrbe pulſi.* *Chaldæos intra decimum diem abire ex vrbe, atq. Italia iuſsit:* quid cauſæ? *leuibus & ineptis ingeniis, fallaci ſyderum interpretatione quæſtuoſam mendaciis ſuis caliginem inicientes.* Et ita legit Sigonius in eiuſdem anni faſtis, & Onuphrius, & Grellius in chronologia Liuii, & Genebrard. in ſua, licet Pighius non bene correxerit, L. in Cn. mutato.

VI. *Literæ Romanorum.* PERGIT ergo L. Caphurnius Piſo. *Legati Iudæorum venerunt ad nos amici noſtri.* In Græco additur & ſocii, *renouantes priſtinam amicitiam, & ſocietatem, miſsi à Simone principe Sacerdotum, & populo Iudæorum. Attulerunt autem & clypeum aureum minarum mille. Placuit itaque nobis ſcribere regibus, & regionibus, vt non inferant illis mala, neque impugnent eos, & ciuitates eorum, & regiones eorum, & vt non ferant auxilium pugnantibus aduerſus eos. Viſum eſt autem nobis accipere ab eis clypeum. Si qui ergo peſtilentes refugerunt de regione ipſorum ad vos, tradite eos Simoni principi ſacerdotum, vt vindicet in eos ſecundum legem ſuam.* 1. Mach. c. 15. v. 17.

VII. *Scriptæ ad quinque reges.* HACTENVS literæ, quæ eadem forma mutata inſcriptione, ad reges quinque miſſæ ſunt, Ptolemæum Euergetem Aegypti, Demetrium Nicanorem Syriæ: nondum enim fortaſſe nuncius de eius captiuitate Romam peruenerat, quando hæ literæ ſcriptæ ſunt, vt putat Serarius: quod tamen durum eſt. Cum enim captus fuerit anno centeſimo ſeptuageſimo ſecundo, vt Scriptura tradit, quomodo non id Romæ cognitum fuerit anno centeſimo ſeptuageſimo tertio, quando literæ ſcriptæ ſunt? Niſi placet dicere, captum ſub finem anni centeſimi ſeptuageſimi ſecundi, dimiſſum autem legatum ſub initio anni centeſimi ſeptuageſimi tertii: ſed obſtare videtur, quod nimium temporis eius reuerſioni tribuitur, ad hunc ſcilicet annum centeſimum ſeptuageſimum quartum. Tertius Rex fuit Attalus Eumenis filius, Polyb. in Legat. n. 140. Eutropius l. 4. vocat Eumenis fratrem, an vtrumque fuit? Pergami Rex, qui ſub hæc tempora mortuus Populum Rom. ſcripſit hæredem. Quartus Ariarathes Rex Cappadociæ frater Oroſernis, pater Demetrii. Polybius in Legat. num. 135. & 136. De quo ex Iuſtino, & Appiano ſupra diximus. Quintus Arſaces Parthorum Rex, qui Demetrium habebat in vinculis.

VIII. *Et vrbes, aut populis nouemdecim. Lampſaco, ſiue Sampſana* EÆDEM literæ ad regiones ſiue populos, vrbes, inſulas, miſſæ ſunt, Lampſacum; ſic enim nunc habetur in bibliis emend. in quibuſdam, Vatic. Reg. Græcis legitur Sampſamæ, quomodo ante in Vulgata legebatur, & agnoſcit vt legitimum Vatab. Ortel. in Geogr. Serar. hic, qui putat eandem cum Heliopoli, vrbe Cœleſyriæ, quia ſol ab Arabibus vocetur Sampſa, teſte Stephano de vrb. qui & Sampſa, Arabiæ vicum appellat. In Baſil. Sampſacæ legitur, vt notat etiam Vatablus ab aliquibus legi. Sed in hac diuerſitate, rectum eſt correctam editionem ſequi, & Lampſacum oppidum Aſiæ, in primis clarum & nobile, agnoſcere, in prouincia Miſiæ ad Helleſpontum, vt habet Ptolemæus, tab. 1. Aſiæ, quæ Romanis contra Antiochum Magnum fauebat, ſicut & Smyrna in Aeolide, Liuius libro trigeſimo tertio & trigeſimo quinto; & libro quadrageſimo tertio ait Lampſacenos à Q. Mœnio Prætore in ſociorum formulam relatos.

IX. *Sparta.* SECVNDO Spartam ad Lacedæmonios, forte ipſorum Iudæorum rogatu, propter coniunctionem generis, & amicitiam ſuam cum Spartiatis. Tertio Delum *Delo.* inſulam & ciuitatem in Archipelago, ſiue Ægeo mari. Ptolem. in Europa Apollinis natalibus, & habitatione celebrem. Quarto Myndum Cariæ vrbem, quam *Myndo.* tab. 10.

Ptolemæus prope Halicarnaſſum collocat. Niſi placet Myndum inſulam in Icario mari accipere, de qua Ptolemæus libro quinto capite ſecundo. Quinto Sicyonem, quæ antiquiſſima eſt vrbs Peloponneſi, ad iſthmum Corinthiacum. Sexto in Cariam Aſiæ minoris prouinciam, quæ eius angulum meridianum facit, habetque ab oriente Lyciam, quæ paulo poſt nominatur. Septimo in Samum nobilem inſulam, inter Myrtoum & Icarium mare, non longe ab Epheſo. Octaua, & Nona ſunt Lycia & Pamphylia, magnæ in Aſia prouinciæ, quarum Pamphylia Ciliciam habet ab ortu, Lyciam ab occaſu, & Lycia Cariam. *Sycioni. Caria. Samo. Lycia & Pamphylia.*

X. *Halicarnaſſo. Co. Sida. Arado. Rhodo.*

Decima eſt Halicarnaſſus, quam Ptolemæus in ſinu ponit anguſto extremæ Aſiæ, iuxta Rhodum, & quidem in intimo ſinu, ad cuius aditum à Septentrione eſt Co inſula, quæ vndecima hoc loco numeratur: à meridie vero Cnidus, quæ ab Halicarnaſſo longo & directo tractu in occiduum mare procurrit. Duodecima eſt Side Pāphyliæ, à qua diximus credi cognomen inditum Antiocho. Decima tertia eſt Aradō, ſiue Aradus apud Ptol. libro quinto capite decimo quinto; vbi eam dicit inſulam Syriæ adiacentem, etſi ea in eius tabulis non habetur. Decima quarta eſt Rhodus, inſula clariſſima omnibus prope ſeculis, ad angulum Aſiæ ſita, ex qua Rhodienſe pelagus nomen habet, quam hoc tempore Romanorum ſociam & amicam fuiſſe, ex his literis innuitur.

XI. *Phaſelidi. Gortyna. Gnido. Cypro. Cyrene.*

Decimaquinta Phaſelis vrbs maritima, media inter Siden ab ortu, & Patara ab occaſu, vicina Chelidoniis ſcopulis, in extrema Lycia. Sexta decima Gortyna vrbs, quam Ptolemæus Cretæ inſulæ mediterraneā facit. Decima ſeptima eſt Cnidus, de qua iā diximus. Decima octaua eſt Cyprus, vna de præcipuis mediterranei maris inſulis, quæ ab ortu reſpicit Syriam, à Septentrione Ciliciam, à meridie Aegyptum, & ab occaſu Cretam, ſed longo interuallo. Aegypti regibus parebat hoc tempore, ſicut & Cyrene, quæ poſtremo loco in hoc catalogo recenſetur, vbi regnabat Ptolemæus Euergetes, regnante in Ægypto eius fratre Philometore. Vide Polyb. in Legat. n. 115. Eſt autem Cyrene latiſſima Africæ prouincia, apud Ptolem. in tertia Africæ tab. quæ ab ortu habet Marmaricam, ab occaſu Syrtes, & Africam proprie dictam.

XII. *Cur ad hos ſcriptum.*

Habes hic ergo, præter quinque regna, loca nouemdecim, quorum nonnulla in quibuſdam Græcis prætermittuntur, in aliis diuerſo ordine numerantur. Et ad quoſdam quidem horum populorum datæ literæ videntur, quia in ipſo nauigationis curſu adeundi erant; ad alios, quia peculiariter addicti Romanis; ad alios denique, quia multum Iudæis prodeſſe poterant, vel obeſſe. Apud omnes autem populus Romanus multum autoritate valebat. Denique harum literarum exemplum ad Iudæos miſſum eſt, in quorum gratiam cæteris omnibus ſcribebatur. *Exemplum autem eorum*, ait Scriptura, *ſcripſerunt Simoni principi ſacerdotum, & populo Iudæorum.* Sed oportuit etiam proprias ad ipſum Simonem literas eſſe ſcriptas, quæ prætermiſſæ ſunt, nec apud Ioſephum extant.

XIII. *Ortus Sylla.*

Quod ad Romanam rem attinet. Natus eſt hoc anno L. Cornelius Sylla, fax prima Romanæ Reipublicæ: nam ſexaginta annos vixit, vt ex Appiano l. 1. Ciuilium, & Valerio libro nono capite tertio conſtat, & mortuus eſt an. Vrb. Cond. 675. Ad hunc quoque annum pertinet, quod Valerius libro tertio capite ſeptimo refert. *Annonæ caritate*, inquit, *increbreſcente C. Curiacius Tribunus plebis productos in concionem Conſules compellebat, vt de frumento emendo, atque, ad id negotium explicandum, mittendis legatis, in Curiam referrent. Cuius inſtituti minime vtilis interpellandi gratia Naſica contrariam actionem ordiri cœpit. Obtrepeſcente deinde plebe, Tacete quæſo Quirites*, inquit: *plus enim ego, quam vos quid Reipub. expediat intelligo. Qua voce audita, omnes pleno venerationis ſilentio, maiorem eius autoritatis, quam ſuorum alimentorum reſpectum egerunt.* *Naſica veneratio.*

XIV. *Eiuſdem contemptus.*

Verum hanc venerationem non parum labefactat, quod ſcribit Florus in Epitome 55. hunc ipſum Scipionem à Tribuno illo plebis per contumeliam appellatum Serapionem, quod cuidam Serapioni homini nequam, de facie ſimillimus videretur, qui erat ſuarii negotiatoris vile mancipium, vt inquit Plinius. Sed illud etiam vehementius hanc Scipionis autoritatem infringit, quod ipſum cum collega in vincula iuſſu Tribuni plebis ductū legimus. Audi enim Florum Epit. 55. *P. Cornelio Naſica, cui cognomen Serapioni fuit*, ſic enim corrigenda ſunt quædam exē- *l. 7. c. 11. & l. 21. c. 3.*

Coss. a Tribuno in carcerem coniecti

plaria, *abirridente Curiatio tribuno pl. impoſitum, & D. Iunio Bruto Coſſ. delectum habentibus, in conſpectu tyronum res ſaluberrimi exempli facta eſt.* Nam C. Matienus accuſatus eſt apud Tribunum plebis, quod exercitum in Hiſpania deſeruiſſet, damnatuſque, ſub furca diu cæſus eſt, & ſeſtertio nummo veniit, id eſt æſtimatione Cœnalis, ſolido vno, vel quinquaginta libris Turonicis, prout ſeſtertium minus maiuſne ſumpſeris. Eam autem pœnam pluribus deſertoribus irrogatam, autor eſt Frontinus, & idem Abbreuiator, ſubdit enim. l. 4. c. 1. n. 19

XV. *Tribuni pl. Coſſ. in carcerem coniecerunt.*

TRIBVNI plebis, quia non impetrarunt, vt ſibi denos quos vellent milites eximere liceret, Conſules in carcerem mitti iuſſerunt. Nec iuſſerunt modo, ſed reipſa coniectos in vincula, teſtis eſt M. Tullius lib. 3. de leg. vbi tribunitiam poteſtatem exagitans. *Quid iuris bonis viris Ti. Gracchi tribunatus reliquit? & quinquennio ante D. Brutum, & P. Scipionem Coſſ. quos & quantos viros? homo omnium infimus & ſordidiſſimus tribunus plebis C. Curiatius in vincula coniecit, quod ante factum non erat.* Sic ipſe; nec rem plenius explicatam inuenio, vt cauſa tanti facinoris probabilior videatur. Et recte quidem factum improbat Tullius; neque enim id iure fieri potuit. Nam quod ius inferioris magiſtratus, in ſuperiorem eſſe potuit? ideoque vel vim vel metum ab eo interueniſſe dicendum videtur; certe minas iam olim intentas ab iiſdem habes apud T. Liuium lib. 4. quod nos retulimus anno Vrb. Cond. 323.

XVI. *Res geſta à Bruto in Luſitania*

D. IVNIVS Brutus Conſul, inquit Florus Epitome quinquageſima quinta, in Hiſpania, iis qui ſub Viriatho militauerunt, agros oppidumque dedit, quod Valentia vocatum eſt. Verum Appianus Bruto prætermiſſo, Attilium Mancinum Popilii Lænatis ſucceſſorem facit. Et viuo Viriatho, non D. ſed Sex. Iunium Brutum ait miſſum in Luſitaniam, contra aliquas latronum manus, qui eam prouinciam, exemplo Viriathi, incurſionibus vaſtabant, quantum Tagus, Obliuio, Dorius & Bæbis amnes ambitu ſuo complectuntur. Quos cum Romano imperatori difficile eſſet, aut aſſequi, aut comprehendere, huc illucque celeriter latronum more curſitantes: in eorum patrias exercitum duxit, vt eadem opera, & de illis pœnas ſumeret, vt quos confidebat ad ſua quemque defendenda dilapſuros, & militem ſuum præda locupletaret. Epit. 59. vocat C. nõ D.

XVII. *Hiſpanarũ mulierum fortitudo.*

IBI barbaros ad vim arcendam egreſſos, fortiter repugnantes reperit, adiuuantibus mulieribus, & quidem tantis animis, vt ne media quidem cæde vocem ederent; quod ad Bracarim quoque contigiſſe idem memorat Appianus; qui addit multa in iis locis à Bruto deditione accepta oppida, quæ non multo poſt deſciſcentia, ab eodem de integro ſunt perdomita. In vno autem eorum, inſigne clementiæ Bruti exemplum, ex eodem Appiano referam. Inter alia, inquit, Talabriga ſæpius rebellarat. Eo veniens Brutus ſupplicantibus oppidanis, & ſe eius arbitrio permittentibus, primum vt transfugas Romanorum, & captiuos, armaq. omnia, ad hæc obſides traderent, imperauit; deinde vt cum vxoribus, & liberis vrbe migrarent.

Bruti in deditiones clementia.

Quod vbi facere ſuſtinuerunt, circunfuſis copiis eos includens orationem habuit, qua quoties defeciſſent, quoties bellum renouaſſent, diſſeruit. Ad extremum iniecto metu, quaſi grauiter in eos animaduerſurus eſſet, in conuitia orationem terminauit; ſed equis, & commeatu, & pecuniis communibus ademptis, atque omni apparatu publico, præter ſpem oppidum illis habitandum reddidit. Poſt quas res geſtas Brutus rediit. Hæc ex Appiano, qui vt dixi, & nomen Bruti variat, & rei tempus anteuertit.

XVIII. *Res geſta à Popilio ad Numantiã*

POPILIVM porro hoc anno proconſulem parum feliciter Numantiam obſediſſe teſtatur Frontinus. *Numantini obſeſſi, inquit, ne pro vallo quidem inſtruxerunt aciem, adeoque ſe continuerunt, vt Popilio Lænati fiducia fieret ſcalis oppidum aggrediendi: quo deinde ſuſpicante inſidias,* quoniam ne tunc quidem obſiſtebatur, *ac ſuos reuocante, eruptione facta auerſos, & deſcendentes adorti ſunt.* Qua de re iure miratur Sigonius nihil ab Appiano ſcriptum eſſe. l. 3. c. 17. n. 9

XIX. *Legati minoris Africani in Aſiam, & Aegyptum.*

SVB hoc tempus medium inter Cenſuram Scipionis Africani, quæ incidit in annum Vrb. Cond. 611. & 619. contigit legatio minoris Africani in Aſiam, Syriã, & Aegyptum, de qua M. Tul. in Somnio. Tempus huius legationis ſatis controuerſum eſt. Valerius libro quarto capite tertio poſt duos conſulatus, totidemque

triumphos contigiſſe ait. Victor de viris illuſtribus c. 58. Valerio conſentiret, ſi ordinem in narrando ſeruaret. Cicero in Lucullo ante cenſurā, in Somnio poſt eam. *Cum autem*, inquit, *Carthaginem deleueris, triumphum egeris, Cenſorque fueris, & obieris legatus Aegyptum, Syriam, Aſiam, Græciam, delegere iterum abſens Conſul, bellumque maximum conficies, Numantiam exſcindes.* Cuius legationis cauſa fuit, varius multiplexque motus in his prouinciis ſociorum populi Romani, vt ex Strabone l. 14. & Athenæo l. 6. liquet, qui propter piratas ſuſceptam ſignificant, neque tempus notant.

De Aegypto certe id aperte teſtatur Iuſtinus libro trigeſimo octauo, vbi cum deſcripſiſſet cruenta initia regni Ptolemæi Euergetis, de quibus ſupra diximus, ſubdit. *Poſt quod non mitior in populares, qui eum in regnum vocauerant, fuit. Siquidem peregrinis militibus licentia cædis data, omnia ſanguine quotidie manabant, ipſamque ſororem, filia eius virgine per vim ſtuprata, & in matrimonium adſcita, repudiauit.* Verum nefarium hoc matrimonium tardius videtur contigiſſe, vt infra ex quinquageſima nona Liuii Epitome dicemus. Pergit, *Quibus rebus territus populus in diuerſa labitur, patriamque metu mortis exul relinquit. Solus igitur in tanta vrbe cum ſuis relictus Ptolemæus, cum Regem ſe non hominum, ſed vacuarum ædium videret, edicto peregrinos ſollicitat.* XX. *Motus in Aegypto.* *Nefarium Euergetis matrimonium.*

Quibus confluentibus, obuius legatis Romanorum Scipioni Africano, & Spurio Mummio, & L. Metello, qui ad inſpicienda ſociorum regna veniebant, procedit. Forte legendum L. Mummio, qui collega Scipionis in cenſura fuit eodem anno, quo L. Metellus Conſul fuit, vt qui ſimul ſummis honoribus functi fuerant, ſimul perquam honorifica legatione fungerentur. Sed quam cruentus ciuibus omnibus, tam ridiculus Romanis fuit. *Erat enim & vultu deformis, & ſtatura breuis, & ſagina ventris non homini, ſed belluæ ſimilis, quam fœditatem nimia ſubtilitas, & pellucida veſtis augebat: prorſus quaſi aſtu inſpicienda præberentur, quæ omni ſtudio occultanda pudibundo viro erant.* XXI. *Collega Africani, & ſocii.*

In hac legatione Panætium vnum omnino comitem fuiſſe Africani, autor eſt Cic. in Lucul. At autor de viris illuſtribus c. 58. ſcribit eū duxiſſe C. Lælium cum duobus ſeruis: Valerius & Panætium omittit & Lælium, ſed ei ſeptem ſeruos attribuit; Athenæus autem l. 6. tantum quinque, ex Poſidonio, & Polybio. Puto pro Lælio Panætium eſſe legendum: neque enim Lælius is erat, qui comitis, aut ſocii tantum, & non potius collegæ munere fungeretur.

Tvrbatam fuiſſe Syriam etiam hoc tempore, ſatis annis ſingulis demonſtratum eſt. Turbatam quoque ſuperiorem Aſiam, Demetrii expeditio in Parthos, & Parthorum progreſſiones, & Demetrii captiuitas abunde probant. Nec quieta erat inferior Aſia, teſtis Iuſtinus l. 36. *Per eadem tempora*, inquit, *quibus in Syria regni mutatio inter nouos reges alternabatur*, (Demetrium, Antiochum, Tryphonem, Antiochū Alexandri) *in Aſia Rex Attalus florentiſſimum, & ab Eumene patruo*, imo patre Epit. 58. *acceptum regnum, cædibus amicorum, & cognatorum ſuppliciis fœdabat; nunc matrem anum, nunc Bernicem ſponſam maleficiis eorum necatas confingens. Poſt hanc ſceleſtam violentiæ rabiem ſqualidam veſtem ſumit, barbam capillumque in modum reorum ſummittit, non in publicum prodire, non populo ſe oſtendere, non domi lætiora conuiuia inire, aut aliquod ſignum ſani hominis habere: prorſus vt pœnas pendere manibus interfectorum videretur.* Denique in Græcia, & Macedonia res à Pſeudoperſe mouebantur, vt propterea ad hos omnes populos, regioneſque miſſa legatio in Somnio à Cicerone memoretur. XXII. *Turba in Syria.*

ANNVS MVNDI 3917. SEXTÆ ÆTATIS 401.

REGNI GRÆCORVM 175. DEMETRII NICANORIS 9. ANTIOCHI SIDETIS 1. SIMONIS PONTIFICIS 6. PTOLEMÆI EVERGETIS 9. OLYMPIADIS CLX. AN. 4. VRBIS CONDITAE 616. COSS. M. ÆMYLIO LEPIDO, & C. HOSTILIO MANCINO. BELLI CELTIB. 17.

ANNVS ANTE CHRISTVM 136.

I. *Antiochus obſidet Doram.* AD hunc annum pertinere arbitror, quam ſecundò factam obſidionem circa Doram oppidum Scriptura dicit. [a] *Antiochus autem Rex*, inquit, *applicuit caſtra in Doram ſecundò, admouens ei ſemper manus, & machinas faciens, & concluſit Tryphonem ne procederet*, vel vt eſt in Græcis, ne ingrederetur & egrederentur: ſed quid ſit illud ſecundò, ſiue ἐν τῇ δευτέρᾳ, non ſatis liquet. Obſidionem, inquit Lyranus, ſolucrat propter hyemem, vel aliam cauſam; at ſi id eſſet, quid prohibuiſſet hoſtem elabi? & Scriptura ipſa ſatis indicat non intermiſſam, cum ait, *admouens ei ſemper manus*, id eſt perpetuo vrgens obſidioné. Quid ſi alteram vrbis partem oppugnatam intelligat priore occupata? vt ſubaudiatur μοίρᾳ, vt ſit hæc quaſi noua obſidio. Quidam ſubintelligũt ἡμέρᾳ, vt ſenſus ſit, tanto ſtudio & diligentia in hanc obſidionem Antiochum incubuiſſe, vt ſecundo ſtatim die à poſitis caſtris oppugnationem aggreſſus ſit, conſtanterque promouerit. Prior expoſitio magis placet.

[a] vide a. m. 3836. n. 6.

II. *Simon auxilia ad eũ mittit.* Hoc rerum ſtatu *miſit Simon ad Antiochum duo millia virorum electorum in auxilium, & argentum, & aurum, & vaſa copioſa, & noluit ea accipere, ſed rupit omnia quæ pactus eſt cum eo antea, & alienauit ſe ab eo.* Quem aduerſa fortuna mitem faciebat & manſuetum, proſpera efferauit. Vidit immenſum exercitum, tot equitum peditumque millia, totius pene regni vires ad ſe confluxiſſe, victum ſine certamine tyrannũ, vnius oppiduli finibus circunſcriptum, inuidit Iudæis ampliſſimi regni particulam; & quo erat potentior, hoc citius credidit hunc eius extremum angulum ſibi facilius adiunctum iri, nec tantulam partem à ſuo toto diſtrahi poſſe, aut debere. *Quæ ille repudiebat.* Quid ſi tardius miſſa auxilia indignatus eſt? Non oportuit; nam nec poſtulauerat, nec indigebat; cinctus centum & viginti octo millibus armatorum. At reſpuere munera, argumentum beneuolentiæ eius, quem vltro ad amorem prolixe inuitarat, ſuperbia inflati hominis fuit, & male in pontificem innocentem animati. Hoc tamen ipſo quod eius reſpuebat beneuolentiam, par erat non recipi munera, quæ illam perſeuerare falſo teſtarentur.

III. *Repugnante Ioſepho & Iunio.* Itaqve miror, quid ſibi velit Ioſephus, [b] cum ait Simonem miſſo commeatu, ac pecuniis ad oppugnantes Doram milites, Antiochum ita ſibi demeruiſſe, vt inter intimos amicos ab eo reciperetur. Dixit quid factum oportuerit, non quid factum fuerit: vtique reuertit hiſtoriam, quem Iunius ſectarius ſecutus, non dubitauit negationem, quam in omnibus Græcis & Latinis codicibus reperiri fatetur, confidenter abradere, affirmans hæc ſubſidia ab Antiocho accepta, priuſquam ab Simone alienaretur: nec videt illum extra periculum nunc fuiſſe in tanta copiarum multitudine, & hoſte in vnum oppidum compulſo, atque incluſo. Sed ad Flauium redeo, qui non parum aberrat à vero. Primum quod pro duobus militum millibus ſubſtituit commeatum. Deinde Scriptura dicente non accepta munera, reiecta auxilia, repudiatam beneuolentiam, ipſe & recepta munera non diffitetur, & ad breue tempus, vt eſt in Græco, inter intimos, maximeque neceſſarios Simonem receptum dicit.

[b] l. 13. c. 12

IV. *Errat in tẽpore alienati Antiochi à Simone.*

Neqve illud ferendum eſt, quod alienatum refert Antiochum à Simone, poſt occiſum Tryphonem, ob innatam auaritiam; ait enim. *At Tryphon elapſus è Dora, cum perfugiſſet Apameam, vrbe vi capta interfectus eſt, triennio poſtquam regno potitus fuerat. Cæterum Antiochus ob innatam auaritiam beneficiorum immemor, traditis amico Cendebæo copiis, miſit eum, vt vaſtata Iudæa, Simonem in poteſtatem redigeret.* Verum hæc non poſt occiſum Tryphonem, ſed eo viuo & fugitiuo geſta ſunt, vt ex Scriptura mox patebit; nec beneficiorum immemor eſſe potuit, qui ea non recepit: nec auaritia hominem impulit ad reſpuendam amicitiam, qui aurum, & argentum, & vaſa copioſa reiecit: ſed ambitio, & cupiditas ſubiiciendi ſibi Iudæã, & loca ipſi ſubiecta, vt mox planum fiet. Omitto omiſſam ab eo Athenobii legationem; quam mox ex Scriptura referemus: quandiu autem rerum potitus fuerit Tryphon, in eius morte dicemus.

V. *Legatio Athenobii*

Legatio porro Athenobii ſic habet. *Miſit ad eum*, puta Antiochus ad Simonem, *vnum de amicis ſuis, vt tractaret cum ipſo, dicens. Vos tenetis Ioppem, & Gazaram, & arcem, quæ eſt in Ieruſalem, ciuitates regni mei*; vides clare arcem Hieroſolymitanam ſtare, & Ioppem, & Gazam in poteſtate Iudæorum eſſe, contra Ioſephi commenta, anno centeſimo ſeptuageſimo primo regni Græcorum refutata. Arcem porro vocat ciuitatem, vocatur quippe ciuitas Dauid. Pergit; *Fines eorum deſolaſtis, & feciſtis plagam magnam in terra, & dominati eſtis per loca multa in regno meo. Nunc ergo tradite ciuitates quas occupaſtis, & tributa locorum, in quibus dominati eſtis extra fines Iudææ. Sin autem, date pro illis quingenta talenta argenti*; aliaque inſuper quingenta talenta exigit, pro clade illata, & tributorum iactura, quæ Iudæi acceperant, vel accepturi erant. Addit poſtremo minas; *ſin autem veniemus, & expugnabimus vos.*

Rex ciuitates repoſcit.

VI. *Gloria Simonis.*

Et *venit Athenobius amicus regis in Ieruſalem, & vidit gloriam Simonis, & claritatem in auro, & argento, & apparatum copioſum; & obſtupuit, & retulit ei verba regis*, In Græco Vaticano legitur κυλικεῖον, id eſt abacus, in quo reponuntur calices, pateræ, & id genus vaſa aurea, & argentea, forte κυδικεῖον legit interpres, à κῦδος gloria; apparatum vero, ſiue [illegible] Vatablus ad famulitium quoque referri poſſe putat: id enim valet ad gloriæ, & magnificentiæ oſtenſionem.

Reſpondet de ciuitatibus Iudææ.

Et reſpondit ei Simon, & dixit ei; Neque alienam terram ſumpſimus, neque aliena detinemus, ſed hæreditatem patrum noſtrorum, quæ iniuſte ab inimicis noſtris aliquo tempore poſſeſſa eſt: nos verò tempus habentes, id eſt idoneam nacti temporis opportunitatem, & bonorum principum erga nos beneuolentiam, *vindicamus hæreditatem patrum noſtrorum.*

VII. *Reſpondet de alienis occupatis.*

Nam *de Ioppe, & Gazara quæ expoſtulas, ipſi faciebant in populo plagam magnam, & in regione noſtra.* Ioppitarum in Iudæos flagitium, cum ducentos eorum ſubmerſerunt, habes in poſteriore libro capite duodecimo. Quid autem à Gazæis contra Iudæos peccatum fuerit, non facile reperies. Quod autem dicitur facta plaga in populo, & in regione, particula, & recte abeſt à Græcis: neque enim intererat Iudæorum, quid in alienis regionibus ab hoſtibus fieret. Recte tamen retinetur, vt intelligatur & populo Iudaico, id eſt perſonis ipſorum, & regioni damna intuliſſe, quod verum in primis erat de arce Hieroſolymitana. Quamuis ergo iure belli eos ſibi Iudæi recte ſubiugarant, redimendæ tamen vexationis gratia, horum cauſa offert Simon talenta centum, id eſt 137500. coron.

VIII. *Tryphon elabitur ex vrbe Dora.*

Et non reſpondit ei Athenobius verbum, *reuerſus autem eſt cum ira ad regem.* Contemptum enim ſe putabat, quod ei decima tantum pars poſtulatæ pecuniæ offerebatur; rex autem ipſe maiori etiam ira commotus eſt, quia ſcilicet vidit ſibi non obtemperari, neque oblatam vim timeri; & augebat iram quod pro bello vno, geminum ſtatim ſibi enatum videbat: nam ſubditur, *Tryphon autem fugit naui in Orthoſiada.* Vide diuinum iudicium. Contempſit Antiochus præ ſuperbia Iudæorum auxilia, quod ſe hoſtem iam comprehendiſſe crederet; & ecce elabitur. Orthoſias, apud Ptolemæum libro quinto capite decimo quinto, eſt vrbs Phœniciæ, quam quidam Antaradum vocant, collocaturque à Ptolemæo in promontorio, quod proxime abeſt à Cypro, Antandrus autem, apud eundem, mediterranea eſt, ad Eleutherum fluuium, ideoque non ſatis conuenit huic loco, ad quem naui peruenit Tryphon: multo autem minus Apamia Syriæ

quam Orthoſiadi Ioſephus ſubſtituit, forte quia Tryphon Apamenſis fuit, apud eos ortus & educatus, vt inquit Athenæus, libro ſexto, & Strabo libro decimo quarto: Sed Apamea, longe etiam eſt à mari remotior. Tryphon autem maritima ſectabatur oppida, ad faciliorem fugam. De qua illud non ignorandum, quod notat Frontinus libro ſecundo capite decimo tertio numero ſecundo. *Tryphon*, inquit, *Rex Syriæ victus, per totum iter fugiens pecuniam ſparſit, eaque ſectantes Antiochi equites moratus, effugit.* Poteſt autem id ſtratagema priori fuga contigiſſe: neque enim eas diſtinguit author; poteſt & præſenti à Dora vſque ad naues. Quamquam ſparſiſſe pecunias rectius opinor intelligi poteſt, non quomodo ſparguntur lapides; ſed quomodo pecuniæ ſparguntur in milites, vel cuſtodes, vt ipſis conniuentibus aliquis effugiat.

IX. *Antiochus mittit copias contra Iudæos.*

HIC copiæ bipertito diuiduntur, pars altera Cendebæo duci traditur contra Iudæos; cum altera parte Rex ipſe proficiſcitur contra primarium hoſtem, & cum quo de ſumma rei erat diſceptatio. *Et conſtituit*, inquit author, *Rex Cendebæum ducem maritimum*, ſiue maritimæ, *& exercitum peditum, & equitum dedit illi, & mandauit illi mouere caſtra contra faciem Iudææ, & mandauit ei ædificare Gedorem*, vt ſcilicet inde impune poſſet vexare ex propinquo Iudæos. τῆς θαλάσσης.

Mandauit ergo Rex Cendebæo, vt Gedorem ciuitatem inſtauraret, portas conſtrueret ac muniret, indeque Iudæos bello fatigaret. *Rex autem perſequebatur Tryphonem*, tranſlato ſcilicet in Orthoſiada, tam terreſtri, quam maritimo exercitu.

X. *A quibus & vexatur.*

ET *peruenit Cendebæus Iamniam, & cœpit irritare plebem*, quæ ſcilicet habitabat in pagis, *& conculcare Iudæam*, In Græcis eſt intrare, in qua ſignificatione iam ſupra vſurpauit calcandi vocem, vtrobique eſt ἐμβατεύειν, *& captiuare populum, & interficere, & ædificare Gedorem, & collocauit illic equites, & exercitum, vt egreſſi perambularent viam Iudææ, ſicut conſtituit ei rex.* Interim dum ædificabatur Gedor, vt eſſet militibus perfugium, excurſionibus infeſtam habebant Iudæam, cædibus & rapinis. Quæ autem deinceps ſecuta ſunt, tam in Iudæa, quam in Othoſiade, ad ſequentem annum arbitror pertinere. Vrbium enim obſidiones non paucorum dierum ſunt, ſicut nec copiarum terreſtres, aut maritimæ tranſlationes; præſertim cum deſperatio ſuprema, obſeſſos ad durandum compellit. Perſeuerauit autem Tryphon, donec ad manus ſibi inferendum compulſus eſt, vt ſequenti anno dicetur. c.14.31.

XI. *Res à Bruto in Luſitania geſta.*

ROMANÆ res partim infeliciter ad Numantiam, à Mancino Conſule, partim feliciter à D. Bruto proconſule in Luſitania contigerunt. Cuius geſta cum Appiano præcedenti anno diximus, quæ ad hunc quoque annum pertinent: imo vt ex Appiano quoque infra intelligetur, etiam ad ſequentem, quādo perdomitis vſque ad Oceanum Luſitanis, Gallæci cognomen obtinuit. Ita plerique ſcribunt; Velleius in primis l. 2. *Ante tempus*, inquit, *exciſæ Numantiæ, præclara in Hiſpania militia A. Bruti fuit.* Vides hic iterum variari Bruti prænomen, *qui penetratis omnibus Hiſpaniæ gentibus, ingenti vi hominum, vrbiumque potitus numero, aditis, quæ vix audita erant, Gallæci cognomen meruit.* Quod audis de omnibus Hiſpaniæ gentibus, intellige de vlteriore, in qua Cinninios Valerius excipit. Strabo l. 3. nominis etiam rationem reddit. Gallæci vltimi ſunt, montes incolentes, ac propterea qui ſubigantur difficillimi, qui Bruto, qui Luſitanos debellauit, cognomen dederunt. l.6.c.4.

XII. *Magnitudo victoriæ, & Gallæci cognomen.*

CONSENTIT Oroſius, & victoriæ magnitudinem indicat, libro quinto capite quinto. Interea, inquit, Brutus in vlteriore Hiſpania ſexaginta millia Gallæcorum, qui Luſitanis auxilio venerant, aſperrimo bello & difficili, quamuis incautos circumueniſſet, oppreſſit; quorum in eo prælio quinquaginta millia occiſa, ſex millia capta referuntur, pauci fuga euaſerunt. Eadem habet Florus libro ſecundo capite decimo ſeptimo, vbi ſuo more,

Proijcit ampullas, & ſeſquipedalia verba.

Sed pro Gallæcus, forte Callaicus dicendum eſſet. Nam Ptolemæus lib. 2. c. 6. Callaicos eos populos vocat, ſicut & Strabo, eoſque in angulo occidentali Hiſpaniæ Tarraconenſis, verſus Septentrionem collocat. Epit. 56. populos Gallæcios vocat, prouincia vulgo Gallætia dicitur, ſiue Gallicia, quæ vox ab Eutropio quoque vſurpatur, ſi locus mendo caret, regio ex ſacroſanctis Apoſtoli Iacobi reliquiis, toto orbe celeberrima.

MANCINI PERICVLVM & PAX.

XIII. *Ex Mancino ad Numantiam. Prodigia.*

QVOD ad Mancinum, & res Numantinas attinet, ominoſam fuiſſe profectionem docet Iulius Obſequens lib. de prodigiis, & Valerius Maximus libro primo capite ſeptimo, vbi ait illum prodigiorum numerum, calamitatum numero æquauiſſe; perquã infelici pugna, turpi fœdere, deditione funeſta. Epit. autem 55. ita legitur, C. *Hoſtilio Mancino conſule ſacrificante pulli ex cauea euolauerunt; conſcendenti deinde in nauim, vt in Hiſpaniam proficiſceretur, accidit audiri Mane, Mane Mancine.* Mancino auſpicia triſtia fuiſſe probatum eſt; victus enim à Numantinis, & caſtris exutus, cum ſpes nulla ſeruandi exercitus eſſet, pacem cum eis fecit ignominioſam, quam ratam eſſe Senatus vetuit. Triginta millia Romanorum à Numantinorum quatuor millibus victa erant.

XIV. *Ex Appiano.*

ADDAMVS Appianum. Mancinus cum Numantinis ſæpius congreſſus, ſemper victus eſt; tandem multis amiſſis in caſtra fugit. Et falſo rumore iactato, Cantabros & Vaccæos auxilio Numantinis aduentare, trepidus noctis ſilentio, quam totam extinctis ignibus traduxit, in deſertum locum fugit, vbi quondam Nobilioris vallum fuerat.

Ad pacem cõpellitur.

Quo in loco, neque præparato, neque munito, ſub lucem incluſus, circumſtantibus Numantinis, & omnibus necem minantibus niſi pax fieret, æquas pacis conditiones Romanis & Numantinis pepigit, ſeque ſponſione obſtrinxit. Quod vbi Romæ acceptũ eſt, omnes tam ignominioſo fœdere vehementer indoluere, atque alterum Conſulem Aemyl. Lepidum in Hiſpaniam tranſmiſerunt, Mancino, quem etiam Numantinorum legati ſequebantur, ad cauſam dicendam reuocato. Hæc Appianus. In quo hæc parum videntur inter ſe conſentanea, quod hinc æquas pacis conditiones vocet, inde valde ignominioſum fœdus: nec tamen vtrum ſit verius intelligi poteſt, cum eas conditiones ſilentio obuelarit. Nec alia hoc anno, vel circa Mancinum Romæ, vel ab Aemylio Numantiæ geri potuerunt.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3917.

N.v. Mille talenta argenti Hebraica, quorum ſingula ſunt centum viginti quinque librarum, valent 1375000. coronat. ſiue 4125000. libr. Turon. Euboica talenta mille, efficiunt francos 1400000. Attica vero, 1050000.

N.ix. Omnes libri Græci, Latinique quos vidi, exceptis emendatis vulgatæ editionis, habent Cedronem hoc loco, & mox verſ. 40. Vnam eandemque eſſe vrbem Adrichomius agnoſcit, quæ olim Gedor, Ioſue 15. 58. & Gador, 1. Paralip. 4. 39. poſtea Cedron dicta ſit; quam non in portis Ieruſalem, ad torrentem Cedron, ſed in tribu Dan prope Modin collocat, idque innuitur cap. 16.14. Eam filii Simonis tempore Ezechiæ regis occuparunt, deletis reliquiis Cananæorum, vt dicitur 1. Paral. 4. 39. quod locus vberrimis paſcuis abundaret ad alendos greges, quibus ipſi abundabant. *Et profecti ſunt*, inquit, *vt egrederentur in Gador, vſque ad orientem vallis, & vt quærerent paſcua gregibus ſuis.* Fortaſſe per orientem vallis intelligi poſſit initium vallis, per quam torrens Cedron decurrit, vnde & nomen vrbi ſit inditum; præſertim cum venientibus ex tribu Simeonis verſus Gedor, hæc vrbs non ad orientem, ſed ad ſeptentrionem ſita ſit: & infra cap. 16. v. 4. 5. exercitus Iudæorum ſomno capto in Modin, mane progreſſus in campum hoſtem obuium habuerit, & torrens inter duas acies interiectus fuerit: quem nihil abſurdi eſt eſſe torrentem Cedron, qui inde inter Oliuetanum montem & Ieroſolymam decurrat.

ANNVS MVNDI 3918. SEXTÆ ÆTATIS 402. REGNI GRÆCORVM 176. DEMETRII NICANORIS 10. ANTIOCHI SIDETIS 3. SIMONIS PONTIFICIS 7. PTOLEMÆI EVERGETIS 10. OLYMPIADIS CLXI. AN. I. VRBIS CONDITAE 617. COSS. L. FVRIO PHILO. SEXTO ATTILIO SERRANO. BELLI CELTIBERICI 18.

ANNVS ANTE CHRISTVM 135.

I. *Mors Tryphonis.*

RELEVATVR hoc anno Olympico, qui Antipatrum Epirotam victorem celebrauit, prouincia Syria, interitu nequiſſimi tyranni Tryphonis, quem in Orthoſiade obſeſſum Antiochus, vel vi, vel deditione captum interfecit, aut certe ad mortem compulit. Nam Strabo libro decimo quarto, paucis res eius complexus, hæc habet. Primum Ciliciæ caſtellum eſt Coraceſium, ſitum in petra prærupta, qua arce belli vſus eſt Diodotus cognomento Trypho, cum à regibus abalienaret Syriam, bellumque dubiæ fortunæ vicibus aduerſus eos gereret. Atque hunc quidem Antiochus Demetrii frater, quodam in caſtello incluſum, ad mortem ſibi conſciſcendam adegit. *Et mortis locus.* Caſtellum dicit χωρίον intelligens Orthoſiadem, quam Scriptura ſuggerit, non Apamiam vrbem nobilem, quam Ioſephus intrudit; quam non ignorabat Strabo, ad eamque Tryphonem pertinere ſciebat. Nam lib. 16. Demonſtrauerunt huius vrbis (Apameæ) potentiam Tryphonis incrementa cognomento Diodoti, Syrorum regnum affectare aggreſſi. Natus hic Secoanis caſtello Apamienſium, educatus vero Apamiæ, & regi, & eius familiaribus commendatus, nouas res moliens Apamienſium regione potitus, diu regnum tenuit; abuſus alterius regiorum fratrum abſentia, & vinculis; & filii eius, quem habebat apud ſe ætatis infirmitate.

II. *Quandiu dominatus fuerit.*

STRABO regni diuturnitatem non definit, definit autem Ioſephus. *Cum profugiſſet Apamiam*, inquit, *vrbe vi capta interfectus eſt, triennio poſtquam regno potitus fuerat.* Nec tamen de triennii regno quiſquam Ioſepho conſentire poteſt. Cum enim regnare cœperit Antiocho, filio Alexandri, & Ionatha pontifice occiſis: hic autem ſit annus Simonis ſucceſſoris Ionathæ ſeptimus, oportet hunc eſſe Tryphonis annum ſeptimum, aut 6. ſi placet præcedenti anno interfectum. Separat quidem Ioſephus annos, quibus tutorem egit Tryphon, ab annis quibus pupillo ſuo occiſo regnauit; & illos quatuor fuiſſe ait, hos autem tres. Verum pupillus ille eodem, quo Ionathas anno occiſus eſt, à quo ſeptimus annus in curſu eſt. Sicque ſemper falſum erit, eum interfectum triennio poſtquam regno potitus fuerat. At, inquies, non numerat Ioſephus annos Tryphonis, niſi vſque ad initium regni Sidetis. Verum id effugium à Ioſepho cogitatum non eſt, qui ſimpliciter aſſerit occiſum cum tribus annis regnaſſet; ſignificans eadem opera & vita, & regno fuiſſe priuatum; deinde quamuis id daretur, non tribus, ſed quatuor annis regnaſſet. Quare autem Ioſephus non numeraret Tryphonis anno regnante Sidete, qui eos numerauit regnante meliore iure Demetrio? Certe Tryphon æque ſub alterutro fratre tyrannus fuit, & indignus qui regum Syriæ catalogo insereretur: propterea que vel ſub vtroque, quod fecit Ioſephus, vel ſub neutro, quod verum eſt, eius dominationis anni numerandi fuerunt, cuius ingreſſus, progreſſus, & exitus tyrannici extiterunt.

III. *De Tryphonis morte fabula.*

DE Tryphonis morte Athenæus lib. 8. fabulam narrat, profecto fabulam, quamuis ex Stoico Poſidonio. Ait enim Tryphonem Apamēſem, qui regnum Syriæ per vim occupauit, Sarpedonem copiarum Demetrii ducē, à quo bello laceſſi-

SIMON FILIOS CREAT BELLI DVCES.

fuerat, cum ad vrbem Ptolemaidem viciſſet, illo cum ſuo exercitu in mediterranea ſecedente, Tryphonem ipſum parta victoria, militibus ſuis ſtipatum, per maritimam oram iter feciſſe; repenteque elatum in ſublime maris fluctum, ad incredibilem altitudinem ſurgentem in terras irruiſſe, exundantemque illos omnes obrutos ſuffocaſſe, atque in alueum ſuum redeuntem, cum mortuorum cadaueribus eiectos, aceruatim piſces multos reliquiſſe. Quam Tryphonis calamitatem Sarpedon cum intellexiſſet, eo celeriter reuerſus, hoſtium quidem corporibus pepercit, piſces vero abunde multos collegit, & ante ſuburbium oppidi *Auerſori Neptuno* ſacrificauit. Hæc ibi; quæ vides, neque ſacris, neque profanis literis ſatis eſſe conſentanea.

IV. *Ioannes recurrit ad Simonem patrem.*

INTEREA Cendebæus Iudæam Antiochi iuſſu populabatur, eam in primis partem, quæ olim ad tribum Simeonis, in qua erat Gaza, pertinebat. Proptereaque *aſcendit Ioannes de Gazaris, & nunciauit Simoni patri ſuo, quæ fecit Cendebæus in populo ipſorum*; circa Gazam, in qua eum pater conſtituerat. [a] *Et vocauit Simon duos filios ſeniores Iudam & Ioannem*, tertius erat minimus natu Mathathias, qui anno ſequenti cum patre occiſus eſt, *& ait illis. Ego, & fratres mei, & domus patris mei, expugnauimus hoſtes Iſrael, ab adoleſcentia vſque in hunc diem*, id eſt ab anno centeſimo quadrageſimo ſexto regni Græcorum, quo mortuus eſt Mathathias [b] vſque ad præſentem, totis ſcilicet triginta annis. *Et proſperatum eſt in manibus noſtris liberare Iſrael aliquoties.* [c]

a ſupra c. 13 ſ.

b 1.1.c.2. v.70.

c πλεονάκις ſæpenumero.

V. *Qui eum cum fratre mittit ad bellum.*

NVNC *autem ſenui, ſed eſtote loco meo*, in Græcis inſeritur, *vos autem in miſericordia idonei eſtis ætate*, alia verſio. Vos autem beneficio ætatis abunde fruimini. Miſericordia enim, ſicut & benedictio, apud Hebræos copiam, abundantiamque ſignificat. Hinc illud. *Qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus*, quod explicans, ſubdit. *Qui replet in bonis deſiderium tuum.* Sic illud, *qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*; opponitur enim illi, *qui parce ſeminat, parce & metet.* Pergit Simon, *Eſtote loco meo, & fratris mei*, Ionathæ ſcilicet, vt ſicut vterque ſimul præliabantur, & duces copiarum Iudaicarum, mutua ſibi auxilia præbebant, ſic deinceps Ioannes & Iudas patrem patruumque imitentur. *Et egreſſi pugnate pro gente noſtra. Auxilium vero de cœlo vobiſcum ſit.*

Pſal.102.4.

VI. *Ioannes cogit copias.*

HAC exhortatione animati, ac benedictione roborati iuuenes bellum parant. Ioannes in primis, qui egregius erat bellator, [d] ad quem pertinet illud. *Et elegit*, is videlicet, quem conſtituerat pater ducem virtutum, ſiue copiarum vniuerſarum, *de regione viginti millia virorum belligeratorum, & equites, & profecti ſunt ad Cendebæum, & dormierunt in Modin*, loco vicino Gedori, vbi erat hoſtis, vt recentes, & non feſſi ex itinere, prælium inirent. *Et ſurrexerunt mane, & abierunt in campum: & ecce exercitus copioſus in obuiam illis peditum & equitum, & fluuius torrens erat inter medium ipſorum*, iam ante ſuſpicatus ſum hunc eſſe torrentem Cedron, nihil muto. *Et admouit caſtra contra faciem eorum ipſe*, Ioannes, *& populus eius, & vidit populum trepidantem ad transfretandum torrentem, & transfretauit primus, & viderunt eum viri, & tranſierunt poſt eum. Et dimiſit populum, & equites in medio peditum: erat autem equitatus aduerſariorum copioſus nimis.*

d c.14.ſ.

VII. *Pugnat, & vincit Cendebæum.*

ET *exclamauerunt ſacris tubis: & in fugam conuerſus eſt Cendebæus, & caſtra eius, & ceciderunt ex eis multi vulnerati, reſidui autem in munitionem fugerunt*, Gedorem ſcilicet vbi ſtatiua habebant, vt mox patebit, ſed fugitiuorum tergo hærere non potuit vterque dux. Nam *vulneratus eſt Iudas frater Ioannis.*

Ioannes autem inſecutus eſt eos, donec venit Cedronem, quam ædificauit, id eſt quam ille muniuerat, & inſtaurarat. Qui autem illuc admitti nequiuerunt: *fugerunt vſque ad turres, quæ erant in agris Azoti, & ſuccendit eas igni.* Turres intelligit arces, præſidia, loca munita, quæ vim aliquam hoſtium ferre poſſent. *Et ceciderunt ex illis duo millia virorum: & reuerſus eſt in Ieruſalem in pace*, ſaluus & incolumis, cum exercitu in terram Iuda reuerſus eſt, his victoriæ primitiis honorato principatu ſuo.

VIII. *Eadem hiſtoria ex Ioſepho.*

IOSEPHVS bellum hoc attigit, [e] ſed tam infideliter, vt plane res alia narrari videatur. *Miſit*, inquit, *Cendebæum Antiochus, vt vaſtata Iudæa Simonem in poteſtatem redigeret. Qui audita eius iniquitate, quamuis iam ſenior, tamen indignitate rei permotus, iuueniliter hoſti cum exercitu fit obuiam, præmiſſiſque cum fortiſſimo quoque filiis,*

e l.13.c.13.

ipſe cum reliquis copiis ſubſequebatur diuerſo itinere: poſitiſque compluribus locis inter anguſtias inſidiis, nuſquam non rem geſsit ex ſententia: & in omnibus congreſsibus factus ſuperior, reliquum vitæ in pace exegit. Nonne videtur Ioſephus de induſtria à Scripturæ narratione diſcedere voluiſſe? & quaſi in ſcholaſtico puluere, in argumento declamatorio verſaretur, propoſitum aliquod factum diuerſimode narrare, cum quadam probabilitate ſtuduiſſe, mutando, addendo, detrahendo pro arbitrio.

IX. *Valde deprauata.* FALSVM eſt Simonem huic prælio interfuiſſe, nec vlla eſt in tota expeditione de ipſo mentio, ſed de filiis eius duntaxat. 1. Falſum eſt Iudaicum exercitum iſſe obuiam Cendebæo. 2. Nam è cõtrario Scriptura anteceſſiſſe ait exercitum Iſraëlitarum, quibus obuiam venit copioſus exercitus Cendebæi. Falſum eſt diuiſum fuiſſe exercitum, vt diuerſis itineribus contra hoſtem iretur, 3. cum Scriptura dicat tantum, in inſtruenda acie ſeparatos hinc & inde pedites, & in medio equites fuiſſe collocatos. Falſum eſt poſitas pluribus locis inſidias, cum nullum verbum aut inſidiarum, aut 4. anguſtorum locorum extet in hiſtoria. Falſum eſt pluribus congreſſionibus, variiſve 5. locis rem ex ſententia geſtam eſſe, cum vnius tantum campi ſit mentio, in quo ſignis collatis certatum ſit, vbi fuſo fugatoque exercitu hoſtium, vnus ducum palantes perſecutus eſt.

X. *Multumq; diminuta.* SED vide quam non contentus hiſtoriæ violare veritatem, eius etiam integritatem multis partibus detruncauit. Nihil iſte habet de tranſlata in filios militia, nihil de ætatis excuſatione, nihil de exhortatione & benedictione paterna, nihil de copiarum numero, nihil de certaminis loco, nulla torrentis, nulla tranſgreſſi generoſe fluminis, nulla ſacrarum tubarum, nulla alterius ducum vulnerati mentio. Fuſum fugatumq; exercitum, compulſum in munitiones & caſtella, eademq; igni ſuccẽſa, cæſam hoſtium multitudinem miſſam fecit. Ex quibus intelligi poteſt, qua fide cætera deinceps narraturus ſit, in quibus non poterit erroris ex Scriptura conuinci. Nunc ex Iuſtino aliqua de Demetrio, quæ ad hoc tempus pertinent, adiiciamus. lib. 38.

XI. *Res Demetry apud Parthos.* ARSACIDES, inquit, *Parthorum rex magno, & regio animo, ei miſſo in Bithyniam,* imo in Hyrcaniam ſibi ſubiectam prouinciam, vt ipſemet Iuſtinus alibi habet. Et lib. 36. paulo interius hoc ipſo in libro, ad coniugem in Hyrcaniam remiſſum dicit. *Non cultum tantum regium præſtitit, ſed & filiam in matrimonium dedit.* Rodogunam vocat Appianus, ſed ea benignitas Demetrium perdidit. Nam hinc irata Cleopatra, videns maritum nouam vxorem duxiſſe, & ipſa nouum duxit virum, eum leuirum habere non contenta: eique ſe, & regnum mariti dedit. Pergit. *Regnumque Syriæ, quod per abſentiam eius Trypho occupauerat, reſtituturum promittit.* Armis videlicet contra Tryphonem pugnaturum, regnumque illi ereptum, legitimo eius principi Demetrio redditurum.

XII. *Fugit, & à fuga retrahitur.* POST huius Arſacidæ mortem deſperato reditu, non ferens captiuitatem Demetrius, priuatam, etſi opulentam vitam pertæſus, tacitus in regnum fugam meditatur. Hortator illi ac comes Callimander amicus erat, qui poſt captiuitatem eius, à Syria per Arabiæ deſerta, ducibus pecunia comparatis, Parthico habitu Babyloniam peruenerat. Sed fugientem Phrahates, qui Arſacidæ ſucceſſerat, equitum celeritate per compendioſos tramites, occupatum retrahit. Vt eſt deductus ad regem, Callimandro quidem non tantum venia, verum etiam fidei datum eſt præmium. Demetrium autem grauiter caſtigatum, ad coniugem in Hyrcaniam remittit, & arctioribus cuſtodiis obſeruari iubet.

Sidetes vrget bellum in Iudæos. Interea vero Sidetes occiſo Tryphone, res Syriacas à tyranno turbatas componit, & priuſquam maioris momenti expeditionem in Parthos paret, tum fratrem, tum plurimas regni partes, quas illi occupauerant, recuperaturus, de Iudæis debellandis cogitat, à quibus victus fuerat dux eius Cendebæus, ipſáq; Hieroſolyma occupanda: cui rei occaſionem dedit facinus, ſequenti anno à Simonis Pontificis genero perpetratum, vt ſuo loco dicetur.

XIII. *Mancinus deditur Numantinis.* ROMÆ autem Mancini fœdus examinatur, quod Senatus diſſolui iuſſit, & Mancinum dedi Numantinis. Hac de re Appianus hæc habet. Actum in Senatu de Mancino, & Numantinorum legatis, quorum hi fœdus cum Mancino allegabant, ille in Pompeium ſuperiorem ducem culpam transferebat, qui ignauum ſibi, imbellémque exercitum tradidiſſet: ob eámque cauſam ſæpius victus, eadem & ipſe fœdera cum Numantinis pepigiſſet. Addebat etiam haud mirum eſſe, ſi hoc

bellum infœliciter ceſſiſſet, quod præter omnem æquitatem decreuiſſent. Sed quamuis Patres pariter vtriq; ſuccenſerent, Pompeius de quo pridem lata erat ſententia, euaſit. Mancinum dedendum cenſuere. Adductum in Hiſpaniam Mancinum L. Furius Conſul Numantinis nudum dedidit, à quibus minime receptus eſt.

a l.5 c.4.fi. — XIV. *Deditionis modus & æquitas.*

Modvm deditionis paulo plenius habet Oroſ.[a] *Senatus*, inquit, *diſſolui fœdus, & Mancinum dedi Numantinis præcepit: qui nudato corpore, manibus poſt tergum reuinctis, ante portas Numantinorum expoſitus, ibi vſque in noctem manens, à ſuis deſertus, ab hoſtibus autem non ſuſceptus, lachrymabile vtriſque ſpectaculum præbuit.* Mox autem Numantinorum fortitudine, fide, iuſtitia, miſericordia, præ Romana commendata, iuſtitia, inquit, probanda erat? Probauit eam vel tacitus Senatus, cum iidem Numantini per legatos ſuos, aut inuiolatam pacem ſolam, aut omnes, quos pignore pacis accepto viuos dimiſerant, repoſcebant. Miſericordia examinanda videbatur? ſatis documenti dederunt, vel emittendo ad vitam inimicum exercitum, vel ad pœnam non recipiendo Mancinum. Mancinuſne rogo dedēdus fuit, qui victi exercitus impendentem trucidationem, prætento vmbone pacti fœderis diſpulit, qui periclitantes patriæ vires, in meliora tempora reſeruauit? Aut ſi diſplicuit fœdus, quod pactum eſt, cur miles hoc pignore redemptus, aut cum reuerteretur receptus eſt, aut cum repeteretur redditus non eſt?

XV. *Confertur Varronis & Mancini culpa.*

Avget deinde culpæ magnitudinem exemplo Varronis, qui temeritate ſua, cum maxima Romanorum clade ad Cannas pugnarat, & fugitiuus, cum laude receptus eſt, & gratiarum actione à Senatu, quod de Rep. nō deſperaſſet; cum Mancinus, qui ſorte bellica circumuentum exercitum ne perderet, laborauerat, ab eodem Senatu deditione damnatus fuerit. Eaque in re non virtutis, ſed temporis rationem habitam eſſe contendit. Et potuit quidem homo Hiſpanus vehementius ſuorum popularium iniuriam ſentire, & ad querelam acui, rebus tamen ipſis euincit, magnam à Senatu in hoc facinore iniuſtitiam fuiſſe perpetratam. Habes ſuperius noſtram non diſſimilem, in ſimili cauſa, de militibus dedititiis querelam.[b]

b an.V.C. 517.n. 27. & ſeqq.

XVI. *Æmylius Vaccæos iniuſto bello petit.*

Æmylivs Lepidus, qui propere in locum Mancini miſſus fuerat, dum ab vrbe reſponſa de Numantina pace expectat, impatiens otij, vt ait Appianus, Vaccæos falſo criminabatur, tanquam bello hoc Numantinos commeatu iuuiſſent. Proinde vaſtatis eorum agris Palantiam oppidum maximum Vaccæorum, (ad oram fluminis Dorij ponitur à Ptolem. iuxta confluentiam,)[c] quod nulla in re pacta violarat, obſedit, accito, inductóque in huius operis ſocietatem Bruto ſocero ſuo, qui in alteram Hiſpaniæ partē miſſus fuerat. Ad hos legati Roma veniunt Cinna, & Cæcilius, & SC. proferūt, quo cauebatur ne Æmylius Vaccæos bello peteret. Verū ille bello iā incepto, ratus multa Senatui incognita eſſe circa hoc bellū, legatos remittit, ipſe bellum cū Bruto vrget: ſed pro iniuſte quęſita gloria ignominiā eſt conſecutus.

c tab. 1. — *Et Roma improbato.*

XVII. *Palentia clade ignominiaque afficitur.*

Nam cum Palentiæ obſidio diutius traheretur, & Romani fame perirēt, Æmylij & Bruti conſtantia inopię & mali magnitudine ſuperata eſt: repente noctu circa vltimam vigiliam diſceſſum denunciant, tribunique militum ac primipili diſcurrentes, ſingulos ad diſcedendum vrgebant, priuſquam illuceſceret, obſecrantibus ęgris ne desererentur à ſuis. Cumque omnia trepide ac confuſe agerentur, Palentini abeuntes, ac tantum non fugientes adorti, à prima luce ad veſperam multis detrimentis affecerunt. Donec intendentibus ſe primis tenebris Romani fame laboréque confecti, ſe turmatim per agros effuderunt, & Palentini, numine aliquo auertente, ad ſua regreſſi ſunt. Non diſſimilem in Sicilia cladem paſſi ſunt Athenienſes Nicia Imperatore.[d]

d A. Mun. 3641.n. 11. & ſeqq. Olymp. 91. a. 4.

XVIII. *Et Roma punitur.*

Romani ob res male geſtas Æmylium, abrogato imperio & conſulatu, priuatum in vrbem reuerſum, pecunia inſuper mulctarunt. Sic Appianus. Verum Conſul non erat tunc Æmylius, ſed Proconſul: idq; conſtat ex Paulo etiam. 1. Oroſ.[e] In citeriore, inquit, Hiſpania Lepidus Procōſule Vaccæos, innoxiam gentem & ſupplicē, etiam Senatu prohibente, pertinaciter expugnare tentauit. Sed mox accepta clade grauiſſima, improbę pertinaciæ pœnas luit. Sex millia quippe Romanorum in hoc iniuſto bello iuſtiſſime cæſa ſunt, reliqui exuti caſtris, armis etiam perditis euaſerunt. Natus eſt hoc anno, atq; his Coſs. L. Cornelius Sylla, cuius ſupra mēminimus, ſi anni exactius numerentur. Cum enim teſte Velleio, anno ętatis vndequinquageſimo factus ſit Conſul, a. V.C. 665. oportet annum eius natalem in 617. incidiſſe.

1. e X. e l.5.c.5.

V.C. 615. n. 53.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3918.

1.N.xviii Imperium & Conſulatum interpretari oportet imperium conſulare. In Græco nihilominus eſt, παύσαντες τῆς στρατηγίας τι, ἢ ὑπατείας. Id autem de Hoſtilio Mancino multo magis dicendum eſt, qui cum adhuc Conſul eſſet euocatus eſt, eiuſq; in locum Æmylius collega miſsus, eiuſq; acta reſciſſa, ipſe dānatus dedititius factus eſt. Vide a.V.C.616.n.14.

ANNVS MVNDI 3919. SEXTÆ ÆTATIS 403.

IMPERII GRÆCORVM 177. DEMETRII NICANORIS II. ANTIOCHI SIDETIS 4. SIMONIS PONTIF. 8. ET VLT. PTOLEM. EVERGETIS II. OLYMP. CLXI. AN. 2. VRB. CONDITÆ 618. COSS. SER. FVLVIO FLACCO. Q. CALPVRNIO PISONE. BELLI CELTIBERICI 19.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 134.

I. *Mors Simonis, eiuſque cauſa.* INSIGNIS eſt hic annus flagitioſiſſima Simonis Pont. morte: quæ licet habita ratione anni Romani, ad initium ſequentis anni pertineat, ad hunc tamen referimus, quoniam ad hunc annum, qui eſt 177. Regni Græcorum Scriptura eam retulit. [a] *Et Ptolemæus*, inquit, *filius Abobi conſtitutus erat dux in campo Iericho.* Vtique à ſocero ſuo ſummo pontifice, ac populi principe, *& habebat argentum & aurum multum, erat enim gener ſummi ſacerdotis. Et exaltatum eſt cor eius, & volebat obtinere regionem*, titulo ducis, loco Simonis, & Ioannis filij eius. Itaq; *cogitabat dolum aduerſus Simonem, & filios eius, vt tolleret eos.* Vides opes irritamenta malorum? Diuitiæ ambitionem peperere, beſtiam cruentiſſimam, quæ perfido ac nefario Genero perſuaſit viri ſanctiſſimi, eiuſdemque Soceri & Pontificis mortem, totius familiæ crudeliſſimum interitum, Patriæ ſeruitutem, & luctuoſiorem religionis ruinam.

[a] 1.1.c.16. v.11.

II. *Occaſio eius.* HIC ergo intentus deſtinato facinori, dum quærit occaſionem, *Simon perambulans ciuitates, quæ erant in regione Iudææ, & ſollicitudinem gerens earum, deſcendit in Iericho. Ipſe & Mathathias filius eius, & Iudas anno 177. menſe vndecimo, hic eſt menſis Sabath. Et ſuſcepit eos*, ad conuiuium ſcilicet inuitatos, *cum dolo ad munitiunculam, quam ædificarat nomine Dōch, & fecit eis conuiuium magnum, & abſcondit illic viros*, ſicarios, *In conuiuio occiditur cū duobus filiis.* & cum inebriatus eſſet Simon & filij eius, id eſt laxius bibiſſent, vt olim [b] fratres Ioſephi, citra ebrietatem tamen; Vatablus, cum potu ſatiati eſſent. *Surrexit Ptolemæus cum ſuis, & ſumpſerunt arma ſua, & intrauerunt in conuiuium, & occiderunt eum, & duos filios eius, & quoſdam pueros eius, & fecit deceptionem magnam in Iſraël*; proditorie perpetrauit facinus populo pernicioſiſſimum, *& reddidit mala pro bonis.* Honoratus quippe affinitate ſummi pontificis, locupletatus diuitiis, euectus ad Ierichunthinæ prouinciæ præfecturam, ingratiſſimo ſcelere Simonis familiam funditus extinguere conatus eſt, & feciſſet, niſi diuina prouidentia impiis conatibus obſtitiſſet, vt mox narrabitur.

[b] Gen.c. 43.v.34.

III. *Conatus Ptolemæi à patrata cæde.* VIDE autem vt quamprimum rebus ſuis prouiderit facinoroſus Ptolemæus, primum de perpetrato facinore Regem certiorem facit. *Et ſcripſit hæc Ptolemæus, & miſit Regi vt mitteret ei exercitum in auxilium, & traderet ei regionem, & ciuitates eorum*, (Iudæorum ſcilicet) *& tributa* explicandi cauſa additum de tributis, abeſt à Græcis ea particula. Hæc autem tam ſubita enunciatio patrati criminis, non leuem ingerit ſuſpicionem, id facinus non ignaro rege fuiſſe ſuſceptum. Deinde *miſit alios in Gazaram tollere Ioannem, & tribunis* (Iudaicæ militiæ, quæ ſub Ioanne erat) *miſit epiſtolas, vt venirent ad ſe, & daret eis argentum, & aurum, & dona.* Tertio *miſit alios*

occupare Ieruſalem, & montem templi. Et præcurrens quidam nunciauit Ioanni in Gazara, quia periÿt pater eius, & fratres eius, & quia miſit te quoque interfici. Vt audiuit autem vehementer expauit: & comprehendit viros, qui venerant perdere eum, & occidit eos; cognouit enim quia quærebant eum perdere. Sicque conſeruauit Dominus familiam Simonis, quæ deinceps ad Herodem vſque, ad annos centum & quinque propagata eſt, vſque ad Hyrcani poſterioris mortem, quæ cadit in an. V. C. 723. & nepotum eius Antigoni, & Ariſtobuli. Et in his tota veteris teſtamenti hiſtoria terminatur, præter pauca, quæ ad annum 188. pertinent, & initio lib. ſecundi habentur.

IV. *Ratio temporis.* Est autē hic annus ab imperio Cyri & Perſarum nō 425. vt habet Euſeb. l. 8. Demonſtr. & eum ſecutus Scal. in eius Chron. ſed 403. Nam ſi ex 618. annis Vrbis Conditæ, auferas 215. qui exacti erant ante initium imperij Perſarum, exurgent 403. Si rurſum ex 161. Olymp. & annis 2. tollas 60. Olymp. & annos tres, qui iam tranſacti erant, fient 100. Olymp. & tres anni. Sed cauſa huius erroris eſt, quod Euſeb. annos regni Cyri, cum annis imperij confudit, cum tamen 23. annis prius regnauerit, quam imperium Aſiæ obtineret, vt fuſius ſuo loco demonſtratum eſt. Hoc ergo errore ſublato vides Chronologiam noſtram ab Euſebio confirmari. Sed ne tam cito à religioſo clariſſimi viri, in luctuoſo eius funere, honorandi officio abſcedamus, audito Ioſepho, tumulum eius debito epitaphio venerabimur.

V. *Ioſephus hanc quoque hiſtoriam deprauat.* Hanc enim cædem Ioſephus ſuo more parum fideliter narrat. Nam repugnante Scriptura, duos filios comprehenſos narrat, ac coniectos in vincula, deinde vero, poſt vrbis obſidionem ſolutam, occiſos. [a] Sic enim habet. *Is per octo annos Iudæis præfuit. Poſtremo in conuiuio cæſus, inſidiis generi ſui Ptolemæi, qui vxore etiam eius, & duobus filiis comprehenſis, ac coniectis in vincula, miſit quoſdam, vt tertium quoque Ioannem, cui & Hyrcano fuit nomen, interficerent.* Cap. autem ſequenti à Ptolemæo occiſos dicit. At Scriptura aperte teſtatur filios cum patre necatos. *Et occiderunt eum*, inquit, *& duos filios eius, & quoſdam pueros eius.* Et ne dicas occiſos quidem, ſed interiecto tempore, qui curriculo venit ad Ioannem nunciauit ei, *quia periÿt pater eius, & fratres eius, & quia miſit te quoque interfici.*

[a] l. 13. c. 14.

VI. *De vxore Simonis, & filiis comprehenſis arguitur.* Vanitas ergo hæc facit, vt ſuſpectam quoque habeam fabulam, de vxore Simonis capta cum filiis in conuiuio: quod ſi verum fuiſſet, ſacer author vna eadémque opera id dicturus videbatur: nec admodum probabile eſt à Sene principe, & pontifice, vxorem non neceſſariam huic expeditioni ſarcinam circunductam, præſertim hoc anni tempore (Ianuarius enim erat) & inter bellorum tumultus, cum Cendebæus in armis eſſet. Sed id videtur paratum de induſtria argumentum tragœdiæ, quæ ab eodem Ioſepho capite ſequenti narrabitur. Suſpectum mihi illud quoque, de nunciata Ioanni morte Simonis. *Adoleſcens autem*, inquit, *hoc præſentiens mature in vrbem refugit* (intellige Gazam vrbem, quamcumque Ioſephus intellexerit) *fretus fauore multitudinis, conciliato per paterna beneficia, ſimulque odio, quo Ptolemæum proſequebatur populus. Is enim volentem eum ingredi, per portam aliam fortiter repulit, eo quod iam Hyrcanum receperat.*

ex ea. 16. v. 21.

VII. *Aliud eius erratum reprehenditur.* Iosephus ergo vult Ptolemæum contra Ioannem, ad eum interficiendum progreſſum, & à populo vrbe excluſum; cum Scriptura dicat, non ipſum Ptolemæum veniſſe, ſed miſiſſe qui interficerent Ioannem, à quo vice verſa interfecti ſint. Et quomodo excluſus eſt vrbe Ptolemæus, & non potius comprehenſus, vt à Ptolemēſibus Ionathas? Præſertim cum de eius parricidio à Ioanne præmoniti eſſent, &, vt ipſe ait, populus eum odio proſequeretur? & cladem hanc vniuerſi planctu magno meritóque deplorarent. Quam nos quoque ſentire par eſt, & tanti viri luctuoſum funus, pro modulo noſtro venerari. Cum is vltimus ſit, quem ſacræ veteris teſtamenti literæ commendarunt. Nec videtur dubitandum, quamuis Scriptura ac Ioſepho ſilentibus, eius ac duorum filiorum lipſana, in tumulum iamdudum ab eo ſibi ſuiſque præparatum, honorifice illata fuiſſe, opera Ioannis filij, qui iam potens erat, & præpoſitus vniuerſæ militiæ. Nec apparet generum id pietatis officium aut potuiſſe, aut voluiſſe impedire. Præſertim cum domi haberet filiam Simonis vxorem.

EPITAPHIVM SIMONIS MACHABAEI.

VIII. TE QVOQVE VIRVM CONSILII A IVVENTVTE TVA, INCAVTVM ATQVE IMMERENTEM PERCVLIT, AC PROSTRAVIT AMBITIO, MAGNE SIMON; NON TVA, SED SCELESTISSIMI PRODITORIS, QVEM TV INDEBITIS HONORIBVS EXTVLERAS, MAGNIS DIVITIIS AVXERAS, INTIMA AFFINITATE HONORARAS. NEC VIDIT ILLE SCELVS SE MAIOREM TE VIVO FIERI POSSE, QVAM MORTVO. TE INQVAM MORTVO, QVO POPVLI VNIVERSI CONTINEBATVR SALVS; QVI PVBLICAM REM, CÆSO IONATHA INCLINANTEM AD RVINAM, FORTI ANIMO FVLCIENDAM SVSCEPERAS, AC SVSTENTARAS. QVANDO ILLVM ETIAM LVCTVM ET VOLENS ET INVITVS HAVSISTI, DVOS VT IONATHÆ FILIOS, CVM TALENTIS CENTVM, BARBARO TYRANNO AD CERTVM PENE INTERITVM DARES. HIC EST MAGNVS ILLE PRINCEPS AC SACERDOS, QVI ARCE HIEROSOLYMITANA, ALIISQVE REGNI PROPVGNACVLIS RECEPTIS, ET PACE DIFFICILLIMIS TEMPORIBVS FVNDATA, AD TANTAM POPVLVM SVVM FELICITATEM EVEXIT, QVANTAM IS A REGNO SALOMONIS NVNQVAM ERAT EXPERTVS; TANTAM IPSE GLORIAM ADEPTVS EST, QVANTAM PERPAVCI AVT IVDÆORVM, AVT ISRAELITARVM REGES. DENIQVE POST EIVS NOMEN TOTA PENE ASIA ATQVE EVROPA, SOLO SALOQVE CELEBRATVM, POST RENOVATAM CVM ROMANIS, AC SPARTANIS AMICITIAM ET SOCIETATEM; POST REGVM AC TYRANNORVM POTENTIAM GLORIOSE SVPERATAM, DOMESTICO SCELERE AC FERRO, CVM DVOBVS FILIIS INTEREMPTVS EST, CVM REGNVM AC PONTIFICATVM ANNIS VIII. ADMINISTRASSET; SACRÆQVE MILITIÆ, AVT DVX, AVT COMES XXX. IPSOS ANNOS DEPVGNASSET, AC FILIVM IN TOTIDEM ANNOS, DIGNITATIS VTRIVSQVE HÆREDEM, AC SVCCESSOREM RELIQVISSET. ABIIT E VIVIS ANNO MVNDI CIƆ CIƆ CIƆ DCCCCXIX. REGNI GRÆCORVM CLXXVII. MENSE XI. ANNO ANTE CHRISTI ORTVM CXXXIV.

IX. *Schema familiæ Machab.* Addamvs etiam hoc loco ſchema familiæ Machabæorum, vbi eorum hiſtoria in Scriptura terminatur.

Familia Machabæorum ſiue Aſſamonæorum.

1. Aſſamonæus Sacerdos ex vice Ioarib 1. Paral. 24.7. Ioſeph l. 12. c. 8. Ab hoc Aſſamonæorum nomen tranſmiſſum eſt ad póſteros, & ab eo ortus eſt

2. Simeon, l. 1. Machab. c. 2. 1. Ioſeph. l. 12. 8. ab eo genitus eſt.

3. Ioannes, iidem ibid Is genuit filios, quorum clariſſimus fuit Mathathias, 1 Mach. 2. 17.

4. Mathathias, Ioſepho Matthias, qui pôntificatum, & principatum in familiam ſuam inuexit, anno regni Græc. 146. quando palam ab Antiocho Epiphane defecit, occiſo eius præfecto, qui cogebat Iudæos immolare: & coëgit Iudæorum multitudinem, cum quibus cœpit Regi reſiſtere, & relicto principatu & pontificatu Iudæ, mortuus eſt, eodem anno 146. 1. Mach. 2. 70. a. m. 3888. n. 28. & ſeqq. eius epitaphiũ n. 32. Quinq eius filij à Scriptura, 1. Mach. 2. 2. & ſeqq. & Ioſeph. l. 12. c. 8. memorãtur hoc ordine

Ioannes, qui cognominabatur Gaddis, eodem anno quo Iudas, occiſus eſt à Madabæis, nec impune 1. Mach. 9. 35. & ſeqq. Ioſeph. l 13. 1. an. reg. Græc. 152. an. m. 3894. n. 66.

7. Simon, qui & Thaſi, 1. Mach. 2. 3. Ioſephus eum cognominat Matthes. Ab eo familia propagata eſt. Pontifex fuit, & Princeps Iudæorum anno regni Græc. 170. quo & iugum Græcorum à Iudæis abſtulit, 1. Mach. 13. 41. 42. Geſſit ſummum magiſtratum octo annis non integris. Ioſeph. l 13. c. 14. Nam mortuus eſt anno regni Græc. 177 1. Mach. 16 14. A

5. Iudas, qui vocabatur Machabæus, ex quo familia nomen accepit, vt omnium Aſſamonæorum clariſſimo; Pontificatum, & principatum primus à patre accepit anno Græc 147 quem geſſit. vſque ad 152. 1. Mach. 9 3. vires Syrorum maximis victoriis attriuit, templum repurgauit, an. 148 1 Mach 4 52 mortuus eſt in prælio contra Bacchidem, 1. Mach. 9. 18. fuit Matthathiæ primogenitus, a. m. 3889 n. 2. an prolem ex vxore ſuſceperit, an. m 3893. n. 34. 2 Mach. 14. 25.

Eleazarus cognomento Abaron, qui filius Saura dicitur, 1. Mach. 6. 43. quem Mathathiæ filium ex Ioſepho l. 12. 14 docuimus an. reg. Græcor. 150. quo & mortuus eſt, cum Elephanti maximi, quem occiderat, ruina oppreſſus eſſet, 1. Mach. 6. 46. an. m. 3892. nu. 18.

6. Ionathas, qui & Apphus, ſucceſſit Iudæ eodem anno 152. tenuitque principatum annis 19. vſque ad 170. quando perfidia Triphonis, poſt res multas præclarè geſtas, occiſus eſt, 1. Mach. 13. 23. duo eius filij memorantur l. 13. ant. c. 11. & lib. 1. Machab. c. 13.

N. Filij Ionathæ obſides dati à Simone ad recipiendum Ionatham, cum centum argenti talentis, quibus acceptis perfidus Tryphon filios cum patre interfecit.

N. 1. Mach. 13. 16. 19. 23. a m 3912. n. 14. & 19.

7 A Simon genuit

Iudam, qui videtur fuiſſe primogenitus Simonis, 1. Mach. 16. 2. cum patre occiſus eſt, v. 16. imo & cum matre, vt vult Ioſeph. l. 13. c. 15.

Mathatiam, fuit hic natu minimus Simonis, 1. Mach. 16. 2. & ipſe cum patre occiſus, perfidia Ptolemæi, filij Abobi. v. 11. 16.

Filiam anonymam, quæ nupſit Ptolemæo filio Abobi, quem Scriptura vocat ducem in campo Iericho. 1. Mach. 16. 11.

8. Ioannem, qui & Hyrcanus 1. Patris Pontificatui & imperio ſucceſſit, an. reg. Græc. 178 quod tenuit annis 31. 208. reg. Græcor. Hic cum multa præclara geſſit, tum Samariam vaſtauit, ac ſolo æquauit, Regibus Syriæ fortiter reſtitit. Ioſeph. l. 13. c. 18. Idumæos ſubactos ad Iudaicos ritus, & circuncisionem compulit. Idem l. 13. c. 17. & 19. id factum regni Gr. 182. obiit autem regni Græc. 208. relictis quinque filiis ſuperſtitibus. Idem l. 13. c. 18. eorum autem fuit.——

9. Ariſtobulus natu maximus, diadema ſibi primus impoſuit, l. 13. c. 19. matrem fame necauit in vinculis, æmulam ſcilicet principatus: mox etiam fratrem Antigonum. lib 13 c. 19. Reliquos in vinculis habuit dum vixit, cognominatus Philellen; vno tantum anno regnauit. Ibid. Salomen habuit vxorem, quæ & Alexandra, l. 13. c. 20.

Antigonus 2. à fratre in ſocietatẽ dominationis aſũptus; moxq; calumniis oppreſſus, à fratre trucidatur, ad turrim Stratonis, l. 13 c. 19.

10. Iannæus, qui & Alexander, eductus è carcere à Salome fratris vxore, rex Iudæorum conſtituitur, anno reg. Græc. 210. homo valde crudelis. Ioſephus l. 13. c. 21. Pontificatum geſſit annis 27. a. m. 3952. n. 1. & ſeqq. l. 13. c. 23. Vrb Cond. 677. Ex Alexandra, quæ nouem poſt ipſum annis regnauit, li. 13. c. 24. ei nati ſunt.——

11. Hyrcanus ſecundus, qui magna fortunæ varietate iactatus, pontificatum geſſit ab anno V. C 678 vſque ad 723. id eſt annis 46. l. 15. c. 9 Eius filia dicta eſt.——

Alexandra quæ nupſit Alexandro Ariſtobuli 2. filio. l. 15. 2.

Per calumniam ab Herode occiſus eſt. l 15 c 9. ſepultus in Alexandrio l. 16. c. vlt.

12. Ariſtobulus 2. qui varie fratrẽ vexauit Victus à Pompeio & Romã abduct⁹, à Cæſare remiſſus in Patriã. à Pompeianis veneno extinct⁹ eſt Ioſeph. l. 14 c. 13. ab eo genitus eſt.

13. Alexander, qui quod aliquando contra Romanos rebellauerat, à Scipione iuſſu Pompeij apud Antiochiam ſecuri percuſſus eſt. Ioſ. l. 14. c. 13. à quo eſt filia Hyrcani orti ſunt. B

14. Antigonus, qui Cæſarem pro ſe orauit. & accuſauit Hyrcanum & Antipatrum. Ioſeph. l. 14. c. 13. & 15. ab Antonio ſecuri percuſſus l. 15. c 1. in eoq; principatus Aſſamonæorum finem accepit. l. 14. fi.

Alexandra, quæ nupſit Philippioni, & mox patri eius Ptolemæo Mennæi. l. 14. c. 13. dynaſtæ Chalcidis.

Altera filia ibi. memoratur.

Alium Ioannis Hyrcani fratrem memorat Ioſeph. l. 13. c. 16. vbi de pace facta cum Antiocho Pio poſt obſidionem Hieroſolymorum.

Anonymus à fratre Iãnæo interfectus, quod regno inſidiaretur, l. 13. c. 20. a. mun. 3952. nu. 5. & l. 1. de Bello. c. 3.

Abſalon contentus priuata vita, à Iannæo fratre in honore habitus, Ioſeph. l. 13. c. 20. filiam habuit quæ nupſit Ariſtobulo 2.

B

15. Alexander, cui Herodes pontificatum dedit Ananelo ereptum l. 15. c. 2. quem natantem Herodes ſubmerſit anno ætat. 18. pontificatus primo Ioſeph. l. 15. c. 3. vbi eum vocat Ariſtobulum, in eoque familia Machabæorum prorſus extincta eſt.

Mariamne vxor Herodis, quæ ex eo quinque liberos ſuſcepit, duas fœminas, cæteros mares, l. 1. de bello c. 17. ab Herode interfecta eſt. l. 15. c. 11.

X. *Piſo quietus in Hiſpania.*

De bello Numantino hoc tantum habet Appianus, eo miſſum Calpurnium Piſonem Conſulem, qui verſus Numantiam exercitum non duxerit, ſed Palentinorum fines ingreſſus, præda exigua inde abacta, quod ſupererat temporis imperij ſui, in Carpetania hybernando conſumpſerit. Nimirum eum Mancinus, Æmylius, Pompeiuſque terrebant, qui ex ſuis expeditionibus nihil præter infamiam ſibi, aut infelicitatem collegerant, vt ex ſuperiorum annorum narratione, abunde intelligi poteſt.

XI. *Ful. Flaccus apud Illyrios bene rem gerit.*

Felicior fuit eius collega Fuluius Flaccus, cui Illyrii obuenerant. Qua de re idem Appianus in hæc verba. Ardiæi, inquit, & Palarij (Vardæos vocat Epit. 56.) alia Illyriorum natio, Illyrium, quod à Romanis tenebatur, inuaſerant: quibus Romani ob occupationes miſere legatos, qui illos deterrerent. Non parentibus vero, exercitum decem millium peditum, equitum ſexcentûm deſtinant. Illi cognita re, nondum parati in bellum, legatos ſuos Romam mittunt, & veluti geſtorum pœniteret, veniam poſtulant. Senatus damnorum impenſam, quam indigne oppreſſis intuliſſent, perſoluere illos iubet; cum id neglexiſſent, Fuluius Flaccus ingentibus copiis in eos proficiſcitur. *Prælium ad excurſionem vſque duntaxat, finitum eſt. Non enim exitum diligenter inuenire potuerunt.* Obſcura ſunt hæc poſtrema verba, nec lucem ex Græco textu, qui hic deeſt, accipere poſſent. De iis triumphaſſe Flaccum recte putat Sigonius, quod eos dicat Epitome à Conſule fuiſſe ſubactos: vtique non ſine ſolito præmio triumphali.

XII. *Seruile bellum in Sicilia.*

His ipſis conſulibus in Sicilia exortum eſſe ſeruile bellum, autor eſt Oroſ. [a] & Euſeb. in Chron. vbi id refert ad Olymp. 161. 2. qui præſens annus eſt. Oroſius autem narrato monſtro nati pueri, qui pedibus, manibus, oculis, auribus, naturáque duplex eſſet; & eructatione Æthnæi incendij, *In Sicilia*, inquit, *bellum ſeruile ortum eſt, quod adeo graue & atrox multitudine ſeruorum*, inſtructu copiarum, & magnitudine virium fuit, vt non dicam Prætores Romanos, quos penitus profligauit, ſed Conſules quoque terruerit. Nam ſeptuaginta millia ſeruorum, tum in arma conſpirantium, fuiſſe referuntur, excepta vrbe Meſſana, quę ſeruos liberaliter habitos, in pace continuit. Sic Oroſ. Florus autem Epit. 56. de tempore conſentit Oroſio, & addit authorem belli.

[a] l. 5. c. 6.

XIII. *Idem bellū ex Floro.* *Eunus Syrus.*

Bellvm ſeruile in Sicilia ortum, cum opprimi à Prætoribus minime valuiſſet, C. Fuluio Conſuli mandatum eſt. Cuius belli initium fuit Eunus ſeruus, natione Syrus, qui contracta agreſtium ſeruorum manu, & ſolutis ergaſtulis, iuſti exercitus numerum impleuit. Hæc ibi. Idem Florus alibi, Euni commentum pluribus explicat, & ab iis victos prætores memorat Manilium, Lentulum, Piſonem, Hipſæum. Porro ille C. Fuluius non hoc, ſed ſequenti anno Conſul fuit. Ser. enim vocatur, qui hoc anno geſſit conſulatum: in quo rem bene geſtam à Prætore Perpenna, qui præcedentibus illis in adminiſtratione prouinciæ Siciliæ ſucceſſit, exiſtimat Sigonius, ab eoque ſupplicium de ſeruis ſumptum. Verum id non Perpennæ, ſed P. Rupilio tribuit Flor. l. 3. c. 19. & Oroſ. l. 5. c. 9. & Diodorus Siculus, vt alij quoque notarunt. lib. 3. c. 19.

ANNVS MVNDI 3920. SEXTAE AETATIS, 404. IMPERII GRÆCORVM 178. DEMETRII NICANORIS 12. IO. HYRCANI PONT. 1. PTOLEMÆI EVERGETIS 12. OLYMPIADIS CLXI. AN. 3. VRB. COND. 619. COSS. P. CORN. SCIPIONE AFRI. ÆMYLIANO, ET C. FVLVIO FLACCO. BEL. CELT. 20.

ANNVS ANTE CHRISTVM 133.

An. Sabb. 191. OCCIDIT iam noſtris annalibus hoc anno Sabbatico centeſimo nonageſimo primo ea lux, quam ex ſacris autoribus hauriebant, quaque in longo atque obſcuro itinere directi, Ioſephum etiam ipſum aberrantem reducebamus in viam; & offuſas ab eo tenebras veritati, diſſipare conabamur. Nunc eum fere vnicum in hiſtoria Iudaica ducem habebimus, non peritiſſimum vtique viæ ducem, &, quod deterius eſt, ſponte, vt res ſæpe hactenus docuit, à recto tramite, prout eum tulerit impetus, aberrantem. Quo magis exoranda nobis es diuina Sapientia Ieſu Chriſti Domini noſtri, vt tantillũ hoc noſtri luminis augere digneris, & quo propius accedimus ad clariſſimum fulgorem ortus tui, hoc certius, quamuis nondum albeſcente aurora, dirigas pedes noſtros in viam pacis. I. *Proluſio in ſequentem hiſtoriam.*

QVEMADMODVM autem prætergreſſa lux, nonnullas etiam reliquias fulgoris relinquit in oculis noſtris, ita & Scriptura terminum imponens narrationi ſuæ in morte Simonis, certum hunc reliquit annum primum pontificatus Ioannis filij eius, qui mox ex Aſiana expeditione cum Sidete, Hyrcani cognomen adeptus eſt. Nam cum eam mortem contigiſſe tradat anni 177. menſe vndecimo, conſequens eſt vt eius filius, ab huius anni exordio, Iudæorum dux atque pontifex eſſe cœperit, cui, vt vides, reſpondet annus tertius Olymp. 161. non 162. vt habet Euſebij Chron. a l.13.c.16. & Ioſephus, [a] quos paſſim recentiores omnes deſerunt, etiam Sectarij, Functius, Caluiſius, Capellus, Scaliger. II. *Initium pontificatus Ioan. Hyrcani.*

b l.13 c.15. AFFVLGET & alia ſcintilla lucis, ad corrigendum Ioſephum, initium rerum geſtarum Hyrcani à mendacio ducentem. Sic enim habet. [b] *Ille igitur*, Ptolemæus videlicet parricida, *recepit ſe in quandã arcem, ſupra Hiericunta ſitam, quæ Dagon dicitur. Hyrcanus vero accepto paterno pontificatu, & ſacris operatus*, addit interpres de ſuo, ex profano auſpiciorum ritu, *cum litatum eſſet. Eduxit contra Ptolemæum exercitum, & oppugnando locum cætera quidem erat ſuperior, vincebatur autem ſola pietate erga matrem, & erga germanos miſericordia. Hos enim Ptolemæus productos in mœnia, flagris cædebat, in loco omnibus conſpicuo, minitans ſe præcipitaturum eos, niſi frater ab oppugnando deſiſteret. At ille putans quantum de oppugnatione remitteret, tantum ſe gratificari ſuis cariſſimis, ſtatim in primo conatu elangueſcebat.* III. *Hiſtoria Ioſephi de obſidione Ptolemæi.*

MATER *tamen ad eum manus tendens, ſupplicabat ne molliretur affectibus, ſed potius indignitate rei motus daret operam, vt redactum in poteſtatem inimicum aſſiceret pœna, & vlciſceretur homines ſibi natura coniunctiſſimos. Gratum enim ſibi fore inter tormenta emori, modo nefarius homo ſcelerum ſuorum ſupplicium lueret. Hyrcanus vero talibus verbis accendebatur, ad aſſultum maiore impetu faciendum: ſed quamprimum verberari, & lacerari matrem videbat, refrigeſcebat ſtatim oppugnationis feruor, & vincebatur filius maternis affectibus. Cumque hoc pacto traheretur diutius obſidio, ſuperuenit annus ille, quo ſolenne eſt Iudæis ceſſare ab operibus recurrente anno ſeptimo: atque ita liberatus à bello Ptolemæus, occiſis Hyrcani matre ac fratribus, fugit ad Zenonem cognomine Cotylam, qui tum apud Philadelphenſes tyrannidem inuaſerat.* Eadem pene habet ad verbum l. 1. belli c. 2. quæ c l.4.c.2. etiam amplificat Gorionides. [c] IV. *Quo ſtratagemate ſoluerit obſidionem.*

A MENDACIO dixi inchoatam de Hyrcano narrationem, à mendaciis dictum oportuit. Perſonæ, tempus, locus eum arguunt multiplicis falſitatis. Nam primo di- V. *Refutatur Ioſephus in cæde filiorum.*

Expenditur Ioſephi obſidio.

cit verberatos in obſidione filios, & poſt eam ſolutam occiſos; quos conſtat, vt ante dixi, ſimul cum patre necatos. De matre autem non multo incertius, quam de filiis videtur eſſe mendacium, niſi quod de illa Scriptura tacet. Secundo commentitia hæc eius fuga videtur. Cur enim non Antiochum potius Sidetem adiret, quem ingenti beneficio ſibi deuinxerat? qui ei ad totam Iudæam recuperandam aditum patefecerat, occiſo eo, quem ipſe per Cendebæum fruſtra ſubiugare tentarat? à quo exercitum expectabat, cuius ope ſoluta obſidione, arcem diligentius firmare ac communire oportuit, non fugere.

In fuga Ptolemai.

VI. *In obſidione eiuſque loco.*

Tertio commentitia obſidio, præſertim diuturna, qualem ipſe fingit, vſque ad initium anni ſabbatici, qui ſeptimo menſe inchoabatur, quo tempore & exercitus cogi debuit, & à Gaza Ierichuntem duci, plurium dierum interuallo diſtantem. Et quomodo non ſuperuenit auxilio Antiochus, vel Cendebæus, qui in armis erãt, vt hominem ſua cauſa periclitantem, protegerent? imo vt eiuſdem opera atq; eruptione commode vtentes, in medio poſitos Iudæos ad ſatietatem conciderent? Locus denique, quem ipſe ex Doch, quomodo Latini Græcique codices habent, vertit in Dagon, non obſidionis, ſed cædis fuit Simonis pontificis, quem in illa referenda male prætermiſſum, hic in cõmẽtitią obſidione, peius repræſentauit. Quid ſi illud quoque contendam, parum probabilem afferri ſolutæ obſidionis cauſam? Nuſquam enim in lege Domini reperietur anno ſabbatico bellum, aut obſidiones vrbium, aut propugnationes, fuiſſe à Deo, vel Moſe prohibitas. Hæc enim vel liberatione ſeruitutis, aut æris alieni, aut terræ quiete non comprehenduntur. Neq; pari ſeueritate quies anni ſeptimi, & diei ſeptimi exigebatur. Ne quis ſcrupulum Iudæorum obiiciat, de non defendendo ſe ab hoſtibus die ſabbati.[a]

an. m. 2544 n. 685.

Et eiuſdem ſolutione.

VII. *Ratio temporis anni ſabbatici. Et obſeſſa Ieruſalem.*

Cæterum hunc annum ſeptimum, ſiue ſabbaticum libenter admittimus. Reſpondet enim ordine ſuo anno 150. quem Scriptura ſabbaticum fuiſſe notauit.[b] Inde 157. 164. 171. & præſens 178. ſabbatici numerandi ſunt, & reliqui deinceps 185. 192. 199. 206. 213. 220. 227. 234. &c.

Iam quod ad Hieroſolymorum obſidionem attinet, eam hoc anno primo Ioannis Hyrcani ſuſceptam à Sidete, autor eſt Ioſephus.[c] *Antiochus*, inquit, *memor incommodorum, quæ à Simone acceperat, Iudæam aggreſſus eſt, ex quo regnare cœperat anno quarto, principatus vero Hyrcani primo, ſexageſima ſecunda ſupra centeſimam Olympiade.* Hæc de cauſa belli ac tempore, omiſſa occaſione, quæ nobis à Scriptura ſuggeritur,[d] quam ei Ptolemæus Abobi præbuerat occiſo Simone. Cæterum hic iterum errat Ioſephus. Nam non eſt hic annus quartus Sidetis, ſed quintus. Primus quippe eſt 174. Regni Græc. vt habes ex 1. Mach.[e] nec Olymp. 162. ſed primæ annus tertius, vt ante dixi, quomodo etiam numerat perquam accurati iudicij vir Auguſt. Torniellus. Qui tamen[f] exeunte hoc anno inchoatum Antiochi bellum contra Iudæam putat, diſſentiente me. Nam cum eum filius Abobi de occiſo Simone propere monuiſſet, menſe vndecimo anni præcedentis, réſque vrgeret, vt turbatos morte ducis, & filiorum eius Iudæos quamprimum opprimeret; & ipſe ex bello contra Tryphonem, & Cendebæus in armis eſſent, in ipſamet Syria, non videtur rationi conſentaneum bellum ad finem vſque anni huius eſſe dilatum, ſed ſub eius initia potius inchoatum.

a Vide an. m. 2144. n. 678. 79. 80. & 686. 687. 88. 90.
b 1. Mach. 6. 53. 7. 1.
c l. 13. c. 16.
d l. 1. c. 16.
e 15. 10.
f anno 474 ſextæ æt. n. 3.

VIII. *Ant. Sidetes obſidet Hircanem Hieroſolymis.*

Id à Ioſepho his verbis exponitur. *Antiochus vaſtatis agris Hyrcanum in vrbem ipſam compulit* (puta Hieroſolymam, vt explicat Euſebius in Chronico, & conſentit Torniel. Scalig. cæterique omnes. Vbi hic recte corrigit Euſebium, qui Simonem pro Hyrcano Hieroſolymis obſeſſum poſuit. *Ad Simonem refert*, inquit, *quod ad Hyrcanum pertinet. Non enim Simonem, qui iam interfectus erat, ſed Hyrcanum Ieroſolymis obſedit Sidetes, anno Seleucidarum* 178. Hactenus recte, pergit. *Anno ſecundo Olymp. 162. non vt hallucinatur Ioſephus, Olymp. 160. triennij metachroniſmo peccans.* Sine dubio hallucinatur Ioſephus, ſed vterque. Iudæus quidem, quod dicat 162. Olym. id contigiſſe, vt Græci Latinique libri eius fidem faciunt, & Scaliger ipſe agnoſcit, ſub numerum 1880. cum contigerit 161. anno 3. vt perpetua ſeries annorum docet, expanſa per ſingulos annos. Hallucinatur quoque Sectarius, quod ei errorem tribuit, non proprium & ſuum, ſed quem ipſe committit.

Scaligeri lapſus.

IX. *Ieruſalem vrbs.*

Cæterum quòd vrbis nomine, Ieroſolymam vterque Ioſephus intelligit, Vrbis nomine Hieroſolymis, ſicut Romæ tributo, fit vt ſupra vbi de Hyrcano in vr-

bem ſe recipiente loquebatur Ioſephus, de vrbe quoque Ieroſolymorum intelligendus videatur, quomodo eum Gorionides, & Torniellus intellexerunt. Sed ſi id voluit Ioſephus, videatur forte Scripturæ contradicere, quæ Hyrcanum Gazaræ fuiſſe teſtatur, cum miſſi ſunt à Ptolemæo, qui eum perderent. Quia tamen idem eadem opera miſerat, qui Ieruſalem & templi montem occuparent, eò Ioannem cum copiis illico Gaza profectum intelligere poſſumus. [a] Sed redeamus ad obſidionem. *Vrbem*, inquit, *ſeptenis caſtris cum cinxiſſet* (toto ſcilicet exercitu in 7. partes diuiſo, ad obſtruendos aditus omnes, exituſq; obſeſſorum) *primùm nihil proficiebat, propter firmitatem mœnium, & virtutem propugnantium, accedente etiam aquarum penuria, cui tandem ſub occaſum Pleiadis delati imbres remedio fuerunt.* Occaſus Pleiadum ad æquinoctium autumnale pertinet, vt ortus ad initium veris & nauigationum, vnde eis nomen tam Pleiadum, quam Vergiliarum datum putant. Pergit.

An Gaza obſeſſa.

[a] 1. Mach. 16. 19. 21.

X. *Diutius obſidio trahitur.*

POSTREMO *ad ſeptentrionalem muri partem, qua pronior erat aditus*, (Nam ad meridiem erat Sion, & arx, quæ toti vrbi, & templo erat propugnaculum. Itaque & à Nabuchod. & alias capta eſt ab ea parte, vt huc quoque illud Ieremiæ referri poſſe videatur. *Ab Aquilone pandetur malum, ſuper omnes habitatores terræ.*) [b] *Excitatis centum turribus*, quibus Gorionides addit triginta, *quæ ſurgebant vſque ad tertiam contignationem, impoſitiſque in eas cohortibus, quotidie tentabat mœnia, duplicique foſſa, longa ſimul & lata cinctis Iudæis, omnem exitum præcluſit. Illi contra crebro excurſantes, ſi forte negligentius cuſtodiri caſtra offenderent, afficiebant hoſtem clade aliqua; quod ſi paratos ad reſiſtendum inuenirent, in tutiora ſe facile recipiebant.* Et hæc quidem hoc anno geſta, cætera fere ad ſequentem annum pertinent, quo pax facta dignoſcitur.

[b] Ierem. 1. 14.

XI. *Alter Scipionis Conſulatus.*

IAM quod ad Romanam rem attinet, vigeſimus agebatur Celtiberici belli annus, & Numantia Romanis Imperatoribus, atque exercitibus inſultabat. Cum populus Ro. vt ait Appianus, longioris difficilioriſque belli pertæſus, alterum conſulatum Cornelio Scipioni, qui Carthaginem exciderat, mandauit. Quod vnum eſſe crederet, à quo debellari Numantini poſſent. Sed cum infra ætatem conſularem eſſet, cenſuere Patres, vt quemadmodum bello Carthaginienſi factum fuerat, Tribuni plebis legem de ætate conſulari eo die antiquarent, & rurſus anno ſequenti ſancirent. Sed ſine dubio fallitur Appianus, ſi Velleio fidem habemus, qui ait eum anno ætatis 36. priorem geſſiſſe conſulatum, anno videlicet V. C. 606. ex quo ſequitur eum hoc anno egiſſe ætatis quadrageſimum nonum.

Num infra ætatem datus.

XII. *Priuilegia Scipionis.*

LEGITIMVS autem annus conſulatus erat 43. vt fatentur omnes, & nominatim Sigon. qui etiam affirmat ea lege ſolutum Scipionem, quam Cato ſuaſerat, ne quis iterum Conſul fieret, & reuera à conſulatu M. Claudij Marcelli, qui an. Vr. 601. Conſul fuerat, vſque ad 649. quo C. Marius iterum Conſul fuit, nemo, præter Africanum hunc, bis factus eſt Conſul. De priuilegio ætatis in priore tantum conſulatu, clara eſt M. Tullij ſententia in Lælio, vbi ait Scipionem nunquam petiiſſe conſulatum, bis tamen factum conſulem. *Primum ante tempus*, inquit, *iterum ſibi ſuo tempore. Reip. pene ſero.* Prior ergo tantum conſulatus ante tempus ei datus eſt, non poſterior. Sed geminum præterea ei priuilegium addidit populi fauor; alterum vt ei conſulatus, neque ambienti, neq; præſenti, vt eſt in Somnio Scip. daretur; alterum vt ei extra ſortem prouincia tribueretur. Vtrunque docet Valer. Max. [c] *Eundem*, inquit, *cum quæſtoriis comitiis ſuffragator Q. Fab. Maximi fratris filij, in campum deſcendiſſet, conſulem iterum reduxit. Eidem Senatus bis ſine ſorte prouinciam, prius Africam, deinde Hiſpaniam dedit.* Sic ipſe.

[c] l. 8. c. 16.

XIII. *Delectus eius, & copia.*

CVM ergo Scipio Hiſpaniam prouinciam accepiſſet, vt Siciliam Fulnius collega eius, nullum delectum Romæ habuit, vt ait Appian. ſiue quod vrbs variis bellis diſtrahebatur, ſiue quod ſatis copiarum in Hiſpania eſſet. Permittente tamen Senatu, nonnullos voluntarios ab aliis vrbibus, & quibuſdam regibus eduxit, quibus addidit amicos & clientes ad quingentos, quos in vnam turmam redactos vocabat, Amicorum turmam. Hos omnes, circiter 4. millia, deducendos Buteoni nepoti tradidit: ipſe cum paucis mature in Hiſpaniam prægreſſus, diſciplinam militarem magno ſtudio reſtaurauit, lixarum, calonum, muliercularum, ariolorum, & ſacrificorum, [d] impedimenta ſuſtulit; militem [e] omni die in opere habuit, & triginta dierum frumentum ad ſeptenos vallos ferre cogebat, ægre propter onus incedenti. *Cum gladio*, inquit, *te vallare ſcieris, vallum ferre deſinito.* Et mox.

φίλων ἴλην.

[d] Appia.
[e] Epit. 57.

XIV. *Labore militem exercet, & caſtigat.*

Qvem militem extra ordinem deprehendit, ſi Romanus eſſet, vitibus, ſi extraneus, virgis cecidit, iumenta omnia, ne exonerarent milites, vendidit. Circa victum etiam ſomnumque multa correxit, lectos interdixit, primus ipſe in toris requieſcebat. Noua ſubinde caſtra muniebat, ac mox demoliebatur, foſſas altiſſimas ducebat, & eaſdem replebat, muros extruebat, mox diruendos, ipſe à prima luce ad veſperam, omnibus quæ gerebantur ſemper intentus. Appianus.

Cum morigerum & laboris patientem militem reddidiſſet, tum demum propius Numantinos caſtra promouit, Vaccæis vnde Numantini commeatum emebant euaſtatis, quidquid ad exercitus alimoniam valebat, congeſtum in caſtra contulit, reliqua incendio aboleuit. In Palentino agro hoſtium inſidias, ſemel iterumque fœliciter euaſit. Inde hybernatum in fines Numantinorum tranſiit, quò Iugurtha Maſaniſſæ nepos ex Africa ad eum venit, cum duodecim elephantis, & qui vna in aciem prodirent, ſagittariis & funditoribus. Hæc pluribus Appianus. Fuluij autem res hoc anno geſtæ in Sicilia, in obſcuro manſere.

XV. *Attalus Romanos inſtituit hæredes.*

Hoc quoque anno Attalus Pergami Rex moriens populum Rom. hæredem reliquit. Idque confirmatur ex eo, quod proximo anno Scæuola & Piſone conſulibus, cum pecunia eius referenda eſſet in ærarium, Tib. Gracchus eam populo diſtribui voluit: iam ergo teſtamentum conditum erat. Itaque corrigendus eſt Iulius Obſequens, qui id factum refert Claudio & Perpenna Coſ. V.C.623. cum de eius pecunia diuidenda triennio ante diſceptatum fuerit. Quodſi placet conditũ teſtamentum initio ſeq. anni, oportet turbas à Graccho excitatas ſub anni finem contigiſſe: præſertim cum non ſolum nuncius de morte Attali, eiuſque teſtamento Romam perueniſſet, ſed pecunia etiam ipſa eſſet aduecta. Teſtis Plutarch. in Gracchis. Circa hanc tempeſtatem, inquit, defunctus eſt Attalus Philopater, cuius tabulas teſtamenti, quibus populus Ro. ſcriptus hæres Regis fuerat, Eudemus Pergamenus attulit. Nec tabulas tantum, Nam eodem referente Plutarcho,

XVI. *Ea Tib. Graccho ſeditionis occaſio.*

Statim Tiberius ambitioſe ad populum promulgauit legem, vt aduecta pecunia regia ſortitis agrum ciuibus, ad inſtrumentum parandum, & ſubſidium agri colendi præberetur. Denique turbæ à Graccho concitatæ ad duos annos pertinere noſcuntur; præſentem quidem, in quo leges maxime ferre cœpit, & ſequentem, in quo timens ne cum abiiſſet magiſtratu pœnas daret, iterum tribunus creari voluit. Nam Põpeius ſe eum accuſaturum ſpoponderat, poſtquam magiſtratu abiiſſet, vt autor eſt Oroſius. [a] Appianus etiam l. 1. bellorum ciu. & Plut. in eius vita. Liuius l.58. occiſum tradunt cum alterius anni tribunatum extorquere vellet, id eſt in æſtate, quando comitia tribunitia agitabantur, vt teſtatur idem Appianus. Cum ergo conſtet eum cæſum Mutio & Piſone Coſ. oportet maximam partem rerum ab eo geſtarum, tam ad finem huius anni, quam ad principium ſequentis pertinere, & conſequenter Attali mortem & teſtamentum, quo ille tanquam flabello ſeditionis ignem accendebat, in hunc ipſum annum incidere. Sed de Tiberio anno ſeq. quo occiſus eſt pluribus.

[a] lib. 5. c. 8. & 9.

XVII. *Attali mors.*

De Attali autem morte & teſtamento audiendus eſt Iuſtinus l.36. qui cũ pleraq; de ſtudiis eius dixiſſet, quibus ſe parum ſana mente eſſe demonſtrabat, præſertim cum iis ſe, omiſſa regni adminiſtratione traderet, ſubdit. *Matri deinde ſepulchrum facere inſtituit, cui operi intentus, morbum ex ſolis ardore contraxit, & ſeptima die deceſſit:* Sic Manaſſes Iudithæ vir, ab æſtu ſolis morbum, mortemque contraxit. Pergit Iuſtinus, *huius teſtamento hæres populus Ro. tunc inſtituitur.* Conſanguineos ab eo dudum interfectos tradit eodem loco Iuſtinus. Liuius autem [b] ait Regni Pergami poſſeſſionem ad tertiam tantum ſtirpem eius deſcendiſſe.

Iudith. 8. 3.

[b] l. 33. p. 397.

STEMMA, SEV FAMILIA
REGVM PERGAMI.

XVIII. *Familia regia Attali.*

N. genuit tres filios, qui regnum Pergami fundauerunt. Strabo l. 13.

- Philetærum Tianæum, Eunuchū, qui cuſtos Gazæ Lyſimachi in oppido Pergamo: quo variis iactato caſibus, tam oppidum, quam pecuniam ad 20. annos conſeruauit. Strab. l. 13.
- Eumenem, à quo genitus eſt
  - Eumenes, qui Pergamum hæreditate accepit, & vicina circum loca occupauit. Prælio circa Sardeis Antiochum Seleuci filium fudit, & poſt 22. annos obiit. Strabo l. 13.
- Attalum, qui, ex Antiochide filia Achæi ſuſcepit filium
  - 1. Attalum, qui primus Pergami rex ſalutatus, cum magno prælio Galatas viciſſet, ſocius Romanorum fuit contra Philippum, adiunctus claſſi Rhodiorum. regnauit annos 43 Straboni, aut 44. Liuio qui eum liberalē in amicos, iuſtum in ſuos, fidelem in ſocios fuiſſe dicit, l. 33. p. 397. & l. 42. p. 546. ſuſcepit ex Apollonide Cyzicena Æger Thebis, Pergamum aduectus moritur, altero & 70. vitę anno. Romam venit nuncius, Antiochum Helleſpontum tranſiſſe, & Romanis præ fratre charus fuit. Liu. l. 35. & 45. Polyb. in legat. n. 93. & 135.
    - 2. Eumenem, qui patri in regno ſucceſſit, & ſocius Romanorum fuit cōtra Antiochum Magnum, & Perſeum. Eius regnum victo Antiocho valde auctū eſt. Pergamum vehementer ornauit ędificiis, bibliothecis &c. & cum 49. annos regnaſſet, ex Stratonica Ariarathis Cappadocū regis filia, filiū ſuſcepit regni hæredem, Stra. l. 13. Eius elogium habet Polyb. p. 1007. gr. lat. vbi trium eius fratrum meminit. Ex Epheſia pellice, vt ait Iuſtinus li. 36. fine ſuſcepit duos liberos,
      - 4. Attalum, qui Philometor, aut Philopator Plutarcho in Gracchis, recepto à patruo tutore regno, quinque annis regnauit, quem parum ſanæ mentis deſcribit Iuſtinus l. 36. Sponſam habuit Berenicem, morbo extinctus populum Rom. reliquit hæredem, a. V.C. 619. eius ditionem Romani in formam Prouinciæ redegere Epit. 58. Strab. 13. Polyb. legat. 140.
      - Ariſtonicum, qui poſt mortem Attali fratris, velut paternū regnum inuaſit Aſiam, licet ex Epheſia pellice natus eſſet. Contra Romanos pugnauit, & victo Licinio Craſſo, à Perpenna Conſule victus eſt. Iuſt. l. 36. fi. Velleius init. l. 2. Strabo l. 14. Vide Sigon. a. V.C. 621.
    - 3. Attalum, qui Tutor fuit nepotis ſui Attali, & regnum eius loco, 21. annis gubernauit, Alexandrum Antiochi filium adiuuit contra Seleucum (Demetrium potius) & Romanos contra Pſeudophilippum, Diegylin Thracum regem cepit, Pruſiam interfecit, eique ſubſtituit filiū eius Nicomedem. Strab. l. 13. vocatur à Iuſtino Eumenes, à cæteris Attalus.
    - Philetærum,
    - Athenæum, qui cum claſſe 80. nauium ad fratrem Attalū venit, bellum cōtra Pruſiam gerentem, Polyb. in leg. n. 136.

ANNVS MVNDI 3921. SEXTAE AETATIS, 405. IMP. GRÆC. 179. DEMETRII 13. SIDETIS 6. IO. HYRCANI 2. Everg. 13. Olym. CLXI. 4. V.C. 620. Coss. P. Mvtio Scævola, et L. Calph. Pisone Frvgi. Bel. Celt. 21.

ANNVS ANTE CHRISTVM 132.

I. *Demetrius rurſum ex fuga retrahitur.*

HVIVS anni videtur eſſe poſterior illa fuga Demetrij, quam refert in hæc verba Iuſtinus.[a] *Interiecto deinde tempore, cum fidem illi etiam ſuſcepti liberi facerent, eodem amico comite,* Calimandro, *repetita fuga eſt; ſed pari infœlicitate prope fines regni ſui deprehenditur, ac denuo perductus ad regem, vt inuiſus à conſpectu ſummouetur. Tunc quoque vxori ac liberis donatus, in Hyrcaniam, pœnalemque ſibi ciuitatem remittitur, taliſque aureis, ad exprobrationem puerilis leuitatis, donatur. Sed hanc Parthorum tam mitem in Demetrium clementiam, non miſericordia gentis, nec reſpectus cognationis faciebat, ſed quod Syriæ regnum affectabant, vſuri Demetrio aduerſus Antiochum fratrem, prout res, vel tempus, vel fortuna belli exegiſſet. His auditis Antiochus occupandum bellum ratus, exercitum, quem multis finitimorum bellis indurauerat, aduerſus Parthos ducit.* — a l. 38.

II. *Iuſtinus de Iudæis.*

Finitimos Iuſtinus Iudæos intelligit, quibuſcum hoc quoque anno bellum geſſit, idque amicis conditionibus terminauit, vt mox ex Ioſepho referemus. De quo bello Iuſtinus idem l. 36. hæc habet. *Iudæos quoque, qui in Macedonico imperio ſub Demetrio patre armis ſe in libertatem vendicauerant, ſubigit.* Inde autem multa de Iudæorum origine, moribus, inſtitutis perſequitur, in quibus maximam rerum Iudaicarum ignorationem prodit, vt illud pene vſurpari poſſit.

Impia ſacrilegis certant mendacia verbis.

Idemque de Diodoro Siculo in Excerpto vlt. l. vltimi dicendum eſt. Ioſephum ergo audiamus, qui continuatam hoc anno Hieroſolymorum obſidionem, vſque ad feſtum Scenopegiæ, id eſt decimum quintum ſeptimi menſis, breuiter explicat: quod feſtum Scal. in Euſeb. ait eo anno incidiſſe in 24. Septembris.

III. *Hyrcani ſæuitia in pauperes.*

Hyrcanvs, inquit, *poſtquam cognouit ſibi obeſſe ſuorum multitudinem, quod inutiliter abſumerentur ad cibum neceſſaria, ſecretam infirmiorem turbam eiecit extra mœnia, ſolis retentis, qui ob vigorem ætatis, ad pugnam erant idonei. Antiochus autem excluſos vetabat progredi, ita vt miſerabiliter oberrantes mœnibus, conficerentur inedia.* Facinore ſi non plane iniuſto, inhumano certe atque miſerabili; præſertim cum huiuſmodi indigentium, in fame maxima pars ciuitatis eſſe ſoleat; paucorum tamen ſalus nonnunquam pluris eſt ad commune bonum, quam multitudinis numeroſæ infimæ ſortis hominum. Pergit porro. *Sed cum ſuperueniſſet feſtum Scenopegiæ, miſeratione ſuorum rurſus in vrbem recepti ſunt.*

IV. *Antiochi Sidetis pietas.*

Rex *etiam rogatus, vt gratia feſti inducias ſeptem dierum concederet, religione motus impetrari eas paſſus eſt: neque hoc contentus, victimas miſit magnifice, tauros auratis cornibus, & pocula tam aurea, quam argentea referta omne genus aromatibus: & exercitui præbuit epulum: longe diuerſus ab Antiocho Epiphane, qui capta vrbe porcos ſuper altari mactauerat, & iure carnium illarum templum aſperſerat, violatis Iudæorum legibus ſimul, & ceremoniis; vnde acerbiſſima exorta ſunt eius gentis contra eum odia. At hic Antiochus propter religionem Pius cognominatus eſt ab omnibus.* Id cognomen ei à Iudæis inditum videtur, ob cauſam iam narratam; ab aliis tamen vſurpatum eſt, vt apud Appianum in Syriacis videre eſt. Meminit quoque huius obſidionis, & donorum Plutarch. in Apophthegmatis; ſed reliqua videamus.

V. *Repellit qui crudelitatem ſuadebant.*

Hyrcanvs *vero cognita eius æquitate, & pietate delectatus, legatos ad eum miſit rogantes, vt liceret ſibi patriis viuere legibus. Tum rex repulſis qui ſuadebant internecione delendam gentem inſociabilem, & diſcretam inſtituto à reliquis gentibus,* &c. His ſimillima habet Diodorus in fragm.[b] *Antiochus,* inquit, *Rex Hieroſolyma oppugnabat, Iudæi autem ad tempus reſiſtebant, ſed abſumpta ei victus copia, de tranſactione cum eo legatos mittere coacti ſunt. Tum amicorum ipſius plerique, vt ſumma vi vrbem expugnaret, gentemque Iudæorum internecione deleret, conſulebant. Solos enim inter omnes nationes à conſuetudine alterius gentis abhorrere, & hoſtium loco habere cunctos.* Inſerit deinde fabulas de Iudæorum digreſſu ex Ægypto, ab Alexandrinis, aliiſque confictas, de quibus fuſe Ioſe- — b ex l. 34. ecloga 1.

phus contra Apionem, & nominatim de ingreſſu Antiochi Epiphanis in templum, de quo ſuo loco meminimus. Poſt quæ ita concludit.

VI. Ex Diodoro Siculo.

Hæc *vbi diſſeruerant amici, Antiochum ſummopere hortabantur, vt gentem funditus extingueret. Sin minus vt abrogaret leges, & vitæ inſtitutum mutare illam cogeret. At Rex quod magno celſoque animo, & placido ingenio eſſet, exacto quod debebatur tributo, obſidibus acceptis, cum mœnibus Hieroſolyma nudaſſet, crimina genti cōdonauit.* Sic Diodorus. Sed conditiones pacis certius referet Ioſephus, omiſſa fictitia mœnium euerſione, Rex, inquit, approbata Iudæorum pietate imperauit, vt obſeſſi arma ſibi traderent & vectigalia Ioppes, cæterarumque extra Iudæam vrbium concederent; & inſuper præſidium reciperent, promittens pacem eis ſe daturum his conditionibus. Aſſenſerunt illi ad omnia, excepto præſidio, quod vitarent exterorum conſuetudinem, quod ne reciperēt regi dedere obſides, & inſuper D. talenta, quorum trecenta mox repræſentata ſunt; & inter obſides fuit etiam ipſius Hyrcani frater: deiectáq; mox lorica, quæ impoſita erat mœnibus, ſoluta eſt obſidio.

VII. Obſidionis ſolutio, euiſque cauſa.

Maioris quippe momenti arbitrabatur Parthicam expeditionem, in qua maxima regni eius pars agebatur, quam vt diutius circa vrbem vnam moras trahere oporteret. Præſertim cum, ſi bellum in ſuperiore Aſia recte ceſſiſſet, facilem Hieroſolymorum, & Iudçæ totius expugnationem crederet. Forte etiam Romanorum cum Iudæis amicitiam verebatur, quæ patentibus literis, per totam Aſiam atque Europam euulgata fuerat: qua tamen nihil vſos Iudæos mirum videtur. Cæterum quem fratrem Hyrcani dicat Ioſephus non intelligo, trium tantum filiorum Simonis Scriptura meminit, quorum duo cum Patre interierunt. Quingenta porro argenti talenta Hebraica valent 687500. coron. quæ data fuiſſe non inuitus conſenſerim. Sunt enim conſentanea iis, quæ cum Athenobio diſceptata fuerant.[a] At quod ſubdit de effoſſa pecunia, ægerrime adducor vt credam.

[a] 1. Mach. 15. 30. 31.

VIII. Ingens pecunia in Dauidis ſepulchro. Refellitur.

Hyrcanus, inquit, *aperto monumento Dauidis, qui olim regum omnium fuerat ditiſſimus, tria millia talentorum inde protulit, quibus pecuniis fretus, primus omnium cœpit externum militem alere, & inito cum rege fœdere, exceptum in vrbem cum exercitu tractauit liberaliſsime.* Hæc liberalitas ad epulas extendi non poteſt, vetat tolerata in obſidione fames. Sed nec probabilis eſt tam immenſa pecunia in ſepulchrum defoſſa, quatuor ſcilicet millionum cētum & viginti quinq; millium coron. Quæ ſi auri talenta fuiſſe dixeris, (dicuntur argenti talenta infra)[b] ſumma aſcendet ad 37. milliones, & quingenta millia coron. Quæ Salomon iniuſte atq; imprudēter tenebris damnaſſet, cum ſubditis ſuis grauis eſſet oneribus,[c] vt illi apud Roboamū teſtati ſunt. Male ipſe quoque ab Hiramo rege Tyri 120. talenta auri mutuo ſumpſiſſet, eiq; viginti oppida Galilææ oppignoraſſet.[d] Videntur ſane hæc à Rabinis cōficta, ad augendam Dauidis & Salomonis magnificentiam, anſam eis præbente fingendi, magnitudine veriſſima diuitiarum Dauidis, quæ cum efferrentur in vulgus Iudæorum ab hominibus eruditis, credita ſunt; præſertim cum experientia refelli non poſſent: quæ Ioſephus ſiue credidit, ſiue credi voluit, in ſua certe ſcripta non vno in loco retulit.

[b] infra, l. 16. c. 11.
[c] 3. Reg. 12. 4.
[d] 3. Reg. 9. 10. & ſeq.

IX. Iterum refutatur.

Hæc tamen Ioſephi aſſertio fit etiam incredibilior, cum dicat, etiam multo plura in eo ſepulchro fuiſſe abdita, quæ poſſent quantumuis magnis ſumptibus ſufficere: quæ ab Herode ſublata fuerint, nec tamen ad conditoria corporum Salomonis & Dauidis peruenire potuerit, ad diligentius ſcrutandum. Modeſtum ergo fuiſſe admodum Hyrcanum & temperantem oportuit, qui inuentis tantis theſauris modicam aliquā particulam vſurpare contentus fuerit. His ſi quis fidem habendam putat, Ioſephi vanitatem nondū ſatis perſpectam habet. Nos probabiliora videamus. Nam hac ipſa de re iam egimus cum de ſepulchro Dauidis ageremus. Sequitur expeditio Aſiana Antiochi & Hyrcani, quæ in ſequentem annum differenda eſt, cum Ioſephus ſcribat Iudæos fuiſſe expeditionis ſocios, & cum his totum exercitum, ob ſuperueniens feſtum Pentecoſtes biduum ſubſtitiſſe, menſe nimirum Maio aut Iunio ineunte; quod indicat copias ineunte vere ſe in viam dediſſe. In Syria igitur hyemaſſe oportuit, & interim omnia bello neceſſaria præparaſſe.

Vide hac de re an. Salom. 2. n. 113. & lib. 1. de bello c. 2.

X. Scipio propius adit Numantiam.

Interea Scipio in Hiſpania, opprimendæ Numantiæ intentus erat. Nam dum propius ipſam vrbem obſidere parat, per hyemem loca omnia circumquaque incurſionibus vaſtat, vt ait Appianus, maiore adito periculo quam damno, in quodam pago, vbi hoſtis Romanos inſidiis excipere cogitabat.

Recuſat pugnam.

Haud multo poſt geminis caſtris proxime Numantiam poſitis, quorum alteris Fabium Maximum fratrem præfecerat, alteris ipſe præerat; cum Numantini acie inſtructa Romanos ad dimicationem crebro prouocarent, ſpreuit: ac riſit, quod diceret ſibi vitio datum iri, ſi cum hominibus omnium rerum deſperatione efferatis, mallet confligere, quam incluſos fame expugnare.

XI. *Aut pugnat parũ feliciter.*

Pavlvs tamen Oroſius libro quinto capite ſeptimo, acie pugnatum dicit, & parum feliciter. Et cum partem æſtatis, inquit, totamque hyemem, ne attentata quidem pugna trãſegiſſet, ſic quoque parum propemodum hac profecit induſtria. Namque vbi copia pugnandi facta eſt, exercitus Romanus oppreſſus impetu Numantinorum terga conuertit. Sed increpatione & minis obiectantis ſeſe Conſulis, manuque retinentis, tandem indignatus in hoſtem rediit, & quem fugiebat, fugere compulit. Nec diſſentit Frontinus libro ſecundo capite octauo num. ſeptimo, dum ait, Scipionem cum exercitum ſuum in fugam auerſum videret, pronunciaſſe ſibi pro hoſte futurum, quiſquis in caſtra rediſſet. Sed reddidit etiam fortes muneribus. Nam

Fortes ſuos reddit minis.

XII. *Atq. muneribus.*

Interea Antiochus Sidetes, neque enim alius erat Antiochus hoc tempore in regno Syriæ, ab ipſa vſque Syria in Hiſpaniam, per immenſa pene marium ac terrarum ſpacia, munera ad Scipionem miſit, vt autor eſt Liuius in Epitome 57. *Scipio*, inquit, *ampliſſima munera ſibi ab Antiocho rege Syriæ miſſa, cum celare aliis Imperatoribus Regũ munera mos eſſet, pro tribunali accepturum ſe eſſe dixit, eaque omnia referre quæſtorem in publicas tabulas iuſſit: ex iis viris fortibus munera ſe daturum.* Natam porro beneuolentiam erga Scipionem dici poteſt, in nobili illa legatione, cui Africanus videtur præfuiſſe, quam ſupra initio regni huius Antiochi retulimus. Videtur autem voluiſſe, clariſſimi Imperatoris interuentu, Romanam ſibi conciliare beneuolentiam & auxilium aduerſus Parthos, regno ſuo imminentes obtinere.

XIII. *Numantiã foſſa ac vallo cingit.*

Cvm ergo Scipio Numantinos fame expugnare ſtatuiſſet, magna ſociorum auxilia ex omnibus locis literis ſuis acciuit, vt exercitũ ſexaginta millium armatorum collegerit, quos varias in partes diuiſos, iuſſit foſſam vallumque vrbi circumducere. Erant Numantiæ ambitus viginti quatuor ſtadiorum, valli autem duplo maior; & ne ab opere, aut noctu aut interdiu ciuium eruptionibus prohiberentur, ſingulis turmis mandatum dedit, vt ſi quid tumultus oriretur, ſignum ederent, interdiu panno rubro ex longa haſta pendente, noctu autem igne, vt celeriter ipſe cum Maximo fratre auxilio accurreret. Ea foſſa perfecta, alteram vltra illam effodit, & defixis circa palis murum extruxit latitudine pedum octo, altitudine decem infra pinnas; cui turres ex omni parte 120. pedum interuallo ſuperſtructæ erant, & quia paludem continentem, muro cingere non poterat, aggerem ei ſuperinduxit, altitudine & latitudine muro parem.

Turribus itẽ, aliiſq. munitionibus.

XIV. *Amne & auxiliis intercluduntur.*

Dvrivm quoque amnem, oppidanis admodum opportunum, tum ad ea cõportanda quæ vſui erant, tum ad viros tranſuehendos, quia ponte iungi non poterat, deiectis in eum tranſuerſim trabibus, quæ variis mucronibus armatæ eſſent, inſuperabilem tam nauibus, quam vrinatoribus, aut adire vrbem, aut exire cupientibus reddidit. Deinde machinas turribus applicuit, ex quibus in vrbem omnis generis tela mitterentur. Crebro conati ſunt Numantini in hoſtium munitiones variis in locis impetum facere, ſed mira diligentia & periculum ſignis nunciiſque innoteſcebat, & ab iis qui per vices magno numero in armis erant, ſuccurrebatur ex condicto, vt conatus omnis incluſorum irritus fieret. Rhotogenes quidam Numantinorum fortiſſimus tenebricoſa nocte, cum quinque amicis, totidemque famulis, admoto ponte ſcanſorio & compactili, in hoſtium munimenta conſcendit, & oppreſſis vigilibus, equos per pontem ſurſum trahunt, mox per Aruacorum oppida diſperſi, auxilia Numantinis ſupplices implorabant; quos cum Lutienſis iuuentus libenter excepiſſet, & ſuppetias ferre vellet, Scipio à ſenioribus vrbis admonitus, eo cum copiis aduolat, expeditis intra octo horas, trecentis ſtadiis quibus Lutia diſtabat Numantia, & celeriter ciuibus ad deditionem rebellantium coactis, quadringentis viris manus amputauit, & poſtero die ſub auroram in caſtra reuertit.

XV. *Legatos mittunt, quos & occidunt.*

Nvmantini fame vexati, quinque viros ad Scipionem mittunt, ſciſſitatum an clementer, ſi ſeſe dederent, acciperentur. Cumque reſponſum accepiſſent, vt

SUPREMA NUMANTINORUM CLADES.

ſe vrbemque cum armis traderent, ira incenſi legatos malorum nuncios, quaſi cũ Scipione de priuata ſalute pactos, interfecerunt: deinde cibis omnibus deficientibus, etiam carnibus morientium veſcebantur: poſtremo ſeſe Scipioni permiſerunt; à quo iuſſi eo ipſo die arma omnia in certum quendam locum conferre: poſtero die in alium locum conuenire, cum diem differri poſtularunt, quod plerique eſſent, qui in libertate mori ſponte cuperent; itaque multi ſibi mortem variis modis intulere. Reliqui tertio die in campum quo iubebantur contulere ſeſe, fœdo corporis habitu, ſpecie oris efferata, toto corpore ſqualore, atque illuuie obſito. Quinquaginta tantum triumpho reſeruatis, reliquos Scipio ſub corona vendidit, oppidum ſolo æquauit, Numantinoque agro inter vicinos diuiſo, cum reliquas ciuitates ius dicendo perluſtraſſet, & nutantes ſocios aut increpuiſſet, aut pecunia mulctaſſet, domum rediit. Atque ita bellum Celtibericum poſt annum primum ac vigeſimum, ex quo cœptum fuerat, confectum eſt, quartodecimo anno poſt deletam Carthaginem, vt ait Florus Epit. 59.

Deditionẽ faciunt.

Numantia ſolo æquatur.

XVI. *Alia quædam Numantinis.*

ADDUNT his nonnulla Florus & Oroſius: Numantinos cum æquas deditionis conditiones non impetrarent, ſemicrudis ſe carnibus, & potione quæ afferret ebrietatem ingurgitaſſe, vt deſtinata morte in prælium ruerent. Negat Florus, ſicut & Appianus, pugnæ copiam ab Imperatore factam; Oroſius pugnatum dicit atroci diu certamine, vſque ad periculum Romanorum. Iterumque Romani, inquit, pugnare ſe aduerſus Numantinos fugiendo probauiſſent, niſi ſub Scipione pugnaſſent. Numantini interfectis ſuorum fortiſſimis bello cedunt, compoſitis tamen ordinibus in vrbem reuertuntur, corpora interfectorum ad ſepulturam oblata accipere noluerunt. *Nouiſſime*, ait Florus, *conſilium fugæ ſedit; ſed hoc quoque ruptis equorum cingulis vxores ademere, ſummo ſcelere per amorem admiſſo.* Verum exitus omnis miris munitionibus interclusus erat, vt verius ex Appiano diximus, ſicut & de venundatis ac vinctis ad triumphum: pergit. *Itaque etiam exitu deplorato, in vltimam rabiem furoremque conuerſi, poſtremo mori hoc mortis genere deſtinarunt. Duces ſuos, ſeque, patriamque ferro, veneno, ſubiectoque vndique igne peremerunt. Maximo duce oppreſſa ciuitas, nullum de ſe gaudium hoſti reliquit. Vnus enim vir Numantinus non fuit, qui in catenis duceretur: præda vt de pauperibus, nulla; arma ipſi cremauerant, Triumphus de nomine tantum fuit.* Nonnulla alia Valerius, Frontinus. Epitomæ ſuggerunt, ſed hæc abunde ſufficiunt.

lib.2.c.18.

XVII. *Iugurthæ initia.*

MINIME tamen committendum, vt Iugurthæ initia hoc loco miſſa faciamus. Hoc enim bello, Imperatore Scipione, Iugurthæ gloria illuſtris fuit, de quo non pauca nobis deinceps dicenda erunt, præſertim ſub annum vrbis 640. & ſeqq. Itaque eius hic initia ex Salluſtio perſtringamus.

Micipſa Maſaniſſæ filius, Numidiæ regnum ſolus tenebat, Manaſtabale & Guluſſa fratribus morte abſumptis. Alios etiam filios memorat Liuius, vt patet ex illius familiæ ſtemmate, quod ſupra deſcripſimus, ſed nunc Saluſtio contenti ſumus. Micipſa Adherbalem & Hiempſalem ex ſeſe genuit, Iugurthamque Manaſtabalis ex concubina filium, eodem cultu quo liberos domi habuit. Qui vbi primum adoleuit, pollens viribus, magnam gloriæ & fortitudinis laudem venatione, militarique exercitatione ſibi comparauit.

a m.3906. n.8.

XVIII. *Expeditio in Numãtiam.*

QUÆ cum Micipſa ſtudioſius animaduerteret, ab ingenio feroci ac turbulento, filiis ſuis non iniuria timere cœpit, ſi quid ſibi forte humanitus contigiſſet. Itaque audacem iuuenem ad bellum Numantinum cum claſſe mittit, peditum equitumque auxiliis inſtructa, ſperans eum ibi vel temeritate ſua, vel hoſtium ſæuitia periturum. Sed res aliter cecidit. Nam cum ſuam ibi operam atque virtutem Scipioni vehementer probaſſet, & multos è Romanis ſibi familiari amicitia coniunxiſſet, à quibus etiam ad totum Numidiæ regnum occupandum animatus fuiſſet, in Numidiam, multa cum laude Imperatoris, deleta Numantia reuerſus eſt. Hic Micipſa rex flexit animum ſuum, & Iugurtham beneficiis vincere aggreſſus, eum adoptauit, & teſtamento pariter hæredem cum filiis reliquit. Eoque facto poſt annos aliquot mortuus, aditum Iugurthæ ad omnia diuina humanaque iura violanda patefecit, vt ex ſequentibus intelligetur.

XIX. *Res in Sicilia geſta in fugitiuos.*

5.c.9.

LONGE pauciora, de re in Sicilia à Piſone Conſule contra fugitiuos geſta, traduntur. In Sicilia, ait Oroſius, poſt Fuluium Conſulem, Piſo Conſul Mamertium

oppidum expugnauit, vbi octo millia fugitiuorum interfecit, quos autem capere potuit patibulo ſuffixit: nimirum ſponte ruebant in cædem, nec ſe viuos capi ſinebant. Laborioſam porro, & periculi plenam fuiſſe victoriam, indicat pœna à Piſone in Titium Præfectum cohortis conſtituta. Nam, vt refert Frontinus libro quarto capite primo, qui eſt de diſciplina, L. Piſo Titium Præfectum cohortis, quod loco fugitiuis ceſſerat, cincto togæ præciſo, ſoluta tunica, nudis pedibus in principiis quotidie ſtare, dum vigiles venirent, iuſſit, conuiuiiſque & balneo abſtinere. Indicāt & præmia data fortibus viris. Nam de eo agens Valer. Conſul, ait, Piſo graui fugitiuorum bello à ſe liberata Sicilia, eos quorum præcipua opera vſus fuerat, imperatorio more donis proſequebatur. Inter quos filium ſuum locis aliquot præliatum fortiſſime, titulo trium librarum aureæ coronæ decorauit: præfatus non oportere à magiſtratu è publica pecunia erogari, quod in ipſius domum rediturum eſſet, tantumque ponderis ſe teſtamento adoleſcenti legaturum promiſit; vt honorem publice à duce, pretium à patre priuatim acciperet. Hæc Valer. (1. 4. c. 3.)

XX. *Seditio Tib. Gracchi.* Reliqva nobis eſt hoc anno Romæ excitata ſeditio à Tib. Graccho tribuno plebis, quæ illius etiam morte terminata eſt. *Quod initium in vrbe Roma*, inquit Velleius l. 2. *ciuilis ſanguinis, gladiorumque impunitatis fuit. Inde ius vi obrutum, potentiorque habitus prior: diſcordiæque ciuium antea conditionibus ſanari ſolitæ, ferro diiudicatæ.* Sic ipſe. Quibus conſentientem inuenies Appianum, ſub init. l. 1. de bellis ciuil. Meminiſti, lector, querelas Pauli Oroſii cōtra Senatum in cauſa Mancini, ecce nunc ſanguis eius exquiritur. *Eiuſq. cauſa* Audi enim eundem Paterculum. *Immanem*, inquit, *deditio Mācini ciuitatis mouit diſſenſionem, quippe Tib. Gracchus, Tib. Gracchi clariſſimi, atque eminentiſſimi viri filius, P. Africani ex filia nepos, quo Quæſtore, & autore id fœdus ictum erat, nunc grauiter ferens aliquid à ſe factum infirmari, nunc ſimilis vel iudicii, vel pœnæ metuens diſcrimen, Trib. plebis creatus, vir alioqui vita innocentiſſimus, ingenio florentiſſimus, P. Mutio Scæuola, L. Calphurnio Coſſ. deſciuit à bonis.* (lib. 2. init.)

XXI. *Quæ molitur.* Eandem cauſam deprauati Gracchi habet M. Tul. de auſpicum reſponſis. Pergit porro Velleius, *pollicituſque toti Italiæ ciuitatem. ſimul etiam promulgatis agrariis legibus, omnibus ſtatum concupiſcentibus, ſumma imis miſcuit, & in præruptum atque anceps periculum adduxit Remp. Octauioque collegæ pro bono publico ſtanti, imperium abrogauit, triumuiros agris diuidendis, coloniiſque deducendis creauit, ſe ſocerumque ſuum Conſularem Appium, & Gracchum fratrem admodum iuuenem abſentem*, vt ait Plutar. in vita Gracch. & cum Scipione ad Numantiam militantem. *Tum P. Scipio Naſica, eius qui optimus vir à Senatu iudicatus erat, nepos, priuatus & togatus, cum eſſet conſobrinus Tib. Gracchi, patriam cognationi præferens, circundata læuo brachio togæ lacinia, ex ſuperiori parte Capitolii ſummis gradibus inſiſtens, hortatus eſt, qui ſaluam vellent Remp. ſe ſequerentur. Tum optimates, Senatus, atque equeſtris ordinis pars melior & maior, & intacta pernicioſis cōſiliis plebs, irruere in Gracchum, ſtantem in area cum cateruis ſuis, & concientem pene totius Italiæ frequētiam. Is fugiens decurrenſque cliuo Capitolino, fragmine ſubſellii ictus, vitam quam glorioſiſſime degere potuerat, immatura morte finiuit.* Hęc Velleius pluribus.

XXII. *Lex eius agraria ex Epitome T. Liuii.* Qvæ pluribus quoque perſecutus erat Liuius l. 58. vt ex ea Epitome conſtat: vbi etiam additur, Agaria lege quam ferebat, prohibitum fuiſſe, ne quis ex publico agro pluſquam decem iugera poſſideret: pro decē recte corrigit Sigonius quingenta, quod ita Plutarchus & Appianus habeant, errore alicuius, qui D. valere putauit decem: idque confirmatur ex lib. de viris illuſtribus, num. 64. vbi quidam libri habent, plus mille agri iugera. Deinde, cum minus agri eſſet, quam quod diuidi poſſet, quoniam ad amplam cupiditatem plebem accenderat, legem ſe promulgaturum oſtendit, *Cauſa diuidendæ pecuniæ Attalicæ.* vt iis qui Sempronia lege agrum accipere deberent, pecunia quæ Regis Attali fuiſſet, diuideretur. Hæredem enim populum Romanum reliquerat Attalus Rex, vt anno ſuperiore dictum eſt. Ne autem vnum Gracchum in ea ſeditione occiſum cenſeas. Inter alios, ait, qui in eadem ſeditione occiſi erant, inſepultus eſt in flumen proiectus. Id factū à Lucretio Aedile, ex quo Veſpillonis cognomen adeptus eſt. Ita Tiberiū timor à recta via deduxit popularis fauor, per iniuſtas atq. incōceſſas quæſitus vias, in altum prouexit, zelus bonorū afflixit, ac perdidit. (n. 64. de vir. illuſt.) Multa deinceps domeſtica Romana funera ab his initiis reperiētur, quibus & Carthaginenſiū, & Numātinorū, & aliorū populorū iniuſtæ calamitates, expilationes, ſeruitutes, & tyrānica facinora dominorum ſanguine vindicabuntur.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3921.

l. N. xxii. Idemque habet Appianus l.c. vbi Naſica inquit, in Capitolium euaſit, cedentibus Gracchanis tanto viro Senatum ſecum trahenti, Naſicæ comitatus extortis è manibus aduerſariorum fuſtibus, arreptis ſubſelliorum fragmentis, & ſi quid aliud vice teli ſe offerebat, globatim irruentes feriebant eos, propellendo in prærupta crepidinis. Quo in tumultu Gracchus etiam, cum ſuorum multitudine circa fores templi oberrante, cæſus eſt ante regum ſtatuas, & omnium cadauera noctu proiecta ſunt in Tiberim. Rem paulo diſtinctius habet Plutarchus, ex quo non pigebit pauca deſcribere. Ipſi Naſicæ comites, defractorum ab effuſo in fugam cœtu ſubſelliorum fragmēta, & fulcra corripientēs perrexerunt in Tiberium, ſimulque ceciderunt in fronte locatos: horum fuga & ſtrages edita; quiſpiam ipſius Tiberii fugam conſulentis prehendit togam: qua relicta ille in tunica fugiens cecidit, prolapſuſque eſt ſuper eos, qui ante eum ceciderant. Attollentem ſe vnus ex collegis eius Satureius princeps aperte caput eius afflixit ſubſellii pede. Secundum ictum intulit ei L. Rufus, qui de eo velut de re præclare geſta gloriabatur. Ex cœtu plus trecenti occubuerunt, fuſtibus & lapidibus contrucidati, ferro nullus. Cadaueri Tiberii fœde atque atrociter inſultatum eſt. Neque oranti fratri vt tollere liceret corpus eius, & funerare nocte, permiſerunt, verum id cum aliis cadaueribus proiecerunt in amnem. Eadem fere habet Oroſius lib. 5. c. 9.

ANNVS MVNDI 3922. SEXTÆ ÆTATIS 406.

REGNI GRÆCORVM 180. DEMETRII NICANORIS 14. ANTIOCHI SIDETIS 7. IOANNIS HYRCANI PONTIFICIS 3. PTOLEMÆI EVERGETIS 14. OLYMPIADIS CLXII. AN. I. VRBIS CONDITAE 621. COSS. P. POPILIO LÆNATE, & P. RVPILIO. a

a Nepote ſi credimus Chronico Græco Euſebii apud Scalig.

ANNVS ANTE CHRISTVM 131.

ANTIOCHVS Sidetes Parthicam ſuſcepit hoc anno expeditionem, idque ex iis, quæ ſuperiore anno ex Ioſepho diximus, manifeſtum eſt. De ea perpauca Ioſephus habet. *Profectum*, inquit, *Antiochum in expeditionem Parthicam ſecutus eſt* (Hyrcanus) *vna cũ auxiliis. Teſtis eſt nobis Nicolaus Damaſcenus, ſic ſcribens. Antiochus erecto trophæo ad Lycum fluuium, vbi Indatem Parthorum ducem profligauerat, hæſit ibi per biduum ad preces Hyrcani Iudæi, quod in id tempus forte quædam Iudæorum feſtiuitas incurreret, per quam non licebat eis iter facere. Et verum eſt quod ille ſcripſit. Nam Pentecoſte inſtabat poſt Sabbatum, quo tempore noſtris iter facere nefas habetur.* Hæc ipſe. Romani quoque religione quadam in itinere ſubſiſtebant. Teſtis Liuius l. 37. vt alibi notauimus, vbi de Romano exercitu contra Antiochum Magnum progrediente agens. Statiua, inquit, ad Helleſpontum aliquandiu habuerunt, quia dies forte quibus Ancilia mouentur, religioſi ad iter, inciderant. Iidem dies P. Scipionem, propiore etiam religione, quia Salius erat, diſiunxerant ab exercitu; cauſáque & is ipſe moræ erat, dum conſequeretur.

l. 13. c. 16. — I. *Parthica expeditio Sidetis.* — *Ex feſto intermiſſum iter Hebræis.*

PAVLO plenius Iuſtinus l. 38. hanc expeditionem exequitur. *Antiochus*, ait, *occupandum bellum ratus, exercitum quem multis finitimorum bellis indurauerat, aduerſus Parthos ducit, ſed luxuriæ non minor apparatus, quam militiæ fuit. Quippe octoginta millia armatorum, ſecuta ſunt triginta lixarum. Ex quibus coquorum, piſtorum, ſcenicorum-*

II. *Luxus Antiochi.*

que maior numerus fuit. Argenti certe aurique tantum, vt etiam gregarii milites caligas auro figerent, proculcarentque materiam, cuius amore populi ferro dimicant. Culinarum quoque argentea inſtrumenta fuere; prorſus quaſi ad epulas, non ad bella pergerent. Aduenienti Antiocho multi orientales Reges occurrere, tradentes ſe, regnaque ſua, cum execratione ſuperbiæ Parthicæ. Nec mora congreſſioni fuit. Antiochus tribus prælius victor, Babyloniam cum occupaſſet, magnus haberi cœpit. Itaque omnibus ad eum deficientibus populis, nihil Parthis relictum præter patrios fines fuit.

III. *An Demetrius adit nunc regnũ Syriæ.*

TVNC Phraates Demetrium in Syriam, ad occupandum regnum cum Parthico præſidio mittit, vt eo pacto Antiochus ad ſua tuenda à Parthia reuocaretur. Verum hanc dimiſſionem Demetrii crediderim anno tantum ſequenti factã, aliquanto ante quam Antiochus interficeretur. Nam ſi tanto ante tempore præmiſſus fuiſſet, nequaquam ad eum, quaſi ex itinere retrahendum, Phrates turmam equitum miſiſſet, quod factum Iuſtinus affirmat, vt ſequens hiſtoria docebit. Interea autem Antiochus copias ſuas circumquaque in hyberna dimiſit, quas profecto mirum eſt tanto luxu effœminatas, potuiſſe eſſe etiam tertio victrices; niſi placet diuinam manum extra ordinem, pro Syris contra Parthos depugnaſſe, tam iſtorum ſceleribus, quam illorum aliqua pietatis vmbra incitatum.

IV. *Graues in Aegypto motus.*

AD hoc tempus pertinent, quæ apud Iuſtinum l. 38. & Liuium l. 59. de motibus in Ægypto excitatis magna breuitate tanguntur, etſi Oroſius libro quinto capite decimo illos differt in annum, quo Perpenna Conſul fuit. Hæc tamen ratio temporis mox confirmabitur. Ptolemæus, filiæ vxoris ſuæ vim affert, deinde repudiata matre, eam in matrimonium ducit. Sed cum populo ob nimiam crudelitatem eſſet inuiſus, incenſa à populo regia, clam in Cyprum confugit, cum filio quem ex ſorore ſuſceperat, & cum vxore matris pellice. Ibi contracto mercenario milite, bellum ſorori pariter ac patriæ parat, Populus interea Cleopatræ regnum defert. Ptolemæus exul filium è Cyrenaica accerſitum, ne eum Alexandrini contra ſe regem facerent, interficit. Tunc populus ſtatuas & imagines eius detrahit, ac deiicit: quod ille factum ſtudio ſororis exiſtimans, filiũ quem ex ea ſuſceperat in Cypro interficit. Corpuſque in membra diuiſum, & in ciſta impoſitum, matri die natali eius, inter epulas afferri curat. Quæ res non Reginæ tantum, verum etiam vniuerſæ ciuitati acerba & luctuoſa fuit, tantumque mœrorem feſtiuiſſimo conuiuio intulit, vt regia omnis repentino luctu incenderetur. Verſo igitur ſtudio principum ab epulis in exſequias, membra lacera populo oſtendunt, & quid ſperare de rege ſuo debeant, filii cæde demonſtrant. Hæc apud Iuſtinum. Interea Demetrius in Syriam redit, & auxilia ab eo implorantur, vt anno ſequenti dicetur: ex quibus colligitur hæc fere ad præſentem pertinere.

V. *Triumphus Scipionis & Bruti.*

HOC anno D. Iunius Brutus, & P. Cornelius Scipio, ille de vlteriore, hic de citeriore Hiſpania triumpharunt: ille Callaïci, ſiue Gallæci, hic Numantini cognomine decoratus. De tempore certus eſt author M. Tullius, qui ait à Scipione triumphatum, anno ante Valerium & Licinium Conſules. Id ergo hoc anno factum, decimo quarto poſt deletam Carthaginem, vt author eſt Eutropius, qui vtriuſque triumphum coniungit. Docuimus autem ſupra ex Macrobio cum 607. Carthaginem euertiſſe, ac triumphaſſe. Idem habet Liuius l. 59. Idque in fraudem videtur Oroſium induxiſſe, vt diceret Numantiam per annos quatuordecim cum ſolis quatuor millibus ſuorum, quadraginta millia Romanorum, non ſolum ſuſtinuiſſe, ſed etiam viciſſe, & ad pudenda fœdera compuliſſe. Verum ex Appiano in Hiſpanicis conſtat Numãtinos à Cæcilio Metello primum oppugnatos, anno Vrb. Cond. 613. cui ſucceſſit Pompeius, an. 614. tum Popilius Lænas, Vrb. Cond. 615. Mancinus autem 616. Æmylius Lepidus 617. Furius Philus 618. Calphurnius Piſo 619. Denique Scipio 620. & 621. in quo triumphauit. Itaque non 14. ſed vix nouem annis Romanis reſtitit, & quidem non cum quatuor, ſed cum octo millibus peditum, equitumque, vt Appianus ſemel iterumque confirmat. Porro pudenda fœdera, & ignominioſa, & id genus aliis nominibus, alii quoque appellant. At Appianus eas vocat συνθήκας ἐπὶ ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ, id eſt ex pari & æquali iure; pudebat autem populum Romanum cum Numantinis, quaſi cum paribus fœdus inire, & non vt inferioribus leges pro arbitrio præſcribere, vt cæteris populis ſolebat.

Ratio temporis contra Oroſium. *Quale fœdus cum Numãtinis* *in Philipp.*

PORRO

Porro quamuis Florus & Oroſius, nec viros ſuperfuiſſe victoriæ dicant, nec arma, vel prędam incendio, & de nomine tantum fuiſſe triumphum; Plinius tamen aliquid ſuperfuiſſe oſtendit, cum ait Africanum, victa Numantia & deleta, in triumpho ſeptendecim millia pondo argenti dediſſe, id eſt 187. millia coronatorũ; & addit, *O viros illo imperatore dignos, quibus hoc ſatis fuit!* quæ tamen ſumma cum magna omnino ſit, ſi Numantiam cogitemus, & ſummam, propter exiguitatem non illatam in ærarium, ſed militibus diſtributam, denique conſideremus dona in triũphis dari ſolita militibus, adducor in ſuſpicionem vocem illam, *millia*, in verbis Plinii abundare. Nam in triumpho, quo ſublata eſt Aſia, & victus Antiochus Magnus, quo bis millies ſeſtertium in ærarium illatum eſt, autor eſt Liu. militibus quinos vicenos denarios datos, duplex centurioni, triplex equiti, id eſt, vt ibi diximus, quinque lib. Turo. vel 10. & 15. At 187. millia coron. ſufficiunt, vt 60. millibus militum 9. libræ Tur. & amplius dentur. At multo pauciores milites triumphanti Scipioni affuerunt: neque enim quotquot ex Hiſpania collegit, ad obſidendam Numantiam, tranſportauit in Italiam.

l.33.c.11. — l.37.fi. An.Vr 554. ſchol.2. — VI. *Triumphus Scipionis de Numãtinis qualis.*

P. Rvpilivs Conſul contra ſeruos rem bene geſſit in Sicilia. Paucis id ſignificat Florus, *P.* ait, *Rupilio imperatore ſupplicium de ſeruis ſumptum eſt. Hic enim victos, & apud Ennã nouiſſime obſeſſos, cum fame quaſi peſtilentia cõſumpſiſſet, reliquias latronum cõpedibus catenisque religauit, crucibusque puniuit, fuitque de ſeruis ouatione contentus, ne dignitatem triumphi ſeruili inſcriptione violaret.* Cleonem omittit Florus, qui tamen non exigua belli huius pars fuit. Nam Liuius Epit. 56. cum de Euno dixiſſet, ſubdit. *Cleon quoque alter ſeruus ad ſeptuaginta millia ſeruorum contraxit, & copiis iunctis contra populum Romanum, exercitumque eius bellum ſæpenumero geſſerunt.* Diodorus quoq. vtrumque latronũ ducem coniungit, cõiunctoſque refert antequam cum L. Hypſæo pugnarent, qui cum octo millibus armatorum ab eis victus eſt, & de vtroque victoriã Rupilio tribuit. In eo tamen manifeſte labitur, ſi locus mendo vocat, quod ait poſt 60. annos ab euerſa Carthagine, ſeruile bellum in Sicilia exarſiſſe, cum hic annus quo extinctum eſt, ſit tantum decimus quartus à deleta Carthagine: duraſſe autem aliquot annis ex Floro conſtat, qui 4. prætores ab iis deuictos memorat. Cæterum totam hiſtoriam ab ipſa origine & cauſis eius, cum progreſſu & exitu, idem fuſe perſequitur: ex quo pauca hæc accipe, quæ ad Rupilium pertinent.

l.3.c.19. — VII. *Seruile bellum in Sicilia à Rupilio confectum.* — in fragm l. 34.eclo.2.

In Sicilia malum ingraueſcebat, quod & vrbes cum ipſis ciuibus caperentur, & exercitus multi à defectoribus conciderentur: donec Rupilius Imperator Romanus Tauromenium recuperauit, cum per acerrimam oppugnationem ad extremas anguſtias, diramque famem obſeſſos redegiſſet, adeo vt à carnibus liberorũ deuorandis exorſi, & ad vxorum corpora progreſſi, ne ſibi quidem, dum alter alterum vorat, parcerent, vbi Comanum Cleonis fratrem, ex vrbe circumſeſſa fugientem cepit. Poſtremo cum Serapion Syrus arcem prodidiſſet, omnes in ea fugitiui in Imperatoris poteſtatem venerunt, quos excruciatos præcipites dedit. Hinc Ennam progreſſus, eodem modo vrbem oppugnat, & defectoribus extreme coarctatis, omnem ſalutis ſpẽ ademit. Hinc vbi Cleonem ſummum exercitus ducem vrbe egreſſum, & herois inſtar fortiſſime præliantem viciſſet, & paulo poſt ex vulneribus mortuum exhibuiſſet, tandem hac quoque vrbe proditione potitus eſt.

VIII. *Ordo rei geſta.*

Evnvs autem aſſumptis ſexcentis ſtipatoribus, ad prærupta quædam loca fuga ſe contulit. Sed qui cum illo erant ineuitabile ſibi malum iam ingruere exploratũ habẽtes, (iam enim in eos ducebat Rupilius,) præciſis ceruicibus ſe mutuo iugulabant. Eunus vero præſtigiator, & opinione ſua Rex nomine Antiochus, poſtquã in quibuſdam ſpeluncis præ timiditate effugium quæſiuiſſet, cum 4. famulis extractus, & in carcerem compactus, reſoluto in pediculorum exuberantiam corpore, dignum temeritatis ſuæ facinoribus vitæ exitum, apud Morgantinam ſortitus eſt. Deinceps Rupilius, cum exigua militum delectorum manu, per totam excurrens Siciliam, ab omni latrocinio ſpe celerius eam liberauit. Hæc Diodorus. Hanc de ſeruis victoriam Euſebius ad initium ſequentis Olymp. refert, integra Olympiade tardius quam res poſtulet, quod Scaliger quoque notauit, & Pontacus. Cæterum de Phthiriaſi, qua Romæ extinctus ſit Eunus, etiam Plut. in Sylla author eſt.

IX. *Mors Euni ſeruorum ducis.*

SCH LIVM IN ANNVM MVNDI 3922.

l. N. II.

Sic legendum puto. Nam quod aliqui libri habent octo millia armatorum, trecenta lixarum, manifeſtus eſt error: ſic enim ſingulis armatis, plus quam 37. lixas adiunxeris. In quibuſdam codicibus legi octingenta millia armatorum, & trecenta millia lixarũ: errore maiore; neque enim eo tempore tanti exercitus cogebantur, præſertim in vna Syria, aut Cilicia, in Oroſio l. 5. c. 10. habetur, eum 100. millia armatorum in exercitu ſuo habuiſſe, & ducenta millia calonum & lixarum, immiſta ſcortis & hiſtrionibus: parum ſane probabiliter. Itaque legẽdum arbitror octoginta millia armatorum, triginta lixarũ vt legitur in emendationibus libris, & manebit, nihilominus iuſta in ſequentibus admiratio.

ANNVS MVNDI 3923. SEXTÆ ÆTATIS 407.

REGNI GRÆCORVM 181. DEMETRII NICANORIS 15. ANTIOCHI SIDETIS 8. IOANNIS HYRCANI PONTIFICIS 4. PTOLEMÆI EVERGETIS 15. OLYMPIADIS CLXII. AN. 2. VRBIS CONDITAE 622. COSS. P. LICINIO CRASSO, L. VALER. FLACCO BELLI ASIATICI CONTRA ARISTONICVM 1.

ANNVS ANTE CHRISTVM 130.

I. *Antiochi Sidetis extrema.*

RES in Parthis ab Antiocho geſtas, eius interitũ, & reditũ fratris, magna breuitate perſtrixit Ioſephus. *Deinde*, ait, *cũ Arſace Partho Antiochus ſigna contulit, quo prælio victus, & vitã ſimul amiſit, & exercitũ. Syrorũ autem regnum frater eius recepit Demetrius, dimiſſus ab Arſace, quo tempore Parthorum regionem inuaſerat Antiochus.* Sic ipſe. At Iuſtin. l. 38. tribus præliis prius victorem fuiſſe dicit, vt ante diximus. Quæ autẽ ſunt huius anni, paulo vberius explicat hoc modo. *Phraates Demetrium in Syriam, ad occupandum regnum cum Parthico præſidio mittit, vt eo pacto Antiochus ad ſua tuenda à Parthia reuocaretur. Interim quoniam viribus non poterat, inſidiis Antiochum vbique tentabat. Propter multitudinem hominum exercitum ſuum Antiochus per ciuitates in hyberna diuiſerat: quæ res illi cauſa exitii fuit.* l. 13. c. 16.

II. *Mortis cauſa & modus.*

NAM *cum grauari ſe copiarum præbitione, & iniuriis militum ciuitates viderent, ad Parthos deficiunt, & die ſtatuta omnes apud ſe diuiſum exercitum per inſidias, ne inuicem ferre auxilia poſſent, aggrediuntur. Quæ cum nunciata Antiocho eſſent, auxilium proximis laturus, cum ea manu, quæ ſecum hyemabat, progreditur. In itinere obuium regem Parthorum habuit, aduerſus quem fortius quam exercitus eius dimicauit. Ad poſtremum tamen cum virtute hoſtes vincerent, metu ſuorum deſertus occiditur: cui Phraates exequias regio more fecit, filiamque Demetrii, quam ſecum Antiochus adduxerat, captus amore virginis, vxorem duxit. Pœnitere deinde dimiſſi Demetrii cœpit.* Nimirum ſublatus erat Antiochi morte metus, propterquem eum dimiſerat. *Ad quem retrahendum cum turmas equitum feſtinatò miſiſſet, Demetrium hoc ipſum metuentem, iam in regno miſſi inuenerunt: fruſtraque omnia conati, ad regem ſuum reuerſi ſunt.*

III. *Alia de eius morte ſententia.*

POSTREMA hæc verba non obſcure ſignificant, quod ante diximus, Demetrium non ante hunc annum in patriam remiſſum fuiſſe. Appianus in Syriacis, ait Antiochum cum Parthis prælio congreſſum, & victum, ſibi manus intuliſſe: Gorionides in illa pugna cecidiſſe. l. 4. c. 4. Arſaces Parthus, ait Euſebius, Antiochum interfecit. Ælianus l. 10. de Animal. c. 34. ait Antiochum, qui è Syria ad Medos profectus fuerat, (nimirum Medi tum Parthis ſubditi erant, ſicut & Perſæ,) ad Syros non eſſe reuerſum, ſed rebus male geſtis, de quodam loco ſe præcipitem deieciſſe.

IV. *Ex 1. Machab.*

SED his de morte Antiochi huius opinionibus, addenda eſt altera, ex lib. Machab. [a] vbi cuiuſdam Antiochi mors deſcribitur, de qua priuſquam dicamus, de quo Antiocho agatur inquirẽdum eſt. Quidam enim exiſtimarunt eum fuiſſe An- a c. 1 v. 13.

tiochum Magnum, qui templum Dindymæi Iouis, vel Beli expilare volens, cum ſuis interfectus eſt, vt tradit Iuſtin. l. 32. & Strabo l. 16. qua de re pluribus in eius morte egimus: [a] & hæc opinio à D. Thoma, Lyrano, Catthuſiano, & Melchiore Cano recepta, & probata eſt.

a anno V. C. 365. n. 19. 20. & ſeqq.

Num mors Magni Antiochi ibi deſcribatur.

Sententiã tamẽ hanc Scriptura ipſa refellit, quæ profitetur ſe narrare mortẽ Regis, contra quem Iudæi dimicauerint, & qui vice verſa pugnarit contra Iudæos, & ciuitatem ſanctam, [b] quod in Antiochum Magnum nõ cadit, qui Iudæos beneuolẽtia proſecutus eſt, vt Ioſephus autor eſt, [c] nec in eos arma mouit. Adde quod recẽtem narrãt de Iudæorum hoſte vltionem, & quæ nouam gratias agendi Deo cauſã præbeat, ex quo videlicet ad Iudæos Ægyptios Hieroſolymitæ ſcripſerant; anno centeſimo ſexageſimo nono. At Magnus Antiochus ante annos octo & quinquaginta mortuus erat, anno nimirum regni Græcorum 124.

b v. 11 & 12.
c l. 12. c. 3.

V.
Aut Epiphanis, & qui ita ſentiant.

ALTERA ſententia putat hunc eſſe Antiochum Epiphanem, quem conſtat maxime omnium contra ciuitatem ſanctam pugnaſſe, & eam cum templo maximis cladibus affeciſſe: vice autem verſa Iudæos, Mathatia, & Iuda Machabæo ducibus, cõtra eius duce, ſæpe feliciter pugnaſſe. Sed mortis genus, quod hoc loco deſcribitur, etiam iis qui hanc ſententiam ſequuntur, non videtur Antiocho conuenire. Itaque negãt in eo templo eſſe occiſum, ſed elapſum ſuis occiſis, vt poſtea diuina plaga interiret, vt priore lib. c. 6. poſteriore c. 9. deſcribitur. Vt autem elapſum probẽt, nonnullã vim Scripturæ videntur afferre. Eſt hæc ſententia Pererii, [d] Bellarmini, Tornielli Emanuelis Sa, qui non putat epiſtolam hanc habere autoritatem Script. ſicut nec cæteras Spartiatarum, Romanorum, & aliorum, & ſolum Scripturam referre, ita tales ſcripſiſſe. Ego ſane fateor, hanc aſſertionem mihi ſemper duram fuiſſe viſam; opinor & pleriſque aliis prudentibus viris. Nam idem propemodum de toto hoc libro dici poterit, in quo per Epitomen referuntur, quæ à Iaſone Cyrenæo quinque libris fuerant comprehenſa, vt ſcriptum eſt [e] ſub initium ſecundi libri.

d ſub fi. l. 9. in Dan. Bellar. t. 1 l. 1 de verb. Dei c. 11. Tornielli a. m 3891. n. 4.
e l. 2. c. 2. v. 24.

VI.
Aut potius Antiochi Sidetis, & qui ita ſentiãt.

TERTIA ſententia eſt Ruperti l. 10. de vict. verbi Dei, [f] vbi ait hunc Antiochum fuiſſe filium Demetrii Soteris, fratrẽ Demetrii, qui captiuus apud Parthos aliquot annis fuit, qui Tryphonem perſecutus eſt, & vicit; ſed & Iudæos in multis affixit, & Simone adhuc viuente, & poſt Simonem, filio eius Hyrcano principatum tenente. Eadem ſentit Sigonius in l. 2. Seueri, Michael Medina l. 6. de recta in Deũ fide c. 13. Serar. in 2. Mach. q. 10. quæ nobis quoque probatur. Primo, quia Antiochus iſte hoc tempore vixit, cæteri Antiochi, aut antiquiores ſunt, vt Magnus, quem ante 58. annos mortuum diximus, vt Epiphanes, qui à 33. aut poſteriores vt Gryphus, vt Cyzicenus; quorum ille regnare cœpit poſt 190. annos regni Græc. hic autem poſt ducenteſimum. Secundo, quia ipſi recte illa verba conueniunt, quibus Iudæi ſe fatentur de magnis periculis liberatos, quippe qui biennium fere obſidionem, eo oppugnante pertulerint; & ſe aduerſus eum dimicaſſe, tam ante obſidionem, viuo Simone, quam poſt ipſius mortem, in obſidione Hyrcano duce.

f c. 6. 16. & & 24. & habetur in gloſ. ordin. init. l. 2. Machab.

Cõfirmatur eadem ſententia.

TERTIO ipſe eſt, qui abduxit in Perſidẽ, & regiones Aſiæ ſuperioris eos, qui pugnauerũt contra Iudæos, & obſederunt Hieroſolymam. Vnde Iuſtinus l. 38. ait Antiochum aduerſus Parthos exercitum duxiſſe, quem multis finitimorum bellis indurauerat. Quarto conſtat omnium confeſſione eundem in illis regionibus interẽptũ. De modo autem cædis non cõuenit inter omnes, vt patet ex iis quæ ſupra retulimus: vt non mirum ſit eam quoque aliter, aut à Iudæis, aut à Iaſone Cyrenæo eſſe relatam; quæ enim ex remotis regionibus referuntur, varie nũciari ſolent. Nec obſtat quod reconciliatus Iudæis, eoſdem habuit commilitones, vt propterea de eius morte non ſibi cõgratulaturi fuiſſe videantur. Nam merito hominem ambiguæ & inconſtantis fidei, in poſterum, ſi victor fuiſſet, metuebant, qui à principio maximã cum Simone beneuolentiã præ ſe tulerat, [g] moxq. ruperat omnia, quæ cum eo pactus fuerat. Quin & Demetrius ipſe, qui tam beneuole omnia Iudæis cõceſſerat, poſt reditũ Hyrcano bellũ inferre conatus eſt, vt ait Ioſephus. Refertur autem hoc modo.

g vt patet l. 1. c. 16. v. 1. & ſeqq.

Explicatur ex Script.

IPSE *ebullire fecit de Perſide eos, qui pugnauerunt contra nos, & ſanctam ciuitatem*, in Græco Vatic. & regio legitur. Ipſe enim ebullire fecit eos qui pugnarũt in ſancta ciuitate. In Baſi. redditur in Perſidem, quam dictionem Vatic. codex & regius ad ſeq. periodum referunt. Rectius tamen videtur ad priorem pertinere, cum ſit εἰς τὴν περσίδα in quarto caſu, [h] & ita legit Vatablus. Omnes tamen Græci, ſemel tan-

h non ἐν τῇ περσίδι in tertio.

tum vocem Perſidis habent, quam editio vulgata claritatis cauſa repetiit; ſed in priore loco, in Perſidem legendum eſt. Non enim de Perſide eruperunt, & quaſi aquæ de ſcaturigine, vel ranæ de Aegypti fluuiis & paludibus ebullierunt,[a] ſed de Syria, & Iudæa, & Phœnice, & Cicilia, & irruerunt in Perſidem. Pergit author. [a] Exod. 8.3.

Nam cum in Perſide eſſet dux ipſe, & cum ipſo immenſus exercitus, ἀνυπόστατος δοκοῦσα εἶναι δύναμις, exercitus qui videbatur intolerabilis, & cui reſiſti non poſſet, (de magnitudine exercitus ex Iuſtini trigeſimo octauo diximus.) [b] *Cecidit in templo Naneæ, conſilio deceptus ſacerdotum Naneæ*, vel vt alii vertunt, conciſi ſunt fraude vſis Naneæ ſacerdotibus: recte, nam infra membratim conciſos dicit; aut detruncati ſunt, nam κατακοπὴ eſt detruncatio, deciſio, & mox capita eorum deciſa dicuntur: hæc eſt ſumma rei, ſequitur particularis explicatio. [b] a. m. 3912. n. 2.

IX. *Antiochus deam Naneam ducere voluit.*

ETENIM *cum ea habitaturus, venit ad locum Antiochus, & amici eius, & vt acciperet pecunias multas dotis nomine.* In Græco, tanquam cum ea habitaturus; cohabitatione ſcilicet coniugali. Iſti enim reges ſe cum deabus matrimonium inire credebant, illudente cacodæmone, aut certe fingebant. Nam ſicut hic Antiochus Naneam deam ſponſam accipere videri voluit, ita Antiochus Gryphus ſe Lunæ maritum iactauit; & poſt eum item Antiochus Cyzicenus, atque eius filius Antiochus Euſebius: omnes hi ſponſam Lunam, ſi ſuperis placet, habuerunt; vt Numa nympham Egeriam, Anchiſes Venerē, Eliogabalus Vraniam, Antonius [c] Mineruam. Hic ergo Antiochus Naneæ ſponſæ dotem accepturus, venit in templum cum amicis, pergit Scriptura. *Cumque propoſuiſſent eas* pecunias, *ſacerdotes Naneæ, & ipſe cum paucis ingreſſus eſſet intra ambitum fani, clauſerunt templum, cum intraſſet Antiochus: apertoque occulto aditu templi, mittentes lapides percuſſerunt ducem, & eos qui cum eo erant, & diuiſerunt membratim, & capitibus amputatis foras proiecerunt. Per omnia benedictus Deus, qui tradidit impios.* [c] an. V.C. 714. n. 2. l. de vir. illuſt. n. 3.

Lapidibus obruitur.

X. *Res ex alia verſione declaratur.*

TIGVRINA ex Græco, ſic habet. *Vbi ille cum paucis delubri ambitum intrauit, occluſo poſt ingreſſum ipſum templo, apertoque laquearis occulto oſtio, coniectu lapidum quaſi fulminantes, ducem* cum ſuis, *obruerunt, confectoſque membratim, amputatis capitibus foras proiecerunt.* Vanum eſt autem fingere occultum oſtium, per quod elapſus ſit Antiochus; id enim oſtium erat in laqueari, φάτνωμα enim laqueare eſt, ex quo ſacerdotes lapides, fulminis inſtar, intorquebant in Antiochum, eiuſque ſocios in templo inferius concluſos: Num vnus Antiochus, per ingruentem lapidum grandinem, euolauit in delubri teſtudinem, vt inde tranſiens ignotus per medium illorum abiret? Vanum quoque hic ducem à Rege ſeparare; nam clarum eſt ex verſu vndecimo & decimo tertio, eundem Antiochum modo regem, modo ducem appellari, & v. 16. vbi dicitur percuſſerunt ducem, in Græco non additur, *cum ſuis*, vt nominatim ipſe ANTIOCHUS, qui erat ingreſſus, lapidibus obrutus intelligatur. Iſtam porro Naneam eſſe Venerem pluribus diſputat Serar. q. 7. Hactenus de Antiocho; redeamus cum Pontifice in Iudæam.

XI. *Expeditio Hyrcani Pontificis.*

PORRO Ioannes filius Simonis, in hac expeditione Hyrcani nomen eſt conſecutus: ſiue quod primus Iudaicorum pontificum, tam longinquam expeditionem ſuſcepit armatus; ſiue quod magnum quēdam regem Hyrcanum occidiſſet, vt ait Ioſephus Gorionides, apud Pōtacum. Qui & recte notat alieno loco illa verba Euſebii haberi *Ioannes dux Iudæorum & Pont. aduerſus Hyrcanos bellum gerens, Hyrcani nomen accepit*: ad hunc enim annum pertinent, quo inde incolumis rediit, non ad 4. Olym. ſeq. Eādem cognominis rationē affert Sulpit. Imo, vt ait Scal. hoc cōmentū Euſebii multi tam Græci quam Latini ſecuti ſunt, ſine vllo delectu. Quibus ſe ipſe opponens rem commentitiam putat, tum propter locorum diſtantiā, tum quia nihil erat Iudæo Ethnarchæ cum tam longinqua natione, & quia Ioſephus id tacuit: tum quia id cognomen vulgatiſſimum fuit. Denique ipſe ait Hyrcanum nunquam tranſiſſe Lycum fluuium, cumque fuiſſe terminum expeditionum eius, quando illuc Regem comitatus, Indathe victo, Antiochus Antiochiam, Hyrcanus in Palæſtinam rediit. Sic ipſe.[a]

A Scaligero dicitur commentitia.

XII. *Refutatur Scaliger de Antiocho.*

QVI cum tam aperto mendatio claudat ſententiam ſuam, facile intelligitur quantum illa fidei mereatur. Nam vt omittam Scripturam ſecundi Machabæorum, cum interpretatione Ruperti, & aliorum ex Appiano, Iuſtino, Ioſepho, Æliano, Gorionide, Euſebio, quos retulimus, quoſque recentiores omnes [a] quod perſuaſit Gordono c. 16. n. 30.

omnes ſecuti ſunt, conſtat Antiochum in hac expeditione occiſum, non reuerſum Antiochiam: nec poteſt vllum proferre teſtem hic Emendator affirmationis ſuæ. Quod ſi non negat in Parthia, alteram eius expeditionem comminiſcatur, neceſſe eſt, quæ à nullo vnquam mortalium audita ſit. Audax quoque, & ſine teſte vllo eſt eius aſſeueratio, cum affirmat Hyrcanum ex Lyco fluuio rediiſſe in Palæſtinam: quæ vox eadem facilitate refellitur, qua probatur, neque enim Ioſephus id dicit, aut Nicolaus ille Damaſcenus, quem refert Ioſephus. Sed communē multorum Græcorum Latinorumque ſententiam, (habemus enim id confitentem reum;) quomodo refellit? Hyrcaniam inquit & Palæſtinam.

Et Hyrcano

a l.13 c.16.

Longa procul longis via diuidit inuia terris.

Quid tum? nihil erat, quod illic ageret; vnde noſti? Non erat quod comitaretur Antiochum Pium, quo cum recens amicis conditionibus pacem inierat? Non erat quod conaretur liberare Demetrium regem captiuum, qui non ita pridem cum Patre Simone, & gente Iudæorum beneuolentiſſime tranſegerat? vt habet Script. quid ergo erat cauſæ, cur non de vtroque rege bene mereretur, ad pacem & tranquillitatem gentis ſuæ?

b l.1.c.13.36

A t Ioſephus id tacuit. Ego ſane lego in Ioſepho. [c] expeditionem in Parthos habente Antiocho vna profectus eſt; paulo quippe ante dixerat, inita erat ipſi cum Antiocho amicitia & belli ſocietas, propterea que [e] primus Iudæorum cepit peregrinum militem alere.

XIII. *Nec Ioſephum id tacere.*

c l.13.c.16. καὶ πολεμῶν τὸν ἐπὶ Πάρθους αὐτῷ στρατευόμενον συνεξώρμησεν ὑρκανός.
d γίνεται δ' αὐτῷ, καὶ πρὸς Ἀντίοχον φιλία καὶ συμμαχία.
e πρῶτος ἰουδαίων ξενοτροφεῖν ἤρξατο.

Cæ t e r v m Hyrcanus, vt inquit Ioſephus, [f] audita morte Antiochi, confeſtim ad vrbes Syriæ reduxit exercitum, ratus id quod erat, inuenturum ſe eas vacuas propugnatoribus, qui eas tutari poſſent. Medabam igitur non ſine labore ſexto demum menſe vi cœpit. Hæc eſt vrbs, ex qua exeuntes fili Zambri, comprehenderunt Ioannem fratrem Ionathæ, & Simonis, & interfecerunt eum, moxque vltoribus iiſdem fratribus pœnas dederunt, vt eſt in lib. 1. Machab. [g] quæ etiam cauſa videri poteſt, cur eam Hyrcanus ſubiugarit. Eam in extremo tribus Rubem ad torrentem Arnon collocat Adrichomius. Hieronymus vrbem Arabiæ eſſe dicit.

XIV. *Hyrcanus redit in Syriam. Expugnat Medabam.*

Deinde Samegam cum vicinis oppidis, ſiue pagis, *Et inſuper Sicima, atque Garizim cum gente Cuthæorum, quæ accolebat templum inſtar Hieroſolymitani extructum, permiſſu Alexandri à Sanaballete duce in gratiam generi ipſius Manaſsis, qui fuerat frater Iaddi pontificis, vt ante dictum eſt.* [h] Incidit autem, inquit, huius templi deſolatio poſt annum ducenteſimum. Recte ſubduxit annos. Nam conditum, ait Ioſephus, libro vndecimo capite vltimo, quo tempore Alexander Tyrum obſidebat, id eſt anno Vrbis Conditæ quadringenteſimo vigeſimo primo. Itaque hic primus eſt annus poſt ducenteſimum. Nec plura hoc anno videntur ab Hyrcano geri potuiſſe. Longum enim eſt iter ab Hyrcania, & Medaba ſex menſes tenuit, vt reliqua vix ante hyemem abſolui potuerint; præſertim cum Sicima, quæ ad montem Garizin ſita erat, caput eſſet Samaritanorum, vt idem Ioſephus ait, libro vndecimo capite vltimo.

f l.13.c.17.
g c.9.36.
h l.11.c.vlt.

D e m e t r i v s autem vbi rediit ad ſuos, cum omnis Syria eſſet in luctu, propter amiſſum ingentem exercitum, & ipſe redux populum ſuum humaniter tractare, & conſolari debuiſſet, pro innata ſuperbia, ac morum aſperitate, ſuperbe ſe crudeliterque geſſit; vt eos breui ad defectionem coëgerit, vt conſtat ex Iuſtino libro trigeſimo nono, & Ioſepho libro decimo tertio capite decimo ſeptimo: præſertim cum malo domeſtico affligeretur, Ægyptia ſcilicet Cleopatra Philometoris filia, quæ quartum iam maritum mutarat. Primum enim nupſerat Alexandro Balæ, ex quo ſuſcepit Antiochum Deum, quem Tryphon interfecit. Secundo Demetrio Nicanori, ex quo genuit Seleucum & Antiochum Gryphum, qui poſtea ad duodecim annos regnauit: tertio Antiocho Sideti, ex quo ſuſcepit Antiochum Cyzicenum: quarto rurſus Demetrio Nicanori, ex Aſia reduci; ab ea tamen, propter Rhodogunes zelotypiam repulſus eſt, vt ſequentia docebunt, & teſtatur Ioſephus, Appianus, Iuſtinus.

XV. *Demetrius redux male ſe gerit in Syria. 4. viri Cleopatra Syræ.*

Interea Cleopatra ſoror & coniux Ptolemæi Euergetis, cum fraterno bello vrgeretur, per legatos à Demetrio rege Syriæ recens ex Parthis reuerſo auxilium petit, & regnum Aegypti pretium auxilii pollicetur, vt tradit Iuſtinus, ſed id non an-

Cleopatra Aegyptia opem à Demetrio petit

li 38. & 39.

te annum ſequentem videtur attuliſſe Demetrius, & quidem maiore damno ſuo, quam Reginæ Ægyptiæ vtilitate.

XVI. *Bellum contra Ariſtonicum Pergamenum.*

Hoc anno bellum à Romanis contra Ariſtonicum infœliciter inchoatum eſt. Belli cauſa fuit Pergami regnum quod ante biénium Attalus moriens populo Ro. teſtamento legarat, cum viuens æque ac moriens in conſanguineos parum æquus fuiſſet, vt ex Iuſtino ſupra dicebamus: qui de huius belli initiis hæc ſubdit. *Erat*, inquit, *ex Eumene Ariſtonicus, non iuſto matrimonio, ſed ex pellice Epheſia, citharistæ cuiuſdam filia genitus, qui poſt mortem Attali, velut paternum regnum inuaſit Aſiam*, idem de Ariſtonici genere alij quoque ſcribunt, vt Eutrop. & Florus, qui eum regij ſanguinis ferocem iuuenem appellat. Velleius tamen l.2. ait eum mentitum regiæ ſtirpis originem. Pergit Iuſtinus. *Cum multa ſecunda prælia aduerſus ciuitates, quæ metu Romanorum ſe tradere ei nolebant, feciſſet*, eas ciuitates Florus nominat Myndum, Samum, Colophonem, Addit Strabo Thyaticam, & Apolloniadem. *iuſtuſque Rex iam videretur, Aſia Licinio Craſſo Conſuli decernitur*, qui intentior Attalicæ prædæ quam bello, cum extremo anni tempore inordinata acie prælium conſeruiſſet, victus pœnas inconſultæ auaritiæ ſanguine dedit. l. 36.

XVII. *Craſſi clades mirabilis.*

Hoc porro fuit admirabilior Ariſtonici victoria, quod Eutropius, & cũ eo Oroſius,[a] aiunt Craſſum ſecum habuiſſe infinita regum auxilia. *Nam & Bithyniæ rex*, ait Eutrop. *Nicomedes Romanos iuuit: & Mithridates Ponticus, cum quo poſtea bellum grauiſſimum fuit, & Ariarathes Cappadox, & Pylæmenes Paphlagon: victus eſt tamen Craſſus, & in prælio interfectus. Caput eius Ariſtonico oblatũ eſt, corpus Smyrnæ ſepultum.* De genere mortis nõnihil Florus,[b] & Oroſ.[c] diſſentiũt. Conſerto prælio, ait Oroſ. bello victus eſt Craſſus, & exercitu poſt plurimam cædem in fugam acto, cum ipſe iam circunuentus ab hoſtibus, & pene captus eſſet, virgam qua erat vſus ad equum, in oculum Thracis impegit. Barbarus autem cum ira & dolore exarſiſſet, latus Craſſi gladio tranſuerberauit. Ita ille excogitato genere mortis, effugit & dedecus & ſeruitutem. eadem habet Valer Max.[d] Mortem eius in initium anni ſequentis Velleius, & Obſequens referunt, vt notauit Sigon. Atque ita mortuus eſt P. Licinius Craſſus Mutianus, è familia ſcilicet Mutiorum in Craſſorum familiam adoptione tranſlatus, vir, qui vt ſcribit Gellius,[e] traditur quinque habuiſſe rerum bonarum maxima & præcipua, quod eſſet ditiſſimus, quod nobiliſſimus, quod eloquentiſſimus, quod Iuriſconſultiſſimus, quod Pontifex maximus. nihilominus, ſi Iuſtino credimus, tot titulis illuſtre caput, auaritia dominante deſectum eſt.

Mortis eius modus. *Quæ habuerit eximia.*

[a] l.5.c.10. [b] l. 2.c.20. [c] l.c. [d] l.5.c.2. [e] l.1.c.13.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3923.

1. N. IX. Apud Dionem l. 48. vbi dicitur Antonius in Græciam ex Italia reuerſus, inter alia quæ contra patrium morem agebat, Bacchum ſe alterum nominauit, idque nominis ſibi tribui ab aliis voluit. Cumque Athenienſes inter reliquos honores, ei etiam Mineruam deſpondiſſent, probare ſe id matrimonium dixit, dotiſq; nomine quadragies ſeſtertiũm exegit, in Græco, καὶ χιλίας μυριάδας ἱκανὰς παρ' αὐτῶν ἐξέπραξεν, centum myriades, drachmarum ſcilicet Atticarum, quarum ſingulæ valent 4. ſeſtertios, & decem drachmæ 40. ſeſtertios, & mille drachmæ, 4. millia ſeſtertiorũ & cẽtum myriades drachmarum quadringentas ſeſtertiorũ myriades, ſiue quadragies ſeſtertium, quos ſingulos Cenalis æſtimat aſſe duodenario: centum ergo myriades drachmarum valebunt coronatos 60. ſolidorum, 66666 ⅔. ſiue ducenta Francorum millia, χιλίας, vero idem eſt quod in textu noſtro, εἰς φερνῆς λόγον, ratione dotis.

2. N. XVI. De Cuthæis ſæpe Ioſephus, nominatim in fine l. 11. & init. 12. & 1307. hi ſunt qui ex Perſis mediſque profecti, ex quo decem tribus eo tranſlatæ fuerant, 4. Reg. 17. Samariæ vrbes incoluere.

ANNUS MUNDI 3924. SEXTAE AETATIS, 408. IMPERII GRÆCORUM 182. DEMETRII NICANORIS 16. IO. HYRCANI PONT. 5. PTOLEMÆI EVERGETIS 16. OLYMPIADIS CLXII. AN. 3. VRB. COND. 623. C. CLAUDIO LENTULO, ET M. PERPERNA COSS. BELLI ARISTON. 1.

ANNUS ANTE CHRISTUM 129.

li.13.c.14. REFERIMUS deinceps in hunc annum Hyrcani geſta aduerſus Idumæos, ordine narrationis à Ioſepho inſtitutæ; necnon expeditionem Demetrij in Ægyptum, & Syriæ defectionem, quam Iuſtinus ordine ſuggerit. *Hyrcanus*, inquit Ioſephus, *etiam Idumææ vrbes cepit Adoram, & Mariſſam, ſubiugatiſque omnibus Idumæis edixit, vt circunciderentur, niſi mallent è proprijs pelli ſedibus. At illi amore patriæ admiſerunt & circunciſionem, & reliquam iuxta Iudaicos ritus viuendi formulam: atque ex eo primùm tempore inter Iudæos cenſeri cœpti ſunt.* Habes hic iterum Doram, ſiue Adoram Idumæam, quam Ioſephus contra Apionem, cauſæ ſuæ ſeruiens, negauit vllam fuiſſe. Non enim putauit, cum patronum ageret, ſe ad hiſtoricam fidem teneri. Cæterum Hyrcanus recte Idumæos, Eſau & Abrahæ filios, ad circuncisionem adegit, ad quam Deus totam poſteritatem Abrahami obligauerat. Ad reliquam legem videri poterant non teneri, quæ filiis Iacob data fuerat: ſed occurrit Paulus Apoſtolus. [a] *Teſtificor*, inquit, *omni homini circuncidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ.* Recte igitur & cæteros ritus amplexi ſunt. I. *Idumæi ad Iudaiſmũ tranſeunt.*

a Galat.5.3.

HYRCANUS porro late in vniuerſa Iudæa rerum potitus eſt. Demetrius quippe Rex, etſi cuperet Hyrcano bellum inferre, opportunitatem tamen non habuit; tum quia inuiſus erat tam Syris quam militibus propter improbitatem morum, vt ait Ioſephus; tum quia Ægyptiaca expeditio præponderabat, quæ longe futura glorioſior, atque fructuoſior videbatur. Idumæi autem à meridie, Ammonitæ ab Oriente, Samaritani à Septentrione recens domiti erant. ab Occidente tamen Gaza, & Accaron, & Ioppe, & reliquæ vrbes maritimæ, in eius poteſtate non videntur fuiſſe, vt poſtea ex literis Prætoris Fannij intelligetur. Itaque ad externa firmamenta Romanorum cœpit reſpicere, vt quæ aderant firmarentur, quæ deerant eorum autoritate reſtituerentur. Et hoc fuit argumentum & finis legationis ab Hyrcano Romam hoc anno, vt arbitror, miſſæ: de qua ſequenti anno, quo putamus obitam, plenius dicemus. Quod certius affirmare poſſemus, ſi Ioſephus in ea referenda non ſolum Prætorem, ſed etiam Conſulem nominaſſet. *Hyrcanus pontifex*, inquit, *renouaturus cum Romanis amicitiam, miſit legatos ad Senatum, vbi recitatis eius literis amicitia impetrata eſt.* II. *Hyrcani potentia, & quies à Demetrio.* *Mittit Romam legatos.*

DEMETRIUS autem cum bellum Ægypto inferre ſtatuiſſet, inquit Iuſtinus l.39. Cleopatra ſocru regnum Ægypti, precium auxilij aduerſus fratrem pollicēte, dum aliena affectat, vt aſſolet fieri, propria per defectionem Syriæ amiſit. Quare Cleopatram Ægyptiam ſocrũ vocet Demetrij ſatis intelligitur. Nam vxor Demetrij erat filia Philometoris, Cleopatra autem Ægyptia ſoror eiuſdem Philometoris, eademque vxor: quæ etiam hoc tempore vxor erat & ſoror Euergetes, qui Philometori in regno Ægypti ſucceſſerat. Defectionem vero Syriæ ſic explicat Iuſtinus. Siquidem Antiochenſes primi, duce Tryphone execrantes ſuperbiam Regis, quæ conuerſatione Parthicæ crudelitatis intolerabilis facta erat, mox Apamenij, cæteræque ciuitates exemplum ſecutæ, per abſentiam Regis à Demetrio defecere. Quis fuerit iſte Tryphon non apparet, ille certe quem Scriptura [b] commemorat, iam ab annis ſex erat extinctus. Iuſtinum nonnihil tempora Demetrij & Tryphonis confudiſſe affirmare auſim: nec deeſt qui aſſerat hæc alieno loco aſſuta eſſe, quod Tryphon ante decennium perierit, [c] quam Chronologium non probamus. III. *Demetrius adit Ægyptum.* *Eoque abſente Syria deficit.*

b l.1.Mach. c.13.14.& 15.

c Capel.2. Vr.616.

Interea vero cum Euergetes in Cypro exularet, mittunt ad eum Syri legatos rogantes, vt aliquem ex Seleuci genere eis daret, quem poſſent ſibi regem conſtituere, vt Ioſephus ait. Sed is non ante ſequentem annum miſſus eſt, cum iam Demetrius in Syriam reuertiſſet, vt ex Iuſtino dicemus.

IV. *Africani cum Carbone populoque contentio.* Romani autem neque domi quieti fuerunt, neque Ariſtonicum diu de victoria lætari permiſerunt. Nam vt habetur in epit. 59. Cum C. Carbo Trib. plebis rogationem tuliſſet, vt eundem Tribunum plebis quoties quidem vellet creari liceret, rogationem eius P. Africanus grauiſſima oratione diſſuaſit, in qua dixit Tib. Gracchum iure cæſum videri. Gracchus contra ſuaſit rogationem, ſed Scipio tenuit, id eſt, vt arbitror, propoſiti tenax fuit. Velleius hoc Africani dictum aliter refert. Cum interrogante, inquit, Tribuno Carbone quid de Tib. Gracchi cæde ſentiret, reſpondit, ſi is occupandæ Reip. animum habuiſſet, iure cæſum. Et cum omnis concio acclamaſſet. Hoſtium, inquit, armatorum totiens clamore non territus, quî poſſum veſtro moueri, quorum nouerca eſt Italia? vel vt habet author de viris illuſtr. Obſtrepente populo. *Taceant*, inquit, *quibus Italia nouerca non mater eſt*, & addidit, quos ſub corona vendidi. Plut. in vita Gracch. id contigiſſe ait C. & Fuluio in concione rogantibus. Hi triumuiri fuere, de quibus anno ſequenti. num. 58.

V. *Fuga & mors Scipionis Naſicæ.* Ad hunc annum Scipionis Naſicæ mortem videtur referre Plutarch. in vita Gracch. Acerba, inquit, populo Tiberij cædes erat, & præ ſe ferebat vltionis opportunitatem expectare: Et vero iam Naſicæ iudicia intentabantur. Cui Senatus ad ſecuritatem liberam legationem in Aſiam decreuit. Neque enim obſcure ferebant homines in occurſu eius indignationem ſuam, ſed efferabantur, & clamore inſurgebant in eum, ſi quando obuiam daretur, nefarium & tyrannum appellantes, qui corporis ſacroſancti nece religioſiſſimum Vrbis templum polluerat. Quare ceſſit Italia Naſica, licet maximo pontificatu eſſet deuinctus. Peregre autem palans vaganſque huc illuc, breui poſt apud Pergamum obiit. Sic ibi. Paulo vero ante ait illum ſe in Aſiam ad Ariſtonicum contuliſſe: eiuſque labefactatis fortunis, ſibi ipſi manus intuliſſe. Ex quo apparet illum à Romanis ad Ariſtonicum transfugere voluiſſe, quoniam apud ſuos tutus eſſe non poterat.

VI. *Perperna vincit Ariſtonicum.* Iam vero de re geſta à M. Perperna Coſ. cui Aſia obtigerat, nemo diſtinctius loquitur Paulo Oroſio,[a] Perperna Cõſul, inquit, qui Craſſo ſucceſſerat audita morte Craſſi, & clade exercitus Rom. raptim in Aſiam peruolauit, Ariſtonicum recenti victoria feriatum, improuiſo bello adortus, nudatumque omnibus copiis in fugam vertit. Cumque Stratonicem vrbem, ad quam ille confugerat, obſidione cinxiſſet, trucidatum fame ad deditionem coëgit. Perperna Conſul apud Pergamum morbo diem obiit. Ariſtonicus Romæ iuſſu Senatus in carcere ſtrangulatus eſt. Sic ipſe. Eutropius quoque affirmat, de eo triumphari non potuiſſe, quia Perperna rediens apud Pergamum diem obierat. *Et Pergami moritur.* Mors tamen Ariſtonici ad ſeq. annum pertinet. Non recte ergo Iuſtinus in fine l. 36. ait Perpernam Attalicas Gazas hæreditarias populi Ro. nauibus impoſitas Romam deportaſſe; quippe qui in Aſia mortuus, Romam non redierit. Illud tamen veriſſime ſubdit. *Sic Aſia facta Romanorum cum opibus ſuis, vitia quoque Romam tranſmiſit.*

a l. 5. c. 10.

ANNVS MVNDI 3925. SEXTÆ ÆTATIS 409. IMPERII GRÆCORVM 183. DEMETRII NICANORIS 17. IO. HYRCANI PONTIF. 6. PTOLEM. EVERGETIS 17. OLYMP. CLXII. AN. 4. VRB. CONDITÆ 624. COSS. M. AQVILIO, ET C. SEMPRONIO TVDITANO. BEL. ARISTON. VLT.

in Euſeb. Chron. eſt Αἰμιος Νίτως.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 128.

a Ioſeph. l. 13. ca. 17.

IVDÆORVM [a] Romana legatio ad hunc annum pertinet, & reditus Demetrij in Syriam, & fuga Ægyptiæ Cleopatræ, & noui tyranni Alexandri Zebinæ in Syria ſuſcitatio. Reliquiæ item belli Aſiatici, Romana ſeditio triumuirorum, mors Africani Iunioris. Sed omnia hæc per compendia duntaxat, apud authores magna breuitate perſtringuntur. I. *Res anni huius.*

στρατηγός.

De legatione hæc habet Ioſephus. *Fanius M.F. Prætor, indixit Senatum in campum* 8. *Idus Febr.* is eſt dies 6. eiuſdem. Porro hunc Fanium putarem C. Fannium, qui poſt ſex annos Conſul fuit, cum Domitio Ænobarbo, niſi illum Prætorem Ioſephus vocaret M. filium, Cōſulem autem Cic. in Bruto C. filium appellaret. Quamquam in Prænominibus non infrequens eſt apud Scriptores diuerſitas. Eſt alius C. Fannius M. filius, in Lælio Cicer. qui gener Lælij fuit. Pergit Ioſeph. *Præſente L. Manlio L.F. Mentina, & C. Sempronio C. filio Falerna, propter eas res quas legati retulerunt, Simon Doſithei, Apollonius Alexandri, Diodorus Iaſonis, viri honeſti ac probi, miſſi à populo Iudæorum: qui etiam egerunt de amicitia & ſocietate, quæ eis intercedit cum populo Romano, & de negotiis publicis, vt Ioppe, & portus, Gazaraque, & fontes, atque vrbes reliquæ per Antiochum Sidetem ablatæ præter Senatus decretum, reſtituantur hæc omnia.* II. *Legatio Iudæorum Fannius Prætor.*

b l. 13. c. 16.

Hyrcanvs in conditionibus pacis cum Antiocho Ieroſolymam obſidente, Ioppem, & alias vrbes extra Iudæam occupatas reſtituerat, vt ſcripſit Ioſephus. [b] Nunc Antiocho defuncto, & Syriæ ac Ægypti rebus perturbatis, eas ope Romanorum recuperare contendit. Sequitur autem in decreto Senatus. *Néue militibus regiis liceat per regionem ipſorum, aut ſubditorum iter facere,* nimirum turmatim per cohortes vel legiones, *& vt eo bello per Antiochum attentata, præter decretum Senatus, fiant irrita, vtque legati à Senatu miſſi reddi curent quidquid Antiochus abſtulerat, & pretium agrorum æſtiment, qui eo bello vaſtati ſunt.* Illud ipſum bellum intelligit, quo Ieroſolyma obſeſſa eſt. *Et vt literæ commendatitiæ legatis dentur ad reges, & liberos populos, quo tutius poſſint reuerti in patriam. Quibus de rebus viſum eſt Senatui renouare ſocietatem, & amicitiam cum viris bonis, & miſſis à bono atque amico populo. De literis autem ſcribendis reſponſum eſt, curæ futurum Senatui quamprimum ab aliis negotiis vacauerit, & daturum operam ne vlla poſthac eis inferatur iniuria. Mandatumque eſt Prætori Fanio, vt ex publica pecunia legatis numeraret viaticum, quo commodius ſe referre poſſent in patriam. Atque ita publico ſumptu legatos Prætor domum remiſit, cum commendatitiis ad eos, per quorum loca erant tranſituri.* Potuerunt hoc ipſo anno in Iudæam perueniſſe, quippe per hyemem confectis Romæ negotiis, vere ſe in viam dare potuerunt. III. *Iudæis amiſſa reſtitui iubentur à Romanis.*

Demetrivs autem cum in Ægypto Syriæ defectionem intellexiſſet, propere Ægypto relicta, in qua ipſi cum Euergete pugnandum fuerat, in Syriam reuertitur. Cleopatra hoc orbata præſidio, Euergetis vim & crudelitatem reformidans, in Syriam ad generum confugit. *Ptolemæus vero Rex Aegypti,* ait Iuſtin. l. 39. *Bello ab eodem Demetrio petitus, cum cognouiſſet Cleopatram ſororem ſuam,* & coniugem repudiatam, *opibus Aegypti nauibus impoſitis, ad filiam, & Demetrium generum in Syriam profugiſſe,* redierat ergo in Syriam, *immittit iuuenem quendam Aegyptium Protarchi negotiatoris filium, qui regnum Syriæ armis peteret, & compoſita fabula, quaſi per adoptionem Antiochi regis receptus in familiam regiam eſſet, nec Syriis quemlibet regem aſper-* IV. *Demetrius redit in Syriam.* *Cleopatra ad eum fugit.*

Ptol. ſuſcitat tyrannum Demetrio.

nantibus ne Demetrij paterentur ſuperbiam, nomen iuueni Alexander imponitur, auxiliaque ab Aegypto ingentia mittuntur. Iſtum Alexandrum Ioſephus Zebinam cognominat, quem Euſebius in Chronico prætermittit, ſicut & Appianus in Syriacis. Nec nos tyrannum in ſerie legitimorum regum ponemus.

V. *Funus Sidetis ab Alexādro curatur.*

AT mirum eſt, Syros aliquem Regem Seleucidam à Ptolemæo petiiſſe, qui tres in promptu haberent, Antiochum cognomento Cyzicenum, filium Antiochi Sidetis, Seleucum, & Antiochum Grypum, filios Demetrij. Sed clarum eſt Syros repudiato patre, filios quoque non probaturos; quos etiam ſatis conſtabat non ſumpturos arma contra parentem, ille autem Cyzicenus, reliquorum frater vterinus erat, & Cyzici in Propontide educabatur. Spes denique auxiliorum ex Ægypto perſuadebat, vt inde potius regem peterent. Sed redeamus ad Iuſtinum.

Interea corpus Antiochi interfecti à rege Parthorum in loculo argenteo, *ad ſepulturam in Syriam remiſſum peruenit; quod cum ingenti ſtudio ciuitatum, & regis Alexandri, ad firmandam fabulæ fidem, excipitur: quæ res illi magnum fauorem popularium conciliauit, omnibus non fictas in eo, ſed veras lacrimas exiſtimantibus*, quaſi patrem à quo eſſet adoptatus in filium, deplorante. Pugnam vero, qua victus eſt ab eo Demetrius, ad annũ ſeq. arbitror pertinere; cædem vero, ad alterum deinde ſeq. Quoniam Euſebius, & alij paſſim, quatuor ei annos poſt mortem Sidetis tribuunt.

VI. *Reliquiæ belli contra Ariſtonicũ*

IAM vero quod ad reliquias belli Aſiatici. Appianus in Mithrid. Syllam inducit exprobrantem optimatibus Aſiæ, quod Ariſtonico contra Romanos, per quadriennium opem tulerint: ſed id vel amplificatorie, vt in querela dictum eſt, vel eos vno anno bellum auxiliis anteuertiſſe dicendum eſt. Florus de iis hæc habet. Mox à Perperna domitus & captus (Ariſtonicus) & per deditionem in vinculis habitus. M. Aquilius Aſiatici belli reliquias confecit, mixtis (nefas) veneno fontibus, ad deditionem quarundam vrbium: quæ res vt maturam, ita infamem fecit victoriam: quippe cum contra fas Deûm, moréſque maiorum medicaminibus impuris, in id tempus ſacroſancta Romana arma violaſſet. Sic ipſe. Triumphaſſe nihilominus, ſed poſt annum 3. in tab. Capit. legitur, ſiue quod rebus in prouincia ordinandis longiores traxerit moras, ſiue quod ei diutius pro triumpho certandum fuerit cum inimicis, à quibus etiam poſtea accuſatus eſt. Quod poſterius arbitror verius: & fortaſſe ipſemet Ariſtonicum, quem captum à Perperna in vinculis reperit, Romam duxit, non exiguum ad triumphum impetrandum momentum allaturum: Senatus tamen iuſſit ei in carcere frangi ceruices. Quod M. Aquilio Conſule contigiſſe Velleius ſcribit. l. 2. c. vlt.

Aquilij victoria. Et triumphus. Mors Ariſtonici.

VII. *Roma renouata ſeditiones.*

VRBIS porro ſeditiones nequaquam mortuo Tiberio Graccho extinctæ ſunt, ſed viuebat ignis *ſuppoſitus cineri doloſo*. Nam vbi terror mortis eius, ſociorumque nonnihil conſedit. Populus pro leuitate ſua, Tribunis aliis flammas iracundiæ miniſtrantibus, iraſci in optimates cœpit, ipſumque in primis Naſicam cædis authorem, vt ante dixi: adeo vt Senatus, & hunc dimittere ſub ſpecie legationis coactus fuerit, & plebis leniendæ cauſa, contentionem de agraria lege remittere, aliumque triumuirum Tiberij loco agris diuidundis deſignare, vt Plutarchus ait in vita Gracchorum. Hoc porro anno triumuiri fuerunt Fuluius Flaccus, C. Carbo, & C. Gracchus, quod Appius quoque Claudius vita functus eſſet, vt ait Appianus. Hi vt ſcribit Liuius, ſeditiones de agrorum diuiſione excitarunt, quibus cum P. Scipio Africanus aduerſaretur, fortiſque ac validus pridie domum ſe recepiſſet, ac de periculo ſalutis ſuæ conteſtatus eſſet, quod ſibi ab improbis & ingratis denunciari cognouiſſet, vt ait Oroſius, mortuus in cubiculo inuentus eſt. lib. 59.

Triumuiri agri diuidendi.

Mors minoris Africani.

VIII. *Coniux de ea ſuſpecta.*

SVSPECTA fuit, tanquam venenum ei dediſſet, Sempronia vxor, hinc maxime quod ſoror eſſet Gracchorum, cum quibus ſimultas Africano fuerat. Addit App. eam ob deformitatem ac ſterilitatem, nec amatã fuiſſe, nec amaſſe: de morte tamẽ eius nulla quæſtio acta, quo defuncto ſeditiones triumuirales acrius exarſerunt. Ita Epit. nec mirum. Nam duobus illis clariſſimis viris indigna morte ſublatis, cæteri merito ſeditioſis obſiſtere formidarunt, cum Senatus ipſe parum animoſus, iratæ, ac cupiditate inflammatæ ſeditioſis concionibus plebi vehementer cedere videretur, vt ne de tanti quidem viri cæde auderet inquirere, cum cœlum ipſum lætari videbatur, quando in eius morte gemini ſoles apparuiſſe dicebantur, altero videlicet ſole in cœlum illato, & in terris extincto. 2. de Nat. deorum. Hanc Africani

cædem pluribus perſequitur Appianus l.1.de bellis ciuilibus; eleganter autem deplorat Paterculus, & vitæ eius mortiſque certum tempus notat.

IX. *A Velleio deploratur.*

Reversvs *in vrbem*, inquit, *intra breue tempus, M. Aquillio, & C. Sempronio Coſſ. poſt duos Conſulatus, duoſque triumphos, & bis exciſos terrores Reip. mane in lectulo repertus eſt mortuus; ita vt quædam eliſarum faucium in ceruice reperirentur notæ. De tanti viri morte nulla habita eſt quæſtio, eiuſque corpus velato capite elatum eſt, cuius opera ſuper totum terrarum orbem Roma extulerat caput: ſeu fatalem vt plures, ſeu conflatam inſidiis, vt aliqui prodidere memoriæ, mortem obijt: vitam certe digniſſimam egit, quæ nullius ad id temporis, præterquam auito fulgore vinceretur. Deceſſit anno ferme quinquageſimo ſexto. De quo ſi quis ambiget, recurrat ad priorem Conſulatum eius, in quem creatus eſt anno 36. ita dubitare deſinet.* Sic Velleius. Sed ille ipſe annus quem refert, dubitationem non tollit, ſed ingerit. Si enim 36. vitæ eius fuit annus primi Conſulatus ipſius, qui cadit in annum Vr. Cond. 606. certe hic annus, qui eſt 624. erit vitæ Scipionis 54. & non 56.

Quot annis vixerit.

X. *Vixiſſe annos 56.*

Ad ſextum tamen & quinquageſimum annum perueniſſe, imo perfeciſſe, perſpicue docent illa verba maioris Africani in Somnio Scipionis. *Cum eris*, inquit, *curru capitolium inuectus, offendes Remp. perturbatam conſiliis nepotis mei* (Tib. Gracchū intelligit, quem Velleius l.2.vocat P. Africani ex filia nepotem) *Hic tu Africane oſtendas oportebit, patriæ lumen animi, ingenij, conſilijque tui. Sed eius temporis ancipitem video quaſi fatorum viam. Nam cum ætas tua ſeptenos octies ſolis anfractus redituſque conuerterit, in te vnum, atque tuum nomen ſe tota conuertet ciuitas, te Senatus, te omnes boni, te ſocij, te Latini intuebuntur: tu eris vnus in quo nitatur ciuitatis ſalus. Ac ne multa, Dictator Rempub. conſtituas oportet, ſi impias propinquorum manus effugeris.* Alludit perſpicue ad vxorem Semproniam. Et facile fuit poſt rem confectam vaticinari. Porro hæc de ſociis ac Latinis explicat Appianus l. 1. quem conſule. Cæterum ſepties octo ſunt 56. Quo poſito, neceſſe eſt Africanum minorem natum eſſe anno V. C. 569. Coſs. P. Claudio Pulchro, & L. Portio Licino. Ab illo enim anno ad præſentem 56. anni numerantur, ex quo etiam ſequitur, Scipionem 38. anno ætatis primum egiſſe Conſulatum, ſecundum autem quinquageſimo primo.

XI. *Res geſta à Sempronio Conſule.*

Porro Conſul C. Sempronius Tuditanus, vt ait Appianus, electus eſt iudex cauſarum, quæ in agrorum diuiſione plurimæ, ac difficillimę enaſcebantur, id agente Africano: ſed is rem aggreſſus, cum perdifficilem animaduerteret, prætextu Illyrici belli abiit in prouinciam. In qua, vt ait Florus Epit. 59. primo rem male geſſit, mox victoria cladem acceptam emendauit, virtute C. (D. potius) Iunij Bruti, eius qui Luſitaniam ſubegerat. De iiſdem etiam triumphaſſe habetur in tab. Capit. hoc ipſo anno 624. Cal. Octob.

Carneadis mors.

Carneades philoſophus nouæ Academiæ author genere Afer, patria Cyrenæus, hoc anno extinctus eſt, cum venenum ſponte bibiſſet. Defuncto autem illo, ait Laërtius, defectionem Lunæ factam aiunt, vt compati ſibi videri poſſit pulcherrimum poſt ſolem ſydus. Suidas ait ipſum etiam ſolem obſcuratum fuiſſe. Refert Apollodorus in Chronicis, humanis eum exceſſiſſe rebus, Olympiadis centeſimæ ſexageſimæ ſecundæ anno quarto, cum vixiſſet annos octoginta quinque. Pleraque de eo leges apud M. Tullium; plurimum enim dicendo valuiſſe Laërtius quoque teſtatur.

ANNVS MVNDI 3926. SEXTÆ ÆTATIS 410. IMPERII GRÆCORVM 184. DEMETRII NICANORIS 18. IO. HYRCANI PONTIF. 7. PTOLEM. EVERGETIS 18. OLYMP. CLXIII. AN. I. VRB. CONDITÆ 625. COSS. CN. OCTAVIO, ET T. ANNIO RVFO. SIVE LVSCO.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 127.

I. *Demetrius iterum victus regno pellitur.* *Ex Ioſepho.*

DEMETRIVS infœliciter hoc anno contra Alexandrum Zebinam, regni æmulum à Ptolemæo ſubmiſſum, pugnauit; nec mirum, quippe qui cum ſuis ſimul alieniſque pugnabat; eademque pugna & exercitum amiſit, & regnum. Nec tamen Zebinam tyrannum, quandiu ille vixit, regem agnoſcimus. De hac pugna ita Ioſephus. [a] *Cumque Ptolemæus miſiſſet Alexandrum Zebinam, commiſſo prælio Demetrius vincitur, & refugiens è pugna ad Cleopatram vxorem in Ptolemaidem, excluſus eſt ab ea: delatuſque inde Tyrum ab inimicis capitur, & diu miſere vexatus, tandem interficitur.* Hæc diutina vexatio cauſa eſt cur Demetrij mortem in annum ſeq. differamus, ſimul etiam vt 4. quos dixi annos, à reditu in Syriam, impleamus. a l. 13. c. 17.

II. *Et Iuſtino.* *Heredes Syriæ.*

DE eadem pugna Iuſtinus l. 39. Demetrius inquit, victus ab Alexandro cum vndique circunſtantibus malis premeretur, ad poſtremum etiam ab vxore, filiiſque deſeritur. Appianus ait vnum tantum è filiis nomine Seleucum adfuiſſe in Syria, Antiochum vero cognomine Grypum Athenis fuiſſe, alterum autem Antiochum Cyzicenum filium Sidetis fuiſſe Cyzici ad Propontidem.

Interea autem Ptolemæus, recõciliata ſororis gratia, in regnum reuertitur, vt teſtatur Iuſtinus, ſed quo potiſſimum anno incompertum eſt. Fuit certe hac Olympiade, quæ hoc anno inchoata, victorem celebrauit Timotheum Trallianum.

III. *Lælij conſolatio.*

MAGNA erat hoc tempore Romæ hominum vel admiratio, vel querela de morte Africani, vt ſcribit M. Tul. in Lælio, cum C. Lælius, qui cum Scipione intima iunctus fuerat amicitia, cum generis ſuis C. Fannio & Q. Mutio, de Amicitia ſermonem habuit, vt ſe ipſe ſuper amiciſſimi hominis morte conſolaretur, quem ſermonem Cic. mandauit literis, in libello quem inſcripſit de Amicitia. Nihil aliud Romanæ res hoc anno ſuggerunt, atque hoc ipſum poſſis ad præcedentem ſi placet annum referre: paucis enim diebus poſt Africani mortem, habitam eam diſputationem ſcribit ibidem Mar. Tullius.

ANNVS MVNDI 3927. SEXTAE AETATIS, 411. IMPERII GRÆCORVM 185. DEMETRRII NIC. 19. ET VLT. Hyrcani Pont. 8. Ptolemæi Evergetis 19. Olympiadis CLXIII. an. 2. Vrb. Cond. 626. Coss. L. Cassio Longino Ravila. L. Cornelio Cinna.

Ita Sigon. in tab. capit. Cuſpin. habet Rulla, Frontinus Rauilla.

ANNVS ANTE CHRISTVM 126.

DISTVLIMVS in hunc annum ſabbaticum 192. apud Hebræos, Demetrij Nicanoris mortem, vt quadriennium illi à reditu Parthico cum Euſebio tribueremus, vt ante diximus. De ea Iuſtinus non plane cum Ioſepho conſentit. Nam Iuſtinus l.39. ait eum ab vxore filiiſque derelictum, cum paucis ſeruulis Tyrum petiiſſe, vt ibi ſe templi religione, quaſi Aſylo tueretur: *ſed naui egrediens*, inquit, *præfecti iuſſu interficitur.* At Ioſephus ſcribit illum Tyrum delatum, ab inimicis captum, & diu miſerè vexatum, tandem interfectum eſſe. Id factum Cleopatræ iuſſu intelligendum eſt; quæ propterea ab Appiano in Syriacis, à Liuio in Epit. 60. maritum dicitur interfeciſſe. Nec eo ſcelere contenta dira Proſerpina, vltra etiam progreſſa eſt, vt mox dicemus. — I. *Demetrij mors.* — πολλὰ κακώσας.

De rebus Italicis nihil inueni memorabile. Illud tamen de C. Graccho ex Plutarcho in eius vita poſſumus addere. *Apparet*, inquit, *inuitum potius hunc* C. Gracchum, *incidiſſe in Reip. tractationem, quam conſilio. Siquidem Cic. Orator author eſt omnem honorem declinanti Caio, vitamque ſectanti otioſam, oblatum in ſomnio fratrem, hiſce eum appellaſſe verbis. Quid cunctaris Cai? nullum patet effugium, ſed eadem vtrique noſtrum vita, idem exitus pro populo agentibus in fatis eſt.* Hæc ipſe; quæ malus dæmon, turbarum & bellorum autor, & incentor ſub imagine fratris exhibuit, & quaſi fati neceſſitate perſuaſit. Itaque Reip. adminiſtrandæ ſe dedit, & proximo anno Oreſte Conſule factus eſt Quæſtor. Quamquam iam ante viuo fratre Triumuir agrorum diuidendorum electus fuerat, ſed id officium fuit, magiſtratus non fuit. Huius ſomnij meminit Valer. Max.[a] & Cicero 1. de Diuinatione. — II. *C. Gracchus ſomnio ad Rempub. euocatur.*

a l.1.c.8.

ANNVS MVNDI 3928. SEXTÆ ÆTATIS 412. IMPERII GRÆCORVM 186. SELEVCI 1. IOAN. HYRCANI Pontificis 9. Ptolem. Evergetis 20. Olympiadis CLXIII. an. 3. Vrb. Cond. 627. Coss. M. Æmylio Lepido. et L. Avrelio Oreste.

ANNVS ANTE CHRISTVM 125.

HVNC annum vocat Cenſorinus 628. ex Comment. xv. virorum, quo anno celebratos ait quartos ludos ſeculares. Cum Zebina victor Demetrij in Syria dominatur. Tyrannum tamen, & quidem ſacrilegum, legitimis regibus non annumerabo. Seleucus hoc anno vel regnum, vel regni nomen tenebit, cui illud quoque Scipionis occini poſſit; fœlix *ſi impias propinquorum manus effugeris.* Ita tamen dominatur Zebina, vt Demetrij familia non plane iaceret. Multa enim in poteſtate Cleopatræ, ab ipſo fuiſſe relicta, in gratiam, vt videtur, Ptolemæi eius patrui, ex eo ſatis conſtat, quod Seleucus Demetrij filius, & quidem, vt appa- — I. *Seleuci regnum.*

l. de die Nat. c.17.

ret, primogenitus regnare aggreſſus eſt. Sed Cleopatra mater, aut furia potius, furiali accenſa odio, ſcelera ſceleribus accumulans, adoleſcentem interfecit, cuius vitam & regnum, vel morte ſua quærere, ac protegere debuiſſet.

II. *A matre perimitur.* CLEOPATRA, inquit Liuius Epit. 60. Demetrium virum ſuum, & Seleucum filium, multum indignata, quod occiſo patre eius à ſe, iniuſſu ſuo diadema ſumpſiſſet, interemit. Ita ipſe; eadémque habet Iuſtinus l. 39. Appianus autem etiam modum mortis refert. *Seleucum,* inquit, *qui mox poſt Patris obitum diadema ſumpſit, ſagitta ſua manu emiſſa confixit, ſiue metuens ne ille patris necem vlciſceretur, ſiue eodem furore gerens omnia.* Ita Appianus. Sed hæc propemodum initia parricidiorum fuerunt, quibus iratus Deus, Regnum Syriæ & Aſiæ, vti iam cœperat, in Romanos tranſtulit. *Regnum enim a gente in gentem transfertur propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos.*[a] [a Eccli. 10. 8]

Hyrcanus cum Zebina fœdus init. DE Hyrcano vero hæc ſcribit Ioſephus.[b] *Alexander,* inquit, *regnum adeptus, fœdus feriit cum Hyrcano Pontifice,* vt ſcilicet ea ex parte res ſuas roboraret in Syria, contra filios Demetrij, & Antiochi Sidetis, à quibus merito tyrannidi ſuæ metuebat. Vtrum autem recte Hyrcanus tyranno ſe coniunxerit, & non Demetrij filiis, merito dubitari poſſet. Credibile eſt Pontificem non tam fœdus iniiſſe cum tyranno, quam populi ſui vexationem vitaſſe, eo tempore, quo nihil legitimo hæredi prodeſſe poſſet. Addit Ioſephus paulo poſt, Hyrcani res maximis ſucceſſibus auctas fuiſſe Alexandri Zebinæ tempore, quod ſecure interea totius Iudææ prouentibus frueretur. [b l. 13. c. 17.]

III. *Aetna & Lipara æſtus.* HIS Conſulibus, vt ſcribit Oroſ.[c] Ætna vaſto tremore concuſſa, exundauit igneis globis. Rurſuſque alio die Lipara inſula, & vicinum circa eam mare in tantum æſtum efferbuit, vt aduſtas quoque rupes diſſoluerit, tabulata nauium liquefactis ceris extorruerit, exanimatos piſces ſupernatanteſque excoxerit. Homines quoque, niſi qui longius potuere diffugere, reciprocato anhelitu calidi aëris, aduſtis introrſum vitalibus, ſuffocarit. Huius quoque anni prodigia memorat Iulius Obſequens. [c l. 5. c. 10.]

IV. *C. Gracchi Quæſtura laudabilis.* PROFECTVS eſt hoc anno contra Sardos Oreſtes Conſul, Quæſtore vſus C. Graccho, qui in ea inſula, vt ait Plutarchus in eius vita, omnis virtutis ſpecimen dedit, multoque omnem iuuentutem audacia aduerſus hoſtes, & iuſtitia aduerſus pacatos colenda antecelluit; etiam beneuolentia & reuerentia erga ducem: temperantia vero, frugalitate, induſtria vel maioribus natu præfulſit. Quantum autem gratia & eloquentia valeret, ex eo oſtendit, quod cum atrox ſimul & inſalubris hyems in Sardinia contigiſſet, nec imperatam veſtem à ciuitatibus Imperator obtinuiſſet, quin potius ciuitates eius oneris immunitatem à Senatu impetraſſent, Caius ciuitatibus aditis perſuaſit, vt veſtes Romanis militibus ſponte mitterent. *Gratia multum valet.* Secundo, quod cum Micipſa ex Africa frumentum in Sardiniam miſiſſet, legatos etiam Romam miſit, qui id à rege ſuo factum in gratiam C. Gracchi dicerent; non ſine offenſione Senatus, qui iam eum metuebat, ideoque ad triennium Oreſti in Sardinia prorogatum eſt imperium, vt ibi quoque Quæſtor Gracchus detineretur. Sed ille poſt biennium relicto Conſule à prouincia decedens, etiam factum ſuum populo miranti probauit, cum ei apud Cenſores dies dicta eſſet. Triennium habet Plutarchus, ſed biennium Gellius,[d] vbi verba ex illius oratione ſumpta recitat. Sed ne biennium quidem ibi integrum fuit, cum ſub ſequentis anni æſtatem Romæ factus ſit tribunus plebis. [d l. 15. c. 12.]

ANNVS MVNDI 3929. SEXTÆ ÆTATIS 413. IMPERII GRÆCORVM 187. ANTIOCHI GRYPI I. IOAN. HYRCANI PONTIF. 10. PTOLEM. EVERGETIS 21. OLYMP. CLXIII. AN. 4. VRB. CONDITÆ 618. COSS. M. FVLVIO FLACCO, ET M. PLAVTIO HYPSEO. BEL. ALLOBROGICI I.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 124.

I. *Initia Antiochi Gryphi.*

INITIVM regni Antiochi Grypi hoc anno conſtituimus, quo auxiliis nixus Regis Ægypti, Zebinam tyrannum victum captumque interfecit. Etſi Euſebius Grypi regni exordia differat in annum ſeq. forte quia non niſi ſub extremum hunc annum rerum potitus eſt: ſed nos hic regem ex regnandi iure potius, quam ex regni poſſeſſione agnoſcimus. Tyrannus enim regnum poſſidere poteſt, Rex eſſe non poteſt. Porro hic Grypus ſiue Gryphus à magnitudine naſi cognomen accepit, vt ait Iuſtinus; rectius alij, ab aduncitate naſi. Nam Gryps & Gryphus genus eſt auis, adunco naſo, in morem aquilæ. Vnde & Cyrum Xenophon γρυπὸν vocat, quod aquilino eſſet naſo, quales Perſis in honore erant, quod primus eorum Imperator Cyrus talis extitiſſet, vt ait Plutarch. in Apoph. Itaque non videtur id cognomen contumeliæ cauſa datum. Et quamuis aduncitas illa, virum magis quam mulierem deceat, ex ea tamen Gryphina filia Euergetis, ſiue, vt aliis placet, Philometoris appellata videtur, vt mox ex Iuſtino intelligetur.

II. *Zebinæ ſuperbia, & ruina.*

Porro qui ex humilibus orti principiis in magnam dignitatem caſu euehuntur, ſe ipſi propter anguſtias animi ſatis capere non poſſunt, ſed facile inflantur ſuperbia, & inſoleſcunt, etiam aduerſus eos, à quibus in altum ſunt euecti. Id probauit Zebina. Alexander, inquit Iuſtin. occupato Syriæ regno, tumens ex ſucceſſu rerum, ſpernere iam etiam ipſum Ptolemæum, à quo fuerat regno ornatus, ſuperba inſolentia cœpit. *Itaque Ptolemæus reconciliata ſororis gratia, deſtruere Alexandri regnum, quod odio Demetrij viribus ſuis acquiſierat, ſummis opibus inſtituit. Mittit igitur ingentia Grypo auxilia, & filiam Tryphenam Grypo nupturam, vt populos in auxilium nepotis, non ſocietate tantum belli, verum & affinitate ſua ſollicitaret.* Cleopatra Athenas filium Antiochum Grypum miſerat educandum & erudiendum, vt ait Appianus. Inde autem cum veniſſet in Syriam, à matre Rex ea lege conſtituitur, vt nomen Regis penes filium, ius autem omnis imperij penes matrem eſſet, vt ait Iuſtinus, qui ruinam Alexandri perſequens ita pergit.

III. *Eiuſdem clades, & cædes.*

Cvm *omnes Gryphum inſtructum Aegyptiis viribus viderent, paulatim ab Alexandro deficere cœperunt. Fit deinde inter eos prælium, quo victus Alexander Antiochiam profugit.* Antiochia erat ei primum vltimumque perfugium, vt quæ prima de more defecerat, vt ex Iuſtino ante retulimus. *Ibi inops pecuniæ, cum ſtipendia militibus deeſſent, templo Iouis ſolidū ex auro victoriæ ſignum tolli iubet, facetis etiam iocis ſacrilegium circunſcribens. Nam victoriam commodatam ſibi à Ioue eſſe dicebat. Interiectis deinde diebus, cum ipſius Iouis aureum ſimulachrum infiniti ponderis tacite euelli iuſſiſſet, deprehenſuſque in ſacrilegio, concurſu multitudinis eſſet in fugam verſus, magna vi tempeſtatis oppreſſus, ac deſertus à ſuis, à latronibus capitur, perductuſque ad Grypum interficitur.* Ita tyrannus cito exaltatus, cito deiectus eſt. Quam ad rem etiam ſacrilegium non leue momentum attuliſſe, Scripturæ conſentientes Ethnici ipſi ſenſerunt, ſæpiuſque in diuerſis principibus notarunt; vt in Syriæ regibus, in Antiocho Magno, Antiocho Illuſtri, Antiocho Sidete, Heliodoro, & nunc in iſto Zebina. Cæterum Ioſephus Zebinam in prælio cæſum occubuiſſe teſtatur; de Hyrcano autem nihil habet peculiare, quod in hunc annum cadat.

IV. *Africana lues ex locuſtis.*

His Conſulibus peſtilentia in Africa à maxima multitudine locuſtarum, &

Immenſa peſtis in Africa.

deinde earundem necatarum ſtrage fuiſſe traditur, vt habet epit. Liuij 60. Sed plenius Oroſius ex ipſomet, vt videtur, authore: vbi inter alia. M. Plautio Hypſæo, & M. Fuluio Flacco Coſs. cum per totam Africam immenſæ locuſtarum multitudines coaluiſſent (Obſequens pluuia delapſas refert) & nō modo iam ſpem cunctam frugum abraſiſſent, herbaſque omnes cum parte radicum, & folia arborum cum teneritudine ramorum conſumpſiſſent, verum etiam amaras cortices, & arida ligna perroſiſſent, repentino arreptæ vento, atque in globos coactæ, Africano pelago immerſæ ſunt, ſed eas fluctuans mare in omnia littora late diſperſit, vnde teter ac peſtilens odor effuſus, tantam peſtilentiam peperit, vt auium, pecudum, ac beſtiarum correpta inde corpora, & in putredinem verſa, vitium corruptionis augerent.

V. *Ortaque inde peſtis.*

Qvanta vero fuerit hominum lues hinc intelligi poteſt. In Numidia, in qua tum Micipſa Rex erat, octingenta millia hominum: circa oram maritimam, quæ Vticæ ac Carthagini adiacet, pluſquam ducenta millia periiſſe traditum eſt: ad ipſam vero Vticam ciuitatem triginta millia militum, quæ ad præſidium totius Africæ ordinata fuerant, extincta ſunt, adeo vt apud Vticam, ſub vna die, per vnam portam pluſquam mille quingentos mortuos elatos fuiſſe narretur. Et mox. Nunquam temporibus Chriſtianis tanta vis inextricabilis mali accidit, vt pernicies locuſtarum, quæ nullo modo ferri viua potuiſſet, mortua plus noceret, & qua diu viuente peritura erant omnia, ea perdita pereuntibus magis omnibus, optandum fuerit ne periret. Hæc pluribus Oroſius.[a] a l.5.c.11.

VI. *Flaccus Cōſul & Triumuir res turbat.*

Romæ porro minime quietæ res erant. Nam Fuluius Flaccus & triumuir, & Conſul, & C. Gracchus Trib. plebis, multa mouebant. Flaccum ſuperbiæ atq; impotentiæ arguit Valer.[b] quod cum pernicioſiſſimas Reip. leges introduceret, de ciuitate danda, & de prouocatione ad populum, eorum qui ciuitatem mutare voluiſſent, ægre compulſus eſt, vt in Curiam veniret. Deinde partim mōnenti, partim oranti Senatui, vt inepto deſiſteret, reſponſum non dedit. Appianus l. 1. ait quoſdam cenſuiſſe ſociis omnibus, qui maxime de agris contendebant, ciuitatem dandam, quò hac gratia deuincti contendere deſinerent: pergratumque id fuiſſe Italis, ius ciuium dari, quam agrum publicum diuidi ſibi malentibus. Nitebantur autem, inquit potiſſimum fauore Fuluij Flacci, qui tum ſimul Conſul & Triumuir agris diuidendis creatus fuerat. Senatus autem ægre patiebatur ſubditos æquari ciuibus. Irritum porro fuiſſe hunc conatum ibidem ſubdit, plebe mœſta, & fruſtratam ſpem ſuam dolente. b l.9.c.5.

Eius rogationes.

VII. *C. Gracchus fit tribunus plebis.*

Affectis hoc modo rebus, commodum ſe obtulit C. Gracchus, qui ſe candidatum Tribunatus profeſſus, eum magiſtratum illuſtri plebis ſtudio adeptus eſt, vt ait Appianus. Plutarchus id ſtudium explicat, in vita Gracchi, vbi cum dixiſſet C. intendiſſe animum ad tribunatum plebis petendum, vniuerſa eum pariter impugnante nobilitate, ſubdit. Cæterum tantus cœtus in vrbem influxit ex Italia, eiuſque petitioni ſuffragata eſt, multos vt diuerſoria deficerent, ex tectiſque & faſtigiis ædificiorum, non capiente campo tantam multitudinem voces eorum reſonarent; ſtudiis tamen nobilitatis effectum eſt, vt non pro expectatione ſua primus, ſed quartus renunciatus fuerit. At inito magiſtratu mox omnium primus fuit, quod tum facundia, vt nemo alius, polleret; tum quia calamitas in fratris exitu deplorando, latum ei campum ad dicendum aperiret. Hæc Plutarchus.

VIII. *Eius lex frumentaria.*

Confestim autem inquit Appianus, cœpit dolos Senatui nectere, lege lata de frumento menſtruo plebi viritim diuidendo ex publico, quod nunquam ante factum fuerat; atque ita vno inſtituto plebe ſibi celeriter deuincta, Fuluio Flacco etiam adiutante, in ſequentem quoque annum tribunus refectus eſt. Sic ibi. Sed omiſſis nunc quæ ſequentis anni ſunt, quæ ſunt huius anni reliqua videamus. Geminum enim bellum occurrit, alterum in Italia, in Gallia alterum. Nam Fregellæ, populi Romani colonia, ad Lirim fluuium, condita anno ante Torquatum Semproniumque Coſs. vt ait Velleius l. 1. id eſt V.C. 508. Fregellæ, inquam, cum à pop. Ro. defeciſſent, à L. Opimio Prætore deuictæ hoc anno, & ad deditionem compulſæ ſunt. Defectionis cauſa creditur ſpes data populis Italicis Romanæ ciuitatis, & mox irrita reddita, vt ex Appiano diximus. Eius coniurationis creditus eſt fuiſſe conſcius C. Gracchus, vt habet Victor de vir. ill. & Plut. in eius vita: quod tamen crimen ab eodem accurate purgatum ſcribit.

Bellum ad Fregellas.

Intervenisse proditionem Pulli Numitoris ad potiendum vrbe tum nobili Fregellarum, ſignificat M. Tul. l. 5. de finibus, cuius hæc ſunt verba. *Quis Pullum Numitorem Fregellarum proditorem, quamquam Reip. noſtræ profuit, non odit?*

IX. *Sine triũpho, & quare.*

a l.2.c.8. Porro L. Opimius, etſi re bene geſta, non tamen triumphauit. Q. Fuluius, inquit Valer.[a] qui Capua capta, & L. Opimius qui Fregellanis ad deditionem compulſis triumphandi poteſtatem à Senatu petierunt, vterque editis operibus magnificis, ſed neuter petitæ rei compos. Non quidem inuidia Patrum conſcr. cui nunquam aditum in Curia eſſe voluerunt, ſed ſumma diligentia obſeruandi iuris, quo cautum erat, vt pro aucto imperio, non pro recuperatis quæ populi Rom. fuiſſent, triumphus decerneretur. Hæc Valerius.

X. *Bellum Allobrogicum.*

Enatvm eſt hoc anno bellum, quod vocatum eſt Allobrogicum, quod à M. Fuluio Flacco geri cœptum, à Q. Fabio Maximo anno 632. perfectum eſt. De eius initiis ita ſcriptum eſt Epit. 60. Fuluius Flaccus primus omnium tranſalpinos Ligures bello domuit, miſſus in auxilium Maſſilienſibus aduerſus Falanios Gallos, qui populabantur fines Maſſilienſium. Quos Falanios ſiue Liuius, ſiue Abbreuiator, Salyos plerique vocant; & forte ita epitome corrigenda eſt. *Prima*, inquit Florus, [b] *trans Alpes arma noſtra ſenſere Salyi*, (Græci Σάλυες, & Liuius ipſe [c] appellat. Aliqui Saluos & Saluios. Nunc in Prouincialibus cenſentur,) *cum de incurſionibus eorum fidiſſima atque amiciſſima ciuitas Maſſilia quereretur.* Sed de his iterum anno ſeq. Quod tamen hæc prima Romanorum arma ad Septentrionem prolata dicit Florus, vereor vt ſatis conſentiat cum iis, quæ idem ſcripſit ante, [d] vbi de ſubalpinis Liguribus à Fuluio domitis, ſub annum V.C. 574. ita loquitur. *Itaque cum diu multumque eluderent Saluij, Deciates, Oxubij, Euburiates, Ingauni* (ſic enim corrigit Vinetus) *tandem Fuluius latebras eorum ignibus ſepſit, Bœbius in plana deduxit, Poſthumius ita exarmauit, vt vix reliquerit ferrum, quo terra coleretur.*

b l.3.c.2. c l.3.& 21. d l.2.c.3.

ANNVS MVNDI 3930. SEXTAE AETATIS, 414. IMPERII GRÆCORVM 188. ANTIOCHI GRYPHI 2. IOAN. HYRCANI PONT. 11. PTOLEMÆI EVERGETIS 22. OLYMPIADIS CLXIV. AN. 1. VRB. COND. 629. COSS. C. CASSIO LONGINO, ET C. SEXTIO CALVINO. BEL. ALLOBR. 2.

ANNVS ANTE CHRISTVM 123.

I. *Litera Iudæorum ad ſuos Ægyptios.*

An gemina.

PRIMVS annus Olympiadis centeſimæ ſexageſimæ quartæ, qui victorem in ſtadis celebrauit Bœotum Sicyonium, idem vltimus eſt omnium, qui in Macchabæis, & toto veteri teſtamento notati ſunt. Quo Iudæi, qui erant Ieroſolymis, & in regione Iudæa, multa pace, ſub Hyrcano principe ac pontifice, fruentes, ad Iudæos, qui in Ægypto degebant, publicas literas dederunt, quæ habentur c.1. & 2. l.2. Machab. quæ cum vnæ tantum ſint, alias tamen ante annos decem & nouem datas, vel earum partem aliquam continent: quæ cauſa fuit vt viri graues, atque in primis eruditi, binas eſſe exiſtimarint: in quibus Rupert. l. 10. de vict. verbi c.15. & habetur ſub init. Gloſſæ l.2. Machab. Et ibid. Lyran. Emanuel Sà in notis. Melchior Canus, [e] Bellarminus, [f] Torniellus anno ſextæ ætatis 446. Medina l.6. de fide c.13. In quam ſententiam inducuntur ob Iudam memoratum anno 188. regni Græcorum, quem conſtat mortuum initio anni centeſimi quinquageſimi ſecundi.[g] Itaque epiſtolam à Iuda ſcriptam incipiunt à verbis illis. *Populus qui eſt Hieroſolymis.*

e l.2.c.11. f l.1. de verb. Dei c.15. g l.1.c.9.v.3.

II. *Aut vna potius.* *Earum argumentũ.*

Verum, vt dixi, vnas tantum eſſe exiſtimo, idque ex textu ipſo perſpicue conſtabit; cui vim afferunt alij, & quidem gementes, vt Torniellus: [h] eademq; ſententia eſt Serar. in comment. huius loci. Anno ergo 188. miſſæ ſunt literę in hæc verba.

h l.c.n.7.

l.2. Mach.1. *Fratribus qui ſunt per Aegyptum Iudæis, ſalutem dicunt fratres, qui ſunt Ieroſolymis,*

Iudæi, & qui in regione Iudææ, & pacem bonam. Scribit Rupertus peramica ſalutatione vti Ieroſolymitas erga Iudæos Ægyptios, qui in magno errore viuebant, templo in Ægypto ædificato contra Dei legem; conarique eos ab illegitimo cultu abducere, & ad Hieroſolymitani templi cultum, & ſolennitates celebrandas inducere. Eoque trahit illud. *Adaperiat cor veſtrum in lege ſua*, & item illud, *& reconcilietur vobis*, quibus ſignificetur eos Deo factos inimicos, qui reconciliatione indigeant, & clauſum habere cor ad intelligentiam ſcripturarum, quas ad errori ſuo patrocinandum detorqueant.

III. *Quæ ſociis optent à Deo.* BENEFACIAT *vobis Deus, & meminerit teſtamenti ſui, quod locutus eſt ad Abraham, & Iſaac, & Iacob, ſeruorum ſuorum fidelium.* Phraſis Græca ad verbum expreſſa eſt, & idem ἀσύνδετον admiſſum. Vidit hoc Lyran. & ſuppleuit quo modo potuit, ſuppleamus & nos vnam coniunctionem, &, hoc ſenſu, meminerit teſtamenti ſui, & ſeruorum ſuorum fidelium. Quod autem beneficium illis diuinitus expetant, ſubdit. *Et det vobis cor omnibus, vt colatis eum, & faciatis eius voluntatem, corde magno, & animo volenti. Adaperiat cor veſtrum in lege ſua, & in præceptis ſuis, & faciat pacem. Exaudiat orationes veſtras, & reconcilietur vobis, nec vos deſerat in tempore malo. Et nunc hic ſumus orantes pro vobis*, vt ſcilicet prædicta Dei dona recipiatis. Primum cordis ſiue intellectus illuſtrationem, per infuſam diuinitus fidem, quia corde creditur ad iuſtitiam. 2. Obedientiam diuinorum mandatorum, & quidem generoſam & alacrem. 3. Donum ſapientiæ ad intelligendas Scripturas, quia ipſe eſt qui aperit diſcipulis ſuis ſenſum, vt intelligant Scripturas.[a] Iudæi autem Ægyptij male intelligebant Scripturam Eſaiæ, de altari in medio Ægypti excitando, vt notauit Rupertus.[b]

[a] Luc. 24. 45. [b] l. 10. c. 11.

IV. *Alia eorundem poſtulata.* QVARTO pacem, quoniam iampridem Ægyptus & Syria inteſtinis bellis in ſeipſis, atque inter ſe confligebant, vt præcedentes omnes anni docent; bellorum autem procellis ſæuientibus, ægrè vacatur cultui iuſtitiæ & pietatis. Ipſius autem eſt facere pacem, qui eſt Deus pacis & dilectionis in hac vita,[c] & in futuro, Deus & Dominus pacis ſempiternæ, quæ exuperat omnem ſenſum.[d] 5. diuinam benignitatem, & indulgentiam in exaudiendis orationibus. 6. miſericordiam in remittendis peccatis, & eorum pœnis, iuxta illam martyris adoleſcentis vocem.[e] *Nos enim pro peccatis noſtris hæc patimur: etſi nobis propter increpationem, & correptionem Dominus Deus noſter modicum iratus eſt, ſed iterum recõciliabitur ſeruis ſuis.* Similis huic erat Iudæ, & ſociorũ eius deprecatio deuicto Nicanore.[f] 7. Protectionem diuinæ prouidentię in aduerſis rebus; vt pene optare & dicere videantur, quod Dominus poſtea docuit. Dimittat vobis debita veſtra, nec vos inducat in tentationẽ, ſed liberet vos à malo.

[c] 2. Cor. 13. 11. [d] Phil. 4. 7. 2. Theſſ. 3. 16. [e] l. 2. Mach. c. 7. 32. 33. [f] l. 2. c. 8. 29

V. *Commemorant veterẽ epiſtolam.* HACTENVS exordium epiſtolæ. Nunc narrationem inchoant à commemoratione epiſtolę, ad ipſos ante annos nouendecim ſcriptæ, in qua regnante Demetrio Nicanore, quem nuper à Zebina victum, vxor Cleopatra interfecerat, nonnulla de ſuis afflictionibus recenſebant, quas paſſi erant ab initio regni Antiochi Epiphanis, quem impius Iaſon adierat ad pontificatum obtinendum, & antiquandum legitimum Dei cultum: de quo mox per Iudam Machabæum reſtaurato lætabantur, & eos ad ſimilem lætitiam, & feſti, eam ob cauſam inſtituti, celebrationem inuitabant: & hæc nos ſupra ſuo tempore expoſuimus.[g] Hoc vſi narrationis initio, pergunt. *Eique copulant nouã.* *Anno centeſimo octogeſimo octauo populus*, &c. Quaſi dicant, & hæc quidem illo anno ſcripſimus, hoc autẽ anno ſcribimus vobis quę ſequũtur: ſed pro ea locutione, repetunt ſalutationem, cum appoſitione propriorum nominum, eorum qui literas mittunt, & eorũ ad quos mittuntur, quæ initio fuerant prætermiſſa. Et confirmatur hæc expoſitio, nam v. 9. vbi legimus. *Et nunc frequẽtate dies Scenopegiæ menſis Caſleu.* In Græco eſt, & nunc, (ſupple ſcribimus,) vt agatis dies Scenopegiæ menſis Caſleu.

[g] an 169. n. 13.

VI. *Qui authores epiſtolæ.* QVINAM ergo ſunt qui dicunt ſe ſcribere? *Populus qui eſt Ieroſolymis, & in Iudæa, Senatuſque, & Iudas.* Hunc Iudam plerique putant eſſe Machabæum, Bellarminus in primis.[h] *Nec vllus fuit, inquit, ex ducibus Iudæorum, qui vocaretur Iudas, præter vnum Machabæum, nec eſt veriſimile, cum Senatu & populo, in titulo literarum alium nominari, quam principem.* *Num Iudas Machabæus.* Et quoniam Iudas Machabæus anno 188. non erat in viuis, ſed ante annos ſex & triginta in prælio occubuerat, ſeparat illa verba *Anno* 188. à ſequentibus, *Populus qui eſt Hieroſolymis*, vultque illam annorum notam ad præcedentem epiſtolam pertinere, initium autem ſequentis epiſtolæ, eſſe in illis verbis. *Populus qui eſt Hieroſolymis*, &c. Sed ita fert vt prior epiſtola duas temporis notas habeat, &

[h] l. 1 de verbo Dei c. 15.

quidem valde repugnantes. Poſterior autem nullam habeat. Adde quod in omnibus Græcis, Latiniſque codicibus, præſertim emendatioribus, nulla talis ſeparatio, neque interpunctio reperitur, vt Torniellus quoque agnoſcit.

VII. *Aut Scriptor, vel filius Hyrcani.*

Qvis ergo eſt iſte Iudas primariæ apud Iudæos authoritatis? Tres ſuggerit noſter Serarius. Primum ex Epiphan. hæreſi 33. & 42. Iudam quendam Iudaicarum traditionum authorem, quem tamen non conſtat his temporibus fuiſſe in viuis. Alterum ex Ioſepho Hyrcani primogenitum, qui & Ariſtobulus dictus eſt, & Hyrcano patri in pontificatu ſucceſſit, vt habet Ioſephus,[a] ſed neque hunc intelligere conuenit. Non enim probabile eſt in publicis literis, omiſſo parente, qui Princeps eſſet Reip. & ſummus pontifex, filium iuuenem inſcribi, quantauis gratia & autoritate polleret; illa porro victoria contra Antiochum Cyzicenum, quam memorat Serarius, nondum contigerat hoc tempore, nec multis poſt annis. Cæterum quemadmodum hic neque Hyrcanus neque eius filius nominatur, ita infra neque Onias pſeudopontifex in Ægypto, ſi is adhuc erat in viuis, neque filij eius Helcias & Ananias, de quibus poſtea agetur, nominantur, ne qua fortaſſe hinc offenſio naſceretur.

VIII. *Sed Iudas potius Eſſenus propheta.*

Tertivs igitur ſupereſt Iudas, ſecta Eſſenus, prædictionis gratia celebris, cuius prædictiones, inquit Ioſephus,[b] nunquam fefellerunt, quique Antigoni filij Hyrcani mortis diem ac locum certo etiam prædixerat. Hunc ergo Iudam hoc loco intelligi conſentaneum eſt, virum religione, & prophetiæ gratia celebrem, ideoque magnæ apud Iudæos omnes autoritatis, præſertim circa ea quæ ad religionẽ & Dei cultum pertinerent, quod erat huius epiſtolæ arg. Hunc ergo Iudam hîc intelligi par eſt; eaque eſt ſententia Ruperti,[c] & Serarij hoc loco; quibus libenter aſſentior.

At credibile non eſt, vt ait Torniellus denunciationem diei feſti celebrandi, fieri poſt 40. fere annos, ab eius inſtitutione. Reſpondeo nõ eſſe hanc denunciationem, ſed exhortationem, ad celebrandum dies ſapienter inſtitutos, tam in honorem purificati templi, quam dati diuinitus ignis, & quidem aliquot ante ſeculis. Itaque legitur. *Frequentate dies Scenopegiæ*, non inſtituite iſthic. & infra.[d] *bene facietis, ſi egeritis hos dies*, non ſi inſtitueritis apud vos.

IX. *Ad quos ſcribatur epiſtola.*

Nvnc videamus ad quos hæc epiſtola ſcribatur. *Ariſtobolo*, inquit Scriptura, *magiſtro Ptolemæi Regis, qui eſt de genere chriſtorum ſacerdotum, & his, qui in Aegypto ſunt, Iudæis, ſalutem, & ſanitatem.* Ariſtobulus hic, ait Rabanus, fuit natione Iudæus, ſed peripateticus philoſophus eſſe agnoſcitur, qui ad Philometorẽ Ptolemæum explanationum in Moyſem cõmẽtarios ſcripſit, vt chronographi produnt. Ita Raban. Intelligit autem Euſebium, cuius illa ſunt verba in chronico ſub init. regni Philom.[e] *Ariſtobulus autem, ille*, inquit, *cuius ſecundus Machabæorum liber initio meminit, quemq; Ariſtotelica peritum Philoſophia fuiſſe conſtat, ſimiliter manus & cætera membra, quando de Deo dicuntur, intelligenda eſſe in libro, quem ad Ptolemæum ſcripſit, declarat*, &c. Clemẽs quoque Alexandrinus l. 5. Strom. hunc eundem Ariſtobulum eſſe dixit, cuius meminit qui conſtruxit epitomen Machabæorum. 1. Videtur autem nomen magiſtri regis adeptus, vel ex illo ſcripto libro, in quo regẽ Philometorem docebat; vel quod cum de rebus Moſaicæ legis doceret, quæ deinde libro illo ſit complexus, eique dicarit, idque nomen deinceps honoris cauſa retinuerit, ad hoc vſque tempus, id eſt annis viginti duobus poſt mortem Philometoris: vt non ſit neceſſe viuentem nunc Ptolemæum quærere, quem ille doceret, cum iſta ſcriberentur. Addam poſtremo, ex Anatolio Alexandrino apud Euſebium, hunc Ariſtobulum fuiſſe ex Paneade oriundum, prouincia ad radices Libani, vbi Iordani fontes, in tribu Nephtalim.[f]

Ariſtobulus regis magiſter.

X. *Reliqua epiſtola ſuis locis explicata.*

Porro quæ hic ſubduntur de periculis quibus liberati ſunt Iudæi, & de morte Antiochi in templo Naneæ, in vltimo anno Antiochi Sidetis ſatis accurate expoſuimus.[g] Ea morte enarrata Iudæi Hieroſolymitæ hortantur Ægyptios, vt Deo gratias agentes, pro hoc beneficio, quod ad ipſos quoque, vtpote fratres & Iſraëlitas, pertinet, non ſolum diem feſtum Scenopegiæ cum ipſis agant, ſed & feſtum ignis diuinitus dati: cuius rei hiſtoriam fuſe tradunt à verſu 19. vſque ad fi. cap. quæ breuiter expoſita eſt ſupra, anno Artaxerxis Longimani 20.[h] Sequuntur deinde quæ c. 2. ex deſcriptionibus Ieremiæ recitantur, vſq; ad v. 13. de tabernaculo, & arca, & altari ab eo abſconditis, quæ pertinent ad Hieroſolymitanæ deſolationis initium, vbi & de iis breuiter egimus, ann. V. C. 146.[i] De bibliotheca quoque Nehemiæ, vide quæ diximus anno 32. regni Artaxerxis Longimani.[k]

a l. 20. c. 8.
b l. 13. c. 19.
c l. 10. c. 15.
d c. 2. 16.
e l. 8. de præpar. c. 5.
1. ex.
f Vide tabulas Adrichom. & Ioſephum l. 1. de bello c. 16. & Antiq. l. 15. c. 13
g n. 6 7. & ſeqq.
h n. 79. & ſeqq. & an. 21. n. 1 V. C. 308. & 309.
i n. 38. 39. 40.
k V. C 310. n. 6. & ſeqq.

XI. *Reparatio. bibliothecæ à Iuda.* Nehemiæ exemplum imitatus Iudas, quæ ad reſtituendam Rempub. Iudæorũ, & ſacram pertinebant diligenter executus eſt, vt dicitur v. 14. Nominatim autem librorum ſacrorum curam geſſiſſe, quos Epiphanes omni ſtudio delere ac perdere ſtatuerat, conſentaneum eſt pietati Iudæ. Quis autem hic Iudas intelligatur etiam controuerſum eſt. Serar. q. 2. in hunc locum, putat hunc eundem eſſe Iudam, cum eo qui initio epiſtolæ inſcribitur, à quo horum bellorum geſta collecta fuerint: malim, nihil repugnante ratione temporis, intelligere Machabæum cum communi interpretum ſententia, qui in pluribus aliis rebus Iudæorum res, exemplo Nehemiæ reſtaurauit. Et libros quoque collegit, qui beneuolentiæ gratia Iudæis Ægyptiis offeruntur. *vt patet ex l. 1. Mach. c. 1. 59.*

XII. *Iudæi ſatagunt tollere ſchiſma.* Reliqua eſt epiſtolæ concluſio, in qua renouatur adhortatio celebrandi feſtum purificationis templi Hieroſolymitani. Id autem pertinebat ad tollendum ſchiſma eorum, qui in Aegypto aliud templum erexerant, ſi Hieroſolymitanum quaſi veram diuini cultus ſedem agnoſcentes, eius purificationis & dedicationis feſtos dies agerent. *Acturi itaque*, inquiunt, *purificationem, ſcripſimus vobis; bene ergo facietis, ſi egeritis hos dies.* Accedit & comprecatio, quæ valet ad ſtabiliendum tẽpus ſcriptæ huius epiſtolæ. Nam quæ mox ſubiiciuntur, temporibus Simonis & Hyrcani recte congruunt, Iudæ vero Machabæi non recte: Aiunt enim, *Deus autem qui liberauit populum ſuum, & reddidit hæreditatem omnibus, & regnum, & ſacerdotium & ſanctificationem, ſicut promiſit in lege, ſperabimus quod cito noſtri miſerebitur, & congregabit de ſub cœlo in locum ſanctum,* ſublato ſcilicet Garizitano templo, atque Ægyptio, Hieroſolymitano ſolo ſecundum legem Domini retento. Id autem ſperatur. *Eripuit enim nos*, inquiunt, *de magnis periculis, & locum purgauit,* quaſi aduentui ſuorum ex omnibus locis, illud præparans. Itaque qui bene cœpit ipſe perficiet, & qui de magnis periculis eripuit, in ea felicitate qua nos dignatus eſt munerare, conſeruabit.

XIII. *Confirmatur ratio temporis.* Cæterum quod dicebam recte conuenire Simonis & Hyrcani temporibus, non autem Iudæ patet. Nam plena libertas populi, & immunitas à tributis, & iugo Græcorum, contigit tantum in pontificatu Simonis, anno regni Græcorum centeſimo ſeptuageſimo, vt plenius habetur l. 1. Machab. c. 13. Ab eo enim eiuſque filio Ioanne Hyrcano, & Romanorum fauore recuperatæ ſunt vrbes, & prouinciæ, quas Iſraëlitæ à Deo acceperant in hæreditatem, adeo vt regnum Iudæorum dicatur reſtitutum; ſtabilitum certe fuit magna Hyrcani potentia deſpectis Syriæ regibus, qui mutuis ſe præliis, cædibus, ac direptionibus conficiebant: adeo vt filius Hyrcani Ariſtobulus, regium ſibi diadema à morte patris aſſumpſerit, vt ex Ioſepho dicemus. *v 31.*

XIV. *Gryphus matrẽ veneno potat, quod illa filio parauerat.* Antequam autem abeamus è Syria, conſtitutum ſibi ab Antiocho Grypo regnum videamus. Id docet Appianus in Syriacis. *Seleuco*, inquit, *in regnum ſucceſſit Grypus, qui matrem venenum, quod illa filio parauerat, coegit ebibere: ſic illa tandem pœnas dedit.* Sic iſte. Plenius aliquanto rem explicat Iuſtinus, poſt expoſitam Zebinæ tyranni cædem, in hæc verba. *Gryphus porro recuperato patrio regno, externiſque periculis liberatus, inſidiis matris appetitur. Quæ cum cupiditate dominationis prodito marito Demetrio, & altero filio* (Seleuco) *interfecto, huius quoque victoria inferiorem dignitatem ſuam factam doleret, venienti ab exercitatione veneni poculum obtulit. Sed Gryphus prædictis ante iam inſidiis, veluti pietate cum matre certaret, bibere ipſam iubet: abnuenti, inſtat. Poſtremùm prolato indice eam arguit, ſolam defenſionem ſceleris,* id eſt purgationem præparatæ filio necis, & probationem innocentiæ, *ſupereſſe affirmans, ſi bibat quod filio obtulit. Sic victa regina ſcelere in ſe verſo, veneno quod alii parauerat, extinguitur.* Minore vtique longe quam merita erat ſupplicio, furioſa dominandi cupiditate mulier, aut furia potius Aegyptia, quæ marito & filio, regibus duobus interfectis, etiam tertium Syriæ regem, eundemque filium interficere parabat.

XV. *Crudelis in propinquos ambitio.* Vsqve adeo *inſociabile vndequaque eſt imperium,* ait Plutarch. in Demetrio, *diffidentiæque, & maleuolentiæ plenum, vt ſummus inter Alexandri ſucceſſores,* Antigonus, *& natu maximus glorietur, quod non timeret filium* Demetrium Poliorcetem, *ſed committeret lanceæ armato corpus ſuum. Verumenimuero vnica prope dixerim in multas ſucceſſiones hæc domus, eiuſmodi vacauit malis. Imo ex Antigoni poſteris filium ſuum,* Demetrium, fratrem Perſei, *ſolus trucidauit Philippus. Reliquæ familiæ regum pene omnes frequentes*

habent liberorum, frequentes etiam matrum neces, & vxorum. Nam fratrum parricidia, vt petitiones Geometræ ſumunt, ſic concedebantur; habebanturque communis quædam petitio ad ſecuritatem, & regia. Sic Plutarchus. Eadem deinceps in reliquis Syriæ regibus animaduertemus; adeo vt ad Iudæos quoque peſtis ita tranſierit, vt in Ariſtobulo Ioannis Hyrcani pontificis filio, matris ac fratris interfectore intelligetur. Cæterum Antiochus Gryphus ex hac matris cæde, Philometoris cognomen per antiphraſim videtur accepiſſe, quod vſurpat Ioſephus.[a]

a l.13.c.20.

XVI. *Saluii à Sextio victi.*

C. Sextio Conſuli Gallia prouincia, & bellum à Fuluio inchoatum obtigit, quod tamen non niſi anno ſequenti confectum eſt. Scribit enim Abbreuiator Liuii Epit. 61. Saluiarum gentem à C. Sextio proconſule victam, quæ autem geſſerit in prouincia Conſul, non tradit.

C. Gracchus II. Tribunus.

Hoc quoque anno tribunatum geſſiſſe C. Gracchum autor eſt Appianus l. 1. bell. ciuil. vbi ait Flacco adiutante, in ſequentem quoque annum factum eſſe tribunum, continuato per biennium tribunatu: deinde intermiſſo vno anno, tertium tribunus eſt factus, quãdo etiam occiſus eſt. Nam primus eius tribunatus cœpit M. Fuluio Cõſule 628. V. C. ſed ab æſtate, vt App. autor eſt; ergo in medio 29. inchoauit ſecundum, id eſt hoc anno, Caſſio & Sextio Conſulibus, & finiuit in medio anni trigeſimi, Metello & Flaminino Coſſ. quando Carthaginem deducendæ coloniæ cauſa profectus eſt, & intra 70. diem Romam regreſſus eſt, priuatuſque egit, vſque ad proxima comitia conſularia, quibus ipſo annitente C. Fannius factus eſt Conſul, repulſo L. Opimio; ipſe autem non candidatus, neque ambiens, populi ſtudio Tribunus plebis renunciatus eſt, vt ait Plutarchus. Itaque quod ait eum in petitione tertii tribunatus repulſam eſſe paſſum, de quarto intelligi oportet, quando Opimio iam Conſule, fruſtra candidatum profeſſus, nihil impetrauit.

XVII. *Iudicia equitibus communicat.*

Hoc ergo anno acrius vrgere inſtitutum cœpit deliniendi populi, legibus popularibus ferendis. Cum enim priore anno plebem ſibi conciliaſſet lege de frumento ex publico plebi viritim diuidendo, hoc anno ordinem equeſtrem ſibi deuinxit, communicatis cum eo iudiciis, vt Appianus author eſt. Plutarchus ait eum trecentos equites Romanos trecentis adiunxiſſe Senatoribus. Epit. 60. ait trecentis Senatoribus ſexcentos equites admiſcuiſſe, vt equeſter ordo bis tantum virium in Senatu haberet. At Appianus vult iudicia penitus à Senatoribus ad equites eſſe tranſlata; cui rei fauerit tunc inuidia aliquorum iudiciorum, in quibus repetundarum rei legum ſeueritatem, corruptis auro iudicibus, effugerant. Ex quo Senatus potentia debilata atque infracta fuerit, inani honore Senatoribus relicto, potentia ad equites tranſlata. Appiani ſententiam confirmat M. Tullius, qui in Bruto[b] legis Seruiliæ meminit, cuius autor extitit Q. Seruilius Cæpio, ſuaſor L. Craſſus, qua iudicia ab equitibus ad Senatores reuocata ſunt, aut certe cum vtriſque communicata, anno V. C. 607. vt ex Caſſiodoro & Obſequente notauit Sigonius.

b Et l. 1. de Oratore.

XVIII. *Aliæ eius leges.*

Ad hæc, inquit Plutarchus, [c]leges tulit de coloniis deducendis, de viis muniendis, de ædificandis horreis; quibus omnibus operibus rectorem ſe, & diſpenſatorem præfecit, nihil in tot tantiſque negotiis fatiſcens. Imo incredibili celeritate & labore, quaſi ſingulis tantum incumberet, inſtituta opera conſummauit: quæ accuratius à Plutarcho explicata inuenies, nobis pro inſtituto hæc ſufficiunt.

c in vita Gracchi.

Polybii mors.

Defunctum primo huius Olympiadis anno Polybium, celebrem hiſtoriæ Græcæ Romanæque ſcriptorem, ſuſpicatur nouus eius interpres, annum vitæ agentem ſecundum & octogeſimum, vt affirmat Lucianus in Longæuis, & quidem cum è prædio ſuo vrbem Megalopolim repeteret, equoque delapſus eſſet, indeque morbum contraxiſſet & mortem. Honoratus eſt ſtatua, cum inſcriptione, quæ teſtabatur, nihil ab initio offenſuram fuiſſe Græciam, ſi Polybii conſiliis paruiſſet: iam vero grauiter affectæ, vnum illum præſidio fuiſſe, vt eſt apud Pauſaniã in Arcadicis.[d] Scipionis Æmyliani præceptorem fuiſſe ſcribit Suidas, & Velleius in primis. *Scipio,* ait, *tam elegans liberalium ſtudiorum, omniſque doctrinæ, & autor, & admirator fuit, vt Polybium Panætiumque, præcellentes ingenio viros, domi militiæque ſecum habuerit.* Addit Pauſanias,[e] omnia illi vtenti Polybii conſilio feliciter eueniſſe; in iis vero offendiſſe, in quibus minus illi audiens fuiſset.

d l. 8. p. 267. gr.

e l. 8. p. 261. gr.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3931.

1.N. IX. Vtrumque audacter reprehendit Scaliger in Euſeb. n. 1841. Clementem in primis dupliciter, primò, quod Ptolemæum Philadelphum dixerit, pro Philometore; quod ſane negari non poteſt: nam id rurſus confirmat Euſebius lib. 9. de Præparat. cap. 3. Ariſtobulus, inquit, in primo apud Philometora his verbis vtitur: Legem noſtram in multis Plato ſecutus eſt &c. Reprehendit Clementem ſecundò, quod Ariſtobulum hunc eundem facit cum eo, cuius mentio poſterioris Machabæorum capite primo, commate decimo. Sic ipſe. Et rationem affert, quia, inquit, vt æra Seleucidarum indicat, is erat numerus Euſebianus 1892. annis 41. poſt hoc tempus. Sed hic ipſe tripliciter labitur. Primò quod dicat Æram Seleucidarum, id eſt annos regni Græcorum, indicare numerum 1892. Euſebianum: indicat enim 93. in ſua ipſius editione: reſpondet enim Olympiadis centeſimæ ſexageſimæ quartæ anno primo, & Vrb. Cond. 629. vt conſentiunt nobis Cuſpinianus in faſtis Cõſularibus, & Temporarius in chronolog. & Functius item in ſua, & alii. Labitur ſecundò pueriliter, quod non animaduertit ab anno, ſiue numero 41. ad 92. reperiri 51. annos, non 41. Labitur tertiò, quòd ita annos iſtos Ariſtobuli numeret, quaſi is mortuus dicatur ab Euſebio anno quarto Philometoris, cum Euſeb. dicat tantum ἐγνωρίζετο cognoſcebatur. Quod potuit contingere anno vitæ ipſius vigeſimo quinto, aut trigeſimo; quid autem abſurdi eſt eum ad octogeſimum annum perueniſſe, vt viro, propter doctrinam, & canitiem venerabili, primus in epiſtolari ſalutatione tribuatur locus?

ANNVS MVNDI 3931. SEXTAE AETATIS 415.
IMPERII GRÆCORVM 189. ANTIOCHI GRYPHI 3. IOANNIS HYRCANI DVCIS & PONTIFICIS 12. PTOLEMÆI EVERGETIS 23. OLYMPIADIS CLXIV. AN. 2.
VRBIS CONDITÆ 630. COSS. T. QVINTIO FLAMININO, & Q. CÆCILIO METELLO.

ANNVS ANTE CHRISTVM 122.

I. *Gryphi & Iudæorum quies.* DEVICTO, interfectoq. Zebina, ſublatis, vindicatiſq. domeſticis inſidiis, parata regni ſecuritate, Gryphus octoannis quietẽ, & ipſe habuit, & regno ſuo præſtitit, vt autor eſt Iuſtinus libro trigeſimo nono. Nec tamen auſus eſt expeditionem contra Iudæos ſuſcipere, audito quod frater ipſius germanus, eodem nomine dictus Antiochus, copias contra ſe apud Cyzicum colligeret, vt inquit Ioſephus, qui fratrem vocat, nimirum vterinum, ex eadem matre genitum, quæ duobus fratribus Demetrio & Sideti nupſerat, itaque & patrueles erant, & fratres. Rumorem autem illum falſum fuiſſe oportet, nec tam cito natum, ſi verum eſt, quod de octo annorum quiete Iuſtinus ſcribit. Is tamen rumor & metus potuit retinere Gryphum à tentandis Iudæis, quos potentes euaſiſſe, & amicitia Romanorum ſubnixos eſſe intelligebat.

II. *Aquæ Sextiæ colonia.* Hoc anno Sextius proconſul prorogato imperio, Saluiorum gente perdomita, Coloniam Aquas Sextias condidit, ob aquarum copiam, & calidos, frigidoſq. fontes, atque à nomine ſuo appellauit, vt eſt in Epitome ſexageſima prima. Velleius autem ibi conditam eam vrbem ait, quaſi victoriæ illic partæ monimentum. Caſſio, inquit, Longino, & Sextio Caluino, (qui Salyes apud Aquas, quæ ab eo Sextiæ appellantur, deuicit) Coſſ. Fabrateria deducta eſt. Et poſt annum Scylacium, Mineruium, Tarentum, Neptunia, Carthagoque in Africa prima, vt præ-

diximus extra Italiam condita eſt. Ita Velleius. Quod autem dicit poſt annum cõditam Carthaginienſem coloniam, non repugnat nobis, qui Aquarum Sextiarum originem hoc eodem anno ponimus: tribuit enim Conſuli, quod proconſuli tribuendum fuit, quando & Salyes vicit, & vrbem prope Maſſiliam condidit, quæ vulgo dicitur *Aix en Prouence*, vrbs Archiepiſcopatu, & Senatu illuſtris.

III. *Carthago colonia, cur formidata.*

DE Carthagine colonia hoc ipſo anno deducta, idem Velleius libro ſecundo In legibus Gracchi, inquit, inter pernicioſiſſima numerauerim, quod extra Italiam colonias poſuit; eiuſque rei cauſam affert metum, ne colonia maior euaderet ea ciuitate, ex qua deducta fuerat. Id maiores, inquit, diligenter vitauerant, cum viderent tanto potentiorem Tyro Carthaginem, Maſſiliam Phocæa, Syracuſas Corintho, Cyzicum ac Byzantium Mileto genitali ſolo. De eadem ſub huius anni Coſſ. ita Oroſius. [a] *Anno ab vrbe condita 627. Q. Cæcilio Metello, & T. Quintio Flaminino Coſſ. Carthago in Africa reſtitui iuſſa, vigeſimo & ſecundo demum anno quam fuerat euerſa, deductis ciuium Romanorum familiis, quæ eam incolerent reſtituta, & repleta eſt.*

a l.5.c.12.

IV. *Conſularis Oroſii chronologia.*

IN vrbis anno fallitur Oroſius: eſt enim ſexcenteſimus trigeſimus, non vigeſimus ſeptimus: quod erratum contigit ob prætermiſſos, aut ignoratos aliquot conſulatus. Et recte ille quidem P. Licinium Craſſum ponit, anno Vrb. Cond. 622. meminit deinde Perpernæ Conſulis, qui Craſſo ſucceſſerat, Vrb. Cond. 623. Tum Sempronii & Aquilii, qui 624. Sed Cn. Octauium, & T. Annium præteriit, qui 625. & rurſus Caſſium Longinum & Cornelium Cinnam, qui 626. habet deinde M. Aemylium, & L. Oreſtem, qui dant nomen anno ſexcenteſimo vigeſimo ſeptimo; quibus recte ſubdit Plautium Hypſæum & Fuluium Flaccum, anno ſcilicet ſexcenteſimo vigeſimo octauo, ſed iterum omittit Caſſium Caluinum & Sextium Longinum, proxime præteriti anni Coſſ. Ex quo fit, vt hic annus ſit ſexcenteſimus trigeſimus, & euerſæ Carthaginis vigeſimus quartus, tot enim Conſulatus à L. Minucio & Cornelio Lentulo, ad præſentis anni Coſſ. numerantur. Itaque corrigendus eſt Oroſius & Eutropius, à quo ipſe errorem mutuatus eſt, aut dicamus, ſi placet, intermedios tantum annos ab illis eſſe numeratos.

V. *Aqua deducta colonia, & eius rogatione.*

PORRO quod Velleius dicit lege Gracchi deductam Carthaginem coloniam, eique Liuius Epitome 60. conſentit, id Rubrio Trib. pleb. tribuit Plutarchus; ſed Graccho rogatio tributa eſt, quod eo annitente fieret. Vnus, inquit, ex collegio eorum Rubrius rogationem tulit de Colonia Carthaginem à Scipione exciſam deducenda, C. autem id muneris ſortitus eò nauigauit, & paulo poſt. Porro in Africa cum deduceretur Carthaginem colonia, quam C. Iunoniam appellauit, prodigia feruntur ei diuinitus obſcæna fuiſſe oblata: ſi quidem primum ſignum vẽto rapiente, ſignifero ſumma ope renitente defractum eſt. Item victimas aris impoſitas diſſipauit venti procella, & ſuperinductorum vrbis lineamentorum terminos diſiecit, ipſos terminos irruentes lupi longe abſtulere. Attamen omnibus digeſtis & compoſitis, diebus non amplius ſeptuaginta C. Romam regreſſus eſt, cum premi à Druſo Fuluium accepiſſet, atque ipſæ res præſentiam eius requirerent. Sic Plutarchus.

Cauſa deducendi.

VI. *Ex Appiano, & Oroſio.*

VERIVS opinor quam Appianus, qui Fuluium Flaccum in Africam cum Graccho traieciſſe ſcripſit, & ab vtroque terminos coloniæ poſitos. De cauſis vero decretæ coloniæ, ſic habet. In Africam, inquit, traiecit, quo ob ſoli vbertatem colonia decreta fuerat, ablegatis de induſtria colonis, vt per eorum abſentiam, Senatus aliquantulum à vulgi ſeditionibus reſpiraret. Coloniæ locus deſignatus eſt in ruinis Carthaginis, contempta Scipionis, eius demolitoris voluntate, qui compaſcuam in ſempiternum deuouerat. Aſcripti ſunt eo ſexies mille, ſupra numerum lege præſtitutum, vt ſic quoque plebem magis obnoxiam ſibi redderent. Romam inde reuerſi exciebant illos ſexcies millenos ex tota Italia &c. De prodigiis autem nonnihil differt à Plutarcho. Oroſius vero [b] Cum menſores, inquit, ad limitandum Carthaginenſem agrum miſſi, ſtipites terminorum indices fixos, & nocte à lupis reuulſos mordicus, corraſoſque repериſſent, aliquandiu hæſitatum eſt vtrum Romanæ paci expediret Carthaginem reformari. Sed hæc hæſitatio ad ſequentem annum pertinet, vt Appianus ſignificat.

b l.5.c.12.

Hoc autem ipſo ponitur in tab. Capit. triumphus M. Fuluii Flacci de Liguribus,

Vocantiis,& Saluiis ſine Salybus, vt recte addit Sigonius.

VII. *Bellum Balearicum.* Hæc dum Romæ geruntur Q. Cæcilius Metellus Conſul rem feliciter geſſit contra Baleares & piratas, vnde & Balearici cognomen eſt conſecutus. Cum ex Balearibus, inquit Strabo libro decimo tertio, pauci quidam improbi cum maris prædonibus conſpiraſſent, vniuerſos criminatus Metellus cognomento Balearicus, inuaſit. Sed ipſum inuaſionis modum eleganter explicat Florus libro tertio *Eorũ arma & mores.* capite octauo. *Baleares*, inquit, *per idem tempus inſulæ piratica rabie corruperant maria.* Corrumpit ordinem temporum Florus, dum bellum Balearicum per idem tempus, quo Creticum contigiſſe dicit, cum iſtud ſexaginta fere annis poſterius ſit Balearico; ſed pergit, *homines feros, atque ſyluestres mireris, auſos a ſcopulis ſuis ſaltem maria conſpicere. Aſcendere etiam inconditas rates, & prænauigantes ſubinde inopinato impetu terruere.*

VIII. *Pugna cũ Romanis.* Sed *cum venientem ab alto Romanam claſſem proſpexiſſent, prædam putantes, auſi etiam ſunt occurrere: & primo impetu ingenti lapidum, ſaxorumque nimbo claſſem operuere, tribus quiſque fundis præliatur. Certos eſſe quis miretur ictus, cum hæc ſola genti arma ſint, id vnum ab infantia ſtudium? cibum puer à matre non accipit, niſi quem ipſa monſtrante percuſſit. Sed non diu lapidatione Romanos terruere. Poſtquam cominus ventum eſt, expertique ſunt roſtra & pila venientia, pecudum in morem clamore ſublato petierunt fuga littora; delapſique in proximos tumulos, quærendi fuerunt vt vincerentur.* De Balearibus Metellum triumphaſſe certum plane eſt, idque recte probat Sigonius, Cui tamen viro eruditiſſimo, atque diligentiſſimo, & cuius labore ſæpe vtimur, de triumpho ad biennium dilato non aſſentior, tum quia id Oroſius quem citat non aſſerit: tum quia breuem expeditamque victoriam fuiſſe Florus oſtendit. Itaque malim triumphum Metelli ad ſequentẽ annum, ſi ad præſentem nó placet, referri.

ANNVS MVNDI 3932. SEXTÆ ÆTATIS 416.

REGNI GRÆCORVM 190. ANTIOCHI GRYPHI 4. IOANNIS HYRCANI DVCIS & PONTIFICIS 13. PTOLEMÆI EVERGETIS 24. OLYMPIADIS CLXIV. AN. 3. VRBIS CONDITAE 631. COSS. CN. DOMITIO ÆNOBARBO, & C. FANNIO STRABONE.

ANNVS ANTE CHRISTVM 121.

I. *Fannius Gracchi opera Conſul.* STRABONIS cognomen Fannio datur in Chronico Euſebii Græco; Nepotem cognominat Sigonius in ſupplendis tabulis Capit. Res Syriacæ atque Ægyptiæ per aliquot annos propemodum quietæ fuerunt, vt ex Iuſtino præcedenti anno diximus, obſcuræ certe monumentorum inopia remanſere. Roma interea tat mgnam rerum ſegetem domi foriſque exhibebit. Dum enim Gracchi vixerunt Reſpublica quieta eſſe non potuit.

C. Gracchi ſtudiis Fannius factus eſt Conſul, L. Opimius repulſam paſſus eſt, ex qua eius in Gracchum inimicitiæ exortæ, ne illius quidem morte ſatis fuerunt conſopitæ, vt ſequens hiſtoria docebit. Cum ergo populus C. Gracchum, ob populares leges ab eo latas, in oculis ferret, dixit ille in concione aliquando gratiam ſe ab eo petiturum, quam ſi eſſet adeptus, inſtar ſe habiturum omnium, ſin tuliſſet repulſam, nihil de illo conqueſturum. Id dictum ad Conſulatus petitionem pertinere putabatur, atque opinionem omnibus præbuit, pariter ſe conſulatum, & tribunatum petiturum. Inſtantibus comitiis conſularibus, omnibuſque expectatione ſuſpenſis, prodiit Caius ad Fannium in campum deducendum, atque ad iuuandam ſtudio ſuo, cum amicis illius petitionem. Nec fruſtra, Fannius Conſul,

Caius

Caius Tribunus plebis, cum non eſſet candidatus, nec ambiret, populi ſtudio renunciatus eſt. Hæc ex Plutarcho pene ad verbum. De Opimii autem repulſa, ex eodem dicetur anno ſequenti, quo factus eſt Conſul.

II. *Eũ deſerit pro Senatu.* Nec tamen Graccho Fannius admodum gratus fuit. Nam eius opera, quod optauerat conſecutus, ad partes optimatum ſe conuertit; id agente Senatu, qui modis omnibus Gracchi potentiam infringere conabatur; qui & Liuium Druſum eius Collegam ei aduerſarium ſuſcitarat, & in Gracchi odium, omnibus eius conatibus, ad plebis gratiam colligendam facientibus fauebat; qui & plebem Senatui conciliabat, dum in concionando aſſidue iactaret, hæc ferre ſe, ex Senatus de plebe ſoliciti ſententia: vt fuſius docet Plutarchus. *Gracchum fauet.* Alieniorem à Graccho Fannium, docet oratio ab eo habita contra Gracchum, de ſociis & nomine Latino, cuius meminit Cice. in Bruto. & Plut. cum ait. Cum vero Senatum non obſcure infeſtum cerneret ſibi; frigida autem in ſe beneuolentia Fannium, inſtitit aliis de integro legibus deuincire ſibi plebem, legem promulgans de coloniis Tarentum, & Capuam deducendis, & de aſciſcendis in ciuitatem Latinis. *Alia colonia.* Tarentinæ coloniæ meminit etiam Velleius ſupra citatus.

III. *Rurſum de colonia Carthaginenſi.* At de Carthaginenſi etiam hoc anno actum. Nam, vt ſcribit Appianus, cum per literas ſignificatum eſſet ex Africa, à Coloniæ deſignatoribus, lupos diſturbaſſe terminos poſitos à Graccho & Fuluio, negantibus Auguribus fas eſſe illuc colonos deduci, Senatus indixit comitia, in quibus lex de ea colonia abrogaretur. Sed id Appianus ad tumultum refert, in quo Gracchus occiſus eſt, quod ſequenti anno contigiſſe conſtat.

Alia quoque à Conſule Fannio contra Gracchum geſta in Plutarcho reperies, quibus ſibi antiquiorem Reip. vtilitatem, priuata ſeditioſi hominis beneuolentia, demonſtrauit.

Sextii triumphus. Interea autem dum Fannius pro Rep. & Senatu, contra Gracchum in vrbe laborat, Sextius de Salybus triumphat. Conſul alter Domitius in Galliam trans Alpes profectus, bellum contra Aruernos & Allobroges feliciter confecit; ſed Proconſul, vt autor eſt Liuius in Epit. 61. & Oroſ. Ea ergo narratio in ſequentem annum, quo geſta res eſt, differatur.

ANNVS MVNDI 3933. SEXTÆ ÆTATIS 417. REGNI GRÆCORVM 191. ANTIOCHI GRYPHI 5. IOANNIS HYRCANI DVCIS & PONTIFICIS 14. PTOLEMÆI EVERGETIS 25. OLYMPIADIS CLXIV. AN. 4. VRBIS CONDITAE 632. COSS. L. OPIMIO NEPOTE, & Q. FABIO MAXIMO ÆMYLIANO.

apud Chrō. Græcum Euſebii.

ANNVS ANTE CHRISTVM 120.

I. *Iubilæus Moſaicus vigeſimus ſextus.* DECIMVM quartum Hyrcani pontificis ac principis Iudæorum annum Iubilæo 27. Torniellus aſſignat, id eſt anno ab introitu Iſraelitarum in terram Canaam 1350. quē Functius collocat Olymp. 164. a. 3. Verum cum Iubilæi nonniſi tranſacti numerentur, primus Iubilæus Moſaicus cadit in annum Mundi 2633, ergo præſens annus erit Iubilæus 26. abſolutus. Alioqui primus Iubilæus erit primus quinquagenariæ periodi annus, quod perabſurdum eſt, cum debeat eſſe quinquageſimus.

II. *Aetas vtriuſque Gracchi.* Romæ autem turbæ tribunitiæ C. Graccho pepererunt, quod ei iamdudum parturiebant. *Decem interpoſitis annis,* ait Velleius l. 2. *qui Tib. Gracchum, idem C. fratrem eius occupauit furor, tam virtutibus eius omnibus, quam huic errori ſimilem: ingenio etiā eloquentiaque longe præſtātiorem:* ex quo etiam, addito Plutarcho, intelligi poteſt, quo

vterque anno extinctus fuerit. Scribit enim Plutarchus C. nouē annis fratre fuiſſe minorem, Tib. autem nondum annos natum triginta occubuiſſe. Si ergo Tib. ſub annum trigeſimum mortuus eſt, anno V. C. 620. oportet Caium, qui 632. interiit, fere 33. ætatis anno periiſſe. Cum ergo L. Opimius, Gracchi fauore iam elangueſcente, Conſul factus eſſet, ille æſtate ſequenti Tribunatum ſibi continuari cupiens, repulſam eſt paſſus, non ſuffragiorum defectu, ſed quod eius Collegæ, quos paulo ante in gladiatoriis ludis, per ferociam ac violentiam offenderat, deſignatum, improbe ac fraudulenter non renunciaſſent, vt ait Plutarchus.

III. *C. Gracchi leges antiquantur.* A quibus, Minutio præſertim Trib. pleb. vt habet Oroſ. & pleræq. eius leges antiquari, & Carthaginienſis colonia moueri cœpta: quibus rebus ſtimulabant eum, vt cum cauſam iræ præbuiſſet, interficeretur. Cumque aliquandiu quieuiſſet, amicis excitantibus, Fuluio præſertim, denuo aggreſſus eſt præſidium aduerſus Conſulem contrahere, ne leges ſuas antiquari pateretur; *Vnde ſeditio.* Appianus de vna colonia Carthaginienſi tumultuatum ſcribit, negantibus Graccho & Fuluio, quæ de luporum prodigio à Senatu dicebantur. Ergo, inquit Plutarchus, qua die leges eius Opimius antiquaturus erat, vtraque factio inſedit prima luce Capitolium. Cumque rem diuinam Conſul faceret, vnus ex lictoribus eius Q. Antyllius (Attilium vocat Appianus) auferens aliò exta, ad Fuluii cohortem ait, *date locum boni, improbi ciues.* Ibique è veſtigio confoditur longis ſtylis, ad id ipſum paratis. Excanduit ea cæde Caius, & caſtigauit ſuos, quod colorem quærentibus iampridem aduerſariis præbuiſſent.

IV. *Opimius Conſul ſenatuſconſulto hinc armatur cū Senatu. Inde Fuluius & C. Gracchus.* Opimius autem ſicut anſa accepta erectus, populū ad vltionem exaſperauit, ſed cum ſuperueniente imbre dirempti eſſent, poſtridie deducitur cadauer in forum, multa circa id vtraque factione iactante. Conſul coacto Senatu conſulit, quid facto ſit opus. Patres mandant Opimio daret operam, ne quid Reſp. detrimenti caperet, & tyrannos opprimeret.

Ille denunciat patribus, vt arma capiant, equitibus edicit, vt ſinguli cum luce binos ſeruos armis inſtructos adducant. Fuluius è diuerſo adornauit ſe, & coëgit multitudinem, cum qua noctem in vino & tumultu tranſegit. Caium è foro digredientem multi aſſectati ſunt, vicem eius miſerantes, totamque noctem apud ipſum excubias agentes. Vbi diluxit, ægre excitauerunt ſopitum mero Fuluium, armaueruntque ſe ſpoliis, quæ domi habebat, Gallis in cōſulatu ſuo deuictis detracta, & ad occupandum Auentinum contenderunt; Caius cætera inermis, modico pugione ſuccinxit ſe. Exeuntem Licinia coniux fruſtra retinere conata eſt, ille ad Fuluium tacitus cum amicis proceſſit.

V. *Qui pacem petunt. Et à Conſule in ius vocatur. Et fugantur armis.* At Fuluius, vbi frequentes conuenerunt, filium minorem de Caii conſilio mittit, cum caduceo in forum, vt de pace cum Conſule & Senatu ageret; At Opimius iuſſit eos, vt ſontes ad cauſam dicendam deſcendere, & Senatui ſe permittentes, pœnam deprecari. Et adoleſcenti edixit, vt niſi his conditionibus ne rediret; redeuntem nihilominus, comprehendit, & tradidit in cuſtodiam. Inde in Fuluii cohortem impreſſionem facit, cum multis peditibus, & ſagittariis Cretenſibus, qui petentes aduerſarios, conuulnerantesque diſſipauerunt eos. Facta fuga, Fuluius in balneum contemptum confugit.

Fuluius occiditur. Caius fugit Mox extractus inde, cum filio natu maiore obtruncatus eſt. Caius autem in ædem Dianæ ſe recepit. Ille cum manus inferre ſibi conaretur, à fidiſſimis amicis Pomponio & Licinio, (Valerius Maximus libro quarto capite ſeptimo, Leſtorium vocat, Velleius ſolius Pomponii Romani equitis meminit,) prohibitus eſt, & ſublato ei gladio ad fugam compulſus. Interea prænunciata per præconem impunitate, plerique ad Opimium ſe contulere.

VI. *Eiuſdem cædes voluntaria.* In Caium autem fugam capeſſentem inferentibus ſe hoſtibus, & aſſecuti eum ad Pontem ſublicium, duo illi amici hortati ſunt eum, vt iter ante caperet, dum ipſi ad pontem irruentium impetum ſuſtinerent, nec cuiquam tranſitus patuit, donec occumberent. Interea Gracchus in lucum Furinæ confugit, vbi à Philocrate, Euporū Velleius vocat, Autor vir. illuſt. c. 65. Euphorum, famulo fugæ comite, ipſiuſmet iuſſu obtruncatur, qui poſtquam illum interemit, mox ſuper eum traiecit ſemetipſum. Vt vero alii tradunt, inquit Plutarch. ab hoſtibus ambo viui comprehenſi fuere; cæterum cum dominum ſeruus complecteretur, nemo ferire illū prius

valuit, quam hic à multis vulnera ingerentibus fuit interemptus. Caii caput præciſum amicus Opimii Septimuleius abſtulit. Siquidē pronunciatū initio pugnæ fuerat, Caii & Fuluii capita referentibus, præmiū, vt pari auri pondere rependeretur.

Relatum à Septumeleio fuit ad Opimium lancea præfixum, ſtateræ impoſitum pependit, pondo ſeptemdecim cum beſſe, quod plumbum exempto cerebro infudiſſet. Singulis porro libris centum aureis æſtimatis, vendidit Septumeleius caput 1766. coron. & 40. ſolid. *Caput auro rependitur.*

Qui vero Fuluii caput attulerunt, quod eſſent obſcuriores, nihil accepere. Appianus tamen illud quoque auro repenſum fuiſſe ſcribit. *An & Fuluii.*

VII. *Trium millium cades.*

l. 5 c. 12. CADAVERA tam horum, quam aliorum qui trucidati fuerunt, tria millia in amnem proiecta, bona eorum ſub haſta vendita. Oroſius de cæſis aliter, ac fortaſſe probabilius ſcribit. Ex factione Gracchi, inquit, ducenti quinquaginta in Auentino cæſa referuntur. Opimius Conſul ſicut in bello fuit fortis, ita in quæſtione crudelis. Nam amplius quam tria millia hominum ſuppliciis necauit, ex quibus plurimi, ne dicta quidem cauſa, innocentes interfecti ſunt. Sic ipſe. De Graccho vero particulariter eodem loco ait, caput quidem Gracchi exciſum Conſuli allatum fuiſſe, corpus autem ad Corneliam matrem, Miſenum oppidum deuectum eſſe, quo illa à prioris filii morte ſeceſſerat. Luctuoſa vero in primis traditur mors adoleſcentis Fuluii natu minoris, qui cuſtodiæ traditus fuerat, & pugnæ armorumque expers, crudeliter poſt pugnam interfectus eſt. Appianus ait illi permiſſum, vt ſuo arbitratu genus mortis eligeret: duodeuiginti annorū fuiſſe ſcribit Velleius, & in eius iniuſta atque indigna morte cum Plutarcho ingemiſcit. Cōiugibus interfectorum luctus interdictus eſt. Inde luſtrata vrbe à cædibus, Concordiæ fanum in foro SC. cōditum eſt: quod plebs in deteriorem partem accepit, quod quodammodo triumphare de tanta ciuiū ſtrage videbantur. Hæc fere Plut. quibus non admodum diſſimilia ſcribit Appianus, ſed ita tamen, vt Plutarchum in Gracchum facile propenſum agnoſcas, Appianum contra eidem infenſiorem.

VIII. *Res à Domitio geſta*

Hoc eodem anno Domitio prorogatum eſt imperium, qui & rem feliciter contra Gallos adminiſtrauit. Cn. Domitius Proconſul contra Allobroges ad oppidū Vindalium multum feliciter pugnauit, ait Flor. in Epit. 61. Vindalium autem oppidum Strabo l. 4. Vndalum appellat, ad quam vrbem ait Sulgam Rhodano miſceri.
l. 3. c. 2. Ex quo corrigēdus eſt Florus, vbi Vindelicum amnē pro Vindalio oppido poſuit. Eſt autē Sulga, quæ vulgo *Sorgue* dicitur, itaque Vndalum ſiue Vindalium oppidū eſt, quod nūc *Pont de Sorgue* appellatur, i qno loco, ait Strabo, Cn. Domitius Aenobarbus, ingenti pugna permulta barbarorum fudit millia. In medio ſunt vrbes Auenio, Arusio, Aëria, recte, vt ait Artemidorus, ſic dicta, quod ſita eſt celſiſſimo loco, tota iſta regio campeſtis eſt, & paſcuis idonea &c. Hac ergo regione campeſtri concurrere acies.

IX. *Cur oppugnarit Cauares.*

QVONIAM vero hanc regionē non tenent Salyes, quibuſcū erat bellum Romanis pro defenſione Maſſilienſium, (non enim vltra Druentiam habitant, & Prouinciales dicuntur hoc tempore,) ſed Cauares vſq. ad Iſaram fluuium, vt Straboni placet, qui tamen Allobroges paſſim dicuntur ab Hiſtoriæ Romanæ ſcriptoribus, quare contra hos quoque Romani arma ſumpſerint, traditur in Epit. 61. *Quibus, ait, bellum inferendi cauſa fuit, quod Tentomalium Saluiorum regem fugientem recepiſſent, & omni ope iuuiſſent: quodq. Heduorum agros ſociorum pop. Rom. vaſtauiſſent.* Verum hæc vaſtitas ab Aruernis potius, qui Heduis viciniora incolūt loca, videtur illata, ſociis fortaſſe Cauaribus. Nam Suetonius in Nerone Allobroges, Aruernoſque victos tradit à Do-
l. 3. c. 2. mitio, Paterculus Aruernos à Domitio, Allobroges à Fabio, Florus res ab vtroque imperatore geſtas permiſcet, atque confundit, ſicut & Eutrop. l. 4. Sed verius eſt Aruernos cum rege ſuo ſequenti anno victos à Fabio, A Domitio autem hoc anno Cauares, ſiue Allobroges, quo nomine Delphinates quoque, & Sabaudi à Strabone comprehenduntur. *Allobroges quoq. vicit. In quibus delphinates, & Sabaudi.*

X. *Fabius Aruernos.*

ITAQVE Liuius in Epit. 61. in referenda re geſta à Cn. Domitio ſolos memorat Allobroges, ſicut & Oroſius lib. 5. ca. 13. in re autem Fabii ca. 14. ſolos Aruernos: iis tamen etiam addit Allobroges Liu. loc. cit. pugnæ videlicet cladiſque ſocios.
li. 4. Denique Strabo vbi pugnas Domitii & Fabii locis diſtinguit, etſi Allobroges & Aruernos non memorat, ſed cōmuni omnes nomine comprehendit. Domitium

tamen apud extremos Cauares pugnaſſe tradit, Fabium autem ad Iſaræ oſtia, in Allobrogum quidem finibus, ſed propius ad Aruernos. Aliquanto tamen inferius Strabo Aruernos cum rege ſuo bis contra Romanos pugnaſſe affirmat; ſed in priore pugna potiores partes erant Cauarum & Allobrogum, in poſteriore Aruernorum.

Domitii pugna contra Allobroges. Aetnæ incendium. De hac pugna contra Cauares, ſiue Allobroges hæc habet Oroſius libro quinto capite decimo tertio explicatius, quam cæteri ſcriptores: Cn. quoque Domitius Proconſul Allobroges Gallos iuxta oppidum Vindalium grauiſſimo bello vicit; maxime cum Elephantorum noua forma, equi hoſtium, hoſteſque conterriti diffugiſſent. Viginti millia ibi Allobrogum cæſa referũtur, tria millia capta ſunt. Eodem tempore, ait idem, Ætna mons vltra ſolitum exarſit, & torrentibus igneis ſuperfuſis, lateque circumfluentibus Catanam vrbem, fineſque eius oppreſſit: ita vt tecta ædium calidis cineribus præuſta, & prægrauata corruerent; cuius leuandæ cladis cauſa, Senatus decem annorum vectigalia Catanenſibus remiſit. De ſimili Aetnæ exundatione meminit Obſequens, an. 627. Lepido & Oreſte Coſſ.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3933.

1.N. VIII. Vt mirer Scaligerũ in Euſebium dicere nullum hodie eſſe Vindali veſtigium, intra fines Cauarum, iuxta confluentes Sulgæ & Rhodani, & locum ſibi aliquando viſum; ſed nobis ibi oppidum & viſum, & ſæpius aditum; quod arce, & turribus à longe etiã proſpici poteſt, ad quatuor millia paſſuum Auenione diſtans: quod Ortelius in Geographico Theſauro, & chartis ex Paradino confirmat. Scaliger autem cum ſuo portu Tralliæ, fucum facit eius loci imperitis.

ANNVS MVNDI 3934. SEXTAE AETATIS 418.

IMPERII GRÆCORVM 192. ANTIOCHI GRYPHI 6. IOANNIS HYRCANI DVCIS & PONTIFICIS 15. PTOLEMÆI EVERGETIS 26. OLYMPIADIS CLXV. AN. 1. VRBIS CONDITÆ 633. COSS. P. MANILIO, & C. PAPIRIO CARBONE.

ANNVS ANTE CHRISTVM 119.

I. *Opimium plebs perſequitur.* QVIETAE res erant in Syria, vt ſupra ex Iuſtino retulimus, quando in Olympicis Acuſilaus Cyrenæus victor in ſtadio renunciatus eſt. Et Hebræi annum Sabbaticum centeſimum nonageſimum tertium celebrarunt. Romæ autem ex vehementi ſuperioris anni concuſſione, non ſine agitatione, motuque res erant. Crudelitas enim Opimii ab eo animos plebis abalienauit, & in mortuorum Gracchorum fauorem conuertit. Cum primum enim à magiſtratu abiit, apud populum à Q. Decio tribuno plebis accuſatus eſt, quod indemnatos ciues in carcerem conieciſſet, vt eſt in Epitome ſexageſima prima: imo etiam ad tria millia morte affeciſſet, vt ex Plutarcho & Oroſio retulimus, præter eos qui in conflictu ceciderant. *Quẽ Cõſul Carbo defendit.* Verum L. Opimii cauſam Carbo Conſul, qui antea popularis, nuper ad Optimatum partes transierat, defendit ad populum, nihil de Gracchi nece negando, ſed eam iure pro ſalute patriæ illatam defendendo, vt eſt apud Marcum Tullium li. 2. de Orat. Verum cum omnia Senatuſconſulto armatus feciſſet, quo ei Dictatoria poteſtas in Conſulatu tradi videbatur, abſolutus eſt: inuiſus tamen, & probris à populo agitatus conſenuit, vt Plutarchus teſtatur.

Gesta Fabii contra Arvernos.

II. *Gracchos mortuos plebs honorat. Opimium vlciſcitur.*

At breui poſt apparuit, inquit, quanto ardore ac deſiderio Gracchorum, populus teneretur; ſiquidem ſimulachra eorum fecerunt, eaque in aperto propoſuerunt, loca in quibus fuerunt interempti conſecrantes, primitiaſque ibi frugum ſuarum offerentes. Multi etiam quotidie ibi ſacra faciebant, & adorabant, eo ſicut ad deorum templa commeantes. Quod autem ſcribit Cicero in Piſonem, L. Opimium eiectum eſſe à patria, qui Prætor & Conſul maximis Rempub. periculis liberarat, non ad huius anni iudicium pertinet, ſed ad annum Vrb. Cond. circiter 634. cum legatus ad Iugurtham miſſus, pecunia ab eo corruptus eſt, vt Plutarchus ait, diſſentiente Cicerone, qui eadem in oratione iniuria damnatum tradit. Non in eo, inquit, cui facta eſt iniuria, ſed in iis qui fecerunt, ſceleris & conſcientiæ pœna permanſit. Sic ipſe, tacite populum accuſans, quod ex præterito odio propter Gracchi cædem, non ob præſentem culpam damnatus fuerit. Quæ omnino eſt Vellei ſententia. (l.2.) *Opimium, inquit, virum alioqui ſanctum & grauem, damnatum poſtea iudicio publico, memoria ipſius ſæuitiæ, nulla ciuilis perſecuta eſt miſericordia*, & paulo poſt, *factum Opimii, quod inimicitiarum quæſita erat vltio, minor ſecuta authoritas, & viſa vltio priuato magis odio, quam publicæ vindictæ data.*

III. *Geſta Fabii contra Aruernos.*

Qvod ad res extra vrbem geſtas attinet, ſucceſſit Domitio ad bellum Gallicum conficiendum Fabius. Cumque ab illo proconſule res geſtæ fuerint, vt ex Epit. & Oroſio diximus, oportet hoc anno contra Aruernos, & Allobroges, à Fabio item proconſule eſſe pugnatum: idque habetur in veteri fragmento faſtorum apud Scalig. in Euſeb. Q. Fabius. Q. Æmyliani F. Q. N. an. DC.... Maximus, Procoſ. de Allobrogibus, & rege Aruernorum Betuito, &c. Sigonius quoque in faſtis eius triumphum in hunc annum refert. Nihilominus Fabii geſta magna ex parte ad præcedentem annum pertinere, duo docent. (l.7.c.50.) Primum quod Plinius ſcribit pugnam à Fabio contra Aruernos commiſſam ad 6. Idus Auguſti, & quidem anno ſuperiori. (l.9.c.6.) Nam Valerius Maximus ait Bituitum regem Aruernorum à Domitio comprehenſum, quod cum ſuam, tum etiam Allobrogum gentem, ſe etiam tum in prouincia morante, ad Q. Fabii ſucceſſoris ſui dexteram confugere hortatus eſſet. Erant igitur ambo in prouincia.

IV. *An & Domitii ſimul.*

Strabo etiam cõtra vtrumq. Romanorum imperatorem à Bituito pugnatum tradit, contra Maximum quidem, ad confluentem in Rhodanum Iſaram. Contra Domitium vero aliquanto inferius, vbi Sulga Rhodano miſcetur. Denique Eutropius ait Bituitum ſe Domitio dedidiſſe, atque ab eo Romam ductum eſſe. Quomodo, ſi à Domitio Romam ductus eſt, contra Fabium poſtea pugnare potuit? quem retentum in Italia paulo poſt dicemus. Verum Eutropii locum corruptum eſſe certo conſtat, vt notauit Sigon. Nam Caſſium, Domitio miſcet, & Domitium appellat Caluinum, & Fabium plane præterit. Valerium Maximum cum cæteris non conuenientem Scaliger in Euſebium contemnit, Sigonius admiratur. (n.1890.)

Dici poſſet Domitium remanſiſſe in prouincia cum ſucceſſore, & cum eodem aduerſus Bituitum, cuius immenſæ erant copiæ pugnaſſe, & poſt victoriam & fidem datam, eum comprehendiſſe, & Romam hoc anno cum Fabio abduxiſſe, amboſque ſimul proconſules triumphaſſe. Quod ſi non placet, nos quoque Valerium dimittamus hoc loco, & deceptum putemus in Domitio, quem perfidiæ inſimulat: ſed rurſum de hac perfidia paulo poſt coniecturam noſtram afferemus. Nunc de re ipſa dicamus ex Oroſio, qui bellum hoc paulo plenius refert.

V. *Fabii cum Bituito rege Aruernorum prælium.*

Fabivs Conſul Bituito regi Aruernorum Galliæ ciuitatis, bellum Maximo inſtructu comparanti, adeo cum paruo exercitu occurrit, vt Bituitus paucitatem Romanorum, vix ad eſcam canibus, quos in agmine habebat, ſufficere poſſe iactaret. Hæc iactatio videtur ad præcedentis anni bellum pertinere, cum nondum contra Romanos Bituitus pugnarat. Nam ſemel iam victo parum conueniret: præſertim cum Fabius magnas ſatis copias ſecũ adduxiſſe ex Italia, ex eo conſtet, quod Strabo dicat eum triginta fere millia in exercitu habuiſſe. Pergit Oroſius. Qui cum ſibi ad transferendas copias vnum pontem Rhodani fluminis parum eſſe intelligeret, alium compactis lintribus, cateniſque connexum ſuperſtratis confixiſque tabulis inſtruxit. Felicem fuiſſe Romano duci hanc pugnam docet Plinius, quem in acie febri quartana liberatum eſſe ſcribit.

VI. *Ingẽs Gallorũ clades.*

Conserta pugna, & diu grauiter agitata, victi Galli, conuerſique in fugã,

dum quiſq. ſibi timet, coaceruatis incõſulte agminibus, & præpropero tranſitu, põtis vincula ruperũt, ac mox cum ipſis lintribus merſi ſunt. Eutrop. l. 4. & Florus in Epit. 61. Allobroges deditionem feciſſe, & in deditionem acceptos tradunt: factam etiam cum iis pacem habet eadem Epit. Cæſar vero l. 1. de bello Gall. ait his ſuperatis populum Ro. ignouiſſe, neque in prouinciam redegiſſe, neque ſtipendium impoſuiſſe. Centum octoginta millia armatorum in exercitu Bituiti fuiſſe traduntur, ex quibus centum quinquaginta millia vel cæſa, vel merſa ſunt: ita Oroſ. At Liuius in Epit. 61. 120. hominum millia cæſa ſcribit, cui conſentiunt Plinius, l. 7. c. 50. & Appianus. Strabo viginti myriades cum habuiſſe tradit in exercitu, quibus cæſis, Fabium ibidem trophæum ſtatuiſſe ex albo lapide, ac duo templa, vnum Martis, alterum Herculis. In hoc quoque prælium illatos à Romanis elephantos affirmat Florus. [a] *Maximus*, ait, *Barbaris terror Elephanti fuere, immanitati gentium pares.* Apparet inepte & contumelioſe quæſitus verborum ſonus. Pergit a l. 3. c. 2.

VII. *Bituitus rex bis victus, triũphauit.*

Nil *tam conſpicuum in triumpho quam Rex ipſe, bis viſus diſcoloribus in armis, argenteoque carpento, qualis pugnauerat.* Dubitat hic doctiſſimus Sigonius an bis Rex Bituitus triumphatus fuerit, propter illud, *bis viſus*, vt legitur in vulgatis libris; Sylburg. corrigit, legitque Bituitus. Ego legendum arbitror bis victus. Nam bis victum tradit, vt diximus, Strabo l. 4. ſemel à Domitio, iterum à Fabio. Et emendationem noſtram iuuat Florus ipſe. Nam ſequitur; Vtriuſque victoriæ quod quantumque gaudium fuerit, vel hinc æſtimari poteſt, quod & Domitius Ænobarbus, & Fabius Maximus, ipſis quibus dimicauerant in locis, ſaxeas erexere turres, & deſuper exornata armis hoſtilibus tropæa fixere, cum is mos inuſitatus fuerit noſtris. Nunquam enim populus Ro. hoſtibus domitis ſuam victoriam exprobrauit. Sic ipſe. Quod autem de argenteo carpento tradidit, fidem ex Eutropio accipiet, qui prædam ingentem Romam perlatam refert ex torquibus Gallorum, aureis videlicet; & ex Strabone, apud quem hæc leguntur. *Lucrius pater Bituiti, eius qui contra Maximum, & Domitium bellum geſſit, tantis fertur opibus luxuriaſſe, vt aliquando, oſtentandæ amicis opulentiæ ſuæ cauſa, curru per campum veheretur, auream argenteamque monetam hinc inde diſpergens, quam comites ipſius colligerent.*

Romani trophæa excitarunt. Carpentum argẽteum.

VIII. *Perfidia in eum regem a Romanis admiſſa.*

Illvd poſtremo de hoc bello non prætermittendum videtur, ex Liuio in Epit. 61. vbi de Bituito rege agens. *Et cum ipſe*, inquit, *ad ſatiſfaciendum Senatui Romam profectus eſſet, Albæ cuſtodiendus datus eſt, quia contra pacem videbatur, vt in Galliam remitteretur. Decretum quoque eſt, vt Congentianus filius eius comprehenſus Romam mitteretur.* Valerius, [b] vt ſupra diximus, perfidiam in hunc regem admiſſam agnoſcit, ſed eam in Domitium transtulit; quæ fuerat, ſi qua commiſſa eſt, in Senatum transferenda. Nam pace facta vltro ad vrbem profectus, ibi capitur, in triumphum ducitur, in perpetuum carcerem conjicitur, & ne quid iniuſtitiæ deeſſet, etiam regni hæres eandem cum patre calamitatem ſubire cogitur: & tamen iis ignouiſſe dicitur populus Ro. quia ſcilicet, maiori etiam facinore, pace facta gentem delere funditus potuerit. Ita paulatim ea perpetrabat hic domitor terrarum populus, quæ aliquando in caput eius verterentur, eamque libertatem ipſe perderet, quam aliis iniuſte rapiebat. Idipſum proximo anno Numidicæ ac Iugurthinæ res luculenta probatione docebunt. Ex hoc porro bello confecto, Q. Fabius Allobrogici nomen eſt conſecutus.

b l. 9 c 6.

Fabius Allobrogicus.

ANNVS MVNDI 3935. SEXTÆ ÆTATIS 419. IMPERII GRÆCORVM 193. ANTIOCHI GRYPHI 7. IOAN. HYRCANI PONTIF. 16. PTOLEM. EVERGETIS 27. OLYMP. CLXV. AN. 2. VRB. CONDITÆ 634. L. CAECILIO METELLO, ET L. AVRELIO COTTA. COSS.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 118.

ARBITROR hoc anno miſſum L. Opimium conſularem legatum in Numidiam, ad regnum, improbitate Iugurthæ vehementer perturbatum, componendum. Vt autem quo in ſtatu res eſſent intelligatur, ex eo loco breuiter repetenda eſt narratio, vbi fuerat terminata. Micipſa mortuo, & iuſtis regio more illi perſolutis, in conuentu regulorum, dum de regni adminiſtratione diſſeritur, Iugurtha inter alias res, ait oportere quinquennij conſulta, & decreta omnia reſcindi. Nam per ea tempora confectũ annis Micipſam parum animo valuiſſe. Tum Hiempſal placere ſibi reſpondit. Nam ipſum illum tribus his proximis annis adoptione in regnum perueniſſe. Sperabam, mi lector, hinc me iuuari poſſe ad digerendos hoſce annos, à reditu Numantino Iugurthæ, poſt quem Salluſtius ſtatim adoptatum dicit à Micipſa Iugurtham; ſed tempore vehementer redundante, vſque ad hanc legationem, expertus inanem ſpem meam, in hunc vnum congeſſi locum quæ anteceſſerunt. *I. Status rerum Numidicarũ.*

ID verbum Hiẽpſalis cum in Iugurthæ pectus altius deſcendiſſet, inde ira & metu anxius, omnia ad interitum Hiempſalis molitus eſt. Denique ope adulterinarum clauium, in eius domum cum armata manu ingreſſus, eius caput obtruncat. Fama huius facinoris Africam bipertito diuidit. Alij Iugurtham, alij Adherbalem aſſectantur; & hunc quidem plures, illum fortiores. Adherbal legatos Romam mittit, qui de fratris morte Senatum doceant. Iugurtha vrbes partim vi, partim voluntate, imperio ſuo adiungit, & ad pugnam Adherbalem inducit, & victum fugat in prouinciam, vnde Romam contendit. Iugurtha tota Numidia potitus, timere Romanos, nec ſpem ſalutis, niſi in Romanorum auaritia ponere, à quibus Numantiæ didicerat omnia Romæ eſſe venalia. *II. Iugurtha Hiempſalem perimit.*

ITAQVE paucis poſt diebus legatos Romam, cum multo auro & argento mittit, iuſſos veteres amicos explere muneribus, nouos acquirere, largitionibus omnia moliri: quod ab illis tanto ſtudio perfectum eſt, vt iuſtiſſimæ Adherbalis querelæ propemodum irritæ ceſſerint. Decretum fit vti decem legati regnum, quod Micipſa obtinuerat, inter Iugurtham & Adherbalem diuiderent. Cuius legationis princeps fuit L. Opimius, homo clarus, & tum in Senatu potens, qui Conſul Graccho & Fuluio interfectis, acerrime victoriam nobilitatis in plebem exercuerat. Eum Iugurtha, tametſi Romæ in amicis habuerat, tamen accuratiſſime accepit, dandóque & pollicendo multa, perfecit, vti famæ, fidei, poſtremo omnibus ſuis rebus commodum regis anteferret. Reliquos legatos eadem via aggreſſus, pleroſque cepit, paucis charior fides, quam pecunia fuit. In diuiſione regni, quæ pars Numidiæ Mauritaniam attingit, agris viriſque opulentior, Iugurthæ traditur. Illam alteram, ſpecie quam vſu potiorem, Adherbal poſſedit. Hæc Saluſtius pluribus. Cætera non incommode in ſuos annos diſtribuemus. *III. Romanos largitione corrumpit.* *In iiſq; L. Opimium.*

HOC quoque anno Syria, Iudæa, Ægyptus obmuteſcunt, Roma, excepta re Iugurthina, perpauca domi loquitur, foris quieſcit, quod quidem ſcriptum reperiatur. Hoc primum anno C. Marius in theatrum Romanum ingreditur Tribunus plebis, & ſic non ſolum ſpectandum, ſed etiam formidandum exhibet, quem Valerius Maximus, [a] ait repulſarum patientia magis in Curiam *IV. C. Marius fit Tribunus plebis.*

[a] l. 6. c. 9.

irrupiſſe, quam veniſſe. Is vt habet Plutar. in eius vita, Cæcilij Metelli fauore, in cuius familiæ clientela perpetuo à patre vſque fuerat, Tribunus pl. factus eſt. In Tribunatu cum legem ferret de ſuffragiis, quæ primores videbatur priuare potentia, quam in iudiciis obtinebant, repugnauit ei Cotta Conſul, fuitque author Senatui, vt legem oppugnaret, & Marium ad reddendam ſui facti rationem vocaret.

V. *Conſules & Senatum terret.* Cvm ea de re SC. perſcriptum eſſet, Marius ingreſſus Curiam ingentes aſſumens ſpiritus, minatus eſt Cottæ, niſi induxiſſet SC. ſe eum in carcerem ducturum. Vbi conuertit ſe ille ad Metellum, & ſententiam rogauit, exurgens Metellus aſſenſus eſt collegæ Conſuli. Marius ibi accito lictore, duci in vincula præcepit ipſum Metellum; quo alios tribunos appellante, nemo fuit ei auxilio. Ita cedens Senatus ſuum antiquauit decretum. Marius victor, in concionem egreſſus legem pertulit: habituſque eſt aduerſus metum inuictus, & perfricta fronte aduerſus pudorem, quem Metello debebat, & benefactori, & Conſuli.

Hunc Metellum L. Metelli Calui filium, qui Conſul fuit anno V. C. 611. ſcribit Sigon. in Faſtis. Iulius autem Obſequens, vt notauit Cuſpin. Androgynum hoc anno in agro Romano annorum octo inuentum, & in mare deportatum ſcriptum reliquit.

ANNVS MVNDI 3936. SEXTÆ ÆTATIS 420.

IMPERII GRÆCORVM 194. ANTIOCHI GRYPHI 8. IOAN. Hyrcani Pontif. 17. Ptolem. Evergetis 28. Olymp. CLXV. an. 3. Vrb. Conditæ 635. M. Porcio Catone, et Q. Marcio Rege. Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 117.

I. *Res Numidica.* INANIS quoque ac vacuus eſt hic annus à Syriacis rebus, atque Ægyptiis. At quod ad Numidicam rem attinet. Poſtquam diuiſo regno legati Africa diſceſſere, & Iugurtha contra animi timorem præmia ſceleris adeptum ſeſe videt, in regnum Adherbalis animum intendit, hominis placido ingenio, atque iniuriæ opportuno. Itaque ex *Iugurtha inuadit Adherbalem.* improuiſo fines eius cum magna manu inuadit, & multa cum præda, magna illata clade, in regnum ſuum regreditur. Adherbal legatos ad Iugurtham de iniuriis queſtum miſit, qui tametſi contumelioſa dicta retulerant, prius tamen omnia pati decreuit, quam male antea tentatum bellum redintegrare. Vt pluribus narrat Saluſt. Porro Conſules anni huius memorantur tum aliis in rebus, tum in deductione Narbonis coloniæ, quæ Narbo Martius dicta, à Conſule à quo deducta eſt. Autor *Narbo Marcius.* Velleius. Sed illapſum oportet errorem in numerum, ait enim; Narbo Marcius in Gallia M. Porcio & Q. Marcio Coſs. ab hinc annos circiter 153. deducta colonia eſt. *l. 1. & 2.* Quod autem ab hinc dicit, ſignificat annum V. C. 782. quo Conſulatum geſſit M. Vinicius Quartinus, cum L. Caſſio Longino, à quo anno ſi regrediaris ad præſentem inuenies 147. duntaxat, etiam numeratis extremis. Eutropius hunc annum Vrb. Cond. vocat 633. ſed Cuſpin. corrigit 635. quomodo habet Sigon. & paſſim omnes.

II. *Galli ſeruitutem voluntaria omnes morte male redimunt.* Dedvcta porro videtur colonia poſt bellum in Gallia Narbonenſi à Marcio Conſule confectum, de quo hæc habet Oroſ.[a] Q. Marcius Conſul Gallorum gentem ſub radice Alpium ſitam bello aggreſſus eſt, (Sarnos vocat Epit. 62. qui intelligi non poſſunt Narbonenſes, vt qui multo propiores ſunt Pyreneis quam Alpibus, Sigonius ſuſpicatur eſſe Tricaſtinos) qui cum ſe Romanis copiis circunſeptos viderent, bellóque impares fore intelligerent, occiſis coniugibus ac liberis, in flammas ſeſe proiecerunt. Qui vero præoccupantibus Romanis, peragendæ tunc mortis ſuæ copiam non habuerant, captique fuerant; alij ferro, alij ſuſpendio, alij *a l. 5. c. 14.*

abnegato cibo ſeſe conſumpſerunt: nulluſque omnino vel paruulus ſuperfuit, qui ſeruitutis conditionem vitæ amore toleraret. Furore vtique incredibili, maximo malo multo minorem redimebant; & inſuper calamitatem ſuam grauiſſimis parricidiis cumulabant, in inſontes, & in eos quos natura docente debebant habere cariſſimos. Cæterum quare vel bellum hoc, vel triumphum Sigon. in annum ſeq. differat, non intelligo. Nam cum vicinus eſſet hoſtis, potuit eodem anno & vincere & triumphare.

III. *Mors Catonis nepotis Cenſorini.* Porro hic M. Porcius Cato filius fuit illius Catonis, qui Prætor deſignatus, viuo Patre mortuus eſt, & nepos nominatiſſimi Catonis Cenſorini, vt autor eſt Gellius, [a] de quo hæc addit. Is ſatis vehemens Orator fuit, multaſque orationes ad exemplum aui ſcriptas reliquit, & Conſul cum Q. Martio Rege fuit; inque eo Conſulatu in Africam profectus, in ea prouincia mortem obiit. Ei autem ſuffectus reperitur Q. Ælius Tubero, vt coniicit Stephanus Pighius in hunc annum. Addit Gellius, filium habuiſſe maiorem Catonem, non eum qui Vticæ periit, ſed qui cum Ædilis curulis, & Prætor fuiſſet in Galliam Narbonenſem profectus, ibi vita functus eſt. Q. autem Marcij fortitudinem in vnici filij morte toleranda celebrat Valerius Maximus. [b]

a l. 13. c. 18.
b l. 5. c. vlt.

ANNVS MVNDI 3937. SEXTAE AETATIS, 421. IMPERII GRÆCORVM 195. ANTIOCHI GRYPI 9. IOAN. HYRCANI PONT. 18. PTOLEMÆI EVERGETIS 29. ET VI. OLYMP. CLXV. AN. 4. VRB. COND. 636. COSS. L. CAECILIO METELLO, ET Q. MVTIO SCAEVOLA.

ANNVS ANTE CHRISTVM 116.

I. *Finis regni Evergetis.* MORITVR hoc anno Ptolemæus Euergetes. Hic eſt enim regni eius 29. ad quem vſque vixiſſe autor eſt Euſeb. in Chron. & Epiphan. lib. de Menſuris, vbi & Philologum eum cognominat; Tertullianus item aduerſus gent. apud Pamelium, & D. Hieronym. Clemens quoque Alexand. l. 1. Strom. qui eum Phyſconem appellat, & ne cognomen hoc, quod non vni tributum eſt, dubitationem pariat, vocat Philometoris ſucceſſorem. Eos Beda ſequitur lib. de ſex. æt. Iſidorus & Nicephor. in Chron. c. 8. & longo deinde ordine recentiores, in quibus Torniellus, Bellarminus, Gordonus, Samerius: & de Sectariis, Temporarius, Functius, Capellus, Caluiſius, Scaliger, qui ait omnes vno ore illi 29. annos tribuere. [c] Ipſe tamen in fragmento quodam Græco prioris libri Euſebij, [d] cum retuliſſet ex Euſebio fratres duos Philometorem & Euergetem, filios Ptolemæi Epiphanis, regnaſſe 64. annis, priorem ſcilicet 35. iuniorem 29. ſubdit. Diodorus autem ait iuniorem 15. annis poſt ſeniorem fratrem regnaſſe, multaque ſcelera perpetraſſe, propriam ſororem Cleopatram duxiſſe, multos inſidiarum contra ſe falſo detuliſſe, eorumque alios ſuſtuliſſe, alios ſolum vertere coëgiſſe, ſublatis ipſorum fortunis. Hæc ibi. Propter quæ tamen à communi ſententia minime diſcedendum eſt.

c n. 1873. in Euſeb.
d p. 54.

II. *De eius morte, & inconſulto teſtamento.* Eivs mortem, cum expoſitione turbarum enatarum in Syria, habet Iuſtinus l. 39. *Inter has*, inquit, *regni Syriæ parricidiales diſcordias, moritur Rex Aegypti Ptolemæus, regno Aegypti vxori & alteri filio, quem illa elegiſſet, relicto. Videlicet quaſi quietior Aegypti ſtatus, quam Syriæ regnum eſſet, cum mater altero ex filiis electo, alterum hoſtem eſſet habitura.* Sic ipſe, merito reprehenſa inſipientis principis imprudentia, qui iure maioris natu in regnum neglecto, vt mulieri blandienti gratificaretur, bellorum tumultus vltro in regnum moriens accerſebat. Sed non erat mirum, ſi qui in perniciem regni ſui, ſuorumque neceſſariorum vixerat, etiam moriens populo calamitates, filiis parricidia parturiret. Sed de ſucceſſore, ſequenti anno, quo regnare cœpit, dicendum erit.

III. *Res Syriæ huius temporis.* *Grypi, & Cyziceni contentiones.*

De re autem Syriaca Iuſtinus idem, cum quietos octo Gryphi annos poſuiſſet, ita pergit. *Natus deinde illi eſt æmulus regni, frater ipſius Cyzicenus, eadem matre genitus,* (Cleopatra trium Syriæ regum coniuge) *ſed ex Antiocho patruo* (Sidete, ſiue Pio) *ſuſceptus, quem cum veneno tollere voluiſſet, vt maturius cum eodem armis de regno contenderet, excitauit.* Idem habet Appianus, in Syriacis. *Nec Grypus*, inquit, *a matre degenerauit: ſtruxit enim Cyziceno, quamuis vterino fratri inſidias; at ille præmonitus, aperto bello fratrem expulit, & pro eo regnauit in Syria.* Sed id poſt triennium contigit. Belli inter fratres cauſam Ioſephus [a] videtur in Cyzicenum reiicere, cum refert eum copias apud Cyzicum, vbi fuerat educatus, collegiſſe, dum Grypus expeditionem in Iudæos animo deſtinaret: nihil tamen in Iudæos auſum mouere, ſed ſe contra fratris aduentum paraſſe. Apparet autem ſub hoc tempus Cyzicenum in Syriam veniſſe, cum Ioſephus dicat eum multis annis ibi cum fratre bellum geſſiſſe. Porro, inquit, Antiochus Cyzicenus vbi peruenit in Syriam, multis annis cum fratre conflictatus eſt, Hyrcano interim, per totum illud tempus, agente in pace continua; & paulo poſt; maximis ſucceſſibus res Hyrcani auctæ ſunt Alexandri Zebinæ tempore: & maioribus etiam, regnātibus his duobus fratribus. Bellum enim quo ſe atterebant mutuo, occaſionem Hyrcano præbuit, vt ſecure frueretur Iudææ prouentibus, & ingentem pecuniarum vim inde congereret, &c.

a l. 13 c. 17.

IV. *Metelli de Dalmatis victoria, & triumphus.*

Metellus porro, cuius conſulatus in hunc annum cadit, is eſt qui victis hoc tempore Dalmatis, Dalmatici nomen eſt conſecutus. Sed bellum in hunc annum, triumphus in ſequentem cadere videtur, ex iis, quæ de eo habet Appianus in Illyricis. *Sequenti tempore*, inquit, *Cæcilius Metellus conſulatum adeptus, nihil delinquentibus Dalmatis, triumphandi libidine bellum ex decreto intulit: à quibus amice ſuſceptus, in Salone eorum vrbe tranſegit hyemem, poſtremo Romam delatus, nulla ex cauſa triumphauit.* Sic Appianus. Eutropius ait eodem anno ab illo triumphatum, quo Narbo Colonia deducta eſt. Sed totum illum Eutropij locum deprauatum agnoſcunt Sigonius, & Pighius, qui ex quodam manu ſcripto pro *eodem anno* legit *annoque poſtea*. Hunc ipſum Metellum, Diadematum appellatum fuiſſe tradit Plut. in Coriolano, vbi de cognominibus agens, Romani, inquit, quendam ex Metellis, quod diu in publico verſaretur, fronte, in qua vlcus habebat obligata, appellauerunt Diadematum.

Diadematus.

V. *Augur Scæuola* *Marij repulſa Ædil.*

Mucius autem eius collega, ad differentiam aliorum, aut ab eximia augurandi ſcientia, ſtudióue Augur eſt dictus, cuius multa eſt mentio apud Ciceronem in 1. de Orat. & libello de Amicitia. Vtramque Ædilitatem, curulem inquam & plebeiam, petiit hoc anno C. Marius, prout eius tempora Pighius dimetitur, & in vtraque repulſam eodem die paſſus eſt, vt author eſt M. Tullius in Planciana, & Plutarchus in eius vita. Cum enim prius curulem ædilitatem peteret, & ſe præteriri videret, confeſtim tranſiit ad alterius ædilitatis candidatos, cum vtriuſque magiſtratus comitia eodem die haberentur, ibique etiam, tanquam arrogans & ambitioſus, præteritus eſt. Nihilominus duabus Ædilitatis acceptis repulſis, ſepties poſtea factus eſt Conſul.

Iugurthæ res.

Iugurtha interea non vt antea, cum prædatoria manu, ſed magno exercitu comparato, bellum gerere cœpit, & aperte totius Numidiæ imperium petere, quacumque pergebat, vrbes agroſque vaſtare. Cui Adherbal non niſi ſumma adactus neceſſitate, & quam tardiſſime obuiam venit, vrbes munire interim contentus, nec totius rei ſummam volens vnius prælij diſcrimine committere. Itaque pugnam in ſeq. annum differemus.

ANNVS MVNDI 3938. SEXTAE AETATIS, 422. IMPERII GRÆCORVM 196. ANTIOCHI GRYPHI 10. IOAN. HYRCANI PONT. 19. PTOLEMÆI LATHVRI 1. OLYMP. CLXVI. AN. 1. VRB. COND. 657. COSS. C. LICINIO GETA, ET Q. MAXIMO EBVRNO.

ANNVS ANTE CHRISTVM 115.

I. *Initium Ptol. Lathuri.*

NOVVM regem in noua Olympiade, in qua nobilitatus eſt Chryſogonus, profert Ægyptus, ſed multinominem. Nam præter vulgare Ptolemæi, dictus eſt Lathurus, quo modo eũ vocat Ioſephus, [a] & Plinius, [b] vbi ſcribit eo regnante circumnauigatam totam Africam, ab Eudoxo quodam fugitiuo. Eſt Lathyros genus leguminis, quod cicerculam vocant. Quomodo Cicerones à cicere. Phyſconem vocat Euſebius, retento videlicet Patris cognomine, quamuis contumelioſo: ſed altero etiam glorioſo Soteris nomine dictum idem ſcribit, & Epiphan. de menſuris, cum Beda & Iſidoro in Chronicis. Et forte illud à populo datum eſt, hoc ipſe aſſumpſit ſibi: quomodo Euergetem Alexandrini Cacergetem appellauerunt. Nos Lathuri nomen retinebimus, quoniam Phyſconis & Soteris nomina iam pluribus conueniunt.

Eius nomina.

[a] l. 13. c. 18. [b] l. 6. c. 30. ... c. 67.

II. *Cleopatra inuita maiorem natu regem facit.*

CVM ergo Cleopatra Euergetis vxor regnum in poteſtate haberet, vt illud pro arbitrio aut Lathuro natu maiori, aut Alexandro traderet. Ipſa cum pronior in minorem filium eſſet, vt ait Iuſtin. l. 39. à populo compellitur maiorem eligere: cui priuſquam regnum daret, vxorem ademit, compulſumque repudiare chariſſimam ſibi ſororem Cleopatram, minorem ſororem Seleucem, ſiue Selenen ducere iubet, non materno inter filias iudicio, cum alteri maritum eriperet, alteri daret. Sic ille. Vtique non materno iudicio, ſed tyrannico, vt quæ vtrique iniuriam faceret, & ei cui regnum eripiebat, & maritum; & ei cui non ſuum largiebatur, cum alterius iniuria. Pergit autem. Cleopatra non tam à viro repudiata, quam à matre diuortio viri dimiſſa, Cyziceno in Syria nubit: eique ne nudum nomen vxoris afferret, exercitum Cypri ſolicitatum, velut dotalem ad maritum deducit. Par igitur viribus iam factus Cyzicenus prælium committit, ac victus in fugam conuertitur, Antiochiámque venit. Secuta eſt eius vrbis obſidio, & expugnatio; quæ non videtur ante ſeq. annum contigiſſe. Non videtur inquam, nihil enim hic habeo quam coniecturas; neque Iuſtino, neque Appiano, neque Ioſepho tempora diſtinguente.

III. *Res Numidica.*

DE Romanis rebus nihil occurrit hoc anno, quod dignũ Annalibus videatur. Adherbal autem Numidiæ regulus æmulus Iugurthæ, vbi intelligit eo proceſſum, vti regnum aut relinquendum, aut armis retinendum eſſet, neceſſario copias parat, & Iugurthæ obuius procedit. Exercitus vterque prope Cirtham oppidum conſedit, & noctu Iugurthini milites dato ſigno caſtra hoſtium inuadunt, exercitum partim trucidant ſemiſomnem, partim fundunt fugantque. Adherbal cum paucis equitibus Cirtham profugit. Iugurtha oppidum obſidione cingit, feſtinans tempus legatorum ante capere, quos ante prælium factum, ab Adherbale Romam miſſos audiuerat. Saluſt.

ANNVS MVNDI 3939. SEXTÆ ÆTATIS 425. IMPERII GRÆCORVM 197. ANTIOCHI GRYPHI II. IO. HYRCANI PONTIF. 20. PTOLEM. LATHVRI 2. OLYMP. CLX,VI. 2. VRB. COND. 638. COSS. M. ÆMYLIO SCAVRO. M. CAECILIO METELLO.

ANNVS ANTE CHRISTVM 114.

I. *Antiochia ſeditioſa cũ Cyziceno obſidetur.*

OBSIDEBATVR hoc tempore Antiochia, vna orientalium vrbium ſeditioſiſſima, maximéque in legitimos principes rebellis, & tyrannorum fautrix, vt hactenus ſæpe demonſtratum eſt. Nam ipſi primi à Demetrio Sotero deficientes, Alexandro Notho adhæſerunt. Rurſum faſtidito Alexandro, ab eo deficiunt, & ad Demetrium Nicanorem tranſeunt. Ipſi primi Demetrium à Parthis reuerſum auerſantur, & toti regno defectionis vexillum præferunt, impio Tryphoni ſe aggregant, & regem in ipſa regia obſident. Nunc quoque Cyzicenum, qui Grypum Syriæ regem è ſolio deturbare conabatur, ipſi exceperunt; & Ægyptiam Cleopatram cum Cyprio exercitu, contra eũdem Antiochum Grypum armatam. Qui nihilominus victum in acie Cyzicenum, etiam in obſidione vicit, atque in fugam compulit. Sed noua eius vxor pœnas pro ipſo luit.

II. *Vxor Grypi ſororem perſequitur caditque.*

CAPTA vrbe, inquit Iuſtin. l. 39. Gryphina vxor Gryphi nihil antiquius, quam ſororem Cleopatram (vtraque erat filia Euergetis Ptolemæi) requiri iuſſit; non vt captiuæ opem ferret, ſed ne effugere captiuitatis mala poſſet, quæ ſui æmulatione in hoc potiſſimum regnum inuaſerat, hoſtique ſororis nubendo, hoſtem ſe eius effecerit. At Grypus vxorem à ſuſcepto ſcelere reuocare conatur: contra morem ait eſſe bellorum, vt à victoria ſæuiatur in fœminas, præſertim in ſanguine coniunctas, qualis Cleopatra quæ illi ſoror, ſibi conſobrina, liberiſque communibus matertera ſit. Accedere quod cum illa in templum confugerit, neque inde extrahi, neque ibi ſine ſacrilegio interfici poſſit, neque eius cæde Cyzicenum infirmiorem, aut vita valentiorem fore. Ipſa nihilominus pertinacior effecta, militum manum in templum immittit, qui eam ſimulacrum deæ amplexantem truncatis manibus confoderunt. Hæc breuius ex Iuſtino retulimus, quod apud eum vnum iſta reperiantur: ex quibus agnoſcas etiam efferatos mulierum in vltionem animos, ne minus ſorores inter ſe, quam fratres pugnare viderentur.

III. *Aegyptiarum mulierum crudelitas in ſuos.*

QVAM multa enim habes funera paucis annis à mulieribus, in ſibi proximos, maximeque coniunctos perpetrata? Laodice filia Philadelphi zelotypia furens, primo maritum Antiochum Deum interfecit. Deinde æmulam, eandemque ſororem Berenicem, cum infantulo ſuo, & ipſa mox à fratre Euergete, in vltionem facinorum, meritiſſimo ſupplicio necata eſt.

Cleopatra Philometoris filia, maritum Demetrium Nicanorem ex captiuitate Parthica reducem, auerſatur ac reſpuit. Deinde victum ac fugitiuum interficiendum curat: mox illo quaſi tyrocinio erudita ad domeſticas cædes, Seleucum filium ex eo ſuſceptum interficit, auſum iniuſſu ſuo diadema ſuſcipere. Deinde ad alterum quoque progreſſa filium Antiochum Gryphum, ei venenum propinat crudelis, atque ambitioſa mater, quod ipſa bibere cogitur.

IV. *Nominatim matris & vxoris Lathuri.*

CLEOPATRA Euergetis vxor nouercali odio primogenitum ſuum Lathurum proſequens, eum vt dicebamus regno priuare moliebatur: eo conatu depulſa, coniugem ei ac ſororem Cleopatram eripit, & alteram ei tradit: tum populum in eum concitat, vxorem iterum factam matrem familias, ab eo abducit, illum in exilium pellit, exulantem bello perſequitur, principem militiæ, ob illum è manibus dimiſſum, interficit. Alterum filium, metu crudelitatis maternæ, aut furialis potius, à ſe pellit, reuocatum perdere machinatur, ſed ab eodem occupata perimitur: & propemodum ſcelerata poſt mortem, vltorem ſcelerum ſuorum populi concurſu pellit in

exilium.

exilium. Cleopatra Lathuri vxor, eo inuita dimiſſo, nubit Cyziceno, quem peregrino exercitu contra eius fratrem, & ſororem ſuam Gryphinam armat, à qua barbare ac crudeliter interficitur: & ipſa mox à Grypho illius marito capta, morte ſua interfectæ ſorori parentauit, vt mox dicemus. Quid de viris æſtimari poteſt, ferro aſſuetis & caſtris, quando mulieres ingenitæ lenitatis oblitæ, crudelitate atque ambitione efferatæ, in filios, in filias, in ſorores, in maritos tragico furore deſæuiunt?

V. *Hyrcanus Samariam obſidet.*

Dvm Grypus & Cyzicenus populationibus inter ſe, cædibuſque graſſantur, Hyrcanus vtroque contempto, exercitum ad occupandam vi Samariam ducit, vt tradit Ioſephus.[a] Hanc adortus, inquit oppugnabat, nullis parcens laboribus, infenſus ei propter iniurias illatas Mariſſenis colonis Iudæorum, & ſociis, ſed Syriæ regi ſubditis. Erant hi Idumæi, paulo ante deuicti ab Hyrcano, vt ſcripſit idem c. præced. Eadem vrbs in 2. Machabæorum Mareſa dicitur, in quam victus à Machabæo Gorgias præpoſitus Idumeæ, fugit.

Per filios ſuos.

Cum itaque vrbem foſſa & duplici muro per 80. ſtadia cinxiſſet, obſidioni præfecit filios Antigonum & Ariſtobulum, quibus vrgentibus, & fame premente, eò neceſſitatis adducti ſunt Samaritæ, vt coacti cibis homini inſuetis veſci, poſtremo Antiochi Cyziceni opem implorauerint. Carnes humanas videtur innuere, aut certe ſtercora columbarum, vel aſinorum capita, cibum non nunc primum Samaritis vſurpatum.[b] Porro non ante ſequentem annum auxilium implorarunt, tum quia diuturna obſidio anteceſſit, tum quia non videtur ille Samaritis opem ferre potuiſſe, hoc tempore, quo victus à fratre Grypo fuerat, ſed anno ſeq. poſt reſtauratum exercitum, eundemque fratrem prælio ſuperatum.

VI. *Æmylius Scaurus homo nouus.*

Memoratvr hoc anno Æmylij Scauri bellum aduerſus Ligures, déque iis reportatus triumphus, in viris Illuſtr. c. 72. vbi habetur eum è paternis ſordibus, carbonarium quippe negotium exercuiſſe dicitur eius parens, & maiores omnes inglorios honorum luce caruiſſe; hunc autem eloquentiæ præſidio emerſiſſe; adeo vt mox non ſolum Conſul, ſed princeps etiam Senatus effectus ſit; & quidem iis Cenſoribus, à quibus duo & triginta Senatu moti erant, vt habet Epit. 62. in quibus etiam Geta Conſularis, qui tamen poſtea factus eſt cenſor.[c] Sed & illud grauitatis, atque eximiæ autoritatis ſignum in Scauro fuit, quod Conſul P. Decium Prætorem, tranſeunte ipſo ſedentem, iuſſit aſſurgere, eique veſtem ſcidit, ſellam concîdit, ne quis ad eum in ius iret edixit.

VII. *Res Iugurthina.*

Postqvam Senatus de bello Numidarum nũcium accepit, tres adoleſcentes in Africam legat, qui ambos Reges adeant, S. P. Q. R. verbis nuncient, velle & cenſere eos ab armis diſcedere. Legati maturantes in Africam veniunt, quod Romæ dum proficiſci parant, de bello facto, & oppugnatione Cirthæ audiebatur. Iugurtha reſpondet legatis, Adherbalem dolis vitæ ſuæ inſidiatum, quod vbi comperiſſet, eius ſceleri obuiam iſſe, populum Ro. non recte facturum, ſi ab iure gentium ſeſe prohibuerit. Se breui legatos Romam de omnibus eſſe miſſurum. Ita illi, cum appellandi Adherbalis copia non eſſet, Romam reuertuntur. Saluſt. Sic ille Romanos verbis, calumniiſque innocentes ludificatus, ſcelera ſceleribus cumulabat; dum ſera Dei vindicta perditi hominis nefandum caput obrueret.

[a] l. 13. c. 18.
ca. 12 35.
[b] 4. Reg. 6. 25. 28.
[c] Valer. l. 2. c. 9.

ANNVS MVNDI 3940. SEXTAE AETATIS, 424. IMPERII GRÆCORVM 198. ANTIOCHI GRYPI 12. ANTIO. CYZICENI 1. IO. HYRCANI PONT. 21. PTOLEMÆI LATHVRI 3. OLYMP. CLXVI. 3. VRBIS COND. 639. COSS. M. ACILIO BALBO, ET C. PORCIO CATONE.

ANNVS ANTE CHRISTVM 113.

I. *Initium Cyziceni regis.*

ANTIOCHVS Cyzicenus regem Antiochum Grypum hoc anno vicit, ac regno deiecit, eóq; plurimis potitus eſt annis, ideóque Euſebius, præterito deinceps Grypo, Cyzicenum Syriæ conſtituit regem. Nos Ioſephum ſecuti, à quo Grypus non duodecim annis regnaſſe, ſed 29. traditur,[a] ei dum in viuis fuerit, regni annos continuabimus. Regni tamen ſocium adiungemus Cyzicenum, fratrem vterinum, & quamuis inuitos, ſimul regnare patiemur, vt nuper Demetrium & Sidetem fratres. Nam hoc quoque tempore alter aut aberat, aut latebat, aut potius nouas contrahebat contra fratrem copias.

a l.13.c.18.

II. *Vxoris eadem vlciſcitur.*

ANTIOCHVS ergo Cyzicenus, quem Ioſephus [b] Spondium cognominat, (in Græco eſt ἀσπένδιος, quod idem videtur eſſe cum ἄσπονδος, fœderis expers, irreconciliabilis, qua voce in ſuſpicionem duci poſſumus, hunc Cyzicenum, à fratre ſæpius de fœdere ac pace ſollicitatum, nunquam acquieſcere voluiſſe. Hic ergo non multo poſtquam à Grypo victus fuerat, repetita prælij congreſſione, vt Iuſtinus ait lib. 39. victor euadit, & Grypi vxorem, quæ paulo ante ſororem interfecerat, vlciſcente numine cepit, eiuſque ſupplicio vxoris manibus parentauit.

b l.1.de bel. c.2.

III. *Samaritæ à Cyziceno auxilium petunt. qui fugatur à Iudæis.*

INTEREA arcte obſeſſi Samaritæ, & præ fame fanda infandáque comedentes, Antiochi Cyziceni victoris opem implorauerunt, vt author eſt Ioſephus. [c] Qui cum propere veniſſet, victus eſt ab Ariſtobuli militibus, & inſequentibus eum fratribus vſque Scythopolim, ægrè euaſit (hæc eſt Bethſan in tribu Manaſſis cis Iordanem, iuxta ipſum fluuium ſita, vt non ſemel diximus.) Porro dum filij armis decertant, ſenior pater eis victoriam precibus & ſacrificiis impetrat, vt ſignificant, quæ poſtea à Ioſepho hoc ipſo cap. narrantur. Incredibile, inquit, quiddam narratur de Hyrcano pontifice, dignatum eum eſſe diuino colloquio. Fertur enim quod illa ipſa die, qua eius filij conſeruerunt cum Cyziceno prælium, pontifex ipſe ſolus in templo odoramenta adolens, vocem audierit nunciantem filiorum recentem de Antiocho victoriam. Idque mox progreſſus renunciauit multitudini, & paulo poſt certius comprobatum eſt eius oraculum. Nihil hic abſurdi narrat Ioſephus, etſi de viro non ſancto.

c l.13.c.18. & l.1 de bel.c.1.6.

IV. *Redit Cyzicenus pro Samaritis.*

INTEREA bellatores à perſequendo Cyziceno reuerſi contra Samaritas, rurſum eos compellunt intra mœnia, & cogunt iterum ab eodem Antiocho auxilium petere. *Is accitis à Ptolemæo Lathuro circiter ſex armatorum millibus, quos ille inuita matre, & tantum non per eam imperio deturbatus, miſerat. Primum vagabatur per ditionem Hyrcani latrocinabundus cum Aegyptiis, non audens quidem aperto marte decernere, quod eſſet impar viribus, exiſtimans tamen ſe vaſtandis agris effecturum, vt Hyrcanus obſidionem Samariæ ſolueret.* Non mirum eſt Cyzicenum ſemel iterumque auxilio veniſſe Samaritis; ab Ægypto quoque opem imploraſſe. Sperabat enim liberatis Samaritis, & Iudæis ſuperatis, aut certe coactis ſoluere obſidionem, ſe facilius Iudæam quoque, ope Samaritanorum, regno Syriæ iterum aggregaturum.

V. *Duces ſuos ibi fruſtra relinquit.*

SED *poſtquam multos è ſuis amiſit, exceptos hoſtium inſidiis, profectus eſt inde Tripolim,* (eſt ea vrbs in littore Syriæ, vicina inſulæ Cypro) *Callimandro & Epicrati ducibus demandato bello Iudaico. Ex his Callimander audacius quam prudentius cum hoſte congreſſus, profligatis ſuis, & ipſe inter alios cecidit. Epicrates autem pecunia corruptus Scytopolim,*

& alia quædam oppida manifeſte Iudæis prodidit, nec quidquam Samaritis obſeſſis profuit. Atque ita Hyrcanus integro anno in obſidione exacto, non contentus vrbem capere, etiam ſolo eam æquauit, inductis illò torrentibus, quorum eluuie ita cuncta fœdata ſunt, vt ne veſtigium quidem ſupereſſet eius oppidi. Hactenus Ioſephus. Quem hic vel inuitus ſuſpectum habeo, vndenam torrentes in Samariam Hyrcanus, aut ipſe potius Ioſephus induxerit, cum ex Scriptura, & Benjamino, & ipſomet Ioſepho conſtet, Samariam in vertice montis fuiſſe conditam, ex quo quaquaverſum longiſſimum habebat proſpectum. Brocardus quoque ait videri adhuc in monte columnas marmoreas, quæ ſuſtentabant regia ædificia, & porticus, & per totum montis circuitum adhuc ſtare huiuſmodi columnas. (l. 8 c. 7 & l. 15 c. 11. l. 3 Reg. 16. 24.)

VI. *Lapſus Euſeby.*

Lapsvs quoque videtur Euſebius in Chronicis, ſiue quia huius vrbis euerſionem refert ad annum primum Olymp. 165. vt conſtanter habetur in Græcis eius, Latiniſque codicibus; octo annis antequam ponat Cyzicenum rerum potitum in Syria, quæ tamen vrbs, eo iam victore Grypi, & fruſtra de Samariæ ſalute laborante, exciſa eſt. Ideoque ad hunc annum à nobis relata eſt. Siue quia pro Ioanne Hyrcano, Ionathan Macchabæum aliquoties poſuit in Græco: quem errorem interpres Hieronymus aliquando correxit, aliquando retinuit. Illa autem verba (quæ vocabatur Ectenias) vbi de Samaria ſermo eſt, nullo in codice ſcripto haberi Scaliger aſſerit; quem refellit Pontacus, eaque ex fide eorum retinuit, & quod ille ſtultum commentum recentiorum vocat, hic apud D. Cyprianum reperiri docet.

VII. *Res C. Catonis Conſulis.*

Bellvm Thracicum infeliciter hoc anno geſtum eſt à C. Catone Conſule, vt author eſt Liuius epit. 63. & Eutrop. l. 4. vbi numerus annorum vrbis non recte habetur 635. vt pridem monuit Cuſpin. in Faſtis. Cæterum huius C. Catonis alij quoque plurimi meminerunt, Cicer. Plin. Obſeq. Caſſiod. Florus. Mirum autem eſt prætermiſſum à Gellio, [a] vbi Catonis Cenſorini filios, nepotéſque perſequitur. Non prætermittitur à Paterculo l. 2. vbi C. Catonem Conſularem (ſic enim recte corrigunt Aldus & Sigonius, & non M. vt ſequentia docebunt) M. Catonis nepotem, Africani ſororis filium, repetundarum ex Macedonia damnatum dicit. Fuit autem hic frater M. Catonis, qui cum Q. Marcio Rege ante quadriennium Conſul fuit. Vide huius familiæ ſtemma apud Streinium lib. de Rom. familiis.

Damnatum repetundarum.

[a] l. 13. c. 18.

VIII. *Et Didy Pratoris in Thracia.*

De ipſo autem bello hæc habet Florus. [b] *Sæuiſſimi omnium Thracum*, inquit, *Scordiſci fuerunt.* Sed calliditas quoque ad robur acceſſerat. Syluarum & montium ſitus cum ingenio conſentiebat. Itaque non fuſus modo ab his, aut fugatus, ſed, ſimile prodigio, omnino totus interceptus exercitus, quem duxerat Cato. Didius Prætor Conſulis ignominiam correxit. Nam vagos, & libera populatione diffuſos, intra ſuam repulit Thraciam. Triumphaſſe etiam author eſt Cic. in Piſonem, vt notauit Sigonius.

[b] l. 3. c. 4.

IX. *Iugurtha premit Adherbalem.*

Ivgvrtha omni ope Cyrthæ expugnationem, poſt diſceſſum legatorum vrget. Adherbal vbi ſentit omnes ſuas fortunas in extremo ſitas, hoſtem infeſtum, auxilij ſpem nullam, penuria rerum neceſſariarum bellum trahi non poſſe: duos per medias hoſtium munitiones noctu emittit Romam cum literis, quibus apud Senatum de rerum ſuarum ſtatu lamentatur, regno Numidiæ, vt conſulant, ipſum vt ex impiis manibus eripiant, orat. *Per maieſtatem*, inquit, *imperij, per amicitiæ fidem, ſi vlla apud vos memoria remanet aui mei Maſaniſſæ.* His literis recitatis fuere qui exercitum cenſerent in Africam mittendum, & quamprimum Adherbali ſubueniendum: de Iugurtha interim vti conſuleretur, quoniam non paruiſſet legatis. Sed fautorum Iugurthæ artibus effectum eſt, ne id decretum fieret.

X. *Qui opem à Rom. fruſtra implorat.*

Legantvr tamen in Africam maiores natu nobiles, amplis honoribus vſi, in quibus fuit M. Æmylius Scaurus conſularis, & tum in Senatu princeps. Hi triduo nauim aſcendere, & breui Vticam appulſi, literas ad Iugurtham mittunt, & ad ſe nomine Senatus euocant. Ille cunctatur, volens ante expugnare Adherbalem, quam adiret legatos, ſed irrito conatu. Ad eos cum veniſſet, etſi graues minæ nunciabantur, quod ab oppugnatione non deſiſteret, multa tandem oratione conſumpta, legati diſceſſere. Ita Saluſt. Flor. [c] ait Iugurtham in Scauro Romanos mores expugnaſſe, eóque pecunia victo, ſuſceptum facinus audacius perfeciſſe.

[c] l. 3. c. 1.

ANNVS MVNDI 3941. SEXTAE AETATIS, 415. IMPERII GRÆCORVM 199. ANTIOCHI GRYPI 13. ANTIO. CYZICENI 2. IO. HYRCANI PONT. 22. PTOLEMÆI LATHVRI 4. OLYMP. CLXVI. 4. VRB. COND. 640. COSS. C. CÆCILIO METELLO CAPRARIO ET CN. PAPYRIO CARBONE.

ANNVS ANTE CHRISTVM 112.

I. *Anni Grypi, & Cyziceni.* AD hunc annum apud Hebræos ſabbaticum ordine 194. ſequenteſque annos, illa Euſebij verba in Chronico pertinent. Antiochus Cyzicenus, Grypo eiecto, Syriam obtinuit; ac rurſus Grypus ſuperato Cyziceno, eandem recepit. Ita ex ſucceſſione regnabant, aduerſum ſe inuicem dimicantes. In Græco vero ita legitur ad verbum. Primus Grypus cum regnaſſet annis 4. expulſus eſt à Cyziceno, & regnauit Cyzicenus annis 18. & rurſus Grypus eiecto Cyziceno regnauit annis 4. & ſic viciſſim inter ſe bellum gerebant. Sic ibi: ſed anni iſtorum regum aliter in Chronicis omnibus Euſebij digeſti ſunt. Nam quaterni illi anni Grypi coniuncti ſunt, eiſque ſuccedunt decem & octo Cyziceni. Quæ cauſa videtur fuiſſe D. Hieronymo, vt Euſebij verba conuerteret, quo modo priore loco retulimus. Nos, vt eam ambiguitatem tollamus, vtrumq; ſimul regem vt vides conſtituimus. Vterque enim, vt ea ferebant tempora, ius ad regnum habuit.

II. *Iugurtha Adherbalem deditum necat.* POSTQVAM legatorum diſceſſus Cirthæ nunciatus eſt, Italici, quorum virtute mœnia defenſabantur, confiſi ſe inuiolatos fore, Adherbali ſuadent vti ſeſe, & oppidum Iugurthæ tradat, tãtum ab eo vitam paciſcatur; de cæteris Senatui curæ fore. Ille inuitus, vt qui perfidiam Iugurthæ noſſet, deditionem facit. Iugurtha in primis Adherbalem excruciatum necat: tum in Numida, magna cæde bacchatur. Quod poſtquam Romæ cognitum eſt, & res in Senatu agitari cœpit, miniſtri regis variis artibus rem extenuare, tempus trahere prolatandis conſultationibus; & niſi C. Memmius Trib. plebis deſignatus, vir acer populum incitaſſet, omnis inuidia dilapſa foret.

III. *Metellus de Macedonia pacata triumphat.* METELLVS huius anni Conſul, eſt quartus Metelli Macedonici filius, quem moriens pater Prætorium, & candidatum Conſulatus reliquit. Prouincia illi Macedonia obtigit, ſicut Illyricum Carboni. Metellus Catoni ſucceſſit, & re bene geſta de Macedonia, in quam infeſti Thraces irruebant, triumphauit, & quidem cum fratre ſuo M. qui cum Scauro, tertio ab hinc anno Conſul fuit. Teſtis Eutropius, apud quem l. 4. hæc leguntur. C. Cæcilio Metello, & Cn. Carbone Coſſ. duo Metelli fratres eodem die, alterum ex Thracia, ex Sardinia alterum triumphum egerunt. Sic ipſe, idemque Velleius affirmat; Rufus deuictæ Sardiniæ adiungit Corſicam; Florus in catalogo eorum, qui cum Thracibus bellum geſſerunt, Metellum prætermiſit. Qui mox repetundarum accuſatus, præclare abſolutus eſt, vt cuius tabulas, viri integritate confiſi, Iudices inſpicere noluerint: teſte Valer. Max. & pro Balbo M. Tullio. L. 2. c. 10.

IV. *Arma Cimbrorum primum audita.* HIS Conſulibus Cimbri, & Teutones Rhenum tranſgreſſi, ex Germania eruperunt. Audi clare Tacitum ſcriptorem peraccuratum, & rem declarantem, & chronologiam quam probauimus confirmantem. *Sexceteſimum*, inquit, *& quadrageſimum annum vrbs noſtra agebat, cum primum Cimbrorum audita ſunt arma, Cæcilio Metello ac Papyrio Carbone Coſſ. Ex quo ſi ad alterum imperatoris Traiani Conſulatum computemus, ducenti ferme ac decem anni colliguntur. Tandiu Germania vincitur; medio tam longi æui ſpatio multa inuicem damna, &c.* Vide accuratum, ducenti ferme ac decem, Temporarius 209. numerat. Onuphrius 210. propter perpetuam vnius anni ab Vrb. Cond. differentiam.

Tacito conſentit Eutropius, l. 4. & his conſulibus nunciatum Romæ ait Cimbros è Gallia in Italiam tranſiiſſe. Tranſcenderunt primum Rhenum, vt ait Velleius, deinde etiam Alpes tranſgreſſi, fœdam ſtragem Romanorum, ſociorumque fecerunt, vt habet Obſequens.

a l. 3. c. 3. Vberivs autem Florus, [a] qui & belli cauſam addit, & ſocios. Cimbri, Teutones, atq; Tigurini ab extremis Galliæ profugi, cum terras eorum inundaſſet Oceanus, nouas ſedes toto orbe quærebant, excluſique Gallia & Hiſpania, cum in Italiam emigrarent, miſerunt legatos in caſtra Silani, inde ad Senatum petentes, vt Martius populus, aliquid ſibi terræ daret quaſi ſtipendium, cæterum vt vellet manibus, atque armis ſuis vteretur. Hæc Flor. tardius Cimbrici belli initia à Silano ducens, qui Conſul ab hinc quadriennium fuit. Audiendus potius in Epit. 63. Liuius, Cimbri, inquit, gens vaga, populabundi in Illyricum venerunt, ab iis Papyrius Carbo Conſul cum exercitu fuſus eſt. Id contigiſſe ad Nereiam oppidum Strabo ſcribit. Sopitum nihilominus apparet hoc bellum ad quadriennium. V. *Quæ cauſa illus veniendi.*

ANNVS MVNDI 3942. SEXTÆ ÆTATIS 426.
IMPERII GRÆCORVM 200. GRYPI 14. CYZICENI 3. IOAN.
Hyrcani Pontif. 23. Ptolemaei Lathvri 5. Olymp.
CLXVII. an. 1. Vrb. Conditæ 641. Coss. M.
Livio Drvso, L. Calpvrnio Pisone Caesonino.

ANNVS ANTE CHRISTVM. III.

SECVLARI hoc regni Græcorum anno, & aliquot ſequentibus, nihil nobis Syria, Iudæa, vel Ægyptus, vſq; ad Hyrcani Pontificis mortem ſuggerunt: ſola ergo Romana hiſtoria his annis contentos eſſe neceſſe eſt. In Olympicis porro ludis, idem qui in proximis Chryſogonus victor fuiſſe perhibetur. I. *Hiſtoria ſilentium.*

Hoc maxime tempore Iugurthę negotia Romæ agitabantur, idque per factioſos agebatur, vt ſcelus Iugurthæ condonaretur, tanta vis gratiæ, ac pecuniæ regis erat. Sed vbi Senatus delicti conſcientia, populum, quem tribuni ad vindictam excitabant, timere cœpit, lege Sempronia prouinciæ futuris conſulibus Numidia, atque Italia decretæ ſunt. Conſuleſque declarati P. Scipio Naſica, L. Calpurnius Beſtia. Sic Salluſt. reliqua deinceps ſuis quæque annis reddentur. *Res Iugurthæ.*

Hoc interim anno Macedonia Liuio Druſo fœliciter obuenit. Is enim Thraces eam incurſantes, T. Didij cœpta proſecutus, ſuperatos longius repulit. Nam, vt ait Liuius in Epit. 63. Liuius Druſus Conſul aduerſus Scordiſcos, gentem à Gallis oriundam, in Thracia feliciter pugnauit, magnumque honorem tulit. Didius, inquit Flor. [b] ſæuiſſimos Thracum Scordiſcos, libera populatione diffuſos, intra ſuam repulit Thraciam. Druſus vlterius egit, & vetuit tranſire Danubium: ſed id non tam cito perfectum eſt. Putat enim Sigonius, Romanæ rei ſcientiſſimus, etiam ſequenti anno Druſum in Thracia rem geſſiſſe; quod Conſules eius anni alter Numidiam, alter Italiam ſortitus ſit, vt tradit Saluſt. Denique & Romam reuerſum triumphaſſe, anno vt idem in tabulis habet 642. II. *Thraces à Druſo repreſſi.* b l. 3. c. 4.

ANNVS MVNDI 3943. SEXTÆ ÆTATIS 427.
IMPERII GRÆCORVM 201. ANTIOCHI GRYPI 15. CYZICENI 4. HYRCANI PONTIF. 24. PTOLEM. LATHVRI 6. OLYMP. CLXVII. AN. 2. VRB. COND. 642.
COSS. P. SCIPIONE NASICA, ET L. CALPVRNIO BESTIA. BEL. IVGVR. 1.

ANNVS ANTE CHRISTVM 110.

I. *Initium belli Iugurthini.* BELLVM à multis iam annis Iugurthæ ſceleribus debitum,& perfida Romanorum optimatum auaritia dilatum, hoc demum anno inchoatum eſt:qui non recte apud Oroſium [a] vocatur Vrb. Cond. 639. metachroniſmo triennij, iuxta communem temporis rationem, aut quadriennij etiam in Onuphrij Chronologia. Declaratiſque Coſs. P. Scipione Naſica, & L. Calpurnio Beſtia, Numidia Calpurnio, Scipioni Italia obuenit. Deinde exercitus,qui in Africam portaretur, ſcribitur, ſtipendium, aliaque,quæ bello vſui forent, decernuntur.

[a] l. 5. c. 15.

Filij eius irrita legatio. At Iugurtha contra ſpem nuncio accepto ſuſcepti contra ſe belli, filium & cum eo duos familiares ad Senatum legatos mittit, præcepitque vt mortales omnes pecunia aggrediantur. Iis Romam aduentantibus,Senatus,à Beſtia conſultus eſt, placerétne legatos Iugurthæ recipi mœnibus. Iique decreuere,niſi regnum,ipſumque deditum veniſſent,vti diebus proximis decem Italia decederent: quo denunciato decreto,infectis rebus illi domum diſcedunt.

II. *Exercitum Calphurnius in Numidiã defert.* INTERIM Calpurnius parato exercitu, legit ſibi homines nobiles factioſos, quorum autoritate,quæ deliquiſſet, munita fore ſperabat, in quibus Scaurus fuit: Conſulis autem ipſius bonas animi corporiſq; dotes auaritia præpediebat. In Numidiam cum exercitu ingreſſus,multos mortales,& vrbes aliquot pugnando cepit. Sed vbi eum Iugurtha pecunia per legatos tẽtare, belliq; quod adminiſtrabat aſperitatem oſtendere cœpit, animus æger auaritia facile conuerſus eſt. Scaurus quoq; pecuniæ magnitudine victus tandem,atque in prauum abſtractus eſt. Præuiæ pacis induciæ fiunt, Sextus quæſtor fidei cauſa in oppidum Vaccam mittitur, Iugurtha in caſtra venit, ac pauca præſenti concilio locutus de inuidia ſui facti, atque vti in deditionem acciperetur,reliqua cum Beſtia & Scauro ſecreta tranſegit.

III. *Pacem Iugurtha vendit.* POSTERO die de concilij ſententia in deditionem accipitur,Elephanti 30.pecus atque equi multi, cum non paruo argenti pondere, Quæſtori traduntur. Calpurnius Romam ad magiſtratus rogandos proficiſcitur, pace interea Numidiæ relicta,ſed vendita,& quidem Senatus,populique iniuſſu,vt habet Liuius in Epit. 64.

Hoc ipſo anno in citeriore Hiſpania bellicos extitiſſe motus, ad quos comprimendos Calpurnius Piſo Prætor cum imperio miſſus ſit, autor eſt Appianus, in Ibericis,& Sigon. in Faſtis. Pighius autem L. Licinium Craſſum, virum ætate ſua eloquentia clariſſimum,Quæſtorem hoc anno in Aſia fuiſſe,& Mutium Scæuolam in eodem magiſtratu habuiſſe collegam, docet ex M. Tullio. [b]

[b] lib. 3. de Orat.

ANNVS MVNDI 3944. SEXTÆ ÆTATIS 428. IMPERII GRÆCORVM 202. GRYPI 16. CYZICENI 5. IOAN. HYRCANI PONTIF. 25. PTOLEMAEI LATHVRI 7. OLYMP. CLXVII. AN. 3. VRB. CONDITÆ 643. COSS. SP. POSTHVMIO ALBINO, ET M. MINVTIO RVFO, IVGVRTH. BEL. 2.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 119.

POSTQVAM res in Africa geſtas, quoque modo actæ forent fama diuulgauit, Conſulis factum populo Rom. dolorem & inuidiam, metum Senatui & dubitationem attulit, probaretne tantum flagitium, an decretum Conſulis ſubuerteret, cuius Scaurus author fuiſſet. Memmius interea trib. plebis populum concionibus acuebat, ad vindicandum in eos, qui hoſti Remp. prodidiſſent. Quæſtionibus, atque ipſius indicio Iugurthæ agendum eſſe; qui ſi deditiius eſt, inquit, profecto iuſſis veſtris obediens erit, ſin ea contemnit, ſcilicet ęſtimabitis qualis illa pax aut deditio ſit, ex qua ad Iugurtham ſcelerum impunitas, ad paucos potentes maximæ diuitiæ, ad Rempub. damna & dedecora peruenerint. Hæc atque alia huiuſcemodi ſæpe dicendo, populo perſuaſit, vt L. Caſſius, qui tum Prætor erat, ad Iugurtham mitteretur, eumque interpoſita fide publica Romam duceret, vt eius indicio, eorum delicta patefierent, quos pecuniæ captæ arceſſebant. I. *Iugurthina pax Romæ damnatur.*

Dvm hæc Romæ geruntur, Romani milites in Numidia, Beſtiæ Imperatoris ſui morem ſecuti, plurima facinora perpetrarunt. Alij auro corrupti Elephantos Iugurthæ tradidere, alij perfugas vendidere, alij ex pacatis prædas agere, omnia auaritia dominante moliri auſi. At Caſſius, perculſa omni nobilitate, ad Iugurtham proficiſcitur, eique timido, & ex conſcientia diffidenti rebus ſuis, perſuadet, vt fide publica, & priuatim ſua nixus Romam veniat, & miſericordiam populi Ro. quam vim experiri malit. II. *Iugurtham Caßius Romam adducit.*

Igitur Iugurtha contra decus regium, cultu quam maxime miſerabili, Romam venit cum Caſſio, vbi quamprimum C. Bæbium Tribunum pl. magna mercede parat, cuius impudentia contra ius, & iniurias omnes munitus foret. Memmius aduocata concione producto Iugurtha eius facinora enumerat, poſtremóque iubet, vt quibus iuuantibus, quibuſque miniſtris ea egerit, populo Ro. aperiat. At Bæbius, quantumuis fremente populo, tacere iuſſit, atque in propoſito perſtitit: populus ludibrio habitus ex concione diſceſſit. Quo facto animi eorum, ad quos ea quæſtio pertinebat, augeſcunt. *Qui opera Babij Tribuni pl. ſe munit.*

Interea Maſſiua filius Guluſſæ, Maſiniſſæ nepos, qui Adherbali fauerat, ex Africa profugus Romæ agebat: Hunc Sp. Albinus Conſul incitat ad regnum Numidiæ ab Senatu petendum, quoniam Iugurtha ob ſua ſcelera, magna tum inuidia flagrabat. Quæ vbi ſenſit Iugurtha, ad præcedentia crimina & illud adiecit, vt hunc regij ſanguinis iuuenem, opera Bomilcaris interficeret. Re patefacta reus agitur Bomilcar, ſed eum clam Iugurtha in Numidiam amandat, ipſeque mox iuſſus à Senatu Italia decedere, paucis diebus eodem profectus eſt. III. *Maßiuam Romæ interficit.*

Interim Albinus renouato bello, mature in Africam cum commeatu ad exercitum proficiſcitur, vti ante comitia, quod tempus haud longe aberat, bellum quouis modo conficeret. Iugurtha contra trahere omnia, & variis modis Conſulem ludificari. Ac fuere qui tum Albinum haud ignarum conſilij regij exiſtimarent, quando ex tanta properantia, tanta ſocordia nata eſſet. Denique ad Comitia Romam venit, Aulo fratre in caſtris pro Prætore relicto. A quo quam male res geſta ſit, anno ſeq. menſe quippe Ianuario facta ſcribit Saluſtius, cum ipſe dicemus *Albinus Coſ Numidiam adit.*

IV. *Res in Thracia à Minucio geſta.*

At M. Minucius qui Macedoniam ſortitus erat bellum feliciter contra Sordiſcos & Thraces adminiſtrauit, à quibus cum premeretur, inquit Frontinus, [a] & impar numero eſſet, præmiſit fratrem, & paucos equites vna cum æneatoribus: præcepitque, vt cum vidiſſent contractum prælium, ſubitus ex diuerſo ſe oſtenderet, iuberetque æneatores concinere: ſonantibus montium iugis, ſpecies ingentis multitudinis offuſa eſt hoſtibus, qua perterriti dedere terga. Florus ſcribit eum Thraces toto Hebro vaſtaſſe, multos tamen ſuorum amiſiſſe, dum per ſtrictum glacie flumen equitatur; eundem etiam de iis triumphaſſe ex Velleio conſtat, & recentioribus Sigonio, & Pighio.

[a] l. 2. c. 4. n. 3.

ANNVS MVNDI 3945. SEXTAE AETATIS 429. IMPERII GRÆCORVM 203. ANTIOCHI GRYPI 17. CYZICENI 6. IOANNIS HYRCANI DVCIS & PONTIFICIS 26. PTOLEMÆI LATHVRI 8. OLYMPIADIS CLXVII. AN. 4. VRBIS CONDITÆ 644. COSS. Q. CÆCILIO METELLO NVMIDICO. M. IVNIO SILANO. BELLI IVGVRTHI 3.

ANNVS ANTE CHRISTVM 108.

I. *Anni Hyrcani ex Euſebio.*

EVSEBIVS in Chronico poſtremum hunc Hyrcani annum facit: ſex quippe ac viginti annos tantum ei attribuit; cui aſſenſus eſt Sulpitius Seuerus. At alii paſſim Ioſephum ſecuti, eius pontificatum ad annum vſque trigeſimum primũ deducunt. Sed Euſebius, qui tardius quam par erat, Hyrcani in pontificatum ingreſſum poſuerat, eius etiam poſtremos annos præcidere coactus eſt.

II. *A. Albinus à Iugurtha turpiter victus*

Avlvs Albinus Proprætore in caſtris Numidiæ relictus à fratre, aut conficiendi belli ſpe, aut pecuniæ ab rege capiendæ, milites mẽſe Ianuario ex hybernis in expeditionem euocat, & temere oppidum Suthul, vbi Regis theſauri erant, aggreditur. At Iugurtha cognita hominis vanitate atq. imperitia, ſubdole eius augere amentiam, ſimulato metu, mittendiſque ſupplicibus legatis inſtitit: denique ex Suthule abſtractum, ad ſe inſequendum in abditas regiones inducit: mox eius exercitum perfidia & defectione replet; tum intempeſta nocte inuadit, & aliis transfugientibus, aliis abiectis armis fugam capeſſentibus, plerique omnes, caſtris & præda hoſti remorando relictis, proximum collem occupauere. *Turpiorem init pacem.* Iugurtha poſtero die cum Aulo verba facit. Tametſi ipſum cum exercitu fame & ferro clauſum tenet, tamen ſe humanarum rerum memorem, ſi ſecum fœdus faceret, incolumes omnes ſub iugum miſſurum; præterea vti diebus decem Numidia excederet. Quibus conditionibus, etſi flagitii plenis, mortis metu pax cum Rege conuenit.

III. *Quam Senatus improbat. Albinus ignominiã delere non poteſt.*

Nvnciis his tam probroſis Romæ auditis, metu, mœrore, indignatione omnia replebantur. Albinus omnia mouet ad delendam eam ignominiam, copias ad ſupplementum exercitus, cogit, auxilia à ſociis accerſit, Senatum de fœdere conſulit. Is decernit, niſi ſuo ac populi iuſſu, nullum fœdus fieri potuiſſe; properanti in Africam Tribuni plebis paratas copias ne educat, obſiſtunt. Ergo ſolus in prouinciam, vbi exercitus Numidia excluſus agebat, venit, & quamquam iniuſtam delere ignominiam ardebat, ſolutam tantum militarem diſciplinam videns, ne ignominiam veterem noua clade cumularet, ſtatuit nihil ſibi agendum.

Quæſtio mæ de corruptela, irrita.

Romæ autem Mamilio Trib. pl. Rogationem promulgante, vt quæreretur in eos quorum cõſilio Iugurtha Senatus decreta neglexiſſet, aut pecunias ab eo acce-

piſſent. Cui rogationi qui ſibi male conſcii erant, occulte obſiſtebant, publice nihil audebant, propter incenſum in eam rem populi ſtudium. Scaurus effecit, vt è tribus quæſitoribus vnus ipſe crearetur. Eius quæſtionis quis fuerit exitus non apparet, tametſi aſpere violenterque exercitam fuiſſe Saluſtius dicat. Credibile eſt factioſorum artibus, & Scauri, qui princeps erat Senatus, autoritate, omnia in ventum abiiſſe.

IV. *Metelli in Numidiã expeditio.*

Interea Coſſ. prouincias ſortitis, Metello Numidia obtigit, viro acri, & quãuis aduerſo populi partibus, fama tamen æquabili & inuiolata. Is diffidens veteri exercitui, militum delectum habuit, omniaque neceſſaria diligenter parauit: cui ciuitas omnis, ſociique iunctis ſtudiis vehementer fauebant. Ergo magna ſpe omniũ in Numidiam proficiſcitur. Exercitũ ab Albino traditum imbellem, inertemque, omni ſtudio, labore, diſciplinaque militari corrigit, atque erudit: ignauiæ nequitiæque adiumenta repellit, & prohibendo à delictis, magis quam vindicando, breui exercitum confirmauit.

V. *Fraude fraudulatorem oppugnat.*

Qvæ cum Iugurtha accepiſſet, ſimulque Metelli integritatem noſſet, veram deditionem facere, miſſis ad eum ſemel iterumque legatis, fruſtra conatus eſt. Nam Metellus genus Numidarum infidum, ingenioque mobili perſpectum habens, eos ſeorſim omni ſtudio ad Iugurtham, vel viuum, vel certe mortuum ſibi tradendum inuitabat: palam autem Regi, nec ſpem plane dabat, neque præcidebat. In Numidiam ingreſſo, Præfecti regii obuiã procedunt, omnia prolixe offerunt, præbentq. Ipſe vt inter hoſtes munito agmine incedere, late explorare, inſidias hominis vaferrimi, & pace quam bello nocẽtioris, vbique cauere. Inter primos ipſe erat, Marius legatus in poſtremo agmine cum equitibus verſabatur. Mox Vaccam oppidum illuſtre adit, in eoque præſidium imponit, & quæ bello vſui forent, imperat.

VI. *Iugurtha vi agere ſtatuit.*

Denique Iugurtha cum ſuis ſe artibus tentari animaduertit, verbis pacem nunciari, re ipſa bellum aſperrimum geri, ſtatuit armis certare, & explorato hoſtiũ itinere, in ſpem victoriæ ex loci opportunitate adductus, paratis quam maximis copiis, per occultos tramites Metelli exercitum anteuenit, & in colle inſidiis idoneo conſedit, omneſque circumiens obteſtatur, vt priſtinæ virtutis memores, ſe, regnũque ſuum, à Romanorum auaritia defendant, cum iis certamen fore, quos paulo ante victos ſub iugum miſerant. Metellus progreſſus, inſidias, etſi obſcuratas myrtetis, virgultiſque humilioribus, agnoſcit, atque exercitum in prælium parat. Sed vbi Numidas quietos, neque colle digredi animaduertit, veritus ex anni tempore & inopia aquæ, ne ſiti conficeretur exercitus, Rutilium legatum cum expeditis pręmiſit ad flumen, vt locum caſtris caperet, ipſe cum reliquis copiis ſequitur.

VII. *Partem copiarum inuadit.*

Ivgvrtha vero vbi extremum agmẽ Metelli primos ſuos prætergreſſum videt, præſidio quaſi duorum millium peditum montem occupat, qua Metellus deſcẽderat, dein repente ſigno dato hoſtem inuadit, fundit, fugat, cædit. Romani viciſſim turbatis ordinibus reſiſtere, perſequi, mixti hoſtibus pugnare. Itaque multum diei proceſſerat, cum victoria adhuc in incerto erat. Denique omnibus labore & æſtu languidis, Metellus vbi videt Numidas inſtare minus, paulutim milites in vnũ cogit, ordines reſtituit, ſuoſque ad pugnam animat, & adueſperaſcente die, in aduerſum collem iubet euadere. Interea vero Bomilcar Rutilium, qui Metelli iuſſu anteceſſerat, aggreditur, ne ſuis veniret auxilio, ac vincitur, quatuor & quadraginta elephantis locorum iniquitate amiſſis. Rutilius autem victor, inde ad Metellum noctu venit.

Dubia victoria.

VIII. *Metellus Numidiã populatur.*

Tridvo in caſtris ad quietem, & præmia victorum moratus, vbi Iugurtham bellum renouare didicit, in loca Numidiæ opulentiſſima pergit, agros vaſtat, multa caſtella & oppida temere munita, aut ſine præſidio capit, incenditque, puberes interficit, alia omnia iubet militum eſſe prædam. Quibus rebus territi alii, deditionẽ & imperata faciebant, magno Iugurthæ luctu ac mœrore; qui cum delectis equitibus Metellũ ſequitur, ac ſubinde inexpectatus incurſat, & illata clade in proximos colles euadit: quo euentu edoctus, deinceps cautius Metellus iter fecit.

Interea Romæ gaudium ingens ortum, cognitis Metelli rebus. Senatus ſupplicationes diis decreuit.

IX. *Zamam obſidet.*

Romanvs Imperator, vbi ſe dolis fatigari videt, neque ab hoſte copiam pugnandi fieri, Zamam vrbem magnam, regni arcem ſtatuit oppugnare, ratus Iugur-

tham laborantibus ſuis auxilio venturum, ibique prælium fore. At ille, quod parabatur à perfugis edoctus, magnis itineribus Metellum anteuenit, oppidanos monitis, viriſque confirmat, ac pollicetur ſemet in tempore cum exercitu adfore. Inde occulte digreſſus, cum cognouiſſet Marium cum paucis cohortibus frumentatum miſſum, ad oppidum Siccam, quod paulo ante defecerat à Rege; eo noctu venit, & Romanis egredientibus prælium init, magna voce oppidanos hortatur, vti hoſtem à tergo circunueniant, Sed Marius propere ex oppido egreſſus, periculum, & Siccẽſium perfidiam euaſit; & Zamam, poſt leue cum Rege prælium, peruenit. *Eam Iugurtha cõfirmat. Et Mariũ aggreditur.*

X. *Metellique obſidentis caſtra.* Metellvs ingenti ſtudio omnibus ex locis oppidum oppugnat, cum improuiſus Iugurtha ſuperueniens, caſtra eius cum magna manu inuadit, iis qui ea tutabantur omnia magis, quam prælium expectantibus, eo ſucceſſu, vix vt 40. euadere in collem editionem potuerint. Ea re cognita, Metellus Marium cum equitatu omni & cohortibus ſociorum ad caſtra propere miſit, ex quibus Iugurtha, non paucis amiſſis, in loca munita recepit ſeſe. Imperator ſuperueniente nocte infecto negotio caſtra repetit. Poſtero die rurſus Metellus oppidum maxima contentione oppugnat, relictis qui cum Rege ſuperueniente certarent: nec falſi ſunt expectatione; Iugurtha ex occulto, in vrbis conſpectu Romanos repente inuadit, & equeſtri pugna diu multumque fatigat, oppidanis clamore, manibus, ſigniſque fauentibus. Irrita quoque fuit eius diei oppidi oppugnatio. *Secunda Zamæ oppugnatio.*

XI. *Quam deſerit Metellus.* Metellvs poſtquam videt, neque oppidum capi, neque Iugurtham niſi ex inſidiis niti, aut de ſuo loco pugnam facere, & iam æſtatem exactam eſſe, ab Zama diſcedit, & in iis vrbibus, quæ à Rege defecerant, præſidia imponit: cæterũ exercitũ in prouincia, quæ proxima eſt Numidiæ, hyemandi cauſa collocat, intereaque, quoniam armis parum procedebat bellum, inſidias regi per amicos tendere, & eorum perfidia pro armis vti parat. Bomilcarem in primis pollicitationibus inducit, vt regi inſidias ſtruat. Is vbi primum opportunum fuit, Iugurtham anxium, propoſitis belli cladibus iam exantlatis, ad deditionem faciendam impellit. *Et regi per Bomilcarẽ inſidias parat.*

XII. *Deditionẽ facit Iugurtha.* Mittvntvr ad Imperatorem legati, qui Iugurtham imperata facturum dicerent, ac ſine vlla pactione, ſeſe, regnumque ſuum, in illius fidem tradere. Metellus propere cunctos Senatorii ordinis ex hybernis acceſſiri iubet, & conſilio habito per legatos Iugurthæ imperat argenti pondo 200. millia (id eſt duos milliones & ducenta millia coron.) elephantos omnes, equorum & armorum aliquantulum. Quæ poſtquam ſine mora facta ſunt; iubet omnes perfugas vinctos adduci. Eorum pars magna vbi iuſſum erat adducti, pauci ad regem Bocchum in Mauritaniam abierunt. Oroſ. cum trecentos obſides dediſſe ſcribit, amplius tria millia perfugarum reddidiſſe, frumentum, alioſque commeatus perſoluturum ſpopondiſſe. l. 5. c. 15.

XIII. *Spoliatus timet.* Igitvr Iugurtha armis, viris, pecuniaque ſpoliatus, cœpit miſer, conſcientia ſtimulante, digna facti ſupplicia extimeſcere, & ſeruilem conditionem cum regia comparando, animum reflectere, & bellum de integro reſumere. Interea Romæ Senatus de prouinciis conſultus, Numidiam Metello decreuit pro Conſule adminiſtrandam.

Res geſta cũ Cimbris. Ad hunc annum res male geſta à Silano Metelli collega, cum Cimbris pertinet, quem Florus ait à Cimbris per legatos aditum, indeque Senatum, agrum ſibi dari ad incolendum poſtulantibus; repulſos autem, armis rapere conſtituiſſe, quod precibus obtinere nequiuerant. Sed nec primum, ait, impetum barbarorum Silanus, nec ſecundum Mamilius, nec tertium Cæpio ſuſtinere potuerunt: eademque habet Liuius in Epit. 65. l. 3. c. 3.

ANNVS MVNDI 3946. SEXTÆ ÆTATIS 430. REGNI GRÆCORVM 204. ANTIOCHI GRYPI 18. ANTIOCHI CYZICENI 7. IOANNIS HYRCANI DVCIS & PONTIFICIS 27. PTOLEMÆI LATHVRI 9. OLYMPIADIS CLXVIII. AN. 1. VRBIS COND. 645. COSS. SER. SVLPICIO GALBA, & M. AVRELIO SCAVRO. BEL. IVG. 4.

ANNVS ANTE CHRISTVM 107.

IMPERIO in alterũ annum Metello prorogato, (is Olympiadicus fuit, & victorem celebrauit Nicomachum Philadelphenſem,) C. Marius eius legatus, quamuis nouus homo, aliis iã magiſtratibus perfunctus, ad conſulatum aſpirare cœpit, ad quem cum ab Aruſpice incitatus eſſet, petendi gratia à Metello miſſionem rogat. A quo cum amice primum diſſuaderetur, deinde etiam cum irriſione repelleretur, cupiditate atque ira incitatus, tum milites laxiore imperio, quam antea in hybernis habere cœpit, vt eorum fauore, ad ea quæ animo deſtinarat, pertingeret: tum de Metello Vticæ apud negotiatores detrahere, criminoſe ſimul & magnifice de bello loqui; dimidia pars exercitus ſibi permitteretur, paucis diebus in catenis Iugurtham habiturum: ab imperatore conſulto bellum trahi, quod homo inanis, ac regiæ ſuperbiæ, imperio nimis gauderet. I. *Marius aſpirat ad Conſulatũ.* *De Metello obloquitur.*

ERAT in exercitu Romano Numida quidam, nomine Gauda, Manaſtabalis filius, Maſiniſſæ nepos, quem Micipſa teſtamento ſecũdum hȩredem reliquerat. Hic cum neque corpore, neque mente ſatis valeret, parum amicus Metello erat, à quo tractari ſe infra dignitatem ſuam arbitrabatur. Hunc Marius anxium aggreditur, atque hortatur, vt contumeliarum in Imperatorem cum ſuo auxilio pœnas petat, ſi Iurgurtha captus aut occiſus foret, imperium Numidiæ ſine mora habiturum. Id adeo maturè poſſe euenire, ſi ipſe Conſul ad id bellum miſſus foret. Itaque & illum, & equites Rom. milites & negotiatores impellit, vti Romam ad ſuos neceſſarios aſpere in Metellum de bello ſcribant, Marium Imperatorem poſcant. II. *Gaudam, milites, negotiatores ſibi cõciliat.*

METELLVS ergo Marium de profectione fatigantem; ſimul & inuitum, & offenſum ſibi parum idoneum ratus, domum dimittit. Plutar. ait dimiſſum, cum non pluſquam 12. dies ſupereſſent ad comitia conſularia, & biduo Vticam perueniſſe, quatriduo mare ſecundo vento tranſmiſiſſe. Interim Iugurtha poſtquam omiſſa deditione belli conſilia renouauit, omnia ſtudioſiſſime agitare cœpit, quæ ad bellũ gerendum pertinerent; ciuitates præſertim, quæ ab ſe defecerant, formidine, vel oſtentando præmia, affectare. Igitur Vaccenſes (apud quos præſidium, ab initio deditionis, Metellus impoſuerat) Regis precibus fatigati, coniuratione facta per diem feſtum Italicos necopinantes inuadunt, atque inter epulas trucidant: vnus ex omnibus Turpilius præfectus profugit intactus. III. *Romam à Metello dimittitur.*

QVÆ vbi Metello nunciata ſunt, pauliſper mœſtus è conſpectu abiit, deinde ira atque ægritudine accenſus, ad vltionem ſumendam feſtinat. Legionem cum qua hyemabat, & quamplurimos poteſt Numidas equites pariter cum occaſu ſolis expeditos educit, & Vaccam cum luce peruenit. Vaccenſes vbi animaduertere ad ſe verſum exercitum pergere, primo vti res erat, Metellum eſſe rati, portas clauſere. Deinde vbi neque agros vaſtari, & eos qui primi aderant Numidas equites vident, rurſum Iugurtham arbitrati, cum magno gaudio obuii procedunt. Equites pediteſque repente ſigno dato, alii vulgum effuſum oppido cædere, alii ad portas feſtinare, pars turres capere: ita Vaccenſes biduo modo ex perfidia lætati, ciuitas magna atque opulenta, pœnæ cuncta aut prædæ fuit. IV. *Vacca deficit, biduoque recipitur.* *Et diripitur*

V. *Præfectus dat pœnas.*

TVRPILIVS iuſſus à Metello cauſam dicere, poſtquam ſeſe parum expurgat, condemnatus, verberatuſque, pœnas capite ſoluit. Ita Saluſt. At Plutarchus in Mario, innocẽtem teſtatur: Dimiſſum enim ait, quod ciues leni ac benigno imperio rexerat, nulla re violatos: in quæſtione interfuiſſe Marium, & in eum alios incẽdiſſe, vt Metellus cogeretur inuitus veterem hoſpitem ſuum rei capitalis damnare; pauloque poſt apparuiſſe falſum crimen, & Marium nihilominus Metello dolenti inſultaſſe. At Marius, ſi Salluſtio credimus, Romam dudum à Metello dimiſſus fuerat, Conſulatus cauſa.

Bomilcar in Iugurtham conſpirat.

Per idem tempus Bomilcar, cuius impulſu Iugurtha deditionem fecerat, ſuſpectus Regi, & ipſe eum ſuſpiciens, inſidias ei parat: ſocium ſibi adiungit Nabdalſem, hominem nobilem, & regi acceptum, qui ad dictum inſidiis diem cum non veniſſet, obiurgatur per literas à Bomilcare, eæ ad regem delatæ omnia patefecerunt.

VI. *A quo interficitur.*

IVGVRTHA Bomilcarem, alioſque multos inſidiarum ſocios interficit; & deinceps metu anxius nemini fidere, neque die, neque nocte tuto quieſcere, omnia circumſpectare, omni ſtrepitu paueſcere: amici eius, qui reliqui fuerant, formidine partim ad Bocchum regem Mauritaniæ, partim ad Romanos perfugere. Ab his Metellus, caſu Bomilcaris cognito, tanquam ad integrum bellum cuncta parare, & Iugurtham animo ac corpore fluctuantem aggredi. Qui cum Metellum cum exercitu animaduertit, ſuos pro tempore parat, atque inſtruit; deinde præliũ incipitur. Qua in parte Rex pugnæ affuit, ibi aliquandiu certatum eſt: cæteri omnes primo congreſſu pulſi fugatique. Iugurtha cum perfugis, & parte equitatus in ſolitudines, deinde Thalam peruenit, oppidum magnum atque opulentum, vbi plerique theſauri regis, filiorumque eius.

Cum Metello male pugnat.

VII. *Qui eum Thalã perſequitur.*

EO Metellus iter intendit, ratus, ſi eo oppido potiretur, facile debellatum fore. Ergo parato per ſuos, perque dedititios cõmeatu, atque aqua in primis, vaſta ſolitudine ſuperata Thalam perueniũt. Ibi bellũ ſtrenue vtrimq. geritur: ſed Iugurtha omnia timens, noctu cum liberis, & magna parte pecuniæ profugit ex oppido, neque poſtea vllo in loco amplius vno die, aut vna nocte moratus, ſimulabat ſeſe negotii cauſa properare, cum proditionem celeritate vitaret. Oppidum intra quadrageſimum diem expugnatum eſt, præda omni à perfugis corrupta. Nam vbi oppidi expugnationem imminere vident, precioſa omnia in regiam comportant, ibi vino atque epulis onerati, flamma tectis iniecta, ſecum omnia incendio conſumunt, & quas victi ab hoſtibus pœnas metuerant, eas ipſi volentes pependere.

Et vrbem expugnat Iugurtha fugitante.

VIII. *Perfugit ad Bocchum Mauritaniæ regem.*

IVGVRTHA poſtquam amiſſa Thala nihil firmum contra Metellum putat, per magnas ſolitudines cum paucis profectus ad Getulos, eos ſibi armorum ſocios, deinde etiam Bocchum regem Mauritanorum facit, cui dudum filiam ſuam in matrimonium dederat. Cum his copiis Cirtham ad Metellum venit, vbi is, cum de ſucceſſore Mario cognouiſſet, gemens bellum ad eius aduentum traxit.

A Cimbris Scaurus vincitur. *A Cæpione Luſitani*

Interea Scaurus, cui Gallia obtigerat, in locum Silani miſſus, tertiam à Cimbris cladem accepit, ab iis fuſus fugatuſque, & exutus exercitu, teſte Velleio. (lib. 2. c. 9.) Melius res Q. Seruilio Cæpioni Prætori cecidere. Nam cum Luſitanos rebellantes viciſſet, de iis etiam Proprætor hoc anno triumphauit, vt ex Valer. Sigonius elicit in hunc annum. Conſentit Pighius, qui & denarios ab eo triumphales cuſos ex argento memorat, explicatque.

ANNVS MVNDI 3947. SEXTÆ ÆTATIS 431. REGNI GRÆCORVM 205. ANTIOCHI GRYPI 19. ANTIOCHI CYZICENI 8. IOANNIS HYRCANI DVCIS & PONTIFICIS 28. PTOLEMÆI LATHVRI 10. OLYMPIADIS CLXVIII. AN. 2. VRBIS CONDITAE 646. COSS. L. CASSIO LONGINO, & C. MARIO. BELLI IVGVRTHINI 5.

ANNVS ANTE CHRISTVM 106.

CVM Marius à Metello digreſſus Romam veniſſet, literæ quæ pro ipſo contra Metellum erant, redditæ, non exiguos animorum motus in plebe fecere: præſertim cum ea tempeſtate populus per legem Mamiliam nobilitatẽ deprimere, nouos homines extollere conaretur. Itaque Metello imperatori nobilitas, quæ antea decori fuerat, inuidiæ eſſe cœpit, Mario generis humilitas fauorem addidit. Tribuni Marii virtutem in maius concionibus celebrabant, Metellum capitis accerſebant. Denique maximis plebis ſtudiis Marius; perculſa nobilitate, Conſul eligitur. Poſtea populus à Tribuno plebis L. Manlio Mancino rogatus, quem vellet in Iugurtham bellum gerere, frequens Marium iuſſit, irrito Senatus decreto, à quo paulo ante Numidia prouincia Cæcilio Metello decreta fuerat. Fuit autem peculiaris rogatio C. Mamilii Trib. pleb. in re Iugurthina, contra eos qui à Iugurtha corrupti, multa in Remp. peccauerant, qui quoniam viri nobiles erant, in nobilitatem lata videbatur, vt ex Salluſtio clarum eſt. I. *C. Marius fit Conſul.* *Et Metello ſubrogatur.*

HÆC cum per literas Metellus Roma didiciſſet, vt diximus, quo tempore apud Cirtham contra vtrumque regem prælium moliebatur, dolore perculſus, neque lachrymas, neque linguam continuit; & honore Marii, & iniuria ſua excruciatus, tũ quod iam parta victoria è manibus eriperetur, tum etiam quod adempta ſibi prouincia Mario maxime tribueretur. Igitur eo dolore impeditus, & quia ſtultitiæ videbatur alienam rem ſuo periculo curare, per legatos Bocchum à Iugurthæ ſocietate abſtrahere, & tentatam ab eo cum Romanis amicitiam conſtabilire conatur; eam in rem multis vltro citroque miſſis nunciis, bellum conſulto à Metello trahebatur. II. *Eodem ingemiſcente.*

INTEREA Marius ſupplementum exercitus, commeatum, omniaque ad bellum neceſſaria, Senatu conſentiente, plebe ſecundiſſima præparat, quam de nobilitate pro concionibus detrahendo ſibi conciliat; Aulum Manlium legatum cum nauibus præmittit; ipſe paucis diebus Vticam aduehitur. Exercitus ei traditur à Publio Rutilio legato. Nam Metellus conſpectum Marii fugerat, ne videret ea, quæ audita animus tolerare nequiuerat: & Romam profectus, contra ſpem ſuam lætiſſimis animis excipitur; Plebi patribuſque, poſtquam inuidia deceſſerat, iuxta charus. Itaque rebus ab eo biennio præclare geſtis triumphus decernitur, quem clariſſimum hoc anno geſſit, & inſuper Numidici cognomen, virtutis monimentum eſt conſecutus, teſte Victore de viris illuſtribus c. 62. & Velleio l. 2. Qui addit Cæciliæ familiæ, intra duodecim ferme annos, pluſquam duodecim, aut Conſules, aut Cenſores fuiſſe, aut triumphaſſe. Sed redeamus ad Marium, & Saluſtium, quem ſane mirum eſt Metelli huius Numidici triumphum prætermiſiſſe. III. *Venit in prouinciam Marius.* *Abit Metellus.* *Triumphũ ac Numidici cognomẽ obtinet.*

MARIVS cum primum Africam attigit, ad militem ſibi demerendum, eum in agrum fertilem, & præda onuſtum ducit, & omnia capta militibus donat. Deinde caſtella & oppida, natura, & viris parum munita, aggreditur, tyrones aſſuefacit veteranorum exemplo, adeo vt mox æqualis omnium virtus reddita fue- IV. *Marius rẽ gerere incipit in Africa.*

rit. Reges, vbi de aduentu Marii cognouerunt, diuerſi in locos difficiles abierunt, vt improuidos Romanos data occaſione opprimerēt: ſed Marius intentus rei gerendæ omnia caute proſpiciebat. Iugurtham & Getulos prædas ex Romanorum ſociis agentes ſæpe aggreſſus, in itinere fudit, ipſumque regem haud procul ab oppido Cirtha armis exuit, oppida munita inuaſit, vt Iugurtham ad prælium traheret.

V. *Bocchus amicitiam Rom. quærit. Marius Capſam occupat, diripit, incendit. Et Mulucham.*

Bocchvs ſæpe ad eum nuncios miſit, de amicitia cum Romanis ineunda, ipſe audaci incepto Capſum oppidum magnum atque munitum, per inuia & ſiticuloſa loca, & infeſta ſerpentibus, nocturnis itineribus, inexpectatus peruenit, & multis qui oppido temere egreſſi erant comprehenſis, coēgit deditionem facere. Oppidum nihilominus incendit, incolas partim interfecit, partim vendidit, prædam militibus diuiſit, ex quo magna apud ſuos gloria, magno hoſtibus terrori fuit: qui alia loca pleraque metu deſerta reliquere. Inde aliud caſtellum munitiſſimum iuxta flumen Mulucham temere aggreſſus, deſperata pene expugnatione, induſtria Liguris militis, qui nouum aditum in caſtellum, per ardua atque aſpera ſaxa inuenerat, vi cepit, & ex culpa, fauente illi numine, gloriam inuenit, vt ait Salluſtius.

VI. *Sylla Quæſtor agnoſcitur.*

Interea L. Sylla Quæſtor cum magno equitatu in caſtra venit, quem vt ex Latio & ſociis cogeret, Romæ relictus fuerat: vir induſtria, atque felicitate maximus, & de nouo bellatore, breui omnium ſolertiſſimus, omnibuſque militibus chariſſimus euaſit. Iugurtha vero cunctantem Bocchum ad militiæ ſocietatem, promiſſa tertia Numidiæ parte inducit, coniunctiſque copiis Marium iam in hyberna proficiſcentem, vix decima diei parte reliqua inuadunt, & per multam quoque noctem vexant, Romanis ne ad expedienda propemodum arma ſatis temporis habentibus: quippe ſimul adfuerunt, ac nunciati ſunt aduentare. Vbique equites permixti peditibus pugnabant, & à pluribus pauciores circumfuſi, non exiguam cladem acceperunt. Denique per noctem iuſſu Marii colles duos Romani occupant, vnde prima luce in hoſtem ſemiſopitum, magno cum clamore, & tubarum ſeno effuſi, maiorem quam hactenus Numidæ accepere cladem: & plurimis armis, ſigniſque captis, Romani in hyberna, vti cœperant, profecti ſunt.

Bocchus & Iugurtha Romanos inuadunt.

VII. *Cladem Caſſius à Tigurinis accipit.*

Alter Conſulum L. Caſſius, cui prouincia Gallia obtigerat, contra Tigurinos rem infeliciter geſſit. Autor Liuius in Epitome ſexageſima quinta, L. Caſſius Conſul, inquit, à Tigurinis Gallis pago Heluetiorum, qui à ciuitate ſeceſſerant, in finibus Allobrogum, cum exercitu cæſus eſt, milites, qui ex ea clade ſuperauerant, obſidibus datis, & dimidia rerum omnium parte, vt incolumes dimitterentur, cum hoſtibus pacti ſunt. In eius autem locum M. Æmylius Scaurus ſuffectus eſt Cōſul. Rem exactius declarat Oroſius. Iiſdem, inquit, Iugurthini belli temporibus, L. Caſſius Conſul, in Gallia Tigurinos vſque ad Oceanum perſecutus, rurſumque ab iiſdem inſidiis circumuentus, occiſus eſt. L. quoque Piſo vir cōſularis (ab anno 641. cum Liuio Druſo) legatus Caſſii Conſulis interfectus. Q. Publilius alter legatus, ne reſidua exercitus portio, quæ in caſtra confugerat, deleretur, obſides, & dimidiam partem rerum omnium Tigurinis turpiſſimo fœdere dedit: qui Romam reuerſus à Cœlio Tribuno pleb. die dicta, eo quod Tigurinis obſides dederat, in exilium profugit. In illo autem turpiſſimo fœdere erat, vt Romani ſub iugum mitterentur, quod factum fuiſſe Cæſar l. 1. de bello gall. ſemel iterumque teſtatur. Quod nuper quoque in Numidia Albino duce ſubierant.

l. 5. c. 15. in

an V.C. 644. D. L.

I.N.I.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3947.

Hoc anno, vt habetur in Euſebii Chronico, Rhodo terræ motu concuſſa, Coloſſus ruit. Id reprehendit Scaliger, quaſi μνημονικὸν σφάλμα Euſebii. Coloſſus qui iam ruerat, ait, n. 1794. id eſt Olymp. 135. a. 2. quomodo tunc iterum ruit? Reſpondet Pontacus, teſte Polybio libro quinto, Coloſſum tunc ſtatim fuiſſe inſtauratum. Vide quæ à nobis illo anno notata ſunt, vbi viciſſim nonnulla Scaligeri errata notauimus circa Coloſſum iſtum.

ANNVS MVNDI 3948. SEXTAE AETATIS 432. IMPERII GRÆCORVM 206. ANTIOCHI GRYPI 20. CYZICENI 9. IOANNIS HYRCANI DVCIS & PONTIFICIS 29. PTOLEMÆI LATHVRI 11. OLYMPIADIS CLXVIII. AN. 3. VRBIS CONDITÆ 647. COSS. Q. SERVILIO CÆPIONE, & C. ATTILIO SERRANO. BELLI IVGVRTHI 6.

ANNVS ANTE CHRISTVM 105.

CREDIDERIM hoc circiter anno Ptolemæum Lathurum à Cleopatra matre Alexandria pulſum, in Cyprum eſſe profectum. Ioſephus enim aperte ſignificat, florente adhuc Hyrcano in Syria, Iudæos quoque in Ægypto, & Cypro, in bello contra Lathurum ſuſcepto, in magna apud Reginam gratia, & fide perſtitiſſe. Accidit autem hoc tempore, inquit, quando ſcilicet Samaria expugnata eſt à Iudæis, vt non Hieroſolymis ſolum, ſed & apud Alexandriam, reliquamque Ægyptum, & Cyprum fortuna aſpiraret Iudæorum ſucceſſibus. Cleopatra enim Regina à filio Ptol. Lathuro diffidens, copiis ſuis duces præpoſuit Chelciam & Ananiam filios Oniæ, qui templum in Heliopolitana præfectura ædificauerat Hieroſolymitano ſimile, vt alias diximus. Ex horum ſentẽtia Regina gerebat omnia; ſicut & Strabo Cappadox teſtatur, his verbis. Pleriq. enim qui prius nobiſcum venerunt in Cyprum, quiue poſt à Cleopatra illò miſſi ſunt, cõfeſtim deficiebant ad Ptolemæum; ſoli vero ex Oniæ factione Iudæi conſtanter manſerunt in officio; eo quod ciues eorum Chelcias & Ananias apud Reginam eſſent in pretio. Hæc ex Strabone Ioſephus. I. *Lathurus à matre regno pellitur mulieri Iudæis adhærent.*

Ex quibus duo intelliguntur; alterum Iudæos Cleopatræ tyrannidi addictos fuiſſe, quæ legitimũ expulerat Regem, & in ea perfidia contra regem ſuum Lathurũ obduruiſſe; vt mireris Ioſephum non videre ea ſibi, ſuæque genti probro eſſe, quæ laudi eſſe arbitrabatur: niſi placet id veritatis amore illum eſſe confeſſum. Et vice verſa non mireris eos nunc quoque, contra regem ſuum Chriſtum Dominũ incredili obſtinatione rigeſcere. Alterum diu in Cypro Ptol. Lathurum regnaſſe, cum crebro illuc copias à Cleopatra miſſas Strabo ſignificet. Deinde cum ab initio regni Lathurus inuiſus Cleopatræ fuerit, adeo vt eum nõniſi coacta regnare permiſerit, vix credibile eſt eam ipſos 17. annos cum filio durare potuiſſe, quod tempus Lathuro tribuit Euſebius, ante Alexandri fratris ingreſſum in regnum. II. *Et tyrannidem tutantur.*

EXISTIMAMVS igitur hoc tempore, aut aliquanto etiam celerius, Ptol. Lathurum Alexandria pulſum à matre Cleopatra: qua de re ita Iuſtinus l. 39. At in Aegypto Cleopatra, cum grauaretur ſocio regni filio Ptolemæo, populum in eum incitat, abductaque ei Seleuce vxore, eo indignius, quod ex Seleuce iam duos III. *Res à Iuſtino narrata.*

Bocchus Romanis conciliatur.

filios habebat, exulare cogit. Accerſito minore filio Alexandro, & rege in locum fratris conſtituto: nec filium regno expuliſſe contenta, bello in Cypro exulantem perſequitur. Sed Cyprium hoc bellum in plures, vt diximus annos propagatum eſt, adeo vt Iannæo regnante in Iudæa, illic Lathurus regnum obtineret, vt infra ex Ioſepho dicemus. Ipſum porro Alexandrum Lathuri fratrem, cum precario tantum rex fuerit, viuo legitimo Rege Lathuro: nec certum ſit quam diuturna fuerit illa regni quaſi parentheſis, non exiſtimauimus catalogo regum Aegypti inſerendum eſſe.

IV. *Mario prorogatur imperium. Pugnat cũ vtroque rege ad Cirtham.*

C. MARIO in alterum annum Romæ de more prorogatum eſt imperiũ, vt in Numidia debellaret, quod & fecit. Aliquot dies à proximo prælio Marii cum Regibus abierant, cum non longe ab oppido Cirtha vndiq. ſimul ſpeculatores citi ſe oſtendunt, & vndique adeſſe hoſtem referunt; in 4. quippe partes Iugurtha copias diuiſerat, vt quancumque in partem ſe Romanus inferret, aliqui à tergo eum inuaderent; ſed ſpes Iugurtham fefellit. Marius enim immotus ſtetit, in omnem hoſtis impreſſionem intentus. Numidæ Syllam, qui in poſtremo erat agmine, inuadunt, ibique acriter equeſtris pugna committitur. Marius & Iugurtha in prima acie pugnabant, ſuperueniunt Mauri pedites, quos Volux Bocchi filius adduxerat, qui & ipſi poſtremam aciem Romanorum inuadunt: quæ cum Iugurtha accepiſſet, terrendi gratia clam cum paucis ad pedites conuerſus, Marium ſua manu occiſum clamat, & gladium cruentum oſtentat. Ibi terrore iniecto, Romani mouentur loco, & parum à fuga aberant. Sed Marii & Syllæ virtute ſuſtentati ac reſtituti, etiam victores facti ſunt. Fuſi late aduerſarii ac fugati, multa cum clade Cirtham abiere.

V. *Bocchus de pace cum Romanis agit.*

Eo poſt dies quinque legati à Boccho veniunt, qui regis verbis à Mario petiuere, duos ad eum quam fidiſſimos mitteret, quibuſcum magnis de rebus, & pop. Ro. commodis ageret. Miſſi ſunt Sylla, & Aulus Manlius Conſulis legati. Sylla regem hortatur ad pop. Ro. amicitiam deſerto Iugurtha, capeſcendam, ne iiſdem cum ſceleratiſſimo viro cladibus inuoluatur. Bocchus queritur ſe ab amicitia repulſum; paratum tamen ſi Mario placeat, ea de re legatos ad Senatum mittere, intereaque inducias petere placuit; miſſi ſunt. Quibus in Curia primum regis erratũ agnoſcentibus, qui ſe Iugurthæ contra Romanos iunxiſſet, ſiue cognationis nomine, ſiue partis Numidiæ, quæ ad ipſum pertineret, tuẽdi gratia. Deinde fœdus & amicitiam petentibus, reſponſum eſt, S.P.Q.R. beneficii & iniuriæ memorem eſſe ſolere; Boccho, quoniam eum pœniteret, delicti gratiam facere, fœdus & amicitiam cum promeruerit, datum iri.

Ei Romæ venia & ſpes data.

VI. *Inde Bocchus agit cum Sylla.*

QVIBVS rebus cognitis Bocchus per literas à Mario Syllã ad ſe mitti rogat, cuius arbitratu de cõmunibus negotiis conſuleretur. Aſſenſus Cõſul eum cum præſidio non inualido mittit. Cui cum Volux cum mille equitibus occurriſſet, primo timorẽ inſidiarum iniecerunt; quo ſublato, alter ab imminente Iugurtha ſucceſſit maior, verentibus Romanis ne Bocchus cum Iugurtha cõſentiens, Syllam cum ſuis optaret opprimere. Et apparet quidẽ Bocchum, pro innata barbaris leuitate, nõ ſemel alternãte modo in Romanos, modo in Numidas ſententia, fluctuaſſe, Iugurthamne Romanis, an Syllam Iugurthæ traderet, & vtriſque ſpem contra alteros dediſſe. In Romanos tamen pronior, cum Iugurthæ legatos in decimum diſtuliſset diem, cum Romanis ſecreto colloquio agit, ſpondetque ſe Iugurtham deſerturum, nec ei bello affecturum.

Fluctuat.

VII. *Sylla Iugurthæ deditionem petit.*

SYLLA vice verſa amplius aliquid exigere, vt gratiam Senatus, Romanique populi promereatur, quod non ſui ipſius, ſed ipſorum Romanorum gratia factum appareat. Id in promptu eſſe, quoniam Iugurtham haberet in poteſtate, ſi eum Romanis traderet: tum demum amicitiam, fœdus, Numidiæ partem, quam nunc peteret, vltro aduenturam.

Ac deniq. impetrat.

Rex primum ſceleris magnitudine periculique deterritus, perfidiæque dedecore, facturum negare, agitare affinitatem, cognationem; præterea fœdus interueniſſe. Ad hæc metuere ne fluxa fide vſus, popularium animos auerteret, queis & Iugurtha charus, & Romani inuiſi erant. Denique ſæpius fatigatus lenitur, & ex voluntate Syllæ, omnia ſe facturum promittit.

VIII. *Bocchus ſpe pacis lactat Iugurthã.*

IN eam rem, ſpem conficiendæ pacis Romanos inter & Numidas, Iugurthæ,

qui eius erat cupidiſſimus, oſtentat. In publicum de pace colloquium indicitur dies, cum Bocchus Iugurthæ, ſeu vero ſeu ficto animo, promiſiſſet ſe illi Syllam traditurum, ad firmam ab Romanis pacem extorquendam. Interea Bocchus Syllam modo, modo Iugurthæ legatum appellare, benigne habere, idem ambobus polliceri. Sed nocte ea, quæ dictum colloquio diem anteceſſit, cum multum ſe animo in vtramque partem verſaſſet, poſtremo Syllam accerſiri iubet, & ex eius ſententia Numidæ inſidias tendit. Eoſdem animi æſtus, & inconſtantiam Bocchi Plutarchus, tam in vita Syllæ, quam Marii repræſentat. Cum Bocchus, inquit, vtrumque haberet in arbitrio ſuo, & in eam neceſſitatem deſcendiſſet, fidem vt violaret in altero, poſt multos animi æſtus, tandem primam proditionem comprobauit. Pergit Saluſt.

IX. Iugurtha vinctus Sylla tra-

DEINDE vbi dies aduenit, & ei nunciatum eſt Iugurtham, haud procul abeſſe, cum paucis amicis, & quæſtore Sylla, quaſi obuius honoris cauſa, procedit in tumulum facillimum viſu inſidiantibus. Eodem Numida cum pleriſque neceſſaris ſuis inermis, vti dictum erat, accedit. Ac ſtatim ſigno dato, vndique ſimul ex inſidiis conſurgitur. Cæteri ſtatim obtruncati, Iugurtha Syllæ vinctus traditur, & ab eo ad Marium deductus eſt. Hæc fere Saluſtius. In extremo actu huius tragœdiæ, Plutarchus in vita Marii diuinam agnoſcit iram in Marium. At ſatius fuerit iuſtam agnoſcere prouidentiam, vt huius belli confecti gloria à Mario ad Syllam verteretur; vt quoniam Marius ea Metellum priuauerat, eadem ipſe à Sylla orbaretur; Romanis, qui Mario aduerſabantur, exordium belli & præcipua Metello, extrema ac finem Syllæ tribuentibus.

Iuſta Marii caſtigatione.

Atque ipſe Sylla ſigillum habebat, in quo Bocchus erat, Iugurtham ei tradens, inſculptus; quo ille ſigillo perpetuo vtebatur. Et hæc prima ſementis extitit atrociſſimi illius, grauiſſimique belli ciuilis, Mariani, ſiue Syllani quod concuſſum Romanum imperium pene dedit in præceps.

Semen belli ciuilis.

X. Cæpionis ſacrilegiũ.

Q. autem Seruilius Cæpio huius anni Conſul Galliam prouinciam ſortitus, bellum cum Tectoſagis geſſit, de quo nihil præter ſacrilegium ab eo Tholoſæ commiſſum memoriæ proditum eſt. Iuſtinus libro trigeſimo ſecundo cum Delphicos theſauros à Gallis direptos memoraſſet, Tectoſagi, inquit, cum in antiquam patriam Toloſſam veniſſent, comprehenſique peſtifera luce eſſent, non prius ſanitatem recuperauere, quam aruſpicum reſpõſis moniti, aurum argentumq. bello ſacrilegiiſque quæſitum, in Toloſenſem lacum mergerẽt. Quod omne magno poſt tempore Cæpio Romanus Conſul abſtulit. Sic ille. Quidni autem faceret, ſi memoria ſacrilegii obliterata fuerat? Recte enim hic valebat illud, *Vt quid perditio hæc?* Nec apparet maius fuiſſe ſcelus, ex aquis aurum & argentum, quam ex terræ viſceribus eruere. Vidit hoc Paulus Oroſius, & mutata narratione ſacrilegium expreſſit, vt mox dicetur. Fuere auri pondo centum decem millia, argenti pondo quinquies decies centum millia: prior ſumma ad vndecim milliones coronatorum aſcendit, poſterior ad 16. milliones, & quingenta millia.

Quantum.

XI. Ex Paulo Oroſio.

l.5.c.15. SVMMAM illam multum diminuit Oroſius. Ait enim Cæpio Proconſule capta vrbe Gallorum, cui nomen eſt Tholoſæ, centum millia pondo auri, & argenti centum decẽ millia è templo Apollinis ſuſtulit, (id eſt auri milliones decem, argenti millionem vnũ, & 210. millia coronatorum.) Quem theſaurum cum ad Maſſiliam, amicam populo Romano vrbem, cum præſidiis miſiſſet, interfectis clam, ſicut quidam conteſtantur, quibus eum cuſtodiendum, & peruehendum commiſerat, cuncta per ſcelus furatus fuiſſe narratur; vnde etiam magna quæſtio poſt Romæ facta eſt. Ita Oroſius. Strabo libro quarto ſcribit ex Poſidonio, Toloſæ inuenta, ſublataque ad quindecies centum millia talentum, nulla auri argentiue diſtinctione. Addit Iuſtinus eius ſacrilegii pœnam.

XII. Sacrilegij pœna.

QVOD *ſacrilegium cauſa excidii Cæpioni exercituique eius poſtea fuit, Romanos quoque Cimbrici belli tumultus, velut vltor ſacræ pecuniæ inſecutus eſt.* His fere ſuffragatur Gellius. *Cum oppidum Toloſam,* inquit, *in terra Gallia Q. Cæpio Conſul diripuiſſet,*
l.3.c.49. *multumque auri in eius oppidi templis fuiſſet, quiſquis ex ea direptione aurum attigit, miſero cruciabilique exitu periit.* Vbi vides hæc facta non à Proconſule, vt volebat Oroſius, ſed à Conſule: quæ cauſa fuit, vt hæc præſenti anno aſſignaremus. Quæ etiam Oroſius è templo Apollinis ſublata dicit, Gellius è tota vrbe, templiſque

omnibus multo probabilius. Quam etiam in ſententiam, ſi placet Oroſium non admodum repugnantem trahere, templum Apollinis Delphici, non Apollinis Toloſani intelligendum erit, ex quo iam à 172. annis, (tot enim anni à 475. V. C. ad præſentem numerantur) accepta fuerat pecunia, vt Iuſtinus & Strabo l. 4. tradidere. Qua de re vide ſi placet, quæ eo anno à nobis annotata ſunt.

XIII. *Natalis Ciceronis.* Illvstris eſt hic annus natalibus M. Tullij Ciceronis, Autor eius rei Gellius. *Dinumeratis*, inquit, *annis à Q. Cæpione, & Q. Serrano* (C. potius) *quibus Conſulibus ante diem tertium nonas Ianuarij M. Cicero natus eſt.* Sic ipſe. Nec diſſentit Plut. in eius vita, cum ait eum in lucem editum tertio die Calendarum nouarum Ianuarij, id eſt die tertio Ianuarij. Idem enim dies eſt tertius ante nonas, & tertius à Calendis: qua de re plura leges apud Marcoduranum anno primo hiſtoriæ Cic. His ipſis Conſulibus & ſe natum eſſe, & L. Craſſum legem Seruiliam ſuaſiſſe, qua de communicandis cum Senatu & Equitibus iudiciis agebatur, author eſt Cic. ipſe in Bruto. Habetur hic annus notatus in Euſebij Chron. Olymp. 168. a. 3. probaturque à Pontaco, & Scalig. vbi Euſebius, (aut D. Hieronymus potius, qui pluribus locis Euſebij Chronicum dum interpretaretur, auxit, quæ in Græcis Euſebij non reperiuntur.)

l. 15 c. 28.

Ἀπὸ τῶν καλανδῶν.

Vide l. 7. epiſt. ad Atticum ep. 5 & l. 13. ep. 41.

XIV. *Genus eiuſdem.* *M. T. Cicero Arpini naſcitur*, inquit, matre Heluia, patre equeſtris ordinis, ex regio Volſcorum genere. Ita quoſdam ſenſiſſe tradit Plut. in eius vita; ita ſenſit Silius Ital. l. 8.

Tullius æratas raptabat in agmina turmas.

Regia progenies, inquit, *& Tullo ſanguis ab alto.* Quod Ciceroni ne cogitatum quidem fuit, nedum creditum. Neque enim tam negligens laudum ſuarum fuit, vt id præteriturus eſſet. Idem in Bruto negat ſe ad familiam Marci Tullij pertinere, qui patricius cum Ser. Sulpicio Conſule, anno decimo poſt exactos reges fuit. Quæ familia potius ad Actium illum Tullium pertinuit.

XV. *Ortus Pompeij magni.* His ipſis Coſs. natum eſſe Cn. Pompeium magnum, author eſt idem D. Hieronym. apud Euſeb. & Velleius l. 2. ſemel, & iterum; vbi numerat annos 113. & 23. à natiuitate Pompei ad Conſulatum M. Vinicij, qui incidit in annum V. C. 782. quo ſpatio 135. anni intercipiuntur, aut 136. vtroque extremo numerato. Nam ſi ab anno Vinicij numeros illos duos ſuſtuleris, omnino in præſentem annum incides. Natus eſt autem prid. Cal. oct. teſte Plin. & Velleio l. 2. nouem videlicet poſt Ciceronem menſibus, inchoato apud Hebræos anno ſabbatico 195. De quo vtroque crebra deinceps nobis erit mentio. *lib. 37. c. 2.*

ANNVS MVNDI 3949. SEXTÆ ÆTATIS 433.

IMPERII GRÆCORVM 207. ANTIOCHI GRYPI 21. CYZICENI 10. HYRCANI PONTIF. 30. PTOLEMÆI LATHVRI 11. OLYMPIADIS CLXVIII. AN. 4. VRBIS COND. 648. COSS. P. RVTILIO RVFO. CN. MALLIO.

In Euſebij Chro. græco Cn. Mallio Maximo: apud Eutrop. Oroſ. Caſſiod. Flor. Obſeq. Manlius dicitur.

ANNVS ANTE CHRISTVM 104.

I. *Marius agit in Numidia.* POSVIT hunc annum C. Marius in ordinanda prouincia Numidia, per multos iam annos, tam Numidarum inter ſe bellis, quam Romanorum aduerſus Numidas conquaſſata; ſed & in apparatu triumphi, quem ipſo ſtatim initio ſequentis anni geſſit. Itaque etiam hoc anno Marius cum imperio fuit, in quo per aliquot deinceps annos perſeuerauit.

Geminum Romanorũ bellum Luſitanicum. Geminum contigit hoc anno bellum Romanis, & vtrumque longe luctuoſiſſimum; alterum in Luſitania: his enim Conſulibus cæſum à Luſitanis Romanum exercitum notauit Iulius Obſequens, & ex eo Cuſpinianus, & Sigonius. Alterum quo Q. Seruilius Cœpio maxima omnino clade à Cimbris affectus eſt, cum eadem

prouincia Gallia Cn. quoque Mallio Conſuli obtigiſſet. Rem ex Oroſio, qui paulo exactius cæteris eam expoſuit, mutuabimur, ſi primum errati monuerimus, quod in annum vrbis contigit: ponit enim 642. pro 48. quomodo habent Cuſpin. Sigon. Pighius, & paſſim omnes. Sic ergo habet.

II. *Et Cimbricum.*

C. Manilivs *Conſul*, *Q. Cæpio proconſul*, recte; Velleius ambos Coſs. vocat, manifeſto errore; diuerſis enim annis Coſs. fuere, ſed nec ambo proconſules, vt habet epit. 67. Saluſt. & Eutrop. nomen dignitatis omiſerunt. Florus vtrunque ſeorſim pugnaſſe ſignificat, cum ait; nec primum impetum barbarorum Silanus, nec ſecundum Manilius, nec tertium Cæpio ſuſtinere potuerunt. Pergit Oroſius, *Aduerſus Cimbros, & Teutonas, & Tigurinos, & Ambronas, Gallorum & Germanorum gentes, quæ tunc vt imperium Romanum extinguerent conſpirauerant, miſſi, prouincias ſibi Rhodano flumine medio diuiſerunt, vbi dum inter ſe grauiſſima inuidia, & contentione diſceptant, cum magna ignominia, & periculo Romani nominis victi ſunt*, contentionis huius culpam in Cœpione proconſule reſediſſe, indicat eius condemnatio Romæ facta. Acceptæ autem cladis magnitudinem ita explicat.

III. *Ingens ab eis Romanorum clades.*

Siqvidem in ea pugna M. Aurelius Conſularis captus, atque interfectus eſt, (Scaurum intelligit, Conſulem an. 645. in Velleio Scaurus non Conſul, ſed conſularis legendus eſt. Iſtum Conſulis erat legatus, vt eſt in Epit. 67. vbi & cauſa mortis eius affertur, *ab iis captus*, inquit, *& in eorum conſilium euocatus, cum deterreret eos ne Alpes tranſirent Italiam petituri, eo quod diceret Romanos vinci minime poſſe; à Bolo rege, feroce iuuene occiſus eſt.* Pergit Oroſ.) duo filij Conſulis cæſi, octoginta millia Romanorum, ſociorumque, ea tempeſtate trucidata, 40. millia calonum, atque lixarum interfecta, ſcribit Antias (hunc ſcriptorem Liuius nonnunquam nimiarum exaggerationum arguit, vterque tamen hic numerus in epit. 67. habetur, ex eodem Antiate, vt videtur acceptus) ita ex omni penitus exercitu decem tantummodo homines, qui miſerum nuncium ad augendas miſerias reportarent, ſuperfuiſſe referuntur. Hoſtes binis caſtris atque ingenti prȩda potiti, noua quadam atq; inſolita execratione, cuncta quæ cœperant peſſum dederunt, veſtis diſciſſa & proiecta eſt, aurum argentumque in flumen abiectum, loricæ virorum conciſæ, phaleræ equorũ diſperditæ, equi ipſi gurgitibus immerſi, homines laqueis collo inditis ex arboribus ſuſpenſi ſunt, ita vt nihil prædæ victor, nihil miſericordiæ victus agnoſceret.

Ioſ. 7. 18. 1. Reg. 15. 3. Tale fuit Anathema, quod olim Deus in Hierichuntinos, & Amalecitas mãdauit.

IV. *Luctus timorque Romæ.*

Maximvs tunc Romæ non ſolum luctus, verum etiam metus fuit, ne confeſtim Cimbri Alpes tranſgrederentur, Italiamque delerent. Sic Oroſ. Saluſtius in Iugurth. ait eo metu Italiam omnem contremuiſſe, indéque ad ætatem ipſius, Romanis perſuaſum fuiſſe, alia omnia virtuti ſuæ prona eſſe, cum Gallis pro ſalute, non pro gloria certari. Plutarchus in Lucullo ait Cæpionis exercitum à Cimbris oppreſſum prid. nonas Octobris, eamque diem in nefaſtis propterea numeratam, ſed victoria Luculli de Tigrane fauſtam eſſe redditam. Itaque iuſtitium, vt ait Pighius haud dubie indictum, ſaga ſumpta, delectus tota Vrbe atque Italia diligentiſſime habiti. Rutilius Conſul iuſſus eſt iuuentutem omnem ſacramento adigere, nouas legiones ſcribere, nemini vacationem à militia niſi neceſſariam dare.

Prid. non. Octob.

V. *Et ira in Cæpionem, & ſeditio.*

Hvivs cladis nuncius non metum ſolum Romanis, ſed iram in Cæpionem accendit, in eumque C. Norbanus trib. pl. dum rogationem de imperio illi abrogando ferre conatur, ſeditionem concitauit, in qua vim, fugam, lapidationem, crudelitatem tribunitiam, in Cæpionis graui miſerabilique caſu, M. Tullius contigiſſe

2. de Orat.

ſcribit. Deinde principem & Senatus & ciuitatis M. Æmylium lapide percuſſum fuiſſe, vi pulſum ex templo L. Cottam, & T. Didium, cum intercedere vellent rogationi. Itaque communi populi iudicio damnatus Cæpio eſt, eiuſque bona publicata. Habetur in Epit. 67. ei primum poſt regem Tarquinium imperium fuiſſe abrogatum: id tamen alteri quoque Conſuli, M. Æmylio Lepido, collegæ C. Hoſtilij Mancini, vel potius proconſuli, qualis erat nunc Q. Cæpio, contigiſſe ſupra ex Appiano diximus, an. Vr. Cond. 617. n. 18. vbi etiam idem de Mancino Conſule dicendum videri exiſtimauimus. Quin etiam Appianus eodem loco refert, quod eo tempore contra Mancinum factum eſt, exemplo patrum fuiſſe factum; qui quondam, inquit, Samnitibus viginti imperatores, qui iniuſſu ſuo itidem percuſſerant fœdus, dediderant.

Imperium illi abrogatum, an primo.

VI. *Eius pœna dira mors, an exiliū.*

Cæterum non tantum abrogatum Cæpioni imperium eſt, ſed crudeli etiam morte affectum eſſe author eſt Valer. [a] *Craſſum, inquit, caſus acerbitate Q. Cæpio præcurrit. Namque Præturæ ſplendore, triumphi claritate, Conſulatus decore, maximi pontificatus ſacerdotio, vt Senatus patronus diceretur, aſſecutus, in publicis vinculis ſpiritum depoſuit; corpuſque eius funeſtis carnificis manibus laceratum, in ſcalis Gemoniis iacens, magno cum horrore totius fori Romani, conſpectum eſt.* Non conſentit Valerio Strabo l. 4. Ait enim eum, quia pecunias ſacrilegas attingere auſus fuerat, miſere eiectum è patria fuiſſe, & turpem mortem oppetiiſſe, & in bonorum poſſeſſionem relictos filios, inter ſcorta ea obliguriſſe, ac fœde mortuos eſſe. Quomodo enim eiectus è patria mortem obiit, ſi Romæ in publicis vinculis ſpiritum depoſuit, & in ſcalis Gemoniis iacuit? Aut quomodo eius bona publicata, ſi ea filij eius obligurierunt? ſed nec ipſe Valer. conſentit ſibi, vt recte Sigonius, aliique notarunt. Nam alibi, [b] ſcribit eum à L. Regino Trib. plebis publica cuſtodia liberatum, & fugæ comitem factum, cum fuiſſet in carcerem coniectus, quod illius culpa Romanus exercitus à Cimbris, & Teutonis deletus eſſet. Sed fieri poteſt, vt ab exilio reuocatus, iterum in carcerem coniectus fuerit, atque occiſus, cum M. Antonij pro Norbano defenſione, odium atque inuidia Cœpionis iterum inflammata fuiſſet, vt ex 2. de Oratore intelligi poteſt.

An vtrūque.

a l. 6. c. 11.

b l. 4. c. 7.

ANNVS MVNDI 3950. SEXTÆ ÆTATIS 434. IMPERII GRÆCORVM 208. ANTIOCHI GRYPI 22. CYZICENI 11. HYRCANI PONTIF. 31. ET VLT. PTOLEMÆI LATHVRI 13. OLYMP. CLXIX. AN. 1. VRBIS COND. 649. COSS. C. MARIO NEPOTE II. ET C. FLAVIO FIMBRIA.

ANNVS ANTE CHRISTVM 103.

I. *Alter Marij Conſulatus cū triumpho.*

Nepotem C. Marium perpetuo cognominat Euſebius, in Chronico Græco, quod Scaliger edidit; etſi Plut. in eius vita eum tertio nomine carere, aut id potius ſibi ignotum eſſe dicat. Clariſſimo eius triumpho huius anni principium illuſtratum eſt. Ipſis quippe Calen. Ianuariis magna gloria triumphauit. Gemina quoque inſuper addita gloriæ materia, quod & Conſul abſens factus eſt, & ei decreta prouincia Gallia, vt ſcribit Saluſt. in fine belli Iugurthini: idque, vt apparet, extra ſortem: non enim ei decretam diceret, ſed illi obtigiſſe. *Poſtquam, inquit, bellum in Numidia confectum, & Iugurtham Romam vinctum adduci nunciatum eſt, Marius Conſul abſens factus eſt, & ei decreta prouincia Gallia, iſque Calendis Ianuariis magna gloria Coſ. triumphauit: ea tempeſtate ſpes atque opes ciuitatis in illo ſitæ.* Cui concinens Florus. [c] Actum erat (de Romana Rep.) niſi Marius illo ſeculo contigiſſet.

τρίτον ὄνομα οὐκ ἔχων εἶναι.

Ei decreta Gallia.

c l. 3. c. 3.

Eum ſcilicet afflictus ac deiectus Cæpio, in altum gloriæ faſtigium, ſpe metúque populum incitante, extulit, aduerſique fortunæ flatus, qui Cæpionem perculerant, C. Marij vela ſecundiſſime repleuerunt. Addit tertium etiam priuilegium Plut. Cum lex, inquit, abſentem, & niſi interiecto certo ſpatio, vetaret denuo creari Conſulem, repudiauit populus aduerſantes. De triumpho autem hæc ſubdit.

II. *Gloria triumphi eius.*

Marius deportatis ex Africa legionibus, ipſis Cal. Ianuariis, quem diem Romani initium anni celebrant, conſulatum iniit & triumphauit, atque incredibile populo Rom. ſpectaculum exhibuit, vinctum Iugurtham, quo viuo nemo ſperauerat ſe prouinciam illam confecturum: adeo erat verſutus, ad ſe omni fortunæ accommodandum, magnóque animo mixto cum vafritie præditus: verum tunc, vt perhibent, de ſtatu mentis deiectus eſt. Addit Liuius in Epit. 67. Eutrop. in fi. l. 4. & Oroſ. [d] eum ante C. Marij currum cum duobus filiis ductum eſſe catenatum, moxque iuſſu Conſulis in carcere ſtrangulatum. Fame tamen enectum videtur affirmare Plut. Poſt triumphum, inquit, in carcerem condito, alij tunicam violenter dila-

ἐξέστη τῶν φρενῶν.

d l. 5. c. 15.

cerauerunt, alij vi demere auream inaurem accelerantes, vna infimam auriculam auulſere. Vbi detruſus, nudus, & deiectus in infimum carcerem, cum fame ſex dies luctatus, atque ad extremum vſque vitæ cupiditate hians, dignum ſceleribus ſuis

l. ex. exitum inuenit. I.

Pergit Plut. Peracto triumpho, indixit Senatum Marius in Capitolium, atque imprudens ne, an fortuna ſua elatus, inſolentius veſte triumphali curiam ingreſſus

a Epit. 67. eſt. Verum offenſum animaduertens Senatum, nemo quippe ante eum id fecerat, [a] cito exſurrexit, ſumptaque rediit prætexta.

QVOD ad rem in hoc altero conſulatu geſtam attinet, magno fortunæ fauore, inquit Plut. vſus eſt Marius. Nam cum Barbari, quaſi quodam impetus reflexu, ferrentur prius in Hiſpaniam, ſpatium habuit corpora militum exercendi, & animos eorum ad audendum firmandi, & ſuis ipſius moribus aſſuefaciendi. Iuſtitiæ atque integritatis eius, idem hoc memorat exemplum, quod Trebonium adoleſcentem, qui C. Luſium, Marij ex ſorore nepotem, pudicitiæ conſeruandæ cauſa interfecerat, non ſolum innocentem iudicauit, ſed corona etiam, virtutis ergò donauit. Nec ſua mercede Marius ipſe caruit. Id enim poſtquam Romæ nunciatum eſt, tertium

III. *Cimbri in Hiſpaniam feruntur.*

Marij iuſtitia.

b l. 3. c. 3. ei conſulatum confecit. Sic Plutar. Florus autem; [b] Marius quoque non auſus congredi ſtatim, militem tenuit in caſtris, donec inuicta illa rabies, & impetus, quem pro virtute Barbari habent, conſeneſceret. Receſſere igitur increpantes, &, tanta erat capiendæ vrbis fiducia, conſulentes, num quid ad vxores ſuas mandarent.

RECESSISSE quidem è Gallia certum eſt, ſed non ſtatim Italiam adiere, vt ſignificare videtur Florus, ſed Hiſpaniam. Audi enim Liuium Epit. 67. *Cimbri vaſtatis omnibus, quæ circa Rhodanum, & Pyrenæum ſunt, per ſaltum in Hiſpaniam tranſgreſſi, ibique multa loca populati, à Celtiberis fugati ſunt, reuerſique in Galliam, bellicoſis ſe Teuthonis coniunxerunt.* Ita ibi. Videtur diuina prouidentia, quæ iamdudum Romanum ſtabiliebat imperium, barbaros ab vrbe ingenti terrore perculſa, ſicut olim Annibalem victoria vti neſcientem, auertiſſe, & in Hiſpaniam, vbi eorum etiam retunderetur impetus, ad tempus amandaſſe, vt tanto eſſet Romanus exercitus, ad eorum vim excipiendam paratior.

IV. *In Hiſpania victi, Galliam repetunt.*

His etiam Coſs. Thraces à Romanis victos notat Iulius Obſequens, eiuſdémque victoriæ meminit Euſebij Chron. Olymp. 170. anno 2. metachroniſmo quinquennij, vt recte notauit Scaliger. Quo autem Romano duce confectum ſit hoc bellum, viri eruditiſſimi Pontacus & Sigonius ignotum ſibi ingenue fatentur.

Thraces à Romanis victi.

SECVNDVM bellum ſeruile hoc anno excitatum, & compreſſum eſt, vt ex Diodoro Siculo l. 36. ecloga prima perſpicue intelligitur, qui inſulæ ſuæ res diligentius inquiſiuiſſe videtur, ac tradidiſſe. Is ergo ait in Marij aduerſus Cimbros expeditione, Senatum ei poteſtatem dediſſe auxilia ex tranſmarinis gentibus acceſſendi. Marius per legatos auxilia à Nicomede Bithyniæ rege petit. Is reſpondet Bithynos à publicanis in ſeruitutem maiori ex parte abſtractos, variis in locis detineri. Id vbi Romæ intellectum eſt, SC. editum eſt, ne quis ingenuus ex populi Ro. ſociis, in prouincia ſeruituti addiceretur, & vt præpoſiti prouinciarum manu mittendorum curam ſuſciperent.

V. *Ingenui ſeruitute liberantur.*

Licinius igitur Nerua, tunc in Sicilia Prætor, decreto morem gerens, re iudiciorum diſceptationi ſubiecta, intra paucos dies plures octingentis libertati reſtituit. Ex quo factum eſt, vt quicunque in Sicilia ſeruiebant, ad ſpem libertatis accenderentur. Itaque viri graues Prætorem adiere, rogantes vt ab incepto deſiſteret: quod ille dum facit, & eos qui eum ſpe libertatis adibant, cum obiurgatione repellit,

SERVI inter ſe conſpirant, quorum triginta, duorum dominorum ſerui Oario quodam duce electo, primi libertatem arripuerunt, & heris ſuis nocte occiſis, mox ad vicinas progreſſi villas, mancipia ad libertatem vocant; quorum ea ipſa nocte plures 120. ad eos conuenerunt. Nec mora, alij 80. ad eos cum armis confluunt, & ſimul locum natura munitum occupant, diligentiuſque communiunt, adeo vt Licinius Nerua Prætor, ad eos expugnandos progreſſus, nihil vi perficere potuerit. Itaque ad fraudem conuerſus, ſicarium quendam Titinium, ſcelerum venia propoſita, ad prodendum caſtellum impellit. Hic cum fida ſeruorum manu, ad caſtellum venit quaſi bellum contra Romanos geſturus. Is beneuole acceptus, & imperator etiam ob fortitudinem creatus, caſtellum prodit. Rebellium pars inter pu-

VI. *Id turbat Siciliam.*

gnandum conciditur, pars ſupplicium quod captos manebat exhorreſcentes, de rupe ſe præcipites abiecerunt. Prima itaque ſeditio fugitiuorum hunc in modum compreſſa eſt. Sed illo in loco duntaxat. Nam alibi etiam vehementer exarſit, vt idem Diodorus recitat.

VII. *Alij rurſum ſeruorũ motus.* NAM militibus magna ex parte exautoratis, & domum remiſſis nunciatur, ſeruos ad 80. conueniſſe, & tumultu excitato P. Clonium equeſtris ordinis virum iugulaſſe: dum autem Prætor in cogendo iterum milite cunctatur, & cum ea quæ aderat manu, ita illos adit, vt congredi non auſus eos prætererit, illi Romani imperatoris ignauia contempta, animis viribuſque augentur, adeo vt intra 7. dies plures octingentis arma ſumpſerint, deinde ad duo millia numerus excreuerit. Qua de re certior factus Prætor, qui tum erat Heraclææ, M. Titinium contra eos ducem creat; qui cum iis congreſſus vincitur. Serui & victoria, & armis potiti, animoſius in propoſito perſiſtunt, & gliſcente vbique defectione ſeruorum, plures ſex millibus intra paucos dies coëgerunt.

VIII. *Rex ſeruorum, & ab eo geſta.* ERGO conuentu habito, Regem ſibi quendam Saluium, haruſpicem atque tibicinem creant. Is trifariam diuiſis copiis regionem incurſat, & breui duo millia equitum, peditum viginti fere millia ſibi comparat, & Morgantiam vrbem validis continuiſque impreſſionibus oppugnat. Prætor nocturno itinere cum decem millibus armatorum proficiſcitur ad vrbem, & defectoribus in eius oppugnatione occupatis, caſtra eorum inuadit, expugnat, diripit. Tum Morgantiam verſus iter intendit. At ſerui in eos conuerſi, ex ſuperiore loco impetum faciunt, Romanos fundunt fugantque. Cumque nouus Rex Saluius edixiſſet, vt nemo eorum interficeretur, qui abiectis armis fugeret, plerique arma proiicientes fugerunt. Sicque Saluius & ſua recuperauit, & magna inſuper vi ſpoliorum, atque armorum, & captiuorum locupletatus eſt. Nam ſexcentis occiſis, ad 4. millia capti ſunt. Inde auctis viribus ad Morgantinæ obſidionem rediit, & ſeruis in ea libertatem ſe donaturum proclamauit. Sed cum Domini eandem libertatem promitterent, ſi fidos ſe certaminum ſocios præbuiſſent, dominorum promiſſa prætulerunt, & fortiter pugnantes obſidionem depulere. Prætor deinde irritam hanc promiſſionem fecit, quæ cauſa fuit, vt plerique deficerent.

IX. *Hyrcani mors.* HOC anno mundani Iubilæi ſeptuageſimi noni, qui primus fuit Olympiadis 169. habuitque victorem in ſtadio Nicodemum Lacedæmonium, primus item fuit & trigeſimus Pontificatus, ac Principatus Hyrcani, mortuus eſt idem ſacrorum ac Reipub. Iudaicæ princeps Ioannes Hyrcanus Simonis filius Mathathiæ nepos; etſi, vt diximus ſuperius, Euſebius ei 26. tantum attribuit. Itaque & tardius inchoat pontificatum eius quam oportet, & citius finit quam par eſt. Moritur autem, Ioſepho teſte, [a] relictis quinque filiis ſuperſtitibus, tribus maximis à Deo habitus dignus honoribus, Principatu gentis Iudæorum, & pontificatu, & prophetia. *Fruebatur enim*, ait idem Ioſephus, *diuinis colloquiis, vnde tantam nactus eſt futurorum præſcientiam, vt prædixerit duos maiores natu è ſuis liberis, non diu fore paterni principatus compotes.* Sic ipſe; qui alterum quoque attulit prophetici huius priuilegij argumentum, in denuncianda filiorum longe pugnantium præſente victoria, quam ſuo loco retulimus. Cæterum quod ad diuturnitatem pontificatus attinet, Ioſephus, qui hoc loco triginta & vnum annum ei adminiſtrationis attribuit, videtur corrigere voluiſſe, quod alio in loco [b] dixerat, eum totis triginta & tribus annis Iudæorum Remp. adminiſtraſſe; & hanc correctionem nobiſcum omnes ſequuntur.

Princeps, Pontifex, Propheta, Pariſæus, indeque Saducæus.

Narrat quoque Ioſephus excitatam Hieroſolymis à Phariſæis, & ab Hyrcano compreſſam ſeditionem, & tranſitum Hyrcani à Phariſæorum ſecta ad Saducæos, id eſt à caldaria vt aiunt, in cacabum: qua de re eum conſule, [c] & Ioſephum Gorionidem. [d]

a l. 13. c. 8 fi.
b l. 1. de bello c. 5.
c l. 13. c. 18.
d l. 4. c. 6.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3950.

1. N. 2. Tranſlata in triumpho memorant tria millia & ſeptem auri pondo, (id eſt 300700. trecenta millia, & ſeptingentos coron.) Argenti non ſignati 5775. (id eſt 63525.) Argenti ſignati ſeptemdecim millia drachmarum, & inſuper octo & viginti (ſi drachmam vertas in Romanos denarios, quos Cenalis æſtimat 4. ſolidis Tur. Drachmas autem tribus ſol. cum ſemiſſe, aſcendit ea ſumma ad 1135. coron. & 12. ſolidos.

ANNVS MVNDI 3951. SEXTAE AETATIS, 435. IMPERII GRÆCORVM 209. ANTIOCHI GRYPI 23. ANTIO. CYZICENI 12. ARISTOBVLI PONT. ET REGIS 1. PTOL. LATHVRI 14. OLYMP. CLXIX. 2. VRBIS COND. 650. COSS. C. MARIO NEPOTE III. ET L. AVRELIO ORESTE.

ANNVS ANTE CHRISTVM 102.

HABET hic annus ingreſſum exitúmque Ariſtobuli filij Hyrcani, in regnum & Pontificatum Iudæorum: primus quippe à rege Sedecia filio Ioſiæ regium ſibi nomen aſſumpſit. *Defuncto*, inquit Ioſephus, *Hyrcano Ariſtobulus natu maximus volens principatum in regni formam vertere, diadema ſibi primus impoſuit, poſt* 481. *annos & menſes tres, ex quo de captiuitate Babylonica liberatus populus, ad priſtinas ſedes poſtliminio reuerſus eſt.* Hunc quoque annorum numerum Zonaras confirmat, qui Ioſephum fere tranſcribit. Euſebij Chronicon, etſi eandem habet hiſtoriam à Ioſepho, numerum tamen habet diuerſum, quadringentos ſcilicet & octoginta quatuor annos. Pontacus vellet emendari, & legi 487. Scaliger 486. A capto Sedechia, inquit iſte, vnde hi anni putantur, ad præſentem numerum intercedunt anni 486. Quare mirum eſt Ioſephum, qui Chronologiam mundi, Exodi, & regum Iudæ nunquam vere retulit, hoc loco tam præciſe edidiſſe, ſaltem biennio ſolo à vero abfuiſſe. — I. *Ariſtobulus rex & pontifex Iudæorum.* — *Quotus hic annus à ſoluta captiuitate.*

IMO vero, vt tute fateris, quinquennio, agnoſcis enim in Ioſepho legi 481. Sed ego longe pluribus annis vtrunque à vero abeſſe arbitror. Et primo errat Scaliger, dum ait iſtos annos à capto Sedechia putari, & mirum eſt eum in Ioſepho non vidiſſe, aut diſſimulaſſe potius ea verba, ex quibus ipſe refellitur. 1. Quæ recte vertit interpres, vt paulo ante retulimus. Non ergo à capto Sedechia numerat hos annos Ioſephus, ſed à ſolutione captiuitatis Babylonicæ, id eſt primo anno imperij Cyri,[a] qui cadit in annum quartum Olymp. 60. Ab illo ergo anno, vſq; ad annum ſecundum Olymp. 169. in quo verſamur, etiam computatis extremis, reperiuntur tantum anni 435. quos fideliter exhibet index anni huius: quibus ſi addas 70. annos deſolationis à capto Sedechia, fient omnino 505. anni. Multum ergo vterque Ioſephus à vero aberrat. Quod ſi Iudæus nunquam vere annos illos Chronologicos retulit, ne nunc quidem eum vere retuliſſe Sectarius fateatur neceſſe eſt. — II. *Refellitur vterque Ioſephus.* — 1. ex. — a 1. Eſdr. 1.

TRES autem illos menſes Ioſephi Iudæi, noli dubitare fuco eſſe aſcribendos. Videri enim voluit exacte numerare, cum tamen id, ſine certa menſium deſignatione in vtroque extremo, fieri nequeat; ſed menſem inchoati regni Cyri, & regni Ariſtobuli, Deo & cœlitibus cognitos arbitror, præterea nemini. Eos enim neq; Scriptura, neque Ioſephus ipſe, nec vllus ſcriptorum protulit. Porro in Euſebio, à ſoluta captiuitate, quam ipſe ponit anno primo Olympiadis quinquageſimæ quintæ, vſque ad præſentem annum, 114. Olympiades cum dimidia reperiuntur, id eſt 458. anni. Verum Euſebius, annos regni & imperij Cyri nõ diſtinguit, &, quod deterius — III. *Ioſephi & Euſebij Chronologia.*

eſt, captiuitatem non 70. annorum facit cum Scriptura, ſed triginta duntaxat. Nunc ad Ariſtobulum Ioſephi redeamus.

IV. *Vt ſe geſſerit in ſuos.* Cvmqve *fratrem ſuum ſecundum Antigonum amaret, in ſocietatem dominationis eum aſſumpſit, cæteros vero in vinculis habuit, matrem etiam conjecit in carcerem, principatus æmulam: nam illam Hyrcanus dominam rerum reliquerat; atq. eo crudelitatis proceſſit, vt eam fame necaret in vinculis.* Et tamen eum paulo poſt bonum virum, ac modeſtum appellabit. An autem hæc regni æmulatio vera ſit, non habeo vnde confirmem: niſi placet, imitationem Cleopatræ Ægyptiæ, quæ Lathurum expulerat regno, apud Hyrcani vxorem valuiſſe. Quamquam poſſet videri Regina calumniis oppreſſa, ſicut mox ipſius Ariſtobuli frater; ſed audi cætera. *Poſt matrem vero, interfecit fratrem quoque, quem præ aliis diligere videbatur, & in regni ſocietatem admiſerat, alienatus ab eo per calumnias, quas primo quidem reiecit, partim quod eum diligeret, partim quod per inuidiam confictas putaret.*

V. *Occaſio cædis fratris eius.* Sed *cum aliquando Antigonus magnifice reuerteretur è bello, quo tempore populus ſolenne Scenopegiæ feſtum celebrat.* (Septimo ſcilicet menſe. Hoc porro bellum videtur geſtum contra Ituræam, quam vt mox dicetur, bello domuit Ariſtobulus. Pergit.) *Accidit vt Ariſtobulus ægrotans decumberet, frater vero interfuturus ſacris, ſplendidiſſime ornatus in templum aſcenderet, cum armatorum comitatu, potiſſimum pro ſalute regis vota facturus. Tum ij quibus ſtudium erat excitare inter fratres diſcordiam, nacti occaſionem è rebus proſpere geſtis Antigoni, & pompa quam adornauerat, venerunt ad regem, & omnia exaggerauerunt dicentes, hæc iam eſſe ſupra priuati hominis conditionem, & affectati regni manifeſta indicia: aiebantque venturum breui eum valida armatorum manu, ad occidendum regem, quod ſtultum exiſtimaret, cum regno ſolum potiri liceat, communicato honore contentum eſſe.*

VI. *Ariſtobuli ſuſpicio, & cautio.* Aristobvlvs *autem, quamuis non omnino his crederet, tamen proſpiciens quomodo poſſet, & ſuſpicionem vitare, & ſecuritati ſuæ conſulere, collocauit ſatellites in obſcuro quodam loco, & ſubterraneo: decumbebat autem in turri, quæ poſt mutato nomine Antonia dicta eſt.* Erat hæc turris, arx in angulo lateris ſeptentrionalis templi, vt ait Ioſeph. [a] firma & bene munita, opus Aſſamonæorum, qui gentis ſacerdotium ſimul & principatum tenuerunt, & turrem id vocauerunt, repoſitorium ſtolæ pontificiæ, quæ non promebatur, niſi pōtifice ſacris operaturo. Sed Herodes eam turrim munitiorem reddidit ad tutelam templi: & in memoriam amici ſui, Romanorum imperatoris Antonij, vocauit Antoniam. Hæc ille. Ibi ergo decumbebat Ariſtobulus, *Mandauitque*, ait Ioſephus, *vt ſi quidem ſine armis frater veniret, nemo eum attingeret, quod ſi armatus aduentaret, vt trucidaretur; præmiſit tamen ad eum, qui rogaret vt inermis veniret.*

[a] infra l.15. c.14

VII. *Antigonus deceptus occiditur.* At *regina, & reliqui inſidiatores perſuaſerunt nuncio, vt contraria diceret: audiſſe fratrem quod armaturam eximiam ſibi comparaſſet, cupereque ita armatum contemplari. Antigonus vero nihil mali ſuſpicans, & fretus fratris beneuolentia, ita vt erat cum tota armatura venit ad Ariſtobulum, contemplandum ſe præbiturus, cumque perueniſſet ad turrim Stratonis, qua valde obſcurus erat tranſitus, à ſatellitibus interfectus eſt.* Hæc mulier Salome, & Alexandra Ariſtobuli vxor dicta eſt, vt poſtea ex Ioſepho dicetur, quæ artifex in primis fuit proditionis huius, vt hinc apparet. Non enim magis ferre voluit mariti fratrem, regni æmulum, aut riualem, quam maritus tulerat matrem: niſi forte vtramque muliebris ambitio machinata eſt cædem, & à muliere exorſa, audacius in virum armata eſt. Nihil vt Cleopatræ Ægyptiæ mulier Hebræa cederet.

VIII. *Iudæ prophetia de eius morte.* Qvod ad locum cædis huius, notat Ioſephus, tam hoc loco, quam 1. Belli, [b] editam ambiguam prophetiam à Iuda quodam, quem in epiſtola Iudæorum, in Ægyptum miſſa anno 188. nominatum videri diximus. *Sed illud maxime*, inquit, *admiratu dignum eſt, quod Iudas quidam, cuius prædictiones nunquam fefellerunt, vaticinatus eſt. Is cum videret Antigonum accedentem ad templum, apud diſcipulos, qui eum ob hanc ſcientiam affectabantur, exclamauit, pœnitere ſe iam vitæ, quandoquidem eius vanitatem coarguet incolumis Antigonus, quem ea die apud Stratonis turrim moriturum prædixerat: quoniam locus ille abeſſet ſexcentis ſtadiis, & diei pars maior exacta eſſet: atque ita periculum eſſe ne mentiatur ſuum oraculum. Ad hunc modum ſollicito, nunciatur Antigonum cæſum, ad cellam ſubterraneam turris, quæ & ipſa Stratonis vocabatur, ſicut & illa maritima, quæ poſt Cæſarea nominata eſt, quæ ambiguitas vatem perturbauerat.*

[b] l.1. belli c.3.

Non

IX. *Deceptus fuit non abſurde.*

NON eſt neceſſe prophetam intelligere omnia quæ diuinitus prænunciat; alioqui non diceret Ierem.[a] *Heu, heu, heu Domine Deus, ergo ne decepiſti populum iſtum, & Ieruſalem*, &c. & apertius.[b] *Seduxiſti me Domine, & ſeductus ſum, fortior me fuiſti, & inualuiſti*, &c. Et Cayphas,[c] non intellexit vim illorum verborum. *Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo*, &c. prout à Spiritu ſancto intendebantur, vt ibi ſignificat Euangeliſta. Et D. Auguſt. 12. confeſſ. c. vlt. ait illis verbis Geneſ. *In principio creauit Deus cælum & terram*, poſſe contineri aliquos ſenſus literales, quos ignorauerit Moyſes. Ita hic Iudas aliam intellexit Stratonis turrim, ab ea quam intelligebat Spiritus ſanctus. Sed audiamus diuinam vltionem in Ariſtobulum.

a c. 4. 10.
b c. 20. 7.
c Ioann 11. 50.

X. *Ariſtobuli pænitētia.*

ARISTOBVLVM, inquit, *continuo cepit fraternæ necis pœnitentia; quæ res morbum eius aggrauauit, dum factum ſuum continenter deteſtaretur; ita vt poſtremo creſcentibus doloribus ſanguinem vomeret. Eum quidam è miniſtris efferens, diuina opinor ita volente prouidentia, prolapſus effudit in eo ipſo loco, qui cruenta cædis Antigoni habebat veſtigia. Quo facto ingens eorum qui viderant clamor exoritur, quaſi data opera puer illic ſanguinem effudiſſet. Ita vt clamoris cauſam Ariſtobulus ſciſcitaretur. Omnibus autem dicere tergiuerſantibus, minis expreſſit, vt faterentur veritatem. Ibi conſcientia grauiter ictus, plurimas effudit lachrymas, & gemitum ex imo pectore ducens. Ergo non latet Deum, inquit, meum impium ac ſceleratum facinus, quando tam cito repoſcor pœnas cognati ſanguinis. O corpus impudens, quouſque retinebis animam, quam materni ſimul ac fraterni manes flagitant? cur non ſemel eam reddis, ne ſic per partes opus ſit libare meum ſanguinem: atque ita parentare oppreſſis per nefas & parricidium.*

XI. *Et agnitio diuinæ iuſtitiæ, & mors. Philellen.*

AGNOVIT ergo Ariſtobulus, Deum vltionem à ſe repoſcere iniuſtæ cædis ſuorum, & ſanguinem pro ſanguine exigere. Et ne res ambigua eſſet, in eodem loco, in quo iniuſte fuerat effuſus, vt quondam Achabo Regi contigit, cui dixit Elias. *In loco hoc, in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum.*[d] Canes quoque comederunt carnes Iezabel in agro Ieſraël, vbi Naboth Ieſraëlita lapidibus obrutus fuerat. Cæterum in hac agnitione diuinæ iuſtitiæ, requirerem, vel ab Ariſtobulo, vel à Ioſepho, veniæ petitionem potius, quam indignationem hominis quaſi mortem vltro accerſentis. Denique cum his dictis efflauit animam, cum vnum annum regnaſſet.

d 3. Reg. 21. 19.

Addit Ioſephus cognominatum Ariſtobulum Philellenem, ſiue amatorem Græcorum, nulla nominis ratione reddita. Infra etiam,[e] proprium ei nomen Iudæ tribuit, quod ipſe vel Græco auxit nomine, vel mutauit: ſic eius vxor Salome Alexandra dicta eſt, & Iannæus eius frater Alexander, vnde forte Philellen dictus eſt. Sic & priores illi Menelaus, Iaſon, Alcimus, vt Syriæ principibus è Græcia, & Macedonia oriundis adularentur, ſanctiora Hebræorum nomina profanis mutabant, qualis videtur eorum culpa inter Chriſtianos, qui Ianum audire malunt, quam Ioannem, & Iouem quam Ieoua, Plautum etiam, Pompeium, Scipionem, & Horatium, quam Petrum, Paulum, Gregorium, Auguſtinum. Sed reddamus quæ de Ariſtobulo ſuperſunt.

e l. 20. c. 8.

XII. *Eius elogium.*

POST auctam, inquit Ioſephus, *multis beneficiis patriam*, mortuus eſt, *illato bello Ituræ, magnáque eius parte attributa ad Iudææ limites; cuius habitatores comminatione exilij, coëgit circuncíſionem, cæteroſque Iudaicos ritus admittere. Alioqui natura æquus erat & modeſtus, vt atteſtatur Strabo ex autoritate Timagenis*, &c. Nullam eis fecit iniuriam: erant enim omnes Ituræ incolæ origine Iudæi. Pertinet quippe Ituræa ad tribum Nephtalim, quæ etiam creditur ab Itur, ſiue Iethur filio Iſmaëlis,[f] denominata. Iſmaëlitæ autem, cum eſſent filij Abrahæ, ad circuncíſionem obligati erant. Porro montoſa eſt, inquit Adrich. n. 60. in ea tribu, ac nemoroſa regio ad radices montis Libani in longum porrecta. Nam à fluuio Iordane ſumens initium, iuxta eundem Libanum, verſus occidentem ad montes vſque Sidoniorum, & Tyriorum extenditur. Aliquoties etiam Saltus Libani nuncupatur, &c.

Cogit ad circuncíſionem.

f Gen. 25. 15

XIII. *Tertius Marij Conſulatus.*

INTEREA vero dum Hyrcani filij in Iudæa ſuſpicionibus & cædibus agitantur, in Syria fratres, in Cypro mater cum filio de regno, aliquot iam annos certabant.

Tertius autem Marij Conſulatus in apparatu belli conſumptus eſt, quo anno Cn. Domitius Trib. plebis legem tulit, vt ſacerdotes, quos antea collegæ ſufficiebant, populus crearet, vt ait Velleius l. 2. ipſéque primus populi ſuffragiis pontifex

maximus creatus eſt, vt habet Liuius Epit. 67. Vbi etiam habetur Marium abſentem tertiùm Conſulem factum eſſe: idem confirmat Plut. qui etiam cauſam huius popularis beneuolentiæ non vnam profert. Id Romam nunciatum (vindicta ſcilicet de impuriſſimo ſumpta facinore, de quo præcedenti anno dictum eſt,) in primis Mario tertium Conſulatum confecit: ſimul etiam, quia ineunte vere aduentus Barbarorum in expectatione erat, nolebat vllo alio duce aleam Martis cum illis iacere. Non tamen tam cito vt ferebat opinio aduenerunt, ſed Conſulatus tempus iterum Mario circumactus eſt. Cic in orat. de prouin. conſul. ſcribit etiam Marij inimicos ei prouinciæ, & dignitatis prorogationem decreuiſſe, quod ſcilicet vel illum ibi periturum crederent, vel ab eo interim quieti viuerent, quos præſens apud populum ſeditioſis concionibus diuexabat, vt ſupra ex Saluſtio dicebamus.

XIV. *Seruile bellum ſub Athenione.*

Servili porro bello in Sicilia gliſcente in dies, ſiue Prætorum ignauia, ſiue ſeruorum nequitia, ſiue ſeueritate dominorum, extitit hoc anno Athenio; contra quem Lucullus hoc anno, ſequenti Seruilius, tertio Aquilius Conſul vario euentu pugnauerunt, vt ex Diodoro Siculo docebimus, ex quo initia horum ſeruilium motuum ſuperiore anno tradidimus, quæ eruditiſſimis viris Cuſpiniano, Sigonio, Pighio Pontaeo videntur ignorata, quod vix adhuc eorum temporibus ea Diodori fragméta emerſiſſent. Saluio igitur circa Morgantinę fines dominante, in Ægeſtanorum, & Lilybæenſium agris contagio ſeruilis defectionis erupit, ductore Athenione Cilice, qui cum & fortitudine præſtaret, & aſtronomicæ dominationis ſcientia, paucis diebus plurimos collegit, à quibus rex effectus, prudenter res ſuas adminiſtrare cœpit, delectu in recipiendis defectoribus habito, & officiis pro cuiuſque captu imponendis. Nec multus erat in populationibus, quippe qui regno Siciliæ ſibi ab aſtris promiſſo parcendum diceret, ne propria ipſi bona ac ſua ſponte peſſundare viderentur. Lilybæum fruſtra oppugnauit, imo deſperata victoria cum recederet, non exiguam cladem accepit à Mauris quibuſdam, qui Lilybæo ſubſidio veniebant, Athenionis ſociis prædictionem aſtrorum ſuſpectam iam habentibus.

XV. *Sub Saluio.*

Interea Saluius inualeſcebat, & cum 30. millibus delectiſſimorum, ad Leontinum vſque campum excurrens, totam regionem reddebat infeſtam, aſſumptiſque inſignibus regiis, Tryphonem ſe appellauit. Athenionem ſibi adiungit militiæ principem, & cum eo Tricalam occupauit, vrbem tribus rebus egregiam, vnde & nomen habet, agro fertiliſſimo, aquis ſuauiſſimis, munitione inexpugnabili, quam ampliore cinxit murorum ambitu, eamque ſedem regni conſtituit, regio ibi palatio conſtructo. Sed mox veritus, ne Athenio contra ſe arma ſumeret, eum in vincula coniecit. *Tricala.*

Quid in eũ Lucullus.

Contra hunc tandem à Senatu Romano eligitur L. Licinius Lucullus, qui Siciliam cum 17. hominum millibus adiit. Quapropter Tryphon Athenionem vinculis & culpa ſolutum in conſilium adhibet, eiuſque hortatu acie cum Romanis certare inſtituit. Athenio cum 40. millibus Lucullo occurrit, vbi multis affectus vulneribus, 20. millibus amiſſis inter mortuos delituit; reliqui fauentibus tenebris Tricalam refugere. Nono poſt die Lucullus ad Tricalam obſidendum venit, vbi alternatim cædit, ac cęditur, tandémque inferior diſcedit, nihilque deinceps egregium præſtitit. Hæc fuſius Diodorus l.c.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3951.

1. N. 11. Sic enim legitur, διάδημα περιέθετο ἐπὶ ἔτεσι μετ' ὑ ἀριθμοῖς ἐτῶν, καὶ π', καὶ α', καὶ μησὶ γ'. ἀφ' οὗ τῆς ἀπὸ Βαβυλῶνος δουλείας ἀπαλλαγεὶς ὁ λαὸς, εἰς τὴν οἰκείαν ἐπανῆλθε. Diadema primus impoſuit ſiue aſſumpſit, poſt quadringentos numero annos, & octoginta vnum, & menſes tres, à quo populus à Babylonica ſeruitute ſolutus, domum remeauit. Mundi quoque annus recte nos progreſſos certo demonſtrat: nam à 3517. ad 3951. illi iidem anni 435. reperiuntur computatis extremis. Idem prorſus de annis ab Vrbe condita fatendum eſt. Ab anno enim 216. ad annum 650. nec plures, nec pauciores quam 435. numerantur, vtroque vt dixi termino numerato.

ANNVS MVNDI 3952. SEXTAE AETATIS, 436.

IMPERII GRÆCORVM 210. ANTIOCHI GRYPI 24. ANTIO. CYZICENI 13. IANNÆI IVDÆORVM REGIS AC PONT. 1. LATHVRI 15. OLYMP. CLXIX. 3. VRBIS COND. 651. COSS. C. MARIO NEPOTE IV. ET Q. LVTATIO CATVLO.

ANNVS ANTE CHRISTVM 101.

a l.13. c.20. POST *Ariſtobuli obitum*, inquit Ioſephus. [a] *Salome eius vxor, quam Græci Alexandram nominant, ſolutis eius fratribus, quos ipſe vt diximus vinxerat, Iannæum, qui & Alexander eſt, regem conſtituit ætate cæteros præcedentem atque modeſtia.* Non recte enim filium Ariſtobuli eum vocat Sulpicius l. 2. ſacræ hiſtoriæ; ab eoque Euſebius in Chronico Græco ait Aſcalonitas ſua tempora dinumerare. Pergit Ioſephus: *Cui accidit vt mox natus exoſus patri factus ſit, nec vnquam dum ille viueret, in eius conſpectum admiſſus. Eius odij hanc cauſam ferunt. Cum aliquando in ſomnis ei Deus apparuiſſet, rogauit de ſucceſſore, ſolicitus de Ariſtobulo & Antigono, quos præ cæteris fratribus diligebat. Sed cum Deus huius effigiem deſignaſſet, contriſtatus quod is in omnes fortunas eſſet ſucceſſurus, in Galilæa educari eum voluit.* I. *Iannæi pontificatus.*

INIVSTVM plane ac nefarium Hyrcani odium, ſi Ioſephum vera narrare credimus; primum quod filium innoxiũ atq; immerentem odiſſet, atq; ab ſeſe amandaret: ſecundo quod diuina ipſius electio in regem, ei odij cauſa eſſet, quæ debuerat eſſe ſingularis beneuolentiæ, & venerationis; qui ſi Deum, quo par erat honore proſequeretur, non eius prouidentiæ conaretur reluctari. Sic enim Dauid electum diuinitus Salomonẽ, præ cæteris dilexit, & repulſo Adonia natu maiore, regem ſtabiliuit. Nec Iſai præteritos maiores natu filios præ Dauide, indignatus eſt. Et Ioſeph patriarcha humiliter acquieuit patri præferenti Ephraim Manaſſi, [b] & Iſaac Deo minime obmurmurauit, Iacob præ Eſau diligenti. Ideoque & paternam benedictionem, etiam fraude ſublatam, Iacobo confirmauit dicens, *Benedixi ei, & erit benedictus.* Sed alia nunc mens Hyrcani, aut Ioſephi potius fuit, qui Chriſto vero Meſſia derelicto, diligens hoc ſeculum, profano ſpiritu non diuino agabatur. Pergit autem. II. *Iniuſtum patris odiũ in ipſum.* b Gen.48.

POTITVS hic regno poſt defunctum Ariſtobulum, alterum fratrem inſidiantem ſibi interfecit: alterum contentum priuata & otioſa vita, in honore habuit. Hunc Ioſephus Abſalonem vocat, alterius omittit nomen. Eademq; alibi habet. [c] Vides hæc regnorum initia, vt crebris proximorum cædibus, etiam apud Iudæos funeſtarentur; vſq; ad eo timida, ſuſpicax, & crudelis eſt ambitio. Ita conſtitutis imperij ſui rebus, Iannæus ad finitimos bello ſubiugandos progreſſus eſt, Hyrcani patris exemplo, regum Syriæ contentiones in ſua lucra conuertens. Sed ea res, cum ingentis eſſet animi atque apparatus, videtur hoc anno ſatis habuiſſe domi regnum ſuum ſtabilire. III. *Fratrem interficit.* c l.1.de bel. c.3.

ROMÆ autem vrgentibus comitiis cum Oreſtes collega defunctus eſſet, inquit IV. *Quartus Marij conſulatus.*

Plut. in Mario, relicto ad exercitum M. Aquilio, Marius contendit Romam. Ibi multis & inſignibus viris conſulatum ambientibus, cum ſe Marius detrectare ſimulabat, & callide per L. Saturninum Tribunum qui plebem tum maxime regebat, ambiebat. Tribunus enim eam pro concione monuit, vt Marium crearet, deinde ipſum Marium proditorem patriæ appellare non dubitauit, quod tanti belli periculo impendente, magiſtratum repudiaret. Quamuis autem hæc colluſio hiſtrionica non admodum lateret, populus tamen cum arbitraretur, hoc tempus Marij virtutem, fortunámque requirere, Conſulem eum quartùm crearunt, collegámque ei Luctatium Catulum, virum magnæ inter primores autoritatis, nec exiguæ apud plebem gratiæ, addiderunt: vtrique prouincia Gallia, cum Cimbrico bello attributa eſt.

V. *Comparat ſe in Cimbros, & Teutones.* *Foſſa Mariana.*

VBI Marius hoſtem prope eſſe intellexit, raptim ſuperauit Alpes, ac caſtris ad amnem Rhodanum communitis, eo conuexit affatim commeatum, ne vnquam inuitus pugnare cogeretur. Vt autem ſubuectio celerior eſſet & expeditior, Rhodani alueo ad oſtia impedito ingentem foſſam à Rhodano in mare duxit, in quam totius exercitus labore magnam Rhodani partem deduxit, vt per eam nauigia ad caſtra vſque commeatum ſubueherent: ea Foſſa Mariana eſt appellata, retinuitque deinceps nomen, vt author eſt Plut. Nunc intercepta inſula inter duo Rhodani oſtia *Camargue* dicitur, ſiue Camaria, vel Camarca, à C. vtique Mario molitore. Conſule Orthelij Theſaurum Geographicum.

VI. *Quos cunctatione fatigat.* *Martha vates.*

INTEREA Barbari bipertito diuiſi ſunt, Cimbri locis ſuperioribus per Noricos, qui nunc Bauari ſunt, ſortiti ſunt aduerſus Catulum mouere, atque aditum illum perrumpere, Teutones & Ambrones in Marium per Liguriam ſecundum mare. Sed illis cunctantibus, iſti confeſtim ad Marij caſtra immenſa multitudine progreſſi, eum ad certamen prouocabant: ſed Marius de induſtria certamen tardabat, tum vt iram ac fortitudinem ſuorum, ad ſuperbos barbarorum incurſus acueret, tum vt eos ad eorum aſpectum, ſonúmque vocis aſſuefactos, minus formidabiles redderet. Nec eum ſpes fefellit, cum enim crebrius inſultantibus barbaris, Romanus miles prælij copiam ſibi dari, cum magnis querelis depoſceret, eóſque Marius aliquandiu mitigaſſet, oſtendens ſe ex oraculis captare tempus, locumque victoriæ: & habebat is ſecum Martham quandam fatidicam, natione Syram, ex qua diuinos haurire monitus credebatur, aut certe credi volebat.

VII. *Contemptim Italiã verſus progrediũtur. Marius ſubſequitur. Pugnat ad Aquas Sextias.*

TANDEM Teutones quieſcente Mario, adorti oppugnare caſtra eius, vt in eos telorum grando coniecta eſt, atque aliquot ex ſuis deſiderauere, decreuerunt progredi, rati ſe Alpes, nemine ipſos morante, penetraturos. Conclamatis vaſis caſtra Romana prætergrediebantur, per ludibrium rogantes, ecquid mandare vellent vxoribus, breui ſe eas viſuros. Prægreſſis Barbaris, Marius quoque caſtra mouit, ac compoſito gradu ſubſequebatur, donec ad aquas Sextias peruentum eſt. Ibi loci commoditate captata, prælio decernere Marius ſtatuit. Prælij factum eſt initium à lixis & calonibus, iuxta hoſtium caſtra aquantibus, cum ad clamorem plures concurrerent, & riuus Ambrones à Romanis diuideret. Ambronum voce crebrius iterata, Ligures, qui ſe Ambrones quoque eſſe dicebant, primi in eos impetum fecerunt, dum riuũ traiiciunt, ex ſuperiore loco in eos incumbentes: multis ibi cæſis, flumen cruore & cadaueribus repleuerunt. Qui autem tranſmiſerant, cum in hoſtem frontem conuertere non auderent, Romani eos, vſque ad caſtra ſua & plauſtra effuſos, conciderunt.

VIII. *Theutonicarum mulierum audacia.* *Et amor caſtitatis.*

IBI occurrentes cum gladiis ac ſecuribus fœminæ, ſtridore horrendo æque in fugientes, atque inſequentes irruebant: in hos vt in hoſtes, in illos vt proditores. Quæ intermiſtæ pugnantibus, nudis manibus ſcuta Romanorum detrahebant, ac gladios præhendebant, vulneraq; ac corporum diſſectiones, animis ad extremum inuictæ, perpetiebantur. Ita fortuito magis quam conſilio imperatoris trans fluuium pugnatum eſt. De mulieribus barbarorum aliquanto aliter Oroſ. [a] Mulieres eorum, inquit, conſtantiore animo quam ſi viciſſent, conſuluerunt Conſulem, vt ſi inuiolata caſtitate, virginibus ſacris ac diis ſeruiendum eſſet, vitam ſibi reſeruarent. Itaque cum petita non impetraſſent, paruulis ſuis ad ſaxa colliſis, cunctæ ſeſe ferro ac ſuſpendio peremerunt. Eadem habet Valer. [b] quæ Florus [c] Cimbrorum potius vxoribus tribuit.

a l.5.c.16.
b l.6.c.1.
c l.3 c.3.

IX. *Theutones in colle contra Marcellum male pugnant.*

Barbarorum reſiduæ erant innumeræ legiones adhuc intactæ. Itaque Marius, quaſi nihil adhuc eſſet actum, ſumma ſolicitudine rebus ſuis noctu diuque erat intentus. Locum, qui erat ſupra hoſtium caput, arboribus opacum à Claudio Marcello cum tribus millibus occupari iuſſit, & pugnantibus à tergo ſe oſtendere. Cæteros maturè cibo ſomnóque refectos, orta luce caſtris educit, ac pro vallo inſtruit: equites etiam imperat in planiciem prouehi. Id contemplati Teutones non ſuſtinuerunt dum ex æquo cum Romanis pugnare poſſent. Sed raptim ira ſtimulante armati ad collem ruunt, quem Romani inſederant. Marius, qui videret hoſtem iniquo loco pugnam capeſſere, dimiſſis in omnem partem legatis, monuit milites vt conſiſterent, & eodem ſe continerent loco. Vbi cominus veniſſent emitterent pila, inde gladiis rem gererent, & ſcutis obnitentes vrgerent hoſtem, ita cum locus inſtabilem eorum gradum efficeret, neque libramentum eorum ictus habebant, neque teſtudo firmitatem, corporibus in ſupino colle fluctuantibus: inde repulſi cum ſtrage, in planicie aciem direxere.

De Marcello vide etiã Frontin. l. 2. c. 4. n. 6. X. *Et rurſum in planicie.*

Interim Marcellus in poſtremos impetum faciens, breui totam aciem tumultu repleuit. Nam dum vtrimque cæduntur Teutones, diſſipatis ordinibus in fugam verſi ſunt. At Romanus tergis eorum inhærens, plus centum millibus ex eis aut cepit, aut contrucidauit; adeo vt Maſſilienſes oſſibus mortuorum vineas ſuas circumſepiſſe perhibeãtur. His non admodum diſſimilia narrant Oroſ.[a] & Liuius epit. 68. niſi quod ad magnitudinem victoriæ. C. Marius Conſul, inquit Epit. ſumma vi oppugnata à Teutonis & Ambronibus caſtra defendit. Duobus deinde prę-liis circa aquas Sextias eos hoſtes deleuit, in quibus cæſa traduntur hoſtium ducenta millia, capta nonaginta. Velleius 150. mil. trucidata refert. Oroſ. autem de ducentis millibus occiſis conſentit, capta vero ait 80. millia, vix tria millia fugiſſe, ducem autem eorum Teutobodum occiſum, Eutropius captum refert, Florus etiam in triumphum ductum. Certe Rex ipſe Teutobocchus, inquit, quaternos ſenoſque equos tranſilire ſolitus, vix vnum cum fugeret aſcendit, proximóque in ſaltu comprehenſus, inſigne ſpectaculum triumphi fuit; quippe vir proceritatis eximiæ, ſuper trophæa ipſa eminebat. 1.

a l. 5. c. 16. *Magnitudo cladis.*

1. ex.

XI. *Res à Catulo geſta in Cimbros.*

Interea Catulus Cimbris obuerſus, cum diffideret Alpium iuga tueri ſe poſſe, ne multas in partes carpere coactus exercitum vires diminueret, deſcendit in Italiam, amnemque Atheſim obiecit hoſtibus, atque eum egregie vtrimque vallauit, & ponte iunxit, vt ſi res ferret vnum ſe in locum omnes reciperent. At Cimbri cum mira feritate ac violentia replerent amnem ſaxis ingentibus atque arboribus, pontemque concuterent, tantus Romanos terror inuaſit, vt fugam plerique, ſignis caſtriſque deſertis, arriperent. Quos cum retinere monitis, Catulus precibuſve non poſſet, eorum pudori conſulens, præmiſſa aquila ſe fugæ ducem præbuit, ne fugere, ſed ducem ſequi viderentur. Barbari autem agrum præſidio deſtitutum late vaſtarunt. Florus[b] fuga Romanorum prætermiſſa, eadem de fluuio ingeſta ſilua ſuperato memorat: reliqua ad quintum Marij conſulatum pertinent. 2.

b l. 3. c. 3. *2. ex.*

XII. *Res Seruilij in Sicilia.*

In Sicilia per Luculli ſiue ignauiam atque laxitatem, ſiue munerum corruptelam, ob quam poſtea repetundarum poſtulatus eſt, ſeruorum audacia vireſque creuerunt; contra quos C. Seruilius, in Luculli prouinciam miſſus ſucceſſor, nihil memoria dignum geſſit, proptereaque vt Lucullus in crimen vocatus, pœnas exilio dependit. Mortuo inter hæc Tryphone, regnum Athenioni obtigit. Is qua vrbes oppugnans, qua regionem totam populationibus, non obſtante Seruilio, ſine metu vexans, præda ingenti potitur. Hæc ex Diodoro l. 36. ecloga 1.[c]

Vide etiã Florum l. 3. c.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3952.

Sicut & D. Hiero. in Euſebij Chron. latino, in græco enim id non habetur. Sequitur
1.N.x. enim paſſim Eutropium, & cum eo nonnunquam labitur, vt hoc loco cum Cimbros pro Theutonibus ponit, quos etiam miſcuit Oroſ. At ſeiungit pugnas & gentes Liuius, Plut. Florus, Paterculus, Victor de viris illuſt. c. 67. & alij, & ſane merito. Nã Theutones in Gallia, Cimbri in Italia victi ſunt; illi quarto, hi quinto Marij conſulatu: quod miror à Scaligero in Euſebio non animaduerſum.

Sylla cum infeſtum ſibi Marium animaduerteret, atque ſuis obſiſtere incrementis, ad
2.N.11. collegam Marij Catulum ſe contulit, bonum illum quidem virum, ſed ad prælia ſegniorem. Is cum ei præcipuas quaſque, maximaſque res delegaſſet, eius gloriam & opes amplificauit. Nã bello complures Barbarorum Alpinorum nationes ſubegit. Cumque inopia commeatus laboraretur, ea ſuſcepta procuratione, tantam præſtitit affluentiam, vt Catuli militibus abundantibus, etiam præberet Marij copiis; quare dicitur admodum irritaſſe Marium. Hæc Plutarchus in Sylla. Ambitioſo enim homini ac ſuperbo nihil eſt moleſtius, quam cuiuſpiam, præſertim iunioris, aut inferioris opera indigere: ab eoque accepta beneficia, telorum inſtar ſunt, quibus ſuperbiæ vomica perfodiatur. Verebatur autem Marius, vt ſe dabant hæc ipſa initia, ne Sylla eius luminibus obſtrueret, eumque talem erga ſe experiretur, qualem ipſe ſe aduerſus Metellum in Africa exhibuerat.

ANNVS MVNDI 3953. SEXTAE AETATIS, 437.

IMPERII GRÆCORVM 211. ANTIOCHI GRYPI 25. ANTIOCHI CYZICENI 14. IANNÆI IVDÆORVM REGIS AC PONTIFICIS 2. PTOLEMAEI LATHVRI 16. OLYMPIADIS CLXIX. AN. 4. VRBIS CONDITAE 652.

COSS. C. MÃRIO NEPOTE V. ET M. AQVILIO NEPOTE.

ANNVS ANTE CHRISTVM 100.

I. *Res poſtremi huius ſeculi.* VLTIMVM ante Chriſti Domini ortum ſeculum inimus, in quo reliquæ fere orbis terrarum prouinciæ & regna, in primiſque Syriæ, Aſiæ, Iudææ, Ægypti, Galliæ faſces imperio Romano ſubmiſerunt, quando omnibus populis vnius poteſtati ſubiectis, naſciturus erat Dominus ac princeps regum terræ.

Habet hoc idem ſeculum luctuoſiſſimas populi Romani calamitates, eoque luctuoſiores, quod inteſtinæ fuerunt, atque domeſticæ. Appuleii & Druſi ſeditiones Catilinæ coniuratione͂, Marii & Syllæ, Cinnæ & Octauii, Cæſaris & Pompeii, Antonii & Auguſti bella ciuilia, quibus magnis diuturniſque motibus ambitionis concuſſa libertas, tandem oppreſſa eſt: quando illuxit mundo autor ſummæ perfectæque libertatis, & ſopitis vndecumque bellis, natus eſt qui vniuerſum mundum reconciliaret Deo. Addit porro cognomen Nepotis Aquilio, ſicut & Mario Euſebii Chronicum Græcum, & paſſim iis qui cognomine carent, vt Hortenſio, Perpernæ, Didio, Herennio, Octauio, Antonio. Non tamen Gabinio, Murene, Hircio, Panſæ, & ſi quibus aliis: quid hic myſterii lateat, nondum intellexi.

II. *Iannæi res hoc te͂pore.* In Iudæa Rex nouus idemque Pont. Iannæus cognomento Alexander rebus imperij ſui domi conſtitutis, vt ait Ioſephus,[a] ad Ptolemaidem duxit exercitum, & a l.13
cum proſpere pugnaſſet, victos intra mœnia compulit, eoſque obſeſſos oppugnare adortus eſt. Solæ enim è maritimis Ptolemais, & Gaza expugnandæ ſupererant, & præter has Zoilus, qui tyrannidem apud Stratonis turrim, & Dora oc-

occupauerat. Sic ipſe. Qua vero de cauſa, aut quo iure Iannæus bellum Ptolemaidi intulerit Ioſephus tacet, nec id ius apparet, niſi ad prima illa tempora Ioſue recurramus, quando Tyrus quoque & Sidon Iudæorum finibus aſcribebantur. Sed principibus vrbem aliquam aut prouinciam affectantibus, nunquam cauſæ aut iuſtæ, aut probabiles defuerũt. Et cum conſtet è Scriptura Gazam in Iudæorum poteſtate fuiſſe, non apparet quando ea ipſis erepta fuerit, niſi cum huius pater Hyrcanus, Hieroſolymis obſeſſus pacem cum Antiocho Sidete iniit.

De Ptolemaidis porro obſidione hæc addit Ioſephus. Sed cum Antiochus Philometor (hic idem Grypus eſt) & frater eius Antiochus Cyzicenus mutuis cladibus ſuas vires attererent, nihil præſidij ab eis expectandum erat Ptolemaidenſibus. Verum Zoilus tyrannus, cum iis quos alebat militibus, eorum quoque dominationi, propter diſcordiam regum inhians, nonnihil opis attulit. Nam reges negligere videbantur illorum periculum, athletis ſimiles, quos cum defeſſi ſint certamine, pudet tamen aduerſario manus dare, ſed per interualla, ſe ad inſtaurandum certamen refouent. III. *Reges Syriæ ſe cladibus atterunt.*

Svpererat vna ſpes ab Ægypti regibus, (Cleopatram intelligit, & eius minorem natu filium Alexandrum, iuxta ea, quæ quinto ab hinc anno diximus,) & Ptolemæo Lathuro, qui à matre Cleopatra è regno eiectus, Cyprum obtinebat. Ad hunc igitur miſſis legatis orabant, vt auxilio veniens ex Alexandri manibus periclitantes eriperet: Qui cum ei ſpem feciſſent, quod delatus in Syriam, habiturus eſſet Gazæos, & Ptolemaidenſes in ſuis partibus; ſimulque Zoilum & Sidonios, multoſque alios adiutaturos, elatus promiſſis nauigationem parabat. Vt ſcilicet ad inteſtina iam tot annorum bella Syriaca, etiam Ægyptiorum & Iudæorum arma ad imminentem Syriæ interitum concurrerent. Apparet autem ex his quæ ex Ioſepho narrauimus, Lathuri in Syriam aduentum non niſi anno ſequenti contigiſſe, & conſequenter eius ex Cypro, quam Iuſtinus narrat, expulſionem. IV. *Ptolemais opem a Lathuro petit.*

Cvm Marius, ſecundum pugnam Theutonicam, arma ſpoliáque barbarica, optimis quibuſque ad triumphi gloriam ſelectis, in pyram ingentem erexiſſet, eique ardentem facem circumfuſo exercitu ſolenni ritu ſubiecturus eſſet, eius amici Roma nuncium ei adferunt, delati ad eum quinti Conſulatus, quem illi hinc Theutonica victoria, inde Catuli fuga, & imminentes vrbi Cimbri conciliarunt. Hac de cauſa reuocatus eſt ad vrbem Marius, vt Plut. ait. Vt venit, cum omnes triumphum ducturum arbitrarentur, atque cum Senatus vltro decreuiſſet, ipſe recuſauit, aut potius diſtulit, & concione pro tempore habita, in caſtra profectus Catulum erexit, legionéſque ſuas è Gallia exciuit, quæ vbi aduenere, traiecto Pado inſtitit arcere barbaros ab Italia ciſpadana. V. *Quintus Marij conſulatus.*

Illi à Mario ſibi ſuiſque fratribus (Teutonas intelligebant) agrum atque oppida popoſcerunt: quos irridens Marius prohibuit de fratribus eſſe ſollicitos, quibus data eſſet terra, quam perpetuo eſſent retenturi, ſimulque Teutonum reges vinctos produci iubet. Illi cum minis ac conuitiis abiere. VI. *Cimbrorũ ab eo poſtulata.*

Hæc vbi Cimbris relata ſunt, mouerunt è veſtigio in Marium quieſcentem, & caſtra tuentem. Bœorix ipſe Cimbrorum Rex cum paucis ad caſtra prouectus, laceſſiuit Marium, vt die & loco præfinito prodiret, & de ſolo dimicaret. Marius diem tertium, & campum apud Vercellas aſſignauit. Euſebius habet iuxta Eridanum. Præſtitutam diem vtrique obierunt, infeſtaſque acies vtrinque inſtruxerunt. Catulus ſub ſignis habuit 20. millia & trecentos milites, Marius 32. millia, qui in cornua diſtributi, mediã aciem, quam obtinebat Catulus, complectebantur. Et ſperabat Marius ſuos in hoſtem incurſuros, & propriam ſuorum militum victoriam fore. Catulum autem & prælij & laudis futurum exortem. Sed Deus rem in contrarium vertit, vt Sylla Marij æmulus ſcriptum reliquit, apud Plut. Nam immenſo puluere excitato, quo vterque exercitus à conſpectu aduerſarij tolleretur, Marium cum ſuis vltra hoſtem eſſe progreſſum, Barbaros in Catuli exercitum delatos, ibique prælium maxima ex parte fuiſſe confectum. *Indicitur prælium.* *Diſpoſitio eius.* *Sylla & Marij æmulatio.*

Sed & res ipſa per ſeſe difficilis creditu eſt, & quia ab inimico Marij relata. Nec ei fidem Plut. videtur habuiſſe. Puluerem tamen excitatum ſcribit profuiſſe Romanis, ne toto hoſtium exercitu conſpecto à congreſſu deterrerẽtur, ſed prius in hoſtem curſu irruerent, quàm vlla fuiſſent trepidatione perculſi. Imperator, VII. *Feritas Cimbrorũ, etiam mulierum.*

inquit Florus, addiderat virtuti dolum, ſecutus Annibalem, artemque Cannarum. Primum nebuloſum nactus diem, vt hoſti inopinatus occurreret (quomodo inopinatus, cum dictus eſſet dies, & locus?) tum ventoſum quoque, vt puluis in oculos, & ora ferretur, tum acie conuerſa in orientem, vt, quod ex captiuis mox cognitum eſt, ex ſplendore galearum ac repercuſſu, quaſi ardere cœlum videretur. Hoſti autem in primis æſtus obfuit, cuius erant impatientiſſimi, frigoribus potius aſſueti; pugna vero poſt ſolſtitium æſtiuum, tertio Cal. Aug. commiſſa eſt: (Nota interim Lector ſolſtitium ad extremum Iulium. Pergit;) Romanorum autem corpora adeo obduruerant ad laborem, vt in tanto æſtu & acri concurſu, neque ſudare quiſquam, neque ſuſpirare cerneretur, vt Catulus de ſuis militibus ſcripſiſſe fertur.

VIII. *Feritas Cimbrorũ, etiam mulierum.*

Plvrimi & fortiſſimi quique hoſtium eodẽ loco conciſi ſunt; etenim ne ordines diſiicerẽtur, longis cathenis anteſignani per baltheos traiectis erant colligati. Cum nihilominus effuſos in caſtra ſummouiſſent, horribilia ſpectacula mulierum, ſuos immani crudelitate lacerantium inuenere. Hæ enim laſſos vulneribuſque debilitatos viros, è prælio fugientes interficiebant, illæ fratres, aliæ parentes, quin etiam infantes ſuis manibus ſtrangulabant, & ſub rotas curruum, iumentorumque pedes proiiciebant, moxque ſemetipſæ trucidabant. Mulieres has è plauſtris ſuis pugnaſſe contra Romanos, Florus, & ex eo Oroſius ſcribũt; ſed mox ferrum quod in hoſtes ſumpſerant, in ſe ſuoſque vertiſſe.

Viros arborum inopia cornibus boum, alios cruribus adalligaſſe colla, mox eos ſtimulaſſe, quo exilientibus bobus rapti, & obtriti interirent.

Magnitudo cladis.

Qui quamquam ſibi ita mortem vltro accerſerent, capti tamen ſunt plus ſexaginta millia, cecidiſſe bis totidem referuntur. Ita Plutarchus, Florus ait 140. millia cecidiſſe, capta autem tertia parte minus, id eſt ad 45. millia; ſic enim Flori locum intelligendum puto: Eutropius tamen, & Oroſius 60. millia capta ſcribunt. Addit Florus Beleum regem in acie dimicantem, nec inultum cecidiſſe. Hic rex idem videtur eſſe, qui Bolus à Liuio in Epitome ſexageſima ſeptima dicitur, à quo Aurelius Scaurus occiſus fuerat. Oroſius plurium regulorum meminit, in hæc verba. Reguli quoque duo ſtrictis in ſe gladiis concurriſſe referuntur, Lucius & Boiorix reges in acie ceciderunt, Claudius & Ceſorix capti ſunt. Sic ipſe.

IX. *Victoria Catuli maxime fuit.*

Prædam, ait Plutarchus, milites Marii diripuerunt, ſpolia, ſigna militaria, tubæ in Catuli caſtra relata, docuerunt ab eo maxime victoriam eſſe partam. Eutropius quoque idem explicatius de Catulo ſcribit. Iterum, inquit, à C. Mario & Q. Catulo contra eos dimicatum eſt, ſed à Catuli parte felicius. Nam eo prælio, quod ſimul ambo geſſerunt, centum quadraginta millia, aut in pugna, aut in fuga cæſa ſunt, ſexaginta millia capta: Romani milites ex vtroque exercitu trecenti, (vel vt alii ter mille) perierunt; tria & triginta ſigna Cimbris ſublata ſunt, ex his exercitus Marii duo reportauit, Catuli exercitus triginta & vnum. Mario tamen & ſuperior victoria, & maieſtas quinti conſulatus, huius quoque prælii laudem aſcripſit, tanto Romanæ plebis fauore, vt tertius Romæ conditor appellaretur; ſecundum enim illi antiquum Gallorum debellatorem, L. Furium Camillum intelligebant: quin etiam in cœna diis & Mario libabant, vt eum cœlitibus ſupparem facerent.

X. *Catuli & Marii triũphus.*

Vtrvmqve etiam triumphum ſoli decernere voluerunt; at ille vel modeſtiæ cauſa, vel inuidiam exercitus Catuli veritus, eum ſocium voluit habere triumphi. Hac de quinto Marii conſulatu Plut. de quo hæc tantum Velleius. Quinto citra Alpes in campis, quibus nomen erat Raudis, ipſe Conſul, & Proconſul Q. Luctatius Catulus fortunatiſſimo decertauere prælio, cæſa aut capta amplius centum millia hominum. Hac victoria videtur meruiſſe Marius, ne eius nati Rempublicam pœniteret, ac bona malis repenſaſſe. Sextus Cõſulatus velut præmium ei meritorum datus. Sic ipſe, aliis longe aliter ſentientibus. Sed de ſexto Conſulatu anno ſequenti. Huius victoriæ nuncius eodem die, quo contigit, Romam perlatus diuinitus creditus eſt, iuuenibus laureatis pro æde Caſtoris & Pollucis literas laureatas Prætori offerentibus, vt inquit Florus.

Mirus victoriæ nuncius.

XI. *Bellũ ſeruile Aquilii.*

Porro M. Aquilius, Marii in Cõſulatu collega, Siciliam ob ſeruiles motus ſortitus eſt, de quo hæc habet Diod. Exeunte anno Seruilianæ in Sicilia Præturæ, C. Marius quintum Conſul cum M. ſiue C. Aquillio creatur. Hic cum exercitu, ac poteſtate conſulari in Siciliam contra fugitiuos miſſus, primum eos inſigni præ- l.3.c.3.

lio vicit, deinde contra Athenionem regem Apoſtatarum ſingulari certamine pugnans, ipſum interemit, vulnere in capite accepto. Mox reliquias defectorum decem millia, quæ in munitiones refugiebant, bello perſecutus omnibus tentatis, tandem in poteſtatem redegit. Mille adhuc ſupererant, Satyro quodam ductore, quos cum armis ſubigere cogitaret, illique deditionem per legatos feciſſent, in præſens quidem illis noxam remiſit; poſt autem Romam abductos cum beſtiis pugnare iuſſit. At illi mutuis ſemetipſos vulneribus ad publicas aras confecerunt. Cumque vltimum eorum Satyrus ipſe obtruncaſſet, ipſe poſtremo illata ſibi manu concidit. Atque hunc finem Seruile bellum in Sicilia poſt quartum fere annũ habuit. Hæc Diodorus in l.36.eccl.1. Qui cum quartum fere annum dicat duraſſe hoc bellum, & vox σχεδὸν ambigua ſit, num de anno quarto, non expleto accipienda ſit, an de eo aliquantum ſuperato, poſſumus propter Iulii Obſequentis autoritatem dicere, reliquias belli huius ad annum ſequentem, quo Proconſul erat Aquilius, protractas fuiſſe. Athenæus l. 6. his bellis ſeruilibus ſupra centum myriadas ſeruorum periiſſe tradit.

Reliquiæ belli ſeruilis.

Hoc bellum quadriennio tardius confectum habetur in Chronico Euſebii.

ANNVS MVNDI 3954. SEXTAE AETATIS 458. IMPERII GRÆCORVM 212. ANTIOCHI GRYPI 26. CYZICENI 15. IANNÆI REGIS & PONTIFICIS 3. PTOLEMÆI LATHVRI 17. OLYMPIADIS CLXX. AN. 1. VRBIS CONDITÆ 653. COSS. C. MARIO NEPOTE VI. & L. VALERIO FLACCO.

ANNVS ANTE CHRISTVM 99.

LATHVRVS à Ptolemaidenſibus euocatus in Syriam, cum magna ſpe rei bene gerendæ, Cypro diſcedit, prætextu cedendi matri, quæ eum illic iam ab aliquot annis perſequebatur. Id enim populi ſibi beneuolentiam conciliaturum ſperabat, vt ex Iuſtino intelligitur, & Syriam quæ offerebatur, merito Cypro anteferebat; Syria vero ſi eſſet potitus, facile ſe non ſolum Cyprum, ſed Ægyptum etiam recuperaturum. I.

Lathurus è Cypro venit in Syriam.

De exitu Lathuri ex inſula Cypro, ita Iuſtinus, vbi de Cleopatra eius matre agens. *Nec filium*, inquit, *regno expuliſſe contenta, bello Cypri exulantem perſequitur, vnde pulſo, interficit ducem exercitus ſui, quod viuum eum è manibus dimiſiſſet, quamquã Ptolemæus verecundia materni belli, non viribus minor, ab inſula receſſiſſet. Igitur Alexander territus hac matris crudelitate, & ipſe eam reliquit, periculoſo regno ſecuram ac tutam vitam anteponens.*

INTERIM autem dum Syriam cogitabat Ptolemæus Lathurus, Demænetus, qui plurimum apud ſuos ciues autoritate pollebat, perſuaſit Ptolemaidenſibus, vt mutarent ſententiam; conducibilius dicens incertam cum Iudæis belli aleam ſubire, quam in certiſſimam ſeruitutem, accito Domino ſe dedere, & inſuper nõ præſens ſolum bellum ſuſtinere, ſed maius etiam ab Ægypto imminens. Cleopatram enim non permiſſuram Ptolemæum vires ſibi parare è vicinia, ſed contra eos venturam cum valido exercitu. Dare enim Reginam operam, vt illum etiam è Cypro eiiciat, (quod etiam perfecit, dum hæc Ptolemaide tractarentur) futurum autem vt, ſi Ptolemæum ſua ſpes fruſtretur, ipſe in Cyprum retrorſum fugiat, miſeri vero ciues in extremo diſcrimine deſerantur. II.

Syri ſententiam de Lathuro mutant.

PTOLEMÆVS cognita in itinere Ptolemaidenſium mutatione, nihilominus curſum continuauit, & cum appuliſſet Sycaminum (ea eſt Phœniciæ vrbs Ptolemæo, inter Carmelum montem & Ptolemaidem media) eò loci copias expoſuit, quæ conſtabant, connumeratis peditibus & equitibus, circiter triginta millibus III.

Qui ſoluit obſidionem Ptolemaidis.

His ad Ptolemaidem adductis, Alexander obſidionem quidem ſoluit, ſed in Zoilum & Gazæos conuerſus, eorum agros populari cœpit. Hi ad Ptolemæum confugerunt, eius opem contra Iudæos & Alexandrum implorantes: quam ille prouinciam eo libentius ſuſcepit, quod videret Ptolemaidenſes defunctos periculo, neque legatos ſuos admittere, neque verba audire velle. Sed Alexander conſilia Zoili euertit, inita ſpecie tenus cum Ptolemæo amicitia & ſocietate; quin etiam quadringenta argenti talenta [a] ſe daturum pollicitus eſt, ſi ille viciſſim, in gratiam ipſius, Zoilum tyrannum tolleret, & agros eius Iudæis attribueret; quod & ſyncere à Lathuro factum eſt.

[a] ſi Attica, 420000. franc.

IV. *Proditorie agens cum Lathuro.*

Iannævs autem perfide ac proditorie interim Cleopatram, quam ſciebat pluſquam hoſtili in filium animo eſſe, clam ad Ptolemæum opprimendum vocauit, opem ad eam rem ſuam induſtriamque promittens: quod cum ille comperiſſet, ſoluto cum proditore fœdere, ad Ptolemaidem oppugnandam, quæ portas ei clauſerat, indeque etiam contra Iudæos profectus eſt. Hæc ex Ioſepho, quæ expeditio, aut in annum ſequentem dilata, aut ad eum vſque protracta videtur.

Aegyptius fouet bellũ inter fratres.

Hoc ipſo tempore Ptolemæus Lathurus Antiochum Cyzicenum, alterum de fratribus, pro regno Syriæ obſtinate concertantibus, ſibi amicitia & ſocietate iunxit. Nam Cleopatra timens, ne Ptolemæus à Cyziceno, ad recuperandam Ægyptum auxiliis iuuaretur, ingentia Grypo auxilia mittit, vt Iuſtinus ait, idque vt apparet, anno ſequenti.

V. *Sextus Marii Conſulatus.*

De ſexto Marii Conſulatu hæc habet Plutarchus. Sextum Conſulatum vt nemo alius affectauit: prenſauit quippe populum, obſequiiſque plebem captans, non ſolum præter faſtigium, & maieſtatem magiſtratus ſui, ſed etiam præter ſuum ipſius ingenium, famam venabatur lenitatis, & popularitatis, ad quas minime erat, comparatus. Et tempore quidem belli neceſſitas ei dignitates & opes conciliabat, in toga vero, quia obtinere primas non poterat, ad fauorem multitudinis decurrit, malens omnium primus eſſe, quam optimus. Denique magna vi pecuniæ per tribus pronunciata, etiam ſextum Conſulatum adeptus eſt, & Valerium Flaccum affectam potius, quam collegam dignitatis accepit.

In Metellũ conſpirat.

Quoniam vero conſiliis ſuis Q. Metellum Numidicum, de quo pridem in Iugurthino bello male meritus fuerat, aduerſaturum intelligebat, eum euertere molitus eſt: propoſitique ſui commodiſſimum adiutorem inuenit L. Appuleium Saturninum, priuatim Metello infenſum, quod ab eo Cenſore notatus eſſet. Hic Tribunus plebis factus fuerat Mario quintum Cõſule, competitore Nonio interfecto. Glauciam quoque Prætorem, hominem æque audacem, ac turbulentum, & in tractanda plebe induſtrium ſibi aſciuit, qui & ipſe à Metello Cenſore notatus fuerat: amboque ob vitæ dedecora è Senatu eiiciendi erant, niſi collega Metelli obſtitiſſet, vt ait Appianus.

VI. *Lex agraria Saturnini.*

His quaſi interpretibus vſus, leges tulit populares. Saturninus enim legem promulgauit, vt quem agrum Marius in Gallia pulſis hoſtibus acquiſiſſet, is pop. Ro. diuideretur, in eamque legem, vbi à populo iuſſa eſſet, à ſingulis Senatoribus intra 5. diem iurari voluit; qui nõ iuraſſet ei mulctam, viginti talentûm, & inſuper eiectionem è Senatu irrogauit. Hoc legis caput Marius in Senatu ſibi diſplicere ſimulans, negauit ſe iuraturum, idem alii negarunt, & Metellus in primis, cui inſidiæ tendebantur. Cum mox in rem ventum eſt, & lege per vim lata, iuſiurandum à Saturnino coram populo exigi cœptum, Marius, magno cum Senatus dolore, præuaricatus eſt, eumque plerique omnes metu ſecuti ſunt. At Metellus in propoſito conſtans, quamuis orantibus neceſſariis, perſtitit, iuramentum reſpuit, ac diſceſſit è foro. Mox Saturninus rogationem fert, vt Metello aqua & igni interdicatur: & cum plurimi ad Metellum confluerent, veritus ille ſeditionem, & ciuium cædem, ſapienti concilio vrbe ceſſit. Hæc fere Plutarchus in Mario, & Appianus l. 1. bell. ciuil.

Marius prænaricatur.

Metellus vrbe cedit.

VII. *Seditio Appulei Saturnini.*

Vervm non diu innocentis hominis iniuria, flagitioſi viri lætati ſunt. Cum enim in tertium deinceps annum Saturninus Tribunus plebis refectus eſſet, addito collega fugitiuo quodam, qui ſe Tib. Gracchi filium mentiebatur, in comitiis conſularibus M. Antonio omnium ſuffragiis Conſule deſignato, Glaucia & Memmius competitores erant. Et apparebat Memmium creatum iri, quem Glaucia & Appu-

leius timentes, in ipſis comitiis percuſſores immiſerunt, qui palam fuſtibus hominem conficerent. Concio per tumultum & metum ſoluitur.

Poſtridie concurrit populus, Appuleium ad mortem petens; qui aſſumpto Glaucia, & C. Saufeio Quæſtore Capitolium occupat: Senatus eos hoſtes iudicat, ſimulque mandat Conſuli, vt prouideat ne quid Reſp. detrimenti capiat.

Marius grauate & cunctanter nonnullos armat, & Capitolium obſidet: alii morarum pertæſi, tubos aquam in templum ducentes intercidunt; ita vt Saufeius ſitim non ferens, ſuaderet Capitolium incendere. Sed Glaucia & Appuleius Mario freti, deditionem fecerunt primi, eoſque ſecutus eſt Saufeius. Marius, omnibus eorum necem conclamantibus, in Curiam eos incluſit, quaſi legitime de iis ſupplicium ſumpturus. Plebs vero ſimulationem hanc eſſe rata, Curiæ tegulas conuellens, in incluſos tandiu contorſit, dum Prætorem, Tribunum, atque Quæſtorem, in ſui magiſtratus inſignibus interficerent. Ita ſeditioſi qui concitata plebe, ad ſua facinora fuerant abuſi, per ſeditionem ab eadem plebe concitata ſublati ſunt: & qui ſine iudicio innocentes interemerant, nocentes ſine legitimo iudicio interempti ſunt. Hæc Appianus cæteris accuratius. Valerius addit Saturnini penates ab ipſis fundamentis erutos fuiſſe. Addit Oroſius agente Furio Trib. pleb. bona omnium publicata, Cn. Dolabellam Saturnini fratrem, per forum olitorium fugientem, cum L. Geganio interfectum. Contigerunt hæc anno primo Olympiadis centeſimæ ſeptuageſimæ, quæ victorem celebrauit Simmiam Seleucienſem.

VIII. Obſidetur in Capitolio

In Curia cũ ſuis occiſus.

Hoc anno M. Aquilius Proconſul in Sicilia reliquias belli ſeruilis confecit, vt Sigonius, & ante eum Cuſpinianus, & poſt eum Pontacus ex Obſequente putant. At Diodorus Siculus ecloga prima ex lib. 36. confectum hoc bellum tradit ab Aquilio Conſule, collega Q. Marii quintùm Conſulis. Verum, vt dixi, belli reliquiæ ad hunc quoque annum protrahi potuerunt: de quo nonnulla ſuo more congerit Florus, ſed quia Diodoro Siculo, rem totam per ſua tempora digerenti, plus fidei tribuendum putamus, Florum hac de re admodum diuerſa ſcribẽtem miſſum faciemus. Cæterum ne Aquilium quidem ipſum, ſatis ſe integrum, atque ab auaritia immunem præſtitiſſe, teſtis eſt M. Tul. qui pro Flacco, M. inquit Aquilium patres noſtri, multis auaritiæ criminibus, teſtimoniiſque conuictum, quia cum fugitiuis bellum geſſerat, iudicio liberauerunt. Id iudicium anno ſequenti contigit, patronumque habuit M. Antonium Conſulem Oratorem, inſignem, vt ipſe in l. 2. de Orat. teſtatur, vbi plura de eo iudicio leges: & inter cætera illum ouantem in Capitolium aſcendiſſe. Cui opinor rectius aſſentiemur, quam Athenæo, qui ei triumphum tribuit l. 5. ſed nomine triumphi, minor triũphus, qui eſt ouatio intelligi poteſt. Idemque de Aquilio, quod de P. Rupilio dicendum eſt, de quo Florus; fuitq. de ſeruis, ait, ouatione contentus, ne dignitatem triumphi ſeruili inſcriptione violaret.

IX. Reliquiæ belli ſeruilis.

l. 3. c. 19.

l. 3. c. 19.

Natus hoc anno reperitur C. Iulius Cæſar, incertum maiore ne damno imperii Romani, atque Reipub. an emolumento; Recte fortaſſe dixerimus Reipub. damno, cuius oppreſſam ab eo libertatem omnes boni cum Cicerone querebãtur: & imperii commodo, cuius ab ea iacta ſunt fundamenta. Quod ſi Monarchia omnem populorum gubernationem antecellit, qui illam inuexit bene de imperio, nec male de Republica meritus eſſe videatur. Hunc Cæſaris natalem annum ex Eutropio l. 6. extremo colligimus, vbi ait Cæſarem in Hiſpania pugnaſſe contra Pompeii liberos, anno ætatis 56. Is autem fuit annus vrbis ſeptingenteſimus octauus, ex quo ad anteriora recurrendo, ad præſentem annum peruenitur. Menſe Iulio natum, propterea que in eius honorem Quintili id nomẽ datum, poſt ciuiles victorias, autor eſt Appianus. Denique de die habemus Macrobii teſtimonium. Septimus, ait, menſis in honorem Iulii Cæſaris Dictatoris, legem ferente M. Antonio, M. F. Conſule, Iulius appellatus eſt, quod hoc menſe ad 4. Idus Quintiles Iulius procreatus ſit. Is eſt Iulii 12. fuit autem ille Conſul eodem anno, quo Cæſar interfectus eſt, Vrbis 709.

X. Natiuitas Iuly Cæſaris.

lib. 2.

l. 1. c. 12.

ANNUS MUNDI 3955. SEXTÆ ÆTATIS 439. REGNI GRÆCORUM 213. ANTIOCHI GRYPI 27. ANTIOCHI CYZICENI 16. IANNÆI REGIS & PONTIFICIS 4. PTOLEMÆI LATHURI 18. OLYMPIADIS CLXX. AN. 2. URBIS CONDITAE 654. COSS. M. ANTHONIO, & A. POSTHUMIO ALBINO.

ANNUS ANTE CHRISTUM 98.

I. *Regnum Alexãdri fratris Lathuri.* CVM audiſset Cleopatra ex Iannæi literis, Lathurum in Syriam è Cypro profectum, verita ne à Cyziceno, ad recuperandã Ægyptum, auxiliis iuuaretur, ingentia Grypo auxilia, & Seleucem vxorem nupturam hoſti prioris mariti mittit, (Grypo ſcilicet, qui contra Lathurum & Cyzicenum bellum gerebat) Alexandrumque filium per legatos in regnum reuocat. Ita Iuſtinus libro trigeſimo nono. Hæc virago ſcenicum in morem filiis ſuis, filiabuſque illudebat, regna & maritos & vxores eis auferens, mutans, transferens pro arbitrio ſuo, ac tyrannica dominandi cupiditate. Euſebii Chronicum in hunc annum refert Alexãdri fratris Lathuri, regni principium. Verum id regnum, vt ex Iuſtino ante tradidimus, nihil habet certum, ſemel & iterum repetitum ac relictum fuit; multo etiã ante inchoatum ex Ioſepho ſuo loco docuimus, anno Hyrcani vigeſimo nono. In Græco Euſebii ſic habetur; Ptolemæum Phyſconem mater Cleopatra regno expulit, qui regnabat in Cypro: Iuniorem, autẽ filium ſuum, & fratrem illius Alexandrum ſecum regem conſtituit; ita Euſebius, Phyſconem appellans, quem Ioſephus & Plin. Lathurum, alii Soterem, vt ſupra diximus.

II. *Ptol. oppugnat Ptolemaidem & Iudæã vexat. Et Iannæus occurrit.* CÆTERUM Ptolemæus cum oppugnationem Ptolemaidis inchoaſset, relictis ad eam continuandam ducibus, cum parte exercitus; ipſe cum reliquis copiis ad vaſtandam ac domandam Iudæam ſe contulit, vt inquit Ioſephus libro tertio capite vigeſimo; eius ſcilicet perfidiam atque proditionem vlturus, de qua proximo anno dictum eſt. Pergit autem. At Alexander poſtquam intellexit eius propoſitum, & ipſe ex ſua ditione collegit circiter quinquaginta millia, vt vel quidam ſcriptores malunt, octoginta, & cum his hoſti iuit obuiam. Ptol. vero ex improuiſo adortus ſabbato Aſochim Galilææ oppidum, vi illud cepit, & circiter decem captiuorum millia, præter aliam multam prædam, abduxit. Deinde aggreſsus Sephorim non longe inde diſtantem, multis deſideratis, abiit conflicturus cum Alexandro, qui ei ad Iordanem fluuium occurrit, iuxta Aſophon oppidum, in tribu Manaſſe intra Iordanem poſito.

III. *Et vincitur ab Ægyptio.* PERMISSOQVE Ægyptiis Iordanis tranſitu, diu alternante victoria, ea tandem ad Lathurum inclinauit, Deo & Regis & Pontificis perfidiam vindicante: adeo vt Ioſephus, qui hæc fuſius perſequitur, quamuis in dedecus gentis ſuæ dicat l. 13. c. 20. Ptolemæi milites acriter inſtando, Iudæos fugientes cecidiſſe, eoque vſque interficiendo inſecutos, donec laſſatis manibus ferrum quoque hebeſceret. Ferunt triginta millia cecidiſſe in eo prælio. Timagenes autem 50. millia in ſuis ſcriptis retulit, cæteros partim captos, partim ſeruatos incolumes. *Crudelitas Lathuri.* Nec ea vltione contentus Ptolemæus, victoria vſus, cum aliquot Iudæorum vicos cepiſſet, pueros mulieresq. iugulatos, & in fruſtra conciſos, in lebetes feruentes coniecit, ad terrorem ſui Iudæis iniiciendum; idque Ioſephus ex Strabone & Nicolao confirmat. Interea autem reliquæ Ptolemæi copiæ Ptolemaidem expugnarunt, Gazæorum quoque vrbe potiti ſunt.

IV. *Rogatio de reditu Metelli.* ROMANA porro hiſtoria nihil habet hoc anno æque inſigne, ac Metellum Numidicum ab exilio reducem, de qua re Appianus in primis. Occiſis, inquit,

Tribunis (Glaucia ſcilicet & Appuleio) S.P.Q.R. Metellum reuocari clamoribus flagitabat, eaque de re Cato & Pompeius rogationem magno totius vrbis gaudio promulgarunt. At P. Furius, ne ingenuo quidem patre natus, ſed liberto, audacter eis reſiſtebat. Quin etiam Metellum eius filium ſupplicem, in conſpectu populi ad genua ſibi cum lachrymis prouolutum, aſpernabatur. Quo factum eſt, vt hic quidē tam miſerabili ſpecie Pii cognomen adeptus ſit, Furium vero ob hanc pertinaciam C. Canuleius Trib. pleb. apud populum reum capitis peregerit, ita vt ne expectata quidem defenſione, à furente multitudine diſcerptus ſit. Ad hunc furorem Furius videtur excitatus à C. Mario Metelli inimico, quem Plut. ait cum lex rogaretur de Metelli reditu, eam enixe verbis & factis impedire conatum fuiſſe, ſed irrito atque inani conatu. Eidem Oroſius aſſentitur. *Oroſ l.5. c.17.*

l.5.c.27. Metello autem conceſſus eſt in patriam reditus tanta omnium ordinum gratulatione, vt integra dies ſalutationibus, ad portā eum excipientium, non ſuffecerit. Sic Appianus. In communi populi gaudio ſolus Marius animum mœrore contractum ferebat. Itaque non ſuſtinens reuertentem aſpicere Metellum, in Galatiam & Cappadociam nauigauit, verbo quidem, vt vota magnæ matri perſolueret; re autem vera tum Metellum vitaturus, tum nouam gloriæ materiam quæſiturus. Abhorrens enim à pace, qua gloriam ſuam, potentiamque marceſcere verebatur, & ciuilium artium rudis, vt qui per bella creuiſſet, nouorum bellorum ſemina cōſectebatur. Sperabat enim vbi Reges conciuiſſet, & nominatim Mithridatem, quem apparebat arma moliri, ducem ſe contra illum fore, nouiſque triumphis vrbem, præda Pontica, & opulentia regia expleturum domum ſuam. Itaque quamuis eum omni officio, atque honore excepiſſet Mithridates, non dubitauit tamen eum his vocibus aggredi. Aut enitere Rex, vt plus poſſis, quam pop. Rom. aut obſequenter fac imperata. *V. Reditus Metelli. Marius abit in Aſiam. Irritat Mithridatem.*

His Conſulibus, bene rem à Dolabella Proprætore geſtam, & rebellantes Luſitanos ſubactos, author eſt Iulius Obſequens, idque mirum eſt ab Appiano in Ibericis prætermiſſum. De quibus etiam triumphum egiſſe 5. Cal. Febr. anni ſequent. aperte legitur in fragmentis Capitolinis. Iiſdem Coſſ. primum omnium elephātos Romæ pugnaſſe in circo, Claudi Pulchri ædilitate curuli, refert ex Feneſtella Plin. ſed hunc annum 655. nominat, Cuſpin. autem Sigon. Tempor. alii paſſim ferme omnes 654. quod Pighius quoque notauit. Qui addit Q. Mutium Scæuolam, in Aſia hoc anno Prætorem, eam integerrime ac laudatiſſime gubernaſſe, adeo vt in exemplum magiſtratibus proponeretur. Vſus enim eſt opera P. Rutilii Ruffi legati viri ſapientiſſimi, atque innocentiſſimi, qui cum prouinciam ab iniuriis graſſantium publicanorum defendiſſet, ab eis infeſtis iniquiſſime accuſatus eſt repetundarum, vt infra dicemus. *VI. Luſitani ſubacti. Elephanti in Cir. Rom.*

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3955.

1.N.1. Cæterum quid in mentem venerit Scaligero huc transferre, quæ Epit. 54. aut potius 59. Liuii habentur de Ptolemæo Euergete, non ſane intelligo. Ad annum enim ab hinc fere 30. pertinent. Iunguntur enim in eadem Epit. cum C. Gracchi ſeditione, & morte Africani, quæ contigit anno Vr. Con. 624. M. Aquilio, & C. Sempronio Coſſ. vt autor eſt Velleius l.2. ſub initium.

ANNVS MVNDI 3956. SEXTAE AETATIS, 440. IMPERII GRÆCORVM 214. ANTIOCHI GRYPI 28. ANTIOCHI CYZICENI 17. IANNÆI IVDÆORVM REGIS AC PONTIFICIS 5. PTOLEMAEI LATHVRI 19. OLYMPIADIS CLXX. AN. 3. VRBIS CONDITAE 655. COSS. Q. CÆCILIO METELLO NEPOTE, & T. DIDIO.

ANNVS ANTE CHRISTVM 97.

I. Cleopatra cum filio in Syriam expeditio.

CLEOPATRA, quæ cum iuniore filio in Ægypto Lathuri loco regnabat, videns augeri filii ſui Ptolemæi potentiam, ſubiecta Gazæorum vrbe, & Iudæorum regione impune peruaſtata, non permittenda duxit eius incrementa; præſertim in tanta Ægypti propinquitate. Itaque nauales pedeſtreſque copias exciuit, quibus Chelciam & Ananiam Iudæos præfecit; bonam etiã diuitiarũ ſuarum partem, cum Nepotibus & teſtamento, apud Coum inſulam depoſuit. Iuſſoque Alexandro filio, cum magna claſſe in Phœnicem appellere, deficientibus ad ſe eius regionis incolis, peruenit Ptolemaidem: vnde excluſa, oppugnationem eius vrbis inſtituit. Ita Ioſephus. Excluſam apparet, quod ea vrbs præſidio Lathuri, qui eam non diu ante occupauerat, teneretur.

Oppugnat Ptolemaidẽ

II. Ducibus Iudæis.

CVM autem huic bello & Regina ipſa, & Rex Alexander eius filius adeſſent, mirum eſt ſupremum belli totius regimen duobus Iudæis eſſe commiſſum. Sic enim vertit interpres illa Ioſephi verba ἡγεμόνας τῆς ὅλης στρατιᾶς ἀποδείξασα χελκίαν, ϗ Ἀνανίαν τοὺς ἰουδαίους. Itaque ne Ioſephum nimiæ ambitionis, & fauoris in gentem ſuam accuſemus, eos generali quidem, ſed vicaria præfectura functos fuiſſe, ſub regum, vt moris eſt, ſupræmo imperio fatendum eſt. Idque ſequens Ioſephi narratio ſatis oſtendit. Interea Ptolemæus relicta Syria properauit in Ægyptum, ſperans ex improuiſo occupaturum ſe præſidiis vacuam, ſed opinione ſua fruſtratus eſt.

Lathurus fruſtra tẽtat Ægyptum.

Per idem tempus alterum è Cleopatræ ducibus Chalciam mori contigit, dum circa Cœleſyriam Ptolemæum perſequitur. At Cleopatra auditis filii conatibus, & quod ei tentanti Ægyptum, ex ſententia res non ſucceſſerat, miſſa eo parte exercitus, omnino eum ex ea regione expulit: atq. ita ruſum ex Ægypto eiectus, apud Gazam exegit eam hyemem.

III. Cleopatra Ptolemaidẽ expugnat.

INTERIM Cleopatra Ptolemaidem, ſimul cum præſidiariis, expugnat. Quo cum veniſſet Iannæus Alexander cum muneribus, amice exceptus eſt, propter cladem à Ptolemæo Lathuro acceptam. Cumque quidam amicorum Reginæ ſuaderent, vt Iudæorum regionem occuparet, ab ea ſententia ab Anania Iudæo deducta eſt: quin potius cum Alexandro fœdus iniit, apud Scythopolim Cœleſyriæ vrbem. Hæc Ioſephus. Amicos etiam fuiſſe Cleopatræ, cum Antiocho Grypo congreſſus, facile eſt, ex iis, quæ ex Iuſtino retulimus, coniicere; ad eum enim & copias contra Cyzicenum, & vxorem Lathuro ſublatam miſerat. At Iannæus inito cum Cleopatra fœdere, nihil ſibi vltra à Ptolemæo timens, expeditionem ſuſcepit in Cœleſyriam, vbi Gadarã poſt decem menſium obſidionem cœpit; & paulo poſt potitus Amathunte, quod eſt caſtrum omnium, quæ ad Iordanem ſita ſunt munitiſſimum, vbi Theodorus Zenonis filius res ſibi chariſſimas depoſuerat. Is ex inopinato Iudæos aggreſſus, interfectis ex eis 10. millibus, impedimenta Alexãdri diripuit, & ſua etiã recepit, vt habetur in libris quoq. de bello Iud. Iannæus nihilominus alia etiã oppida Raphiam & Anthedonẽ in ſuã poteſtatẽ redegit. Vtrumq. maritimum eſt apud Adrichomium in tribu Simeonis, inter Gazam & Rhinocoruram. Amathus autem & Gadara trans Iordanem ſunt

Eã Iãnæus colit.

l. 1 de bel c. 3.

in tribu Manaſſæ. Verum maritimæ illæ vrbes non ante ſequentem annum videntur captæ, vt ſuo tempore dicetur.

IV. *Metelli Cõſulatus.*

Porro Metellus cognomento Nepos, Baleatici filius, & Macedonici nepos, conſulatum fauore Metelli Numidici videtur conſecutus; Conſulatum enim petiit, cum is in vrbem, magno totius populi fauore, reſtitutus eſt. Porro Nepotis cognomen contumeliæ fuiſſe propter profuſionem, ex Valerio ſatis conſtat: idque cognomen ait eius Metelli fuiſſe, qui collegam habuit P. Lentulum Spintherem, an. Vrb. Cond. 696. Vtrum autem etiam huius anni Conſuli id cognomen à moribus inditum fuerit, non ſatis liquet. Nam hunc quoque Nepotẽ Euſebii Chronicon, & Capitolinæ tabulæ cognominant; nec magis Nepos, ab auo Metello Macedonico, quam plerique alii Metelli dici potuit. *L. 9 c. 14.*

V. *Res Didii in Celtiberia.*

T. Didio, qui Proprætore anno Vrbis Conditæ ſexcenteſimo quadrageſimo de Thracibus triumpharat, Celtiberia prouincia obtigit; in qua quæ geſſerit paucis explicat Appianus. Cum Italia, inquit, Cimbrico bello, Sicilia ſeruili iterum premeretur, Romani tot bellis diſtracti, nullas in Hiſpaniam copias miſere; ſed tantum legatos, qui bella, quod eius fieri poterat, vbique ſedarent: ſed mox vtroque bello, ac domeſtica etiam ſeditione perfunctis, eo miſſus eſt Didius, qui Vaccæorum 20. millia deleuit, Termiſſumque oppidum amplum, Romanis ſemper infidum, ex loco tuto in planiciem tranſtulit, & ſine mœnibus habitare iuſſit. Deinde Colendam vrbem, poſt ſeptimeſtrem obſidionem, deditione accepit, ciues omnes cum liberis & vxoribus vendidit.

VI. *Fraude latrones circumuenit.*

Deinde cum eorum agrum dare ſe velle fingeret, quibuſdam Celtiberorum conuenis, qui ex latrociniis viuebant; eos intra Romanorum caſtra coactos, de ſententia decem legatorum Romanorum, circumfuſo milite trucidauit, ob quas res etiam triumphauit; ſed, vt ex tabulis Capitolinis habetur, anno V. C. ſexcenteſimo ſexageſimo. Habet ſtratagema Didii Frontinus, ſed quo in loco particulari geſtum ſit, non refert. T. Didius, inquit, in Hiſpania cum acerrimo prælio conflixiſſet, quod nox diremerat, magno numero vtrimque cæſo, complura ſuorum corpora, atra nocte ſepelienda curauit. Hiſpani poſtero die ad ſimile officium progreſſi, quia plures ex ipſorum numero, quam ex Romanis cæſos repererant, victos ſe eſſe ſecundum eam dinumerationem argumentati, ad conditiones Imperatoris deſcenderunt. Id de Termiſenſibus videtur intelligendum. Fuit ſub Didio in Hiſpania Q. Sertorius Tribunus militum, vbi etiam præclare ſe geſſit, teſte Plut. in eius vita. *L. 2. c. 10. n. 1* *Aliud eius ſtratagema.* *Sertorius.*

VII. *Iudiciũ M. Aquilii.*

Cavsam dixit de pecuniis repetundis hoc anno M. Aquilius, qui in Sicilia bellum ſeruile confecerat, accuſante L. Fuſio Caleno, patrono M. Antonio Oratore, C. Mario inter iudices ſedente. In quo iudicio cauſam obtinuit Antonius, quamuis reus multis auaritiæ criminibus, teſtibuſque conſtrictus teneretur; cũ ille ſenis imperatoris diloricata tunica, multas aduerſas cicatrices in eius pectore iudicibus oſtẽdiſſet. Rem ipſemet narrat apud Ciceronem Antonius; tangit in Epit. 70. Florus, & alii, ſignificantque plus momenti ad elabendum, eloquentiam patroni, quam ipſius Aquilii iuſtitiam attuliſſe. *L. 2. de Orat.*

ANNVS MVNDI 3957. SEXTÆ ÆTATIS 441. REGNI GRÆCORVM 215. ANTIOCHI GRYPI 29. ANTIOCHI CYZICENI 18. IANNÆI REGIS & PONTIFICIS 6. PTOLEMÆI LATHVRI 20. OLYMPIADIS CLXX. AN. 4. VRBIS CONDITAE 656. COSS. CNEO CORNELIO LENTVLO, & P. LICINIO CRASSO.

ANNVS ANTE CHRISTVM *96*.

I. *Iannæus Raphiã & Anthedonẽ occupat.*

ANTIOCHVM Grypum hoc anno vita & regno caruiſſe author eſt Ioſephus, idque vt arbitror, ſub huius anni finem, vel ſequentis initium, vt mox patebit, præmiſſis iis, quæ temporis ordine antecedunt. Initio enim anni cum animaduertiſſet Iannæus, Lathurum, vbi hyemem Gazæ exegiſſet, ea relicta in Cyprum receſſiſſe, & matrem eius Cleopatram in Ægyptum, infenſus Gazæis, quod Lathurum contra ſe in auxilium acciuiſſent, & vrbem eorum oppugnauit, & agrum depopulatus eſt. Puto etiam hoc ipſo tempore eum Raphiam, & Anthedonem, quam poſtea Herodes Agrippiadem vocauit, occupaſſe; nec Gazam propius adiiſſe, dum in ea Ptolemæus Lathurus morabatur: ſunt enim, vt dixi, vicina Gazæ oppida, quæ, quaſi in præludium Gazæi belli, expugnata fuerint, & videntur agro Gazæo contineri. Idque facile ex l. 1. de bello c. 3. confirmatur, vbi habetur Iannæum, receptis poſt cladem viribus, Raphiam, Gazam, & Anthedonem maritimas vrbes cepiſſe. l. 13. c. 21.

II. *Oppugnat Gazam.*

DVM Gaza oppugnatur, ait Ioſephus, *Apollodotus dux Gazenſium noctu cum 2. millibus conductitiorum militum, & 10. millibus, quæ ex oppidanis armauerat, erupit in caſtra Iudæorum; & quandiu nocturna erat pugna ſuperiores erant Gazæi, hoſtibus aduentum Ptolemei ſuſpicantibus, ſed quamprimum dies illuxit, & rei veritas apparuit, Iudæi ſe conglomerant, & impetu facto in oppidanos, mille circiter ex eis interfecerunt. Attamen ne ſic quidem, quamuis grauante inopia, cædere voluerunt, parati quiduis perferre potius, quam ab hoſte ſubigi. Et addebat illis animum Aretas rex Arabum, auxilii ſpem oſtentans, ſed priuſquam illud veniret, Apollodoto perempto, ciuitas capta eſt.*

III. *Eamque tandem expugnat.*

NAM *Lyſimachus ipſius frater, inuidens ei quod tam gratioſus eſſet apud populum, occiſo eo collegit manum militum, atque ita vrbem Alexandro tradidit: qui primo pacatus introgreſſus eſt, deinde immiſit in oppidanos militem, permiſſa ſæuiendi licentia, ac paſſim Gazæi trucidabantur, nec tamen illi moriebantur inulti, ſed repugnantes inuaſoribus, non pauciores Iudæos interimebant: alii vero deſolatas prius ædes incendebant, ne hoſtis præda potiri poſſet: quidam etiam ſuiſmet manibus vxores ac liberos contrucidabant, ne in captiuitatem abſtraherentur. Senatores autem numero quingenti in Apollinis confugerant: forte enim Senatus habebatur, cum hoſtis intromiſſus eſt.* Apparet Senatorum nomen tribui ciuium præcipuis, qui ad concilium maioris momenti euocari ſolent.

IV. *Eiuſdẽ perfidia, & crudelitas.*

ALEXANDER *vero etiam his iugulatis, & diruta inſuper vrbe, reuerſus eſt Hieroſolyma, anno poſtquam caſtra ad Gazam admouerat.* Apparet hic altera Iannæi perfidia, cum inſigni crudelitate, ſacrilegioque cõiuncta. Cum enim Ioſephus ipſe dicat, eum primo pacatum ingreſſum fuiſſe, perſpicuum argumentum eſt, ea conditione a Lyſimacho factam fuiſſe deditionem ciuitatis: qua non obſtante, in omne mortalium genus ſæuitum eſt, nulla neque loci hominum opinione ſacri, atque inuiolabilis, neque perſonarum multitudinis, atque dignitatis habita ratione: vt non mirum ſit Sulpitium Seuerum de eo ſcriptum reliquiſſe, nihil ſe in eius actibus, præter crudelitatem memoria dignum reperiſſe; id quod etiam ſequentia euidentius demonſtrabunt.

GRYPO SELEVCVS FILIVS SVCCEDIT V. *Antiochi Grypi mors*

EODEM *tempore & Antiochus Grypus occiſus eſt, Heracleonis inſidiis, anno ætatis ſuæ quinto & quadrageſimo, regni vero nono ſupra vigeſimum.* Sic Ioſephus; cuius teſtimonio freti initium vitæ eius in annum regni Græcorum centeſimum ſeptuageſimum primum retulimus, regni autem in annum centeſimum octogeſimum ſeptimũ. Hanc porro mortem refert, nimium ſane ieiune; neque Heracleone illo, neq. inſidiarum genere explicato. Cum autem Ioſephus dicat eodem tempore Gazam euerſam, & Grypum occiſum, miror hæc duo à Torniello biennio fuiſſe diſiuncta. Sed magis mirum eſt à tam multis longe pauciores annos Grypo tribui, ab Euſebio in primis, qui ei duodecim aſſignat, Cyziceno autem octodecim, quos Ioſephus coniunxit, nec titulo regis priuare Grypum voluit, quandiu is in regno, atque in viuis fuit; quod enim quidam profugum & exulem eum fuiſſe annos 16. arbitrantur, à Iuſtino refelli poſſunt, qui ad eum miſſa ante biennium ex Ægypto ingentia auxilia cum regia vxore ſcribit. Chronologi ergo cum partim Ioſephum, partim Euſebium ſequantur, magis verbis, quam reipſa diſſentiunt. *Ratio tẽporis eius.*

IEIVNA eſt hoc & ſequenti anno Romana hiſtoria, neque hoc anno aliud proditum lego, quam rem bene à Craſſo geſtam in Luſitania, & triumphum inde multis poſt annis relatum, vt habetur in tab. Capit. ſub annum vrbis ſexcenteſimum ſexageſimum. Appianus ea de re conticuit. Plinius hunc annum vocat ſexcenteſimum quinquageſimum ſeptimum, communem chronologiam conſularem anno antecedens, eoque demum anno Senatuſconſultũ factum eſſe ait, contra nefarias Magorum ſuperſtitiones; & nominatim ne homo immolaretur, palamque in tempus illud ſacra prodigioſa fuiſſe celebrata, ſimul etiam innuit clam deinceps non deſiiiſſe ſceleſtiſſima ſacrificia peragi. Cenſura M. Antonii Oratoris & L. Valerii Flacci in hunc annum cadit, cuius meminit Valerius, aitque ab iis M. Duronium Senatu motum, quod legem de conuiuiorum ſumptibus Tribunus plebis abrogaſſet. Qua nota offenſus, Antonium poſtmodum ambitus poſtulauit.

VI. *Romana res.* — l. 36. c. 1. — *Humana ſacrificia.* — l. 2. c. 9. — *M. Antonii Cenſura.*

ANNVS MVNDI 3958. SEXTAE AETATIS 442. IMPERII GRÆCORVM 216. SELEVCI ET COGNATORVM 1. ANTIOCHI CYZICENI VLT. IANNÆI REGIS & PONTIFICIS 7. PTOLEMÆI LATHVRI 21. OLYMPIADIS CLXXI. AN. 1. VRBIS CONDITÆ 657. COSS. CN. DOMITIO ÆNOBARBO, & C. CASSIO LONGINO.

ANNVS ANTE CHRISTVM 95.

CVM noua Olympiade, quæ victorem nominat Parmeniſcum Cercyræum, ſiue Corcyrenſem, noui reguli in Aſia & Syria exorti ſunt. Antiocho Grypo ſuccedens Seleucus filius, bellum geſſit cum Antiocho patruo, cui Cyziceno fuit cognomen, quem in prælio captum neci tradidit. Sic Ioſephus, ſed citóne poſt defunctum patrem ab eo captus vel occiſus fuerit, tacet. Certe id quamprimum factum fuiſſe videri poteſt, cum ei octodecim anni tantum tribuantur ab Euſebio, & aliis eum ſecutis, in quibus Gordonius, Bellarminus, Genebrardus, & fere ſectarii; hic autem decimus nonus numeretur. Appianus in Syriacis ait tantum Seleucum Grypi filium Cyzicenum, quamuis patruum, armis regno eieciſſe. Extat de hoc Cyziceno ſacrilegæ auaritiæ monimentum apud Clement. Alexand. in Protrept. *Antiochus Cyzicenus*, inquit, *cum egeret pecuniis Iouis auream ſtatuam, quæ erat magnitudinis quindecim cubitorum, fundi iuſſit, & ex alia viliori materia ſtatuam illi ſimilem, laminis inauratam, rurſum reponi.* Habes ibidem ſimile

I. *Seleuci regnũ mors Cyziceni.*

Dionyſij dicacitas.

factum Dionyſij tyranni iunioris, ſed faceto cauillo ornatum. Cum enim auream veſtem Ioui abſtuliſſet in Sicilia, iuſſit eum indui lanea, dictitans eam eſſe aurea commodiorem, vt quæ eſſet & æſtate leuior, & hyeme calidior.

II. *Seditio Hieroſolymis in Iannæum.*

Ad hunc porro annum pertinere arbitror ſeditionem Hieroſolymis contra Iannæum ortam. Ea enim apud Ioſephum immediate ſequitur occupatam Gazam, quæ ſub idem tempus, quo Grypi mors contigit, vt idem affirmat. Eam Torniellus quadriennio differt, ſcilicet ad annum regni eius 12. Olymp. 172. 2. [a] *Porro in Alexandrum*, inquit Ioſephus, *domi ſeditio coorta eſt, cum per Scenopegiæ celebritatem, in parantem ſacrificare coniecta ſunt citrea. Nam hoc feſto noſtris morem eſſe palmeus, & cythreos thyrſos geſtare indicauimus. Quin & conuitiis populariter impetitus eſt, exprobrantibus captiuitatem* (cum ſcilicet à fratre coniectus eſt in vincula, & à Patre amandatus in Galilæam. [b] Captiuitatem porro ignominioſam Iudæis viſam, præſertim in pontifice, intelligitur ex Phariſæi Eleazari exprobratione facta Hyrcano, quam habes ſupra,) [c] *& indignum qui ſacris operaretur iactantibus.*

[a] Capellus ad regni eius 10 Ol. 171. 2. Caluiſ. 171. 4.

[b] c. 20 l. 13.

[c] l. 13 c 18.

III. *Eiuſdem crudelis vindicta.*

Qvibvs *iniuriis exacerbatus, occidit eorum circiter ſex millia.* [d] Primo de bello ponit ſupra octingentos, vtro in loco placet eſſe mendacium? non puduit Ioſephum crudelitatis, quã poſteriore ſcripto auxit, Pergit, *& exſtructo circa fanum & altare ſepto ligneo, i. pertinente vſq; ad ea loca, ad quæ ſolis ſacerdotibus patet aditus, hoc pacto arcebat à ſe vim multitudinis.* Intelligit atrium Leuitarum, quod θριγκὸν ſiue ſeptum quoddam habuit, quo ſe hic quaſi militari vallo tutabatur: in quo atrio erat ipſa ara holocauſtorum, & ipſum templi ædificium. Tale quoddam ſeptum circumdederat olim templo Salomon, trium cubitorum altitudine, quod Hebræi Giſon vocant, excluſurum profanam multitudinem, & ſolos ſacerdotes admiſſurum, vt ait Ioſephus. [e] Hæc porro cædes tot millium hominum, quorum vix pauculi erant in culpa, non dignam ſummo pontifice lenitatem, ſed barbaram Iannæi, ferinámque crudelitatem produnt, vt Iannis & Mambris progeniem potius, quam Aaronis & Machabæorum agnoſcas. [f]

[d] l 1. de bello c. 3. i. 4.

[e] l. 8. c. 2.

[f] 2. Tim. 3. 8.

IV. *Contentio filiorum Grypi, & Cyziceni.*

Porro filiorum Grypi & Cyziceni, qui hoc tempore paternarum contentionum hæredes magis quam regni, armis inter ſe caſtriſque pugnabant, quam diuturnum fuerit regnum, neque Ioſephus, neque Euſebius, neque antiquorum quiſquam, quod ſciam, tradidit; quod non ſinguli, ſed plures ſimul variis in locis regnare conarentur. Quæ cauſa videtur fuiſſe, cur ab Euſebio omnes omitterentur, excepto Philippo Grypi, aut Cyziceni filio, cui biennium tribuit, quem Genebr. & Bellarm. ſequuntur: quam Euſebij culpam mirum eſt ab Emendatore temporum non fuiſſe animaduerſam. Itaque recentiores, quo quiſque potuit modo, eorum annos, dimenſi ſunt, vſque ad Tigranem, cui Syria feſſa regulorum ciuilibus bellis ſe dedidit, vt author eſt Iuſtinus l. 40. Temporarius eis 9. annos tribuit, Gordonus 13. Torniel. 12. Functius 10. Mercator & Caluiſius 9. Samerius & Heluicus 8. Freigius 10. Nos qui Tigranem Dominum Syriæ factum eſſe credimus Olymp. 174. 2. Vrb. Cond. 670. eis conſequenter 13. annos damus; quos tamen ſingulos quanta poterimus cura, quamuis inter ſe concurrentes, diſtinguemus. Deinde in iſto, qui ſe primus offert in Grypi filiis, magna eſt ſcriptorum diuerſitas. Nam Gordonus Seleuco quinque annos tribuit, Torniel. duos. Caluiſ. vnum. Temporarius, Mercator, Heluicus, tres, quam ſententiam cæteris puto probabiliorem.

V. *Rex Cyrenarum Romanos facit hæredes.*

His Conſulibus Ptolemæus Cyrenarum Rex, cui cognomentum Apionis fuit, mortuus hæredem populum Rom. reliquit, & eius regni ciuitates Senatus liberas eſſe iuſſit. Ita Abbreuiator Liuij l. 70. De conſulibus autem affirmat Obſequens, Caſſiodorus, Euſebius, (aut Hieronymus potius. Nam id in chronico Græco non habetur, ſed nudi Conſules, cum anno Olympiadis.) Is ergo hoc teſtamentum ponit anno 1. Olymp. 171. qui concurrit cum 657. vrbis, in quo verſamur. Hunc Ptolemæum Iuſtinus l. 39. ſcribit fuiſſe fratrem Ptolemæi Lathuri, ſed ex pellice ſuſceptum, cui pater id regnum teſtamento reliquerat, eamque Libyæ partem prouinciam factam eſſe. *Cyrenas*, inquit Sext. Rufus in breuiario, *cum cæteris ciuitatibus Libyæ Pentapolis, Ptolemæi antiquioris liberalitate accepimus*, antiquiorem vocat ſub cognomine Apionis. Nam de poſteriore ibid. ſubdit. *Libyam ſupremi Apionis regis arbitrio ſumus aſſecuti*, legendum eſt, ſupremo arbitrio, id eſt teſtamento, & ita legitur apud Ammianum l. 22. extremo: itáque explicat Eutrop. l. 6. vbi de bello Cretico.

Imitatvs eſt Ptolemæus hic Attalum, qui iam Aſiæ regnum in Romanos hæredes tranſtulerat. Vtriuſque deinde exemplum Bithyniæ Rex Nicomedes imitatus eſt. Quis ſcit an iniuriam prædæ, in liberalitatis beneficium vertere voluerint? Hic certe poteſt illud vere vſurpari. *Sicut alij quoque reges.*

Semper eris pauper, ſi pauper es Aemyliane,
Dantur opes nullis nunc, niſi diuitibus.

Interea vero magnis incrementis populus Romanus inualeſcebat, & imperij totius orbis non iam fundamenta iaciebat, ſed pene immenſam molem magnis ſubſtructionibus erigebat; quod bello in primis Mithridatico, quod non ita multo poſt conflatum eſt, videtur contigiſſe, vt ſuo loco dicemus.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3958.

Δρύφακτον eſt in Græco, allusione facta ad cancellos, quibus Athenis locus iudicij Senatorum claudebatur, qui δρύφακτα dicebantur, quaſi δρυὶ φρακτά. id eſt lignis munita. Porro l. 13. c. 21. numerus cæſorum ab Alexandro Iannæo in ſeditione dicitur fuiſſe, ἀεὶ ἑξακισχιλίους, in libro autem 1. de bello c. 3. ὑπὲρ ὀκτακισχιλίους, pro quo male in Latino legitur cæſis ſupra octo millibus.

ANNVS MVNDI 3959. SEXTAE AETATIS 443.

IMPERII GRÆCORVM 217. SELEVCI 2. ANTIOCHI PII 1.

Iannæi Reg. et Pontif. 8. Ptolemæi Lathvri 22.

Olympiadis CLXXI. an. 2. Vrbis Cond. 658.

Coss. L. Licinio Crasso, et Q. Mvtio Scævola.

ANNVS ANTE CHRISTVM 94.

CAPTO, cæſoque Cyziceno à Seleuco Grypi filio, Antiochus cognomento Euſebes ſiue Pius, filius Cyziceni, patris mortem vlturus, & regnum paternum ſibi vindicaturus, quamprimum arma ſumit, prælio cum Seleuco congreditur, & victum Syria expellit. I. *Regnum Antiochi Pij.*
l. 13. c. 21. Hæc eſt Ioſephi mens, verba autem hæc. *Nec ita multo poſt, Cyziceni filius Antiochus, cognomento Euſebes, peruenit Aradum, & impoſito ſibi diademate, Seleuco bellum intulit, quem vno prælio victum tota Syria expulit.* Sic ipſe. Vnius tantum filij Cyziceni meminit tam hoc loco, quam aliquanto poſt, ſicut Appianus & Iuſtinus; & tamen duos in codice Baſileenſi Græco memorat, qui diademata ſibi impoſuerint: itaque corruptum locum arbitror, & alicuius codicis ope emendandum, eo modo quo vertit Gelenius.

Significat Appianus in Syriacis, Seleucum, occiſo patruo Cyziceno, hunc eius filium Antiochum occidere voluiſſe, quem non immerito paternæ mortis vltorem timebat; quo magis ille vltionem paternam accelerauit: quæ cum ei fœliciter contigiſſet, Pij nomen videtur obtinuiſſe: vltio enim paterna, pietati paſſim tribuitur. Duas alias huius cognominis rationes affert Appianus. Huic ſucceſſit (inquit, Seleuco ſcilicet) Antiochus Cyziceni filius, quem Seleuci patruelis inſidias euaſiſſe putant Syri, merito pietatis, ideoque Pium cognominarunt. Seruatus eſt autem à meretrice, adamatus formæ gratia. Mihi videtur per iocum à Syris ei nomen id additum. Duxit enim hic Pius Selenem, quæ prius & Patri eius Cyziceno, & patruo Grypo nupſerat: merito igitur diuina vltione à Tigrane pulſus eſt. Sic Appianus. At quomodo à Tigrane regno pelli potuerit, non ſane intelligo. Mortuus enim eſt hic Pius, ex ipſiuſmet Appiani ſententia, qui Tigranem 14. annis Syriam tenuiſſe putat, duodecim fere annis antequam Tigranes Syria potiretur, vt in ſequentibus planum fiet: niſi dicere placet eum in filio pulſum, tam multiplicis inceſtus pœnas luiſſe.

II. *Ratio nominis.*

Pius per ironiam.

III. *Aradus inſula, & oppidum.*

Porro Aradus, quo perueniſſe hunc Antiochum Pium, & ibi impoſito ſibi diademate regnare cæpiſſe tradit Ioſephus, eſt Ptolemæo inſula ad oſtiũ Eleutheri fluuii ſita, 20. ſtadiis, aut vt aliis placet duobus milliaribus, vt Plinio ducentis paſſibus, à continenti ſemota: alii rupem eſſe dicunt 7. ſtadiorum ambitu, totamque ab oppido eiuſdem nominis occupari; ſed eum ambitum Plin. ibi Antarado tribuit, oppido è regione inſulæ poſito, vnde & nomen habet, cuius non ſemel apud Ezechielem mentio eſt, Plinius Pariam vocat. In Phœnicio deinde mari, inquit, eſt ante Ioppen Paria, tota oppidum, in qua obiectam belluæ Andromedam ferunt, & iam dicta Arados, interquam & continentem quinquaginta cubita alto mari (vt author eſt Mutianus) è fõte dulcis aquæ tubo coriis facto vſq. à vado trahitur. Alii legunt vſque ad vadum trahitur, & rectius, alioqui aqua dulcis in tantula inſula artis eſset miraculum, non naturæ, quod affirmat, idem Plinius. De Seleuci porro fuga, eiuſque morte, dicetur ſimul anno ſequenti. l.5.c.31.

IV. *Lex Licinia & Mutia cauſa Italici belli.*

Hoc anno ab optimis Coſſ. Oratore Craſſo, & Mutio Scæuola Iuriſconſulto, iacta ſunt peſſimi belli Italici ſemina, nulla ſua culpa. Nã, vt recte notauit Pighius, Sigonius, & ante eos Cuſpinianus, omnes ex Aſconio Pæd. in or. de Maieſtate, ab his lata eſt lex Mutia Licinia de redigendis in ſuas ciuitates ſociis. Cum enim ſumma cupiditate Romanæ ciuitatis Italici populi tenerentur, atque adeo magna pars eorũ pro ciuibus Romanis ſe gererẽt, neceſſaria lex viſa eſt, vt in ſuæ quiſque ciuitatis ius redigeretur. *Eſſe pro ciue*, ait Cic. l.3. de offi. *qui non ſit ciuis, rectum eſt non licere; quam tulerunt legem ſapientiſsimi Coſſ. Craſſus & Scæuola.* Ex quibus lex Licinia & Mutia dicta eſt, quo modo eam vocat in Bruto. Verum ea lege, ait Aſcon. ita alienati ſunt animi principum Italicorum, vt ea vel maxima cauſa belli Italici, quod poſt triennium exortum eſt, fuerit. Sic ipſe. l.c.c.20. l.2.c.103.

V. *Initia Q. Hortenſii.*

His Coſſ. primum in foro dixit Q. Hortenſius admodum adoleſcens, & apud hos ipſos quidem Coſſ. & cum eorum qui affuerunt, tum ipſorum conſulum, qui omnes intelligentia anteibant, iudicio diſceſſit probatus. Vndeuiginti annos natus erat eo tempore. Eſt autem L. Paulo, C. Marcello Coſſ. mortuus, ex quo videmus eum in patronorum numero annos quatuor & 40. fuiſſe. Ita in Brut. Cicero, atque adeo 47. ſi extrema numerentur. Nã Pauli & Marcelli Conſulatus cadit in annum poſt Romam conditam quartum ſupra ſeptingenteſimum, ex quo etiam conſequens eſt Hortenſiũ natum an. V.C. 640. mortuũ autem ætatis an. 64. & ætate maiorem totis ſeptem annis M. Tullio. Craſſo citerior Gallia obtigit, Aſia Scæuolæ.

VI. *Res geſta à Craſſo in prouincia.*

De re à Craſso geſta in prouincia, hæc habet M. Tul. l.2. de Inuent. *L. Licinius Craſſus Conſul quoſdam in citeriore Gallia, nullo illuſtri, neque certo duce, neque eo nomine, neque eo numero præditos, vt digni eſſent, qui hoſtes Rom. pop. eſſe dicerentur, quod tamẽ excurſionibus & latrociniis infeſtam prouinciam redderẽt, conſectatus eſt, & confecit. Romam redit, triumphum ab Senatu poſtulat.* Hæc ibi. Nõ impetraſse autem eodem Mutio eius collega intercedente, autor eſt Pædian. in Piſon. Craſso collega fuit, ait, Q. Scæuola Pont. Max. qui cum animaduerteret Craſso propter ſummam eius in Repub. potentiam ac dignitatem, Senatum in decernendo triumpho gratificari, non dubitauit Reip. magis, quam collegæ habere rationem, ac ne fieret SC. interceſſit. Dixerit fortaſse aliquis, humanitus aliquid paſsum Scæuolam, qui ex prouincia ſua nullam triumphi materiam retuliſset.

VII. *Scæuola adminiſtratio prouincia.*

Qvo autem modo adminiſtrarit, attigi ſupra in eius Prætura, nunc audi Valer. *At ne Q. quidem Scæuolæ, quem L. Craſſus in Conſulatu collegam habuit, gloria parum illuſtris fuit. Qui Aſiam tam ſanctè, & tam fortiter obtinuit, vt Senatus deinceps in eam prouinciam ituris magiſtratibus, exemplum atque formam officii, Scæuolam decreto ſuo proponeret.* Sed huius innocentiæ non minus eſt argumentum, quod in eius honorẽ Aſiani diem feſtum Mutia nominabant, vt ait Aſcon. in Verrem. Eius Prætoris in Aſia legatus fuit, P. Rutilius. M. Antonio Conſule, an. V.C. 654. qui Augure Scæuola ib. Prætore Quæſtor fuerat, & vtrumque Scæuolam, Augurem inquam & Pontificem, illum L. Craſſi ſocerum, iſtum eiuſdem collegam, conſilio auxilioque ad integritatem vehementer iuuit: cuius tamen virtutis opinionem, iudicum illi & accuſatorum calumniæ ſuſtulerunt, vt tertio ab hinc anno dicemus. ad V.C. 654. ſi. 8.c.16.

P. Rutilii iniuſta damnatio.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3959.

1.N.I. In Græco Baſileenſi ei ſocius, additur Antoninus, μετ' οὐ πολὺ δὲ τοῦ κυζικηνοῦ παῖς Ἀντίοχος, καὶ Ἀντωνῖνος ὁ εὐσεβὴς καλούμενος, παραγινηθέντες εἰς Ἄραδον, καὶ περιθέμενοι διαδήματα πολεμοῦσι τῷ Σελεύκῳ, καὶ κρατήσαντες ἐξήλασαν αὐτὸν ἐξ ἁπάσης συρίας. Id eſt, non ita multo poſt, Cyziceni filius Antiochus, & Antoninus, qui dictus eſt Pius, cum in Aradum perueniſſent, & ſibi diademata impoſuiſſent, bellum geſſerunt contra Seleucum, & facti ſuperiores, illum ex vniuerſa Syria exegerunt. Forte ad marginem appoſitum fuerat Ἀντωνῖνος, tanquam varia lectio, quæ mox in textum irrepſit, deinde vt conſtaret ſyntaxis, ſingulares numeri in plurales verſi ſunt.

ANNVS MVNDI 3960. SEXTÆ ÆTATIS 444. IMPERII GRÆCORVM 218. SELEVCI 3. ANTIOCHI PII 2. IOANNAEI REGIS ET PONTIF. 9. PTOLEMÆI LATHVRI 23. OLYMPIADIS CLXXI. AN. 3. VRBIS CONDITAE 659. COSS. L. DOMITIO ÆNOBARBO, ET COELIO CALDO.

ANNVS ANTE CHRISTVM 93.

l.13.c.11. DE fuga & morte Seleuci, quam hoc anno credimus contigiſſe, hæc habet Ioſephus l.13. vbi cum vno prælio eum tota è Syria expulſum dixiſſet, ſubdit. *At ille fuga delatus in Ciliciam, poſtquam à Mopſeatis receptus eſt, cœpit ab eis tributa exigere: qui non ferentes exactionem, vna cum regia, & ipſum, & amicos concremauerunt*; id Ciliciæ oppidum Μόψου ἑστίαν vocant Ioſephus & Appianus, diuiſo vocabulo, ſicut & Stephanus, quaſi dicas, Mopſi domus aut lares. Ptolemæus id oppidum collocat, iuxta Pyramum fluuium, & Iſſicum ſinum, nec ita longe à Tarſo Diui Pauli patria. Diuus Hieronymus ad Heliodorum, in Epitaphio Nepotiani Mopſum vocat, & viculum eſſe ait, in quo Arianæ fautor Hæreſeos Conſtantius Imperator diem obiit. Ei nomen dedit Mopſus vates, cum ibi Chalcanti vati occurriſſet, & ſe illo præſtantiorem oſtendiſſet in diuinando, ex quo Chalcas, vt erat in fatis, mœrore confectus interiit. Hoc deinde oppidum celebrius fecit Theodorus ille Mopſuheſtenus Epiſcopus, Neſtorii & Theodoreti magiſter, ex monacho hæreticus vita turpiſſimus, de quo Baronius pluribus. I. *Seleuci fuga, & mors.* *Ex Ioſepho* *Mopſueſtia* *to. 5 a. Chriſti 427. & alibi.*

II. SED redeamus ad Seleucum; qui quoniam violentus, inquit Appianus, & ſupra modum tyrannicus fuit, Mepſuheſtiæ, quod eſt oppidum Ciliciæ, in Gymnaſio crematus eſt. Euſebius cum locum incẽdii dubium videret, eo omiſſo rem ipſam dixit. Seleucus, inquit, ab Antiocho Cyziceni viuus exuritur; in Græco autem ſemel atque iterum vocatur Cyzicius. Ponitur porro ſub anno decimo ſeptimo Cyziceni, ſiue primo huius Olympiadis, errore apertiſſimo. Nam hic Seleucus ante duos annos Cyzicenum occiderat, vt ſuo loco ex Ioſepho dictum eſt. *Ex Appiano, & Euſe.*

III. IANNÆVS poſt immanem in ciues crudelitatem, cum domeſticis inſidiis peteretur, eaſque diffideret ſe poſſe comprimere, conductitios milites è Cilicia atque Piſidia accerſiuit; nam Syros mercenarios reſpuebat, propter ingenitam cum Iudæorum gente diſcordiam. Ita Ioſephus. Cæterum prudenter Iannæus, ne ſui domi ex otio tumultuarentur, eos in Arabiam ſuſcepta expeditione abduxit. Id autem hoc anno factum eſſe, non ſolum rerum ordo demonſtrat, ſed illi etiam ſex anni, poſt quos Iudæi ad Demetrium Eucærum confugerunt, vt à Iannæo, à quo crudeliter vexabantur, defenderentur. *Iannæus domeſticis petitus inſidiis.* *l. 1 de bel. c. 3 & l. 13. ant. c. 21.*

Arabiæ igitur bellum intulit Iannæus, Arabum autem nomine Moabitas, & Galaaditas cum intelligat Ioſephus, vt planiſſimum eſt ex locis proxime citatis, *Eius in Arabiam expeditio.*

oportet eam regionem ab Arabibus fuiſſe occupatam, cum à Iudæis antea maxima ex parte teneretur. Arabiæ inquit, bellum intulit, ibique Galaaditis ac Moabitis ſubactis, tributóque his impoſito, ad Amathunta regreſſus eſt. Huc videtur ſpectare Iuſtinus l. 39. vbi ait Syros aſſiduis prælijs conſumptos, in contemptum finitimorum veniſſe, prædæque Arabum, genti imbelli antea, fuiſſe. Pergit Ioſephus. *l. 1. bel. c. 3.*

Confirmatur ex Iuſtino.

IV. *Diruit Amathūtem caſtellum.*

Cvmqve Theodorum metus, ex eius ſecundis ſucceſſibus, perculiſſet, caſtellum Amathuntem ſine præſidio repertum funditus eruit. Hic eſt Theodorus Zenonis filius, qui paulo ante Iannæo ſuperueniens, hoc caſtellum amiſſum receperat, cum rebus ſuis, & inſuper Iudæorum fere 10. millia interfecerat. Neque huius in Iudæam reditus hoc anno minus luctuoſus fuit. Mox enim cõgreſſus cum Oboda, ſiue Obeda rege Arabũm, qui locum fraudi opportunum iuxta Gadara in Galaadenſi regione occupauerat, captus inſidiis totum amiſit exercitum, in vallem altiſſimam compulſum, atque obtritum multitudine camelorum, ipſe ægre elapſus, Hieroſolymam fuga petiit.

Moxque totum amittit exercitum. Rex Hierotimus Araba.

Si Oboda Arabicè idem eſt, quod Græce Hierotimus, aut ſi rex idem duplici nomine dictus eſt, huc pertinebit illud Iuſtin. l. 39. extremo, vbi dicitur Arabum regem Hierotimum, fiducia ſexcentorum filiorum, quos ex pellicibus ſuſceperat, diuiſis exercitibus nunc Ægyptum, nunc Syriam infeſtaſſe, magnúmque nomen Arabum, viribus finitimorum exanguibus, feciſſe. Ita in familiis, ciuitatibus regnis, atque imperiis, perinde atque in naturalibus rebus, interitus vnius in alterium ortum cedit.

V. *Romani Conſules.*

Nihil inſigne hoc anno geſtum à Coſs. memoratur, Domitio Ænobarbo, & Cœlio Caldo: quod Caldi ſiue Calidi cognomen à promptiore feruentioréque ingenio datum fuiſſe innuit Cic. l. 2. de Inuent. Vt ſi dicamus, inquit, idcirco aliquem Caldum vocari, quod temerario & repentino conſilio ſit.

Caldus. Num bellũ Mithridaticum nunc initum.

His Conſulibus bellum Mithridaticum initum eſſe à L. Sulla Prætore, ſcribit doctiſſimus diligentiſſimuſque Sigonius, cuius in Romana hiſtoria induſtria crebro nobis eſt vtilis: de Prætura tamẽ Sullæ, aut initio belli Mithridatici ei aſſentiri non potuimus: non ſolum quia nullo id autore aſſerat, ſed etiam quia ei Velleius Paterculus aduerſatur, qui l. 2. cũ bellum Italicum excitatum ſcribat L. Cæſare & P. Rutilio Coſs. id eſt anno V. C. 663. paulo poſt ſubdit L. Sullam anno ante Prætura functum. Adde quod ne Prætor quidem Ariobarzanem, regno Cappadociæ contra Mithridatem, ex mandato Senatus reſtituit, ſed anno poſt præturam, vt perſpicue Plut. in Sulla teſtatur.

VI. *Res Hiſpanica.*

Rectior videtur eius de re in Celtiberia geſta coniectura; eam ſcilicet non à Naſica, vt putauit Iulius Obſequens, ſed à Flacco, vt affirmat Appianus in Hiſpanicis, adminiſtratam, indéque reuerſum, induſtriæ ac fortitudinis præmium, adeptum eſſe proximo anno conſulatum. In Belgida ergo Celtiberorum vrbe, vt Appianus ait, in Græco textu. Nam in Latino id nomen abeſt, eam vrbem, alij Segedam appellant: & notat Ortelius Belgidam vrbem etiam nunc in regno Valentiæ extare. In Belgida inquam vrbe populus ad defectionem ſpectans, Senatum tardantem & recuſantem, in ipſa Curia cremauit. Cuius facinoris authores aduenies Flaccus, cæſis viginti millibus puniit, ac defectionem repreſſit, vrbes etiam dirutas tradit Obſequens, & principes ſupplicio conſumptos.

ANNVS MVNDI 3961. SEXTAE AETATIS 445. IMPERII GRÆCORVM 219. ANTIOCHI PII 3. IANNÆI PONTIFICIS 10. PTOLEMÆI LATHVRI 24. OLYMPIADIS CLXXI. AN. 4. VRBIS CONDITÆ 660. COSS. C. VALERIO FLACCO, ET M. HERENNIO NEPOTE.

ANNVS ANTE CHRISTVM 92.

MORTVO Mopſueſtiæ Seleuco, eius frater Antiochus regnandi auidus, Antiocho Pio patrueii ſuo regnum eripere fruſtra molitur. Rem maxima breuitate perſtringit Ioſephus. [a] Regnante, inquit, apud Syros Antiocho Cyziceni filio, Antiochus Seleuci frater bello eum aggreditur, & victus vitam ſimul amiſit, atque exercitum. Sic ipſe. Itaq; hoc æmulo ſublato, diutius aliquanto, firmiuſque in Syriæ regno hæſit. I. *Antiochus Pius fratrem Seleuci perimit.*

a l.13. c.21.

Interea Iudęi ciuilibus tumultibus agitantur, populo in Pontificem, ob acceptam nuper ab Arabibus cladem, ſeditioſum bellum mouente, quod vſque ad annum ſextum prorogatum eſſe ex Ioſepho conſtat. *Iudæi in Iannæum irati.*

Ibid.

APVD Romanos his Conſulibus totus annus, domi foriſque tranquillus fuit, vt ait Sigon. niſi quod in Aſia à Mithridate, in Italia ab Italicis populis bellum magis magiſque parabatur. Duo quoque habentur hoc anno triumphi notati in Capit. tab. alter T. Didij de Celtiberis, 4. Idus Iunij: alter P. Licinij Craſſi de Luſitanis, prid. Idus Iunij. II. *Romana res.*

HABITVM hoc anno exiſtimo celebre illud in cauſa P. Rutilij innocentiſſimi viri iudicium, quod iam ſemel iterumq; attigimus. Rationem temporis ex Epitome 70. firmare poſſumus, vbi Florus. *P. Rutilius vir ſummæ innocentiæ, qui legatus C. Marij proconſulis à publicanorum inſidiis Aſiam defenderat, inuiſus equeſtri ordini, penes quem iudicia erant, repetundarum damnatus, in exilium miſſus eſt.* Sic ibi; quem locum recte emendat Sigonius, cum C. Mario Q. Mutium ſubſtituit, qui Aſiam cum imperio tenuit, non C. Marius: Fuit autem Mutius proximo anno proconſul, præcedente vero Conſul. Plura leges de hoc iudicio apud M. Tullium, in primo de Orat. vbi illud Socratico Athenienſium iudicio comparat; & in Bruto, vbi ait hoc iudicio conuulſam penitus fuiſſe Rempublicam, quæ ſcilicet ſine iuſtitia, quæ tum inſigniter violata eſt, ſtare non poteſt. III. *Iudicium de P. Rutilio.*

OROSIVS de hoc iudicio hæc ſcribit. [b] *Rutilius vir integerrimus adeo fidei, & innocentiæ conſtantia vſus eſt, vt ſibi die ab accuſatoribus dicta, vſque ad cognitionem, neque capillum, barbamue promiſerit, neque ſordida veſte, humiliue habitu ſuffragatores conciliarit, inimicos permulſerit, iudices temperarit: orationem quoque à Prætore conceſſam, nihilo ſummiſſiorem quam animum habuerit.* Videtur Oroſius alludere ad Orationem Lyſiæ, quam is Socrati obtulit, vt ea pro ſe in iudicio vteretur, vt ait Tullius. Nam Rutilium defendit Mutius, vt idem ait, *more ſuo, nullo apparatu, pure ac dilucide*, vtiq; & ad ſtatum Rei accommodate, *quaſi in illa commentitia Platonis ciuitate res ageretur: nemo ingemuit, nemo inclamauit patronorum, nihil cuiquam doluit, nemo eſt queſtus, nemo Rempub. implorauit, nemo ſupplicauit. Quid multa? pedem nemo in illo iudicio ſupploſit, credo ne Stoicis renunciaretur.* Denique, ait Oroſius, periurio iudicum condemnatus, Smyrnam commigrans, literarum ſtudiis intentus conſenuit. IV. *Eius forma iudicij.*

b l.5. c.17. ſi

ANNVS MVNDI 3962. SEXTÆ ÆTATIS 446. REGNI GRÆCORVM 220. ANTIOCHI PII 4. PHILIPPI 2. IANNÆI REGIS ET PONTIFICIS 11. PTOLEMÆI LATHVRI 25. OLYMPIADIS CLXXII. AN. 1. VRBIS CONDITAE 661. COSS. C. CLAVDIO PVLCHRO, ET M. PERPERNA NEPOTE.

ANNVS ANTE CHRISTVM 91.

I. *Tertius Grypi filius. Regnat in parte Syriæ.*

SECVNDO filio Antiochi Grypi in prælio occiſo, tertius nomine Philippus, non auſus prælio decernere cum patruele ſuo Antiocho Pio, exemplo fratris proxime in acie cæſi territus, maluit Syriæ partem aliquam ſibi aſſumere, cum Regio nomine gubernandam, quam in totam Syriam intentus, totam amittere, vt iam duobus fratribus ſuis videbat contigiſſe. Hæc eſt Ioſephi ſententia, cum ait poſt mortem Antiochi fratrem eius Philippum aſſumpto diademate regnaſſe in parte Syriæ. Hunc poſtremum regum Syriæ ponit Euſeb. in Chronico, ſed biennio tempus legitimum regni eius anteuertit, vt patet ex ſerie narrationis, quam ex Ioſepho accurate deduximus.

II. *In eo arguitur Scaliger.*

Ex quo cum perſpicue habeamus Philippum hunc, tertium fuiſſe Antiochi Grypi filium, nimium audacter de eo pronunciauit PſeudoScaliger. Iſte, inquit, cognomento Aſiaticus, filius Antiochi Pij, & Selenes, quæ & Cleopatra, nouercæ ipſius Antiochi, vltimus fuit Seleucidarum. Errat ergo primo quod filium Grypi Antiocho Pio adſcribit, repugnante Ioſepho. Errat 2. quod hunc Philippum Aſiaticum cognominat, ſeipſum ſecutus ducem, cum id cognomen illi conueniat, qui, Tigrane regno Syriæ potiente, in Aſia delituit, vt tradit Appianus, qui eum Antiochum appellat, Antiochi Pij filium, quem ait Syris non inuitis in regnum ſeſe inſinuaſſe, diſſimulante Lucullo, à Pompeio vero Luculli ſucceſſore regno ſpoliatum fuiſſe. Iuſtinus l. 40. Antiochum illum vocat Cyziceni filium, rectius nepotem, quem etiam Euſebius in Chronico Antiochum vocat, aitque in Parthos fugientem ſe Pompeio tradidiſſe. *Sub. med. lib.*

III. *Conſules & Cenſores Romani.*

CELEBRIORES ſunt hoc anno Olympiaco (qui victorem celebrauit Eudamum Coum) Romani Cenſores quam Conſules: illos tamen in annum ſeq. refert Plin.[a] tabulis Capitolinis repugnantibus, quas ſequuntur Sigonius, Onuphrius, Pighius, cæteri. Nam de Claudio & Perperna Coſs. nihil admodum reperias, de Domitio autem & Craſſo Oratore Cenſoribus, qui Conſules, ille quadriennio, hic triennio ante fuerant, non pauca quæ ſtudioſe de more collegit Sigonius in Faſtis, & Pighius in Annalibus ſuis. In quibus illud memorabile, quod Latinos quoſdam Rhetores, apud quos adoleſcentes totos dies inutiliter deſiderent, quorumque ineptiis obtundi ingenia cerneret Craſſus, corroborari impudentiam, ex vrbe exegit, vt eſt in 3. de Orat. Habetur ipſum edictum apud Gellium,[b] vbi ſimile habetur SC. in Philoſophos & Rhetores, an. V.C. 592. Meſſala & Strabone Coſs. & rurſum alterum Domitiano Imperante.

a l.17.c.1.
b l.15.c.11.

IV. *Contentioſa Craſſi & Aenobarbi Cenſura.*

CONTENTIOSAM inter ſe geſſiſſe Cenſuram autor eſt Plin. in primis,[c] quem locum non vna re inſignem non pigebit deſcribere. Nobiliſſimarum, inquit, gentium ambo Craſſus atque Domitius Cenſuram poſt Conſulatum ſimul geſſere, anno V.C. 662. frequentem iurgiis propter diſſimilitudinem morum. Tum Cn. Domitius, vt erat vehemens natura, præterea accenſus odio, quod ex æmulatione auidiſſimum eſt, grauiter increpuit tanti Cenſorem habitare, pro eius domo ſeſtertiûm millies identidem promittens. (id eſt quinque milliones librarum Turonicarum 5000000. ex ſupputatione Cenalis: quæ pecuniæ vis ſi ſuperat fidem, licebit aſſentiri Valer. Max.[d] à quo hiſtoria quidem diuerſo narratur modo, ſed maxima

c l.17.c.1.
d l.9.c.1.

pecuniæ ſumma ponitur ſexagies ſextertiûm, id eſt trecenta millia librarum Tur. ſiue centum millia coron. Pergit Plin.) Et Craſſus, vt præſens ingenio ſemper, & faceto lepore ſolers, addicere ſe reſpondit, exceptis ſex arboribus.

V. *Arbores immenſi pretij.*

Ac ne vno quidem denario, ſi adimerentur, emptam volente Domitio, Craſſus, Vtrumne igitur ego ſum, inquit, quæſo Domiti, exemplo grauis, & ab ipſa mea Cenſura notandus, qui in domo, quæ mihi hæreditate obuenit, comiter habitem, an tu qui ſeſtertiûm millies ſex arbores æſtimes? Eæ fuere loti, patula ramorum opacitate laſciuæ &c. Addit mox, columnas ſex, tot enim ponit, [a] Himettij marmoris, Ædilitatis gratia ad ſcenam ornandam aduectas. Accuſauit etiam Craſſum collegam Domitius, quod murænam in piſcina domus ſuæ mortuam, atratus tanquam filiam luxiſſet, quod Craſſus in Senatu non erubuit confiteri: imo & gloriatus eſt, vt habet Macrobius. [b] Vice autem verſa Craſſus Domitio illudens, non eſſe mirum ait, eum æneam habere barbam, cui eſſet os ferreum, & cor plumbeum. Sueton. in Nerone. Cæterum quod hunc annum M. Tullius in Bruto vocat duodequinquageſimum vitę Craſſi, non videtur carere mendo. Nam cum ibid. dicat eum natum Lælio & Cæpione Conſulibus, an. V. C. 613. hic quadrageſimus nonus eſt annus, vt ſingulos annos enumeranti conſtare poteſt, ideoque vndequinquageſimum videtur emendandum.

a l. 36. c. 15.

b l. 3. Sat. c. 15.

ANNVS MVNDI 3963. SEXTÆ ÆTATIS 447.

REGNI GRÆCORVM 221. ANT. PII 5. PHILIPPI 2 DEMETRII EVCÆRI 1. IANNÆI PONT. 12. PTOLEMÆI LATHVRI 26. OLYMPIADIS CLXXII. AN. 2. VRB. COND. 662. COSS. L. MARCIO PHILIPPO, ET SEX. IVLIO CAESARE. BELLI ITAL. SIVE SOCIALIS, AVT MARSICI 1.

ANNVS ANTE CHRISTVM 90.

I. *Quartus Grypi filius Rex.*

QVARTVS Antiochi Grypi filius, motus & ipſe Philippi fratris exemplo, auxilio Ptolemæi Lathuri, in parte quoque Syriæ regnare cœpit. *Ptolemæus Lathurus*, inquit Ioſephus, *quartum Philippi fratrem Demetrium Eucærum cognomine, accitum à Gnido regem apud Damaſcum conſtituit.* Sic ipſe. Id factum à Lathuro oportet, antequam reſtitueretur in Ægypti regnum, etſi aliter viſum Torniello ſcriptori diligentiſſimo. Reſtitutum enim ſcribit Euſebius initio ſeq. Olymp. quem etſi non ſatis alioqui fidum ducem, ſequimur, vbi nihil certius occurrit. Nec eſt abſurdum è Cypro Lathurum auxilia præbere potuiſſe Demetrio, ad partem illam Syriæ occupandam, cum iamdudum Lathurus idem ex eadem inſula, cum validis copiis Syriam, contra Grypum horum patrem adiiſſet. Id potius mirandum videtur, Lathurum, qui pro Cyziceno contra Grypum in Syria bellum geſſerat, nunc vice verſa filium Grypi, contra Cyziceni filium, in regni partem promouere.

II. *Demetrius Eucærus.*

QVÆ autem rerum, aut temporum opportunitas, huic Demetrio Eucæri cognomen dederit, nondum reperi l. autem 1. de Bel. c. 3. male Acærus legitur, in Gręco enim vtrobiq; habetur Εὔκαιρος. Porro Gnidum Aſiæ vrbem, iuxta inſulam Rhodum, cuſtodem atque altricem filiorum regum Syriæ, iampridem notum eſt ex Iuſtino l. 35. vbi Demetrius Soter, antequam contra Alexandrum Balæ pugnaturus eſſet, duos filios ſuos Sidetem & Nicanorem, apud hoſpitem ſuum collocauit.

Cum fratre Pium oppugnat.

Hi porro fratres Philippus & Demetrius, iunctis viribus Antiochum Pium patruelem ſuum bello fatigant, iiſdem armis, quibus inter ſe poſtea erant conflicturi; quæ interim fortiter repellit Antiochus, ſed non diu. Nam dum alieno etiam bello ſe immiſcet, nec aliquid promouet in regno alieno, & inſuper amittit ſuum. Id autem factum anno ſeq. arbitror, nec celerius. Nec repugnat nobis Ioſephus, licet eum breui extinctum dicat, ſtrenue duobus fratribus reſiſtentem, ſed fauet potius. Innuit enim, quod ratio quoque poſtulat, Antiochum iſtum, primum aliquos eorum impetus fregiſſe, ante quam auxilio alteri venire conaretur.

III. *Belli Socialis tempus.*

Cæsaris porro ac Philippi conſulatus initio Italici belli celebratur, à Diodoro Siculo in Ecloga 1. l. 37. Floro,[a] Eutropio,[b] Oroſio,[c] Hieronymo in Euſeb. Chron. 1. Velleius l. 2. ad annum ſequentem hoc bellum differt, quando id à Romanis decretum eſt, poſtquam Italici populi hoſtiliter ſeſe contra Romanos geſſiſſent. Eadémque eſt ſententia Plinij, qui l. 33.[d] vocat hunc annum belli Socialis initium. L. autem 2. c. 83. hoc idem bellum in annum ſequentem differt. Plinio ſubſcribit Pædianus, & Tabulæ Capitol. Recentiores autem alij hos, alij illos ſequuntur: omneſque in veriſſimam eam ſententiam adduci poſſunt, vt bellum hoc ab Italis hoc anno inchoatum ſit, à Romanis ſequenti. 1. εχ.

a l. 3. c. 18. b l. 5. c l. 5. c. 18. d l. 33. c. 5.

IV. *Ratio nominis.*

Italicvm bellum dictum eſt, quod in Italia, & contra Italos geſtum eſt. Sociale, quod contra eos, qui cæteris omnibus expeditionibus Romanorũ ſocij erant, & commilitones. Appianus, aliiq; Græci συμμαχικὸν dixerunt. Marſicum quod Marſi autores defectionis extitiſſent, duce Silone Popedio Marſo. Vnde Florus. Inde iam paſſim ab omni parte Italię, duce & authore belli diſcurſante Popedio, diuerſa per populos & vrbes ſigna cecinere. Nec tamen negat Florus, quod aperte Velleius l. 2. aſſerit, id malum ab Aſculanis ortũ, vbi Seruius Prætor, aut Seruilius proconſul potius, vt habet Appianus, Fonteiuſque legatus occiſi fuerant; ac deinde à Marſis exceptum, in omnes penetraſſe regiones. Adde quod Marſi omnium erant fortiſſimi atque pugnaciſſimi. *Ferunt*, inquit Appian. *nunquam alias de his triumphum viſum, & ad hoc tempus, nec de Marſis, nec ſine Marſis triumphatum.* Ciuile etiam dici vult Florus, quamuis Sociale extenuandæ inuidiæ cauſa nominetur, quippe quòd populus Rom. Etruſcos, Latinos, Sabinoſque miſcuiſſet, & vnus ex omnibus ſanguinem ducens, vnum corpus effeciſſet. Appianus certe hoc bellum ad Ciuilia retulit.

V. *Belli cauſa & æquitas.*

De belli huius cauſa, & æquitate idem Florus. Itaque cum ius ciuitatis, quam viribus auxerant, ſocij iuſtiſſime poſtularent, ad quam ſpem eos cupidine dominationis Druſus erexerat, poſtquam ille domeſtico ſcelere oppreſſus eſt, eadem fax quæ illum cremauit, ſocios in arma, & in expugnationem vrbis accendit. Paulo plenius Velleius in eandem ſententiam. Quorum, inquit, vt fortuna atrox, ita cauſa fuit iuſtiſſima. Petebant enim eam ciuitatem cuius imperium armis tuebantur. Per omnes annos, atque ad omnia bella duplici numero ſe militum equitumque fungi, neque in eius ciuitatis ius recipi, quæ per eos in idipſum perueniſſet faſtigium, per quod homines eiuſdem & gentis & ſanguinis, vt externos alienoſque faſtidire poſſent. Si ergo in hoc bello Italicorum populorum cauſa iuſtiſſima fuit, Romanorum vtique iniquiſſima fuit, eorum etiam iudicio, qui maxime Romanis fauent.

VI. *Belli geminus autor.*

Ipſeque Senatus.

Vt autem Popedius author belli fuit ex parte Sociorum, ita Liuius Druſus ex parte Romanorum, ideoq; author belli Socialis dicitur Epit. 71. Verum in eadem, ac præcedenti Epitoma non obſcure culpa in Senatum à Druſo transfertur. *Senatus*, inquit, *cum impotentiam equeſtris ordinis in iudiciis exercendis ferre nollet, omni vi niti cœpit, vt ad ſe iudicia transferrentur, ſuſtinente cauſam eius M. Liuio Druſo Trib. plebis; qui vt vires ſibi acquireret, pernicioſa ſpe largitionis plebem concitauit.* Et mox, *vt maioribus viribus Senatus cauſam ſuſceptam tueretur, Socios & Italicos populos ſpe ciuitatis Romanæ ſollicitauit, iiſque adiuuantibus per vim legibus agrariis, frumentariiſque latis, legem quoque iudicialem tulit, vt æqua parte iudicia penes Senatum, & equeſtrem ordinem eſſent.* Cum deinde promiſſa ſociis ciuitas præſtari non poſſet, irati Italici defectionem ceperunt agitare. 2. 2. χ.

VII. *Prima belli origo.*

Hvivs belli cauſas à M. Fuluio Flacco Conſule anno V. C. 628. repetit Appianus, qui primus omnium Sociis ciuitatis cupiditatem iniecit, ſperantibus ſe non amplius ſubditos, ſed imperij participes fore: quod cum ille artificio Senatus, præſtare non potuiſſet, vterque Gracchus eandem viam ingreſſus, miſerando exitu occidere. Inde Liuius Druſus ſociis rogantibus, legem de ciuitate eis danda promulgare pollicitus eſt. Eam ad rem conficiendam gratiam plebis præoccupans, multas colonias in Italiam & Siciliam deducebat: Senatum autem ſibi conciliare conabatur, communicatis cum eo iudiciis, quæ apud ſolos equites Gracchanis legibus erant, vt ait Velleius. Idque vt perficeret legem promulgauit, vt ad trecentos Senatores, qui tum in Senatu reperiebantur, totidem ex equeſtri ordine adderentur, delectu optimorum habito, atque ex iis omnibus iudices in poſterum legerentur. Vtque ſuſpecti de munerum corruptela cauſam dicere cogerentur.

VIII. *Druſi conatus irriti.*

Tentanti hæc Druſo res ſucceſſit in contrarium. Nam & Senatus moleſte ferebat, temporis momento tantum numerum equitum in ſuum ordinem cooptari, quos ſibi ægre conſenſuros credebant. Equites vero ſe hac ratione priuari Iudiciis indignabantur, & apparebat eos, qui electi non eſſent, Druſo inimicos fore, & omnes inſuper qui ſibi corruptelarum conſcij erant, qui eius lege ad iudicium vocabantur. Cum ergo hæc non ſatis Druſo procederent, ne illa quidem Ciuitatis largitio Italicis promiſſa, propter quam reliqua machinatus erat, procedebat. Itaq; & Senatui, & Equeſtri ordini, & ſociis Italicis inuiſus, cum raro prodiret in publicum, & domi, in obſcura quadam porticu, quotidianos cœtus haberet, accidit vt veſpere dimiſſurus multitudinem, exclamaret ictum ſe, & dicto citius cecidit. In iacentis femore deprehenſus eſt infixus culter ſutorius, ſic Appianus. Velleius ait percuſſum in atrio, laterique infixo cultro, & in vulnere relicto intra paucas horas expiraſſe. Fruſtra ergo caprinum ſanguinem biberat, cum pallore, & inuidia veneni ſibi dati inſimulare Q. Cæpionem inimicum vellet, vt ait Plin. [a] qui locus nimium feſtinanter à Sigonio lectus videtur. Non enim ait Plinius epotum à vulnerato, ſed potari ſolitum, & ad quid ſuſpicio veneni, ſica lateri inhærente?

Occiditur.

a L.28.c.9.

IX. *Leges eius irritantur.*

Eo mortuo nulla de eius cæde queſtio eſt habita; quin imo omnes eius leges, tanquam contra auſpicia latæ, Philippo Conſule referente, vno SC. ſublatæ ſunt. Erat quippe ei Philippus non ſine cauſa infenſus; quod cum interfari concionantem auſus eſſet, obtorta gula, & quidem non per viatorem, ſed per clientem ſuum, adeo violenter in carcerem præcipitem egiſſet, vt multus è naribus eius cruor profunderetur, vt ſcribit Valer. [b]

b L.9.c.5.

Lex contra ſocios Italicos.

Quin etiam ſcribit Appianus eo mortuo Equites autores fuiſſe Q. Valerio Tribuno plebis promulgandi legem contra eos, qui ſociis Italicis, pro ciuitate obtinenda, clam palámve fauiſſent. Cui rogationi cum Collegæ intercederent, equites vndique strictas ſicas intentando, effecerunt vt lex perferretur: ſtatimque ſubornatis accuſatoribus, plerique ſponte, alij damnati iudicio in exilium abiere, in quibus memorat Appianus Beſtiam, Cottam, Mummium Achaicum.

X. *Qui coniurant mutuo.*

Qvibvs cognitis ſocij Italici, deſperata ciuitate decreuerunt à populo Rom. deficere, eique bellum totis viribus inferre. Itaque per occultas legationes fœdus ineunt, datis vltro citróque obſidibus. Id vbi Romani ſenſere, miſerunt exploratores, qui rem accuratius diſcerent. Ex his vnus conſpicatus adoleſcentem Aſculanum, pro obſide ductum in aliam vrbem, indicauit Seruilio pro Conſule agente in illis regionibus. Seruilius propere Aſculum ingreſſus, dum oppidanos ab inceptis deterrere conatur, ab iis interficitur, quod defectionem proditam intelligerent: ſimulque Fonteius legatus ipſius interiit. Quibus ſublatis, nemini Romano parcitum eſt, omnes eodem oppidanorum impetu confoſſi ſunt, bonaque eorum direpta. Simulque patefacta defectione omnes finitimi populi arma corripiunt, qui à Liri amne vſque ad intimum Adriaticum ſinum continentur. 3. Addit Appianus legatos nihilominus Romam miſſos, qui quererentur ſe ad ius ciuitatis non admitti. Quibus cum Senatus ſatis ferociter reſpondiſſet, ſe legationem auditurum, ſi reſipuiſſent, non aliter: indignati totis viribus bellum pararunt. Hæc de apparatu belli hoc anno, quo tum Roma ipſa, tum vniuerſa Italia, aliarum prouinciarum cladibus & ruinis locupletata, modice caſtiganda erat.

Romanos occidunt.

Arma corripiunt.

Legatos mittunt.

3. X.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3963.

1. N. III. Ibi Pſeudoſcaliger vnius anni prochroniſmum agnoſcit, quod ſcilicet tribuatur conſulatui Philippi, quod tribuendum erat ſequentis anni conſulibus. Quæ diſcrepantia, inquit, pendet à Palilibus Varronianis. Sed meo iudicio fallitur. Nam Palilia Varroniana licet vno anno antecedant, faciunt quidem vt conſulatus aliquorum cadat, verbi gratia vno anno citius aut tardius, non autem vt res aliqua, ſub diuerſis conſulibus cõtigerit. Exempli cauſa. Palilia Varroniana faciant, vt conſulatus Ciceronis cadat in annum 690. vel 691. non autem vt coniuratio Catilinaria cadat in conſulatum Ciceronis, vel ſucceſſorum eius. Sic Varronis ſupputatio poteſt efficere, vt præſentes Conſules ſint a. V. C. 662. vel 663. Non vt bellum hoc inchoëtur ſub his Coſs. vel ſub ſeqq.

2. N. VI. Sed hæc luculentius Paterculus l. 2. vbi inter alia. Tribunatum iniit M. Liuius Druſus, vir nobiliſſimus, eloquentiſſimus, ſanctiſſimus, meliore in omnia ingenio, animóque, quam fortuna vſus: qui cum Senatui priſtinum reſtituere cuperet decus, & iudicia ab equitibus ad eum transferre ordinem; in iis ipſis, quæ pro Senatu moliebatur, Senatum habuit aduerſarium, non intelligentem, ſi qua de plebis commodis ab eo agerentur, velut ineſcandæ, illiciendæque multitudinis cauſa fieri, vt minoribus perceptis maiora permitterent. Denique ea fortuna Druſi fuit, vt malefacta collegarum, quam eius optime cogitata Senatus magis probaret; tum Druſi animus ad dandam Italiæ ciuitatem conuerſus eſt. Hæc fere Velleius.

Scribit Florus l. 3. c. 18. primùm in Albano monte fuiſſe conſilium, vt feſto die Latinarum Sex. Iulius Cæſar, & L. Marcius Philippus Conſules, inter ſacra & aras immolarentur. Quod nefas poſtquã proditione diſcuſſum eſt, Aſculo furorem in ipſa ludorum frequentia erupiſſe. Verum parum probabile eſt illud Flori conſilium de vtroq; Conſule in ſacrificio feriarum Latinarum interficiendo. Id enim ſacrificium in ipſo aditu conſulatus fiebat, vt ex multis locis Liuij patet (& conſuli poſſunt, quæ idem habet in fine libri 21.) at viuo tum Druſo, & multis poſtea menſibus, cum Italici maxima in ſpe eſſent ciuitatis, quid cauſæ erat cur ſpem omnem ſuam, tanto facinore temere præfocarent. Vel dicendum alium quempiam feſtum diem ab eo intelligi. 3. N. X.

ANNVS MVNDI 3964. SEXTAE AETATIS 448.

IMPERII GRÆCORVM 222. ANTIOCHI PII 6. PHILIPPI 3.

Demetrii Evcæri 2. Iannæi 13. Ptol. Lathvri 27.

Olympiadis CLXXII. an. 3. Vrbis Cond. 663.

Coss. L. Ivlio Cæsare, et P. Rvtilio Lvpo. Belli Ital. 2. Sex Iulius vocatur ab Appiano. l. 1. bel. ciu.

ANNVS ANTE CHRISTVM 89.

I. *Mors Antiochi Pij.*

FVIT hic poſterius Antiochi Pij, ſiue Euſebij filij Antiochi Cyziceni annus, iuxta ea quæ proximo anno dicebamus, de quo hæc habet Ioſephus.[a] *His duobus fratribus*, Philippo & Demetrio, *ſtrenue reſiſtens Antiochus breui extinctus eſt. Vocatus enim in auxilium Laodices Galadenorum Reginæ, cum Parthis bellum gerentis, fortiter in prælio dimicans occubuit, quo facto Syriæ regnum remanſit penes duos fratres Philippum atque Demetrium.* Ita Ioſephus. Huius Parthici belli nullam inuenio in Appiano mentionem. Regio porro Galadena trans Iordanem eſt, ad montem Galaad, ex quo & nomen habet, quam paulo ante Arabibus eripuerat Iannæus. Itaque aliam hic Galadenam, aliamque Laodicem Reginam inquiramus oportet. Dux erit inquiſitioni Græcus codex, perperam ab interprete verſus, cum fraude Orthelij in theſ. in voce Galada, & Tornielli hoc loco. In eo enim ita legitur. 1. Laodiceam enim profectus, vrbem ſcilicet, non mulierem, ſocietate inita cum Galadenorum regina, quæ cum Parthis bellum gerebat, fortiter pugnans cecidit. Laodiceam intelligo non Cœleſyriæ, 2. ſed Laodiceam Galatiæ, quæ à Ptolemæo Combuſta dicitur. Itaque & Galatenorum pro Galadenorum legendum reor.

a l. 13. c. 21.

1. χ.

κατακαυμένη.

2. χ.

Refertvr ad hunc annum in Euſebij Chronico mors Cleopatræ ab Alexandro filio, Lathuri fratre illata. De qua ita Iuſtinus l. 39. *Alexandrum filium*, inquit, *per legatos in regnum reuocat*, Cleopatra, *cui cum occultis inſidiis exitium machinaretur, occupata ab eodem interficitur, ſpiritumque non fato, ſed parricidio dedit. Digna prorſus hac mortis infamia, quæ etiam matrem thoro expulit, & duas filias viduas alterno fratrum matrimonio fecit, & filio alteri in exilium acto bellum intulit, alteri erepto regno exitium per inſidias machinata eſt.* Hanc porro cædem aliquandiu latuiſſe ibidem ſignificatur, vt ſeq. anno dicemus. II. *Mors Cleopatræ à filio.*

Qvod ad bellum Italicum attinet, ſcribit Appianus Italicos delectu habito, ad centum millia equitum peditúmque conſcripſiſſe: nec minores fuiſſe Romanorum copias, additis auxiliis ſociorum, qui in fide permanſerant. His præerant ambo Coſs. ambobus enim tam graue bellum committi placuit: quin & conſulibus additi ſunt legati, viri eius ætatis ſpectatiſſimi, Rutilio Cn. Pompeius, Magni pater, Q. Cæpio, C. Perperna, C. Marius, Valerius Meſſala. Cæſari autem, Sextus eius frater, P. Lentulus, T. Didius, Licinius Craſſus, Cornelius Sylla, M. Marcellus, ſingulis attributæ ſunt ſuæ prouinciæ, omnes proconſulari dignitate ornati. Quibus fortiſſimi duces ſociorum oppoſiti, multo maiorem Romanis intulere cladem, quam acceperunt. III. *Copia Romana, & Italica.*

Scribit Diodorus Siculus in ecloga 1. l. 37. Italicos imitatione Romanorum, Corfinium quaſi ſedem Imperij conſtituiſſe, ac pecunias commeatuſque ad belli vſum illuc contuliſſe, ibi curiam & Senatum quingentorum virorum elegiſſe, à quibus lata eſt lex, vt quotannis duo Conſules, ac duodecim imperatores crearentur, quorum dimidia pars dimidiæ Italiæ, altera reliquæ præeſſet. Primus Conſul creatus Q. Popedius Silo, Marſus natione, vir egregius, & C. Aponius Motulus, eiſque ſui duces aſſignati. A quibus ita hoc tempore pugnatum ſcribit, vt maximam partem ſuperiores eſſent. Et recte ille quidem. Nam vt habet fuſius Appianus, Sex. Iulius duobus millibus amiſſis, in Eſerniam compulſus eſt, quæ tum perſtabat in fide populi Rom. vnde L. Scipio & L. Acilius ſeruorum habitu elapſi ſunt, reliqui fame ad deditionem coacti. IV. *Italici Romanam Remp. imitantur.*

Duæ Romanæ cohortes Venafri, à Mario Egnatio conciſæ.

Perperna cum decem millibus obuiam hoſti factus, fuſus fugatuſque, ad 4. millia amiſit; reliqui maiori ex parte arma perdiderunt, ideoque Rutilius Coſ. reliquias exercitus eius C. Mario attribuit. *Eique magnam cladem inferunt.*

Licinius Craſſus à Lamponio victus, octingentis proſtratis, in Grumentum cum reliquis compulſus eſt. C. Papius Nola per proditionem occupata, Romanorum duobus millibus, qui in præſidio erant, per caduceatorem ad ſe traductis, comprehenſos duces inedia necauit, in iis L. Poſthumius Prætor Epit. 73. eoque exemplo multorum oppidorum dominus deditione factus eſt.

Rvtilivs Conſul à Vetio Catone inſidiis circumuentus, multis cæſis, multis Liri flumine abſorptis ex pugna ſaucius moritur 4. Idus Iunij: ei nemo ſufficitur, quod Cæſari non vacaret ad vrbem reuerti ad comitia: eius exercitum Senatus C. Mario & Q. Cæpioni commiſit. Conſulis autem cadauere, multorumque aliorum nobilium ad ſepulturam Romam delatis, cum triſtis tot ciuium luctus Rempublicam turbaret, S C. decretum eſt, vt corpora ibi humarentur vbi cecidiſſent. Quod ab Italicis quoque obſeruatum eſt. Scribit Oroſius,[a] Marium autorem fuiſſe Rutilio Conſuli propinquo ſuo, vt ſuos diutius intra caſtra contineret, atque exerceret; quod ille contemnens ſe in Marſorum inſidias coniecit. Verum Cæpio mox Q. Popedij transfugium ſimulantis fraude in inſidias delatus, cum multis interemptus eſt, reliquiæ exercitus Mario attributæ ſunt. V. *Cædes Conſulis, & alia clades.* [a] l. 5. c. 18.

Sextus Cæſar iterum peditum triginta millia, equitum quinque millia deducens per fauces quaſdam præruptas, Mario Egnatio ex improuiſo irruente, in vallem compulſus, lectica propter morbum delatus eſt ad fluuium quendam vnico ponte peruium, vbi maiore parte exercitus amiſſa, reliquis paſſim arma proiicientibus, ægre ſe recepit intra Teani mœnia.

Cn. Pompeius circa Falerinum montem fuſo fugatoque exercitu, intra Firmum compellitur, atque obſidetur. M. Marcellus cum Eſernia colonia in poteſtatem Samnitium venit. Epit. 73.

VI. *Clades Italicorum.*

Vice autem verſa C. Papius caſtra Conſulis temere oppugnare aggreſſus, iam parte valli conuulſa, emiſſo per auerſam portam equitatu, ſex millia circiter ſuorum amiſit.

C. Marius Marſos, qui eum adorti fuerant, egregie ad vineta vſque repulit, Sylla fugientibus alia ex parte occurrens, ad ſex millia interfecit, magna pars armorum in victoris poteſtatem venit.

Alij quoque hoſtium duces Afranius & Iudacilius, ille pugnando contra Pompeium cecidit, hic deſperata tuitione patriæ, cum ſui eius votis non reſponderent, hauſto veneno, etiam incendio perire voluit, ne patriæ ſupereſſet. Hæc initia malorum fuerunt, bellique cruentiſſimi, quale expectari à viris poterat, qui paribus inſtructi viribus, iiſdem bellis atque armis exercitati, iiſdem præceptis imbuti, ſumma inſuper animorum contentione inter ſe, auerſionéque certabant.

VII. *Diſpoſitio ad bellum Mithridaticum.*

Hoc ipſo anno maior acceſſit ad bellum Mithridaticum diſpoſitio. Nam cum nuper in Cappadociæ regnum à Sylla inuito Mithridate, reſtitutus eſſet Ariobarzanes, & Nicomedes in Bithyniam, & vterque mox artibus Mithridatis expulſus eſſet, Romani legationem in Aſiam mittunt, cuius princeps erat M? Aquilius, cum mandatis, vt cum armis L. Caſſij, qui Aſiam Pergamenam cum exiguo exercitu obtinebat, & opera Mithridatis, qui ſe adhuc amicum ſimulabat, vterque in regnum ſuum reſtitueretur. Mithridates ſuperioribus rebus offenſus, nihil iuuit, res tamen, additis etiam è vicino copiis, fœliciter perfecta eſt. Hæc cum ante Cn. Pompeium Conſulem facta ſignificet Liuius Epit. 74. ad hunc annum videntur pertinere.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3964.

1. N. 1. *Εἰς Λαοδίκειαν γὰρ ἐλθὼν σύμμαχος, τῇ τῶν Γαλαδηνῶν βασιλίσσῃ Πάρθοις πολεμούσῃ, μαχόμενος ἀνδρείως ἔπεσε.* Laodiceam enim profectus, belli ſocius Galadenorum reginæ, quæ bellum cum Parthis gerebat, fortiter pugnans cecidit.

2. Ibid. Etſi contra reges Syriæ à Parthis bella geſta apud Iuſtinum l. 41. & 42. legamus, & inter alia Phrahatem filium Mithridatis Parthi, Syriæ bellum inferre voluiſſe, in vltionem tentati ab Antiocho (Pio ſcilicet) Parthici regni.

ANNVS MVNDI 3965. SEXTÆ ÆTATIS 449.

REGNI GRÆCOR. 223. PHILIPPI 4. DEMETRII EVCÆRI 3.
Iannæi Regis et Pontificis 14. Ptolemæi Lathvri 28. Olympiadis CLXXII. an. 4. Vrb. Cond. 664.
Coss. Cn. Pompeio Straboni, et L. Porcio Catone. Belli Ital. 3. Mithrid. 1.

ANNVS ANTE CHRISTVM 88.

I. *Lathurus regno redditus pulſo fratre.*

ALEXANDRO Lathuri fratri, materna cædes inulta non fuit. *Nam vbi primum*, inquit Iuſtinus l. 39. *compertum eſt per ſcelus filij matrem interfectam, concurſu populi in exilium agitur, reuocatoque Ptolemæo regnum redditur, qui neque cum matre bellum gerere voluiſſet, nec à fratre armis repetere, quod prior poſſediſſet.* Alexandrini ad turbulentos motus proni, non minus quam Antiocheni, nihil præter morem ſuum fecerunt; quippe Lathurum iam ante, Cleopatra incitante, vrbe regnóque exegerant: nunc autem ſui ſe regis non ſolum iudices, ſed etiam punitores conſtituunt; & quidem Regis culpa vacui. Is enim, vt ſupremus Iudex, infandum mulieris caput, vel ob vltimam hanc & filij & Regis attentatam cædem, morti dedere iuſtiſſime potuit, atque adeo debuit: ne illa deinceps regum capitibus de more illuderet. Itaque neque nefanda cædes, neque per ſcelus perpetrata rectè à Iuſtino dicitur.

II. *Alexandri teſtamentum, & mors.*

Porro in hunc annum refert eius mortem Euſeb. in Chron. quoniam ſequenti reſtituit regno Lathurum. Romæ autem iactatum eſt Alexandrum moribundum populum Ro. hæredem Ægypti teſtamento reliquiſſe: quod non obſcure tradit M. Tul. init. orat. primæ in Rullum. *Dicent enim decemuiri*, inquit, *quod etiam dicitur à multis, & ſæpe dictum eſt, poſt eoſdem Conſules, regis Alexandrini teſtamento, regnum illud populi Rom. eſſe factum.* Sic ibi. Intelligi autem arbitror ſeq. anni Coſs. Syllam & Pompeium, vt ex eadem Rulliana cognoſci poteſt. Et oratione 2. Alexandrum nominat, & Tyri mortuum ſignificat. *Quis*, inquit, *veſtrum hoc ignorat, dici illud regnum teſtamento Regis Alexandri, populi Ro. eſſe factum?* & mox, *video qui teſtamentum factum eſſe confirmet, autoritatem Senatus extare hæreditatis aditæ ſentio, tum quando Alexandro mortuo legatos Tyrum miſimus, qui ab illo pecuniam depoſitam noſtram recuperarent.* Hæc ibi. Si ergo hoc anno mortuus eſt Alexander, ad hunc quoque annum eius teſtamentum pertinere neceſſe eſt: res vero emanauit, atque innoteſcere Romæ cœpit ſequentibus Coſs. Apparet autem vi caruiſſe teſtamentum, quando in viuis erat Latyrus regni hæres, ac natu maior Alexandro.

III. *Iannæus diu tumultuatus cum ſuis.*

Interea Demetrius & Philippus in Syria regnabant. Ieroſolymis autem Alexander Iannæus, ſextum iam annum à clade Arabica, cum ſuis variis cædibus tumultuabatur. Ea de re ita Ioſephus. *Iannæus delatus fuga Hieroſolyma ſuper acceptam cladem, per ſex annos à ſua gente bello vexatus, non minus quam quinquaginta millia Iudæorum occidit:* Et cum eos hortaretur ad reconciliationem, adhuc magis eorum accendit odia, dum roganti quid ſe vellent facere, vno ore reſponſum eſt, vt ſe interficeret. Móxque miſerunt ad Demetrium Eucærum, qui ab illo auxilia peterent. Quoniam enim ad ſe ipſi perdendos non ſufficiebant, alienos inuitarunt, nec fruſtra. Ille enim cum exercitu veniens, coniunxit ſe cum eis qui ſe acciuerant; ſed bellum in ſequentem quoque annum protractum eſt. *Qui Eucærũ euocant.*

IV. *Cæſar Proconſul moritur.*

Ambo Conſules hoc quoque anno bellum Italicum ſortiti ſunt, & nihilominus vt autor eſt Appianus, imperium conſulare Cæſari prorogatum eſt, cum Proconſul 20. millia hoſtium, dum caſtra mouent aggreſſus, ſtrauit ex eis octo millia: ſed mox ad Aſculum dum hæret diutius, morbo abſumptus eſt.

Dum hæc ad ſuperum mare aguntur, diuerſa parte Hetruſci & Vmbri cum quibuſdam finitimis ad defectionem ſpectabant. Eo nouo metu accedente Senatus libertos tum primum admiſit ad militiam; ſociis vero, qui etiam tum in officio manebant, decreuit ius ciuium. Quo decreto per Hetruriam vulgato, eodem beneficio & amicos deuinxit amplius, & dubios in fide retinuit, & hoſtem ſimilia ſperantem mitiorem reddidit. *Paulatim*, inquit Velleius, *recipiendo in ciuitatem, qui arma aut non ceperant, aut depoſuerant maturius, vires refectæ ſunt, Pompeio, Sullaque, & Mario fluentem, procumbentemque Remp. reſtituentibus.* *Sociis fidelibus ius ciuium datur. Liberti militant.*

V. *Alia Italicorum clades.*

Interea ſuperioris maris accolæ, ignari mutatæ ab Hetruria ſententiæ, dum eo ſe cum 15. millibus per deuios calles conferunt, eos aggreſſus Cn. Pompeius Coſ. ad quinque millia occidit: reliqui dum ad ſuos ſe recipiunt, dimidia ex parte tam fame, quam frigore perierunt.

Mors L. Catonis.

Eadem hyeme L. Porcius Cato, hic patruus fuit Catonis Vticenſis, nepos Catonis Cenſorij,[a] Pompeij Collega, Marſis bellum inferens occiſus eſt. Id explicans Oroſ. Porcius Cato Conſul, inquit, Marianas copias habens, cum aliquanta ſtrenue geſſiſſet, gloriatus eſt C. Marium non maiora feciſſe. Et ob hoc cum ad lacum Fucinum contra Marſos bellum gereret, à filio C. Marij, tumultu belli, quaſi ab incerto autore proſtratus eſt.

[a] Gell. l. 13. c. 18.

VI. *Res à L. Sylla geſta.*

L. Sylla cum præpropere in Italicum Cluentium impetum feciſſet, victus ac fugatus eſt: mox receptis pabulatoribus, eundem profligauit Cluentium, & caſtra longius coëgit metari. Qui deinde aſſumptis auxiliis Gallicis, cum rediiſſet ad pugnam, ingente Gallo ab exiguo Numida ſingulari certamine proſtrato, metus Cluentianis iniectus, totum exercitum incitauit ad fugam: in qua dum Nolam trepidi refugiunt, ad 30. millia ceciderunt. Cumque per vnicam portam reciperentur, metuentibus Nolanis ne hoſtes ſimul irrumperent, cæſa ſunt circa muros alia 20. millia, & in his Cluentius fortiter pugnans occubuit. Inde Sylla cum in Hirpinis quoque, & Samnio rem bene geſſiſſet, & Mutilum ſauciaſſet, eiuſque caſtra expugnaſſet, Romam petendi conſulatus cauſa profectus eſt.

VII. *Et à Põpeio Conſule contra Aſculanis.*

POMPEIVS interea Marſos, Marrucinos, Veſtinoſque ſubegit, vt ait Appianus, valde breuiter. Addit ergo Oroſius, Pompeius diu obſedit Aſculum ciuitatem, nec tamen expugnauiſſet, niſi populum in campum prorumpentem grauiſſima oppreſſione viciſſet. Decẽ & octo millia Marſorum in ea pugna cum Fráco imperatore ſuo cæſa ſunt, capta tria millia. Quatuor autem millia Italicorum virorum, ex ea cæde profugorum, iugum montis, coacto in vnum agmine, forte conſcenderant, vbi oppreſſi exanimatique niuibus, miſerabili morte riguerunt. Et infra Aſculum ingreſſus præfectos, centuriones, cunctoſque principes eorum virgis cecidit, ſecurique percuſſit, ſeruos prædamque omnem ſub haſta vendidit, reliquos liberos quidem, ſed nudos & egentes abire præcepit.

VIII. *In Ærarij penuria ſacra bona capiuntur.*

NEC tamen quicquam in egentiſſimum atque exinanitum ærarium contulit; adeo vt ipſa Roma, adigente inopia, poſt coaceruatas tot vrbium ac prouinciarũ prædas, ſua ipſa loca pontificibus, auguribus, ſacerdotibus erepta, vendere cogeretur. Hæc pluribus Oroſius. Appianus in Mithridate ait Senatuſconſulto decretum, vt venderetur quidquid Numa Pompilius ſolennibus deorum ſacris dicauerat, indeque nouem millia librarum auri confecta (id eſt nongenta millia coronat.) nec plus in bellum Mithridaticum inſumptum fuiſſe. De Aſculanis autem ac Picentibus triumphaſſe Pompeium 6. Calend. Ian. hoc ipſo anno, habetur in tab. Capitolinis.

Pompeii triumphus.

Rem quoque à C. Coſconio Prætore bene geſtam in hoc bello perſequitur Appianus, illudque in primis refert, cum prælium contra Trebatium iniſſe, permiſſo ei fluuii tranſitu, victumque in flumen egiſſe præcipitem; adeo vt 15. millia deſiderata fuerint. Nunc cum eodem tranſeamus in Aſiam.

IX. *Mithridates à Romanis iniuria afficitur.*

IN Aſia enim res vehementius turbari cœperunt. Hunc porro annum primum Mithridatici belli merito ponimus, ante L. Syllæ Conſulatum. Hoc enim primum tempore, omni diſſimulatione ſoluta, à Mithridate, contra tres Romanorum duces, feliciter pugnatũ eſt. Nam, vt ſcribit idem Appianus in Mithridaticis, cum L. Caſſius & M. Aquilius Nicomedem, & Ariobarzanem, in Bithyniam & Cappadociam ſua regna reduxiſſent, ambobus ſuadebant, vt vicinam Mithridatis ditionem, incurſionibus vexando materiam belli quærerent, oſtentantes ſpẽ auxilii: neuter tamen tam potentem aduerſarium audebat laceſſere. Sed Nicomedes tum legatis vrgentibus, tum ære alieno grauãte, inuitus in ditionem Mithridatis irrupit, & vſque Amaſtrim vrbem populatus eſt. Mithridate, licet paratas haberet copias, quieſcente, vt multas iuſtaſque belli cauſas haberet.

X. *Apud eos fruſtra expoſtulat.*

ITAQVE ad Romanos duces, quorum voluntate hæc facta non ignorabat, Pelopidam oratorem mittit expoſtulatum, cum ſuæ ac paternæ aduerſum Romanos amicitiæ, & ſocietatis commemoratione, pro qua, præmii loco, Regi Phrygia, & Cappadocia iniuſte adempta ſit; & nunc permittatur Nicomedes in ipſorum oculis eius agros populari; petere vt iniuriam vendicent, aut certe vindicari patiantur, non miſcentes ſe alienis periculis, & laboribus. Cumque Nicomedis legati culpam in Mithridatem, à quo primum iniuriæ initium factum eſſet, con iicerent. Romani, etſi iam Nicomedi auxilia decreuerant, prudenti tamen conſilio reſponderunt, neque placere ſibi Mithridatem moleſtia affici à Nicomede, neque Nicomedem bello affici paſſuros. Eam reſponſionem cum Pelopidas vellet redarguere, à concilio dimiſſus eſt.

XI. *Occupat Cappadociã*

MITHRIDATES autem, vt aperte læſus à Romanis, miſit cum magna manu Ariarathem ad occupandum regnum Cappadociæ, qui mox Ariobarzane pulſo ibi regnauit. Tum Pelopidas iterum à Mithrydate ad Romanos duces mittitur expoſtulatum de Nicomede, & ipſorum conniuentia, & ludificatione. Petit vt ad Senatum Romanum diſceptaturi veniant, neque tantum bellum inſcio S. P. Q. R. aggrediantur. Quæ oratio cum viſa fuiſſet inſolentior, iuſſerunt Mithridatem abſtinere à Nicomede & Cappadocia, Pelopidam ſtatim caſtris excedere, & niſi Rex iuſſa faciat, non redire amplius.

Bellum paratur.

Romanorũ copia.

Itaque Romani duces, non expectata ex vrbe de tanto bello ſententia, copias cõtrahunt è Bithynia, Cappadocia, Paphlagonia, Gallogræcia, & cum naualibus pedeſtribuſque quas habebant, coniungunt. Duces erant L. Caſſius. M? Aquilius, Q. Oppius, cum quadragenis peditum equitumque millibus, habebant & claſſem

cui Minucius Rufus, & C. Popilius præerant, ad oris Ponti cuſtodiam. Iuuabat eos & Nicomedes, cum peditum quinquaginta, equitum ſex millibus.

X. *Ingẽs Mithridatis exercitus.*

MITHRIDATES autem habebat in exercitu ſuo 250. millia peditum, equitum quadraginta millia, naues tectas trecentas, biremes centum, aliumque tanti exercitus conuenientem apparatum. Præerant his copiis Neoptolemus, & Archelaus duo fratres, & ipſe Rex per ſe plurima adminiſtrabat. Arcathias Mithridatis filius, adduxerat ex Armenia minore decem millia equitum, Dorylaus Phalangitis præerat (hæc eſt grauis peditum armatura) Craterus centum triginta falcatis curribus. Ne multa, pugnatum eſt, cum adhuc Mithridatis phalanx eſſet in itinere, & diu alternante victoria, tandem ſuperior fit Mithridates, incredibili ſtrage à falcatis curribus edita: & caſtris potitus prædaque omni, captiuos omnes benigne tractatos cum viatico domum remiſit, ad colligendam clementiæ famam, ſibique vniuerſam Aſiam beneuolentia colligendam. Caſſius Apameam cum reliquiis copiarum ſuarum, Nicomedes Pergamum, Manius Rhodum verſus receſſit.

Et victoria.

XI. *Nicomedis ditione potitur.*

QVÆ vbi audierunt oris Ponti cuſtodes, diſperſi ſunt, clauſtris Ponti, & Nicomedis nauibus Mithridati traditis. Ille vno impetu tota Nicomedis ditione potitus, eam obibat, ciuitates conſtituens, & ordinans, & Phrygiam, Romanorumque prouincias percurrens, ſibique ſubiiciens. Q. Oppium à Laodicenſibus proditum, ſecum ducebat illæſum & ſolutum, oſtentabatque captiuum ducem Romanum. Nec multo poſt M. Aquilium legationis huius, & belli autorem præcipuum, captum, vinctumque in aſino circumuehebat, coactum ſuapte voce apud ſpectatos proclamare ſe eſſe Manium, donec ſequenti anno Pergami aurum liquatum in os eius infudit, in corruptelarum exprobrationem. Athenio quidam (hunc videtur Ariſtionem appellare Appianus in Mithridaticis) nuper ludimagiſter, tyrannidem hac ipſa occaſione Athenis inuaſit, contempto Romanorum imperio, quaſi iam à Mithridate profligato. Is apud Athenæum l. 5. de his ducibus captis meminit, aitque M. Aquilium Conſularem atque triumphalem, longa nexum catena, cum Baſtarne quodam procero cubitos quinque, peditem ab equite circunductum fuiſſe. Hæc Mithridatici belli præludia fuerunt.

Et Romanis ducibus, quibus inſultat.

ANNVS MVNDI 3966. SEXTAE AETATIS, 450 IMPERII GRÆCORVM 224. PHILIPPI 5. DEMETRII EVCÆRI 4. IANNÆI IVDÆORVM REGIS AC PONTIFICIS 15. PTOLEMAEI LATHVRI 29. OLYMPIADIS CLXXIII. AN. 1. VRBIS CONDITAE 665. COSS. L. CORNELIO SYLLA, & Q. POMPEIO RVFO, a BELLI ITALICI 4. & vlt. MITHRIDATICI 2. CIVILIS 1.

a Pōpeius Rufus in Euſeb. Chron. Græco Silon cognominatur ΣΕΙΛΩΝ.

ANNVS ANTE CHRISTVM 87.

I. *Res anni huius, & primum Syriaca.*

COPIOSAM malorum ſegetem, aut meſſem potius in damna Romanorum ſuggerit hic annus Olympicus, qui Olympionicam habuit eundem Parmeniſcum, qui tertia ab hinc Olympiade victor fuerat: quo anno vniuerſa Aſia, vicinæq. prouinciæ, quo Italia, quo Roma ipſa concutitur; ſed prius pauca de rebus Syriacis dicamus.

Demetrius in Iannaũ mouet.

Demetrius Eucærus Philippi frater, Iudæorum accitu cum exercitu venit, vtique ſperans ſe vna parte ſubiugata, altera facile potiturum, itáque Iudæam, à Syriæ regibus amiſſam, paulatim recuperaturum. Ei Iudæi Alexandri Iannæi hoſtes occurrunt, & iunctis copiis circa Sicima caſtra ponunt, in quibus erant equitum

tria millia, peditum quadraginta. Alexander vero cum mercenariorum ſex millibus, & ducentis inſuper, Iudæorumque ſuæ factionis viginti millibus illi occurrit. Nec ſtatim ad manus ventum eſt; multa quippe prius vtrimque tentata, dum Demetrius mercenarios Iannæi, vtpote Græcos ad defectionem ſollicitat, Iannæus vero ſtantes cum Demetrio Iudæos. Sic Ioſephus, qui Græcos vocat Iannæi auxiliares, latius ſumpto vocabulo; nam Piſidas & Cilicas fuiſſe paulo ante dixerat, Græci tamen dicuntur, quia Græcis parebant, ſiue principibus è Græcia, vel Macedonia oriundis. Eadem vocabuli laxitate etiam regnum Græcorum, cuius extrema perſequimur, appellatur.

II. *Et vincit.* Pergit Ioſephus. Sed quia neuter his artibus quicquam proficiebat, poſtquam viſum eſt armis decernere, victoria penes Demetrium fuit. In quo prælio miles Alexandri conductitius ad vnum cæſus eſt, nauata prius forti ac fideli opera. Ex Demetrianis quoque multi deſiderati ſunt. Cæterum poſtquam Alexander ad montes perfugit, miſerati eius fortunam Iudæi, ſex circiter millia ad eum confluxerunt, quorum metu Demetrius retro abiit. Ita Ioſephus; qui non ſatis probabiliter, cauſam huius metus ac diſceſſus expreſſit; quomodo enim victor Demetrius, & copiis potentior, metu ſex millium retro abiit, qui multo plura millia aggreſſus conciderat? Dicendum potius, iuxta ea quæ deinceps à Ioſepho narrantur, cum ſibi à Philippo fratre metuiſſe, à quo & mox captus eſt, vt ſequenti anno dicetur.

III. *Italici belli reliquiæ. Metellus Apulos vincit.* Italicvm bellum hoc anno maxima ex parte ſopitum eſt. Nam, vt ſcribit Appianus, cum Coſconius Prætor plurimis Italiæ populis deditione potitus eſſet, ſucceſſor eius Cæcilius Metellus accepto exercitu Apulos adortus prælio vicit, in quo Popedius, vnus de defectionis authoribus cecidit, reliquiæ cladis cateruatim ad victorem transfugerunt. Diodorus Siculus l. 37. ait rem à Metello geſtam ad Venuſiam Apuliæ vrbem, & ea expugnata, Italos dum ſe deficere, Romanos inualeſcere cernerent, miſſis ad Mithridatem legatis petiiſſe, vt in Italiam cum exercitu, ad opprimendos Romanos traiiceret; quod ille ſe facturum reſpondit, ſimulatque Aſiam ſuæ ditioni ſubiugaſſet. Quo audito Italici, ſpe atque opibus deiecti, animos deſpondebant: pauci erant reliqui Samnites & Lucani, qui belli reliquias fouebant. Itaque bellum Sociale, ait Appianus, maxima contentione geſtum elanguit, cum priuatim vniuerſa Italia ciuitatem Romanam adepta eſt, præter Lucanos & Samnites, qui & ipſi aliquanto poſt compotes voti effecti ſunt. Quadriennio, inquit Eutropius l. 5. cum graui calamitate hoc bellum tractum eſt, quinto demum anno finem accepit per L. Cornelium Syllam Conſulem, cum antea in eodem bello ipſe multa ſtrenue Prætor geſſiſſet. Sic ipſe: plurimi tamen hunc annum belli quartum numerant, nonnulli etiam, vt ſupra diximus, tertium.

IV. *Cornelius Sylla magno fauore fit Conſul.* Interea Sylla cum rebus proxime in Italia, nuper in Aſia, & iamdudum in Gallia, Africaque geſtis clareſceret, Conſulatum petens, eum omnium pene ciuium ſuffragiis, vndequinquageſimo ætatis ſuæ anno aſſecutus eſt, vt tradit Velleius l. 2. ex quo ſequitur eum anno Vrb. Cond. 617. natum eſſe, P. Furio Philo, & Sext. Attilio Serrano Coſſ. Syllæ collega datus eſt Q. Pompeius, adiuuante, vt par eſt credere, Sulla cognato, qui filiam ſuam Pompei filio vxorem dederat. Syllæ bellum Mithridaticum, Aſiaque prouincia ſorte obtigit. Cumque vrbe egreſſus circa Nolam moraretur; ea quippe adhuc vrbs, vt inquit Velleius, pertinaciſſime arma retinebat, exercituque Romano obſidebatur, P. Sulpicius Trib. pleb. acer, ac diſertus, gratia opibuſque florens, C. Mario poſt ſeptuageſimum annum omnia imperia, omneſque prouincias concupiſcenti, quique imprimis belli Mithridatici cupiditate flagrabat, ſeſe addixit, C. Iulio Cæſari, cognomine Straboni, qui Ædilitius omiſſa Prætura Conſulatum, bellumque Mithridaticum, & ipſe ambiebat, fortiter reſtitit.

V. *Origo ciuilis belli Mariani.* Ea videlicet ambitio Marii, ingentium malorum populo Romana cauſa fuit, & ciuilis belli, cuius funeſta fax fuit ille Sulpicius, qui legẽ ad populum tulit, qua Syllæ imperium abrogabatur, C. Mario bellum decernebatur Mithridaticũ, aliaſque etiam leges pernicioſas ciuitati tulit, in quibus vna fuit de libertinorum ſuffragiis, teſte Pædiano, alia de reuocandis exulibus, nouiſque ciuibus in tribus re-

ferendis, eodem ſcilicet iure quo veterani ciues, teſte Appiano. Quin etiam Conſulis filium Syllæ generum, liberius aliquid contra Sulpicium locutum, ait Appianus, per emiſſarios factionis ſuæ interfecit. Plutarchus in Mario ait Syllam in vrbe hoc tempore fuiſſe, & periculum adiiſſe, cum gener eius eſt occiſus; & in Marii domum ſe, præter expectationem omnium conieciſſe, itáque euaſiſſe in caſtra. Appianus quoque minus probabiliter Syllam adhuc in vrbe moratum dicit, nec eius ambitionem ſatis facit ſuſpicacem. Sed cum Velleio ſentit etiam Diodorus, Florus, Epit. 77. Eutropius l. 5. Quin ipſe quoque mox in communem opinionem delabitur.

HIS cognitis proprii honoris vindex Sylla contracto exercitu ad vrbem rediit, cum ſex legionibus, ait Appianus: Plutarchus, cum triginta millibus peditum, quinque equitum, eamque inita cum Marianis pugna, victor armis occupauit; eoque primum tempore Romanus exercitus hoſtiliter patriam ingreſſus eſt, datumque deinceps exemplũ, ciuium contentiones armis diiudicandi, ait, Appianus. Sylla 12. autores nouarum rerum, inter quos Marium cum filio, & P. Sulpicio, vrbe exturbauit, ac lege lata exules fecit. Appianus pleroſque eorum nominat, aitque hoſtes iudicatos ac proſcriptos, data cuiuis eos occidendi poteſtate, boniſque ipſorum publicatis. Sulpicium etiam aſſecuti equites, in Laurentinis paludibus iugulauere; caputque eius erectum, atque oſtentatum pro roſtris, velut omen imminentis proſcriptionis fuit. VI. *Vrbẽ Sylla victor occupat.*

MARIVS poſt ſextum Conſulatum, annoque ſeptuageſimo nudus, ac limo obrutus, oculis tantummodo ac naribus eminentibus, extractus arundineto circa paludem Maricæ, in quam ſe, fugiens conſectantes Syllæ equites, abdiderat, iniecto in collum loro in carcerem Minturnenſium iuſſu duumuiri perductus eſt; ad quem interficiendum miſſus cum gladio ſeruus publicus, natione Germanus, qui eo imperatore bello Cimbrico captus fuerat, vt agnouit Marium magno eiulatu ſe prodentem, indignatione caſus tanti viri, abiecto gladio profugit è carcere. Miſericordia moti eodem exemplo Minturnenſes, veſte ac viatico inſtructum in nauem impoſuerunt; qui filium circa Ænariam aſſecutus, curſum in Africam direxit, inopemque vitam in tugurio Carthaginienſi duxit. Hæc fere Paterculus, quæ fuſius recenſet Appianus, lib. 1. & Plutarchus in Mario, & M. Tullius poſt reditum ad Quirites. Nonnulla etiam diuerſimode. Quomodo autem Marius iunior euaſerit, apud Plutarchum leges. VII. *Marii fuga & periculum.*

INTEREA Sylla præmiſſo exercitu redit in Campaniam, inde traiecturus in Aſiam. Romæ autem profugorum factio ſuorum reditum omni ſtudio, vel cum pernicie Conſulũ, deſiderabat, quibus incolumibus res confici nõ poterat. Et Sylla quidem cum exercitu ſatis tutus erat. Alterius periculum miſeratus populus, Italiam ei decreuit, & alterum exercitum, qui Cnæi Pompeii proconſulis auſpiciis militabat, quod cum hic ægerrime tuliſſet, tumultu ſuorum excitato, eum quamuis diſſimulanter interficiendum curauit; quidam inter ſacrificandum occiſum ferunt. Atque ita populus, dum Pompeii Conſulis incolumitati ſtudet, eum præcipitem egit in ruinam. Ea re cognita Sylla maturauit in Aſiam traiicere, vbi Romana res peſſime habebat. VIII. *Alterius Conſulis periculum & cædes.*

HÆc enim dum Romæ atque in Italia fiunt, Mithridates ſatrapis omnibus ſuis, ciuitatumq. magiſtratibus ſcripſit ſecretas literas, vt vniuerſi ad eandem diem trigeſimam, inuaderent armis Romanos, Italicoſque hoſpites, cum vxoribus, liberis, domeſticiſque omnibus, & occiſos inſepultos abiicerent, bona eorum partim Regi, partim percuſſoribus cederent. Seruo libertatem promiſit, ſi herum occidiſſet, debitori vero creditorem necanti dimidium pecuniæ. Ea cædes crudeliſſime perpetrata eſt, magna ex parte in templis, ad quæ confugerant. Plutarchus in Sylla centum quinquaginta millia ciuium Romanorum vno die cæſa tradit. Interea Rex cum claſſe Rhodios aggredi pararet (qui pene ſoli in fide Romanorũ perſtiterant, eoſque etiam vndique fugientes ſtudioſe collegerant; L. Caſſium in primis Aſiæ proprætorem) in Coum inſulam traiecit, vbi inuenit Alexandri, qui in Ægypto regnarat, filium (Lathuri ſcilicet Nepotem) cum multis pecuniis ibi ab auia Cleopatra relictum: quem aſſumpſit, educauitque regie, & de theſauris Cleopatræ, magnam vim in Pontum miſit. IX. *Ingentes Mithridatis ſucceſſus in Aſia & Europa. Romanorũ cædes. Rhodiorum fides.*

X. *Eos fruſtra oppugnat Mithridates.* INDE cum multo apparatu nauium, machinarum, ſtratagematum, Rhodios fruſtra aggreſſus, cum multis ac variis ex ea inſula damnis, ignominiaque regreſſus eſt: quæ fuſius apud Appianum leges, ſicut & ipſius ducum meliore euentu geſta, à Pelopida in Lycia, Archelao in Græcia, ab Ariarathe filio in Thracia, & Macedonia, à Metaphane in Eubœa, Demetriade & Magneſia: vſque ad Syllæ aduentum in Græciam, cum quinque legionibus & cohortibus aliquot. Ibi mox pecuniis, auxiliis, commeatuque ex Ætolia & Theſſalia accerſito, contra Archelaum tranſiuit in Atticam: in quo itinere pene tota Bœotia cum Thebis ad ipſum defecit, eadem leuitate, qua ad Archelaum, & Mithridatem paulo ante defecerat. IANNÆI IMMANIS CRVDELITAS IN SVOS.

Sylla aduẽtus in Græciam. Dux Romanus poſtquam attigit Atticam, miſſa parte copiarum ad oppugnãdum in vrbe Ariſtionem (Athenionem vocat Athenæus, vt ſupra dixi) ipſe recta Piræeum petit, vbi ſe Archelaus intra muros receperat, quadrato ſaxo ad quadraginta cubitorum altitudinem erectos. Ad Piræeum vario euentu ad hyemem vſque certatum eſt. Quo tempore princeps Academiæ Philo, cum Athenienſium optimatibus Romam profugit, cui ſe Cicero erudiendum tradidit, admirabili quodam ad Philoſophiam ſtudio incitatus, cum annum ætatis ageret vndeuigeſimum, ſiue, vt ait Plutarchus, cum è pueris exceſſiſſet.

ANNVS MVNDI 3967. SEXTÆ ÆTATIS 451.

IMPERII GRÆCORVM 225. PHILIPPI 6. DEMETRII EVCÆRI 5. & VLT. IANNÆI REGIS ET PONTIFICIS 16. PTOLEMÆI LATHVRI 30. OLYMPIADIS CLXXIII. AN. 2. VRBIS CONDITAE 666. COSS. L. CORNELIO CINNA, CN. OCTAVIO
BELLI MITHRIDATICI 3. Nepote in Euſ. Chro.
CIVILIS 2.

ANNVS ANTE CHRISTVM 86.

I. *Immaniſſimum facinus Iannæi.* IVDÆI auxilio Demetrii deſtituti, nec tamen depoſito in Alexandrum Iannæum odio, propriis viribus aduerſus eum bellum geſſerunt; ſed ſemper victi, multos è ſuo numero amittebant, inquit Ioſephus. Tandem potentiſſimos eorum compulſos in Bethoma oppugnauit, & capto oppido redactos in poteſtatem, abduxit Hieroſolyma, vbi facinus commiſit longe immaniſſimum. Epulans enim cum concubinis excelſiore loco, vnde proſpectus patebat, ad octingentos iuſſit crucibus ſuffigi, & in conſpectu adhuc viuentium, iugulauit vxores eorum, & liberos, pœnas exigẽs pro acceptis iniuriis: propter quam crudelitatem Thracidæ cognomen, apud Iudæos inuenit. Hæc Ioſephus pluribus, additque à ſuis compulſum Iannæum, vt quæ loca in Moabitica, & Galaaditica regione ſubegerat, reſtitueret Arabibus, ne & ipſi arma ſua aduerſus eum cum inimicis coniungerent; ſed quo potiſſimum tempore id ab eo factum ſit, ex Ioſepho intelligi non poteſt. l 13. c. 22.

II. *Demetrius à Philippo fratre victus.* DEMETRIVS autem relicta Iudæa, profectus Berœam (ea eſt Syriæ ciuitas ad Singam fluuium, iuxta Hierapolim ciuitatem apud Ptolemæum tab. 4. Procopius tamen ait eam mediam eſſe inter Antiochiam & Hierapolim, & ab vtraque diſtare vnius diei itinere, vt notauit Ortelius,) Philippum fratrem ſuum oppugnauit in ea, habens decem millia peditum, & mille equites. Straton vero Berœæ tyrannus, & Philippi ſocius Zizum principem Arabum exciuit, & Mithridatem Sinarem Præfectum Parthorum: qui poſtquam venerunt, cum magno exercitu Demetrii caſtra oppugnauerunt, & tam ſiti, quam miſſilium telorum multitudine, deditionem cum ſuis facere coëgerunt: abductaque ex ea regione præda maxima

Demetrium captiuum ad Mithridatem Parthorum regem miſerunt. Fuit hic Mithridates frater Pharnacis, vel Phrahatis, qui decedẽs multis ſuperſtitibus filiis, iis prætermiſſis, Mithridati fratri reliquit imperiũ, patriæ potius, quam liberis cõſulendum ratus, vt ait Iuſtinus. Hic regem Demetrium apud ſe magno in honore habuit, donec ibi morbo abſumptus eſt, vt ait Ioſephus: qui addit Philippũ ſtatim poſt hanc pugnam profectum Antiochiam, totius Syriæ regno potitum eſſe.

li.41.

III. *Cinna fit Conſul.*

Interim Romæ bellorum ciuilium incendium ſuperiore anno excitatum, vehementius inflammatum eſt, L. Cornelio Cinna faces iniiciente. Is creatus eſt Conſul, tametſi Marii, cæterorumque profugorum partibus faueret, ſiue à Sylla plebem mitigare cupiente, antequam in Aſiam pergeret, vt Plutarcho placet: ſiue potius, illo in Græcia, atque Athenis rem gerente, ab eius amicis; exacto prius ab eo iureiurando, de conſeruanda cum Sylla amicitia; quod ille præſtitit, manuque in Capitolio lapidem tenens, execratus eſt in caput ſuum, vt ita vrbe exigeretur, ſicut lapidem proiiciebat manu, niſi amicitiam & fidem cum Sylla ſeruaret. Sed mox inito magiſtratu, ſe amicis exulum dedit. Nam cum ciuitas ita data eſſet Italicis, vt in octo tribus noui ciues contribuerentur, ne potentia eorum, & multitudo veterum ciuium dignitatem frangeret, vt ait Velleius, amici Marii oſtentabant Marii propoſitum, de iis ad tribus veteres admiſcendis, vt eorum opera ab exilio cum ſuis reuocaretur.

Dat Sylla fidem.

Frangitq.

IV. *Tranſit ad Marianos.*

Mariani ergo Cinnam ad ſe traxerunt, trecentis talentis, vt tum ſuſpicio fuit, corruptum, vt ſcribit Appianus. Itaque in omnibus tribubus eos ſe diſtributurum pollicitus, ingentem totius Italiæ frequentiam in vrbem acciuit: cum quibus præoccupato foro, & ſicis veſte tectis, vim parabat, vt lex ferretur: & Tribuni qui intercedebant, de roſtris pellebantur. At pro veteribus ſtabat alter Conſul Octauius, qui & ipſi vim vi repulſuri, cum Conſule in forum veniunt, & Italicos non ſine cæde diſſipant.

Magiſtratu deiicitur.

Cinna vbi vidit victos ſuos, per vrbem diſcurrens ſeruos vocabat ad pileum, ſed nemine occurrente, vrbe egreſſus ad nouos ciues ſollicitandos, Nolam vſque profectus eſt. Eum Senatus, quod in periculo deſeruiſſet Remp. & ſeruos vocaſſet ad pileum, nec ciuem eſſe iudicauit, nec Conſulem; ſubrogauitque in eius locum L. Cornelium Merulam flaminem dialem.

V. *Ab exercitu Nolano receptus*

Tvm Cinna, vt inquit Velleius, corruptis primo centurionibus ac tribunis, mox etiam ſpe largitionis militibus, ab eo exercitu qui circa Nolam erat receptus eſt. Paulo hæc plenius Appianus. Magiſtratus, ait, tribunos, & Senatores quotquot aderant, conciliauit ſibi, progreſſuſque in concionem, priuato cultu, ſine faſcibus lacrymabundus, multa ad irritandam concionem de miſeriis ſuis queſtus eſt, deque irritatis eorum ſuffragiis, quibus Conſul factus eſſet: poſtremo veſte ſciſſa de ſuperiore loco deſiliit, humique proſtratus diu in medio iacuit, donec hominem miſerati, ſublatum in ſellam repoſuerunt, redditiſque faſcibus bono animo eſſe, ac Conſulẽ agere iuſſerunt. Cum totus exercitus in eius verba iuraſſet, retinens inſignia Conſulatus, patriæ bellum intulit, fretus ingenti numero nouorum ciuium, è quorum delectu trecentas amplius cohortes conſcripſerat, ac 30. legionum inſtar impleuerat. Atque in hunc modum confirmatus, ſociales vrbes obibat, concitabat, pecunias corradebat ad calamitatem propulſandam, cuius ipſi cauſa ſibi fuiſſent.

Patriæ bellum infert.

VI. *Coſſ. vrbem tuentur cũ Pompeio Proconſ.*

Interea dum Cinna in hoc apparatu totus eſt, Octauius & Merula Coſſ. vrbem muniunt, diſpoſitis per muros machinis, delectus tum apud alios ſocios in fide perſtantes, tum apud Gallos faciunt; Cnæum Pompeium Proconſulem exercitum ad mare ſuperum habentem, propere in auxilium patriæ reuocant, qui properato itinere ad portam Collinam caſtra poſuit, ac mox Cinna affuit, ac tetendit in proximo.

Oppugnant Cinna & Marius.

His rebus cognitis in Hetruriam C. Marius appulit, cum exilii ſociis, eis ex vrbe familiares ad quingentos occurrerunt. Ipſe ſordidatus adhuc, ac promiſſo capillo ciuitates obibat, geſta ſua miſeriaſque commemorans, & operam ſuam ad legem perferendam pollicens. Denique ſex millia Hetruſcorum coëgit, cum quibus ad Cinnæ partes tranſiit: qui mox vrbem tribus caſtris circundedit, vnis Marius, aliis Sertorius, tertiis Cinna & Carbo præerant.

VII. *Conſules Metellum fruſtra euocant in auxilium.*

Coss. metu anxii, quod altero exercitu opus haberent, nec Syllam ex Aſia reuocare poſſent, Cæcilio Metello reliquias Samnitici belli adminiſtranti ſignificant, vt quibuſcunque honeſtis conditionibus re compoſita, obſeſſæ patriæ quamprimum ſuccurreret. Sed dum ille cunctabatur Samnitum admittere poſtulata, Marius eis cuncta pollicitus, eos ſuas in partes traxit.

Marius & Cinna vrbe admiſſi repelluntur. Pompeius moritur.

Interea Appius Claudius tribunus Ianiculi cuſtos C. Marium, diluculo aperta porta, in vrbem admittit, cum quo & Cinna irrumpit. Verum Octauio, Pompeioq. occurrentibus continuo repulſi ſunt. Moxque Pompeii caſtris crebris fulminibus de cœlo tactis, cum alii nobiles, tum ipſemet Pompeius icti periere. Ita Appianus. At Velleius peſtilentia potius ſublatum ſignificat, poſtquam magno atrociq. prælio cum Cinna, ſub ipſis vrbis mœnibus conflixiſſet: nec mœſtam eius interitu fuiſſe vrbem, quod ille ſe dubium, mediũque partibus prǽſtitiſſet, & huc atq. illuc, vnde maior ſpes potentiæ affulgeret, ſe exercitumque deflexiſſet. Sed redeamus ad App.

VIII. *Vrbis inopia. Senatus legatos mittit ad Cinnam.*

Interea & vrbs inopia laborabat, omnes enim aditus commeatibus hoſtes terra fluuioque præcluſerant, & ea ipſa loca occuparant, in quibus apparatus cõmeatuum depoſiti fuerant, & Cinnæ copiæ, vocatis ad libertatem ſeruis, turmatim augebantur. Quare Senatus territus, & timens ne per longiorem annonæ inopiam plebs exaſperaretur, mutata ſententia legatos de pace ad Cinnam miſit. Ille ante omnia rogauit ad Conſulemne, an ad priuatum venirent, qui, quod reſponſum expedire nequirent, reuerterunt: ſed creſcente ſemper malo, multiſque ex vrbe ſemper ad Cinnam, vt fortiorem tranſeuntibus, inuitus Senatus legatos iterum, vt ad Conſulem de pace mittit, vnum tantum deprecans, vt iureiurando caueret ſe temperaturum cædibus. Ille à iurando abſtinuit, promiſit tamen ſe ſcientem nemini necis cauſam fore. Octauium quoque collegam, qui in vrbem erat reuerſus, iuſſit diſcedere, ne quid ei aduerſi ſe inuito contingeret. Aderat tum tacitus Marius, ſed eo vultu, qui plurimas cædes minari videretur.

IX. *Vrbe admiſſus in ea ſæuit.*

His conditionibus cum Senatus reuocaret Cinnam & Marium, hic irridens negauit exulibus reditum patere. Moxque Tribuni plebis ei, cæteriſque Sylla Conſule pulſis abrogarunt exilium. Sic illis publica conſternatione receptis, omnium qui ad factionem aduerſam pertinere viſi ſunt, bona vetante nemine diripiebantur.

Octauij cædes.

Mox Octauius cum Conſulem agere mallet, quam fugitiuum, à Cenſorino quodã Cinnæ duce, eiuſdemq. iuſſu, vt Velleius ait in habitu Conſulari, & ſella curuli capite truncatus eſt, caput ad Cinnam allatum, & pro roſtris primum poſitum eſt. Eodem loco, & aliorum poſt cæſorum equitum, Senatorum, omnique dignitate principum capita ſpectaculo fuerunt: qui tam dirus mos etiam ad poſteros, in inteſtinis factionum cædibus propagatus eſt.

X. *Mors Merulæ. M. Antonii. Q. Catuli. Craſſi.*

Mortvo Octauio, Merula qui Cinnæ Conſul fuerat ſuffectus, ſeque ſub eius aduentum Conſulatu abdicauerat, vt ait Velleius, inciſſis venis, ſuperfuſoque altaribus ſanguine, deos in Cinnæ execrationem precatus, ſpiritum reddidit. M. Antonius princeps ciuitatis atque eloquentiæ, gladiis militum, quos ipſos facundia ſua moratus erat, iuſſu Marii Cinnæque confoſſus eſt. Q. Catulus & aliarum virtutum, & Cimbrici belli gloria, quæ illi cum Mario communis fuerat, celeberrimus, cum ad mortem conquireretur, concluſit ſe loco, nuper calce arenaque perpoſito, illatoque igni, qui vim odoris excitaret, ſimul exitiali hauſto ſpiritu, ſimul incluſo ſuo, mortem magis voto ſuo, quam arbitrio inimicorum obiit. Craſſus filius ab equitibus Fimbriæ interemptus; pater Craſſus, ne quid indignum virtute ſua pateretur, gladio ſe transfixit. Epit. 80. Aliter Appianus. Craſſus, ait, in fuga filium interemit, ne veniret in poteſtatem perſequentium, quos ipſe non valuit effugere.

XI. *Aliorum principum cædes.*

Intelligit autem P. Craſſum, qui Conſul anno 656. cum Cn. Lentulo fuerat, eiſque adiungit C. & L. Cæſares, Attilium Serranum, P. Lentulum, C. Numitorium, M. Bebium, Q. Ancharum, aliosque Prætorios atque Conſulares, quorum capita in roſtris ad ludibrium expoſita, corpora alitibis & feris proiecta iacebant, nec ea fas erat ſepelire; paſſim quoque ſeditioſi ſe impune pro præda cõtrucidabãt.

Sylla hoſtis iudicatus.

Leges Syllæ abrogatæ ſunt, amici eius necati omnes, domus diruta, bona publicata, ipſe hoſtis iudicatus eſt, vxor, liberique quæſiti ad necem, ǽgre euaſerunt. Plut. ait Mariũ in vrbis ingreſſu hoc dediſſe ſatellitibus ſignum, vt quos ſalutantes ipſe non reſalutaret, continuo interficerentur. Denique, ait Velleius, nihil

illa victoria fuiſſet crudelius, niſi mox Syllana eſſet ſecuta. Eum nos rem cum Mithridatis ducibus in Græcia gerentem adeamus.

XII. *Sylla obſidet Athenas. Mithridates Macedoniam occupat.*

Perstabat ille obſtinatius in oppugnando Piræeo, & in eodem defendendendo Archelaus. Interim Athenæ vehementi fame premebantur, quibus dum opem laturus eſſet Archelaus, proditores quidam inſcriptos globos in caſtra Syllæ deuoluebant, eiq. conſilia Archelai patefaciebant: ſicque non ſemel ab eis Sylla cõmeatum auertit. Interea Arcathias Mithridatis filius, cum alio exercitu Macedoniam ingreſſus, paucos Romanos præſidio prouinciæ relictos profligauit, ſubactaque tota Macedonia, & in ſatrapias diuiſa, ipſe contra Syllam profectus, in itinere circa Tideum morbo extinctus eſt.

XIII. *Sylla Græciæ ſacros theſauros prædatur.*

At Sylla cum ad Piræeum vi parum proficeret, dum Lucullum expectat, qui claſſem collectam in Syria, & Phœnice cum Rhodiis iungat, & Mithridatem toto mari impune volitantem cohibeat, fame domare Piræum cogitat. Et quoniã multis opus habebat pecuniis, ſacros è tota Græcia theſauros corradit, vt pluribus ſcribit Plutarch. in eius vita: & quidem ad pondus acceptos, quaſi eos cum fide redditurus. Cumq. ad id negotium Caphim quendam Phócenſem miſiſſet, iſque delphicam pecuniam attingere formidaret, & impoſitam ſibi neceſſitatem apud Amphyctiones deploraret; præſertim cum aliqui iactarent ſe ex adyto cytharæ ſonũ accepiſſe, rem ad Syllam detulit. Ille ludens reſcripſit mirari ſe Caphim, qui non intelligeret gaudentis eum ſonitum eſſe, non indignantis. Ne ergo capere dubitaret, vtpote propitio ac largiente Deo.

XIV. *Athenas expugnat, & arcem eius.*

Interea vero Athenas, quarum expugnandarum inſano ad gloriam amore tenebatur, ad omne cibi genus fame compulſas, foſſa cingit. Quo opere abſoluto, ſcalis ſimul & arietibus oppugnationem vrbis aggreſſus, nocte vrbe potitus eſt, repleuitque eam cædibus. Nam ne ad fugiendum quidem vires ſupererant, & tanta erat inclementia, vt nec ætati parceretur, nec ſexui, Sylla obuium quemque ſterni iubente, irato quod tam cito ſine cauſa ad barbaros defeciſſent, ſibique tam pertinaciter reſtitiſſent, imo & conuitiis è muro exacerbaſſent. Captas Athenas Calendis Martii ſcripſit ipſemet Sylla, in commentariis de rebus à ſe geſtis; qui dies plane cadit in primum diem menſis Anteſterioris, vt ait Plut. Ariſtion cum paucis in arcem fugit, qui mox fame ſitique expugnati, ſe Syllæ dedidere, à quo magna ex parte ſupplicio affecti ſunt. Scribit Plut. arcis obſidionem à Sylla Curioni demãdatam: quam cum tyrãnus diu tolerauiſſet, aquæ penuria preſſus dedidit ſe, inquit, idque diuinitus accidiſſe miraculo comprobatum eſt. Nam eodem & die, & momento deduxit illum Curio ex arce, & coierunt ex ſereno nubes, vnde imber ingẽtibus fuſus procellis, arcem aqua impleuit. Sic ipſe. Eadem diuina prouidentia ante aliquot annos eluxit, Duce Mainæo arcem Lamurenſem in Delphinatu obſidente. Cum enim diuturna ſiti fatigati hæretici deditionem feciſſent, vix illi ex arce emiſſi ſunt, cum nix copioſa totam arcem repleuit: vt Dominus aperte ſe & illius religioſiſſimi, fortiſſimique principis fautorem, & hęreticorum inimicum probaret.

Quo tempore.

XV. *Sylla pugna cum Archelao duce Mithridatis.*

Captis Athenis Sylla ad Piræei oppugnationem redit, parteque eius, qua Archelaum eiecerat, potitus, laborum perpeſſorum tædio, flammas iniecit, quibus armamentarium Philonis, & naualia conflagrarunt. Archelaus partem alterã munitiſſimam retinuit, cinctam marinis fluctibus, quam Romanus nauibus carens ne attentare quidem poterat; indeque adit Bœotiam ad colligendas copias, quas tum Mithridates nouas ſemper ſubmittebat, tum alii eius duces circunquaque habebãt: breuique exercitum confecit 120. millium. Eum Sylla ſecutus, ne tertia quidem copiarum parte par fuit; ideoque quamuis datam ab hoſte pugnandi copiam recuſabat, in occaſionem loci, temporiſque intentus, vt minus iniqua conditione pugnaret. Occaſio ei circa Chæroneã oblata eſt, vbi propter loci anguſtias hoſti ſua multitudo non prodeſſet, neque propter rupes præruptas fuſis effugium pateret. Hoſtẽ ergo pugnam minime expectantem, & multitudini ſuæ præfidentem inuadit, fundit, cædit, pene ad internecionem, nam de 120. millibus vix decem millia cum Archelao Chalcidẽ cateruatim petentes perniciem uitarunt; cum è Romanis tredecim tantum viri deſiderati dicantur. Hæc clades bellum ad ſequentem vſque annum, ingruente præſertim frigore, interrupit.

Et victoria maxima.

ANNVS MVNDI 3968. SEXTAE AETATIS, 452. IMPERII GRÆCORVM 226. PHILIPPI 7. ANTIOCHI DIONYSII 1. IANNÆI IVDÆORVM REGIS AC PONTIFICIS 17. PTOLEMAEI LATHVRI 31. OLYMPIADIS CLXXIII. AN. 3. VRBIS CONDITAE 667. Coss. L. CORNEL. CINNA II. & C. MARIO VII. CVI SVFFECTVS EST L. VALE. FLAC. MITHRID. 4. CIVILIS 3.

ANNVS ANTE CHRISTVM 85.

I. *Dionyſius quintus Grypi filius Damaſcum occupat.*

PHILIPPVS Grypi quartus filius, Demetrio Eucæro fratre regni æmulo liberatus, modico tempore quietus fuit. Quamprimum enim quintus ei frater, in regno Damaſci, ſuffectus eſt æmulus. Sic enim habet Ioſephus. [a] Deinde Antiochus cognomine Dionyſius, frater ipſius, Damaſcum, principatum ambiens (in captiui ſcilicet Eucæri locum) peruenit, & ibi rerum potitus Rex factus eſt. Qui cum exercitum duxiſſet contra Arabas, Philippus eius frater hoc audito Damaſcum aduolat. Et cum opera Mileſij arcis præfecti vrbe Damaſcenorum potitus eſſet, per ingratitudinem non remuneratus eſt eum; quod vellet videri terrore vrbem, non proditione cepiſſe; quapropter ſuſpectus ei redditus, rurſum Damaſcum amiſit. Progreſſum enim in circum animi gratia Mileſius excluſit, & vrbem ſeruauit Antiocho. a l.13. c.23.

II. *Contra Arabes ducit. Ibiq. victor cadit. Reliquiæ Seleucidarum.*

At ille auditis de Philippo rumoribus, confeſtim rediit ex Arabia: rebuſque ſuis compoſitis, mox eodem rediens, per Iudæam tranſiit, cum exercitu octo millium peditum, & equitum octingentorum. Tranſitum eius Alexander impedire conatus eſt, regno ſuo metuens: ſed ille nihilominus traduxit exercitum in Arabiam. Ibi cum Arabs primum ceſſiſſet, deinde cum decem millibus equitum apparuiſſet, occurrens ei Antiochus præliatus eſt acriter; iamque de victoria certus occiſus eſt, dum alterum ſuorum cornu laborans vult in integrum reſtituere. Poſt eius caſum exercitus eius refugit in vicum Cana, vbi maxima ex parte fame abſumptus eſt. Hæc fere Ioſephus. [b] Deinceps autem Syriæ Damaſcenæ regnum in Aretæ regis Arabum manus venit, qui nihil ad regnum Græcorum pertinebat: ſoli duo ex Seleucidarum genere ſupererant, Philippus, cuius hic eſt regni annus ſeptimus, & Antiochus, Antiochi Pii filius, qui regno in Tygranis poteſtatem redacto, in Aſia deliteſcens Aſiaticus appellatus eſt, vt ſcribit Appianus in Syriacis. b l.13 c.23.& l.1. bel.c.4.

III. *Coſſ. à ſeipſis facti. Marii mors & mores.*

ROMÆ Cornelius Cinna, & C. Marius, ſine vllis comitiis, ſeipſos in ſequentem annum Conſules renunciauerunt: eodemque die quo magiſtratum inierant, Marius Sextũ Licinium Senatorem de ſaxo deiici iuſſit, editiſque multis ſceleribus Idibus Ianuariis deceſſit (is eſt eiuſdem 13. Plutarchus tamen 17. die ſeptimi Conſulatus mortuum ſcribit. [c] Vir cuius ſi examinentur cum virtutibus vitia, haud facile ſit dictu vtrum bello melior, an pace perniciosior fuerit. Adeo quam Remp. armatus ſeruauit, eam primo togatus omni genere fraudis, poſtremo armis hoſtiliter euertit. Ita Liuius in Epit. 80. Appianus quoque ait Marium ſeptimum factum fuiſſe Conſulem, in confirmationem augurii ſeptem pullorum aquilinorum, qui in eius palliũ, dum admodum iuuenis adhuc eſſet, delapſi dicuntur. 1 Verum Marius dum multa contra Syllam molitur, ait Appianus, in mediis conatibus, primo initi magiſtratus menſe, vita defunctus eſt: cui ſuffectum Valerium Flaccum Cinna miſit in Aſiam. Mortuum ex intemperantia Marium, ait Plutarch. cum in eam ſe dediſſet, vt imminentium ſibi à Sylla malorum ſolicitudine ſeſe eximeret. c.16. Cal. Febr. 1. χ.

IV. *Confugitur ad Syllam. Flaccus Mario ſufficitur.*

Interea reſidui Senatorum, qui potentiam Cinnæ, Marii crudelitatem, inſaniam Fimbriæ, Sertoriiq. audaciam fuga euaſerant, tranſuecti in Græciam, coëgere precibus Syllam, vt periclitanti, imo iam pene perditæ patriæ opem ferret. Quod cum Cinnæ ſatis eſſet exploratum, allecto ſibi collega L. Valerio Flacco, miſit eum in Aſiam cum duabus legionibus, vt inquit Appianus in Mithridate, vt pro Sylla iam hoſte declarato prouinciæ præeſſet, ac bellum contra Mithridatem gereret.

Et Sylla.

Eum rei militaris imperitum, comitatus eſt vnus è Senatoribus Fimbria, vir nõ contemnendæ apud milites autoritatis; quibus vice verſa exoſus erat Flaccus, ob auariciam & crudelitatem. Mare Brunduſio tranſeuntibus multæ naues confractæ ſunt; nonnullæ earum præcurſoriæ à nouo exercitu Mithridatis exuſtæ. Pars exercitus præmiſſa in Theſſaliam, ad Syllæ caſtra tranſiit, cæteros ne deficerent Fimbria continuit.

V. *Diſſentio Flacci, & fimbriæ.*

Deinde cum inter ipſum & Quæſtorem lis de hoſpitio eſſet exorta, eius arbiter Flaccus cum nullam rationem habuiſſet honoris Fimbriæ, ille minatus eſt ſe in vrbem reuerſurum; & Flaccus ei ſucceſſorem dignitatis dedit. Mox autem per Flacci abſentiam, Chalcedonem claſſe petentis, factus audacior, primum Thermo Proprætori faſces abſtulit, quaſi hunc magiſtratum ipſe accepiſſet ab exercitu. Deinde Flaccum cum indignatione reuertentem in fugam compulit; deinde ex puteo, in quo latebat, extractum interemit, ſeque belli ducem propria autoritate conſtituit, caput abſciſſum proiecit in mare, truncum reliquum inſepultum reliquit. Deinde aliquot præliis cum Mithridatis filio non infeliciter initis, traiecit in Aſiam, vbi regem ipſum compulit intra Pergamum; & inde profugum in Pitanem Troadis vrbem, conatus eſt foſſa circundare; ſed ille conſcenſis nauibus in Mitylenem fugit. Tum Fimbria prouinciam obeũdo mulctabat factionem Cappadocum, & agros populabatur excludentium ſe mœnibus. Nec plura hoc anno Fimbria. Nam quæ mox ab eo geſta ad Ilium narrantur apud Appianum, eodem ipſo teſte, in fine Olympiadis centeſimæ ſeptuageſimæ tertiæ contigerunt, id eſt anno ſequenti.

Quæ Fimbria occidit. Quæ geſſerit in Mithridatem.

VI. *Reparat copias Mithridates. Eius imprudentia.*

Interea Sylla cum ad Cheronæam ducem Mithridatis Archelaum ingenti clade affeciſſet, & Rex in Græcia mallet, quam in Aſia bellum geri, ingentem rurſum per hyemem collegit exercitum. Sed in eo crudeliter & inconſulte ſe geſſit, quod ſibi ſuſpectos, quos beneficiis demereri oportuiſſet, cladibus afficere maluit: Gallogræcos in primis & Chios, quorum iniurias fuſius perſequitur Appianus: quibus id conſecutus eſt Mithridates, vt plurimos ſibi ante beneuolos redderet alienos, in primiſque Epheſios, Trallianos, Meſopolitas; aliqui etiam in eius vitam conſpirantes, nihil præter ſupplicia ſunt conſecuti. Porro octoginta millium exercitus à rege collectus eſt, quem Dorylaus duxit in Græciam ad Archelaum, qui reliqua illa decem millia retinebat. Et Dorylaus quidem copiarum magnitudine, & militum peritia fretus, non ſine proditione tot legiones ad Chæronæam cæſas putabat, & pugnam affectabat cum Sylla, deterrente eum Archelao, qui Romanam virtutem, ac Syllæ felicitatem eſſet expertus, ratus eum ſumptibus, & belli diuturnitate atterendum. Ideoque leuioribus aliquot præliis aliquandiu contentus fuit. Donec loci commoditas & Bœotiorum camporum planicies, equitatui, quo plurimum rex valebat, idonea, vtrique pugnam perſuaſit.

VII. *Sylla pugna ad Orchomenõ Bæotia.*

Sylla vero cum iis ad Orchomenon caſtra contulit, & toto campo plures foſſas ducere inſtitit, paratus venientem Archelaum excipere inſtructa acie. Sed cum Romani magnitudine equitatus territi, ſegnius pugnam capeſſerent, aut pugnam potius metu fracti detractarent, nec Sylla precibus quidquam minisue proficeret, deſiliit ex equo, & correpto ſigno procurrit inter duas acies, cum ſatellitio clamans, Si quis vos milites rogarit, vbinam Syllam Imperatorem veſtrum prodideritis; reſpondete, pugnantem ad Orchomenon. Tum præfecti eius periculo moti, ſuccurrerunt è ſuis ordinibus: cæteri certatim pudore ſecuti hoſtem feliciter inferentem ſe non ſolum repulerunt, ſed quindecim etiam millia, & in iis filium Archelai Diogenem, quem Plutarchum priuignum vocat, peremerunt.

VIII. *Alia rurſus de Archelao victoria.*

Hic Sylla veritus ne rurſus Archelaus in Chalcidem nauibus effugeret, & ſe

claſſe deſtitutum ad perſequendum eluderet; toto campo nocturnas ſtationes diſpoſuit, proximoque die eius caſtra aggreſſus eſt, tam felici conatu, vt iis expugnatis, infinitam ſtragem barbarorum ediderit, ipſumque Archelaum in paludis cuiuſdam latebras prius ex fuga compulſum, cum nauicula in Chalcidem eiecerit. Horum ſanguine interfectorum, inquit Plutarchus, paludes inundarunt; & ſtagnum cadaueribus eſt oppletum. Itaque noſtro quoque æuo annis prope ducentis poſt eam pugnam multi barbarici arcus, galeæ, loricarum ferrearum fragmenta, gladii, cœno reperiuntur immerſa. Sic Plutarchus; quem ex hoc loco colligere potes, circa Vrbis annum 850. floruiſſe.

Sylla Bœotiā diripit. Sylla poſtero die ſuis militaria dona diſtribuit; deinde Bœotiam frequentibus defectionibus nutantem diripuit, Thebanos, contrá quos ira implacabili exarſerat, agri dimidio mulctauit, quod Apollini & Ioui Olympio conſecrauit, atque ex prouentibus argentum quod ceperat, exolui diis imperauit. Tranſgreſſuſque in Theſſaliam hyemauit, Lucullum expectans cum nauibus, interimque quoniam nihil de eo compertum habebat, alias naues fabricatus eſt. Hæc geſta hoc anno in Græcia, retulit Appianus, qui annos per ſingulas hyemes, Conſuleſque diſtinguit. Plutarchus etiam in Sylla, quæ ad Orchomenō Bœotiæ geſta ſunt, ad Flacci Conſulatum refert.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3969.

I. N. III. Quod fabuloſum Plut. ſignificat, qui illud carmen ex Muſæo refert.

Ὡς τρία μὲν τίκτει, δύο δ' ἐκλέπει, ἓν δ' ἀλυβάζει.

Terna parit, duoq. excludit, verum educat vnum.

Negat enim Aquilam plures duobus pullis parere; Ac ne Muſæū quidam recte dixiſſe ait, tres ſolere parere, nedum ſeptem: vide Ariſt. lib. 6. hiſt. ca. 6. & Aldrouani l. 1. Ornithol. cap. Incubatus, excluſio.

ANNVS MVNDI 3969. SEXTAE AETATIS 453.

IMPERII GRÆCORVM 227. PHILIPPI 8. IANNÆI REGIS & PONTIFICIS 18. PTOLEMAEI LATHVRI 32. OLYMPIADIS CLXXIII. AN. 4. VRBIS COND. 668. COSS. L. CORNELIO CINNA III. & CN. PAPIRIO CARBONE. MITHRIDATICI BELLI 5. CIVILIS BELLI 4.

ANNVS ANTE CHRISTVM 84.

I. *Philippus vltimus rex Seleucidarū.* SOLVS hoc anno, & vltimus Seleucidarum, Philippus Grypi filius regnat in Syria, Damaſco ac Cœleſyria per Aretam Arabem occupata, quem Damaſceni ad imperium euocauerant, propter odium quo proſequebantur Ptolemæum Mennæū. Sic Ioſephus.[a] Porro hic Ptolemæus Mennæi filius dicitur Dynaſta Chalcidis, quæ ſita eſt in monte Libano.[b] Nec eſt quod aliquem moueat, quod hunc Philippum poſtremum Seleucidarum regnū tenuiſſe dicamus, cum D. Hieron. in Euſebii Chron. & omnibus recentioribus, tametſi Ioſephus [c] Antiochum Dionyſium appellet nouiſſimū eorum, qui Seleucum generis authorem habebant. Non enim cum vltimum Seleucidarum regnaſſe dicit, ſed minimum natu filiorū Grypi, qui in Syria quoquo modo regnarunt. *Quid filius Anthiochi Pij* Antiochus autē Aſiaticus, filius Antiochi Pii, ab eo prætermittitur, & ab omnibus præter Appianum, qui in Syriacis ſemel iterumque affirmat hunc Aſiaticū, poſt victum à Lucullo Tigranem in Syria, Lucullo[d] diſſimulante regnaſſe per annū; à Pompeio tamen regno penitus fuiſſe ſpoliatum, vt ſupra attigimus. Verum id regnum tam breue, & per tot annos, quibus Tigranes in Syria rerum potitus eſt, interruptum, merito ab omnibus chronologis prætermittitur.

II. *Tertius Cinna Cōſulatus.* ROMÆ autem cum Cornelius Cinna rerum potiretur, ſeipſum tertium creauit Conſulē, & in locum occiſi Valerij Flacci, collegam aſſumpſit Carbonem, in hūc & ſequentem annum. Ideoque in Epit. 83. dicitur L. Cinnam & Cn. Papyrium

a l. 13. c. 23.
b infra l. 14. c. 13.
c l. 1. de bel. c.
d an. Reg. Gr. 2. n.

Carbonem à ſeipſis Conſules, per biennium creatos, bellum contra Syllam parat-ſe: quod de hoc, & ſeq. anno intelligendum eſt: de quibus annis, & proxime præcedenti accipiendum eſt illud Ciceronis in Bruto. Triennium, ait, fere fuit vrbs ſine armis; ſed oratorum aut interitu, aut diſceſſu, aut fuga, primas in cauſis agebat Hortenſius. Parturiebat videlicet miſera Roma ingens malum, quod in reditu Syllæ, cum incredibili luctu, ac cruciatu enixa eſt; eique malo Mithridates neſciens fortaſſe ſeruiuit. In Aſia vero maximus hoc anno Ilienſibus luctus fuit, quem pax cum Mithridate ſecuta eſt.

III. *Fimbria Ilinſeſe perfidioſe delet.*

CVM ergo Fimbria Aſianos populos populatione vexaret, & alioqui crudelis eſſet, vt res ipſa docuit, Ilienſes ab eo oppugnati confugerunt ad Syllam, vt ait Appian. qui cum ſe venturum promiſiſſet, denunciaſſetque Fimbriæ vt à ſuis deditiis abſtineret, laudauit ille quidem iam reuerſos in Populi Ro. amicitiam, nihilominus petebat, vt ſe quoque Romanum hominem, qui ab Ilienſibus primam originem repeteret, reciperent. Ingreſſus autem interfecit omnes obuios, & concremauit omnia; tum eos qui legatione ad Syllam functi fuerant, variis cruciatibus necauit; & qui in Mineruæ confugerẽt, cum ipſo fano combuſſit. Quin & mœnia diruit, ac poſtridie obiuit vrbem, circunſpiciens nunquid reliquum ſupereſſet. Hæc Ilienſium clades à Fimbria homine, vt aiebat, cognato illata, maior fuit, quam quæ olim ab Agamemnone cum tota Græcia per decennium fuerat importata. 2. 2. ꝶ.

IV. *Mithridates pacem quærit.*

AT Mithridates poſtquam etiam ad Orchomenon acceptam cladem audiuit, ſcripſit Archelao, vt pacem cum Sulla quam honeſtiſſimis poſſet conditionibus faceret. Et Sulla, qui nec claſſem habebat, nec pecunias, aut aliud quidquam ab vrbe accipiebat, vtpote hoſtis ab inimicis iudicatus, & iam abſumpſerat Pythiam, Olympiam, Epidauriamque pecuniam, pro qua his fanis dimidium agri Thebani addixerat, & cupiebat quamprimum contra inimicos recentem & integrum exercitum tranſportare, animo conſenſit in pacem. Et conqueſtus primum de iniuriis, quibus & Romanos, & ſuos indigniſſime affeciſſet. Si claſſem, inquit, quam habes, Archelae (Nam in colloquium venerant) nobis omnem Mithridates tradiderit; tum duces, legatos, captiuos, transfugas, fugitiuos & Chios, cæteroſque è ciuitatibus ſuis in Pontum abſtractos, dimiſerit: præſidia locis omnibus deduxerit, niſi in quibus ante violatam pacem ea habuit; impenſa quoque in hoc bellum, cuius ipſe cauſa fuit, reddiderit, & paterno regno contentus fuerit, ſpero me effecturum, vt præteritarum iniuriarum populus Ro. obliuiſcatur.

Qua Syllæ erat neceſſaria.

Conditiones pacis.

V. *Deferuntur ad regem.*

HÆ conditiones dum perferuntur ad Mithridatem, Sylla vt interim bene vteretur otio, Henetos, Dardanos, aliaſque finitimas gentes, quæ Macedoniam continenter incurſabant, populatus eſt, exercens ſimul & ditans militem. Cumque legati à Mithridate reuerſi cætera probarent, ſolam exciperent Paphlagoniam; addiderunt, æquiores ſe ab altero Imperatore pacis conditiones fuiſſe impetraturos. Plut. etiam naues negatas refert. Tum Sylla moleſte ferens hanc collationem, reſpondit & Fimbriam pœnas daturum, & ſe quamprimum attigerit Aſiam, viſurum num pace an bello Mithridates opus habeat, qui poſt tot millia ciuium Rom. interfecta, in lucro ponere debuerit, quod ei manus dextera relinquatur, vt ait Plut. additque Archelaum à Sylla impetraſſe, vt ipſe pacis cauſa Mithridatem adiret, ſe eam confecturum, aut propria manu occubiturum. Nec opinione ſua falſus, Regem in oblatas pacis conditiones adduxit, qui tamen Syllæ colloquium expetiit, & impetrauit.

Appia.

VI. *Colloquiũ Syllæ cum Mithridate.*

ITAQVE Sylla per Thraciam duxit ad Cypſela, Lucullo Abydum præmiſſo. Iam enim & hic ad eum venerat cum nonnulla claſſe, ægre aliquoties elapſus è piratarum inſidiis. Deinde Sylla mouit à Cypſelis, Mithridates à Pergamo, rurſumque colloquium eſt habitum, ambobus cum exiguo comitatu in campum progreſſis, inſpectante vtrimque exercitu. In eo multæ vtrimque querelæ ac criminationes iactatæ ſunt, Tãdem iracunda Syllæ oratione Rex territus, conſenſit in leges pacis Archelao datas, & in ſolum paternum regnum Ponticum reuerſus eſt. Sicque primum bellum Mithridaticum ſedatum eſt, interfectis à Sylla 160. millibus militum Mithridaticorum, vt ipſe apud Archelaum & Mithridatem gloriatus eſt. Addit Plut. Syllam cum vidiſſet offenſos ea pace milites, reſpondiſſe non potuiſſe ſe ſimul Fimbriam & Mithridatem, ſi conueniſſent inter ſe, ſuſtinere.

Et pax definita.

VII. *Sylla Fimbriam aggreditur.* Deinceps ergo Sylla aduerſus Fimbriam progreditur, & promotis ad ſecundum à Fimbria ſtadium caſtris, poſtulauit ſibi tradi exercitum, cui ille contra leges præeſſet: cui ludens reſpondit, ne ipſum quidem legitime imperare. Sed cum paſſim ac propalam à multis ſuorum desereretur, nec ei preces, minæ, largitiones, conatus vlli ad eos retinendos ſuccederent; etiam ſeruum induxit, vt pro transfuga in Syllæ caſtra receptus, illum interficeret. *Qui à ſuis deſeritur.* Qui parum conſtanter rem aggreſſus, & ex ipſa trepidatione ſuſpectus, comprehenſus, omnia faſſus eſt. Fimbria ſpe omni abiecta, Syllam ad colloquium inuitauit. Is pro ſe miſit Rutilium: quod maxime Fimbriam afflixit, cum videret ſibi negari colloquium, quod etiam hoſti concedi ſoleret. Cumque rogaret veniam, ſi quid per ætatis imprudentiam peccaſſet; Rutilius reſpondit permiſſurum vt incolumis ad mare tranſeat, ſi velit ei Aſia, cuius Sylla Proconſul ſit, decedere, & abnauigare.

Crudelitas et mors Fimbriæ

VIII. *Sibiq; manus infert.* Ille habere ſe dixit meliorem aliam viam; ſimulque Pergamum rediit, & ingreſſus templum Æſculapij, traiecit ſe gladio. Et quia vulnus lethale non erat, à ſeruo impetrauit operam; qui primo Dominum, mox ſeipſe interfecit. Quo tam atroci hominis facto, Deus immanem eius contra Ilienſes crudelitatem iuſtiſſime vltus eſt. Permiſit enim vt qui ex inuidia doluit inſontes ad Syllam confugiſſe, & apud eum veniam & perfugium inueniſſe; ipſe deſertus à ſuis, qui ſuos alteri ſuſtulerat milites ad rogandum ab eodem veniam adigeretur; nec aliam impetraret, quam quæ ipſum ad ſupremam deſperationem compelleret. Permiſit Deus maxima in proximum crimina, longe maiori contra ſeipſum parricidio cumulari, & in præcedentium peccatorum pœnam, grauiſſimum peccatum, quo multo maiorum apud Deum ſuppliciorum factus eſt Reus. Eius corpus Sylla libertis ipſius ad ſepulturam conceſſit, præfatus nolle ſe imitari Cinnam, & Marium, qui multos in vrbe ſepultura ſimul cum vita priuarant. Exercitum eius accedentem accepit, & coniunxit cum ſuo.

Sylla ciuile bellum maturat. Inde ſe ad componendam prouinciam, & ciuile bellum maturandum conuertit. Vix quicquam in Syllæ operibus clarius duxerim, ait Velleius, quam quod cum per triennium Cinnanæ, Marianæque partes Italiam obſiderent, neque illaturum ſe bellum iis diſſimulauit, nec quod erat in manibus omiſit, exiſtimauitque ante frangendum hoſtem, quam vlciſcendum ciuem, ſed hæc ad ſequentem annum pertinent.

SCHOLIA IN ANNUM MUNDI 3969.

1. N. I. Hic annus eſt ſabbaticus, vt patet ex dictis anno Regni Græcorum 178. n. 7. ergo & Vrbis Cond. 675. & 682. & 689. & 696. & 703. & 710. & 717. licet Ioſephus l. 14. c. vlt. ſabbaticum annum appellet, quo capta eſt ab Herode Hieruſalem, qui fuit Vrb. C. 716. Eſt autem ordine 198. tot enim annorum ſeptenaria ab initio principatus Ioſue numerantur.

2. N. III. Incidit autem in finem Olympiadis 173. & ſunt qui putant inter hanc & illam priſcam expugnationẽ mille & quinquagintos annos intercedere. Sic Appianus. Nobiſcum in anno Olympiadico exacte conſentiens. At iuxta Euſebij ſupputationẽ, qui eam cladem vult contigiſſe annis 406. ante primã Olympiadem, inueniuntur 1098. Cui ſummæ addit vnum annum noſtra Chronologia, quæ numerat 407. annos ab exciſa Troia, vſque ad initium Olympiadum, anno Mundi 3178. Et ab an. mundi 2871. quo ponimus deletam Troiam, ad præſentem, 1099. anni reperiuntur numeratis extremis.

ANNVS MVNDI 3970. SEXTÆ ÆTATIS 454.

IMPERII GRÆCORVM 228. ET VLT. PHILIPPI 9. ET VLT. IANNAEI REGIS ET PONTIFICIS 19. PTOLEMÆI LATHVRI 33. OLYMPIADIS CLXXIV. AN. I. VRBIS CONDITAE 669. COSS. L. CORNELIO CINNA IV. CN. PAPIRIO CARBONE II. BELLI MITHRIDATICI 6. CIVILIS 5.

ANNVS ANTE CHRISTVM 83.

HIC eſt poſtremus regni Seleucidarum annus, ſecundo Philippi anno terminatus, vt in Chronico Euſebiano traditur; in quo habetur id per *ei*. 250. annos duraſſe. Appianus in bellis Syriacis 270. annos in familia Seleucidarum regnantum ſcribit, etiam non numeratis 14. Tigranis annis. Et merito quidem Tigranis Armeni annos excludit, vt qui nihil ad Seleucidas pertineret. Multum tamen à vero aberrat numero, annis ſi Scaligero credimus 39. A morte, inquit, Alexandri ad hunc numerum ſunt anni 231. Quare errat Appianus, qui regnum Seleucidarum ſtetiſſe ſcribit annos 270. vndequadraginta annorum fugit eum ratio. Sic ipſe. I. *Finis regni Græcorum.*

IN quo primum vehementer errat, quod Seleucidarum annos à morte Alexandri inchoat, plebeio nonnullorum errore, cum ex Ioſepho, aliiſque innumeris antiquis recentioribuſque conſtet, id regnum à Seleuco Nicanore incipiendum eſſe, anno ſecundo Olympiadis centeſimæ decimæ ſeptimæ, vt ſuo loco docuimus. A Seleuci autem primo anno recuperatæ Babylonis, ad præſentem, 228. numerantur, vt Auguſtino quoque Torniello placuit, qui inſtar multorum merito eſſe poteſt, propter eximiam hominis diligentiam. Idemque numerus exacte colligitur in annis vrbis. Nam cum 1. Seleucidarum ſit annus 442. V.C. vſque ad præſentem 669. 228. reperiuntur. Cæterum à morte Alexandri, quæ contigit anno 1. Olymp. 114. iuxta communiſſimam ſententiam, vſque ad præſentem annum, integræ ſexaginta Olympiades, id eſt 240. anni reperiuntur, & præſens inſuper annus, qui eſt ducẽ- ducenteſimus quadrageſimus primus, & nõ, vt ille putat, ducenteſimus trigeſimus primus. Quod ſi à ducentis quadraginta & vno, tredecim annos detraxeris, qui inter mortem Alexandri & primum Seleuci intercedunt, inuenies 228. Pſeudoſcaligerum ergo 10. annorum fugit ratio: Appianum autem, ſi ab Alexandro numeraret, vndetriginta: à primo autem Seleuco, quadraginta duo. Euſebium vero viginti duo. II. *Scaligeri hallucinatio.* *Et ratio temporis.*

PACE cum Mithridate inita, Sulla ad res Aſiæ componendas conuerſus, Curionem iuſſit in propria regna Nicomedem & Ariobarzanem reducere. Ad Senatum quoque perſcripſit omnia, hoſtem ſe iudicatum diſſimulans. Prouinciam deinde conſtituens Ilienſes, Chios, Rhodios, Lycios, Magneſios, alioſque quoſdam populos, vel in præmium auxiliorum, vel in malorum, quæ propter ſtudium erga Romanos pertulerant, ſolatium, aſcripſit inter pop. Rom. ſocios: ſeruos à Mithridate manumiſſos, in herilem poteſtatem redire per præconem iuſſit. Id edictum multas turbas, defectiones, cædeſque rurſus attulit. III. *Sylla res Aſiæ componit.*

Deinde Sylla, ciuitatum optimatibus Epheſi cõgregatis, orationem ad eos habuit, qua & Romanorum in Aſianos merita, ab ipſo Antiocho Magno recenſet; & eorum in Romanos viceuerſa iniurias, cum magna crudelitate, & ſacrilegio coniũctas; ob quas, & ab ipſo Mithridate, cui gratificari ſtuduerint, & à Romanis iniurias bello vindicantibus, terra marique non paruis afflicti ſint malis. Sed imminebat alia clades pecuniaria, quæ plus mali Romanis allatura erat, quam Aſianis.

IV. *Exigit ingentes pecunias.*

SIQVIDEM eis mulctam quinquennalis tributi imponit, quam in præſentia repræſentari iubet: deinde pecuniam in hoc bellum inſumptam (quam tamen iam à Mithridate exegerat) & ſi quam prætere a conſtitutio prouinciæ exigebat. Eam, inquit, collationem in ſingulas ciuitates diuidam, & tempus conferendi præfiniam, quæ ſi qui non ſeruauerint, pro hoſtibus habebuntur. Sylla, inquit Plut. mulctam publicam irrogauit Aſiæ 20. millia talentûm, (id eſt 7. milliones coron.) priuatim vero domos, magna ſumptuum inſolentia & vexatione flagellauit; quæ ibi exactius explicantur: ex quibus etiam intelligitur quantum curæ Sylla in militibus ſibi demerendis poſuerit. Addit Caſſiodorus his Coſs. Aſiam in 4. & 40. regiones à Sylla diſtributam, idque mulctæ diuidendæ cauſa factum videtur.

Cum totius Aſiæ gemitu.

Hæc locutus mulctam in legatos diſtribuit, ſimulque miſit qui eam exigerent. At ciuitates inopia & fœnoribus, & belli damnis, & quotidianis piratarum incurſibus afflictæ, gemebant videlicet, nihil tamen recuſare poterant, ſed res quaſque ſuas oppignerabant, vt vrgentium militum impudentiæ ſatisfacerent. Atque ita pecuniæ ad Syllam comportabantur, gemente præ calamitatibus Aſia. Cum quibus ille in Græciam, indéque in Italiam traiecit. Murena cum duabus Fimbrianis legionibus in Aſia, ad cætera ordinanda relicto. Hæc ex Mithridaticis Appiani. Nunc ad Ciuilia cum eo tranſeamus.

V. *Redit in Italiam ad ciuile bellum.*

CVM ergo Sylla cum victore exercitu, copioſo, & egregie erga ſe animato, & ad omne imperium parato, rediret in Italiam; plurima claſſe, ingentibus pecuniis, omnique belli apparatu inſtructus; ad hæc magnis publice priuatimque affectus iniuriis, vir alioqui ſæuus ac ferox, nec minus bellorum ſcientia, quam fœlicitate ſpectatus, nimirum valde formidabilis inimicis aduentabat.

Adid ſe Coſſ. parãt.

Itaque Carbo & Cinna certos homines per totam Italiam dimiſerunt, qui pecunias, milites, frumentum in inſtantis belli vſum compararent, & potentiores quoſq; ad ſuas partes adiungerent, nouos ciues, quorum cauſa hoc bellum, conflatum erat, ad bellica ſubſidia incitarent. Claſſe quoque inſtructa, & accerſitis è Sicilia nauibus, ſeruabant littora; omnia denique ad periculoſi belli aleam, ſummo ſtudio moliebantur.

VI. *Syllæ literæ ad Senatũ minaces.*

INTEREA Sylla alias de ſe literas ad Senatum ſcribit, in quibus cum ſuos labores, & merita in Rempub. ab initio exaggerabat, recenſens quæ in Numidia contra Iugurtham, in Gallia contra Cimbros, in Cilicia pro Bithynis & Cappadocibus, in Græcia atque Aſia contra Mithridatem, Queſtor, Legatus, Prætor, Conſulque geſſiſſet: pro iis eam ſibi ab inimicis gratiam repoſitam querebatur, vt omni dignitate, fortuniſque priuatus, hoſtis iudicatus proſcriptuſque ſit, vxor, liberi amici in fugam acti, ſpoliati bonis, trucidati. Itaque venturum ſe confeſtim, vlturumque publicas iniurias & priuatas, & pœnas ab authoribus exacturum. Cæterorum vero ciuium, vel nouorum, vel veterum neminem incuſaturum.

Reſponſio Senatus.

Quibus literis lectis cum pauor inuaſiſſet omnes, miſſi legati qui reconciliarent eum aduerſariis, præmonerẽntque, ſi quid ſibi fide publica vellet caueri, id curæ Senatui fore, cum primum voluntatem ſuam ſignificaſſet.

VII. *Coſſ. traijciunt in Dalmatiã.*

INTERIM Cinna iuſſus eſt ceſſare à delectibus, dum reſponſum redditur, qui futurum ſe in arbitrio Senatus pollicitus, mox poſt legatorum diſceſſum, ſeipſe Cõſulem cum Collega in proximum annum deſignat, ne opus haberet comitiorum cauſa vrbem repetere. Ex quibus intelligis lector, quæ paulo ante retulimus ad finem præcedentis anni pertinere, quæ tamen diſtrahere noluimus perſpicuitatis cauſa. Mox autem ambo Conſules peragrata Italia, conſcriptiſque legionibus traiiciebant in Dalmatiam, vt cum iis Syllæ occurrerent. Et primi quidem proſpera nauigatione vſi, portum fœliciter tenuerunt, proxime ſecutos retro tempeſtas repulit. Eorum plerique domum repetebant, negantes ſe contra ciues ſuos arma laturos; alij negabant ſe in Dalmatiam traiecturos.

VIII. *Cinna à milite tumultuante occiditur.*

EAM rem Cinna indigne ferens concionem euocat, & minas intentat, quas illi ferociter contemnunt, ad vim parati, ſi quis inſolentius vrgeat.

Cum vero in concionem eunti, lictor de via multitudinem ſubmouens, quendam pulſaſſet obuium, miles lictorem repercuſſit, quem dum Conſul iubet corripi, ſublato pariter clamore, ad ſaxorum iactus ventum eſt, qui propiores erant ſtrictis gladiis confoderunt hominem, atque ita Cinna Conſul ſub initia quarti Conſula-

tus occubuit. Nec tamen alius in eius locum ſuffectus eſt, tum Carbone reditum in vrbem ad comitia detrectante, tum, poſtquam metu ad comitia habenda venire compulſus eſt, multis prodigiis comitia vltra æſtiuum ſolſtitium differentibus. Itaque reliquo toto anno ſolus conſulatum geſſit: & milites, qui iam in Dalmatiam traiecerant, reuocauit.

IX. *Syllæ reſponſio, & legatio ad Senatum irrita.*

Inter hæc Sylla Senatus legationi reſpondit, nunquam ſibi amicitiam cum tot tantorumque facinorum patratoribus fore, non prohibiturum tamen ſe, ſi eis populus ſalutem dare voluerit. Tutiores tamen fore qui ad ipſum confugiſſent, vt qui tam fauentem haberet exercitum. Ex quo apparebat eum retinere velle imperium, & Dominationem in vrbe occupare. Addidit etiam qui verbo peterent, omnia ſibi ſua à Senatu reſtitui. Verum cum primum legati Brunduſij cognouerunt Cinnam occiſum, Remp. perturbatam, ad Syllam infecto negotio reuerſi ſunt.

Eius copiæ Italiam petentis.

Ille cum quinque legionibus Italicis, & ſex millibus equitum, aſſumptis etiam Macedonum ac Peloponneſiorum auxiliis, ducens in ſumma circiter 40. virorum millia (in Latino Appiani male legitur 60. eſt enim in Græco, ἄγων ἐς μυριάδας ἀνδρῶν τέσσαρας. Velleius tamen ait reuectum in Italiam haud plura quam 30. armatorum millia, aduerſus ducenta amplius hoſtium Brunduſij expoſuiſſe.) à Piræeo Patras Achaiæ, circumacta Peloponneſo, indéque Brunduſium cum claſſe mille & ſexcentarum nauium traiecit, & portu à Brunduſinis receptus, eos in poſterum immunitate donauit.

X. *Auget copias in Italia. Recipit Metellum Pium. Cn. Pompeium. Et Cethegum. Ciues defenſionem parant.*

Brundusium appulit, vt ait Appianus, Olymp. 174. ſupple ineunte, mediaque parte Conſulatus Carbonis exacta. Inde cum vniuerſis copiis progreſſus, in itinere primum Metellum Pium obuium habuit, qui Cinnæ Mariique metu vitata vrbe, apud Ligures cum aliqua militum manu, & Procóſulis nomine ſubſtiterat, & ſe vltro cum ſuis Syllæ ſocium obtulit. Nec ita multo poſt Cn. Pompeius, qui poſtea Magnus cognominatus eſt, è Piceno legionem adducens, à Sylla receptus eſt. Ad eundem etiam Cethegus ſe contulit, quo non alius ei magis infenſus fuerat, adeo vt cum Cinna & Mario vrbe pelleretur: nunc autem ei ſupplex factus, operam ſuam in omne officij genus prolixè detulit. Quibus ille receptis, auctus & militum & amicorum numero, eos pro legatis habuit. Ipſe vero cum Metello, Proconſules ambo, quoniam neuter dignitatem depoſuerat, vlterius procedebant. Interea ciues, qui & priorem eius in vrbem ingreſſum meminerant, & grauibus eum plebiſcitis exagitarāt, omne ſtudium per totam Italiam, in parando contra eum bello, collocabant. Idque tanto erat facilius, quod Sylla contra Remp. & Conſules arma ferret. Illi pro Repub. ductu legitimi magiſtratus, pugnaturi erant. Atque ita hic annus vſque ad creationem nouorum Conſulum abiit.

ANNVS MVNDI 3971. SEXTÆ ÆTATIS 455.

TIGRANIS IN SYRIA 1. IANNÆI REGIS ET PONTIFICIS IVDÆORVM 20. PTOLEMÆI LATHVRI 34. OLYMPIADIS CLXXIV. AN. 2. VRB. COND. 670. COSS. L. CORNELIO SCIPIONE ASIATICO, ET C. NORBANO FLACCO. BELLI MITHRIDAT. 7. CIVILIS 6.

ANNVS ANTE CHRISTVM 82.

I. *Regnum Tigranis in Syria.*

NOVVM Syriæ regem Tigranem Armenum, hoc anno ad decimum octauum vſque ſuggerimus, quando à Pompeio Magno deuictus, Syria quoque ſpoliatus eſt. Qua in re Iuſtinum ſequimur l. 40. etſi licuit Appianum, qui in Syriacis ſemel iterumque ad quatuordecim tantum annos regnum Syriæ tenuiſſe teſtatur. Sicque oporteret ad 4. annos eius ingreſſum differre. Verum vt Iuſtino

potius adhæreamus, facit coniectura initæ proximo anno pacis, Romanos inter & Mithridatem; inter quos flagrante bello, quo & ipſe Tigranes gener erat implicitus, non facile potuiſſet copias in Syriam, ad eius regulos opprimendos, transferre. Meminit quidem Ioſephus, [a] expeditionis Tigranis in Syriam, cum quingentis militum millibus; ſed cum eam differat ad regnum Alexandræ poſt defunctum Iannæum, aliam quandam fuiſſe huiuſmodi expeditionem credimus. Hæc ergo erit quaſi appendix regni Græcorum & Syriæ, donec victo Tigrane, omnia in Romanorum poteſtatem ceſſere: cum præſertim res Tigranis deinceps cum Romanis plurimum connexæ ſint.

[a] l. 13. c. 24.

II. *Ad eum Syri confugere.* De hac igitur tranſlatione Imperij Græcorum, ſiue Syriæ in Tigranem Armeniæ regem, ita ſcribit Iuſtinus l. 40. Mutuis fratrum odiis (Grypi & Cyziceni) & mox filiorum, inimicitiis parentum ſuccedentium, cum inexpiabili bello & reges, & regnum Syriæ conſumptum eſſet, ad externa populus auxilia concurrit, peregrinoſque ſibi reges circunſpicere cœpit. Itaque cum pars Mithridatem Ponticum, pars Ptolemæum (Lathurum) ab Ægypto arceſſendum cenſeret, occurreretque quod Mithridates implicitus bello Romano eſſet (erat quidem recens inita pax, ſed hæc conſilia antiquiora erant. Quin ne pax quidem ſatis firma aut diuturna videbatur fore, Muræna belli & triumphi materiam in Aſia quærente: meritoque Syri timebant Romanos ſibi hoſtes, Mithridatica ſubiectione accerſere) Ptolemæus quoque hoſtis Syriæ ſemper fuiſſet, omnes in Tigranem Regem Armeniæ conſenſerunt, inſtructum, præter domeſticas vires, Parthica ſocietate, & Mithridatis affinitate.

III. *Eius ibi regnum an tranquillū.* Igitvr accitus in regnum Syriæ, per octodecim annos tranquilliſſimo regno potitus eſt, neque bello alium laceſſere, neque laceſſitus inferre alij bellum neceſſe habuit. Sic Iuſtin. Non fuiſſe tamen res in Syria his octodecim annis tranquilliſſimas, ex iis intelligetur, quæ ſuis locis à Ioſepho mutuabimur. Nam hoc ipſo tempore, vt idem tradit, [b] Aretas Arabs Cœleſyriam tenebat, vocatus à Damaſcenis, propter odium, quo proſequebantur Ptolemæum Mennæi filium, qui grauis erat Damaſco vicinus. Iudæi quoque magnam Syriæ partem bellis infeſtam habebant, pugnando contra Arabas, Phœnices, Syros, Idumæos, Palæſtinos, ſub Iannæo, homine armis magis & caſtris aſſueto, quam ſacris.

[b] l. 13. c. 23. & 24.

Iannæus ab Areta victus. Hoc porro tempore Aretas adeptus regnum Cœleſyriæ, Damaſco expeditionem ſuſcipit aduerſus Iudæos, & deuicto apud Adida Alexandro, certis conditionibus reduxit ſuos vnde venerat, inquit Ioſeph. [c] puto hanc eſſe Adiada, in Sephela, ſiue regione campeſtri à Simone ædificatam & munitam, [d] quam Adrichom. in tribu Dan conſtituit.

[c] l. 13. c. 23.
[d] Vt eſt in 1. Mach 12. 38.

IV. *Coſſ. contra Syllam mouent.* Iam vero quod ad ciuile bellum attinet, Conſules L. Scipio, & C. Norbanus, & cum his Carbo, qui ſuperiore anno Conſul fuerat, infeſti quidem erant Syllæ, vt cæteri, ſed conſcientia patratorum ſcelerum, plus cæteris ſibi timentes, vrbanis Italiciſque delectibus habitis, cum ſuis quiſque copiis, contra hoſtem ibant: habueruntq; tum primum cohortes ducentas quinquagenarias, quæ etiam poſtmodum auctæ ſunt, vt ait Appianus. Sed Plut. ex ipſiuſmet Syllæ commentariis, refert eum contra quindecim partium aduerſarum duces, qui cohortes quadringentas & 50. habebant, bellum ſuſcepiſſe. Suos autem vltro iuſiurandum ei dediſſe, ſe ad ſigna manſuros, nec in oppida dilapſuros, nec Italiam volentes vexaturos. Itaque Velleius, Putares, inquit, Syllam veniſſe in Italiam non belli vindicem, ſed pacis authorem: tanta cum quiete exercitum per Calabriam, Apuliamque, cum ſingulari cura frugum, agrorum, hominum, vrbium, perduxit in Campaniam, Tentauitque iuſtis legibus & æquis conditionibus bellum componere: ſed iis quibus & peſſima, & immodica cupiditas erat, non poterat pax placere. Creſcebat interim in dies Syllæ exercitu, cōfluentibus ad eum optimo quoque, & ſaniſſimo. Ita quidem Velleius; ſed ex eius, vt apparet, commentariis. Nam quomodo optimi quique, & ſaniſſimi contra Remp. contra legitimos magiſtratus, contra S. P. Q. R. pro homine, quem publice conſtaret hoſtem iudicatum, arma ſumerent, non ſatis intelligo. At iniuſte iudicatus fuerat. Et quis eum conſtituerat iudicem, in cauſa ſua, contra patriam ſuam?

Qui tranſit per Italiam innoxius.

V. *Pugna ad Canuſium.* Et vt multa minora prælia, velitationeſque cum Appiano omittamus, primum

omnium ad Canuſium (id oppidum in Apulia eſt, viginti quinque ſtadiis diſtans à Cannarum vico) cum Norbano ſigna contulerunt Proconſules (ita appellat Syllam & Metellum Appianus) vbi deſiderata ſunt ex Conſulis exercitu 6. millia, è Syllanis 70. ceciderunt, ſauciati multi, Eutrop. l. 5. & Oroſ. [a] habet 124. & addit ſex millia capta à Syllanis. Norbanus retroceſſit Capuam. Cum Conſule victum quoque iuniorem Marium, & cæſa 7. millia militum ſcribit Plut. cum Sylla non inſtruxiſſet aciem, nec copias in ordines ſuos digeſſiſſet, vſus communi ardore, impetu, atque alacritate exercitus ſui, quem ſibi recens iureiurando conſtrinxerat.

a l. 5 c. 20.

VI. *Conſulis exercitus deficit ad Syllam.*

Tvm L. Scipio contra hoſtem ad Teanum Campaniæ oppidum caſtra metatum, alium duxit exercitum, qui pacis magis quam pugnæ cupidus, cum ſermones de concordia à Syllanis de induſtria iniectos accepiſſent, deſerto Conſule omnes ad Syllam tranſierunt; adeo vt ſolus cum Conſule L. eius filius remaneret, quos Sylla, cũ in ſuas partes nequiuiſſet traducere, incolumes dimiſit. Dolum Syllæ hic quoque Plutar. agnoſcit. Sylla, inquit, cohortibus viginti quaſi auibus cicuribus, quadraginta in laqueum illectas aduerſarias abduxit in caſtra ſua. Quo tempore Carbonem ferunt dixiſſe, bellum ſe cum vulpe & leone, in animo Syllæ habitantibus gerentem, magis infeſtari à vulpe. Cic. pro Sext. ait Scipionem fluctibus Reip. expulſum, Maſſiliæ poſtea in exilio vixiſſe. Ad Norbanum quoque Sylla Capuam miſit alios legatos de pace acturos: cumque ad eum nemo veniret, ne reſponſi quidem gratia, verebatur enim Norbanus Scipionis collegæ caſum,

Sylla vulpes, & leo.

VII. *Copia vtraque vrbem adeunt. Capitolij deflagratio.*

Sylla motis caſtris proceſſit vlterius, omnia hoſtiliter vaſtans. Idem & Norbanus fecit diuerſo itinere, Carbo vero prior in vrbem delatus, effecit vt Metellus, & quotquot alij Senatores ſe Syllæ adiunxerant, hoſtes à S. P. Q. R. iudicarentur. Quo tempore Capitolium deflagrauit vario rumore nunc in Carbonem, nunc in Conſules, nunc in aliquem à Sylla ſubmiſſum ſuſpicionem vertente, vt ait Appianus. Sed cum nõ appareat quid vtilitatis in vllam partium inde redundaret, verius arbitror cum Iulio Obſequente, & Caſſiodoro dici, id caſu, & Æditui ſiue cuſtodum negligentia contigiſſe. Deflagraſſe Capitolium hoc anno, author eſt Saluſt. in Catil. vbi ait id 20. annis ante Catilinariam coniurationem, quæ cadit in conſulatum Cic. a. V. C. 690. contigiſſe. Diem etiam notat Plutarch. pridie ſcilicet nonas Quintiles, re à quodam fanatico prædicta, &, vt apparet mox ab incendiario cacodæmone, qui ſe Bellonam apud Plut. dicebat, perpetrata, anno 424. ex quo à ſecundis Conſulibus dedicatum fuerat numeratis extremis, vt ex Halycarnaſſæo ſuo loco iampridem retulimus. Laxiorem temporis notam habet Tacitus l. 19. hiſtoriæ, vbi ait oracula Sibyllina cum Capitolio poſt Olymp. 173. in arca lapidea conflagraſſe.

A. V. C. 247. n. 9.

VIII. *Res à Sertorio, & M. Lucullo geſta.*

Interea Sertorius dudum ſortitus Hiſpaniam, poſtquam Sueſſam, quæ à Syllanis tenebatur occupauit, dum Sylla Scipionis exercitum ad defectionem trahebat, profugit in prouinciam, in qua cum ei non ſuccederetur, magni belli ſegetem præparauit. Interim magis magiſque in dies creſcebant Conſulum copiæ: confluente ab vltima Italia milite, & circumpadana Gallia. Nec Sylla quieſcebat, omnes vbique populos per certos homines ſibi conciliare ſtudens, ſpe, metu, beneuolentia, largitionibus. Atque in his conatibus reliquum anni vtrimque conſumptum eſt.

Hoc ipſo M. Lucullus, illius Luculli frater, qui poſtea Tigranem & Mithridatem debellauit, vnus è Syllanis ducibus, ad Fidentiam (ea ad Padum ponitur à Ptol. inter Parmam & Placentiam) cohortibus ſedecim aduerſus hoſtiles 50. rem feliciter geſſit, & cæſis octodecim millibus, victoria caſtriſque ipſis potitus eſt. Author Plutarchus in Sylla.

ANNVS MVNDI 3972. SEXTÆ ÆTATIS 456.
TIGRANIS IN SYRIA 2. IANNÆI REGIS ET PONTIFICIS IVDÆORVM 21. PTOLEMÆI LATHVRI 35. OLYMPIADIS CLXXIV. AN. 3. VRB. COND. 671. COSS. CN. PAPYRIO CARBONE III. ET C. MARIO NEPOTE GRATIDIANO. BEL. MIT. 8. CIVILIS 7. SYLLÆ PROSCRIPTIONIS ET DICTATVRÆ I.

ANNVS ANTE CHRISTVM 81.

I. *Iannai expeditio ad Dion.* ALEXANDER Iannæus Rex & Pontifex Iudæorum, cum ſe ab Areta rege Arabum & Damaſci, certis conditionibus expediuiſſet, triennij expeditionem ſuſcepit, de qua ita Ioſephus.[a] Alexander vero ad Dion oppidum admoto milite, eoque vi capto, ad Eſſam inde duxit, vbi erant Zenonis res pretioſiſſimę. Videtur hic Zeno eſſe idem, qui cognomento Cotylas, Philadelphiæ tyrannus erat, vt ſupra ex eodem Ioſepho,[b] dictum eſt: eius filij Theodori meminit c. 21. cui Alexander hic Amathuntem eripuit, eamque diruit; vbi cum nihil de patris eius morte ſignificet, potuit etiam hoc tempore in viuis eſſe: l. tamen 1. de Bello c. 4. nulla Zenonis, ſed Theodori tantum fit mentio, cuius opum cupidus Iannæus, ei bellum intulerit; ibidemque pro Dio & Eſſa, inuenies Pellam, & Geraſam, vtri potius loco fides habenda ſit, non facile dixerim.

II. *Expugnat Eſſam quoque.* DIO ergo oppido vi capto, Iannæus ad Eſſam duxit, & primum triplici muro cum locum circundedit; deinde expugnato oppido ad Gaulanam duxit, & Seleuciam, & ſubactis his quoque, redegit in poteſtatem vallem, quæ Antiochi dicitur, & caſtellum Gamala. Gaulana, ſiue Gaulanitis, quæ & Baſanitis à Baſan, regio erat trans Iordanem in tribu Manaſſe, ex vrbe Gaulon ita dicta. Ibidemque fuit Seleucia ad Semochonitem lacum, vt ſcribit Ioſeph. l. 4. de bello c. 1. vbi de Gamala, & *Gamala ciuitas.* valle quæ hic[c] Antiochi dicitur, hæc habentur. Gamala, inquit, ciuitas freta locorum difficultate Agrippæ non cedebat. Iugum namque aſperum ex alto monte deductum mediam ceruicem erigit, & vbi ſupereminet in longitudinem tenditur: tantum contra decliue quantum à tergo, vt Cameli ſimilitudinem præferat, vnde nomen etiam duxit. Et à fronte quidem & lateribus in valles inuias ſcinditur, pars vero quę de monte pendet paululum difficultatem vitat, vbi crebræ domus per prona erant ædificatæ, nimióque præcipitio caſuræ videbantur. Auſtralis vero collis immenſa editus altitudine, vſum arcis ſine muro ciuitati præbebat, rupeſque ſuperior ad profundam pertinens vallem. Fons autem intra muros erat, in quem oppidum deſinebat, vt ſcilicet aqua inde decurrens ad ima caudæ Cameli ſpeciem exhiberet. Hæc ibi ferme.

III. *Eam Iannaus expugnat.* HVNC ergo locum tametſi natura munitiſſimum expugnauit Iannæus, obiectiſque multis criminibus Demetrio, locorum eorum domino, principatu ſuo illum exuit, & tertio demum huius expeditionis anno domum reduxit exercitum, magna alacritate Iudæis eum, ob res proſpere geſtas, excipientibus. Hæc Ioſeph. l. 13. ant. c. 23. quæ l. quoque 1. de bel. c. 4. reperies. Hæc igitur non ad hunc tantum annum, ſed ad duos quoque ſequentes pertinent, quæ exactius diſtinguere non poſſumus: & apparet magnam huius triennij partem, in munitiſſimæ Gamalæ expugnatione conſumptam. D. Hierony. in Chron. Euſebij, addit hoc anno 21. Iannæi, multas ab eo ciuitates fuiſſe captas, huc ſine dubio reſpiciens.

IV. *Romani Coſſ.* ROMAE autem Papyrius Carbo, tertiùm factus eſt Conſul: ei Collega datus eſt C. Marius, quem Euſebius in Chron. Græco non ſolum Nepotem, ſed etiam Gratidianum cognominat. Eum plerique omnes C. Marij ſepties Conſulis filium, Appianus, ἀδελφιδοῦ, id eſt filium fratris, aut ſororis appellat. Suſpicatur Sigonius, & recte vt arbitror, adoptatum à C. Mario, qui liberis carebat, *Marij genus.*

a l. 13. c. 23.

b l. 1. belli c. 2. & l. 13. ant. c. 15.

c l. 1. de bell. c. 4.

Marianæ res labaſcvnt. Syllanæ invaleſcvnt. *Et ætas.*

& apparet Gratidiani cognomen adoptionis ſignum, vt de Æmyliano, Seruiliano, aliiſque conſtat. Liuius in Epit. 86. Conſulem ante annos viginti per vim creatum eſſe dicit; vbi fortaſſe quinque & viginti legendum eſt. Nam in viris illuſt. c. 68. C. Marius filius, inquit, viginti quinque annorum Conſulatum inuaſit, quem honorem, tam immaturum mater fleuit. Velleius ait annos natum 26. Appianus 27. qui reliquam hiſtoriam hoc fere modo pertexit.

Insequentis anni principio Coſſ. Magiſtratum ineunt, quo tempore, præ frigoris aſperitate, in hyberna vtrimque diſceſſum eſt. Sed primo ſtatim vere ad Æſim fluuium à mane vſque ad meridiem acerrime conflixerunt, Metellus & Carinas Carbonis legatus; quo multis amiſſis profligato, finitima loca à Coſs. ad Metellum defecerunt. Metellum vero Carbo aſſecutus obſidebat, donec cognito collegam Marium magno prælio ad Præneſte eſſe victum, copias ſuas reduxit Ariminum, Pompeio tergo hærente, & in agmen extremum incurſante. V. *Metellus Carbonis legatum vincit.*

Clades autem ad Præneſte, accepta eſt hoc modo. Occupata à Sylla Setia. (ea Liri fluuio vicina eſt) Marius eo copias admouit, deinde paulatim retrocedens, vbi ad Sacriportum peruenit, explicuit aciem, pugnatum eſt magnis animis. Vbi vero ſiniſtrum cornu laborare cœpit, 5. cohortes & duæ turmæ, ad Syllam abiectis ſignis transfiere, & terga vertentes ſuos cædere cœperunt. Itaque Mariani vniuerſi victi, effuſa fuga Præneſte petebant, Sylla terga cædente. Præneſtini primos fugientes intromiſere, ſed vrgente hoſte clauſa porta, Marium fune ſubduxerunt in mœnia. Tum vero magna cædes circa muros edita, multi capti. In his quotquot erant Samnites, omnes Syllæ iuſſu occiſi, vt Romanis perpetuo moleſti. Scripſit Sylla in ſuis comment. referente Plut. 23. tantum ex ſuis fuiſſe deſideratos, ex hoſtibus cecidiſſe 20. millia, captos 8. millia, & in ſomnis ſe de victoria fuiſſe præmonitum. VI. *Et Sylla Marium ad Præneſte.*

Per eoſdem dies & Metellus vicit alterum Carbonis exercitum, etiam tunc quinque cohortibus inter pugnam ſua tranſitione victoriam accelerantibus. Pompeius quoque Marcium deuicit circa Senas, & vrbem ipſam diripuit. At Sylla Mario intra Præneſte compulſo, oppidum vallo & foſſa è longinquo cingebat, præfecto ei operi Lucretio Ofella, vt fame Marium expugnaret. Ad eum obſidione liberandum Carbo Marcium miſit cum octo legionibus, quas Pompeius in anguſto loco nactus, maxima ex parte concidit; reliqui per ſeditionem contra ducem tumultuantes, primo Ariminum iniuſſi ſigna retulerunt; inde ad proprios lares cateruatim dilapſi, ſeptem tantum cohortes apud ſuum ducem permanſerunt, qui re infœliciter geſta, ad Carbonem rediit. VII. *Et rurſus Carbonem Metellus.* *Et Marcium Pompeius.*

Rursum Lucani, Samnites, Capuani, gloriam, vt apparet, liberati Conſulis ambientes, cum 70. millibus, ad ſoluendam obſidionem properarunt; ſed Sylla occupatis faucibus, per quas ſolas erat tranſitus eos excluſit. Rurſus Carbo alias duas legiones iuſſit Damaſippum Præneſte ducere: ſed ne hæ quidem fauces à Sylla obſeſſas perrumpere valuerunt. Tum Conſul deſperans de externis auxiliis, caſtellum loco ſpatioſo inter oppidum & hoſtium munitiones extruxit. In id collatis machinis, contractiſque ſuis copiis, tentauit Lucretio repulſo erumpere: ſed poſt varios multorum dierum conatus cum nil proficeret, rurſus in Præneſtina mœnia compulſus eſt, vbi aliquanto poſt, vt dicetur, ſibi ipſe violentas intulit manus: ſed prius inſigni facinore nefariam crudelitatem prodidit. VIII. *Marius ſibi manus infert.*

Rebus enim deſperatis, ne inimicos ſuperſtites relinqueret, Bruto Prætori Vrbano ſcripſit, vt conuocato per alium prætextum Senatu, interficeret P. Antiſtium Ædilitium, & C. Papyrium Carbonem Prætorium Conſulis fratrem, & L. Domitium, & Mutium Scæuolam Pont. Max. Ex his priores duo, immiſſis percuſſoribus vti iuſſum fuerat, intra Curiam Hoſtiliam, quod Syllæ partibus fauere dicerentur, confoſſi ſunt: Domitius fugiens in foribus, non longe à Curia Scæuola. Cadauera per carnifices vnco tracta, in Tiberim proiecta ſunt: iam enim mos inoleuerat interemptos non ſepeliri. Antiſtij vxor Calphurnia Beſtiæ filia, audita mariti morte, gladio ſeſe transfixit, vt ait Velleius, qui hæc à L. Damaſippo Prætore facta ſcribit, & Liuius in Epit. 86. L. Damaſippus Prætor, inquit, ex voluntate C. Marij Conſulis, cum Senatum contraxiſſet, omnem, quæ in vrbe erat, nobilitatem trucidauit, &c. IX. *Mandata prius cæde inſignium virorum.*

X.
Sylla copias ſuas ad Vrbem mittit.

QVIBVS cognitis Sylla copias ad vrbem non vno itinere mittere cœpit, iuſſitque vt portas occuparent; quod ſi repellerentur, conferrent ſe Oſtiam. Hi quacunque iter erat, metu recipiebãtur intra oppida, ne Vrbis quidem portis excluſi, quod & fame laborabatur ab vrbanis, & aſſueuerant iam malis præſentibus non reſiſtere pertinacius. Ita quidem Appianus. At Oroſius, [a] ait Syllam cum Lamponio Samnitum duce, & Carinatis reliquiis, ante ipſam vrbem, portámque Collinam, ad horam diei nonam depugnaſſe, tandémque viciſſe. Octoginta, inquit millia hominum ibi fuſa dicuntur, duodecim millia ſeſe dediderunt, reliquam multitudinem in fugam verſam, inſatiabilis victorum ciuium ira conſumpſit. Atque ita trepidam Vrbem victor ingreſſus eſt, exercitu in campo Martio ante portas in ſtatione relicto, omnibus aduerſæ factionis ciuibus fuga dilapſis.

Quam prælio victor occupat.

a l.5.c.20. extremo.

XI.
Quæ ſtatim in ea geſſerit.

SYLLA mox vt vrbem victor intrauit, [b] ait Oroſius, tria millia hominum, qui ſe per legatos dediderant, contra fas, contráque fidem datam, inermes, ſecuroſque interfecit; ſed hæc aliquanto poſt contigerunt. Aduerſariorum autem qui fuga dilapſi erant, teſte Appiano, continuo bona ærario addicta, ſub haſta cœpit vendere: aduocatáque concione, queſtus coactum ſe improbitate inimicorum hæc facere, iuſſit populum bono eſſe animo, viſuros propediem finem malorum, & conſtitutam Rempub. Deinde ordinatis quæ præſens poſcebant remedium, & in vrbe relicto præſidio, profectus eſt Cluſium Thuſciç oppidum mediterraneum, ad reliquias belli conficiendas. Ibi cum Carbone acerrimo prælio per totum diem conflictatus eſt, donec prælium nocte diremptum eſt, neutram in partem inclinante victoria. Syllanum animabat inchoata felicitas, Carbonem cauſæ bonitas & deſperatio.

b l.5.c.21.

Apud Cluſium cũ Carbone pugnat.

XII.
Celtiberorum auxilia contra Syllam irrita.

INTEREA coniunxerant ſe cum exercitu Conſulum Celtiberi equites, miſſi à Prætoribus Hiſpaniam obtinentibus, commiſſoque ad Glanim fluuium Hetruriæ prælio equeſtri, Syllani ex hoſtibus circiter 50. ſtrauerunt, ex Celtiberis vero cum 270. ad Syllam transfugiſſent, reliquos Carbo internecione deleuit, ſiue exemplum metuens, ſiue perfidia popularium offenſus. Sic Appianus: qui cum Celtiberos ὁμοεθνεῖς Carbonis appellat, haud obſcure eum ex Hiſpania oriundum ſignificat.

Aliæ Syllæ victoria per duces ſuos.

Eodem tempore ad Saturniam, (Romanæ vrbis portam, quæ & Pandana dicta eſt, vt refert ex Varrone & Solino Orthel. in geogr.) alia copiarum parte Sylla vicit aduerſarios. Et Metellus claſſe circũuectus Rauennam verſus, obiter Vritanum agrum in poteſtatem ſuam redegit, (videtur is ager inter Padum & Rubiconem fluuios ſitus, inter quorum oſtia Rauenna ad mare ſedet) Alia Syllanorum manus intra Neapolim nocturna proditione recepti, omnes, præter paucos fuga elapſos, contrucidarunt, & triremes occuparunt.

XIII.
Res geſta ad Spoletũ.

IN Spoletinis vero campis, Pompeius & Craſſus ambo Syllani duces, ſtrauerunt Carbonianorum ad tria millia ſub Carinate duce, eumque oppugnauerunt, dum alius à Carbone ei ſubmitteretur exercitus. At rei Sylla non ignarus, iter facientem aggreſſus male mulctauit, cæſis ferme duobus millibus. Carinas per occaſionem noctis valde obſcuræ ac pluuiæ euaſit, licet id ſentientibus ac negligentibus, ob fœdam tempeſtatem, obſeſſoribus.

Et Fauentiam.
Carbonis & Norbani temeritas.

Ad fauentiam (eam Ptolem. Gallorum Boiorum vrbem facit, non longe à Rauenna) Carbo & Norbanus confecto itinere, ſub veſperam Metelli caſtris proximi, cum vnica hora diei ſupereſſet, videréntque denſa circumquaque vineta, irate magis quam conſulte explicuerunt aciem, fatigati ſcilicet contra integros & recentes, & locorum commoditate potiores pugnaturi; rati ſe Metellum tam inopinata re perterrituros. Sed victi, vt loco & tempore ſibi incommodo, aceruatim cadebant, ita vt cæſis circiter decem millibus, ſex millibus deditis, reliquis diſſipatis, mille ſoli ſeruatis ordinibus Aretium ſe receperint.

XIV.
Albinouani ſcelerata defectio.

HAC clade audita, legio Lucana Albinouani, ad Metellum inuito ductore ſuo defecit, qui tum quidem nihilo remiſſior factus ad Norbanum, qui fuerat proximo anno Conſul rediit, ſed non multis diebus poſt, pactus clam per internuncium miſſum ad Syllam de impunitate, ſi quid memorabile perpetraret; ad conuiuium vocauit Norbanum, cum ſuis legatis C. Apuſtio, & Flauio Fimbria, fratre ejus qui in Aſia necem ſibi ipſe conſciuerat, aliiſque ducibus quotquot è Carbonianis aderant, qui vbi, ſolo Norbano excepto, conuenere, omnibus in eodem cænaculo trucidatis, ad Syllam transfugit.

SYLLÆ AD VRBIM PRÆLIVM.

Tum Norbanus vbi cognouit & Ariminum ob hunc caſum, & aliquot propinquos exercitus ad Syllam defeciſſe, ratus neminem ſuorum in fide conſtantem fore, priuati hominis nauicula conſcenſa traiecit Rhodum; vbi cum à Sylla expoſceretur, Rhodiis de eius deditione deliberantibus, in medio foro ſe ipſe transfixit.

Norbanus Rhodum fugit, ibiq; ſe perimit.

XV.

PRÆTEREA tota Ciſalpina Gallia defecit ad Metellum, & Lucullus contra alium Carbonianum exercitum, ad Placentiam proſpere pugnauit.

Aliæ defectiones ad Syllæ partes.

Quibus auditis Carbo, quamuis haberet adhuc armatorum 30. millia circa Cluſium, & duas Damaſippi legiones, & totidem alteras ſub Carinate Marcioque: adhæc Samnitium magnam manum, gnauiter anguſtias, quibus tenebatur Marius, perrumpere laborantium, omnibus tamen rebus deſperatis, Conſul, deſerta ſegniter Italia, cum amicis profugit in Africam. Exercitus autem quem ad Cluſium reliquit, cum Pompeio congreſſus, amiſit ferme 20. millia; reliqui accepta tanta clade, in ſuam quiſque patriam diffugere.

Carbo fugit in Africam.

Eius exercitus deletur.

XVI.

AT Carinas cum Marcio, Damaſippoque coniunctis copiis, ad eaſdem anguſtias profecti ſunt, eas cum Samnitibus, vt putabant, perrupturi. Quod vbi non ſucceſſit, Vrbem petunt, quaſi captu facilem, ob virorum & commeatus inopiam, & in Albano agro ad decimum lapidem caſtrametantur, vel ad 1250. paſſus verſus portam Collinam, vt ait Plut. qui addit nihil propius factum eſſe, quam vt vrbem, præſidio & ſtatione carentem, inuaderent, eamque impreſſionem Teleſino in primis Samniti attribuit: ſed redeo ad Appianum. Tum Sylla vrbi metuens, propere præmiſſis equitibus, qui hoſtium agmen remorarentur, Balbum nominat Plut. cum equitibus ſeptingẽtis, ipſe accelerato itinere cum omnibus copiis, circa Meridiem Collinæ portæ iam propinquus, ad ædem Veneris caſtra poſuit, hoſtibus quoque circa vrbem caſtra metatis. Calend. Nouembris initam hanc pugnam ſcribit Velleius. Inclinato autem ad veſperam die, hora ſcilicet decima, vt Plutarchus ait, collatis ſignis, dextrum Syllæ cornu vicit, ſiniſtrum fuſum ad portas refugit.

Vrbis periculum, & ad eam pugna dubia.

XVII.

IBI viri ſenes, vt viderunt hoſtes profligatis mixtos accurrere, cataractam dimiſerunt, quæ delapſa multos milites, multos etiam Senatores oppreſſit. Magna pars metu & neceſſitate coacta, retro in hoſtes ſe vertit, & continuato per totam noctem prælio, magnam ceciderunt multitudinem, inter quos Teleſinus, Albinuſque ceciderunt, caſtraque eorum capta ſunt. Lamponius Lucanus, cum Marcio, Carinate, aliiſque Carbonianis ducibus, qui prælio interfuerant, diuerſa loca fuga petierunt. Quin etiam Syllam ſupremũ vitę diſcrimen in hoc certamine ſemel iterumq; adiiſſe, teſtatur Plut. ſemel dum ſiniſtro cornu laboranti ſubſidio iuit. Eum enim cognitum duo ex hoſtibus, haſtis totis viribus connixi petierunt. Id periculum ille non aduertit, ſed verberato ab equiſone equo, ita præterlatus eſt, vt ſecundum equi caudam, ſpicula delapſa defigerentur in ſolum. Iterum in ipſo conflictu, cum ſiniſtro cornu obtrito, permiſtus ipſe fugientibus, multis deſideratis amicis & familiaribus, in caſtra delatus eſt. Et gratias ille quidem egit Apolloni, cuius ſigillum aureum Delphis ſublatum ferebat in ſinu: ſed inde, vt apparet, crudele in Samnites odium concepit, à quibus in primis hanc cladẽ acceperat, quod in eos mox effudit.

Multorum cædes, & Syllæ periculum.

XVIII.

NAM vt ait Appianus, cum vtrimque deſideratorum numerus æſtimatus eſſet ad quinquaginta millia, captiuorum ſupra octo millia, quia maior pars Samnites erant, Sylla iaculatoribus conficiendos obiecit. Rem paulo aliter Plut. refert, cum inſigni Syllanæ crudelitatis argumẽto. Contrito ſcilicet ſiniſtro cornu, tantum terrorem iniectum Syllanis, vt oppreſſum Syllam, occupatam vrbem putarent; indéque fugitiui Lucretium ſoluendam Præneſtinam obſidionem monerent. Sed dextrum cornu, in quo pugnarat Craſſus, viciſſe, hoſtemque cædendo Antemnas vſque fugaſſe vbi didicit, eò poſtridie contendit. Illi ignari, vt apparet, quid in ſiniſtro cornu contigiſſet, ad tria millia miſerunt ad eum legatos ad veniam petendam: quibus ille promiſit impunitatem, ſi aliquid cladis intuliſſent cæteris hoſtibus, atque ita ad ſe commeaſſent. Qui habita fide reliquos ſunt adorti, ſicque magna cædes extitit ſe mutuo conficientium. Nihilominus & his, & quotquot eſſent ex aliis ſuperſtites, ad ſex millia in circo maximo coactis, Senatum in ædem Bellonæ indixit. Simulatque dicere inſtituit, ij quibus id demandatum fuerat, illa ſex millia trucidauerunt. Vociferatione autem elata à tanta multitudine, quæ in anguſto loco iugulabatur, & patribus attonitis, ille immoto & conſtanti vultu, patres aduertere

Sylla odiũ & crudelitas in Samnites.

animum iuſſit,neque curare quid ageretur foris; nonnullos improbos ſuo iuſſu caſtigari.

XIX. *In Marium Conſulem, alioſque duces.*

His fere coniuncta ſunt,quæ Marcio, & Carinæ, Mario & Præneſtinis contigere. Poſtridie,inquit Appian. Marcius & Carinas è fuga retracti, Syllæ iuſſu capite truncati ſunt: capita ad Lucretium miſſa ſunt,circa Præneſtinorum mœnia circunferenda (id de Teleſini capite ſcribit Velleius, eumque ait non minorem Vrbi terrorem paulo ante,quam Annibalem pridem attuliſſe.) Quibus viſis Præneſtini, cum audiſſent etiam periiſſe omnes Carbonis copias, ipſumque Carbonem in Africam, Norbanum in Aſiam deſerta Italia profugiſſe. Vrbem denique Romam in Syllæ poteſtate eſſe,oppidum Lucretio dediderunt. Marius in cuniculum ſe abdidit,vbi mox ſibi manus intulit. Caput eius ad ſe relatum Sylla pro Roſtris poſuit, non ſine cauillo in Conſulis ætatem; debuiſſe eum prius remum tractare quam gubernaculum. De eius morte ita Velleius. Deſperatis rebus ſuis C. Marius adoleſcẽs per cuniculos,qui miro opere fabricati,in diuerſas agrorum partes ferunt, conatus erumpere,cum foramine è terra emerſiſſet, à diſpoſitis in idipſum interemptus eſt; ſunt qui ſua manu, ſunt qui concurrentem mutuis ictibus cum minore fratre Teleſino vna obſeſſo & erumpente occubuiſſe prodiderint. Sic ipſe. [a]

[a] Vide etiã Plut. in fine Marij, & epit. 88. in fi. & Diod. ex l. 37. eccl. 1.

XX. *In vrbem Præneſtinã.*

Lvcretivs Præneſte potitus,quotquot Senatores Marianæ factionis ibi deprehendit,aut ſtatim interfecit,aut miſit in cuſtodiam,quos Sylla poſtquam eo venit,occidit. Cæteram multitudinem inermem iuſſit prodire in campum,quo facto vbi aliquot,admodum paucos exemit, quorum opera aliquando vſus fuerat, reliquos trifariam diuiſit: poſtquam aliò Romani, aliò Samnites, aliò Præneſtini ſeceſſere,Romanis per præconem monitis, ipſos quoque commeruiſſe mortem, habituros tamen veniam,alios omnes iaculis confixit: mulieres tantum & pueros dimiſit incolumes,oppidum illo ſeculo ditiſſimum,diripuit. Ita cum Præneſte actum eſt. Breuius Plut. neſcio an verius. Sylla, inquit, Præneſte profectus, animaduertit primùm cauſa cognita in ſingulos. Deinde quaſi non vacaret, cunctos vno in loco contractos,ad duodecim millium numerum confici iuſſit.

XXI. *Norbæ clades.*

At Norba Campaniæ vrbs,inquit Appian. nihilominus totis viribus reſiſtebat, donec Æmylio Lepido noctu per proditionem intromiſſo, indignabundi oppidani, pars ſuamet manu, pars mutuis vulneribus ceciderunt, alij præfocarunt ſe laqueis,aut obturatis foribus ignem tectis ſubdiderunt; quorum conatum fortuitus ventus ita adiuuit,vt præda omnis abſumpta ſit incendio.

Sylla ſibi firmat Italiam.

Finito in Italia bello,per tot clades igni & ferro,vltro citroque illatas, alij Syllani duces obita regione,inſpectiſque oppidis, præſidia locis ſuſpectis impoſuerunt. Pompeius autem in Africam contra Carbonem, in Siciliam contra eius amicos, Metellus in Hiſpaniam contra Sertorium miſſus eſt.

XXII. *Et Dictator proponit proſcriptionem.*

Hæc Sylla cum per amicos ducéſque ſuos gereret, ipſe partam victoriam ſceleſtiſſimo crudeliſſimóque facinore violauit. Non contentus enim tot tantiſque ſtragibus, quas in acie bellicus furor ediderat, quaſque per otium ludumque ipſe patrarat, Romanam vrbem,Italiamq; vniuerſam cædibus innumeris, proſcriptione edita,cruentauit,qua de re hæc fere Appianus.

Ipſe aduocato ad concionem populo,multa de ſe magnifice, multa ad illos terrendos vehementer locutus,ita concluſit orationem,vt diceret,Populi quidem ſtatum in melius ſe mutaturum, ſi iuſſa fecerint; inimicorum vero ſe parciturum nemini,ſed in omnes,Prætores,Queſtores,Tribunos,alioſque qui, ex eo die quo Scipio Conſul pactis non ſteterat, hoſtibus fauiſſent,animaduerſurum. (Intelligit autem pacta cum eo inita, quando eius ad ſe attraxit exercitum, quæ fracta fuerunt, Sertorio Sueſſam Syllanis eiectis occupante, vt ſupra ex Appiano dicebamus.) Velleius ait Dictatorem creatum,propoſuiſſe proſcriptionem, & quidem primum, licet quidam Marium proſcriptione vſum dixerint,& Plutar. in primis in eius vita.

XXIII. *Eamque exercet cruentiſſimam.*

Post concionem ſine mora Senatores quadraginta, Equites Romanos mille ſexcentos proſcripſit,præmia percuſſoribus proſcriptorum, bina talenta,ſua quoq; latentium iudicibus propoſuit, & pœnam abditos cælantibus interminantus eſt. Nec multo poſt alios item Senatores in proſcriptorum album retulit. Plut. non diſtinguit Senatores ab equit. ſed ait Metellum,ſiue vt aliis placet, Offidium quẽdam adulatorem,ab eo petiiſſe,vt exprimeret quos vellet punire; Syllamque è veſtigio

Plut.

Syllæ cruenta proſcriptio.

re cum nemine è magiſtratibus communicata, proſcripſiſſe 80. Omnibus id indigne ferentibus, alios vno interiecto die 220. mox tertio adiunxiſſe rurſus non pauciores. Denique pro concione adieciſſe, ſe eos quorum meminiſſet proſcripſiſſe, qui ipſum nunc fugerent, deinceps proſcripturum. Propoſita eſt, inquit Florus, [a] ingens tabula, & ex ipſo equeſtris ordinis, ac Senatus flore duo millia electi, qui mori iuberentur. O feram & cruentam belluam!

a l.3.c.21.

XXIV. *Ex Appiano, & Floro, & quam late patuerit.*

Ex his quidam, ait Appianus, nec opinantes oppreſſi paſſim, per domos, per templa, per porticus. Alij ſublimes correpti, & ad pedes Syllæ proiecti, alij raptati, conculcatique; nemine præ terrore ad tam dira ſpectacula, vel muſſare audente. Qui autem fuga ſunt elapſi, bonis ſtatim ſpoliati, multos vndique habebant, qui omnia ſcrutarentur, omnia excuterent, & inuentos trucidarent. Quis illos, inquit Florus, computare poteſt, quos in vrbe paſſim quiſquis voluit occidit: donec admonente Furfidio viuere aliquos debere, vt eſſent quibus imperarent, propoſita eſt ingẽs tabula &c. Nec minor fuit ſociorum expulſio, direptio, cædes, qui Carboni, Norbano, Mario, eorumue legatis paruerant; qui pecuniam, opem, auxilia, conſilia contulerant contra Syllam, iiſque de rebus ſeueriſſima tota Italia iudicia exercebantur: nec defuit cui crimini datum eſt, vel cum damnatæ factionis homine iter feciſſe. Præcipue autem diuites in his periculis hærebant, inquit Appianus, quod claro exemplo Plutarchus illuſtrat. Q. Aurelius, inquit, vir quietus in aliorum infortuniis mœrens, cum in forum veniſſet, legit proſcriptos, ac reperto nomine ſuo, væ miſero mihi, inquit, fundus Albanus mihi procurat necem: paulumque progreſſus cum eſſet, à quodam qui eum ſequebatur eſt interemptus. Sic Plut.

XXV. *Toti populi proſcripti.*

Vbi vero ſingulorum criminationes defecerunt, totos populos adortus Sylla, quorumdam arces, aliorum mœnia diruit, alios pecuniis mulctauit, alios grauiſſimis exactionibus, alios tranſmigrationibus vexauit, deductis in eorum locum colonis iis, quorum opera in hoc bello vſus fuerat, attributis deportatorum poſſeſſionibus, vt iis ſibi vehementer obnoxiis, totam Italiam perpetuo in poteſtate retineret. Hæc Florus paulo luculentius.[b] Poſitis ſingulorum hominum fere pœnis, municipia Italię ſplendidiſſima ſub haſta venierunt Spoletium, Interamnium, Præneſte, Fluentia, vel Fauentia. Nam Sulmonem, vetus oppidum ſocium atq; amicum, facinus indignum! nõdum expugnatum, vt obſides iure belli, & modo morte damnati duci iubentur. Sic damnatam ciuitatem iuſſit Sylla deleri.

b l.3.c.21.

XXVI. *Pompeius in Carbonẽ crudelis.*

Interim Pompeius Carbonem, cum multis aliis claris viris ex Africa in Siciliam profugum, atque inde in Coſſyram fugientem (ea eſt inſula inter Africam & Siciliam ſita Ptolemæo) Pompeius per certos homines ad id miſſos retraxit, & alios quidem, ne in conſpectum quidem admiſſos, interfici iuſſit: Carbonem vero ter Conſulem vinctum, ad pedes ſibi ſiſti paſſus, pro concione obiurgatum occidit, & reſectum caput ad Syllam miſit. Plutar. in Pompeio ait eum parum humaniter Carbonis miſeriis inſultaſſe.

Quæ omnia tam à Sylla Cõſule, quam proconſule, & ab ipſius ducibus, iuſſu eius, vel conſenſu geſta, tametſi infanda atque ſceleſta, populus vniuerſus qui ſuperfuit, rata habuit, metu omnia extorquente.

XXVII. *Statua equeſtri honoratur, & cognomine Felicis.*

Quin etiam ſtatuam equeſtrem auratam pro Roſtris, quæ ille tot clariſſimorum virorum capitibus ad ludibrium cruentarat, illi poſuit cum hoc titulo; Cornelio Syllæ imperatori foelici. Quo nomine ab adulatoribus appellabatur, ob perpetuos rerum contra inimicos geſtarum ſucceſſus; quæ adulatio in cognomen vertit. Velleius l. 2. ait Syllam tanti feciſſe deuictum Marium iuniorem, vt eo demum occiſo Fœlicis nomen aſſumpſerit: idem Victor de vir. ill. Plut. autem ait eum poſt triumphum iuſſiſſe Fœlicem ſe nominari.

Infelix potius.

Quin & Fauſti cognomen, & Epaphroditi, quaſi dicat, Veneri dilecti, aut Venuſti accepit. Sed miſer potius, atque infœlix fuit, cui in hac vita tot ſcelera perpetrare impune licuit: quibus onuſtus ad magnum illum iudicem breui pertractus eſt, qui potentes hoſce tyrannos eligit, in quos ignea iracundiæ ſuæ fulmina iaculetur; qui non intellexit factum ſe flagellum Dei, in vindictam ſcelerum, quæ populus Romanus toto iam terrarum orbe in pauperum oppreſſione, & improborum etiam caſtigatione, cum infinita auaritia, crudelitate, ambitione perpetrarat.

XXVIII. *Fuit flagellum Dei in Romanos.*

EXALTAVIT eũ Dominus,& potentẽ fecit,ſubiecit ante faciem eius gentes Aſianas, atque Europæas, & dorſa regũ vertit: aperuit coram eo Italiæ vrbiſq. ianuas, & ante eum iter faciens, glorioſos illos terræ principes Cinnas, Marios, Carbones, Marcios, Fimbrias, Scipiones, Norbanos, tot Senatores, equiteſque Romanos, cũ ſumma ignominia proſtrauit in terram: dedit ei theſauros abſconditos, quos Roma, totaque Italia ex prouinciis omnibus auide corraſerat; nec tamen oculos leuauit in cœlum, vt cognoſceret Deum eſſe in cœlo, qui regna atque imperia, cuicunque placuerit, largiatur; ſed ſanguine & cruore exſatiauit crudelem animum ſuum, & ſuperbia diuinam ſibi felicitatem arrogauit. Itaque breui exaltatus, ſicut cedri Libani, mox in terram deiectus, præcipitatus eſt in profundum laci, cum regibus & Conſulibus terræ.

XXIX. *Fit Dictator.*

SYLLA igitur reipſa iam Rex, aut potius tyrannus, quippe qui per vim potentiã iſtam fuerat conſecutus, vt eam legitime poſſidere videretur, cum nulli iam eſſent Conſules, nam vnus in Silicia, alius Præneſte perierat, antiquo more creari voluit à Senatu interregem, à quo haberentur comitia. Itaque pauliſper ex vrbe ſeceſſit, Senatu iuſſo creare interregem, qui Valerium Flaccum elegit, ſperans habiturum Conſularia comitia. Tum Sylla ſcripſit Flacco, rogaret Quirites, ex ipſius Syllæ ſententia, vt iuberent Dictatotem priſco more creari, Reip. conſtituendæ cauſa, donec imperium tot bellorum turbinibus concuſſum, conſtabilitum eſſet, ſeque, ſi ita patribus videatur, hanc operam Reip. nauaturum.

XXX. *Senatus Populique conſenſu.*

NON repudiauit S.P.Q.R. hanc vel fucatam libertatis vmbram, eumque Dictatorem perferendis legibus, & conſtituendæ Reipublicæ creauit, à quo L. Valerius Flaccus Mag. eq. creatus eſt, vt eſt in tab. Capit. reuocata, vt ait Appianus, poſt quadringenteſimum annum Dictatura, vel, vt inquit Plutarchus in Sylla, & Velleius, l. 2. poſt 120. & recte quidem. Nam anno V.C. 551. qui 2. belli Punici vltimus fuit, inuenitur creatus Dictator comitiorum habendorum cauſa C. Seruilius Nepos, cum Mag. eq. P. Ælio Pæto. Verum deceptus eſt Appianus, cum ait ceſſaſſe morem creandi magiſtratus huius ab annis quadringentis. [a] Prudentius vt cætera Dionyſ. Halycar. [b] Sed patrum ætate, ait, elapſis à Dictatura T. Largii annis circiter quadringentis, odioſa res viſa eſt omnium mortalium iudicio: L. Cornelius Sylla primus & ſolus acerbe crudeliterque ea vſus eſt, vt tum primum ſentirent Romani, quod ſuperioribus temporibus ignorauerant, Dictaturam eſſe tyrannidem. Sic ipſe. Recte autem dixit circiter quadringentos: ſunt autem omnino 415. ab anno 256. ad annum præſentem 671.

Renouata Dictatura. *Ratio temporis.*

[a] παυσάμενοι ἰδὼν ἐκ τῆς πραγμάτων ἐτῶν. [b] ſub fi. l. 5.

XXXI. *Renouati Coſſ.*

NIHILOMINVS vt priſtina Reipublicæ forma manere videretur, permiſſum eſt populo facere Conſules, quos ſolito tardius creatos ſuſpicari poſſumus, ſi quam multa geſta ſint, poſt pugnam Cal. Nouemb. editam, conſideremus; quorum ſine dubitatione pleraque ad ſequentem annum pertinent.

Et bellum Mithridaticum.

Hoc ipſo tamen anno bellum Mithridaticum in Aſia renouatum, ex Epitome 86. ſatis liquet, vbi illud longe ante mortem Iunioris Marii Conſulis ponitur; nec apparet Murenam, bellorum occaſiones triumphi cupiditate captantem diu quieſcere potuiſſe, & ita ſcribit Sigonius.

Mithridates ergo, vt narrat Appianus, in Pontum reuerſus, cum Colchis & Boſporanis, qui ab eius imperio defecerant, bellum gerebat. Colchi filium eius Mithridatem ſibi regem poſtularunt, eoque impetrato, ſub imperium ſtatim redierunt.

Occidit filium.

Id factum Rex ſuſpicatus ambitione filii regnum paternum affectantis, vocatum ad ſe vinxit aureis compeditus, nec multo poſt necauit, tametſi egregia eius opera in Aſia contra Fimbriam vſus eſſet.

XXXII. *Occaſio renouati belli in Romanos.*

ADVERSVS Boſporanos autem claſſem parabat, & magnum exercitum, adeo vt ob magnitudinem apparatus exorta ſit opinio, hæc non in Boſporanos, ſed in Romanos parari. Duo etiam ſuſpicionem iuuabant. Nam neque Ariobarzani ſolidam Cappadociæ poſſeſſionem reddiderat, retentis ſibi locis quibuſdam, neque Archelao ſatis fidebat, quaſi cum eſſet in Græcia, plus æquo in conditionibus pacis Syllæ conceſſiſſet. Quod vbi ille ſenſit territus ad Murenam fugit, eumque irritando effecit, vt prior Mithridati arma inferret.

Murena illum inuadit.

Id fuit currenti ſubdere calcar equo. Mox enim Murena per Cappadociam

inuaſit Comana vrbem, in regno Mithridatis maximam, & religioſo opulentoque templo inſignem; interfecitque nonnullos Regis equites. Cumque legati obiicerent fœdera, negauit vlla ſe vidiſſe fœdera: Sylla quippe nulla conſcripſerat, ſed executione pactorum contentus, diſceſſerat. Hæc locutus Murena confeſtim prædas agebat, ne à ſacris quidem pecuniis abſtinens, & habuit hyberna in Cappadocia.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3972.

1. N. 1. Porro Dion oppidum Syrorum, etiã Dioſpolis à Ioſepho alibi vocatur: à Ptolemæo in Cœleſyria, inter Pellam & Philadelphiam collocatur. Eidem vicinam fuiſſe apparet Eſſam, ſicut & reliquas fere, quæ mox ibid. recenſentur; eius tamen Ptolemæus non meminit. Alterius cuiuſdam Eſſæ meminit D. Hieron. in vita Malchi; ſed eam ad eremum Chalcidis in Seleucide ponit, eademque putatur à Mariano Victor. ibidem cum Iſſa, ſiue Iſſo, ex qua Iſſicus ſinus nomen accepit.

2. N. 1. Huic Appiani ſententiæ, de capta hoc anno vrbe à Sylla, Carbone ſcilicet & Mario iuniore Coſſ. conſentit Velleius lib. 2. Eutropius l. 5. c. 20. Diuus Auguſtinus lib. 3. de ciuit. c. 28. Plutarchus in Sylla. Florus Epitome octogeſima ſeptima, vt omittam Sigonium, Pighium, omneſque recentiores. Vt mirum ſit Pſeudoſcaligerum in Euſebiũ id dicere factum L. Scipione Aſiatico, & Norbano Coſſ. quando Capitolium incenſum eſt, idque nullius teſtimonio nixum. Nam Iulius Obſequens quem laudat, in Italiam reuerſum dicit iſtis Conſulibus, non autem Romam occupaſſe; quod diuerſis annis contigiſſe ex dictis apertiſſimum eſt; quod dum putauit Scaliger, iterum errauit.

ANNVS MVNDI 3973. SEXTAE AETATIS, 457.

TIGRANIS IN SYRIA 3. IANNÆI REGIS ET PONTIFIC. Ivdæorvm 22. Ptolemaei Lathvri 36. & vlt. Olympiadis CLXXIV. an. 4. Vrbis Conditae 672. Coss. M. Tvllio Decvla, & Cnæo Cornelio Dolabella. Belli Mithridatici 9. Dictatvrae Syllae 2. Sertoriani belli 1.

Syluius Decola dicitur apud Cuſpin.

ANNVS ANTE CHRISTVM 80.

I. *Finis Lathuri, & ratio temporis.* TRIGESIMVM ſextum & vltimum hunc Ptolemæi Lathuri annum appellamus, ſecuti Clementem Alexand. lib. 1. Strom. quem etiam ducem habuimus in coniungendis tribus eius regni partibus, ſicut & Tertullianum in lib. contra Iudæos, & Diuum Hieronymum in ca. 9. Danielis, vbi Lathuro, quem Soterem vocat, 38. annos concedit. Nec ratio patiebatur, vt legitimum regem, matris improbitate regno ad aliquot annos pulſum, etiam regio nomine priuaremus. Epiphanius autem in lib. de pond. & Euſeb. in Chron. eius regnum tripertito diuidunt, eique annos quinque & triginta aſſignant, licet diuerſo modo. Hunc porro annum Lathuri poſtremum nobiſcum facit Euſebius, de Olympiadis anno 4. deque Romanis Conſulibus conſentiens.

Ep. { 15. Sot. 12. Ale. 8. frat. Alex. } Euſ. Iſid. { 17. vbi ſcon. 10. Al. 8. Pto. eiectus }

II. *Regnum Nepotis eius Alexandri.* Appianvs quoque lib. 1. bell. ciuil. de rebus à Sylla his Coſſ. geſtis agens, aperte docet hoc anno Ægypti regem mortuum, eique ſuffectum à Sylla Alexandrum filium Alexandri, qui frater Lathuri in Ægypto ante regnauerat; quem tamen nemo Ægyptiorum regum catalogo inſerit, propter regni breuitatem: ſed ipſum præſtat Appianum audire. Sylla, inquit, Alexandrum, eius Alexandri, qui

in Ægypto regnauerat filium, in Coo inſula educatum, & à Cois Mithridati deditum, indeque ad ſe profugum, & in familiaritatem receptum, Alexandriuis regẽ dedit, deficiente ibi virili ſtirpe regia, & mulieribus regiis, viro regii generis indigentibus; ſperans multum auri ſe collecturum ex regno opulentiſſimo. Sed Alexandrini Regem hunc inſolentius imperantem Syllæ fiducia, decimo nono regni die, ex regia protractum in gymnaſium, peremerunt. Sic ibi. Meminit eiuſdem Alexandri in Mithridat. qua de re ſupra, anno Lathuri 29. Hinc ergo clarum eſt, non ſolum Lathurum hoc anno mortuum, ſed eius etiam ſucceſſorem, & ex fratre nepotem Alexandrum. Itaque horum præſidio nixi, facile patimur recentiores diſſentire. Quo porro mortis genere Lathurus interierit, non reperi. Hic eſt ſecundus annus expeditionis Iannæi, de qua proximo anno dictum eſt.

III. *Noui Coſſ. Sylla conſenſu.* *Qui Lucretium candidatum interficit.*

Etsi autem Romæ Sylla omnia poterat, nec tam Dictatorem agebat, quam tyrannum; vt priſtina tamen forma Reipublicæ manere videretur, permiſit populo facere Coſſ. inquit Appianus l. 1. bell. ciuil. Creati ſunt M. Tullius Decula, & Cornelius Dolabella, qui ſcilicet ex Syllanis ducibus fuerant, vt de Dolabella nominatim apud Plutarchum legitur. Q. Lucretius Ofella, Aſellum vocat Liuius, Epitome octogeſima nona, per quem Præneſte Mariumque Conſulem Sylla expugnarat, & victoriæ ſupremam impoſuerat manum, in medio foro ab eodem interfectus eſt: quia nondum equeſtrem ordinem egreſſus, priuſquam quæſturam, & præturam geſſiſſet, inuito & dehortante Dictatore, ſe Conſulatus candidatum profitebatur. Iuniorem Marium in occupando præpropere Conſulatu imitari voluit, ſed mors eum prius, quam ipſe Conſulatum occupauit. Plutarch. ait Syllam miſiſſe vnum è centurionibus, quibus ſtipatus erat, ad eum interficiendum, ac pro tribunali ſedentem ad ædem Caſtoris, ex edito ſpectaſſe cædem. Cũque centurionem ciues arripuiſſent, & ad eius tribunal ſtatuiſſent, tumultuantes ſilere iuſſit, ac centurionem dimittere, ſuo quippe iuſſu eam cædem factam eſſe. Addit Appianus, additam tum à Sylla fabulam de ruſtico, qui poſt ſemel iterumque intermiſſam arationem, ad purgandam interulam, tertio in ignem coniectam exuſſerat; hoc exemplo monens victos, ne tertio peccato in ſe admiſſo, pœna ignis caſtigarentur. Eoque modo vehementer conterritos, imperio habuit obſequentes: & pleraque erant, quæ hunc terrorem augerent.

IV. *Syllæ Dictatoris potentia, & dominatus.*

Ipse enim Sylla, inquit Appianus, iam plane regnans Dictator, Conſulibus præerat. Nam & ſecures ei viginti quatuor præferebantur, vt olim Regibus, & Dictatoribus, & frequenti ſtipabatur ſatellitio; leges pro arbitrio alias ferebat, alias antiquabat.

Tribunatũ debilitat.

Tribunitiam poteſtatem adeo debilitauit, vt ſublata videri poſſet, lege lata ne quis poſt tribunatum ad vllum alium magiſtratum admitteretur: quo factum eſt, vt ab omnibus vitaretur, qui honores appetebant. Senatum ad magnam paucitatem redactum, allectis ad eum ex equeſtri ordine fere trecentis ſuppleuit, ad eoſque iudicia ab equitibus tranſtulit, Paterculus lib. 2. Plebi vero pluſquam decem millia ex conſcriptorum ſeruis, vt quiſque maxime viribus, & ætate florebat, inſeruit, libertate prius ciuitatéque donatos, eoſque de patroni ſui nomine Cornelios appellauit, vt eos ſemper ad iuſſa paratos haberet. Idem obſequium, & per Italiam ſibi prouidẽs, 23. legionibus (Liuius Epit. 89. numerat 47.) multum agrorum partim publicorum, partim quibus ciuitates mulctauerat, oppidatim diuiſit: vrbes deſolauit integras, & regna alia ſuſtulit, alia inſtituit; ciuium, præter eos, qui præliis abſumpti ſunt, deditítiorum interfecit, non minus quatuor millia, & ex his aliquot tormentis prius excruciatos. Sic Halycarnaſſæus in fin. lib. 5. qua de re pluribus Valerius Maximus lib. 9. c. 2. Firmata porro ad eum, quem dixi modum tyrannide, poſt multa crudeliſſima facinora, quibus diuum atque hominum odia, pœnaſque merebatur, non dubitauit Dictatura depoſita, ſe paratum offerre ad reddendam de omnibus geſtis ſuis rationem; quam ſcilicet intelligebat neminem exigere poſſe. Sed hæc poſtea.

Cornelii liberti.

V. *Sylla triũphus de Mithridate.*

Hoc anno Syllam Dictatorem de Mithridate triumphaſſe Appianus affirmat, & tabulæ Capit. quæ triumphum eius aſcribunt ſub huius anni Coſſ. & quidem 3. Cal. Febr. anni V. C. 672. biduo autem triumphaſſe author eſt Plinius. Illud autem moderationis in Sylla fuit, quod licet vrbe, totaque Italia ſubacta, de iis ta- *li. 33. c. 1.*

li.2.c.8. men triumphare noluit: Author Valerius Maximus, L. Sylla, inquit, qui plurima bella ciuilia confecit, cuius crudeliſſimi & inſolentiſſimi ſucceſſus fuerunt; cum conſummata potentia ſua triũphum duceret, vt Græciæ & Aſiæ multas vrbes, ita ciuium Romanorum nullum oppidum vexit. At triumphus eius, ait Plutarchus, magnificentia, & raritate manubiarum regiarum excellens, maiorem etiam ſpeciem, & pulchrius ſpectaculum præbuit, exulum cauſa.

Siqvidem clariſſimi viri, & principes ciuitatis ſecuti ſunt coronati currum Syllæ, ſeruatorem & parentem eum appellantes, quod illius beneficio eſſent in patriam reduces, liberoſque & coniuges recepiſſent. Sed multo plures tota vrbe, totaque Italia, & vbique locorum, quo exules ſpes metuſque compulerant, ſuas, ſuorumque clades à Sylla irrogatas, ei potuiſſent exprobrare. Nam ſi Romanorum ciuium, vel Italorum numerus ſubducatur, qui à reditu Syllæ in Italiam interempti ſunt ab eo, eiuſque ducibus, vel ab aduerſariis ſeſe defendentibus, facile ad quingenta hominum millia ſumma perueniet; vt infinitam exulum turbam miſſam finiamus. Tranſacto triumpho, non minore ſtudio, quæ feliciter ſibi eueniſſent, quam quæ fortiter feciſſet, recenſuit, eaque de cauſa iuſſit ſe Fœlicem nominari. Sic Plut. Id tamen nomen tam ipſe, quam eius familiares iam vſurpabant, iuxta ea quæ ex Appiano ſupra retulimus. VI. *Qualis triumphi gloria.*

Insignis eſt hic annus altero triumpho, quem ex Africa Pompeius retulit. Cnæus Pompeius, inquit Liuius in Epitome octogeſima nona, in Africa Cnæum Domitium proſcriptum, & Hieram regem Numidarum bellum molientes, victos interemit: & quatuor & viginti annos natus, adhuc eques Romanus, quod quidem nemini contigerat, ex Africa triumphauit. Sic ibi. Id autem hoc anno ſecundo Dictaturæ Syllæ, quo is iam pacifice in Republica dominabatur, contigiſſe, ex Plutarcho mox intelligitur, & in frag. Capit. ſignificatur. Pompeius in Africam tranſgreſſus, eruptione circa Vticam facta, octodecim hominum millia interfecit. Quo bello Domitius dux Marianus, dum inter primores repugnat, occiſus eſt. Sed res paulo plenius ex Plutarchi Pompeio explicanda eſt. VII. *Triumphus primus Pompeii.*

Dvm Pompeius res in Sicilia contra Carbonem, alioſque gerit, Senatuſconſultum, & à Sylla literas accipit, quibus præcipiebatur ei in Africam vt traiiceret, & Domitium acriter bello perſequeretur. Is relicto in Sicilia Memmio, cum 120. longis nauibus, & onerariis octingentis, & in iis 7. legionibus completis, in Africam traiecit, quam vbi attigit, ſeptem hoſtium millia ad eum defecere. Moxque Domitium, prælium propter imbris violentiam non expectantem, aggreſſus, non ſine ſuo periculo, magna cum ſtrage vicit: ferũtur enim ex 20. millibus, effugiſſe ſolũ tria millia. Inde ad caſtra conuolatur, quibus expugnatis, Domitius cecidit. Captus eſt Hiarbas; (ſic enim vocat eum Plutarchus, & Eutropius, Oroſius Hiertam, quidam manuſcripti Hierdam) Domitii ſocius, cuius regnum Hiempſali permiſit. Vrbes extemplo partim vi, partim deditione, in Pompeii poteſtatem veniunt. Numidiam adiit, multorumque dierum iter prouectus, proſpera fortuna, & virtute, beneuolentiaque exercitus ſui vſus, omnes ſubiugauit, omnibus terrorem Romani nominis, vſque ad leones & elephantos iniecit. VIII. *Qui rem in Africa geſſerit.*

Deniqve intra quadraginta dies, annum agens quartum & vigeſimum, hoſtes oppreſſit, Africam ſubegit, regna, regumque negotia compoſuit. De viginti quatuor annis etiam Eutropius, Epitome Liuii octogeſima nona, quam retuli, & alii conſentiunt IX. *Aetas Pōpeii hoc tempore.* (L.5. in fi.)

Verum rectius ſine dubio Victor in viris illuſtribus, ſcribit eum 26. annos natum triumphaſſe. Nam cum natus ſit, vt ſupra docuimus, anno Vrbis Conditæ ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Seruilio Cæpione, & Atilio Serrano Coſſ. eo ipſo, quo natus eſt Cicero, hic ſine dubio ſextus & vigeſimus eſt vtriuſque annus, vt Gellius diligenter annotauit. Qui autem 4. & 20. tantum annos dixerunt vtrumque extremum, augendæ admirationis cauſa, vt fit, videntur omiſiſſe. Ad hunc annum pertinent illa Cicer. in Bruto. Leges, inquit, & iudicia conſtituta, recuperata Reſpublica: tum primum nos ad cauſas, & priuatas, & publicas adire cœpimus &c. Intelligit autem cauſam Quintii hoc anno, & Roſcii ſequenti defenſam, vt eſt apud Gellium l. c. ſed reddamus ex eodem Plut. reliqua. (L.15.c.18.)

Regresso Vticã Pompeio, cum literas à Sylla accepiſſet de dimittendo exerci- X. *Eiuſdem triumphus.*

Cui ſe imparem adhuc viribus agnoſcens Sertorius, cum tribus millibus refugit in Carthaginem nouam; indeq. in Africam ad Mauros traiecit, vbi male à barbaris acceptus in Hiſpaniam rediit, præſidium Annii oppreſſit, cum eo claſſe aduerſa tẽpeſtate parum feliciter pugnauit. Inde in Mauritaniam regreſſus Paccianum illuc à Sylla cum exercitu miſſum, occidit in acie, victorque, eius ſibi copias adiunxit. Hic eum Luſitani per legatos, ad ſuſcipiendum imperium acciuere: hunc enim ducem maxime idoneum fore ſibi contra Romanorum terrorem & violentiam, & fama, & experientia didicerant. XIV. *Sertorius feliciter rẽ gerit.*

Sertorius ergo deceſſit ex Africa, ſuſceptoque imperio, finitimam Hiſpaniam ſubegit, pleriſque vltro ſe ei, ob placidos eius mores, ſtrennitatemque coniungentibus. Denique Romanorum duo millia ſexcentos, Afros ſeptingentos, cetratorum Luſitanorum quatuor millia, & equites ſeptingentos, ſub ſignis habuit: quibus copiis maximis Romanorum exercitibus, atque imperatoribus non ſolum terrorem, ſed etiam grauiſſimas attulit clades, vt ex ſequentibus intelligetur. *Suſcipit imperiũ à Luſitanis.*

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3973.

1. N. v. 364. 307. Qui vbi dixit, duo tantum millia pondo auri Romæ reperta, cum primum à Gallis capta eſt, anno Vrbis Conditæ trecenteſimo ſexageſimo quarto, vt nos ibi diximus, ſubdit; in eadem poſt annos 307. quod ex Capitolinæ arcis incendio, cæteriſque omnibus delubris C. Marius filius Præneſte detulerat, tredecim millia pondo, quæ ſub eo titulo in triumpho tranſtulit Sylla, id eſt 130000. millia coronat. vnum milionem, & 30. millia cor. & argenti 7000. ſiue 77. millia coron. Idem ex reliqua omni victoria pridie tranſtulerat auri pondo quindecim millia, id eſt 1500000. coronat. argenti pondo centum & quindecim millia, id eſt 1265000. cor. Itaq. tota ſumma auri quam biduo Sylla in triumpho oſtentauit fuit 2800000. id eſt duorum millionum, & octingentorum millium coronatorum. Argenti vero 1342000. vnius millionis trecentorum, & quadraginta duorum millium coronatorum. (671 qui eſt annus Conſulatus Marii Iunioris)

ANNVS MVNDI 3974. SEXTAE AETATIS 458. TIGRANIS 4. IANNAEI REGIS ET PONTIFICIS 23. PTOLEMAEI AVLETIS 1. OLYMPIADIS CLXXV. AN. 1. VRBIS COND. 673. COSS. L. CORNELIO SYLLA II. & Q. METELLO PIO. DICTATVRÆ SYLLÆ 3. MITHRIDATICI BELLI 10. SERTORIANI 2.

ANNVS ANTE CHRISTVM 75.

NOVVM in Ægypto regem hoc anno, atque huius Olympiadis initio, & his ipſis Conſulibus cum Euſebio in Chron. ſuggerimus, quem ipſe Dionyſium cognominat, ſicut Epiphanius, Clemens Alexandrinus, Iſidorus, & Beda: Nicephorus quoque Conſtantinop. & Anaſtaſius, Diodorus Siculus l. 2. & Freculphus. Auletem appellat Cic. Orat. pro Rabir. Poſth. Strabo l. 17. Lathuri ſucceſſorem, & Cleopatræ patrem. Hic præter alia flagitia, inquit, etiam choraulam exercuit, & ea ſe adeo iactauit, vt non pigeret eum certamina in regia celebrare, ad quæ & ipſe cum aliis certaturus prodiit. Auletem nos quoque appellabimus, ad differentiam Ptolemæi Dionyſii, qui eius filius, & Cleopatræ frater fuit, & Pompeium Magnum ingratus occidit: quomodo eum paſſim recentiores appellant, in quibus Gordonius, Genebrardus, Torniellus, Temporarius, aliique ſectarii. I. *Ptol. Auletes.* (t. 1. l. 6 c. 14.)

ANNVS MVNDI 3975. SEXTAE AETATIS, 459. TIGRANIS IN SYRIA 5. IANNÆI REGIS ET PONTIFIC. IVDÆORVM 24. PTOLEMAEI AVLETIS 2. OLYMP. CLXXV. AN. 2. VRBIS CONDITAE 674. COSS. P. SERVILIO VATIA ISAVRICO, & APPIO CLAVDIO PVLCHRO. DICTAT. vlt. BEL. MITHRIDAT. II. SERTORIANI 3.

ANNVS ANTE CHRISTVM 78.

SI placuiſſet Appianum ſequi Syriæ regnum Tigrani ad 14. tantum annos tribuenti, in hunc annum eius in Syriam ingreſſus fuiſſet differendus. Verum Iuſtino potius adhærendum ſupra cenſuimus, neque nunc ſententiam mutamus. *I. Noui Conſules.*

De huius anni Coſſ. hæc habet Appianus. Anno vero qui ſecutus eſt (ſecundum Syllæ Conſulatum) populus quidem tunc quoque in adulationem Syllæ deſignauit eum Conſulem. At ille deſignatus, Conſules creauit Seruilium Iſauricum, & Claudium Pulchrum: moxque ipſe poteſtatem ſummam nemine interpellante depoſuit.

QVÆ res, ait, mihi miranda videtur, hunc virum ad eam ætatem tantum imperium nemine cogente ceſſiſſe, non filio, ſicut Ptolemæus in Ægypto. Intelligit Ptolemæum Lagi, qui regnum ceſſit Philadelpho filio iuniori, [a] Ariobarzanes in Cappocia, Seleucus in Syria; ſed his ipſis quos tyrannide preſſerat. Certe ab omni ratione alienum eſt dominationem tanto conatu per tot pericula quæſitam, vbi adeptus ſis, ſponte deponere, facilius quippe ſibi quis imperabit à ſublimiore gradu affectando, quam poſſeſſum ſponte deſererat. Durius enim eſt minui, quam nō augeri. pergit. Nec minus mirum non ſibi timuiſſe, plus centum millibus iuuentutis in hoc bello abſumptis; & in his Senatoribus aduerſæ factionis 90, Conſularibus quindecim, equitibus Romanis bis mille ſexcentis, annumeratis exulibus eius ordinis, eorum bonis addictis ærario, multorum cadaueribus etiam proiectis: neque eos qui in vrbe verſabantur, neque vrbe pulſos formidaſſe. Ac ne eas quidem vrbes, quarum arces, mœnia, agros, pecunias, immunitates ſuſtulerat; tanta erat in eo viro, vel audacia, vel felicitas. *II. Depoſuit Dictaturā Sylla.* *An prudenter.* *Quāta ab eo clades.*

[a] Iuſtin. l. 16. & nos ſupra anno V.C. 468.

EVTROPIVS longe maiorem numerum prodit, additis iis, qui à Marianis occiſi, quique bello ſociali perierunt. Hunc finem, inquit, habuerunt duo bella funeſtiſſima, Italicum, quod eſt Sociale bellum, & Ciuile, quæ ambo tracta ſunt per annos decem, conſumpſerunt vltra 150. millia hominum, viros Conſulares viginti quatuor, prætorios ſeptem, ædilitios ſexaginta, Senatores fere trecentos. In Paulo Oroſ. vbi hæc totidem fere verbis recitantur, leges prætorios ſex, Senatores fere ducentos; ſed addit, abſque innumeris totius Italiæ populis, qui paſſim ſine conſideratione delecti ſunt, quos neget quiſquam ſi valet, quin eodem damno ſuo vicerit Roma, quo amiſit Italia. Sed pergit Appianus. *III. Ex Eutrop. & Oroſ.*

in fi. l. 5. — l. 5. c. 22.

FERTVR cum magiſtratum in medio foro deponeret, dixiſſe, paratum ſe rationem actorum ſuorum reddere, ſi quis expetat, ſimulque dimiſiſſe lictores cum ſuis ſecuribus, atque ſatellites: itáque cum ſolis amicis obambulaſſe diu, ſpectante, & miraculo attonita multitudine. Tandem domum repetentem, qui incuſaret vix vnus adoleſcens extitit, quem cum nemo compeſceret, auſus eſt eum conuitiis proſequi, domum vſque. Et qui in ſummos viros, integraſque ciuitates bilem effuderat, tunc vnum adoleſcētem tulit æquo animo, hoc tantum in limine domus ſiue prouidenter, ſiue diuinitus futura prænuncians, hic adoleſcens, ait, efficiet ne quis poſthac talem magiſtratum deponat. Quod dictum euentus approbauit, dum Caius Cæſar, eundem magiſtratum adeptus, deponere nunquam voluit. *IV. Offert ſe reddendæ rationi.*

Sic ipſe. Imo Suetonius ſcribit Cæſarem dixiſſe, Syllam neſciſſe literas, qui Dictaturam depoſuiſſet.

V. *Qua fiducia depoſuerit Dictaturam.* TANTÆ autem fiduciæ cauſam ibidem exponit Appianus, quam ſupra tetigimus, quod per Italiam haberet ad centum & viginti millia virorum, qui eius militiæ aſſueuerant, qui agros & diuitias eius largitione poſſidebant, præter decẽ Corneliorũ millia, alioſq. factioſos, qui in vrbe ex eius nutu pendebant, quique facinorum patratorum impunitatem in eius incolumitate reponebant. Vixiſſeque ait illũ deinceps in ſeceſſu ruſtico, imperii, bellorum, rerumque humanarum ſaturum. Profectum enim in ſuum Cumanum, vacaſſe ibi piſcationibus, & venationibus. Sed id anno ſeq. Nam in creatione ſequentium Conſulum Romæ adfuiſſe, ex Plutarcho in eius vita dicemus.

Conſulibus datæ ſunt Prouinciæ, Claudio Macedonia, Seruilio Cilicia & Pamphilia, ſed in eas non niſi Proconſules profecti ſunt, vt autor eſt Eutropius l. 6. Ceſſatum hoc anno à bello Mithridatico, ex Appiano intelligitur.

VI. *Res geſta in Cilicia à Seruilio Iſaurico.* HIC porro eſt Seruilius ille Iſauricus, qui per quinquennium exercitui in prouincia pręfuit, Cilicia ſcilicet atque Pamphilia, vt ait Cic. in frumentaria. Trienniũ tamen ei duntaxat, tribuunt Eutrop. & Oroſ. Ad Ciliciam, ait Eutrop. l. 6. & Pamphyliam miſſus eſt P. Seruilius ex Conſule vir ſtrenuus. Is Ciliciam ſubegit, Lyciæ vrbes clariſſimas oppugnauit, & cepit, in his Phaſelidem, Olympum, & Corycum Ciliciæ. Iſauros quoque aggreſſus (ij trans Taurum habitant, Pamphyliis ad Septentrionem poſiti) in deditionem redegit, atque intra triennium bello finẽ dedit. Primus omnium Romanorum in Tauro iter fecit: reuertens triumphum accepit, & nomen Iſaurici meruit. Sic Eutrop. qui dum triennium huic bello tribuit, primũ quo in prouinciam profectus eſt, & poſtremum quo rediit, & triumphauit, prætermiſit. De hoc bello & triumpho, quæ extant ſtudioſe de more collegit Sigon. anno 689. quo triumphauit. Vide & Florum, qui Iſaurum, vnde nomẽ accepit Seruilius, arcem Ciliciæ facit, quam extra Ciliciam & Taurum montem ponit Ptolem. Nec plura de hoc bello dicere deinceps libet, quia per annos ſuos digeri non potuit. l. 3. c. 6.

VII. *Et à Sertorio in Hiſpania.* Hoc & ſequenti anno à Metello contra Sertorium parum felici euentu pugnatum eſt. Aduerſus hunc, ait Oroſ. duo duces miſſi, Metellus & Domitius, quorum Domitius ab Hirculeio Sertorii duce cum exercitu oppreſſus eſt, Manilius Procõſul Galliæ, in Hiſpaniam cum tribus legionibus, & mille quingentis equitibus trãſgreſſus, iniquam cum Hirculeio pugnam conſeruit, à quo caſtris, copiiſque nudatus, in oppidum Ilerdam pene ſolus refugit. Metellus multis præliis fatigatus, per deuia oberrans hoſtem mora fatigabat, donec Pompeii caſtris conſociaretur. Sic ipſe. Liu. in Epit. 90. L. Manlius Proconſul, ait, (Manlium enim vocat cum Plut.) & M. Antonius legatus ab Hirtuleio quæſtore prælio victi ſunt. l. 5. c. 23.

VIII. *Cur Sertorius Metello ſuperior fieret. Sertorii vigor & alacritas.* CAVSAM autem cur fieret Sertorius Metello ſuperior fuſius in eius vita exponit Plutarchus, quod Sertorius promptus & alacer, & expedito inſtructus exercitu, nullam legitimæ & ſtatariæ pugnæ, quibus erat aſſuetus Metellus, copiam daret, ſed omnibus occaſionibus intentus hoſtem vexaret. Deinde quod Metellus annis iam grauior, ex multis certaminibus ad remiſſam ſe transtulerat vitam: Sertorius autem viuidorũ plenus ſpirituum, corpus robore, agilitate, ſobrietate mirifice præparatum gerebat, ingentium laborum, prolixorum itinerum, perpetuarum vigiliarum, vilis modicique victus. Itaque non facta Metello pugnãdi copia, quidquid victi patiuntur incommodi, ille perferebat; Sertorius vero fugiendo, commoda habebat inſectantium. Aquationibus enim arcebat eum, frumentationibus prohibebat, progredienti obſiſtebat, infeſtabat ſedentem; obſidenti alios imminens, inuicem obſidebat eum commeatus inopia, vt milites fatiſcerent: & Sertorio Metellum prouocante, vt cõgrederetur vnus ſecum, vnaque acclamaret exercitus, Dux cum Duce, Romanus cum Romano: riſit Metellus, quod ſciret illud Theophraſti. Duci non gregarii militis, ſed ducis obeunda mors eſt. Quæ reliqua ſunt Metelli vſque ad aduentum Pompeii, in annum ſequentem differamus.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3975.

1. N. 1. Sic enim vertendum eſt illud δῦσαι à δύζω, non autem defeciſſe, quaſi à δύω, vt habet interpres, alioqui doctiſſimus, cuius nomen inofficioſe ſuppreſſit Henricus Stephanus, in editione Græcolatina. Fuit autem ſi Geſnero credimus P. Candidus, qui Nicolao V. ab epiſtolis fuit: quæ cauſa fortaſſe videatur, cur eius nomen ab homine hæretico ſuppreſſum fuerit. Forte tamen fuit hæc poſterior verſio Sigiſmundi Gelenii.

ANNVS MVNDI 3976. SEXTAE AETATIS 460. TIGRANIS 6. IANNAEI REGIS ET PONTIFICIS 25. PTOLEMAEI AVLETIS 3. OLYMPIADIS CLXXV. AN. 3. VRBIS COND. 675. COSS. M. AEMYLIO LEPIDO, & Q. LVTVTIO CATVLO. MITHRIDATICI BELLI 12. SERTORIANI 4.

ANNVS ANTE CHRISTVM 77.

CONTRAXIT hoc anno Alexander Iannæus Rex & Pont. Iudæorum morbum, quo intra triennium extinctus eſt. Belli requiẽ, ait Ioſephus, ſecutũ eſt morbi principiũ. Et quia quartano febrium recurſu fatigabatur, depulſum iri valitudinem credens, ſi rurſus animum negotiis occupaſſet, intempeſtiuæ militiæ ſeſe dedit, & vltra vires corpus laboribus vexans, inter primos tumultus, trigeſimo & ſeptimo regni anno moritur: ex Græco corrigendum eſt 27. quomodo & in Antiq. habetur, ſed de morte poſter. Morbi cauſã & tẽpus hic diſſimulata, vel omiſſa, protulit in Antiq. Poſt hæc, ait, Alexãder ex temulentia morbo cõtracto, & triẽnio integro quartana laborans, nec tamen abſtinens à caſtrenſibus officiis, tandem exhauſtis viribus fato conceſſit. Non immerito in Rege, & pontifice, & ſene, & veri Dei notitia imbuto temulentia, & quidem tanta, quæ mortiferum inueheret morbum repræhenderetur, niſi Deus eam morbo ac morte vltus eſſet; & longe in eo grauiora accuſanda eſſent.

[margin: I. Iannæi morbus. — l. 1. bel. c. 4. — Ex temulentia. — l. 13. c. 23.]

His Coſſ. Syllam in Cumano ſuo eſſe defunctum, ex Appiano li. 1. bel. ciuil. certo conſtat; idque hiſtoria, de turbis eius mortem ſecutis, ſine dubitatione confirmat, vt mox patebit. Cæterum nondum in Cumanum ſeceſſerat, cum creati ſunt huius anni Conſules. Scribit enim Plut. in eius vita, vidiſſe eum M. Lepidum audacem, & Marianæ factionis hominem, Conſulem deſignari, ſtudio, ac præhenſatione Põpei, cui populus plurimum fauebat; qua re cum lætum Sylla Pompeium vidiſſet, accerſiuit digredientem, monuitque ſtolidiſſimum ab eo Conſulem, & quidem aduerſarium ſuum, fuiſſe factum, quod rei exitus declarauit.

[margin: II. Creati Coſſ. Sylla ingrati.]

Illvd quoque ab eo factum videtur, priuſquam rus ſe conferret. Patrimonii ſui vniuerſi decimam Sylla Herculi conſecrans, ait Plut. præbuit ſplendidum epulum populo, tantoque exuberantior vſu apparatus fuit, vt quotidie magna copia cibariorum in amnem proiiceretur, vinũ diffunderet 40. annis vetuſtius. Medio hoc epulo, quod multorum fuit dierum, deceſſit ex morbo Metella, quam cum moribundam adire ſacerdotes prohiberent, & funere domum eius pollui dicerent, miſit ei libellũ repudii, iuſſitque ſpirantem adhuc in aliud domicilium transferri, ſtulta ſuperſtitione deluſus. Moxque Valeriam Hortenſii ſororẽ duxit, ex qua poſt mortem patris filia nomine Poſthumia nata eſt, & nihilominus cum mulieribus mimis, citharistriiſque, & thymelicis viuebat de die, cum iis in lectis potans, exoletos

[margin: III. Dat decimã Herculi, & epulum populo. — Repudiat vxorẽ moribundam.]

non diſſimulanter perpetuo amans. Vnde & morbum aluit, ex leui ortum occaſione, & perdiu exulcerata viſcera ſua ignorauit.

IV. *Morbus ex impura vita. Pediculis ſcatet. Scribit cõmentarios de rebus ſuis. Viſa mortis prænia.*

HINC putrefactum corpus, & in pediculos totum verſum; & cum multi interdiu & noctu tollerent eos, nulla tamen parte potuerit quod reiiciebatur, æquare illud quod ſuccedebat: verum omnes veſtes, balneum, pollubrum, cibus, ſuppullulante illa peſte, repleretur. Perrexit ille nihilominus in rerum à ſe geſtarum commentariis ſcribendis, quorum vigeſimum ſecundum, biduo antequam decederet, abſoluit; additque prædixiſſe ſibi Chaldæos, vbi præclare vixiſſet, in flore ſe fœlicitatis exceſſurum. Narrat etiam filium ſuum, qui paulo ante Metellam obierat, viſum per ſomnum obſoleta in veſte ſibi aſſiſtere, patremque orare deponeret ſolicitudines, pergeretque ſecum ad matrem Metellam. Appianus ait eum in ſomnis viſum ſibi videre dæmonem, à quo iam vocaretur. Quamobrem, inquit, mox vt illuxit enarrato amicis ſomnio, teſtamenti tabulas eadem die confecit, quibus obſignatis, ſub veſperam febris eum inuaſit.

V. *Mors Syllæ & infœlicitatis.*

SECVTA nox vitæ eius vltima fuit, cum exegiſſet annum vitæ ſexageſimum. Ingrediens annum 60. ait Valer.[a] Natus quippe eſt a. V.C. 615. vt ſuo loco notauimus. *a l.9.c.3.*
Vir perpetuo iuxta cognomen ſuum fœlix, ſi fœlicitas dicenda eſt poſſe quidquid velis, ait App. In quam ſentẽtiam audiendus eſt etiam Plin. homo alioqui impius,[b] *b l.7.c.43.* Vnus hominum ad hoc æui, felicis ſibi cognomen aſſeruit L. Sylla, ciuili nempe ſanguine, ac patriæ oppugnatione adoptatus. Et quibuſnam felicitatis inductus argumentis? Quod proſcribere tot millia ciuium, ac trucidare potuiſſet. O praua interpretatio, & futuro tempore infœlix. Non melioris ſortis tunc fuere pereuntes, quorum miſeremur hodie, cum Syllam nemo non oderit? Age non exitus vitæ eius, omnium proſcriptorum ab illo calamitate crudelior fuit, erodente ſeipſo corpore, & ſupplicia ſibi gignente?

VI. *Etiam ſub mortem crudelis. Sanguinẽ vomit.*

ET recte quidem Appianus de improba iſtiuſmodi fœlicitate dubitat, D. autem Auguſt. præterea exigit, vt nihil improbum, atque iniquum velis. Hic autem, vt præcedentia omnia taceantur, pridie quam moreretur, vt ait Plutarch. cum ei nunciatum eſſet Granium, qui magiſtratum gerebat, Reipubl. quod debebat non exoluere, ſed diem ſuum ſupremum expectare, acciuit eum in cubiculum, vbi miniſtris ſuis circunfuſum præcepit ſtrangulari. Homo ſcilicet tum priuatus magiſtratum; vt maiore criminum pondere detruderetur in tartarum. Sed non oportuit tam crudelem ac cruentam beſtiam ſine ſanguine vitam fundere. Inter vociferationem, inquit Plut. & corporis iactationem dirupta vomica, vim magnam profudit ſanguinis. Hinc viribus defectus, nocte per grauem cruciatum tranſacta, vitam reddidit.

VII. *Ex Valerio Max.*

EADEM Valerij Max. mens fuit.[c] Quid Sylla, inquit, dum iræ vitio obtemperat, nonne multo alieno ſanguine profuſo, ad vltimum erogauit & ſuum? Puteolis *c l.9.c.3.* enim ardens indignatione, quod Granius princeps eius coloniæ, pecuniam à decurionibus ad refectionem Capitolij promiſſam, cunctantius daret, animi concitatione nimia, atque immoderato vocis impetu conuulſo pectore, ſpiritum cruore ac minis miſtum euomuit: acuebat etiam iram, quod ipſius mortem expectaret, atque expeteret, ne debitum ſoluere cogeretur. Extra patriam ergo quam peſſundederat, moritur; nec Capitolium quod reſtaurabatur, dedicare, quod vehementer cupiebat, potuit, vt ait Plin.[d] Sed demus vltro Syllæ fœlicitatem, quam iſtiuſmodi homines expetunt; addamus & funeris magnificentiam, de qua hæc habet Appianus, *d l.7 c.43.* quæ non pigebit vel exempli cauſa memorare.

VIII. *Funus eius ſeditionis materia.*

EIVS mors confeſtim in ſeditionis materiam verſa eſt; dum quidam cenſent defuncti corpus per Italiam funebri pompa deducendum in vrbem & forum, ſepeliendumque exequiis publicis, reclamante cum ſua factione Lepido. Vicit tamen Catulus, & Syllana factio. Plurimum etiam ad eam rem valuit Pompeij Magni, ſiue gratia, ſiue autoritas: qui licet offenſus Syllæ, quod ſolum ipſum amicorum in ſupremis tabulis prætererat, hunc tamen eius poſtremum funeris honorem vehementer promouit, corpuſque Romam proſecutus eſt, vt ait Plutarch. ſed redeo ad Appianum. Itaque ferebatur cadauer in vrbem in lectica aurea, cætero quoque ornatu regio, præcinentibus tubis, & equitatu deducente, aliaque toto corpore armatorum multitudine. Legatis etiam, & tribunis eius, vndique cum armis ad

funus celebrandum confluentibus, & in ordinem pompæ ſe conferentibus: accurrente quoque, quanta nunquam alias, vulgari multitudine: præferebantur & ſecures, cæteraque Dictaturæ inſignia; quibus viuens vſus fuerat.

Postqvam in Vrbem illatus eſt, coronæ aureæ pluſquam bis mille prælatæ ſunt; dona ciuitatum, & legionum quibus præfuerat, & ſingulorum amicorum, aliaque quæ dici nequit magnificentia. Deducebant corpus ſacerdotes etiam, Veſtaleſque, ſuo quiſque ordine; tum Senatus vniuerſus, & magiſtratus cum ſuis inſigniis. Deinde equitum Rom. alia multitudo, rurſumque alia militum, quotquot illius auſpicia ſecuti fuerant. Omnes enim approperauerant, vt præſto eſſent, geſtantes ſigna aurata, ſcutáque argento bracteata, quorum nunc quoque, inquit, in pompis eſt vſus. Aderat & tubicinum infinitus numerus, per interualla quiddam lugubre concinentium. Nec deerant fauſtæ acclamationes à Senatu exortæ; mox equitum, deinde militum, poſtremo plebis, quorum alij ſerio Syllam deſiderabant: alij copias eius, ipſumque mortuum, non minus quam viuum timebant, tam præſenti ſpectaculo, quam præteritarum calamitatum memoria territi. IX. *Pompa magnificentia.*

Pro Roſtris deinde in ſuggeſtu poſito cadauere, funebrem orationem habuit vir eius memoriæ eloquentiſſimus, propter ætatis Fauſti filij eius infirmitatem. Mox robuſti aliquot Senatores ſublatam in humeros lecticam tranſtulerunt in campum Martium, vbi ſolos Reges ſepelire mos eſt: & circum rogum decurrerunt tum equites, tum reliquus exercitus. Hactenus Appianus. Ex quo ritum aliquem ſolennis ſepulturæ apud Romanos licet intelligere. Addit Plutarchus. X. *Funebris laudatio.*

Ferunt eum vi tanta aromatum fuiſſe à fœminis cumulatum, vt præter illata decem & ducentis ferculis, ſimulachrum ipſius Syllæ grande fictum fuerit, ex pretioſo thure & cinnamomo; fictum etiam lictoris, qui ſcilicet ei honoris cauſa aſtabat, ex iiſdem aromatibus. Quin etiam eius fœlicitati cœlum & venti obſecundarunt. Nam cum timeretur pluuia, cœlo à prima luce nubilo, non niſi hora nona cadauer extulerunt, quo in rogum impoſito ventus increbreſcens flammam luculentam excitauit, qua breui conſumpto rogo, excuſſa eſt larga pluuia, quæ ad noctem vſque tenuit. Ita perpetua fœlicitas eum, etiam funere peragendo, eſt comitata. Hactenus Plutar. *Aromatũ profuſio.* *Suprema fœlicitas.*

Hæc ergo Syllæ fœlicitas, in tot tantiſque criminibus, à prima ipſa pueritia, vt à Plutarch. memoratur, vſque ad ſenectutem, vltimumque vitæ diem perpetratis, quorum memoria mortales omnes exhorreſcebant, nonne, ſi diuinam agnoſcimus prouidentiam ſcelerum vindicem, beneque factorum muneratricem, alteram vitam eſſe clamant? in qua iſtiuſmodi tyranni, gentium peſtes atque regnorum, qui perpetua hic felicitate, ſuperbe ſeſe ac ferociter extulerunt, dignis ſuppliciis mortui æterniſque mactentur; cum ea fœlicitas, ſi quid boni in vita egit, ſi Marios, Cinnas, Carbones meritis affecit pœnis, ſi Romanorum auaritiam, crudelitatem, ſuperbiam, Deo vires largiente, vltus eſt, cumulatiſſime in vita eius, in morte, in funere munerata ſit. Sed de his hactenus, nunc reliquam huius anni hiſtoriam, ex Appiano, qui eam breuiter exequitur, petamus. XI. *Index ſuppliciorum æternorum.*

Ab exequiis reuertentes Conſules, confeſtim mutuis conuitiis altercati ſunt, dum ſcilicet alius ſupremis honoribus Syllæ gratulatur, alius cadauer ſummo dedecore afficiendum fuiſſe dicit, diuiſa in eorum fauorem vrbana multitudine. Lepidus etiam Italiæ populos ſibi conciliaturus, ait redditurum ſe illis agros quos Sylla ademerat. Senatus ab vtroque metuens Reipub. ambos iureiurando obſtrinxit, ne bello rem controuerſam decernerent. Florus autem [a] ait Lepidum acta Syllæ reſcindere voluiſſe, eos qui proſcripti erant reuocare, eique ſua reſtituere: quod erat flammam iterum in Rempub. immittere, nec impoſita vulnera curare, ſed reſcindere. XII. *Conſules diuiſi altercantur.* *Lepidus res turbare parat.*

[a] l. 4. c. 23.

Cæterum Lepidus tranſalpinam Galliam ſortitus, non rediit ad comitia, quaſi anno ſequenti, iam iureiurando ſolutus, bellum libere geſturus eſſet contra Syllanos; ſic enim interpretabatur, eo ſacramento ſe non teneri, vltra tempus magiſtratus.

XIII. *Res Mithridatis, & Tigranis.* De re Mithridatica illa huius anni ſunt, quæ habet Appian. in Mithrid. de altera legatione à Mithridate Romam miſſa. Rurſus, inquit, aliam legationem miſit ad ſcribendas leges fœderis; & quia defuncto iam Sylla magiſtratus ea de re ad Senatum non retulerunt, Rex Tigranem generum ſubornauit, vt Cappadociam inuaderet; nec tamen id commentum Romanos latuit. Tigranes Cappadocia velut indagine cincta, vt nemo poſſet euadere, ad trecenta millia hominum abſtraxit in Armeniam, & agros eis ad incolendum cum aliis attribuit: vbi primùm Armeniæ regni ſibi diadema impoſuit, & oppidum Tigranocertam à ſe denominauit, quaſi dicat Tigranopolim. Sed hæc ad ſequentem quoque annum pertinere poſſunt.

XIV. *Sertorius Metellum exercet.* Sertorivs autem ante aduentum Pompeij in Hiſpaniam, hoc anno quoque Metellum exercuit. Nam cum is Lagobritas, qui non parum præſidij Sertorio ferebant, ſiti facile capi poſſe crederet, (nam vnicus erat in vrbe puteus, fontes extra vrbem in poteſtate obſidentis futuri erant,) iuſſit milites quinque dierum cibaria ſecum ad obſidionem oppidi ferre. At Sertorius bis mille vtres aqua iuſſit impleri, magno præmio in ſingulos vtres pronunciato, quos cum Hiſpani Maurique frequentes in oppidum intuliſſent, Metellus cum neceſſaria deficerent eius exercitum, Aquinum cum ſex millibus militum frumentatum miſit. *Et Aquinum eius ducem.* Id ſentiens Sertorius viam occulte inſidet, & in redeuntem cum tribus millibus inexpectatus irruens, partem occidit, partem cepit. Aquinus equo & armis amiſſis euaſit ad Metellum, qui cum ignominia, & Hiſpanorum conuitiis, obſidionem ſoluere coactus eſt.

XV. *Sertorius gratus Hiſpanis.* Sertorivm Hiſpani maiore in dies amore atque honore proſecuti ſunt, eoque duce ac ductore, Romano ritu prælia gerere, Romanoſque mores addiſcere cœperunt. Influebat autem in eorum animos, dum & patrum gloriæ, & puerorum diſciplinæ ſeruiebat. Nam ex prouinciis quæ ei parebant, nobiliſſimos Oſcam amplam vrbem contraxit, iiſque Doctores præfecit literarum Græcarum & Latinarum; ita illos verbo erudiebat, reipſa obſides habebat, oſtendens ſe ipſos, vbi adoleuiſſent, ciuitate Romana honoribuſque donaturum.

ANNVS MVNDI 3977. SEXTÆ ÆTATIS 461.

TIGRANIS IN SYRIA 7. IANNÆI REGIS ET PONTIFIC. 26. Ptolemæi Avletis 4. Olympiadis CLXXV. an. 4. Vrbis Conditae 676. Coss. D. Ivnio Brvto, et Mam. Æmylio Lepido Liviano. Belli Mith. 13. Sertor. 5.

ANNVS ANTE CHRISTVM 76.

I. *Lepidi & Catuli pugna.* Q. CATVLI, & Æmylij Lepidi iurgia, & diſſenſiones anni ſuperioris, in apertum bellum hoc anno eruperunt. Statuebat Lepidus, iureiurando, vt ſibi videbatur, ſolutus, aperta vi Syllanos inuadere, cúmque eius conſilia non laterent, reuocatus à patribus, nec ignarus cur reuocaretur, aduentabat cum omnibus copiis, volens in vrbem eas introducere. Verum prohibitus, ſuos per præconem iubet arma capere. Idem ex aduerſa parte facit Catulus, confligitur non longe à campo Martio. *Lepidi fuga, & interitus.* Lepidus victus, & cedere coactus traiecit in Sardiniam, vbi tabe periit. Exercitus eius pauliſper aliis atque aliis locis infeſtus, tandem diſperſus eſt, præcipua pars ductu Perpennæ ad Sertorium peruenit in Hiſpaniam. Hæc Appianus. Florus [a] nonnulla ſupplet & explicat. [a L.3.c.23.]

II. *Eadem ex Floro hiſtoria.* Lepidvs, inquit, cum turbidis concionibus, velut claſſico ciuitatem terruiſſet, profectus in Etruriam, arma inde, & exercitum vrbi admouerat. Sed iam Miluium pontem, collémque Ianiculum Lutatius Catulus, & Cn. Pompeius, Sullanæ dominationis duces, atque ſigniferi alio exercitu inſederant. A quibus primo ſta-

tim impetu retro pulſus, hoſtiſque à Senatu iudicatus, incruenta fuga in Etruriam, inde in Sardiniam receſſit, ibique morbo & pœnitentia interiit: vel etiã dolore animi, ob vxoris probrum, vt exiſtimat Plut. in Pompeio; qui etiam addit Lepidum ſecundum Conſulatum armatum petiiſſe, (ex quo intelligitur ſolito tardius Conſules hoc anno creatos.) Galliam autem Ciſalpinam duce Bruto obtinuiſſe. Sed cum Bruti exercitus ad Pompeium tranſitionem feciſſet, dux vitam ſuam in Pompeij permiſit fidem; à quo tamen mox interfectus eſt, idque facinus magnam ei conciliauit inuidiam. *Cn. Pompeius Brutum perfide interficit.*

III. *Lepidus hoſtis iudicatus.* Qvod autem dixit Florus, Lepidum hoſtem à Senatu iudicatum, conſentaneum eſt iis, quæ habet D. Hierony. in Chron. Euſebij, & ex Saluſtij hiſtoriæ fragmentis à Sigonio afferuntur, de L. Philippo in Senatu hæc dicente. Quare ita ſentio, quoniam Lepidus exercitum priuato conſilio paratum, cum peſſimis, & hoſtibus Reip. contra huius ordinis autoritatem ad vrbem ducit, vti Appius Claudius interrex, cum Q. Catulo proconſule, & cæteris quibus imperium eſt, vrbi præſidio ſint, operam dent ne quid Reſp. detrimenti capiat. Hic eſt Appius Claudius, qui mox in Macedoniam miſſus, Dolabellæ ſucceſſit, neque rem admodum fœliciter geſſit contra Rhodopæas gentes: ibidemque intra biennium morbo correptus interiit. Vide pluribus Oroſ. [a]

[a] l. 5. c. 23.

IV. *Pompeius exercitum retinet.* Interea Perperna, cum parte exercitus Lepidi, peruenit in Hiſpaniam; cum Pompeius profligato Lepido, circa vrbem retinebat exercitum, expectans vt ei prouincia Hiſpania, ad bellum contra Sertorium conficiẽdum, decerneretur, quoniam Metellus parum fœliciter aduerſus eum rem gerebat: nec quamuis præcipiente Catulo Proconſule dimiſit exercitum, vt ait Plutar. ſed hæſit in armis circa vrbem, ſemper habens quid prætexeret, donec L. Philippo referente, illam prouinciam ei decreuere; cumque aliquis in Senatu admirans ab eo quæreret, an pro Conſule in Hiſpaniam Pompeium mitti vellet; qui ſcilicet neque Prætor, neque Conſul adhuc fuerat: non tantum, inquit Philippus, pro Conſule, ſed pro Conſulibus; notans ambos illius anni Conſules nullo numero eſſe. Itaque in Hiſpaniam cum exercitu, 40. vt ipſe ait, diebus parato profectus eſt. Qui per Alpes, inquit Appianus iter aggreſſus, magno animo ad æmulationẽ Annibalis alias fauces aperuit, medio inter Padi Rhodaniq; fontes ſpatio. Verum non ſola æmulatio id ſuaſit, ſed ipſa neceſſitas. Nam Sertorius Italiam inuadere cogitabat. Itaque Pompeius in ſuis ad Senatum literis, apud Salluſtium ſcribit, ſe hoſtes in ceruicibus Italiæ iam agentes, ab Alpibus in Hiſpaniam ſummouiſſe, per eas iter aliud atque Annibal Romanis opportunius patefeciſſe, recepiſſe Galliam & Pyrenæum, &c. *Dum ei decreta eſt Hiſpania.* *Tranſit Alpes.*

V. *Sertorij gratia, & gloria.* Interea Sertorius in ſumma erat apud Hiſpanos gratia, adeo vt multa mortalium millia eum ſequerentur, qui ſeſe deuouerant cum eo morituros, vt ait Plut. in Sertorio; neque Hiſpanis tantum militibus, ſed Italicis quoque acceptum fuiſſe. Quippe cum M. Perperna, qui partium Sertorij erat, in Hiſpaniam cum magna vi pecuniæ atque ingenti manu adueniſſet, ac bellum ſtatuiſſet in Metellum per ſe gerere, fremebant milites, omniumque in ore erat Sertorius. Vbi autem allatum eſt Pompeium ſaltum Pyrenæum tranſcendere, tum demum milites captis armis, ſublatiſque ſignis obſtrepentes, coëgere Perpennam ſeſe, cum ſuis tribus ac quinquaginta cohortibus, Sertorio coniungere. Cumque nihilominus aduentu Pompeij, qui in magna iam gloria vbique erat, multæ vrbes, quæ parebant Sertorio nutarent, ac tranſitionem ad Pompeium molirentur, ex inſperato mox ad Lauronem caſu mutauere ſententiam. *Ei ſe iungit Perperna.*

VI. *Pompeius ſpe à Sertorio fruſtratur.* Nam cum eam vrbem Sertorius obſideret, eo Pompeius ad ferendam opem cum omnibus copiis venit, & ratus inter vrbem & copias ſuas Sertorium deprehenſum, miſit ad Lauronitas nũcios, bono eos animo eſſe iubens, ac ſpectare è muris Sertorium obſideri. Sertorius eo nunciato riſit, & ſe diſcipulum Syllæ (ita enim Pompeium per ludibrium appellabat) ait docturum Imperatoris munus, & ſimul ſex millia peditum, quæ reliquerat in caſtris euocauit, qui verſum in ſe Pompeium à tergo aggrederentur. Quod Pompeius animaduertens, cum adoriri Sertorium non auderet, pereuntium ſociorum ſpectator eſſe coactus eſt. Deplorata enim re ſua, Barbari deditionem fecerunt, quorum vitæ pepercit Sertorius, dimiſitq; cunctos: vrbem vero incendit, nulla quidem ira aut crudelitate, minime quippe iræ

ſuæ indulſit hic Imperator, ſed ad pudorem & opprobrium eorum, qui Pompeium in admiratione habebant. Hæc fere Plutarchus.

VII. *Vincitur, ac fugatur.*

OROSIVS hæc aliquanto acerbiora facit, vt qui victum referat, fugatumque Pompeium; qui ne pugnauit quidem, ſi credimus Appiano. Pompeius, inquit ille, [a] contracto apud Pallantium exercitu, Lauronem ciuitatem, quam tunc Sertorius oppugnabat, fruſtra conatus defendere victus aufugit. Sertorius ſuperato, fugatóque Pompeio Lauronem captam cruentiſſime depopulatus eſt. In ea expugnatione, inquit Appianus, mulier quædam ſupra ſexum fortis, vim inferenti militi digito eruit oculos. Quo cognito Sertorius integram cohortem, quamuis Romanam, id genus flagitiis infamem, concidit. Et tunc interuentu hyemis exercitus vtrimq; dirempti ſunt, Metellus & Pompeius Pyrenæum verſus, Sertorius in Luſitaniam abiit, eoque reliquum agmen Lauronenſium, quod cædibus ſuperfuerat, miſerabili in Luſitaniam captiuitate traduxit, vt ait Oroſius. Plut. tamen libentius aſſentior.

Mulieris virtus.

a l.5.c.23.

Mithridatica vero res hoc anno quieta fuit, niſi quatenus ea quæ ſuperiore anno diximus, ad hunc etiam pertinent.

ANNVS MVNDI 3978. SEXTÆ ÆTATIS 462.

TIGRANIS IN SYRIA 8. IANNÆI REGIS ET PONTIFICIS 27. ET VLTIM. PTOLEMÆI AVLETIS 5. OLYMPIADIS CLXXVI. AN. 1. VRB. COND. 677. COSS. CN. OCTAVIO NEPOTE, ET C. SCRIBONIO CVRIONE. BELLI MITHRID. 14. SERTOR. 6.

ANNVS ANTE CHRISTVM 75.

I. *Mors & tempus Iannæi.*

VLTIMVS eſt hic Alexandri Iannæi morbi, & vitæ annus, regno & pontificatu Iudæorum, per 27. annos, per multam crudelitatem, grauiſſimáque ſcelera adminiſtrato, vt ſuis locis ex Ioſepho retulimus: qui etiam [b] ſcriptum reliquit eum mortuum anno regni ſui 27. (ſic enim etiam in l. de bel. legendum eſſe, ex Græco ante monuimus) vitæ vero vnde quinquageſimo. Et rurſum alio loco. [c] *Alexander, inquit, & ipſe regnum coniungens pontificatui, cum 27. annis præfuiſſet rebus Iudaicis, moriens Alexandræ vxori permiſit deligendi pontificis arbitrium.* Quomodo in Græcis etiam habetur. Euſebius autem Ioſepho ea de re conſentit; à Chronologia vero noſtra, & annorum ſerie vno tantum anno diſtat: quæ culpa ex pontificatu Ioannis Hyrcani ex parte pendet, cui annos quinque, præter Ioſephi ſententiam ſuſtulit.

b l. 13. c. 23. & l. 1. belli c. 4. & Gorionides l. 4. c. 13.
c l. 20. Ant. c. 8.

II. *Mortis modus, & cōſilium vxori datum.*

DE modo autem mortis Iannæi hæc fere habet Ioſephus. Alexander ex temulentia morbo contracto, & triennio integro quartana laborans, nec tamen abſtinens à caſtrenſibus officiis, tandem exhauſtis viribus fato conceſſit, in Geraſenorum finibus, obſidens Ragaba caſtellum; quod vltra Iordanem ſitum eſt, & in tribu Manaſſe ab Adrichomio collocatur. At regina videns morti vicinum maritum, ſuam & liberorum deſolationem lamentabatur, quod ſciret totum populum Iannæo infenſum, odium etiam in ſe, totámque familiam orbatam præſidio deriuaturum. At ille primum monet vt mortem ſuam celet, dum illud caſtrum capiat. Deinde poſtquam cum victoria Hieroſolymam redierit, vt Phariſæis nonnihil licentiæ permittat, vt ex eorum, quibus populus plurimum tribuat, commendatione, ipſa quoque cum liberis eidem populo gratioſa euadat. Poſtremo vt cadauer eorum arbitrio permittat: Sic enim fore vt tanto magnificentius tumuletur. Quæ omnia Alexandra accurate obſeruans, promiſſam populi beneuolentiam conſecuta eſt. Eadem habet Gorionides. [d]

d l.4.c.13.

III. *Legatio pro Sibyllinis oraculis.*

ROMANÆ res hoc anno Olympiaco, qui Dionem Cypariſſenſem victorem habuit, ſatis quietæ fuerunt in Italia hiſce conſulibus, quorum Octauius propter

artuum dolorem faſciis deuinctus, & multis medicamentis delibutus, in Bruto à Cicer. memoratur. Curio vero Pater fuit eius Curionis Tribuni plebis, qui celebratur Cæſariano bello ciuili. Hic autem retulit ad Senatum de legatis Erythras mittendis, ad carmina Erythrææ Sibyllæ colligenda, & Romam deportanda, vt ſcribit Lactantius [a] ex Varrone & Feneſtella; miſſos autem eſſe P. Gabinium, M. Otacilium, L. Valerium, qui deſcriptos à priuatis verſus circa mille Romam deportarunt: vt videlicet locum ſupplerent eorum, qui cum Capitolio conflagarant. Scribit Eutropius miſſum Curionem in Macedoniam, Appio Claudio ſucceſſorem, ſed poſt Conſulatum; anno videlicet V.C. 678. ab eo autem Dardanos victos, & vſque ad Danubium penetratum, triumphumque meruiſſe, & intra triennium finem bello dediſſe.

[a] l. 1. c. 6.

IV. *Sertoriana res ad Sucronem.*

SED nihil erat hoc tempore bello Sertoriano illuſtrius, ſiue propter ducum præſtantiam, ſiue propter caſuum magnitudinem atque varietatem. Ad Sucronem amnem pugnatum eſſe hoc anno, ex Appiano l. 1. bel. ciu. ſatis conſtat. Plutarchus tamen in Pompeio præmittit fœlicem Pompeij pugnam contra Herennium, & Perpennam Sertorij legatos, circa Valentiam, vbi ad decem millia militum ab eo cæſa fuerint, eoque facto elatum, in ipſum Sertorium propere mouiſſe, ne in ſocietatem victoriæ Metellus veniret. Ad Sucronem, inquit, amnem, præcipite iam in veſperum die, ſignis collatis concurrere, veriti ambo ne ſuperueniret Metellus, hic quò ſolus, ille quo cum ſolo dimicaret; ſed prælium incerta victoria diremptum eſt. Vtriuſque enim alterum cornu vicit, inter duces tamen laus penes Sertorium maior fuit.

V. *Victoria dubia, gloria Sertorij, fuga Pompeij.*

EADEM fere habet Plut. in Sertorio, ibi tamen commiſſum prælium explicatius refert, nimirum alterum cornu, dextrum ſcilicet à Pompeio, alterum ab Afranio occupatum, & Sertorium Afranio oppoſitum, Perpennam autem, vt ex Appiano colligitur, Pompeio. Inito prælio cornu oppoſitum Pompeio, qui illud vehementius vrgebat, laborare cœpit, ac referre gradum. Quod animaduertẽs Sertorius propere inclinatæ aciei ſuccurrit, aliis ducibus relicto cornu, in quo pugnare cœperat, ſtatimque ſuos iam in fugam verſos conglobat, confirmatque, pugnaque redintegrata fugantem Pompeium cum ſuis vertit in fugam, & amiſſo equo, acceptóque vulnere, pene oppreſſus eſt, fuiſſetque, niſi Afri, in quorum inciderat manus, de equo & phaleris altercantes, equitem elabi permiſiſſent.

VI. *Res cum Afranio, vel Metello geſta.*

AFRANIVS autem, ſimulatque Sertorius alteri parti laboranti ſuppetias tulit, aduerſum ſibi cornu pepulit, eodémque impetu in caſtra ruens, cum iam nox eſſet, ea diripuit, ignarus fugæ Pompeij, cum Sertorius ſuperueniens, in Afranij manum incompoſitam, ac prædæ intentam ruit, ingentemque victorum edidit ſtragem. Mane denuo armatus educit copias in aciem. Inde vbi prope eſſe ſenſit Metellum cecinit receptui, ac caſtra mouit, dicens. *Hunc ego puerum, niſi anus illa ſuperueniſſet, verberibus caſtigatum Romam dimiſiſſem.* Hæc fere Plut. At Appianus prælio præſentem facit Metellum, cui ea fere tribuit, quæ Plutarchus Afranio, & Pompeium haſta in femore à Sertorio ipſo periculoſe vulneratum tradit.

VII. *Pugna ad Saguntum.*

ADDIT & alterum in Saguntinis campis prælium, à meridie ad noctem vſque protractum, vbi ex equo pugnans (ſic enim legendum eſt non ex æquo, cum in Græco ſit ἱππομαχῶν) vicit Pompeium, inquit, cæſis ſex hoſtium millibus, deſideratis ſuorum tribus millibus. Metellus vero tunc quoque ſtrauit quinque millia Perpennæ militum. Sequenti die Sertorius aſſumptis multis barbaris, vergente iam in veſperam die, improuiſus in caſtra Metelli fecit impetum, oppugnaturus, ni Pompeius ſuccurrens fregiſſet eius audaciam. Inter hos conatus elapſa æſtate, in hyberna diſceſſum eſt. Hæc Appian.

Plutarchus ait in eo prælio Memmium, legatorum Pompeij rei militaris ſcientiſſimum, cecidiſſe; Sertorium, poſt magnam editam ſtragem, in ipſum Metellum illatum, cum ſupra ætatem egregie dimicantem lancea vulneraſſe, ac pene cepiſſe, niſi facto à Romanis impetu, periculo ereptus eſſet, eóque facto conuerſionem victoriæ factam eſſe.

ANNVS MVNDI 3979. SEXTÆ ÆTATIS 463. TIGRAN. 9. HYRCANI PONT. 1. ALEXANDRÆ REGINÆ 1. PTOLEMÆI AVLETIS 6. OLYMPIADIS CLXXVI. AN. 2. VRBIS CONDITAE 678. COSS. C. AVRELIO COTTA, ET L. OCTAVIO NEPOTE. BELLI MITH. 15. SERTOR. 7.

ANNVS ANTE CHRISTVM 74.

I. *Initia regni Alexandræ. Et Pontificatus Hyrcani.*

COEPIT hoc anno regnum apud Iudæos à Pontificatu ſeparari, Alexandra Iannæi vidua regno potiente, & Pontificatum Hyrcano maiori natu filio permittente: non tam ætatis prærogatiua, inquit [a] Ioſephus, quam quod propter ſegnitiem rebus adminiſtrandis parum idoneus videretur, quaſi res ſacræ, Deique cultus, quæ prima ſunt, hominibus nihili committi debeant. Gorionides ait eum fuiſſe manſuetum, & humilem ſpiritu. Ariſtobulum autem factum ab ea litiæ principem, quod eleganti forma eſſet, & pedibus agilis. *a l.13. c.24.*

Cœpiſſe porro Hyrcanum pontificatum hoc anno, autor eſt ipſe Ioſephus hoc loco, & l.1. de bello c.4. & alibi, [b] vbi de morte eius agens, Hic finis, inqit, Hyrcani fuit, poſt variam fortunam, qua tota vita circumactus eſt. Nam viuente etiam tum matre Alexandra pontifex Iudæorum creatus, per 9. annos eum honorem obtinuit: & alibi. [c] Alexandra, Hyrcano pontificatum addixit, exactoque in regia poteſtate nouennio, è viuis exceſſit; quo toto tempore Hyrcanus eius filius pontimificatum tenuit. Sic ibi. *b l.15.c.9.* *c l.20 c.8.*

II. *Regnat cũ Phariſæis.*

ALEXANDRA igitur capto Ragaba caſtello, iuxta quod Alexander obierat, eius monitis obtemperans, Phariſæos allocuta eſt, & omnia arbitrij illorum faciens, quæ ad cadauer, vel ad regnum pertinerent, ex infenſis beneuolos ſibi reddidit. Tum illi ad plebem progreſſi, res geſtas Alexandri celebrantes, magnificum ei funus procurarunt, & reginam populo acceptam reddiderunt: præſertim cum ipſa ægre tuliſſe ſemper viſa eſſet ea, quæ perperam à marito gerebantur. Cæterum Alexander duos quidem reliquit filios Hyrcanum & Ariſtobulum, regni tamen adminiſtrationem Alexandræ teſtamento reliquit. Et nomen quidem regni penes reginam erat, eius autem adminiſtratio penes Phariſæos: quorum voluntate tum omnia Phariſæorum inſtituta, quæ à Ioanne Hyrcano antiquata fuerant, denuo ſancita ſunt, tum multæ deinde cædes eorum perpetratæ, per quos Iannæus ſua ſcelera, cædem præſertim illam octingentorum ciuium, perpetrarat. Sed hæc non ad hunc vnum annum pertinent. *Qui cædes perpetrant.*

III. *Difficilia Romæ tempora.*

TEMPORA hæc fuiſſe Romanis domi bellique impeditiſſima, C. Cotta Conſul apud Salluſtium, in hiſtoriarum fragmentis, affirmat in Orat. ad Quirites. Vbi inter alia. Imperatores Hiſpaniæ, inquit, ſtipendium, milites, arma, frumentum poſcunt; & id res cogit, quoniam defectione ſociorum, & Sertorij per montes fuga, neque manu certare poſſunt, neque vtilia parare. Exercitus in Aſia, Ciliciaque, ob nimias Mithridatis opes aluntur. Macedonia plena hoſtibus eſt; nec minus Italiæ maritima, & prouinciarum: cum interim vectigalia parua, & bellis incerta, vix partem ſumptuum ſuſtinent, &c.

IV. *Eius incremẽta.*

NIHILOMINVS Romanam Rempub. ſub hæc tempora duabus auctam fuiſſe prouinciis, author eſt Appianus l.1. Ciuil. Sequenti anno, inquit, ſexta & ſexageſima ſupra centeſimam Olympiade (legendum eſt ſeptuageſima, eſt enim in Græco ἑβδομηκοστῆς, quoto autem anno eius id contigerit, quod ſcripturus eſt, ex proxime præcedentibus intelligitur, vbi ait à Sertorio contra Pompeium & Metellum fuiſſe pugnatum, quod proximo anno contigit. Fuit ergo ſecundus huius Olympiadis, vt eſt apud Onuphrium, Cuſpinianum quoque, Temporarium, Caluiſium, alios.) populus Ro. duabus prouinciis ex teſtamentis Regum auctus eſt, Bithynia Nico- *Num duarum prouinciarum.*

mede relinquente, Cyrene Ptolemæo ex Lagidarum gente, cui Apioni cognomen fuit. Eutrop. l. 6. refert Nicomedis mortem, & teſtamentum in conſulatum Luculli & Cottæ, qui cadit in ſeq. annum, ſed Octauij & Cottæ dictum oportuit, vt Sigonius quoque notauit. Nam Lucullo Conſule Mithridates Bithyniam iam factam prouinciam inuaſit: non autem potuit tam cito & mors Nicomedis innoteſcere, & Bithynia fieri prouincia, & à Mithridate occupari.

IV. *Explicatio difficultatu.*

VERVM quod Appianus hoc loco de Cyrene ſcribit, annis 21. ante contigit: nimirum a. V. C. 657. vt eo loco docuimus. Itaque Liuius Epit. 93. Nicomedis tantum meminit, Ptolemæi vero Cyrenæi, epit. 70. Difficultas tolli poſſe videtur ex Sex. Rufo, in Breuiario ad Valentinianum Imper. ſi hoc loco nomine Cyrenes Libyam intelligamus. Nam ibid. ait Romanos Ptolemæi antiquioris liberalitate Cyrenas accepiſſe, Libyam vero Apionis regis ſupremo arbitrio ſiue teſtamento, idque confirmat Ammianus l. 22. & Euſebius in fine Olymp. 178. Et Eutropius l. 6. vbi de bello Cretico, quod ſub annum 685. Vr. C. geſtum eſt; eóque tempore Libyam Romanis teſtamento ab Apione relictam ait, ſeptem videlicet annis tardius quam putarit Appianus, & fortaſſe verius. Vtrumque autem hunc regem, Cyrenarum & Libyæ Apionem dictum fuiſſe ex eo conſtat, quod Liuius Epit. 70. Ptolemæum Cyrenarum regem Apionem cognominatum ſcribit; Euſebius autem Libyæ regem Apionem appellat, cum ait eum Libyam Romanis teſtamento reliquiſſe. Nullus autem eorum, qui vtriuſque meminerunt, vtriq; nomen Apionis dedit. Non Sex. Rufus, non Ammianus, non Euſebius. Valde autem aſſentior Scaligero, Apionem ab Api Ægyptiorum Deo deductum videri. Lagidæ enim erant ambo, & ex Ægypto profecti.

Duo Apiones reges Ægypti.

V. *Romana bella: quo ſtatu Sertorianum.*

SED redeamus ad Appianum. Bella, inquit, interim non remittebantur, in Hiſpania Sertorianum, in Oriente Mithridaticum, toto mari Piraticum, circa Cretam Creticum, in Italia gladiatorum, repentinum atque difficile. Sic ipſe. Gladiatorium tamen illud à Spartaco conflatum, ad hunc annum non pertinere, vel ex ipſo Apiano conſtat, vt mox dicetur, multoque minus Creticum, vt ſuo loco videbimus.

Quod ergo ad Sertorianum attinet. Petebat Pompeius à Senatu ſtipendia militum, Conſul Cotta rei difficultatem pro concione, ad ſedandum tumultum expoſuit: coëgit autem ærarij inopia, vt tarde admodum deſiderio Pompeij fieret ſatis, nec antequam Conſul eſt factus Lucullus, vt Plutarchus in Lucullo, & Pompeio aperte affirmat.

VI. *Fatigat Romanos duces Sertorius.*

AD hunc annum pertinere arbitror quod ſcribit de Sertorio Plutar. illum poſt pugnam cum Metello in montanum oppidum, quod Liuius Calagurium vocat,[a] ſatis munitum ſe recepiſſe, quaſi ibi obſidionem, per hyemem videlicet laturum, cum tamen duces ſuos in varia loca, ad nouos delectus dimiſiſſet, quibus redeuntibus ipſe, per medios elapſus hoſtes, ſuis ſe adiunxit, viribuſque auctus in illos rediit, & terra marique adeo fatigauit, vt Metellus in Galliam recedere, Pompeius ob pecuniæ difficultatem, incommode in Vacceis hybernare cogeretur. Scriberétq; Senatui ſe, niſi ſtipendium mitterent, exercitum in Italiam deportaturum: quin & Romæ magnum fuiſſe rumorem, priorem Pompeio in Italiam Sertorium eſſe venturum. Eadem fere habet Plut. in Sertorio, Pompeio, & Lucullo. Sed cum affirmet tum fuiſſe Conſulem Lucullum, ſæpius à Pompeio Romam ſcriptum fuiſſe fas eſt exiſtimare. Poſtremo autem minas adiectas, de exercitu in Italiam deportando.

[a] Epit 93. & Appian. l. 1.

VII. *Mithridates à Sertorio ad bellū in Roman. excitatur.*

INTEREA vero duo Romani exules L. Manius, & L. Fanius Mithridati ſuadebant Societatē Sertorij: erant autem hi duo ex Senatu Sertorij, quem ille ex 300. amicis inſtar Romani coëgerat, vt eſt in Plut. & Appiano; qui non ſatis explicat an à Sertorio miſſi fuerint ad Mithridatem, an in Aſia iam apud Regem manerent. Quidquid ſit, perſuaſus Mithridates legatos miſit ad Sertorium, qui poſtquam eos in ſuum Senatum introduxit, multáque de ſua gloria, quæ in Aſiam vſq; Pontumq; penetrarat, locutus eſt, lætus poſſe Romanos bello ab oriēte atq; occidente vexare, fœdus cum Mithridate percuſſit. In quo ei conceſſit Aſiam, Bithyniam, Paphlagoniam, Cappadociam, Gallogræciam, ſiue Galatiam, Ducem quoque ad eum miſit M. Varium, cui duos Lucios addidit conſiliarios, Manium & Fanium, quibus

Fœdus ineunt.

authoribus Mithridates tertium, & vltimum bellum Romanis intulit, in quo totum amiſit Imperium. Hæc Appianus.

VIII. *Eadem hiſtoria ex Plutarcho.* PAVLO aliter Plut. in Sertorio. Ait enim cum Sertorij nomen in Aſia rumoribus celebraretur, Mithridatem excitatum adulatorum ſermonibus, qui Sertorium Annibali, Pyrrho Mithridatem æquiparantes, negabant Romanos reſiſtere iis poſſe, ſi animis inter ſe, armiſque conueniſſent, Legatos ad Sertorium miſiſſe, per eos naues & pecuniam ad bellum illi obtuliſſe: ab illo viciſſim poſtulaſſe omnem ſibi Aſiam reſtitui, qua Romanis in fœdere Syllano ceſſerat. Quod cum Sertorij concilium probaret, ipſe tamen de imperio Romano ſollicitus, ſolam Bithyniam & Cappadociam conceſſit, negatis iis quæ legitime à populo Romano in Aſia poſſidebātur. Ex quo intelligitur nondum cognitam Sertorio fuiſſe Nicomedis mortem, & eius teſtamentum: eodem enim titulo Bithyniam quoque excepturus erat. Coaluit fœdus, Sertorius ducem ei M. Marium cum militibus miſit, Mithridates tria millia talentûm [a] cum quadraginta nauibus.

IX. *Apparatus belli Mithridatici.* MITHRIDATES igitur, vt ad Appianum redeamus, iam ante Romanas expertus vires, & conſcius belli ſine cauſa moti, nullam ſperans veniam, totus erat in apparatu belli, in eoque reliquum æſtatis, & integram hyemem conſumpſit, fabricandis armis atque nauibus, cogendis copiis ex Aſia atque Europa; ita vt ſub eius ſignis 140. peditum millia, equitum 16. millia cenſerentur, præter aliam turbam eorum qui ſternebant vias, qui deferebant ſarcinas, & qui negotiabantur. Plut. in Lucul. habet 120. millia peditum; de equitibus Appiano conſentit, ſed addit centum falcatos currus.

Metellus Sertorium proſcribit. HVNC Sertorianarum rerum ſucceſſum arbitror Metello cauſam fuiſſe pronunciandi in caput eius, ſi Romanus eum ciuis interfeciſſet, præmium centum argenti talenta, (id eſt 68750. coron.) & agrum 20. millium iugerum, ſi exul reditum in patriam. Ita apertæ deſperatione victoriæ, eius mortem proditione licitabatur. Hæc Plut. quam etiam cauſam Sertorio apparet fuiſſe ſuſpicionum, ac diffidentiæ, quæ ſequenti anno clarius eruperunt.

[a] Attic. 3150000. fr. Eub. vero 3600000. fr.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3979.

I. N. I. Itáque in Græco habetur codice. Quæ cum ita ſint, mirum eſt eundem Ioſephum init. l. 14. dicere Hyrcanum accepiſſe pontificatum anno tertio ſeptimæ & ſeptuageſimæ ſupra centeſimam Olymp. id eſt toto quinquennio citius, quam veritas patiatur: niſi forte quis velit differre regnum Alexandræ ad quinque annos; quod ſine omnium temporum confuſione fieri nequit. Dici poteſt Ioſephum referre illam temporis notam, non ad pontificatus Hyrcani principiũ, ſed ad initium belli ab Ariſtobulo fratre contra Hyrcanum initi, quod ait prædicta Olympiade illatum, Q. Hortenſio & Q. Metello Cretico Coſs. Verum neque iſti Conſules fuerunt illo anno 3. ſed 4. & quod caput eſt, tres adhuc anni tum ſupererant regni Alexandræ; quam tamen mortuam ante hoc bellum, idem Ioſephus in fine l. 13. & init. l. 14. commemorat. Et tamen rebus ac temporibus ita perturbatis, audet illo ipſo loco l. 14. dicere, præcipuam ſe curam impendere ſtudio veritatis, ne fidem eius ſequentes fallat, & in errorem inducat. Eundem fucum facit, & maiore cum apparatu lib. 16. cap. 11. vbi accuſata vanitate Nicolai Damaſceni, ſibi fidem colligit, in magnæ vanitatis argumento; theſauro ſcilicet ex ſepulchro Dauidis ab Hyrcano ſublato. Nos verò, inquit, qui & generis propinquitate Aſamonæos reges contingimus, & ſacerdotij honore fungimur, turpe ducentes mendacium, incorrupte res geſtas exponimus, ſalua reuerentia poſterorum regis illius, qui etiam nunc rerum potiuntur, maiorum tamen veritatis rationem habentes cum ipſorum quoque venia. Quæ putida ſunt iis, qui Ioſephum ſatis norunt.

ANNVS MVNDI 3980. SEXTÆ ÆTATIS 464. TIGRAN. 10. HYRCANI PONT. 2. ALEXANDRÆ REGINÆ 2. Ptolemæi Avletis 7. Olympiadis CLXXVI. an. 3. Vrbis Conditae 679. Coss. L. Licinio Lvcvllo, et M. Avrelio Cotta. Belli Mith. 16. Sertor. 8.

ANNVS ANTE CHRISTVM 73.

HOC tempore in Iudæa Phariſæi Alexandræ reginæ indulgentia abutentes, multas cædes in Iannæi amicos perpetrabant, exulibus reditum, vinctis ſolutionem procurabant; quædam tamen etiam per ſe prouidebat mulier, & magnum mercede conductorum militum numerum alebat, vireſque ſuas ita augebat, vt terrori eſſet circumuicinis tyrannis, & obſides ab eis acciperet, vt ait Ioſeph. [a] Phariſæi autem Reginam in primis incitabant, vt necaret eos, qui Alexandro authores fuerant, ſumendi de octingentis ſimul viris ſupplicij. I. *Iudæa res.*

a L.13. c.24.

II. *Coſ. Lucullus auxilia cur Pōpeio procuret.*

Meminit Plutar. in Lucullo Conſulum huius anni, & Olympiadem nominat, ſed eius tertium annum tacet. Quo tempore, inquit, multis bellum Mithridaticum, quod renouatum erat, ambientibus, Lucullo moleſtum fuit ſibi Ciſalpinam Galliam prouinciam obtigiſſe, quæ rerum magnarum materiam non haberet. Eum autem in primis Pompeij gloria ſtimulabat, qui omnium opinione, ſi cum Sertorio debellatum eſſet, aut ipſe in Italiam exercitum deportaſſet, vt ſe facturum ſcripſerat ad Senatum, dux deſignabatur contra Mithridatem. Quare Conſul Lucullus vehementer inſtitit, vt ad eum pecunia mitteretur, & ne vlla occaſione in ſuo conſulatu ille reuerteretur. Addit Appianus duas alias legiones ad priorem exercitum in Hiſpaniam miſſas, quibus aſſumptis, inquit, Metellus Pompeiuſque rurſus â Pyrenæo deſcenderunt ad Iberum, occurrente Sertorio cum Perperna è Luſitania: quo tempore multi Sertoriani ad Metellum transfugiebant; adeo vt exaſperatus Imperator, multos barbarica ſæuitia tractaret, ac per hoc odium ſuorum incurreret.

III. *Milites à ſe alienat Sertorius.*

Sed hoc præcipue culpabat exercitus, quod ſemotis à cuſtodia corporis ſui Romanis, Celtiberico ſatellitio ſtiparet ſeſe, malens his quam illis ſalutem committere. Non enim ferebant exprobrari ſibi perfidiam, quamuis ſub populi Rom. hoſte ſtipendia facerent: imo hoc moleſtiſſimum erat, quod fides ſibi non haberetur ab eo, propter quem perfidi erga patriam extiterant. Nec putabant æquum, ſe, qui in officio perſtiterant, propter eos qui transfugerant, infidos haberi. Augebant etiam dolorem Celtiberi, qui eis fidem dubiam obiiciebant. Hæc Appianus, de cauſa inclinatæ in deterius fortunæ Sertorij.

IV. *Aut Perperna potius.*

At Plutarchus in Sertor. maximam huius mali partem in Perpernæ ſuperbiam deriuat. Is vt vidit Sertorij res in æquali cum hoſtibus ſpe conſtitiſſe, natalium ſplendore inflatus, animum adiecit imperio, contemptimque de eo apud idoneos loquebatur, & odioſum reddebat; & quamuis non aperte rebellabat cum ſuis, res tamen eius in ſecreto corrumpebat, Barbaros acerbe puniendo, & tributum quaſi Sertorij iuſſu exigendo. Hinc defectiones natæ per oppida, & ſeditiones: ad quæ mala ſananda ac lenienda qui mittebantur, iis auctis atque inflammatis redibant. Hæc Plutarc. de Perpernæ tamen natalibus Conſule Valer. Max. [b] vbi M. Perpernam huius parentem iis annumerat, qui humili loco nati clari euaſerunt. V. *Res tamen ſuas ſatis adhuc ſuſtentat.*

b l.3.c.4.

Nec tamen tam cito deſertus eſt Sertorius, vt ait Appianus, opus quippe erat

contra tam potentes aduerſarios Pompeium ac Metellum, tali duce, quo alius illo ſeculo non fuit, vel felicior, vel rei militaris peritior; adeo vt à Celtiberis Annibal appellaretur, quem imperatorum omnium audaciſſimum, ac verſutiſſimum fuiſſe arbitrabantur. Sic affecto Sertoriano exercitu, Metellus crebris excurſionibus, prædas hominum ex hoſtico abigebat. Pompeius vero Palantiam obſidens, ſuffoſſa mœnia ſubditis ſtipitibus ſuſpenderat, cum Sertorij ſuperuentu oppugnatio ſoluta eſt; prius tamen ſuccenſis mœnibus oppugnatores ad Metellum receperunt ſeſe. Sertoriani reparata mœnium parte quæ corruerat, hoſtem ad Calagurim adepti, occiderunt tria millia. Et per hæc hic quoque annus in Hiſpania exactus eſt. Hæc Appianus.

Sertorius alter Annibal.

VI. *Multum apud Mithridatem poteſt.*

Interea vero, vt ſcribit idem in Mithridaticis, ineunte huius anni vere, Mithridates decurſione facta claſſium, ſacrificauit more conſueto belli potenti Ioui, (quem morem habes apud eundem, paulo ante in eodem libro explicatum) & Neptuno quadrigas alborum equorum in altum demerſit; atque ita properauit in Paphlagoniam, ducibus exercitus Taxilo, & Hermocrate. Ducem tamen primarium Mithridatis facit Plut. in Sertorio M. Marium à Sertorio miſſum, quem in vrbes cum virgis & ſecuribus inuectum, ipſe Mithridates, tanquam maiorem poteſtatem ſequeretur, qui aliis libertatem, aliis immunitatem Sertorij nomine concederet, & Aſiam, ſub auaritia publicanorum, & pręſidiariorum militum gementem releuaret, multamque eo nomine Sertorio beneuolentiam conciliaret.

VII. *Suos contra Romanos excitat.*

In Paphlagonia igitur Mithridates concionem ad milites habuit, qua eorum in Romanos odium irritare conatus eſt, vt qui auaritia & crudelitate, domeſticos externoſque affligerent; & ideo fœdus poſtremum ſcribere detrectarent, vt bellum renouare pro arbitrio, arrepta occaſione poſſent. Cõtemptum etiam excitabat, tum magnifice iactando apparatu ſuo, tum hoſtem deprimendo, vt qui à Sertorio in Hiſpania, à domeſticis in Italia, à Piratis toto mari impune affligeretur; contra quos ſui ipſorum optimates, quos præſentes oſtendebat, bellum pro ſe gererent.

Et Bithyniam inuadit contra Romanos.

Hac oratione irritato exercitu, inuaſit Bithyniam, Nicomede nuper, ſine liberis defuncto, Romanis teſtamento relictam, & quidem, odio Mithridatis, à quo toties regno pulſus fuerat, & Romanorũ amore, à quibus ſemper fuerat reſtitutus.

VIII. *M. Cotta victus à rege.*

Bithyniæ tum Cotta præerat, M. appellatur à Mithridate in ſua epiſtola apud Saluſt.[a] & videtur fuiſſe collega Luculli, qui cum claſſe anteceſſerat. Nam C. Aurelius Cotta, præcedentis anni Conſul, Galliam ciſalpinam gubernabat, vbi cum triumphum eſſet promeritus, ſequenti anno pridie triumphi eſt mortuus, vt docet ex Cicerone & Pædiano Sigonius. M. ergo Cotta vir, vt ait Appianus, admodum imbellis, magnitudine copiarum Mithridatis deterritus, quamprimum Chalcedonem cum ſuis copiis fugit. Quam vrbem cũ Rex infeſto exercitu peteret, Cotta bellicis negotiis minime aſſuetus, non prodiit, ſed claſſis eius præfectus nomine Nudus, qui victus pulſuſq; ægre Chalcedone ſeruatus eſt. Nam portis hoſtium metu occluſis, ipſe cum aliquot amicis ſubductus eſt funibus: reliqui, manus ad ſuos, & ad hoſtes incaſſum tendentes, contrucidati ſunt.

[a] Et in Epit. 93. & apud Eutrop.

IX. *Terra marique.*

Mithridates vtendum fortuna ratus, eadem die claſſem ad portum admouit, perruptáque in ore portus cathena ferrea, quatuor hoſtiles naues incendit, reliquas ſexaginta, religatas ad puppes ſuarum, abſtraxit, nec Nudo prohibente, nec Cotta, qui ſe mœnibus continebant. Deſiderata ſunt Romanorum tria millia, & in iis L. Manlius Senator. Mithridates è Baſternis, qui primi portum inuaſerant, viginti amiſit. Scribit Plut. in Lucullo, Cottam, etſi nunciaretur aduentare Lucullum, properaſſe tamen cum Mithridate confligere, ne is triumphi, quem ſe præ manibus habere arbitrabatur, particeps fieret: ſed afflictum terra, marique, ſexaginta naues cum ipſis viris, terra vero 4. millia amiſiſſe, coactumque Chalcedone incluſum & obſeſſum Luculli opem reſpectare. Sic ipſe. Sed addamus etiam ex eodem Plut. aliquid, de bello Mithridatico Lucullo decreto: quod ille, vt ſupra diximus, vehementiſſime deſiderabat, & ab eo Pompeium excludere ſatagebat.

X. *Lucullus in Mithridatẽ mittitur.*

Interea ergo Romæ L. Octauij, qui Ciliciam cum imperio obtinebat, fueratque ſuperiore anno Conſul, mors nunciatur. Eam prouinciam ſtatim Lucullus affectauit, quod exiſtimaret, ſi eã eſſet aſſecutus, quia adhærebat ei Cappadocia, neminem aliũ ad bellum cum Mithridate gerendũ miſſum iri, eamq; Cethegi opera,

qui omnia in ciuitate tum poterat, cum obtinuiſſet, omnes ei pariter bellum Mithridaticum decreuere. Cotta eius collega, multis precibus à Senatu obtinuit, vt cum claſſe ad Propontidem tuendam, & Bithyniam protegendam mitteretur. His conſentiens M. Tul. pro Murena. *Ad quod bellum*, inquit, *duo Conſules ita miſsi, vt alter Mithridatem perſequeretur, alter Bithyniam tueretur.* L. ergo Lucullus, referente Appiano, Conſul ad hoc bellum miſſus, legionem ſecum ex vrbe adduxit, ad quam duabus Fimbrianis, & aliis duabus adiunctis, cum in vniuerſum haberet 30. millia peditum, & mille ſexcentos equites, (vel, vt habet Plut. duo millia quingentos,) circa Cyzicum caſtra cum Mithridate contulit. *Eius copiæ.*

XI. *Lucullus pugnam detrectat.* Plvtarchvs ait Lucullum contemplatum hoſtium multitudinem, & à transfugis ad trecenta hominum millia eſſe ferebantur, atque obſtupefactum bellum ducere voluiſſe, eóſque fame, & penuria commeatuum domare. Sed Mario, quem Sertorius Mithridati miſerat ducem, eum inſtructa acie laceſſente, pugnam etiam paraſſe. Cumque iam pene concurrerent, cœlo repente dirupto, ingentem molem flammeam inter vtramque aciem delapſam, vtroſque percuſſos diremiſſe. Contra Cyzicenos autem mouiſſe Mithridatem, non ſolum quia vrbs erat fidiſſima Romanis, ſed etiam quia in proxima Chalcedonenſi clade, ciuium tria millia, & decem naues amiſerant. *Mithridates Cyzicenos oppugnat.*

Ergo quo Lucullum falleret, inquit, mox à cœna denſam nactus & nimboſam noctem caſtra mouit, occupauitque ex oppoſito vrbis in Adraſtiæ monte conſidere. Lucullus eum ſecutus, caſtra poſuit loco maxime opportuno, ad excludendum commeatu Mithridatem, eoque facto concione aduocata gloriatus eſt, ſe paucis diebus victoriam eis incruentam daturum.

XII. *Inducitur in fraudē.* Intervenisse hoc loco L. Manij proditionem tradit Appianus, in quo fallitur, dum obiter eam ſignificat mortuo Sertorio contigiſſe. Nam ex ipſomet Appiano l. 1. de bellis ciu. aperte colligitur, eum vnum adhuc, aut etiam alterum annum vixiſſe. Proditionem autem Manij ſic explicat, Miſſo ad Lucullum clam nuncio, ab eoque fide accepta, perſuaſiſſe regi vt fineret Romanos tranſire in montem, quem ille occuparat, & caſtrametari pro libito. Fimbrianas enim legiones, quæ ſub Sertorio militaſſent, velle transfugere, idque propediem facturas. Cui conſilio cum Mithridates eſſet imprudenter aſſenſus, paſſus eſt Romanos, ſecurè ſuperatis faucibus, contra ſe magnum montem munire, eóque facto commeatu regium exercitum excludere, & vice verſa eum ſuis copiis à tergo facilem, & expeditum habere; magno vtique damno ſuo, præſertim cum imminente hyeme, à mari neceſſarias importationes eſſet impeditura.

XIII. *Perſeuerat in obſidione.* Hic Mithridates, quamuis mature per medios hoſtes, fauente multitudine, potuiſſet erumpere, maluit tamen ad Cyzici expugnationem omni ope conniti, vt ſic vna & locorum difficultati, & egeſtati mederetur. Omnibus ergo viribus machiniſque in Cyzicenos paratis, tria millia Cyzicenorum captiuorum in nauibus ad vrbem admouit, vt eorum miſericordia & precibus commota ciuitas deditionem faceret: quod cum fruſtra tentatum fuiſſet, præcone è muris, iuſſu Lyſiſtrati ducis monente, vt quando in alienam poteſtatem redacti eſſent, fortunam fortiter ferrent, Mithridates vim terra marique contra Cyzicum adhibuit, oppidanis omni ſtudio ſeſe defendentibus.

XIV. *Cladem accipit à Romanis.* Cvmqve diuturnior eſſet obſidio, Mithridates partem aliquam copiarum, quas inedia vexare cœperat, deuiis itineribus in Bithyniam ad hyberna mittebat. Hos aſſecutus Lucullus in traiectu Rhyndaci, (is eſt Myſiæ fluuius Ptolemæo, exonerans ſe in Propontidem, non admodum à Cyzico diſtans) magna edita ſtrage, cepit virorum ferme quindecim millia, equorum fere ſex millia, & magnum iumentorum numerum. Sic Appian. & Plutarchus. Dum hæc ad Cyzicum geruntur Eumachus Mithridatis dux, incurſionibus infeſtans Phrygiam, multos Romanos cum liberis & coniugibus interfecit, Piſidas atque Iſauros ſubigens, & Ciliciam; donec Deiotarus, vnus è tetrarchis Gallogræciæ, vagantem aſſecutus, cum magna hominum cæde repreſſit. Hæc habet hoc anno Appianus, meminit etiam Deiotari Liuius epit. 94. Hoc anno Seruilius Iſauricus de Iſauris & piratis triumphauit, vt in eius conſulatu anno Vrb. Con. 674. diximus. *Eumachi, & Deiotari res.* *Triumphus Seruilij.*

ANNVS MVNDI 3981. SEXTÆ ÆTATIS 465. TIGRAN. 11. HYRCANI PONT. 3. ALEXANDRÆ REGINÆ 3. PTOLEMÆI AVLETIS 8. OLYMPIADIS CLXXVI. AN. 4. VRBIS CONDITAE 680. COSS. M. TERENTIO VARRONE LVCVLLO, C. CASSIO VARO. BELLI MITH. 17. SERTOR. 9. SPARTACII 1.

ANNVS ANTE CHRISTVM 72.

I. *Res Iudææ ſub Phariſæis.* DVM veteres Iannæi amici, alij poſt alios, in Iudæa Phariſæorum artibus, regina diſſimulante cædebantur; eorum potentiores, cum Ariſtobulo Alexandræ filio natu minore, in regiam conueniunt, & apud Reginam conqueruntur, & ab ea impetrant, vt per caſtella Iudeæ diſtribuantur, vt ab inimicorum inſidiis tuti, reliquam exigant vitam. Hæc Ioſephus pluribus,[a] quæ in hunc annum probabiliter retulimus. Nam & poſſunt ſine vllo incommodo, accelerari paululum, & differri. [a] l. 13. c. 24.

II. *Noui Coſſ.* QVOD ad Conſules attinet, exiſtimant Sigon. & Marcoduranus anno Cic. 34. & Stephanus Pighius in hunc annum, M. Licinium Lucullum, L. Luculli, qui contra Mithridatem bellum gerebat, conſobrinum, vt ait Eutrop. l. 6. aut etiam fratrem, vt Cic. in Lucullo, & Plutarchus exiſtimant, in M. Terentij Varronis familiam adoptione tranſiiſſe, inque eius adoptionis ſignum, Luculli etiam nomen retinuiſſe; ſed ita vt *Lucullianum.* Lucullianus potius reliquorum more, quam Lucullus dicendus videatur, vt Æmylianus, Clodianus, Terentianus. Luculliano iſti hoc anno Macedonia prouincia obtigit, teſte Eutrop. l. 6. Caſſio autem citerior Gallia, quam prouinciam Lucullus ille Mithridaticus repudiarat. Ab his lex frumentaria lata eſt, quæ Terentia & Caſſia dicta eſt, cuius meminit Tullius in Verrinis.[b] Nouum hoc anno bellum in Italia exortum eſt, de quo priuſquam dicamus, quæ ad vetera pertinent expedienda ſunt. [b] 5. & 7.

III. *Mithridates fame vexatus.* MITHRIDATES bello & machinis, fraude etiam Cyzicenos oppugnabat. Cum enim illi neſcirent vbinam gentium eſſet Lucullus, Mithridatici eius caſtra, ſub oculis ciuium poſita, Armeniorum, & Medorum eſſe auxilia, à Tigrane miſſa iactabant. At re poſtmodum patefacta, animoſiores ad ferenda obſidionis mala euaſerũt, dum Mithridates ipſe rerum penuria ac fame, per hyemem intercluſo mari, vehementius obſidetur; adeo vt cadaueribus eius exercitus more barbarico veſceretur, herbiſque omnibus in cibum verſis morbi vulgarentur. Durabat tamen *Soluit obſidionem Cyzicenam.* Mithridates, ſperãs expugnari poſſe Cyzicum aggeribus, quos à monte Dyndimo in vrbem vſque deduxerat. Vt vero & hos ſuffoderunt Cyziceni, incenderuntque machinas, & crebris eruptionibus famelicum exercitum vexare perſeuerarunt, Mithridates ſoluta obſidione abire ſtatuit, idque noctu fecit, ipſe claſſe profectus Parium, exercitus autem itinere terreſtri Lampſacum petiit.

IV. *Lucullus cõcidit Mithridaticos. Et oppugnat Lampſaci.* SED eum Lucullus in tranſitu Æſepi fluuij, qui tum intumuerat, aſſecutus, multos concidit. Ita Cyziceni tantum regis apparatum, & virtute ſua, & Luculli opera, qui Regem fame cruciabat, irritum reddidere: in cuius beneficij memoriam ludos annuos inſtituerunt, quos Lucullea vocauerunt.

V. *Duces perfugas Romanorum comprehendit.* Mithridates autem ſuos Lampſacum compulſos, & à Lucullo obſeſſos, claſſe illuc miſſa cum Lampſacenis exportauit, relictiſque decem millibus ſelectorum in nauibus quinquaginta, ſub Vario Sertoriano duce, & Alexandro Paphlagone, & Dionyſio Eunucho, cum maiore earum parte petiit Nicomediam. Verum & harum & illarum multæ tempeſtate perierunt.

LVCVLLVS autem naues ex Aſia contractas ſuis legatis diſtribuit, à quibus va-

ria loca Mithridaticis deſerta præſidiis occupata ſunt. Lucullus apud Achæorum portum cepit tredecim naues hoſtium, occiſo earum præfecto Iſidoro, cum de ea præda, in Troade exiſtens, ab Ilio quodam fuiſſet admonitus. (Plut. in Lucul.) Varium autem, & Alexãdrum, & Dionyſium, circa Lemnum in deſerta inſula aſſecutus, terra mariq; vexatos in ſpeluncas adegit. Vbi Dionyſius epoto quod ſecum habebat veneno, mox exſpirauit, Varius Luculli iuſſu, probris prius contumeliiſque vexatus, vt ait Plut. occiſus eſt, quod non placeret Senatorem Romanum in triumphum duci. Alexander ad eam pompam ſeruatus eſt, Lucullus ad Senatum laureatas literas, vt mos eſt victoribus, dedit, ipſe in Bithyniam profectus eſt. Addit Plutar. eum commendabili ambitione in ſuis literis vſum. (*Ambitio commendabilis.*) Cum enim Senatus tria millia talentûm ad claſſem parandam ei decreuiſſet, negauit per literas ea pecunia ſibi opus eſſe, iactans ſine ſumptu, & tanto paratu, Mithridatem ſe ſociorum nauibus pelago exacturum.

VI. (*Mithridatis ex tempeſtate clades.*) MITHRIDATES Pontum petens bis tempeſtatem paſſus, amiſit virorum fere decem millia, naues ad ſexaginta. Ipſe Prætoria rimis fatiſcente, in piraticum nauigium, amicis licet vetantibus aſcendit, atque ita Sinopem à prædonibus incolumis peruectus eſt. Ea eſt Paphlagoniæ vrbs ad pontum Euxinum ſita. Plut. ait Heracleam Ponticam inſperatò & ſummo cum diſcrimine perueniſſe: inde Amiſum ſubuectus (quæ orientalior eſt in eodem littore, ac prouincia ad fines Cappadociæ Ptolemæo) ad generum Tigranem Armenium, & ad Macharem filium regnantem in Boſphoro miſit, vt propere auxilia contraherent. Miſſus eſt ad Tigranem Methodorus Sceptius lepidæ vir facundiæ, & variæ eruditionis, in eumque gradum amicitiæ prouectus erat, vt Regis patens diceretur. (*Metrodorũ mittit ad Tigranem.*) Hunc Tigranes rogauit, quid ſibi de auxilio contra Romanos mittendo ſuaderet. Vt legatus, inquit, conſulo, vt conſiliarius deterreo: ita locutus, vel quod ſaluum nollet Mithridatem, vel referens, quod Tigrani expediret. Id poſtea cum Tigranes Mithridati parum prudenter aperuiſſet, eum protinus Mithridates occidit, eius cadauer Tigranes ſplendide tumulauit. Hæc Plut. in Lucullo, ſed ea mors aliquanto poſt contigit.

VII. (*Alia Luculli proſpere geſta.*) AD Scythas quoque finitimos cum multis donis, & magno auri pondere Dioclem ire iuſſit: ſed ille cum donis & auro ad Lucullum transfugit. Plut. aliter. Ait enim Mithridatem cum primum fugam arripere ſtatuiſſet, vt à tergo moras Lucullo necteret, miſiſſe ad mare Græcum præfectum claſſis ſuæ Ariſtonicum, quem iamiam ſoluturum, Lucullus per proditionem in poteſtatem ſuam redegit, cum decem millibus aureorum, quos portabat ad ſollicitandam exercitus Romani partem. Lucullus ergo vſus victoria promouebat exercitum, & obiter omnia ſubigens, prædabatur fortunatam, diuque bello intactam regionem. Inde Amiſum, Eupatoriam, Themiſcyram ad Thermodontem fluuium, per hyemem oppugnauit, diuiſo in partes exercitu, oppidanis fortiter repugnantibus, & Mithridate è Cabiris vbi hyemabat, copioſe omnia ſubminiſtrante. Hæc App. hoc anno, & Plut. in Lucul.

VIII. (*Num hoc anno belli Sertoriani finis.*) QVOD ad Sertorium attinet, eum hoc anno eſſe mortuum, Sigonius putat, eumque vocat octauum ducatus Sertoriani annum, ſecutus Epit. 96. Quia vero ibid. legitur decimo fere anno quam cœptum eſt bellum, abſolutum; per biennium ab eius morte tractum hoc bellum arbitratur. Illi etiam aduerſatur Appianus, qui hoc bellum præ cæteris ſcriptoribus accuratè diſtinxit, & Sertorianum bellum ita concludit. Atque ita belli Hiſpanienſis idem, qui vitæ Sertorij finis fuit, qui ſi diutius vixiſſet, nec tam cito, nec tam facile bellum hoc confectum fuiſſet. Sic ipſe, & paulo ante paucorum tantum dierum velitationes, & pugnam vnam à morte Sertorij ad mortem Perpennæ commemorat: & Plut. breui Perpennam poſt Sertorij mortem, obtritum & captum tradit. Denique Appianus perſpicue diſtinguit annos duos à ſoluta oppugnatione Palantiæ, vſque ad occiſum Sertorium. In ſequentem igitur annum, qui eſt Sertoriani belli decimus, & Sertorij mors, & belli finis differendus eſt.

IX. (*Res Sertorij collabũtur.*) DE huius autem anni re geſta, hæc tantum habet Appian. l. 1. Ciuil. Sequentis initio, Romanorum duces iam audaciores, contemptim inuaſerunt ciuitates Sertorio ſubditas; & ſatis acciſis eius rebus, elati ſucceſſu pergebant vlterius: nuſquam tamen magno prælio certatum eſt, ſed continuato vſque ad ſequentem annum bello, denuo maiore cõtemptu vaſtabatur Sertorij prouincia, &c.

incipit enim vltimi anni res enarrare, vt dicemus cum eos anno ſequenti. Ad præſentem autem crediderim illam Sertorii inhumanitatem pertinere, quam Plutarc. refert, vbi ait, cum incitatum tumultibus, quos Perpenna cum ſociis coniuratis clã excitabant, ex priſtina humanitate & lenitate degenerantem, Hiſpanorum filios, qui Oſcæ educabãtur, violaſſe, ac partem eorũ occidiſſe, alios ſub corona vẽdidiſſe.

X. *Initium belli Spartacii.* Nondum finito Sertoriano bello, imo adhuc viuente Sertorio, vt ait Oroſ. exortum eſt gladiatorium, quod ab authore Spartaco Spartacium, ſiue Spartacianum appellatum eſt. Id plerique ad annum ſeq. differunt, quo à Conſulibus contra eum ductus eſt exercitus: ſed ex Appiano, Floro, Epit. 96. cæteriſque conſtat eum, cum Prætoribus prius, & quidem feliciter, depugnaſſe. Hoc ergo anno belli huius initium ponendum eſt. Poſuit Sigon. Pighius, Gordon. in Chro. Scalig. in Euſeb. Caluiſ. Phrygio, alii. in l. 5.

De eius initiis, ac primo anno, hæc habet App. l. I. Ciu. Spartacus quidam genere Thrax, quondam Romanam militiam ſecutus, tunc ex captiuo gladiator, circiter 70. eiuſdem cõditionis, (Eutrop. Oroſ. Epit. 95. numerant 74. Velleius quoque, licet 64. mendoſe legantur, Plutar. in Craſſo duodeoctoginta) perſuaſit, vt pro ſua libertate potius, quam ſpectaculorum voluptate dimicarent.

XI. *Gladiatores arma capiunt.* Hi magna ex parte Galli erãt, & Thraces, vt ait Plutarc. qui iniuria domi vincti, & compulſi erant ad artem gladiatoriam diſcendam. Eam gladiatoriam familiam Lentulus Batianus Capuæ alebat. Hi ergo, inquit Appianus, effracta cuſtodia, armis, quæ viatoribus eripuerant, inſtructi ſunt. Plut. ex popina quadam cultris coquinariis, verubuſque correptis, eruperunt ex oppido, & offenderunt in itinere plauſtra, quæ arma gladiatoria ad aliud oppidum portabant. Hæc rapuerũt, armauerũtque ſe: cumque Capuani eos perſequerentur, victos fugatoſque armis ſpoliarunt, & iis ſeſe prioribus abiectis inſtruxerunt, & præſidio firmo occupato (Veſuuium mõtem nominat Appianus) tres duces elegere, quorum princeps fuit Spartacus natione Thrax; deinde Oenomanus, Crixuſq. Galli, quibus Spartacus, vt Appianus ait, vt minoribus præfectis vtebatur. Hi ergo cum multos fugitiuos, quoſdam etiam ingenuos ex agris confluentes, ſuſcepiſſent, loca circumpoſita latrociniis infeſtabant. Cumque Spartacus ex æquo prædas diuideret, breui magnas cõtraxit copias.

XII. *Qui duces in eos miſſi.* Iam quod ad duces contra hoſce gladiatores, non ſatis conuenit inter autores, qui, quoue ordine miſſi ſint. Plutarchus primum Clodiũ Prætorem miſſum ſcribit, (quem Epit. 95. Claudium Pulchrum legatum vocat) Prætorem etiam vocat Oroſ. ſecundum autem P. Varinum, ſiue Varrinium, quem Glabrum cognominat Appianus, ſed eum primo loco ponit, deinde Valerium. Nos Plutarchum hæc exactius deſcribentem ſequemur. Vide Sigõ. an. V.C. 680.

Res geſta cum Clodio, Varino, Coſſinio &c. Primus ergo Clodius Prætor cum tribus millibus contra eos miſſus, in monte illos obſedit, ad quem vnus patebat aditus, quem Spartacus diligenter obſepſerat. Romanis autem necopinãtibus, cum per abrupta ſuſpenſis ſcalis omnes deſcendiſſent, eos repentino impetu perculere, caſtriſq. exuere. Inde miſſus P. Varinus, Vatinium vocat Epit. Liuii, cuius primo legatum Furium, cum duobus millibus militum, ſignis collatis profligauerũt. Hinc conſiliarium eius, & collegam Coſſinium cum valida manu miſſum: nihilque propius factum eſt, quam vt lauantem ad Salinas, Spartacus circumuenerit, atque oppreſſerit: quem, cum ægre aufugiſſet, exuit impedimentis, & magna cum cæde perſecutus, eius etiam caſtra expugnauit; cecidit etiam Coſſinius. Ipſum Prætorem crebris aliis prœliis fudit: cepit denique lictores eius, & equum. Hæc Plutarchus. Victor iam maiore concurſu celebrabatur, ita vt præſto haberet virorum 70. millia, arma fabricaret, magnos apparatus faceret. Hæc I. huius belli anno. Appian.

ANNVS MVNDI 3982. SEXTAE AETATIS, 466. TIGRANIS IN SYRIA 12. HYRCANI II. PONT. 4. ALEXANDRAE 4. AVLET. 9. HERODIS ÆTAT. 1. OLYMP. CLXXVII. AN. 1. VRBIS CONDITAE 681. COSS. L. GELLIO PVBLICOLA, ET CN. CORNELIO LENTVLO CLODIANO, BEL. MITHRIDAT. 18. SERTORIANI 10. ET VLT. SPARTACIANI 2.

ANNVS ANTE CHRISTVM 71.

I. *Res Iudaicæ.* AD hunc maxime annum Olympicum, qui victorem celebrauit Ecatomnum Mileſium, pertinere arbitror, Tigranis in Syriam aduentum, cuius meminit Ioſephus, & Plutarch. in Lucullo, vt ſeries rerum geſtarum docebit. Præmittit autem Ioſephus pauca de Ariſtobulo Hyrcani fratre, & Alexandræ filio natu minore, quæ eum cum exercitu miſit Damaſcum verſus, contra Ptolemæum Mennæi, qui grauis erat vrbi vicinus; ſed ille nulla re memorabili geſta, domum rediit. Tum de Tigrane narrationem inſtituens, (l. 13. c. 24.)

II. *Iudæorum ad Tigranẽ legatio.* PER idem tempus, inquit, nunciatum eſt Tigranem Armeniorum regem, cum quingentis militum millibus inuaſiſſe Syriam, & breui in Iudæam eſſe venturum. Ea fama non immerito reginam Alexandram, & totam gentem Iudæorum terruit: miſeruntque ad eum legatos, cum magni precii muneribus, obſidentem tunc Ptolemaidem. Regina enim Seleuce, alias Cleopatra dicta, imperabat in Syria, & incolis author erat, vt Tigranem excluderent. Quæ eſſet hæc Regina, & cuius vxor, aut vbi tum eſſet, tacet Ioſephus; occupaſſe autẽ aliquas Syriæ, vt Ioſephus ait, aut vt Plutarchus, Phœnicis vrbes oportet, contra Tigranis imperium, cui ſe Syria à duodecim iam annis dediderat. Ptolemaide ergo inuentum regem Iudæorum legati rogauerunt, vt bene ſibi de regina ſua, deque tota Iudæorum gente polliceretur. Ille vero collaudatos, quod è longinquo veniſſent ad exhibendum ſibi officium, iuſſit omnia bona ſperare. Hæc Ioſephus; cætera vero quæ ſubdit de Tigrane, ad ſeq. annum pertinere arbitramur.

III. *Ortus Herodis filii Antipatri.* HOC anno naſcitur Herodes, idque ſub finem anni: ſic enim anno Vrbis Conditæ ſeptingenteſimo quinquageſimo primo, in cuius fine Chriſtus natus eſt, vt ſuo loco dicemus, Herodes abſoluet annum vitæ ſeptuageſimum, tertioque deinde menſe morietur. Et ſic verum etiam erit, quod ait Ioſephus, duobus in locis hiſtoriæ ſuæ, Herodem dum mortuus eſt, egiſſe annum fere ſeptuageſimum, id eſt paulo plus minuſue. Nam priore loco habet, ἦν γὰρ περὶ ἔτη ἑβδομήκοντα, in poſteriore autem ὢν μὲν τότε ἤδη σχεδὸν ἐτῶν ἑβδομήκοντα. Et quoniam annni vitæ eius aliquibus locis faceſſerunt pleriſque negotium, eos iam hinc numerare incipiemus, ſed ita tamen, vt prudens lector meminerit, hos eius annos tantum eſſe inchoatos. Natus eſt autem authore Ioſepho, ex Antipatro, qui maximam inter Idumæos autoritatem habuit, apud quos duxit vxorem, illuſtri inter Arabas loco natam, Cypron nomine, ex qua quatuor ei nati ſunt filii, Phaſaëlus, & Herodes, qui poſtea regnauit, & Ioſephus atque Pheroras, & filia Salome. Hæc ille. Plerique tamen ex antiquis patribus eum non Idumæum, ſed Aſcalonitam, id eſt Philiſthæum fuiſſe contendunt; qua de re alius erit dicendi locus. (l. 17. c. 8 l. 1. de Bello c. 21.) (*Ratio temporis.*) (l. 14 ant. c. 11.)

IV. *Lucullus in Mithridatẽ cunctatur, & cur.* MITHRIDATES autem varia hoc anno, atque ancipiti cum Lucullo fortuna colluctatus eſt, vt ex Appiano maxime dicemus. Primum igitur cum in Cabiris, vbi regiam habebat, hybernaret, omnem ſuggerebat commeatũ Amiſo, Eupatoriæ, Themiſcyræ, quæ Romanorum obſidionem fortiter ferebant, ſimul etiam alium colligebat exercitum; & conuenerant iam peditum quadraginta millia, equitum

quatuor. Lucullus autem interea, vt ſcribit Plutar. in eius vita, de induſtria tempus in vrbium obſidione ponebat, licet exercitu eius cunctationem accuſante, vt paulatim Mithridatis vires attereret, nec cogeret, deſperantem de propriis viribus, ad Tigranem generum potentiſſimum regum fugere, & eum ſibi hoſtem facere. Armeniam, inquit Lucullus, Tigranes tenet rex regum, qui ſuis copiis Parthis, Aſiam adimit, vrbium Græcarum habitatores in Mediam abripit, Syriam Palæſtinamque obtinet, reges à Seleuco ortos interficit, filias eorum & vxores abducit. Is Mithridatis neceſſarius eſt & gener, & ſupplicem vtique ſuſcipiet.

V. *Mithridates Lucullũ equeſtri prælio vicit.*

Nihilominvs inſtante iam vere, Lucullus, Murena ad Amiſum obſidendam relicto, per montana contra regem profectus eſt, qui ſtationes diſpoſuerat eum prohibituras, & ignibus ſignificaturas ſi quid accideret. His præerat Phœnix vir regii generis, qui dedit quidem ex pacto ſignum aduentus Luculli, verum ipſe ad eum cum ſuis copiis transfugit. Et ille, ſuperatis ſecure montibus, deſcendit ad Cabira. Plutarchus ait regem cum nouo exercitu & equitatu, cui maxime fideret tranſgreſſum Lycum amnem, laceſſiſſe Romanos in campis patentibus, ibique terga vertiſſe Romanos. Ibi, ait Appianus, equeſtri prælio victus à regiis, retro ad mõtes ſe recepit. Eius equitum præfectus Pompeius, Pomponium Plutarchus vocat, ſaucius ad Mithridatem adductus, rogatuſque quam gratiam pro ſalute poſſet reddere. Magnam, inquit, ſi Luculli amicus fueris; ſin minus, ne deliberatione quidem opus habeo. Cumque eum barbari occidere vellent, non permiſit Rex, negans ſe ſæuiturum in virtutam à fortuna deſtitutam.

VI. *Lucullus prælium in planicie vitat. Et mortẽ à proditore.*

Deinde per continuos aliquot dies productis in aciem copiis, cum Lucullus in æquum locum non deſcenderet, ipſe qua montem aſcenderet, circunſpiciebat.

Interim Olcaba homo Scytha, (Olthacum vocat Plutarchus Dardariorum, qui Mœotin paludem accolunt, Dynaſtam) qui dudum ad Lucullum transfugerat, & ad magnam familiaritatem erat admiſſus, conſilio prius cum Mithridate inito, ſe Lucullum interfecturum recepit: & omnibus ad fugam paratis, cum in tentorium penetraſſet Luculli, quaſi rem magni momenti cum eo communicaturus, à Menedemo cubiculario Luculli, quod is tum dormiret, excluſus eſt: ille infecto negotio, ſiue iratus, ſiue ſuſpectum ſe timens ad Mithridatem rediit. Sic Lucullum ſomnus, qui pleroſque perdidit, ſeruauit, Hæc pluribus Plut. & Appianus. Quo ſcelere admiſſo, rex cauſam ſuam deteriorem reddebat, nec Romanam Rempublicam Imperatoribus priuabat.

VII. *Altera Mithridatis de Lucullo victoria.*

Lvcvllvs autem deſcenſum in campum cauens, præpollentibus equitatu hoſtibus, nec videns tranſitum alium, reperit in ſpelunca venatorem, peritum montanorum callium: græcos ibi latuiſſe ait Plutarchus, in quibus natu maximus Apollodorus, quo ductore vſus per vias nulli tritas peruenit ſuper Mithridatis caput, deſcenditque tum quoque campis vitatis propter equites, & poſt voraginem quandam aqua plenam caſtra poſuit. Inde frumentatum mittebat in Cappadociam, & crebro velitabatur cum hoſtibus, donec fugientibus aliquando regiis, Mithridates ex caſtris procurrens, ſuos obiurgatos in aciem redire coëgit, tantumque Romanis incuſſit pauorem, vt perpetuo curſu, etiam non ſequentibus vltra regiis, in montana refugerent: fugaces Lucullus ignominia notatos, ingenti etiam labore in conſpectu totius exercitus mulctauit. Plutarchus. Sed ea victoria non diu exultauit; eam quippe breui maxima clades ſecuta eſt, quam ex Appiano probabilius, quam Plutarchus referente, paucis accipe.

VIII. *Et Luculli viciſſim.*

Cvm enim magnam equitatus partem, eamque pugnæ cupidiſſimam iuſſiſſet frumentatoribus Luculli inſidias ſtatuere, ſperans ſe eum ad talem inopiam redacturum, qualem ipſe ad Cyzicum paſſus eſſet, illique in primum agmen frumentatorum, in quibuſdam faucibus incidiſſent, non expectato, vt in patentiora loca procederẽt, eos inuaſerunt: ſed cum præ locorum anguſtiis equis vti non poſſent, Romani contra celeriter inſtructis ordinibus fauente ſibi aſperitate locorum, alios ex regiis occiderunt, alios per rupes præcipites impulerunt, alios turmatim diſperſos in fugam egerunt: pauci noctu in caſtra euaſerunt, qui cum ſoli incolumes ſupereſſe crederẽtur, cladis per ſe magnæ, maiorẽ famã ac timorem fecerũt.

Nam Mithridates, qui prior cladem cognorat, ratus Lucullum ſtatim in ſe, equitatu deſtitutum impetum facturum, de fuga cogitat, & cum amicis deliberat; at illi non expectato ſigno vaſa colligendi, pro ſe quiſque ante lucem è caſtris emittebant ſarcinas, adeo vt in portis iumenta ſeſe præ multitudine comprimerent. Exercitus vero id videns, & indigne ferens non datum etiam ſibi ſignum abeundi, vallum cum ira vno impetu proruit, paſſimq; totis campis nullo ordine, nullo ducum imperio diffugiunt. Id Rex ſentiens procurrit è ſuo tentorio dicturus aliquid, ſed cum à nemine audiretur, compreſſus in turba concidit; moxq; in equum ſublatus, cum paucis ferebatur in montes.

IX. *Ex clade modica immodicus pauor, & fuga.*

Lvcvllvs certior factus de frumentatorum victoria, videnſq; fugam hoſtium, in eos magnam equitum immiſit manum; eos autem qui erant adhuc in caſtris, & defenſionem parabant, legionibus circumdedit, edixitque vt tantiſper rapinis abſtinerent, dum ſatisfieret cædibus. At miles, conſpectis multis vaſis aureis, & argenteis, precioſiſque veſtibus, edicti oblitus eſt. Ipſum quoque Mithridatem, qui iam habebatur in manibus, conciſa de induſtria, ad tardandum militem, muli aurum ferentis ſarcina, dum illud prolapſum certatim colligunt, paſſi ſunt in Comana euadere (puto intelligi eam quæ Ptolemæo eſt Comana Cappadociæ, quæ ad Armeniam minorem, Tigrani ſubiectam pertinet; ideo ſubdit Appianus) vnde ad Tigranem profugit, cum duobus equitum millibus. Sed is, pro ingenti qua tumebat ſuperbia, Regem, & ſocerum, & afflictum Mithridadem in ſuum conſpectum non admiſit, ſed in caſtellis regio more ali iuſſit. Ita fere Plutar. & Appianus. Sed cum ex Ioſepho ſatis conſtet Tigranem hoc tempore fuiſſe in Syria, credibile eſt Mithridatem, non ex ſuperbia, ſed ex abſentia, in conſpectum generi admiſſum non fuiſſe: ſed iuſſum in loca ditionis ſuæ munita recipere ſe.

X. *Inſtat fugientibus Lucullus.*

Mithridates euadit ad Tigranem. Ab eo contemptus.

Ea nihilominus maxime de cauſa Mithridates de regno deſperans, Bacchum, Bacchidem Plutarchus vocat, Eunuchum miſit ad ſuam regiam, vt ſorores, vxores, concubinas, quomodocunque poſſet interimeret, quæ gladiis, venenis, laqueis, in ſeipſas ſæuierunt. Ita breuiter Appian. quæ pluribus perſecutus eſt Plutarchus: & inter alia Regis ſorores duas, Roxanem & Statirammemorat, quæ annis prope 40. in virginitate vixerant; & coniuges duas Berenicem Chiam, & Mommiam Mileſiam. E ſororibus autem mirabilem fuiſſe Statiram, quæ antequam virus epotaret, etiam fratrem collaudauit, quod de vita in diſcrimen vocatus, etiam ipſarum rationem habuiſſet, proſpexiſſetq; vt citra contumeliam liberæ morerentur. Hæc clementem natura, & humanum Lucullum nunciata momorderunt; quæ non niſi adulta hyeme videntur contigiſſe: prius enim nuncios à Mithridate ad Tigranem, in Syriam miſſos remiſſoſque oportuit. Interea autem Lucullus à perſequẽdo Mithridate regreſſus, pleraſque eius vrbes tum vi, tum deditione accepit: & miſſa legatione ad Tigranem, qui tum erat in Syria, ad Mithridatem repetendum, ipſe ad componendas res Aſiæ regreſſus eſt.

XI. *Regia familia mandat interitum.*

Cum Luculli gemitu, legatos mittit ad Tigranem.

Dvm hæc in Aſia geruntur, Sertorianũ bellum, cæſo Perpennæ proditione Sertorio, terminatũ eſt, ipſomet Perpenna in ſceleris pœnã breui conſumpto, & Hiſpaniis à Pompeio receptis. Decẽ annis duraſſe hoc bellũ, donec occiſus eſt Sertorius, teſtis eſt Paulus Oroſ.[a] Poſtremo ipſe Sertorius, inquit, decimo demum anno belli inchoati, iiſdem quibus & Viriathus, ſuorum dolis interfectus, finem bello fecit, Romaniſq; victoriam ſine gloria dedit. Sic Oroſ. ſecutus de more Eutropium l.6. apud quem cum legeretur mendoſe, *decimo octauo anno à ſuis occiſus eſt, & finis ei bello datus* &c. Cuſpinianus, & alii emendarunt *octauo demum anno*, cum decimo potius, ex Oroſio & rei veritate, legendum eſſet: eoque adducenda eſt Epit. 96. quoniam, vt ſupra ex Appiano diximus, & mox dicetur plenius, idem Sertorii, & belli huius finis fuit, vt Eutropius quoque & Oroſius affirmant.

XII. *Finis Sertoriani belli. Poſt decennium.*

[a] l.5.c.23.

Cvm ergo Seritorius, minus iam propitio Numine, ad labores remiſſior, ad voluptates indulgentior factus eſſet, paſſim è conflictu victus diſcedebat, eiuſque prouincia maiore contemptu vaſtabatur; inde iracundior & ſuſpicax nemini fidebat; cum Perperna, aſſumptis decem militibus coniurationis ſociis, eum de medio tollere conatus eſt, ſed patefacta re, aliquot ſupplicio affectis, aliis fuga elapſis, Perperna præter ſpem non depræhenſus, tanto ei magis accelerauit exitium; vocatumque ad epulas, vna cum ſtipatoribus, iam vino madidum occidit in triclinio. At

XIII. *Coniuratio in Sertoriũ.*

Plut. coniurationem pluribus quidem præter opinionem euulgatam ſcribit, non tamen ad Sertorij cognitionem veniſſe. Deinde addit coniuratos hominem ſubornaſſe, qui epiſtolam ad eum deferret, nunciantem victoriam quandam à legato eius de hoſtibus, cum magna eorum ſtrage relatam: itaque lætum Sertorium, & ſacrificantem, cum præſentibus amicis, & hi coniurati erant, ad cœnam inuitat, multiſque precibus obtinuit, vt ſibi condiceret.

XIV. *Modus cædis eius, & locus.*

Cum autem ſcirent coniurati Sertorium in conuiuiis procacia, & inceſta verba odiſſe. Illi iurgii initium quærentes, & vino ſe madidos ſimulantes, talia propalam verba iactabant. At Sertorius ſupinum ſe collocauit, quaſi non attenderet, neque exaudiret ea. Vt vero Perpenna phialam meri plenam accepit; eamque inter bibendum dimiſit è manibus, vnde editus eſt ſtrepitus, qui eis pro ſigno erat. Antonius, qui ſupra Sertorium recumbebat, ferit eum pugione. Ad ictum circumagente ſe illo, & parante exurgere, coniiciens ſe in pectus eius, ambas occupat manus: ita cum non valeret ſe defendere, multis eum cædentibus trucidatus eſt. De loco in quo interemptus eſt Sertorius dubitatur. Velleius Etoſcæ interemptum refert: quem locum recte corrigit Ortelius, legitque Oſcæ, reiectis duobus primis elemẽtis: eodemq. modo Puteanus in Strabone pro ἰναλίντα δ᾽ ἰτόσκα reſtituit ἰναλίντα δ᾽ ἰτόσκα. quæ vrbs Ilergetum eſt Ptolemæo, in Hiſpania Tarraconenſi.

XV. *Perperna flagrat inuidia.*

Sertorii morte cognita, plerique Hiſpani à Sertorianus defecere, miſſiſque legatis, in fidem ſe Pompeii & Metelli permiſere. Hæc Plut. Nec minus à Romano milite turbarum excitatum eſt. Mox enim, vt ait Appianus, odium Sertorii eius cæde, vt aſſolet, in miſericordiam occiſi, beneuolentiamque verſum eſt. Statimque ingenti odio flagrauit Perperna; præſertim cum Sertorii aperto teſtamento, homicidam inter hæredes aſcriptum eſſe apparuit: nec temperaſſent manibus, niſi Perpenna magno ſtudio alios muneribus, promiſſis alios placaſſet, quoſdam etiam ad aliorum terrorem ſua manu confodiſſet. Quin & populos obibat concionabundus, & gratiam captando ſoluebat quotquot Sertorius in vincula conieciſſet, obſidibus etiam Hiſpanorum dimiſſis.

XVI. *Victus à Pompeio occiditur.*

Metello autem in diuerſam Hiſpaniæ partem digreſſo, quippe qui iam facile iudicabat Perpennæ Pompeium opponere, per aliquot dies inter hos duos velitatum; decima vero die magnum prælium cõmiſſum eſt, fit ſuperior Pompeius, vulgarem quippe ducem, & ſegnem exercitum offenderat. Perpenna fugiens in dumetum ſe abdidit, ſuorum metu non minus quam hoſtium; quem depræhenſum quidam equites retraxerunt, & conuitiis ob proditoriam Sertorii mortem affectum, ad Pompeium trahebant, quod diceret multa ſe habere de vrbanis ſeditionibus, quæ Pompeio indicaret; At ille priuſquam in conſpectum veniret, iuſſit occidi hominem, ne nouarum calamitatum nouis indiciis author fieret. Id quod admodum prudenter factum, magnam ei laudem attulit. Atque ita belli Hiſpanienſis, idem qui vitæ Sertorii finis fuit. Hæc Appianus.

XVII. *Semina diſſentionum à Pompeio exuſſa. Coniurati perempti, & Hiſpania recepta.*

Plut. ait multas epiſtolas & codicillos ad Sertorium à viris conſularibus, & principibus vrbis exaratos, quibus Sertorium in Italiam acceſſiuerant, Pompeio datos, ſed eos neque lectos, neque à quoquam legi permiſſos, omnes collectos cõcremaſſe. Ex Perpernæ autem coniuratione alios à Pompeio necatos, alios cum in Africam fugiſſent, à Mauris iaculis fuiſſe confoſſos. Ipſæ porro vrbes Hiſpaniæ, inquit Florus, in Romanam fidem venere. Diſtinctius Oroſius, [a] Ciuitatibus vero cunctis vltro ac ſine mora per deditionem receptis, duæ tamen reſtiterunt, Vxama & Calaguris. Quarum Vxamam Pompeius euertit, Calagurim Afranius iugi obſidione contectam, atque ad infames eſcas miſeranda inopia coactam, vltimò cæde incendioque deleuit. At Valer. [b] eam obſidionem Cn. Pompeio tribuit, qua factum eſt vt eius triumphus in finem anni ſeq. retardaretur.

[a] l. 5. c. 23. [b] l. 7. c. 6.

XVIII. *Vterque Coſſ. in Spartacum miſſus.*

Extincto hoc in Hiſpania incendio, alterum in Italia à Spartaco excitatum maxime flagrabat, adeo vt Senatus, quaſi ad vnum è maximis, grauiſſimiſque bellis, contra gladiatores vtrũque Conſulẽ mitteret. Quibus ſaluti fuit quod Crixus, contemptu & ſuperbia, Germanicas cohortes à Spartaciis diſtraxerat. Cum eo Gellius Conſul ad Garganum pugna commiſſa, è triginta millibus vix tertiam partem ſuperſtitem reliquit. Eam victoriam Epit. 96. Arrio Prætori tribuit, quem viginti millia hominum occidiſſe ſcribit, moxque à Spartaco, cum Gellio Conſule

ſuperatum

ſuperatum, Spartaco per Apenninum ad Alpes, & inde porro in Galliam properanti, alter Conſul præuento iter præcluſit, altero tergis hærente. Ille ſingulos per vices aggreſſus repulit; quibus trepide fugientibus, victor trecentos Romani nominis captiuos mactans, Crixi manibus parentauit.

XIX. *Vrbem petens Coſſ. iterum vincit. Et Caſſium Prætorem.*

Inde auctus ad 120. millia peditum, vrbem petebat, eum eum Conſules iterum in Piceno aggreſſi, magno prælio victi ſunt. Mutauit tamen ſententiam petendi vrbem, quod adhuc virium pœniteret, & nec ſatis militariter inſtructum haberet exercitum. Itaque in Taurinos deflexit, continuiſque prædationibus vacans, cum Romanis denuo victoria, prædaque potitus eſt. Nouus hic congreſſus, qui ab Appiano ponitur, videtur à Plutarcho explicari de Prætore Caſſio, qui poſt irritos Conſulum conatus, cum decem millibus militum occurrit Spartaco, ad Alpes Galliæ circumpadanæ contendenti, atque acie fuſus multos milites amiſit, ipſe ægrè fuga ſalutem adeptus eſt. Caſſii deuicti meminit Epit. 96. ſed eum Proconſulem appellat, eique ſocium pugnæ & cladis adiungit Cn. Manlium Prætorem.

ANNVS MVNDI 3983. SEXTAE AETATIS, 467. TIGRANIS IN SYRIA 13. HYRCANI II. PONT. 5. ALEXANDRAE 5. HERODIS ÆTAT. 2. PTOL. AVLET. 10. OLYMP. 177. AN. 2. VRBIS CONDITAE 682. COSS. P. CORNELIO LENTVLO SVRA, ET CN. AVFIDIO ORESTE. BEL. MITHRIDAT. 19. SPARTACIANI 3. ET VLT.

ANNVS ANTE CHRISTVM 70.

I. *Res Romana domeſtica.*

CADIT in hunc annum ſabbaticus ordine ducenteſimus: eſt enim hic annus milleſimus & quadringenteſimus, ab ingreſſus Iſraëlitarum in Chananitidem: quo anno res à Romanis geſtæ foris, domeſticas obſcurant atque obruunt, in primis autem Mithridaticæ res eminent; quamquam hic annus quietior fuit, adeo vt plerique inde occaſionem arripuerint Lucullum Romæ in inuidiam vocandi, cum querelarum cauſa magna ex parte eſſet, repreſſa à Lucullo hoc anno crudelitas Romanorum fœneratorum, qui Aſiam expilabant, vt Verres Prætor Siciliam, cuius hic fuit tertius Præturæ annus. Nam primus incidit in C. Caſſii Conſulatum an. Vr. Con. 680. Lentulus autem Sura Conſul is eſt, qui poſt octo annos Conſularis, & Prætor iterum, Catilinariæ coniurationis particeps, Ciceronis Conſulis iuſſu ſtrangulatus eſt. Qui iam in dominatu Syllæ Quæſtor ingentem vim pecuniæ male conſumpſerat. Cuius cum in Senatu rationem Sylla exigeret, reſpondit præbiturum ſe ſuram more puerorum, qui in pilæ ludo deliquerant, vnde illi Suræ nomen adhæſit.

Verris Prætura.

Lentulus Sura.

II. *Lucullus Aſiã ſubleuat.*

Cvm ergo Lucullus expectat dum Appius Claudius, cuius ſororem Lucullus habebat vxorem, legationem ad Tigranem de exigendo ab eo Mithridate obeat, ea diuturni temporis fuit, vt poſtea ex Plut. dicetur, conuertit ſe ad vrbes Aſiæ, quò dum à muneribus bellicis feriaretur, vt idem ait, aliquid his impertinet iuris & æquitatis. Eas enim publicani & fœneratores depopulabantur, ſeruilemque in modum vexabant, adeo vt priuatim filios filiaſque vendere, publice ornamenta, picturas, ſigna diſtrahere cogerentur: denique creditoribus in ſeruitutem addicebantur. Hæc quæ antecedebant, atrociora erant, fidiculæ, carceres, equulei, ſtationes ſub dio per æſtum in ſole, hyeme in luto vel glacie, vt ſeruitus his malorum videretur finis. Eas peſtes cum Lucullus in oppidis reperiſſet, ita repreſſit, vt intra quadriennium omnia nomina diſſoluta fuerint, & poſſeſſiones liberæ ſuis dominis poſtliminio reſtitutæ. Erat publicum hoc æs alienum viginti millium

Ab oppreſſione fœneratorum.

talentûm, quæ Aſiæ Sylla imperauerat. Huius ſummæ ſolutum eſt creditoribus duplum, quæ vſuris redacta iam ab illis fuerat ad 120. millia talentûm.

III. *Ab iis accuſatur. Populorum in eum beneuolentia.* Vervm prædones iſti, velut magna iniuria affecti, Lucullum Romæ inſectati ſunt, quaſi de induſtria is bellum traheret, vt in imperio perpetuo verſaretur; quæ criminationes vehementius etiã deinceps auctæ ſunt. Lucullus tamẽ omnium prouinciarum beneuolentiam, cum inſigni iuſtitiæ, & miſericordiæ eius commendatione, conſecutus eſt, vt in illius honore Lucullea feſta celebrarent: quos etiam Lucullus vice verſa Epheſi ſpectaculis, feſtis triumphalibus, muneribusque athleticis, & gladiatoriis recreabat. Adeo vt Macharas Mithridatis filius, qui Boſphorum obtinebat, mille aureorum coronam Lucullo miſerit, petens vt amicus & ſociùs populi Rom. appellaretur, iam debellatum eſſe ratus. Plut. in Lucullo.

IV. *Vtilis Claudij ad Tigranem legatio.* Porro Appius Claudius, eius ad Tigranem legatus, cum primum à ductoribus regiis per ſuperiores prouincias traheretur, via præter neceſſitatem prolixa & flexuoſa, tandem à liberto quodam Syro admonitus, barbaris illis, eorumque captioſa via repudiata, paucis diebus Euphrate ſuperato, peruenit Antiochiam, quæ Epidaphne eſt dicta. (Hæc eſt Antiochia Syriæ ad Iſſicũ ſinum.) Ibi Tigranem opperiri iuſſus, (aberat enim ſubiugans adhuc nonnullas Phœniciæ vrbes; Ioſephus ait eum tum obſediſſe Ptolemaidem) non inutiliter tempus poſuit.

Complures enim Dynaſtas, qui non ex animo parebant Armenio, conciliauit Romanis; multis inſuper domitis à Tigrane ciuitatibus, quæ legatos clam ad ipſum miſerant, Luculli opem promiſit, iuſſis in præſenti nihil mouere. Hæc Plut. Ex quibus intelligitur non breuem fuiſſe Claudii Antiochiæ moram, ſiue id Tigranes præ ſuperbia faceret; ſiue de induſtria, vt Mithridates interim tempus haberet colligendi ſui.

V. *Faſtus Tigranis.* De huius porro Regis faſtu ac ſuperbia, hæc inter alia Plut. Reges ei multi ſeruiebant. Quatuor autem habebat in comitatu ſuo, apparitorum, vel ſatellitum loco, qui equitante ipſo, pedites iuxta currerent tunicati; ſedenti & reſponſa danti, adſtarent conſertis inter ſe manibus, qui maxime habitus videbatur eſſe confeſſio ſeruitutis, quaſi tradita libertate, corpora domino ad patiendum potius, quam ad agendum parata exhiberent. Hæc ſpectacula, hæ pompæ nihil perterruerunt Appium; ſed vt primum loquendi facultas data eſt, palam dixit ſe Mithridatis, qui Luculli debeatur triumpho, abducendi cauſa veniſſe. Ac niſi is dederetur, indicere ſe Tigrani bellum; qua libertate factus eſt commotior, quamuis vultum ad ſerenitatem, legati audiendi cauſa compoſuiſſet; qui tunc primum, poſt annos ferme viginquinque, liberam vocem audiret, tot enim annos regnauerat, vel potius graſſatus fuerat. Sic Plut. Ex quo intelligitur Regnum Syriæ ad eum delatum, Armeniaci regni anno 12.

Appius Mithridatem petit.

VI. *Quem negat Tigranes. Appius ad Lucullum redit.* Avdita legatione reſponſum dedit, ſe non deſerturum Mithridatem, & Romanis, ſi bellum intuliſſent reſtiturum. Lucullo vero infenſus, quod ſe Regem tantum, non regem regum in epiſtola ſalutauiſſet, neque ipſe reſcribens eum titulo Imperatoris ornauit. Appius ex multis donis accepta phiala vna aurea, ne regem rigidius repudiando offenderet, celeri curſu ad Lucullum regreſſus eſt. Dum interea Tigranes & Mithridates ſeſe mutuo conuenere, & de rebus deinceps gerendis, vt par eſt credere, tractauere. Nec alia hoc anno in Aſia geſta, quæ ab Appiano prætermiſſa ex Plutarchi Lucullo ſuppleuimus. Ad Italicos ergo gladiatores orationem conuertamus.

VII. *Craſſus in Spartacum mittitur.* Iam tertius agebatur annus, inquit Appianus, belli huius adeo terrifici, vt comitiis Prætoriis nemo candidatus prodiret: donec Licinius Craſſus, genere diuitiiſq; nobilis, Præturam ſuſcipere auſus, cum aliis ſex legionibus contra Spartacum profectus eſt: quibus duas illas Conſulares adiunxit, prius ob tot ignominioſas clades decimatas: qua ſeueritate aliquot ſuorũ millibus deletis, effecit vt pluſquã hoſtis à ſuis timeretur. Plut. in Craſſo hanc decimationẽ factã ſcribit etiã de iis, quos Craſſus recens ex vrbe deduxerat. Legatũ enim Mummiũ, inquit, cũ duabus legionibus miſerat, iuſſum hoſtẽ ſequi, ſigna vero non conferre, neq; laceſſere eos. Ille vero vt primũ rei bene gerendæ ſpes oblata eſt, manum conſeruit, & fuſus eſt. Multi cecidere, multi abiectis armis fuga ſalutẽ petiere. Craſſus ipsũ Mommium aſpere increpauit. Quingẽtos primos à quibus initium fugæ ortũ erat, decimauit; quod vetus ſup-

Decimat fugitiuos.

plicii genus longo interuallo reduxit in exercitu. Sic ipſe. Decima pars quingentorum ſunt quinquaginta; idque credibilius eſt eſſe factum, quam quod ſcribit Appianus, ad 4. millia fuiſſe ex decimatione deleta; neque enim 40. millia ſub ſignis habuit.

Reliqvos autem fugitiuorum iterum armans Craſſus, ſponſores exegit eos arma non amiſſuros. Itaque confeſtim decem millia ex Spartaci copiis, quæ ſeorſim caſtra poſuerant, aggreſſus, tantam edidit ſtragem, vt vix tertia pars ad ſuum ducem refugerit. Quem mox contemptim adortus vicit egregie, & cogitantem de traiectu in Siciliam, ad mare compulit, ne tamen traiiceret, muro & foſſa militari intercluſus eſt. Plutarchus ait eum in freto Siciliæ, nauigia prædatoria nactum fuiſſe quorundam Cilicum, cum quibus pactus ſit de traiectu duorum millium de ſuis, ad Seruile bellum ibi exſuſcitandum: ſed ab illis, acceptis iam muneribus, ſubducentibus ſe, defraudatum fuiſſe. Eam autem foſſam ait in Rheginorum peninſula factam, à mari vſque ad mare, triginta ſeptem millia & quingentos paſſus longam, latam, & altam quindecim pedes; ſuper foſſam autem murum excitaſſe mira altitudine & firmitate, vt ſimul & otium militibus, & hoſtibus commeatus facultatem adimeret. VIII. *Spartacum vincit.*

Conantem dein erumpere vt Samnium peteret, Craſſus repreſſit, cæſis mane ſex millibus, nec paucioribus ſub veſperam, tribus tantum è ſuis amiſſis, ſeptem ſauciis. Plut. ait de 12. millibus & trecentis cæſis, duos tantum inuentos, qui auerſis vulneribus cecidiſſent. At Spartacus expectans alicunde equitatum, non amplius ad certamen totis viribus deſcendebat, ſed obſeſſores, nunc hac, nunc illac repentinis eruptionibus vexabat. Addit Plut. ad montes Petilinos iterum à Spartaco pugnatum, contra Craſſi legatum & queſtorem, qui abeuntem carpebant; conuerſo enim agmine fœde fugaſſe Romanos, & queſtorem ſaucium ægrè ſeruatum fuiſſe. Ita cum bellum & victoria longius trahi viderentur, & recens ex Hiſpania Pompeius adeſſet, iuſſus eſt ire ad exercitum. Plut. ait Craſſum ipſum ſcripſiſſe ad Senatum, vt Lucullum ex Thracia, Pompeium ex Hiſpania euocarent, eiuſque deinde ſcripti eum pænituiſſe. IX. *Varias accipit à Craſſo clades.*

Nam Craſſus ne confecti belli gloria penes Pompeium foret, modis omnibus hoc agebat, vt ſine mora cum Spartaco decerneret; qui & ipſe non expectandum Pompeium cenſens, Craſſum inuitabat ad fœdera; quo ob rei indignitatem non impetrato, ſtatuit ſubire pugnæ aleam, equitatu iam auctus, perruptiſque munitionibus, cum omnibus copiis fugiebat Brunduſium, Craſſo perſequente; Sed ibi accepit Lucullum eo, ex victoria Mithridatica reuerſum, appuliſſe. Id neceſſe eſt rumore falſo diſſeminatum; neque enim adhuc confectum erat bellum Mithridaticum, ſed quia de longa eius commoratione Epheſi auditum erat, credebatur re iam confecta, iampridem ſeſe in viam dediſſe, & primo quoque die affore Brundiſii. At Sigonius in hoc loco mendum ſubeſſe putat, & pro Mithridatica, Macedonica legendū eſſe, & accipienda illa Appiani verba, de M. Terentio Varrone Lucullo, qui rebus in Macedonia & Thracia, cum Beſſiſaliiſque populis vſq; ad Danubium feliciter geſtis, hoc anno Romam reuerſus triumphauit. Deceptus ergo Spartacus, de fuga deſperans, copias etiam tum validas produxit in aciem. X. *Pugnam ambit gloriæ cupiditate.* *Spartacus in fraudem inductus pugnat.*

Cvmqve acerrimus eſſet conflictus, cum tot deſperatorum millibus, Spartacus tragula ſaucius femur, in genu ſubſedit, obiectoque clypeo reiiciebat impetum hoſtium, donec cum multis ſuorum circunuentus cecidit. Plutarchus ſcribit eum impreſſione facta, per tela & vulnera Craſſum petiiſſe, nec eſſe aſſecutum; duos vero centuriones, qui manus cum eo conſeruerant, interemiſſe. Poſtremo effuſis in fugam iis, qui circa eum erant, dum ipſe locum tenet, pugnantem ab hoſtium globo trucidatum eſſe. Pergit Appianus. Tum vero cæteri turbatis ordinibus cædebãtur, vt cæſorum numerus iniri non poſſet. Ex Romano exercitu mille ferme deſiderati ſunt. Spartaci cadauer inueniri non potuit, multi in montes ex prælio fuga lapſi, in 40. cateruas diuiſi repugnabant. Eos ſecutus Craſſus, exceptis ſex millibus, omnes deleuit; qui in poteſtatẽ redacti, per totam viam, qua in vrbem itur à Capua, pepẽderunt. At Plut. in Pompeio & Craſſo ait Pompeium ſuperuenientem, eos qui ex prælio fugerant oppreſſiſſe. Vnde Senatui ſcripſit fuſos quidem à Craſſo ſignis collatis fugitiuos; ſe vero radices belli excidiſſe. XI. *Et fortiter pugnans cadit.* *Eius ſocii capti aguntur in crucem.*

XII. *De his Craſſus ouat.*

Hæc Craſſus cum ſex menſium ſpatio, magnis laboribus, multaque hoſtium cæde feliciter confeciſſet, non ſuſtinuit tamen triumphum petere, quod de fugitiuis & gladiatoribus ignominioſus futurus eſſet: ouantem tamen in vrbem ingreſſum autor eſt Gellius[a] Hanc myrteam inquit, coronã M. Craſſus, cum bello fugitiuorum confecto ouans rediret, inſolenter aſpernatus eſt, Senatuſq; Conſultum faciẽdum per gratiam curauit, vt lauro non myrto coronaretur; idẽq; affirmat Plin.[b]

[a] l. 5. c. 6. [b] l. 15. c. 29.

Pompeius de Sertorio triumphat, & Metel.

At Pompeius de Sertorio, & Hiſpanis clarum triumphum duxit, vt ait Plut. in Craſſo: triumphauit & Metellus; ſic enim ſcribit Velleius l. 2. Metellus & Pompeius ex Hiſpanis triumpharunt. Sed Pompeius hoc quoque triumpho adhuc eques Romanus, ante diem qua Conſulatum iniret, curru vrbem inuectus eſt. Ideo Florus.[c] Recepta in pacem Hiſpania, victores duces externum id magis, quam ciuile bellum videri voluerunt, vt triumpharent. Plin.[d] ait Pompeium, excitatis in Pyrenæo trophæis, oppida 846. ab Alpibus ad fines Hiſpaniæ vlterioris, in ditionem redacta, victoriæ ſuæ aſcripſiſſe.

[c] l. 3. c. 22. [d] l. 3. c. 3.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3983.

l. N. 11.

Quæ ſumma non facile inuenias in profana hiſtoria parem; aſcendit autem, ſi de talentis Atticis accipiatur, ad 42000000. id eſt. 42. milliones coron. Si autem Euboica, ad 56. æſtimatis talentis Atticis mille & quinquaginta Francis noſtratibus, Euboicis autem mille & quadringẽtis. Sed quid hæc ad tria millia millionum templi Salomonici?

ANNVS MVNDI 3984. SEXTAE AETATIS, 468.

TIGRANIS IN SYRIA 14. HYRCANI II. PONT. 6. ALEXANDRAE 6. HERODIS ÆTAT. 3. PTOL. AVLET. 11. OLYMP. 177. AN. 3. VRBIS CONDITAE 683. COSS. CN. POMPEIO MAGNO, ET M. LICINIO CRASSO DIVITE. BEL. MITHRIDAT. 10.

ANNVS ANTE CHRISTVM 69.

I. *Ratio temporis. Ætas Põpeii in Conſulatu.*

HVNC tertium huius Olympiadis annum Ioſephus aſſignat principio Pontificatus Hyrcani, & Conſulatui Hortenſii, & Metelli Cretici: in vtroque deceptus, vt diximus anno Hyrcani primo; ſicut & in bello Ariſtobuli contra Hyrcanum. Labitur quoque Appianus in fi. l. 1. bell. ciuil. ſi locus mendo caret, cum ait Pompeium factum Conſulem, dum annum ageret quartum ſupra trigeſimum, anno ab obitu Tib. Gracchi ferme ſexageſimo. Et recte ille quidem Põpeii annum 34. copulat cũ anno ſexageſimo à morte Tiberii, qui anno Vr. C. 620. occiſus eſt. Pompeii vero quartus & trigeſimus cadit in annum vrbis 680. tot enim numerantur ab anno 647. quo natus eſt. Ex quo ſequitur præſentem annum eſſe Pompeii, ſicut & M. Tullii 37. à morte autem Tiberii 63. Nec recte, Marcoduranus Appianum excuſat, cum ait Pompeium petiiſſe Conſulatum anno 34. Agit enim Appianus de proximo tempore, quo deſignatus eſt Conſul, reuerſus ex Hiſpania, deque ea triumphauit; tum enim iam 37. vitæ inchoarat, cum natus ſit pridie Cal. octobris. At 34. rem maxime gerebat cum Sertorio in Hiſpania. Adde quod oporteret Pompeium ſemel atque iterum paſſum fuiſſe repulſam Conſulatus, quod nemo tradit.

II. *Fit Conſul præter legẽ. Nec ſine populi metu.*

Hoc certe anno magna omnium voluntate factus eſt Conſul, legibuſque ſolutus eſt, vt qui neque Prætorius eſſet, neque quæſtorius, quod Cornelia lege prohibebatur. In ſumma tamen populi Rom. in Pompeium propenſione, geminus fuit metus, vt author eſt Plut. in eius vita: alter populi totius, ne poſt triumphũ non dimitteret exercitum, ſed exemplo Syllæ dominatum in Repub. occuparet; quare

non pauciores timore potius adducti quam beneuolẽtia, redeunti ſalutandi gratia prodierunt obuiam. Alter erat Senatus metus, ne cum Sylla Tribunorũ plebis potentiam vehementer abieciſſet, ipſe in priſtinum gradum reſtituendo, tribunitias quoque procellas in Rempub. inferret. Neque inanis erat hic metus: ſcribit enim Appianus Pompeiũ, dum Conſulatum peteret, Tribunis plebis multum de poteſtate priſtina fuiſſe pollicitum. Nihil enim, inquit Plut. populus Rom. inſaniore cupiditate proſecutus eſt quam Tribunatum, neque vllum magiſtratum recuperare deſiderauit ardentius, vt Pompeius pro magna fœlicitate reputaret, ſibi eam datam eſſe occaſionem, ciuium in ſe fauorem repenſandi. *Craſſi et Pompeii ſimultates. Et Senatus. Tribunitia potentia fauet.*

III. QVOD ad exercitum attinet, declarauit ſe eum à triumpho dimiſſurum. Itaque magna cum gloria deſignatus eſt Conſul; quam amplificauit etiam M. Craſſus; qui cum rebus omnibus in Rep. tum maxime emineret, non tamen auſus eſt petere Conſulatum, quin prius Pompeium rogaſſet. Et ſane id Pompeio placuit, qui hominem aliquo iampridem officio demereri cupiebat; Itaque populum enixe prenſauit, orauitque, oſtendens pari ſe numero collegæ honorem atque ſuum eſſe habiturum. Parum tamen in Conſulatu conſenſerunt, imo & antequam inirent Conſulatum. *Craſſo fauet ad Conſulatum.*

Scribit enim Appianus deſignatos Conſules non ſtatim dimiſiſſe exercitus, ſed prope vrbem ſedentes, cauſas non dimittendi attuliſſe. Pompeius quidem aiebat ſe expectare Metellum reuertentem ad triumphum Hiſpanienſem. Craſſus dicebat Pompeium debere priorem copias dimittere. Hic populus gemebat, timens Syllana tempora, cum ſe videret à duobus exercitibus obſideri, orabatque in mutuam gratiam vt redirent. *Nec tamen ſatis conſẽſerunt. retinent ambo exercitũ.*

IV. QVAS preces vterque repulit, donec vate triſtia pronunciante, prior motus eſt Craſſus, atque è ſella exſcendit, Collegæ dextram, in fidem concordiæ porrigens; qui aſſurgens properauit obuiam. Moxque coniunctas dexteras acclamationes variæ ſecutæ ſunt fauſta conprecantium. Nec prius concio dimiſſa eſt, quam Coſſ. miſſionem amborum exercituum edicerent: atque ita metu maximæ ſeditionis Reſp. liberata eſt. Aliam quandam inter eos reconciliationem extremo Cõſulatu factam Plut. tradit. Qui addit plus Craſſum in curia potuiſſe, Pompeium plus apud populum, quod ei Tribunos plebis reddidiſſet, permiſiſſetque vt iudicia iterum lege transferrentur ad equites: idque confirmat Cic. l. 3. de leg. qui cum cætera eius omnia ſummis laudibus efferat, *de tribunicia*, inquit, *poteſtate taceo, neque enim reprehendere libet, nec laudare poſſum.* Ab vtroque tamen Conſule tribunitiam poteſtatẽ reſtitutam, iudicia vero per M. Aurelium Cottam Prætorem ad equites Rom. eſſe tranſlata ſcribit Liuius l. 97. & Cic. 1. in Ver. vide Saluſt. in Coniurat. *Tandemq; concordes dimittunt. Reſtituunt potentiam tribunitiã.*

V. PRÆBVISSE Pompeium gratiſſimum populo ſpectaculum, ait Plut. Gellio & Catulo cenſoribus, (At Catulus non cenſor tum, ſed princeps ſenatus fuit, vt ex Dione notat Sigõ. Gellij vero collega fuit C. Lentulus, vt mox dicetur. Pompeius ergo venit in forum, equum manu ducens, & militiæ vacationem poſtulans, quod legitimum ſtipendiorum tempus, non gregarius miles vt alij, ſed Imperator expleuiſſet. Iſti autem facto conſentaneum eſt iuſiurandum illud, quod ab eo editum ſeruatumque tradit Velleius l. 2. nullam ſe in prouinciam ex eo magiſtratu iturum. Nihil ab his Conſulibus domi vel foris memorabile geſtum eſſe ſcribit Plut. in Craſ. propter mutuam, inquit, vbique acerbitatem, & concertationem; & tamen erant ambo rerum gerendarum peritiſſimi, & omnibus naturæ fortunæque donis inſtructiſſimi. Craſſus, vt idem ait, in Conſulatu populo epulum præbuit, decem millibus menſarum propoſitis, frumentum quoque in tres menſes admenſus eſt, cum tamen eo anno cenſa ſint ciuium capita 450. millia, vt eſt in Epitome 98. Scribit Liuius l. 97. C. Lentulum & L. Gellium aſperam egiſſe cenſuram, quatuor & ſexaginta Senatu motis. Idque magna cum populi gratia factum videtur, quo expoſcente Cenſores hoc anno, poſt longam intermiſſionem, creati fuerant, vt corruptorum iudiciorum infamiæ mederentur. Sed iamdudum tempus eſt, vt abeamus ab vrbe, Aſiamque reuiſamus. *Varia vtriuſque geſta. Craſſi largitio.* Pædian.

VI. LVCVLLVS, accepto Tigranis de non reddendo Mithridate reſponſo, quam primum id tempus tulit, expeditionem contra Tigranem, quo cum erat tum Mithridates ſuſcepit, quaſi Mithridatico bello iam confecto. Ergo Sornatio ad ordinan- *Lucullus in Tigranem mouet.*

dam gubernandámque prouinciam cum ſex millibus relicto, cum 12. millibus peditum, equitum minus tribus millibus verſus Armeniam atque Euphratem iter intendit; militibus in exercitu obmurmurantibus, & Romæ obtrectantibus ei Tribunis, quos fœneratorum pecuniæ vicerant, quaſi bellum ex bello ſereret, nullo emolumento Rei. ſed ne vnquam arma deponeret, neue ſine imperio eſſet. Sic Plut. probabilius, vt arbitror, quam Appian. qui mouiſſe ait cum duabus tantum lectis legionibus, & quingentis equitibus.

Quem Tribuni Romæ calumniantur.

VII. *Traijcit Euphratem, non ſine prodigio.*

PERGIT autem Plut. dicere Lucullum magnis itineribus ad Euphratem perueniſſe, eumque ex hyeme inflatum turbidúmque reperiſſe, ſed mox intra diem illum noctémque ſequentem ita ſubſediſſe vndas, vt placidum exercitui tranſitum præberet, barbaris rei admiratione defixis, & Lucullum quaſi Deum aliquem, aut diuino vtentem fauore adorantibus. Vbi traiecit ac Dianæ fluuioq;, debitum Deo ſacrificium ignarus obtulit, per dies aliquot per Sophenem in Armenia maiore iter fecit, incolis qui dedebant ſe, & prompte recipiebant exercitum, nulla in re violatis. Appianus idem affirmat, addens ſolas eum pecunias à Barbaris, à bello abhorrentibus exegiſſe. Itaque duobus teſtibus munitus, non facile aſſentior Ioſepho, dicenti capta Ptolemaide Tigrani nunciatum, Lucullum, dum perſequitur Mithridatem, illum quidem non aſſecutum, qui iam in Iberiam euaſerat, ſed Armeniam ingreſſum, vaſtare eam regionẽ, eoq. cognito, eum ſtatim domũ reuertiſſe.

VIII. *Hiſtoria Ioſephi de Tigrane dubia.*

NAM primo ex vtroque illo ſcriptore conſtat Mithridatem, poſt vltimam cladem acceptam, in Comanẽ regionem Tigranis profugiſſe, non in Iberiam, ad mare Caſpium ſitam, & infinito terrarum tractu diſiunctam. Falſum etiam fuit eam regionem à Lucullo vaſtari, etſi forte ita relatum eſt regi, vt ſolent augeri formidoloſa nuncia, ex opinione vſitati moris hoſtium. Falſum quoque fuit Mithridatem in Iberia fuiſſe, dum nunciatus eſt ingreſſus Luculli in Armeniam: erat enim cum Tigrane ipſo in Syria, ex quo Luculli legatus à Tigrane dimiſſus eſt, vt fuſe docet Plut. & mox ab eo non longe digreſſus eſt. Denique nec ipſe ſtatim domum reuerſus eſt, præmiſit enim Mithrobarzanem cum copiis; ipſe ingentem vim copiarum, vndique confluentem expectauit: adeo vt pugnam cum Tigrane non commiſerit, niſi pridie nonas Octob. vt ex Plutarcho dicemus: quamquam illud (ſtatim) interpretis eſt, non Ioſephi. Lucullus igitur pacatum ducebat exercitum, adeo vt militibus arcem oſtendentibus, quæ cum multa præda expugnari poſſet, eos repulerit, Taurum ſuperandum oſtentans. Deinde ſuperata Meſopotamia, etiam Tigrim tranſgreſſus eſt.

IX. *Tigranis temeritas, & ſuperbia.*

AT Tigrani interea nemo de Luculli in Armeniam ingreſſu quidquam referebat, quod primus, qui de eius aduentu nunciarat, Tigranis iuſſu, quaſi populi perturbator, ſuſpenſus fuerat. Itaque ignarus deſidebat, igni iam flagrans hoſtili, adulatoréſque audiebat dicentes, inſignem ducem fore Lucullum, ſi Tigranem opperiretur Epheſi, & non ſtatim ad eius aduentum ex Aſia profugeret.

Mithrobarzanem in Lucullũ mittit.

Princeps ei ex amicis verum dicere auſus eſt Mithrobarzanes, qui illico cum tribus equitum millibus, & peditum ingenti numero, miſſus eſt in Lucullum, cum mãdatis, vt eum ad ſe viuum attraheret, cæteros obtereret. Sic Plut. At Appian. ait Mithrobarzanem miſſum cum duobus equitum millibus, vt Luculli curſum impediret, Mancæum autem Tigranocertam (cum peditatu ſcilicet) vt illi vrbi præſidio eſſet. Eam enim vrbem Tigranes ipſe condiderat, & cæteris pene vrbibus deſolatis, magnificentiſſime exornarat, mœnibus 50. cubitorum altitudinis cinxerat, regia ſua cum hortis, piſcinis, ac ferarũ viuariis, in ſuburbiis collocatis: arcem denique validam in proximo conſtruxerat, quibus omnibus Mancæi fidei commiſſis, ipſe copias vndique contrahebat. Sic Appian.

Et præſidiũ Tigranocertam.

X. *Pugna Sextilij legati cum Mithrobarzane.*

INTEREA Luculli copiæ, ait Plut. partim caſtra metabantur, partim adhuc erant in itinere, cum ſpeculatores ei nunciant adeſſe Barbarum. Lucullus enim ne ſuos ille adhuc incompoſitos, atque imparatos inuaderet, ipſe ad caſtra munienda ſubſtitit, Sextilium legatum, cum mille ſexcentis equitibus, & pari fere peditum numero præmittit, iuſſum ſubſiſtere cum ad hoſtem perueniſſet, donec accepiſſet caſtra eſſe permunita. Verum ferociter inuehente ſe Mithrobarzane, coactus eſt manum conſerere; quo in conflictu pugnans Mithrobarzanes cecidit, reliqui in fuga, dẽptis paucis cuncti periere. Eam pugnam Lucullo ipſi tribuit Appianus, aitq; Sextilium

intereа Mancæum intra Tigranocertam compuliſſe, regiam extra mœnia ſitam diripuiſſe, vrbem arcemque circumuallaſſe, machinas admouiſſe, mœnia cuniculis ſuffodiſſe. Sed hæc non tam cito perfecta ſunt, enim diu tolerata eſt obſidio; præſertim cum mox 6. millia bellatorum eo à Tigrane miſſa fuerint. *Obſidio Tigranocerta.*

INTEREA Tigranes, inquit, idem Appianus, coactis 250. millibus peditum, & equitum quinquaginta millibus, partem eorum, circiter ſex millia, præmiſit Tigranocertam, qui per medium Romanorum agmen facto impetu, ereptas concubinas regias reduxerũt. De multitudine copiarum non multo aliter Plut. Sagittariorum, inquit, & funditorum habebat 20. millia, equitum 55. ex quibus cataphracti erant 17. millia, vt Senatui ſcripſit Lucullus ipſe. Ad hæc grauis armaturæ pedites, partim in cohortes, partim in Phalangas deſcriptos 150. millia, reliquorum ad varia miniſteria deſtinatorum 35. millia. Pergit Appian. Tigranes ipſe cum reliquo exercitu contra Lucullum profectus eſt, diſſuadente Mithridate, monentéque vt circuncurſando vaſtandóque agros, Romanos fame opprimeret, quemadmodum ipſe ad Cyzicum, ſine certamine ab Lucullo ſuperatus fuiſſet. *XI. Tigranis copia.*

ID conſilium irridens Barbarus procedebat inſtructa acie: conſpicatuſque Romanorum paucitatem, dicterio petiit. Si hi legati ſunt, inquit, multi ſunt; ſin autem hoſtes, perpauci. Tum Taxilles Mithridatis legatus, qui oblique repugnabat ſententiæ de committendo prælio, vitæ diſcrimen adiit, inquit Plutarc. Offenſus enim erat rex Mithridati, quaſi per inuidiã ab inſigni eũ palma auertere conaretur: vnde nec illum præſtolatus eſt, ne in gloriæ ſuæ ſocietatem veniret. Itaque progreditur cum toto exercitu, perquam ægre ferens, vt fertur, apud amicos, quod cum vno ſibi Lucullo, non cum vniuerſis Romanis ducibus decertandum eſſet. Addit etiam prope Tigranocertam pugnatum eſſe, & ciues conſpectis tantis Tigranis copiis grandi exultatione vlulantes, Romanis eas è mœnibus cum minis oſtentaſſe, Lucullum, relicto ad continuãdam obſidionem Murena cum ſex millibus, contra regem cum vndecim millibus proceſſiſſe; quoſdam de ſuis ducibus, monentes nefaſtam eſſe eam diem, & cauendam, quod ea die exercitus Cæpionis fuerat à Cimbris profligatus, fuit illa pridie, nonas Octobris repuliſſe; affirmando ſe eam Romanis fauſtam eſſe facturum. Porro de modo pugnæ victoriæque hæc habet Appianus. *XII. Temere cõtemnit hoſtem. Apparatus ad pugnam.* *id eſt 6. eiuſd.*

LVCVLLVS poſtquam animaduertit à tergo Tigranis opportunum tumulum, equites in frontem immiſit, qui hoſtem proritarent, & in ſe verterent, atque etiam vltro cederent, vt barbari perſequendo turbarent ſuos ordines. Ipſe peditibus ad tumulum circumductis, aſcendit non ſentiẽtibus hoſtibus. Vt vero vidit eos quaſi iam victores, in perſequendo diſperſos, & eorum impedimẽta tumulo illi ſubiecta, exclamauit, vicimus, milites: primuſq; curſu inuaſit iumenta cum ſarcinis, quæ magno impetu fugientia incurrerunt in pedites, & hi rurſum in equites, moxque effuſa fuga facta eſt. Nam & illi qui perſequendo longius à ſuis procurrerant, Romano equitatu in eos conuerſo cædebantur, & iumenta exagitata in alios incurrebant, omnibuſque ſe præ multitudine comprimentibus, neque plane ſcientibus vnde eſſet cladis initium, ingens patrabatur cædes, nemine quemquam ſpoliante, id enim Lucullus graui propoſita pœna vetuerat. Itaque & armillas & torques calcando continuarunt cædem per 120. ſtadia, donec nox ſuperuenit: cum illi reuerſi cadauera, Lucullo permittente ſpoliarunt. *XIII. Pugnæ modus & victoria.*

HIS addit Plut. Tigranem initio ſtatim cum paucis effuſo curſu fugam cepiſſe. diademate & tiara ne agnoſceretur abiectis, ait Oroſ.[a] At Plutar. filium, inquit, cum videret in eadem fortuna, detractum ex capite diadema illi profuſis lachrymis tradidit, alia via, ſi qua poſſet, iubens vt ſeipſum ſeruaret. Adoleſcens, quia non audebat diadema capeſſere, fidiſſimo id amico ſeruandum dedit, qui forte captus, atque ad Lucullum adductus eſt. Pedites, inquit, cecidiſſe perhibentur ſupra centum millia, equitum pauci plane effugiſse, ex Romano exercitu centum vulnerati, quinque deſiderati. Hæc Plut. Apud quem etiam Liuius ait, nunquam Romanos ſigna cum hoſtibus contuliſse tanto numero inferiores, vt ne vigeſimus quidem bellatorum pro Romanis pugnaret. Et tamen Oroſ. [b] ſi mendo locus vacat, triginta millia hominum, inquit, in eo bello cæſa referuntur. *XIV. Magnitudo cladis Tigranis, eiuſq. fuga.* *a l.6.c.3.* *b l.6.c.3.*

MITHRIDATES, qui cunctatione frangendos cenſuerat Rom. lente ad Tigranem pergebat. At poſtquam in quoſdã Armenos incidit, qui metu exangues fugiebant, *XV. Eum Mithridates conſolatur.*

coniecit aduerſum caſum ; & clade mox cognita Tigranem requiſiuit. Quem cum deſolatum & abiectum offendiſſet, non inſultauit ei viciſſim: verum ex equo deſiliit, deploratiſque communibus calamitatibus, regium comitatum, qui ipſum ſequebatur, dedit illi, eumque in futurum confirmauit. Sic Plut. Reliquum anni tempus imminente iam hyeme, à Romanis in obſidenda Tigranocerta, à regibus in reparandis copiis, colligendoque exercitu conſumptum eſt.

XIV. *Res à Metello in piratas geſta. Verris Pratura.*

AD hunc annum L. Metelli Prætoris, res bene contra piratas in Sicilia geſta pertinere creditur, de qua hæc Oroſius. [a] Eodem tempore Metellus Siciliæ Prætor, cum fœdiſſima illa C. Verris prætura Siciliam afflictam inueniſſet, (tenuerat eam Verres triennium, eique L. Metellus ſucceſſit, cum à Siculis repetundarum poſtulatus eſt, vt ex Cic. in Ver. & Aſcon. conſtat: fuit autem Verres Prætor vrbanus L. Lucullo, & M. Cotta Conſulibus; inde Prætor in Sicilia triennio.) Maxime Pyrganione archipirata, eam nefariis prædis & cædibus dilacerante; qui pulſa claſſe Romana, Syracuſanum portum obtinuerat. Eum Metellus mox nauali terreſtrique prælio comminutum, Sicilia decedere compulit.

[a] l.6.c.3.
Cicer.7.in Ver.

Ortus Virgilij.

His Conſulibus natum optimum, prudentiſſimumque poëtarum Virgilium, plerique tradunt, in primiſque Euſeb. anno 3. Olymp. 177. Virgilius Maro, inquit, in pago qui Andes dicitur, haud procul à Mantua naſcitur, Pompeio & Craſſo Coſs. Sic ibi D. Hieronym. Nam in Chron. Græco ſub conſulibus ſeqq. habetur tantum Βιργίλιος ἐγεννήθη. Natum autem idibus Octobr. Phocius ex Phlegontis Chronico, Donatus in eius vita, Martialis l.12. teſtantur, vt notarunt Pontac. & Scaliger.

ANNVS MVNDI 3985. SEXTÆ ÆTATIS 470. TIGRAN. IN SYRIA 15. HYRCANI PONTIF. ET ALEXANDRÆ 7. PTOLEMÆI AVLETIS 12. OLYMPIADIS CLXXVII. AN. 4. VRB. COND. 684. COSS. Q. CÆCILIO METELLO CRETICO, ET Q. HORTENSIO NEPOTE. BELLI MITH. 21. HERODIS ÆT. 4.

ANNVS ANTE CHRISTVM 68.

I. *Tigranocerta expugnata.*

AMISIT hoc anno Tigranes nobiliſſimam totius regni ſui ciuitatem Tigranocertam, idque ex iis quæ præcedenti anno dicta ſunt, liquido conſtat, magiſque ex dicendis de illius expugnatione confirmabitur: quibus accedat Dio Caſs. qui in frag. l.35. eam his Coſs. captam tradit. Qua de re hæc Appian. Poſt eam cladem Mancæus Tigranocertæ præfectus, vniuerſos Græcos milites mercenarios exarmauit, vt ſuſpectos: qui veriti ne comprehenderentur, arreptis fuſtibus congregati quieſcebant. Mancæo vero cum armatis Barbaris eos inuadente, brachiis veſte vice clypei obuolutis, audacter in eos fecerunt impetum, eorumq; armis occupatis, aliquot turres, quibus diſtinguebantur mœnia, inuaſerunt, in eaſque obſeſſores Romanos aduocarunt, qui intra mœnia atque vrbem recepti, ea potiti, ingenti præda exercitum ditauerunt.

Ope mercenariorum exarmatorum.

II. *Modus eius ex Plutarcho, & Dione.*

PLVT. ait Græcos Lucullo deditionem vrbis facere voluiſſe, in eáque; præter reliquam opulentiam, octo millia talentûm pecuniæ ſignatæ inuenta eſſe; inſuper octingentas drachmas in ſingulos de præda diuiſas, Græcos cum viatico in patriam remiſſos, ſcenicos ad dedicationem theatri Tigranici euocatos, in ludos & ſpectacula triumphalia reſeruatos, pleroſque barbaros, qui vi eam vrbem incolebant, ſuis quoſque vrbibus reſtitutos, atque vna vrbe conuulſa, multas fuiſſe reſtauratas. Dio Caſſius Cilicas fuiſſe tradit, non Græcos, qui orta inter ipſos & Armenios ſeditione, Romanos noctu in oppidum introduxerunt, omniaque, præter ea quæ Cilicum erant, fuiſſe direpta; multas tamen optimatum coniuges captas, Lucullum ab omni iniuria cuſtodiuiſſe, eoque facto maritos earum ſibi coniunxiſſe.

Luculli cōtinentia.

loc. cit.

Interea, inquit Appianus, Tigranes & Mithridates obeundo regiones, colligebant alium exercitum, cuius præfectura Mithridati eſt credita, quem alter putabat iam ſatis ſuis calamitatibus eruditum. Is armorum fabricas oppidatim inſtruxit, & delectus habens omnes ferme Armenios contraxit, ex quibus ſelectis fortiſſimorum ſeptuaginta millibus peditum, & dimidio equitum, reliquos dimiſit. Hos vero in turmas & cohortes digeſtos, proxime diſciplinam Italicam, viris Ponticis tradidit exercendos. III. *Nona Tigranis & Mithrid. copiæ.*

Ad Parthos quoque miſerunt, qui auxilia peterent. Sed cum Lucullus quoque per legatos regem eorum ſollicitaſſet, vt aut ſibi potius auxiliaretur, aut ſpectator eſſet certaminis; ille vtrique clam pollicitus, neutri miſit. Sic Appianus. Addit Dio Arſacem Parthorum regem allectum à Tigrane & Mithridate, tum regione quadam ei conceſſa, quæ inter ipſos dudum controuerſa fuerat, tum metu illi à Romana potentia, & ambitione iniecto. Lucullum autem admonitum à Regulis, quos ſibi conciliauerat, de legationibus Mithridatis ad Arſacem, & ipſum legationem miſiſſe, & amicitiam cum eo ac ſocietatem impetraſſe. Suſpicione deinde adductum Arſacem auxilia neutris miſiſſe, vt qui neutrorum vellet augeri potentiam, ratus illis æquis inter ſe viribus pugnantibus, ſe tanto ſecuriorem fore. *Parthos vtrinq; ambiunt.*

Porro Lucullus Tigranem non eſt inſecutus, ſed ei otio non ſolum euadendi, ſed etiam inualeſcendi conceſſo, & ab aliis, & à ſuis ciuibus reprehenſus eſt, quod debellare noluiſſet, quo diutius imperio potiretur, cum id ille potius faceret, vt iuſto prælio vincere confirmatum hoſtem poſſet, nec cogeretur fugientem per immenſa regionum ſpacia, & ſolitudines irrito labore perſequi, vt ille dudum apud militem ſuum concionando dixerat. Nihilominus tum Romani imperium in Aſia Prætoribus aſſignauerunt, ac deinde, cum rurſus eodem modo Lucullum ſe geſſiſſe cenſerent, Conſulem iſtius anni ſucceſſorem miſerunt. Sic Dio; ſed Conſulem non nominat, Cilicia certe, ex qua pendebat hoc bellum, anni ſequentis Conſuli Q. Marcio Regi attributa eſt. IV. *Lucullus ſinit hoſtem inualeſcere.*

His Coſs. inquit Caſſiodorus, à Catulo reparatum, dedicatumque Capitolium eſt, quod aliqui Pompeio tribuunt. Qua de re vide plura à Cuſpin. diligenter collecta. Cic. Ædilis Curulis fuit, collega M. Cæſonio, vt ex 2. Verr. conſtat. Meminit horum Conſulum Ioſephus initio libri decimi quarti, ſed eos refert ad annum tertium huius Olympiadis, quem paſſim omnes, in quibus Euſebius in Chronico græco, Onufrius, Temporarius, item Caluiſius, Capellus, Buntingus, Heluicus, cæterique ſectarij quartum ponunt: apparet γ pro δ male exaratum vel inuerſum.

ANNVS MVNDI 3986. SEXTÆ ÆTATIS 470. TIGRAN. 16. HYRCANI PONT. 8. ALEXANDRÆ REGINÆ 8. HERODIS ÆT. 5. PTOLEMÆI AVLETIS 13. OLYMPIADIS CLXXVIII. AN. 1. VRBIS CONDITAE 685. COSS. L. CÆCILIO METELLO, ET Q. MARCIO REGE. BELLI MITHRID. 22. CRETICI 1.

ANNVS ANTE CHRISTVM 67.

OBSCVRÆ ſunt hoc quoque anno Iudaicæ res: quæ enim à Ioſepho l. 13. extremo de Ariſtobulo referuntur, quamquam maturius fortaſſe inchoata ſunt, vt tamen ab illo narrantur, non niſi ad ſequentem annum pertinent. Præſens autē Olympiacus eſt, victorémque celebrauit Dioclem Lydium. Meminit huius Olympiadis Pauſanias in Eliacis, [a] vbi fraudem Philoſtrati Rhodij pecunia iudices ludi corrumpentis refert, & victoriam Stratoris Alexandrini eodem die de Pancratio & lucta coronati. I. *Annus Olympiacus.*

[a] li. 5 p. 169. ſi. gr.

Mors duorum Coſ.

Memorabilis eſt hic annus, prompta Romæ duorum Conſulum morte, L. Metelli, qui Cretici frater, tertio ab hinc anno, in Sicilia contra piratas rem præclare geſſerat; & eius qui deinceps in ipſius locum ſuffectus eſt. Sic enim habet Dio. Inſequenti anno Q. Marcius conſulatum ſolus geſſit. Nam eius collega L. Metellus initio anni diem ſuum obierat, eóque qui in eius locum ſubrogatus fuerat, antequam iniret magiſtratum, vita functo, nullus alius ſubſtitutus eſt. Sic ipſe. Nomen illius, qui non iniit magiſtratum, in tenebris latet.

II. *Lucullus ad Niſibim oppugnandam regreditur.*

Hoc anno Lucullus, vt ſcribit Dio l. 35. media iam æſtate, prius enim in hoſtium fines propter frigus inuadere non potuerat, cum exercitu profectus eſt. At Plut. ait tam tarde in Tigranem mouiſſe, quod cum in Parthos ſigna mouere ſtatuiſſet, militum ſuorum, longiorem militiam detrectantium, contumacia retardatus ſit, à quibus etiam tumultuantibus impeditus ſit, Artaxatam, alteram Tigranis in Armenia regiam oppugnare. Aliquam ibi regionis partem vaſtauit, vt barbaros ad pugnam eliceret, cumque nihil illi mouerent, ad eos contendit. Vbi re parum feliciter, ob validum barbarorum equitatum, & ſuorum pene coactam militiam, ſuccedente, is enim ſiue pugnaret, ſiue è pugna refugeret, atrocibus vulneribus Romanos afficiebat, caſtris inde motis ad Niſibim Meſopotamiæ vrbem oppugnandam regreſſus eſt. 1. l. 2.

III. *Et diu oppugnatam hyeme capit.*

Eam vrbem Tigranes Parthis ademerat, theſauroſque in ea ſuos repoſuerat, cuſtodia vrbis munitiſſimæ fratri mandata. Lucullus eam per totam æſtatem fruſtra tentauit; erat quippe duplici muro lateritio cincta, altaque interutrumque foſſa, adeo vt neque concuti, neque perfodi poſſent, & Tigranes de ea ſecurus nullam ei auxilium ſubmitteret. Initio autem hyemis cum Barbari viciſſe ſe, Romanoſque re infecta diſceſſuros arbitrarentur, ideoque negligentius cuſtodias agerent, Lucullus obſcuram noctem, imbribus ac tonitribus infeſtam nactus, exteriorem murum, foſſamque interiectam, cuſtodibus pene deſertam occupauit. Deinde alterum murum priore multo infirmiorem inuaſit, hoſtibus propter vim pluuiæ, neq; igne neque ſagittis Romanos ſatis arcentibus. Vrbe capta, eos qui in arcem euaſerant, in quibus Tigranis frater, qui Guras à Plutarcho appellatur in Lucullo, fide data acceptáque recepit, multaque pecunia accepta, ibi hyberna habuit.

IV. *Mithridates ducem Luculli Fabium vincit.*

Lucullo autem ad Niſibim moras trahente vterque rex alter in ſuperiorem Armeniam, alter in inferiorem cum copiis digreſſi, plurima loca à Romanis occupata recuperarunt, eoſque plurimis damnis affecere. Nam, vt ſcribit Appianus, Mithridates aggreſſus Fabium ducem à Lucullo relictum, quingentis occiſis, eum in fugam vertit. Sed is armatis ſeruis redintegrata pugna, ancipiti marte per totum diem pugnauit, donec ſaucio ex ictu lapidis Mithridate, pugnabat enim tametſi ſeptuagenarius, vt notat Dio, Romani ſpatium in tutiora perfugiendi reperiſſent. Et quamuis propter regis infirmitatem, à prælio dies aliquot ceſſatum eſt, Rex tamen animoſior ex ſucceſſu factus, bellum quamprimum redintegrauit. Dio enim refert Fabium, qui in Cabiris à Mithridate obſidebatur, aduentu Triarij obſidione liberatum. Mithridatem quippe coactum retrocedere, quod exiſtimaret totum Romanorum exercitum contra ſe venire, cum ille copias tantum aliquas raptim collectas ſecum duceret. Itaque Triarium audaciorem factum, vſque in Comagenos fugientem Mithridatem inſecutum eſſe, ibique viciſſe, quod Mithridatem fortiter, & æquo marte pugnantem, pons abruptus ſubſidiis ſpoliaſſet: & ab hoc conflictu vtroſque, vrgente iam hyeme, in caſtella ſe recepiſſe.

A Triario duce fugatur.

V. *Ratio temporis belli Cretici.*

Iam quod ad Creticum bellum attinet, id quidem hoc anno publica autoritate à Q. Metello Proconſule geri cœpit. Itaque Euſebij Chron. id confert in huius Olympiadis annum primum, cui conſentit Cuſpin. Onuphr. Temporar. Pontac. Scaliger, Caluiſ. alij. Aliquot tamen ante annis temere à M. Antonio triumuiri patre ſuſceptum fuerat, maléque geſtum; quod nos ad hunc diſtulimus locum, quod de anno, quo ille rem geſſit, non certo conſtat. Sigon. anno 682. mortuum putat, id eſt anno ante Pompeium & Craſſum Coſ. Florus [a] Romanos Cretici belli reos facit. Creticum bellum, inquit, ſi vera volumus noſcere, nos fecimus, ſola vincendi nobilem inſulam cupiditate. Fauiſſe Mithridati videbatur, hoc placuit armis vindicare.

[a] l. 3. c. 7.

VI. *Res male à M. Antonio geſta in Creta.*

Primvs inuaſit inſulam M. Antonius, cum ingenti quidem victoriæ ſpe, atque

fiducia, adeo vt plures catenas in nauibus quam arma portaret. Dedit itaque pœnas vecordiæ. Nam pleraſque naues intercepere hoſtes, captiuáque corpora, religata velis ac funibus pependere; ac ſic velificantes triumphantium in modum Cretes portibus ſuis adremigauerunt. De eo Pædianus in Verrem, ſcribit eum gratia Cottæ Conſulis, & Cethegi factione in Senatu obtinuiſſe curationem infinitam oræ maritimæ, eaque occaſione Siciliam, & prouincias omnes depopulatum eſſe; & ad extremum illato Cretenſibus bello, morbo periiſſe.

Metellus igitur, vindicandæ huius cladis gratia, in Cretam profectus eſt, trienioque ibi bellum geſſit, authore Eutropio; quid autem ſingulis annis geſtum ſit, diſtincte traditum non eſt; niſi quod Epit. 98. dicitur, Q. Metellum Proconſulem bello ſibi aduerſus Cretenſes mandato, Cydoniam vrbem obſediſſe: initio belli videlicet inde ſumpto. Nam Epit. 99. aliæ etiam Cypri vrbes expugnatæ referũtur. *Et à Metello.*

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3986.

1. N. 11. Plut. Niſibin in Mygdonica regione collocat, ſed ea prouincia in Meſopotamia etiã eſt, & à Mygdonio flumine, qui Niſibin mediam ſecat, vt ex Theodorito notat Ortelius, (alia Mygdonia Ptolemæi in Macedonia eſt,) Mygdonia appellatur. Quin & Niſibis ipſa Antiochia Mygdonica à Græcis appellabatur, teſte Plutar. ibid. ſubditque. Huic præerat autoritate, Tigranis frater Guras, arte & ſolertia machinali Callimachus: & tamen Lucullum breui ſpacio vrbem expugnaſſe tradit.

ANNVS MVNDI 3987. SEXTÆ ÆTATIS 472. TIGRA. IN SYRIA 17. HYRCANI II. PONT. ET ALEXANDRÆ 9. ET VLT. HERODIS 6. PTOL. AVLETIS 14. OLYMP. CLXXVIII. AN. 2. VRB. COND. 686. COSS. C. CALPVRNIO PISONE, ET M. ACILIO GLABRIONE. BELLI MITH. 23. CRETICI 2. POMPEII PIRATICVM.

ANNVS ANTE CHRISTVM 66.

CVM Alexandra Regina, Alexandri Iannæi dudum regis & Pontificis Iudæorum vxor, nonum in regno annum ageret, & in morbum difficilem incidiſſet, inquit Ioſephus l. 13. extremo, viſum eſt Ariſtobulo eius filio natu minori, tempus adeſſe opportunum regni occupandi. Nam & materni regiminis iamdudum erat pertæſus, & timebat ne ea mortua regnum in Phariſæorum poteſtatem veniret. Hyrcanum quoque fratrem regno parum idoneum arbitrabatur, ac contemnebat. Itaque ſola vxore conſcia noctu egreſſus, vno comitante famulo, contulit ſe ad ea caſtella, quibus paterni amici præpoſiti erant, à quibus beneuole acceptus eſt. I. *Ariſtobulus Hyrcani frater regnum Iudææ occupat.*

SEQVENTI die Regina ſenſit Ariſtobuli abſentiam, nec tamen ſtatim ſuſpicata eſt illum ad res nouandas eſſe profectum. Verum poſtquam alij ſuper alios nuncij venerunt, nunc hoc nunc illud caſtellum occupatum eſſe nunciantes; (nam intra quindecim ferme dies duo & viginti caſtella occupauit, tum demum & regina ipſa, & gens vniuerſa, Phariſæorũ præſertim, in magna conſternatione fuit, verita ne regno vſurpato, pœnas ab illis exigeret, qui in illius familiares graſſati fuerant. Placuit igitur vxorem eius cum liberis, in arce templo vicina cuſtodiri. Ad Ariſtobulum interim plurimi confluebant, ex nouis rebus captantes vtilitatem, vt iam nec ſtrepitus deeſſet, nec ornatus regius. Ipſe exercitum à monte Libano, & Thraconitide, & vicinis Dynaſtis colligebat. Addit Ioſephus l. 1. de bell. c. 4. Ariſtobulum II. *Res innoteſcit.*

Regem ſe declaraſſe, reginam autem adhuc viuentem Hyrcano pontifici regnum commiſiſſe.

III. *Regina dimittit adminiſtrationem, & moritur.*

HYRCANVS ergo, & ſeniores Iudæorum reginam adeunt, & rebus præſentibus aliquod expediri conſilium poſtulant. Illa iubet eos facere quidquid putarent Reip. conducere, & præſenti facultate virium, pecuniarumque vti: iam ſe, corporis animique vigore deficiente, rerum adminiſtrationi vacare non poſſe. His dictis non multo poſt extremum ſpiritum reddidit, cum regnaſſet annos nouem, tres & 70. vixiſſet. Mulier alioqui induſtria, ſed quæ ſeminaria perdendæ familiæ regiæ moriens reliquit, dum inimicis familiæ ſuæ conſentit, puta Phariſæis, quos paulo ante dixit in regis familiares, Alexandra regnante eſſe graſſatos, quos ob ſuperbiam, maloſque mores, & Iannæus ante, & poſtea Herodes vehementer afflixit. Vt non mirum ſit eos Chriſto Domino valde reſtitiſſe, & vice verſa ab eo vehementer obiurgatos. *Phariſæorum mores.* Male quoque meritam de publica re Alexandram ſcribit Ioſephus, cum illam ait Rempub. orbaſſe præſidibus. Hæc pluribus Ioſephus. Significat autem imminentem victore Pompeio calamitatem, & amiſſa libertate ſeruitutem.

IV. *Luculli res parum felices.*

QVOD ad bellum Mithridaticum attinet, hoc anno res Lucullo parum fœliciter ceſſere. Cum enim ſeptimum à Conſulatu annum in imperio ageret, vt ait Velleius, l.2. cadente vento afflantis fortunæ, fœlicitatis conuerſionem deinceps expertus eſt, vt Plut. & Dio notarunt.

Mithridatis de Triario victoria.

Et primum Mithridates ad Gaziurſam oppidum Cappadociæ, Triario caſtris oppoſitis, eum ad prælium modis omnibus ante aduentum Luculli pertrahere conabatur; quod cum non ſuccederet, ad oppidum Dadaſa, in quo Romani milites res ſuas depoſuerant, oppugnandum partem exercitus miſit: quo cognito Romani peruicerunt, vt ad eum locum defendēdum, quod cupiebat Mithridates, ducerentur. Barbari Triarium cum ſuis progredientem adorti, partim ceciderunt, partim in campum, in quem fluuium deriuatum ignorabant, compulſos circunfuſi multitudine obtruncauerunt: ac niſi quidam è Romanis, ſe vnum de Mithridatis commilitonibus ſimulans, quaſi allocuturus prope congreſſus regem vulneraſſet, & metu Barbaros perturbaſſet, omnes ad vnum deleti fuiſſent. Hęc fere Dio Caſſius. *Rex vulneratur.*

V. *Eadem Hiſtoria ex Appiano.*

A DIONE nonnihil differt Appianus. Ait enim Triarium nouo inſtructum exercitu, gloriæ cupidum, Luculli aduentum præuenire voluiſſe. Et primo quidem copias vtrimque ingenti procella fuiſſe diſſipatas. Deinde Romanum ante lucem ſtationes Mithridatis inuaſiſſe. Cumq; diu pari virtute certaſſent, rege inceptante victoriam, diſſipatos hoſtes, peditatum in cœnoſam quandam foſſam compulſum, ſidente veſtigio impune cæſos fuiſſe. Donec Mithridates victos perſequens, à Romano centurione dolo in femore grauiter ſauciatus eſt: tunc enim ſignum receptui datum eſt, multuſq; in Mithridatis exercitu tumultus excitatus, donec Timotheus medicus cohibito ſanguine, ſublimem ei regem oſtendit. Qui poſtquam recollegit animum, reprehendit eos, qui ſignum receptui dederant, & ea ipſa die Romanis caſtris admouit exercitum; quæ iam pauore militum deſerta erant.

VI. *Clades ingens Romanorum.*

INTER cadauera reperti ſunt tribuni 24. centuriones centum quinquaginta. Nec facile vlla in clade Romanorum tantus præfectorum numerus deſideratus eſt: quem præfectorum cæſorum numerum Plut. confirmat in Lucullo, & addit ſupra 7. millia militum cæſa. Victor in Armeniam minorem ſe recepit, commeatus, qui deportari poterant, ſecum auferens, cæteros corrumpens, ne venienti Lucullo vſui eſſent. Eodemque tempore ab Attilio quodam Romano Senatore profugo, quem Mithridates in amicitiam receperat, inſidiis appetitus eſt, ſed coniuratione patefacta, ipſe occiſus, conſcij etiam excruciati periere, præter libertos quos illæſos dimiſit. Hæc Appianus. Dio addit Regem curato vulnere, Romanos omnes, qui in ſuis caſtris erant, non pauci enim ad eum perfugerant, à cæteris ſegregatos occidiſſe. *Mithridates iterum inſidiis fruſtra appetitur.*

VII. *Res Mithridatica meliore ſtatu quam Romana.*

INTERIM Lucullus, inquit, aduenit, qui licet æſtimabatur amiſſa omnia non magno labore recuperaturus, nihil tamen effecit. Nam & Mithridates, in ſuperioribus confidens locis, pugnæ facultatem non præbebat, & alter Tigranis è Media gener, Romanos palantes repente adortus, magna clade affecerat: præterea Tigranes ipſe aduentare ferebatur. Et ſuper hæc omnia Luculli exercitus ſeditione fluctuabat. Valeriani milites, Valerianos vocat Dio, quos Plutarchus Fimbrianos,

qui

qui ſcilicet impulſore Fimbria, L. Valerium Flaccum Conſulem interfecerant. Hi ergo milites, qui militia ſoluti prius, iterum ſtipendia faciebant, tumultuabantur, à P. Clodio nouarum rerum cupido incitati, tametſi illius ſororem Lucullus haberet vxorem. Sed cognationi iſti quomodo ambitio, & auaritia parcerent, cum hoc ipſo tempore, eædem vxorem & filios Mithridatis, contra parentem, & maritum crudeliter armarent? P. Clodium vocat Dio, Plutarch. autem modo Appium Claudium, modo P. Clodium.

Accedebat ad tumultum, quod auditum erat Acilium Conſulem, qui Lucullo ſucceſſor mittebatur, appropinquare. Eundemque dimiſſis præconibus pronunciaſſe, Luculli exercitum à Senatu dimitti, & ſe bona eorum, qui ſibi non paruiſſent, publicaturum. Itaque Appianus ait defluxiſſe milites, paucis exceptis, qui ob paupertatem, mulctam non timebant. Hinc ergo fiebat, vt Lucullus iam quaſi priuatus contemneretur. Angebat etiam Lucullum, quod cum à Marcio, qui ante Acilium Conſul fuerat, in Ciliciam ſibi mandatam adueniente, ſubſidium petiiſſet, id non impetrarat. Itaque inops conſilij, nec temere ſe mouere loco, nec ibidem hærere auſus, in Tigranem ducere decreuit, ſi forte illum inopinantem ſimul, & ex itinere defeſſum fundens, ſibi milites reconciliaret. Sed vtrunque irritum fuit. Etenim milites aliquandiu ſecuti, cum in Cappadociam iter flectendum eſſet, omnes vno animo, ne verbo quidem vllo facto, ſeſe conuerterunt: Valeriani etiam à ſignis dilapſi ſunt. VIII. *Lucullus pene deſertus à ſuis.*

Hæc dum milites agunt, Mithridates prope totum ſuum regnum recepit, Romanis, vt ait Appianus, donec maria à piratis repurgarentur, diſſimulantibus. Intempeſtiuum enim ducebant tanto bello inuolui, donec præſentibus latronum maritimorum moleſtiis liberarentur. Cappadociæ item, ait Dio, multum detrimenti attulit; neque Lucullo obſtante, quod Acilium prope eſſe prætenderet, neque Acilio defendente. Is enim cum prius feſtinaſſet, vt victoriam Lucullo præriperet, vbi quæ acta eſſent reſciuit, ne ad exercitum quidem venit, ſed in Bithynia prouincia ſua tempus traxit. Marcius autem Lucullo auxilium non tulit, cauſatus milites ſe nolle ſequi. Clodium tamen, qui à Lucullo defecerat, recepit, & rei nauali præfecit: ſed is mox à Piratis captus eſt, & pœnas perfidiæ, & violatæ cognationis dedit. Hæc fere Dio. IX. *Mithridates ſua recuperat, Romanis conniuentibus.* *Clodius nauarchus captus à piratis.*

Cretense bellum hoc anno à Metello pene profligatum eſt. Sed quoniam id nonnihil cum Piratico coniunctum, ab eo lumen aliquod accipit, de eo primum dicamus. X. *Cretenſe bellum.*

Appianus in Mithridaticis, & Plutarch. in Pompeio, Piratici mali originem à Mithridate petunt, qui dum in Aſia, & Græcia vexaretur à Sylla, mari piratas immiſit, qui Romanam claſſem in mari, oraque maritima vexarent. Hi primum paucis nauiculis vagi latrocinabantur. Bello autem Mithridatico feruente, & Romanis contra ſe inuicem in Italia, in ipſaque vrbe certantibus, deſtituto cuſtodibus mari, aucti numero, magnas quoque naues ſibi parauerunt. Guſtatis deinde non mediocribus lucris, ne victo quidem, aut pacato, aut fugiente rege deſiſtebant, ſed augebantur potius. Qui enim bello ad egeſtatem redacti fuerant, relictis terris quæſtum in mari quærebant; & potentiores facti iam claſſe terribiles oppida inuadebant, prædas agebant, homines in ſua receptacula abductos, pretio redimere ſe cogebant, opifices armis, nauibus, cæteriſque bellicis muneribus addicebant. *Origo piratici.* *Vt aucti piratæ.*

Et primum Ciliciam aſperam, latrociniis latebriſque opportunam, commune receptaculum, bellique ſedem præcipuam eſſe voluerunt; ex quo communi nomine vulgo Cilices dicti, ſe ipſi Mercenarios milites appellabant. Hoc ergo malum in Cilicia vel ortum, vel coalitum ac roboratum, in ſocietatem Syros, Cyprios, Pamphylios, Ponticos, & ferme omnes orientales gentes, propter belli Mithridatici diuturnitatem, pertraxit. Inde in occidentem verſum, in Siciliam, atque adeo ad columnas vſque, quas vocant, Herculis penetrauit. Cum ergo Piratarum potentia vſque adeo creuiſſet, vt Prætores Romanos funderent, fugarentque, commeatus interciperent, maritimam omnem oram, Siciliamque in primis incurſarent, vt eam nemo adire nauigio, nemo in agris tutus eſſe à piratis poſſet, Romæ denique vrbanam multitudinem magna inopia premerent, XI. *Receptaculum piratarum Cilicia.* *Quam late pateret hoc bellum.*

cum illi interea luxu, diuitiis, omnique rerum copia abundarent, vt ait Plut. nauibuſque ſupra mille inſtructi, quadringenta oppida cepiſſent, celeberrima delubra deprædati eſſent, Romanos Prætores, cum lictoribus accenſiſque, captos, aliosque ciues contumelis affectos in mare demerſiſſent.

XII. *Quam graue, atque difficile.* Romani, quibus hæc ſeruitus non ignominioſa modo, ſed calamitoſa etiam videbatur, de efficaci aliquo remedio cogitare cœperunt. Nam nec Murena, vt ait idem Appianus, hos prædones aggreſſus, quidquam effecit memorabile, nec poſt eum Seruilius Iſauricus. Adde etiam M. Antonium, qui præfectus oræ maritimæ, prædatorem magis egerat, quam Prætorem. Adde Metellum, qui aduerſus eos in Sicilia Pompeio Conſule, proſpere pugnarat, nec tamen id malum delere potuerat. Adde denique Proconſules Marcium Regem, qui Appium Claudium claſſis ſuæ præfectum nuperrime amiſerat; & Acilium Glabrionem, qui ſuis potius cladibus, quam piraticis victoriis illuſtrabantur. Itaque hoc bellum tam late fuſum, tam varium & inconſtans, tot cladibus nobilitatum omnes horrebant.

XIII. *Rogatio in gratiam Pompeij.* Tvm A. Gabinius his Conſulibus, poſt biennium videlicet à Conſulatu Pompeij, legem tulit, inquit Velleius, vt Cn. Pompeius ad eos opprimendos mitteretur: eſſetque ei imperium æquum in omnibus prouinciis cum Proconſulibus, vſque ad quinquageſimum milliarium à mari. Non nominauit ille quidem Pompeium, ſed manifeſtum erat, vbi huius rei Tribunus mentionem feciſſet, ſtatim populum electurum Pompeium. [a] Dio L 36. ait optimates eam rogationem vſque adeo indigne tuliſſe, vt Gabinium Tribunum in Curia pene diſcerperent: qui elapſus, dum eam rem populo ſignificaſſet, irrupit ille in Curiam, cædibus eam repleturus, niſi iam exiiſſent: Quin & Piſonem Conſulem, qui reſtiterat, ad mortem trahebant, niſi Gabinio deprecante dimiſſus fuiſſet. Eo autem Senatuſconſulto pene totius terrarum orbis imperium vni viro deferebatur. Nec vllus vnquam Romanus Imperator, ait Appian. ante Pompeium cum tanta poteſtate profectus eſt. Eandem tamen ante biennio, in M. Antonij prætura decretam fuiſſe affirmat Velleius, nec tamen eius honori à patribus repugnatum eſſe, quod eius vis non timeretur. [a] Dio L36.

XIV. *Eam diſſuadent optimates, populus amplectitur.* At nunc, vt idem ait, Gabiniam legem diſſuadebant optimates, nimia hominem potentia armare formidantes, qui eam pro arbitrio depoſiturus, aut retenturus, vt nuper L. Sylla, videretur. Diſſuaſit in primis, L. Piſo Conſul, & quidem non leui periculo ſuo; diſſuaſit & Q. Catulus princeps Senatus: ſed conſilia, totius populi conſenſu, atque impetu victa ſunt: quæ à Plutar. amplificantur. Ei quoque ait fauiſſe C. Cæſarem, non in Pompeij gratiam, ſed vt ſibi populum mature conciliaret, & ad extraordinaria imperia conferenda aſſuefaceret.

XV. *Quæ ac quanta poteſtas data Pompeio ad hoc bellũ.* Addit Appianus Imperatorem lege lata creatum eſſe in triennium, qui toto mari, quod eſt intra columnas Herculis, & in maritimis prouinciis, vſque ad quadringenteſimum à mari ſtadium poteſtatem haberet imperandi regibus, præſidibus, ciuitatibus, vt iuuarent ſe rebus omnibus. Delectus quoque habere illi permiſerunt, & pecunias colligere. Ex legionibus etiam ordinariis tradiderunt ei exercitum, & naues quotquot habebant, cum ſex millibus talentûm Atticorum, quæ ſunt ſex milliones francorum, & inſuper trecenta millia. Cui mox repræſentatæ ſunt copiæ, 120. millia peditum, equitum quatuor millia, naues 270. legati Senatores viginti quinque. Plutarchus quoque ait ab eo electos 24. licet ei antea tantum eſſet permiſſum ſedecim legatos ex Senatu deligere: nec plures Appian. deinceps quam tredecim, Florus quatuordecim numerant; & Plutarc. ait maria à Pompeio in 13. ſortes fuiſſe diuiſa. Habet etiam Plut. naues quingentas, & equitum 5. millia. Legatis illis Pompeius mare diſtribuit, datis cuique nauibus, peditibus, equitibus, & prætoriis inſigniis, ita vt quiſque merum imperium haberet, in parte fidei ſuæ credita. Ipſe quaſi Rex Regum circumcurſaret, & viſeret vnumquemque manentem in ſtatione ſua, vt omnibus ſimul locis piratæ opprimerentur, &, ſi res ferret, ſinguli vicinis ſuis, ipſe omnibus ſubſidio veniret, nec longinquis nauigationibus res diu protraheretur.

XIV. *Quomodo geſtũ fuerit.* Itaqve perluſtrato inter dies quadraginta tractu occidentali, Romam venit, vbi cum Piſo, Plut. teſte, eius apparatum labefactare conaretur, ei pene abrogatus

eſt à populo Conſulatus, habebatque ea de re Gabinius rogationem iam conſcriptam: ſed eam rem Pompeius ipſe diſcuſſit, imperratiſque quæ deſiderabat, profectus eſt Brunduſium. A Brunduſio vero vectus per tot ac tanta Orientis ſpatia, omnes aduentus celeritate, apparatus magnitudine, & tam inclyti ducis expectatione perterruit. Adeo vt piratæ, qui videbantur vltro laceſſituri, præ metu mox oppugnationes vrbium reliquerint, & relicto mari, in ſuas ſe arces, ſtationéſque receperint: atque ita Pompeius ſine certamine maria perpurgauerit. Piratæ vero à prætoribus, in ſua quique prouincia, in poteſtatem redacti ſint: ideoque Velleius, ait piratas per multa prælia, multis locis fuiſſe victos.

Ipse Ciliciam, quo plerique refugerant, cum ſexaginta lectiſſimis nauibus, cum magno machinarum, militumque numero petiit, vt arces in rupibus ſitas expugnaret. Sed nihil neceſſe fuit: Nam & celebritate ducis, & apparatus magnitudine territi, alij poſt alios deditionem fecerunt; arces, naues, arma, caſtella, captiuos, prædas, variam armorum nauiumque materiam, denique ſeipſos eius fidei, ac clementiæ permittentes. Florus, ait ad Ciliciam, Plutar. ad Coraceſium Ciliciæ à Piratis contra Pompeium eſſe pugnatum: ſed pugnam non vltra progreſſam, quam vt ad primum ictum concurreretur. Pompeius, & materiam incendit, & naues abduxit, & captiuos dimiſit. Eos qui non tam malitia quam neceſſitate, amiſſis domi facultatibus, ad hoc vitæ genus deuenerant, quædam infrequentia oppida, in Cilicia aſpera habitare iuſſit, ſed remoto, vt inquit Dio & Velleius, Florus & Plut. à mari loco; quos data facultate ſine rapto viuendi, rapinis arcuit. Atque ita bellum piraticum omnium opinione celerius confectum eſt. Plutar. trium menſium ſpacio, Dio ſpatio vnius anni, Cic. pro Manil. extrema hyeme apparatum dicit, ineunte vere ſuſceptum, media æſtate confectum. In eo, vt ait Appianus, naues expugnatæ ſunt 72. deditæ trecentæ & ſex; oppida, caſtella, cæteraque horum receptacula, centum viginti. Prædonum qui repugnare conabantur, cæſa circiter decem millia. XVII. *In Cilicia vt debellatum.* *Quanto tempore.*

Hæc dum in mari fiebant, Q. Metellus rem feliciter gerebat in Creta, & alterum piratarum fontem exſiccabat, vbi Panares & Laſthenes Cydoniæ duces, viginti quatuor millibus iuuenum coactis, velocitate pernicibus, armorum laborumque patientiſſimis, ſagittarum vſu celeberrimis, Romanum exercitum alterum iam annum fatigabant, vt ait Velleius. Quos Metellus cum præliis aliquot fregiſſet, totam inſulam igni ferróque populabatur: adeoque ſæue in captiuos conſulebat, vt veneno ſe plerique conficerent, alij deditionem ſuam ad Pompeium abſentem mitterent. Qui cum eo vnum de legatis ſuis L. Octauium ſine exercitu, ad dedititios recipiendos miſiſſet, irriſus fuit; eoque infeſtius Metellus in hoſtes ius victoris exercuit, ait Florus. Gnoſon, & Lyctum, & Cydoniam, & alias plurimas ciuitates expugnauit. Epit. 99. Addit Dio Eleutheram per proditionem acceptam, Lappam vi captam, quam tum tenebat Octauius, ab eo quidem abſtinendo, Cilicibus autem, qui cum eo erant interfectis: Hierapidnam deſerentibus propugnatoribus occupatam. XVIII *Res a Metello in Creta geſta.*

Plvtarchvs eam Cretenſium legationem illuſtrat hoc modo. Cretenſes qui adhuc ſupererant & obſidebantur, miſſis caduceatoribus Pompeium in inſulam acciuerunt, & illius prouinciæ partem, atque incidentem in præſcriptum à mari modum, 50. ſcilicet milliariorum. Ille precibus eorũ admiſſis, interdixit Metello per literas ne bellum gereret, & ciuitatibus ne Metello parerent; vnumque ex legatis ſuis miſit L. Octauium, qui cum obſeſſis includens ſe muris, atque cum iis arma ſocians, non modo odioſum & inuidioſum, verum ridiculum quoque Pompeium reddidit: qui æmulatione in Metellum, hominibus nefariis & impiis nomen ſuum accommodabat, & velut amuletum appendebat autoritatem. Sic Plut. qui etiam addit hoc Pompeij factum aduerſus Metellum, ne à ſummis quidem eius amicis probatum fuiſſe, quod etiam Velleius ſignificat. XIX. *Cretenſium ad Pompeium legatio.* *Ambitio Pompey.*

Vervm quid iſti ſummi amici poſſent in Pompeio, in hoc Cretenſi facto, iure accuſare, non ſatis intelligo. Iure ſuo vſus eſt erga Metellum; ſicut & erga Ciliciæ, aliarúmque prouinciarum Proconſules, quorum prouinciæ, terminis Pompeiani imperij comprehendebantur. Nec magis Metellus de eo conqueri potuit, quam Acilius Glabrio, aut Marcius Rex, aliiue XX. *An recte cum Metello ſe geſſerit.*

Proconſules. Sin autem exiſtimant Pompeium ſatis alioqui glorioſum, Metelli laboribus indulgere debuiſſe, ne ei hanc laudem videretur inuidere, id ego quoque libenter conceſſerim. Huc pertinent illa ex Epit. 99. de epiſtolis Metelli Pompeiique, quibus queſtus eſt Metellus gloriam rerum à ſe geſtarum à Pompeio ſublatam præteriri, qui in Cretam miſerit legatum ſuum, ad accipiendas vrbium deditiones; quod Pompeius ſe facere debuiſſe contendit. Hæc ambitio quia odioſa erat, Metello profuit & Lucullo. Luculli & Metelli triumphum, inquit Velleius, cum ipſorum ſingularis virtus, tum etiam inuidia Pompeij apud optimum quemque fecit fauorabilem.

ANNVS MVNDI 3988. SEXTÆ ÆTATIS 473.
TIGRAN. IN SYRIA 18. ET VLT. HYRCANI II. PONT. 10. PTOL. AVLETIS 15. OLYMPIADIS CLXXVIII. AN. 3. VRB. CONDITÆ 687. COSS. M. ÆMYLIO LEPIDO, ET L. VOLCATIO TVLLO. BELLI MITHRID. 24. CRETICI 3. HERODIS 7.

ANNVS ANTE CHRISTVM 65.

I. *Ariſtobuli cum Hyrcano bellũ.* VIX Alexandra è viuis exceſſerat, cum Ariſtobulus, qui ea viuente magnam regni partem occuparat, Hyrcano fratri, quem illa regni ſucceſſorem conſtituerat, bellum intulit, non anno tertio 77. Olympiadis, vt putauit Ioſephus, ſed 78. nondum quippe illa tunc mortua erat, vt ante diximus. Commiſſo autem ad Hiericuntem prælio, multi ex Hyrcani militibus ad fratrem transfugerunt. *Et illius victoria.* Itaque victus Hyrcanus in arcem confugit, in quam cuſtodiendi filij, & vxor Ariſtobuli à matre eius depoſiti fuerant: ſapienti vtique conſilio, vt Ariſtobulus, dum vxori & filiis timet, abſtineret à fratre, qui eos haberet in poteſtate. Itaque illos Ioſephus, [a] ibi eum ſalutis obſides nactum dicit. Reliqui etiam, qui pro Hyrcano ſtabant, cum victoris metu intra templi ſepta ſe recepiſſent, breui deditionem fecerunt. [a] l. 1. de bel. c. 4.

II. *Hyrcanum redigit ad priuatam vitam.* COEPTVM eſt deinde agi inter fratres de pacis conditionibus. In quibus Ariſtobulus obtinuit vt regnaret, & fratrem ſineret in otio frui, quæ illi obuenerant, facultatibus, & priuatam vitam agere. Hoc fœdus ictum eſt in ipſo templo, & data acceptáque fide, iunctiſque dexteris ſancitum: & poſt mutuos complexus in conſpectu populi factos digreſſi ſunt, alter in regiam, alter priuatus in ædes Ariſtobuli. Ita Ioſeph. [b] lib. etiam vigeſimo c. 8. diſtinctius tradit Hyrcanum pontificem ad priuatam vitam redactum ab Ariſtobulo, qui ſibi ipſe regnum ſimul vſurpauerit, ac ſacerdotium, exegiſſéque in vtraque dignitate tres annos, totidémque menſes, donec à Pompeio Hieroſolyma capta eſt. *Non habẽda ratio regni eius tyrannici, neque pontificatus.* Verum quia vtrunque tyrannicè ab Ariſtobulo factum eſt, fratris lenitate abutente, nulla Tyranni ratione habita, Hyrcani pontificatum cum Euſebio continenti ſerie producimus: qui etiam Hyrcani regnum deinceps prætermittit, ſiue quia fratri id ceſſit, vbi id tribus menſibus adminiſtraſſet, vt ait Ioſephus, [c] ſiue quia, licet Pompeij beneficio reſtitutus in poſſeſſionem pontificatus, principatum quoque ſuæ gentis acceperit, abſque diademade illum accepit, vt idem ſcribit, [d] additque, præter illos nouem priores annos, per alios 23. aut 24. potius, vt in Græco eſt, ſummum ſacerdotium obtinuiſſe: vt mirum ſit ab Euſebio illi annos 34. præter illos priores, attribui, & longa ſerie vſque ad Herodis principatum ordinari. Quod miror ab Emendatore temporum, in animaduerſionibus ſuis non animaduerſum, aut emendatum. [b] l. 14. c. 1. [c] l. 15. c. 9. [d] l. 20. c. 8.

III. *Manilij rogatio de libertis.* HIS Conſulibus Romæ tumultus excitatus eſt. Nam P. Antronius Pætus, & P. Corn. Sylla magni illius Syllæ fratris filius, vt ait Dio l. 36. Conſules in ſeq. annum

deſignati, largitionis ambitioſæ conuicti, damnatique, de ſpe conſulatus deiecti fuerant. Hi accuſatoribus ſuis, L. Cottæ & L. Torquato, vitæ periculum creabant per inſidias, idque eo infeſtius, quod eos viderent in ſuum locum Conſules deſignatos. Suſcepti facinoris addidere ſe Comites Cn. Piſo, & L. Catilina homo audaciſſimus, iratus ob repulſam in petitione conſulatus: fruſtrati tamen ſunt incepto, quod maturius inſidiæ patefactæ ſunt, & Cottæ atque Torquato à Senatu datũ contra inſidias militare præſidium: quin & contra eos S C. editum fuiſſet: niſi tribunus quidam intercesſiſſet. Piſo autem ferocior, ſub ſpecie honoris in Hiſpaniam ablegatus, ibi ab incolis ob iniuriam quandam trucidatus periit. Hæc fere Dio. Porro hic tumultus proluſio quædam fuit eius tempeſtatis, quæ poſt biennium Cicerone Conſule erupit. Sed iam quæ foris ſunt geſta videamus.

IV. *Manilij rogatio de libertis.*

SEQVITVR enim deinceps bellum à Pompeio contra Mithridatem & Tigranem geſtum, quæ illi prouincia hac ratione commiſſa eſt. C. Manilius, vt ſcribit Dio l. 36. extremo anni die, cum iam veſper appeteret, ſubornatis quibuſdam è plebe, ſuffragiorum ius idem libertis cum Patronis conceſſit. Quod vbi Senatus comperit, poſtridie, quo noui Conſules Lepidus & Tullus magiſtratum inierunt, legem eius antiquauit, magna populi in ſe indignatione conflata: quam vt tolleret, Pompeio, qui beneuolentiſſima plebe vtebatur, ſe dedidit, & in eius gratiam rogationem tulit, quoniam Gabinium, qui alteram tulerat, plurimum apud eum poſſe animaduertebat.

V. *Altera de bello Mithridatico Pompey. Repugnante Senatu, & quare.*

MANILIVS ergo populum rogat, velit iubeatque Pompeio bellum contra Tigranem ac Mithridatem, tum Bithyniæ ac Ciliciæ adminiſtrationem decerni. Hic quoque Senatus plurimum indignatus eſt, ſiue quia iterum nimia poteſtas vni eidemque periculoſe committebatur, ſiue quia Marcio & Acilio magiſtratus, ante peractum imperij tempus abrogabatur, ſiue quia Lucullo tot annorum laboribus parta gloria, triumphuſque eripi videbatur, cum illuc, quaſi iam confecto bello, legati ad conſtituendam acquiſitam prouinciam miſſi eſſent. Lex tamen Manilia perlata eſt: populus quippe, vt ait Appianus, Pompeium in nauatæ operæ bello piratico præmium, hunc ei honorem deferre voluit, prorogata illi eadem belli paciſque poteſtate, vt proprio arbitratu vel hoſtes iudicaret, vel aſciſceret ſocios. Denique ei datum eſt imperium in omnes exercitus, quotquot eſſent extra Italiam, priuilegio nemini ad eam diem conceſſo; id quippe erat, inquit Plutarchus in Pompeio. totum vni imperium Romanum ſubiicere. Quas enim videbatur prouincias priore lege non obtinere, eæ adiiciebantut omnes, eum copiis quibus Lucullus Mithridatem, & Tigranem deuicerat.

VI. *Perlata lex ſtudiis Cæſaris & Tully.*

PERLATA porro lex eſt vt Dioni placet, Cæſare in primis, ac Cicerone ſuadentibus. Non quod id è Rep. eſſe arbitrarentur, aut vt gratiam ſibi Pompeij aucuparentur; ſed ille, vt plebem ſibi magis magiſque conciliaret, & ad extraordinaria imperia committenda aſſuefaceret; hic vt oſtenderet, quam ſe cumque in partem dediſſet, non leue ſe rebus momentum afferre: itaq; alternatim ſe modo plebi dabat, modo accommodabat Patribus. Sic ipſe. Plebi tamen magis ſtudebat hoc tempore, quo breui futurus erat candidatus ſummi magiſtratus; ad quem ſibi fauentem eadem opera reddebat Pompeium, quem plebs ferebat in oculis.

VII. *Pompeius admittit imperium in bellum Mithrid.*

POMPEIVS autem, qui ſe ad naualem in Cretam, & aduerſus Metellum expeditionem parabat, vt ait Dio, (ex quo intelligitur etiam ad hunc annum Creticum bellum pertinere,) vbi quæ acta eſſent intellexit, moleſte quidem ſe id ferre ſimulauit, vt antea, gratiſſimam tamen rem habuit; & omiſſa Cretæ deinceps cura, totum ſe barbarico bello dedidit. Eique conſentit Plutar. additque ſtatim propoſitis edictis, ad ſe milites, Dynaſtaſque euocaſſe; & prouinciam ingreſſum deterendæ Luculli autoritatis gratia, nihil ex illius actis immotum reliquiſſe. Quo per amicos expoſtulante, viſum eſt in colloquium venire. Congreſſi ſunt in Galatia, maiore offenſione quam fructu; dum alter auaritiam, alter ambitionem alteri obiiceret, vera vterque, vt Velleius ait, accuſatione. Denique omnes Lucullo milites Pompeius abſtraxit, præter mille ſexcentos, quos ob contumaciam ſibi inutiles, Lucullo ducebat infenſos. Ita Lucullus diſceſſit, Pompeius in Mithridatem mouit.

IS tum, vt ait Appianus, ex propria ditione lectiſſimum habebat exercitum, peditum 30. millium, equitum trium millium (Plutar. duûm millium) ad regni

ſui præſidium, & quia Lucullus eam regionem nuper vaſtauerat, plerique cogente inopia, ad Romanos confugiebant, quos Rex, ſi quando deprehendiſſet, atrocibus ſuppliciis afficiebat. Et optarat quidem Mithridatis amicitiam ab initio Pompeius, vt Dioni placet, cámque ob cauſam Metrophanem ad eum miſerat, ſed Mithridates, nixus Parthorum amicitia, eam negligebat. Verum vbi ſenſit Parthorum regem à Pompeio amicitia occupatum, vltro ipſe legatos ad Pompeium miſit, rogans quibus conditionibus pacem impetrare poſſet. Si transfugas, inquit Pompeius, tradideris, & teipſum noſtræ fidei commiſeris.

IX. *Quod exci-tat in eius exercitu tumultū.* QVOD vbi in exercitu eius inauditum eſt, transfugæ, quorum magnus erat numerus, ne traderentur veriti; barbari quoque, ne deſtituti eorum auxilio bellare cogerentur, tumultuabantur. Et admiſiſſent aliquid in Mithridatem; niſi ille finxiſſet ſe explorandi Romanorum caſtra, non pacis petendæ gratia miſiſſe legatos. Itaque iurauit, inquit Appian. ſe nunquam cum Romanis pacem habiturum, nec quemquam eis traditurum, nec quicquam, niſi in communem omnium vtilitatem, facturum.

Rex preſſus inopia recedit. Deinde poſt nonnullam equitum velitationem, Rex preſſus inopia, in interiora regni ſui ſe recepit, ſperans hoſtem in vaſtata regione eadem inopia affictum iri; ſed Pompeius poſt ſe commeatus deferri iuſſerat. Progreſſus deinde ad orientalem regni tractum, ducto 150. ſtadiorum vallo, difficilem regi frumentationem reddidit, vt is rurſus inopia laborans, iumenta omnia, ſolis equis reſeruatis, 50. diebus abſumpſerit, moxque noctu magno ſilentio, per difficiles vias aufugerit.

X. *Eum perſequitur Pōpeius.* POSTRIDIE eum ſecutus Pompeius extremum eius agmen inuaſit, cum Rex, amicis licet ſuadentibus, in prælium deſcendere non ſuſtinuit, ſed contentus per equites ſubmouere prementem hoſtem, veſpere in denſiſſimas ſyluas ſe abdidit. Sequenti die vicum occupauit, circumquaque rupibus munitum, ad quem vnicus aſcenſus patebat, & à 4. cohortibus ſeruabatur. Romani quoque ex aduerſo ſtationem oppoſuerunt, ne Rex effugeret.

Poſtridie vterque exercitus primo mane armatus eſt, & progreſſi vtrimque ſtationarij per decliuia velitabantur. Nonnulli etiam equites regij, ſine equis iniuſſi opem ferebant ſuis militibus; in quos cum complures equites Romanorum irruerent, regij vno agmine caſtra curſu petebant, vt conſcenſis equis cum Romanis æquo marte confligerent.

XI. *Ex vano terrore regij turbati vincuntur.* EOS ita cum clamore curſuque ruentes, conſpicati è ſuperiore loco, qui adhuc armabantur, rem non intelligentes, ratique hos captis diuerſa parte caſtris fugere, & ipſi proiectis armis fugiebant, & cum non pateret exitus, per rupes deſiliebant in præceps, reliquos facile fuit Pompeio conficere, cæſa ſunt ferme decem millia, caſtra cum omni apparatu capta. Hanc pugnam Plutarchus in Pompeio, Dio,[a] Florus,[b] Oroſius,[c] Eutropius l.6. etſi qui alij, omnes nocte confectam tradunt. Luna tunc orta, inquit Oroſ. à tergo Romanis erat, Regij longitudine vmbrarum proximitatem hoſtium rati, cuncta in irritum tela fuderunt. Romani velut inermes poſtea aggreſſi, ſine labore, vicerunt. Namq; de exercitu regio 40. millia cæſa, vel capta ſunt Romani vulnerati mille: vix 40. interfecti. a l.36. Epit. 101. b l.3.c.5. c l.6.c.4.

XII. *Fuga Mithridatis.* ET Mithridates quidem, inquit Florus, illa nocte debellatus eſt. Nihil enim poſtea valuit, quamquam omnia expertus, more anguium qui obtrito capite, poſtremum cauda minantur. Nam ſuperato Boſphoro, etiam Thraciam, Macedoniam, & Græciam tranſilire; Italiam deniq; necopinato inuadere cogitabat. Hæc fere Florus, iiſq; ſimillima Appianus, vt dicetur anno ſeq. De præſenti autem prælio, Mithridates, inquit, cum ſolis ſatellitibus per rupes elapſus, incidit in quoſdam

A Tigrane carre pulſus. equites mercenarios, & peditum circiter tria millia; à quibus in caſtellum Sinoregem deductus, vbi multum pecuniæ coaceruauerat, ibi annuo ſtipendio fugæ comitibus numerato, cum ſex talentûm millibus ad Euphratis fontes properauit, Colchos inde petiturus, & illis aditis in Dioſcuriade hybernauit. Hæc Appianus de Mithridate. Dio ſcribit Mithridatem fugientem ad Tigranem contendiſſe, eoque per legatos compellato, nullum amicum reſponſum accepiſſe, vt qui crederet eum eſſe cauſam, cur Tigranis filius in patrem inſurrexiſſet: imo eius legatos in vincula conieciſſe, eóq; cognito iter ad Colchos arripuiſſe. Plut. etiam ait Tigranem Mithridati Armenia interdixiſſe, ac centum talenta in caput eius pronunciaſſe.

Interea Tigranis filius, qui ad Phraatem Parthorum regem profugerat, ex eiuſdem hoſpitis conſilio, ſupplex ad Romanos confugit, iuſtitiæ ac fidei Pompei fama permotus. Cui etiam fidens Tigranes pater, ne caduceatore quidem præmiſſo, ad eum profectus eſt, filium accuſaturus, & omnia eius arbitrio permiſſurus. Cui Pompeius tribunos, & præfectos equitum honoris gratia obuiam miſit. Ille Pompeium more barbarico, vt potiorem adorauit; longe ſcilicet alius ab eo, qui in Syria nuper Rex Regum audiebat, regeſque ad famulorum contemptiſſima obſequia deiiciebat. Plutarchus ait iuſſum à Pompeij lictoribus ex equo deſcendere, illum autem etiam gladium diſcinxiſſe, eiſq; tradidiſſe, & vt peruenit ad Pompeiũ, capiti detraxiſſe cidarim. Eamque, & ſeipſum ad eius pedes abiicere voluiſſe. Cæterum Pompeium anteuertiſſe, apprehenſáque dextera ſuſtuliſſe eum, ac ſedere iuſſiſſe ad latus ſuum, eius filio ad latus alterum collocato. Eadem habet & Dio, & Cic. pro Sext. Pergit vero Appianus.

XIII. Vterque Tigranes Pompeium adit.

Hic apud Pompeium rationem à ſe geſtorum reddidit, & vbi multis muneribus Pompeium, totumque exercitum affeciſſet, veniam etiam ab eo præteritorum accepit. Reconciliauit etiam Patri filium Pompeius, eumque in minoris Armeniæ Sophena, Gordenáque regnare iuſſit, Patrem autem in reliqua Armenia; ea lege vt hũc filium hæredem relinqueret. Quæ Appianus appellat munera, Plut. & Dio vocant mulctam impoſitam ſex millium talentorum, pro damnis illatis, ſicut & pro impenſis à populo Romano in bello Mithridatico factis, cuius ille magna pars aliquot annis fuiſſet. Nec tamen neganda ſunt munera quæ tum regium ſplendorem, tum beneuolentiam quæ quærebatur, teſtarentur.

XIV. Qui patrẽ filio conciliat.

De filio autem Tigranis ſcribit Dio, eum neque aſſurrexiſſe patri, neque alia vlla comitate erga eum vſum eſſe; quin etiam ad cœnam vocatum non adfuiſſe, eaque re infenſum ſibi Pompeium reddidiſſe. Deinde auditis eorum controuerſiis, ſolam Sophenem filio attribuiſſe, vbi erant pecuniæ, quas à Tigrane Pompeius exigebat: quas cum ſibi habere vellet Tigranes iunior, nec acquieſceret, quin potius meditaretur fugam, in libera primum cuſtodia habitus, deinde in vincula coniectus, Romam denique pertractus eſt. Pater pecunia potitus, multo plura quam pactus erat dedit, quo facto inter amicos ſocióſque populi Rom. annumeratus eſt. Appianus aliter filij exitum tradit: cum ſcilicet ab Armeniis incitatum, & apud Pompeium adhuc verſantem, patri ſtruxiſſe inſidias, ideóque captum fuiſſe: & cum vinctus etiam Parthos contra Romanos ſollicitaret per nuncios, in triumphum ductum, mox in carcere eſſe necatum.

XV. Quæ ſors Tigranis iunioris.

Provinciis verò, inquit, bello quæſitis iam nunc eum iuſſit decedere; & deceſſit tota Syria, ab Euphrate vſque ad mare. Nam, & hanc, inquit Appianus, Tigranes occuparat, & partem Ciliciæ eiecto Antiocho Pio. Eo Syriæ ambitu comprehendit etiam Phœniciam, quæ diſerte in Epit. 101. & à Plutar. in Pompeio, & Dion. l. 36. nominatur. Verum & huius Antiochi filium, cognomine Aſiaticum, regno Syriæ priuauit, vt idem ait, in fine lib. de bellis Syriacis, cum vnum annum tantum regnaſſet, dum Romanus Imperator aliis negotiis deſtinetur.

XIV. Tigranes decedit Syria iuſſu Pompeij. Qui & repellit Antiochum Aſiaticũ.

Verum ille quoque annus Tigrani attribuitur. Iuſtinus quoque li. 40. hunc Antiochum (quem male Cyziceni filium appellat. Nepotem enim oportuit: inter Cyzicenum enim & Aſiaticum Antiochum, interiectus eſt Antiochus Pius, vt perſpicuum eſt ex Syriacis Appiani) à Lucullo appellatum regem tradit. Sed quod Lucullus dederat, inquit, poſtea ademit Pompeius: qui poſcenti regnum reſpondit, ne volenti quidem Syriæ, nedum recuſanti, daturum ſe regem, qui 18. annos, quibus Tigranes Syriam tenuit, in angulo Ciliciæ latuerit: Victo autem eodem Tigrane à Romanis, alieni operis præmia poſtulet. Igitur vt habenti regnum non ademerit; ita quo ceſſerit Tigrani, non daturum, quod tueri neſciat, ne rurſus Syriam Iudæorum, & Arabum latrociniis infeſtam reddat.

Ratio temporis.

Syria facta prouincia Rom.

Atqve ita Syriam in prouinciæ formam redegit, paulatimque Oriens conſanguineorum regum diſcordia Romanorum factus eſt. Ita Iuſtinus. Quæ ſpeciem quidem habent probabilitatis, & iuſtitiæ, veram autem iuſtitiam profecto non habent. Oportebat enim Romanos, ſi Iuſtitiæ cultores eſſent, & ſapientiam in reconciliatione diſſidentium, & potentiam in opprimendis tyrannis, & iis pariter, qui

XVII. Num recte ſpoliatus regno.

iniuria opprimebantur, ſubleuandis, collocare; non miſeros, & ſeſe tueri non valentes regno ſpoliare. Neque enim culpa eſt tueri ſe non poſſe, & infeſtum habere regnum ſuum. Non enim minus inuito regi id contingit, quam patri familias; quem ſi propterea domo exturbare, & fortunis omnibus euertere iniuſtiſſimum ſit, quomodo id non ſit in rege tanto iniuſtius, quanto maior iniuria perpetratur, & perſona regia, celſo deiecta culmine, commiſeratione dignior, vel barbaris ipſis cenſetur?

XVIII. *Creta debellata.* INTEREA vero dum hæc aguntur in ſuperioribus Aſiæ prouinciis, in Creta à Q. Metello debellatum eſt. Cum enim intellectum eſt à Cretenſibus aliò Pompeii curas eſſe conuerſas, & inanes eſſe ſpes deditioneſque ei factas, veriti Metelli ſeueritatē de fuga cogitarunt. Ariſtion enim, vt ait Dio, vnus de primariis Cretenſium ducibus, qui Cydonia exceſſerat, qui L. Baſſum deuicerat, Hierapydna occuparat, cum ibi aliquandiu cum Octauio perſeueraſſet, poſtquam aduerſum ſe Metellum ire ſenſerunt, vrbe relicta vela in altum dederunt. Ibi tum tempeſtate vexati, & in terram multis ſuorum amiſſis eiecti ſunt.

Et in prouinciæ formam redacta. Metellus totam exinde inſulam ſubegit; eoque modo Cretenſibus, qui ad id tempus libertate potiti fuerant, iugum ſeruitutis impoſitum eſt, ei quippe leges datæ, & miſſis eo de more decem legatis, in prouinciæ formam redacta eſt. Metellus Cretici cognomine auctus, de iis triumphauit. Is tamen neque Panarem, neque Laſthenem vt in triumphum duceret obtinuit; eos enim Pompeius, auxilio cuiuſdam tribuni plebis, ei eripuit, quod eos ex pacto, ſibi, non Metello diceret acceſſiſſe. Hæc fere Dio.

ANNVS MVNDI 3989. SEXTAE AETATIS 474. HYRCANI II. PONTIFICIS 11. PTOLEMÆI AVLETIS 16. HERODIS ÆTATIS 8. OLYMPIADIS CLXXVIII. AN. 4. VRBIS CONDITÆ 688. COSS. L. AVRELIO COTTA, & L. MANLIO TORQVATO. BELLI MITHRIDATICI 25.

ANNVS ANTE CHRISTVM 64.

I. *Quietas Iudææ res turbat Antipater.* RES in Iudæa quietæ videbantur, Ariſtobulo rerum potiente, & Hyrcano priuatam vitam agente, cum omnia iterum, Antipatri cuiuſdam artibus turbata, non prius pacem, quam ſeruitutem, ſicut reliqua Syria, inuenerũt. Quo autem id modo contigerit, ex Ioſepho petamus, ex quo Egeſippus & Origenes. Erat Hieroſolymis Antipater quidam Antipæ filius, genere Idumæus, fortuna *l. 14. c. 2. l. 1. c. 14. Homil. 17. in Geneſ.* diues ac potens, natura factioſus & induſtrius, Hyrcano amicus, ideoque Ariſtobulo infenſus, cuius potentiam cum formidaret, pacem ſuam in communi rerum perturbatione poſitam credens, occultis obtrectationibus Iudæorum potentiores contra Ariſtobulum incitauit, iniquum eſſe dictitans ſinere Ariſtobulum incubare vſurpato per iniuriam imperio, ex quo fratrem natu maiorem deieciſſet, eumque ætatis prærogatiua ſpoliaſſet.

II. *Hyrcano fugam ad Arabes perſuadet.* EISDEM verbis etiam Hyrcanum aſſidue obtundebat, addens ne vitam quidem illi eſſe in tuto, niſi matura fuga ſaluti ſuæ proſpiceret. Amicos enim Ariſtobuli conſultare, quomodo eo ſublato de medio, dominationem alteri conſtabiliant. Tandemque vrgendo ægre obtinuit, vt in fugam ad Aretam regem Arabum conſentiret, præmiſſo ad eum Antipatro, qui ab ipſo tutum perfugium impetraret. Accepta fide Hieroſolymam reuerſus, non multo poſt cum Hyrcano vrbe noctu egreſſus, Petram Arabiæ regiam magnis itineribus peruenit.

Cumque ab Arabe beneuole accepti eſſent, inſtitit apud eum Antipater, vt Hyrcano regnum Iudææ vindicaret, quod cum Antipatri munera ſuaderent,

Hyrcani promiſſio perſuaſit. Pollicitus enim eſt Aretæ, ſi eius ope in regnum eſſet reſtitutus, redditurum ſe ei regionem cum duodecim oppidis, quæ pater ipſius Alexander Iannæus Arabibus eripuerat.

III. *Aretas in Ariſtobulum expeditio. Et victoria.*

His promiſſis Aretas permotus, expeditionem ſuſcepit contra Ariſtobulum, ducens quinquaginta millia pedeſtris ſimul & equeſtris exercitus; commiſſoque prælio victor euaſit, ſtatimque militibus ad tyrannum transfugientibus, deſolatus Ariſtobulus Hieroſolymam confugit. Arabs autem adducto ſecum toto exercitu, Iudæis etiam Hyrcanum adiuuantibus, in templo Ariſtobulum ſub feſta Paſchalia obſidebat.

Interea miſſus à Pompeio Scaurus, poſt dimiſſam à Tigrane Syriam, Damaſcum venit: ipſum enim Imperatorem Mithridaticum adhuc bellum retinebat; Mithridaticum, inquam, nam cum Tigrane confecta res erat, etſi Ioſephus dicat Pompeium adhuc bellum contra Tigranem geſſiſſe. Cum autem Scaurus Damaſcum recens à Metello & Lollio captam reperiſſet, in Iudæam continuato itinere properauit.

IV. *Damaſcus capta, an & vaſtata*

Apparet hos de Pompeii præfectis in bello piratico fuiſſe. Nam in diuiſione illa partium maris mediterranei, Cyprus & Phœnicia Metello Nepoti obtigerat, vt inquit Appianus in Mithridat. qui fugitiuos piratas in mediterranea Damaſcum vſque perſecuti, etiam vrbem in Romanorum poteſtatem redegerũt. Eos à Scauro ſummotos ex eo loco, habetur, l. 1. de bell. ca. 5. ſed id nunc à Ioſepho vel omiſſum vel emendatum eſt. Is qui dicitur Egeſippus, ſiue verus, ſiue ſuppoſititius, (l. 1. c. 14.) putat miſſum à Pompeio Scaurum, vt Syriam infeſtaret, cum ipſe Tigranẽ atque Armeniam vrgeret, idemque ait Metellum & Lollium funditus euertiſſe Damaſcum: ſed neutrum arbitror probatum iri doctis. Nam Ioſephus, quem vnum ille ſequitur, id non habet, nec cæteri, quos ego quidem viderim: ſequens certe Ioſephi hiſtoria florentem adhuc Damaſcum exhibet, vbi Pompeius diſſidentes audit reges, vnde copias ad bellum colligit.

V. *Legati Iudæorum opẽ à Scauro petunt. Qui Ariſtobulum regno reſtituit.*

Hvic legati facti ſunt obuiam, tam ab Hyrcano, quam ab Ariſtobulo; vtrique petentes ſocietatem & auxilium, vtrique certatim plurima talenta offerentes, re autem vera coëmentes pecunia ſeruitutem. Verum lib. 1. de bell. cap. 5. pecuniarum tantum Ariſtobuli fit mentio. *Trecentis talentis*, ait, *quæ Ariſtobulus ei miſerat, iuſtitia poſthabita eſt.* Tot enim acceptis, Scaurus ad Hyrcanum & Arabes legatos miſit Romanorum, eis & Pompeii nomen intentans, niſi ab obſidione deſiſterent. Itaque & Aretas ex Iudæa in Philadelphiam recedit, metu perculſus, & Scaurus Damaſcum redit. Ariſtobulus regno & libertati reſtitutus, vltionem in fratrem, atque Arabas parat; quæ ante annum ſequenrem, ab homine viris atque pecuniis pene exhauſto, repeti non potuit.

VI. *Mithridates mouet Scythas*

Inter hæc autem neque Mithridates, neque Pompeius quieti erant. Nam Mithridates, vt ſcribit Appianus, cum in Dioſcuriade hybernaret, nihil mediocre, aut quod deceret profugum, voluebat animo; ſed perluſtrata in circuitu Euxini Ponti ora, Scythiſque maris eius accolis, & paludis Mœotidis, peruadere cogitabat in Boſphorum, pulſoque Machare ingrato filio, rurſus apertum cum Romanis bellum gerere, & ex Europa Aſiam impugnare; eaque audacter cogitata, etiam audacius executus eſt. Nam per Scythicas gentes, Mœoticoſque regulos, partim vi, partim gratia iter fecit, multa iis dona dedit, recepitque, eos in belli ſocietatem perduxit. Adeo etiam fugiens & calamitoſus, formidandus erat, atque terribilis.

VII. *Machares territus ſibi manus infert.*

Tvm Machares filius, poſtquam audiuit patrem, tam breui tempore, tot feras gentes, & quæ vocantur clauſtra Scythiæ, nulli antea permeata tranſiſſe, legatos ad eum miſit, qui excuſarent, quod neceſſitate coactus Romanos coluerit. Sed vbi cognouit eum implacabilem, fugit in Cherſoneſum Ponticam, incenſis nauibus, quò patri adimeret perſequendi facultatem, ſed cum ille in eum claſſem alteram immiſiſſet, manus ſibimet miſer intulit. Mithridates eius amicos, quos ipſe ei comites antea dederat, omnes interemit; domeſticos autem dimiſit incolumes. Deinde etiam miram expeditionem cogitabat: è Boſphoro enim in Thraciam, & inde per Macedoniam, poſtremoque per Pannoniam, ſuperatis Alpibus Italiam petere ſtatuebat; elocatiſque filiabus, potentiſſimum quemque co-

rum ſibi commilitonem adiungere: ſed ſerpens, inquit Florus, obtrito capite, cauda minatur.

VIII. *Pompeii cũ Iberis res geſta.* INTEREA vero Pompeius his ipſis Conſulibus, vt author eſt Dio, l. 37. contra Albanos & Iberos bellum geſſit. Et primum cum Artoce Iberorum rege, quem ſæpe fuſum ac fugatum, tandem pacem, datis filiis obſidibus, petentem admiſit; vt qui nollet rem longius extrahi. Inde autem Mithridatem perſequi ſuperata Colchide, & Boſporum petere cogitabat: verum comperta, tam maritimi, quam terreſtris itineris difficultate, incepto deſtitit, in Albanos necopinantes profectionem conuertit, Cyrnum, quo loco eum vadoſum æſtas reddiderat, traiecit. Eum fluuium alii Cyrum, alii Cyrrhum vocant. Plut. ait ex montibus ortum Ibericis, & Armenio Araxe auctum, duodecim oſtiis ſeſe in mare Caſpium effundere, idemq. habet Appianus in Mithridaticis.

IX. *Et cum Oræſe Albanorum rege.* DEINDE Cambyſe & Abante fluuiis ſuperatis, affuit Oræſes Rex Albanorum: qui ne multitudine Romanorum conſpecta, territus retro cederet, Equites ſuos in fronte conſtituit, poſt eos reliquam multitudinem in genua ſubſidere iuſſam, & ſcutis opertam quieſcere. Itaque Oræſes iis non animaduerſis, contra equites aciem inſtruit, & eas ſolos eſſe ratus, inuadit, leuique momento in fugã, quam data opera faciebant, vertit, inſtatque cedentibus. Tum repente pedites ſe erigentes, dato inter ſe ſpatio, vt ſecurus ſuis per medios eſſet receptus, inſequentem temere hoſtem excepere, magnamque eorum multitudinem circumfuſam concidere. *Magna cũ ſtrage delectur.* Qui circumdati non erant in eos equites circumuecti ad dextram, læuamque cædentes, magnam ſtragem edidere: qui ab vtraque clade in ſyluas proripuere ſeſe, his accenſis periere; ſubinde clamante Romano, *hem ſaturnalia*, ſub id enim tempus eos Albani fuerant adorti. His geſtis, depopulataque regione, Albanis pacem dedit; aliquotque aliis populis, Caucaſum montem vſque ad mare Caſpium accolentibus, qui eam per legatos poſtulabant. *Pax cum Albanis &c.* Phraatem etiam Parthorum regem, ad fœdera pacis confirmanda compulit, eique Corduenem regionem, de qua cum Tigrane decertabat, miſſo in eam Afranio ereptam, Tigrani dedit.

X. *Prior Catilinæ coniuratio, eius ſocii.* PRIOR Catilinæ cum Autronio & Sylla coniuratio, anno ſuperiore inchoata, his Conſulibus temere ſuſcepta, & ſemel iterumque patefacta in ventos abiit, vt fuſius tradit Saluſtius in Catilinaria. Eius participem, imo & principem M. Craſſum, vna cum C. Cæſare ſcribit Suetonius. Ante paucos dies, inquit, quam ædilitatem iniret, (C. Iulius) venit in ſuſpicionem conſpiraſſe cum M. Craſſo Conſulari, item P. Sulla & Autronio, poſt deſignationem Conſulatus ambitus condemnatis, vt principio anni Senatum adorirentur, & trucidatis quos placitum eſſet, Dictaturam Craſſus inuaderet, ipſe ab eo Mag. equitum diceretur, conſtitutaque ad arbitrium Republica Sullæ, & Autronio Conſulatus reſtitueretur: quæ Suetonius, tum aliorum, tum Ciceronis autoritate confirmat, dicentis Cæſarem in Conſulatu confirmaſſe regnum, de quo Ædilis cogitarat. Plura ibid. ea de re, ſi videbitur, leges. *l. 1. c. 9.*

XI. *Antiquorum patrũ de Herodis genere ſententia.* PRIVSQVAM autem ad alia pergamus, hic vbi primum, Ioſephus Antipatri, qui Herodem genuit, mentionem facit, alia de eiuſdem genere opinio, quæ antiquorum patrum fuit, proferenda eſt, & nominatim Africani, Euſebii, Epiphanii; & hoc ipſo non parum habet probabilitatis. Euſebius ergo, vbi Ioſephi opinionẽ retulit. Verum, inquit, vt Africanus, ſcriptor haud quaquam vulgaris, memorat, eius genus qui accurate perueſtigant, Antipatro ſatum fecerunt. Hunc autem Herodis cuiuſdam Aſcalonitæ filium fuiſſe, qui ex Æditui, ſic enim appellati ſunt, qui templo Apollinis inſeruierunt, originem traxit. Qui quidem Antipater cum adhuc puer eſſet, captus ab Idumæis latronibus, cum illis quod reliquum erat vitæ propterea traduxit, quod patri eius, qui in magna egeſtate verſabatur, ad eum redimendum non ſatis pecuniæ ſuppetebat. *l. 1. hiſt. eccl c. 6. Hæreſi 20.*

XII. *Cenſendus Aſcalonita.* OPVLENTVM nihilominus illum fuiſſe ſcribit Ioſephus, & cum eo Egeſippus, & probabile facit familiaritas eius cum Hyrcano pontifice pridem iam coalita, & regiis etiam negotiis, ac ſtudiis partium implicita. Concludit Euſebius. Ei vero moribus illorum, & vitæ inſtitutis educato, poſtea cum Hyrcano ſummo Iudæorum ſacerdote magna interceſſit familiaritas. Huius filius erat Herodes ille, qui Seruatoris noſtri tempore vixit. Hactenus Euſebius, quem præter Epiphaniũ

ſecutus eſt Theodoretus in Dialog. Immutabilis, & Orat. 9. in Danielem. Ambroſius in c. 3. Lucæ, in ea verba, qui fuit Salathiel. Hieronymus in cap. 22. Matth. Iudæi apud ſanctum Iuſtinum in Dialog. cum Tryphone. Quam ſententiam amplectitur, & fuſe confirmat noſter Serarius, toto opuſculo de Herode, & nominatim ca. 9. & 11. vbi ſanctorum patrum ſententias, vnius Ioſephi teſtimonio, qui tam ſæpe falſitatis conuincitur, meritiſſimo vult præponderare.

ANNVS MVNDI 3990. SEXTAE AETATIS 475. HYRCANI II. PONTIFICIS 12. PTOLEMÆI AVLETIS 17. Herodis ætatis 9. Olympiadis CLXXVIIII. an. 1. Vrbis Conditæ 689. Coss. L. Ivlio Cæsare, & C. Marcio Figvlo. belli Mithridatici 26. Conivratio Catilinæ.

ANNVS ANTE CHRISTVM 63.

CVM primum attritus coluber reſumpſit vires, lingua minax aſſurgit ad certamen. Ariſtobulus, Scauri & Romanorum empto fauore nixus, cum magno exercitu contra Aretam & Hyrcanum profectus eſt, inquit Ioſephus, & congreſſus cum eis apud locum quem Papyronem nominant, prælio vicit, cæſis circiter ſeptem millibus hoſtium, inter quos etiam Cæphalio frater Antipatri cecidit. Eadem fere habet lib. 1. belli cap. 5. niſi quod in Græco legitur cæſa ſuper octo millia, & cæſum Antipatri fratrem Phallionem; quomodo etiam habet, qui dicitur Egeſippus. Contigerunt autem hoc anno Olympiaco, quo Andreas Lacedæmonius in ſtadio coronatus eſt, ducenteſimo primo annorum ſeptenario, ab ingreſſu Ioſue in Chananitidem.

[Margin: I. Victoria Ariſtobuli de Hyrcano — L. 14. c. 4. — L. 1. c. 14. — Annus ſabbaticus 201.]

L. Sergivs Catilina, cuius prior coniuratio præcedenti anno, authoris ſui temeraria feſtinatione diſcuſſa euanuerat, eam hoc anno maiori conatu, conſilioque redintegrat; eiuſdem quippe ſuſcipiendi facinoris cauſæ remanebant, eluenda ignominia repulſæ Conſulatus, ambitio ſupremæ dignitatis, ſperata ſcelerum impunitas, maleſuada fames & turpis egeſtas, quam libidines & luxus infinitus inuexerant. Ergo ſuppares ſibi ſocios atque amicos renouat, quorum plerique Syllani milites largius ſuo vſi, rapinarum & victoriæ veteris memores, ciuile bellum exoptabant; cum iis opprimendæ Reipublicæ conſilium capit. Ei conſilio fauebat occaſio, quod nullus tum in Italia erat exercitus, Cnæus Pompeius in extremis terris bellum gerebat, Senatus nihil intentus Reipublicæ, tutæ tranquillæque res omnes, vt ait Saluſtius.

[Margin: II. Catilina redintegrat coniurationem. Eius cauſa.]

Accessit & ad parturiendum hoc malum, iudiciorum metus. Nam, vt ſcribit Dio lib. 36. his ipſis Conſulibus, qui ex mandato Syllæ Lucretium Ofellam, ſiue Aſellam repugnante Sylla Conſulatum petentem medio in foro occiderat, & alius quidam multorum à Sylla proſcriptorum percuſſor, homicidiorum cauſa in ius vocati, ſupplicioque affecti ſunt; præſertim id Iulio Cæſare agente. Ea res præter opinionem vulgo accidit: ſed & quod Catilina eadem de cauſa accuſatus, (nam & is proſcriptorum multos interemerat,) in iudicio abſolutus eſt, iſque ab eo periculo longe deterior effectus, tandem hac ipſa de cauſa periit. Hæc fere Dio.

[Margin: III. Alia cauſa, iudiciorum metus.]

Rem fuſe pergit explicare Saluſtius; ſed quæ ad hunc annum pertineant, hæc fere ſunt.

Catilina circiter Calendas Iunias L. Cæſare, & C. Figulo Coſſ. Coniurationis ſocios, quos ſeorſim ſingulos crebro appellauerat, & ad res nouas impulerat, in vnum omnes conuocat, in quibus plerique ex Senatorio & equeſtri ordi-

[Margin: IV. Quæ molitus hoc anno Catilina]

ne, imprimiſque P. Lentulus Sura Conſularis, & C. Cethegus, quem arbitror eſſe eum, qui in Plutarcho Lucullo Romæ dominabatur, vitiis diuitiiſque notiſſimus, P. Autronius Pœtus, ſuperiore anno Conſulatu deiectus, cum competitore ſuo P. Cornelio Sylla, aliique. Quin ne M. ipſum Craſſum, tum longe omnium potentiſſimum, & Cnæi Pompeii æmulum, eius conſilii ignarum fuiſſe nonnulli credidere, inimici ſui, breui cum exercitu redituri, potentiam reformidantem, & cuiuſuis opes contra illum creſcere cupientem, imo & perſuaſum ſe inter illos facile principem fore.

V. *Conſilium cum iis initum.* Convocatos Catilina ad ſtatum Reipublicæ commutandum hortatur, pollicetur nouas tabulas, proſcriptionem locupletum, magiſtratus, ſacerdotia, rapinas. Id confici poſſe, ſi ipſe qui Conſulatum petebat, voti compos fieret: habiturum C. Antonium, qui & ipſe candidatus erat eiuſdem dignitatis, ſuſcipiendi, gerendique belli ſocium & collegam: ita cum omnium animos ſpe alacres reddidiſſet, cohortatus vt petitionem ſuam curæ haberent, dimiſit conuentum. Fuere ea tempeſtate qui dicerent Catilinam oratione habita, cum ad iuſiurandum populares ſceleris ſui conſcios addiceret, humani corporis ſanguinem vino permiſtum in pateris circumtuliſſe, indeque cum poſt execrationem omnes deguſtaſſent, ſicuti in ſolennibus ſacris fieri conſueuit, aperuiſſe conſilium ſuum. *Sacrilego fœdere ſancitum.* Eam rem, pro magnitudine parum compertam ſibi, Saluſtius relinquit in dubio: ſed eam etiam auget Plutarchus in Cicerone. Eo duce delato, inquit, improbi ciues, cum aliis modis fidem ſanxerant inter ſe, tum mactati hominis guſtata carne. Clarius etiam Dio l. 37. hos vt ſe nefando, inquit, iureiurando aſtringerent, adegit: puerum enim quendam mactauit, iuramentoque inito ſuper eius viſceribus, ea deinde ipſe cum aliis comedit.

VI. *Innoteſcit coniuratio ope Fuluiæ. Catilina iterum Cõſulatu repellitur.* Ea coniuratio cum narratione Fuluiæ, mulieris, non ſolum nobilis, ſed etiam notæ, compluribus innotuiſſet, in primis ſtudia hominum accendit ad Conſulatum mandandum M. Tullio Ciceroni, L. Catilina de ſpe dignitatis iterum ignominioſe depulſo. Quod factum primo populares coniurationis concuſſit; neque tamen furor Catilinæ imminutus eſt, ſed in dies plura agitare, arma per Italiam locis opportunis parare, pecuniam ſua, aut amicorum fide ſumptam mutuam, Feſulas ad Mantium quendam portare, qui poſtea princeps fuit belli faciendi. Hæc Saluſtius.

VII. *Phraates Pompeio iratus.* Qvæ dum Romæ agitabantur, Phraates Rex Parthorum Pompeio iratus erat, ſiue quod Corduenem prouinciam ſibi ereptam Tigrani dediſſet, ſiue quod ab eo parum, vt ſibi videbatur, honorifice appellaretur: Regem quippe tantum in ſuis literis, non etiam Regem regum ſalutarat. Etſi enim Pompeium ſecunda vtentem fortuna timebat, ac demereri ſtudebat, de acceptis tamen iniuriis per legatos quæſtus eſt, interdixitque ne Euphratem tranſiret. Vbi nihil moderati reſponſum eſt (eum quippe Pompeius parui pendebat, præſentium ſucceſſu, ſpeque ſecuturarum inde rerum fretus) *Ratio temporis.* Phraates verno tempore, cum Romæ tum Conſules eſſent L. Cæſar, & C. Figulus, contra Tigranem, adhibito filio eius ſuo genero, expeditionem fecit. Ibi prælio victus, poſtea hoſti præualuit. Hæc fere Dio lib. 37.

VIII. *Stratonice caſtellum prodit Põpeio.* Qvæ dum fiunt, Mithridates, qui vt ſcribit Appianus, iam Pontum circumluſtrauerat, occupatoque Panticapæo, quod eſt in Europa ad oſtium Ponti emporium juxta fretum, (Ptolemæus eam vrbem collocat in Taurica Cherſoneſo, ad oram Boſphori Cimmerici) interfecit Xiphanem filium, propter huiuſmodi culpam maternam. Habebat Mithridates caſtellum, vbi in ſubterraneis Theſauris, multa ærea vaſa, ferreis circulis vincta, pecunias celabant. Huic caſtello præfecta Stratonice, vna è regiis, ſiue vxoribus, ſiue concubinis theſaurorum conſcia, dum adhuc Pontum circumiret Mithridates, caſtellum Pompeio vna cum theſauris tradidit, hoc vnum pacta, vt ſi forte Pompeius Xipharem filium in poteſtatem redigeret, matri eum ſeruaret incolumem. Ille potitus theſauris, ſalutem filii pollicitus eſt, ſimulque permiſit res ſuas habere mulierem. Plutarchus ait, ex oblatis à Stratonice muneribus, ea tantum accepiſſe Pompeium, quæ ornatum templis, & triumpho exiſtimabat præbitura ſplendorem.

His

IX. *Ideoque filium ex ea ſuum Mithridates occidit.*

His cognitis Rex Xipharem ad fretum interfecit, matre ex aduerſo littore inſpectante, & cadauer inſepultum proiecit. Ita filium neglexit, modo matri dolorem inureret. Hæc Appianus; ſicque inconſultus, nimiumque iræ indulgens Mithridates malum malo cumulauit, & leuiorem culpam, muliebri admiſſam imprudentia, teterrimo parricidio filii, immeriti fortaſſe, atque innocentis vltus eſt, nec minus ſe quam illam punitus eſt.

Tangit hanc hiſtoriam Dio libro 37. vbi hoc caſtellum vocat Symphorium, quod Ortelius alicubi in Syria eſſe putat; at ex Appiano intelligitur, illud circa Boſphorum Cimmerium collocandum eſſe. Additque Dio mulierem Mithridati ſuccenſentem, quod ab eo deſerta eſſet, emiſſo ad commeatum petendum præſidio, Romanos accepiſſe: cætera apud eum deſiderantur.

X. *Pompeii in Syriam expeditio.*

Interea vero Pompeius aduerſantes ſibi regionis partes, quæ adhuc Mithridati fidem ſeruabant, recipiebat, & expeditionem in Syriam, ad quam ante Gabinium, Scaurum, & Afranium præmiſerat, vt ex Dione & Ioſepho conſtat, ſuſcepit: & Tauro ſuperato bellum Antiocho Commageno intulit, vt ait Appianus. (Eſt autem Commagena Ptolemæo, Syriæ pars maxime Septentrionalis, quæ ab Occaſu habet Amanum montem, à ſeptentrione Cappadociam, & Armeniam maiorem, à qua Niphale monte ſeiungitur.) Iſtum autem Antiochũ Commagenum deuictum in amicitiam recepit. Darium quoque Medũ profligauit, vel quia nunc iuuerat Antiochum, vel quia Tigranem antea. Hæc Pompeius hoc anno: nam quæ Appianus ſubdit de Areta & Iudæis, ad Conſulatum Ciceronis, teſte Ioſepho pertinent.

ANNVS MVNDI 3991. SEXTAE AETATIS 476.

HYRCANI II. PONTIFICIS 13. PTOLEMÆI AVLETIS 18.

Herodis ætatis 10. Olympiadis CLXXIX. an. 2.

Vrbis Conditæ 690. Coss. Marco Tullio Ciceroni, & C. Antonio Nepote.

Belli Mithridatici 27. et vlt.

Coniurationis Catilinariæ 2.

ANNVS ANTE CHRISTVM 62.

I. *Ratio temporis capta Ieruſalem.*

MVLTA in hunc annum cadunt à Romanis in Italia, Syriaque geſta. Ingens enim in Rempublicam Romanam hoc anno periculum à ſuis ciuibus incubuit, quando ab iiſdem Reſpublica Hebræorum luctuoſam cladem accepit. Nos à domo Domini, rebuſque Iudaicis, quæ ſacris ſucceſſerunt, de more ducemus initium: cum tamen ordinem res ipſa nonnunquam mutare nos cogit, & profanis ſacra poſtponere, quando hæc ex illis lucem accipiunt, aut firmitatem. Iudaicam porro calamitatem, occupatæ Hieroſolymæ, hoc anno, atque his Conſulibus contigiſſe, author eſt Ioſephus: qui etiam Olympiadem centeſimam ſeptuageſimam nonam notat, ſed illius annum non notat; licet id ei Scaliger affingat in Euſebii Chronico: autor & Dio libro trigeſimo ſeptimo, Oroſius libro ſexto capite ſexto, qui tamen hunc vrbis annum, cum Eutropio vocat ſexcenteſimum octogeſimum nonum. Denique Euſebius in Chronico Græco Latinoque, etſi is lib. 8. de Demonſtr. demon. ſecunda annum primum huius Olympiadis huic victoriæ Pompeii aſſignet, qui reuera ſecundus eſt. 14. c. 8.

Noſtra quoque chronologia doctiſſimorum recentiorum ſententia firmatur, Onuphrii, Cuſpiniani & Sigonii in faſtis, Pontaci & Scaligeri in Euſebium, & in Catalogo Olympionicarum; Tornielli anno ſextæ ætatis 545. quibus cæ-

teri repugnare, nequeaudent, neque poſſunt Functius, Conſtantinus Phrygio, Temporarius, Heluicus, Buntingus, Codomanus, Bibliander, Caluiſ. Capel. Mercator, & ſi qui alii. Et licet in anno vrbis aliqui diſſentiant, omnes tamen Ciceronis Conſulatui eam cladem aſſignant.

II. *Quid Pompeium mouerit.* HVNC porro in modum res geſta eſt, quantum ex Ioſepho, Dione, Appiano, Plutarcho diſcere poſſumus. Tenebat Pompeium cupiditas Syriæ recipiendæ, atque per Arabiam penetrandi ad mare rubrum, vt vndique ad vltima vſque maria victor penetraret. Nam deuictis Albanis attigerat Hyrcanum mare, ex Hiſpanis Gaditanum, Afris Atlanticum, Cilicibus & piratis vniuerſum mediterraneum; vt ſolum mare rubrum victoriis ſuis ſupereſſe crederet. [b] Accedebat quod Aretas Arabs, qui totam eam regionem tenebat, quique iam ſuperioribus temporibus Syriam frequenter vexarat, fueratque à Romanis, qui ad defendendam Syriam miſſi fuerant, prælio victus, nihilominus tum in armis erat. Pompeius igitur iam ab anno præcedenti Syriam ingreſſus, regulis aliis deuictis, in Arabem ex Syria cogitabat, [c] cum Iudæi arma in Nabathæos Arabas comparata, in ſeipſos tandem conuerterunt.

Per omnia maria victor.

[a] Plut. [b] Dio. [c] Ioſeph.

III. *Varii ad eũ legati.* CVM enim Pompeius Damaſcum veniſſet, inquit Ioſephus, [d] & obiret Cœleſyriam, præſto fuerunt ei legati ex vniuerſa Syria, Aegypto, & Iudæa, cum muneribus. Miſit ad eum Ariſtobulus vitem auream quingentorum talentorum, quam ſe Strabo Cappadox teſtatur Romæ dedicatam vidiſſe, in templo Iouis Capitolini, cum inſcriptione Alexandri (Iannæi ſcilicet) Regis Iudæorum; quanquam hæc apud Strabonem non reperiuntur. Talenta vero ſi fuerunt Hebraica, ſumma hæc aſcendit ad ſex milliones, ducenta quinquaginta millia coronatorum: ſin autem Attica, vt credibilius eſt, cum hæc æſtimatio Romæ facta videatur ex Strabonis teſtimonio, centum ſeptuaginta quinque millia coronatorum. Miſit etiam Ægyptius coronam, factam ex quatuor millibus aureorum. Scribit Plinius ex Varrone, Pompeio circa Iudæam rem gerente, Ptolemæum Auletem octo equitum millia ſuo ſumptu toleraſſe, mille conuiuas totidem aureis potoriis, mutantem vaſa cum ferculis ſaginaſſe: ſed non ſatis explicat, illoſne equites ad Pompeium miſerit, an habuerit in comitatu ſuo, aut regno, ad vim Romanorum arcendam ab Aegypto.

[d] li. 14. c. 5.

l. 33. c. 10.

IV. *Ab Hyrcano & Ariſtobulo* MOX autem ad Pompeium venere ex Iudæa legati, Antipater pro Hyrcano, Nicomedus pro Ariſtobulo; qui etiam accuſabat eos, qui acceperant pecuniam, primum Gabinium, qui trecẽta talenta, deinde Scaurum, qui quadringenta. Pompeius legatos diſceptandi cauſa, ad ſe iuſſit Damaſcum venire, quò ille copias ex hybernis ineunte vere conuocabat. Ibi & Iudæos, & eorum principes audiuit; Iudæi aiebant ſe nolle eſſe ſub regibus, quod patrium inſtitutum habeant, vt Dei ſui ſacerdotibus pareant. Hos autem duos, eſſe quidem è ſacerdotum genere, ſed velle principatum gentis in aliam formam traducere, vt eam in ſeruitutem ſubigant. Hyrcanus querebatur ſe regno à fratre natu minore per vim ſpoliatum, qui & terra finitimos violentus incurſaret, & in mari haberet piratarum receptacula. Alter contra regno Hyrcanum excidiſſe propter ignauiam, & publicum gentis ſuæ contemptum, ſe autem id neceſſario aſſumpſiſſe, ne ad alios transferretur.

Eorum querela.

V. *Pompeius ſpondet ad eos venturum.* POMPEIVS his auditis, & improbata Ariſtobuli violentia, è concilio placide dimiſit eos, promittens ſe venturum in eam ditionem, omniaque ordinaturum, quamprimum res Nabathæorum inſpexiſſet. Interim iuſſit eos quietos eſſe, comiter habens Ariſtobulum, ne is regionẽ ab eo alienaret, & intercluderet ei tranſitus: quod tamen ab Ariſtobulo factum eſt. Non expectatis enim Pompeii promiſſis, ad oppidum Delium profectus eſt, & inde in Iudæam ſe contulit. Volebat videlicet Pompeius vtrumque fratrem apud ſe manere, vt ex ſequentibus poteſt intelligi, vt eo facilius arbitratu ſuo cuncta in Iudæa diſponeret. Verum Ariſtobulus, ſiue id veritus, ſiue id indignum ratus regia, quam præ ſe ferebat maieſtate, res ſuas acturus diſceſſit, vt ex l. quoque primo de bello c. 5. ſatis colligitur.

Abit Ariſtobulus.

VI. *In eũ mouet. Pompeius.* EA re offenſus Pompeius, aſſumpto exercitu, quem in Nabathæos parauerat, & excitis à Damaſco, cæteraque Syria copiis auxiliaribus, aliiſque

Romanis legionibus, quæ ductum eius ſequebantur, contra Ariſtobulum mouit, Hyrcano, eiuſque ſociis hoc precantibus. Is in munitam arcem Alexandrium confugerat, vnde à Pompeio euocatus, nec auſus repugnare, cum iterum apud Pompeium cum fratre de iure principatus animoſe diſceptaſſet, ſe ſuaque omnia Pompeio permiſſurum ſimulabat: & licet ſua ipſe caſtella ei traderet, bellum nihilominus parabat, veritus ne ad Hyrcanum dominium transferretur. Quibus cognitis ſine mora Pompeius contra eum Hieroſolymam, quo ſe ille contulerat, cum exercitu proficiſcitur: & in itinere ad Hiericuntem, venit ad eum è Ponto nuncius, qui ſignificabat Mithridatem à filio ſuo Pharnace occiſum fuiſſe. Plutarchus ait eam mortem Pompeio nunciatam in Arabia, cum non procul abeſſet à Petra; ſed Ioſephus iſta exactius: qui etiam addit hunc nuncium, non mediocrem ad hoc bellum Romano Imperatori attuliſſe alacritatem.

CVM ergo prima caſtra apud Hericuntem habuiſſet, vbi palmeta ſunt præſtantiſſima, & opobalſamum prouenit inter vnguenta præcipuum, mane ſequenti mouit inde verſus Hieroſolyma. Tum vero Ariſtobulus facti pœnitens obuiam ei venit, & oblatis pecuniis etiam intra Ieroſolyma eum paratus admittere, rogabat vt omiſſo bello, quidquid vellet pacate ageret. VII. *Ipſamque Hieroſolymam.*

Pompeius vero data petenti venia, mittit Gabinium cum militibus in vrbem, ad accipiendam pecuniam; qui tamen re infecta rediit, neque receptus vrbe, neque receptis pecuniis: militibus Ariſtobuli pactis ſtare nolentibus, ſiue id ſponte ſua, ſiue Ariſtobulo occulte conſcio. Ea res vehementer Pompeio ſtomachum mouit, & additis Ariſtobulo cuſtodibus, ipſe ad vrbem properat, eamque expugnare parat.

CIVES autem inter ſe diſſidebant. Nam qui partes Hyrcani ſequebantur, Pompeio vrbem tradendam cenſebant; Ariſtobuli factio eum volebat excludi, & bellum geri, eo quod illum haberet in vinculis. Et hi quidem præuenientes alteros templum occupant, & præciſo ponte, qui in vrbem ferebat, ad bellum ſe expediunt. Alii vero intromiſſo exercitu, vrbem & Regiam Pompeio tradiderunt, quæ ille Piſoni legato ſuo ſeruanda commiſit; ipſe templum à ſeptentrionali maxime parte oppugnat, aggerem excitat, & machinis à Tyro aduectis, templum ſaxis miſſilibus quatit. Et niſi patrius nobis mos eſſet, inquit Ioſephus, per otium ſeptimum quemque diem exigere, non potuiſſet aggerem abſoluere, vetantibus aduerſariis. Prohibere enim vim inferentes lex permittit, ſed opus facientem hoſtem impedire nos non ſinit. Sic ipſe. VIII. *Vrbe ad mittitur, templum oppugnat.* l. 14. c. 8. *Et per ſabbati quietē aggerem abſoluit.*

QVOD de lege diuina nequaquam accipiendum eſt: ſtultior enim atque pernicioſior eſt iſta præceptio, quam vt diuinæ ſapientiæ, ac bonitati poſſit attribui; ſed ea fuit Rabbinorum inconſulta interpretatio. Sapientes enim Machabæi, cum pugnam die ſabbati permiſerunt; eaque ſabbatum minime violari cenſuerunt, etiam quæ ad pugnæ apparatum pertinent, ſiue in promouenda re noſtra, ſiue in hoſtili conatu impediendo, agi oportere docuerunt. Cum enim finis permittendæ pugnæ fuerit, ne hoſtis illo die de induſtria ad pugnam electo totam gentem non repugnantem deleret, certe ſi illo die impune agere permittatur, quæ ad expugnandam delendamque gentem pertinent, æque contra intentionem legiſlatoris erit non pugnare die ſabbati, & non impedire pugnæ apparatum, cum vtralibet omiſſio eandem, vt res ipſa poſtmodum docuit, toti populo afferat calamitatem. IX. *Nam Iudæi opus id impedire non potuerunt.* l. 1. c. 2. 41.

NAM Romani, tam fatua ſuperſtitione animaduerſa, ſabbatis pugnam omittebant, tantum aggerem & turres erigebant, machinaſque admouebant, vt eis poſtridie aduerſus Iudæos vti poſſent, ſicque tertio demum menſe templum expugnatum eſt, die ieiunii Olympiadis centeſimæ ſeptuageſimæ nonæ, C. Antonio, & M. T. Cicer. Coſſ. Cumque hoſtis irrumpens obuios quoſque iugularet, ſacerdotes nihilominus ſacris operabantur, neque ea in tanto diſcrimine intermittebant. Ita Ioſephus, qui eius rei teſtes adducit Strabonem, Nicolaum, T. Liuium; qua de re is agebat lib. 102. vt ex Epitome ſuſpicari licet. Strabo autem libro decimo ſexto pro ſabbati die, diem habet ieiunii, nec refert oppugnatum templum, ſed vrbem; aliaque habet non ſatis conſentanea narrationi Ioſephi. X. *Templū expugnatur.*

Addi poteſt & Dio libro trigeſimo ſeptimo, vbi prædictam illam diei Saturni obſeruationem vt expugnationis ac ſeruitutis ipſorum cauſam, non immerito deridet.

XI. *Cædibus profanatur.*

PERGIT Ioſephus dicere, vt concuſſa Vrbis turri maxima crebris arietis ictibus, collapſaque, & ſecum ruinam muri proximi trahente, certatim infuderint ſe hoſtium agmina, omniaque cædibus repleuerint; adeo vt Iudæorum duodecim millia circa templum ceciderint, Romanorum perpauci deſiderati fuerint. Addit de capto Abſalomo, patruo ſimul & ſocero Ariſtobuli. Hic eſt ille Alexandri Iannæi frater, qui priuata & otioſa vita contentus fuit, vt ſupra dixit Ioſephus. Cæterum non prohibebantur Iudæi conſobrinam, patrui filiam ducere vxorem, neque id lege Moſaica prohibitum reperitur. l. 13. c. 20.

Et aditu Oraculi à Pompeio.

Læſa etiam eſt, inquit, *non mediocriter templi religio, humanis antehac, nec veſtigiis penetrati, nec oculis. Introgreſſus eſt enim in illud Pompeius, & vna cum eo non pauci alii, & inſpexerunt, quæ nefas eſt videre, niſi ſolis ſacerdotibus*, lege, Pontificibus, in Græco enim eſt ἀρχιερέων, ſicut & l. 1. de bell. c. 5.

XII. *Oraculum etiam alias à profanis aditum.*

INTELLIGIT porro Oraculum, ſiue Sanctum ſanctorum, vt author eſt Euſebius in Chron. vbi templi adyta, Hieronymus Sancta ſanctorum interpretatur, quæ conſtat ſummo tantum pontifici, & quidem ſemel in anno duntaxat, cum legitimis ritibus adiri ſolita. Templi vero adita nunquam hactenus à profanis hominibus adita fuiſſe, nemo facile Ioſepho conſenſerit, qui recordetur templum Salomonicum à Chaldæis tempore Sedeciæ, & Nabuchodonoſoris penitus ſpoliatum, incenſum, atque euerſum fuiſſe. Templum autem poſterius à Zorobabele conſtructum, ab Antiocho Epiphane penitus, & ad intima quæque aditum, perſuadet, tum hominis ſuperbia & contemptus, tum quod Scriptura in templum, & ſanctificationem eum ingreſſum eſſe teſtatur, tam priore, l. 1. c. 1. 23. quam poſteriore Machabæorum libro, & ſceleſtis manibus ſumpſiſſe ſancta vaſa, l. 2. c. 5. 15. 16. contrectaſſe indigne, & contaminaſſe. Tum quod eadem Scriptura enumerata pene omni ſuppellectile aurea, poſtremo addit eum ſuſtuliſſe omnia, & comminuiſſe, ſublato ſcilicet auro quod erat in altari, & arca, & omnibus vaſis. Quis enim credat, aut ſuperbum hominem abſtinuiſſe ab Oraculo, præſertim ductore impio Menelao; aut auarum & pecuniarum, quas Romanis debebat, egentiſſimum, abſtinere non potuiſſe ab velo, & quæ eo occultabantur videre noluiſſe: abſtinuiſſe ab auro, quod in oraculo plurimum erat, vel in ipſis eius parietibus, ſi ad exemplum Salomonici ornatum fuit.

XIII. *Sacra ſuppellex intacta à Romanis.*

ADDIT hic qui dicitur Egeſippus de ſuo, viſam à Romanis Arcam & Cherubin; ſed id non habet Ioſephus: quæ autem hic deinceps ſubdit, de aurea menſa, de candelabro, & poculis, & odoramentorum magna copia, & duobus talentorum millibus ſacræ pecuniæ, non erant in ſanctuario, etſi confundat idem Egeſippus, nec ſatis Ioſephus l. 1. de bell. c. 5. diſtinguat, ſed in ea parte templi, quæ dicitur Sancta: ea vero à populo à longe ex atriis, & porticibus videri poterant. Nec eſt quod quis obiiciat, hæc omnia iampridem ab Antiocho Epiphane fuiſſe ſublata; deinde ab impiis pſeudopontificibus Iaſone, Menelao, Lyſimacho. Nam legimus Machabæos plurimis impiorum ſpoliis locupletatos, feciſſe vaſa ſancta 1. Mach. c. 4. 49. 50. noua, & intuliſſe candelabrum, & altare incenſorum, & menſam in templum: quæ omnia fuiſſe aurea dubitandum non eſt, cum ipſa templi facies ab eis ornata fuerit coronis aureis, & ſcutulis, vt eadem ſcriptura teſtatur. verſ. 57.

XIV. *Pompeii abſtinentia.*

NIHIL autem horum, inquit Ioſephus, præ pietate attigit Pompeius. ſed hic quoque ſui ſimilis fuit, & nihil commiſit indignum cæteris virtutibus. Eadem habet lib. 1. de bell. ca. 5. & prædictus Hegeſippus, Marcus quoque Tullius teſtis eſt Cnæum Pompeium captis Ieroſolymis victorem, ex illo fano nihil l. 1. c. 17. attigiſſe, ne in tam ſuperſtitioſa, & malefica ciuitate, locum ſermoni obtrectatorum relinqueret. Dio tamen ait templum die ſabbati captum, & omnes pecunias direptas fuiſſe, quem ſecutus Euſebius in Chronico ait, καὶ τὸν ναὸν συλήσας, καὶ πολλὰ παρ' αὐτοῦ ἀφελόμενος, Ἀριστόβουλον δέσμιον τοῖς Ῥωμαίοις, id eſt & templum deprædatus, & multis ex eo ſublatis, Ariſtobulum in Romana vincula coniecit. Verum ea verba, quæ de templi deprædatione ſunt, Scaliger aliena putat ab Euſebio, & à quodam Ardelione inſerta: certe ea D. Hier. non agnoſcit in verſione

ſua. Idque conſentaneum eſt abſtinentiæ Pompeii, quam celebrat in eius vita Plutarchus.

XV. *Hyrcanus recipit Pontificatum.* *Iudæa ſubijcitur Romano imperio.* *Mœnia Ieruſalem euerſa.*

Seqventi vero die Ioſephus ait Pompeium pontificatum Hyrcano reddidiſſe, quod tamen illi nemo abſtulerat: deinde belli concitatores ſecuri percuſſiſſe, Hieroſolymam populi Romani feciſſe ſtipendiariam, vrbes vero, quas eius ciues in Cœleſyria ſibi ſubiugauerant, tam maritimas, quam mediterraneas, reſtauratas, libertatique redditas, Iudæis ademptas, iuſſiſſe proprio parere præſidi; totam gentem antiquis poſſeſſionum finibus contineri.[a]

Quorum omnium, ait, malorum cauſa fuere Hieroſolymitanis, Hyrcanus & Ariſtobulus inter ſe diſſidentes. Nam tum primum libertatem amiſimus, ſubiecti Romanorum imperio; & regionem de Syris bello captam, reddere ipſis coacti ſumus, & inſuper pluſquem decem millia talentorum breui tempore à nobis Romani exegerunt, & regnum quo prius pontificale genus honeſtabatur, ad plebeios homines tranſlatum eſt. Sic Ioſephus. Oroſius[b] addit Pompeium muros ciuitatis euertiſſe, æquariq. ſolo imperaſſe. Idque confirmat Ioſephus, lib. 1. de bello cap. 6. & l. 14. ca. 10. vbi dicitur Hyrcanum cogitaſſe reficere muros, quos Pompeium deiecerat. Idem affirmat etiam Appianus in Syriacis[c] & Ioſephus infra libro 14. ca. 16. vbi ait impetratam à Cæſare mœnium reſtitutionem. Ex quibus apparet, non ſolum templum expugnatum, vt hoc in loco narrat Ioſephus; ſed vrbem quoque, vt Strabo, & Dio, & Appianus, & alii memoriæ prodiderunt.

XVI. *Libertas Iudæorum 80. annorũ.* *Ariſtobulus vinctus*

Cvm ergo hoc anno libertatem Iudæi amiſerint, Ioſepho teſte, quam anno regni Græcorum 170. Simone Pontifice obtinuerant, vt Scriptura[d] perſpicue aſſerit, dicendum eſt Iudæos octoginta tantum annis libertate potitos: ab anno ſcilicet Vrb. Cond. 610. ad 690. computatis extremis. Cæterum Pompeius Cœleſyria vſque ad Euphratem amnem, & Ægypti terminos Scauro tradita, cum duabus Romanis legionibus, ipſe in Ciliciam abiit Romam properans, abduxitxitque ſecum Ariſtobulum vinctum cum duabus filiabus, & totidem filiis. Hæc Ioſephus. Romam tamen, etſi properans, non ante biennium peruenit, ad Mithridatem quippe rediit, regnumque eius, Aſiæque res omnes compoſuit, & inſignem triumphi apparatum paulatim digeſſit. Addit Appianus Pompeium in Ægyptum à Rege contra ſeditioſos vocatum, puta cum in Cœleſyria, aut vicina Iudæa ſubſtitiſſet, ab eoque muneribus & pecuniis, & veſtimentis, in vſum totius exercitus, donatum, nec tamen eo fuiſſe profectum: ſiue timens, inquit, regni etiam tum fortunati amplitudinem, ſiue cauens inimicorum inuidiam, & oraculi religionem. Sic ipſe in Mithridaticis.

XVII. *Pompeius Parthos & Armenos conciliat. Ex Appiano.*

Nos igitur priuſquam redeamus ab Aſia, pacem inter Armenos & Parthos conciliatam, ſequeſtre & interprete Pompeio, tum poſtrema geſta Mithridatis, eiuſque miſerandam cataſtrophem expediamus. De pace illa, ſic Appianus in Mithridaticis. Syriæ vniuerſæ prouincias conſtituenti Pompeio legati ſuperuenerunt à Tigrane & Phraate, inter quos bellum exortum erat. Armenii tanquam ab amico petebant auxilia, Parthi in amicitiam populi Romani recipi cupiebant. Ille nolens Parthis bellum inferre abſque Senatuſconſulto, miſit, qui pacem inter partes facerent.

Rem ipſam dicit Appianus, ſed breuius: eam ergo non indignam ſcitu, ex Dionis 37. ſuppleamus, etſi is narrationem hanc vno anno anticipat, ne res Tigranis & Phraatis, licet temporibus diſtinctas, narratione diſiungat.

XVIII. *Ex Dione Caſſio.* *Quæ pacificandi cauſa Pompeio.*

Cvm ergo Tigranes & Phraates duobus præliis inter ſe decertaſſent, vt ſuperiore anno ex eodem Dione dictum eſt, & priore Armenus, poſteriore Parthus victores fuiſſent, Tigranes, miſſis ad Pompeium legatis, eum in Syria agentem acceſſebat; Phraates quoque ad eum legatos miſit, multa & Pompeium incuſans, & Romanos inſimulans, adeo vt pudorem Pompeio, & terrorem iniiceret. Verum Pompeius, neque Tigrani auxilium tulit; neque quidquam deinceps in Phraatem hoſtile geſſit; ſiue, vt ferebat, quod illam prouinciam non haberet ſibi à populo Romano demandatam; ſiue quia Mithridates adhuc in armis erat; ſiue quia aliquã fortunæ conuerſionem, qualem Lucullus erat expertus, reformidabat; ſed ea tardior quidem, ſed longe luctuoſior ipſi parabatur. Ergo bellum illud, licet plerique ſuaderent, non ſuſcepit. Ad reges autem ſcripſit, eorum accuſationes eleuans, ſe-

[a] Eadem l. 1. de Bello cap. 5.
[b] l. 6. c. 6.
[c] p. 119. gr. lat.
[d] 1. Mach. 13. 41.

que ad eorum controuerſiam de finibus dirimendam tres viros miſſurum: quod & fecit; eiſque reges vt arbitris acceptis, controuerſias ſuas compoſuerunt. Tigranem ira ſtimulabat, quod ſuppetias non impetraſſet. At Phraates Tigranem quoque ſaluum eſſe volebat, cuius olim, ſi res ita ferret, auxilio contra Romanos vti poſſet. Etenim vtrique ſatis conſtabat, vter ipſorum & alterius, & rerum potitutus eſſet, illum & negotium cum Romanis habiturum, & in ipſorum poteſtatem eo facilius venturum. His itaque moti cauſis in gratiam redierunt. Hæc Dio.

Quæ regibus ipſis.

XIX. *Mithridates promiſſis Pompeium lactat.*

Qvod autem ad poſtremum fabulæ Mithridaticæ actum pertinet, Appianus, qui hæc diligentius, quaſi proprium argumentum pertractat, hæc fere habet. Mithridates cum circa Boſphorum Cimmerium, vt ſequentia declarant verſaretur, legatos ad Pompeium in Syria morantem miſit, qui tributa populo Ro. pollicebantur, ſi concederetur ei regnum paternum. Cumque ille poſtularet vt Rex ipſe veniret, vt Tigranes ante venerat, id ſe facturum negauit, vt parum decorum perſonæ Mithridatis (& vero vlceroſa etiam morbi fœditate in facie laborabat, vt ſe tribus ſolis Eunuchis, à quibus curabatur, videndum præberet) miſſurum tamen filios, & amicos aliquot. Sed hæc facta videntur, vt Pompeium ſpe lactaret inani, dum ipſe bellum ingenti cura præpararet.

Morbus eius.

XX. *Magnos habet delectus, ſed inuitatorum.*

Nam ſtatim delectus maximos, è ſeruis ingenuiſque habuit, arma præparauit & machinas, tributa omnibus etiam tenuibus impoſuit, quæ ſeueriſſimè ab Eunuchis exigebantur: vt iam in armis haberet Mithridates ad 60. cohortes ſexcentenarias, quæ efficiebant exercitum 36. millium, traiecitque partem exercitus Phanagoriam, alterum imperium in Boſphoro Cimmerio, in Aſiatica Sarmatia. Hic Caſtor quidam Phanagorenſis, tortus aliquando ab Eunucho regio Tryphone, illum intrantem interfecit, ſimulque populum ad libertatem vocauit. Et quamuis iam arx ab Artapherne teneretur, cæteriſque Mithridatis filiis, aggeſtis circumquaque lignis eam incendit. Quo metu Artaphernes, Darius, Xerxes, Oxathres, Eupatra liberi Mithridatis ſeſe dediderunt, in his ſolus Artaphernes erat ferme quadragenarius. Cleopatra vero altera filia reſtitit, quam pater multis nauibus miſſis periculo eripuit.

Phanagorij ab eo deficiunt.

Eiuſque liberi deditionem faciunt.

XXI. *Multique alij ad Boſphorum.*

Exemplvm Phanagorenſium, in vtraque Boſphori ora, multi vicini, qui nuper à Mithridate ſubacti fuerant, ſecuti, quamprimum defecerunt. Ille videns crebras defectiones, & ſuſpectum habens exercitum, ad militiam coactum, & grauibus exactionibus afflictum, ad Scythiæ regulos miſit nuptum filias per Eunuchos, petens vt quamprimum auxilio venirent cum copiis. Hæ deducebantur à quingentis militibus, qui non multum à Mithridate digreſſi, Eunuchos interfecerunt, à quibus crebro vexati fuerant, & puellas ad Pompeium adduxerunt. Eas porro ſine iniuria conſeruatas, ex eo coniici poteſt, quod Plutarch. ait ex omnibus Mithridatis pellicibus, quæ attractæ ad eum fuere, nullam attigiſſe, omnes ad parentes, & propinquos remiſiſſe, etſi ducum fere & Dynaſtarum filiæ, coniugeſque eſſent. Quin etiam Demetrij liberti ſui vxorem, præter ingenium ſuum, nec benigne nec liberaliter habuit, metuens ne incomparabili eius formæ, & decantatæ elegantiæ obnoxius haberetur. Sic Plut. ſed ad Appianum, & Mithridatem redeamus.

Filiæ eius ad Pompeium abductæ.

Pompeij cōtinentia inſignis.

XXII. *Gallica auxilia Mithridates cogitat, & bellum in Italia.*

Rex tot liberis, & caſtellis, totoque regno ſpoliatus, dignitate quoque amiſſa, & ſpe auxiliorum è Scythia, nec tamen animo fractus, ad Gallos, quorum iam antea hac de cauſa parauerat amicitias, iter deſtinabat, vt cum eis per Alpes Italiam inuaderet, ſperans multos Italiæ populos Romanorum odio ſibi, vt olim Annibali, adiunctum iri; præſertim cum nuper gladiatori Spartaco contra Romanos adhæſiſſent. Addit etiam Dio, præter cæteras calamitates, multas Mithridatis vrbes, terræmotu poſt hominum memoriam maximo, conquaſſatas fuiſſe, atque proſtratas. Eſt autem fortaſſe hic terræ motus, quo Iuſtinus li. 40. tradit vaſtatam Syriam, quo centum & ſeptuaginta hominum millia, & mul- vrbes perierunt. Habet etiā Oroſ. l. 6. c. 5

Terræmotus.

XXIII. *Pharnaces filius ei ſtruit inſidias.*

Hæc animo volutans properabat in Galliam, ſed tam audaces conatus, exercitus, expeditionis longinquitate deterritus, & hoſtium, à quibus etiam domi victi fuerant, fortitudine, non diu eum tulit.

Nam Pharnaces filiorum chariſſimus, & ſæpe ab eo regni hæres deſignatus,

patri ſtruxit inſidias; ſiue quod timebat ne ea expeditio omnem ei apud Romanos ſpem reconciliationis præcluderet, ſi pater bello vexaſſet Italiam; ſiue alia cauſa, vel cupiditate permotus.

1. χ. Patefactis inſidiis, Pharnaci tamen Pater, ſuaſu Menophanis, veniam dedit. At ille diuinam aliquam in patrem iram veritus, 1. & ſciens exercitum alieno eſſe ab expeditione animo, noctu primarios Romanorum transfugas adortus, eiſque demonſtrans quanto periculo adirent Italiam, quanta mercede remanſuri eſſent, eos à patre abſtraxit. Dio veniam hanc tacet, quin potius ſemel iterumque miſſos ait, ad Pharnacem comprehendendum ſatellites, qui ab eo in ſuas partes traducti fuerint, & cum iis Panticapæo vrbe capta, patrem qui aderat, in ſuam poteſtatem redegiſſe.

XXIV. *Exercitum eius ad defectionem trahit.*

Eadem nocte miſſis ad próxima caſtra nunciis, eos quoque in ſuam ſententiam adduxit. Cumque mane primi transfugæ clamorem excitaſſent, alij deinceps atque alij, eadem mente clamorem reddiderunt: reddidit & naualis exercitus. Et quidem plerique clamorem defectionis indicem ediderunt, non præmoniti nec corrupti, ſed vel plurium exemplum ſecuti, quibus reſiſtere non poſſent, vel nouarum rerum in afflicti ſenis calamitate cupidi.

Qui filium regem petit.

Mithridates excitus clamore, miſit quoſdam rogatum quid ſibi poſcerent, illi audacter filium regem pro patre Eunuchis addicto, [a] filiorum, ducum, atque amicorum interfectore. Quibus auditis Mithridates eos allocuturus prodit; cum interim manus quædam præſidiariorum ad transfugas ſe conferebat, qui negabant ſe eos admittere, niſi ad impetrandam fidem facinus aliquod ederent; ſimulque regem oſtendebant.

[a] Vide Valer l.9.c.2.

XXV. *Pharnaces rex proclamatur. Senex fugam fruſtra petit. Mortem ſibi parat.*

At illi equum fugientis interfecerunt, & Pharnacem, quaſi iam voti compotes, Regem appellauerunt, ſimulque membranam chartaceam è templo depromptam, in formam diadematis circumuolutam capiti eius impoſuerunt.

Id è ſuperiore porticu conſpicatus ſenex, alios ex aliis mittebat ad Pharnacem, qui tutam fugam peterent, ſed cum nemo rediret, veritus ne Romanis dederetur, ſatellites & amicos, qui adhuc apud eum remanſerant, laudatos miſit ad nouum regem. Ipſe veneno, quod circa gladium perpetuo circumferebat, diſſoluto, id miſcebat. Duæ vero filiæ virgines, quæ apud eum educabantur, Mithridatis & Nyſſa, Ægypti Cyprique deſponſæ regibus, enixe rogabant, vt ante illum potionem venenatam ſumerent, qua epota continuo perierunt.

XXVI. *Veneno inuiolatus, ferro moritur.*

At Mithridates, qui propter quotidianam pharmacorum conſuetudinem, quibus ſe aduerſus venena præmunierat, veneno redditus erat impenetrabilis, Bituitum quendam Gallorum ducem triumphi ignominiam formidans ad ſuam cædem exorat, ſicque extinctus eſt Mithridates, & male tentatum veneno ſpiritum ferro expulit, vt ait Florus. Scribit Dio Mithridatem, cum veneni vim infirmam, atque irritam cerneret, gladio ſeſe petiiſſe, ſed cum ictus, ſiue propter ætatis imbecillitatem, ſiue propter præſentem rerum perturbationem, & confuſionem, ſiue vi ipſius veneni debilitatus, minime lethifer eſſet, & diutius moras trahens, neque mori poſſet, neque viuere, vt cum illo diceret. *An proprio.*

Mors eſt in votis, & mora mortis atrox,

iuuenes quos in filium emiſerat, gladiis ac lanceis ei mortem accelerarunt.

XXVII. *Duratio belli Mithridatici, & regis ætas.*

Appianvs obiiſſe ait Mithridatem ſextum decimum eius ſtirpis à Dario Perſarum rege vltimo, octauum autem à Mithridate illo, qui primus deſertis Macedonibus Pontici regni conditor fuit; vixiſſe annos octo aut nouem ſupra ſexaginta, regnaſſe ſeptem & quinquaginta: pupillum enim regnum adeptum fuiſſe; cum Romanis per annos quadraginta bellum geſſiſſe: Iuſtinus l.38. ait eum poſt annos triginta tres ſumpti regni, in Romana bella deſcendiſſe: [b] eum bella cum Romanis per 46. annos varia victoria geſſiſſe. Plinius [c] refert Pompei votum Mineruæ oblatum, in quo hoc bellũ 30. annorũ appellatur. Eutropius ait Mithridatẽ regnaſſe annis ſexaginta, vixiſſe 72. contra Romanos bellum habuiſſe annos 40. Oroſius autem, [c] Belli Mithridatici clades, inquit, per 40. annos fuit. Nam 662. vt dixi, anno ab V.C. quo etiã primum ciuile bellũ cœperat, inardeſcens, cõſulatu Ciceronis & Antonij, vt verbis optimi poëtæ loquar, barbarico vix conſummata *Varia ſententia.*

[b] l 1 37.
[c] l.6.c.1. & 5.

veneno eſt. Sed in his temporibus triginta gerendi belli inueniuntur anni, qualiter autem 40. à pleriſque dicti ſint, non facile diſcernitur. ſic Oroſ. In re igitur iam tum dubia, non mirum eſt varias reperiri ſententias, dum aliqui præciſe, quæ huius belli propria ſunt, eo tantum comprehendunt; alij etiam remotas diſpoſitiones amplectuntur.

XXVIII. *Propria ſententia.* Ego certe non plures annos reperio quam ſeptem & viginti, ex quo inter Romanos & Mithridatem armis agi cœptū; quod contigit anno vrbis 664. vno ſcilicet anno ante Syllam conſulem, cui id bellum aſſignatum eſt, vnde bellum ciuile Marianum erupit: & quidem comprehenſis in eodem numero annis aliquot, quibus inter ipſos pax fuit. Nam quod doctiſſimus Sigonius in Prætura Syllæ anno 659. initum id dicit, cum à Sylla Prætore in regnum Cappadociæ Ariobarzanes, ex S.C. reductus eſt, id ſane ad belli tantum apparatum, vel originem pertinet; neque enim tum arma in Romanos accepit Mithridates, ſed ſe quaſi ſocium & amicum geſſit, & decreto Senatus palam acquieuit: & per legatos res componere conatus eſt; etiam cum Romanorum impulſu, in Mithridatis ditionem Nicomedes armatus irruiſſet, vt fuſe docet Appianus, & nos ex ipſo ſuo loco tradidimus.

XXIX. *Elogium Mithridatis.* De Mithridatis porro animi corporíſque dotibus, addamus hoc Appiani elogium. Vir fuit crudelis & ſanguinarius, matris fratriſque interfector, & trium filiorum, ac filiarum totidem: corpore vaſto quidem, vt arma ab ipſo Delphos, Nemeâque miſſa indicant, ſed ita robuſto, vt ad extremum equitationibus, & iaculationibus valuerit, & mille ſtadia vno die mutatis equis confecerit. Currum quoque regebat octiiugem. Eruditus Græcis literis, & ideo peritus ſacrorum Græciæ: muſica delectabatur, ſobrius plerumque ac laborum patiens: circa muliebres tantum voluptates intemperantior. Sic Appian.

Et ſepultura. Pharnaces conditum muria corpus Mithridatis ad Pompeium miſit, rei geſtæ argumentum, ſimul & ſe, & regnum ei dedens. Pompeius nihil cadaueri inſultans, in patrio ſepulchro condi iuſſit, Pharnaci mercedem parricidij, Boſpori regnum donauit, eumque Populi Rom. amicis & ſociis adſcripſit. Dio l.37. Plut. in Pompeio ait corpus Regis Amiſum vſque miſſum, quo & Pharnaces & Pompeius venerunt, nec ſuſtinuiſſe Pompeium id ſpectaculum videre, ad auertendam deorum inuidiam; ſed Sinopem ad ſepulturam amandaſſe.

FAMILIA MITHRIDATIS REGIS PONTI.

XXX. Et de Mithridate quidem hactenus, ſi qua ſuperſunt in Pompeij triumpho dicentur. Viſum tamen eſt hoc loco exhibere lectoris oculis duas regias familias, Mithridatis & Tigranis, de quibus pleraq; ſparſim in ſuperioribus dicta ſunt. Mithridates ipſe, apud Iuſtinum l.38. paternos maiores ſuos refert ad Cyrum, Dariumque regni Perſici conditores; maternos autem ad magnum Alexandrum, & Nicanorem Seleucum, conditores imperij Macedonici. Appianus in Mithridaticis ait ſextumdecimum fuiſſe Mithridatem eius ſtirpis, quæ Darium Perſarum regem vltimum habuit: octauum autem ab illo Mithridate, qui primus deſertis Macedonibus, Pontici regni conditor fuit.

1. Mithridates proauus Magni Mithridatis vxorem habuit filiam Seleuci Callinici, à quo & Phrygiam in dotem accepit. Iuſtin. l.38.
2. Pharnaces auus magni Mithridatis, Romanorum beneficio Eumeni regi Pergameno ſucceſſit. Iuſt. l.38.
3. Mithridates Pater Magni, pro Romanis bellum contra Ariſtonicum geſſit, à quibus & Syria minore donatus eſt: repentina morte interceptus eſt. Iuſtin. l. 37. eius filij, filiæue plurimæ memorantur.

4. Mithridates Magnus, de quo infra. A

Laodice, ſoror Mithridatis & vxor, quæ per Aſiaticam mariti peregrinationem filio ſuſcepto, vt admiſſum facinus, maiore ſcelere tegeret, marito venenum parauit: re cognita à Mithridate occiſa eſt. Iuſtin. l.37.fin.

Laodice altera, quæ Ariarathi regi Cappadociæ nupſit. Iuſtin. l.38. init.

Roxane, quæ cum annis prope 40. in virginitate vixiſſet, poſt fratrem à Lucullo victum, à fratre, miſſo ad eam Baccho (Appianus Bacchide) eunucho, veneno mori iuſſa eſt: quod illa, poſt multas in fratrem execrationes, epotauit. Plut. in Lucul.

Statira, etiam ipſa quadrageſimum fere annum innupta, eadem ex cauſa, eodemq; mortis genere periit, ſed animo placidiore, adeo vt fratrem laudaret, qui de earum libertate, & pudore ſollicitus, ipſis proſpexiſſet veneno. Plut. in Lucul.

Nyſſa poſt Mithridatis cladem, in Romanorum poteſtatem capta venit. Plutar. in Lucul.

Anonymus frater à fratre interfectus. Appian. in Mithr. fi.

Eum Euergetem cognominat Appian. Mith. p. 176. Vxorem habuit Anonymam, quam filius eius Mithrid. interfecit. Appian. in Mithr. ſub finem.

Hic primus populi Ro. amicus appellatus, miſſis contra Pœnos auxiliaribus aliquot nauibus. Appian. in Mithr. p. 176. græc. lat. edit.

A.

Mithridates Magnus, qui & Eupator, & Dionyſus, appellatus eſt. Appian. in Mithrid. p. 176. & p. 170. Vnde idem ſcribit eũ ædificaſſe ciuitatem, quam cognominarit Eupatoriam, moxque dirutiſſe, ſed reſtauratam à Pompeio, vocatamque Magnopolim; p. 251. Meminit etiam Iuſtinus l. 37. Plurimas habuit vxores, & concubinas, ex quibus multos ſuſcepit liberos vtriuſque ſexus, quorum tres filios, totidémque filias interfecit: matrem quoque ac fratrem, vt habet Appian. in Mithrid. ſub finem.

- Hypſicratea, quæ maritum in bellis virili habitu ſecuta eſt. Valer. l. 4. c. 6. Plut. in Pompeio: quam ideo Mithridates vocabat Hypſicratum.
- Laodice vxor & ſoror, ex qua Dripetinem filiam ſuſcepit. Valer. l. 1. c. vlt.
- Stratonice concubina, ex qua Xiphacem filium genuit, quem pater propter deditionem matris occidit. Appian. lib. Mithrid. p. 245. Anno Mundi 3990. n. 8.
- Berenice, Chia, Mommia, Mileſia — Ambæ mori iuſſæ à marito, victo à Lucullo, eunucho Bacchide carnifice. Plut. in Lucullo fuſe.
- Mater Mithridatis Pergameni, ex qua eundem ſuſcepiſſe creditus eſt. Vide Strab. l. 13. & ibi Caſauboni correct.

Eius filij reperiuntur.

- Artaphernes, qui ſub mortem patris erat ferme quadragenarius. Appia. in Mithrid. qui ductus eſt in triumphum Pompeij. Idem ibid. ſub finem.
- Machares, à Patre Rex Boſphori conſtitutus, defecit ad Romanos, à patre occiſus eſt. Appian. in Mithrid. p. 216. 241. Oroſ. l. 6. c. 5. Plut. in Lucullo.
- Xiphares filius Stratonices concubinæ, à patre occiſus. Appian. in Mithrid. p. 245. a. m. 3990. n. 8.
- B. Pharnaces dilectiſſimus, deſtinatus regno, in patrem cõſpirauit, & poſt acceptam veniam, eum ad mortem compulit. Appian. in Mith. p. 248. ei Pompeius Boſphori regnum dedit, mercedem parricidij. Dio l. 37. Appian. p. 250. Erat tunc 35. annorum, idem p. 254. in Mithrid.
- Xerxes, Darius, Oxathres, Cyrus, — Ducti in triumphum Pompeij, vna cum Artapherne, & duabus ſororibus. Appian. in Mithr. Plut. in Pompeio ductos ait quinque filios Mithridatis, cum eius ſorore.
- Ariarathes, quem octennem pater Cappadociæ regem fecit, occiſo ſororis ſuæ filio. Iuſtin. l. 38. Vide autem num is ſit, qui à Patre dicitur occiſus veneno, Plut. in Pompeio.
- Mithridates Colchorum rex, quem pater ad ſe euocatum, & aureis compedibus vinctum necauit. Appian. in Mithr. p. 214. egregia licet eius opera vſus in Aſia, contra Fimbriam. Ibid.
- Arcathias, qui ad Patrem ex minore Armenia decem millia militum adduxerat. Appian. in Mithrid. p. 181. profectus contra Syllam morbo obiit. Idem p. 193. an. m. 3967. nu. 12.
- Exipodras, quem ad Phanagoriũ Boſphori Cimmerij pater interfecit. Oroſ. l. 6. c. 5.
- Mithridates Pergamenus, eius filius ex concubina creditus eſt, vt colligitur ex Strabone l. 13. vbi de Pergamo, qui à Cæſare Boſphori rex conſtitutus eſt. Hircius in fi. belli Alexandrini, & Dio l. 42.

Filiæ Mithridatis memorantur multæ

- Eupatra capta cum 4. fratribus Phanagoriæ. Appian. in Mith. p. 246. ducta in triumphum Pompeij Appian. in Mith. p. 253. & Plut. in Pompeio.
- Cleopatra in clade Phanagoriæ à patre periculo erepta eſt. App. in Mith. p. 246.
- Mithridatis, & Nyſſa — Ægypti, Cyprique regibus deſponſæ, venenum ſub patris mortem bibunt. Appia. in Mith. p. 248.
- Orſabaris & Eupatra ductæ in Pompeij triumphum. Appian. in Mith. p. 253. deſtinatæ matrimonio regulorum Scythiæ, à militibus deficientibus, ad Pompeium abductæ ſunt. Idem p. 246.
- Dripetine Laodice nata, duplici ordine dentium deformis, Patris fugæ comes. Valer. l. 1. c. vltimo.
- Cleopatra altera, Tigrani Armeno in matrimonium data. Iuſtin. l. 38. ex qua tres liberos ſuſcepit. Appian. in Mithrid. p. 242.

B. Pharnaces donatus à Pompeio regno Boſphori exceptis Phanagoreſibus, quos tamen ſibi fame ſubiecit. Nec multo poſt Sinopem cepit: & Amiſum appetens, cum Caluiſio duce Romano pugnauit; deinde ab Aſandro ex Aſia pulſus eſt. Pugnauit etiam cum Cæſare deuicto Pompeio, ab eoque profligatus, denique in pugna cum Aſandro cæſus eſt, 15. anno regni ſui Boſphorani. Appian. p. 254.

- Pharnacis filiam Dynamin appellat Dio l. 54. quę primo Aſandro nupta; eo mortuo à Scribonio quodam, qui ſe Mithridatis nepotem perhibebat, in matrimonium ducta, ſed eo à Boſphoranis occiſo, Agrippæ interuentu Polemoni regi Ponti tradita eſt.
- Pharnacis item filiam memorat Appia. l. 2. Bel. ciuil. quam legati Cæſari offerebant vxorem.
- Darium etiam vocat Pharnacis filium, Mithridatis nepotem, quem Regem Ponti Antonius appellauit, Appian. l. 5. Ciuil p. 715.

TIGRANIS REGIS ARMENIAE FAMILIA.

n. XXXI. Tigranes, pater Tigranis, quē bella in Romanos nobilitarunt, memoratur ab Appiano in Syriacis. p. 118. Eius filij duo reperiuntur.

- Tigranes, vt ait Iuſtin. l. 38. gener, & commilito Mithridatis Magni. Ex eius filia ei nati tres filij; Appian. p. 242. Multis regibus debellatis regem regum ſe nominat, Plut. in Lucul. Parthorum obtriuit imperium. Ibid. Cappadociam occupauit ſuaſore Mithrid. Appian. in Mithrid. p. 216. Iuſtin. l. 38. Syriam poſſedit per annos 14. & per Magadatum gubernauit; App. in Syriacis: at Iuſtino per annos 18. l. 40. ann. m. 3988. n. 16.
  - Vnus filiorum rebellans, in prælio ab eo occiſus eſt. Appian. in Mithrid. p. 242. Forte hic eſt Sariaſter, quem memorat Valer. l. 9. c. 11. qui coniuratos ſecum in patrem humano ſanguine efferauit.
  - Alter in venatione cum patrem prolapſum neglexiſſet attollere, & iacentis diadema impoſuiſſet capiti ſuo, ab eodem interfectus eſt. Appian. Mithri. p. 242.
  - Tigranes iunior dictus, corona donatus à patre, quod ei in venatione condoluiſſet. Paulo tamen poſt hic quoque defecit, & victus bello à Patre, fugit ad Phraartem Parthorum regem, indeque ad Pompeium, Appian. p. 242. 243. duxit filiam Phraartis vxorem; Plut. in Pompeio. Dio l. 37. Ab eo in triumphum ductus, in carcere necatur; Appian. 243. in Mithrid. & 253. idemque de Ariſtobulo affirmat ibid. quem Roma elapſum rediſſe in Iudæam ſcribit Ioſeph. l. 4. c. 11. & iterum captum Romam remiſſum: cum tamen Appianus ſcribat ſtatim à Pompeii triumpho interemptum. At Dio l. 38. ait eum, cum in vinculis eſſet apud L. Flauium, ereptum, & dimiſſum à P. Clodio, pecuniis corrupto, cum Cic. eſſet in exilio. Huius filii videntur eſſe apud Dioné l. 54.
    - Artabazes, qui accuſatur à populo maioris Armeniæ. Et ab eodem occiſus eſt. Dio ibid. Artuaſdem quoque vocat Plut. in Craſſo, & in Antonio. In eum mouit Orodes Parthus, veritus ne Craſſo auxilia cōtra ſe mitteret. Dio ſub init. l. 40. Ioſeph. l. 15. c. 5.
    - Tigranes à Tiberio Auguſti iuſſu, Armeniæ præficitur, ſub Conſulatum M. Apuleii, & P. Silii. a. v. c. 733. Dio l. 54.
    - Filiæ, & matris eius, vxoris Tigranis iunioris, quæ in triumphum ductæ ſunt, meminit Plut. in Pompeio.
- Zoſime Tigranis vxor in Pompeij triumphum ducta eſt.
- Gutas Tigranis frater Niſibi præfuit, cum Callimacho, dum oppugnatur à Lucullo. Plut. in Lucullo. Dio l. 35.

XXXII. FAMILIA REGVM PARTHORVM.

Vide Lipſium in Tacitum in excurſibus ad l. 2. Annalium.

1. Arſaces vir ignotæ originis, virtutis expertæ, cum prædonum manu Parthos ingreſſus, Præfectum eorum Andragoram oppreſſit, & Parthorum imperium inuaſit; mox etiam Hyrcanorum. Seleucum regem vincit, fundat Imperium Parthicum, ex quo omnes Reges Parthorum Arſaces dicti. Iuſtin. l. 41. Strab. l. 15. Hic Seleucus Nicator ne an Callinicus? certe Callinicus, pronepos Nicatoris, & pater. Seleuci Cerauni, & Antiochi Magni.

2. Arſaces eius filius & ſucceſſor, contra Antiochum Seleuci filium, cognomento Magnum, & immenſas eius copias bene rem geſſit. Iuſtin. l. 41. moxque ſe illi belli ſocium adiunxit; idem, ibid.

3. Arſaces Priapatius regnat 15. annis, & relictis duobus filiis Phrahate & Mithridate, deceſſit Iuſtin. l. 41. ſed l. 42. addit Artabanum, qui omnes regnarunt.

4. Phrahates maior natu more gentis, heres regni, Mardos validam gentem bello domuit, nec multo poſt deceſſit, multis filiis relictis: quibus præteritis, fratri potiſſimum Mithridati, inſignis virtutis viro, reliquit imperium; ratus patriæ potius, quam liberis conſulendum eſſe. Iuſtin. l. 41.

5. Mithridates Phrahatis frater Parthos ad ſummum faſtigium imperii perduxit, vicit Medos & Elimæos, & imperium Parthorum à monte Caucaſo, ad Euphratem vſque protulit, nec minus Arſace proauo glorioſus decedit; Iuſtin. l. 41.

6. Phrahates filius Mithridatis patri ſuccedit, qui cum inferre bellum, in vltionem tentati ab Antiocho Parthici regni, Syriæ ſtatuiſſet, Scytharum motibus ad ſua defendenda reuocatur. Et à ſuis militibus deſertus, atque occiſus eſt. Iuſtin. l. 42. Fuit ille Antiochus cognomento Pius, ex Ioſepho l. 13. c. 21. vide an. Chriſti 89. Bello Mithridatico contra Tigranem pugnat, & mox cum ipſo reconciliatur; Appian. in Mithrid. & Dio Caſſ. l 37. ſub init.

7. Artabanus patruus Phrahatis ei ſuccedit, bello Thogariis illato, in brachio vulneratus, ſtatim decedit. Iuſtin. l. 42.

8. Mithridates filius, cui res geſtæ Magni cognomen dedere; Contra Scythas & Armenos bellum geſſit, à Senatu Parthico propter crudelitatem regno pellitur. Iuſtin. l. 42. Opem petit à Gabinio; Appian. in Syriacis & Parth. Dio l. 39. Babyloniam confugit, fratri ſe dedit, à quo necatur. Iuſtin. l. 42. verum Appianus in Syriacis ait ope Arabum fuiſſe reſtitutũ.

9. Orodes, quem Hyrodem vocat Plut. in Craſſo, in fi. Mithridatis frater eum regno expulit, & occidit: contra Rom. bellum geſſit, M. Craſſum cum P. filio deleuit, Appian. in Parth. Iuſtinus l 42. filios habuit ad 30. ex Antiochi Commageni filia, Dio l. 49. in quibus duo maxime celebrãtur Pacorus, & Phraates; Vell. l. 2. Ob Pacori mortẽ luctu confectus, imo in furorẽ verſus ait Iuſtin l. 42. viuus adhuc Phraati regnum reliquit, à quo & occiſus eſt, Dio l. 49. p. 406. Nam laboranti morbo intercutis aconitum miſcuit, quod cum vis morbi per aluum deieciſſet, hominẽ ſuffocauit. Appia. in Parth ex Plut. in Craſſo.

Pacorus viuo patre, magnas res cum Labieno in Syria geſſit, Iuſtin. l. 42. Dio l 48. ait ſubegiſſe vniuerſam Syriam, Tyro excepta: in Iudæa Hyrcanum depoſuit, Antigonum regno immiſit, Ioſephus l. 14. c. 23. 24. 25. Dio l. 48. A Ventidio cum copiis ſuis interficitur. Iuſtin l. 42. Appian. in Parth. Velleius l. 2. Dio l. 49. p. 404.

10. Phrahates Pacori frater, & Orodis filius fratres dolo necauit, & patrem id indigne ferentem. Dio l. 49. Addit etiam adultum filium ab eo interfectum Iuſtin. l. 42. Bellum ei Antonius intulit, nec feliciter geſſit, Appian. in Parthicis. Ea victoria inſolentior à ſuis expellitur, & à Scythis reſtituitur, Iuſtin. l. 42. Eo abſente Tyridates quidam regnauit. Idem ibid. Is ad Cæſarem in Hiſpaniam confugit, cum minimo Phraatis filio; idem Iuſtinus, quem refellit tempus ipſum. Nam bellum Hiſpanienſe confectum eſt à C. Iulio, anno V. C. 708. aliquot annis antequam Pacorus, vel Orodes occiderentur, vt ex Dione, aliiſque conſtat. Filii & nepotes Phrahatis Auguſto dati ſunt obſides, Iuſtin. l. 42. Dio verſo l. 51. ait Phraatis filium à Teridate acceptum, Romam ductum ab Auguſto, & obſidis loco habitum. Vide omnino Strabonem l. 16. poſt initium, vbi de Meſopotamia. Vide etiam Tacitum l. 2. An. init. & ibi Lipſium in Excurſibus. Ioſephus l. 18. c. 3. ait Phraatem habentem legitimos liberos ex Thermuſa concubina Italica genuiſſe Phraatacem, & illius mulieris rogatu reliquos liberos obſides Romam miſiſſe: deinde à Phraatace matris auxilio occiſum. Sed de his ſatis, Nam Lucullum Romam cum triumpho ineuntem comitari par eſt.

1. Arſaces genuit { 2. Arſacem cui ſucceſſit { 3. Priapatius qui habuit tres filios reges. { 4. Phraatem. 5. Mithridatẽ qui genuit. { 6. Phraatem. 8. Mithridates magnus & 9. Orodes, qui genuit { Pacorum; 10. Phraatem { filium adultũ occidit. alii filii, & nepotes, eius apud Auguſtum obſides.; & 30. filios. } } 7. Artabanũ ex quo }

XXXIII. *Triumphus Luculli.*

Iam vero vt ad res vrbanas conuertamus orationem, duæ res hunc annum inſigniter notant, altera læta & magnifica, altera triſtis ac funeſta; Luculli ſcilicet triumphus, & coniuratio Catilinæ. Triumphaſſe Lucullum Cicerone Conſule, ipſe Tullius teſtatur in Lucullo, *Qui etiā*, inquit, *cum victor à Mithridatico bello reuertiſſet, inimicorum calumnia triennio tardius, quam debuerat triumphauit. Nos enim Conſules introduximus pene in vrbem currum clariſſimi viri.* Inimicum autem intelligit in primis C. Memmium, qui primum Luculli fratrem, ob ea quæ in Quæſtura Syllæ iuſſu egerat, accuſauit. Quo abſoluto, in L. ipſum conuertens ſe Memmius, populum in ipſum concitauit, ne illi triumphum concederet. Quaſi multa interuertiſſet de præda, traxiſſetq; bellū: & vtique actum erat de ipſius triūpho, niſi viri principes ſeſe tribubus inſeruiſſent, & in ipſis, vt ex dictis apparet, M. T. Conſul, multiſque precibus & contentione, ægre populum ad triumphum permittendum induxiſſent. Hæc fere Plut. in Lucullo. Qui de ipſius triumpho hæc ſubdit.

XXIV. *Quæ eius forma & modus.*

Trivmphvm non vt aliqui pompæ prolixitate, & rerum traductarum copia faſtidioſum duxit, ſed armis hoſtilibus, quorum erat vis ingens, & machinis regiis Flaminium Circum exornauit. Ipſo in triumpho equites cataphracti pauci (addendi tamen mille & ſexcenti milites, quos ei Pompeius, ad triumphum reliquerat, vt ante dictum eſt ex eodem Plut.) currus falcati decem traducti, amici & duces regii ſexaginta. Naues longæ roſtratæ decem ſupra centum tranſlatæ. Ipſius Mithridatis aurea ſtatua ſenum pedum, & gemmis diſtinctum ſcutum; fercula viginti vaſorum argenteorum; armorum, & nummorum triginta duo. Hæc per viros traducta. Octo muli lectos aureos portauerunt; ſex & quinquaginta argentum infectum: alii centum & ſeptem, argenti ſignati paulominus 2700000. id eſt vicies & ſepties centena millia drachmarum: quas ſingulas cum Cenalis æſtimet tribus ſolidis cum dimidio, tota ſumma aſcendet ad 157. millia, & 500. coron. 60. ſolidorum ſingulos.

XXXIV. *Reliqua pompa.*

Prætvlit etiam Lucullus in triumpho breuiaria pecuniæ, quam Pompeio ad bellum piraticum, & Quæſtoribus dederat; præterea quod militibus in ſingulos nongentos & quinquagenanos denarios diuiſerat, denique ſplendidum epulum populo, & circumiectis vicis dedit. Athenæus lib. 6. & iterum lib. 12. ex Nicolao Peripatetico, tradit ſumptuoſæ magnificentiæ, quæ tum Romæ, vigebat ducem & authorem fuiſſe Lucullum, poſt Mithridatem, & Tigranem debellatos, & eorum opes Romam aduectas. De Luculli autem deliciis, ædificiorum, ſumptuumque magnificentia, multa apud Plut. leges. Quem propterea Xerxem togatum à Tuberone Stoico dictum ait, vel, vt ait Appianus, à Pompeio.

Lucullus magnificus. Xerxes togatus.

XXXV. *Progreſſus coniurationis.*

Reliqva eſt coniuratio, de qua quæ in hunc annum cadunt, à Salluſtio accipe. Etſi iam declaratis Coſſ. Cicerone & Antonio, non deſiſtebat Catilina, per ſe ſuoſque, domi & foris coniurationem vrgere: quin & Conſulatum in proximum annum petebat, ſperans, ſi deſignatus foret, facile ſe ex voluntate Antonio vſurum. Ciceroni autem modis omnibus inſidias parabat, cui non deerat in cauendo prudentia. Nam à principio ſui Conſulatus, multa pollicendo, per Fuluiam effecerat, vt Q. Curius conſilia Catilinæ ſibi proderet. Collegam quoque ſuum Antonium pactione prouinciæ, perpulerat, nē contra Rempub. à ſe diſſentiret; Obtigerat autē Macedonia Ciceroni, Antonio Gallia; ſed Macedoniam conceſſit Antonio, Gallia vero Q. Metello Celeri Prætori mandata eſt, vt ait Plut. in Cicer. Dio ſcribit eo miſſum Metellum à Cicer. ne eam prouinciam ſui iuris Catilina faceret; & quidem prouide admodum: nam hic eſt, qui Galliam tranſalpinam molienti, præcluſit aditum, & Petreio cædendum dedit Catilinam. Ipſe autem M. Tullius circum ſe præſidia amicorum ac clientum occulte habebat.

Catilina Ciceroni ſtruit inſidias.

XXXVI. *Bellum parat, & Ciceroni cædem.*

Postqvam dies comitiorum venit, & Catilinæ neque petitio, neq; inſidiæ quas Conſuli fecerat, proſpere ceſſere, conſtituit bellum facere, & extrema omnia experiri. Aliquot ſuorum varia in loca dimittit, qui initium belli faciant, ipſe Romæ omnia molitur, & quoniam eius conſiliis Cicero vehementer obſiſtebat, C. Cornelius eques, & L. Vargunteius Senator eum necopinantem, ſpecie ſalutationis interficiendi, prouinciam recipiunt: ſed re per Fuluiam Ciceroni patefacta, illi ianua prohibiti ſunt.

Iam

XXXVII *Senatus Conſultum in coniuratos.*

Iam Manlius ſatis magnam in Etruria manum perditorum hominum coëgerat, cum Cic. diffidens ſe priuato conſilio vrbem longius ab inſidiis coniuratorum tueri poſſe, rem ad Senatum refert: Senatus decernit vt darent operam Conſules, nequid Reſpub. detrimenti caperet. Id erat ei dictatoriam committere poteſtatem. Itaque cum Romam eſſent allatæ literæ, C. Manlium Feſulis in Etruria arma cepiſſe ante dië ſextum Cal. Nouëb. cum magna multitudine, Septimium Camertem in agro Piceno; arma parari Capuæ, in Apulia ſeruile bellum moueri: Senatus certos contra eos duces legit, eoſque pro tempore, atq; periculo exercitum comparare iubet. In vrbe indicibus coniurationis præmia proponit, vigilias vbique diſponit; tota ciuitas timore ac tumultu repletur.

XXXVIII. *Exagitatur in Senatu à Conſule.*

Cvm Catilinæ crudelis animus, etſi eadem illa mouebat, tamen aut diſſimulandi, aut expurgandi ſui cauſa in Senatum venit; quem Conſul luculenta illa oratione excepit, quæ omnium teritur manibus, qua eum abire ex vrbe iubet, & ſecum ſceleratam trahere coniuratorum manum. Ille quamuis aculeatis vocibus incitatus, diſſimulare tamen perſeuerat, & fucum facere, & in Conſulem maledicta coniicere. At Patres contra obſtrepere, hoſtem ac parricidam vocare. Tum ille furibundus; Quoniam quidem circumuentus, inquit, ab inimicis præceps agor, incendium meum ruina reſtinguam. Deinde ſe ex Curia domum proripuit, indeque nocte intépeſta in Manliana caſtra cum trecentis armatis [a] profectus, eo cum faſcibus atque aliis imperij inſignibus peruenit. Dio enim l. 37. ait eum nomen & apparatum Conſulis aſſumpſiſſe: & contractis ferme 20. millibus, oppida ad defectioné ſollicitabat.

Abit ad ſuos.

Plut. in Ci.

XXXIX. *Hoſtis iudicatur à Senatu.*

Qvæ vbi Romæ comperta ſunt, Senatus Catilinam, & Manlium hoſtes iudicat; cæteræ multitudini diem ſtatuit, ante quam ſine fraude liceret ab armis diſcedere, præterquam rerum capitalium condemnatis. Præterea decernit vti Coſſ. delectum habeant; C. Antonius Catilinam cü exercitu perſequi maturet, (Ignari, inquit Dio, ipſum in parte conſpirationis eſſe;) Cicero Vrbi præſidio ſit. ipſi veſtem mutauerunt. Interea Lentulus, & ſua ipſe ſponte, & Catilinæ literis incitatus, coniurationem roborare molitur, legatos Allobrogum ad belli ſocietatem, per P. quendam Vmbrenum inuitat, maxima præmia, & æris alieni liberationem pollicitus: illi rem per Fabium Sangam Conſuli aperiunt.

Lentulus legatos Allobrogum ſollicitat.

XL. *Patefit coniuratio.*

Cicero iubet legatos ſtudium coniurationis vehementer ſimulare, daréque operam vti coniuratos quam maxime manifeſtos habeant. Illi per Gabinium cæteros conueniunt, ab Lentulo, Cethego, Statilio item Caſſio poſtulant iuſiurandum, quod ſignatum ad ciues perferant; aliter eos haud facile ad tantum negotium impelli poſſe. Id illi nihil ſuſpicantes dedere; Lentulus etiam legatos, vnaque T. quendam Volturtium mittit ad Catilinam cum literis, ad ſocietatem cum ea gente confirmandam.

Comprehēduntur côiurati primarii.

Cicero per legatos cuncta edoctus, nocte qua abituri erant, Prætores duos in ponte Miluio cum præſidio collocat, qui tranſeuntes non inuitos comprehendunt, & ad Conſulem deducunt. Is de patefacta coniuratione lætus, de pœna nobilium coniuratorum ſollicitus erat: nam pœnam illorum ſibi fore inuidiæ, impunitatem ruinæ Reip. animaduertebat.

XLI. *Conuincūtur in Senatu.*

Confirmato animo, Lentulum, Cethegum, Statilium, cæteroſque primarios coniurationis ſatellites, cum cuſtodibus ad ſe primo, inde ad Senatum in ædē Concordiæ vocat. Ibi ex publica confeſſione Volturtij, & Allobrogū, omnia patefiunt; promuntur coniuratorum literæ, ſua ab omnibus ſigna cognoſcuntur. Lentulum in primis tum II. Prætorem, dudum Conſulem tam ſuæ literæ, quam iactata de tribus Corneliis oracula Sibyllina coarguunt. Lentulus propter vitæ turpitudinem fuerat Senatu motus; Prætor autem tunc iterum erat, vt mos eſt, cum quis in Senatum eſt denuo lectus. Plut. in Cic. Clarius etiam Dio l. 37. Romæ inquit, negotium gerebat Catilina per adminiſtros, Conſulem in primis, & P. Lentulum, qui poſt geſtum Conſulatum Senatu exciderat; ac ſenatoriæ dignitatis recuperandæ cauſa, Præturam tum gerebat.

XLII. *Ab eoque damnantur.*

Senatvs decreuit vti abdicato magiſtratu Lentulus, itemque cæteri in liberis cuſtodiis haberentur. Plebe quæ nouarum rerum prius cupida bello fauebat, mutata mente Catilinæ conſilia execrari, Ciceronem ad cœlum tollere. Inde etiā M. Craſſus indicio L. Tarquinij fit ſuſpectus coniurationis, ſed metus potentiæ ip-

ſius Senatum adegit ad pronunciandum, falſum indicium videri. Nec caruit ſuſpicione C. Cæſar, ſiue ea vero crimine, ſeu potius inimicorum calumniis niteretur.

Craſſus, & Cæſar ſuſpecti.

Quoniam autem vis parabatur ad eos recipiendos, qui in cuſtodiam traditi erant, Conſul conuocato Senatu refert, quid de iis fieri placeret. D. Iunius Syllanus primus ſententiam rogatus, quod eo tempore Conſul deſignatus erat, ſupplicium ſumendum decreuit; mitior Cæſar cenſuit publicandas eorum pecunias, ipſos in vinculis per municipia habendos. At Cato refutata Cæſaris oratione, de iis capitalem ſententiam, multa omnium approbatione pronunciat. Hic Cæſar reuocat ſuam de bonorum publicatione ſententiam; cui Conſul acquieuit. Plut.

XLIII. *Et ſupplicio afficiuntur.*

Postqvam Senatus in Catonis ſententiam diſceſſit, Conſul optimum factu ratus, noctem quæ inſtabat occupare, ne quid eo ſpatio nouaretur, triumuiros rerum capitalium, quæ ſupplicium poſtulabat parare iubet; ipſe diſpoſitis præſidiis Lentulum, per medium forum, inſpectante ac ſtupente populo, in carcerem Tullianum deducit, idem fit cæteris per Prætores, omnibus laqueo gula fracta eſt. Hæc pluribus Saluſt. quibus nonnulla adiicit in Cicerone Plut. vt de reducto domum Cicerone per forum, cum omnium acclamatione, & plauſu, Seruatorem & conditorem patriæ appellantium, & omnibus eum ducibus atque imperatoribus anteferentium; quæ Cicero poſtea in ſuis laudibus non parce vſurpauit.

Populo Ciceroni gratulante.

XLIV. *Ciceroni cõflatur inuidia.*

Mvlti glorioſiſſimum Ciceronis facinus in eius inuidiam traxere; quorum duces fuerunt Cæſar Prætor, Metellus & Beſtia tribuni plebis, qui inito magiſtratu, cum pauci adhuc dies Conſulatus Ciceroni ſupereſſent, non fecerunt ei copiam concionis habendæ, ſed tantũ permiſerunt vt, ſi ei videretur, è loco ſuperiore eiuraret magiſtratum, ſtatimque deſcenderet. Ille non vulgatum, ſed peculiare protulit iuſiurandum ſe patriam conſeruaſſe, imperium tutatum eſſe; quod eum vere iuraſſe populus vniuerſus, magno aduerſariorum Ciceronis dolore, iurauit. Plutarchus; quæ Dio quoque habet libro trigeſimo ſeptimo.

XLV. *Ortus Auguſti Cæſaris.*

Natvs eſt Ciceronis & Antonij Conſulatu C. Octauius, qui Auguſtus poſtea appellatus eſt, cuius imperium Chriſtus Dominus natiuitate ſua illuſtrauit, ac memorabile reddidit in omnes annos conſequentes. Natalem illi diem aſſignat Sueton. 9. Cal. Octob. qui eſt 23. Septemb. (non bene Capellus Sextili menſe, nec Caluiſ. 22. Sept.) Idem habet Gell. l. 15. c. 7. ex ipſius Auguſti epiſtola ad Caium nepotem, anno 64. ætatis eodem die ſcripta.

Gruterus in inſcriptionibus [a] profert tabulam marmoream Narbonæ erutam, vbi inter alia hæc leguntur. *Plebs Narbonenſis aram Narbone in foro poſuit, ad quam quotannis IX. Cal. Octob. qua die eum ſecuti felicitas orbi terrarum Rectorem edidit &c.* [a] p. 229.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3991.

1. N. XXIII. Interpres μήνυμα legit, ideoque vertit, indicio quodam territus, cum legatur μήνιμα, quod Homeri interpretes, & lexici vertunt odium diuinum, aduerſus eos qui deliquerunt.

2. N. XXVI. Eadem cum Appiano de morte Mithridatis habet T. Liuius in Epit. 102. ſed militem Gallum Bithocum vocat. Author vir. ill. Sitocum: nec accitum ab eo percuſſorem, ſed immiſſum dicit, & regij vultus autoritate deterritum, à moribundo reuocatum, & in cædem ſuam manum trepidantis adiutam. Oroſ. l. 6. c. 5. ait Mithridatem diu ex altiſſimo muro filium fruſtra precatum, vbi inexorabilem vidit, exclamaſſe. Quoniam Pharnaces mori iubet, vos, ſi qui eſtis dij patrij, precor, vt quandoque & ipſe hanc vocem à liberis ſuis audiat.

ANNVS MVNDI 3992. SEXTÆ ÆTATIS 477. HYRCANI II. PONTIF. 14. PTOL. AVLETIS 19. OLYMP. CLXXIX. ann. 3. Vrbis Conditæ 691. Coss. D. Ivnio Syllano. L. Licinio Mvrena. Conivr. Catil. 3. et vlt. Herodis II. M. Æmylii Scavri Primi Syriæ Præsidis an. I.

&

ANNVS ANTE CHRISTVM 61.

DVM Pompeius Magnus res Aſiæ confecto bello diſponit, & reditum in vrbem parat, Scaurus mandatum ſibi ab eo bellum, contra Aretam Arabum, ſiue Nabathæorum regem, feliciter conficit Antipatri interuentu. Scauro, inquit Ioſeph. Ad Arabiæ Petram profecto cum exercitu, & quia difficilis ad eam aditus eſſet, circumuicinos agros populante, militibuſque fame laborantibus, Antipater iuſſu Hyrcani frumentum ex Iudæa, & alia neceſſaria eis præbebat: miſſuſque ad Aretam legatus à Scauro, eo quod hoſpes eſſet, perſuaſit illi pecunia numerata vaſtationem agrorum redimere, ſponſor factus pro trecentis talentis. Atque his conditionibus hoc bellum finitum eſt, non minus ex Scauri, quam ex Aretæ ſententia. (l. 14. c. 9.) I. *Arabicum bellum à Scauro confectum.*

De geſtis autem Pompeij hoc anno ſic Appianus in Mithrid. ſub finem. E ſubiectis autem gentibus, alias libertate donauit, propter miſſa auxilia, alias in Prouinciarum formam redegit, alias attribuit Regibus, Tigrani Armeniam, Pharnaci Boſporum, Ariobarzani Cappadociam, Antiocho Commageno commiſit Seleuciam, & quidquid ex incurſu in Meſopotamia ceperat. Gallogræciam diuiſit tetrarchis quatuor, Deiotaro & aliis. Attalum Paphlagonum, Colchorum Ariſtarchum regulos fecit: alios item multos auxit vel ditionibus, vel pecuniis. Et ne gloria breuis eſſet, Vrbes condidit ad perpetuam rerum à ſe in Aſia geſtarum memoriam. In minore Armenia Nicopolim ob victoriam. In Ponto Eupatoriam, quam Mithridates Eupator conditam à ſe denominauerat, & ob receptos Romanos diruerat; ipſe vero inſtauratam vocauit Magnopolim. In Cappadocia Mazacam bello vaſtatam denuo reparauit, Solos Ciliciæ in Pompeiopolim vertit. Alias denique multis locis aut collapſas, aut grauiter affectas reſtaurauit. Nam in triumpho, prælata eſt tabula, quæ ferret captas eſſe roſtratas naues octingentas (hoc ad piraticum bellum pertinebat) Vrbes conditas octo in Cappadocia: in Cilicia, Cœleſyriáque viginti, in Palæſtina Seleucim. Hæc pluribus Appian. in Mithrid. II. *Illuſtria Pompeij geſta hoc anno in Aſia.* *Reges conſtituit.* *Vrbes condit.* *Nicopolim.* *Magnopolim.* *Pompeiopolim.*

Ex quo etiam loco intelligi poteſt Pōpeium parantem reditum Epheſi hyemaſſe. Interim Romam præmiſit Piſonem ad petendum Conſulatum, cum ſuis precibus ad Senatum, ſuique prærogatiua ſuffragij, vt illius quoque opera in ſuo triumpho aliiſque rebus facile vti poſſet: eáque etiam de cauſa effecit, vt aliquanto poſt L. Afranius, & Metellus Celer Conſules deſignarentur, vt poſtea ex Dione dicemus. Quod autem ad Piſonem attinet. Enimuero tantus omnes Pompeij metus habebat, inquit Dio l. 37. quod nondum exercitum dimiſſurus videretur, vt cum is M. Piſonem legatū, ad petitionem Conſulatus miſiſſet, & comitia donec ad ea perueniret, diſtulerint, & ipſum Piſonem præſentem omnes vnanimi conſenſu Conſulem deſignarint. Sic ipſe. Ne autem ipſe ſimul adeſſet multitudo rerum gerendarum, & longitudo itineris prohibuit, & vſque ad finem ſequentis hyemis, Epheſi in Aſia detinuit. III. *Romam Piſonem mittit.*

Q. Cæcilivs Metellus Creticus hoc anno, de Creta inſula Cal. Iunij triumphauit, vt Sigon. ex Faſtis Capitol. ſuſpicatur. Certe Saluſt. in coniuratione teſtatur Q. Martium Regem Feſulas, Q. Metellum Creticum in Apuliam à Senatu miſſos, quod ambo ad vrbem imperatores eſſent, paucorum calumnia impediti ne IV. *Triumphus Metelli Cretici.*

triumpharent. Et de Metello conſtat ex Eutropio, cum triumphaſſe his Conſulibus, etſi à Pompeio admodum imminutus fuerit eius triumphus, detractis captiuis ducibus Panare & Laſthene. Quod ſubobſcure ſignificauit Velleius cum diceret, ne ab huius quidem Metelli Cretici vſura gloriæ, temperaſſe animum Cn. Pompeium, quin victoriæ partem conaretur vindicare: eius tamen, ſicut & Luculli triumphum, inuidia Pompeij apud optimum quemque factum fuiſſe fauorabile. De Marcio autem rege, qui ſolus geſſit conſulatum an. Vrb. C. 685. quid factum ſit non liquet.

V. *Extincta coniuratio Catilinaria.*

HOC anno in Italia nihil præclarius contigit, quam extincta penitus cum autore ſua Catilinaria coniuratio. Nam, vt refert Saluſt. cum Catilina, vna cum manu, quam ſecum ad Manlium adduxerat, duas denique legiones expleuiſſet, quarum vix quarta pars erat militaribus armis inſtructa, (viginti tamē millia cum Catilina fuiſſe autor eſt Appian. l. 2. Ciuil. & Plut. in M. Tullio,) C. Antonio cum exercitu aduentante, ille circumire cœpit, nec pugnæ copiam facere, expectans dum ſocij Romæ incepta patrarent. Sed poſtquam in caſtra nuncius peruenit coniurationem patefactam, de Lentulo, Cethego, cæteriſque ſumptum ſupplicium, plerique dilapſi ſunt; reliquos Catilina per montes aſperos, magnis itineribus in agrum Piſtorienſem adduxit, eo conſilio vti per tramites occulte profugerent in Galliam tranſalpinam.

VI. *Metellus & Antonius Catilinam perſequuntur.*

AT Q. Metellus Celer, qui cum tribus legionibus agro Piceno præſidebat, eius itinere ex profugis cognito, ei aditum Alpium præcluſit. Nec Antonius procul aberat, eum cum magno exercitu fugientem perſequens.

Catilina cum Petreio pugnat.

Itaque in tantis rerum ac locorum anguſtiis deprehenſus, ſtatuit cum Antonio quamprimum confligere. Ex altera parte C. Antonius pedibus æger, quod prælio adeſſe nequibat, (finxiſſe ægritudinem ne adeſſet, quod antea cum ipſo Catilina coniuraſſet, Dio perſpicue tradit.) M. Petreio legato exercitum permittit; viro in primis egregio, qui amplius triginta annis tribunus aut Præfectus, aut legatus, aut Prætor cum magna gloria in exercitu fuerat. Vtrimque inſtruitur acies, tubæ concinunt, maximus attollitur clamor, ſignis infeſtis concurritur, maxima vi certatur, hinc à deſperatis, inde à veteranis & flore Romanarum legionum: Catilina ſtrenui militis, ac boni imperatoris ſimul officia exequebatur.

VII. *Et victus occiditur.*

DENIQVE vbi fortiſſimos quoſque de ſuis, à prætoria cohorte Petrei cæſos videt, ſéque cum paucis relictum, generis memor & dignitatis, in confertiſſimos hoſtes incurrit, ibique pugnans confoditur. Omnes aduerſis vulneribus concidere, pene omnes, quem pugnando locum ceperant, mortui tegebant: & ne quid tanti latrocinij ſupereſſet, nemo neque in prælio, neque in fuga viuus captus eſt. Neque tamen ipſe Romanus exercitus incruentam victoriam retulit. Strenuiſſimus quiſque aut in prælio cecidit, aut grauiter vulneratus diſceſſit. Hactenus ex Saluſt. Vt mirum ſit Appianum ſcribere, haud magno labore victum Catilinam, vt imparatum, & rem nullo conſilio gerentem: ſed nemo hac de re certiora Saluſtio tradidit. Dio l. 37. ait hanc pugnam initio ſtatim huius anni initam fuiſſe, in eaque vtrimq; acerrime dimicatum, & Catilinæ caput ab Antonio in vrbem miſſum.

VIII. *C. Antonius in Macedonia male rem gerit.*

C. PORRO Antonius, deleto coniuratorum exercitu, in prouinciam Macedoniam cum laureatis faſcibus profectus, male rem geſſit; & victoriæ vanitas aduerſa pugna caſtigata eſt. Ibi enim à Dardanis oppreſſus, amiſſo exercitu profugit. Sed non tam cito clades ea videtur contigiſſe. Nam is poſt biennium inde reuerſus, Romæ accuſatus fuit à M. Cœlio, male adminiſtratæ prouinciæ, & Catilinariæ coniurationis, & Cicerone nequicquam defendente, damnatus, vt idem teſtatur in oratione pro Cœlio. 1.

1. x.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3992.

I. N. viii. Hoc quoque anno, (vt id in gratiam M. Tullii, & Cæſaris addamus, quorum hiſtoria cum P. Clodio plurimum coniuncta eſt,) autore Dione l. 37. P. Clodius Cæſaris coniugi Pompeiæ vitiũ attulit, idque domi eius, pollutis etiam ſacris, quæ Veſtales apud Coſſ. Pontifices & Prætores, omnibus maribus ſecluſis celebrabant. Neque propterea Clodium Cæſar in iudicium pertraxit, quem ſciebat factione amicorum abſolutum iri, ſed vxorem repudiauit, dicens vxorem Cæſaris non ſolum vitio, ſed etiam vitij ſuſpicione carere oportere. Erat Cæſar iam tum Prætor deſignatus, teſte Plutar. Obtinueratque hoc anno Pontificatum maximum Metello Pio defuncto, & quidem profuſiſſima largitione vſus, qua licet iuuenis, & nondum Prætorius, potentiſſimos competitores vicit, in primiſque Q. Catulum, & Iſauricum, vt plura in ipſorum tribubus ſuffragia, quam vterque in omnibus tulerit, vt ait Sueton. Sed Deus hominem ſacrilege ambitioſum, domeſtica infamia, per hominem nequiſſimum confudit.

ANNVS MVNDI 3993. SEXTÆ ÆTATIS 478.

HYRCANI II. PONTIF. 15. PTOL. AVLETIS 20. HERODIS 12. Olymp. CLXXIX. ann. 4. Vrbis Conditæ 692. Coss, M. Pvpio Pisone, M. Valerio Messala Nigro. M. Æmyl. Scavri Præf. Syriæ 2. Trivmphvs Pompeii.

ANNVS ANTE CHRISTVM 60.

HOC quoque anno ac ſequenti M. Æmilius Scaurus Syriæ vniuerſæ præfuit. Nam vt Ioſephus & cum eo Appianus in Syriacis teſtantur, Pompeius è Syria decedens eam quæſtori ſuo Scauro regendam reliquit. Ei ſucceſſerunt L. Marcius Philippus, & Cn. Lentulus Marcellinus Prætores, qui eam biennio tenuerunt, vt idem Appianus affirmat. Deinde miſſi ſunt proconſules, quorum primus fuit Gabinius, qui cum geſſerit Conſulatum an. v. c. 695. nec niſi ſequenti deinde anno eam prouinciam rexerit, oportet Scaurum eam 692. & 693. adminiſtraſſe, Philippum 694. Lentulum denique 695. Hi autem duo Prætores à Ioſepho prætermittuntur, nam l. 1. de bel. c. 6. Scauro ſucceſſorem immediate ſubiungit Gabinium. Huius porro anni Conſulum mores ex Cicerone ad Atticum diſces.[a] — I. Præſides Syriæ. — l. 14. c. 8. p. 119. — a l. 1. Epiſ. ad Att. 13.

Nos Pompeium ex Aſia in Græciam, indeque in Italiam, & in vrbem vſque triumphantem deducamus: nihil enim habet hic annus ad memoriam illuſtrius. Ac primo cõſtat ex Capit. tabulis eum anno V. C. 692. triumphaſſe, quo Piſo & Meſſala Conſules fuerunt; & Plinius his ipſis Coſſ. eum triumphaſſe ait, ad tertium Cal. Octobr. Lib. quoq. 37. c. 2. ſcribit eum prid. Cal. Octob. die natalis ſui triumphum egiſſe, (biduo enim triumphauit) teſte Velleio & Plut. M. Piſone, & M. Meſſala Coſſ. Eutrop. ad præced. Conſules id refert, ſed Plinium ſequuntur paſſim recentiores Sigon. Gordon. Temporar. Marcoduran. Mercator, Scalig. Caluiſ. Functius. Eandemque eſſe Cicer. & Dionis ſententiam infra oſtendemus. Sub finem hyemis, inquit Appianus, Pompeius exercitui victori præmia diſtribuit. — II. Tempus triumphi Pompey. — l. 7. c. 27.

Inde vt ait Plutar. peruenit Mitylenem, quam ciuitatem Theophanis gratia immunitate donauit, inſtitutumque poëtarum certamen, quo res ab eo geſtæ celebrabantur, ſpectauit, & delectatus theatro, delineauit effigiẽ eius, quod Romæ poſtea excitauit. Rhodum profectus omnes ſophiſtas audiuit, donauitque ſingulis talentum. Par fuit erga Philoſophos Athenienſes liberalitas. Ciuitati ad eius inſtaurationem quinquaginta talenta largitus eſt, 1. 17. millia 500. coron. — III. Quæ in reditu geſſerit

Rumores de Pompeio. Interea porro varii rumores Romæ ſpargebantur, grauiſque metus cunctos inceſſerat, ne exercitum vrbi admoueret, & Syllanum ſibi imperium confirmaret. Craſſus certe, vel quod id formidaret, vel quod inuidiam Pompeio excitare vellet, ex Vrbe ſe cum liberis, fortuniſque ſubduxit. Plutarchus.

IV. *Dimittit exercitum cum cõmuni gaudio.* At Pompeius ſimul ac Italiam Brundiſii attigit, aduocatis ad concionem militibus, & conueniente oratione habita, iuſſit vt in patriam ſe quiſque reciperet, domumque rediret, monens vt ad triumphum ſuum adeſſent. Ita ſoluto exercitu in vrbem profectus, incredibili omnes gaudio recreauit, omnium ſibi beneuolentiam conciliauit. Nam ciuitates Pompeium Magnum cernentes inermem, & cum paucis neceſſariis ex tanta expeditione redeuntem, effuſæ magno ſtudio, ac perſequentes Romam, tanto eum maiore frequentia reduxerunt, vt ſi quid mouere vel nouare cogitaret, nihil tum requireret exercitum ſuum. Plutarchus.

V. *Ratio temporis iterũ cõfirmatur.* Quando autem vetitum lege erat ante triumphum ingredi vrbem, miſit ad Senatum petitum, vt comitia Conſularia proferrent, ac ſibi hoc darent beneficii, quo Piſonis petitionem ſua præſentia commendare poſſet. Ita quidem Plutarchus ex eorum ſententia, qui Piſone & Murena Coſſ. eum triumphaſſe putant. Verum Dio longe ante præmiſſum Piſonem docet, vt ſupra diximus, atque Pompeium eodem tempore, quo venit in Italiam effeciſſe, vt L. Afranius & Metellus Celer Coſſ. deſignarentur. Iam ergo Piſo & Meſſala Coſſ. erant; vt nulla ſit dubitatio Dionem ad hunc annum Pompeii triumphum referre. Sed & Marcum Tullium. Nam epiſt. 11. lib. 1. ad Atticum ſcripta eſt Meſſala & Piſone Coſſ. & in ea nihilominus prodromi Pompeiani nunciant, quid acturus ſit Romæ Pompeius, cum venerit. Cum ergo Conſules eſſent ante illius aduentum, qui fieri poteſt, vt poſt aduentum, Piſonis petitionem commendare voluerit? Sed nec Plutarchus in ſua illa ſententia videtur permanere; quippe qui mox, ante commemorationem Pompeiani triumphi, dicat eum quærentem Afranium Conſulem facere, nummos pro eo in tribus pronunciaſſe, veniſſeque populum ad eos accipiendos in hortos Pompeii. Itaque nondum triumpharat Pompeius extremo Septembri, cum Afranius menſe circiter Iulio deſignatus eſt Conſul.

VI. *Omnes obuiam prodeunt.* Iam de aduentu eius in vrbem, & ingreſſu, ſic Appianus. Venienti obuiam frequenter itum eſt longiſſime à iuuenibus, deinceps vt cuiuſque ferebat ætas, poſtremo à Senatu demirante geſtorum magnificentiam. Nemo enim ad eam diem tanto hoſte ſublato, tantum prouinciarum imperio adiunxerat, & Romana pomæria vſque ad Euphratem promouerat: adeo vt ipſemet Pompeius in concione dixerit, ſe Aſiam vltimam prouinciarum accepiſſe, [a] eandem mediam patriæ reddidiſſe, quo alludit Florus; [b] Pōpeio duce populus Romanus totam, qua latiſſima eſt, Aſiam peruagatus, quam extremam imperii habebat prouinciam; mediam fecit. a Plin. l. 7. c. 26. b l. 3. c. 5.

Cauſa, & ætas triũphi. Pergit Appianus. Ipſe triumpho longe ad eam diem ſplendidiſſimo Vrbem iniit, annum agens trigeſimum quintum, imo vero quadraginta quinque exeuntem, cum natus ſit Serrano & Cæpione Coſſ. an. Vrb. Cond. 647. prid. Calend. Octob. quo ipſo tempore etiam triumphauit, teſte Plinio, vt propterea in Appiano 45. legendum, aut corrigendum videatur. Huius erroris cauſam aperit Plutarchus in Pompeio. Ætate, inquit, tunc erat, vt illi volunt, qui eum in omnibus cum Alexandro comparant, quatuor & triginta annis minor, reuera attingebat quadrageſimum, qui vtinam tum vitam depoſuiſſet, dum fortunam habuit Alexandri &c. Dio lib. 42. ait hunc triumphum celebratum eo ipſo die, quo poſt tredecim annos in Ægypto occiſus eſt, ſed pergit Appianus. l. 7. c. 2.

VII. *Eiuſdem Pompa, & precioſa ſupellex.* Dvravitqve pompa per biduum, traductis tam multis gentibus Ponticis, Armeniis, Cappadocibus, Cilicibus, totius Syriæ nationibus, Albanis, Heniochis, Achæis, Scythis, Iberis.

In portus adduxit naues 700. integras. In pompa vero traduxit carpenta, & fercula onuſta auro, & ornamentis aliis variis; in quibus lectum Darii Hyſtaſpis filii, & ſceptrum ac ſellam Eupatoris (Mithridatis ſcilicet, ſic enim cognominabatur, eodem Appiano teſte) aureamque ipſius effigiem octo cubitorum pectore tenus, argentique ſignati ſeptem millia myriadum, & inſuper 510. drachmas, id eſt

70. milliones, & 510. drachmas, quæ æſtimatæ iuxta Cænalem 3. ſolid. ½ aſcendunt ad 4. milliones & 20. coronatos.)

a lib 37. c. 2. Plvra de ſupellectili precioſa Mithridatis ſuggeret Plin.[a] & inter alia translatum ait alueum luſorium cum teſſeris, è gemmis duabus, latum pedes tres, longum pedes quatuor; lunam auream pondo 30. lectos triclinarios tres, vaſa ex auro & gemmis abacorum nouem; ſigna aurea tria Mineruæ, Martis, & Apollinis; coronas ex margaritis 33. montem aureum quadratum, cum ceruis & leonibus, & pomis omnis generis, circumdata vite aurea (ea videtur vitis aurea Ariſtobuli, quæ fuit quingentorum talentorum, de qua ſupra ex Ioſepho)[b] Muſæum ex margaritis, in cuius faſtigio horologium erat; denique imaginem ſuam ex margaritis. VIII. *Alia ſupellex ex Plinio.*

b l. 14. c. 5.

loc. cit. Provenerant hæc tum ex donis, quæ legati ad eam ex vniuerſa Syria, Ægypto, atque Iudæa, vt ait Ioſephus, atque adeo ex vniuerſo oriente, amici inimicique detulerant: tum ex varia piratarum totius mediter. Maris vrbium, ac caſtrorum præda: præcipue autem Tigranocerta, in quam ille dudum Rex regum Tigranes: multorum regum ſpolia coniecerat, tum maxime ex Talauris vrbe Mithridatis, quã ille regii apparatus promptuariũ habuerat, ex qua eduxiſſe refert Appianus duo millia poculorum ex Oniche gemma factorum, & auro compactorum, tã multamque aliam opulentam ſupellectilem, vt iis recipiendis, percenſendiſque 30. dies Quæſtor inſumpſerit. Plauſtrorum vero, quibus arma tranſuecta ſunt, ingens fuit numerus. Poſt hæc procedebat multitudo captiuorum, ac piratarum, non vinctorum, ſed cultorum habitu patrio. IX. *Vnde prouenerant hæ opes.*

Ipsvm præcedebant regum ſatrapæ, vel duces, vel filii, partim captiui, partim obſides 324. Inter hos Tigranes filius Tigranis, & quinque Mithridatis, Artaphernes, Cyrus, Oxathres, Darius, Xerxes; filiæ Orſabaris & Eupatra. Addit Plut. ſororem Mithridatis, & Scythicas mulieres, ſed omittit filias Mithridatis. Traductus eſt & Colchorum Rex Olthaces, & Iudæorum Ariſtobulus, tyrannique Cilicum, Scytharum item regiæ fœminæ, duces tres Iberorum, Albanorum duo. Abſentium etiam effigies tranſuehebantur, Tigranis ac Mithridatis, eiuſque filiorum ante eum defunctorum: & deorum barbaricorum figuræ, cum ornatu patrio, vt ſcilicet non hominibus tantum victis, ſed diis quoque inſultaretur. Tranſlata eſt & vna tabula, hoc modo inſcripta, Naues roſtratæ octingentæ captæ ſunt, vrbes conditæ octo in Cappadocia, in Cilicia, Cœleſyriaque 20. In Palæſtina Seleucis. Reges victi Tigranes Armenius, Artoces Iberus, Orozes Albanus, Darius Medus, Aretas Nabatæus, Antiochus Commagenus. Hæc titulus. X. *Viri principes in Pompa.* *Et ſimulachra.*

Ipse Pompeius gemmato curru vehebatur, amictus, vt fertur, Alexandri Macedonis chlamide, inuenta in Mithridatis ſupellectile, de qua pluribus in Mithridaticis Appianus. Currum ſequebantur ſocij huius expeditionis, præfecti militum, partim equites, partim pedites. Vbi vero peruenit in Capitolium, neminem captiuum necauit, vt triumphatores alij, ſed publicis impenſis remiſit quemque in ſuam patriam, exceptis regiis, è quibus ſolus Ariſtobulus mox interemptus eſt, & poſt eum Tigranes. Sic Appianus; cui de Ariſtobulo contradicit Ioſephus, de Tigrane Dio. XI. *Pompeii gloria.*

Plvtar. tabulis quoque oſtenſum ait vniuerſa populi Rom. vectigalia ante id bellum bis millies fuiſſe, (id eſt decem millionum librarum Turonenſium) ex iis vero, quæ populo Rom. ipſe addidiſſet, redire ter millies quadringenties (id eſt 17. millionum li. Tur. Totus ergo reditus eſſet 27. millionum librarũ, ſiue 9. millionum coronat. Ex quo intelligitur, quanto minor eſſet illo ſeculo, quam hoc noſtro vis pecuniæ.) In ærarium quoque relata vaſa, aurum argentumque ſignatum ad 20. millia talentum (puta Atticorum, quæ valent 7. millionibus coron.) præter ea quæ diuiſa ſunt militibus, quorum qui minimum accepit, mille & quingentos denarios tulit. De hac largitione diximus in exitu Aſiano Pompeii quando factam refert Appianus. XII. *Reditus populi Romani hoc tempore.*

Illvd autem Pompeio in hoc triumpho glorioſiſſimum fuit, vt notauit Plutarchus, quod cum iam antea de Europa atque Africa triumphaſſet, addito nunc omnium maximo triumpho Aſiatico, viſus eſt totius terrarum orbis domitor, XIII. *Pompeius de toto orbe triumphat.*

de vniuerſo mundo triumphaſſe. Dio l. 37. ait Pompeium, cum multos triumphos ex variis ſeparatiſque bellis gerere potuiſſet, vnum magnum maluiſſe, quod inſcriptionem orbis terrarum præferret, cognomentum autem nullum adſciuiſſe, ſed adepto pridem Magni cognomine contentum fuiſſe; decretis autem ſibi abſenti honoribus, & priuilegiis permodice vſum fuiſſe. Decretum autem fuerat, vt in omnibus feſtis ſolennibus lauream & paludamentum ferret, veſtem autem triumphalem in equeſtribus certaminibus indueret, quod ille ſemel omnino fecit.

XIV. *Theathrũ Pompeii &c.* Deinceps autem, fortunæ conuerſione mirabili, ſeipſe ſuoſque aliis triumphandos dedit. Sed hæc poſtea. Euſebius in Chronico Græco non abſurde hoc anno fundamenta theatri Pompeiani ab eo iacta ſcribit: quod autem ibidem addit de Ciceronis exilio, poſterius omnino contigit; nondum enim Clodium in ſuam perniciem, negato ei falſo teſtimonio, armauerat. Vide Cic. l. 1. ad Att. ep. 15.

Hoc ipſo anno, vt idem Dio author eſt, cum effeciſſet Pōpeius, vt L. Afranius & Metellus Celer Coſſ. deſignarentur, ſperabat ſe per eos omnia, quæ habebat in animo confecturum: inter alia vero pręcipue cupiebat ſuis militibus agros tribui, ſuaq. acta omnia rata haberi; verum ea ſpes irrita fuit, vt ſequenti anno dicemus.

XV. *Iudicium de Clodii ſacrilegio.* Hoc autem Clodius in iudicium ab optimatibus, propter violata Bonæ deæ ſacra, tractus eſt, autore Dione, cum pontifices decreuiſſent eadem ſacrificia inſtauranda. Et quoniam Clodius multum gratia valebat apud populum, electi iudices præſidium à Senatu petierunt, & impetrarunt. Nitebatur Clodius probare abſentiam ſuam. At Cicero requiſitus teſtimonium, teſtatus eſt veniſſe eum ad ſe domum, certiſque de rebus ſermonem habuiſſe. Id teſtimonium Clodium in Ciceronem inflammauit. Eum viginti quinque iudices condemnarunt, triginta abſoluerunt, vel pecunia corrupti, vel factioſorum, populiue metu debilitati: quæ cauſa etiam fuit, vt Cæſar in Clodium teſtimonium non diceret: quoniam totus erat in captanda aura populari.

XVI. *A Catulo irridetur.* Scitvm eſt illud Catuli de hoc iudicio. Cum enim Catulus iudicibus occurriſſet. Recte vos, inquit, ad ſecuritatem præſidium petiſtis, ne quis vobis nummos eriperet. Hæc Dio. l. 37. & Plutarchus in Cicerone, & fuſius Cic. lib. 1. ad Atticum epiſt. 15. Vbi & Piſonis Conſulis fit mentio, & Syriæ ei Cicerone annitente ereptæ, & Tertullianæ cum Clodio in Senatu altercationis Idib. Maii, & de Pompeio pro Afranio, non gratia, vel autoritate, ſed pecunia pugnante. Nulla eſt ibi de Metello collega mentio, ſicut nec apud Plutarchum in Pompeio, vbi ea de cauſa male Pompeium audiſſe traditur. De Cæſaris Prætura, quæ in eundem hunc annum cadit, Conſule Sueton. l. 1. c. 15.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3993.

1. N. I. Hic Coſſ. Orgetorix Heluetius regni cupiditate inductus, coniurationem nobilitatis fecit, & ciuitati perſuaſit, vt de finibus ſuis cum omnibus copiis exirent, ad imperium totius Galliæ occupandum. Cæſar l. 1. Iiſdem conſtituit Senatus, vt quicunque Galliam prouinciam obtineret, Æduos, cæteroſque Populi Romani amicos defenderet.

2. N. II. Viritim mille quingentas drachmas Atticas, quæ cum 3. ſolid. $\frac{1}{2}$. æſtimentur, ſingulis militibus dati fuerint 87. coronat. cum $\frac{1}{2}$. pro rata etiam datum tribunis ac cēturionibus, his ſcilicet duplum, triplum illis: quam ſummam produnt fuiſſe talētorum 16. millium. id eſt 5. millionum coronatorum poſito talento Attico 1050. francorum.

ANNVS MVNDI 3994. SEXTAE AETATIS 479. HYRCANI II. PONTIFICIS 16. PTOLEMÆI AVLETIS 21. HERODIS ÆTATIS 13. OLYMPIADIS CLXXX. AN. 1. VRBIS CONDITÆ 693. COSS. Q. CÆCILIO METELLO CELERE, & L. AFRANIO. M. ÆMYLII SCAVRI PRÆS. SYRIÆ III.

ANNVS ANTE CHRISTVM 59.

VLTIMVS eſt hic annus Præfecturæ Syriæ M. Æmylii Scauri, nullo ei hoc anno ſuccedente, quoniam Piſo, qui eam prouinciam à Conſulatu deſponſam ſibi quodammodo iam habebat, Cicerone reſiſtente obtinere non potuit, vt idem ſcribit ad Atticum. Quo tempore Alexander Ariſtobuli filius natu maior, qui ex itinere fugerat, vt ait Ioſephus lib. 1. de bello cap. 5. in Syriam videtur perueniſſe. Meminit huius anni Diodorus Siculus lib. 1. eoque vult initium ſumere res Cæſarianas, & Archontem Athenis ponit Herodem. Sed hæc ad ſequentem potius annum pertinere, totius hiſtoriæ ſeries docet. Ille autem Archon & tempore, & nomine ſuſpectus eſſe poſſit: cum tamen admittit Collector Olympionicarum, vbi habetur Andromachum Ambraciotam, in ſtadio hoc anno fuiſſe victorem. Et certe Pauſanias pluribus locis Herodis Athenienſis, viri magnifici meminit, qui ipſius Pauſaniæ ætate vixerit, [a] & dum libros illos ſcriberet, [b] vnde clarum eſt, qua ſcriptor hic ætate vixerit. Quo ipſe tempore ſcribit Diodorus, ſe in Ægyptum hiſtoriæ cauſa traieciſſe. Meminit tamen Pauſanias Olympiadis ducenteſimæ vigeſimæ ſextæ, [c] ex quo ſequitur ipſum diutiſſime vixiſſe. Nam cum hic Prætor Athenienſis opera magnifica ederet, iam Pauſanias librum primum de Atticis rebus ediderat. Apparet autem ea ab illo edita in Prætura ſua. Quod ſi hoc tempore Pauſanias dum ſcriberet 30. erat annorum: in Olympiade 226. quæ reſpondet anno Vrbi 877. oportebit eum ad annum 214. viuendo perueniſſe, quod difficile credi poſſit. I. Ratio temporis. Ætas Pauſaniæ, & Diodori Siculi.

l. 1. ep. 15. — a l. 2. p. 45. gr. init. b l. 7. p. 226. gr. — c p. 170. gr.

II. AT Pompeius vbi fulgor ille triumphalis pompæ reſedit, vim ſenſit aduerſariorum ſuorum; aduerſum quos ille ſibi Conſules, quaſi firmamentum quoddam, præparaſſe videbatur. Sed Afranius, vt inquit Dio libro trigeſimo ſeptimo, nihil ei adiumento fuit, quippe ſaltationibus, quam rebus gerendis aptior. Eidem etiam inſultat Marc. Tullius, negatque eum, niſi à Philoſophis, ſine ſuſpirio aſpici poſſe. Metellus vero Pompeio iratus, qui eius ſorori, ſuſceptis etiam ex ea liberis, nuncium remiſiſſet, in omnibus ei actionibus obſtitit. In Plutarcho Mutiam, propter vitæ licentiam, repudiatam à Pompeio ex Aſia redeunte reperio. L. quoque Lucullus à Pompeio ex Aſiano congreſſu, & ſucceſſione alienus, magno illi conatu reſtitit, iubebatque vt de ſingulis ſuis factis ſeorſim referret, neque peteret, vt ſimul omnia incomperta approbarentur; præſertim cum ipſe nonnulla ex Luculli actis reſcidiſſet. Eadem cum Lucullo, Cato, Metellus, & alii ſentiebant.

Claritas Pompeii obſcuratur. — l. 1. ad Att. ep. 15. fi. — *Ei aduerſantur Metelli.* — *Lucullus.*

III. ITAQVE L. Flaccus tribunus plebis, qui de agro Pompeianis militibus diuidendo rogationem ferebat, cum etiam addidiſſet omnibus ſuffragium eſſe dandum, quo & hoc facilius iuberetur, & acta Pompeii rata pronunciarentur. Metellus tanta contentione id impugnauit, vt à Tribuno in carcerem duceretur: vnde Pompeii iuſſu eductus eſt, quod Senatum in eundem carcerem conuenire velle cerneret, & populi offenſionem timeret. Sed ne rem quidem ad populum deferre auſus eſt, veritus, niſi ibi voti compos fieret, ne maiori dedecore afficeretur. Ita iactatus Pompeius, neceſſe habuit ad Tribunos plebis confugere, atque applicare ſe ad adoleſcentulos, quorum peſtilentiſſi-

Rogatio Flacci pro Pompeio. — Plut. in eius vita.

mus & audaciſſimus Clodius eum recepit; & indignis modis volutatum in foro tenens, authorem adhibuit rogationum, quas ad demerendam plebem ille ferebat: & tamen quaſi Pompeium beneficio affeciſſet, ab eo mercedem poſtulauit; obtinuitque, vt amicum proderet Ciceronem, qui multas pro ipſius dignitate ſuſceperat actiones.

IV. *Clodius tribunatũ ambit.*

Tvm demum ſenſit Pompeius, vt inquit Dio, ſe nimium cito exercitum dimiſiſſe, & iniuriis inimicorum expoſuiſſe ſe, nihilque ſibi ex potentia priſtina, præter inuidiam remanſiſſe.

Hoc enim ipſo tempore P. Clodius, ſiue Pompeii iuuandi, ſiue Ciceronis vexandi gratia, tribunatum plebis ambiuit, & ſummiſſis aliquot tribunis, qui rogationem ferrent, de tribunatu etiam patriciis communicando; cum non perſuaderet, nobilitate abiurata ad plebios tranſiit. Ita Dio; Cicero id factum ſcribit interueniente C. Herennio tribuno plebis. Verum Metello Conſule repugnante, res hoc anno confecta non eſt.

V. *Prætura Cæſaris, & æs eius alienum.*

Hoc anno C. Cæſar ex Prætura Luſitaniæ imperauit. Antequam autem in prouinciam adiret, à creditoribus detinebatur, vt inquit Suetonius & Dio; qui etiam addit ab eo auditam vocem, cum ambitioſis ſumptibus exhauſtus eſſet, ſibi bis millies & quingenties denis millibus opus eſſe, vt nihil haberet: ſic enim ex Græco emendandum, non centenis millibus; bis mille autem & quingentæ myriades drachmarum, dando ſingulis 3. ſolid. $\frac{1}{3}$ aſcendunt ad 1458333. $\frac{1}{3}$ coron. Significat autem, ſi quis ſibi eam ſummam daret, ſe nihil habiturum reliqui, perſoluto ære alieno ſuo. Plutarchus ait Cæſarem confugiſſe ad Craſſum ditiſſimum ciuitatis, eumque, receptis in ſe creditorum moleſtiſſimis, pro ſumma 830. talentûm interceſſiſſe, id eſt 290. millibus 500. coron. quæ interpres Romano more vertit, centies nonagies nouies ſeſtertiûm.

VI. *Vt ſe geſſerit in prouincia.*

Consentanea his ſunt quæ geſſit in prouincia. Nam Suetonius in eius vita. Abſtinentiam, inquit, neque in imperiis, neque in magiſtratibus præſtitit. Vt enim quidam monumentis ſuis teſtati ſunt, in Hiſpania à Proconſule, & à ſociis pecunias accepit, emendicatas in auxilium æris alieni; & Luſitanorum quædam oppida, quamquam nec imperata detrectarent, & aduenienti portas patefacerent, diripuit hoſtiliter. Hæc ibi. Dio ſcribit eum latrocinia non magno labore excidiſſe; deinde gloriæ cupidum Pompeii, & aliorum poteſtatis æmulum, triumphi materiam quæſiſſe, cum quo adeptus Conſulatum, immenſa facinora patraret. Itaque Herminii montis incolas in planiciem demigrare iuſſit, ne videlicet loco ſua natura tuto, ad prædas agendas abuterentur; id enim prætendebat, non ignarus eos id recuſaturos, atque ita ſe belli occaſionem inuenturum; quod & factum eſt: & ille eos arma capientes oppreſſit: vicinos quoque metu perculſos deſertis vrbibus fugientes, inuaſit; aliaque id genus nonnulla, quæ pluribus à Dione recenſentur, geſſit; moxque his ſibi aditum ad Conſulatum patefactum exiſtimans, non expectato ſucceſſore, ad comitia Conſularia Romam magna celeritate profectus eſt.

VII. *Conſulatũ petit, omiſſo triumpho.*

Et ſtatuerat ille quidem Conſulatum petere ante triumphum, quod temporis anguſtiis à pompa triumphi excludebatur. Verum cum ei res, ob Catonis interceſſionem non ſuccederet, triumphi curam depoſuit, ſperans ſe, ſi Conſul eſſet factus, longe maiores res acturum, longæque ſplendidius triumphaturum. Hæc Dio ſubobſcure, quæ explicat Suetonius. Nam, vt idem docet, Conſulatum petere non poterat niſi priuatus, nec priuato fas erat triumphare, cumque peteret, vt legibus ſolueretur, multi contradixerunt, itaque eſt coactus triũphum ne conſulatu excluderetur, dimittere. Eadem habet Appianus lib. 2. De rebus tamen ab eo in prouincia geſtis non plane conſentit. Ait ille quidem Cæſarem in prouinciam ingreſſum, non curaſſe conuentus obire, aut ius reddere, tanquam propoſito ſuo parum conſentanea, ſed coactis copiis per partes aggreſſum reliquos Hiſpanos, donec vniverſam eorum terram populo Romano faceret tributariam: magnaque vi pecuniæ in ærarium miſſa, triumphum à Senatu impetrauiſſe, eiuſque Pompæ ſplendidiſſimo apparatu in ſuburbiis facto, cum non concederetur ei, vt per amicos Conſulatum peteret, certum triumphum incerto Conſulatui poſthabuiſſe. l. 1. c. 18.

Ergo cum ſe petitioni dediſſet, duos habuit competitores L. Lucceium & M. Bibulum, Lucceium ſibi adiunxit, pactus vt is, quoniam inferior gratia eſſet, pecuniaque polleret, nummos de ſuo communi nomine per centurias pronunciaret. Qua cognita re, optimates, quos metus ceperat, nihil non auſurum eum in ſummo magiſtratu, concordi & conſentiente collega; authores Bibulo fuerunt tantundem pollicendi: ac plerique pecunias contulerunt, ne Catone quidem abnuente eam largitionem è Republica fieri. Ita Suetonius. Sed nolebat tantum Conſulatum adipiſci Cæſar, ſed omnia in eo pro arbitrio ſumma diſſimulatione gerere. Eam ad rem nihil duxit antiquius, quam ſibi Craſſum & Pompeium adiungere, nihil vt in Republica gereretur, quod diſplicuiſſet vni ex tribus. VIII. *Largitio eius, & cæterorum candidatorum.*

Itaqve, vt reddeamus ad Dionem, Cæſar ita Pompeium Craſſumque tractauit, vt cum illi inter ſe inimicitias exercerent, vtrumque tamen ille ad ſe pertraxerit, non ſolumque fautores petitionis habuerit, ſed inter ſe conciliarit: non quod ei illorum concordia cordi eſſet, inquit Dio, ſed quod eos plurimum potentia præſtare videbat, ſciebatque ſe, ſine vtriuſque, vel alterius eorum præſidio, ad magnam aliquam poteſtatem peruenire non poſſe. Neque vero metuebat, ne concordes illi præualerent, quod exploratum haberet, ſe & alios ipſorum auxilio, & ipſos vnum per alterum, haud multo poſt ſuperare poſſe, prout euentus ipſe confirmauit. Pompeius etiam, vt ad gratiam non ægre rediret, id effecit, quod videret potentiam ſuam, quæ non leuiter imminuta videbatur, aut eorum gratia reparari poſſe, aut vice verſa ab iis contra ſe conſpirantibus opprimi. Craſſus autem, qui erat æmulus potentiæ Pompeii, eo animo vtrique ſe iunxit, vt vtrumque in mutuum certamen committeret, eaque ratione neuter excelleret, & ipſe vtriuſque amicitiæ fructus colligeret, ſicque genere ac diuitiis omnibus emineret. IX. *Semina triumuiratus primi.* *Quæ mens eorum.*

Eo itaque pacto, iiſque de cauſis amicitiam iunxerunt, & iureiurando firmauerunt; quod & ſectatores ipſorum imitati ſunt, ſolaque perſtitit in Catone integritas, ac ſtudium Reipublicæ ſyncere adminiſtrandæ, & in paucis aliis, qui ſtudio magis, quam virtute eum ſequebantur. Hæc pluribus Dio de ſtatu horum temporum, & primo triumuiratu philoſophatur, de quo Appianus ait Varronem ſcripſiſſe commentarium, cui nomen dedit Tricipitinam, Coniurationem ſcilicet, quomodo eam appellat Liuius libro centeſimo tertio, cum ait Cæſare Conſulatus candidato, & captante Rempublicam inuadere, conſpirationem inter tres principes ciuitatis factam eſſe. Plutarchus in Cæſare ſcribit hac reconciliatione Cæſarem omnibus mortalibus, præterquam Catoni impoſuiſſe, eaque vtriuſque in ſe vertiſſe potentiam, & Rempublicam euertiſſe. Neque enim, inquit, vt plerique omnes exiſtimabant, Cæſaris & Pompeii diſſenſio ciuilia bella inuexit, ſed coniunctio potius conſpirantium, primùm ad conuellendos optimates, deinde tandem inter ſe diſſidentium. Hæc ergo fuerunt ſemina euertendæ libertatis Romanæ, & Iulianæ Monarchiæ conſtituendæ. X. *Ea concordia origo ruina publicæ rei.* *Tricipitina.*

ANNVS MVNDI 3995. SEXTAE AETATIS 480. HYRCANI II. PONTIFICIS 17. PTOLEMÆI AVLETIS 22. Herodis ætatis 14. Olympiadis CLXXX. an. 2. Vrbis Conditæ 694. Coss. C. Ivlio Cæsare, & M. Calphvrnio Bibvlo. L. Marcio Philippo Syriæ Præside.

ANNVS ANTE CHRISTVM 58.

I. *Ratio temporis.* DIODORVS Siculus hunc annum vocat primum Olympiadis centeſimæ octogeſimæ, quo anno Athenis Archontem Herodẽ profert; nec diſſentit à noſtra Chronologia. Nam cum Olympiaci anni in ſolſtitio æſtiuo inchoëntur, ſextum iam menſem Conſul erat Cæſar, antequam ſecundus annus eiuſdem Olympiadis inciperet. Quod autem ibi mox à prima Olympiade ad initium belli Gallici numerat 730. annos, corrigendum eſt: nam 180. Olympiades conficiunt tantum 720. Cæterum hoc primum anno iactum eſt fundamentum regni Cæſariani, quando adepto Conſulatu Cæſar, nixus duorum triumuirorum amicitia, & populi gratia iampridem immenſis largitionibus empta, Romæ quidquid voluit, inuito Senatu perficere cœpit, boniſq. omnibus reclamantibus, vt ſequens, ex Dione magna ex parte mutuata, narratio declarabit. *ſub.init.l.1.*

II. *Res Syriæ huius temporis.* Syriam prouinciam L. Marcius Philippus Prætor, Cæſare ac Bibulo Coſſ. obtinuit, vt ſupra anno Vrb. Cond. 692. ex Appiano diximus. Quo tempore fugitiuus Alexander res nouas moliri cœpit; ſed propter Romanorum potentiam & metum, artibus clandeſtinis, vt qui domi legiones Romanas videret, & patrem Ariſtobulum Romæ in vinculis detentum ſciret, in cuius caput filii temeritas recaſura eſſet. Non enim Roma elapſus eſt pater, niſi Gabinio Syriam adminiſtrante, vt ex Ioſepho conſtat. Appianus in libro de bellis Syriacis, ait hoc & ſequenti anno, quibus Marcius Philippus, & Lentulus Marcellinus, ambo Prætorii, prouinciam Syriam adminiſtrarunt, contra Arabas, ex vicino infeſtantes varie conflictatos eſſe, eamque fuiſſe cauſam, vt deinceps in Syriam Proconſules, cum poteſtate Conſulari mitterentur, quorum primus fuit Gabinius. *l.1 de bel.c. 6.& l.14. ant.c.11. p.11.fi.*

III. *Auletes obtinet Romanorũ amicitiam.* Ptolemævs Auletes diu quæſitam populi Romani amicitiam ac ſocietatem, hac denique anno, atque his Conſulibus impetrauit. Teſtis Cæſar ipſe lib. 3. bellorum ciuilium, vbi aperte ſcribit ſuperiore Conſulatu, præſenti ſcilicet, cum patre Ptolemæo, & lege, & Senatuſconſulto ſocietatem fuiſſe factam: patrem appellat eius Ptolemæi, fratris Cleopatræ, qui tum regnabant. Negandi porro, aut differendi cauſa erat, quod plerique Romæ exiſtimarent, id regnum ad populum Romanum pertinere; ab Alexandro ſcilicet rege teſtamento relictum. Fuit hic Alexander, qui regnum Ptolemæi Lathuri decennio interrupit, ſtudio Cleopatræ matris, quæ Lathurum natu maiorem filium regno eiecerat, vt ſuo loco ex Iuſtino & Euſebio diximus. Eius teſtamenti meminit Cicero Orat. 1. in Rul. Dicent decemuiri, id quod dicitur à multis, & ſæpe dictum eſt, poſt eoſdem Conſules (videtur intelligere L. Syllam, & Q. Pompeium, qui Coſſ. fuere anno Vrb. Cond. 665. idque colligitur ex ſecunda in Rullum, vt dixi ſupra anno 664. in illius regis morte) regis Alexandrini teſtamento, regnum illud populi Romani eſſe factum. *cap 107.*

IV. *Cur ſtudiſe quæſita ab eo.* Et hæc ipſa cauſa erat Ptolemæo ſocietatem populi Romani modis omnibus ambiendæ, ne regno ſuo ſpoliaretur: præſertim cum ne regio quidem genere eſſe diceretur à pleriſque Romanorum, regnum eius ambientibus, vt ſupra ex Cice-

rone

Cæsar sibi plebem conciliat.

1. Auletis anno diximus, cui opinioni conſentaneè mox dicit, decemuiros regnum Alexandriæ Ptolemæo gratis adiudicaturos. Accedebat quod ſuperiores fere omnes Aegypti reges eundem honorem adepti, præſidium aduerſis temporibus in fide ac tutela Romanorum ſæpe maximum inuenerant, & eo priuatos eſſe ſibi ignominioſum ducebāt. Sed quod maius deſiderii huius argumentum reperias, quam immenſam pecuniam, qua ſocietatem illam eſt conſecutus. Audi Suetonium [a] quod ad hoc tempus in primis pertinet. In primo Conſulatu, inquit, tria millia pondo auri furatus è Capitolio, [b] tantundem inaurati æris repoſuit. Societates ac regna pretio dedit, vt qui vni Ptolemæo prope ſex millia talentorum, ſuo Pompeiique nomine abſtulerit. [c]

a l. 1. c. 54.

b id eſt trecenta millia coron.

c id eſt 2. milliones, & 100. millia cor. talento Att.

V. *Cæſar populum ſibi conciliare ſtudet lege agraria.*

Ivlivs autem Cæſar, cum primū factus eſt Conſul, omni conatu in id incubuit, vt populum ſibi conciliaret; qua tamen in re patribus ſe ſtudere ſimulabat, ne eos haberet aduerſarios. Ita cum legem ferre vellet de agro toti populo diuidēdo, eam ita conſcripſit, vt inquit Dio, vt lectam in Senatu nemo omnium vlla in parte poſſet reprehendere, cum ipſe diceret ſe paratum eam miſſam facere, niſi Senatui probaretur. Nam & lex neceſſaria videbatur, & diuiſio ſine cuiuſquam iniuria futura erat, & diuiſores præterea conſtituit 20. viros egregios ac probatos, quorum è numero eſſe noluit, ne ſibi aliquid quæſiuiſſe videretur. Quo magis angebatur Senatus, nullam ſe repudiandæ legis probabilem habere cauſam, quam intelligebat ad armandam populi fauore Cæſaris potentiam; & opprimendum Senatum eſſe comparatam.

VI. *Inuito Senatu, & Catone repugnante.*

Itaqve cum nihil aliud occurreret, rē promiſſionibus extrahere cœpit; pollicitus enim ſe legis autorem futurum, alias ex aliis moras dilationeſque interiiciebat. Cato autem, etſi nihil in lege reprehenderet, tamen vtendum præſenti rerum ſtatu, nihilque præterea mouendum cenſebat. Ea res ita cōmouit Cæſarem, vt Catonem è Senatu abreptum in carcerem coniecturus eſſet, vtique non repugnantem; multis autem cum ſequentibus, in quibus M. Petreius, Cæſar hominem obiurgauit, quod Senatu nondum miſſo abiret: malle ſe reſpondit in carcere cum Catone eſſe, quam in Curia cum Cæſare. Ibi tum pudore ſuffuſus Cæſar, Catonē liberauit, Senatumque dimiſit, addens ſe populum iubendæ legis cauſa aditurum. Quoniam Senatus nec eam improbare poſſet, nec eius tamen autor fieri vellet. Ita deinceps toto Conſulatu ſuo nihil ad Senatum retulit, ſed rectà populum adiit, cui conſentienti Patres ſciebat repugnare non poſſe.

VII. *Bibulo collega conflat inuidiam.*

Vt autem collegæ ſuo conflaret inuidiam, ab eo publice exorſus quæſiuit, an aliquid in ea lege improbaret, Bibulo autem reſpondente, ſe in magiſtratu ſuo nullam nouationem admiſſurum, deprecari eum inſtitit, plebique, vt in exorando ſibi adeſſet, perſuaſit, dicens ita eos legem obtenturos, ſi Bibulus conſenſiſſet. Bibulus autem cum magna voce clamaſſet, populum eam legem illo anno nō obtenturum, inde abiit; Cæſar neminem vlterius eorum, qui magiſtratum gerebant, rogandos cenſuit, ne qui ſibi ex illis reſiſterent, ſed Craſſum & Pompeium priuatos tunc homines publice rogauit, quid de ſua rogatione ſentirent; non vtique inſcius quid illi ſentirent, ſed vt ipſis honorem ac fauorem populi, aduerſariis terrorem iniiceret. Itaque Pompeius, cum eam rogationem approbaſſet, laudaſſetque coram populo, percunctatus eſt Cæſar, velletne ſibi prompte auxilium ferre, contra eiuſdem legis aduerſarios, ſimul & populum iuſſit precibus hoc ab eo contendere. Hic Pompeius reſpondit, ſi quis contra gladium ſumeret, ſe ſcutum arrepturum. Id Pompeii dictum Craſſus quoque laudauit, quo effectum eſt, vt alii etiam, quibus ea lex non placebat, tamen hoc ipſo ad eam probandam incitarentur, quod eam ab iis, qui & boni viri, & Cæſaris inimici iudicabantur, (nondum enim eorum reconciliatio innotuerat) ſuaderi videbant.

Fauorem Craſſo & Pompeio.

VIII. *Per vim fert legem agrariam. Bibuli conatus irriti.*

Cvm autem iuſiurandum à patribus exigeretur, ſuper ea lege; & plerique autore Catone recuſarent, Cæſar rogationem tulit ad populum, vt capitalis eſſet, qui nō iuraret, omnes præ metu iurauerunt. Cum nihilominus Bibulus, tribus ſibi Tribunis plebis adiunctis, ne lex perferretur, obſtaret, feriaſque in reliquos omnes anni dies indixiſſet, quibus cum populo agere fas non eſſet. Cæſar nihil eum moratus, certum diem legi perferendæ indixit. Eo cum Bibulus veniſſet, & legi contradicere è ſuperiore loco cœpiſſet, faſces eius fracti ſunt, ipſe per gradus deiectus,

plagiſque male mulctatus cum Tribuniſci fauetibus eiectus eſt, & lex perlata eſt. Quam in Senatu poſtridie reſcindere conatus Bibulus, nihil effecit, patribus plebis furorem metuentibus. Itaque domum ſuam ſe recepit, nec reliquo anno foras prodiit, Cæſarique, quoties quid moliebatur, per lictores obnunciauit diem eſſe feſtum, nec per leges fas eſſe cum populo agere. Itaque quidam Tribunus plebis P. Atinius, Vatinius potius, eum in carcerem coniicere aggreſſus eſt; ſed obſtantibus collegis incepto deſtitit.

IX. *Equites ſibi adiungit.*

CVM ſic ille plebem ſibi deuinxiſſet, etiam equites ſibi adiunxit, tertia vectigalium parte (nam vectigalia publica illi redemerant) remiſſa, quam illi ante fruſtra à Senatu poſtulauerant. Cum etiam hunc ordinem ita obtinuiſſet Cæſar, tum demum nemine contradicente, omnia Pompeii acta confirmauit, legeſque multas tulit, neque Catone, neque Lucullo, neque alio quopiam repugnante; ſoluſque ita moderabatur omnia, quaſi nemo præter eum gereret Magiſtratum, vt quidam non infacete res hoc anno geſtas Iulio, & Cæſare, non Bibulo, & Cæſare Coſſ. dicerent, vt Dio & Suetonius memoriæ prodiderunt; cum tamen nihil ipſe per ſe, ſuarum maxime rerum ageret, ſed per alios facilius, & ſine inuidia omnia à populo Romano, Senatuque ipſo pene captiuo obtineret.

Acta Pōpeii confirmat.

X. *obtinet cū imperio Galliam vtramque.*

CVI rei exemplo eſſe poteſt, quod ei populus, rogante Vatinio Trib. pleb. qui Cæſari omnibus in rebus obſequebatur, Illyrium, Galliamque Ciſalpinam decreuit, vt in eas Proconſul quinquennio toto imperium obtineret, cum tribus legionibus. Senatus autem Galliam Tranſalpinam, vnamque legionem adiecit: vt eam gratiam, præuento populo, propriam faceret, & ſuam. Suetonius. Verum ne quid ſe abſente Pompeius, per Gabinium Conſulem turbaret, eum ſibi affinitate coniunxit, data ei in matrimonium filia ſua, tametſi iam deſponſa Seruilio Cæpioni, cuius opera paulo ante in oppugnando Bibulo maxime vſus fuerat; qui dignum hoc ſui lenocinii, & adulationis præmium retulit. Cæſar autem ipſe alterius Conſulis Piſonis filiam duxit, anno ætatis quadrageſimo ſecundo, vt ſic omni ex parte ſuam potentiam confirmaret. Hæc Dio pluribus.

Vide hic ep. 9. l. 7. ad Att.

Firmat potentiam ſuam affinitatibus.

Suet.

XI. *Aliqui ei mortem, vt Tyranno machinantur. Num Cicero?*

ADDIT etiam M. Ciceronem & L. Lucullum, qui tyrannidem magnopere parari videbant, mortem Pompeio & Cæſari machinatos, & per L. Vectium inferre voluiſſe. Rem Bibulus Pompeio indicauit, Vectius comprehenſus cum inſidiarum participem Bibulum ipſum, qui rem aperuerat, indicaſſet, in ſuſpicionem venit, quaſi de reliquis etiam vera non retuliſſet, & Vectius quidem clam in carcere mox necatus eſt. Verum hac calumnia Marcum Tullium Suetonius liberat, eamque in Cæſarem transfert, quem ſcribit præmiis Vettium induxiſſe, vt ſe de inferenda Pompeio nece ſolicitatum à quibuſdam profiteretur: cumque pro roſtris autores è compacto nominaſſet, nec fidem faceret, deſperans, inquit, tam præcipitis conſilii euentum, intercepiſſe veneno indicem creditur. Nec obſcure Cicero ipſe ſcribens ad Atticum, autorem calumniæ Cæſarem facit; vbi fuſius ſeriem huius criminationis leges, eademque eſt Appiani mens l. 2. bel. ciuil.

l. 1. c. 20.

l. 2. ep. 24.

XII. *Ciceronis cum Cæſare & Pōpeio ſimultas.*

NIHILOMINVS Cicero, qui hac de cauſa Cæſari & Pompeio ſuſpectus factus erat; eam ſuſpicionem auxit, cum collegam C. Antonium hoc anno defendens, Cæſarem huius iudicii autorem, verbis perſtrinxit. Senſit iniuriam Cæſar, neque tamen re, aut verbo iniuriam repoſuit, ſiue quod nollet certare maledictis, & ſimilis iis euadere, quorum contumeliis petebatur, ſiue quod natura mitis, iræ non indulgeret; occaſionem tamen circunſpiciens, per eam pleroſque, nec ſentientes vlciſcebatur; ſicque & famæ ſuæ conſulebat; & inimicis præcauendi locum, aut præueniendi eripiebat.

Cæſar Clodio in Cicerone fauet.

His cogitationibus motus Cæſar, nihil ipſe quidem contra Ciceronem molitus eſt, ſed Clodium, quod eum ob adulterium non accuſauerat, gratiam ſibi referre cupere intelligens, occulte contra Ciceronem inſtruxit. Appianus tradit Cæſarem à Clodio in petitione prouinciæ Galliæ adiutum eſſe, & vni inimicorum iniuriam remiſiſſe, vt vlciſceretur Ciceronem, qui crebro triumuiratum vellicabat.

XIII. *Et iuuat in Tribunatu obtinendo.*

ERGO Clodium Cæſar à patribus ad plebem tranſire cupientem, adiuuante

etiam Pompeio traduxit, P. Fonteio, quamuis natu minore, hominem adoptante, idque eodem ipſo die, quo Cic. C. Antonium defendit, vt Cic. pro domo ſua ipſe teſtatur, & Suet. in Iulio: vt propterea Dio, qui hæc tardius facta innuit, paulo alienior à Cic. videri poſſit. Addit autem Cæſarem ſtatim Clodio Tribunatum plebis confeciſſe: ſed cum Pompeius fruſtra omni cautione, fœdere, execratione deuinxit, nihil in tribunatu contra Ciceronem eſſe facturum, vt Cic. ipſe teſtatur pro Seſtio: quamprimum enim omnia in Ciceronis perniciem machinatus eſt, vt ſequens annus demonſtrabit.

ANNVS MVNDI 3996. SEXTAE AETATIS 481.
HYRCANI II. PONTIFICIS 18. PTOLEMÆI AVLETIS 23.
HERODIS ÆTATIS 15. OLYMPIADIS CLXXX. AN. 3.
VRBIS CONDITÆ 695. COSS. A. GABINIO, & L. CALPVRNIO PISONE CÆSONINO, CNÆO LENTVLO MARCELLINO SYRIÆ PRÆSIDE. BEL. GAL. I.

ANNVS ANTE CHRISTVM 57.

TRIBVNICIA poteſtate P. Clodio homini furioſo commiſſa, amicis conniuentibus, inimicis ſæuientibus M. Tullius in exilium pellitur. Cæſar in Galliam proficiſcitur, Ptolemæus è regno profugit, Lentulus Marcellinus in Syriæ adminiſtratione Marcio Philippo ſuccedit. Quo tempore Herodes annum agebat decimum quintum, in quo anno deceptum eſſe Ioſephum, [a] infra anno eiuſdem vigeſimo ſeptimo dicemus. Hoc autem, Ariſtobuli filius Alexander Iudæam incurſionibus vexare cœpit, cum decem fere armatorum millibus, & mille, & quingentis equitibus, caſtella item occupare, atque munire. Denique Hyrcano grauiter imminere; adeo vt is veritus obſidionem, murum à Pompeio diſturbatum renouare moliretur. Sed hæc quæ Ioſephus tradit, ſequēti [b] anno diſtinctius intelligentur; nunc Romana videamus, ſi prius tamen Ægypti regis fugam dixerimus. I. *Res anni huius.*

a li. 14. c. 17.

b l. 14. c. 10. & l. 1. bell. c. 6.

VIX annus abiit ab inita cum Romanis à Ptolemæo, emptaque magnis ſumptibus ſocietate, cum Ægyptus in eum, tributorum grauitatem non ferens, inſurrexit; in quam ille neceſſitatem à Romanis, ipſoque in primis Cæſare coniectus fuerat; tantaque vis ſeditionis fuit, vt vitæ ſuæ timens Auletes Romam profugerit. Et anno quidem ſequenti eum Romæ fuiſſe conſtat. Hoc autē ipſo fugiſſe ex Plut. in Catone minore ſatis conſtat, vbi habetur dū Rhodi Cato ſubſtitiſſet, Cyprio apparatui intentus, ad eum veniſſe Ptolemæum; ex eoque cordatam orationem, liberamque audiuiſſe, cum incuſaret eum Cato, atque ſubiiceret, quanta relicta felicitate, quantis ſe ſubiiceret indignitatibus, laboribus, largitionibus, & auaritiæ principum Rom. quos redacta in argentum Ægyptus vix expletura eſſet; proindeque Regi autorem fuiſſe, vt cum claſſe reciperet ſe, & cum ciuibus rediret in gratiam; comitem etiam ſe obtuliſſe, & in reconciliando adiutorem: quod ille cum rectiſſimum iudicaſſet, mox tamen à ſuis, ab ea ſententia male deductus eſt, vt ſequens annus declarabit. II. *Ægyptii Ptol. maū pellunt.* *Ratio temporis.* *Conſilium Catonis.*

ALIAM quoque cauſam pulſi Ptolemæi ſuggerit Dio l. 39, vbi in odia etiam eorum incurriſſe ait, tum ob tributa ingentia quæ vi exigebat, vt æs ſuum alienum diſſolueret, quod in emenda Romanorum amicitia, ac ſocietate contraxerat, tum quod Cyprum à Romanis poſcere iuſſus ab ipſis, & amicitiæ eorum renunciare, nō parebat. Itaque cum neque perſuadere eis poſſet, ait, vt quieſcerent, neque vi eos cohibere poſſet, vt qui conductitiis militibus careret, ex Ægypto aufugit, Romamque ſe contulit. Hæc Dio. Acceſſit autem ad hoc populi odium in Ptolemæum, Auletem, ad eum regno exigendum, etiam contemptus hominis dignitatem, ac III. *Cauſa expulſionis.*

maieſtatem regiam, choraulam exercendo, contaminantis, vt ſupra ex Strabonis 17. docuimus, cuius verba repetenda ſunt, vt ſimul ex eo diſcamus, quid interim in Ægypto ſit factum. Hic præter alia flagitia, inquit, etiam choraulam exercuit, & adeo ea ſe iactauit, vt non pigeret eum certamina in regia celebrare, ad quæ & ipſe cum aliis concertaturus prodiit.

IV. *Qui rerum ſtatus in Ægypto.*

Itaqve cum Alexandrini exegerunt: & cum ei tres filiæ eſſent, vnam natu grandiorem, quæ legitima eſſet, reginam fecerunt, duo eius filii infantes adhuc, regno tum prorſus exciderunt. Reginæ virum è Syria acciuerunt Cybioſactem quendam, qui ſe è Syriacorum regum ſtirpe ferebat. Hunc intra paucos dies Regina ſtrangulauit, cum eius ſordes, illiberalitatemque pati non poſſet. Sic Strabo; qui ſubdit mox aſcitum in regnum Archelaum, ſed, vt ex eodem loco patet, non ante annum ſequentem. Porro Cybioſactes, conuitii loco ab Alexandrinis appellatus eſt, quaſi ſalſamentarius, cum eum Seleucum appellet Dio, Reginam autem Berenicem. Interim Alexandrini, inquit Dio, cum eius profectionem in Italiam ignorarent, mortem oppetiiſſe arbitrati, filiam eius Berenicem regno præfecerunt, & poſtquam rem ipſam compererunt, centum viros Romam miſerunt, qui & contra eius accuſationes ipſos defenderent, & viciſſim ipſum de illatis iniuriis accuſarent. Quid autem vtriſque ſequenti anno Romæ contigerit, ſuo loco dicemus.

V. *Huius anni Coſſ.*

Qvod ad Romanos Coſſ. attinet, Appianus ait Cæſarem in prouinciam exacto Conſulatu profecturum, ſuæ factionis audaciſſimos Conſules deſignauiſſe, in annum proximum A. Gabinium ex intimis amicis, eundemque generum, & L. Piſonem ſocerum, Catone vociferante, imperia parati nuptiarum lenociniis. Cum primum, inquit Dio, Gabinius & Piſo ex Cæſaris voluntate Coſſ. facti ſunt, P. Clodius ſtrenue Cæſaris aduerſarios vexare cœpit. Nam M. Bibulum magiſtratu abeuntem, ac conantem pro concione, adhibito iureiurando, de præſenti Reipublicæ ſtatu verba facere, imperioſe prohibuit, eique obſtruxit os. Deinde Ciceronem aggreſſus eſt; quem cum videret plurimum ob eloquentiam poſſe, nec facile eſſe illum opprimere, ſtuduit ſibi non plebem ſolum, ſed equites quoq. ac Senatum, apud quos ordines primas obtinebat, ſibi adiungere.

Clodius Ciceronem euertere aggreditur.

VI. *Et quibus artibus.*

Qvanqvam & in iis ordinibus Cicero non paucos à ſe alienauerat, dum alios dicendo nimia libertate perſtringeret, alios immodica dicacitate violaret; dum præſtantiſſimo cuique ſe præferre ſtuderet, ac gloriandi, laudeſque ſuas prædicandi nullum faceret finem: adde inimicos, ob coniuratorum virorum nobilium necem, in vindictæ occaſionem excubantes. Clodius ergo vt omnes ſibi ordines demereri poſſet, & omnium vel diſſimulatione, vel voluntate Ciceronem euertere. Primo legem tulit vt frumentum, quod ex publico plebi modico ære diſtribuebatur, gratuito daretur. Deinde collegia ſodalitatum populo gratiſſima, quæ antiquitus inſtituta interciderant, renouauit: Cenſoribus etiam lege lata interdixit, ne quenquam magiſtratu mouerent, aut ignominia notarent, niſi quis apud vtrumque ordinem in iudicio conuictus eſſet.

Ciceronis aduerſarii.

VII. *Clodius eũ fallit.*

Cvm his legibus Optimates, plebemque ineſcaſſet, propius ad inſtitutum acceſſit. Veritus enim, ſi in ius Ciceronem vocaſſet, ne aliqui magiſtratus iudiciũ obſeruando de cœlo impedirent, rogationem tulit, ne quis qui cum magiſtratu eſſet, auſpicia captaret iis diebus, quibus populum aliquid ſciſcere neceſſarium foret: quale ſcilicet ipſe arbitrabatur eſſe, Tullium patrio ſolo exturbare.

Cũ perfidia.

Hæc cum Cicero contra ſe parari animaduerteret, L. Ninnium Quadratum Tribunum plebis ſibi comparauit, qui hiſce omnibus intercederet. At Clodius veritus ne hac interceſſione, aut tumultus excitaretur, aut rebus ſuis mora iniiceretur, Ciceronem dolo circumuenit, pollicitus, ſi per eum has leges ſibi perferre liceret, nullam ſe illi actionem intentaturum. Ita Cicerone, atque Ninnio quieſcentibus, & leges eas pertulit, & mox Ciceronem aggreſſus eſt. Eandem fraudem Dio, non tam Clodio, quam Cæſari, & aliis qui cum eo contra Ciceronem conſpirauerant, attribuit.

VIII. *Lex de cæde indemnatorum à populo ciuiũ.*

Addidit mox Clodius alteram legem, qua Ciceronis iugulum petebat, tametſi tacito eius nomine, contra eos omnes in vniuerſum, qui ciuem indemnatum à populo, aut occiderent, aut occidiſſent. Quæ lex Senatum vniuerſum fer-

retur, qui ciuem indemnatum à populo, aut occiderent, aut occidiſſent. Quæ lex Senatum vniuerſum petebat, qui Lentulum, Cethegum, cæteroſque decreto ſuo morti addixerat, qui Conſules Senatuſconſulto armauerat, vt prouiderent ne quid Reſpublica detrimenti caperet: quo decreto ſupremam illis vitæ neciſque poteſtatem, ſine iudicii forma tribuebant. Nihilominus tamen Cicero, qui eos detulerat ad Senatum, qui accuſauerat, qui ex Senatus decreto morte affecerat, inuidiam omnem ac culpam ſuſtinebat.

HIC Cicero omni ſtudio, conatuque Clodio reſiſtere, ac ne lex ferretur obſiſtere, & ſenatoria veſte depoſita, omnes adire, à quibus auxilium, præſidiumque ſperare poſſet; Cæſarem præſertim atque Pompeium, quos à ſe alienos, & hoſti ſuo conſentientes nondum intellexerat, à quibus etiam varie deluſus eſt. Cæſar Ciceroni conſilium dedit, vt ſe vrbe ſubduceret, id vt magis ex beneuolentia ſuadere videretur, legato ſe eo vſurum dixit, vt iam non tanquam reus cum ignominia, ſed honeſte, & cum imperio Clodium ſubterfugeret. Paulo aliter Plutarchus; ait enim Ciceronem à Cæſare contendiſſe, vt in prouinciã legatus duceretur, & Cæſare annuente, Clodium veritum, ne is euaderet Tribunatum ſuum, ſimulaſſe non abhorrere ſe à reconciliatione, reiecta in Terentiam maxima culpæ parte. Itaque cum is modice tantum, & amice expoſtularet, omnem illius diſcuſſit metum. IX. *Cæſar Ciceroni legationem ſuadet.*

ERGO repudiata legatione, Cæſarem, iam ſatis à ſe alienum, offendit, qui hinc corroborauit Clodium, inde Pompeium à Cicerone alienauit, qui eam quoque legationem diſſuaſit. Apertam enim eam eſſe fugam dicebat, & obſcure Cæſarem, qui animo inimico ei non recte conſuleret, notabat. Ipſe autem ſuadebat, vt in vrbe maneret, & ſe Senatumque defenderet, Clodiũ vlciſceretur: qui eo præſente ac repugnante nihil aſſecuturus eſſet: quam ad rem ſuam quoque opem pollicebatur. Quibus perſuaſus Cicero Pompeio ſe dedit, in eoque certum præſidium ſe inuenturum ſperabat, quippe Clodium nihil contra eius voluntatem tentaturũ; Gabinium quoque Conſulem in Pompeii poteſtate futurum. Itemque Piſonem propter affinitatem cum Cæſare, ſibi, cui Cæſar bene vellet, non aduerſaturum putabat. Itaque Cæſari gratiis actis, Pompei ſententiam ſecutus eſt, ſperans ſe inimicis longe ſuperiorem fore. X. *Quam male repudiat.* *Et Pompeio ſe dedit.*

ADHIBVIT etiam pro ſe deprecatores ad Conſules, & Senatum. Ipſi quoque equites in Capitolium coacti, ad eoſdẽ pro Cicerone legatos viros ſenatorios, Q. Hortenſium, & C. Curionem, alioſque ſui ordinis miſerunt. Ninnius quoque Trib. pl. tum aliis in rebus Ciceroni aſtitit, tum populum quoque, vt veſtem tanquam in calamitate publica mutarent, hortatus eſt. Idque multi etiam Senatores fecerunt, nec deſtiterunt, donec Conſulum edicto prohiberentur: qua de re Plutarchus pluribus, & ipſemet non vno loco M. Tullius. XI. *Adhibet pro ſe deprecatores.*

Verum Ciceronis aduerſarii potentiores ipſo fecerunt. Nam neque Clodius Ninnio cum populo de Cicerone agere permiſit. Et Gabinius Conſul equites acceſſu ad Senatum prohibuit, vnumque ex iis vehementius inſtantem vrbe expulit. Hortenſium autem & Curionem, quod coëuntibus equitibus affuiſſent, legationemque in ſe recepiſſent, criminatus eſt, eoſque Clodius per certos homines verberibus ea de cauſa concidit. Nec ſibi interea ipſemet defuit. *Irrito conatu ob aduerſariorũ potentiam.*

NAM Appia. ait Ciceronem, cum ei dictus à Clodio dies eſſet, ob Lentulum & Cethegum indemnatos occiſos, quam magno animo egregiũ id facinus perpetrarat, tam etiam abiecto tuliſſe iudicium ſibi intentatum. Itaque ſordidatum, pullatumque obuios, notos, ignotoſque infimis precibus ſollicitaſſe, & dum miſerabilis videri vult, ridiculum factum eſſe; vt hac quoque in re Demoſtheni non diſſimilis eſſet. Addit Plut. Ciceronem ſordidatum, prenſantemque populum omnibus in viis, à Clodio cum factioſorum manu laceſſitum; qui mira, inquit, proteruia illudentes conditioni ac ſqualori eius, paſſimque cænum, ac lapides in eum iactantes, ſupplicantem interpellabant. XII. *Ciceronis metus, animique abiectio.*

SECVNDVM hæc Piſo, qui in Ciceronem bene affectus videbatur, fugam illi licet ſtomachanti ſuaſit, quod aliter ſaluus eſſe non poſſet: cedendo autem tempori, & Clodiano furori, Rempublicam quæ periclitabatur, iterum conſeruaret. Idẽ Piſo publice mox interrogatus à Clodio, quid de propoſita lege ſentiret, reſpondit, nullum ſibi tam ſæuum, atque inhumanum factum probari. Gabinius contra roga- XIII. *Fuga illi ſuadetur.* Plutarch.

Cicero ſolvm vertit.

tus, non ſolum Clodium laudauit, ſed etiam conſilium equitum accuſauit. Voluit etiam Clodius legis ſuæ approbatorem habere Cæſarem; qui cum extra vrbem cum militibus in paranda expeditione eſſet, à Clodio rogatus, reſpondit, quæ facta eſſent contra leges, aduerſus Lentulum ſocioſque, ſe non probare, nec pœnam quam ei culpæ lex irrogabat: nec conuenire, vt de rebus præteritis talis lex ferretur. Craſſus vero opem aliquam Ciceroni per filium ſuum tulit, cum ipſe plebis ſtudia ſectaretur, & Ciceronem, vt ait Plutarchus, publice oppugnaret.

XIV. *A Pōpeio deſeritur.*

At Pompeius, qui auxilium promiſerat, quique reſiſtendi author fuerat, crebras excuſationes afferebat, & de induſtria ſubinde foras abibat, Cicerone in mediis malorum fluctibus deſtituto. Ruri enim agebat in Albano ſuo, vt inquit Plutarchus, qui addit Ciceronem ad eum Piſonem generum ſuum orandi cauſa miſiſſe, eodemque mox ipſummet Tullium profectum; ſed eius aduentu nunciato, non ſuſtinuiſſe Pompeium in eius viri venire conſpectum, qui pro eo maximas contentiones ſuſceperat, & quem propter Cæſaris affinitatem deſerebat ingratus.

Ab armis reuocatur.

Ergo Tullius metum inter iramque fluctuans, vim atque arma, Luculli conſilio incitatus, vt ait Plutarchus, præparebat, & Pompeium conuiciis proſcindebat. Prohibitus autem ab armis à Catone & Hortenſio, ne bellum inteſtinum ea res concitaret; inuitus, cum dedecore, & infamia, perinde ac ſi, conſcientia ſua victus, voluntarium exilium ſubiiſſet, clam concubia nocte vrbe ceſſit, & in Siciliam, cuius aliquando patronus fuerat, profectus eſt.

XV. *Solum cum ignominia vertit.*

Appianvs addit eum amicorum turba proſequente ſolum vertiſſe, cum publica ad Reges principeſque commendatione Senatus. Verum Plutarchus, ait Ciceronem in Siciliam quidē proficiſci voluiſſe, ſed à Prætore Siciliæ monitum, vt Sicilia abſtineret, Brunduſium admodum fracto animo petiiſſe, indeque Dyrrachium traieciſſe. Poſtremo Theſſalonicam, vbi menſes aliquot cum Plancio vixit, vt multæ eius literæ l. 3. ad Atticum docent.

Clodius in eius bona ſauit.

Exterminato Cicerone, inquit Plutarchus, Clodius villas eius incendit, domum, quæ in palatio erat, concremauit, aream in ædem Libertatis conſecrauit, reliqua bona haſtæ ſubiecit; quæ cum quotidie proclamaret, nemo tamen ad haſtam acceſſit. Legem etiam de eius exilio tulit, eique aqua & igni interdixit: denique ne quis intra quingenta millia paſſuum ab Italia, eum tecto reciperet: ne quis de eo ad Senatum referret, ne decerneret, ne diſputaret &c. quæ cum eſſent admodum violenta, non potuerunt eſſe diuturna.

XVI. *Catonem in Cyprum amandat. Clodii & Romani in Ptolemæū iniuria.*

Qvoniam autem Catonem maxime verebatur, quem populus, ob virtutis opinionem in oculis ferebat, cum Clodius, ne conſiliorum ſuorum aduerſarium haberet, procul amandare à conſpectu conſtituit. Itaque vt eadem opera regem Cypri Ptolemæum vlciſceretur, à quo, cum à piratis eſſet captus, redemptus non erat, aut duo tantum talenta dederat, vt ait Appianus, inſulam Cypri populi Romani eſſe iuſſit, & ad eam adminiſtrandam Catonem, licet inuitum amandauit, vt ſcribit Dio l. 38. & recte quidem hanc prouinciam Cato ſuſcepit inuitus; rectius etiam facturus, ſi ne ſuſcepiſſet quidem, ne particeps, & executor eſſet facinoris lōge iniuſtiſſimi. Audi enim Marcellinum. Non piget dicere, inquit, auide magis Cyprum inſulam pop. Rom. inuaſiſſe, quam iuſte. Ptolemæo rege fœderato nobis & ſocio, ob ærarii noſtri anguſtias, iuſſo ſine vlla cauſa proſcribi. Sic ipſe. Quid ergo factum erat, tot tantiſque opibus, quibus paulo ante Pompeius &, Lucullus vniuerſa populata Aſia, & Cæſar Luſitania ærarium vrbemque repleuerant? an tam cito male porta, male dilapſa erant?

l. 1. Ciuil.

li. 14.

XVII. *Conatum lege tribunicia.*

Cæterum non vehementius accuſandus videtur Cato, qui neceſſitati ceſſerit. Cum enim illū blande Clodius eſſet aggreſſus, putare ſe illum Romanorum omnium innocentiſſimum, ideoque illi prouinciam Cyprum, quam plerique ambiāt, demandare velle. Cato contra, inſidias Reip. parari clamitans, prouinciam reſpuebat. Igitur ſi gratum non eſt, ait, ingratis ibi. Ac profectus extemplo in concionem, legem pertulit de Catonis legatione. Proficiſcenti non nauem, non militem, non miniſtrum attribuit, prçter duos duntaxat ſcribas: alterum furem improbiſſimum, alterum Clodii clientem. Quaſi autem leue onus ei Cyprum & Ptolemæum impoſuiſſet, inſuper Byzantinorum exules reducendos commiſit, moliens vt in tribunatu ſuo Cato quam diutiſſime abeſſet.

XVIII. *Adit Cyprum Cato.*

Cato neceſſitate tribuniciæ legis compulſus prouinciam ſuſcepit, Quæſtor cum iure Prætorio, vt ait Velleius l. 2. qui etiam ait miſſum Catonem in inſulam Cyprum ad ſpoliandum regum Ptolemæum, omnibus morum vitiis eam contumeliam meritum. Sed quis te Romane conſtituerat iudicem & vltorem vitiorum Ptolemæi? & antequam abiret ipſe, Canidium quendam præmiſit in Cyprum, per quem cum Ptolemæo egit, vt ſine certamine cederet Romane potentiæ, ac voluntati, oſtenſa ſpe ipſum neque inopem neque abiectum victurum; Sacerdotiū enim Veneris Paphiæ populum ei daturum. Erant huiuſmodi quædam Sacerdotia locupletiſſima, quale refert A. Hircius in bello Alexandrino, Bellonæ in Cappadocia, cuius ſacerdos erat ſecundus à Rege. Et apud Iudæos Summus Sacerdos aut rex fuit, aut proximus à Rege. Dum autem ea in Cypro aguntur, Cato Rhodum venit ibique ſubſtitit.

XIX. *Profectio Cæſaris in Galliam. Clodius cōtra eum eiuſq. bona furit.*

Porro quæ circa Ciceronem Romæ facta ſunt, ſub huius anni initia contigerunt. Nam Plut. in Cæſare auctor eſt Cæſarem non prius in prouinciam eſſe profectum, quam interuentu Clodii Ciceronem ex vrbe, atque ex Italia exterminaſſet. Profectus eſt autem in prouinciam; vt ipſemet ſcribit l. 1. de bello Gall. ſub extremum Martium. Quoniam enim ad 5. Cal. Aprilis nunciabantur Heluetij Geneua in prouinciam Romanorum tranſituri, ipſe monitus maturauit ex vrbe proficiſci, & maximis itineribus Geneuam peruenit, vt tempori adeſſet, ibique tranſitum Heluetiis intercluderet. Quod & fecit, tum ponte, qui erat ad Geneuam, reſciſſo, tum muro in altitudinem ſedecim pedum, foſſaque ad decem & nouem millia paſſuum perducta.

XX. *Rem libenter gerit cōtra Heluetios.*

Cvm Heluetiis quoque bellum libenter geſturus erat in vltionem, tum L. Caſſij Longini, qui Conſul cum C. Mario anno v.c. 646. à Tigurinis Heluetiis cæſus fuerat, & exercitus ſub iugum miſſus: tum L. Piſonis viri Conſularis, qui tum legatus Caſſii interfectus fuerat, qui erat auus L. Piſonis ſoceri ſui, hoc anno conſulis. Id Cæſar ipſe non obſcure ſignificat. Res enim à Cæſare geſtæ non aliunde quã ab ipſomet petendæ videntur, ſiue quia ab ipſo cæteri mutuati ſunt, ſiue quia niſi vera ſcriberet, à multis, præſertim aduerſariis, redargui potuiſſet. Pleraque tamen prætermiſſa, quæ parum eius laudi ſeruiebant, aut diſſimulata, vel diminuta non vno loco ſignificabimus. A. Hircius Panſa, qui l. 8. de bello Gallico, victus Balbi precibus, ſcripſit, ait Cæſarem ſingulorum annorum ſingulos commentarios confeciſſe; quod ex ipſis libris non obſcure intelligitur. Quod & nos in ſequentibus ſtudioſe obſeruare conabimur.

XXI. *Diuina in hoc bello prouidētia.*

Divinam ergo, circa hoc bellum Helueticum, prouidentiã Cæſar ipſe ſignificat, Cum relata Tigurinorum cæde ſub tranſitum Araris, ſubdit, hunc Heluetiorū pagum patrum memoria (nondum quippe natus erat I. Cæſar ſed octauo poſt anno editus eſt in lucem, C. Mario ſextū Conſule, vt ſupra dictū eſt;) L. Caſſium Conſulem interfeciſſe, & eius exercitum ſub iugum miſiſſe; *Ita inquit, ſiue caſu, ſiue conſilio Deorum immortalium, quæ pars ciuitatis Heluetiæ inſignem calamitatem populo Ro. intulerat, ea princeps pœnas perſoluit. Qua in re Cæſar non ſolum publicas, ſed etiam priuatas iniurias vltus eſt, quod eius ſoceri L. Piſonis auum, L. Piſonem legatum, Tigurini eodem prælio interfecerant.* Hæc Cæſar.

XXII. *Bella quærit Cæſar in Gallia.*

l. 1. c. 24. Scribit Dio Cæſarem, cum in Galliam venit, omnia quietiſſima inueniſſe; tamen ne in pace degendum eſſet, vt primum forte ſeſe bellum obtulit, aliud atque aliud ex eo tractum eſſe. Apertius Sueton. [a] ait eum nulla belli occaſione, ne iniuſti quidem, ac periculoſi abſtinuiſſe, tam fœderatis, quam infeſtis ac feris gentibus vltro laceſſitis. Idem etiam refert Cæſarem hanc concupiuiſſe prouinciam, quod in ea inuenturus eſſet idoneam materiam triumphorum. Sed percurramus res hoc anno à Cæſare geſtas. Is ergo relicto ad munitiones Labieno, magnis itineribus Italiam repetit, inde cum quinque legionibus reuertens, ad fluuium Ararem Heluetios eſt conſecutus: cumque iam tres copiarum partes fluuium tranſiſſent, ipſe quartam partem ea erat Tigurinorum, inopinantem cum tribus legionibus aggreſſus, magnam partem concidit, reliquis fuga in vicinas ſyluas elapſis.

Heluetios in tranſitu Araris cōdit.

XXIII. *Pacem petunt nec impetrant.*

Hoc prælio facto, reliquas copias Heluetiorum vt conſequi poſſet, ponte in Arare facto, exercitum traducit; Hic Heluetii miſſis legatis pacem Romanis

offerunt: ſed Cæſar cum & obſides ab eis peteret, & de iniuriis ſociis illatis ſatisfieri vellet, Heluetii re infecta abiere.

Semina belli cum Heduis. Dũnorix Æduus. Poſtero die cum præmiſſi Cæſaris equites,alieno loco cum equitatu Heluetiorum prælium commiſiſſent,in fugam verſi ſunt, nonnullis deſideratis; cognitumque poſtea eſt fugæ initium à Gallis, qui cum Cæſarianis erant, per proditionem factum eſſe. Dumnorige quodam Æduo ad principatum aſpirante, & eum per Heluetios, ſi Romani profligati eſſent, ſperante. Ideoque & commeatum ab Æduis promiſſum expediri non ſinebat, vt fame quoque debellarentur. Ea de cauſa Cæſar cum dies complures Heluetios ſecutus,eos ab excurſionibus & prædis cohibuiſſet, iter ab Heluetijs auertit,ac Bibracte copioſiſſimũ Æduorum oppidum ire contendit.

XXIV. *Iterata pugna cum Heluetiis.* Helvitii conuerſo itinere Romanorum agmen nouiſſimum laceſſunt, tum ad legitimum certamen venitur; pugnatum eſt ab hora ſeptima ad veſperam, quo toto tempore auerſum hoſtem nemo videre potuit, cumque aliqui ad montem vicinum,alii ad carros ſuos atque impedimenta ſe recepiſſent, ibi quoque ad multam noctem pugnatũ eſt, donec Romani impedimentis carriſque potiti ſunt. Ex eo prælio 130. millia ſuperfuerunt, qui tota nocte verſus Lingonas profecti,eo 4. die peruenerunt; Cæſar dilato in tertium diem itinere ad Lingonas nuncios literaſque mittit, ne Heluetios commeatu iuuarent; alioqui ſe eodem loco illos,quo Heluetios habiturum. Ita Heluetii omnium rerum inopia adducti,deditionem *Debellatur cum eis.* fecerunt, Cæſar eos ad fines ſuas deſertos iterum incolendos remiſit, vt ibi pro muro, contra Germanos eſſent ſociis Romanorum.

XXV. *Belli cum Ariouiſto cauſa.* Eo bello confecto,eadem æſtate legati ad Cæſarem conuenerunt, tum victoriam gratulantes, tum etiam opem contra Ariouiſtum petentes,qui in Galliam primum è Germania venerat, ab Aruernis Sequaniſque contra Æduos euocatus: deinde autem multis Germanorum copiis auctus, Æduos ſummis malis afflixerat, *In gratiam Æduorũ.* & acceptis obſidibus ſub poteſtate habebat;nec minus in Sequanos, à quibus fuerat euocatus,tyrannidem exercebat. Cæſar ab Ariouiſto per legatos petit, vt quoniam Rex atque amicus à Senatu Romano,in ſuo Conſulatu appellatus eſſet, pro amicitia primum ne quam multitudinem hominum amplius trans Rhenum in Galliam traducat; deinde obſides Æduorum reddat, neue eos, eorumue ſocios iniuria vel bello vexet, id niſi faciat, ſe Æduorum iniurias, non neglecturum.

XXVI. *Cæſar Veſuntionem contra Ariouiſtum occupat.* Ad hæc cum Ariouiſtus ſuperbe reſpondiſſet, Cæſar intelligens magnam Sueuorum manum ad Rhenum ſtare, cupientes ſe Ariouiſti copiis coniungere, maturandum ratus, magnis itineribus ad Ariouiſtum contendit, qui tum ad Veſuntionem,oppidum maximum Sequanorum occupandum progreſſus erat: ſed eum Cæſar ſumma diligentia anteuertit,& occupatum oppidum præſidio firmauit. Ibi dum rei frumentariæ, commeatuſque expediendi cauſa moratur, magnus totum exercitum timor Germanorum inuaſit, quos vbi Cæſaris oratio confirmaſſet, ad Ariouiſtum progreditur, cumque ab eo millibus paſſuum 4. & 20. abeſſet, Ariouiſtus legatos ad Cæſarem mittit, colloquium petit, atque impetrat: quod cum Ariouiſti equites Romanorum equitatum laceſſerent, diremptum eſt, neque tamen Cæſare prohibente pugnatum.

XXVII. *Cum eo pugnat, ac victor euadit.* Biduo poſt Ariouiſtus petit per legatos iterum colloquium redintegrari, aut per legatos certe rem agi: duos ad eum mittit Cæſar, quos ille ſtatim coniecit in vincula. Poſt aliquot deinde dies commiſſa pugna, victoria Romanis ceſſit; hoſtis ad 50. millia paſſuum Rhenum vſque fugam continuauit; in quibus Ariouiſtus cum paucis flumen traiecit; cæteros Romani conſecuti interfecerunt. Cæſar vna æſtate duobus maximis bellis confectis, maturius paulo quam tempus anni poſtulabat, in hyberna in Sequanos exercitum deduxit, hybernis Labienum præpoſuit, ipſe in citeriorem Galliam, ad conuentus agendos profectus eſt. Hæc pluribus Cæſar toto l. 1.

XXVIII. *Quid nunc Cæſar in citeriore Gallia.* De hac victoria & rebus mox in citeriore Gallia à Cæſare geſtis: fuſos, inquit Plutar. in eius vita, ingenti ſtrage, 37. millia & quingentos paſſus vſque ad Rhenum inſecutus, campum hunc totum cadaueribus, ſpoliiſque compleuit, Ariouiſtus præcepta fuga, Rhenum cum paucis traiecit. Cecidiſſe

dicuntur octoginta millia. His patratis exercitum reliquit in Sequanis hybernaturum, ac rebus vrbanis intentus, in Galliam circumpadanam, quæ prouinciæ erat ſuæ, contendit: & mox. Ibi ſedens animos hominum captabat, confluebantque ad eum frequentes, quibus largiebatur quæ quiſque poſtulabat. Dimittebat omnes partim muneribus, partim ſpe plenos, ac reliquo toto belli tempore, imprudente Pompeio, hinc ciuium armis hoſtes domuit, hinc hoſtium opibus captauit, & authorauit ciues.

a l.1.c.23. Svet. huc facit cum [a] ſcribit Cæſarem Conſulatu functum à Prætoribus, C. Memmio, L. que Domitio, de ſuperioris anni actis interpellatum, cognitionem Senatui detuliſſe, nec illo ſuſpiciente, triduoque per irritas altercationes abſumpto, in prouinciam abiiſſe; & ſtatim eius Quæſtorem in præiudicium aliquot criminibus arreptum; mox & ipſum, cum in prouinciam abiiſſet, à L. Antiſtio Tribuno Pl. poſtulatum; appellato demum collegio obtinuiſſe, cum Reip. cauſa abeſſet, reus ne fieret. Ad ſecuritatem ergo poſteri temporis, inquit, in magno negotio habuit obligare ſemper annuos magiſtratus, & è competitoribus non alios adiuuare, aut ad honorem pati peruenire, quam qui ſibi pepigiſſent propugnaturos abſentiã ſuam; cuius pacti non dubitauit à quibuſdam iuſiurandum, atque etiam ſyngrapham exigere. XXIX. *Obtinet ne abſens reus fiat.* *obligat annuos magiſtratus.*

Inter hoc Pompeius non diuturnum fructum cepit initæ cum Clodio ſocietatis in perniciem Ciceronis citoque furioſos illius ſpiritus expertus eſt. Cum enim Lucullus otio ſeſe ac luxui dedidiſſet, Pompeius aſſiduus ruri cum Iulia degeret, & in hortis oblectaret ſeſe, Cicero in exiliũ actus eſſet, Cato ablegatus eſſet in Cyprum, Cæſar in Gallia degeret, populum autem Clodius ſibi videret addictum, Pompeium contẽnens, audaciſſima quæque aggreſſus eſt, nonnullaque eius acta reſcindere, vt refert Plut. in Pompeio. Itaque Pompeius, qui magnum momentum ſuperiore anno ad euertendum, eiiciendumque Cic. attulerat, magnum vice verſa hoc anno ad eum reducendum attulit, vt ait Dio. l.38. XXX. *Clodius etiã Pompeium vexat.*

Pompeivm in eam mentem impulit Clodii in illum ipſum audacia ac temeritas; Cum enim Tigranes etiam tum in vinculis apud L. Flauium detineretur, corruptus pecunia Clodius, eum eripuit ac dimiſit; qua re Pompeium Gabiniumque indignantes, etiam contumeliis conſectatus eſt, quarum partem in Plutarchi Pompeio reperies; eorumque aſſeclas verberibus, vulneribuſque mulctauit, Conſulis faſces confregit, eiuſque facultates ſacras eſſe iuſſit. Ergo Pompeius iratus ad conprimendum furioſum hominem, & tribunicia poteſtate contra ſeipſum, qui eam reſtituerat, inſanientem, capitalem eius inimicum M. Ciceronem reſtituere ſtatuit, confeſtimque eius reditum agitare per Ninnium cœpit. Is obſeruato tempore, quo Clodius à Senatu aberat, de Cicerone retulit; intercedente autem alio tribuno, ſuam rogationem, vt de qua cum populo acturus erat, publice propoſuit, deincepſque multa inter eos concertato fuit, Attico, reliquiſque amicis Ciceronis reditum ſumma diligentia vrgentibus, & Ciceronem, qui exilium impatientiſſime ferebat, crebris literis de rebus omnibus certiorem facientibus, vt ex toto lib. 3. ad Atticum aperte conſtat. XXXI. *Cauſa & apparatus reducendi Ciceronis.* *Clodii furor* *De Cicerone in Senatu agitur.*

ANNVS MVNDI 3997. SEXTÆ ÆTATIS 482.

HYRCANI PONT. 19. PTOL. AVLETIS 24. OLYMP. CLXXX. AN. 4. VRBIS CONDIT. 696. COSS. P. CORNELIO LENTVLO SPINTHERE, C. CÆCILIO METELLO NEPOTE. GALLICI BELLI 2. A. GABINII SYRIAE PRÆFECTI 1. HERODIS ÆT. 16.

ANNVS ANTE CHRISTVM 56.

I. *Res anni huius Sabbatici 202.*

DIVERSARVM rerum narratio ex Syria, Ægypto, Italia, Cypro, Gallia in hunc annum incurrit, quo Syriam Gabinius Proconſul adminiſtrare cœpit, ducenteſimo ſecundo annorum ſeptenario, ab ingreſſu Iudæorum in Chananitidem. Archelaus in Ægypti regnum intruditur. Ptolemæus Romam venit, ibique de reductione ſua agere cœpit. M. Tullius ab exilio reuocatur, Cato in Cypro ſine bello, Cæſar in Gallia contra Belgas cum armis bene rem gerit. De aduentu Gabinij in Syriã ſic M. Tullius De prou. conſ. An vero in Syria diutius eſt Semiramis illa retinẽda? cuius iter in prouinciã fuit eiuſmodi, vt rex Ariobarzanes Conſulem veſtrum ad cædem faciendam, tanquam aliquem thracem conduceret. Deinde aduentus in Syriam primus, equitatus habuit interitum; poſt conciſæ ſunt optimæ cohortes &c.

Et primum Syriæ. Cum ergo lege Clodia Gabinio Syria, Piſoni Macedonia, vicinæque prouinciæ ſuperiore anno datæ eſſent, in eas ſub extremum profecti, hoc ipſo res gerere cœperunt. Et vt Piſonem omittamus, minus ad inſtitutum noſtrum pertinentem,

II. *Alexãder Ariſtobuli filius Iudæam vexat.* CVM Alexander Ariſtobuli filius Iudæam incurſionibus vexaret, Proconſul Gabinius Roma venit in Syriam, & contra Alexandrum expeditionem ſuſcepit, Hyrcano iam non valente reſiſtere, & de muris Hieroſolymorum reficiendis cogitante, quos Pompeius deiecerat; ſed ab hoc conatu per Romanos prohibitus eſt. Ita Ioſephus in Antiquit.[a] At l. 1. de bell. c. 6. hanc ſpem, aut conatum reſtituendi muri Alexandro tribuit: ait enim Alexandro viſum eſſe breui ſe Hyrcanum debellaturum, quippe qui confidebat, cum Hieroſolymam veniſſet, ſe murum à Põpeio deiectum Hieroſolymis excitare. (Sicque ad verbum in Græco textu habetur) niſi Gabinius, qui Scauro ſucceſſerat, in Syriam miſſus, cum in aliis fortem ſe præbuiſſet, tum etiam in Alexandrum mouiſſet exercitum. *Gabinius vetat muros Hieroſol. reſtaurari.* Prior ſententia videtur verior, ideoque poſteriore ſcripto à Ioſepho emendata; præſertim cum Hyrcanus Hieroſolymis moraretur, vt ſummus Pontifex Iudæorũ, Reique pub. ſub Romano Prætore, ſiue Proconſule moderator eſſet: nec deſerendæ vrbis, templique cauſa vlla profertur à Ioſepho.[b] Intelligi tamen poteſt Hyrcanum Gabinio Proconſuli honoris cauſa obuiam prodiiſſe, moxque à Gabinio Hieroſolymam deductum, curaturum templum, & ſuum ſacerdotium.

a l. 14. c. 10.

b l. 14. c. 10.

III. *Feliciter cõtra Alexãdrum pugnat.* CVM igitur Alexander cum 10. armatorum millibus, & 1500. equitibus Iudæã occupare conaretur, contra eum venit Gabinius, præmiſſo M. Antonio, cum aliis ducibus: atque ita Romani coniuncti cum Iudæis in officio manentibus, quorum duces erant Pitholaus & Malichus, aſſumptis etiam Antipatri auxiliis, occurrerunt Alexãdro, ſequente cum reliquo exercitu φάλαγγι id eſt legione Gabinio. Tum Alexãder recepit ſe propius Hieroſolyma, vbi conſerto prælio Romani occiderũt hoſtium circiter tria millia, nec pauciores capti ſunt. *Et Alexãdrium obſidet.* Inde ad Alexandrium obſidendum ventum eſt, & cæſis qui extra caſtellum ſtationem habebant, concluſi promiſſa venia inuitabantur ad pacem.

IV. *Reparat vrbes in Iudæa.* INTEREA Gabinius relicta ad oppugnationem parte exercitus, cum reliquis copiis Iudæam perluſtrabat, & quotquot inueniebat vrbes dirutas, ædificari iubebat: atque hoc pacto inſtauratæ ſunt Samaria, quam Iannæus ante annos 40. diruerat, Azotus, Sythopolis, Anthedon, Raphia, Dora, Mariſſa, Gaza, aliæque non

paucæ, de quibus ſæpius actum eſt. Lib. 1. de bell. c. 6. addit Iamniam, & Apolloniam, & pro Gaza, Gadaram ponit. His ita per regionem diſpoſitis, Gabinius reuertitur ad Alexandrium, & cum intenderetur oppugnatio, per legatos veniam petit Alexander; & videlicet impetrauit interuentu matris ſuæ, quæ Romanis blandiebatur, propter detentum Romæ maritum cum liberis. Ea tamen lege vt caſtella traderet, quæ Gabinius dirui iuſſit, etiam eiuſdem mulieris rogatu, ne rurſus rebellantium Iudæorum receptaculum fieret.[a] Deinde conſtitutis quinque iuridicis conuentibus, in totidem æquales partes totam prouinciam diſtribuit, ita vt alii iura peterent Hieroſolyma, alii Gadara, (pro Gadara, Doram ponit l. 1. de bell. c. 6.) Amathuntem alii, quarti vero Hiericuntem, quinti Saphoram, quod erat Galilææ oppidum; ſicque liberati dominis, ait Ioſephus, ſub optimatum gubernatione degebant. Vel potius infirmos dominos cum potentibus commutarant.

Et expugnat Alexand.

Iudaea in quinque conuentus diſtributa.

[a] Sic l. 1. Bel. c. 6.

V. *Archelaus nouus Aegypti tyrãnus.*

QVOD ad res Ægypti attinet, Cybioſacte Syro intra breue tempus à Regina occiſo, in eius locum Archelaus ſubrogatus eſt, inquit Strabo l. 17. qui ſe Mithridatis Eupatoris filium ſimulabat, (eius ſcilicet qui cum Romanis bellum annis 7. & 20. geſſit) erat autem Archelai filius, eius, qui contra Syllam in Græcia primo bello Mithridatico diu bellum geſſit: in ſecundo autem veritus Mithridatem, ad Murenam confugit, vt ſcribat Appian. in Mithrid. etſi Dio l. 39. ad Syllam confugiſſe dicit, ideoque ei honor à Romanis habitus eſt; adeo vt nepos eius tempore noſtro, inquit Strabo, in Cappadocia regnaret. Archelaus ergo cum Gabinio tum degens, tanquam cum eo contra Parthos militaturus, eo neſciente per quoſdam amicos ad Reginam deductus, Rex declaratus eſt, iis conditionibus, vt regni bellique contra Romanos gerendi conſors fieret; vt habent Strabo, & Dio.

VI. *Auletes petit Romæ reſtitui in regnum.*

INTEREA autem his Conſulibus Romam peruenit Auletes, vt ait Dio l. 39. quo cum primum appulit, inquit Plutarchus,[b] atque ad fores vnius acceſſit in magiſtratu poſiti, defleuit inconſulta ſua cœpta, quod non viri boni verba, ſed dei faſtidiuiſſet oracula. Catonis conſilium inſtar oraculi fuiſſe ait. Petiit autem à Senatu vt à Spinthere Conſule, cui prouincia Cilicia mandata erat, nam Hiſpania Metello obuenerat, reſtitueretur. Cum eam rem Lentulus Conſul ad Senatum retuliſſet, SC. factum eſt, quo decretum eſt vt Lentulus ipſe Conſul regem reduceret, vt habetur[c] apud Tull. quam ad rem locorũ commoditas vehementer faciebat; nam Cilicia è regione Ægypti eſt, Hiſpania ab ea longiſſime diſiungitur. Verum cum Lentulus profectionem in prouinciam in anni finem diſtuliſſet, graues difficultates emerſerunt, quibus res tota diſiecta eſt.

[b] In Cato. min.

[c] Epiſt. 1. l. 1.

VII. *Graſſatur in legatos Alexandrinos.*

CVM autem audiſſet Ptolemæus[d] venire Alexandria legatos, emiſſis in omnes partes certis hominibus, eis inſidias poſuit, ac pleroſque in ipſo itinere interfecit; cæteros partim in vrbe occidit, partim precio & terrore iniecto, eo perduxit, ne cauſam cuius gratia venerant, apud magiſtratum agerent, vllamue interemptorum mentionem facerent. Res tamen ad Senatum relata, magnam illi mouit indignationem, & cum principem legationis Dionem ad ſe aduocaſſet, vt rem totam addiſceret, res tamen, dum Ptolemæus in vrbe manſit, obſcura fuit; quin imo ne Dione quidem mox per dolum necato, Ptolemæus pœnas dedit. Nam Pompeius domi ſuæ regem accipiebat, eique magnopere ſtudebat; cumque multi iudicum eius pecuniis expugnati fuiſſent, quiſque ſibi metuens periclitanti opem ferebat. Hæc Dio: obiecta autem religio circa eius reductionem, initio ſtatim ſequentis anni contigit, vt idem affirmat.

[d] Vt Dio tradit, l. 39.

VIII. *Rex Cypri ſibi manum infert.*

ÆGYPTO vicina eſt Cyprus inſula, ad eam ergo gradum faciamus, etſi pauca de ea hoc anno ex[e] Plutarcho, & Dione l. 39. occurrunt. Cum Cato Rhodi ſubſtitiſſet, Ptolemæus Cyprius intellecta per Canidium, à Catone miſſum, Romanorum voluntate, cum nec pudorem amittendæ Regiæ dignitatis ferre poſſet, nec à fratre Aulete regno tunc pulſo, vel omnino à quoquam vicinorum regum, aut principum auxilium accipere valeret, omnia quippe, aut in fœdere, aut in manu Romanorum erant; animi dolore victus, ſemet ipſe veneno necauit. Sic Cato ſine prælio magnam prouinciæ ſuæ partẽ quadam felicitate confecit. Cum autẽ magna vis pecuniæ relicta diceretur, decreuit ipſe Bizantium proficiſci. In Cyprum ſororis filium Brutum miſit, quod non ſatis fideret Canidio.

Cato Bizãtium adit.

[e] in Caton. min.

IX. *Mox Cyprum quã poliat.*

RECONCILIATIS exulibus cum cæteris ciuibus, Byzantio nauigauit in Cyprum, vbi amplum inuenit & regium in poculis, menſis, gemmis, purpura, inſtrumentum; in quibus pretio diſtrahendis, cum nimiam diligentiam adhiberet, & ſuſpectos amicos habere videretur, eorum non paucos offendit, Munatium in primis, qui Cæſari Anticatonem ſcribenti hoc argumentum ſuggeſſit. Appian. l. 2. de bell. Cato, inquit, ordinauit res Cyprias, cum iam Rex pecuniam proieciſſet, in mare, ſibique ipſi manus intuliſſet, quam primum decretum S.P.Q.R. cognouerat. Sed de pecunia parum probabile facit, immenſa auri argentique vis Romam à Catone inuecta. Reditus autem Catonis in vrbem, ad annum ſeq. pertinet. Nunc reditum Ciceronis, qui omnium conſenſu, huius anni eſt perſequamur.

X. *De reuocãdo Cicerone ſtudioſe agitur.*

CVM ergo conſtaret Pompeium infenſum Clodio, reditui Ciceronis fauere, ad eum acceſſerunt Prætores nonnulli, Tribunique Pl. atque in primis T. Annius Milo, qui etiam de ea re ad populum retulerunt. Cum repugnaret Clodius, S C. factum eſt, vt nulla de re, quæ ad Remp. pertineret, ante decerneretur, aut ageretur, quam de Ciceronis reditu latum eſſet. Acceſſit Lentulus Spinther Conſul, partim ſtudio gratificandi Pompeio incitatus, partim odio Clodii impulſus, quem etiam dudum adulterii accuſarat. At Conſul alter Ciceronem oderat, ideoque & Clodio aperte fauebat, Appius Claudius eius frater tum Prætor, aliique magiſtratus, cæterique ciues alterutram in partem diſtracti erant. Vtraque ergo factio Conſules ipſos nacta duces, multo magis quam antea de Cicerone tumultuabantur, multaque in ſuffragatione ipſa parum decora perpetrata ſunt: præſertim quod Clodius cognoſcens multitudinem pro Cicerone futuram, acceptis gladiatoribus, quos frater ad ludos funebres parauerat, in concionem inſiluit, multiſque tum ſauciatis tum occiſis, legis lationem impediuit. Sic Dio. Plut. in Cic. ait Tribunos plebis vulneratos in foro fuiſſe, Quintum Ciceronis fratrem inter cadauera pro mortuo latuiſſe.

At ſeditioſe.

XI. *Milo vim vi repellit.*

NE autem iudicium de vi ſubiret, eius enim nomen Milo detulerat, iiſdem ſtipatoribus vſus ædilitatem petebat, eique Metellus, iudicum ſortitione impedienda, fauebat. Milo vice verſa iudicium vrgebat, & cum illum gladiatoribus inſtructum videret, ipſe quoque coacta gladiatorum manu, aliorumque Ciceroni fauentium, aliquoties cum Clodio per vrbem, non ſine cæde conflixit. Factio porro Milonis ſuperior euaſit, poſtquam Metellus Nepos ſibi à Collega, Pompeio, cæteriſque obtimatibus metuens, ſententiam mutauit. Nam eo facto, referente Lentulo Senatus auctor factus eſt, vt Cicero reduceretur, idque populus juſſit, cum videret, vtrumque Conſulem auctorem eſſe. Pompeiũ quoque, alioſque viros principes ei legi adſtipulari; nec Clodius vi quidquam vel clamoribus potuit, Milone ad vim vi repellendam parato. Hæc Dio l. 39.

Lex fertur de reditu M. Tullii.

XII. *Redit perhonorifice.*

LEGE eſt, cum iam lata Cicero certior factus, pridie non. Sextiles Dyrrachio eſſet profectus, vt ipſemet ſcribit ad Atticũ,[a] illo ipſo die die quo lex eſt lata de ipſo. Sextodecimo fere menſe ab exitu, reuocatus eſt in vrbem, (App. l. 2. bel. ciuil. Plut. in eius vita.) Nonis Brunduſium venit. Ibi ex literis Quinti fratris didicit, mirifico ſtudio omnium ætatum atque ordinum, incredibili concurſu Italiæ, legem comitiis centuriatis eſſe perlatam. Inde à Brunduſinis honeſtiſſimis ornatus, iter ita fecit, vt vndique ad eum cum gratulatione legati conuenirent. Ad vrbem omnes ei obuiam effuſi ſunt, præter eos inimicos, quibus inimicitias non liceret aut diſſimulare, aut negare.

[a] l. 4. Ep. 1.

Magno plauſu vrbe excipitur.

Cum veniſſet ad portam Capenam, gradus templorum ab infima plebe completi erant, à qua plauſu maximo cum eſſet illi gratulatio ſignificata, ſimilis & frequentia, & plauſus eum vſque ad Capitolium celebrauit: in foro, & in ipſo Capitolio miranda multitudo fuit.

XIII. *In Senatu gratias agit.*

POSTRIDIE in Senatu, qui fuit dies Non. Sept. Senatui gratias egit. Eo biduo cum eſſet annonæ ſumma caritas; & homines ad theatrum primo, deinde ad Senatum concurriſſent, impulſu Clodii, & Ciceronis opera frumenti inopiam eſſe clamarent, (vide inſignem hominum leuitatem, tantulo tempore tam diuerſis vocibus obſtrepentium, ſi tamen iidem fuerunt,) & ad eam procurationem Pompeius omnium voce peteretur; idque ipſe cuperet, multitudoque nominatim à M. T. vt id decerneret, poſtularet; Cicero, vt quamprimum ei acceptum ſoluti exilii

beneficium compenſaret, ſententiam dixit, factumque eſt in eius ſententiam SC. quo recitato, incredibili plauſu nomen eius à tota concione celebratum eſt. Legem Coſſ. conſcripſerunt, qua Pompeio per quinquennium omnis poteſtas rei frumentariæ toto orbe terrarum dabatur; alteram Meſſinius, qui omnis ei dedit pecuniæ poteſtatem, & adiunxit claſſem & exercitum, & maius imperium in prouinciis, quam eſſet eorum, qui eas obſtinebant. Quæ leges multorũ animos, timentium ne nimia poteſtas Pompeio daretur, exacerbauit. *Pompeius rei frumentariæ ad quinquennium præficitur. Altera pro eo lex.*

XIV. CICERO autem pro bonis ſuis, domoque imprimis recuperanda, pridie Cal. Octob. accurate vtiliterque pugnauit. Ædium ſuperficiem Conſules, de conſilii ſententia æſtimarũt ſeſtertium vicies, id eſt centum millibus lib. Tur. cætera valde illiberaliter: Tuſculanam villã quingentis millibus ſeſt. (id eſt 25. millib. libr. Tur.) Formianũ 250. millibus, (id eſt 12. milli. & quing. lib. Hæc ex Cic. [a] Dio vero ſcribit Ciceronẽ, improbata Clodii ad plebem tranſitione, eadẽ etiam ratione omnia eius acta in tribunatu euertere voluiſſe, vt ſequenti anno dicetur. *Agit Tullius pro domo ſua.*

[a] 2. Ep. l. 4. ad Att.

XV. SVPERSVNT res à Cæſare hoc anno in Gallia geſtæ, quæ ſecundo eius commentariorum libro continentur; quas Dio quoque, & Appianus deſcribunt, quarum hæc ſumma eſt. Cum in Sequanis Romanæ copiæ Labieno duce hybernarẽt, Cæſar in citeriore Gallia, tam rumore nuncio, quam literis Labieni fit certior omnes Belgas contra Romanos coniuraſſe, ſibi ab eorum dominatione timentes. Ita Cæſar duas legiones in citeriore Gallia nouas conſcripſit, quas ſubſequi iuſſas inita æſtate, ipſe maturius anteuertit. Quæ apud hoſtem gerantur, quoque in ſtatu res eorum ſint, à Senonibus, reliquiſque finitimis addiſcit, ſummaque celeritate, diebus circiter 15. ad Belgarum fines peruenit. Ibi Rhemi miſſis ad Cæſarem legatis, ſe ſuaque omnia populi Rom. fidei poteſtatique permiſerunt: à quibus cum obſides accepiſſet principum filios, imperat Æduis copias ſuas in Bellouacorum fines inducere, vt pars aliqua hoſtilium copiarum, quæ infinitæ erant, ad ſuorum regionem defendendam diſtraheretur. *Res in Gallia geſta. Belgæ in Romanos coniurant. Rhemi ſe Romanis dedunt.*

XVI. IPSE ad flumen Axonam, quod eſt in extremis Rhemorum finibus, exercitum traduxit, ibique caſtra poſuit. Inde ſubſidio miſſo Bibractem oppidum Rhemorum, Belgarum obſidionem ſoluit, ipſoſque in ſe, poſt multam agri populationem, conuertit. Cum quibus quotidianis equitum velitationibus congrediebatur, vt quid hoſtis virtute poteſt, quid aduerſus eos Romani auderent, periclitaretur. Vbi Romanos non eſſe inferiores intellexit, aciem idoneo loco inſtruxit, & vtriſque in traiectu paludis interiectæ cunctantibus, ad flumen Axonam acriter pugnatum eſt, magna cum Belgarum clade: quos cum res frumentaria deficere inciperet, & Æduos Bellouaco appropinquare conſtaret, concilio conuocato, conſtituerunt optimum eſſe domum ſuam quemque reuerti. Et in ſuis potius, quam alienis finibus decertare. *Cæſar in Belgas mouet. Velitationibus agit. Moxque iuſto prælio vincit.*

XVII. ABEVNTES Cæſar inſecutus, multa eorum millia ad ſolis occaſum vſq; concidit. Inde Nouiodunum deditionem facit, & petentibus Rhemis, vt conſeruarentur, impetrant; Idem & Bellouaci Diuitiaco Æduorum principe deprecante, traditis armis, & ſexcentis obſidibus. Ab eo loco in fines Ambianorum peruenit, qui ſe ſuaque omnia ſine mora dediderunt; plus laboris & damni in Neruiis, quibus ſe Atrebates, & Veromandui coniunxerant, domandis fuit. Nam Romani magna ex parte primum fuſi fugatique ſunt, adeo, vt Treuiri qui auxilio Cæſari veniebant, actum eſſe de Romanis exiſtimantes, domum contenderent. *Abeuntes verſequitur & concidit. Ambiani ſe dedunt. Neruii Romanos vincunt.*

XVIII. CÆSARE tamen mox in primam aciem cum ſcuto gregarii vnius militis, procedente, ſuo exemplo ſuorumque adhortatione inchoatam cladem ita correxit, vt primo hoſtium impetum retardaret, tum reliquis legionibus ſumma celeritate ſuperuenientibus, tantus victis iniectus eſt ardor, vt etiam qui vulneribus confecti procubuiſſent, ſcutis innixi prælium redintegrarent; aliqui inermes armatis occurrerent; denique victi victores euaderent, & gentem nomenque Neruiorum prope ad internecionem redigerent. Adeo vt ex ſexcentis Senatoribus, tres omnino ſupereſſe dicerentur; ex hominum millibus ſexaginta, vix quingenti numerarentur, qui arma ferre poſſent. Quæ cum Cæſar à maioribus natu per ſupplices legatos didiciſſet, eos miſericordia vſus conſeruauit, ſuiſque finibus atque oppidis vti iuſſit. *Moxque vincuntur. Et pene delentur.*

XIX. ALVATICI quoque, etſi munitiſſimo clauſi oppido, cum hoſtem etiam irri- *Res ad Aluaticũ geſta*

derent, animaduerſo mox turrium & machinarum motu, & apparatu conterriti, de deditione agere cœperunt, vnum orantes, vt arma ad ſui contra vicinos hoſtes defenſionem retinere liceret. Id cum non impetraſſent, arma, non tamen integre dediderunt; cumque Cæſarem cum exercitu in vrbem accepiſſent; ſub veſperum Cæſar, iuſſit militem exire, portaſque oppidi claudi, ne quam noctu oppidani à militibus iniuriam acciperent. At ciues tertia vigilia eruptione facta, contra Cæſarianos, ita acriter pugnarunt, vt à viris fortibus, iniquo loco, in extrema ſpe ſalutis oportuit. Occiſis tamē ad 4. hominum millibus, reliqui in oppidū reiecti ſunt. Poſtridie eius diei refractis portis, cum iam defenderet nemo, ciues omnes ad 53. capitum millia ſub haſta vendidit.

Poſt fraudē victi veneunt.

XX. *Armoricos in deditionem accipit.*

EODEM tempore à P. Craſſo, quē cum vna legione ad Venetos, Rhedones, aliosque Armoricos, qui Oceanum attingunt miſerat, certior factus eſt, omnes eas ciuitates in ditionem, poteſtatemque populi Rom. eſſe redactas. Quibus peractis, legionibus in hyberna ad Carnutes & Turones deductis, ipſe in Italiam profectus eſt, 15. dierum ei ſupplicatione ob eas res decreta, quod ante id tempus contigerat nemini. Hæc Cæſar ipſe pluribus: in quibus vix vllam populationum, ac prædarum mentionem reperias; ſed eæ ſuppleri, aut coniici potius ex Suetonio poſſunt,[a] qui cum eius rapinas Luſitanicas attigiſſet, de Gallicis hæc addit. a l.1.c.54.

XXI. *Rapinis Galliam vaſtat.*

IN Gallia fana templáque Deûm donis referta expilauit, vrbes diruit, ſæpius ob prædam quam ob delictum: vnde factum, vt auro abundaret, terniſque millibus numum in libras, promercale per Italiam prouinciaſque diuideret. Idem ſingulas auri libras, puta vaſorum, coronarum, donariorum, tribus millibus ſeſtertiorum, id eſt, 150. libris Turonicis diſtraheret, (iuxta ſupputationem Cenalis, qui ſingulos ſeſtertios ſingulis ſolidis Turonenſibus æſtimat:) id eſt dimidiato precio minoris, quam eſſet eius legitimus valor. At Budæus qui tria millia nummum æſtimat ſeptem libris argenti cum ſelibra, in ſingulis auri libris (quæ æſtimantur duodenis argenti) Cæſarem 4. librarum argenti cum ſelibra iacturam feciſſe ſignificat; quæ æſtimatio eodem ferme redit.

Aurum vili precio diſtrahit.

ANNVS MVNDI 3998. SEXTÆ ÆTATIS 483.

HYRCANI PONT. 20. PTOL. AVLETIS 25. OLYMP. CLXXXI. AN. I. VRBIS CONDIT. 697. COSS. CN. CORNELIO LENTVLO MARCELLINO, ET L. MARCIO PHILIPPO. BELLI GALL. 13. GABINII SYRIAE 2. PRÆF. HEROD. 17.

ANNVS ANTE CHRISTVM 55.

I. *Res anni huius.*

ARISTOBVLVS ſiue fuga Roma elapſus cum ſuis, vt Ioſepho placet,[b] ſiue iiſdem artibus, quibus iunior Tigranes emiſſus, res hoc anno iterum in Iudæa perturbat: Ægyptii regis reſtitutio obiecta religione impeditur; Cato è Cypro reuertitur, Cæſar in Gallia terra marique bene rem gerit. In vrbe pergit ſtabilire dominatum: quando in Olympicis Lamachus Tauromenites curſus gratia coronatus, Olympiadi centeſimæ octogeſimæ primæ, nomen dedit. b l.14.c.11.

II. *Hyrcani frater Roma fugit.*

ARISTOBVLVS ergo Roma profugus, cum reuerſus eſſet in Iudæam, & conaretur Alexandrium caſtrum recens dirutum denuo munire, Gabinius miſit eo milites, ducibus Siſenna filio, Antonio & Seruilio, qui eum locum occupari non ſinerent, & darent operam vt ipſum comprehenderent. Deinde cum multi Iudæi ad Ariſtobulū confugerent, cum octo millibus armatorum Macheruntem occupare volens (id tamen oppidū proximo anno dirutū fuerat, vt paulo ante Ioſephus ipſe c. 10. ſcripſit) illuc contendit: ſed occurrentes Romani in fugam compulſos, occiſis circiter quinque Iudæorum millibus, egregie vicerunt, reliquis diſſipatis, quo quemque impetus, aut ſpes tulit.

In Iudæa cum Romanis male pugnat.

III. *Rurſum capitur & Romā abducitur.*

ARISTOBVLVS plus mille ſecum trahens perfugit Macheruntem, muniebat-

que id caſtrum: ſed cum non vltra biduum ſuſtinuiſſet oppugnationem, multis acceptis vulneribus, captiuus cum Antigono filio, qui ei comes fugæ fuerat, ad Gabinium adductus eſt; atque ita reflante iterum fortuna, remiſſus Romam, in vinculis eſt habitus, poſtquam regno & Pontificatu potitus eſt, annis tribus cum dimidio. Sic Ioſephus, cuius hæc poſtrema verba, ad Pompeii in Iudæam aduentum, non ad præſens tempus referenda ſunt, perbreue enim id fuit; nec triennium cum dimidio Gabinii præfectura patitur, quæ fere biennii fuit, & ante Ariſtobuli reditum iamdudum inchoata. Quamquam ne tum quidem Ariſtobulus vere Pontifex fuit, ſed tyrannus, vt ſupra docuimus, ideoque neque regni eius, neque Pontificatus vllam rationem habuimus. Liberos tamen Ariſtobuli dimiſit Senatus, cum ex Gabinii literis cognouiſſet, promiſſum hoc eorum matri, dum caſtella traderet, qui mox in Iudæam reuerſi ſunt. Hi liberi filiæ tantum duæ fuerunt [a] nam reliqui duo filii Alexander & Antigonus, ille ex itinere, hic ex vrbe cum patre profugit, de quibus iterum ſuis locis nobis futurus eſt ſermo.

Ariſtobulus tyrannus.

[a] *vt patet ex l. 14. c. 8. fin.*

INTEREA res Ægypti moram hoc anno acceperunt. Dum enim Lentulus Proconſul præfectus Ciliciæ expectat, vt ſibi ea cura ex SC. committatur, idque omni ſtudio à M. Tullio vrgetur, initio ſtatim anni huius, vt ait Dio l. 39. ſtatua Iouis in Albano monte cœlitus tacta, Romani libros Sibyllinos adiere: in quibus ita ſcriptum repererunt. *Si Rex Ægypti auxilii alicuius indigens venerit, amicitiam ei ne denegaueritis, nullis autem copiis eum adiuueritis, ſin ſecus feceritis, labores & pericula habebitis.* Admirati igitur id carmen, ita ad rem præſentem congruere, omnia quæ de eo decreta fuerant, antiquauerunt, C. Catonem Tribunum pleb. ſecuti, qui id oraculum in vulgus per ſacerdotes ipſos, contra ius faſque, protulit. Atque adeo præter veritatem, vt plerique cenſuerunt.

IV. *Reductio Auletis impedita.*

Per cauſam religionis.

Cum deinde ſententiæ dicerentur, aliique à Lentulo Spinthere ſine exercitu iuberent Ptolemæum reduci, alii id à Pompeio cum duobus lictoribus fieri vellent; idq; Ptolemæus ipſe oraculo intellecto poſtularet, veriti Senatores, ne hæc ipſa res Pompeium adhuc maiorem efficeret, ſub prætextu mandatæ annonæ ei obſtiterũt.

Variæ ea de re in Senatu ſententiæ.

ATQVE hæc quidem L. Philippo, & Cn. Marcellino Coſſ. acta ſunt. Quibus cognitis Ptolemæus reditu deſperato, Epheſum profectus, apud Dianam Epheſiam commoratus eſt. Hæc ex Dione. Cic. l. 1. epiſt. epiſtola 1. hac de re agens, plurimos Hammonii regii legati pecuniis corruptos, Pompeio fauiſſe tradit, nec dubitat id oraculum Sibyllinum religionis calumniam appellare: & rurſus ep. 4. Hæc tamen, inquit, opinio eſt populi Rom. à tuis inuidis atque obtrectatoribus nomen inductum fictæ religionis, non tam, vt te impedirent, quam vt ne quis, propter exercitus cupiditatem, Alexandriam vellet ire. Significans rem Catone tribuno, ſiue in Pompeii, ſiue in Lentuli odium confictam; Senatum tamen inuidia regiæ largitionis eam comprobare. In Senatu autem varias fuiſſe ea de re ſententias, Bibuli qui à tribus priuatis eum reduci volebat, Craſſi qui à tribus ſiue priuatis, ſiue in imperio conſtitutis, Marcellini Conſulis, & Seruilii, qui Ptolemæum reduci nolebant; Volcatius, Afranius, Hypſæus, Libo, & Pompeii familiares Pompeium nominatim petebant; Hortenſius, Lucullus, Cic. pro Lentulo faciebant. Itaque toto anno res varie iactata, exitum Ciceroni optatum non habuit, vt ſequenti anno intelligetur.

V. *Auletes Epheſum abit.*

Res toto anno trahitur

HOC denique anno è Cypro, reuerſus eſt Cato, teſte Dione l. 39. & Plutarcho in eius vita. Qui eum reditum ſub hos ipſos Conſules memorant: eius modum ex Plutarchi Catone minore petemus.

VI. *Cato Cypro reuertitur.*

Cum Cato precioſiſſimam Cyprii regis ſuppellectilem diſtraxiſſet, paulo minus ſeptem millia argenti talenta coëgit; veritus autem longam nauigationem multa vaſa parauit, quorum ſingula capiebant bina talenta & drachmas quingentas. Singulis longum alligauit funiculum, cuius capiti corticem ſuberis prægrandem annexuit; quæ ſi afflictum eſſet nauigium, alligatus ob imo locum commonſtraret. Cum autem ſub hyemem nauigaret, tempeſtate iactatus nauigium vnum cum ſarcinis amiſit.

Pecuniis prouidet in naufragio.

Atque argentum quidem omne perpauco excepto proſpere tranſuectum eſt: at rationes eorum quæ geſſerat, in duobus codicibus diligenter deſcriptæ amiſſæ ſunt, altero vna cum nauigio demerſo, altero igne conſumpto. Cum enim

Naufragio & incendio affligitur.

nautæ crebras pyras ob gelu nocte incendiſſent, inflammatis tentoriis ſimul codex deſideratus eſt. Sicque ſpes Catonis, exemplum præbere cupientis, publicam pecuniam in prouincia tractandi, eluſa eſt. Quod Plutarchus improbe Ethnicorum more, ad Deorum inuidiam refert, quæ iuſta potius fuit caſtigatio vanitatis, & gloriolæ Catonis, de fide & abſtinentia perpetuam laudem ambientis.

Ethnicorũ blaſphemia

VII. *Vt exceptus Romæ Cato.*

VT ad Tiberim venit, omnes magiſtratus, & Sacerdotes, vniuerſuſque Senatus cum frequenti populo obuiam ei ad flumen prodiere, & ripis vndique completis, nihil à triumphi ſpecie, & ſplendore eius ſubuectio differebat. Laudem bene geſtæ rei, inquit Dio, non minorem adeptus eſt, quam ſi victor è bello reuertiſſet. Cum enim alii ſe pecuniis corrumpi paterentur, id effecerat, vt pecunias deſpicere, quam hoſtes ſuperare rarior victus haberetur. Tranſlatæ per forum pecuniæ populum cepit admiratio; Et Senatus Catonem tum miris extulit laudibus, nihil penſi habens quam iuſte forent conquiſitæ, tum ei præturam citra comitia, & extra ordinem decreuit, & ius ſpectandi in prætexta ludos; quæ Cato repudiauit, malens, vt ait Valer.[a] campeſtrem experiri temeritatem, quam Curiæ beneficio vti. Nec forte ſine pœnitentia. Nam, vt temeritatem agnoſcas, quam Valer. innuit, autor eſt Liuius Epit. 105. in petitione Præturæ M. Catonem, prælato Vatinio, quis cui, repulſam tuliſſe; Sed id per vim factum eſſe, anno ſequenti dicemus ex Plutarcho.

[a] l. 4. c. 1.

VIII. *Quando præturam adeptus.*

DIO ait Præturam ei delatam, quam nondum leges concedebant; & recte. Agebat enim is nunc 38. an. quandoquidem mortuus eſt an. c. v. 707. vt infra oſtẽdetur, cum ageret annum ætatis duodequinquageſimum, vt Plutarcho placet in eius vita. Itaque cum Valer. ait Senatum voluiſſe, vt Prætoriis comitiis extra ordinem ratio eius haberetur, extra ordinem rectè intelligi poteſt, ante legitimam ætatem. Plut. in Cicerone, ait eum captata opportunitate per abſentiam Clodii, magna frequentia ſcandiſſe in Capitolium, tabulaſque, quæ acta Clodii tribunatus continebant, reuulſiſſe, ac corrupiſſe; negaſſeque quidquam actorum eius ratum eſſe: eaque re offenſum Catonem ei reſtitiſſe, eo quod etiam quæ à ſe in Cypro, ac Byzantii acta eſſent, aboleri neceſſe erat: vnde inter Ciceronem & Catonem nonnulla offenſio nata eſt, quæ tamen in apertam inimicitiam, propter vtriuſque moderationem, & prudentiam, non erupit.

IX. *Res à Cæſare feliciter geſta.*

A Galba in Alpium accolas.

IN Gallia porro multis in locis, imo omnibus, & vbique perpauci contra plurimos, ſi recte Cæſar, atque vere[b] exponit, hoc anno geſta, præclare ab ipſo, ſuiſque pugnatum eſt. Nam Ser. Galba Alpium accolas, poſt aliquot prælia victos, & ad deditionem compulſos, & pace datis obſidibus firmata rebellantes, quod libertatem amarent, & ſperarent legionem Romanam facile à magna multitudine opprimi poſſe, ingenti prælio ſuperauit; cum prius horis ſex continenter pugnatum eſſet, & Romanos propter paucitatem iam vires ac tela defeciſſent; denique res ad extremum eſſet deducta diſcrimen. Nam cum à duobus primariis militibus monitus eſſet Galba, vnam ſpem ſalutis in eruptione eſſe, ille monuit ſuos, vt pauliſper animos reciperent, & tantummodo tela miſſa exciperent, donec ſignum ad eruptionem datum eſſet: hi quod iuſſi ſunt faciunt, ac ſubito omnibus portis eruptione facta, ita hoſtem perturbant, vt qui in ſpem potiendorum caſtrorum venerant, vndique circumuenti, ex 30. millibus plus tertia parte interfecti fuerint, reliqui perterriti coniecti ſint in fugam.

[b] l. 3.

X. *Armorici à Romanis deficiunt.*

SVB idem tempus P. Craſſus adoleſcens cum legione ſeptima Audibus ad Oceanum hyemabat; ea de cauſa præfectos, tribunoſque militum complures, varia in loca commeatus cauſa dimiſit: ad Venetos autem in primis, qui nunc Vannetes vulgo dicuntur; qui cum eo tempore mari plurimum poſſent, indigne ferentes tam facile à ſe iugum Romanorum ſuſceptum, & datis obſidibus confirmatum. Primi Romanos apud ſe vi retinent, rati ſe eo modo obſides ſuos recuperatos, eorum exemplum cæteri ſunt ſecuti. Denique tota ora maritima communem legationem ad P. Craſſum mittunt, ſi ſuos recipere velit, obſides ſibi remittat. Simulque conſcii facinoris in Romanos admiſſi, & datæ fidei, oppignoratæque temerè violatæ, omni ope naualebellum, quo ſuperiores ſe fore non immerito ſperabant, inſtruunt.

Ea re perturbatus Cæſar, ſimulque veritus ne horum exemplum reliqui ſequerentur, cum rem nauticam in flumine Ligeris, quouſque ad Nannetes decurritur, ſummo ſtudio præparari curat, tum etiam Labienum in Treuiros, Craſſum in Aquitaniam, Sabinum in Venellos vicinoſque populos, ad eas gentes in officio continendas dimittit. D. Brutum claſſi præficit, & in Venetos proficiſci iubet, ipſe eo pedeſtribus copiis contendit, apud eos diu terra marique luctatus, quod hoſtes & nauium firmitate, & altitudine, & numero, ducentas enim & 20. rebus omnibus paratiſſimas habebant; locorum quoque experientia, & maris beneficio ſuperiores eſſent. XI. *In eos proficiſcitur Cæſar.* *Diu terra marique in eos luctatus.*

Cvm Romani falces præacutas inſeruiſſent, affixiſſentque longuriis, iis funes, quibus antennæ ad malos erant alligatæ perrumpebant, quibus abſciſſis antennæ cum velis neceſſario concidebant, id cum factum eſſet, reliquum erat certamen poſitum in virtute, qua Romani, in conſpectu præſertim Imperatoris, facile ſuperabant; Itaque cum diſiectis antennis milites in naues inuaderent, ibique acrius pugnarent, expugnatis compluribus nauibus, reliqui ſecundo vento effugere parant; Cum tanta ſubito malacia ac tranquillitas extitit, vt ſe loco mouere non poſſent, eamque quam reliquæ cladem ſubirent, paucæ omnino nocte ſuperueniente ad terram euaſerunt. Eo prælio cum Venetorum vires, totiuſque oræ maritimæ acciſæ eſſent, deditionem fecerunt: Cæſar, ad terrorem aliis incutiendum, omni Senatu necato, reliquos ſub corona vendidit. XII. *Naualem victoriam ſtratagemate obtinet.* *Et ſubita malacia.*

Sabinvs quoque magnam victoriam conſecutus eſt, apud Lexouios, vicinoſque Normanniæ populos, qui Senatum ſuum interfecerant, quod belli autores eſſe noluiſſent. Hi cum ingentibus copiis Titurium Sabinum cunctantem vrgebant, & captantem prælii opportunitatem, timoris etiam domeſtici arguebant. Hic Sabinus ſumittit transfugam, qui timorem Romanorum proponit, quibus anguſtiis Cæſar ipſe à Venetis prematur, docet; denique & Sabinum fugam circumſpicere. Qua re credita omnes temere in arma ruũt, & quaſi explorata victoria, magno curſu contendunt in caſtra Romanorum; ne ſcilicet eis ſpatium arma capiendi darent. Erant caſtra accliui loco poſita, & ferebant hoſtes præter arma, ſarmenta quibus foſſas implerent; itaque onere ac curſu exanimati, cum ad caſtra perueniſſent, Romani duabus ſimul portis eruptione facta, cum loci etiã opportunitate vterentur, in hoſtem imperitum belli, atque fatigatum, magnum videlicet numerum hoſtium, primo ſtatim impetu fuſum fugatumque, occiderunt; eamque victoriam reliquarum ciuitatum deditio ſubſecuta eſt. Sic vno tempore, & de nauali pugna Sabinus, & de Sabini victoria Cæſar certior factus eſt. XIII. *Sabini apud Lexouios victoria.*

Crassvs quoque M. filius, legatus Cæſaris in Aquitania, non minore etiam labore, periculoque certauit; tandem cunctantem hoſtem, & Romanos penuria conficere conantem, in caſtris ipſis aggreſſus, poſt longam pertinacemque pugnam, equites circuitis hoſtium caſtris, Craſſo denunciauerunt, non magna diligentia à decumana porta caſtra eſſe munita. Ergo Craſſus 4. cohortes emittit, quæ viſæ circuitu imprudenti hoſte, omnium quippe oculi, menteſque in pugnam intenti erant, caſtra à tergo inuadunt. Clamore ex ea parte audito, hoſtibus deſperatio, Romanis alacritas iniecta eſt: ergo fuga vndique facta, equites per patentes campos facile fugitiuos conſecuti, ex millium 50. numero, vix quarta parte relicta, multa ſe nocte in caſtra receperunt. Hac audita pugna, maxima pars Aquitanorum ſeſe Craſſo dedidit. XIV. *Et Craſſi apud Aquitanos.*

Cæsar interea apud Morinos, Menapioſque Belgarum populos, victoriæ ſemina, ac fundamenta iecit. Sicque in quatuor extremis Galliarum partibus, à Cæſarianis hoc anno proſpere geſta res eſt, à Galba contra ſubalpinos ad Orientem, à Bruto contra Armoricos ad Occidentem, à Craſſo contra Aquitanos ad Meridiem, à Sabino contra Neuſtrios, qui nũc Nortmanni, & Cæſare ipſo contra Belgas ad Septentrionem. Hæc Cæſar ipſe fuſius l. 3. quæ à Dione alieno tempore recitantur, & à Plutarcho prætermiſſa ſunt magna ex parte. Sed viciſſim quæ à Cæſare omiſſa ſunt, nec ab eo decore poterant exponi, ab ipſis ſuggeruntur. Nã vt ait Plut. in eius vita, Cæſar rebus in Gallia compoſitis, iterum in Gallia circumpadana hybernauit, aucupans ciuitatem. XV. *Cæſaris apud Morinos geſta.*

Neqve enim candidati modo, qui illũ habebant præbitorem, redimebantq; ac- XVI. *Luca conuentum habet amicorum.*

cepta ab eo pecunia populi ſuffragia, deſignabantur, atque omnia ad potentiam illius amplificandam agebant; verum etiam ex clariſſimis viris plerique Lucam ad eum conuenere, Pompeius, Craſſus, Sardiniæ Prætor Appius, & Metellus Nepos Hiſpaniæ Proconſul; fuere lictores illic 120. Senatores amplius ducenti. Ibi conuentu habito conſtitutū eſt, vt Pompeius & Craſſus Conſules fierent, ab iiſq; Cæſari ſtipendium, atque in alterum quinquennium prouincia ſua decerneretur. Addit alteram cauſam Sueton. cur Cæſar Pompeium & Craſſum Conſules fieri vellet. Cum enim, inquit, L. Domitius Ænobarbus Conſulatus candidatus, palam minaretur Conſulem ſe effecturum, quod Prætor nequiuiſſet, ademturumque Cæſari exercitus,

XVII. *Maxime Craſſi & Pompeij quos monet ad Conſulatum.*

Crassvm Pompeiumque in vrbem Prouinciæ ſuæ Lucam extractos compulit, vt detrudendi Domitii cauſa, Conſulatum alterum peterent, & vt in quinquennium ſibi imperium propagaretur, perfecitque vtrumque. In Craſſo vero Plutar. ſcribit eos priuatim collocutos, ſtatuiſſe acrius ſummam rerum capeſſere, ac totam Remp. ſui iuris facere, Cæſar vt in armis maneret, alias prouincias & exercitus Pompeius & Craſſus caperent. Eo vna patebat via, alterius Conſulatus petitio, cuius illos Cæſar candidatos adiuuare, ſcribendo ad amicos, & frequentes milites ad comitia mittendo, debebat. At Dio l. 39. etiam ſponte ſua Craſſum & Pompeium Conſulatum ambiiſſe tradit, nimia Cæſaris incrementa, & vniuerſi in eum populi fauorem reformidantes; cui nec priuati ſatis reſiſtere, nec ſine magiſtratu & imperio, rebus præclare gerendis Cæſaris gloriam obſcurare poſſent. Sic ipſe; nec abſurdum eſt, etſi ambitio ſuſpicax eſt, huius eorum animi ignarum Cæſarem, eorum deſideria vltro fouiſſe, ac promouiſſe.

XVIII. *Qui per vim Coſſ. deſignantur. & per interregnum.*

Addit enim idem Dio P. Craſſum, M. Craſſi filium, Cæſariſque eo tempore legatum, eiuſdem rei cauſa milites Romam adduxiſſe, ſicque Craſſum & Pompeium Conſulatum conſecutos, extra id tempus, quod legibus præfinitum erat. Maximas fuiſſe turbas in huius petitione Conſulatus, facile intelligi ex eodem Dione, tametſi miſere mutilato poteſt. Cum L. Domitius, qui vſque ad vltimam diem in petitione Conſulatus perſeuerauerat, ſub noctem egreſſus domo, Catone illum in campum deducente, pene interfectus ſit, puero ſuo, qui laternam præferebat, occiſo. Cum Cato, qui vrgebat Domitium ad petendum Conſulatum, vt imminenti tyrannidi obſiſteret, in brachio vulneratus ſit, teſte Plutarcho. Cum Comitia creandis magiſtratibus hoc anno, C. Catonis tribuni plebis interceſſionibus ſublata fuerint, & per interregnum Conſules creari oportuerit. Cum Senatus, quaſi in publico luctu & calamitate, veſtem mutauerit, Clodius, qui ſe iterum Pompeio adiunxerat, ad Curiam pene diſcerptus ſit, & Curia, plebe illius ſtudioſa incendium intentante, pene deflagrarit. In Cato. & Craſſ.

XIX. *Cato Præturam ambit Reipub. cauſa. per vim & pecuniam depellitur, Vatinio renunciato.*

Designatis per vim Craſſo & Pompeio Coſſ. Cato non abiecit ſtudium Reip. defendendæ, ſed Præturam inſtitit petere, vt Plut. ait in Catone, quo arcem haberet, ex qua cum illis contenderet, nec cum Coſſ. depugnaret priuatus. Quod illi metuentes, clientes & amicos ſuos ad petendam Præturam impulerunt, ipſi pecuniam præbuerunt, ipſi ſuffragiis præfuerunt. Quibus nihilominus cum virtus & autoritas Catonis eſſet ſuperior, ac prærogatiua tribuum illum diceret Prætorem, Pōpeius ſubito tonitru audiuiſſe ſe ementitus, comitia diremit; Grandique iterum pronunciata pecunia, atque optimis quibuſque Comitio expulſis, per vim obtinuerunt, vt renunciaretur Vatinius pro Catone Prætor, Catone nihilominus pro concione prænunciante, quæ mala Reip. imminerent; & quid boni ab iis Conſulibus expectari poſſet, qui Catonem Prætorem timerent, & per tot ſcelera Conſulatum obtinuiſſent. Poſtremo domum regredientem adeo frequens populus eſt proſecutus, vt nec cunctos ſimul deſignatos Prætores par frequentia comitaretur.

ANNVS MVNDI 3999. SEXTÆ ÆTATIS 484.

HYRCANI PONT. 21. PTOL. AVLETIS 26. OLYMP. CLXXXI. AN. 2. VRBIS CONDIT. 698. COSS. CN. POMPEIO MAGNO II. ET M. LICINIO CRASSO II. GABINII SYRIAE PRÆFECTI 3. BELLI GALLICI 4. PARTHICI INITIVM. HERODIS ÆT. 18.

ANNVS ANTE CHRISTVM 54.

HOC demum anno Ptolemæus Auletes regno ſuo reſtitutus eſt; Alexander in Syria iterum turbas ciet, iterum cœptis exturbatur: multus Romæ de Prouinciis, & de facta à Gabinio reductione, tumultus. Cæſar Germanos Britannoſque nõ inutili conatu tentat. I.

Ptolemæus ad reductionem Gabinium eligit. Ptolemæus deſperato Senatus auxilio, ad Gabinium confugit. Cum enim Senatus Auletẽ ſine vi, ex præſcripto Sibyllæ, reduci vellet, & ſine vi, inuitis Ægyptiis, extrudi nouus Rex non poſſet, nihil inde ſpei reliquum erat. Spemquoque auxilii à Gabinio non pauca debilitabant, 1. quia id negotiũ extra prouinciæ ſuæ fines poſitum erat, 2. quia reductio Lentulo decreta fuerat à Senatu, 3. quod vis ab eodẽ Senatu prohibita erat, 4. quia copiæ Gabinii alio deſtinatæ erant, contra Arabas, deinde contra Parthos ad Mithridatẽ Parthorum regẽ, ab Orode fratre pulſum, regno reſtituendum, vt ex App. in Parthicis cõſtat.

II. *Expugnatque pecunia.* Sed Gabinius ingenti pecunia regia expugnatus eſt, decem ſcilicet talentum millibus, vt ſæpius repetitur à M.T. in orat. pro Rabir. Poſthumo; quæ ibidem ab Oratore æſtimantur bis millies & quadringenties ſeſtertiûm. Quam ſummam Cenalis æſtimat duodecim millionibus librarum Turonenſium. Quod ſi illa talenta Ægyptiaca eſſe velimus, quarum ſingula octoginta pondo, id eſt minas, Hermolao, Budæo, & Cenali teſtibus, capere Varro tradit, apud Plin.[a] quæ ſunt eadem talenta Euboica, ea ad noſtratem pecuniam redacta, reſpondent quatuordecim millionibus Francorum. Gabinius igitur Aegypti pecunia ſuperatus; acceptis inſuper à Põpeio Coſ. literis, qui Ptolemæo plurimum fauebat, & Gabinio eam reductionem mandabat, in Aegyptum cum exercitu profectus eſt. Quo autem plura ſimul iura violabat, maiuſque adibat periculum à ſuis, hoc maiorem à rege pecuniam extorſit.

III. *Ordo rei geſtæ.* Tota res hoc ordine geſta eſt. Præerat Syriæ cum exercitu Gabinius, eamque contra Arabas defendebat: in quos cum expeditionem pararet, inquit Appian.[b] venit Mithridates Parthorum Rex Phraartæ filius, pulſus ad Orode fratre, inuitãs eum, vt Arabas omitteret, & contra Parthos duceret. Perſuaſus, iam cum copiis abibat in Parthos, & Euphratem traiiciebat, vt ait Ioſephus,[c] cum mutata ſententia, viſum eſt Ptolemæum in Aegyptum reducere: mutãdæ ſententiæ cauſæ fuerũt literæ Pompeii, & promiſſa Ptolemæi. Ergo deſerto Mithridate, qui poſt omiſſis Romanis ope Arabum ſuum regnum recepit, regreſſus in Syriam, in ea filium Siſennam adoleſcentulum cum perpaucis militibus reliquit; & prouincia cui pręfectus fuerat, prædonum iniuriis expoſita, ipſe in Palæſtinam profectus, Ariſtobulum, qui Roma profugus tumultus aliquos ciebat, comprehenſum Pompeio miſit, imperatóque Iudæis ſtipendio, in Aegyptum profectus eſt. Ita quidem Dio. Sed Ioſephus, cui in rebus Iudaicis potius aſſentiendum videtur, motus Ariſtobuli ad præcedentem annum refert; ad hunc autem Alexandri filii eius. In eo quoque differt Ioſephus à Dione, quod hic tumultus Iudaicos compreſſos dicit, dum Gabinius iret in Aegyptum; Ioſephus autem cum ex Aegypto rediiſſet: & probabile eſt, (vt Ioſephus quoque[d] ſignificat,) Alexandrum, captata occaſione abſentis Gabinii & copiarum eius, rurſus dominatum vſurpare voluiſſe. De ea ergo re paulo poſt cum Ioſepho dicendum erit.

Gabinius omiſſis Arabibus & Parthis Aegyptũ adit. *Interea Alexander turbas Iudæam.*

IV. *Aegyptios vincit Gabinius.* Gabinivs ergo, vt ad Dionem redeamus, Ægyptiis occurrens opinione citius Archelaum cepit; & iam confecta res erat, niſi homo auariſſimus, veritus ne

a l. 33. c. 3.
b ini. l Part.
c l. 14. c. 11
Appian. in Syriacis p. 120.
d l. 1. bel. c. 6

quaſi nulla magna re geſta, minus pecuniæ, quam conuenerat à Ptolemæo acciperet; inſuper ab ipſo Archelao magna vi nummorum accepta, hominem, quaſi is aufugiſſet, dimiſit. Deinde nemine obſiſtente Peluſium peruenit. Hinc duplici acie inſtructa progreſſus, eadem die Aegyptios occurrentes fudit. Inde rurſus & in flumine nauibus, & terreſtri pugna victoriam obtinuit: eoque facto didicere Alexandrini, quanto lingua quam manu eſſent promptiores.

Archelaũ capit, ac dimittit pecunia. Rurſum illos vincit, hunc perimit.

Victis Alexandrinis Gabinius, occiſoque præter alios etiam Archelao, è veſtigio omni Ægypto potitus eſt, eamque Ptolemæo reddidit.

V. *Auletes per cædes pecunias corradit.*

Isque filiam Berenicem, quæ in patris iniuriam duos iam reges maritos acceperat, & alterum etiam ſtrangulauerat, vti ſupra ex Strabone diximus, comprehenſam interemit, reliquoſque, vt quique primi erat, ac locupletiſſimi, nimirum plurima indigebat pecunia, interfecit. Hæc Dio; Strabo quoque l. 37. ait Archelaum à Ptolemæo interemptum. In hac quoque expeditione, inquit Ioſephus, Gabinius ab Antipatro adiutus eſt frumento, armis, & pecuniis: & illius conſilio Iudæi, qui Peluſium accolunt, ceu cuſtodes aditus Ægypti, in ſocietatem armorum pertracti ſunt. l. 14. c. 11. & l. 1. bel. c. 6.

Interim Syria per occaſionem diſceſſus Gabinii, vt dicebamus, commota eſt, & Iudæos iterum Alexander Ariſtobuli filius ad defectionem reduxit, occupato iterum per vim principatu; collectoque magno exercitu, regionem obeundo interficiebat Romanos, quotquot adipiſci potuit; reliquos in montem Garizim compulſos obſedit.

VI. *Gabinius Antipatrũ in Syriam præmittit. Et mox Alexandrũ vincit. Et Nabathæos.*

Gabinius ergo hoc in ſtatu Syriam offendens, Antipatrum propter notam viri prudentiam, præmittit ad tumultuoſos, ſi forte eos ad ſaniora conſilia reducere poſſet; quod ille ſedulo fecit, & multos ad officium reduxit, Alexandrum vero non potuit. Is quippe triginta millibus Iudæorum ferox, auſus eſt occurrere Gabinio, & collatis ſignis ad montem Itabyricum prælio decernere, ſed infelici, vt ſemper, euentu. Eo enim prælio ex acie Iudaica decem millia deſiderata ſunt. Tum victor, conſtitutis Hieroſolymitanis rebus ex Antipatri ſententia, contra Nabathæos profectus, hos quoque profligat vno prælio: ſic Ioſephus ibid. Mirum eſt autem quod ſubdit de Parthis; *Nobiles etiam Parthos Mithridatem & Orſanem ad ſe profugos remiſit, ſparſo rumore quod aufugiſſent in patriam, tantiſque geſtis Romam reuertens Craſſo prouinciam tradidit.* Sic ipſe ad verbum; eademque habet l. 1. de bello c. 6. quæ tamen parum conſentanea ſunt, iis, quæ ex Appiano de rebus Parthicis diximus, vt ſeorſim dicemus. I. l. 14. c. 11.

VII. *De Gabinio fallitur Ioſephus. Et à Dione refellitur.*

Illud autem quod addit, Gabinium, magnis præclariſque rebus geſtis, abiiſſe Romam, male cum reliquis hiſtoricis, & ipſo rerum euentu conſentit: cum conſtet è Syria miſſos legatos, qui eum Romæ accuſarent; non vtique ob res magnas, præclaraſque in prouincia geſtas: eundemque Romæ ſemel iterumque in iudicium pertractum; in exilium denique publicatis bonis pulſum fuiſſe. Sed audi Dionem l. 39. Gabinius, ait, cum multis maleficiis Syriam afflixiſſet, adeoque plus damni, quam prædones, qui tum maxime vigebant, dediſſet prouinciæ, omnem quæſtum, quem inde ceperat, pro minimo ducens, ad expeditionem in Parthos faciendam, quod prædiuites erant, animum adiecit. Et infra. Quum Syri plurimum de Gabinio quererentur, idque & aliis de cauſis, & quod per eius abſentiam vehementer à prædonibus infeſtati eſſent; cum item crebræ accederent publicanorum querelæ, quod per eos impediti, vectigalia exigere nequiuiſſent, magnumque æs alienum conflaſſent; irati Romani Gabinium condemnare parabant &c. I. χ.

VIII. *Et à M. Tullio.*

Quid Cicero Oratione de Prouinciis Conſularibus. Igitur in Syria, inquit, imperatore illo, nihil aliud vſquam actum eſt, niſi pactiones pecuniarum cum tyrannis, deciſiones, direptiones, latrocinia, cædes: cum palam populi Romani imperator inſtructo exercitu dexteram tendens, non ad laudem milites hortaretur, ſed omnia ſibi & empta, & emenda eſſe clamaret. Deinde addit eius in publicanos iniurias, quas hoc verbo claudit: *quos*, inquit, *non parcimonia, non continentia, non virtus, non labor, non ſplendor tueri potuit, contra illius helluonis & prædonis audaciam.* Nimirum eo Conſule pulſus eſt Vrbe M. Tul.

[illegible]uit Iudæis, & quomodo.

Gabinium tamen, pecunia vtique de more corruptum, pleraque in gratiam Iu-

dæorum feciſſe, ex quibus ad eum laudandum motus fuerit Ioſephus, illa Ciceronis in eodem loco verba ſignificant. Iam vero publicanos miſeros tradidit in ſeruitutẽ Iudæis & Syris, nationibus natis ſeruituti. Quia nimirum, vt ibidem addit, ſtatuit ab initio, & in eo perſeuerauit, ius publicano non dicere. Itaque cum publicani pecunias vectigales à Iudæis exigerẽt, illique ſponte ſoluere nollent, fruſtra in iudicium uocabantur, Gabinio nolente ius dicere. Ergo Iudæorum ac Syrorum voluntati ſeruire cogebantur, & ab illis accipere quod liberet.

Leges pernicioſæ latæ.

IX. *Magiſtratus pro arbitrio Coſſ. creantur.*

Sed de Gabinio iterum poſtea, nunc de nouis Coſſ. ex Dione maxime dicamus. Craſſus & Pompeius Conſulatum adepti, cum ipſis comitiis præeſſent, non alii fere ad reliquos magiſtratus admiſſi ſunt, quam quos illi probauiſſent, & conſiliorum ſuorum fautores fore cognouiſſent. Nam Catone, vt dicebamus, depulſo, Prætores pro eorum arbitrio, Ædileſque curules, etſi non ſine ſanguine, creati ſunt, tum ædiles cæteri, ac Tribuni plebis. Deinde iis quæ ipſi expetebant intenti, non admodum Senatus conſilia, Populiue morabantur. C. vero Trebonius Trib. pleb. legem conſcripſit, qua alteri Syria cum vicinis regionibus, alteri vtraque Hiſpania, quoniam ibi aliqui motus exorti erant, ad quinquennium aſſignabantur, vtque ſumerent ſibi quantum vellent militum ex ciuibus & ſociis, bellumque & pacem, cum quibus ipſis videretur, contraherent. Plutarchus in Catone mi. prouinciæ Hiſpaniæ addit Africam, Syriæ autem Ægyptum: At Ægyptus nondum erat prouincia pop. Ro. ſed regnum amicum, quod inſpiciendum erat, Ptolemæo per Gabinium reducto.

Conſulares prouinciæ.

X. *Eis fruſtra reſiſtitur.*

Graviter hæc permulti tulerunt, atque in primis Cæſaris amici, cuius imperium ad exitum accedebat; & cum ſe ad impugnandam rogationem pararent, veriti Conſules ne iis, quæ moliebantur, exciderent, Cæſari quoque imperium ad triennium, (ita enim reuera inuenitur, inquit Dio; cæteri tamen quinquennium memorant, vt Plutarchus, Appianus, Liuius libro centeſimo quinto,) prorogaturos dixerunt, eoque modo illos in ſuam ſententiam perduxerunt. Neque tamen prius de Cæſare ad populum retulere, quam ſuæ ipſis res eſſent confirmatæ.

Cato in vincula ducitur.

Huic rogationi Cato & Fauonius, cæteris irritam interceſſionem fore animaduertentibus, ideoque omittentibus, contentioſiſſime obſtiterunt; donec C. Trebonius Tribunus, qui legis autor erat, Catonem iuberet in carcerem duci: quem cum plebs beneuolentiæ cauſa ſequeretur, Trebonius eum miſſum fecit. Inſequentibus diebus, populo partim cõſternato, partim præmiis & largitionibus redempto, Catone, qui Iouem clamabat tonaſſe, è foro ſummoto, multiſque vulneratis, & nonnullis interfectis, legem vi pertulere; vnde multi globo facto, infeſti Pompeii ſtatuas lapidibus inceſſebant, quod ſuperueniens Cato prohibuit.

Denique perfertur.

XI. *Alia lex de Cæſaris prouinciis.*

Mox alia lex de Cæſaris prouinciis & legionibus promulgatur, de qua ad Pompeiũ conuerſus Cato, teſtato denunciauit, non intelligere ipſum nunc, recipere ſe in humeros ſuos Cæſarem, quẽ mox neque ſuſtinere vellet, neque deponere poſſet; quæ Pompeius felicitate ſua fretus contempſit, vt inquit Plutarchus in Catone. Dio vero decretum ait ab iiſdem Coſſ. factum de rebus Cæſaris, fruſtra reclamantibus iiſdem, qui priori rogationi reſtiterant. Quæ fuerit ea de re Ciceronis ſententia, ex eius oratione de prouinciis Conſularibus, quæ ſuperiore anno habita eſt, cum de abrogando Cæſari imperio, minuendóue ageretur, intelligi poteſt: in ea enim de prorogando ei imperio, & non ſeparanda altera Gallia, in eius gratiam fuſe accuratéque diſputat.

perlata eſt.

Addit Dio decretum à Coſſ. de largitionibus candidatorum factum, cum ipſi maiore etiam crimine per vim magiſtratum obtinuiſſent; rurſum etiam ſumptuariam legem, quam Hortenſius ipſorummet exemplis ita diſſuaſit, vt illi ab incepto deſiſterent.

Theatrum Pompeii dicatum.

Iisdem diebus Theatrum Pompeii dedicatum ab ipſo eſt, in eodemque ſpectacula cum muſica, ludoſque gymnicos exhibuit; atque in Circo equorum certamen, multarumque & varii generis belluarum venationes præbuit.

Spectacula.

Quinque enim dierum ſpatio quingenti leones confecti ſunt, elephantique octodecim cum armatis depugnauerunt, quorum aliqui in ipſa pugna mortui, aliqui aliquanto poſt, nonnullos inuito Pompeio populus liberauit, quod cum vul-

Elephantorum querela.

nerati à pugna deſtitiſſent, circumeuntes promuſcidibus in cœlum erectis, lamentari viderentur,& de violato iureiurando ſibi facto in exitu Africæ conqueri. Fertur enim eos non prius in naues ingreſſos, quam à ducentibus ſibi de omni iniuria iuramento cautum eſſet. Hæc Dio,aliaque generis eiuſdem, quæ breuiter Plut. attingit in Pompeio, & nominatim quingentorum leonum occiſorum meminit, quos Euſebius prætermiſit.

XIII. *Quis eius Theatri conditor.*

QVOD autem ait Euſebius à Pompeio conditum theatrum, libet addere, quod ſcribit Dio ſe accepiſſe, id theatrum non à Pompeio, ſed à Demetrio eius liberto extructum eſſe,ex pecuniis quas ſub Pompeio imperatore congeſſerat: vitandæ tamen inuidiæ cauſa,illi operi Pompeii nomen tribuiſſe. De hoc Demetrio Conſule Plut.in Catone Minore, & Pompeio.

Populum pœnitet datarum prouinciarum.

Non exiguam his muneribus gratiam à populo iniuit Pompeius, ſed non minorem offenſionem in conſcribendis cum Craſſo copiis, quod multi pœnitentia ducerentur, memores eorum quæ à Catone, cæteriſque dicta fuerant, ob quæ eos laudibus celebrabant: nonnulli etiam Tribuni legatos eorum in iudicium vocabant; alii decretas eis expeditiones reſcindere conabantur. Eaque de cauſa Coſſ. ad tempus veſtem mutarunt. Nec tamen rem admodum ægre tulit Pompeius, qui haud inuitus in vrbe manebat, iuniori addictus vxori, & prætextum habebat frumentariæ procurationis. Itaque in prouinciam legatos Petreium & Afranium miſit,qui vtramque Hiſpaniam curarent,omnemque Africam ſibi decretam; dum ipſe Italiæ, vrbiſque negotia curaret.

XIV. *M.Craſſo in prouinciam abeūti fruſtra reſiſtitur.*

AT Craſſus,qui tanto prouinciæ adeundæ deſiderio tenebatur, quanto pecuniæ atque gloriæ, maturabat diſceſſum: præmiſſit tamen legatum ad Gabinium, vt ei Conſulis nomine ſuccederet;ſed eum Gabinius non admiſit,magiſtratu,quaſi perennem accepiſſet,retento, quæ res eum in accuſatione vehementer preſſit, vt ait Dio l.39. In vrbe autem Tribuni armato Conſuli reſiſtere vi non poterant, verbis quantum poterant,contendebant, diriſque ingentibus eum deuouebant, prodigiaque obnunciabant. Ateius præſertim Tribunus plebis, qui etiam abeunti occurrens, non dubitauit in eum per viatorem manus iniicere; verum collegis prohibentibus,ab apparitore dimiſſus eſt,comitante, & plebē demulcente Pompeio. Ergo Craſſus iter in Syriam arripuit. Author eſt Appianus in Parthicis, & Plutarchus in Craſſo, incredibili gaudio Craſſum de accepta hac prouincia exultaſſe, &

Quanta cum ſpe abiret.

præter morem ac conſuetudinem iactaſſe ſe apud familiares, contemptim vſurpādo ea, quæ à Lucullo, & Pompeio contra Mithridatem ac Tigranem geſta eſſent, ſpes ſuas ad Indos, vltimoſque orientis terminos proferendo, bello Parthico glorioſe confecto;quam ad rem eum Cæſar ex Gallia ſuis literis incitabat. Quamquā in lege de prouinciis Conſularibus bellum Parthicum aſcriptum non erat; multique indignabantur hominibus innocentibus,& pacatis arma inferri, & diſceſſum Craſſi Conſulis impediebant; quos Pompeius,vt dixi, Craſſi ipſius rogatu mitigabat.

XV. *Initia belli Cæſaris cum Germanis. Eorum ad Cæſarem legatio. Cæſarianos necopinantes inuadunt.*

IN Gallia cum Germani quidam Rhenum à Sueuis pulſi tranſiſſent, etiam quarundam Gallicarum ciuitatum legationibus inuitati, in Gallia ſedes quærebant. Principibus Galliæ euocatis, Cæſar, ea quæ cognouerat diſſimulanda ſibi exiſtimauit, eorumque animis permulſis & confirmatis, equitatuque imperato, bellum cum Germanis gerere conſtituit, ad eoſque rebus præparatis celeriter contendit. Nec diu morati Germani,per legatos à Cæſare petunt, vt eiectis domo agros attribuat, aut eos certe tenere patiatur, quos armis occuparint: poſſe Romanis vtiles eſſe amicos, ſi ſuam gratiam velint; alioqui neminem eſſe in terris, præter Sueuos, quem armis ſuperare non poſſint. Cum à Cæſare ad Vbios,hi ſunt Agrippinenſes, quorum caput Colonia Agrippina, remitterentur Germani, & hi Cæſarem quam maxime poterant, retardarent: dum ſui equites conuenirent; tandem octingenti Germani equites, in quinque millia Cæſarianorum equitum, nihil hoſtile timentium impetum faciunt, fundunt, fugantque, ac quatuor & ſeptuaginta interficiunt. Nec minus poſtridie mane, eadem perfidia ac ſimulatione vſi Germani, frequentes, omnibus principibus, maioribuſque natu adhibitis, ad Cæſarem veniunt, quaſi purgandi cauſa, quod pridie ſe inſciis, inuitiſque factum eſſet.

XVI. *A Cæſare celeriter oppreſſi vincuntur*

Sed eos Cæſar retineri iuſſit; ipſe omnes copias caſtris eduxit, & celeriter octo millium itinere confecto, prius ad hoſtium caſtra peruenit, quam quid ageretur Germani ſentire poſſent; qui omnibus rebus ſubito perterriti, antequam aliquid certi conſtituere poſſent, hoſtem priſtini diei perfidia incitatum in caſtra irrumpentem ſenſerunt. Qui celeriter arma capere potuerunt, pauliſper inter carros & impedimenta reſtiterunt: reliqua omnis multitudo, in qua plurimi pueri mulieresque, fugam capiunt, in quos Cæſar equitatum immittit. Morientium audito clamore, qui pugnabant & ipſi abiectis armis fugiunt: & cum ad confluentem Moſæ & Rheni perueniſſent, reliqua fuga deſperata, magno numero interfecto, reliqui ſe in flumen præcipitauerunt; atque ibi timore, laſſitudine, & vi fluminis oppreſſi, perierunt, cum eorum numerus fuiſſet capitum centum octoginta millium. Iis vero quos Cæſar in caſtris retinuerat, diſcedendi poteſtatem fecit. Illi ſupplicia cruciatuſque Gallorum, quorum agros vexauerant, formidantes, remanere ſe apud eum velle dixerunt.

Et ingenti clade delentur.

XVII. *Cæſar cur Rhenum cum exercitu traiiciat.*

Germanico bello confecto, Cæſar Rhenum cum exercitu tranſmittendum duxit, vt Germanis metum populi Romani iniiceret, vt Sicambros vlciſceretur, ad quos profugerant equites Germanorum deuictorum, qui à prælio frumentandi cauſa abfuerant, nec cum à Cæſare repeterentur, dediti fuerant; vt Vbios, quibuſcum pax inita fuerat, amicitiaque obſidibus firmata, à Sueuorum obſidione liberaret. Cumque non exiſtimaret è dignitate populi Romani eſſe, nauibus, quas Vbii offerebant, exercitum transportare, intra dies octo pontem egregio opere conſtruxit; quo opere traiectuque tantum terroris trans Rhenum iniecit, vt Sicambri omnes ſe in fugam darent, quorum agris viciſque Cæſar latè vaſtitatem per dies aliquot intulit; indeque ſe in fines Vbiorum recepit. A quibus didicit, Sueuos cum per exploratores pontē fieri comperiſſent, ex oppidis omnibus in mediam regionem ſuam pugnandi gratia demigraſſe; poſtquam vxores, ſuaque omnia in ſyluas depoſuiſſent, ibi Romanorum aduentum expectare. At Cæſar perfectis iis, quorum cauſa Rhenum tranſierat ſe in Galliam recepit, pontemque reſcidit.

Sueuorum conſilia in Cæſaris tranſitu.

XVIII. *Tranſit in Angliam.*

Inde conſilium Britanniam adeundi capit, ſiue quod omnibus fere Gallicis bellis, hoſtibus inde ſubminiſtrata auxilia intelligebat; ſiue quod in eam quoque inſulam terrorem Romani nominis inferre cupiebat. Ergo in Morinos, vnde breuiſſimus erat in Britanniam traiectus, proficiſcitur, eo naues cogit, & pacem cum Morinis confirmat: quin etiam legatos è Britannia recipit, qui ſponderent ſe imperata facturos. Inde cum octoginta onerariis, & aliquot longis nauibus in Britanniam vela facit, octodecim aliis onerariis ad tranſportandum equitatum relictis. Ipſe celeriter antecedit, cum primis nauibus; omnibuſque collectis, præter octodecim onerarias, quæ tempeſtate afflictæ curſum tenere non potuerant, ad littus, magno labore & iactura ex locorum iniquitate certatum eſt; induſtria tamen Cæſaris auxilia à latere ſummittentis, & militum in mare deſilientium audacia, factum eſt vt in terra cum hoſte pugnaretur, & mox coniiceretur in fugam; nec multo poſt oblatis obſidibus, omnes imperata ſe facturos pollicerentur.

Per Morines.

Quæ ibi geſta.

XIX. *Cæſaris claſſis æſtu afflicta.*

Sed æſtus ingens in plenilunio, claſſem Cæſaris in anchoris ſtantem vehementiſſime afflixit, vt deſperatus reditus videretur, amiſſis anchoris, diffractis funibus, maxima parte nauium conquaſſata, & ad nauigandum inutili. Quibus rebus cognitis barbari conſilium opprimendi Romanos capiunt, quibus naues ad pugnam, frumentum ad victum deeſſe intelligerent, & militum, ad diutius bellum trahendum, idonea multitudo.

Ibique res Romana in periculum adducta.

Quæ dum Cæſar ex præſenti rerum ſuarum ſtatu ſuſpicaretur, primum frumentum in caſtra quotidie ex agris comportari, & naues quæ grauiſſime afflictæ erant diſſolui, ex iiſque reliquas reſtaurari, curat, ſicque duodecim nauibus amiſſis, reliquis vt nauigari commode poſſet, effecit.

XX. *Periculum legionis vnius.*

Dvm ea geruntur, legio ſeptima ad frumentandum miſſa, à Britannis circumuenta, & nouo pugnæ genere perturbata, vehementer laborabat; eo Cæſar cum expeditis cohortibus aduolauit, reliquis ſequi iuſſis, & opportuniſſimo tempore auxilium tulit. Namque eius aduentu hoſtes conſtiterunt, Cæſariani ex ti-

more ſe receperunt, moxque in caſtra reuerſi ſunt. Alia deinde pugna ab inſulanis tentati, cum victores euaſiſſent, lateque ſtragem hominum atque ædificiorum dediſſent, in caſtra reuerſi, hoſtem ad petendam iterum pacem compulerunt: Cæſar obſidibus imperatis, & ad ſe in continentem Galliæ mitti iuſſis, quod aliquanto poſt à duobus tantum ciuitatibus factum eſt, idoneam ad nauigandum tempeſtatem nactus, traiecit in Galliã, & in aditu ipſo Morinos, Menapioſque hoſtilia perpetrantes male mulctauit. His rebus geſtis, ex literis Cæſaris cognitis dierum 20. ſupplicatio à Senatu decreta eſt. Hæc pluribus Cæſar l. 4.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3999.

1. N. vi. Sed conſideret lector prudens, num vtrobique fallatur, & hiſtorias duas male in vnam permiſceat, atque confundat. Legimus in Appiani Syriacis, & Parthicis, & apud Dionẽ libro trigeſimo nono, Mithridatem pulſum ab Orode fratre, ad Gabinium auxilii cauſa veniſſe. Scribit etiam Dio, vt paulo ante retulimus, Archelaum, ſuffectum Auleti in Ægypto regem, in Gabinii manus veniſſe, ab eoque pecunia corrupto dimiſſum, ſparſo de fuga rumore: fallor profecto niſi ex his Ioſephus ſuam illam narrationem conſarcinarit, Orodem in Orſanem mutarit, & expulſorem fratris etiam profugum fecerit. Nam quæ cauſa Mithridati à Gabinio fugiẽdi? Ad quem, vt ad amicum paternum ſponte venerat, nec vlla violandæ ſocietatis Romanos inter & Parthos, à Mithridatico bello confecto, cauſa interceſſerat.

2. N. vii. Scripſit ad Senatum de rebus ſuis Gabinius abiturus ex prouincia, ſed eius literas inſigni quadam nota, atque ignominia noua Senatus condemnauit. Cicero de Prouin. Conſ. Quod autem Dio eum negat ad Senatum ſcribere auſum, ne ſuorum ipſe facinorum delator exiſteret, de ſola reductione Ptolemæi accipiendum eſt.

3. N. xii. Hac de re ſub Conſulatum Pompeii ita ſcriptum eſt in Chronico Græco Euſebii, Πομπήιος μέγας τὸ κτισθὲν ὑπ' αὐτοῦ θέατρον ἀνιέρωσεν, καὶ θεωρίας ἐλεφάντων τεσσαράκοντα, καὶ ἱππέων τ. καὶ πεζῶν ω. καὶ μονομάχων χ. ἐλεφαντομαχίας παῖδας, id eſt, Pompeius magnus conditum à ſe theatrum dedicauit, & ſpectacula præbuit quadraginta elephantorum, equitum trecentorum, & peditum octingentorum, & gladiatorum ſexcentorum, & elephantorum pugnas. Sic ibi, quæ nec in verſione Diui Hieronymi habentur, nec à Scaligero ſunt animaduerſa in ſuis animaduerſionibus.

Huc pertinere arbitror illa Sueton. lib. 1. num. ſiue cap. 24. Nec deinde, inquit, vlla belli occaſione, ne iniuſti quidem ac periculoſi abſtinuit, tam fœderatis, quam feris, atque infeſtis gentibus vltro laceſſitis, adeo vt Senatus quondam (forte quoſdam) legatos ad explorandum ſtatum Galliarum mittẽdos decreuerit, ac nonnulli dedendum eum hoſtibus cenſuerint. Sed proſpere decedentibus rebus, & ſæpius, & plurium quam quiſquam vnquam dierum ſupplicationes impetrauit. Hæc Suetonius. De Cæſaris deditione eam fuiſſe Catonis ſententiam, author eſt Plutarchus in Catone minore. De cupiditate pugnandi & retinendi exercitus, quam diutiſſime poſſet, vt medio ad dominationem maxime neceſſario, iam dictum eſt non ſemel. 4. N. xx.

ANNVS

ANNVS MVNDI 4000. SEXTAE AETATIS 485. HYRCANI II. PONTIFICIS 22. PTOLEMÆI AVLETIS 27. HERODIS ÆTATIS 19. OLYMPIADIS CLXXXI. AN. 3. VRBIS CONDITÆ 699. COSS. L. DOMITIO ÆNOBARBO, ET APPIO CLAVDIO PVLCHRO. M. LICINII CRASSI SYRIÆ PRÆFECTI 1. GALLICI BELLI 5. PARTHICI 1.

ANNVS ANTE CHRISTVM 53.

I. *Res huius anni.*

QVOD felix fauſtumque ſit: annum ingredimur ab Orbe Condito quater milleſimum, eundemq. Mundani Iubilæi octogeſimum. Ac primum res in Syria ac Meſopotamia à Craſſo Proconſule geſtæ, ad hunc annum pertinent, quo etiam quidam non recte Ptolemæi mortem referunt, vt infra 30. eius anno dicetur: pertinet & Gabinii reditus ac iudicium, & quæ in Gallia geſta, à Cæſare libro quinto referuntur.

II. *Craſſus vltro Parthicum bellū ſuſcipit, omiſſa Syria.*

M. igitur Craſſus, qui non tam Syriæ adminiſtrationem ſibi addictam, quam bellum Parthicum inconceſſum illud quidem, ſed vt credebat gloriæ emolumentique pleniſſimum animo deſtinabat, non recta in Syriam, ſed in Parthos proficiſcitur. Et facile quidem bellum Craſſus, auaritia, & ambitione ebrius ſomniabat, ſibi quippe cum barbaris bellicæ diſciplinæ ignaris, rem futuram arbitrabatur; & non cum multarum Aſiæ prouinciarum victoribus; & cum Parthi ne à Pompeio quidem, aut Lucullo tentati fuiſſent, tanto ſibi gloriam maiorem paraturum ſperabat, ſed ſpes lucri, in ditiſſimis hoſtibus expilandis, maximum omnium momentum habebat, vt ſignificat Dio libro quadrageſimo: qui etiam eum primum in Syriam veniſſe ſignificat, quærentem quòd gloriæ ſibi iuxta, atque lucro eſſet futurum. Cum autem nihil huiuſmodi in Syria ſe offerret, quod Syri quieti eſſent, & qui eos ante vexabant, M. Craſſi potentia perterriti, nihil mouerent, in Parthos propria autoritate expeditionem mouiſſe. Verum Plutar. & Appianus, viciniores eorum temporum, rectà eum ad Euphratem ducūt: nec aiunt inde reuerſum eſſe in Syriam, ſed retro in Syriam hybernaturum ceſſiſſe, vt recte vertit ἀνεχώρησε Cruſerius Plutarchi interpres.

III. *Eius iter ad Euphratem*

EIVS profectionem Plutarchus & Appianus, ille in vita, hic in Parthicis totidem fere verbis tradunt, Roma Brunduſium profectum mari ſe crediidiſſe, eo per hyemem nondum admittente nauigia; itaque magnum nauigiorum numerum amiſiſſe; reliquiis copiis per Galatiam terreſtri itinere properaſſe. Ibi cum repeiſſet Regem Deiotarum, qui ætate iam grauis vrbem condebat, duodecima, inquit, hora rex ædificare incipis. Cui Galata ridens. Atqui neque tu, inquit, Imperator admodum matutinus contendis in Parthos: exceſſerat autem Craſſus annum ſexageſimum, facie tamen apparebat, quam ætate grandior. Aduenienti, res primo eius expectationi reſpondit. Euphratem enim facile ponte iunxit, exercitum ſine impedimento traduxit, oppidis multis Meſopotamiæ ſe vltro dedentibus potitus eſt.

Colloquium cū Deiotaro

IV. *Res ab eo in Meſopotamia.*

IN his, vt inquit Dio, Nicephorium. Erant enim pleræque Græcorum & Macedonum coloniæ, quæ pro Macedonibus antea, Romaniſque pugnarent, & in Romanis multum ſpei contra Parthos, à quibus vexabantur, collocarent. Eius regionis regius præfectus Talymenus Silaces, cum paucis equitibus ad Ichnias caſtellum cōgreſſus, victuſq. accepto vulnere ad regem ſe recepit; eumq. de Craſſi expeditione certiorem fecit. Vnum fuit oppidum, cuius erat Apollonius tyrannus, vbi milites centum amiſit, admouit ſigna, captumque diripuit, & captiuos

ſub corona vendidit, Zenodotiam Græci dicebant. Dio lib. 40. ſcribit eius oppidi ciues, accerſitis aliquot Romanis militibus, quaſi ſe in fidem eorum daturi, eos, cum intra muros accepiſſent, obtruncaſſe; eamque fuiſſe cauſam euertendæ vrbis, Craſſumque, præter hoc vnum, nihil hoſtile, aut feciſſe, aut paſſum eſſe; omniaque quæ intra Tigrim poſita ſunt caſtella capturum fuiſſe, ſi eodem impetu, & Barbarorum terrore vſus fuiſſet, & hybernis ſuis in ea regione habitis, omnia diligenti cuſtodia continuiſſet.

V. *In Syriam ad hyberna retrocedit. Eum filius P. adit.* Vervm cum Syriæ amœnitatem deſiderat, Parthis ad bellum parandum ſpatium, relictoſque in Meſopotamia Romanos milites opprimendi occaſionem præbuiſſe. Plutarchus & Appianus aiunt Craſſum oppidis, quæ deditionem fecerant, impoſuiſſe præſidium ſeptem millium peditum, & mille equitum, indeque retro in Syriam hybernatum ceſſiſſe. Ibique venientem è Gallia à Cæſare filium P. Craſſum, donis militaribus ornatum, cum mille delectis equitibus excepiſſe, inſcius quantum in luctum ſuum, quantamque in pœnam paternę auariciæ, ac ſuperbiæ, illum ad ſe euocaſſet.

Hyeroſolymam venit & templū deprædatur Hac ipſa hyeme dum expeditionem Parthicam in ſequentem annum parat, in Iudæam venit, vt narrat Ioſephus; & ne nihil ageret in pacata prouincia, templum Hieroſolymitanum inuiſit, & pecuniam ſacram, quam Pompeius non attigerat, duo millia talentorum abſtulit. Eadem habet in libro 1. de bello c. 6. ſed hic addit longe maiora; totoque, inquit, reliquo auro, cuius ſumma accedebat ad octo talentorum millia, templum ſpoliauit. *l. 14. c. 12.*

VI. *Et immenſas efferet pecunias, ex Ioſepho.* Hæc Ioſephus, quæ ſi vera ſunt, cum talenta Hebraica 12500. coronatis æſtimentur, puta 125. libris auri, autore Epiphanio, hæc decem millia talentûm aſcendent ad 120. milliones coronat. Mi lector, ſi tantam pecuniam Ioſepho credere potes, magna eſt fides tua. Nihilominus ipſe tanta templi opulentia non contentus, addit accepiſſe Craſſum etiam trabem ex auro ſolidam, trecentas minas pendentem, quarum ſingulæ apud Iudæos eſſent duarum librarum cum dimidia; itaque trabs iſta ſeptuaginta quinque millibus coronatorum valebat.

Eam autem Eleazarus, vir bonus & iuſtus, qui aulæorum templi concreditam habebat cuſtodiam, cum videret Craſſum totum eſſe in colligendo auro, timens omnibus templi ornamentis, eam inquam trabem redemptionem pro omnibus ei dedit, cum prius eum iureiurando obſtrinxiſſet, nihil aliud loco moturum, contentum eo quod ipſe traderet, æſtimatum pluribus aureorum millibus. Hæc trabs inſerta erat trabi cauæ ligneæ, quam cæteris omnibus ignotam, ſolus ſciebat Eleazarus. Craſſus tamen & hanc pro reliquo templi auro accepit, & ſtatim violato iureiurando, tantum quantum intus erat, egeſſit.

VII. *Qui eas fruſtra confirmat.* Sic Ioſephus. Ne quis autem tanto paradoxo deroget fidem, ait Iudæos tam ex Europa, quam ex Aſia longo tempore eas diuitias in templum congeſſiſſe. Datque argumentum ex Strabone Cappadoce, qui dicat Iudæos Aſianos, tempore belli Mithridatici in Co inſula octingenta talenta depoſuiſſe. Quod ego apud Strabonem diligenter perquiſitum non reperi. Eam hiſtoriam refert Appianus in Mithrid. ſed neque Iudæorum, neque pecuniæ Iudaicæ meminit: quæ hoc mihi magis ſuſpecta eſt, quò magis timet Ioſephus, ne ad inanem iactationem prædicta ſumma conficta credatur; cui nihilominus fictioni aſſerendæ fauet, ipſemet Ioſephus, non inſolens talium fictionum, quas ex Scriptura, cum licuit, redarguimus; fauent immanes Gabinii rapinæ, de quibus Iudæi conqueſti ſunt, vt mox dicetur; fauent immenſa tributa annua Iudæis impoſita, adeo vt Ioſephus dicat, exiguo tempore pluſquam decem millia talentorum Romanos ab eis exegiſſe; trecenta talenta Gabinio data, Scauro 400. ab Ariſtobulo: & vitis aurea quingentorum talentorum, miſſa Pompeio: vt paulo antiquiores Iaſonis, & Menelai, & Lyſimachi rapinas, & ſacrilegia miſſa faciamus.

Tantam pecuniam non videri probabile. *l. 14. c. 8.* *l. 14. c. 5.*

VIII. *Confirmatur eadem fictio.* Præda Scipionis Aſiatici de Antiocho Magno, aut Luculli de Mithridate, qua luxus Romam inuectus eſt: Præda Pompeiani triumphi, quo nihil ad eam diem viſum eſt Romæ ditius aut magnificentius; denique ne imperii quidem Romani redditus ex toto pene orbe terrarum, tam immanem pecuniam conficere potuiſſent, vt ex iis quæ anno V.C. 6.2. in fine dicebamus, facile intelligi poteſt; ſi

fort e prædicta Ioſephi talenta in templo Hieroſolymitano condita, non Hebraica eſſe placet, ſed Attica vel Euboica, aut Ægyptia, aut cuiuſpiam alterius generis; quod abſurdum putamus. Nam aurei nummi in Gallia, Italia, Hiſpania, reliquiſq. locis, ſi nihil addatur aliud, de nummis regionis de qua diſſeritur, & ordinario eorum valore accipi ſolent, & debent.

HÆC porro M. Craſſi in Ieroſolymitano templo ſacrilegia non tacuit Plutarchus in Craſſo, & Appianus in Parthicis, ſed præter vtriuſque erratum, ex rerum Hebraicarum ignoratione, etiam vtriuſque interpretes rem imprudenter obſcurarunt. Vterque igitur Græcus autor primum ipſam totam expeditionem reprehendit, & merito, quippe quæ nihil pene legitimum habuerit, ſed eam ambitio atque auaritia perſuaſerit, vis & metus extorſerit, auſpicia prodigiaque damnarint, diræ execrationes in certum interitum miſerint. Deinde quod cum progrediendum vltra, & Babylon Seleuciaque tentandæ eſſent, quas conſtaret Parthis ſemper infeſtas, vtpote ab iis vi ſubiugatas, ſpatium dederit hoſtibus ad ſe inſtruendos. Tertio mora eius in Syria reprehenſione non caruit, exactori magis quam Imperatori cõueniens. Non enim luſtrauit exercitum, non inſtituit ad exercendos milites certamina, ſed vectigalia tantum ſupputauit. IX. *Craſſi ſacrilegia ex Plutarcho, & Appiano. Tota expeditio eius in culpa.*

DEÆ Hieropolitanæ theſaurum, ponderibus & trutinis per multos dies examinauit; indicebat populis dynaſtiſque militum delectus, eoſque mox pecuniæ cauſa eis remittebat; quibus rebus male audiuit, ac contẽptui fuit. Omen primum ei offertur ab hac dea, quam Venerem alii, alii Iunonẽ, nõnulli eam quæ incunabula, & ſemina omnibus ex humido præbuit, cauſam & naturam arbitrantur eſſe, & quæ principium omnium bonorum docuit mortales. Nam templo cum excederent, primus in foribus adoleſcens Craſſus lapſus eſt, inde incurrens in illum ſenex. Hæc illi fere pluribus. X. *Deæ Hieropolitanæ theſauros expilat.*

Ego autem hoc templum arbitror eſſe Hieroſolymitanum. Nam neque Plutarchus, neque Appianus vnica dictione efferunt ἱεράπολιν (vt Ptolemæus cum de vrbe Cyrreſticæ regionis agit, in quarta Aſiæ tabula, quam ad Singam fluuium in Syria collocat) ſed vterque diſtincte χρήματα τῆς ἐν ἱερᾷ πόλει θεοῦ, ſacram ſcilicet vrbem vocant, quam in Mithridaticis Appianus vocat, ἁγιοτάτην πόλιν, proprio etiam nomine Hieroſolymorum adiecto: quod tamen hoc loco minus ipſe animaduertit, contentus Plutarchum totidem verbis tranſcribere. *Id pertinere ad Ieruſalem.*

EODEM alludit etiam Lucianus in Syria dea, vbi ſacram vrbem diſſimulanter videtur Hieroſolymam intelligere, quam ſemper diſtinctis vocibus ἱρὴν πόλιν ionica dialecto appellat, nũquam ἱεράπολιν, & inter alia. *Multa, ait, in Syria templa ſunt antiqua & magna, nullum tamen quantum mihi videtur, maius eo eſt, quod in ſacra ciuitate habetur, neque ædes alia ſanctior, aut terra magis ſacra vſpiam eſt.* Inde diſſimulanter ad Iudæorum ritus & ſacrificia paſſim alludit, ad intõſam ſcilicet Nazaræorum cæſariẽ, porcorum tam in cibo, quam ſacrificiis abſtinentiam; contaminationem ex aſpectu cadaueris, & luſtrationes, & certorum dierum excluſiones à templo, & ſacrificium bis quotidie peragi ſolitum, & auream ſummi ſacerdotis tiaram, & veſtẽ purpuream, & multitudinem ſacerdotum, tum hoſtias mactantium, tum libamina ferentium, & altare æneum holocauſtorum extra templum poſitum, & receptaculum aquarum, quibus hoſtiæ & ſacerdotes abluebantur, & de templi adyto ſolis ſacerdotibus adiri permiſſo, & templo ad orientem verſo, eoque toto intus auro collucente, eiuſque anteriore porticu, portiſque aureis; ſed fabulas & mendacia multa permiſcet: & quæcunque de Gallis, & exſectionibus, & priapis nugatur, vtique ad irriſionem Iudaicæ circuncisionis pertinent: immiſcet etiam nonnulla de Dagone Philiſtæorum Deo, ſub nomine Dercetus. XI. *Confirmatur ex Luciano.* *Iudæos cultores Syriæ Deæ f. cit.*

1.N.xi. ETHNICI ergo (ſiue credebant, ſiue ſimulabant in Iudæorum irriſionem;) ab eis coli deam quandam dicebant, de qua pro ſuo quiſque arbitrio, plurima fingebant, vt ex illo Luciani libello perſpicuum eſt, ex eoque fonte nata ſunt, quæ à Plutarcho primum, deinde ab Appiano dicta ſunt, de Craſſo templum Syriæ deæ in ſacra ciuitate, expilãte: quę Ioſephus ſine fabularum inuolucris; at non ſine amplificationum portentis euulgauit. Sed hæc de his obiter dicta ſufficiant. Nunc de Gabinii ex Syria in vrbem reditu dicamus. XII. *Concluſio ſacrilegiorũ Craſſi.* XIII. *Gabinii reditus in vrbem.*

GABINIVS relicta M. Craſſo Syria, ad vrbem acceſſit, a. d. 12. Calend. Octob.

ad 4. autem noctu in vrbem introiuit. Ipſe quidem, ait Dio, tam turpium facinorum conſcientia vrgebatur, vt & ſero in Italiam aduenerit, & noctu in vrbem inuectus ſit, multiſque diebus extra domum ſuam prodire auſus non fuerit. Addit Dio, magnum in Gabinium odium Romæ hoc anno, dum adhuc abeſſet, fuiſſe conflatum, Tiberis inundatione, quæ magnam vrbi cladem intulerat, & in vltionem violatæ religionis contigiſſe putabatur: paſſimque ciues Gabinium ad mortem expetiiſſe; minoribus ſe malis afflictum iri ſperantes, ſi eius morte diuinam iram placaſſent, & offenſionem expiaſſent, idque Senatus, populique Romani decreto ſtatutum fuerit.

At cum interea pecuniæ à Gabinio præmiſſæ Romam veniſſent, mitiora facta ſunt omnia, præſertim cum pro eo Pompeius, qui tum omnia poterat, ſumma vi ageret; ei quoque Cæſar faueret, & amici vtriuſque, qui aliud tempus à Sibylla, aliumque regem intellectum dicebant.

XIV. *De maieſtate primum accuſatur.* QVIS porro eſſet hoc tempore Reipublicæ Romanæ ſtatus, facile ex iis, quæ Cicero ſcribit ad Q. fratrem intelligi poteſt, vbi de Gabinii iudicio agens.[a] *Sed vides*, inquit, *nullam eſſe Rempublicam*, *nullum Senatum*, *nulla iudicia*; *nullam in vllo noſtrum dignitatem.* Sed quod ad Gabinii iudicium attinet, geminum ille hoc anno expertus eſt, alterum de maieſtate propter reductum cum exercitu Ptolemæum; alterum de pecuniis repetũdis, propter immanes rapinas in Syria, & Ægypto perpetratas: & cum in priore propter Pompeium abſolutus fuiſſet, in poſteriore ſuccubuit: ſed res videtur paulo diſtinctius explicanda. *Hodie*, ait Tullius idem, *hora octaua, cum edicto C. Alſii de maieſtate eum adeſſe oporteret, concurſu magno, & odio vniuerſi populi pœne afflictus eſt; nihil illo turpius nec deſertius &c.* Ita Cic. l. 3. ad Q. fratrem ep. 1. vbi etiam ait, eum à tribus iam factionibus poſtulatum, & L. Lentulum flaminis filium, eum iam de maieſtate accuſaſſe. *a l. 3 ep. 4.*

XV. *Ratio temporis.* ID factũ eſſe hoc anno,[b] alio ex loco patet, vbi ſequentis anni Conſules candidati Conſulatus memorantur. Vt mirum ſit Dionem dicere, factum hoc iudicium cum adhuc gererent Conſulatum Pompeius & Craſſus; iiſdemque Coſſ. Gabinium à Cicerone vehementer accuſatum, dictamque ab eo ſententiam, vt denuo Sybillina carmina legerentur, ſperante contra violatorem eorum pœnam adſcriptam eſſe. Sed Cic. negat ſe accuſaſſe, quibuſdam licet ſuadentibus, in primiſque Saluſtio, quod ſibi aut inimicitiæ periculoſæ ſuſcipiendæ eſſent contra Pompeium, qui illi modis omnibus fauebat, quippe qui Gabinio mandarat, vt Ptolemæum reſtitueret, aut infamia ſempiterna ſubeunda, ſi tam infamis reus ipſo actore eſſet elapſus: ſed teſtimonium ſecundum fidem & religionem ſe grauiſſime dixiſſe confirmat. Quomodo ergo ſi verum dixit teſtimonium, non timuit Pompeium offendere? aut qua deinde conſtantia, vel fide eidem Patronus fuit? *b Epiſt. 1. lib. eiuſdẽ.*

Cicero actorem in eum non egit, ſed teſtem.

XVI. *Maieſtatis crimine abſoluitur.* DENIQVE abſolutus eſt, nihil Lentulo accuſatore infantius, nihil illo concilio ſordidius, ait Tullius: ſed tamen niſi incredibilis contentio, & preces Pompeii, dictaturæ etiam rumor plenus timoris fuiſſet, ipſi Lentulo non reſpondiſſet; qui cum illo accuſatore, illoque concilio ſententiis condemnatus ſit triginta duabus, cum ſeptuaginta tuliſſent. (Nimirum 38. eum abſoluerunt, quibus pene vim à populo allatam ſcribit Dio; eoque agente, iudicium de aliis criminibus præparatum in Gabinium fuiſſe.) Eſt omnino tam graui fama hoc iudicium, vt videatur reliquis iudiciis periturus, & maxime de pecuniis repetundis. Ita Cicero. *l. 3. ad Q. f. ep. 4.*

XVII. *Accuſatus repetundarum damnatur.* ALIQVANTO poſt renouata eſt accuſatio Gabinii, Domitio Conſule, in odium Pompeii, ex contentione pro Conſulatu, damnationem vrgente, & Appio ſtudio gratificandi plebi, quæ illi reo erat vehementer infenſa, vt ait Dio. Occaſio data eſt, quod abeſſet Pompeius, ad explicandam rem frumentariam vrbe profectus, (multum enim frumenti Tiberis exundatione corruptum fuerat.) Iudices partim populum timentes, partim modicis à Gabinio muneribus affecti, quod minoribus de rebus accuſatus, ſe cauſa tum quoque ſtaturum putabat, & Ciceronem, in gratiam deprecatoris Pompei, defenſorem habebat, frequentes Gabinium condemnarunt, & in exilium expulerunt, quem poſtea Cæſar reduxit. Cicero hac defenſione male audiit, eique nomen crimenque transfugæ vehementius auctum eſſe ſcribit Dio.

SEXTÆ ÆTATIS AN. 485. l.4. c.2. VERVM illum defendit Valer. Max. Sed huiuſce generis humanitas, ait, etiam in M. Cicerone præcipua apparuit. A. namque Gabinium repetundarum reum ſummo ſtudio defendit, qui eum in Conſulatu ſuo vrbe expulerat. Idemque P. Vatinium dignitati ſuæ ſemper infeſtum, duobus publicis iudiciis tutatus eſt, vt ſine vllo crimine leuitatis, ita cum aliqua laude. Quia ſpecioſius aliquanto iniuriæ beneficiis vincuntur, quam mutui odii pertinacia penſantur: imo & multo ſpecioſius atque laudabilius. Hæc enim diuina eſt Ieſu Christi Domini noſtri doctrina, verbo, exemploque tradita. Sed hæc Cic. non egit, vt diuinam æmularetur beneficentiam, *qui oriri facit ſolem ſuum ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Sed metus eum Pompeii ad eam defenſionem compulit, & ex Actore Patronum fecit, vt tradit idem Dio, & ex præcedenti iudicio perſpicuum eſt, eodem teſte Cicerone. COACTVM CICERONIS PATROCINIVM. XVIII. *An laudabili patrocinio.*

IN quo tamen patrocinio, ſi accuſandus eſt M. T. nulla fortaſſe maior eius culpa fuerit, quam quod reum manifeſto criminoſum, ſummo ſtudio, vt ipſe ait in Or. pro Rab. Poſthumo, defenderit. Nam cauſam aperte malam, cum voluntate vincendi, nemo niſi improbe atque iniuſte tueri poteſt; à qua tamen volũtate Ciceronem abfuiſſe, priſtinæ inimicitiæ probare poſſunt; niſi eam voluntatem placet colligere ex ſtudio gratificãdi Pompeio, & deſiderio gloriæ. Vt enim infamiam ſempiternam verebatur, ſi eo agente elapſus eſſet Gabinius; ita etiam ſi eodem defendente damnatus fuiſſet. Sed hæc iam nimis multis. XIX. *An potius cum culpa.*

PORRO Pompeii culpam in peruertendo iudicio, & homines nefarios pœnis legitimis eripiendo, iuſto iudicio vltus eſt Deus. Sub idem enim tempus Iulia Pompeii coniux, quod erat vinculum concordiæ & pacis inter Pompeium & Cæſarem, filiolam enixa obiit, vt ait Dio libro trigeſimo nono extremo. Addit Plutarchus in Pompeio, ex puerperii doloribus eam expiraſſe, nec multos dies partum fuiſſe ſuperſtitem. Parauerat, inquit ille, omnia Pompeius ad efferendam eam in Albano; verum coëgit eum populus, vt eam in campo Martio funeraret, non tam miſeratione iuuenculæ, quam Pompeii aut Cæſaris gratia; quantumuis, ait Dio, reſiſtente Domitio Conſule, atque inter alia dicente, non fas eſſe eam in loco ſacro, ſine decreto ſepeliri. XX. *Deus Pompeiũ punit morte vxoris & filiæ.*

Iam illico fluctuauit Ciuitas, inquit Plutarchus ibidem, omniaque procellarum, & ſeditioſorum ſermonum plena fuerunt, cum primum ea, quæ ante tegebat magis, quam coërcebat illorum dominandi cupiditatem, ſublata neceſſitudo eſt. Addit Suetonius hoc ipſo tempore matrem quoque Cæſaris eſſe defunctam. De motibus porro candidatorum Conſulatus, anno ſequenti dicemus, quoniam in magnam eius partem protracti ſunt.

RESTAT vt Galliam inuiſamus, in qua quæ Cæſar hoc anno geſſerit, ipſemet initio libri quinti, L. Domitio, & Appio Claudio Coſſ. notat. Ingentem ſcilicet præparatam à Cæſarianis claſſem, vt in Britanniam iterum trãſportaret exercitum, & Treuirorum motus in Romanos, cum duorum principum diſſentione, quorum cum alter Cæſarem adiiſſet, & Cæſar ipſe mox cum quatuor legionibus expeditis, & equitibus octingentis adfuiſſet, plerique viri primarii ſibi priuatim conſulere cœperunt. Alter autem principum veritus, ne ab omnibus deſereretur, ſe ciuitatemque in Cæſaris poteſtate fore, per legatos profeſſus eſt. Cæſar quoniam omnia ad Britannicum bellum habebat comparata, excuſationem, & ducentos obſides accepit. Ciues autem Cingentorigi, qui ad eum prior venerat, conciliauit; ex quo alter Indutiomarus, qui inimico iam animo in Cæſarem fuerat, videns gratiam ſuam inter ſuos minui, multo grauius hoc dolore exarſit. XXI. *Res à Cæſare apud Treuiros geſta.* *Cingentorix. Inditiomarus.*

DVM autem Britannica profectio paratur Dumnorix Æduus, homo turbulẽtus & ambitioſus, profectionem ſuam in Britãniam modis omnibus detrectare cœpit; Cumq. impetrare non poſſet, vt in Gallia relinqueretur, quod Cæſar perſpicue videret hominẽ in Gallia relictum ſe abſente aliquid turbaturũ, ſub ipſum profectionis momentum, inſciente Cæſare cum equitum manu diſcedere cœpit: qua re nunciata, Cæſar intermiſſa profectione, cum magna parte equitatus eum retrahi iuſſit, & recuſantem interfici; quod & factum eſt; ſic ille ſuæ temeritatis Cæſari pœnas dedit, eius autem comites omnes ad Cæſarem ſunt reuerſi. Ergo in Britanniam tranſit, proſperaque nauigatione vſus, parem fere nauium cladem XXII. *Et cum Dumnorige Æduo.*

ei quam ſuperiore anno ibidem pertulerat, à maris æſtu accepit; ſed victoriis etiã felicior fuit. Nam reſtituto Mandubratio principe, multos deditione populos accepit, cum aliis feliciter aliquoties congreſſus, vectigalem populo Romano Britanniam fecit, & refectis nauibus, cum magna obſidum captiuorumque turba, in Galliam, cui timebat, ſub æquinoctium, cum magna tranquillitate reuerſus eſt.

XXIII. *Nouæ in Gallia turbæ occaſione inopiæ. Clades ab Ambiorige accepta. Q. Ciceronis periculum.*

Reliquum anni tempus in Gallia valde turbulentum fuit. Cum enim hoc anno magna ſiccitas in Gallia, frumentique inopia fuiſſet, ſingulas fere legiones variis in locis Cæſar in hyberna dimiſit: quæ res Gallis eos opprimendi conſilium ſuggeſſit. Primus Ambiorix cum ſimulata amicitia perſuaſiſſet Sabino, & Cottæ duobus Cæſaris legatis, vti ſe ad proxima ſociorum hyberna reciperent, in itinere inſidiis circumuentos, cum tota legione concidit; aliqui fuga elapſi ad Labienum magno labore peruenerunt, eumque de re tota docuerunt. Ea victoria alios vbique motus exciuit: in primis autem illa elatus Ambiorix, Atuaticos, Neruioſque ad præclare cepta vrgenda excitat, Q. Ciceronem facile cum legione opprimi poſſe, & auitam libertatem recuperari: maximæ illico ex multis locis copiæ ad Ciceronis hyberna confluxerunt; ſed ibi incredibili conſtantia, laudeque obſidio tolerata eſt,

XXIV. *Cui ſubuenit Cæſar.* *Et hoſtem occurrentẽ profligat.*

Donec Cæſar de eorum periculo, magnis ſuorũ periculis factus certior, cum duabus legionibus, quæ erant ſeptem millium, nam imminentes defectiones plures cogere non ſiuere; quanta maxima celeritate poteſt ad Ciceronem contendit: quod vbi ſenſere hoſtes, omiſſa obſidione, in Cæſarem ipſum arma conuertunt: qui vbi eos animaduertit, caſtra capit quam commodiſſimo loco poteſt, eaque inuſitata diligentia communit, ad opinionem timoris conciliandam, & hoſtem ad pugnam loco iniquiore capeſcendam, perducendum. Itaque poſtmodum euenit. Cum ergo contemptim Galli Cæſarianis intra caſtra ſe continentibus inſultarent, & ante horam tertiam transfugere iuberent, qui ſalui eſſe vellent. Cæſar omnibus portis eruptione facta, equitatuque emiſſo, celeriter hoſtes dat in fugam, ſic, vt omnino pugnandi cauſa reſiſteret nemo, magnoque numero occiſo, omnes armis exuit, eodemque die omnibus copiis incolumibus, ad Ciceronem peruenit.

XXV. *Motus apud Senones.* *Indutiomarus per diſſimulationem victus, cæſuſque.*

Eius victoriæ nuncius Armoricorum motus repreſſit. Indutiomarum, qui poſtridie Labieni caſtra oppugnare decreuerat, in fugam dedit, reliquos Cæſar in officio ſua præſentia tenuit. Senones tamen regulum ſibi à Cæſare datum expulerunt, & euocati à Cæſare, dicto audientes non fuerunt, ſed cum aliis populis Indutiomaro adiuncti, Labienum oppugnare aggrediuntur. Qui eorum conſilio cognito, cum caſtra munitiſſima haberet, nihilque ſuis timeret, timoris tamen opinionem colligere ſtudebat, vt hoſtem redderet negligentem: ergo caſtris, in occaſionem rei bene gerendæ intentus, ſe continebat. Indutiomarus contra, prope quotidie cum omni equitatu ſub caſtris eius vagabatur; tanta fiducia, vt tela intra vallum Romanorum conijcerent. Cum autem nocte vna, ſummo ſilentio finitimarum ciuitatum, equites accepiſſet, poſtridie Indutiomarus de more ad Romana caſtra reuertitur, ad certamen inuitat, cum nullum daretur reſponſum, ſub veſperam diſperſi ac diſſipati diſcedunt. Cum ſubito Labienus duabus portis omnem equitatum emittit, præcipitque vt vnum omnes Indutiomarum ad mortem peterent, priuſquam aut quemquam cæderent, aut fugientibus inſtarent. Itaque ille in tranſitu fluminis deprehenſus interficitur, caput eius refertur in caſtra; redeuntes equites, quos poſſunt conſectantur, atque occidunt. Eburones & Neruii, qui conuenerant, ea re cognita, ad ſua ſe recipiunt.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 4000.

1.N.vii. Et Ioſephus hoc loco dicit. *Nulla eſt nobis publica pecunia, præter hanc Deo ſacram*, cum ſacram pecuniam fuiſſe dicat tantum duûm millium talentum, vnde erant illa reliqua octo millia? forte priuatorum in templo depoſita, vt de Hyrcani pecuniis legimus, li. 2. ca. 3. 11.

2.N.xi. Quaſi Eunuchi facti muliebria paterētur, ideo que & in templo eorum Rheam, ſiue Cybelum coli affirmabant, cui Galli euirati & cynædi conſecrati erant. Nam inter alias de Syria dea opiniones eam recenſet Lucianus, vt Rhea æſtimata fuerit, Deûm atque hominum mater: quo videntur Plutarch. & Appianus reſpexiſſe, dum eam Naturam omnia proſeminantem à quibuſdam, creditam dicunt.

ANNVS MVNDI 4001. SEXTAE AETATIS 486.

HYRCANI II. PONTIFICIS 23. PTOLEMÆI AVLETIS 28.
HERODIS ÆTATIS 20. OLYMPIADIS CLXXXI. AN. 4.
VRBIS CONDITÆ 700. COSS. CNÆO DOMITIO
CALVINO, M. VALERIO MESSALA. M.
CRASSO SYRIÆ PRÆFECTO 2.
GALLICI BELLI 6. PAR-
THICI 2.

ANNVS ANTE CHRISTVM 52.

SEPTIMVM hoc anno ſeculum ab vrbe condita terminatur, & quadrageſimum primum ab origine Mundi inchoatur, qui annus fuit Romanis, domi foriſque admodum luctuoſus. Nam M. Craſſus cum maximo exercitu deletur à Parthis, in eorumque poteſtatem multi ciues, multæque in Aſia prouinciæ veniunt. Appianus [a] enim ex centum millibus, qui cum Craſſo militabant, vix decem millia in Syriam profugiſſe teſtatur; & Dio libro quadrageſimo author eſt Parthos, deuictis eo tempore Romanis, omnem ditionem intra Euphratem recuperaſſe: quod memorat factum Caluino & Meſſala Coſſ. Domi omnia à cādidatis Conſulatus pecuniis tumultibuſque turbantur, adeo vt maxima pars anni Conſulibus caruerit. Nimirum proxima caſui Reſpublica, libertaſque Romana, potentiæ atque ambitionis impulſibus, tanquam ariete crebro quatiebatur, non multo poſt abitura in præceps inſigni ruina, quam ille non inepte refricabat, cum caneret. — I. *Res anni huius.*

a l.2. Ciuil.

Horat. l. 3.

Quis non Latino ſanguine pinguior
Campus, ſepulchris impia prælia
Teſtatur, auditumque Medis
Heſperiæ ſonitum ruinæ?
Qui gurges, aut quæ flumina lugubris
Ignara belli? quod mare Dauniæ
Non decolorauere cædes?
Quæ caret ora cruore noſtro?

VT autem à Syriacis rebus ducamus initium, quæ præterita hyeme M. Craſſus in Syria geſſerit, ex Ioſepho, Plutar. & Appiano ſuperiore anno diximus, quæ ad huius quoque anni initia pertinent. Cum autem iam ex hybernis legiones Craſſus euocaret, inquit Plutarchus, adierunt eum Arſacis legati, (id eſt, ſi proprium Regis præſentis nomen, & non commune Parthorum principum quæras, Orodis, quomodo eum vocat Dio libro quadrageſimo, & mox Plutarchus ipſe) nunciantes, ſi miſſus eſſet à populo Romano exercitus contra Parthos, geſturos illos bellum implacabile in Romanos. Sin patria inuita, Craſſus priuati quæſtus gratia, arma Parthis intuliſſet, & vrbes occupaſſet, acturum Arſacem moderate, Craſ- — II. *Arſacis legati ad Craſſum.*

ſi ſenectutis miſericordia motum, populoque Romano milites remiſſurum. Interea enim, vt ſcribit Dio, Surenam Orodes miſerat cum exercitu, ad recipienda ea, quæ vel capta fuerant, vel defecerant; Ipſeque rex eodem tempore expeditionem in Armeniam ſuſceperat, ne Artabazes Tigranis filius, qui tum ibi regnabat, vllum Romanis auxilium mitteret.

III. *Craſſus legationem contemnit. Et ſuos bene monentes repellit.*

Cvm autem Craſſus legatis reſpondiſſet, ſe belli cauſas Seleuciæ editurum. Hic prius pili enaſcentur, inquit Vaſiges princeps legatorum, oſtenſa vola manus, quã tu Seleuciam aſpicias. Simulque ad regem regreſſus, bellandum eſſe nunciauit.

Interea ex oppidis Meſopotamiæ, vbi erant Romana præſidia, aliqui magno cum periculo euaſerant, & formidoloſa de Parthorum multitudine, armorum genere, pugnandi ratione, propria docti experientia referentes, adeo fregere animos Romanorum, vt quidam ex Præfectis Craſſo ſubſiſtendum cenſerent, atque ex integro de ſumma rerum concilium conuocandum. In his erat Quæſtor Caſſius. Aruſpices quoque à progrediendo deterrebant; Quos omnes Craſſus repulit.

IV. *In primiſq; regem Armeniorum.*

In primis enim erexit eum Armeniorum Rex Artabazes, qui in caſtra cum ſex millibus equitum venit, qui dicebantur eſſe Regis ſtipatores, & ſatellites; aliaque pollicebatur decem millia cataphractorum, & 30. millia peditum, qui propriis ſeſe alerent ſumptibus. Suadebat autem Craſſo, vt per Armeniam irrueret in Parthiam; omnia ſe affatim exercitui ſubminiſtraturum, tutum etiam iter fore, propter regionis aſperitatem; equitatui, quo vno maxime Parthi valerent, minus obnoxiam. At Craſſus ſapientiſſimum conſilium neglexit, & collaudatum A dimiſit, oſtendens ſe per Meſopotamiam ducturum, vbi multos egregio rmenum tes Romanos reliquiſſet. ſque mili-

Et Caſſium ducem.

Ergo Zeugma ad oram Euphratis adit, (ita dictum eum locum Dio ſcribit, quod per eum Alexander in ſua expeditione fluuium traiecerat;) vbi multorum prodigiorum minas, quæ fuſius Plutarchus Appian. Dio commemorant, fruſtra expertus, etiam conſilium Caſſii neglexit monentis, vt dum aliquid certi de Parthis allatum eſſet, in aliqua vrbium, in quibus præſidium habebat, reficeret exercitum: Sin minus, vt ſecundo flumine Seleuciam peteret, ſic naues commeatum ſuppeditaturas, & caſtra ſecuturas; amnem quoque præſtiturum, ne circumueniri ab hoſte poſſent.

V. *In pernicioſa conſilia trahitur.*

Hæc perpendentem Craſſum Ariamnes Præfectus alæ Arabum, Agbarum vocat Appian. Mazarem Syrum Florus. [a] Augarum Oſroënum Dio, (qui ſubornatus erat à Parthis, vt Romanos à flumine, & locis inæqualibus abduceret, & in vaſtum coniiceret campum, vbi cingi valeret equitatu) à ſalubri conſilio abduxit, & iam tumidum contemptu hoſtis impleuit, perſuaſitque, vt recta in hoſtem pergeret, priuſquam Rex vires omnes in vnum contraheret, qui nunc fugeret, adeſſent autem Surenas & Syllaces, qui Romanos ab inſequendo morarentur. Cum tamen Rex Orodes cum parte copiarum Artabazem in Armenia bello premeret, & Surenas egregius ipſe dux, validiſſimas ſecum copias in Romanos ductaret. Dio addit Augarum hunc Arabem, cum Surena ſpeculandi prætextu frequenter verbis congreſſum fuiſſe in Craſſi perniciem, vt ſanorum conſiliorum contemptor, pernicioſa complecteretur. [a] l.3.c.11.

VI. *Rurſum Armenum bene monẽtem reſpuit.*

Arabs ergo exercitum per infinitam planiciem deduxit, via leni ab initio, & facili, deinde arenoſa ac ſitiente, omni ſtirpe virgultiſq; deſtituta. Et iam dolus cœperat eſſe ſuſpectus, cum Artabazes, ſiue Artuaſdes, vt eum etiam appellat Plut. nuncios Craſſo mittit, non poſſe ſe illi auxilia mittere, graui quippe bello vrgeri, ruente in ipſum Orode; monere autem maxime Craſſum, vt illuc ſe conuertat, & iunctis cum Armenis copiis, cum Orode decernant. Quod ſi non placeat, ita progrediatur, vt regiones declinet equitabiles. Id conſilium Craſſus etiam cum ſtomacho reiecit, & minis. Arabs mox, priuſquam doli compertus eſſet, ſubduxit ſe, cum Craſſo perſuaſiſſet, ſe hoſtium exercitum circumuenturum, & perturbaturum; Sed Romanum ille circumuenit, perturbauit, ac perdidit.

VII. *Temere inſtante hoſte ſe gerit.*

Non multum progreſſi fuerant, cum pauci ſpeculatores accurrentes, nunciauerunt reliquos ab hoſtibus occiſos, eoſque adeſſe ingentibus animis, copiiſque inſtructos. Hic Craſſus obſtupuit, exercitus perculſus eſt metu; Et Craſſus quidem primum Caſſii ſententiam ſecutus, aciem explicatiorem inſtruxit: mox male muta-

to conſilio, contractis copiis quadratam aciem, & profundam fecit. Alterum cornu Caſſio, alterum filio Craſſo attribuit, ipſe in media acie conſtitit. Cum ad riuum Baliſſum nomine ventum eſſet, cum plerique ducum ſuaderent, vt ibi caſtra ponerentur, & pernoctarent: interimque explorandum, quæ eſſent hoſtium copiæ, & quam inſtructæ; id quoque conſilium reſpuit Craſſus, eius filio cum ſuis equitibus prælium affectantibus; iuſſitque, vt in acie ſtantes, quibus liberet cibum caperent, & biberent: quod priuſquam factum eſſet ab omnibus, incompoſito gradu properauit, non lento & interquieſcente, donec hoſtes in conſpectu fuere.

Svrenas non totam à principio aciem exhibuit, nec armorum dignitatem, ſed idoneo ad terrorem Romanorum loco, quos primum infeſtis haſtis loco mouere inſtiterunt. Cæterum vt altitudinem confertæ aciei, & militum videre ſtabilitatem, gradum retulere. Cum autem ordines ſuos diſſoluere viderētur, priuſquam id Romani aduerterent, vndique ſe ipſorum aciei circumfudere. Cum vero leuem armaturam Craſſus procurrere iuſſiſſet, haud longe ſunt progreſſi, ſed grandine ſagittarum male accepti, retro ſe inter grauem armaturam receperunt, initiumque tumultus & pauoris præbuerunt, cernentibus vim telorum omnia perrumpentium, & vulnerum magnitudinem. VIII. *Initiū prælij cum Surena.*

Hic Parthi diuulſi, vndique in confertam aciem ſagittas eminus iaculari cæperunt, tanto damno, nullum vt telum eſſet irritum, tanta vi, vt immanes plagas morteſque frequentiſſimas afferrent, tanta conſtantia, vt ne fugientes quidem à iaculando ceſſarent. Et ſperabant quidē Romani fore, vt effuſis ſemel telis ad manus veniretur. Vt vero cognouerunt multos camelos illis præſto eſſe ſagittis onuſtos, à quibus circumuecti primi ſagittas ſumebant, obtorpuit Craſſus videns nullum fore ſagittandi finē, donec omnes telis confixi iacuiſſent: iuſſitq; filium eniti manum cum hoſte conſerere, priuſquam ab eo circumfunderetur. Is cum ſuis progreſſus, fugientibus de induſtria Parthis, longius à patre abſtractus eſt, tum conuerſo vultu, aliis vndique conuolantibus circumfuſi, fortiſſime pugnantes, contis ſagittiſque confixi, magna ex parte cecidere, in iiſque P. Craſſus. Quingenti viui in hoſtium poteſtatem venere. IX. *Romani ſagittis configuntur, nec ſinuntur venire ad manus.* *P. Craſſus cum ſuis configitur.*

Capite Publii truncato, in Craſſum illico contenderunt, qui filii reditum expectabat, dum minus aliquanto inſtaret hoſtis. At nunciis aliis, ſuper alios ſuperuenientibus, actum eſſe de Publio, niſi valido auxilio quam primum ſuccurreretur, inſtitit cum exercitu progredi, cum ſuperuenere hoſtes clangore terribiles, & victoria ferociores, Publii caput haſta ſuffixum ferentes. Id ſpectaculum Romanos vehementer infregit; Craſſus tamen animare conatur ſuos, ad extorquendam hoſti lætitiam, & ſæuitiam vindicandam. Redintegratum eſt prælium; ſed cum Romani iterum ſagittarum grandine conficerentur, miſere inulti peribant. Nam qui temere, ne ſagittis configerentur, in hoſtem irruebāt, contis validis, quibus illi ſubinde bina corpora vno impetu tranſuerberabant, in anguſtum cogebantur; donec appetente nocte receperunt ſe Parthi, iactantes vnam noctem ſe Craſſo largiri, ad filium lugendum. X. *Clades Romanorum ingraueſcit.*

Ea nocte Octauius & Caſſius, centuriones & milites conuocarunt, nam Craſſus publico priuatóque obrutus luctu, obuoluto capite in tenebras abdiderat ſe; cum metus futurorum reliquias exercitus ad fugæ conſilium impulit. Exercitus ſine tuba excitatus ſilentio abire cœpit. Mox autem debilibus ſentientibus ſe relinqui, ingens tumultus & confuſio, cum eiulatu & comploratione caſtra occupauit. Inde perturbatio & pauor progredientes occupauit, quod clamore excitum hoſtem incurſurum putarent; & ſenſit ille quidem abeuntes, ſed inſequi neglexit; Trecenti equites expediti, Egnatio duce Carras intempeſta nocte peruenerunt, & appellatis excubitoribus nunciari iuſſerunt præfecto Coponio, Craſſum ingentem pugnā cum Parthis commiſiſſe, nec alio verbo addito, ad vrbem Zeugma properarunt. XI. *Craſſi luctus, & fuga cum reliquiis exercitus.*

Coponius ex confuſa oratione infauſtam rem nunciari exiſtimans, ſuos armat extemplo, & Craſſo per debilium curam lentius progredienti occurrit, eumque cum exercitu vrbe recepit.

Vbi diluxit, Parthi caſtra Romanorum adeunt, & ibi relictos ad quatuor millia contrucidarunt. Multos quoque in campo palantes equitatu exceperunt, in his 4. cohortes, quas Varganteius ducebat, quæ noctu à via aberrauerant. Has in col- XII. *Parthi ægros trucidant.*

PARTHICA ROMANORVM CLADES SVB CRASSO.

le circumuecti pugnantes oppreſſerunt, præter viginti, qui per medios hoſtes perrumpentes, Carras incolumes peruenerunt.

Carris Craſſum ſpe fœderis illuſũ obſident.

Incertus animi Surenas an Carris eſſet Craſſus cum Caſſio, an alio ſe ex fuga cõtuliſſent. Carras dimittit certos homines, qui id perdiſcerent, ſpecie fœderis ineundi cum Romanis, ſi excederent Meſopotamia. Quod cum Romanis, quibus omnia prope deſperata erant, placuiſſet, tempuſque & locum congreſſus Craſſi & Surenæ peterent; Surenas intelligens hoſtem incluſum Carris, poſtridie cum exercitu affuit, oppidum vehementer premens, imperanſque Romanis ſi cupiant inducias, ſibi Craſſum & Caſſium vinctos dari. Hic nimirum ingemuerunt Romani ſe deceptos, & longinqua inanique ſpe auxilii Armeniorum omiſſa, de fuga cogitabant.

XIII. *Nocte fugit Andromacho proditore duce.*

ID conſilium nemini Carrenorum ante tempus aperiendum erat; aperuit tamen Craſſus omnium perfidiſſimo Andromacho, quem inſuper delegit itineris ducem; Itaque omnia conſilia Parthi didicerunt, Andromacho ſingula prodente. Et quoniã noctu pugnare neque ſolitum Parthis eſt, neque facile, Craſſus autem noctu exiuerat, ne hoſtes longius à tergo fugientiũ relinquerentur, Andromachus Romanos aliis atq; aliis viis deducebat; poſtremo in profundas paludes, & loca foſſis conciſa deflexit. Fuerunt nonnulli, qui Andromachi circũflexiones ſuſpectas habentes, eũ ſequi noluerunt. Nã Caſſius retulit ſe Carras, & inde cum equitibus quingentis, proripuit ſe in Syriam, vt habet Dio, & Appianus, non in Aſſyriam, vt habet Plutarchus, haud dubie mendoſe. Alii fidos nacti duces, loca montoſa, quæ Synaca dicuntur, ceperunt, & ante lucem in tutum peruenere, fere quinque millia, quibus præfectus erat vir fortis Octauius.

Caßius & Octauius euadunt.

XIV. *Craßus circumuentus à Parthis.*

CRASSVM inſidiis Andromachi implicatum in locis difficilibus, & palude, occupauit dies cum quatuor cohortibus legionariorum, & paucis equitibus, & quinque lictoribus, cum quibus labore magno eluctatus difficultates itineris, iam appropinquantibus hoſtibus in alium tumulum refugit, duodecim ferme ſtadiis ab Octauio diſtantem, non tam munitum aut equis imperuium, ſed ſubiacentem Synacis, & coniunctum longa ceruice tendente per mediam planiciem; Itaque periculum eius Octauium latere non poterat. Ergo primus cum paucis accurrit in eius auxilium; deinde reliqui ſe inuicem increpantes ſequebantur, repreſſiſque hoſtibus à tumulo, Craſſum in medium receperunt. Scutiſque obiectis iactabant nullum Parthorum telum poſſe corpus Imperatoris attingere, priuſquam propugnatores omnes ad vnum cecidiſſent.

Ei ſuccurrit Octauius.

XV. *Romani noua fraude circumuenti, ſpes pacis.*

ITAQVE Surena videns Parthos iam ſegnius ſubire pericula, & periculoſum eſſe pugnare cum deſperatis, è loco præſertim editiore pugnatibus, & ſi forte nox ſuperuenerit, Romanos iam montana tenentes capi non poſſe; ſed ad Armenios belli redintegrandi gratia profecturos, vt ait Dio, alteram fraudem, perfidiamque machinatus eſt. Dimiſit enim aliquot captiuos, qui barbaros de induſtria confabulantes audiuerant, Regem non abhorrere à pace cum Romanis ſarcienda, exhibiturumque Craſſo omnem humanitatem, ſi id per ipſum fieri poſſet. Interim abſtinebant à pugna barbari, & Surena cum optimatibus paulatim ad tumulum accedens laxauit arcum, & protenſa dextera, Craſſum ad fœdera inuitabat; Parthorum vim cum iam expertum, nunc humanitatem ſi velit experturum. Non aſſentiebatur Craſſus, & merito fraudem timebat, vt qui nullam huius mutationis cauſam videret.

XVI. *Inuito Craſſo ipſo.*

AT milites etiam cum conuitio pacem petebant. Ille conabatur precibus & ratione perſuadere, vt reliquũ diei perdurarent, noctu per montoſa iter facturos, ne propinquæ ſalutis ſpem abrumperent. Sed cum indignantes, & arma concutientes minarentur, territus pergit ad hoſtes; & tamen conuerſus ad ſuos, vos, inquit, Octaui & Petroni, & quotquot adeſtis præfecti Romani, cernitis quam vim patiar; verum cæteris mortalibus nunciate, vbi incolumes fueritis, deceptum ab hoſtibus Craſſum, non à ciuibus deditum periiſſe. Quod videri poteſt dixiſſe, hac amica voce tentans eorum pertinaces animos infringere, dum famæ ipſorum curam gerit. Octauius tamen & cæteri non hæſerunt in tumulo, ſed ſimul deſcenderunt, lictores ſequi honoris cauſa volentes Craſſus à ſe remouit.

Qui hoſtem adit.

XVII. *Craßi & Surenæ occurſus.*

PRIMI ex Barbaris occurrerunt duo ſemigræci, qui Craſſum ex equis deſiliẽ-

tes adorauerunt, ſalutatumque Græce rogabant, vt præmitteret, qui Surenam cæteroſque, qui ad colloquium veniebant, pertentarent an inermes venirent. Miſit ille duos Roſcios fratres, quos extemplo Surenas retinuit, atque cum primoribus prouectus equo, cum Craſſus pedes iret, iuſſit ad eum equum adduci, & ad fluuium vſque, ad ſcribendas pacis leges progredi, quod Romani non eſſent admodum pactorum memores, ſimulque dexteram ei porrexit. Quumque Craſſus equũ acceſſeret, negauit eſſe opus. Hunc enim tibi, inquit, Rex dono dat, moxque admotus eſt ei equus auro frenatus, in quem ſtratores eum ſuſtulerunt, & aſſectati ſunt, verberibus concitantes equum. Ibi Octauius primus arripuit frenum, & ſecundum illum vnus ex tribunis Petronius, mox reliqui circumfuſi inhibere parauerunt equum, atque illos, qui ex vtraque parte vrgebant Craſſum, retrahere. *Craſſus equo imponitur & abducitur. Romanis prohibentibus.*

XVIII. *Excitatur rixa & pugna. In qua Craſſus perit. Aurum in os eius infuſum.*

Cvmqve ſe mutuo protruderent, turbarentque, ventum eſt ad verbera: Octauius ſtricto gladio occidit vnius barbari equiſonem, alius Octauium à tergo feriens. Petronius telum non habuit, ſed percuſſus in loricam reſiluit integer. Cæterum Craſſum Parthus Pomaxæthres nomine, vel vt eum Appianus appellat, Maxarthes interfecit, aut vt aliis placet, iacentis caput & dexteram detruncauit. Dio in dubio relinquit, an ab aliquo ſuorum occiſus ſit, ne viuus in hoſtium poteſtatem veniret, additque retuliſſe nonnullos, in eius os Parthos aurum liquefactum infudiſſe. Id autem plane affirmat Florus, [a] qui cum dixiſſet, futurum, vt ſigno dato in hoſtium manus viuus incideret, niſi tribunis reluctantibus, ducis fugam barbari ferro occupaſſent, ſubdit, *Caput eius reciſum, cum dextra manu ad regem reportatum ludibrio fuit, neque indigno: Aurum enim liquidum in rictum oris infuſum eſt, vt cuius animus arſerat auri cupiditate, eius etiam mortuum & exangue corpus auro vreretur.*

[a] l. 3. c. 11.

XIX. *Quid reliquis factũ.*

Qvi aderant partim circa Craſſum occiſi ſunt, partim confeſtim in collem recurrere. Hos Parthi ſecuti dixerunt Craſſum pœnas exoluiſſe, reliquos Surenam iubere bono eſſe animo, & deſcendere. Ita alii de colle digreſſi dediderunt ſe, alij nocte dilapſi ſunt, quorum pauci omnino ſalui euaſerunt, cæteros Arabes perueſtigantes, ſi ſecutique peremere. 20. millia cæſa dicuntur, 10. millia viui in hoſtium poteſtatem veniſſe. Surena caput dextramque Craſſi miſit in Armeniam, vbi ei multis cum ludibriis, & contumeliis inſultatum eſt, in iuſtam ambitionis & auariciæ vindictam.

Dedit tamen dignas pœnas & crudelitatis Orodes, & Surena periurii. Nam Surenam non multo poſt Rex occidit, inuidens illi tantam gloriam. Orodi vero poſt cæſum à Romanis in prælio Pacorum eius filium, Phraates alter filius, laboranti patri morbo aquæ intercutis, aconitum miſcuit; quod cum vis morbi per aluum deieciſſet, adeo vt Rex melius inde haberet, Phraates repudiatis venenis, vſus compendio hominem præfocauit, Hæc Plut. & Appianus. *Orodis & Surenæ mors.*

XX. *Romanæ res ſtatus hoc tẽpore. Magiſtratus venales.*

Romæ autem quo in ſtatu eſſet publica res hoc ipſo tempore, non male depingit Appian. [b] Eodem tempore & Iulia prægnans ex Pompeio moritur, (Domitio ſcilicet Conſule, vt ex Dione præcedenti anno diximus,) vnde metus omnes inuaſit fore, vt ſublata affinitate, Cæſar & Pompeius mox inter ſe totis exercitibus concertarent, quod iamdudum turbatæ eſſent rationes Reip. Nam & magiſtratus per factiones largitionesue, improbis ſtudiis, interdum etiam ſaxis gladiiſque acquirebantur; & largitiones nullo pudore cohibente, frequentabantur, & populus venales in comitiis præbebat operas; denique inuentus eſt, qui octingenta talenta per ambitionem apud ſequeſtros deponeret; (id eſt, ſi Attica fuerunt, ducenta & octoginta millia coron.)

[b] l. 2. ciuil.

XXI. *Arma in triumuirorum poteſtate. Coſſ. tarde facti.*

Præterea ſingulorum annorum Conſulibus nulla ſpe relicta bellandi, aut ductandi exercitum, quod excluderentur triumuirorum potentia; qui deteriores erant, lucra ex publica pecunia captabant, aut ſucceſſorum ſuorum deſignationibus; boni vero his de cauſis vniuerſe à magiſtratibus abſtinebant, vt ſtatu tam perturbato Reſp. per octo menſes aliquando magiſtratu caruerit, Pompeio ad omnia de induſtria conniuente, vt Dictatore opus haberent. Quod iam paſſim audiebatur in circulis, non aliud ſupereſſe præſentibus malis remedium, quam ſi ad vnius boni, atque potentis viri principatum confugeretur. Quibus verbis vtique Pompeius indicabatur. Hæc Appianus, quæ adhunc annum pertinere, illud octo menſium interregnum, aut certe ſeptem, vt Dioni placet indicat. His annis, inquit Dio l. 40.

multi tumultus in vrbe graſſati ſunt, potiſſimum vero in comitiis, ita vt Caluinus, atque Meſſala Coſ. vix ſeptimo tandem menſe creati ſint; Ac ne tum quidem res confecta fuiſſet, niſi Q. Pompeius Rufus Trib. plebis Syllæ nepos ex filia, in carcerem à Senatu coniectus eſſet, eandemque pœnam, in cæteros qui Remp. turbarent, conſtituiſſet.

XXII. *Fit mentio Dictatoris.* Mentionem Dictatoris, in crebris interregnis primum factam eſſe à Lucilio Tribuno plebis, ait Plutarchus, [a] ſed ei, inſectante eum Catone, pene abrogatum eſſe tribunatũ. Cicero ait rumorem Dictatoris bonis fuiſſe iniucundũ. Sed tota inquit res & timetur & refrigeſcit, Pompeius plane ſe negat velle, antea ipſe mihi non negabat: velit, nolit ſcire difficile eſt. Sed audi Appianum. Hanc ille ciuium de ſe expectationem, verbis quidem auerſabatur indignanti ſimilis, re autem clam agebat modis omnibus, nihil obſiſtens quo minus Reſp. carens rectoribus turbaretur: idem habes apud Plut. in Cæſare. Audi denique Dionem. Aberat Roma Pompeius, & nemo vel decernere ei hunc honorem, quippe odio Scyllæ crudelitatis, ea forma Reip. adminiſtrandæ omnibus erat inuiſa; vel metu potentiæ eius, denegare ſatis audebat.

Dictaturã Pompeius diſſimulãter cupit.

[a] in Pomp.

XXIII. *Ea repudiata Coſſ. creat.* Tandem vbi ipſe aduenit, Dictaturam, quæ illi iam non obſcure deferebatur, repudiauit; atque vt Conſules crearentur curauit, cum ferme iam de ſequentis anni Coſ. deſignandis ageretur. Plut. in Pompeio ait à Catone Pompeium vehementer laudatum, quód Dictaturam recuſaret, hortatúmque vt Remp. in ordinem reſtitueret; tunc rubore inductum Domitium & Meſſalam creaſſe.

Eorum Conſulatum & breuem, & plenum turbis fuiſſe, ex Dione intelligi poteſt, quum ait Conſules, ob tumultus eorum qui cædes edebant, ſucceſſores ſibi non conſtituiſſe, & tanquam in magno luctu, ſenatoria veſte poſita, ſenatum in veſtitu equeſtri habuiſſe. Hæ autem cædes opera candidatorum fiebant, qui deſignari in ſequentem annum cupiebant.

XXIV. *Cæſar auget copias.* Svpersvnt huius anni Gallicæ res Cæſaris libro ſexto comprehenſæ. Pompeius, qui tum ad vrbem cum imperio Reip. cauſa manebat, à Cæſare per literas rogatus eſt, vt milites ex Ciſalpina Gallia, per legatos ſuos delectu habito collectos, ad ſe proficiſci iuberet; ſiue quod maiores in Gallia motus expectaret, ſiue quod ad dignitatem populi Rom. pertinere arbitrabatur, tantas videri Gallis Italiæ facultates, vt ſi quid eſſet in bello detrimenti acceptum, non modo id breui tempore ſarciri, ſed etiam maioribus adaugeri copiis poſſet; ſiue denique quod potentiam ſuã in dies magis ſtabilire vellet contra Pompeium, in quem tota Reſpub. propendebat, in qua ille quamprimum regnare cupiebat. Tribus legionibus auctum ſe fuiſſe ſcribit Cæſar ex ſuorum legatorum delectu. At Plut. in Cæſare, commodauit, inquit, ei de ſuis legionibus Pompeius duas, tertia nouella fuit in Gallia circumpadana conſcripta.

XXV. *Noui in Gallia motus, & Treuiris.* Interea Treuiri arma parant, Germanoſque ſollicitant, Ambiorigem, & ciuitates vicinas ſibi ſocietate adiungunt, Senones, Carnuteſque in defectionem inclinant. Cum Cæſar, nondum exacta hyeme, proximis 4. legionibus coactis, de improuiſo in fines Neruiorum contendit; & priuſquam illi aut conuenire, aut profugere poſſent, magna præda capta, vaſtatiſque agris, in deditionem venire, atque obſides dare coëgit. Inde Senonibus quoque inopinata celeritate oppreſſis, rogatu Æduorum dat veniam, & centum obſidibus imperatis, eos Æduis cuſtodiendos tradit. Carnutes quoque Rhemis deprecatoribus vſi, quorum erant in clientela, veniam impetrarunt.

Breui pacatis.

Hac parte Galliæ pacata, totus & mente, & animo in bellum Treuirorum, & Ambiorigis inſiſtit. Magnum ſecum ducens Gallorum equitatum, quem ciuitatibus imperarat: & vt Ambiorigi auxilia Menapiorum demeret, ad eos primum ducit, quos leui conatu deuictos ad pacem petendam, obſideſque dandos cogit. Interminatus ſe eos hoſtium loco habituros, ſi aut Ambiorigem, aut eius legatos finibus ſuis recepiſſent. Ibique præſidio relicto in Treuiros proficiſcitur.

XXVI. *Res apud Treuiros geſtæ à Labieno.* Apvd quos interea Labienus præclare rem gerit. Nam cum hoſtis magno numero eius legionem opprimere ſtatuiſſet; Ipſe metu & fuga ſimulata, hoſtem temere perſequentem iniquo loco pugnare cogit: ac primo concurſu in fugam coniectos, equitatu conſectatur, magnoque numero interfecto, compluribus captis,

paucis

paucis poſt diebus ciuitatem recipit; Germani qui auxilio veniebant, ſeſe domum retulerunt, Treuirorum fuga cognita; cum iis propinqui Indutiomari, qui defectionis autores fuerãt, comitati eos ex ciuitate exceſſere. Cingetorigi, qui à principio in fide Romanorum manſerat, principatus eſt traditus.

Cæſar iterũ Rhenum ponte iungit.

Cæſar poſtquam in Treuiros venit, Rhenum tranſire conſtituit, tum vt Germanos, qui auxilia contra ſe Treuiris miſerant, vlciſceretur, tum ne Ambiorix receptum ad eos haberet. Ergo pontem iterum Rheno imponit, & relicto in Treuiris firmo ad pontem præſidio, exercitum in Germaniam traducit.

XXVII. *Inde regreditur.*

Ibi ab Vbiis, qui in fide manſerant, diſcit auxilia à Sueuis eſſe miſſa, quos cum ad bellum propulſandum paratos accepiſſet, iis ne attentatis quidem, inopiam frumenti veritus, regredi conſtituit; ſed ne omnino metum reditus ſui barbaris tolleret, reducto exercitu partem vltimam pontis, quæ ripas Vbiorum contingebat, in longitudinem pedum ducentorum reſcindit; atque in extremo ponte turrim, præſidiumque cohortium duodecim conſtituit, cui C. Volcatium Tullum adoleſcencentem præfecit. Ipſe cum matureſcere frumenta inciperent, ad Ambiorigem bello perſequendum præmittit L. Minucium Baſilum, qui tanta ad eum celeritate peruenit, vt famam præuenerit, & hominem plane imparatum deprehenderit. Quo minus autem comprehenderetur, paucorum domeſticorum virtute factum eſt, qui dum loci commoditate vſi, vim Romani equitatus pauliſper ſuſtinent, illum ſui in equum intulerunt, fugientem ſyluæ texerunt; ſimulque eos, qui ſibi ſocietate iuncti erant, per nuncios monuit, vt ſibi conſulerent, quorum Catiulcus Rex dimidiæ partis Eburonum, Ambiorigem deteſtatus, taxo ſe examinauit.

Et Ambioribus perſequitur.

XXVIII. *Bellum in Eburones, qui Leodicẽſes.*

Cæsar Eburonibus bellum facturus, omnium legionum impedimenta Aduatucam, quæ in mediis eorum eſt finibus contulit, vbi præcedenti anno Sabinus & Cotta hyemandi cauſa conſederant, eique præſidio legionem decimam reliquit, quæ erat vna ex tribus, recens in Italia conſcriptis. Ei præfecit Q. Tullium Ciceronem, & ducentos equites attribuit, & reliquas nouem legiones tripertito diuiſas, etiam locis & ducibus belli cauſa disiungit; ipſe cum tribus legionibus Ambiorigẽ perſequitur, omneſque finitimas ciuitates ſpe prædæ, ad diripiendos Eburones euocat. Ea fama trans Rhenum delata, Sicambri Rheno proximi duo equitum millia cogunt, & traiecto Rheno primos Eburonum fines adeunt, multaque hominum ac pecorum præda potiuntur. Cum autem à captiuis didiciſſent, Cæſarem copiaſque longius abiiſſe, de Ciceronis legione, caſtriſque expugnandis, & Romanorum impedimentis potiundis conſilium ineunt, & præda iam capta in tuto collocata, eo ſe conferunt, quo tempore Q. Cicero quinque cohortes frumentatum in proximas ſegetes miſerat. Hoc ipſo tempore & caſu Germani equites interueniunt; protinuſque eodem illo quo venerant curſu, in caſtra irrumpere conantur. Ibi magno ſtudio contentioneque pugnatum eſt, non leui terrore & damno Romanorum, quos hoſtis incautos, & bona præſidii parte deſtitutos offenderat.

Periculum legionis 14.

XXIX. *Malo metuque liberatur.*

Interim frumentatores redeunt, quos Barbari conſpicati ab oppugnatione deſiſtunt, quod legiones rediiſſe crederent, quas longius abiiſſe relatum fuerat. Poſtea deſpecta paucitate, ex omnibus partibus in eos impetum faciunt, eorum plerique, capto per medios hoſtes impetu, ad caſtra perueniunt, reliqui cæduntur. Germani deſperata expugnatione caſtrorum, cum ea præda quam in ſyluis depoſuerant trans Rhenum ſeſe receperunt. Tantuſque ei legioni, etiam poſt diſceſſum hoſtium, relictus eſt terror, vt etiam conſpecto equitatu, quem Cæſar ad eam confirmandam præmiſerat, Cæſarem cum reliquis copiis deletum crederent, ſolumque equitatum effugiſſe dicerent: alioquin enim exercitu incolumi, Germanos nequaquam ad caſtra fuiſſe venturos. Sed aduentus Cæſaris veritatem firmauit, & excuſſit metũ; rurſúmq; ad vexandos hoſtes profectus eſt; poſtremo duas legiones ad fines Treuirorum, duas in Lingonibus, ſex reliquas in Senonum finibus, Agendici in hybernis collocauit; frumentoque exercitui prouiſo, vt inſtituerat in Italiam ad conuentus agendos profectus eſt.

SCHOLIA IN ANNUM MUNDI 4001.

I. N. ix. Dio P. Craſſum multo ante præmiſſum ſcribit, & Augarum Arabem contra Romanos abiecta ſimulatione conuerſum, ſimulque illius milites Oſroenos, Romanos à tergo cædere cœpiſſe, vt modo in hos, modo in illos ſeſe conuertere cogerentur, prout ab his aut illis magis vrgerentur, cæſoſque Romanos dum dies, arma, vires Parthorum tulere. Pro quibus etiam æſtus, ſitis, puluis, quem barbari circum equitando immenſum excitabant, ipſa etiam cadauerum multitudo pugnabat.

2. N. xxi. Quatuor fuiſſe hoc anno candidatos Conſulatus, eoſque largitionis accuſatos, autor eſt M. Tulius, l. 3. ad Q. Frat. ep. 3. De ambitu, inquit, poſtulati ſunt omnes qui Conſulatum petunt, à Memmio Domitius, à Q. Curtio, bono & erudito adoleſcente, Memmius, à Q. Pompeio Meſſala, à Triario Scaurus. Magno res in motu eſt, propterea quod aut hominum, aut legum interitus oſtenditur; opera datur, vt iudicia ne fiant, res videtur ſpectare ad Interregnum. Conſules comitia habere cupiunt, Rei nolunt, & maxime Memmius, quod Cæſaris aduentu ſperat ſe futurum Conſulem: ſed mirum in modum iacet Domitius, cum Meſſala certus eſſe videbatur, Scaurus refrixerat. Et epiſtola ſeq. Candidati Conſulares quatuor, omnes rei; cauſæ ſunt difficiles, ſed enitemur, vt Meſſala noſter ſaluus ſit &c. Hæc ipſe, non malus vtique coniector: nam qui certi eſſe videbantur, tandem facti ſunt Conſules; tandem inquam, quoniam vt ſcribit idem ep. ſeq. Tullius. Comitiorum quotidie ſinguli dies tollebantur obnunciationibus, magna voluntate bonorum omnium: tanta inuidia ſunt Coſſ. propter ſuſpicionem pactorum à candidatis præmiorum. Et ep. 8. Comitia, inquit ad Interregnum adducta. Rumor Dictatoris iniucundus bonis, mihi etiam magis, quæ loquuntur, &c.

ANNUS MUNDI 4002. SEXTÆ ÆTATIS 487.

HYRCANI II. PONTIF. 24. PTOL. AULETIS 29. HERODIS 21. OLYMP. CLXXXII. AN. 1. URBIS CONDITÆ 701. COSS. CN. POMPEIO MAGNO III. PRIMUM SINE COLLEGA, DEINDE Q. CÆCILIO METELLO PIO SCIP. C. CASSIO LONGINO SYRIÆ PRÆF. 1. GALL. BELL. 7. PARTH. 3.

ANNUS ANTE CHRISTUM 51.

I. *Ratio temporis.* NOVUM à condita Vrbe ſeculum, cum noua Olympiade inchoatur, & vtriuſque annus primus, primo anno Vrbis conditæ, & Olympiadis ſeptimæ anno primo reſpondet, quod initium vrbis cum Halicarnaſſęo poſuimus. Ex quo ſimul intelligis, amice lector, ſeptingentos annos interiectos recte eſſe digeſtos, & cum Olympiadum annis bene compoſitos: ſicut & in anno vrbis 400. notauimus. At Torniellus vno anno citius inchoat annos Vrbis, & tamen nunc vno anno poſterior eſt; duos ergo annos in curſu tam longinqui itineris amiſit.

II. *Belli Parthici in Syriam translatio.* Occiso proximo anno M. Craſſo, bellum Parthicum in Syriam tranſlatum eſt, quo ſe C. Caſſius Longinus eius Quæſtor, cum quingentis equitibus ex fuga contulerat, vt ex Plutarcho, Appiano, Dione diximus. Hic Caſſius, inquit Dio, cum ei Carris à militibus, odio Craſſi adductis, imperium eſſe delatum, atque ipſe etiam Craſſus ob magnitudinem calamitatis vltro id concederet, non acceperat; tunc autem neceſſitate rerum adductus, Syriæ tam præſente in caſu, quam deinceps quoque præfuit: vſque ad M. Bibulum videlicet, cui Syria ſequenti anno obtigit. De re autem à Craſſi morte geſta hæc habet.

Parthi Meſopotamiam recipiunt. Parthi eo tempore omni ditione intra Euphratem recuperata, eum tranſgreſſi non ſunt; Poſtmodum vero Syriam quoque inuaſerunt, non magno tamen exercitu, quod in ea neq; milites, neq; Imperatorē ab Romanis eſſe putabāt; Itaq; Caſſius eos nō magno negotio repulit. Addit Ioſeph. [a] nōnulla ab eodē in Iudæa geſta. [a] l. 14. c. 12. & l. 1. de bello c. 6.

III. *Quæ à Caſſio in Syria & Iudæa geſta.* CASSIUS autem, inquit, in Syriam refugiens, occupata ea reſiſtebat Parthis, propter recentem victoriam excurſantibus. Et cum veniſſet Tyrum, inuiſit etiam Iu-

a c. 12. 15. & 16.

b περὶ τρισμυρίους ἀνθρώπους.

c l. 1 de bel c. 6.

dæam; vbi Tarichæas primo impetu cepit. Eam vrbem Adrichom. in tribu Iſachar, in littore maris Tiberiadis collocat, Ioſephus in Galilæa ponit, l. 2. de Bello. [a] Vbi ſcribit magnum ſe poſtea vitæ adiiſſe diſcrimen: vbi & ciuium ad 40. millia memorat, vt non ſit plane abſurdum hic ad 30. milla captiuorum abducta fuiſſe à Caſſio, [b] quo etiã modo legitur in 1. de Bell. [c] licet in latino ſit prope tria millia Iudæorũ adducta in ſeruitutem, quod eſt fortaſſe verius. Vtrobique autem addit Pitholaũ quoque, qui Ariſtobuli partes fouebat, interfeciſſe, hortante Antipatro, qui plurimum apud eum poterat, & maximã inter Idumæos authoritatem habuit: apud quos duxit vxorem illuſtri inter Arabas loco natã, Cypron nomine: ex ea quatuor ei nati ſunt filii, Phaſaëlus, & Herodes, qui poſtea regnauit, & nunc annum agebat vigeſimum primum, & Ioſephus, atque Pheroras, & filia Salome. Habes hic matrem Herodis genere Arabem, ductam apud Idumæos, & apud eoſdem natos quatuor filios; in Arabia vero educatos oſtendunt quæ ſequuntur. Hic Antipater, inquit, etiã alios Dynaſtas hoſpitio ſibi coniunxit & amicitia, ſed maxime Arabem, apud quẽ & liberos depoſuit, dum bellum contra Ariſtobulum gereret.

Antipater in gratia apud eum.

Vxor eius & filii.

IV. *Romæ res ab ambitione perturbatiſſima.*

Hoc ipſo tempore Romana res perturbatiſſima erat, propter ambitionem candidatorum, adeo vt nihil pene ex legum præſcripto, & ordine Reip. ſed omnia vi agerentur. Quos enim candidati è populo largitione redemerant, hos ſecum ad vim afferendam potius, quam ad ſuffragium dicendum ſecum trahebant. Nihil ſani, inquit, Dio lib. 40. moderatiue agebatur, ſed cum largitionibus acriter contendebãt, tum plus etiam dimicationibus, ita vt Conſul quoque Caluinus aliquãdo vulnus acceperit: ita factum eſt, vt neque Conſulibus, neque Prætorib. neque vrbanis aliis magiſtratibus ſuccederetur, ſed prima anni parte ſine vllo magiſtratu Romæ viueretur. Et paulo poſt, cum is Romæ ſtatus eſſet, ac ſummæ rerum nemo præeſſet, ſingulis ferme diebus cædes perpetrabantur: ac quamquam ad magiſtratus capiendos plurimi contenderent, eaque de cauſa & largitiones, & cædes fierent, tamen comitia non perficiebantur. Sic Dio.

V. *Lex de differenda in quinquennium prouincia.*

Petebant autem hoc anno ſumma contentione Conſulatum T. Annius Milo, P. Plautius Hypſæus, & Q. Metellus Scipio, Præturam vero P. Clodius.

Cumque viri boni vndique circumſpicerent, quid afflictis rebus remedii tam in præſens, quam in futurum afferri poſſet, duo viſa ſunt neceſſaria, alterum vt o ambitio malorum omnium fons & caput tolleretur, aut certe infringeretur: alterum prouidere ne Reſpub. ſine rectore fluctuans, certo naufragio mergeretur. De priore ita Dio. S. C. fecerunt ne quiſquam ex iis, qui Conſulatum aut Prætuſatn geſſiſſent, exteriorem aliquam prouinciam, ante elapſum quintum annum acciperet; ſi forte ea de cauſa magiſtratus ambire deſinerent, quod non ſtatim cum poteſtate futuri eſſent. Eoque S. C. qui ex Conſulatu vel Prætura in prouincias emiſſi non fuerant, in eas ire coacti ſunt, vt Cicero anno ſequenti in Ciliciam.

VI. *Metu Dictaturæ Cõſulatus ſoli Pompeio defertur.*

De poſteriore hæc habet Plutarchus in Pompeio. Cum iterum incurriſſet interregnum, pluresque iam pertinacius Dictatoris mentionem inferrent, veritus Cato ne id exprimerent, deliberauit legitimum aliquem magiſtratum Pompeio permittere, quò illum ab immodico illo ac tyrannico deduceret. Ac Bibulus Pompeii inimicus, in Senatu princeps pro ſententia dixit, Pompeium ſolum Conſulem deſignandum; Aut enim exemptum iri Remp. præſenti confuſione, aut optimo ſeruituram. Nam vt ait Appianus l. 2. iamdudum Pompeius præerat amplis copiis, & videbatur amator plebis, ac Senatus cultor, temperatus & prudens, comitate quoque ſeu vera, ſeu ficta amabilis. Ea ſententia cum noua videretur propter auctorem, exurrexit Cato, præbuitque expectationem, quaſi oppugnaturus eſſet eam ſententiã.

VII. *Etiam à Catone.*

Facto ſilentio negauit ſe eam ſententiam primum dicturum fuiſſe; ſed pronunciatam ab alio cenſere ſequendam; quemlibet magiſtratum præſtare interregno, arbitrarique ſe neminem Pompeio, in tantis procellis melius imperaturum. Appianus l. 2. ſcribit Catonem quoque in eam ſententiam iuiſſe, ne Pompeius ſuam in Cyprum profectionem impediret: in quo valde fallitur, tum quod Cato in eam prouinciam inuitus profectus eſt, tum quod ex ea iam ante 4. annos redierat. In eam ſententiam pedibus itum eſt, & S C. factum, vt Pompeius Conſul deſignaretur, & ſolus magiſtratum gereret; qui ſi collegam deſideraret, allegeret, ſed non ante duos menſes, quem probaſſet. Hæc Plut. Ita creatus eſt Conſul Pompeius, re-

nunciatus ab interrege Ser. Sulpicio 5. Cal. Martii, ſtatim Conſulatum iniit. De quo priuſquam dicamus, aliquid de cæde Clodii, quæ paulo ante contigerat, & vrbem tumultu repleuerat, & Senatum in hanc de vno Conſule ſententiam non leui momento impulerat, vt ex Appiano liquet, nobis dicendum eſt.

VIII. *P. Clodii cædes à Milone.*

SVMMÆ erat inimicitiæ Milonem inter & Clodium, cum aliis de cauſis, tum quod Ciceronis reditum ab exilio omni ſtudio promouiſſet: odium autem nouis quotidie iniuriis incrementa capiebat: hoc autem ipſo tempore Clodius, Hypſeo & Metello competitoribus Milonis ſtudebat. Cum ergo Milo Lanuuium cum familia proficiſceretur, & Clodius è villa in vrbem equo vectus rediret, circa Bouillas ſibi occurrerunt, & parum amico vultu ſe prætererierunt. Cæterum Milonis famulus inuaſit Clodium, ſiue iuſſus, ſiue vt inimicum Domini tolleret, eique in occiput gladio vulnus inflixit: quem cruentum curator equi ſeruus detulit in proximum diuerſorium. Quo mox accurrens Milo cum ſuis, incertum an ſpirantem adhuc an exanimem, confecit, præ ſe ferens cædem neque volente ſe, neque iubente factam eſſe; nolens tamen facinus imperfectum relinquere, ob quod ſciebat ſibi periculum ſubeundum, & vt ait Dio, facilius de cæde mortuo Clodio, quam de vulnere eo ſuperſtite abſolutum iri, ſi omnes ſeruos, qui eam cædem feciſſent, ſtatim manu miſiſſet.

IX. *Combuſto cadauere curia incenditur.*

HVIVS rumore cædis attonita plebs in foro pernoctauit; poſtquam illuxit corpus defuncti pro roſtris eſt poſitum, quod mox aliquot Tribuni plebis amici eius, adiuuante forenſi multitudine, tranſtulerunt in Curiam, ſiue in honorem viri Senatorii, ſiue in contumeliam Senatus, qui talia fieri pateretur. Ibi aliquot petulantiores congeſtis ſubſelliis rogum extruxerunt, ignemque ſubiecerunt, quo vna cum cadauere curia conflagrauit, cum aliquot contiguis priuatis ædibus. Subiectum ignem à Sex. Clodio ſcriba tradit Pædianus, & ſignificat in Miloniana Cic. qui & mox in iudicio condemnatus eſt; Plancus quoque ob incenſam Curiam, maximo populi plauſu, omnibuſque ſententiis damnatus eſt. [a] quamuis protegente Cn. Pompeio, teſte Dione l. 40.

[a] Cic. Phili. 6. & 13.

X. *Milo cauſã pro ſe dicit.*

CLODIANIS ex incendio Curiæ inuidia flagrantibus, factus animoſior Milo, Romam redit, petitque maiore etiam contentione Conſulatum: ſed eum de via M. Cæcilius Trib. plebis in forum pertraxit, cauſam dicturum apud eos, quos corruperat, tanquam apud legitimam concionem, ſperans ſi reus præſens periculum euaderet, ſeuerius iudicium non ſubiturum. Ibi Milo pro ſe dixit, inconſulto ſe patratam cædem, magno Reip. bono, quo perditiſſimorum hominum antiſtes ſublatus ſit, à quibus etiam Curia incenſa ſit.

Et irrumpẽtibus Clodianis fugit.

Hæc Milone concionante, multitudo Clodianorum armata irrupit in forum, ex quo Cæcilius & Milo ſeruili habitu ſeſe proripuere. Multa nihilominus cædes non amicorum modo Milonis, ſed aliorum quoque edita eſt, inſignium virorum; & per tumultus occaſionem ſeruili conditione homines, qui arma corripuerant, ad rapinas verſi, licentiſſime per domos diſcurrebant, & prætextu quærendi amicos Milonis, quæ erant furto idonea aſportabant, eaq; occaſione per aliquot dies igni, ſaxis, variiſque facinoribus ſæuitum eſt. Hæc fere Appianus.

Inde rapina & cædes.

XI. *Decretum Senatus in gratiam Pompeii.*

IN tanta rerum confuſione Senatus decretum facit quo Interregi, Trib. pl. & Põpeio, qui Proconſul in armis erat, mãdatur vt prouiderẽt ne quid Reſp. detrimenti caperet. Cum nihilominus tumultus non conquieſcerent, Pompeium Senatus Cõſulem creauit, vt diximus, Romamque euocauit, & nouorum militum ſcribendorum poteſtatem fecit. Is mox cum armatis in vrbem venit, & cum Senatui, tum Catoni in primis gratias egit, orauitque eum vt priuatim conſilio ſibi adeſſet. Cato vero nihil ait eſſe quod Pompeius ſibi gratias ageret, qui eam ſententiam non ipſius, ſed Reip. cauſa dixiſſet. Conſilium ei ſuum ſeorſum non defuturum ſi peteret; ſi non peteret, publice ſe quod videretur dicturum.

XII. *Iudiciũ Milonianum inſtituit.*

POMPEIVS autem ad Remp. conſtituendam quam primum ſe contulit, & leges de vi, atq; ambitu tulit. moxq; iudicium Milonianum exerceri curauit. Accuſatus eſt Milo de vi, 3. Idus Aprilis, ab Appio maiore, M. Antonio, & [illegible] Valerio nepote; reſpondit illis vnus M. Cic. ſed cum dicere cœpiſſet, clamore Clodianorum exceptus, vel vt Cic. ipſe ac Dio ſcripſere, iudicium armatorũ præſidio circumſeptum videns, non ea qua ſolitus erat conſtantia dixit, quin potius ita terrore

perculſus eſt, vt nihil eorum quæ permeditatus erat diceret, ſed breui & languida oratione vſus, finem dicendi fecerit, vt ait Dio. Milonem Cato ſua ſentẽtia palam abſoluit, qui ſi maturius eam dixiſſet, plures habiturus erat, qui exemplum ſequerentur. Itaque damnatus Milo intra pauciſſimos dies in exilium profectus eſt. Cũ æs alienum ad ſeſtertium ſeptingenties contraxiſſet, vt ait Plin.[a] id eſt, tres milliones lib. Tur. & quingenta millia.

[a] l. 36. c. 15.

XIII. *Pompeius ducta vxore ſocerum collegã aſſumit.*

Hoc ipſo tempore Pompeius vxorem duxit Corneliam, Metelli Scipionis filiam, viduam nuper relictam à Publio Craſſi filio, apud Parthos interfecto, ea ætate vt filio ipſius potius, quam ipſi, qui annum quintum, & quinquageſimum agebat, congrueret. Cumque multa recte in vrbe compoſuiſſet, ad declinandam inuidiam ſingularis magiſtratus, in reliquos quinque menſes Socerum ſuum collegam ſibi cooptauit; vt ſimul cum ſumma dignitate honoraret, & reum ambitus iudicum poteſtati eriperet. A quo abrogata ſunt ea, quæ à Clodio de Cenſoribus ſtatuta fuerant, iiſque priſtina poteſtas reddita; vt ait Dio: qui addit à Pompeio confirmatam legem De non adminiſtrandis prouinciis, ante exitum quinti anni, ex quo magiſtratum geſſiſſent: & item De non habenda in petendo magiſtratu abſentium ratione; quam tamen vtramque eodem ipſo tempore violare viſus eſt, cum & ipſe Hiſpaniæ imperium in aliud quinquennium, ſiue vt habet Plut. quadriennium, cũ ſtipendio annuo ducenties quadragies, id eſt quadringentis mill. coro. accepit.

Fert leges quas ſtatim violat.

XIV. *Priuilegiũ Cæſari à Pompeio factum.*

Cæsari quoque abſenti poteſtatem petendi fecit, addita legi clauſula, qua excipiebãtur, & lege ſoluebantur, quibus id nominatim permitteretur. Idque factũ precibus & interceſſione amicorum Cæſaris, qui contendebant eum tot certaminibus pro Repub. periculiſque aditis, meritum vt aut alterum Conſulatum obtineret, aut ei prouincia prorogaretur: ne quis ſucceſſor eius labore partam gloriam ſibi auferret. Plut. in Pomp. Appianus autem ait à Tribunis Pl. Cæſare id agente, rogationem latam, vt Cæſari abſenti liceret ſecundum Conſulatum petere, eamque, Pompeio etiam tum Conſule non contradicente latam fuiſſe.

XV. *Noui motus in Gallia abſente Cæſare.*

Initio huius anni Cæſar, cum ageret in Ciſalpina Gallia, de P. Clodii cæde & vrbis tumultibus, de SC. & militibus tota Italia à Pompeio conſcribendis cognoſcit: quæ cum in tranſalpinam Galliam perlata eſſent, idoneam ſe Galli defectionis tempeſtatem nactos arbitrati ſunt, quod vrbanis motibus detentum Cæſarem, ad exercitum non venturum putarent.

Carnutes deficiunt.

Conuentu habito Carnutes ſe belli & defectionis principes fore pollicentur, & impetu in Genabum oppidum facto, aliquot ibi ciues Romanos, viros in primis honeſtos, interficiunt. Ea re quamprimum in Aruernis cognita, Vercingetorix, qui per tumultum principatum ibi occuparat, quoquouerſus miſſis legationibus celeriter ſibi Senones, Pariſios, Pictones, Cadurcos, Turones, Aulercos, Lemouices, Audes, reliquoſque omnes qui Oceanum attingunt adiungit, & ad eum omnium conſenſu defertur imperium. Is magna ſeueritate cogit exercitum; acceſſerunt mox Bituriges, vbi ab Æduis deſtituti ſunt. Deinde etiam Rutheni, Nitiobriges, Gabali.

Deinceps plurimi.

XVI. *Cæſar ſuccurrit ſuis.*

His rebus in Italia Cæſari nunciatis, cum iam ille virtute Cn. Pompeii vrbanas res commodiorem in ſtatum perueniſſe intelligeret, in Tranſalpinam Galliam profectus eſt, vbi magna difficultate affectus eſt, vt ſe ſuis copiis adiungeret, quod eas ſine Imperatore pugnare nollet, & vt ad exercitum ipſe contenderet, ne iis quidem, qui eo tempore pacati viderentur, ſuam ſalutem recte committi videbat.

Eoſque celeriter cogit.

Primum autem eorum incolumitati prouidit, qui Romana prouincia cenſebantur, & quibus hoſtis ex Aruernis imminebat: deinde in Heluios Aruernis finitimos duriſſimo anni tempore tranſgreditur, inde Viennam atque in Lingones contendit, vbi duæ legiones hiemabant, ibique ad reliquas legiones mittit; priuſque in vnum locum omnes cogit, quam de eius aduentu Aruernis nunciari poſſet.

XVII. *Aliquot oppida recipit Velaunodunum Gennabũ.*

Eo cognito Vercingetorix Gergouiam Boiorum oppidum, quod Cæſar Æduis attribuerat, oppugnare aggreditur. Contra Cæſar eis opem laturus, ex itinere, ne hoſtem à tergo relinqueret, Velaunodunum die tertio ad deditionem cogit; Inde Gennabum oppidum ad Ligerim aggreditur, captum diripit, atque incendit. Ibi Ligerim tranſgreſſus in via Biturigum, Nouiodunum ad deditionem cogebat: at dum res agitur Cæſariani, qui oppidũ erãt ingreſſi, non leue periculum adire. Nã

Nouidunũ. Vercingetorix, qui obſidione ſoluta contra Cæſarem mouebat, præmiſerat equitatum: is ab oppidanis agnitus, nouorum conciliorum cauſa fuit; ſtatim enim arma corripiunt, & in Romanos impetum faciunt; ſed hi celeriter diſtrictis gladiis portas occupant, ſuoſque omnes incolumes recipiunt: cumque mox equites illi à Cæſarianis fuſi fugatique eſſent, oppidani comprehenſis iis, quorum opera plebs fuerat concitata, & ad Cæſarem perductis, ſeſe ei dediderunt.

XVIII. *Res ad Auaricum geſta.* Inde ad Auaricum perrexit, maximum munitiſſimumque oppidum in finibus Biturigum. Apud quod non parum laboratum eſt à Cæſare, inopia præſertim commeatus, propter anni tempus, & vaſtitatem late ab hoſte datam, adeo vt vno die vrbes Biturigũ amplius viginti conflagrarint: id tamen tandem in poteſtatẽ venit, etſi hoſtis ad 15. millia paſſuum haberet exercitum; Ibique Romani milites, & Genabenſi cæde, & labore operis incitati, non ætate confectis, non mulieribus, non infantibus pepercerunt. *Tandem à Cæſarianis delectum.* Denique ex omni numero, qui fuit circiter 40. millium, vix octingenti, qui primo clamore audito ſe ex oppido eiecerant, incolumes ad Vercingetorigem peruenerũt: cui apud ſuos excuſationi fuit, quod ipſe iam à principio id oppidum quoque incendendum putarat, & aliquanto poſtea deſerendum. Itaque vt reliquorum imperatorum res aduerſæ autoritatem minuunt, ſic eius è contrario dignitas aucta eſt, vt qui re adhuc integra futura prouide præſenſiſſet.

XIX. *Gergouia infœliciter ab eis tentata.* Cæsar Auarici plures dies commoratus, & refecto ex labore, & inopia exercitu, ad hoſtem cuius redintegratæ erant copiæ, proficiſci conſtituerat; cum Ædui in ciuili diſcordia Cæſarem ad ſe euocant, qua ille celeriter aduentu ſuo diſcuſſa, in Aruernos cum ſex legionibus proficiſcitur, Labieno cum quatuor in Senones, Pariſioſque dimiſſo. Ibi ad Gergouiam multa molitus, non ſine clade, ex militum ſuorum imperatori non parentium temeritate, accepta diſceſſit; *Ædui deficiunt.* quo interim tempore Ædui ab Aruernis pecunia ſollicitati, & à Litauico Æduo nobili adoleſcente, qui Æduorum copiis præerat, in fraudem inducti, quaſi principibus ſuis à Cæſare interfectis, à Romanis deficiunt, & initam iampridem cum Romanis amicitiam, quam Cæſar omnibus officiis coluerat, rapinis cædibuſque perturbant: *Moxque reconciliantur.* mox tamen agnito errore reconciliantur, Litauico in Aruernos profugiente.

XX. *Rurſum cõſilia de bello clam ineũt* Sed quaſi fatale eſſet prouincias omnes Galliæ, populoſque à Romanis affligi, cum legatos ad Cæſarem purgandi ſui, ſuorumque recuperandorum cauſa miſiſſent, facinore tamen contaminati, & capti compendio ex direptis bonis, & pœnæ metu exterriti, quod culpa ad multos pertineret, concilia clam de bello inire incipiunt, ciuitateſque reliquas legationibus ſollicitant; *Diſſimulãte Cæſare.* quæ tametſi Cæſar intelligebat, legatos quam mitiſſime poteſt appellat, & mutuam inter Romanos Æduoſque beneuolentiam verbis corroborat; *In eos mouet.* in eoſque paulo poſt ex Aruernis caſtra mouet. In itinere à principibus Æduorum, quos ſecum habebat in exercitu, diſcit Litauicum ad ſollicitandos Æduos profectum, opus eſſe & ipſos præcedere, ad confirmandam ciuitatem. Quos Cæſar etſi ad maturandam defectionem proficiſci intelligebat, eos tamen retinendos non cenſuit, ne timoris ſuſpicionem aliquam dare videretur; diſcedentibus tamen ſua in Æduos merita recenſet, vt culpæ quam ſuſcipiebant magnitudine agnita, in officio permanerent.

XXI. *Nouiodunũ occupant magno Cæſaris dãno.* Illi nihilominus cum accepiſſent roboratam iam defectionem, ex itinere Nouiodunum ad Ligerim inuadunt, vbi Cæſar obſides Galliæ, pecuniam publicam, magnum equorum & frumenti numerum, magnam ſuorum atque exercitus impedimentorum partem habebat. Iis potiti, cuſtodias ad ripas Ligeris diſponunt, vt tranſitu Cæſarem arceant, & commeatus inopia, ex prouincia expellant.

Cæſar ſe Labieno iungit. His rebus cognitis, Cæſar magnis itineribus ad Ligerim peruenit, vadoque per equites reperto, præter expectationem hoſtium exercitum tranſducit. Eoque commeatu repleto, in Senones, vt ſe Labieno iungat, iter dirigit: At Labienus Cæſaris ignarus, cum 4. legionibus Lutetiam proficiſcitur, ſed malis de Cæſare ſparſis rumoribus, & præcluſo multis difficultatibus itinere, poſt fœlicem cum hoſte pugnam, in relictam ſtationem redit: vbi impedimenta totius exercitus relicta erant, inde cum omnibus copiis ad Cæſarem peruenit.

XXII. *Æduorũ in Cæſarem apparatus.* Interea Ædui legationes in omnes partes circummittunt, & ciuitates vbiq; vel auctoritate vel gratia; pecunia denique ac terrore, quod obſides, quos Cæſar apud eos depoſuerat, in poteſtate haberent, ad belli ſocietatem ſollicitant, Vercin-

gentorigem ad ſe euocant, quem vniuerſum concilium Bibracte congregatum Imperatorem creat, gementibus Æduis, qui eam dignitatem ambiebant.

Vercingetorix 15. millia equitum conuocat, ſuos varia in loca, contra eos qui Cæſari fauebant, diſpertit: & quoniam abundat equitatu, Romanos omni commeatu prohibere conatur; eaque de cauſa ædificia incendit, frumenta corrumpit, vias omnes in prouinciam intercludit. Ideoque Cæſar auxilia Germanorum, quos ſuperioribus annis parauerat, implorat; ab iis equites, & leuis armaturæ pedites accipit, & iis qui minus idoneis equis vtebantur, ſuorum equos diſtribuit; & in Sequanos per extremos Lingonum fines copias mouet, quo facilius ſubſidium Prouinciæ ferre poſſet. *Et vercingentorigis.* *Cæſar Germaniorum auxilia implorat.*

XXIII. In quam cum ex rerum deſperatione Cæſarem fugere arbitraretur Vercingetorix, eum equitatu in tres acies diſtributo inuadit, ſed magna cum clade vincitur; & Alexiam cum omnibus copiis & impedimentis proficiſcitur. Ibi eum Cæſar laborioſiſſimo apparatu, ingenioſiſſimoque diu obſidet: deinde infinitam Gallorum multitudinem, qui ſoluendæ obſidionis cauſa venerant, periculoſiſſimo prælio, diu alternante victoria tandem ſuperat, obſeſſoſque ad deditionem cogit. Mittuntur ad Cæſarem legati, iubet arma tradi, principes produci. Ipſe in munitione pro caſtris conſedit, eo duces producuntur. Vercingetorix deditur, arma proiiciuntur. Reſeruatis Æduis atque Aruernis, ſi per eos ciuitates recuperare poſſet, ex reliquis captiuis, toto exercitu capita ſingula prædæ nomine diſtribuit. *Vercingentorigem vincit. Et Alexiam obſidet. Auxiliaq. Gallorum vincit.*

XXIV. His rebus confectis in Æduos proficiſcitur, ciuitatem recipit; eo legati ab Aruernis miſſi, quæ imperaret facturos pollicentur. Imperat magnum numerum obſidum, legiones in hyberna mittit; captiuorum circiter viginti millia Æduis, Aruerniſque reddit. Ipſe Bibracte hyemare conſtituit. His rebus Cæſaris literis cognitis, Romæ dierum 20. ſupplicatio indicitur. Hactenus ex l. 7. Cæſaris. *Aeduos Aruernoſque domat.*

In hoc tempus, quo tota Gallia pacata erat, vt ait Hircius l. 8. quadrare arbitror illud Suetonii, Omnem Galliam, quæ à ſaltu Pyrenæo, Alpibuſque, & monte Gebenna, fluminibus Rheno & Rhodano continetur, præter ſocias ac benemeritas ciuitates, in prouincię formam redegit, eique quadringenties in ſingulos annos ſtipendii nomine impoſuit, id eſt duos milliones lib. Tur. ſiue vigeſies centena millia, quæ ſi ſepties multiplicentur, addantur etiam reditus ex Romana prouincia, quæ longiſſime patebat, accedant poſtremo ſpolia præliorum, vrbium ac templorum direptiones, aliæque artes corradendæ pecuniæ, incredibile dictu eſt in quantam ſummam Romanæ diuitiæ ex vna Gallia aſcenderint. Adde Velleium l. 2. qui ait Cæſaris ductu, atque auſpiciis infractas Gallias, pene idem quod totus terrarum orbis ſtipendium contuliſſe. (.1.c.25.) *Et totam Galliam habet in poteſtate.* *Et immenſas opes collegit.*

XXV. His ergo immenſis opibus, Cæſar Rempublicam prius corrupit, quam armis euertit; & iuſtiſſimus Deus iniuſta bella populis externis illata, ciuilibus Romanorum cladibus vindicauit. Hinc illa quæ ſubdit idem Suetonius, & partim in hunc, partim in ſequentem annum pertinent. *Quas Romæ profundit.*

Cum enim impetraſſet, vt abſentis ratio in petendo Conſulatu haberetur, & vt ne ſibi in adminiſtratione prouinciæ ſuccederetur, altiora iam meditans, & ſpei plenus, inquit, nullum largitionis, aut officiorum in quemquam genus publice priuatimque omiſit. Forum de manubiis inchoauit, cuius area ſuper ſeſtertium millies conſtitit, (id eſt ſupra quinque milliones librarum Turonenſium.) Nimirum multæ ædes magni pretii, in loco celebri emendæ, & ſolo ęquãdæ fuerunt. Munus populo, epulumq. pronunciauit in filiæ memoriã, quod ante eum nemo; & infra: Legionibus ſtipendiũ in perpetuum duplicauit, frumentum, quoties copia erat, etiam ſine modo menſuraque præbuit, ac ſingula interdum mancipia, & prædia viritim dedit. Forte legendum *ex præda*, iuxta ea quæ paulo ante, ex ipſomet Cæſare retulimus. *Ibi forum molitur &c.* (.20.23.)

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 4002.

1. N.I. Nam Olympiades centum octoginta & vna efficiunt annos 724. Tolle 24. annos, quibus Olympiades Vrbis conditionem antecedunt, iuxta Dionyſii Halicarnaſſenſis chronologiam, quam probauimus, ac ſecuti ſumus, reperies primum & ſeptingenteſimum annum Vrbis accurate & exacte cum primo anno centeſimæ octogeſimæ ſecundæ Olympiadis congruere. Anni quoque Mundi, cum annis Chriſti recte in eandem ſemper ſummam conſentiunt, ſicut & reliqua Chronologiæ noſtræ membra, vt experientia probare poteſt.

ANNVS MVNDI 4003. SEXTÆ ÆTATIS 488.

HYRCANI PONTIFICIS. 25. PRÆSIDIS SYRIÆ CASSIO 2. ET INDE BIBVLO. PTOLEMÆI AVLETIS 30. ET VLTIMVS. HERODIS AETATIS 22. OLYMPIADIS CLXXXII. AN. 2. VRBIS CONDIT. 702. COSS. SERVILIO SVLPICIO RVFO, ET M. CLAVDIO MARCELLO. GALLICI BELLI 8. PARTHICI 4.

ANNVS ANTE CHRISTVM 50.

I. *Ratio temporis.* MORTVVM eſſe hoc anno ſecundo huius Olympiadis, & hiſce Coſſ. ac 30. regni ſui Ptolemæũ Auletem, ſiue Dionyſium, autor eſt in primis Euſebius in Chron. nec repugnat Clem. Alexand. qui ei 29. tantum annos attribuit, quoniam trigeſimum non impleuit, vt mox patebit: eaque certior chronologia quam Epiphanii, qui ei 31. aſſignat. Sed certiorem etiam habemus meo iudicio teſtem M. Cælium, epiſt. 4. l. 8. ad Ciceronem, vbi hæc leguntur. Præterea nunciatum nobis, & pro certo iam habetur, regem Alexandrinum mortuum; quid mihi ſuadeas, quomodo regnum illud ſeſe habeat, quis procuret, diligenter mihi perſcribas. Cal. Sext. vale. Hanc epiſtolam hoc anno ſcriptam eſſe, Cicerone iamdudum profecto in Ciliciam prouinciam, & poſt deſignatos ſequentis anni Conſules, ex eadem ipſa epiſtola perſpicuum eſt, vbi C. Marcellus dicitur factus Conſul, cuius Collega fuit L. Æmylius Paulus, ad quos Cicero mox epiſtolas gratulatorias dedit, quæ habentur l. 15. famil. ep. 7. & ſeq.

II. *Quo tempore mortuus Auletes.* QVONIAM autem literæ Cælii primo Auguſti ſcriptæ ſunt, Ptol. Iulio menſe mortuum ſatis probabile eſt; morbo autem extinctum autor eſt Strabo libro 17. Sed non multo poſt, inquit, quam ſcilicet reductus eſt à Gabinio, quod quadriẽnio ante contigiſſe confirmat etiam Manut. in illam Cælii epiſtolam, morbo abſumptus eſt, relictis duobus filiis, & totidem filiabus, quarum grandior erat Cleopatra. Alexandrini filium natu grandiorem, & Cleopatram regno præfecerunt: *Eius liberi.* ſed pueri familiares mota ſeditione Cleopatram eiecerunt, quæ poſtea cum ſorore in Syriam ſeceſſit. Hæc ibi. Dio libro quadrageſimo ſecundo vtrunque filium vocat Ptolemæum, filias autem alteram Cleopatram, Arſinoen alteram; ſed ſingula ſuis temporibus Deo fauente reddentur. Et poteramus hoc ipſo anno inchoare Ptolemæi iunioris & Cleopatræ regnum, verum quoniam id non magni refert, Euſebium ſequamur licet.

III. *Et teſtamentum.* MEMINIT teſtamenti Auletis Dio libro quadrageſimo ſecundo, in hæc verba. Poſt hæc Cæſar in concionem cum Ptolemæo & Cleopatra progreſſus, patris eorum teſtamentum de ſcripto recitauit; quo præcipiebatur, vt more maiorum apud Ægyptios inter ſe quidem illi matrimonio iungerentur (frater ſcilicet cum ſorore, qui mos maxime valuit apud Perſas) regnumque tenerent, ſed ita tamen, vt ſub tutela populi Romani eſſent.

Interea Caſſius Syriæ præſes bene rem contra Parthos geſſit. Nam reparatis copiis, vt inquit Ioſephus, ad Euphratem ſe contulit, ibique Parthis ſe oppoſuit. Ieiune ſane, Addit lib. 1. de bell. c. 6. eum Alexandrum ad otium per conditiones compuliſſe. Ieiunius etiam Appianus, qui cum bella Parthica ſuſcepiſſet, nihil de rebus à Caſsio geſtis, poſt mortem Craſsi, memoriæ prodidit.

l. 14. c. 12.

Caſſius in Syria bene regens.

IV. A Dione ergo rem petamus, qui ait libro quadrageſimo Parthos à Caſſio repulſos, vt præcedenti anno dictum eſt, rurſus maiori cum manu Syriam petiiſſe, duce Pacoro Orodis filio, aut potius eius loco Oſace, quoniam nondum ex Ephebis Pacorus exceſſerat; atque in itinere poſitis locis omnibus potitos, Antiochiam vſque eſſe progreſſos, cum ſpe reliquorum etiam potiundorum; quod neque Romani iuſtis copiis eam prouinciam tenerent, & populi Romanorum dominationem pertæſi, Parthos, vt viciniores & moribus ſuis magis congruentes, præferebant.

Parthi Syriam repetunt.

Verum enimuero cum ſpe Antiochiæ capiendæ deiecti eſſent, Caſſio magna vi eos repellente, & rurſum Antigonia, eodem Caſſio illos continuis incurſionibus vexante, alio arma verſuri Antigonia diſceſſerunt. Huius Antigoniæ in Syria non meminit Ptolemæus, imo ne diligentiſſimus quidem Ortelius.

Repelluntur à Caſſio

V. Interea Caſſius collocatis in via, qua tranſituri erant inſidiis, ſe iis cum paucis oſtendit, atque ad inſequendum pertraxit, tum ſuos circuniecit, Parthorumque cum alios, tum ipſum Oſacen occidit. Quo interfecto, Pacorus tota Syria exceſſit, neque ab eo tempore vnquam in eam intrauit. Hoc de bello hæc pauca Iuſtinus lib. 42. Huius filius Pacorus miſſus ad perſequendas Romani belli reliquias, rebus in Syria geſtis, in Parthiam patri ſuſpectus reuocatur: quo abſente exercitus Parthorum relictus in Syria, à Caſſio Quæſtore Craſſi cum omnibus ducibus trucidatur. Sic Iuſtinus. At Dio meo iudicio probabilior: quomodo enim pueri impubis abſentia eam cladem afferre potuerit? Illa autem ſuſpicio, nunc ex eodem Dione illuſtrabitur.

Cū magna clade.

VI. Pacoro, inquit, regreſſo Bibulus in Syriam, vt ei regioni præeſſet, aduenit, & quiete ea quæ Romanis parebant, adminiſtrauit; ipſos autem Parthos contra ſe inuicem concitauit, Ornodapante quodam Satrapa, qui Orodi infenſus erat, ſibi adiuncto, perſuaſoque per internuncios, vt Pacorum regem conſtitueret, atque eius auxilio Orodi bellum faceret. Eo modo bellum Romanorum contra Parthos, quarto quam inceperat anno deſiit, M. Marcello, & Sulpitio Rufo Coſſ. Hæc Dio, à quo aperte chronologiam noſtram vides confirmari. Non plane tamen in quiete tranſegit Bibulus tempus adminiſtrationis ſuæ. Quæſiſſe enim in ſua prouincia triumphi materiam, mox ex Cicerone dicemus. Rem à Caſſio geſtam, & Bibuli in prouinciam aduentum confirmat Cicero. *Cum veniſſem*, inquit, *ad Amanum, qui mons mihi cum Bibulo communis eſt*, (Syriam ſcilicet à Cilicia, cui præerat Cicero diſterminat) *diuiſus aquarum diuortiis, Caſsius noſter, quod mihi magnæ voluptati fuit, feliciter ab Antiochia hoſtem reiecerat, Bibulus prouinciam acceperat.*

Bibuli aduentus in Syriam.

Ex M. Cic.

ep. 10. l. 2.

l. 5. ep. 20.

VII. Distinctivs ad Atticum. Rumore, inquit, aduentus noſtri, & Caſſio, à quo Antiochia tenebatur, animus acceſſit, & Parthis timor iniectus eſt. Itaque eos cedentes ab oppido Caſſius inſecutus, rem bene geſſit; qua in fuga magna autoritate Oſaces dux Parthorum vulnus accepit, eóque interiit, paucis poſt diebus. Erat in Syria noſtrum nomen in gratia, venit interim Bibulus, credo voluit appellatione hac inani (Imperatoris) nobis eſſe par; in eodem Amano cœpit Laureolam in muſtaceo quærere; at ille cohortem primam totam perdidit, cum centurione & Tribuno militum. Quin etiam Cæſar lib. 3. Ciuilis belli eum in obſidione habitum ſcribit: quies ergo Bibuli, ex comparatione cum M. Craſſo, vel C. Caſſio accipi poteſt.

Rurſum ex eodem.

XVIII. Sed ne Syriæ vicinum Marcum Tullium, hominem præſertim tam inſigniter de Repub. Rom. ac literaria meritū, prætermittamus. Cum ei poſt Appium Claudium Cilicia, vna cum Cypro inſula obtigiſſet, cum exercitu duodecim millium peditum, equitum duum millium ſexcentorum, Maio ex vrbe profectus eſt, & Brunduſii aliquot diebus cōmoratus, Athenas 7. Cal. Quint. peruenit, inde Epheſum attigit 11. Cal. Sextil. Denique Laodicem in prouinciam ſuam venit prid. Cal.

M. Cicero Ciliciam prouinciam adit.

Sextil. Ad caſtra venit ad 7. Cal. Sept. Ad tertium exercitum luſtrauit apud Iconium; ex his caſtris, cum graues de Parthis nuncii venirent, perrexit in Ciliciam, per eam Cappadociæ partem, quæ Ciliciam attingit, eo conſilio vt Armenius Artauaſdes, & ipſi Parthi Cappadocia ſe excludi putarent; deinde certior factus Parthos inde longe abeſſe, & magis Ciliciæ imminere, confeſtim iter in Ciliciam fecit per Tauripylas.

IX. *Quæ in ea geſſerit.*

TARSVM venit ad 3. Nonas Octob. inde ad Amanum contendit, montem hoſtium plenum; vbi ad 3. Idus Octob. magnum numerum hoſtium cecidit, caſtella munitiſſima, nocturno C. Pomptinii legati ſui aduentu, & ſuo matutino cepit, atque incendit; moxq. Imperator eſt appellatus. Inde Pindeniſſum oppidum munitiſſimum, modis omnibus oppugnatum, poſt ſeptimum & quinquageſimum diem deditione accepit, Saturnalibus mane, id eſt 14. Cal. Ian. qui eſt decimus nonus Decembris: ex quo ſequitur inchoatam oppugnarionem 24. Octobris, ſiue 9. Calend. Nouembris. Inde exercitum in hyberna dimiſit, iiſque Q. fratrem, qui & ipſe in legatis eius fuit, præfecit. Hæc magna ex parte ex epiſtolis eius ad Atticũ, & ad familiares, * vbi res geſtæ in prouincia exacte continentur. Vide Stephanum Pighium in annum vrbis 702. & Marcoduranum anno quinquageſimo ſexto Ciceronis, qui eius omnia geſta ſumma diligentia perſecutus eſt. Sed deinceps Romam petamus.

Imperator appellatur.

Macrob. l. 1. c. 10.

** l. 5. ad At. ep. 20. l. 15 ad fam. ep. 4.*

X. *M. Cato Conſulatũ petit, & cur.*

IN hunc annum tres petierunt Conſulatum, M. Cato. M. Marcellus, & Sulpitius Rufus. Et Cato quidem, vt Cæſari extorqueret arma, aut eius conſilia denudaret, quoniam Pompeium nimium lentum ad Cæſari obſiſtendum videbat. Plutarchus in Catone. Dio quoque libro quadrageſimo ſcribit, Catonem in petendo Conſulatu propoſitum habuiſſe, non honorem ipſum, & gloriam ſummi magiſtratus, ſed meram Reipublicæ vtilitatem. Cum enim in eius perniciem tendere nimiam Cæſaris & Pompeii potentiam animaduerteret, colligeretque fore, vt ambo ſimul ſummam rerum inuaderent, aut inter ſe diſſidentes atroci bello alter alterum perderet, victorq. rerum potiretur vnus, vti accidit: cupiebat vtriuſque potentiam, antequam ad certamen deſcenderent, euertere, quod priuatus efficere non poterat.

XI. *Cur paſſus repulſam.*

ITAQVE Conſulatum petere cœpit: at ne fieret voti compos primum Cæſaris, ac Pompeii fautores obſtiterunt, qui hoc eius propoſitum animaduertebant; obſtitit etiam ipſe ſua auſteritate Cato, vt habet Plutarchus in eius vita, qui non ſolum nullam plebi pecuniam largiebatur, vt cæteri ſolebant, ſed Senatui etiam ſuaſit decernere, vt candidati ſoli per ſe ipſi populum prenſarent: ſicque populo animaduertente ſe à Catone, non ſolum inopem, ſed etiam contemptum reddi; ipſumque nimium grauitatis, ac dignitatis ſuæ, in petendo retinentem eſſe, repulſam paſſus eſt, ægre ferente, ac merito arguente eum Cicerone, quod cum Reſpublica talem Conſulem deſideraret, non incubuiſſet ſedulo in petitionem, eamque moleſtiam Reipublicæ cauſa deuoraſſet.

Ægre ferente Cicerone.

M. ergo Marcellus & Sulpicius Rufus ambo viri boni, vt ait Plut. in Cat. Coſſ. creati ſunt: alter ob legum peritiam, ait Dio, alter ob eloquentiam; idque eo magis quod non largitionibus, aut vi, ſed demulcendis omnibus, compellandiſque eam dignitatem petierunt.

XII. *Marcellus Conſul Cæſari aduerſatur. Satagit vt maturius imperio ſpolietur.*

VT Marcellus, qui partes Pompeii ſequebatur factus eſt Conſul, confeſtim omnia ad deprimendum Cæſarem agitare cœpit, ac cum de aliis contra eum multis ad Senatum referebat, tum vt ante conceſſum ei tempus ſuccederetur, reſiſtente collega, tribuniſque nonnullis, aliiſque multis, qui hominem de Romano imperio bene meritum, ſine vlla culpa, ea ignominia affici nolebant. Quæ vbi cognouit Pompeius, qui adhuc in Italia degebat, ſimulauit ſibi quoque non probari, vt imperio Cæſar ſpoliaretur. Hoc autem egit vt Cæſar, ſimulatque tempus ei conſtitutum exactum eſſet (id ſtatim inſequenti anno futurum erat) depoſitis armis priuatus domum redire iuberetur. Sic Dio.

XIII *Cæſar cõtra vi retineat dum Cõſul deſignetur.*

HVC pertinet illud de Cæſare & hoc Marcello, qui Pompeio Conſuli ſucceſſit. Cæſar, inquit Appianus libro ſecundo, Senatum ſibi aduerſum cogitans, timenſque ne in priuatorum ciuium ordinem redactus, inimicis obnoxius fieret, omnibus artibus hoc agebat, vt exercitum retineret, donec ipſe Conſul deſignaretur;

petiitque à Senatu, vt parumper etiam imperium prorogaretur ſibi, ſaltem in citeriore prouincia: quod cum vetante Marcello, qui Pompeio ſucceſſerat, non impetraret, Cæſar renuncianti hæc reſpondit, hic impetrabit, admota ad gladii capulum manu. Verum Plutarchus in Pompeio, & in Cæſare id tribuit vni centurionum Cæſaris, qui pro Curia ſtans id dixerit. Eius autem res hoc anno in Gallia geſtæ, ab A. Hircio Panſa in commentarium octauum de bello Gallico relatæ ſunt, cuius præcipua capita de more huc conferemus.

Concilivm Gallorum hoc anno fuit, non immenſas in vnum cogere copias, quod eum conatum Alexiæ irritum fuiſſe eſſent experti, ſed diuerſa bella vno eodemque tempore inferre, quibus omnibus ſimul expediendis Romani pares eſſe non poſſent. Quibus conſiliis à Cæſare cognitis, per ſummam hyemem multas expeditiones ſuſcepit, incredibili celeritate, parique felicitate; & in deuictos clementia vſus eſt, vt Bituriges, Carnutes, & Bellouaci experti ſunt. Cum Bellouacis tamen, qui omnium Gallorum fortiſſimi ferebantur, vtrimque maiori apparatu, laboreque, pluribuſque præliis, & locis certatum eſt. Tandem cum Gallorum inſidiæ contrariis inſidiis eluſæ, ac profligatæ fuiſſent, (nam quibus locorum difficultatibus Romanos claudere voluerant, ne fuga elabi poſſent, iis ipſi tenebãtur, ne quà effugerent;) maxima multitudo in prælio, in fuga, in ſyluis, in flumine cæſa eſt, Correo ipſo eorum duce, qui maluit in prælio cædem, quam deditionem, interfecto. XIV. *Galli variis ſimul locis bellum ſuſcipiunt.* *Res cum Bellouacis geſta.*

Ea poſtrema clade accepta Bellouaci concilio conuocato conclamant, vt legati obſideſque ad Cæſarem mittantur; in quos Cæſar miſericordia vſus, ea pœna contentus fuit, quam ſibi ipſi contraxerant. Ergo quamprimum reſponſa referunt ad ſuos, obſides conficiunt, eorumque exemplum ſecutæ reliquæ ciuitates, quæ in Bellouacorum euentum erant intentæ, certatim dant obſides, atque imperata faciunt. Apparet autem eos pecuniaria in primis mulcta eſſe caſtigatos. XV. *Deditionẽ faciunt.* *Cum aliis populis.*

Poſt hæc Cæſar, tam ad continendos eos, qui, cum reſiſtere non poſſent, alio emigrare vellent, ad præſens imperium euitandum, plures in partes exercitum dimiſit; cum præſertim nonnullis in locis aliquæ ciuitates in armis eſſent. Ipſe ad deuaſtandos fines Ambiorigis proficiſcitur, vt quoniam hominem perpetuo fugientem comprehendere non poſſet, omnibus in locis redderet odioſum. Itaque omnia cædibus, incendiis, rapinis ibi deuaſtat. *Cæſar fines Ambiorigis vaſtat.*

Caninivs & Fabius eius legati in Pictonum finibus, contra Dumnacum, qui Duracium Populi Romani amicum obſidebat, rem bene gerunt. Nam non ſolum ad ſoluendam obſidionem compellunt, ſed etiam recedentem prælio decernere cogunt; cumque aliquandiu ſumma contentione dimicatum eſſet; & præter expectationem confertæ legiones Romanorum animaduerſæ eſſent, timore confuſi, paſſim ſe fugæ mandant. In quos circumfuſi Romani, quantum equorum vires ad perſequendum, dextræque ad cædendum valuerunt, tantum eo prælio interfecerunt. Itaque amplius 12. millibus cæſis, omnia impedimenta in Romanorum poteſtatem venerunt. XVI. *Geſta ad Pictones ab eius legatis*

Inde cum Fabius in Carnutes, quorum copiæ proximo prælio acciſæ fuerant, mouiſſet, cum victore exercitu, antequam illi ſe ex timore colligere potuiſſent, datis obſidibns venire in deditionem coëgit; eorumque exemplum mox ſecutæ ſunt Armoricæ ciuitates. *Et Carnutes.*

Ex eodem prælio Drapes Seno, & Luterius Cadurcus, qui ex eodem prælio effugerant, oppidum Vexellodunum in Cadurcis occupant, natura loci egregie munitum, adeo vt defendente nullo, armatis per præruptiſſima ſaxa obrepere difficile eſſet. Id nihilominus Caninius obſidere aggreditur, vallum ducit, caſtella erigit, quantum loci natura patiebatur. Interea Drapes, & Luterius memores Alexiæ, quam fames domuerat; magnam frumenti vim in oppidum congregant, & caſtris idoneo loco poſitis hoſtem vexant: ſed Caninius contra vtrumque ſeorſim improuiſus irruit, & vtrumque magna cum cæde fudit, fugauitque; Drapetem etiam cepit, qui mox inedia ſibi vitam extorſit; Luterius autem cum in Epaſnacti Aruerni poteſtatem veniſſet, vinctus ad Cęſarem ductus eſt. Inde ille ad obſidionem reuertitur, & Cæſarem, qui erat in Carnutibus, de hoc rerum ſtatu certiorem facit, & quod eſſet Oppidanorum conſilium. XVII. *Caninius vxellodunũ obſidet.* *Duces hoſtium capit*

XVIII. *Cæſar conſtanticus vrget obſidionem.*

QVORVM etſi paucitatem contemnebat, tamen pertinaciam magna pœna afficiendam iudicabat, ne cæteræ ciuitates locorum opportunitate fretæ, ſe in libertatem vindicarent, quum omnibus Gallis notum eſſe ſciret, reliquam eſſe vnam æſtatem ſuæ prouinciæ, quam ſi ſuſtinere potuiſſent, nullum vltra periculum vererentur. Itaque Cæſar Vxellodunum ſe confert. Caleno legato, cum duabus legionibus, ſe iuſtis itineribus ſequi iuſſo. Ibi cum animaduertiſſet oppidum operibus clauſum, neque ab oppugnatione ſine ignominia recedi poſſe, oppidanos autem frumento abundare ex perfugis cognouiſſet, aqua prohibere ſtatuit, idque multo labore, damniſque tandem aliquando perfecit. Primum exſtructo aggere in altitudinem pedum 60. & collocata in eo turri decem tabulatorum, quæ fontis faſtigium ſuperaret, ex qua tela tormentis iacerentur in fontis aditus; ſed operibus igne ab oppidanis iniecto, poſtremo cuniculis venæ fontis interciſæ ſunt, atq. auerſæ, ſicque Cæſar oppidanos ea neceſſitate ad deditionem compulit; vtque exemplo ſupplicii cæteros deterreret, omnibus qui arma tulerant, manus præcidit, vitam conceſſit, quo teſtatior eſſet pœna improborum.

Et ſiti domat.

XIX. *Totā Galliam ſuis legionibus habet in poteſtate.*

INTEREA Labienus in Treueris rem bene geſſit: equeſtre enim prælium ſecundum fecit compluribus Treuiris & Germanis interfectis, eorumque principibus in poteſtatem redactis.

Inde Cæſar in Aquitaniam profectus eſt cum duabus legionibus, vt ibi extremum tempus conſumeret æſtiuorum, quam rem ſicut cætera, celeriter, feliciterque confecit. Namque omnes Aquitaniæ ciuitates legatos ad eum miſerunt, obſideſque ei dederunt. Quibus geſtis, ipſe cum equitum præſidio Narbonem profectus eſt, exercitum per legatos in hyberna deduxit; itáque partitus eſt, vt nulla Galliæ pars vacua ab exercitu eſſet; ipſe circunluſtrata prouincia, & publicis controuerſiis compoſitis, & præmiis benemeritis diſtributis, Belgium ſe recepit, & Nemetocennæ hybernauit. Hæc Hircius pluribus.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 4003.

1. N.I. Torniellus anno Mundi 4000. mortuum ait 699. triennio celerius quam res ferat.

Meminit huius anni Diodorus Siculus in præfatione ſui operis. A prima, inquit, Olympiade ad initium belli Gallici, qui nobis hiſtoriæ finis eſt, 730. numeramus annos. Septingenteſimus trigeſimus annus cócurcum an. 2. Ol. centeſimæ octogeſimæ ſecundæ: at hic non primus, ſed octauus eſt belli annus, vt ſeries tota hiſtoriæ neceſſario euincit; ſed Diodorus, vt alibi quoque monui, parum accuratus eſt ſcriptor.

2 N.XII. Meminit & Suetonius his verbis. M. Claudius Marcellus edicto præfatus de ſumma ſe Republica acturum, retulit ad Senatum, vt ei ſuccederetur ante tempus, quoniam bello confecto pax eſſet, ac dimitti deberet victor exercitus; & ne abſentis ratio in comitiis haberetur. Et mox. Nec contentus Marcellus prouincias Cæſari, & priuilegium eripere, retulit etiam vt colonis, quos rogatione Vatinia Nouum Comum deduxiſſet, ciuitas adimeretur. Addit Appianus libro ſecundo, & Plutarchus in Cæſare, etſi hic id videtur tribuere Marcello, qui Lentuli collega fuit, anno 704. Ex horum Nouocomenſium numero, quendā magiſtratu apud ſuos defunctum, & ob id ciuem Romanum habitum, Marcellus in Cæſaris contumeliam virgis cecidit, quæ pœna ciui Romano quantumuis fonti haud vnquam infligitur. Sic ille mentem ſuam iratus aperuit, atque pro externo tractatum abire iuſſit, & virgarum notas oſtendere Cæſari. Hæc ibi.

ANNVS MVNDI 4004. SEXTAE AETATIS 489. HYRCANI II. PONTIFICIS 26. PRÆSIDE SYRIÆ M. BIBVLO, PTOLEMAEI & CLEOPATRAE I. OLYMPIADIS CLXXXII. AN. 3. VRBIS CONDITÆ 705. COSS. L. ÆMYLIO PAVLO, C. CLAVDIO MARCELLO. GALLICI BELLI 9. HERODIS ÆTATIS 23.

ANNVS ANTE CHRISTVM 49.

PTOLEMÆO Auleti Aegypti regi mortuo, filius natu maior, Ptolemæus cognomento Dionyſius, cum ſorore natu maiore Cleopatra hoc anno ſucceſſerunt; imo iam menſes aliquot ſuperiore anno regnauerunt, vt ex dictis ante perſpicuum eſt: hoc tamen anno Euſebium ſecuti regnum Cleopatræ inchoamus; ſed addimus Ptolemæum eius fratrem, autore Strabone libro 17. & Dione libro quadrageſimo ſecundo, qui id ex teſtamento Auletis factum ſcribit, & à Cæſare, dum Ægyptum adiit, confirmatum. Nec tamen abſurdum eſt ſolam Cleopatram ab Euſebio regno Aegypti præfici, tum propter breue, & incertum regnum fratrum eius, tum propter ætatis prærogatiuã. Præſertim ſi in more poſitum fuit apud Ægyptios, vt plus poteſtatis & honoris eſſet penes reginam, quam regem, & in tabulis dotalitiis inter priuatos imperium fœminæ in virum aſſignaretur, vbi vxoribus per omnia ſe obtemperaturos mariti profitentur, vt ſcribit Diodorus Siculus. quoniam vero admodum tenera ætate erat hic Ptolemæus, vt qui decimum tertium tantum annum ageret, cum ad eum Pompeius profugit, vt ait Appianus l. 2. Ciuil. Ægypti negotia, & pecunias procurabat Photinus Eunuchus, eius nutritius, cuius concilio poſtea necatus eſt Pompeius. Militiam autem Achillas Aegyptius, vt ait idem Appianus, Plut. in Pompeio, Dio l. 42.

I. Initium Ptolemai & Cleopatræ.

Fœminarũ dominium apud Ægyptios.

lib. 1.

HOC anno quietæ res fuerunt in Syria, ſicut & in Gallia, vt mox dicetur. Etſi enim duæ legiones ereptæ ſunt Cæſari, quaſi Bibulo contra Parthos neceſſariæ; id tamen commentitium fuit, eaſque Marcellus in Italia retentas Pompeio attribuit, vt ait ſub fi. l. 40. Dio Caſſius, & Hircius l. 8. extremo. De vrbanis autem rebus ſcribit Appianus lib. 2. factos hoc anno Coſſ. Cæſari infenſiſſimos Æmylium Paulum, & Claudium Marcellum præcedentis Marcelli ἀνεψιὸν (id eſt conſobrinum, vel ex fratre nepotem. At Suetonius l. 1. n. 29. aperte eum fratrem patruelem Marci appellat. Itaque Sigonius in tabulis Capitolinis C. Marcellum C. filium appellat, M. autem. M. f. Factum quoque Tribunum plebis C. Curionem Cæſari vehementer aduerſum, hominem eloquentiſſimum, plebique gratioſiſſimum; Sueton. vocat eum violentiſſimum Tribunorum. Inierat is Tribunatũ ad 4. Id. Decemb. Appianus ait de Coſſ. Claudium nunquam potuiſſe largitionibus traduci in partes Cæſaris; Paulum 1500. talentis fuiſſe traductum. Sed eatenus tantum, vt non aduerſaretur. Curio, quod ingenti ære alieno premeretur, aliquanto maiore mercede inductus eſt, vt faueret etiam. Et Paulus quidem ex hac pecunia Baſilicam, quæ etiam hodie Pauli dicitur, ait Appianus, dedicauit, opus inter vrbana pulcherrimum. Denique, vt ait Plut. in Cæſare, omnibus Remp. tractantibus, opulentiam Gallicam affatim propinauit hauriendam.

II. Syria quieſcit. Coſſ. Cæſari aduerſarii.

Et Tribuni Curio.

a 1175000. Franc. ſi Attica; ſi Euboica. 2100000. fr.

CVRIO vero, quo minus appareret eum repente deſciuiſſe ad partes aduerſas, rogationes de muniendis, ſternendiſque viis intulit, ſibi hac præfecturam petens in quinquennium, certus nihil harum rerum ſe impetraturum, ſed occaſionem captans, vt contradicentibus Pompeianis offenſus videri poſſet. Cœlius l. 8. ep. 6. rogationes illas vocat Viariam & Alimentariam, aitq. leuiſsime ad populum transfugiſſe, & pro Cæſare loqui cœpiſſe, (Nam Pompeius optimatum partes tuebatur) quia de intercalando non obtinuerat. Quod explicat Dio l. 40. extremo. Ait enim

III. Curio diſſimulanter tranſit ad Cæſarem.

Curionem diu diſſimulaſſe tranſitum ſuum ad Cæſarem, & cum eius inimicis eſſe verſatum, vt ſecreta conſilia rimaretur: deinde rogationes pléraſque, modo huic, modo illi parti aduerſarias ferre voluiſſe; quibus in rebus cum multum temporis conſumptum eſſet, indigne ſe ferre ſimulantem, petiiſſe vt alius menſis ad eas leges tandem perferendas intercalaretur; quod cum à Collegis pontificibus, quorum id erat munus, non impetraret, quod tum id tempus non exigeret, eo prætextu vſum etiam omnibus, quæ tum decernerentur, obſtitiſſe.

IV. *Contendit vt vterque ab armis diſcedat.* Contendisseqve, quod præcipue cupiebat, vt aut omnes qui in armis eſſent, iis poſitis exercitus dimitterent: aut ne Cæſar quidem ſuis copiis nudatus, aduerſariorum potentiæ obiiceretur: quæ cum diceret, non cupiebat ille quidem Cæſarem ab armis diſcedere, ſed quia ſatis compertum habebat Pompeium huic ſententiæ non obtemperaturum, inde etiam futurum videbat, vt Cæſar cauſam idoneam haberet, non dimittendi exercitum. Hæc Dio, & App. qui etiam addit Curionis ſententiam multã ei plebis beneuolentiam conciliaſſe. Laudabat enim eum, qui ſolus pro tuenda publica dignitate non refugeret amborum inimicitias, quin & domum aliquando deduxit, ſpargens floribus, tanquam athletam magni, difficiliſq. certaminis. Nihil enim tunc formidabilius videbatur, quam à Pompeio diſſidere. Pluribus de Curione diximus, quod hic maxima fax imminẽtis belli ciu. habitus fuerit.

V. *Acquieſcit Pompeius, quem vrges Curio.* Et paulo inferius; ait Pompeium literas ad Senatum miſiſſe, quibus dicebat, ſe traditum ſibi imperium, & exercitum vltro dimiſſurum, nõ expectato præfinito tẽpore, vt ſcilicet Cæſari inuidiam conflaret, qui ne poſt exactum quidem tẽpus magiſtratu decederet: cumq. eadem in vrbem reuerſus confirmaret, Curio contendebat promiſſa in rem eſſe conferenda, nec debere exarmari Cæſarem, niſi Pompeius quoque in ordinem redigeretur, nec vel priuatas ei vlciſci inimicitias publica vtẽtem poteſtate liceret, vel publicæ libertati alterutrum officere, ſi penes vnum tãtum eſſet imperium, nec alter ab altero reprimi poſſet, ſi quid contra Remp. moliretur. Denique cenſebat, niſi autoritati Senatus parerent, ambos hoſtes iudicandos, conſcriptiſque legionibus bello petendos: qua ſententia, maxime fefellit, ne Cæſari operam locaſſe putaretur.

VI. *Cenſores vt in Cæſarem affecti.* Vt autem è Conſulibus alterum quietum, alterum aduerſarium habuit, ita etiã è Cenſoribus, L. Piſone, & Appio Claudio. Ille enim cum Cæſaris eſſet ſocer, non poterat illi non fauere; quia tamen inuitus cenſuram gerebat, lentus erat: Appius autem inimicus erat Cæſaris; ei tamen præter animi ſui ſentẽtiam multum profuit. Multos enim equites, ait Dio, Senatoreſque cũ notaret inuito Collega, effecit, vt hi omnes deinceps Cæſarianas partes ſequerentur. In his fuiſſe etiam Criſpum Salluſtium hiſtoriæ ſcriptorem affirmat Dio: cumq. eandem fortunam Curio ſubiturus eſſet, Piſonẽ, qui pro cæteris nihil reſtiterat, pro eo cum Paulo Conſule eius cognato reſtitiſſe; Paulum etiam veſtem prę indignatione conſcidiſſe. *Curio accuſatus abſoluitur.* Denique in Senatu à Marcello accuſatum, pluribus ſententiis præter eius opinionem fuiſſe abſolutum. Eam rem indigne ferens Marcellus Senatu exiluit, & ad Pompeium, qui erat in ſuburbiis ſe contulit, eique vrbem ſine decreto Senatus propria autoritate commiſit, duaſque legiones, de quibus ante diximus, quæ ſubſtiterant Capuæ, vt habet Appianus, attribuit. Curio ad Cæſarem ſe contulit.

VII. *Marcelli ſtudia pro Pompeio.* Et quia hæc ſub anni exitum gerebantur, futurumque videbat Marcellus, vt non diu rata haberentur, quæ neque Senatus, neq. populus iuſſiſſet, Coſſ. deſignatos ad Pompeium ſecum duxit, effecitque, vt eadem Pompeio ipſi quoque mandarent. At Pompeius cum legiones recepiſſet, ſimul ſuum in Cæſarem animum prodidit; ſimul Cæſari non abſurdum prætextum obtulit, ſuarum legionum retinendarum. Hæc pluribus Dio ad finem l. 40.

Quies Galliæ Cæſare maiora parante. De re porro in Gallia geſta hæc habet Hircius, Cæſar cum in Belgio hyemaret, vnum illud propoſitum habebat, continere in amicitia ciuitates, honorifice appellando, nulla onera noua imponendo, earum principes maximis præmiis afficiẽdo, nulli ſpem aut cauſam dando armorum, denique enitendo, vt defeſſa tot adu[r]ſis præliis Gallia, meliorem ſibi parendi, quam belli gerendi conditionem duceret; ne qua ſibi neceſitas ſub diſceſſum ſuum belli gerendi imponeretur.

VIII. *Cæſar adit Italiam.* Hybernis peractis Italiam maximis itineribus adit, ſiue vt M. Antonii quæſtoris ſui petitionem ſacerdotii (augur enim fieri volebat, quod etiam conſecutus eſt)

adiuuaret, ſiue vt ſe, & honorem ſuum in annum ſequentem commendaret; quod audiebat inſolenter aduerſarios ſuos gloriari, L. Lentulum & C. Marcellum deſignatos Coſſ. omni Cæſarem honore ac dignitate ſpoliaturos, ſicut Ser. Galbam eius familiarem ac legatum, Conſulatu paulo ante deiecerant. Exceptus eſt Cæſaris aduentus ab omnibus municipiis & colonis incredibili honore & amore, vt iam expectantiſſimi triumphi lætitiam præciperet. Mox autem percurſa omni Togata Gallia, ad exercitum rediit, & legionibus ex omnibus hybernis ad fines euocatis Treuirorum, eò profectus ibi luſtrauit exercitum, T. Labienum Galliæ Togatæ præfecit, quo maiore commendatione conciliaretur ad Conſulatus petitionem, etſi eum crebro ab inimicis ſollicitari audiebat; C. Trebonium cum 4. legionibus in Belgio collocat, C. Fabium cum totidem in Aeduos deducit: ſic enim exiſtimabat tutiſſimam fore Galliam, ſi Belgæ quorum maxima virtus, & Ædui, quorum autoritas ſumma eſſet, exercitibus continerentur.

Redit ad exercitum.

IX.
Rurſumque repetit Italiam.

IPSE in Italiam profectus eſt, quo cum veniſſet, cognoſcit per C. Marcellum Conſulem legiones duas ab ſe remiſſas, quæ ex SC. debebant ad Parthicum bellum duci, in Italia retentas, & Cnæo Pompeio traditas. Hoc facto, inquit Hircius, quamquam nulli erat dubium, quin arma contra Cæſarem pararentur, tamen Cæſar, omnia patienda eſſe ſtatuit, quando ſibi ſpes aliqua relinqueretur, iure potius diſceptandi, quam belli gerendi. Plutarchus in Cæſare, & poſt eum Appianus libro ſecundo aiunt legionem, quam Pompeius Cæſari commodarat, (eam Hircius appellat decimam quintam,) & nunc repetebat, à Cæſare remiſſam donatam viritim ducenis quinquagenis drachmis, ſiue millenis nummis, aut vno ſeſtertio maiore, quod Cenalis æſtimat quinquaginta libris Tur. Eos autem qui eas adduxerunt ad Pompeium malos de Cæſare ſparſiſſe rumores, & apud ipſum Pompeium aſſeueraſſe, ſicut etiam ex l.1. Cæſaris intelligitur, exercitum Cæſaris feſſum diuturnis laboribus, patriæque cupidum facile ad eum tranſiturum, quamprimum Alpes ſuperaſſent; quibus male perſuaſus Pompeius, nec delectus faciebat, nec apparatus ad tantum certamen neceſſarios. Cum tamen Cæſari milites ſui eſſent adictiſſimi, vel quia iam ſub eo militiæ aſſueti, vel quia iã deliniti lucris, quæ ſolent ſequi victorias; ſimulque ipſius Imperatoris benignitate, qui effuſiſſime largiebatur, eoſque ad exequenda conſilia ſua, quorum illi non neſcii erant, præparabat.

Largitione milites demeretur.

ANNVS MVNDI 4005. SEXTÆ ÆTATIS 490.

PTOLEMÆI DIONYSII, ET CLEOPATRÆ 2. OLYMPIADIS CLXXXII. AN. 4. VRBIS CONDITAE 704. COSS. CORNELIO LENTVLO, ET C. CLAVDIO MARCELLO. PRÆSIDE SYRIAE Q. METELLO SCIPIONE. HERODIS AETATIS 24. BELLI CIVILIS AN. 1. C. IVLIVS CÆSAR DICTATOR.

ANNVS ANTE CHRISTVM 48.

I.
Proluſio in bellum ciuile Cæſarianum.

HOC ipſo anno ciuile bellum, Iulium inter Cæſarem, Magnumque Pompeium, quod multos iam annos fumabat, in apertũ prorupit incendium. Bellum ab V.C. longe maximum, reique Romanæ luctuoſiſſimum. Quidni enim maximum dicamus, cum eius flamma latiſſime ſparſa totã ſtatim Italiam belli fontem ac caput, Hiſpaniam & vtramq; Galliam funeſto curſu occuparit, nec maris cohibita fluctibus, peſtifero ſaltu in Siciliam, Sardiniam, Africam, Epirum, Dalmatiam, Macedoniam momento peruolarit, imo Mundum vniuerſum, ab vl-

timis Gadibus in occidente, ad vltimos Parthos in oriente, per infinita maria, terraſque inundauit? Quidni maximum dicamus, cum ab iis geſtum fuerit, qui ab ipſo Alexandro Magno clariſſimi, maximique Imperatores extitere; & cum copiis ſi non numero, geſtis certe rebus ac fortitudine maximis, vt pote Regum omnium, ac prouinciarum victricibus: & geſſerunt propoſito præmio, quod tum in Orbe terrarum maximum, & glorioſiſſimum eſſe poterat, vrbe ſcilicet Roma, totoque, quam late patebat, imperio Romano, quod illi ipſi duces maximis creberrimiſque victor iis amplificarant.

Belli huius magnitudo

II. *Eius euenta.* BELLVM denique euentis ipſis maximum, in quo non ſolum maiores copiæ ſuccubuere minoribus, iuſtitia ambitioni, dominatui libertas antiqua ceſſit: ſed ille ipſe orbis terrarum victor ac triumphator Pompeius, ille qui mare vniuerſum claſſibus texerat, victoriiſque ſumma celeritate ac felicitate peruagatus fuerat; Ille cui Albinus poëta cecinerat.

Ruina Pompeii.

Ille, cui ternis Capitolia celſa triumphis
Sponte Deûm patuere, cui freta nulla repoſtos
Abſcondere ſinus, non tutæ mœnibus vrbes.

Ille inquam Pōpeius Magnus, in exigua denique nauicula, ab eunucho nequiſſimo proditus, ab ingratiſſimo prædone trucidatur. Moxque iſti glorioſæ rerum dominæ catenæ à victore, & compedes iniiciuntur, & communi ciuium libertate proſtrata, omnia domi foriſque vnius arbitrio ac voluntate adminiſtrantur: nihil niſi ex illius nutu atque imperio, autoritatis in Senatu, nihil in populo, nihil in iudiciis, nihil in vllo magiſtratu poteſtatis.

Cæſaris dominatus.

III. *Luget id bellum Plutarchus.* DEPLORAT Plutarchus, tam egregios duces, tam validas, tamque florentes copias, tam cæca contra ſeipſos cupiditate concurriſſe, qui poterant quiete potiri iis rebus, quæ toto mari, terraque erant præſtantiſſimæ; recte quidem, ſi alter maiorem, alter parem ferre potuiſſet. Aut ſi eos, inquit, trophæorum & triumphorum deſiderium ceperat, bella Parthica & Germanica ſatiare, vel ſitientes valebant. Supererat etiam ingens opus Scythia & India; & prætextus immodicæ cupiditatis, haud inhoneſtus, velle domare Barbaros. Quis enim aut Scytharum equus, aut quæ ſagittæ Parthorum, aut Indorum opes ſeptuaginta millium Romanorum militum, Pompeio & Cæſare ducibus, impreſſionem ſuſtinere potuiſſent?

Parodia de principibus Chriſtianis. Quam iuſtam hic liceat Chriſtiane lector, veramque parodiam ſcribere, in Gallos principes & Hiſpanos, tanta inter ſe animorũ obſtinatione concurrentes: quibus ſcilicet in opulentis regnis non placebat quies: & augendi imperii cupido ſtimulabat; bella Othomanica, nobiliſſimæque regiones à Turcis ereptæ Chriſtianis, propoſitæ erant, quæ quantauis opum, & terrarum, atque honorum cupiditate flagrantes, poterant abunde ſatiare. Et iuſtus erat non prætextus, ſed ſanctiſſima & glorioſiſſima cauſa bellandi, ereptum Chriſtianis patrimonium repetendo. Quæ ſagittæ Turcarum, quæ Othomanorum opes potuiſſent Gallicarum, & Hiſpanarum copiarum impreſſionem, ducibus Carolo quinto, & Franciſco primo ſuſtinere? Sed nimirum, tam deplorandam bonis omnibus diſſentionem, & diuinam iram pacata noſtra meruerunt.

IV. *Cauſa belli huius.* HACTENVS bello iſti ciuili proluſum ſit; quas autem vbique ſtrages ediderit hæc flamma ciuilis diſcordiæ, ex illius ipſius narratione, qui facem præferebat, intelligi poteſt, à quo & Scriptores alii, qui hanc hiſtoriam libris commendarunt, fere didicerunt ex quorum ſcriptis ſupplebimus, quæ illi deeſſe videbuntur, omnia tamen intra potius, quam extra modum.

Summa & maxima Ambitio. Cauſas ſuſcepti belli ciuilis à Cæſare multas recenſet Suetonius, quæ ex iis, quæ tam de Pompeio, quam de Cæſare dicta ſunt hactenus, facile colligi poſſunt: omnes autem ad ambitionem merito referũtur. Ambitio enim immenſa opera ſuſcipere coëgit, æs alienum infinitum contrahere, leges paſſim violare, iiſque ſolutum eſſe velle, iudicia metuere; largitione milites, magiſtratus, populi ſuffragia corrumpere, denique oppreſſa libertate ciuium ſuorum, Dictaturam perpetuam inuadere. Id confirmat Euripidæum illud elogium, quod crebro in eius ore verſatum, autor eſt M. Tullius. *Nam ſi violandum eſt ius, regnandi cauſa violandum eſt; aliis rebus pietatem colas:*, inquiebat capitalis Eteocles. lib. 1. n. 30. | 3. Offic. Suet. l. 1. n. 30.

Cvm C. Curio ſignifer Cæſarianæ dominationis ad Cæſarem profectus eſſet, vti iam diximus, Rauennæ in eius concilio adhibitus, cenſuit ſine vlla dilatione accerſendas vniuerſas copias, ad Vrbemque deducendas. At Cæſar experiri maluit molliorem viam. Itaque mandauit amicis, vt pro ſe paciſcerentur, quo ſibi liceret duas legiones, cum Ciſalpina Gallia, cumque Illyrico retinere, dum Conſul renunciaretur: nec repugnabat Pompeius, ſed Conſulibus obſtantibus, Cæſar ad Senatum ſcripſit, vt ait Appianus. Cum his literis Curio ſumma celeritate Romam venit, ipſis Cal. Ianuar. quibus Cornelius Lentulus, & C. Claudius Conſulatum inibant. (Fuit hic C. Claudius Marcellus M. filius, vt eſt in tabulis Capitolinis, ſicut & ille M. Marcellus, qui anno 702. Conſulatum geſſit, vt fratres fuiſſe appareat.) Eas ne foris acceptas ſupprimerent Coſſ. non ante ipſis exhibuit, quam in Senatum ventum eſt; nihilominus diu cunctatos, quod eas legere nollent: demum Q. Caſſius Longinus, & M. Antonius Trib. plebis, vt publice recitarentur, peruicerunt. Ita Dio. — *V. Cæſaris poſtulata à Senatu.* — *l. ex.*

Literis ergo Coſſ. à Curione redditis, Cæſar ait ægre ab iis impetratum eſſe, ſumma Tribunorum pleb. contentione, vt in Senatu recitarentur, vt vero ex literis ad Senatum referretur, impetrari non potuiſſe. In literis Cæſaris, vt ſcribit Dio, cum enumeratio meritorum eius in Remp. inerat, tum purgatio criminum obiectorum; promittebatque ſe exercitus dimiſſurum, ab imperioque deceſſurum, ſi quidem Pompeius idem feciſſet; qui dum in armis eſſet, iniquum fore ſe cogi, vt ea deponeret, ſicque inimicorum manibus traderetur. Addit Appianus, Cæſarem addidiſſe, illo retinente ſe non depoſiturum, ſed confeſtim venturum, & iniurias tam ſibi quam patriæ illatas vlturum; & ad ea vltima verba conclamatum eſſe, denunciari bellum, iuſſumque ei ſuccedere L. Domitium Aenobarbum. Sic Appianus. — *VI. Quæ literarum ſententia.*

Ad Senatum porro, vt ait Cæſar, relatum eſt de Rep. à Lentulo Conſule, ſuadēte vt audacter & fortiter ſententias dicerent, & eos qui leniorem ſententiam dixiſſent exagitante. Quo factum eſt, vt vocibus Conſulis, terrore præſentis exercitus, erat enim Pompeius in ſuburbiis cum exercitu, minis amicorum Pompeii, pleriq. compulſi, inuiti Scipionis eius ſoceri ſententiam ſequerentur. Vti ante certum diem Cæſar exercitum dimittat, ſi non faciat, eum aduerſus Remp. facturum videri. Intercedit M. Antonius, & Q. Caſſius, qui propterea acerbe exagitantur. Pollicetur L. Piſo Cenſor ſeſe iturum ad Cæſarem, item L. Roſcius Prætor, qui de hiſce rebus eum doceant, ſex dies ad eam rem conficiendam ſpacii poſtulant: cenſent aliqui mittendos ad Cæſarem legatos, qui illi Senatus voluntatem proponant, ſed his omnibus reſiſtitur. Denique ad diem 7. Idus Ianuar. ad illud Senatuſconſultum decurritur, quo niſi pene in vltima rerum deſperatione veniebatur. Dent operam Coſſ. Prætores, Trib. pleb. quique Proconſulibus ſunt ad vrbem, ne quid Reſp. detrimenti capiat. — *VII. Quid in Senatu actum.* — *SC. in Cæſarem.*

Profvgivnt ſtatim ex vrbe Tribuni plebis, ſeſeque ad Cæſarem conferunt, qui tum Rauennæ erat, vbi reſponſa expectabat, ſuis leniſſimis poſtulatis. Proximis diebus habetur Senatus extra vrbem, vbi Pompeius aderat, & Senatū confirmauit: in eoque inter alia decretum eſt, tota vt Italia delectus habeatur, pecunia vti ex ærario Pompeio detur: Prouinciæ priuatis decernuntur, Scipioni obuenit Syria, L. Domitio Gallia, qui cum Prætoribus in ſuas quique prouincias quam primum proficiſcuntur. Coſſ. quoque ex vrbe abeunt, tota Italia delectus habetur, arma imperantur, pecuniæ à municipiis exiguntur, & è fanis tolluntur, omnia diuina & humana iura permiſcentur. — *VIII. Tribuni ad Cæſarem profugiunt.*

Haec pauca de fuga Cæſar, quæ copioſiſſime à Dione dilatantur, & à Liuio ſcripta fuerant; pleraque etiam apud Appianum, & Plutarchum in Cæſare, & Pompeio leges: qui omnes in eo conſentiunt, vt non prius Romæ tumultus excitatus, & fuga facta fuerit, quam intellectum eſt Cæſarem ſuperato Rubricone Ariminum occupaſſe. Audi M. Tul. epiſt. 11. lib. 16. Itaque cum Cæſar amentia quadam raperetur, & oblitus nominis, atque honorum ſuorum, Ariminum, Piſaurum, Anconam, Aretium occupaſſet, vrbem reliquimus, quam ſapienter, aut quam fortiter nihil attinet diſputare. Quo tamen ipſo tempore Labienus Cæſari familiariſſimus, qui eius legatus in Gallia tot annis fuerat, fortiſſimeque pugnauerat, illo relicto tranſiit ad Pompeium; ſiue bellum contra Patriam ſumptum — *lib. 109.* — *IX. Labienus à Cæſare deficit. Coſſ. aliique vrbe excedunt.*

vt arbitror, condemnans: nam Cicero eadem epiſtola. Maximam, inquit plagam accepit, quod is qui ſummam autoritatem in illius exercitu habebat T. Labienus ſocius ſceleris eſſe noluit, reliquit illum,& nobiſcum eſt, multique idem facturi eſſe dicuntur: ſiue, vt putat Dio, quod cum eſſet diuitiis auctus & gloria, maiori cum faſtu, quam pro imperio ſe gerebat: qua re offenſus Cæſar minus eum diligebat. Eã autem mutationem voluntatis Cæſaris Labienus non ferens, ſimulque ſibi metuens, defectionem fecerat, omniaque illius conſilia Pompeio euulgarat.

X. *Cæſar apud milites expoſtulat. Prouinciâ ſua armatus egreditur.*

QVIBVS rebus cognitis, Cæſar de iniuriis inimicorum apud milites expoſtulat, hortaturque vt cuius Imperatoris ductu nouem annis Rempub. feliciſſime geſſerint, eius vt exiſtimationem dignitatemque ab inimicis defendant: quæ Suetonius flentem,& veſte à pectore diſciſſa inuocantẽ dixiſſe autor eſt, multis pollicitationibus apud ſui defenſores adiectis. (L.1.n.33.) Conclamant legionis decimæ tertiæ quæ aderat, milites (hanc enim initio tumultus euocauerat, reliquæ nondum conuenerant) ſeſe paratos eſſe Imperatoris ſui, Tribunorumque plebis iniurias defendere. Cognita militum voluntate, Ariminum cum ea legione proficiſcitur, ibique Tribunos plebis, qui ad eum confugerant, conuenit, reliquas legiones ex hybernis euocat, & ſubſequi iubet; id aperte fuit bello initium dare. Tum primum enim fines prouinciæ ſuæ armatus egreſſus eſt, vt ait Dio. Vt ad Rubiconem venit, ait Plut. (in Pomp.& Cæſar.) qui terminus erat prouinciæ, quam obtinebat, ſubſtitit, cunctatuſque eſt, reputans ſecum cœpti magnitudinem: & cum amicis præſentibus, inter quos fuit Aſinius Pollio, conſultans, ad poſtremum cum quodam ardore, quaſi deiiciens ſe ex rationibus in euentum, verbis Græcis exclamat ἀνερρίφθω κύβος, id eſt, iacta eſto alea, ſtatimque quem ſecum habebat adhuc exercitum traiecit, peditũ quinque millia, equites trecentos. Non admodum diuerſa his leges in Sueton. (L.1.n.31.& 32.)

XI. *Priuatus à Pompeio ad Cæſarẽ nuncius.*

Cæſaris querela.

E o L. Cæſar adoleſcens venit, cuius pater Cæſaris erat legatus. Is priuatim nomine Pompeii Cæſarem orat, vt iniurias ſuas Reipublicæ condonet. Cæſar primum conqueritur populi Romani beneficium ſibi per contumeliam ab inimicis extorqueri, ereptoque ſemeſtri imperio in vrbem retrahi, cuius abſentis rationem haberi, proximis comitiis populus iuſſiſſet. Mirum autem eſt Cæſarem dicere, ſibi ſemeſtre imperium eripi, & non potius annuum: nam totus præſens annus requirebatur ad decennium. An dicendum eſt Cæſarem decennium inchoare, non ex eo tempore quo prouinciam adiit, ſub extremum Martium, vt patet ex l. 1. de bel. Gall.& poſt pulſum in exilium Ciceronem, vt ex Plut. diximus, an. V. C. 695. ſed ex quo illi prouincia, rogante Vatinio decreta eſt, vt diximus anno Vr. C. 694. Quo etiam tempore videtur eo miſiſſe, qui ſuo nomine prouinciam Romanam regerent: vbi etiam legionem habuit, à qua de Heluetiorum aduentu monitus eſt. Sed redeamus ad Cæſarem.

XII. *Eiuſdem reſponſio: vrbes occupat.*

Terror in vrbe & fuga.

CÆSAR ergo poſt eam querelam reſpondet, ſe ad omnia deſcendere paratum, ſi Pompeius in ſuas prouincias diſcedat; ipſi exercitus dimittant, diſcedant in Italia omnes ab armis, metus è ciuitate tollatur, libera comitia, atque omnis Reſpub. Senatui populoq. Rom. permittatur: eam in rẽ optare, vt propius conueniant, vt per colloquia omnes controuerſiæ componantur. Sed cum parum æqua Pompeius,& Coſſ. qui eum eo Capuæ degebant, reſpondiſſent, deſperata pace plurimas vrbes per ſuos occupat, Piſaurum, Fanum, Anconam, Iguuiũ, Auximum. Quibus rebus Romam nunciatis, tantus repente terror inuaſit, vt cum Lentulus Coſſ. ad aperiendum ærarium veniſſet, ad pecuniam Pompeio ex Senatuſconſulto proferendam, protinus aperto ſanctiore ærario, ex vrbe profugeret: quem Marcellus collega, & plerique magiſtratus conſecuti ſunt; quod Cæſar aduentare, iam iamque adeſſe eius equites falſo nunciabantur.

XIII. *Totum Picenum occupat.*

AVXIMO Cæſar Picenum omne percurrit, agrumque & oppida nullo negotio volentibus oppidanis,& Pompeianis ducibus fugientibus recipit, eorumq. milites ad ſuos aggregat. Inde ad Domitium Corfinium properat, qui eũ locum cum 20. cohortibus tenebat. Oppidumque oppugnare parat, vt cuius copiæ quotidie augebãtur. Ille territus Pompeium per literas de periculo ſuo ſuorumque monet: qui cum reſcripſiſſet ſe rẽ in ſummum periculum deducturum non eſſe, nec ſuo conſilio Domitium in oppidum Corfinium ſe cõtuliſſe, proinde ſi qua facultas daretur, ad ſe cũ omnibus copiis veniret. Ergo Domitius de fuga cum paucis conſilium init, ſed re

patefacta milites conſpirant, & Cæſari ſe offerunt, paratos non ſolum deditionem facere, ſed Domitium etiam ei viuum tradere; idque poſtridie mane factum eſt: cum interea Lentulus Spinther, qui ex vrbe egreſſus veniam à Cæſare obtinuerat, in oppidum regreſſus, reliquis etiam ſpem veniæ attuliſſet.

XIV. *Multi ſe cum Domitio Cæſari dedunt.*

Postridie ergo multi ſenatores, & viri Conſulares equiteſque Romani cũ Domitio ſe dediderunt, quos Cæſar dimittit incolumes. Addit de Domitio Plut. in Cæſare, eum ſpe ſalutis abiecta, popoſciſſe à ſeruo ſuo. Medico venenum, datamque potionem pro lethali hauſiſſe. Mox accepta mirifica Cæſaris in captiuos humanitate, deplorauiſſe ſe, caloremque incuſaſſe conſilii ſui; quem vbi Medicus erexit, indicans eam potionem ſomni conciliatricem eſſe non mortis, ſurrexiſſe admodum hilarem, & ad Cæſarem contendiſſe, acceptaque ab eo venia, ad Pompeium iterum profugiſſe. Domitio etiam pecuniam ad ſeſtertium ſexagies, (id eſt interprete Cenali ad 300. millia lib. Turon. ſiue 100. millia coro.) quam acceperat in ſtipendia militum reddit; ne continentior in vita hominum, quam in pecunia fuiſſe videretur; & Domitianos milites ſacramentum apud ſe dicere iubet. Indeque in Apuliam peruenit, multis paſſim ad eum militibus Pompeii transfugientibus.

XV. *Pompeius Brunduſium abit, quem Cæſar ſequitur.*

At Pompeius iis rebus cognitis, quæ erant ad Corfinium geſtæ, Luceria proficiſcitur Canuſium, atque inde Brunduſium. Quem Cæſar ſequitur, & Brunduſium obſidere aggreditur; ſimulque Pompeium ad colloquium de pace ſemel iterumque fruſtra inuitat: Pompeio, quod Conſules abeſſent, Dyrrhachium enim iam profecti erant, & iamdudum ſtatuerant, neminem armatum ciuem in colloquium de pace admittere, negante, ſine illis de compoſitione agi poſſe. Iam dies octo in molitione operum Cæſar conſumpſerat, nec parum promouerat, quantumlibet reſiſtentibus Pompeianis, cum naues à Coſſ. Dyrrachio remiſſæ, quæ priorem partem exercitus eo deportauerant, Brunduſium reuertuntur. Pompeius ſiue operibus Cæſaris territus, ſiue quod iam ab initio Italia excedere ſtatuerat, profectionem parat, rebuſque ad retardandum hoſtem diſpoſitis, cum reliquo exercitu, nocte ſilentio vela facit.

Dio.

Pompeius deſerit Italiam.

XVI. *Brunduſini Cæſari ſe dedunt.*

Statimqve Brunduſini vltro ſe Cæſari dedunt, & longo itinere ad portum circumducunt, vbi duas naues cum militibus, quæ ad moles Cæſaris adhæſerant, ſcaphis lintribuſque deprehendunt, atque excipiunt. Hoc modo Pompeius, inquit Dio, patriam omnemque Italiam reliquit; & qui antea diuitias Barbarorum Romam aduexerat, nunc vice verſa Romanas opes ad Græcos Barbaroſque transferebat. Omnibuſque rebus in patria præpropere deſperatis, auxiliis allenigenarum, eorumque quos olim in ſeruitutem redegerat, contra patriam vti ſtatuit, maiuſque in illis ſalutis ac potentiæ ſuæ præſidium poſuit, quam in iis de quibus bene meritus fuerat. Itaque abiens, pro ſplendore quem bellis iſtis ſibi parauerat, ex metu Cæſaris puſilli animi notum; pro gloria auctæ patriæ, ex ea derelicta infamiam adeptus eſt. Hoc quoque conſilium deſerendæ Vrbis ſæpe improbat Cic. maxime ea epiſtola cuius eſt hoc initium. *Quo in diſcrimine verſetur ſalus mea, & bonorum omnium, atque vniuerſæ Reip. ex eo ſcire potes, quod domos noſtras, & patriam ipſam, vel diripiendam, vel inflammandam reliquimus &c.*

Ep. 16. l. 2. & l. 16. ep. 11.

XVII. *Cæſar dominus Galliæ & Italiæ, Hiſpaniam cogitat.*

Hic Cæſar quamuis maxime probabat, ad ſpem conficiendi negotii, coactis nauibus mare tranſire, & Pompeium ſequi, penuria tamen nauium impeditus, dum eas vndique cogi iubet: cumque iam Italiam, male ab aduerſariis deſertam, in poteſtate haberet, & Galliam vtrumque teneret, Hiſpanias, quas magnis Pompeii copiis iampridem Afranius & Petreius poſſidebant, adire ſtatuit. Hæc Cæſar. Profeſſus inter ſuos ire ſe ad exercitum ſine duce, & inde reuerſurum ad ducem ſine exercitu. [a] Timebat quoque ne ſi Italiam, inſequendo Pompeium, dereliqueret, eam Pompeiani ex Hiſpania ſuperuenientes occuparent. Itaque Romam reuerſus eſt, vt mox, cum Dione dicemus.

a Suet. l. 1. n 34.

lib. 41.

XVIII. *Siciliam & Sardiniam ab aduerſariis deſertas occupat.*

Interea mittit in Sardiniam cum legione vna Valerium legatum, in Siciliam Curionem Proprætorem, cum legionibus tribus. Eundem cum Siciliam recepiſſet, protinus in Africam traducere exercitum iubet. Sardiniam obtinebat M. Cotta, Siciliam M. Cato. Africam ſorte Tubero obtinere debebat. Calaritani ſimul ad ſe Valerium mitti audierunt, nondum profecto ex Italia, ſua ſponte ex op-

pido Cottam eiiciunt. Ille perterritus, quod omnem prouinciam conſentire intelligeret, ex Sardinia in Africam profugit. Cato in Sicilia, in Lucanis quoque ac Brutiis, omni ſtudio bellum parabat: ſed aduentu Curionis cognito, queritur in concione, ſeſe proiectum, ac proditum à Pompeio, qui omnibus rebus imparatiſſimus, non neceſſarium bellum ſuſcepiſſet; moxque ex prouincia fugit. Nacti vacuas ab imperiis Sardiniam Valerius, Curio Siciliam, cum exercitibus eò perueniunt, & ſcilicet eas nomine Cæſaris occupant.

XIX. *Varus Tuberonem Africa prohibet.* Tubero cum in Africam veniſſet, inuenit in prouincia cum imperio Attium Varum, qui ad Auximum amiſſis cohortibus, protinus ex fuga in Africam peruenerat, eamque occuparat, delectuque habito duas legiones effecerat, hominum, & locorum notitia, & vſu eius prouinciæ, quam paucis ante annis ex Prætura obtinuerat. Hic venientem Vticam Tuberonem cum nauibus, portu atque oppido prohibet, neque affectum valetudine filium exponere in terram patitur, ſed ſublatis anchoris excedere inde cogit.

XX. *Redit in vrbem Cæſar.* His rebus confectis Cæſar, tota Italia intra 60. dies, ſine ſanguine in poteſtatem redacta, vt ait Plut. in Cæſare, in vrbem proficiſcitur, veritus ne Pompeiani legati, vt dicere cœperamus, ex pacata Hiſpania in Galliam traiicerent, eamque ad defectionem adducerent, moxque Italiam, quam temere Pompeius deſeruerat, occuparent. Peruenit autem ſub Cal. Apriles, cum in itinere Ciceronem eſſet allocutus. [a] Ex ipſius autem Ciceronis teſtimonio, qui ſuum cum Cæſare colloquium pene totidem verbis refert, refellitur Dio, qui negat Ciceronem in eius conſpectum veniſſe. Ad Pompeium autem mox abiit; nam 7. idus Iun. nauem conſcendit, vt conſtat ex epiſt. 7. l. 14. Veniſſe autem in vrbem, poſt diſceſſum videlicet Cæſaris, ibique omnia molitum eſſe, quæ ad concordiam pertinerent, ipſemet ſcribit ad Tironem. [b] Ipſe de ſe narrat, Romæ vt Cæſar coacto Senatu iniurias inimicorum commemorat; tum orat ac poſtulat Remp. ſuſcipiant, atque vna ſecum adminiſtrent; ſin timore defugiant, illis ſe oneri non futurum, & per ſe Remp. adminiſtraturum.

[a] vt habes l. 9. ep. ad Att. ep. 19. & 22.

[b] ep. 12. l. 16.

XXI. *Quæ ibi ab illo geſta.* Legatos ad Pompeium de compoſitione mitti oportere; quod cum probaret Senatus, nemo reperiebatur qui eam curam ſuſcipere auderet; quod Pompeius diſcedens ab vrbe in Senatu dixerat, eodem ſe habiturum loco, qui Romæ remanſiſſent, & qui in caſtris Cæſaris fuiſſent: ſic triduum diſputationibus excuſationibuſque extrahitur. At Dio ſpecie tenus de legatis à Cæſare in Senatu actum refert, eoſque delectos fuiſſe, nec tamen miſſos; imo Piſoni ſocero Cæſaris crimini dabatur, quod eorum aliquando mentionem feciſſet. Pergit Cæſar; Subiicitur etiam L. Metellus Trib. pl. ab inimicis Cæſaris, qui hanc rem diſtrahat, reliquaſque res, quaſcumque agere inſtituerit, impediat. Hæc dum Cæſar ſcribit, diſſimulat quæ Dio, & alii referunt, de effracto ærario, nonnulliſque aliis tum Romæ geſtis.

XXII. *Eadem ex Dione Caſſio.* Extra vrbem ſcilicet coactum Senatum, puta quod cum imperio vrbem ingredi non liceret; coactum autem ab Antonio & Caſſio Tribunis pl. qui ex eo paulo ante eiecti fuerant. Ibi Cæſarem cócionem plenam humanitatis habuiſſe, vt donec à ſe debellatum eſſet, quietem agerent, legatos ad Pompeium & Coſſ. de pace & concordia mittendos cenſuiſſe; in eos qui ſuis ciuibus bellum facerent, non ſine imprecationibus inuectum eſſe, & reuera bellum gerere nolebat in ciues; ſed imperare debellatis. In eandem ſententiam ad populum quoque, qui & ipſe extra vrbem confluxerat, locutum eſſe, frumentum ex inſulis aduehi iuſſiſſe, & viritim trecentos ſeſtertios, ſiue drachmas 75. quæ 15. francos ſiue 5. coronatos efficiunt, ſe largiturum recepiſſe. Interea tamen rogationem de pecuniis ab ærario recipiendis, ad ſuſtentandos milites ferri voluiſſe.

XXIII. *Ærarium vt exhauſit.* Cui cum L. Metellus intercederet, nec quicquam obtineret, ad ærarium ſe contuliſſe, eiuſq; ianuas cuſtodiſſe. Sed non pluris eius cuſtodiam, quam in dicendo libertatem milites feciſſe, ſeraque effracta ſecuribus, quod Conſules claues ſecum abſtuliſſent, omnem pecuniam egeſiſſe. Addit Plut. in Pompeio, Cæſarem Metello interdicenti ne pecuniam ex ærario ſumeret, necem denunciauiſſe, miniſque aſperiorem addidiſſe orationem: ait enim non tam factu id ſibi, quam dictu difficile eſſe; idemque repetit in Cæſare. Oroſius [c] ait prolata ex ærario auri pondo

[c] l. 6. c. 15.

41:3. (id eſt 413500. coron.) argenti pondo prope nongenta millia. (Id eſt 9. milliones & 900. millia coron.) & tamen inde paulo ante vis ingens pecuniæ in Pompeii copias educta fuerat. Sic male, & iniuſtis bellis quæſita, iniuſtiore dilapidantur. Scribit quoque Dio Cæſarem Ariſtobulum in patriam eius Palæſtinam dimiſiſſe, vt is aliquid contra Pompeium moueret; filiis eorum qui a Scylla fuerant proſcripti, magiſtratuum petendorum poteſtatem feciſſe. Denique omnia Romæ atque in Italia ita conſtituiſſe, prout præſens rerum ſtatus exigebat, earumque rerum curam Antonio commiſiſſe.

Ariſtobulum dimiſit in patriam.

a l 14. c. 13.

XXIV. Qua ſpe à Cæſare dimiſſus.

Cæterum quod ad Ariſtobulum attinet, eadem habet Ioſephus,[a] Cæſar inquit, occupata Roma, & Pompeio, vna cum Senatu vltra mare Ionium fugato, ſolutum vinculis Ariſtobulum decreuit in Syriam mittere, additis ei duabus legionibus, quo facilius ordinaret prouinciam; ſed is breui fruſtratus eſt ſpe ſua, quam ex accepta à Cæſare poteſtate conceperat, à Pōpeianis veneno ſublatus, & à Cæſarianis funeratus. Corpus autem eius diu melle curatum iacuit, donec Antonius id in Iudæam remiſſum, mandauit reponi in regum conditoriis.[b] Dicitur alibi miſſus Ariſtobulus in Syriã cum duabus cohortibus, ſperante Cæſare ſe per eum & Syria, & Iudæa illi proxima petiturum; verum vtrobiq; in Græco legitur, περαδοὺς αὐτῷ δύο τάγματα, quæ vox modo cohortem, modo legionem ſignificat, prout res, & locus exigunt. Hic autem ineptum eſt miſſum Regem, ad recuperandum regnum ab inimicis occupatum, cum duabus cohortibus. Ideoque vtrobique legionem vertere neceſſe eſt.

b In l 1. de bello. c. 7.

A Pompeianis occiſus eſt.

XXV. Extra patriã, &c.

Vbi autem veneno ſublatus fuerit, Ioſephus tacet; apparet id in Italia non contigiſſe, ex qua Pompeiani Cæſaris metu profugerant, ſed in itinere in Syriam. Nam Pompeiani extra Italiam orientem verſus, omnia hoc tempore terra marique poſſidebant. Plutarchus in Pompeio, ait ipſum in Syriam miſiſſe ſocerum Scipionem, & Cnæum filium ad parandam claſſem, & prouinciam adminiſtrandam. Certe extra patriam mortuum Ioſephus aperte teſtatur. Ita qui fratrem & patriam, regni & Pontificatus cupiditate, diu multumque turbauerat, fratre in pace Pontificatum gerente, vtroque priuatus, extra patriam peregre periit: & poſt crebra exilia & carceres, frequenteſque clades, in ipſo Romanorum bellorum incendio extinctus eſt; eo ipſo tempore, quo ſe ope Cæſaris regnum Iudææ recuperaturum ſperabat. Nec is finis eius malorum fuit. Nam Pompeius veritus ne filius eius Alexander, vel patris mortem vlturus, vel regnum ſibi, vt antea vindicaturus, Cæſaris & ipſe partes foueret in Syria, eum à Præſide Syriæ iuſſit occidi.

XXVI. Eius quoq; filius ſecuri percuſſus.

Scipio vero, inquit Ioſephus, iuſſu Pompeii ſecuri percuſſit Alexandrum Ariſtobuli filium, eo quod aliquando contra Romanos rebellauerat. (Id quidẽ crimini datũ eſt, ne ſine cauſa talis vir cæſus videretur, cauſa tamẽ fuit metus: pergit.) Et hic quidem apud Antiochiam affectus eſt ſupplicio; fratres vero eius ad ſe recepit Ptolemęus Mennæus, (imo Mennæi filius, nam in Græco tam in antiq. quã de bello habetur, Πτολεμαῖος ὁ Μενναίου) Dynaſta Chalcidis, quæ ſita eſt in monte Libano. Nam miſſo Philippione filio Aſcalonem, ad vxorem Ariſtobuli, iuſſit eam cum eo mittere ad ſe Antigonum filium, & filias; quarum alterius Alexandræ amore captus Philippio duxit eam coniugem: Deinde vero, occiſo prius eo, Ptolemæus ipſe duxit Alexandram, & Germanorum eius curam habere non deſtitit.[c]

Quid factũ reliqua familia.

c videl. 1. de bel. c. 7.

XXVII. Quo tẽpore hæc Ariſtobulo contigerint.

Hæc porro omnia, præterquam de Philippionis cæde, quæ incerti eſt temporis, hoc anno contigiſſe, ex ſerie temporis, & rerum geſtarum liquet. Nam Pompeius 16. Cal. Aprilis Bruduſio profectus eſt, cum omnibus copiis quas habuerat, Cæſar poſtero die in oppidum introit, concionatus eſt; inde Romam cōtendit, volens ante Cal. eſſe ad vrbem, & pauculos dies ibi commorari, deinde in Hiſpanias proficiſci; quæ cum à M. Tullio ſcripta ſint, vtique corrigendus eſt Dio, qui l. 41. tempus traiectionis Pompeii poſt autumnum ait incidiſſe, ἤδη γὰρ ἐκ μετοπώρου ἦν.[d] Hinc quoque intelligitur Aprili menſe dimiſſum Ariſtobulum; cum autem Ioſephus dicat eum velociter in Syriam miſſum, breui ſpe ſua fruſtratum eſſe, non eſt quod dubitemus eum hoc anno cæſum: & inde quam primum ad cædem Alexandri, eadem opera ventum eſſe.

d l. 9. ad Att. ep. 19.

XXVIII. Cæſar Hiſpaniã adit.

Cæsar diebus aliquot Romæ conſumptis, ab vrbe nequaquam præſidio militari deſtituta proficiſcitur, atque in vlteriorem Galliam peruenit, quo cum veniſ-

ſet, cognoſcit miſſum in Hiſpaniam à Pompeio Vibullium Rufum, quem paucis diebus ante Corfinio captum dimiſerat, profectum item Domitium ad occupandam Maſſiliam, ſeptem actuariis nauibus: præmiſſos etiam legatos Maſſilienſes domi nobiles, quos ab vrbe diſcedens Pompeius erat adhortatus, ne noua Cæſaris officia, veterem ſuorum in eos beneficiorum memoriam expellerent. Qua re moti Maſſilienſes bellum pararunt, & Cæſari portas clauſerunt, & à Cæſare euocati, poſtulatis eius domum relatis, renunciarunt intelligere ſe diuiſum eſſe populũ Rom. in partes duas, neque ſui eſſe iudicii diſcernere vtra pars cauſam iuſtionem habeat, vtriuſque erga ſe beneficia agnoſcere, ideoque neutrum eorum contra alterum velle iuuare, aut vrbe portúue recipere.

Maſſilienſes eum vrbe non recipiunt.

XXIX. *Domitium à Pompeio recipiunt. A Caſare obſidentur.*

Interea tamen cum Domitius Maſſiliam veniſſet, ab iis receptus vrbi præficitur, eique belli adminiſtrandi ſumma permittitur. Ea iniuria permotus Cæſar, legiones tres Maſſiliam adducit, turres vineaſque ad oppugnationem vrbis agere, naues longas numero duodecim Arelate facere inſtituit; quibus effectis, armatiſq; diebus 30. adductiſque Maſſiliam, his D. Brutum præfecit. C. Trebonium legatũ ad oppugnationem Maſſiliæ relinquit.

Fabium cũ legion mittit in Hiſpaniam.

Dum hæc parat atque adminiſtrat, C. Fabium legatum cum legionibus tribus in Hiſpaniam præmittit, celeriterque Pyrenæos ſaltus occupari iubet, qui eo tempore à L. Afranio legato Pompeii, præſidiis tenebantur; reliquas legiones, quæ longius hyemabant ſubſequi iubet.

XXX. *Is Pyrenaũ ſaltum ſuperat.*

Fabivs adhibita celeritate, præſidium ex ſaltu deiecit, magniſque itineribus ad exercitum Afranii, qui iunctis cum Petreio copiis bellum ad Ilerdam gerere conſtituerant, contendit. Erant eorum legiones quinque, Hiſpanicæ cohortes 80. equitum circiter quinque millia. Nec pauciores Cæſar ſub ſignis habebat. Cumque audiſſet Pompeium per Mauritaniam cum legionibus iter in Hiſpaniam facere, confeſtimque eſſe venturum; à tribunis militum, centurionibuſque mutuas pecunias ſumpſit, quas exercitui diſtribuit; quo facto duas res conſecutus eſt, quod pignore animos centurionum deuinxit, & largitione redemit militum voluntates.

Prudẽs Caſaris conſilium.

Duas legiones amutit Fabius.

Fabius in Sicore flumine pontes effecerat duos, quibus pabulatores in vlteriorem regionem mittebat, cum quibus crebra fuere certamina. Cum autem aliquando pons vnus, pondere onerum ac iumentorum tranſeuntium fractus eſſet, Pompeiani in legiones duas, quæ iam tranſierant, impetum faciunt, eaſque grauiter premunt, dum Fabius, qui id ſuſpicatus fuerat, altero ponte ſubſidia miſit, quæ cum eſſent conſpecta, prælium diremptum eſt, ac ſuas vterque legiones reduxit in caſtra. Dio tamen l. 41. vniuerſos Cæſarianos, quos pons fractus interceperat, ab hoſte deletos ſcribit, quod videtur à Cæſare diſſimulatum.

XXXI. *Caſar cum equitatu aduenit. Ad Ilerdã pugnatur. Caſariani à fame periclitantur.*

Interea Cæſar cum 900. equitibus aduenit, interruptum pontem perfici iubet: tum cum omnibus copiis triplici inſtructa acie ad Ilerdam proficiſcitur. Ibi dum pars vtraque collem occupare nititur, non exiguo certamine ad 5. horas pugnatum eſt, vtrimque multi ceciderunt, ſed Afraniani loco potiti ſunt, vtrique tamen ſe victores prædicarunt.

Verum longe grauius adiere periculum à fame Cæſariani. Cum enim eorum caſtra eſſent intra duo flumina Sicorim & Cingam, & ingens aquarum vis è montibus prolapſa eſſet, exundante flumine pons vterque aquis abreptus eſt; quos cum plurimis diebus neque vis aquarum, neque ex altera parte obiectus hoſtis refici paterentur, & citra fluuium omnia eſſet abſumpta, vel iamdudum Ilerdam comportata, & inſuper copiæ Gallicæ, quas Cæſar ſubſequi iuſſerat, ſuperueniſſent, maxima videlicet inopia exercitus premebatur; adeo vt frumenti modius 50. denariis, id eſt ducentis ſeſtertiis, ſiue decem lib. Tur. venderetur; vt iam Pompeiani debellatum putarent, idque Romam nunciarent, non ſine inclinatione animorum in Pompeium, vt ait Dio.

XXXII. *Rem frumentariam Caſar expedit.*

In his anguſtiis Cæſar naues confici iubet, quales pridem in Britannia conſtruxerat, quas carris iunctis noctu deuehit, millia paſſuum à caſtris 22. militeſque his nauibus flumen tranſportat, continentemque ripæ collem improuiſo occupat, eumque celeriter, priuſquam ab aduerſariis ſentiatur, communit: huc legionem poſtea traducit, atque ex vtraque parte pontem biduo perficit. Ita comitatus, & qui frumenti cauſa proceſſerunt tuto ad ſe recipit; & rem frumentariam expedire

Cæsar in Hispania vincit Pompeianos.

incipit, celeriterque fortuna mutatur.

Interea Maſſilienſes nauali prælio cum Cæſariana claſſe congreſſi, quamuis numero nauium, & commoditate, & nauigandi peritia ſuperiores, poſt acrem concertationem denique vincuntur. Et amiſſis 9. nauibus compelluntur in portum. Quod niſi eueniſſet ait Dio, vtique de rebus Cæſaris actum erat. Multos enim in Hiſpania illi ea victoria adiunxit, quod Cæſar ipſe non diſſimulat. *Victoria de Maſſilienſ.*

Qvæ cum inquit, Cæſari ad Ilerdam eſſent nunciata, creuit videlicet militib. animus, & ponte ad commeatus omnes non libere ſolum vſi, ſed magno ſæpe aduerſariorum damno, eos ad inopiam pabuli redegerunt. Quinque etiam ciuitates magnæ amicitiam Cæſaris per legatos expetierunt, præter multas alias longinquiores, eaque impetrata, frumento cæteriſque rebus Cæſari adfuerunt. Cumque etiam, deriuato in cõplures foſſas fluuio, vadum prope perfeciſſet, Afranius & Petreius veriti ne omnino frumento pabuloque intercluderentur, quod multum Cæſar equitatu valebat, conſtituunt ipſis locis excedere, & in Celtiberiam bellum transferre. Quod dum moliuntur tot tantiſque moleſtiis diu noctuque, à Cæſarianis ſemper inſtantibus, affliguntur, tantaque rerum omnium premuntur penuria, vt deditionem facere coacti fuerint, pacti, vt ait Dio, vt & vis omnis à ſe abſtineretur, neque contra Pompeium cum Cæſare militare cogerentur. Quod ille fideliter, vtiliterque præſtitit.

XXXIII. *Pompeiani abire conſtituunt.*

Et à perſequentibus Cæſarianis ad deditionem coguntur.

Nec Cæſar aliud, inquit ipſe, à ducibus verbis caſtigatis expetiit, quam vt exercitus, quos contra ſe tot annis aluerant, dimitterentur, ipſique prouinciis excederent. Id vero militibus periucundum fuit, vt qui victi aliquid incommodi expectauiſſent, vltro præmium miſſionis ferrent: ad eum tamen pleroſque defeciſſe authorem eſt Dio. Cæſar autem, qui eis crebro pepercerat, dum Celtiberiam adire conarentur, & ea Cæſaris incredibili diligentia excluſi, Ilerdam molirentur repetere, etiam tum beneficiis affecit, nec quaſi hoſtes, ſed vt ciues, ac prope iam ſubditos tractauit; ſiue ille ingenita humanitate, ſiue ſtudio firmandi imperii ducebatur; veriſſime enim à Sapiente dictum eſt.[a] *Miſericordia & veritas cuſtodiunt regem, & roboratur clementia thronus eius.* Scribit enim Dio, ab hac humanitate omnes Hiſpaniæ ciuitates, & milites qui in eis erant, præter eos qui in Bœtica cum Varrone Pompeii legato erant, ad Cæſarem defeciſſe, eumque nihil ab eis præter pecunias exegiſſe. Sed hæc fuſius à Dione, & Cæſare, ad finem vſque primi lib. perſcribuntur.

XXXIV. *Dimittuntur à Cæſare.*

a Prouerb. 20.28.

Dvm hæc in Hiſpania ex animi ſententia geruntur à Cæſare, C. Trebonius legatus, qui ad oppugnationem Maſſiliæ relictus erat, machinis omnis generis, qua parte vrbs terra poterat adiri, diuexabat; nec ſe illi ſegnitur tum crebris eruptionibus, tum multitudine tormentorum, quæ iam pridem in Oppido habebant, tuebantur. Interim L. Naſidius ab Cn. Pompeio, cum claſſe nauium ſedecim, in quibus paucæ erant æratæ, L. Domitio Maſſilienſibuſque ſubſidio miſſus, fretoque Siciliæ imprudente atque inopinante Curione prouectus, curſum Maſſiliam verſus perficit, præmiſſaque clam nauicula, Domitium Maſſilienſeſque de ſuo aduentu certiores facit, eiſque perſuadet, vt nauali iterum prælio, additis ſuis auxiliis, confligant. A Maſſilienſibus, quaſi in ſumma rerum deſperatione, eminus cominuſq. pugnatur. Vna res Bruto victoriæ aditum patefecit.

XXXV. *Obſidio Maſſilia urgetur.*

Nam naues triremes duæ conſpicatæ nauem D. Bruti, quæ ex inſigni facile agnoſci poterat, duabus ex partibus ſeſe in eam incitauerunt, ſed Brutus re prouiſa tantum celeritate nauis eniſus eſt, vt paruo momento antecederet. Illæ adeo grauiter inter ſe incitatæ conflixerent, vt vehementiſſime vtræque ex concurſu laborarent, altera vero perfracto roſtro tota collabefierit; qua re animaduerſa quæ proximæ ei loco ex Bruti claſſe erant, in eas impeditas impetum faciunt, celeriterque ambas deprimunt. Sed Naſidianæ naues nullo vſui fuerunt, celeriterque pugna exceſſerunt; non enim has aut conſpectus patriæ, aut propinquorum præcepta, ad extremum vitæ periculum adire cogebant. Itaque ex eo numero nauium nulla deſiderata eſt, ex Maſſilienſium claſſe quinque ſunt depreſſæ, 4. captæ, vna cum Naſidianis profugit. Quæ omnes citeriorem Hiſpaniam petiuerunt. Ea clades cognita Maſſiliæ, tantus populum luctus excepit, vt vrbs ab hoſtibus capta eodem veſtigio videretur.

XXXVI. *Et clade navali iterato afficitur.*

XXXVII. *Impetrant deditionis dilationẽ.*

NIHILOMINVS redintegrata eſt oppidi oppugnatio atque defenſio, ſed cum laborioſiſſimis operibus, & contra omnem vim atque iniuriam munitis, muſculo ad oppidi turrim adacto, & compluribus lapidibus ſubductis, repentina ruina pars eius turris concidiſſet, & pars reliqua conſequens procumberet in ruinam, Oppidani imminenti cæde, ac direptione perterriti, inermes cum infulis ſeſe porta foras vniuerſi proripiunt, ad legatos atque exercitum ſupplices manus tendunt, & ad pedes proiecti impetrant, vt vrbis deditio ad Cæſaris aduentum differatur. Itaque vtrimque ab armis ceſſatur, induciarum quodam genere miſericordia facto. At hoſtes idoneum nacti tempus interiectis aliquot diebus, Romanis ceſſantibus, diſſipatiſque, eruptione facta ignem operibus iniiciunt, qui vento adiutus, omnia prius conſumpſit, quam quemadmodum accidiſſet, animaduerti poſſet. *Eaque perfide abutũtur.*

XXXVIII. *Cæſar Hiſpanias recipit, ac conſtituit.*

QVÆ dum Trebonius ingenti ſtudio ac labore reſtaurat, Cæſar qui vlteriorem Hiſpaniam etiã, omnibus deditionem, inuito M. Varrone facientibus, ſumma celeritate receperat, conuentu Cordubæ ac Tarracone, pro conſtituendis prouinciis habito, deuinctiſque omnibus beneuolentia atque beneficiis, pedibus Narbonem, atque inde Maſſiliam peruenit. Ibi legem de Dictatore latam, ſeſeque Dictatorem dictum à M. Lepido Prætore cognoſcit. *Maſſiliæ ſe Dictatorem factũ noſcit.*

Maſſilienſes omnibus defeſſi malis, rei frumentariæ ad ſummam inopiam adducti, bis prælio nauali ſuperati, crebris eruptionibus fuſi, graui etiam peſtilentia conflictati, deiecta turri, labefactata magna parte muri, auxiliis prouinciarum & exercituum deſperatis, quos in Cæſaris poteſtatem veniſſe cognouerant, ſeſe dedere ſine fraude conſtituunt. Quo cognito L. Domitius nauibus tribus comparatis, nactus turbidam tempeſtatem eſt profectus. Quem cum Brutus expeditis nauigiis ſequeretur, duæ perterritæ in portum ſe receperunt, tertia in qua erat Domitius, fugere perſeuerauit. Maſſilienſes arma tormentaque ex oppido, vt eſt imperatum, proferunt, naues ex portu, naualibuſque educunt, pecuniam ex publico tradunt. Quibus rebus confectis, Cæſar magis eos pro nomine & vetuſtate, quã pro meritis in ſe ciuitatis conſeruans, duas ibi legiones præſidio relinquit, cæteras in Italiam mittit; ipſe ad vrbem proficiſcitur. *Maſſiliæ deditio. Fuga Domitii. Ceſar vrbẽ adit.*

XXXIX. *Seditio Cæſarianorũ.*

HVIC Cæſaris narrationi addit Dio l. 41. Placentiæ Cæſarianos quoſdam milites tumultuatos eſſe, & imperium detrectaſſe, obtendentes confectos ſe laboribus; re autem vera indigne ferentes ſibi diripiendæ regionis, cæterarumque ſuarum cupiditatum exequendarum non fieri poteſtatem; arbitrabantur autem ſe hac ratione omnia à Cæſare impetraturos, adeo ipſorum opera tunc indigente. At Cæſar nequaquam eis ceſſit, ſed conuocato omni exercitu, partim quo à ſeditioſis tutior eſſet, partim vt reliqui cæterorum caſtigatione in officio continerentur, longa oratione eorum, qui in culpa erant, mores, vitiaque in ſua indulgentia reprehendit; qui patriam, non ſecus ac barbaras fecerint nationes, populari velint, qui defectionem minentur, qui dominari ſuis ducibus atque imperatoribus cupiant, qui innocentes iniuſtiſſimis querelis ſeditionis peſte contaminent. Denique nocentiſſimos ſorte deligit ad mortem, cæteros exauctoratos dimittit, quos tamen pœnitentia correctos, iterum ſub ſigna ſua recepit. Appianus ait inuentos 120. ſeditionis autores, eiſque Tribunos ſupplices hactenus veniam impetraſſe, vt in duodecim, in quos ſors incidiſſet, animaduerteretur: ex his autem vnum compertum eſſe abfuiſſe ſeditionis tempore, pro eoque Cæſarem centurionẽ, qui eum detulerat, occidiſſe. *Vt ab eo compreſſa.*

XL. *Dictaturã aſſumit, ac moderate gerit.*

PERGIT autem de Cæſaris Dictatura dicere Dio, Cæſarem ſimulátque Romam peruenit, Dictaturam iniſſe, nihilque aſperum in ea geſſiſſe, ſed exulibus omnibus, Milone excepto, liberum reditum feciſſe, qui ſcilicet ambitus Pompeia lege damnati fuerant, vt ait ipſemet Cæſar: & ſapienter ille quidem, vt qui ea lege maxime omnium reus erat. Verum Milonis alia cauſa fuerat; vis enim & Clodiana cædes eum exulem fecerant, additque magiſtratus in ſequentem annum dixiſſe, metum nouarum tabularum ſuſtuliſſe, æriquè alieno magna induſtria atque æquitate prouidiſſe. Cæſar autem ipſe l. 3. ſcribit, ſe habente comitia Conſules creatos, in ſequentem videlicet annum, Iulium Cæſarem, & P. Seruilium. Is enim erat, inquit, annus, quo per leges ei Conſulem fieri liceret; legem intelligit, quæ iubebat intra duos Conſulatus decennium interiici, Conſul autem cum Bibulo fuerat anno 794. reliquorum item omnium magiſtratuum comitiis præfuiſſe, *Conſul deſignatur. Dictaturã quatenus depoſuit.*

moxque

moxque poſt vndecimum diem Dictatura ſe abdicaſſe: quod affirmat etiam Plut. in Cæſare, additque proſcriptorum ſub Sylla liberos famæ reſtituiſſe; honorum ſcilicet vt reliquos ciues voluiſſe eſſe participes. Inuidioſum autem vitauit nomen, cum tamen ſupremam omnium haberet poteſtatem, & totum, qui tum erat Romæ, Senatum ſibi haberet obſecundantem, vt ſcribit idem Dio.

Contigit hoc ipſo anno clades Curionis in Africa, quæ cæterarũ Cæſaris victoriarum curſum tardaret, lætitiamque temperaret. Eam fuſe admodum deſcribit Cæſar l. 2. Vt è Sicilia cum duabus legionibus & quingentis equitibus in Africam traiecerit, & ſecundis aliquot præliis contra Pompeianos vſus, Imperatoris nomen ab exercitu adeptus ſit, ſuorum defectionem ſapienter opportuna oratione, vitarit, & caſtris aduerſariorum potitus, eos Vticam ex fuga profectos obſederit, vrbẽque ipſam ad colloquia de deditione impulerit. Hæc Cæſar; quæ nimium videtur Dio amplificare, cum ait P. Attium Varum, nam is rem Pompeianam tum in Africa tuebatur, multoſque ſubſe milites, multaſque vrbes habebat, prælio victum omnia amiſiſſe. Interea nuncii ab Rege Iuba venerunt, qui illum cum magnis copiis adeſſe dicerent, & ad Vticæ propugnationem hortarentur. XLI. *Clades Curionis in Africa.*

Hic Curio ſeſe in caſtra Corneliana recepit, vt iuſtioribus copiis, quas ex Sicilia euocaret, cum Mauro confligeret: verum in fraudem inductus à perfidis quibuſdam oppidanis, credidit Regem ipſum reuocatum finitimo bello, in regno ſubſtitiſſe, adeſſe tantũ Saburam eius præfectum cum mediocribus copiis. Itaque mutato conſilio, prælio rem committere conſtituit, priſtina felicitate, animi magnitudine, adoleſcentia, & fiducia rei bene gerendæ ſtimulante. Et prima quidẽ nocte præmiſſi equites cum Sabura rem feliciter conficiunt; inopinantes quippe opprimunt, multos cædunt, fundunt, fugantque. At poſtridie cum omnibus copiis redintegrato certamine, à duobus millibus Gallorum & Hiſpanorum equitum, quos Rex ſummiſerat, circumfuſus, cum toto exercitu deletus eſt. Qui in caſtris præſidio relicti erant, dum effugere in Siciliam properant, ipſa feſtinatione ac timore impediti, multi in exitu Africæ pereunt, pauci in Siciliam euadunt. XLII. *In fraudẽ inductus à Iuba deletur.*

Dio ſcribit Iubam Hiempſalis filium hoc bellum ſuſcepiſſe contra Curionem, non ſolum quod Pompeii cauſam, Senatuſque prætulerat, ſed quod nominatim Curioni erat infenſus, quod is Tribunus plebis regno eum ſpoliare, regionemque publicam Romanis facere intenderat. Et quoniam eum non tam à ſe reiicere, quam ſupplicium de illo ſumere decreuerat, noluit eum aduentu ſuo terrere, & cogere vt in tutum ſe reciperet, ſed necopinãtem magnitudine copiarum opprimere, ſicut ex Cæſare diximus. Sic Curio, qui bellum ciuile maxime accenderat, cum magna ſibi præmia à victore Cæſare polliceretur, mature periit. Iuba autem à Pompeio, & reliquis qui in Macedonia erant, ſenatoribus, honoribus affectus, Rexque appellatus eſt. A Cæſare vero, iiſque qui in vrbe erant, hoſtis iudicatus eſt, contra Bocchus & Bogud, quod hoſtes illorum eſſent, reges dicti ſunt. XLIII. *Iuba in eũ infenſus.*

Refert & aliam Cæſarianorum cladem Dio, hoc ipſo anno in Dalmatia acceptam; ſcribit enim M. Octauium, & L. Scribonium Libonem, Pompeii claſſe vſos, P. Cornelium Dolabellam, ex Dalmatia profligaſſe. Dehinc C. Antonium ſubuenire ei volentem, in exiguam quandam inſulam compuliſſe, ibique ab incolis deſertum, fame preſſum, cum omnibus ſuis captum eſſe, paucis exceptis, quorum aliqui in continentem effugerunt, alii cum mare traiicerent, & iam intercipiendi eſſent, ſibi manus attulerunt. XLIV. *Alia Cæſariana clades.*

Qvod ad rem Ægyptiacam attinet, male in regni adminiſtratione inter fratrem ac ſororem conueniſſe, lites inter eos anno ſeq. à Cæſare cõpoſitæ, aperte probant; quin etiam cum eò Pompeius ex acie profugit, Ptolemæus caſtra ad Peluſium habebat, quod bellum cum ſorore Cleopatra gereret, vt ait Dio l. 42. & Cæſar ipſe [a] Pompeius, inquit, Peluſium peruenit; ibi caſu Rex erat Ptolemæus, puer ætate, magnis copiis cum ſorore Cleopatra gerens bellum, quam paucis ante menſibus, per ſuos propinquos, atque amicos, regno expulerat, caſtraque Cleopatræ, non lõgo ſpatio ab eius caſtris diſtabant &c. Dio autem ſignificat id ſuperbia Alexandrinorum eſſe factũ, rem indignã exiſtimantiũ ſub imperio eſſe fœminæ, quod ſcilicet cum maior natu eſſet, omnia adminiſtraret; fratre puero, eodẽq; licet marito cõtẽpto. Adeo vt Iſid. in chron. dicat eam fratrem Ptolem. regno fraudare voluiſſe. XLV. *Turbæ in Ægypto.*

[a] l. 3. de bel. ciu.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 4006.

I. N. V. Plut. in Cæſare ait epiſtolam ab Antonio prolatam in concionem, & inuitis Coſſ. recitatam. At Cæſar literas ſuas à Fabio Conſulibus redditas ſcribit, ſi tamen locus ille, in ipſo limine primi libri de bello ciuili, mendo caret. Nam, vt illic viri eruditi annotarunt, dum hęc in Italia gerebantur, C. Fabius apud Æduos cũ quatuor legionibus hyemabat, vnde eum Cæſar nõ prius reuocauit, quam ad Maſſiliã ſubſiſtere coactus eſt, cum in Hiſpaniam iter ſuſcepiſſet. Itaque ex Dione corrigendus eſt locus, & harum literarum tabellarius non Fabius, ſed Curio agnoſcendus eſt.

Nam etſi nullum tunc erat bellum in Gallia, prouinciam tamen cum armis tenebat, iã decimum annum. Tenuiſti inquit, Cic. ep. 9. l. 7. ad Att. prouinciam per annos decem, tibi non à Senatu, ſed à teipſo per vim, & per factionem datos, præterit tempus legitimum non legis, ſed libidinis tuæ, fac tamẽ legis &c. 2. N. XXIX.

ROMANVM IMPERIVM.

ANNVS MVNDI 4006. SEXTÆ ÆTATIS 491.

HYRCANI II. PONTIF. 28. IMPERII ROMANORVM, ET C. IVLII CÆSARIS PRIMVS. PRÆSIDE SYRIÆ METELLO SCIPIONE HERODIS 25. PTOL. DIONYSII ET CLEOPATRÆ 3. OLYMP. 183. AN. I. VRBIS COND. 705. COSS. C. IVLIO CÆSARE II. ET P. SERVILIO ISAVRICO. BELLI CIVILIS 2. PHARSALICVM.

ANNVS ANTE CHRISTVM 47.

I. *Imperii Romani exordium.* ENASCITVR hoc anno Romanum Imperium, tot ante iam ſeculis à Daniele pronunciatum.[a] *Et regnum quartum erit velut ferrum; quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, ſic comminuet, & conteret omnia hæc.* Iam Aſſyriorum imperium ſua prope vetuſtate labefactatum ceciderat; & in Babyloniorum, Medorumque regna reſurgens, ſuccreſcenſq; reuixerat: iam quaſi de radice colubri egrediente regulo, & ſemine eius abſorbente volucrem, Cyrus extulerat caput;[b] & vtroque contrito regno, atque comminuto, Perſarum imperium robur acceperat, magnaque Aſiæ, Africæ, atque Europæ parte late dominabatur; cum irruentibus Macedonibus, orbis terrarum vnius Alexandri iugo ſubiectus eſt, ſubitoque in plura fragmenta diſciſſus, venturam ruinam cœpit ſua ipſius diuiſione polliceri: quando Romana potentia, Italia vniuerſa perdomita, foras prodiit, Siciliam cum reliquis inſulis, Carthaginem cum Africa, Hiſpaniamque perdomuit; Inde in Græciam, Macedoniam, Aſiamque tranſgreſſa, omnes ſibi reges ad Parthos vſque ſubiecit, Ægypto vix tenui atque extrema lacinia, Græcorum Imperium in pauculos deinceps annos, retinente.

[a] C. 2. 40.
[b] Eſa. 14. 29.

II. *A C. Cæſare occupatur.* Cvm C. Iulius Cæſar dominandi cupiditate flagrans, potentiã ſuam, opes, induſtriam, amicos, bellandi peritiam, atque felicitatem, vires denique Imperii Romani, ad eius euertẽdam libertatem, & ſuum ipſius dominatum ſtabiliendum conuertit. Habuit ille Syllæ Dictaturam in quam intueretur, cuius fœlicitatem exprimeret, quam conſtanter retineret, cuius crudelitatem auerſaretur. Hæc omnia diu meditata, præparataque hoc anno confici cœperunt. *Ratio temporis.* Autor Euſebius in Chronico, qui hoc primo anno Olympiad. 183. quæ Theodorum Meſſenium coronauit, & his quos prænotauimus Coſſ.[c] Romanorum, inquit, primus regnauit C. Iulius Cæſar ann. 4. menſ. 7. Caſſiodorus quoque ſecutus Euſeb. ait primum Romanorum ſingulare hoc anno imperium obtinuiſſe, ab eoque Romanos principes Cæſares appellatos, imperaſſe autem ann. 4. menſ. 6.

Nicephorus in ſuo Chronico ait Cæſarem anno 3. Cleopatræ Romæ primum occupaſſe regnum, idque annos 4. & menſes ſeptem tenuiſſe. Sed de tempore regni eius, exactius in fine dicetur. Id autem ſeries ipſa rerum geſtarum, & penitus proſtrata hoc anno cæde Pompei Romana libertas manifeſte probat. Et Antiochenorum conſuetudo, qui ab hoc anno primo Cæſaris ſua tempora computare cœperũt,

[c] Ῥωμαίων ἐμονάρχησε Γ. Ἰούλιος Καῖσαρ. ἔτη δ. μῆνας ζ.

vt author eſt idem Euſebius, & quidem, vt vult Scalig. à Cal. Octobris (48. annis ante Chriſtum natum, aut potius 47.) Quo tempore Pompeio, vt dicemus occiſo, ſublato æmulo imperii, in Rep. princeps fuit. Nec eſt qui de hoc Romanæ monarchiæ initio diſſentiat, etſi aliqui Romanorum Conſulum Chronologiam, ſiue vrbis conditæ vno anno faciunt tardiorem. Vt nil ſit opus catalogum hic authorum tam antiquorum, quam recentium deſcribere.

III. *Res anni huius.*

OBMVRMVRAVERE igitur toto anno præterito, magno ſonitu Italicæ nubes, & tēpeſtate nunc in Occidentem, nunc in Meridiem, nunc in Orientem delatæ, terrificum fulmen hoc anno in Pompeii Magni caput excuſſerunt, eodemque impetu capiti Cæſaris diadema impoſuerūt. Is ipſe rem totam diſtinctius cæteris accuratiuſque [a] tradidit, ex quo præcipua eliciemus. De rebus autē Ægyptiacis, Syriaciſque in curſu dicemus, quoniam eas Cæſarianum bellum ſecum trahit, nec ſatis commode ſuis diſtraherentur locis.

IV. *Cæſar abit ab vrbe abdicata Dictatura.*

CÆSAR abdicata poſt vndecimum diem Dictatura, nihil habuit antiquius, quam vt Pompeium, in quo totius belli cardo vertebatur, quam primum adiret, vt eum, ſi quo modo fieri poſſet, ad honeſtas aliquas pacis conditiones adduceret, aut cum eo de victoria ferro decerneret. Ab vrbe igitur profectus, Seruilium Romæ Conſulem reliquit. Interim autem qui Theſſalonicæ erant, nullos magiſtratus crearunt, quamuis ibi cum Coſſ. CC. ſenatores agerent; ſed retentis iiſdem magiſtratibus appellationes mutarunt, vt pro Coſſ. & Præt. Procoſſ. & Proprætо. dicerentur. Ita Dio, qui etiam ſcribit [b] Cæſarem ſub diſceſſum ſuum donaria omnia cum aliis ex locis, tam ex Capitolio ſuſtuliſſe, & ita ſub anni exitum, antequam iniret magiſtratum, Bruнduſium contendiſſe. Quod ſi verum eſt, mirum eſt ab eodem Cæſare hoc ipſo anno accuſari Scipionē, & T. Arupium, qui pecuniam auferre voluerant, ex Dianæ templo, iactareque ſe quod illi pecuniæ bis auxilio fuerit. Neq; enim minore ſacrilegio Iouis Capitolini, quam Dianæ Epheſiæ templum ſpoliabatur. Sed iam expilandis in Gallia templis, vt ex Suetonio diximus, & Saturnio Romæ, vt auctor eſt Plut. in eius vita, ſacrilegii rudimenta fecerat.

V. *Brunduſio in Epirum trāſit eam queq; occupat.*

EGRESSVS ergo Roma Brunduſium venit, quo legiones duodecim, omnemque equitatum venire iuſſerat, indeque pridie nonas Ianuarias ſoluit, circa ſolſtitium brumale: [c] ſed inopia nauium 20. millia legionariorum militum, & 600. equites trāſportare vix potuit. Pompeius annuum ſpacium ad comparandas copias nactus, omnia bello neceſſaria, per otium præparauit, totaque Aſia auxilia expetiit, ne Parthis quidem intentatis, licet à cæde Craſſi hoſtes iudicati fuiſſent. Ab Orode tamen reſponſum eſt, ſi Syria ſibi concederetur, auxilio futurum, ideoque Syriam nō adeptus, ſuppetias non tulit. Inopinato tamē Cæſaris aduentu occupatus eſt, quod eum diutius Hiſpanienſi bello detentum iri ſperabat. Sed is celeriter traiecit incolumis, tametſi portus omnes, littoraque à Pompeianis tenerentur: moxque Oricū & Apolloniam, oppida ad littus poſita, deditione accepit; quorum exemplum aliæ certatim vicinæ ciuitates, totaque Epirus ſecuta eſt.

VI. *Duces Dyrrachium conueniūt.*

QVIBVS cognitis Pompeius Dyrrachio timens, quod illuc totum belli apparatum pene contulerat, Theſſalonica, vbi hyemare conſtituerat, profectus, diurnis, nocturniſque itineribus Dyrrachium contendit, quo etiam properabat Cæſar, & vterque caſtra ad flumen Apſum poſuit, eoque interiecto diuidebantur. Ibi vterq; diu commoratus, damnaque poterat, citra vniuerſam dimicationē, aduerſariis inferebat. Pompeius & copiis potior erat, & commeatu pridem præparato; inſuper Bibulo toti claſſi præpoſito. Plutarchus [d] ait Pompeium præfeciſſe toti claſſi, quæ innumeris nauibus conſtabat, Catonem; monitu autem amicorum veritū ne ſi terra viciſſet, mari ei contra Catonem pugnandum eſſet, vt publicæ libertatis indefeſſum propugnatorem; mutata ſentētia, & patefacta ambitione ſua, claſſi Bibulum præfeciſſe. Ergo claſſe potens Pompeius etiam mare habebat in poteſtate, vt naues ad Cæſarem ex Italia venire, neque cum milite, neque cum commeatu poſſent, ſine ſummo ſalutis diſcrimine, quod in exceptos Bibulus ferro flammiſque ſæuiret; qui viciſſim ſalo iactatus, terram attingere Cæſarianis prohibentibus non poterat, ex quo poſt fruſtra tentatas inducias, morbo correptus, breuiq; confectus eſt.

VII. *Cæſar accerſit Antonium.*

SVB hoc tempus cum iam præcipitante hyeme, Antonius cum reliquis copiis ad Cæſarem non veniret, quod Bibuli diligentiam in maris cuſtodia timeret, ſcrip-

[a] lib. 3. ciu.

[b] Lib. 41.

[c] Plut. in Pomp.

[d] in Cato. min.

ſit ad eum ſeuerius Cæſar, vt nactus idoneum ventum, ne occaſionē nauigandi dimitteret. At Dio ait Cæſarem ſuſpicatum ne ille vellet ſe medium inter vtramque partem ſeruare, & euentum rerum, vt contigit in bellis ciuilibus, opperiri; ideoque ſolum in Italiam ignotum traiicere voluiſſe, lembum conſcendiſſe, quaſi à Cæſare miſſum. Cumque tempeſtas aduerſa terrorem nauclero incuteret, & inuitum retro ageret, hominem confirmaſſe ſui manifeſtatione, cum eo dicto, *Bono animo eſto, Cæſarem vehis.* Nec tamen traiicere potuiſſe, ſed perſeuerante tempeſtate, multo exhauſto labore, in terram rediiſſe.

VIII. *Pax fruſtra tentata.* CVM autem propter caſtrorum vicinitatem crebris colloquiis interſe milites agerent, de legatis etiam mittendis, qui de pace agerent, actum eſt, ſed res ſucceſſu caruit; quod Pompeius ea de re Vibullium agentem, cum his verbis repulerat: *Quid mihi aut vita, aut ciuitate opus eſt, quam beneficio Cæſaris habere videbor?* quodque legatos de pace agentes, tela vndique à Cæſarianis immiſſa interruperunt. Dio ſcribit colloquia de pace irrita fuiſſe, quod vterque ſummum imperium peteret, vterque victoriam ſperaret, & exiſtimaret etiam redintegrata concordia, alterum mox cauſam diſſidio præbiturum, quod neuter quidquam alteri vellet vlla in re cedere. Neque poſterior vllo mortalium Pompeius eſſe vellet, & Cæſar omnium primus eſſe cuperet. Sic Dio, verius fortaſſe Poëta Lucan. 1. *Nec quemquam iam ferre poteſt, Cæſarue priorem, Pompeiusue parem.* Certe probabilius: nam Pompeius grandior erat natu, & imperio clariſſimiſque rebus geſtis prior. *Cæſaris ambitio.* Dionis tamen ſententiæ fauet illud reſponſum, quod in Cæſaris vita recitat Plutarch. datum à Cæſare, amicis per iocum quærentibus, num in quodam pago in Alpibus regnaret ambitio, & contentiones de primatu; ſerio enim reſpondiſſe tradit, malle ſe apud hos primum eſſe, quam Romæ ſecundum.

IX. *Maritima pugna; incrementa copiarum.* INTEREA vario euentu Libo & Antonius Brunduſii nauibus certant, iſte pro Cæſare, ille pro Pompeio: deinde ad Nymphæum Coponius, qui Rhodiæ claſſi præerat, contra eundem Antonium & Calenum; ſed vtrobique initia Pompeianis, exitus Cæſarianis fauit. Antonius 4. legiones ad Cæſarem, & equites octingētos adduxit, eique ſe, quamuis repugnāte Pompeio, coniunxit. Viciſſim autem Scipio è Syria, quam multa pecuniarum exactione vexauerat, euocatus à Pompeio, ad eum veniens, Aſiæ ciuitates ſuis militibus diripiendas dedit, vt ſcilicet eos confirmaret, qui negabant ſe contra ciuem, & Conſulem populi Rom. arma laturos: ſeque in Theſſalia Pompeio coniunxit. *Scipionis auaritia.* De huius Scipionis auaritia multa refert Cæſar, & inter alia eum in ſingula capita ſeruorū ac liberorum tributa impoſuiſſe, imo in ſingulas domorum columnas, atque oſtia (etiam frumentum, milites, remiges, arma, tormenta, vecturas imperaſſet) & cuius rei modo nomen reperiri poterat, hoc ſatis eſſe ad pecunias cogendas videbatur. Cumque non ſolum vrbibus, ſed pene vicis caſtelliſque ſingulis cum imperio præficeret, qui horum quid acerbiſſime crudeliſſimeque fecerat, is & vir & ciuis optimus habebatur. Hæc fere ipſe.

X. *Pugna, & Pōpeii victoria. Non indemnis.* DENIQVE poſt varias vltro citroque velitationes, incurſus, prælia, damna, vtrinque accepta atque illata, poſt multas caſtrorum, præſidiorum, conſiliorum, munitionumque commutationes, quæ diligentius à Cæſare recenſentur, vna tamen grauior ad Dyrrachium fuit, in qua Cæſar ait deſideratos milites è ſuis 960. viros primarios 30. ſigna militaria 32. amiſſa. At Plut. ait duo millia cecidiſſe, omnibus in fugam impulſis, potuiſſe Pompeium in caſtra irrumpere, ſed timuiſſe; ideoque Cæſarem ad amicos dixiſse, victoriam eo die penes hoſtem futuram, ſi vincere ſciuiſſet. Idem habet Suetonius. Magno tamen detrimēto hæc victoria Pompeianis fuit. Iſti ſiquidem propter eam ſuperbia inflati, Imperatori ſuo peruicaces effecti ſunt, & multis cum cauillis inſectati, cunctatione frāgere volentem aduerſarium, ad pugnam vel inuitum perpulerunt. Indeque factum vt Cæſarē, inopia cogēte, in Theſſaliam profectū, ſequeretur: quo tamen ille in itinere nō parum res ſuas correxit. a Appian. & Plutar.

XI. *Ingens culpa Pompeii.* ADDIT etiam Plut. alterum Pompeii peccatum in hæc pugna; quod adactus pedeſtribus copiis confligere, non claſſe cinxiſſet ſe, vt ſi terra ceſpitaſſet, illico ad manum par haberet maritimum robur, & vires tam ingentes. Neque enim, inquit, fuit Pompeii peccatum maius, neque conſilium callidius Cæſaris, quam quod tam procul à ſubſidio nautico præliū retraxerit. Ergo vterq; Imperator in Theſſaliam venit, vterque aduerſario imminens, vterq; in pugnæ ac loci opportunitatem intē-

tus. Vtriuſque exercitu, propter felicẽ quendam ſucceſſum ad Gomphos, & Dyrachium, bene animato, & victoriam animo præcipiente. Nec tamen Pompeius elici ſe ad pugnam patiebatur, ſed caſtra in colle habebat, & ad infimas montis radices aciem inſtruebat. Itaque ſtatuebat Cæſar ſemper cum exercitu iter facere, vt mouendis caſtris, pluribuſque locis adeundis commodiore frumentaria re vteretur, ſimulque in itinere, vt aliquam occaſionem dimicandi nanciſceretur, & inſolitum ad laborem Pompeii exercitum, quotidianis itineribus defatigaret.

XII. *Apparatus vtrinq; ad pugnã.*

His conſtitutis rebus, ſigno iam profectionis dato, animaduertit Cæſar longius à vallo Pompeii aciem eſſe progreſſam, vt non iniquo loco poſſe dimicari videretur; ergo repudiato profectionis conſilio, expeditas copias educit, dicens adeſſe expectatam diem, qua ipſis cum viris, non cum fame & inopia dimicandum eſſet. Et Pompeius quidem, qui equitatu ſuperior erat, ſperabat ab eo dextrum Cæſaris cornu aggreſſum, ac circumuentum iri; itaque perturbato exercitu, ſe victoria ſine ſanguine potiturum. Ergo ſiniſtrum ipſe cornu cum duabus legionibus occupauit, mediam aciem cum legionibus Syriacis tenebat Scipio, in dextero cornu erat Afranius, & cum eo Hiſpani ac Cilices, numeroque 110. cohortes expleuerat, quæ erant 45. millia; At Cæſar in acie habuit 80. cohortes, quæ ſumma erat viginti duorum millium. Siniſtro cornu Antonium, dextro P. Syllam, media acie Cn. Domitium præpoſuerat; ipſe contra Cn. Pompeium conſtitit. Timens autem ne à multitudine equitum dextrum cornu circumueniretur, celeriter ex tertia acie ſingulas cohortes detraxit, atque ex his quartam inſtituit, ſex cohortibus conflatam. Et equitatui oppoſuit, monuitque eius diei victoriam in earum cohortium virtute conſtare, ſimulque toti exercitui imperauit, ne iniuſſu ſuo concurreret.

XIII. *Et pugnæ initium.*

Inter duas acies tamen erat relictum ſpatii, vt ſatis eſſet ad concurſum vtriuſque exercitus; Et Cæſariani quidem de more ad medium vſque ſpacium procurrere, Pompeianis de induſtria quieſcentibus, & expectantibus, vt duplicato curſu tum vis Cæſarianorum infringeretur, tum ordines diſſiparentur; parum vtili conſilio, & vt priſtinis maiorum inſtitutis contrario, ita & idoneo ad militarem alacritatem, quæ curſu & clamore colligitur, retundendam, vt ait Cæſar. Plut. autem & Appianus alio hanc curſus inhibitionem retulere, non vtique ad Cæſaris mentem. Ergo Cæſariani cum animaduertiſſent non concurri à Pompeianis, ſua ipſi ſponte curſum repreſſerunt, paruoque ſpacio temporis in medio intermiſſo, rurſũque renouato curſu pila miſerunt, & celeriter gladios ſtrinxerunt; idem ſtrenue à Pompeianis factum eſt. Initium pugnæ Dio ab auxiliariis factum ait, quod ciues ipſi vtrinque mœrore defixi hærerent; aliaque id genus nonnulla tradit, quæ theatrum magis quam campum redolent.

XIV. *Initium & cauſa Cæſarianæ victoriæ.*

Eodem tempore equites à ſiniſtro Pompeii cornu, vniuerſi procucurrerunt, omniſque multitudo ſagittariorum ſe profudit; quorum impetum Cæſaris equitatus non tulit, ſed paullum loco motus ceſſit: equiteſque Pompeiani hoc acrius inſtare, & ſe turmatim explicare, aciemque hoſtilem à latere aperto circuire cœperunt. Cum Cæſar quartæ illi aciei ſex cohortium ſignum dedit, quibus celeriter procurrentibus, tanta vi in Pompeii equites impetum fecerunt, vt eorum nemo conſiſteret; ſed protinus in fugam verſi, montes altiſſimos peterent. Quorum præſidio deſtituti ſagittarii, funditoreſque interfecti ſunt. Eodem impetu hæ cohortes ſiniſtrum cornu, pugnantibus adhuc ac reſiſtentibus Pompeianis, circumierunt, eoſque à tergo ſunt adorti; Sicque Pompeiani, qui circumuenire parabant Cæſaris equitatum, circumueniri ipſimet, atque vtrimque cædi cœperunt.[a]

a Plut.

XV. *Totius aciei Pompeianæ fuga, & clades.*

Eodem tempore tertiam aciem Cæſar, quæ quieta fuerat, & ſe ad id tempus loco tenuerat, procurrere iuſſit: ita cum recentes atque integri defeſſis ſuccederent, alii autem à tergo adorirentur, ſuſtinere Pompeiani non potuerunt, atque vniuerſi terga verterunt. Pompeius vt equitatum, cui maxime confidebat, pulſum vidit, aliis diffiſus acie exceſſit; protinuſque ſe equo in caſtra contulit, iubens centuriones, quos ad Prætoriam portam poſuerat, tueri caſtra, ſi quid durius accidiſſet, ac defendere diligenter, veritus quod mox accidit. Nam Cæſar perterritis, & intra vallum compulſis, nullum ſpatium colligendi ſui dandum exiſtimans, caſtra oppugnare inſtitit, quę aliquandiu defenſa à Thracibus, qui ad eorum cuſtodiam relicti fuerant, tandem telorum multitudini ceſſerunt, ſeque fuga cum reliquis ad montes al-

Fius caſtra expugnantur.

tiſſimos, qui ad caſtra pertinebant, contulere. Victoriam hanc contigiſſe 19. Auguſti ſcribit Ioan. Georgius in ſua Chronol. c. 190. ſed neminem laudat autorem.

XVI. *Pompeii fuga temeraria.* POMPEIVS iam cum intra vallum Cæſariani verſarentur, equum nactus, detractis inſignibus Imperatoris decumana porta ſe ex caſtris eiecit. Plut. ait Pompeium aliquandiu attonitum in Prætorio ſediſſe, cum magnam manum tergis fugientium inhærentem vidit, & vno agmine in caſtra irrumpentem. Illeque vna voce emiſſa, *etiamne in caſtra?* ſumpta veſte præſenti fortunæ conueniente, clam caſtris exceſſiſſe. Protinus equo citato Lariſſam contendit, neque ibi conſtitit, ſed eadem celeritate paucos ſuorum ex fuga nactus, nocturno itinere non intermiſſo, comitatu equitum 30. ad mare peruenit. Indeque Syriam cogitabat, ſi Cæſar inſtaret. I. Non temere fortaſſe à Dione l. 42. accuſatus, quod nimium cito, & ſuæ virtutis, & viciſſitudinis rerum, quæ exiguo momento commutantur, & copiarum quæ adhuc ſupererant oblitus, ſpem omnem de rebus ſuis abiecerit; neque mature iſti cladi, ſi qua contigiſſet, proſpexerit, quod victoriam nimium certo ſibi ſpoponderat; ex quo factum ſit, vt ſimulatque prælio victus eſt, mirum in modum attonitus, neque conſilium commodum, neque ſpem firmam fortunæ denuo periclitandæ capere potuerit. Addit autem non eſſe ingreſſum Lariſſam, nequa in culpa propterea Lariſſæi eſſent apud Cæſarem, ſed hortatum eos, vt ad victoris amicitiam accederent, naui oneraria ad Leſbum eſſe aduectum, vbi vxorem ſuam Corneliam, Sextumque filium habebat, iiſque acceptis enauigaſſe. Eadem fere habet Plutar. qui tamen id dicit de Mitylenæis, quod Dio de Lariſſæis. Appianus quoque cum exercitus tres commemoraſſet, ex Pompeiani reliquiis collectos, tantæ fuerunt inquit Pompeianorum reliquiæ; quas ſuus Imperator, mentem diis adimentibus, fugiens neglexerat. [a] in Pomp.

XVII. *Cæſar Pompeianos perſequitur.* INTEREA Cæſar caſtris potitus, & ſcriniis Pompeii, literas pleraſque ne legere quidem voluit, ſed incendit, ne quid ex iis grauius in quenquam ſtatuere cogeretur; montem ad quem multi ex acie, caſtriſque profugerant, opere circumuenire inſtituit; ſed Pompeiani propter penuriam aquæ loco diffiſi, vniuerſi Lariſſam verſus ſe recipiunt: quos Cæſar cum 4. legionibus ſecutus, cum ſe in alium quoque montem recepiſſent, quem flumen ſubluebat, ſtatim munitione flumen à monte ſecluſit, ne noctu Pompeiani aquari poſſent; quo iam perfecto opere, illi de deditione miſſis legatis agere cœperunt; pauci ſenatorii ordinis, qui ſe iis coniunxerant nocte fuga ſalutem petierunt. Reliqui ſub lucem proiectis armis, veniam & ſalutem à Cæſare obtinuerunt: qui eadem die Lariſſam mutatis legionibus peruenit.

XVIII. *Magnitudo cladis.* IN eo prælio Cæſar non amplius ducentos milites deſiderauit, vel vt alii ſupputant, inquit Appianus, 1200. ſed centuriones fortes viros circiter 30. amiſit, ex Pōpeiano exercitu circiter 15. millia cecidiſſe videbantur. Etſi Plut. in Cæſ. & Pollio apud Appianum, dicat non plus ſex millia militum interfecta, reliquos autem qui cecidere ſeruos fuiſſe, & in expugnatione caſtrorum occiſos: quaſi ij caſtra defenderent, & non militum fortiſſimi, vt Cæſar ipſe ſignificat. Appianus vero ait Cæſarem per præconem iuſſiſſe ciuibus parci, & in ſola ſæuiri auxilia, itaque factum; victos ad victores accurrentes, & ex lingua facile notos eſſe ſeruatos, ac ſtetiſſe ſecuros. Quod ſi factum fuiſſet, puto Cæſarem, qui clementiæ ſuæ argumenta paſſim colligit, id non fuiſſe prætermiſſurum; Sed in deditionē venerunt amplius millia 24. ſigna militaria relata 180. ex prælio, aquilæ 9. Scribit Dio [a] Cæſarem ex dedititiis quotquot gregarii erant, abolitis iniuriis legionibus ſuis adſcripſiſſe. Ex ſenatoribus vero, equitibuſque, quos ante etiam captos miſericordia proſecutus fuerat, omnes morte mulctaſſe; exceptis iis quos amici eius, ſingulis enim vnius ſalutem donauit, à ſupplicio exemerunt. Tradit Aſinius Pollio apud Plut. in Cæſare, & Sueton. [b] acie Pharſalica cæſos proſpicientem dixiſſe. Hoc voluerunt: tantis rebus geſtis C. Cæſar condemnatus eſſem, niſi ab exercitu auxilium petiiſſem. [b] ſub fi. l. 41 [c] l. 1. c. 30.

XIX. *Cæſar fugientem Pompeium perſequitur.* CÆSAR omnibus rebus poſtpoſitis, perſequi ſtatuit Pompeium, quo ſe cumq; ille ex fuga recepiſſet, ne rurſum copias alias comparare, & bellum renouare poſſet. At ille Amphipoli vna nocte ad anchoram cōſtitit, & corrogata ab Amphipolitis ad neceſſarios ſumptus pecunia, cognito Cæſaris aduentu, ex eo loco diſceſſit, & Mitylenas paucis diebus venit, biduum tempeſtate retentus, nauibuſq; aliis actuariis additis in Ciliciam, atque inde Cyprum peruenit. Ibi cognoſcit conſenſu om-

nium Antiochenſium, ciuiumque Rom. qui illic negotiarentur, arcem ante captā eſſe, excludendi ſui cauſa: nec male coniecerit, opinor, qui dixerit maximas illas pecuniarias exactiones Metelli Scipionis, in Syria hoc ipſo anno factas, Antiochenos, alioqui natura turbulentos, atque ad ſeditionem pronos, hanc cauſam defectionis, ante prælium à Pompeio amiſſum, accepiſſe. Rhodii quoque L. Lentulum, qui ſuperiore anno Conſul fuerat, & P. Lentulum Conſularem, cum Pompeium ſequerentur, oppido & portu non receperunt; & inſuper miſsis ad eos nunciis, inſula excedere iuſſerunt. Nam de victoria, & aduentu Cæſaris fama vbique ſpargebatur. *Defectio Antiochē.*

XX. *Is in Ægyptum fugit.*

QVIBVS cognitis rebus Pompeius, depoſito adeundæ Syriæ conſilio, collecta ad militarem vſum quanta maxima pecunia potuit, duobuſque millibus hominum armatis Peluſium peruenit. Vbi ſe amice exceptum iri non temere ſperabat, niſi Ægyptii quoque Punica fide fuiſſent. Nam de regno Ægypti bene meritus, iamdudum fuerat, regis qui tum regnabat, parente, in regnum per Gabinium ſuo iuſſu reſtituto, & à quo naues quinquaginta, ad ipſum, in huius belli auxilium, miſſæ fuerant, & mox prælio in Theſſalia facto, domum redierant. Ex illo porro conſilio adeundæ Syriæ, quod hic memorat Cæſar, nata videtur opinio eorum qui exiſtimauerunt Pompeium ad Parthos profugere voluiſſe, quam Dio refellit lib. 42. & Plutar. in Pompeio, ait eum ab ea ſententia à Theophane Leſbio deductum, & perſuaſum Aegyptum petere.

XXI. *Ibique perfide recipitur.*

IBI caſu Rex erat Ptolemæus puer, ætate puero, quā iuueni propior à Velleio l. 2. dicitur. At Appianus diſtinctius eum ait egiſſe annum decimumtertium; Hircius l. de bello Alexandrino, vocat eum adulta iam ætate puerum. Hic ergo adoleſcentulus magnis copiis cum ſorore Cleopatra bellum gerebat, quam paucis ante menſibus, per ſuos amicos ac propinquos, regno expulerat; Caſtraque Cleopatræ non longe ab eius caſtris diſtabant. Ad eum Pompeius miſit, vt pro hoſpitio atque amicitia patris, Alexandria reciperetur, atque illius opibus in calamitate tegeretur. At regis amici, regnique procuratores, ſeu veriti ne ſollicitato exercitu regio, Pompeius Alexandriam Aegyptumque occuparet, ſeu deſpecta eius fortuna, ſeu Cæſari potius victori, moxque futuro rerum Domino gratificari cupientes, palam quidem eum ad regem venire iuſſerunt, ſed clam conſilio inito Achillam præfectum regium, & L. Septimium Tribunum militum, ad interficiendum Pompeiū miſerunt. Ab his, inquit Cæſar, liberaliter ipſe appellatus, & quadam notitia Septimii productus, (Sempronīū Appianus vocat,) quod bello prędonum apud eum ordinem duxerat, nauiculam paruulam conſcendit cum paucis ſuis, & ibi ab Achilla, & Septimio interficitur. Item L. Lentulus poſtridie comprehenditur à rege, & in cuſtodia necatur. Sic ipſe paucis, quibus par eſt aliqua ex Plutarcho adiungere.

XXII. *Pompeii cædes ex Plutarcho.*

CONSILIVM de eius cæde perfidia plenum, explicat Plutarchus eleganter vt ſolet. Aliorum, inquit, eatenus diſcrepauere ſententiæ, quatenus hi reiiciendum, alii vocandum & recipiendum cenſebant. At Theodotus Chius (Appiano Samius eſt) mercenarius Rhetor, oſtentans ingenium oſtendit neutrum ſatis explicatum; ſed ſi recepiſſent eum, hoſtem Cæſarem ipſos habituros, & Pompeium Dominum; ſin abegiſſent, in culpa futuros apud Pompeium, quod ipſum repulerint, apud Cæſarem autem, quod non ſint perſecuti. Optimum ergo factu eſſe, vt accitum interficiant. Siquidem & illi rem gratam facturos, neque hunc formidaturos, mortuos quippe non mordere. Poſtquam in eam ſententiam itum eſt, tum rem exequendam delegauerunt Achillæ, qui Septimium, & aliquot alios miniſtros ſceleris aſſumpſit.

XXIII. *Decius cæde conſilium.*

ADDIT idē primores eorum, qui Pompeium comitabantur, ad ipſum conſcendiſſe, vt quid ageretur, conſpicerent, & pro regio apparatu cum nauem piſcatoriā vidiſſent, eum contemptum ſuſpectum habentes, monuiſſe Pompeium, dum extra telorum iactum eſſent, vt retrorſum in ſalum ageret nauem. Verum comiter à ſuperuenientibus ſalutatus, Achilla etiam excuſante vadoſum mare, ideoque hortante, vt in nauem ſuam deſcenderet, & interim armatis totum littus nauibus prætexentibus, à quibus opprimi poſſent fugientes, in nauiculam, vale dicens ſuis, deſcendit. Inde cum ad terrā appropinquaret, & multi regii quaſi honorantes cōcur-

Cæſar victor adit Ægyptum.

rerent, Pōpeius ſurgens à tergo Septimii telo primum traiicitur, inde reliqui gladiis eum certatim petiere. Ille ambabus manibus faciem toga intexit, nec quicquam indignū ſe locutus eſt, nec fecit. Tātum ſuſpirio edito patienter ictus excepit.

Ita Plutarchus. Hoc procul viſo, inquit Appianus, vxor amicique magno eiulatu deos fœderum vindices, ſublatis in cœlum manibus implorando, celerrime fugerunt hoſtilia littora. Pompeii caput per miniſtros Pothini reſectum, in aduentum Cæſaris, expectatione maximi præmii reſeruatum eſt; ſed ille nefarium proditionis ſcelus pro merito vltus eſt. Ita Appianus: quia ſcilicet Pothinum interfecit, ſed aliam Cæſar cauſam ſuggerit, vt mox dicetur; alius quoque Achillæ cædis autor & cauſa fuit, vt ſequenti an. ex Hircio Panſa referemus. Cadauer à Philippo liberto in littore combuſtum, & in arena tumulatum eſt. At Aurelius Victor in vir. il. Truncus Nilo iactus Seruio Codro rogo inuſtus, humanuſque eſt, inſcribente ſepulchro. *Hic ſitus eſt magnus Pompeius.* Et Lucanus.

XXIV. *Tempus vitæ & mentis omnis.*

Hic ſitus eſt Magnus placet hoc fortuna ſepulchrum Dicere Pompeii. li. 8.

Dio ſcribit, itemque Appianus, & Velleius pridie natalis ipſius occiſum anno ætatis duode ſexageſimo, ea ipſa die, qua quondam de Mithridate, & piratis triumphum duxerat.[a] Plutarchus vero vndeſexageſimo, & poſtridie natalium ſuorum. Verum illi rectius. Nam à Conſulatu Attilii Serrani, & Seruilii Cæpionis, qui cadit in annum vrbis conditæ ſexcenteſimum quadrageſimum ſeptimum ad hunc annum, 58. tantum numerantur, dempto etiam vno die. In tantum in illo viro à ſe diſcordante fortuna, vt cui modo ad victoriam terra defuerat, deeſſet ad ſepulturam, inquit Velleius. Sed hæc auxeſis eſt ad ſermonis concinnitatem.

a 13. ſcilicet annis ante. V.C. 692.

XXV. *Cæſar Aſiam adit, & Aegyptū unſque felicitas.*

Interea Cæſar traiecit in Aſiam, cum inſigni felicitatis argumento. Tam proſpera enim, inquit Dio l. 42. Cæſar in omnibus rebus fortuna vtebatur, vt cum pontone quodam Helleſpontum traiiceret, inque claſſem ibi Pompeianam, cui C. Caſſius Longinus præerat, ibidem vela dantem incideret, non modo nihil ab eis detrimenti acceperit, ſed inſuper territos, in ſuam poteſtatem redegerit.[b] Vbi paucos dies commoratus, cum audiſſet Pompeium Cypri viſum, coniectans eum in Aegyptum iter habere, propter neceſſitudines belli, reliquaique eius regni opportunitates, cum duabus legionibus, (in quibus erant 3200. reliquis vulneribus, labore ac defatigatione confectis, conſequi non valentibus,) & octingentis equitibus, & nauibus longis Rhodiis decem, & Aſiaticis paucis Alexandriam peruenit. Fama rerum à ſe geſtarum magis, quam magnitudine præſertim copiarum cōfiſus.

b Vide etiā Suet. n. 63.

XXVI. *Vt ſe geſſerit erga Pompeium mortuum.*

Alexandriæ Cæſar de morte Pompeii cognoſcit. Dio libro quadrageſimo ſecundo ait Cæſarem, cum adiret Alexandriam, antequam portum attingeret, in anchoris ſubſtitiſſe aliquandiu, donec miſſum ſibi à Ptolemæo Pompeii caput, & annulum videns, in continentem poſito metu exiuit. Viſo autem Pompeii capite illacrymauit, ac lamentatus eſt, eum ciuem generumque ſuum nominans, ac commemorans, quot quantiſque in rebus ſibi mutuas operas olim præſtitiſſent. Percuſſoribus tantum abfuit, vt gratiam ſe debere fateretur, vt & facinus culpauerit, & caput honeſte tumulandum dederit.[c] Sic Dio, cui non eſt neceſſe aſſentiri affirmanti fictas fuiſſe lacrymas, lamentationemque ſimulatam. Etſi enim cum vt perderet omnia hactenus mouiſset, incitante cupiditate dominandi, nihil tamē abſurdum eſt in ipſa eius morte, præſertim tam indigna, philāthropia fuiſse commotum: qui diuinitus mite ingenium ac clemens ſortitus erat. Certe Plutarchus in Cæſare & Pompeio, ſine vllo ſimulationis indicio, ait ipſum auerſatum fuiſse Theodotum, qui ſibi Pompeii caput offerebat, annulumque eius accipientem illacrymaſse. Amicos & familiares eius, qui ea in regione palantes capti à rege fuerant, benigne accepiſse omnes, ac beneficiis ſibi deuinxiſse, & Romam ad amicos ſcripſiſse, cum ſe fructum ex victoria maximum capere, quod quotidie ciues aliquot ſeruaret, à quibus fuerat oppugnatus. Appianus etiam mortem Pompeii eum vltum eſse teſtatur.

c Viſt. com plurimis & precioſiſſimis odoribus.

XXVII. *Quæ Cæſari Alexādriæ contigerint.*

Alexandriæ autem, vt ipſemet Cęſar refert, primum è naui egrediens clamorem militum audit, quos rex in oppido præſidii cauſa reliquerat, & concurſum ad ſe fieri videt, quod faſces anteferrentur: qua re maieſtatem regiam minui prædicabāt. Quo ſedato tumultu, cum crebræ quotidie cædes inter milites fierent, legiones ſibi alias ex Aſia adduci iuſſit, quas ex Pompeianis militibus con-

fecerat, quoniam ipſe Alexandriæ aduerſis ventis tenebatur, ne enauigare poſſet.

Interim controuerſias regum ad populum Romanum, & ad ſe, quod eſſet Conſul, pertinere exiſtimans, atque eo magis officio ſuo conuenire, quod ſuperiore Conſulatu ſuo, cum patre Ptolemæo, & lege, & Senatuſconſulto ſocietas eſſet facta, oſtendit ſibi placere Regem Ptolemæum, atque ſororem eius Cleopatram, exercitum, quos haberent, dimittere, & de controuerſiis iure apud ſe potius, quam armis inter ſe diſceptare: præſertim cum patris teſtamento cautum eſſet, vt ex duobus filijs maior, & ex duabus ea quæ ætate antecedebat, regnarent; quæ vt fierent, per omnes deos omniaq. fœdera, quæ Romæ feciſſet eodem teſtamento Ptolemæus populum Romanum obteſtaretur.

FVERVNT hæc ſemina belli Alexandrini, quod maxime in annum ſequentem cadit. De cauſis eius nonnulla ſcribit Cæſar extremo libro tertio belli ciuilis, ſed placet audire Dionem. Aegyptii, inquit, exactionem pecuniæ moleſte ferentes, idque adeo indignum ducentes, quod nec ab vlla re ſacra Cæſar abſtineret; ad hæc metuentes ne Cleopatræ, quæ plurimum apud Cæſarem poterat, traderētur, tumultum concitauere. Cum enim antea per internuncios, cauſam ſuam apud Cæſarem contra fratrem, eundemque maritum Ptolemæum ageret, à quo erat expulſa; ipſa per ſeſe in conſpectum Cæſaris clam admiſſa, cauſam ſuam ita egit, vt iudicem in aduocatum verteret. Itaque ſub auroram Ptolemæum acceſſit, (habitabat autem Cæſar in regia, de qua re vide Plutarchum in Cæſare, eoque noctu clam admitti Cleopatram curarat, rege inſcio) & pacificationem tentat. Ptolemæus viſa ex improuiſo in Regia ſorore, quam ne in vrbe quidem eſſe patiebatur, ira inflammatus proſiliit ad populum, proditum ſe clamat, diadema de capite detractum abiicit: populus illico tumultuatur. Cæſariani Ptolemæum intro abripiunt, Ægyptii terra marique regiam inuadere parant.

XXVIII. Semina & cauſa belli Alexandrini.

CVM Cæſar, qui ſine copiis tunc erat metu perculſus, ad eos de tuto loco verba facit, ſeque omnia quæ vellent facturum pollicetur. Mox in concionem cum Ptolemæo & Cleopatra progreſſus, patris eorum teſtamentum de ſcripto recitauit, quo præcipiebatur, vt more maiorum apud Aegyptios Ptolemæo coniux Cleopatra eſſet, regnumque tenerent: ſed ita tamen, vt ſub tutela populi Romani eſſent. His addebat Cæſar ſuum eſſe, qui Dictaturam gereret, omnemque populi poteſtatem obtineret, vt & liberos curaret, & patris voluntatem exequeretur. Ptolemæo igitur & Cleopatræ regnum Aegypti dedit, Arſinoæ autem, Ptolemæoque iuniori germanis horum, Cyprum largitus eſt. In eum enim tunc terrorem venerat, vt non ſolum nihil rerum Aegypti adiſpiſceretur, ſed aliquid etiam de ſuo illis concederet. Verum bello perfecto tota res cōmutata eſt. Nam Arſinoë nō ſolum Cyprum conſecuta non eſt, ſed captiua abducta, & in triumphum Romam delata eſt. Cæterum hoc modo tumultus ſedatus eſt, donec mox Pothini opera renouatus, ad bellum quoque res deuenit. Is enim cum Ptolemæi pecuniarum procurator eſſet, & prædictum tumultum præcipue concitaſſet, veritus ne eius rei cauſa ad ſupplicium depoſceretur, clam ad Achillam miſit, eumque ad bellum impulit. Hæc Dio pluribus. Libet autem Cæſarem quoque paucis audire.

XXIX. Cæſar Alexandriā ſedat.

POTHINVS, inquit, regis pueri nutritius, & regni procurator, primum apud ſuos queri, & indignari cœpit, regem ad dicendam cauſam euocari. Deinde adiutores quoſdam conſcios ſui nactus ex regiis amicis, exercitum à Peluſio clam Alexandriam euocauit, atque eundem Achillam, cuius ſupra meminimus, omnibus copiis præfecit. Cum ergo Cæſar regum controuerſiam pro communi amico, atq. arbitro, quam maxime componere ſtuderet, ſubito exercitus regius, equitatuſque omnis Alexandriam venire nunciatur. Cōmotus Cæſar, quod ſe paucitate copiarum imparem Ægyptiis ad pugnandum extra oppidum cognoſceret, oppido ſe cōtinuit, & milites omnes in armis eſſe iuſſit, dum Achillæ conſilium cognoſceret, regemque hortatus eſt, vt legatos, quos maxime autoritatis haberet, ad Achillā mitteret, quos ille ne auditos quidem corripi, atque interfici iuſſit, vt ſcilicet tanti ſceleris rei, bellum ſine vlla ſpe pacificationis gererent, vt ait Dio l. 42.

XXX. Pothinus turbas excitat.

QVO facto Cæſar regem, vt in ſua poteſtate haberet, effecit, vt ſcilicet Ægyptii, tanquam latrones contra regem ſuum pugnare cenſerentur. Achillas contra cū 20,

XXXI. Achillas Alexandriam in Cæſarē excitat, ibiq. varie pugnatur.

millibus occupat Alexandriam, quaſi regem captiuũ è manibus Cæſaris erepturus. Deinde eam oppidi partem, quam Cæſar armatus tenebat, fruſtra tentauit. In portu quoque vehementer pugnatum eſt, dum Aegyptii naues omnes occupare, & Cæſarem omni nauigatione, auxiliis, ac commeatu prohibere moliuntur, ac mare totum in poteſtate habere. Cæſar cõtra his ſuam ſalutem contineri perſuaſum habet. Itaque pugnatum eſt acriter pro magnitudine negotii; ſed rem obtinuit Cæſar, omnes Ægyptiorum naues 120. numero incendit, quod tam parua manu tam late tueri non poterat.

XXXII. *Incendium Bibliothecæ Alexandrinæ.* De hoc incendio, quod non tam propter nauium cladem, quam librorum iacturam luctuoſiſſimum fuit, ita Dio. Exinde multa prælia interdiu noctuque committuntur, multa incendia fiunt, inter quæ nauale etiam, penuſque frumentaria, & bibliotheca plurimis, vt fertur, optimiſque refecta libris conflagrauit. Cum inſiſterent ei adimere claſſem, ait Plutarchus, compulſus eſt periculum incendio propulſare, quo ex naualibus depaſcente magna bibliotheca deflagrauit. Ab hoc incendio Cæſar confeſtim ad Pharum nauibus milites expoſuit; quo ex loco tuto mari potiebatur, vt auxilia vndique, frumentum, omniaque bello neceſſaria accerſeret. Itaque eum militibus pugnantibus celeriter occupat, atque ibi præſidium ponit. Deinde quoniam in oppido, æquo prælio diſceſſum fuerat, neutris propter locorum anguſtias, loco pulſis, Cæſar oppidi partem, in quam ab initio erat inductus, diligentius ſequentibus diebus communiuit, ne inuitus pugnare cogeretur.

XXXIII. *Arſinoe tranſit ad Achillã.* Interim filia minor Ptolemæi regis vacuam poſſeſſionem regni ſperans, ad Achillam ſe ex regia traiecit, vnaque bellum adminiſtrare cœpit. Interea Pothinus nutritius pueri, & procurator regni in parte Cæſaris, cum ad Achillam nuncios mitteret, hortareturque ne negotio deſiſteret, neue animo deficeret, indicatis, deprehenſiſque internunciis à Cæſare eſt interfectus. Paulo aliter Dio. Dum hæc aguntur Ganymedes quidem Eunuchus Arſinoëm negligentur cuſtoditam furtim ad Ægyptios traduxit, eaque illi regina conſtituta, iam eo maiori ſtudio bello incubuerunt, quod ducem ex Ptolemæorum ſtirpe nacti eſſent. *Pothinus à Cæſare interficitur.* Eapropter Cæſar Pothinum interfecit, vetitus ne is quoque Ptolemæum furtim auferret, ac regem deinceps diligentiori cuſtodia aſſeruauit. Hæc initia belli Alexandrini fuere, quod deinceps diligentius vtrinque apparatum, quantum tempeſtas ferre potuit, ac ſequenti anno geſtum eſt.

XXXIV. *M. Cælii tumultus, & cædes.* Hactenus quæ foris à Romano Imperatore geſta; nunc de ipſa vrbe dicendum eſt aliquid. Addamus ergo ex Velleio M. Cælii prætoris, & Annii Milonis caſum. Dum in acie Pharſalica, Africaque de ſumma rerum Cæſar dimicat, M. Cælius, vir eloquio animóque Curioni ſimillimus, ſed in vtroque perfectior, nec minus ingenioſe nequam, cui etiam peior res familiaris, quam mens erat, in Prætura nouarum tabularum auctor extitit, nequiitque Senatus autoritate, & Coſſ. deterreri. Accito etiam Milone Annio, qui non impetrato reditu, Iulianis partibus infeſtus erat, in vrbe ſeditionem, aut magis occulte bellicum tumultum mouens, primo ſummotus à Rep. mox Conſularibus armis, autore Senatu, circa Thurios oppreſſus eſt.

Incepto pari ſimilis fortuna Milonis fuit, qui Compſam in hirpinis oppugnans, ictuſque lapide, tum P. Clodio, tum patriæ, quam armis petebat, pœnas dedit, vir inquies, & vltra fortem temerarius. Hæc Velleius, meminit Euſebius in Chronico.

XXXV. *Res Cælii & Milonis ex Cæſare.* De vtroque pluribus Dio libro quadrageſimo ſecundo, & quidem non admodum conſentanee iis, quæ habet Cæſar lib. 3. Ciuilium, qui ait Cælium promulgatis pernicioſis legibus, in C. Trebonium, quem Cæſar ſua autoritate Prætorem fecerat, eiuſdemque Præturæ collegam, concitata multitudine impetum feciſſe, & nonnullis vulneratis eum de Tribunali deturbaſſe; de quibus cum Seruilius Conſul ad Senatum retuliſſet, Senatum Cælium à Republica remouendum cenſuiſſe; quo decreto cum Senatu prohibitus, atque de roſtris deductus eſſet, ignominia & dolore permotus palam ſe ad Cæſarem proficiſci ſimulaſſe, clam nunciis ad Milonem miſſis, atque eo in Italiam euocato, quod magnis muneribus datis gladiatoriæ familiæ reliquias habebat, ſibi coniunxiſſe, atque eum in Turinum ad ſollicitãdos paſtores & obæratos præmiſiſſe, idque ſe Milonem facere, dimiſſis circum *c. 20. & ſeq.*

municipia literis, iuſſu Pompeii iactaſſe, & mox Coſam in agro Turino oppugnantem, Q. Pedio prætore contra eum cum legione profecto, ex muro ictum lapide periiſſe. Addit autem de Cœlio, illum Capuam proditione occupare voluiſſe. Sed de rebus hoc anno geſtis hactenus. Nã quæ ad apparatum reſtaurati pluribus locis belli ciuilis pertinent, commodius proximo anno tradentur.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 4007.

1. N. xvi. Et hæc vtique veriora videntur iis, quæ traduntur à Plutarcho in Pomp. tragice fortunam Pompeii extenuante, cum ait eum dimiſſo equo, tam humilem & abiectum fuiſſe, vt hoſtes inueſtigantes lateret, præterita Lariſſa veniſſe in Tempe, ſiti preſſum abieciſſe ſe in os, & bibiſſe ex flumine, inde perueniſſe ad mare, & quod noctis ſupererat in piſcatorio tuguriolo quieuiſſe, circa diluculum comites accepiſſe, in quibus duo Lentuli, & Faonius, & cæt. ſed iſtos Pompeium ſecutos, mox ex Cæſare dicetur.

Eutropius libro ſexto ait Pompeium fugatum Alexandriam petiiſſe, vt à rege Aegypti, cui, inquit, Tutor à Senatu datus fuerat, propter iuuenilem eius ætatem, acciperet auxilia &c. 2. N. xx.

ANNVS MVNDI 4007. SEXTÆ ÆTATIS 492.

Dio Cl. 14. c. 7. Hirc. de de bel. Alex.

IMPERII ROM. ET C. CÆSARIS 2. HYRCANI PONT. 29. PRÆSIDE SYRIAE SEX. CÆSARE 4. PTOL. DION. 4. & vlt. PTOL. NATV MINORIS 1. & CLEOPATRAE 4. OLYMPIADIS CLXXXIII. AN. 2. VRB. COND. 706. CAESARE II. DICTAT. MAG. EQ. M. ANT. COSS. Q. FVSIO CALENO, & P. VATINIO. HEROD. 26. BELLI CIVIL. 3. SIMVLQVE ALEXAND. & PONTICVM.

ANNVS ANTE CHRISTVM 46.

DVORVM principum Romanorum infeſto concurſu, & alterius ruina repentina, toto orbe Romano, cum ipſa Vrbe illius capite perturbato, multi vbique motus, multa quoquouerſum fuga, multi bellorum apparatus extitere; de quibus nonnulla pro inſtituto dicturi, ab ipſa imperii ſede ducemus initium: tum C. Cæſarem noui imperii principem in Ægypto, Syria, Ponto res præclare gerentem aſſectabimur. Inde Pompeianos variis locis res nouas molientes inuiſemus. I. *Res anni huius.*

Vbi de Pharſalica pugna, inquit Dio libro quadrageſimo ſecundo, fama Romã delata eſt, diu ei fides habita non eſt. Nam neq. Cæſar de ea victoria ad Rempublicam literas dederat, quod de ea lætari videri nolebat, ideoque nec de Pompeio ſuperato triumphare voluit; neque tum credibile videbatur Pompeium, tantis terra marique copiis inſtructum, poſt affectum paulo ante ad Dyrrachium magna clade Cæſarem, tam cito vno prælio vinci ac debellari potuiſſe: poſteaquam tamen id creditum eſt, imagines Pompeii Syllæque, quæ pro roſtris ſtabant deiecere, nec vltra progredi in gratiam Cæſaris auſi ſunt; implacabilem iram Pompeii reformidantes. Sed nec mortem eius cito credidere, niſi poſt viſum Romæ ipſius annulum, in quo tria trophæa inſculpta erant, ſiue, vt Plutarcho placet, Leo enſem ferens. II. *Ægrè Romæ credita clades, & mors Pompeii.*

Tvm demum eo conuitiis exagitato, in Cæſaris laudes erupere, ac quæcumque III. *Priuilegia in Cæſarem congeſta.*

in eius honorem excogitare potuerunt, certatim effudere. Nam præter ſtatuas & coronas, primum in conceſſibus locum, aliaque vulgaria; nonnulla etiam inepta adulatione conceſſa illi ſunt, à quibus cum impedire non poterant; ſed gratiam eius ambiebant, in demonſtranda vltro prolixa in eum voluntate; & ſui iuris adhuc eſſe, ac Rempublicam minime oppreſſam tyrannide ſignificabant. Talis fuit poteſtas de Pompeianis ſtatuendi arbitratu ſuo; ius omne pacis & belli in omnes homines illi decretum (quod ſpectabat Africanas Pompeianorum reliquias) etſi neque ad Senatum, neque ad populum de iis retuliſſet, quæ vel inuitis ipſis poterat obtinere. Quæ ille decreta rata libenter habuit, quod mallet eſſe Reipublicæ Dominus, quam videri. Adde decretum de Iuba Romaniſque, qui cum illo militabant, triumphum, non ſolum ante partam victoriam, ſed cum ne futurum quidem bellum, tum ſciret Cæſar: adde conceſſionem dandi extra ſortem Prætoribus prouincias adminiſtrandas. Pontificiam quoque dignitatem illi attributam liquet ex Ioſepho, vbi decretum eius ad Sidonios ſcribens, vocat eum dictatorem iterum, & Pontificem maximum. Alteram autem Dictaturam huius anni eſſe certum eſt, ergo & Pontificatum.

IV. *Admittit Dictaturā, & Tribunitiam poteſtatem.* Sed illa in primis priuilegia rata Cæſar habuit, vt quinque continuis annis Conſulatum gerere; vt Dictator non ad ſemeſtre ſpatium, vt olim, ſed in annum integrum diceretur, vt Tribunitiam poteſtatem per omnem vitam haberet, ipſis Tribunis aſſidendo, deque rebus agendis vna cum ipſis ſtatuendo, quod nulli vnquam conceſſum fuerat.

His decretis, approbatiſque Cæſar, etſi erat extra Italiam, ſtatim tamen iniuit Dictaturam, Mag. eq. aſſumpto Antonio, qui Prætor nondum fuerat: quem cum ille Magiſtratum vltra ſextum menſem gereret, ridicule augures reclamabant, & in his Cic. apud Dionem; qui cum contra omnia maiorum inſtituta Dictaturam annuam decreuiſſent, de Magiſtro equitum accuratam rationem iniri vellent. Hæc fere Dio. Huius autem ſecundæ Cæſaris Dictaturæ, meminit in eius vita Plutarchus.

V. *Inſolēs Reipublicæ facies.* Sed cum Romanorum mentes multa oſtenta conturbarent, quæ narrat Dio, tum illa Vrbis forma miſera, atque inſolens, cum ipſis Calendis Ianuar. neque Conſul, neque Prætor vllus, magiſtratum inire viſus eſt; ſed ſolus Antonius in veſte prætexa purpura, cum ſex littoribus, accinctus gladio, & multitudine militum ſtipatus, qui Senatum conuocabat, & Rempublicam ad vnius potentiam recidiſſe monſtrabat, & formidoloſiorem populo ipſius Dictatoris aduentum reddebat.

Trib. pleb. Remp. turbant. L. Præterea Trebellius, & P. Cornelius Dolabella Trib. plebis, in abſentia Cæſaris Rempub. ſeditionibus agitarunt. Nam hic vehementer obæratus, cum exemplo Clodii à patriciis tranſiſſet ad plebem, vt fieret Tribunus plebis, populo tabulas nouas in gratiam debitorum proponebat; cui Trebellius, qui optimatum & creditorum partibus adhærebat, enixe reſiſtebat, & res vtrimque ad cædes eo vſque progreſſa eſt, vt octingenti è plebe cæſi referantur: contra quos tertiam factionem ſuſcitauit Antonius, armatis vrbem ſtipatam tenens, & modo huic, modo illi fauens.

VI. *Turba abſente Antonio renouantur.* Cumque audiſſet Cæſarianos milites, quos ille à pugna Pharſalica in Italiam præmiſerat, quaſi mox ſecuturus, ſeditioſa conſilia animo agitare, Vrbis cura L. Cæſari mandata, eoque Præfecto vrbis relicto, ipſe ad eum exercitum contendit. Sed cum ille ob ſenectutem contemneretur, in Antonii abſentia, turbæ à Tribunis turbulentis intenſæ ſunt, donec auditum eſt confecto bello Alexandrino Cæſarem mox affuturum: *Vſque ad Cæſaris reditum.* ſed vbi cognitum eſt eum rurſum ad nouum bellum eſſe profectum, illi rurſum tumultuati ſunt, adeo vt Dolabella deſperata venia à Cæſare, memorabili aliquo facinori immori cogitaret. Adueniens tamen Cæſar ſub extremum annum, omnia mira indulgentia atque lenitate compoſuit.

VII. *Extremo anno Coſſ. fiunt.* Sub extremum hūc annum Coſſ. mandāte Cæſare, vt credere par eſt; nam vterque in hoc bello eius legatus fuerat, ad vſurpationem quandam veteris conſuetudinis, facti ſunt Q. Fuſius Calenus, & P. Vatinius; & quidem ad paucos tantum dies. Audi enim Macrobium lib. 2. c. 3. Satur. In Conſulatu Vatinii, inquit, quem paucis diebus geſſit, notabilis Ciceronis vrbanitatis circumferebatur. Magnum

oſtentum, inquit, anno Vatinii factum eſt, quod illo Conſule, nec bruma, nec ver' nec æſtas, nec autumnus fuit. Querenti deinde Vatinio, quod grauatus eſſet domũ ad ſe infirmatum venire, reſpondit: volui in Conſulatu tuo venire, ſed nox me comprehendit. Vlciſci autem ſe Cicero videbatur, vt qui reſpondiſſe ſibi Vatinium meminerat, cum humeris ſe Reip. de exilio reportatum gloriaretur, vnde ergo tibi varices? Alterum quoque Conſulem quod eſſet amicus Antonii, vt ex Philippica 10. & 12. conſtat, inſectatus eſt pluribus.

VIII. *Apparatus Cæſaris ad bellum Alexandrinum.*

IAM quod ad Cæſarem, ac bellum Alex. attinet, A. Hircius hiſtoriam cui ipſe intereſſe potuit, non interfuit tamen, vt patet ex eius præfat. in l. 8. de bell. Gal. eleganti libello complexus eſt; ex quo præcipua quæque de more ſeligemus. Bello igitur Alexandrino conflato, Cæſar Rhodo, atque ex Syria, Ciliciaque omnem claſſem accerſit; ex Creta ſagittarios, equites à rege Nabathæorum Malco euocat, tormenta vndique conquiri, & frumentum mitti, auxiliaque adduci iubet. Interea Cæſariani atque Alexandrini certatim inter ſe munitionibus, atque operibus contendunt; alteri vlteriora ciuitatis ſibi vendicare, ad meridianã vſque paludem, vt omni commeatu abundarent, & ſuis in altera oppidi parte laborãtibus auxilio eſſe poſſent. Alexandrini autem, vt omnes eorum conatus irritos redderent, & in ſummam rerum neceſſitatem redigerent.

IX. *Induſtria Alexandrinorum irrita.*

NAM cum Alexandria tota fere ſuffoſſa ſit, ſpecuſque habeat ad Nilum pertinentes, quibus aqua in priuatas domos inducitur, vt paulatim ſubſidat, & potabilis fiat, Alexandrini interſeptis ſpecubus, atque omnibus vrbis partibus, quæ ab ipſis tenebantur, magnam aquæ vim è mari, rotis ac machinationibus in eam vrbis partem redundare coegerunt, qua Cæſariani continebantur; vt iam ad extremum caſum omnes deducti viderentur, & fugam plerique moliendam cenſerent, quæ ipſa inter medios hoſtes erat periculoſiſſima. At eo concilio repudiato, Cæſar puteos opere nocturno fodi iuſſit, magnaque dulcis aquæ copia inuenta, operoſæ Alexandrinorum machinationes irritæ redditæ ſunt: fuerat autem id inuentum Ganymedis, qui Achillæ ſucceſſerat.

X. *Achillæ cædes, euſque cauſa.*

ORTA enim inter Achillam & Arſinoëm diſſenſione, cum vterque vtrique inſidiaretur, & ſummam imperii ipſe obtinere vellet, præoccupat Achillam Arſinoë per Ganymedem eunuchum, nutricium ſuum, eoque occiſo, ſine riuali obtinet imperium, & exercitui præficit Ganymedem; ſicque ille breui perfidiam in Pompeium propria morte luit. Dio ait Ganymedem autorem fuiſſe Arſinoæ interficiẽdi Achillæ, quaſi is rem naualẽ prodidiſſet. Appianus ſecutus Plut. in Pompeio ait Cæſarẽ de Pothino & Achilla ſupplicium, ob interfectum Pompeium, ſumpſiſſe. Veriorem tamen cauſam à Dione & Hircio, atque ipſo etiam Cæſare prolatam putamus, iuxta ea quæ ſub fi. præcedentis anni diximus.

XI. *Cæſar naues ſubſidio recipit.*

INTEREA legio 37. ex dediticiis Pompeianis militibus, cum frumento, armis, telis, tormentis impoſita in naues, à Domitio Caluino ad Africæ littora, paulo ſupra Alexandriam delata eſt, & Euro flante continenter in anchoris ſtabat, nec ad Cæſarem adire permittebatur. Cum Cæſar certior factus, nauem conſcendit, atque omnem claſſem ſequi iuſſit, nullis ſuis militibus impoſitis, ne munitiones nudaret. Cumque ad eum locum acceſſiſſet, qui appellatur Cherroneſus, & aquandi cauſa remiges in terram expoſuiſset, nonnulli ab hoſte excepti, Cæſarem adeſse, & naues milite vacuas docuerunt. Itaque inſtructis omnibus nauibus, Cæſari redeunti cum legione Domitii occurrunt: & quamuis eo die Cæſar dimicare nollet, vna tamen Rhodia nauis, quæ temere à cæteris ſepoſita erat, à quatuor hoſtium nauibus conſtratis, aliiſque apertis inuaditur: cui Cæſar auxilium ferre coactus eſt, ne turpiter eam contumeliam in ſuo conſpectu acciperet; prælium ſecundiſſimum factum eſt, & niſi nox prælium diremiſset, tota claſse hoſtium Cæſar potitus eſset.

Feliciterq. cum Aegyptiis pugnat.

XII. *Claſſis inſtauratur ab Alexandrinis.*

HOC damno accepto, nihilominus Ganymedes incenſam iam dudum à Cæſare 120. nauium claſsem, reſtaurare inſtituit, vt Cæſarem auxiliis, & commeatu, claſse Alexandrina toto mari volitante prohiberent, idque tanto facilius futurum ſperabant, quod ipſi nauticis rebus à puero eſsent aſsuefacti. Nauibus ergo ex omnibus Nili oſtiis, ex occultis regiæ naualibus contractis, ædificiis etiam publicis in nauium fabricam diſsolutis, paucis diebus quadriremes viginti duas,

quinqueremes quinque, præter minores apertaſque compluꝛes, confecerunt, & omnes milite inſtructas, ad pugnam præpararunt. Ad eam ſe quoque Cæſar ſuppari claſſe inſtruxit, & Pharon claſſe circumuectus, aduerſas naues hoſtibus conſtituit. Erant inter duas claſſes vada tranſitu anguſto, ſatiſque diu ab vtriſque expectatum eſt, ab vtris tranſeundi fieret initium; quod quæ prius tranſiſſent ab hoſtili multitudine prius opprimi poſſent, quam cæteræ tranſire, & pugnam capeſſere valerent.

XIII. *Rhodiorũ induſtria, & virtus.* RHODIÆ tamen naues primum ſibi tranſitum depopoſcerunt, & ſingulari arte ita multitudinem hoſtilem, nunquam obuerſis lateribus, ſuſtinuerunt, vt cætoris & traiectum, & pugnam liberam præberent; propter anguſtias tamen loci magis in virtute, quam in arte certamen conſtitit; victoria penes Cæſarianos ſtetit, quorum naues omnes incolumes manſere. Alexandrinorum quinqueremis vna capta eſt, & biremis cum defenſoribus, remigibuſque; tres depreſſæ, reliquæ propinquam fugam ad Pharũ oppidum cepere; quas ciues protexerunt ex molibus atque ædificiis imminentibus, & Cæſarianos propius adire prohibuerunt; ſed inde mox virtute & induſtria Romanorum eiecti, oppidum atq. inſulam multis deſideratis amiſerunt. Cum autem inſula gemino ponte continenti iungeretur, altero derelicto ab hoſte, facile Romani potiti ſunt; in altero cum aliquorum temeritate perturbata res fuiſſet, in fugam verſi, dum euadere quamplurimi ſimul cupiunt, naues pondere opprimunt, & videlicet demerguntur.

XIV. *Cæſaris dãnum, & periculum.* PLERIQVE natando euaſerunt, in quibus Cæſar ipſe, milites circiter quadringenti, paulo plures claſſiarii, & remiges interiere. De periculo autem Cæſaris hæc Dio. Cum confertim in naues ſe multi vrgentibus hoſtibus coniicerent, multi in mare exciderunt, inter quos Cæſar ipſe fuit. Iſque in ſummo vitæ diſcrimine conſtitutus, cum & veſte grauaretur, & ab Aegyptiis, Imperatorem eſſe ex purpura colligentibus, iaculis peteretur, proiecta veſte, ad ſcapham enatauit, atque ita præſens periculum effugit, ne madefactis quidem inter natandum libellis, quos ſiniſtra manu tenuerat. At paludamento potiti Aegyptii, trophęo id, quod de fugatis tum hoſtibus ſtatuerant, appenderunt, tanquam ducem ipſum cepiſſent. Eadem fere Plut. in Cæſare. Oroſ. per 200. paſſus vna manu nataſſe ait: meminerunt & alii. l. 6. c. 15. Appian. Florus.

XV. *Legati Alexãdrinis de pace.* CVM nihilominus Romanos ea iactura vehementius incitatos Alexandrini cernerent, & aduerſis rebus, æque ac ſecundis confirmari, legatos ad Cæſarẽ miſerunt, vt regem dimitteret, & ad ſuos tranſire pateretur, paratam multitudinem belli tædio facere quod rex imperaſſet: eo ſi autore in Cæſaris amicitiam venturi eſſent, facile deditionem futuram. Cæſar etſi tam regis, quam Alexandrinorum dubiam habebat fidem, dimittere tamen voluit, quod illius aduẽtu, nec hoſtium vires creſcerent, & bellum ſibi glorioſius futurum eſſet: ſimulque monuit, vt regno ſuo conſuleret, fidem pop. Rom. ſibique præſtaret; ſed ille, diſſimulato per lachrymas gaudio, orabat ne dimitteretur; à Cæſare tamen dimiſſus ad ſuos venit, apud quos laruam quamprimum depoſuit: ſed non diuturnam lætitiam expertus eſt. *Cæſar regẽ dimittit.*

XVI. *Alia pugna naualis in qua dux Rhodius perit.* INTEREA rumor fuit magna Cæſari præſidia terreſtri itinere è Syria, Ciliciaque adduci, commeatum quoque mari ſupportari, quem illi intercipere ſtatuerunt, expeditis nauigiis, locis idoneis ad Canopum in ſtatione diſpoſitis. Ea re cognita, Cæſar eo claſſem mittit, in qua Rhodiæ naues, atque in illis Euphranor dux longe fortiſſimus, atque feliciſſimus: ſed is dum fiducia virium longius in medios hoſtes procurrit, à ſuis deſertus circumuentus ab hoſtibus, ſolus cum ſua quadrireme periit.

Subſidia Mithridatis. Sub idem tempus Mithridates Pergamenus, magnæ nobilitatis domi, ſcientiæque in bello & virtutis, fidei dignitatiſque in amicitia Cæſaris, miſſus in Syriam, & Ciliciam initio belli Alex. ad auxilia accerſenda, cum magnis copiis, quas celeriter, & propenſiſſima ciuitatum voluntate, & ſua diligentia confecerat, Peluſium adduxit, idque oppidum firmo præſidio occupatum ab Achilla, propter opportunitatem loci, repente magnis circundatum copiis, perſeuerantia oppugnandi, quo die eſt aggreſſus, in ſuam redegit poteſtatem; pręſidioq. ſuo ibi collocato, Alexandriam ad Cæſarem contendit. Hæc pluribus Hircius. *Peluſium occupat.*

XVII. *Opera Antipatri, qui tranſiit ad Cæſarem.* QVIBVS conſentanea ſunt, quæ ſcribit Ioſephus, l. 1. de bel. c. 7. & paulo fuſius Antiq. l. 14. c. 14. Poſt Pompeii obitum, ait, & victoriam Cæſaris, bellum ei gerenti in

gerenti in Ægypto multis in rebus vſui fuit Antipater Iudæorũ gubernator, idque mandato Hyrcani. Li.1.de bel.c.7.dicitur poſt mortẽ Pompeii Cæſarem coluiſſe, ſiue in eius clientelã ſe contuliſſe, aut ad partes Cæſaris tranſiiſſe, qui ſcilicet prius ſteterat pro Pompeio, & infra ex Strabone Cappadoce vocat ἐπιμελητὴν τῆς ἰουδαίας, peculiaris ſcilicet gubernator erat Iudææ ſub Romanis Syriæ præſidibus. Pergit.

ἐπιμελητὴς procurator μετὰ δὲ ἰσχάτων γέγονε. l.14.c.15.

Mithridate enim Pergameno adducente auxilia, nec valente tranſire per Peluſium, & circa Aſcalonem hærente, Antipater ſe ei adiunxit, cum armatis Iudæorum tribus millibus, [a] *egitque cum Arabum primatibus, vt & ipſi venirent auxilio, eiuſque potiſſimum opera è tota Syria auxilia contracta ſunt*, & mox. *Mithridates vero motis è Syria caſtris, peruenit Peluſium, & non receptus ab eius loci hominibus vrbem oppugnauit. Vbi præcipuam operam nauauit Antipater, primuſque deiecta quadam muri parte, aditum cæteris in vrbem irrumpentibus aperuit. Et Peluſium quidem ſic captum eſt.*

[a] infra l.16. c.4. legitur duobus millibus δισχιλίοις ὁπλίταις βοηθήσας.

XVIII. *Alia loca Cæſari conciliata.*

Hæc Ioſephus, ſupplens, quæ ab Hircio prætermiſſa fuerant de Iudæorum auxiliis: ſed etiam illa quæ ſubdit Hircius, à Ioſepho illuſtrantur. *Inde re bene geſta* inquit Hircius, *Alexandriam ad Cæſarem contendit, omneſque eas regiones, per quas iter faciebat, autoritate ea quæ plerumque adeſt victori pacarat, atque in amicitiam Cæſaris redegerat.* Sic ipſe. At Ioſephus non autoritate tantum victoris, ſed Iudæorum ope id contigiſſe memorat. *Antipatrum autem*, inquit, *& Mithridatẽ properantes ad Cæſarẽ tranſitu arcebant Iudæi Aegyptii, qui regionem, quæ Oniæ dicitur, incolunt; hos Antipater vt tribules in ſuas partes traduxit. Maxime cum oſtendiſſet Hyrcani pontificis literas*, viuebat is adhuc, vixitq. diu poſtea, *in quibus rogabantur, vt amicos ſe præberent Cæſari, cumque cõmeatibus iuuarent, & rebus exercitui neceſſariis; qui moti autoritate Antipatri ac Pontificis libenter paruerunt. Quod vbi audierunt qui Memphim accolunt, & ipſi Mithridatem accerſiuerunt, & ille eo profectus, hos quoque ſuis partibus adiunxit.* Sic Ioſephus.

XIX. *Mithridatis geſta ad Delta.*

Nec abſurdum eſt Mithridatem cum Antipatro Memphim vſque profectos, quæ fere in apice ipſius magni Delta collocatur; vt ſcilicet pedeſtri itinere proficiſcentes Alexandriam, ſemel tantum Nilum traiicere cogerentur. Pergit Hircius exponere, quæ ad Delta Aegypti geſta ſint: quod autem Delta intelligat, etſi dicat nõ longe ab Alexandria diſtare, non facile eſt intelligere, cum tria huiuſmodi loca à Ptolemæo conſtituantur; placet autem intelligere magnum, quod Ioſephus Mempheos meminerit, quæ in eius vertice ſita eſt, & angulus eius occidentalis, in quo eſt Heracleoticum oſtium, non longe abſit Alexandria.

Occurrunt ei & vincuntur.

Cum ergo huic loco appropinquare Mithridatem Rex cognouiſſet, & tranſeundum ei flumen ſciret, magnas aduerſus eum copias miſit, quibus aut vinci, aut certe retineri poſſet, ne ſe cum Cæſare coniungeret, ſed qui primi occurrerunt ſuperato fluuio, victi, magnaque ex parte cæſi ſunt: quod niſi locorum notitia reliqui ſe texiſſent, partimque in naues, quibus flumen tranſierant, recepiſſent, funditus deleti eſſent. Sic Hircius, quæ longe aliter à Ioſepho, in gratiam gentis ſuæ, narrantur. Ait enim.

XX. *Geſta Antipatri ex Ioſepho.*

Postqvam *autem ventum eſt ad Delta quod vocant, conflixit cum hoſte circa locũ, qui caſtra Iudæorum dicitur. Curabat autem dextrum cornu Mithridates, ſiniſtrum Antipater. In ea pugna Mithridatis cornu inclinatũ eſt, videbaturq. cladem accepturum, niſi mature præter fluminis ripam accurrens cum ſuis Antipater, qui iam aduerſarios profligauerant, exemptis ſociis periculo, Aegyptios iam vincentes terga vertere coegiſſet: qui adeo fugientibus inſtitit, vt caſtra quoque hoſtium caperet, aduocato etiam in prædæ partem Mithridate, quem inſectando hoſtem longe à tergo reliquerat. Is ex ſuis octingentos deſiderauit. Antipater non plus quinquaginta. De his vero Mithridates Cæſarem per literas certiorem reddidit, ingenue faſſus Antipatrum, & ſalutis ſibi cauſam fuiſſe, & victoriæ; ita vt Cæſar, & tunc eum collaudauerit, & poſtea toto in bello in rebus periculoſiſſimis eius forti opera vſus ſit: in quibus certaminibus etiam vulnera accepit. Quamobrem finito tandẽ bello, claſſe deuectus in Syriam Cæſar magnos honores contulit, tum in Hyrcanum, quem confirmauit in pontificatu, tum in Antipatrum, quem ciuitate Romana, & immunitate donauit.*

XXI. *Reuocãtur in dubium.*

Eadem fere libro primo capite ſeptimo reperies: & de his quidem honoribus poſtea viderimus; de meritis autem Antipatri, & tota re ab eo geſta in hoc bello, vt valde dubitem, facit ſilentium, tam Strabonis Cappadocis, quem mox teſtem laudat Ioſephus præſentiæ Hircani pont. in hoc bello; tum Hircii, qui tanta diligentia longe minora perſequitur, quæ hoc bello geſta ignorare non potuit, quæ

ipſius Cæſaris ſermone didicit, vt ipſe teſtatur, qui cauſam tacendi res præclare geſtas amicorum Cæſaris, & bene de eo difficillimis eius temporibus meritorum, nullam videtur habuiſſe; dubium etiam facit ignoratio Ioſephi præſentis hiſtoriæ, cum multa certamina deinceps contigiſſe dicat, & vulnera etiam Antipatri memoret, & bellum tandem finitum referat, cum vnicum prælium Hircius deinceps memoret, & bellum intra paucos omnino dies terminatum doceat; nec certe totum bellum vltra octo vel nouem menſes, vt vult Appianus, durauit, cum hoc ipſo anno bellum etiam Ponticum fuerit confectum, totaque Syria & Aſia decurſa, in Italiam reditum fuerit. Facit immoderatum ſtudium conciliandi ſuos Romanis principibus, quaſi de imperio benemeritos: facit denique in ſuorum præſertim laudem, ſingularis fingendi licentia, ex ipſis ſacris literis ſæpius comprobata.

XXII. *Ratio temporis.* Ex his porro etiam refelluntur, qui bellum Alexandrinum, & Ponticum in eundem annum, quo pugnam Pharſalicam, & mortem Pompeii referunt, quæ ineũte Octobri contigit, vt ante diximus, ei ſi 9. menſes adiicias, & tempus peragratæ Syriæ, & Aſiæ, & deuicti Ponti, etiam hunc annum ſatis anguſtum reperias. Accedit Euſeb. chron. vbi hoc bellum 2. Iulii Cæſaris anno locatur, ſicut & à Sigon. Cuſpin. Pighio, Onuph. & aliis. Sed redeo ad Hirciũ. Cum res bene à Mithrid. Pergameno geſta, tã Regi, quam Cæſari innotuiſſet, pene ſub idem tẽpus vterq., ille ad opprimendum, hic ad recipiendum diuerſis itineribus proficiſcitur: priuſque Cæſar regis copiis occurrit, quam is Mithridatem aggredi poſſet, cumque ad ſe victorem incolumi exercitu recipit, ſeque ad regem debellandum præparat. *Pontac. Gordon. Torniel. Caluiſ.* *Mithridates Cæſari iungitur.*

XXIII. *Ptolemai caſtra expugnantur* Consederat is cum copiis in loco excelſiore, naturaque munitiſſimo: ab eo Cæſar ſeptem millia paſſuum circiter aberat, & interiectus erat fluuius, in quo traiiciendo etiam cum Alexandrinis pugnandum fuit. Eo ſuperato, ſimulque Alexandrinis tranſitum prohibentibus magna ex parte cæſis, ad caſtra regis caſtra poſuit, quę cum magna vi, expugnato etiam caſtello, maiore damno, quam fructu oppugnaret, quod milites propter locorum difficultatem acrius pugnare non poſſent, & telis aduerſi, auerſique peterentur, animaduertit excelſiſſimum locum caſtrorum relictum eſſe ab Alexandrinis, quod & per ſe munitus eſſet, & ſtudio partim pugnandi, partim ſpectandi, decurriſſent in eum locum, in quo pugnabatur. Cohortes illo circuire caſtra, & ſummum locum aggredi iuſſit. Quo vt ventum eſt, paucis defendentibus munitionem, Romanis contra militibus acerrime pugnãtibus, deturbatis ingenti cum trepidatione hoſtibus, locus eſt captus: ex quo decurrentes magnam multitudinem hoſtium in caſtris interfecerunt, alii fugientes aceruatim ſe de valle præcipitauerunt, in eam partem, quæ flumini erat adiuncta: quorum primis in ipſa foſſa oppreſſis, cæteri omnes faciliorem fugam habuerunt.

XXIV. *Ptolemai caſtra expugnantur* Constat fugiſſe ex caſtris Regem ipſum, receptumque in nauem, & multitudine eorum, qui ad proximas naues adnatabant, demerſo nauigio periiſſe. Plutarchus in Pompeio & Cæſare, ait Regem in conflictu oppreſſum circa fluuium, nunquam comparuiſſe. Regis ipſius corpus, inquit Florus, obrutum limo repertum eſt, in aureæ loricæ honore. In Chronico Euſebii de eius morte ita legitur. Ptolemæi cadauer cum lorica aurea in Nilo inuentum. Et apud Eutropium libro ſexto. Ipſi quoque (Cæſari) Ptolemæus parare voluit inſidias, qua cauſa regi bellum illatum eſt, victus in Nilo periit, inuentumque eſt corpus eius cum lorica aurea. Sic Eutropius; ſed inſidiæ Ptolemæi, ſi quæ fuerunt, non fuerunt cauſa belli, vt ex ante dictis aperte conſtat. Itaque Oroſius, cætera ſecutus Eutropium, hoc omiſit, de ipſo autem exitu belli hæc habet. Alexandrinis petentibus regem, reddidit monitum, vt magis amicitiam Romanam, quam arma experiri ſtuderet; qui tamen illico vt liber fuit, bellum intulit; ſed continuo cum toto exercitu ſuo, & ipſe deletus eſt. Nam viginti millia hominum in eo bello cæſa referuntur, duodecim millia cum 70. longis nauibus dedita; quingenti ex victoribus cecidiſſe narrantur. Rex ipſe adoleſcens ſcapha exceptus, vt fugeret multis inſilientibus merſus, necatuſque eſt. Corpus eius ad littus deuolutum, indicio loricæ aureæ cognitum fuit. Sic ipſe. Lorica porro aurea vſos Ptolemæos, teſtis eſt Capitolinus in Maximino iuniore, vt notauit Pontacus. *lib. 4. c. 2.* *lib. 6. c. 16.*

TANTÆ victoriæ fiducia, ſumma celeritate Alexandriam contendit, vt ſimul cum nuncio cladis, Alexandrini etiam hoſtem victorem irruentem cernentes, metu repentino exanimati, deditionem facerent; nec eum ſpes fefellit. Omnis enim oppidanorum multitudo armis proiectis, munitionibuſque relictis, in veſte lugubri, ſacriſq. omnibus prolatis ad placandum Cæſarem, ei occurrerunt, ſuppliceſque deditionem fecerunt. Cæſar in fidem receptos conſolatus, per hoſtium munitiones, in ſuam oppidi partem, magna ſuorum gratulatione venit. XXV. *Cæſar illicò Alexandriam occupat.*

Aegypto autem atque Alexandria potitus, reges conſtituit, minorem natu Cleopatræ fratrem, cum ipſa Cleopatra; quæ mox regio comitatu vrbem ingreſſa eſt, vt inquit Eutropius libro ſexto: quamquam plerique codices ea verba non habent: habet tamen ex eo chronicum Euſebii, vbi vrbis nomine Alexandria intelligitur, vt recte probat Scaliger.

IDEM tamen temere accuſat Diuum Hieronymum ignorantiæ, & Dionem falſitatis; nam ſine vlla probatione ait Diuum Hieronymum eo loco, quem ex Eutropio mutuatus eſt, Romam vrbis nomine intellexiſſe. Dionis autem hæc ſunt verba, Cleopatræ vero amor, neque is iam cui in Ægypto ſeruierat (eius quippe fama tantum Romam venerat,) ſed cui in ipſa vrbe Roma deditus erat, magnopere ei ab omnibus vitio verſus fuit; venit enim in vrbem cum viro ſuo, & in ipſius Cæſaris ædibus habitauit. Sic Dio. Quis credat, inquit Scaliger, Cleopatram vnquam Romæ fuiſſe, & poſt mortem fratris ſui Ptolemæi, alii viro nupſiſſe, præterquam Antonio, ſed longo poſt interuallo? vnde ergo Dio exſpiſcatus eſt, eam Romæ hoc anno fuiſſe, cum viro ſuo, qui nullus erat in rerum natura? Fabulæ igitur ſunt de aduētu Cleopatræ in vrbem. Addit etiam Iornandem, qui ſub aduentum Antonii in Ægyptum, Cleopatram viduam à viro appellat. Nimirum Ptolemæo fratre, eodemque viro eius exſtincto. Hæc Scaliger. XXVI. *Scaliger S. Hieronymum, & Dionem accuſat.* lib 43.

RESPONDEO Dionem vnum, [a] qui id affirmat tam conſtanter, tum lib. 42. tum iterum 43. multorum Scaligerorum inſtar eſſe. Is ergo virum Cleopatræ appellat, eius fratrem natu minorem, cui à Cæſare iuncta eſt matrimonio, poſt alterius mortem ſubacta Aegypto. Subacta Aegypto, inquit Dio libro quadrageſimo ſecundo, eam Romanorum dominio non ſubiecit, ſed Cleopatræ conceſſit, cuius gratia totum bellum geſſerat. Metuens tamen ne Aegyptii mulieris imperio addicti denuo tumultuarentur, neue Romanorum in ſe animos cum huius rei, tum ſuæ cum Cleopatra conſuetudinis cauſa commoueret, coniugem eam fratris ſuperſtitis eſſe iuſſit, regnumque vtriſque commune fecit: re tamen ipſa totum Cleopatræ regnum deferebatur, quæ omnia apud Cæſarem poterat, & puerum habebat maritum. Hæc & plura ibi Dio. XXVII. *Refellitur Scaliger.*

Adde etiam Hircium, qui licet coniugium cum minore fratre tacet, id tamen innuit, cum maioris loco factum regem tradit. Nam maiore, inquit, ex duobus pueris rege amiſſo, minori tradidit regnum, maiorique ex duabus filiis Cleopatræ, quæ manſerat in fide, præſidiiſque eius. Sic ipſe, itemque Suetonius libro primo numero trigeſimo quinto. At more maiorum apud Aegyptios, & patris ipſius teſtamento frater & ſoror regnare, ſimulque matrimonio coniungi debebāt. Cū ergo iunior frater teſte Hircio regno ſubſtitutus ſit, etiam coniugio ſucceſſiſſe ſatis docet: & Iornandes de poſteriore viro, iuniore ſcilicet Ptolemæo, recte explicari poteſt, quem Cleopatra quindecim annos natū veneno ſuſtulit, vt affirmat Temporarius in ſtemmate Lagidarum. Errat autem iterum Scaliger, cum Dioni affingit Cleopatræ hoc anno profectionem Romanam, quam is perſpicue refert l. 43. in tertiam Cæſaris Dictaturam, tertiumque eiuſdem Conſulatum. *Coniugium Cleopatræ, cum minore fratre.*

ADDIT etiam Hircius Cæſarem ex Aegypto abeuntem, legionē ſextam veteranā ſecum deduxiſſe, cæteras ibi reliquiſſe, quæ & nouis Ægypti regibus, & Alexandrinis qui Cæſari fauerant, præſidio contra reliquos Alexandrinos forent, & eoſdem, ſi in fide non permanerent, poſſent coërcere. Quibus rebus confectis, itinere terreſtri profectus eſt in Syriam, Ponticis eum negotiis, & Romanis turbis ſollicitantibus, vt ſcribit Dio, atque inuitum à Cleopatra abſtrahentibus: ex qua breui poſt filium ſuſcepit, quem Alexādrini Cæſarionem appellarunt, vt ait Plut. in Cæſare. Abduxit porro ſecum minorem Arſinoëm, vt ait Hircius, ſiue vt Cleopatra ſine impedimēto regnaret, ſiue vt eam in triumphum adduceret, ſicut & fecit, XXVIII *Cæſar abit ex Ægypto.*

anno ſequenti dicetur. Alexandrini belli finem hiſce verbis complectitur Appian. l.2. bell. ciuil. Inter has contentiones nouem menſes abſumpſit; donec Cleopatrā loco fratris reginam fecit Aegypti, in Nilumque vna cum ipſa, quadringentis nauibus ſubuectus, perluſtrauit regionem. De rebus geſtis à Cæſare in gratiam Iudæorum, dum adhuc eſſet Alexādriæ meminit Ioſephus. Quin & Iulius Cæſar, inquit, [a] apud Alexandriam atteſtatus eſt Iudæis inſcriptione columnæ æreæ, quod Alexandrinæ ciuitatis ius habeant; ſic ipſe. Addit & aliud decretum ad Sidonios, in gratiam Hyrcani Pontificis, à Cæſare iterum Dictatore hoc anno datum: quod apud eum leges. (a l.14. c.17. ſub med.)

XXIX. *Differt reditum in urbē, dum Aſiam componat.* QVVM autem Cæſar in Syriam ex Ægypto veniſſet, ibique tam nunciis, quam vrbanis literis didiciſſet, multa Romæ male adminiſtrari, & flagitare aduentum ſuum; ſatius tamen eſſe duxit, quas in prouincias, regioneſque veniſſet, quietas relinquere, ne dum Romanas turbas præpropere ſedare feſtinat, omnia loca retro turbulenta derelinquat. Accedebat quod Syriam, Ciliciam, Aſiam celeriter ſe ordinaturum videbat, quod eæ prouinciæ nullo bello premebantur; & in ſola Bithynia, ac Ponto contra Pharnacem aliqua mora ponenda eſſet.

Ergo commoratus fere in omnibus ciuitatibus, quæ maiore ſunt dignitate, præmia benemeritis, & viritim, & publice tribuit, de controuerſiis veteribus cognoſcit, ac ſtatuit, reges, tyrannos, dynaſtas prouinciæ, finitimoſque, qui omnes ad eum concurrerant, receptos in fidem, conditionibus impoſitis prouinciæ tuendæ, ac defendendæ, dimittit, & ſibi & populo Romano amiciſſimos.

XXX. *Sex. Cæſarē Syriæ præſidem conſtituit.* PAVCIS diebus in ea prouincia conſumptis Sex. Cæſarem amicum ac neceſſariū ſuum, legionibus, Syriæque præficit; ipſe eadem claſſe qua venerat, proficiſcitur in Ciliciā. Hæc ferme Hircius, paucis multa complexus: cui conſentiens Ioſephus ait Cæſarem claſſe deuectum in Syriam.[b] At videtur oblitus Hircius ſe paulo ante dixiſſe, Cæſarem itinere terreſtri profectum eſſe in Syriam. Nimirum claſſis cum ſequebatur, & Ioppem, aut Tyrum, aliumue aliquem portum tenuit, ex quo mox Cæſar in Ciliciā vela fecerit. Cæterum quæ in Syria geſſerit, aut in Iudæa potius, diſtinctius tradit Ioſephus.[c] quamobrem, ait, finito tādem bello, claſſe deuectus in Syriam Cæſar, magnos honores contulit, tum in Hyrcanum, quem confirmauit in Pontificatu, tum in Antipatrum, quem ciuitate Romana & immunitate donauit: & paulo inferius. Eodem tempore etiam Antigonus Ariſtobuli filius queſtus eſt de patris infortunio, quod propter ipſum veneno extinctus eſſet Ariſtobulus, & frater ſuus à Scipione ſecuri percuſſus, rogabatque vt ſui miſeretur, paterno principatu eiecti. (b l.14. c.15. — c Ibidem.)

XXXI. *Eos accuſat Antigonus.* PRÆTEREA ait idem Ioſephus, Hyrcanum accuſabat, & Antipatrum, quod per vim principatum gentis gererent, nec abſtinerent ab ipſius iniuriis. Antipater vero cauſam ſuam egit diluens obiecta crimina, Antigonumque ſeditionis, & nouarum rerum ſtudioſum eſſe coarguit. Cōmemorabat etiam quantum proximo bello laboraſſet pro Cæſare, ipſum verborum ſuorum teſtem adducens; Ariſtobulū autem merito Romam vinctum pertractum, perpetuum hoſtem & inimicum populi Romani. Fratrem vero huius conuictum latrocinii debitas Scipioni dediſſe pœnas, & non per iniuriam oppreſſum. Apparet hæc per calumniam ab Antipatro homine vafro in fratres iſtos dicta, vlciſcente Antigoni de ipſo querelam. Nam nil ei tale à Scipione obiectum eſt, vt ex Ioſepho ſupra diximus.

XXXII. *Fruſtra atque intempeſtiue.* CONSVLTIVS autem fuiſſet Antigono rem ſuam tātum agere, & accuſationes aliorum miſſas facere. Nam nec cauſam ſuam meliorem fecit, neque alienam deteriorem. Cæſar enim oratione Antipatri motus, Hyrcanum pontificem declarauit, Antipatro dynaſtiam quamcunque ipſe optaret, obtulit, & procuratorem inſuper Iudææ declarauit: vtique, ſiue confirmauit in ea, qua iamdudum fungebatur dignitate, ſub Romanis Syriæ præſidibus. Vocat autem hic eum ἐπίτροπον Ioſephus, eodem ſenſu quo prius ἐπιμελητὴν vocauerat. Eadem ipſe paulo pluribus recitat lib. 1. de Bello cap. 8. recteque nobiſcum Antigonum arguit imprudentiæ, qui non contentus fuerit expoſitione rerum, quæ ipſi miſericordiam conciliare poterant, omiſſa Hyrcani & Antipatri accuſatione intempeſtiua. (*Antipater Iudææ procurator.*)

XXXIII. *Inſtaurātur mœnia Ieruſalem.* HYRCANO vero, vt idem ait, & patriæ mœnia reſtituere permiſit, roganti hanc gratiam; iacebant enim vſque ad id tempus, ex quo à Pompeio fuerant diruta, (l.14. c.16.)

deditque hac de re in vrbem literas ad Coſſ. vt decretum hoc ſcriberetur in Capitolio,&c. Diruta fuerant à Pompeio an. ab hinc decimo ſexto, videlicet v. c. 690. Cicerone & Antonio Coſſ. Cæterum hanc gratiam factam non Hyrcano,ſed Antipatro ſcribit idem Ioſephus, [a] & meminit decreti quod in Antiq. deſcribitur, quod Pſeudoſcaligero,& mihi non ſine cauſa,vt arbitror, ſuſpectum eſt. Vereor inquit ille, [b] ne Ioſephus Hyrcanum pro filio Alexandræ acceperit; cum illud decretum videatur potius pertinere ad Ioannem Hyrcanum Ionathæ fratrem: neque aliter animum meum inducere poſſum. Suſpicionem augent legati Numenius Antiochi,& Alexander Iaſonis filii,qui illud decretum reportarunt. Nam iidem à Ionatha miſſi fuerant Romam. Quomodo igitur illi vitam extendiſſent ad pronepotem Hyrcani Ioannis, Hyrcanum cognominem proauo ſuo? Nam iſtius Hyrcani poſterioris non ita magnum nomen fuit, neque eius admodum habita ratio, vt qui ex infelicitate ſua notior ſit, quam ex Pontificatu,aut Enarchia. Sic ille; quæ non vno nomine reprehendi poſſunt.

Decretum Cæſaris pro Iudæis.

Improbatũ à Scaligero.

a l. 1. bel. c. 8

b in Euſeb. n. 1971.

XXXIV. *Qui & arguitur.*

Primvm quid veretur ne Ioſephus Hyrcanum pro filio Alexandræ acceperit?
annon reuera fuit filius Alexandræ, quæ 9. regnauit annos, & Alexandri Iannæi
Pótificis? Verum non hoc ille veretur,inquies,ſed ne quæ prioris Hyrcani ſunt,po-
ſteriori tribuat; aſſentior, atque ita locutum oportuiſſet, niſi hominem tenebræ
2. delectarent. Sed rem ipſam videamus. Quis eum docuit Ioannem Hyrcanum eſſe
Ionathæ fratrem, & non potius nepotem ex fratre,Simonis autem filium? quod ex
3. Scriptura & Ioſepho apertiſſimum eſt. Vnde habet Numenium Antiochi, & Ale-
xandrum Iaſonis filios, Ioannis Hyrcani legatos fuiſſe,cum Ioſephus [c] vocet eos
4. Simonem Doſithei, Apollonium Alexandri,& Diodorum Iaſonis? Errat præte-
rea quod duo fœdera, Ionathæ ſcilicet, & Ioannis Hyrcani, confundit in vnum;
vnos enim vtriuſque legatos, vnamque legationem, & decretum facit. Quæ tamẽ
longe diuerſa ſunt,& prius traditur à Ioſeph. c. 9. [d] poſterius decimo ſeptimo: [e] prius
à Scriptura refertur, [f] poſterius ab eadẽ tacetur,vt pote quæ hiſtoriam vltra Simo-
nem patrem Ioannis Hyrcani non producit; Prior legatio cadit in annum regni
Græcorum 169. poſterior in annum 183. vt ſuis locis ſupra tradidimus.

c l. 13. c. 17.

d l. 13. c. 9.
e l. 13. c. 17.
f l. 1. Mach. c. 12.

XXXV. *Alia eiuſdẽ errata.*

5. Errat quoque quod Numenium & Alexandrum Iaſonis, dicit Romam miſ-
6. ſos à Ionatha, cum Scriptura [g] eos vocet Numenium & Antipatrum,& rurſus cum
redierunt legatione perfecta. [h] Errat iterum quod Ioannem Hyrcanum vocat pro-
auum Hyrcani, qui hoc tempore ſummo ſacerdotio fungebatur, cum fuerit tantũ
auus. Nam Simon, frater Ionathæ & Iudæ Machabæi, genuit Ioannem Hyrca-
num. [i] Hic autem Alexandrum Iannæum, [k] Iannæus autem ex Alexandra genuit
Ariſtobulum, nuper à Pompeianis veneno extinctum; & eius fratrem primogeni-
tum Hyrcanum de quo agimus. [l] Putauit ergo Scaliger Alexandrum Iannæum eſ-
ſe Ariſtobuli filium, & non fratrem; quem in errorem lapſus etiam eſt Sulpitius Se-
uerus l. 2. Hiſtoriæ ſacræ. Sed ſeriem ſtirpis Machabæorum alio loco exactius
tradidimus. [m]

g l. 1. Mach. c. 12. v. 16.
h l. 1. c. 14. v. 22. & Ioſeph. l. 13. c. 9.
i 1. Mac. vlt.
k Ioſeph. l. 13 c. 20.
l Ioſeph. l. 13. c. 23. & l. 14. c. 1. & l. 20. c. 8. & l. 1. de bel. c. 3
m vide p. 324. n. 9.

XXXVI. *Fictitiam videri legationem & decretum.*

Fictitiam tamen hanc eſſe legationem, aut certe non ſatis probabiliter narratam nonnulla oſtendunt 1. Quod id decretum ſcribitur in Capitolio in gratiam Hyrcani,in Antiq. In lib. autem de bello,in gratiam Antipatri. 2. Quod Cæſar Romam literas mittit ad Conſules, qui tum nulli erant, & paucis tantũ diebus Conſulatum geſſerunr, vt ex Macrob. & Cic. ſupra dictum eſt. Nec Cæſar id ignorabat, qui factus Dictator Magiſtrum equitum dixit Antonium, nec vllum præterea magiſtratum, vt ex Dione diximus. At Cæſar tribus fere menſibus ante finem anni ex Syria diſceſſit, poſitis in bello Alexandrino 9. menſibus, vt ex Appiano dictum eſt; & in Iudæa,vel Syria ſcripſiſſe literas, quæ Iudæorum legatis traderentur, rationi conſentaneum eſt. Aut oportet eum ad futuros Conſules ſcripſiſſe. Quod pene ridiculum eſt. Tertio cum ſcribatur ad Coſſ. quare ipſi de eo non referunt ad Senatum, ſed L. Valerius L. F. Prætor, qui nuſquam hoc tempore in hiſtoria Roma reperitur, præterquam ante ſedecim annos Cicerone Conſule, vt ipſe teſtatur 2. in Catil. Anno deinde ſequenti in Aſia Prætor fuit, eodem teſte in oratione quam pro ipſo habuit, Cæſare & Bibulo Coſſ.

XXXVII *Alia in eo improbata.*

4. Qvod nulla in eo decreto fit mentio rei, propter quam miſſa dicitur legatio, non honorum Hyrcani vel Antipatri, non poteſtatis reſtaurandi muros: ſed tantũ

dicuntur omnia quæ petierunt legati eſſe conceſſa; parum caute ſane: latus enim dabatur campus legatis, multa fingendi pro arbitrio, nihil contradicente S C. Quod autem factum traditur decretum Hyrcani principatus, & Pontificatus anno nono, aperte mendoſum eſt, ſcribendumque foret 29. niſi & Panemus menſis Macedonius, qui Iulio reſpondet, vt tradit Suidas & Euagrius,[a] & ſpatium temporis legationi neceſſarium cogeret, hoc decretum in annum ſeq. referre; ſicut & Athenienſium decretum, quod ſubdit Ioſephus. Quo etiam retulit Euſebius, quem propterea Scaliger ſatis audacter ait diuinare de tempore horum decretorum; cum amicitia facta hoc tempore cum Cæſare, id quodammodo digito indicet: non putauimus tamen iterum de eo anno ſeq. agendum, neque in eo examinando diutius immorandum, ne longius ab inſtituto noſtro abeamus.

Ratio temporis.

a l. 4. c. 1. Hiſt. Eccl.

XXXVIII. *Antipater à diſceſſu Cæſaris Iudæam componit.*

ADDAMVS autem cætera Syriaca, quæ ad hunc annum, & vt apparet etiam ad ſequentem pertinent; murorum ſcilicet reſtaurationem quæ paucorum menſium, qui hoc anno ſupererant, vtique non fuit. *Porro Cæſar*, inquit Ioſephus,[b] *ordinatis rebus Syriæ, cum claſſe profectus eſt. Antipater autem deducto Cæſare, in Syriam reuerſus, ante omnia diſiecta per Pompeium mœnia reſtituit, & obeundo prouinciam, nouarum rerum cupidos compeſcuit, tum minis agens, tum conſiliis. Fore enim vt ſi Hyrcano contenti ſint principe, feliciter degant, fruendo ſuis quiſque poſſeſſionibus. Sin nouas ſibi ſpes polliceantur, & lucra ex rebus turbatis captent, ſe quidem pro præſide habituros Dominum, Hyrcanum vero pro rege tyrannum, tum Romanos atque Cæſarem acerbos hoſtes pro principibus; &c.* Eadem habet in 1. de bello,[c] vtrobique & oblique Hyrcanum regē appellat; Eademque voce c. 17. aliquoties abutitur: libro tamen 20. c. 8. ait ei reſtitutum Pontificatum, ſed abſque diademate; Regis quoque nomen illi à Romanis conceſſum non eſt, nec ab illo vſurpatum, vt patet ex vbi habes aliud Cæſaris iterum Dictatoris decretum, in gratiam Iudæorum ad Sidonios, in confirmationem Pontificatus, Ethnarchatus, ſocietatis, & amicitiæ cū Romanis, quæ pluribus apud eum leges. Neque tamen illud negligendum, quod propter contentionem ſuam, cum Samaritanis Iudæi adiici curarunt, vt ſi qua controuerſia exorta fuerit de Iudaica diſciplina, iudicium ſit penes ipſum Pontificem.

b l. 14. c. 16

c l. 1. de bel. cap. 8.

c. 17. l. 14.

XXXIX. *Occaſio, & cauſa belli Pontici.*

NVNC ad res Ponticas tranſeamus. Fundamentum narrationis erit A. Hirtius, quo nemo diligentius rem perſecutus eſt. Dum ergo res in Ægypto Cæſar gerit, Pharnaces filius Mithridatis, qui ſuperiore bello à Pompeio regnum Boſphori, mercedem patricidij acceperat, vt ait Dio l. 37. exiſtimans Romanos bello ciuili diutius occupatos fore, ad paterni regni amplitudinem aſpirans, Armeniam minorem, Cappadociamque incurſare cœpit. Tum Rex Deiotarus ad Domitium Caluinum, cui Cæſar Aſiam finitimaſque prouincias adminiſtrandas tradiderat, venit, oratum ne Armeniam minorem regnum ſuum, néue Cappadociam regnum Ariobarzanis poſſideri, vaſtarique à Pharnace pateretur; alioqui promiſſam Cæſari pecuniam non poſſe perſoluere. Domitius nuncios confeſtim ad Pharnacem miſit, Armenia Cappadociaque decederet: quæ denunciatio, vt maiorem vim haberet, propius legiones admouit.

Pharnaces Armeniā & Cappadociam infeſtam habet & occupat.

XL. *Retinet Armeniā, Domitium Ludificatur*

Et pugna vincit.

PHARNACES ea denunciatione Cappadocia prouincia longinquiore deceſſit; Armeniam minorem, quam facile ex vicinitate tueri poſſet, retinuit, tanquā paterno iure ſibi debitā, eam tamen cauſam integrā ſeruaturum Cæſari. Interim Domitium pluribus legationibus de pace cum muneribus diſtinere molitur, eique inſidias parat, quippe quem magna parte copiarum, quas ad Cæſarem miſerat in Ægyptum, ſciret eſſe ſpoliatum. Nihilominus Domitius propius Nicopolim Armeniæ vrbem venit cum exercitu, caſtraque oppido contulit. Pharnaces quoque aciem inſtruxit, proxima autem nocte interceptis tabellariis, qui de Alexandrinis rebus literas ad Domitium ferebant, cognoſcit Cæſarem magno in periculo verſari, flagitareque à Domitio, vt quam primum ſibi ſubſidia mitteret; quæ cauſa fuit, vt Pharnaces de induſtria bellum trahendum putaret, in eoque victoriam collocaret. Domitius contra copias extra caſtra eductas in prælium parat, legionem Romanam 36. in dextro cornu collocauit, in ſiniſtro Ponticam, Deiotari legiones in mediam aciem contulit. Pharnaces nihil cunctatus prælio decernit, & totum pene eius exercitum delet. Domitius reliquias exercitus diſſipati collegit, itineribuſque tutis, per Cappadociam ſe in Aſiam recepit. Victor Pharnaces Pontum

omnibus copiis occupauit.

XLI. *Deiotarus Rex à Cæſare veniã petit.*

Interea Cæſar bello Alexandrino feliciter confecto, & Syriæ, Ciliciæ, & Cappadociæ rebus celeriter expeditis, ad fines Gallogræciæ acceſſit, vbi Rex Armeniæ minoris Deiotarus ei occurrit, depoſitis regiis inſignibus, habitu reorum ſupplex veniam petens, quod à partibus Pompeij ſtetiſſet. Seque ignoratione ſtatus Italiæ, ac neceſſitate exercituũ Pompeii, quibus vallatus erat, defendebat; Cæſar contra reiiciebat excuſationem, quod homo tantæ prudentiæ ac diligentiæ ſcire potuiſſet, quis vrbem Italiamque teneret, vbi S.P.Q.R. vbi reſp. eſſet, quis deinde poſt L. Lentulum & C. Marcellum Conſul eſſet (videtur hic Cæſar, ſiue Hircius nullum ab his Conſulibus agnoſcere Conſulẽ præter Cæſarem, quod huius anni Conſules nondum creati eſſent, & Seruilius Iſauricus Conſulis potius vicarium, vt pridem Bibulus, egiſſet quam Conſulem.) Eius tamen ætate, ac veteribus recentibuſque meritis, & multorum precibus permotus, ei regium veſtitum reſtituit, de Tetrarchia poſtea ſe cogniturum dixit. Eumque ſuas copias in Pontum iuſſit deducere. Ipſe eo profectus, quatuor omnino legiones, ſed admodum diminutas habuit.

Et ex parte obtinet.

XLII. *Pharnaces legatos ad Cæſarem mittit.*

Pharnaces per legatos à Cæſare pacem & veniã petit, miſſa ſimul corona aurea, dicens magis ſibi quam Deiotaro debitam veniã, qui contra eum pro Pompeio pugnaſſet. Aduentante Cæſare territus, inquit Appianus, ac factorum pœnitens, legatos de pace miſit à ducentiſſimo ſtadio, ferentes ei coronam auream, & ſatis ſtulte regis ſui filiam offerentes in matrimonium. At Cæſar, vt ſcribit Dio,[a] eum reprehendit, quod ingratus erga tam bene de ſe meritum Pompeium fuiſſet. Pacis autem eam eſſe conditionem, vt Ponto confeſtim decederet, damna illata ſociis, ciuibuſque Romanis reſarciret; tum demum ſe munera tanquam ab amico recepturum: ſicque legatos remiſit. Cum autem Pharnaces non ignoraret plurimas res Cæſarem in vrbem reuocare, tanto lentius agere, decedendi è Ponto diem poſtulare longiorem, pactiones interponere, in ſumma fruſtrari cœpit.

Cæſaris reſponſum.

[a] Lib. 42.

XLIII. *Pharnaces in Cæſarem pugnat.*

Cæsar cognita calliditate hominis, negotium accelerauit. Dio vice verſa calliditatem Cæſari tribuit, qui comiter acceptis primis ac ſecundis eius legatis, ſpe pacis quam maxime incautum occupare cupiebat. Zielam Ponti oppidum venit, circa montem Scotium vt ait Appian. in fine belli Mithridatici. Plut. in Cæſare Zelam vrbem vocat, Dio vero ζῆλαν, iuxta quam Mithridates Triarium, exercitumque Romanum magna clade affecerat. Ibi Pharnaces aciem inſtruit, & vel felicitate loci, vel contemptu paucitatis Romanarũ copiarum, quarum magnam partem iam ſub Domitio fuderat, vltro Romanos caſtra metãtes iniquo loco inuadit. At Romani opere omiſſo in magna trepidatione arma rapiunt, hoſtem non ſolum repellunt, ſed profligant, adiuuante natura loci, & Deorum immortalium benignitate, inquit Hirtius, qui cum omnibus belli caſibus interſunt, tum præcipue eis, quibus ratione nihil potuit adminiſtrari. Paulo etiam infra diuino auxilio victoriã tribuit; corrigens tacite Cæſarem, in glorioſo illo Elogio, *veni, vidi, vici*, ac dicendum monens, vt dicebat Carolus V. Clariſſimus ſuperioris ſeculi imperator. *veni, vidi, Deus vicit*. Refert Surius, in bello contra Germanos hæreticos. Porro Cæſar, vt author eſt Plutar. cum ad amicum quendam Amintrium, ſiue Anitium, Romam ea tria verba ſcripſit, de huius celeritate victoriæ, forte reſpexit ad diuturnitatem præcedentis belli contra eius patrem Mithridatem geſti. Certe trophæum pro hac victoria in eodem loco erexit, in quo Mithridates ſuum erexerat, vt quoniam conſecratum diis belli euertere fas non erat, nobiliore trophæo obſcuraretur.

Et vincitur

An. Chri. 1548.

XLIV. *Caſtra expugnantur, Pharnaces fugit.*

Itaque cum in procliue detruderentur Pontici, multis militibus partim interfectis, partim ſuorum ruina oppreſſis, qui velocitate effugere poterant, armis tamen proiectis vallem tranſgreſſi, nihil ex ſuperiore loco inermes proficere poterant. At Romani victoria elati ſubeunt iniquum locum, munitiones aggrediuntur, caſtra expugnant. Pharnaces dum mora fit in expugnatione caſtrorum, cum paucis equitibus profugit; alioqui viuus in Cæſaris poteſtatem veniſſet. Appian. in fi. bel. Mithrid. ait victum refugiſſe Sinopem, cum mille equitibus, cumque Cæſari non vacaret eum perſequi, miſſo contra ſe Domitio vrbem tradidiſſe. Et pace accepta, dimiſſum cum equitibus, occiſis equis, nauibus in Pontum fugiſſe, collectaque Scytharum ac Sarmatarum manu Theudoſiam, Panticapæumque occupaſſe;

Prvdentia Cæsaris apvd milites svos.

enim vobis quicquam mihi opus eſt. Cæterum præmia vobis promiſſa perſoluam, ne quis veſtrum dixerit me vſum vobis, ingratum deinde non ſtetiſſe promiſſis; quantumuis ad reliquias quoque belli conficiendas, neque corporis viribus, neque vlla re alia deſtituti, militiam meam recuſaueritis. Hæc locutus, vniuerſis agros partim publicos, partim ſuos aſſignauit, eoſque locis quam maxime diſiunxit, ne iterum ad ſeditiones coirent, promiſſas autem pecunias partim in præſentia ſoluit, partim ſe poſtea cum fœnore perſoluturum ſpopondit.

XLIX. *Eos iterum recipit.*

Deinde, accepiſtis, inquit, iam à me omnia, neque ego quemquam veſtrum poſt hac ad militiam compellam; ſi quibus tamen fuerit animus adiuuandi me, ad ea quæ reſtant conficienda, eos ego libenter recipiam. Qua voce audita, ſumma omnes voluptate ſunt affecti, nec fuit quiſquam, qui non daret nomen ad nouam militam. At Cæſar delectu habito, ſecretis iis qui ad miſcendas ſeditiones erant idonei, nouum conſcripſit exercitum, illos autem partim ad agriculturam dimiſit, partim ex Italia ſecum abduxit, ne in ea turbas concitarent, & in Africa, aliiſque locis haud iniquo animo paſſus eſt perire, quod ſimul per eos clades hoſtibus inferebat, & malis ipſe hominibus leuabatur. Non diſſimili pridem ſuperbia tumultuati ſunt veterani milites Alexandri magni, quos vocabant Argyraſpides, qui Eumenem, imperatorem etiam ſuum comprehenſum perdiderunt, quos Antigonus iuſtis, meritiſque modis caſtigauit, vt ſuo diximus loco.[a]

[a] an.m.3719 ...2. & ſeq.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 4007.

.N. VII. Quos Dio & Caſſiodorus proferunt præter faſtos Capitol. In Græco Euſebii Chron. eſt Q. Fuſius, Vatinius à Cuſpiniano cognominatur Ciaticanus. Eoſque male Mercator Coſſ. ponit anno ſuperiore, ſimul cum Cæſare II. & Seruilio. Coſſ. quaſi quaternos Coſſ. vnus annus habuerit.

.N. XX. Eum locum neceſſe eſt collocare ad Nilum, ſed non ad Bubaſtum in littore maris, vt nonnullis videri poſſit, ſed vltra Oniæ regionem, de qua paulo ante à Ioſepho actum eſt. Erat autem Oniæ regio, in præfectura Heliopolitana, apud Leontopolim, vt ait idem l. 13. c. 6. [*Si tamen vna fuit hæc præfectura, & non potius duæ, ſicut à Ptolemæo Alexandrino perſpicue in tabulis 3. & 4. Africæ diſtinguuntur.*] Videtur autem hic locus conſtituendus in nomo Heliopolite, vbi Nilus primum incipit Bubaſticus appellari.

Quod hic dicitur, more maiorum, belle illuſtratur c. 1. lib. à Diodoro Siculo. Lege, inquit, Ægyptiis ſtatutum eſt, vt præter communem aliorum hominum morem, cum ſororibus matrimoninm ineatur, quod Iſidi apud ipſos feliciter hoc ſucceſſiſſet. hæc enim Oſiridi germano nupſit, & præſtito à morte eius iuramento, nemini poſthæc in complexum ſe venturam, de cædis autoribus pœnas exegit, & regno ad finem ſanctiſſimè præfuit. Ita miſeri mortales, à diis ſuis, non pudoris & continentiæ, ſed nequitiæ & inceſtuum exempla petebant; & vt Iſis & Oſiris deeſſent, non deerat omnibus notiſſima Iuno, Iouis *Et ſoror & coniux*. Vt haberent aliæ quoque gentes quod imitarentur. 3.N. XXIX.

ANNVS MVNDI 4008. SEXTÆ ÆTATIS 493. HYRCANI II. PONTIF. 30. IMPERI ROMANI, ET C. Cæsaris Tertivs. Herodis 27. Præside Syriæ Sex. Cæsare, Ptol. Minoris 2. Cleopatræ 5. Olymp. 183. an. 3. Vrbis Cond. 707. C. Cæsare III. Dictat. et Coss. M. Æmilio Lepido Mag. Eqvit. et Collega. Bell. Civ. 4. Simvlqve Africanvm. Annvs confvsionis.

ANNVS ANTE CHRISTVM 45.

I. *Cæſar Dictator, & Conſul cũ Aemylio Lepido.*

VTRVMQVE Cæſaris & Æmilii Lepidi magiſtratum huius anni, diſertis verbis confirmat Dio, ipſo initio l. 42. Sequenti anno Dictaturam Conſulatumque, tertium vtrumque magiſtratum, collega in vtroque Lepido geſſit. Vt enim primum ab eo Dictator proditus fuit (id factum eſt poſt eius reditum ex Hiſpania, ſub finẽ anni 704. prout ſuo loco diximus,) ſtatim eum ex Prætura in Hiſpaniam citeriorem miſit, reuerſoque triumphum, cum neque viciſſet quemquam, neque omnino ſignis collatis dimicaſſet, conceſſit, ea cauſa prætexta, quod is Longini & Marcelli actionibus interfuiſſet. Cæterum in triumpho ſuo nihil intulit, præter eas pecunias, quibus ſocios ſpoliauerat. Nec contentus Cæſar eam Lepido gratiam retuliſſe, collegam eundem ſibi vtriuſque magiſtratus adſciuit. Sic Dio. Hirtius quoque init. l. de bello Hiſpanienſi, & in fi. l. de bello Africano, quod hoc anno geſtum eſt, ait Cæſarem ſub initium Auguſti Romam veniſſe III. Dictatorem, & IV. eſſe deſignatum. Suetonius quoque nũ. 76. ait Cæſarem tertium & quartum Conſulatum titulo tenus geſſiſſe, contentum Dictaturæ poteſtate, cum Conſulatibus decretæ.

II. *Res anni huius.*

SED deinceps ad res huius anni progrediamur, quæ numero plurimæ, & dignitatæ eximiæ domi militiæque fuerunt. Quarum hæ in primis eminent. Bellum Africanum graue in primis & periculoſum, Cæſar fœliciter conficit, quadruplicem triumphum gerit, annum Romanum corrigit, atque ordinat, multaque vtiliter in Rep. conſtituit, in Syria Herodes clareſcit.

Africani belli cõtra Cæſarem duces.

Victo Pompeio, Cato, vt ait Dio l. 42. & Plut. in eius vita, Corcyram ſe claſſe contulerat, ibique reliquos, qui ex prælio effugerant, aut alioqui eas partes ſequebantur, ad ſe acceperat. Et Cic. quidem, aliique nonnulli ſenatores, recta Romam contenderant, plerique vero cum Labieno & Afranio (quorum neuter ſalutem, ſperabat à Cæſare, ille quod ab eo transfugiſſet ad Pompeium, hic quod vita à Cæſare donatus, iterum contra ipſum arma ſumpſiſſet,) ad Catonem venerant, eoque ſummæ rerum præpoſito bellum gerebant. Ad eundẽ acceſſere mox M. Octauius, C. Caſſius, Cn. Pompeius Magni filius, tum Petreius, & Fauſtus Cn. Pompeii gener. Quorum nonnulli, vt Caſſius, ad Cæſarem transfugit, & ab eo in gratiam receptus eſt.

III. *Dux primarius Scipio. Cur Africa bello electa.*

CÆTERI in Africam belli renouandi gratia ſunt profecti, in quibus etiam fuit Scipio, dudum collega Conſulatus Magni Pompeii; ſed is iam anteceſſerat, & Iubæ faſtui miſere famulabatur. Sic Hirtius, & Plut. in Cat. minore. Africã autẽ bello vidẽtur elegiſſe, quod eam parum amicam Cæſari ſciebant; quippe Varus & Iuba, à quibus Curio cum exercitu cæſus fuerat, ibi rerum potiebantur. Et nonnulla quidem fuit Varo cum Scipione de Imperio diſceptatio, id tamen vterque Catoni cedere cupiebat, ſed illo minimè acquieſcente, quod negaret legitimum eſſe proprætorem præſente proconſule imperare, eius omnes conſilium, & exemplum ſecuti, Scipioni ſummam imperii detulere, quaſi fatale eſſet Scipionibus in Africa

vincere. Ita Dio & Plut. in Cat. Ibi cum nullum exercitum aduerſarium haberent, Cæſare in Ægypto, & Aſia, Romæque occupato, magnas copias contraxerunt; Siciliam, Sardiniamque vexarunt: Cn. Pompeium cum exercitu in Hiſpaniam ſeditionibus agitatam, miſerunt, ſperantes eum ibi, propter Patris memoriam, prompte acceptum iri, & rebus compoſitis Romam profecturum, ſeque eodem breui, claſſe traiecturos. Hirtius l. de bello Africano, ait ab incolis eius prouinciæ nunciatum fuiſſe, infinitum eſſe eorum equitatum, legiones regias 4. leuis armaturæ vim magnam, Scipionis legiones decem, Elephantos 120. claſſeſque complures. *Eorum copia.*

IV. *Cæſar hyeme traycit in Africã.*

At Cæſar inſperatò cupiens hoſtem inuadere, quoniam & celeritate, & improuiſis expeditionibus plurimum promouerat res ſuas, media hyeme in Africam traiecit; Plut. circa ſolſtitium brumale. At Hirtius diſtinctius ad 14. Cal. Ianuar. in Lilybeum perueniſſe tradit, cum vna legione tironum, & ſexcentis equitibus. Mox nauibus in diem confluentibus, ſex legionibus collectis, & duobus equitum millibus, ad 6. Cal. Ian. vela feciſſe, & poſt diem quartum in Africæ conſpectum veniſſe, cum paucis longis nauibus, pleriſque onerariis tempeſtate diſperſis; Et aliquot oppida præteruectus, Adrumeti ante portum exponit exercitum, dum reliquæ naues conuenirent. Cum primum terram attigit prolapſus, malum omen in lætum conuertens, quaſi de induſtria procubuiſſet in faciem, terram oſculatus, manuque prehendens, exclamauit, Teneo te Africa, inquit. Ea ſolertia, crudelitaſque valuit, ad ſe quoque bene animandos. *Terram omine tangit.*

V. *Vbi acceptus fuerit.*

Inde Adrumetum oppugnatione tentauit, repulſuſque, & caſtris exutus per vim hoſtium, Ruſpinum ſe contulit, vbi receptus hyberna parauit; ex eaque vrbe ad bellum deinde exiuit. Sic Dio[a] quæ Hirtius partim diſſimulaſſe videtur, partim prætermiſiſſe. Ait autem Cæſarem Cal. Ian. ad Ruſpinam caſtra poſuiſſe, indeque mouiſſe, & ad Leptin, quæ eum quoque vltro recipiebat, caſtra poſuiſſe; inde ſuos varia in loca dimiſiſſe, tum nauium reliquarum, tum commeatus longius ex inſulis quærendi cauſa; Sed naues cum multum toto pelago erraſſent, quod & male tẽpeſtate afficerentur, & quem ad portum poſſent appellere ignorarent, ſingulæ à compluribus ſcaphis oppugnatæ, victæ, atque incenſæ ſunt. Ipſum autem mox Ruſpinam reuertiſſe, ibique ſarcinis exercitus relictis, cum expedita manu, frumentatum circa villas abiiſſe, magnamque vim commeatus illuc contuliſſe. Sic Hirtius; qui tamen aliquanto poſt ait aduerſarios iamdudum ex omni Africa frumentum in pauca oppida, & bene munita comportaſſe, omnemque regionem Africæ exinaniſſe frumento, eaque neceſſitate coactum Cæſarem priuatos ambiendo, & blande appellando aliquantulum frumenti in ſua præſidia congeſſiſſe, & eo parce vſum eſſe. *Inopia laborat.*

[a] in ſi.l.42.

VI. *Res cum Labieno & Petreio geſta.*

Interea Labienus, & Petreius, cum magnis quiſque copiis, contra Cæſarem, eius copiarum paucitate contempta, ſeorſim veniunt, vt cum Labienus tirones, vt putabat, male mulctaſſet, Petreius ſuperueniens rem totam conficeret; Nam veteranos tumultuatos in Italia audierat, & expeditionem Africanam detrectaſſe. Pridie non. Ianuarias pugnatam eſt, ab hora diei quinta, ad ſolis occaſum, nocte videlicet pugnam dirimente, & Petreio grauiter icto ex acie recedente. Vtroſque Cæſar cum cohortibus triginta gemino prælio vicit, ſi Hirtio credimus, Cæſari plus ſatis nonnunquam faventi. Nam Dio, à quo Plutarchus in Cæſare minime alienus eſt; victores Pompeianos facit, aduerſarios autem poſt multam cædem, in locum editum compulſos, in ſummum diſcrimen adductos, ipſumque Cæſarem de ſumma rerum deſperare cœpiſſe, cum accepiſſet Iubam inſuper, & Scipionem cum magnis copiis aduentare: diuina erga autem Cæſarem prouidentia factum eſſe, vt P. quidam Sittius Italia pulſus, exulibus quibuſdam ſibi adiunctis, & manum militum à rege Boccho impetraret, & in regnum Iubæ inuaderet; in eoque graſſando, Regem ad regnum ſuum defendendum retraheret: qui abiens bonam militum ſuorum, & Elephantorum partem Scipioni detraheret, eoque factum vt præſenti periculo Cæſar eximeretur. Hirtius ait regem ipſum Bocchum, cum Sitio veniſſe, Cirtam, oppidum regni Iubæ opulentiſſimum, paucis diebus expugnaſſe, cum duobus oppidis Getulorum.

VII. *Cæſar copiis augetur. Et commeatu.*

DIV Cæſar ad Ruſpinam ſe caſtris continuit, in multa rerum inopia, & militum paucitate, munitionibus conficiendis, dum auxilia, & commeatus ex Sicilia, aliiſque locis expectat; nec vnquam prælio decernere auſus eſt, ne cruentam victoriam obtineret, & gloriam tot clariſſimis victoriis obtentam, inquinaret. Cum autem opera Salluſtii Prætoris magnum frumenti numerum accepiſſet, & ab Allieno Proconſule legiones duas, & equites Gallos octingentos, præter ſagittarios, funditoreſque mille, rurſus naues onerarias iubet Lilybæum, ad reliquum exercitum tranſportandum proficiſci. Ipſeque deinceps omni ſtudio aduerſarios, quoniam eos ad pugnam vniuerſam collatis ſignis inducere non poterat, crebris damnis variis occaſionibus afficiebat, ſemperque victor, licet Cum leui aliquando damno, terra marique euadebat, vt Hirtius commemorat. Vice autem verſa, ſi quid ex animi ſententia Pompeianis contigiſſe, idem memorat, inſigni ſemper crudelitate vſos aſſeuerat: Iubam regem in primis & Scipionem, quo fit vt variis poſſeſſus affectibus, Cæſaris in ſcribendo amicior quam veritatis, non iniuria videri poſſit, quod ipſum ab aliis quoque notatum audio.

Hoſtem vario euentu vexat.

VIII. *Scipio Iubã euocat.*

CÆTERVM Scipio cum equeſtri prælio inſigne damnum à Cæſarianis accepiſſet, per literas Iubam euocat, vt eius præſentia exercitus Scipionis à terrore Cæſaris liberaretur. Addit Dio, Iubam euocatum cunctatum fuiſſe, donec ei Scipio omnem Africam, quæ Romanis ſubdita eſſet, dono ſe daturum pollicitus eſſet. Tum demum præfecto Sabura cum parte exercitus contra Sitium relicto, ipſe cum tribus legionibus equitibuſque frenatis octingẽtis; Numidis infrenibus & peditibus eiuſdem armaturæ grandi numero, Elephantiſque 30. egreſſus regno ad Scipionem venit. Qui poſtero die reſumptis animis, copias omnes cum 60. Elephantis producit in aciem, quam ſpecioſiſſime poteſt, & iis inſtructis, paulum à ſuis munitionibus progreſſus, ſe recepit in caſtra. Porro Elephanti magno erant terrori Iulianis, quod eorum odorem fremitumque equi ferre non poſſent, ipſique milites per multi, rei inſolentia, eos valde pertimeſcerent. Itaque dedit operam, vt aliqui ad ſe ex Italia deueherentur, vt iis equi homineſque aſſueſcerent, & qua parte corporis etiam armati offendi poſſent, addiſcerent, quod etiam conſecutus eſt. Deinceps autem crebris equitum velitationibus vtrinque certatum, donec ad decretoriam pugnam, Cæſaris induſtria ventum eſt.

IX. *Cæſar de ſumma rei certare conatur. obſidendo Thapſum.*

CVM enim animaduertit ſe aduerſarios cogere non poſſe, vt in æquum locum deſcenderent, legionumque periculum facerent, neque ipſe poſſet propius hoſtem, propter aquæ penuriam, caſtra ponere, pridie non. Apr. [a] ad Thapſum, vbi Vergilius cum grandi præſidio præerat, caſtra ponit, oppidumque circumuenire eodem die incipit, vt Scipionem ad dimicandi neceſſitatem pertraheret, niſi mallet per ſummũ dedecus fidiſſimos ſuis rebus Thapſitanos & Vergilium amittere. Ad Thapſum ergo cum omnibus copiis venit, & verſus mare (eſt enim maritimum id oppidum Ptolemæo, prope Leptim & Ruſpinam ſupra memoratas) conſedit, ac caſtra munire cœpit. Quod poſtquam Cæſari nunciatum eſt, ipſe cum expeditis eo claſſe contẽdit, & parte claſſis ad Thapſum relicta, reliquas naues iubet poſt hoſtium tergum, quam maxime ad littus appelli, ſignumq; ſuum obſeruari; quo ſigno dato, ſubito clamore facto, ex improuiſo hoſtibus auerſis terrorem incuterent, & poſt terga reſpicere cogerent.

[a] 4. eiuſdẽ.

X. *Diſpoſitio vtriuſque aciei.*

DEINDE animaduerſa diſpoſitione aciei Scipionis, & elephãtos dextro ſiniſtroque cornu collocatos, ipſe binas legiones in ſingulis cornibus conſtituit, & quinas cohortes beſtiis opponit, reliquaque omnia perite diſponit; tum circumiens pedibus aciem, omneſq; priſtinarum virtutum memoria excitans, blandéq; compellãs, ad fortiter pugnandum excitabat: quam ad rem non leue momentum attulit, quod circumeundo exercitum animaduertit hoſtes circa vallum trepidare, atque vltro citroque pauidos concurſare, quod cum à pluribus quoque animaduerſum eſſet, Cæſariani prælium extorquent, quibus cum reſiſti non poſſe videret Imperator, ſigno felicitatis dato, equo admiſſo in hoſtem contra principes ire contendit.

XI. *Elephanti turbati turbant ſuos.*

A dextro interim cornu funditores ſagittariique tela in Elephantos frequentes iniiciunt. Quo facto beſtiæ ſtridore fundarum, lapidumque perterritæ, ſeſe con-

uertere, & ſuos poſt ſe ſequentes ſtipatoſque proterere; hi Mauri erant, quorum præſidium cum eis in perniciem verteretur, principes fugam capeſſunt. At Iulianæ legiones, celeriter beſtiis circuitis, vallo hoſtium ſunt potitæ, & paucis acriter repugnantibus interfectis, reliqui concitati in caſtra, vnde pridie erant egreſſi, confugerunt; Interea qui Thapſo erant præſidio, eruperunt per maritimam portam, & in mare vſque ad vmbilicum ingreſſi, à pueris ſeruiſque, qui in caſtris erant repulſi, terramque prohibiti attingere rurſus, ſe in oppidum receperunt. *Inde fuga cœpta.*

XII. *Scipio fugit.* INTERIM Scipionis copiis proſtratis, paſſimque toto campo fugientibus, confeſtim Cæſaris legiones conſequi, ſpatiumque non dare colligendi ſui: qui cum in caſtris, quæ petebant nihil præſidii reperiſſent, quod duce carerent, Scipione cum duodecim cataphractis nauibus fuga elapſo, & regia inſuper caſtra ab hoſte teneri iam animaduertiſſent, deſperata ſalute in quodam colle conſiſtunt, atque armis demiſſis ſalutationem more militari faciunt, fidemque Cæſaris implorant: ſed ea res miſeris præſidio non fuit. Nam inſpectante, ac repugnante Cæſare, à veteranis, ira ac victoria tumentibus, ad vnum omnes ſunt interfecti. *Eius copia conciduntur.* Ita quidem Hirtius. At Dio eam cædem Cæſare autore factum dicit. Sed Hirtius Cæſaris ſemper cauſam ſubleuat. Equites autem qui ex prælio fugerant, cum Vticam verſus iter facerent, Panadam oppidum, à quo non recipiebantur, propter famam cladis antegreſſam, vi captum cum omnibus ciuibus cuiuſcumque ætatis, generiſque conſtrictis, efferati ſuccedunt inde Vticam perueniunt. Interea

XIII. *Magnitudo cladis.* CÆSAR trinis caſtris potitus, occiſiſque hoſtium decem millibus, fugatiſque compluribus, ſe recepit in caſtra quinquaginta militibus amiſſis, paucis ſauciis: ac ſtatim ex itinere ante oppidum Thapſum conſtitit, Elephantoſque 64. ornatos armatoſque, cum turribus ornamentiſque captos, ante oppidum inſtructos conſtituit. Plut. hæc trina caſtra fuiſſe dicit Scipionis, Afranii, & Iubæ, cæſos autem hoſtes ad 50. millia, de Cæſaris autem militibus conſentit: verum in hunc numerum Elephantorum error illapſus videtur. Nam ante pugnam omnes erant tantum 60. triginta apud Scipionem, totidem apud regem Iubam, vt ſupra ab ipſemet Hirtio ſcriptum eſt. Et quoſdam in prælio periiſſe conſentaneum eſt; aut certe, hoc numero alii etiam, quos ex Italia ad ſe deuehi iuſſerat, continentur. Ergo Cæſar hos Elephantos in conſpectu oppidi ponit, ſi poſſet Virgilium cum ſuis, indicio rei à Scipione male geſtæ, ad deditionem adducere; quod illi cum perſuaderi non poſſent, ab oppido receſſit, relicto Rebello qui Thapſum cum tribus legionibus, & Cn. Domitio qui Tiſdram, cum duabus obſideret. *Thapſum obſidet.* Et præmiſſo Vticam M. Meſſala, eodem ipſe cum equitatu iter facere contendit. *Adit Vticam.*

XIV. *Vticam fugitiui defendere non audent.* AT Scipionis equites qui fuerant antegreſſi, multos fautores C. Cæſaris Vticenſes interfecerunt, domoſque eorum expugnauerunt, & diripuerunt. Quibus cum Cato perſuadere non potuiſſet, vt ſecum oppidum defenderent, & cæde rapiniſque deſiſterent, ſingulos centenis ſeſtertiis donatos, cum Fauſto Sylla dimiſit. Cumque rurſum alios ex fuga Cato recepiſſet, nec eis oppidi propugnationem perſuadere potuiſſet, ea cura depoſita, nauibuſque ad fugam attributis, ipſe rebus omnibus diligentiſſime conſtitutis, liberiſque ſuis L. Cæſari Proquæſtori commendatis, ſolito vultu ac ſermone cum dormitum iſſet, ferrum clam in cubiculum tulit, eoque ſe traiecit: *Cato ſibi manus infert.* cumque nondum exanimis concidiſſet, domeſtici in cubiculum irrumpunt, vulnuſque continere, atque obligare incipiunt, ſed ſuis ipſe manibus vulnus crudeliſſime diuellit, atque animo obfirmato ſe interemit.

XV. *Cur dilectus Vticenſibus.* QVEM Vticenſes, quamquam partium gratia oderant, propter integritatem tamen ſingularem dilectum, ſepultura publicis ſumptibus affecerunt. Vt autor eſt Dio. Alteram Vticenſibus cauſam diligendi Catonis fuiſſe ſcribit Plutarchus, in eius vita, quod initio belli huius ſtatuerat Iuba omnes Vticenſes prorſus delere, tanquam addictos Cæſari, Catonẽ autem ait omni ope illi ſententiæ obſtitiſſe. Itaque partim illis orantibus, partim contendente Scipione, cuſtodiam vrbis recepiſſe, vt neque volens, neque inuita Cæſari coniungeretur quam etiam: muniuit, ornauitque: *Num Cæſari quoque.* Dio addit Catonẽ filium ſuum ad Cæſarem miſiſſe, quem diceret præſenti rerum ſtatui aſſueſieri poſſe: ſe autem, qui in libertate natus, atque educatus conſe-

nuiſſet, ſeruitutem deinceps ferre non poſſe, & Cæſaris miſericordiam longe ſibi morte grauiorem futuram. Scribit Plut. in Cæſare, eum audita Catonis morte dixiſſe. Inuideo Cato hoc lethum tibi, nempe tu mihi ſalutem inuidiſti tuam. Dubitat nihilominus Plut. an ei fuiſſet parciturus. Quid enim, inquit pepercisset viuenti, cum in exanimem tantam effuderit bilem? oratione ſcilicet illa, quam Anticatonem in ſcripſit, æmulatione eius libri, quem Cic. de eius laude cõſcripſerat, qui manibus omnium terebatur.

XVI. *Vt ſe geſſerit Cæſar Vticæ.*

L. Cæſar obuiam Cæſari cum populo venit, Meſſalam oppido recipit, à quo portis omnibus adhibitæ ſunt cuſtodiæ. L. autem Cæſar vitam cum pluribus aliis à C. Cæſare poſtulat, impetratque. At Dio tradit L. Cæſarem cognato ſupplicem factum, & cauſam dicere iuſſum, cum eum propria ſententia condemnare vereretur, mox per inſidias interfeciſſe: eodemque modo alios variis artibus ſuſtuliſſe. *In L. Cæſarem,* Ciues item Vticenſes 300. qui alteri parti fauiſſent, vitam impetrarunt immani pecunia mulctati; ſeſt. bis millies per triennium 6. penſionibus populo Rom. ſoluendo, id eſt Francorum mille myriades, ſiue decem miliones. Itaque vnicuique trecentorum obuenerunt triginta tria millia Francorum, & inſuper trecenti triginta tres cum triente. Erant hi Romani ciues, qui in Africa negotiabantur, & fœnus exercebant, teſte Plutarcho[a] qui timorem reliquis oppidanis iniecerũt, & auaritia retinente ſeruis ſuis libertatem, vt reliqui ciues, dare noluerunt; vt propterea minus digna eſſet eorum conditio commiſeratione.

[a] in Ca. mi.

XVII. *Iuba & Petreius fugiunt.*

REX interim Iuba, vt ex prælio fugerat, vna cum Petreio interdiu in villis latitando, tandem nocturnis itineribus confectis in regnum peruenit, & ad oppidum Zamam, quo ille coniuges liberoſque, & quæcumque habebat cariſſima contulerat, operibuſque maximis munierat, accedit; ſed eum oppidani excludunt, ne meditatam ab ipſo crudelitatem experirentur; cumque ille nec minis quicquam, neque precibus profeciſſet, inde digreſſus, ad villam ſuam, cum M. Petreio, & paucis equitibus ſe confert. Ibi deſperata ſalute, ab omnibus ciuitatibus excluſus, cum Petreio ferro depugnat, eumque conficit; deinde ipſe ſibi, opera ſerui adiutus, interitum affert. Eadem fere Dio l. 43. *Excluſi à ſuis ſeſe interficiunt.*

XVIII. *Regnum Numidiæ fit prouincia Romanorum.*

ZAMA in Cæſaris poteſtatem venit, vbi Numidiæ regnum in prouinciæ formam redegit, quæ noua Africæ prouincia diceretur; ibique Criſpum Salluſtium Proconſulem, cum imperio reliquit, verbo quidem, inquit Dio, regendæ, re autem ipſa diripiendæ regionis cauſa. Vnde mox prouinciæ compilatæ accuſatus, infamiam conſecutus, à Cæſare tamen abſolutus eſt. Reliquæ vrbes, quæ obſidione premebãtur, aliæq; nonnullæ deditæ quas paulo poſt ingentibus tributis oppreſſit: adeo vt duæ ciuitates Thapſus & Adrumetum 130. millibus ſeſtertiûm damnatæ ſint, id eſt ſex millionibus & quingentis millibus lib. Tur. Fauſtus quoque & Afranius, qui Vticam diripuerant, cum à P. Sitio capti eſſent, diſſentione in exercitu orta, interfecti ſunt. Pompeia cum Fauſti liberis incolumitatem à Cæſare, ſuaque omnia obtinuerunt. Scipio interim cum Damaſippo, & aliis, nauibus longis diu multumque iactati, cum Hiſpaniam peterent, ad Hipponem regium deferuntur, vbi P. Sitius cum claſſe tunc erat, à quo ſuperatus interiit. Dio ſcribit illum in Mauritaniam reiectum, dum Sittium metuit, necem ſibi manu propria intuliſſe. *Vrbe dedũtur & mulctantur. Mors Fauſti, Afranij Scipionis.*

XIX. *Cæſar adit Sardiniam.*

REBVS hiſce geſtis Idibus Iunii (is eſt 13. eiuſdem) Vticæ claſſem conſcendit, & poſt diem tertium Carales in Sardiniam peruenit. Ibi Sulcitanos, quod Pompeianis fauerant, centum millibus ſeſtertiûm mulctat, (id eſt quinque millionibus librarum Turonenſ.) & pro decumis octauas pendere iubet, boniſque paucorum diuenditis, a. d. III. Calend. Quintiles naues conſcendit, & duodetrigeſimo die, id eſt vigeſimo ſexto Iulii, Romam peruenit. Quoniam vero immanibus largitionibus magnificentiam ſuam iam ante oſtenderat, deincepſque oſtenſurus erat, oportebat immanibus rapinis cum illis profuſionibus parem fieri, & ſimul iis quos expilaſſet poteſtatem adimere rebellandi. Dio addit illum prius quam Romam veniret, milites ætate confectos dimiſiſſe, & è Sardinia copias in Hiſpaniam aduerſus Pompeium cum Caio Didio præmiſiſſe. Tum elato animo Romam, ob Senatuſconſulta in eius gratiam facta, veniſſe. *Romã venit. Copias in Hiſpaniam mittit.*

XX. *Decreta in eius gratiã facta.*

DECREVERAT enim ſenatus, vt huius victoriæ cauſa 40. diebus ſacrificaretur, vt in triumpho iam ante conceſſo equis albis vteretur, eóque lictorum, apparatu, quo in prima & ſecunda Dictatura vſus fuerat; vt morum Magiſter ad tres annos, vt Dictator ad decennium conſtitueretur. Placuit Magiſtrum morum potius, quam Cenſorem appellare, ſiue quia id illuſtrius putarunt, ſiue quia ſine collega Cenſuræ, nec ad eius ſtatum legitimumque tempus. Decretum quoque, vt in Senatu ſemper Conſulibus in ſella curuli aſſideret, in omnibus ludis Circenſibus præmia diuideret, honores ac magiſtratus, quos aliàs populus tribuere conſueuerat, ipſe conferret, curruſque illi aduerſus Iouem ſpectans in Capitolio collocaretur. Denique ipſe ſuper imaginem orbis terrarum ex ære ſtatueretur, cum inſcriptione. *Semideus eſt*, aliaque id genus, quæ apud Dionem reperies turpiſſima adulatione plena.

XXI. *Senatum populumq; conſolatur.*

QVÆ cum Cæſar ex timore profecta intelligeret, cum primum Romam venit, ſtuduit in Senatu, ea dicere, eaque de ſe ſuoque exercitu polliceri, quæ omnibus conſolationem afferrent, nolle ſe omnium ciuium Dominum eſſe, ſed patronum; nec tyrannum agere velle, ſed Conſulem & Dictatorem, in procuranda omnium ſalute; nec facta eorum in pace imitari, quæ illi memores perhorreſcant, ipſe in bello, perpetua in omnes vſus clementia, vitauerit; qui de induſtria Pompeii Scipioniſque arcanas literas extemplo igne conſumpſerit, ne in quempiam deinceps ſeuerus eſſe cogeretur; qui denique paterna omnes beneuolentia complectatur. Milites autem non tyrannidis adminiſtros, ſed Romani imperii tutores fore, quibus neceſſaria benigne ſuppeditẽtur, ne victores ſeditionum materiam quærerent, & quidem eorum ſumptibus, qui inquieto, ac turbulento animo præditi, facile inſoleſcebant; vt deinceps ad modeſtiam reuocarentur. Hæc in Senatu primum, deinde apud populum locutus, timorem temperauit, dum promiſſa rebus ipſis comprobarentur.

XXII. *Quater triumphat de Gallis Ægypto. Põto & Africa*

DEINCEPS autem triumphis, muneribus, certaminibus, ſpectaculis omnis generis, epuliſque; aliiſque item ad Reip. conſtitutionem neceſſariis, reliquum fere anni tempus inſumpſit. De triumphis, ſcribit Dio inſigni ſplendore ac magnificentia quatuor ſeorſim diebus, de Gallis, Ægypto, Pharnace & Iuba, quatuor triumphos duxiſſe, quatuor inquam ſeorſim diebus. Nam Dio habet, τέτρασι χωρὶς πάσαις ἡμέραις, vbi non recte interpres, quatuor continuis diebus. Et licet Appianus l. 2. dicat, ἐθριάμβευσε τέτταρας ὁμοῦ θριάμβους, quatuor ſimul triumphos duxit, id tamen non de vno die, aut quatuor continentibus accipiendem eſt, ſed de triumphis actis ſine vlla interruptione bellorum. Nam clare Sueton. [a] Confectis bellis quinquies, inquit triumphauit, poſt deuictum Scipionem quater eodem menſe, ſed interiectis diebus.

a l. 1. n. 37.

XXIII. *Quæ in triumphu offenderent.*

ET cum reliquus, inquit triumphi apparatus ſpectatores delectaret, & lenitas eius in dicteriis, quæ in eum milites de more iaciebant, hilariter excipiendis, Arſinoë tamen reginæ in triumphum ductæ captiuitas, & lictorum inſolens multitudo, & pompa de ſpoliis ciuium in Africa cæſorum traducta, non paruam pariebat offenſionem. Id explicatius habes in Appiano l. 2. Tranſlatæ ſunt, inquit, in pompa picturæ omnium illarum cladium, atque etiam virorum effigies: ſolum tamen Pompeium oſtentare eſt veritus, propter recens eius publicumque deſiderium. Cæterum Arſinoë, in fratris ac ſororis Cleopatræ gratiam, dimiſſa, Vercingentorix cum aliis necatus eſt.

XXIV. *Triumphus de Gallis, & Afris, & Ponto. Cæſaris pietas.*

PLVT. in Cæſare triumphum de Gallis omiſit, quẽ tamen Sueton. ait primum atque excellentiſſimum egiſſe, eiuſque triumphi die, dum velabrum prætereheretur, pene curru excuſſum fuiſſe, axe diffracto; Aſcenditque, inquit, Capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextera, atque ſiniſtra lychnuchos geſtantibus. Cui ſubſcribens Dio. Prima, inquit, triumphi die, omen ei aduerſum obtigit, axe currus triũphalis, apud fanum fortunæ à Lucullo ædificatum, ita confracto, vt ad reliquam partem triumphi perficiendam alio curru opus fuerit. Omine hoc perculſum fuiſſe Cæſarem apparet ex memorabili facto, Chriſtianiſque digno temporibus, quod ſubdit, Cæſar vero tunc gradus in Capitolio genibus ingreſſus aſcendit, nulla neque currus, qui ex aduerſo Iouis ei poſitus fuerat, neque imaginis orbis terrarum pedibus ſuis ſubiectæ, neque inſcriptionis eius habita ratione: poſt ſemidei quoque nomen de illo titulo ſuſtulit. Addit Plut. in Africano

triumpho, filium Iubæ admodum puerum captiuum triumphatum fuiſſe; ſed ei fortunatam fuiſſe captiuitatem, qui inde ex barbaris Numidis, inter erudititiſſimos hiſtoricos locum acceperit: idemque tradit Appian. l. 2. Pontico autem triumpho, inquit Suet. inter Pompæ fercula, trium verborum prætulit titulum, *veni, vidi, vici.* Non acta belli ſignificantem, ſed celeriter confecti notam.

XXV. *Varia edit ſpectacula. Aedem Veneri dicat.* Pergit autem Appian. Edita ſunt & varia ſpectacula circenſium, muſicorum, millenorum peditum inter ſe concurrentium prælio, ducenorum item equitum; rurſum aliud equitum & peditum promiſcue pugnantium. Commiſſi ſunt & viceni elephanti, & nauale prælium repræſentatum, quadringenis vtrimque remigibus, millenis ſociis naualibus decertantibus, idque, vt ait Sueton. in minore Codeta, ſiue vt explicat Dio, in ipſo campo Martio, in eam rem effoſſo, & aquis ac nauibus repleto, qui addit in omnibus his certaminibus depugnaſſe captiuos, quique erât capite damnati, quoſdam etiã equitum filios. Hi ſunt gladiatores, & hæc Naumachia, quam dediſſe in honorem Iuliæ iam defunctæ ſcribit Plutarchus in Cæſare. Alia quoque addit Sueton. quæ breuitatis cauſa omittimus, vt ad vtiliora veniamus. Nec tamen omittam dedicatam à Cæſare ædem Veneri genitrici, vt ait Appian. l. 2. ex voto concepto inſtante pugna ad Pharſalum, fanumque ædi additum, quod forum iuri dicendo Romanis eſſe voluit. Dio etiam, Forum, inquit, & templum Veneris, quam ſui generis autorem ferebat, à ſe condita Cæſar ſtatim tunc conſecrauit, & multa ibidẽ, & varia ſpectacula edidit. Et hæc ſine dubio eſt Iulia baſilica, quam memorat D. Hierony. & in hunc ipſum annum coniicit in Euſebii chro. quæ mirum eſt præteriiſſe Scaligerum. De ea plura leges apud Pontac. in Euſebium.

XXVI. *Conflat ſibi odium. Varias edit leges.* Verum pro applauſu, quem hiſce ſpectaculis quærebat Cæſar, duplicem ſibi inuidiam aut odium conciliauit, ſiue quod quaſi nondum cædibus exſatiatus, ipſe populo ſuorum malorum imagines repræſentaret; ſiue quod in hoc ſumptus ingentes feciſſet, & inanem delectationem, tot oppidorum atque prouinciarum, quas expilarat gemitibus redemiſſet. Fremebant & milites, qui hæc non ſibi potius donata querebantur, licet immenſa præda ſaginati, vt autor eſt Dio. Qui etiam docet: multas hoc ipſo tempore leges ab eo eſſe ſancitas. Id quibus illæ duæ, vt Iudicia ſolis Senatoribus, Equitibuſque permitterentur. Et ne quis omnino Prætor amplius anno, aut Conſul biennio à ſuo magiſtratu continuo imperaret: ne quis eam ſumeret occaſionem ambiendæ, vel occupandæ dominationis, quod ſuo ipſe exemplo didicerat. Edidit etiã de procreanda ſobole atque educanda, & moderãdis ſumptibus, vt ſcribit Dio; ad quam omnino pertinet illud D. Hierony. in Euſebii chron. Prohibitæ lecticis margaritiſque vti, quæ nec viros, nec liberos haberent, & minores eſſent annis 55. vel vt habet Pontaci editio, 45. quem vide; quoniam Scaliger ingenue fatetur, nihil ſibi ea de re exploratum eſſe. Res porro ad præſentem annum, non ad ſeq. vt in illo chronico habetur, pertinet.

XXVII. *Annum corrigit.* Sed nihil illuſtrius atque vtilius fecit hoc tempore, quam quod ad corrigendum annum animum conuertit; hoc inquam tempore. Nam correctionem illam, hoc anno factam eſſe, eoque tempore, quod inter Africanum bellum, & Hiſpanienſe interiectum eſt, autor eſt Dio l. 43. Diſtinctius etiam Cenſorinus, de die Natali c. 20. ſcribit eam correctionem factam à C. Cæſare Pontifice maximo, ſuo tertio, & Æmylii Lepidi conſulatu. Quibus conſentit Onufrius, Sigon. Torniel. Gordon. c. 19. Cuſpin. Marcoduran. in Cicer. hiſtoria. Deckerius de anno Chriſti annot. 1. in tabulas, Scal. l. 4. de emend. c. 1. Mariana l. de die mortis Chriſti c. 1. Baron. in apparatu n. 125. Temporarius & Caluiſius. Aliqui id referunt in annum ſeq. ſiue quartum Cæſaris conſulatum, vt Functius, Mercator, Genebr. licet inconſtanter. Conuerſus, inquit Sueton. n. 40. ad ordinandum Reip. ſtatim faſtos correxit, iampridem vitio Pontificum, per intercalandi licentiam, adeo turbatos, vt neque meſſium feriæ æſtati, neque vindemiarum autumno competerent; Annumque ad curſum ſolis accommodauit, vt 365. dierum eſſet: & intercalario menſe ſublato, vnus dies quarto quoque anno intercalaretur.

XXVIII *Annus confuſionis, & intercalationũ.* Quo autem magis in poſterum ex Cal. Ianuariis nobis temporum ratio congrueret, inter Nouembrem ac Decembrem menſem, interieceerit duos alios, fuitque is annus, quo hæc conſtituebantur, quindecim menſium cum inter

calario, qui ex conſuetudine in eum annum inciderat. Sic Suetonius; Inciderat, inquit, & videlicet de more inſertus fuerat menſe Februar. inter Terminalia & Regifugium, vt ait Cenſorinus: alii autem duo menſes inter Nouembr. & Decembrem interiecti ſunt, ex quo perſpicuum eſt hoc ipſo anno, qui dicitur à Macrobio l. 1. c. 14. Confuſionis, omnem intercalationem, & adæquationem eſſe factam. Vt mirum ſit Mercatorē dicere, non potuiſſe hoc anno fieri intercalationem, ac reſtitutionem anni, cum id Suetonius factum dicat, & tempus ipſum aſſignet ac menſem, vt propterea ſequens annus, ſine vlla dubitatione, primus Iulianus dicendus ſit. Nec id obſcure ſignificat Macrobius, cum ait; C. Cæſar exordium nouæ ordinationis initurus, omnes dies, qui confuſionem adhuc poterant facere, conſumpſit, (vt ſcilicet anni deinceps curſui ſolis adæquata duratione reſponderent) eaque re factum eſt, vt annus Confuſionis vltimus in 444. dies protenderetur. Sic ipſe.

XXIX. *Quam lõgus fuerit.*

Clare quoque Cenſorinus lo. cit. C. Cæſar, inquit, Pontifex Maximus ſuo tertio, & M. Æmylii Lepidi Conſulatu, quo retro delictum corrigeret, duos menſes intercalarios dierum ſexaginta ſeptem, in menſem Nouembrem & Decēbrem interponeret, cum iam menſe Februario dies tres & viginti intercalaſſet, faceretque eum annum dierum 445. Et paulo infra, annum quarti Conſulatus Cæſaris, ponit primum annorum recte ordinatorum. Ex hoc anno, inquit, ita à Iulio Cæſare ordinato, cæteri ad noſtram memoriam Iuliani appellantur, eique conſurgunt ex quarto Cæſaris Conſulatu. Ex his verbis Cenſorini, & præcedentibus Suetonii, gemini erroris Scaligerum argues, libro quarto capite primo. Cæſar, inquit, anno Confuſionis intercalauit primum dies 67. tum Merchedonium parem, qui ex conſuetudine forte in illum annum inciderat. At Cenſorinus facit hunc menſem imparem, id eſt 23. dierum; & eam intercalationem prius factam eſſe affirmat, quam 67. dies insererentur; ſecutus in ea re Suetonium l. c. Ex quibus liquet, non tam facile credendum Scaligero, quam ei facile eſt de rebus ferre ſententiam.

XXX. *Differentia Macrobii, & Cenſorini.*

Distat porro Macrobius à Cenſorino vno die, quod ille annos communes lunares faciat annorum 354. ſicut & Solinus c. 3. Cenſorinus autem 355. Nam à Numa, inquit, ſiue à Tarquinio duodecim facti ſunt menſes, & dies 355. quamuis luna duodecim ſuis menſibus 354. dies videbatur explere, ſed vt vnus dies abūdaret, aut per imprudentiam accidit, aut, quod magis credo, ea ſuperſtitione, qua impar numerus plenus, & magis fauſtus habebatur. Sic ipſe. Macrobius quoque vnum diem additum ait à Romanis in honorem imparis numeri. Explet autem luna 354. dies, dum è duodecim menſibus, ſex 29. dierum conſtituuntur, & totidem triginta, qui ſimul prædictum numerum efficiunt. Eos autem dies curſui ſolis æquabant, addendo alternis annis menſem, modo viginti duorum, modo viginti trium dierum. Intercalarium menſem, inquit, Cenſorinus viginti dūum, vel viginti trium dierum alternis annis addi placuit, aut potius alternis bienniis, vt ciuilis annus ad naturalem exæquaretur.

Intercalarius menſis

XXXI. *Antiqua intercalatio cum Iuliana conuenit.*

Rectissime autem exæquebatur, & plane eodem modo, quo poſt Cæſaris correctionem factum eſt, addito poſt quatuor annos vno die biſſextili. Si enim annis 354. dierum, addideris poſt biennium 22. dies, & poſt alterum biennium 23. efficies annos quatuor 365. dierum, cum vno die ex quatuor quadrantibus cōflato, vt habes in margine. Iuliana tamen ratio multis de cauſis vtilior fuit; vel illa certe, quod intercalatio & facilior ad praxim & duplo rarior, & tot partibus minor fuit, vt minus facile poſſet confuſio ex intercalatione naſci. Ex his etiam intelligitur hunc annum Confuſionis, ſiue correctionis fuiſſe biſſextilem, aut vt rectius dicamus intercalarem, cum dicat Cæſorinus Cæſarem inſeruiſſe in fine anni ſeptem & ſexaginta dies, cum iam menſe Februario dies tres & viginti intercalaſſet. At illa 23. vel 22. dierum intercalatione eadem fiebat exæquatio, quæ poſtea facta eſt, per diem biſſextilem; ergo præſens annus, quaſi biſſextilis reputandus eſt.

Annus confuſionis inſtar biſſextilis.

XXXII. *Scaliger Solinum male vexat*

Idemqve affirmat Scaliger libro quarto capite primo, ab eoque reiicitur Solinus, cum ſua intercalatione viginti & vnius diei cum quadrante, vtrum autem merito, mox videro: ille certe ab eo ſe cum conuitiis de more expedit. Solinus,

inquit, vt eſt autor valde futilis, putat Merchedonium tantum eo anno intercalatum, cumque annum trecentos 44. dies duntaxat habuiſſe; Mercedonium vero dies 21. qui de modo anni Iuliani deductus, relinqueret annum Confuſionis dierum 344. vt eius ratiocinia poſtulant. Quod monſtri quid, cuiuſmodi ſit, equidem non video. Sed ille fucus in illis eclogis, quas mala fide ex bonis autoribus in ſuum Polyhiſtorem tranſtulit, multa huiuſmodi ſine delectu conſarcinare ſolet. Sic ille Solinum, pro Caluiniana modeſtia tractat, quem tamen conabor illuſtrare, & ab iſtius hominis petulantia defendere; præſertim cum Solino nitantur, qui putant tertium annum Iulianum fuiſſe biſſextilem, (in quibus Baron. in apparatu n. 126. & Gordon. c. 19. n. 5.) loco in primis obſcuro, & mendoſo: ille nobis examinandus eſt.

XXXIII. *Solini ſententia de anno Confuſionis.* — *Poliſt. c. 3.*

Sic ergo habet Solinus. *Itaque C. Cæſar vniuerſam hanc inconſtantiam, inciſa temporum turbatione compoſuit, & vt ſtatũ certum præteritus acciperet error, dies 21. & quadrãtem ſimul intercalauit*: & mox, *ille ergo annus ſolus 344. dies habuit, alii deinceps trecentos ſexagenos quinos & quadrantem.* Hæc ibi. Quomodo dies 21. & quadrantem ſimul intercalauit, cum Dio libro quadrageſimo tertio dicat dies 67. intercalatos, *quamuis alii falſo plures perhibuerint*, inquit: totidem dies Cenſorinus cap. 20. Suetonius menſes duos, præter conſuetum menſem intercalarium, quibus omnino conſentit Macrobius, cum illum annum vltimum Confuſionis, dicat fuiſſe 444. dierum; quæ ſumma, vt ante dixi, procedit ex tribus, ſcilicet 354. qui ſunt duodecim menſes lunares, 23. qui eſt menſis intercalaris, & 67. quos adiecit Cæſar. Deinde quomodo verum eſt illum annum habuiſſe 344. dies, cum & Macrobius, & perſpicua ratio doceat fuiſſe 444. dierum? quomodo in Solino legendum arbitror, quod ex ipſomet Solino mox confirmabo.

354	
23	
67	
444.	

XXXIV. *An inſerti dies 21. cum quadrante. Arguitur Scaliger.*

Illos autem 21. dies cum quadrante, Scaliger ad menſem intercalariũ male refert, quem Plutarchus in Cæſare vocat Mercedonium. Male inquam, primo, quia quadrantem illum, de quo eſt tota quæſtio, nec fruſtra ab autore poſitus eſt, prætermittit. Secundo, quia Mercedonius, vt ex Cenſorino diximus, alternatim viginti duobus, & viginti tribus diebus conſtat, nunquam viginti vno. Tertiò, quia nimis imperite putat Solinum deducere de anno Iuliano 21. diem, vt fiat annus Confuſionis 344. dierum, cum Solinus dicat, intercalatos dies vnum, & 20. cum quadrante, non deductos; & correctio anni ex additione, non ex deductione pendebat.

Exponitur Solinus.

Exiſtimo ergo legendum, *dies vndecim & quadrantem ſimul intercalauit*, quo ſignificare voluit omnes vndenos dies cum quadrantibus, qui nono quoque anno à Græcis intercalabantur, in vnum annum à Cæſare fuiſſe coniectos, ſicque factum fuiſſe hunc annum 444. dierum.

XXXV. *Modus intercalandi Græcorum.*

Hanc eſſe Solini mentem, patet ex præcedentibus eodem capite. *Græci*, ait, *ſingulis annis vndecim dies, & quadrantem detrahebant, eoſque octies multiplicatos in annum nonum reſeruabant, vt contractus nonagenarius numerus, in tres menſes per tricenos dies ſcinderetur; qui anno nono reſtituti efficiebant dies quadringentos, quadraginta quatuor, quos* ἐμβολίμους, [a] *vel* ἐμβολίμαια *nominabant.* Hæc Solinus. Macrobius quoque, *Græci cum animaduerterent deeſſe anno ſuo vndecim dies & quadrantem, intercalares, ſtatuta ratione commenti ſunt, ita vt octauo quoque anno nonaginta dies, ex quibus tres menſes tricenum dierum compoſuerunt, intercalarent. Id Græci fecerunt, quoniam erat operoſum, atque difficile omnibus annis vndecim dies, & quadrantem intercalare* &c. Hanc intercalandi rationem memorat ſanctus Epiphanius Hæreſi 70. quæ eſt Audæorum, docetque ſigillatim quomodo ſingulis annis vndecim dies, & ſex horæ deſint. (Nam ipſe tres horas pro ſenis poſuit, quaſi dies naturalis duodecim eſſet horarum, non 24.) quæ poſt octo annos dies nonaginta efficiant, ſiue tres menſes, qui tum inſerantur.

a lege ἐμβόλιμος, ſiue ἐμβολίμαιος.

Incremẽta.	
11	$\frac{1}{4}$
8	
88	
2	
90.	
An. ſolares.	
365	$\frac{1}{4}$
8	
2920.	
2	
2922.	
An. lunares	
354	
8	
2832.	
90	
2922.	

XXXVI. *Vt ſolari & Romano reſponderent.*

Cvm ergo ſinguli octo anni, ex duodecim nouiluniis, 354. diebus conſtarent, nonus annus dies nonaginta inſerebat, vt annus lunaris, nono quolibet anno ineunte, ſolis curſui æquaretur. Nam vndecim dies cum quadrante octies multiplicati nonaginta dies efficiũt; quibus additis ad annos lunares, ſolaribus ad amuſſim reſpondent, vt vides in margine. Nihil ergo facit hic Solini quadrans ad primam partem diei biſſextilis. Cum autem, vt ſupra docuimus, intercalatione vi-

ginti duorum, aut viginti trium dierum alternis annis facta, ſi rite fuiſſet obſeruata, anni lunares ſolaribus æquarentur: & in præſentem annum menſis intercalarius ex antiqua conſuetudine incidiſſet, vt inquit Suetonius libro primo numero quadrageſimo; oportet hoc anno, additis 67. diebus, à Cæſare annos lunares, tam ex conſuetudine, quam ex rei veritate ſolaribus fuiſſe adæquatos, quo modo poſtea per diem biſſextilem adæquari cœperunt.

XXXVII *Confuſionis annus an biſſextilis.*

Ex his autem non efficitur, etſi annus præſens, qui eſt vltimus Confuſionis, pro biſſextili computetur, vt quartus annus Iulianus ſit biſſextilis. Cum enim exæquatio in fine anni Confuſionis, inter Nouembrem & Decembrem facta ſit, cenſetur ad proximum annum pertinere, ob temporis breuitatem vſque ad tempus legitimi biſſexti. Ergo primus Iulianus eſt biſſextilis, & conſequenter quintus, nonus, 13. 17. & ita deinceps. Ex quo fit vt primus Chriſti annus, qui eſt Iulianorum quadrageſimus quintus, & Vrbis Conditæ 752. ſit biſſextilis, quod Auguſtanæ emendationi congruit. Ex hoc ergo Solini loco habes aliam intercalandi formam, quæ aliter quæſitam à Cæſare exæquationem efficiat, cui tamen Iuliana multum præſtare videtur, vt dixi: facilius enim fuit, minuſque errori obnoxium 365. dies in duodecim menſes diſtribuere, & poſt quartum quemque annum vnum diem inſerere, quod fecit Cæſar, quam nono quoque anno nonaginta intercalare.

XXXVIII *Cæſar vſus opera Soſigenis.*

Vsvs eſt autem in primis opera Soſigenis periti Mathematici, vt author eſt Plinius libro decimo octauo, capite vigeſimo quinto; cuius induſtria neceſſaria fuit, non ad notandum annuum Solis curſum 365. diebus cum quadrante conſtare, id enim multis ante ſeculis obſeruatum fuerat, nec ad 11. illos dies per duodecim menſes diſtribuendos, facile quippe id fuit; ſed ad intelligendum quantum, vel quot diebus digreſſa eſſet anni ratio à legitimo loco; reperitque dies ſexaginta ſeptem, cuius rei ſigna ſunt, quod ſolſtitium æſtiuum in 3. Calend. Auguſti incidit, cum C. Marius contra Cimbros pugnauit, vt teſtatur Plutarchus in Mario. Deinde quod Liuius, anno Vrbis Conditæ quingenteſimo octogeſimo quinto, cum meminit eclipſis, quam Sulpitius Gallus prædixit, eam contigiſſe ait nocte, quæ quartum Septembris antecedit, quæ reuera fuit ante 22. Iunii, id eſt duobus fere menſibus cum dimidio celerius: qua de re vide, quæ eo loco diximus. [a]

Quæ emendationis neceſſitas.

[a] a.m.3880. n.10 & ſchol.1.

Alia etiam argumenta luxati admodum Calendarii Romani reperiuntur, ad quos errores corrigendos, & retrahenda ſolſtitia, & æquinoctia in locum ſuum, illi ſeptem & ſexaginta dies addendi fuerunt. Sicut enim nuper (1582.) auferendo decem dies, ſolſtitia, quæ celerius totidem diebus aſſignabantur, quam veritas poſtulabat, retardata ſunt: ita hoc anno addendo 67. dies, ſolſtitia, quæ erant tardiora antegreſſa ſunt, dum enim illi ſexaginta ſeptem dies præterlabuntur, ſolſtitium æſtiuum ab initio Septembris ad finem Iunii reuocatum eſt.

XXXIX. *Cæſar Cleopatram Romam euocat.*

Romae autem pleraque alia Cæſar è Republica conſtituit, quæ ex Suetonio in eius vita numero quadrageſimo primo, & Dione libro quadrageſimo tertio peti poſſunt. Hic autem ait Cleopatram, hoc ipſo anno atque tempore, cum marito ſuo Romam veniſſe, domiciliumque ei, in ipſius Cæſaris ædibus datum eſſe, eoque nomine Cæſarem, aut vtrumque potius male audiſſe. Sed eam, inquit, infamiam nihil curans, eos inter amicos, ſocioſque Romanorum adſcripſit. Suetonius quoque numero quinquageſimo ſecundo. Dilexit, inquit, maxime Cleopatram, cum qua & conuiuia in primam lucem ſæpe protraxit, quam denique accitam in vrbem, non niſi maximis honoribus, præmiiſque auctam remiſit, filiumque natum appellare nomine ſuo paſſus eſt. Sic Suetonius; ex quo cum Dione conſentiente, facile intelliges quam ſapienter Pſeudoſcaliger D. Hieronymum, ac Dionem reprehendat, in Euſeb. Chron. vt ſupra docuimus, neque errorem Caſaubonus diffitetur, in eum Suetonii locum.

XL. *Res Iudaicæ.*

Qvod ad Syriacas res attinet, ſub huius anni initium, vel præcedentis finem, cum Cæſar Romam reuerſus expeditionem parabat in Africam, contra Scipionem & Catonem, Hyrcanus per legatos eum rogauit, vt confirmaret cœptam ſocietatem & amicitiam. Sic Ioſephus. Interea vero Iudæi in exſtruendis muris Hieroſolymitanis deſudabant, vt præcedenti anno dictum eſt.

Antipater filios gubernationi admouet.

Antipater autem homo induſtrius & potens, cum Hyrcanum ſtupidum, ac

ſegnem animaduerteret, Phaſaëlum, è liberis ſuis natu maximum, Hieroſolymis, & circumuicinæ regioni ducem conſtituit; Herodi ſecundo Galilæam curandam commiſit, etiam tum admodum adoleſcenti, nec excedenti annum quintum decimum &c. Hic nonnulla mora facienda eſt circa Herodis ætatem hoc tempore, priuſquam de re ab eo geſta cum Ioſepho dicamus: ea ſiquidem non parui momenti eſt, ad Chriſti Domini ætatem recte ſtabiliendam.

XLI. *Herod. ætas hoc tẽpore.* ET primum pono hunc annum eſſe eum, qui bellum Alexandrinum & Ponticum ſecutus eſt, quo Africanum eſt confectum, Cæſare III. ſiue Conſule, ſiue Dictatore: idque probat tota ſeries rerum à Cæſare geſtarum hiſce annis, omnium ſcriptorum autoritate firmata. Ex quo neceſſe eſt falli, qui putant ea, quæ paulo poſt de Herode referentur, ad Conſulatum Vatinii & Caleni pertinere, qui Conſul fuit anno, quo bella illa duo geſta ſunt; quæ videtur Tornielli [a] ſententia & Baronii: [b] ſed id obiter ab vtroque dictũ eſt. Deinde exiſtimo, vel imprudenter vel ambitioſe à Ioſepho ſcriptum, Herodem hoc tempore annos quindecim natum fuiſſe. *Num 15. annorum.* Id enim ex Græco textu patet, vbi ad verbum habetur. 7. Herodi Galilæam commiſit, cum eſſet penitus, aut modis omnibus adoleſcens, quindecim enim tantum annos natus erat: quaſi dicat in ipſo adoleſcentiæ aditu; at viginti quinque annorum iuuenis, quam ætatem hic aliqui, viri in primis eruditi, agnoſcendam putant, numero annorum vtcunque correcto, non poſſet dici penitus adoleſcens. 8.

XLII. *Ita Ioſephum ſcripſiſſe.* DEINDE quæ ſubdit Ioſephus, ratione ætatis admirabilia fuiſſe contendit, quæ in ætate viginti quinque annorum nullam haberent admirationem. Ait enim: quæ tamen νέότης adoleſcentia illi nihil obfuit: ſed quia fuit generoſo ingenio præditus, confeſtim occaſionem inuenit, quomodo poſſet virtutem ſuam oſtendere. Nonne ineptum eſſet de iuuene viginti quinque, aut viginti octo annorum dicere, quæ ætas nihil illi obfuit, ad res fortiter gerendas? at in adoleſcentulo quindecim annorum recte dixeris, & glorioſè. Aut quomodo ad vigeſimum quintum vſque annum generoſa indoles ceſſaſſet, ingenitam virtutem demonſtrare? Significat enim hoc primum tempore ipſum virtutem animi, & corporis oſtendere cœpiſſe: & ita intelligit Ioſephum Baron. in Appar. numer. 114. & 15. id Sole clarius apud eum eſſe contendit: quæ illi cauſa fuit, vt mortem Herodis in nonum Chriſti annum differret. Itaque non probo Decherium [b] pro 15. legentem 25. neque Torniellum item [c] viros alioqui pereruditos, ac pios, pro quindecim annis ſubſtituentes hoc loc viginti quinque, zelo Ioſephi minime neceſſario labentes: præſertim cum non viginti quinque, ſed viginti ſeptem legendum eſſet, vt mox oſtendetur.

XLIII. *Id tamen abſurdum eſſe.* CENSEO nihilominus Ioſephum hoc loco de annis Herodis hallucinari, & qui eum ſecutus eſt Baronius, tam in Apparatu, [d] quam anno Chriſti octauo; cumque non 15. ſed 27. egiſſe. Non potuiſſe eſſe tantum quindecim annorum, probant multis argumentis Deckerius & Torniellus: tum quod incredibile eſt nobilem Galilææ prouinciam adoleſcentulo quindecim annorum non ſolum commiſſam eſſe, (nam principum liberis, etiam tenerrima ætate, tituli prouinciarum aſſignantur, & gubernatores audiunt.) ſed ea geſta eſſe illo tempore ab ipſo, quæ in illam ætatem minime cadere videantur, vt ſequens narratio patefaciet. Tum quia ſi nunc 15. tantum agebat annum, cum is, teſtificatione eiuſdem Ioſephi, circa 70. vitæ annum mortuus fuerit, [e] oportet eum vſque ad annum vrbis 759. aut 760. vitam produxiſſe, id eſt decimum Chriſti annum, Camillo & Quintiliano Coſſ. iuxta ipſius Baron. ſupputationem, qui Chriſtum natum ait Lentulo & Meſſalino Coſſ. Oportet quoque eum non 37. annos regnaſſe, ex quo à Senatu rex declaratus eſt, vt affirmat Ioſephus, [d] ſed 47. tot enim numerantur è Domitio Caluino & Aſinio Pollione Coſſ. V.C. 711. quando rex à Senatu declaratus eſt, vt affirmat Ioſephus, vſque ad Camillum & Quintil. V.C. 760.

XLIV. *Fuiſſe reuera viginti ſeptem.* FVISSE autem 27. annorum, aut certe in illum annum eſſe ingreſſum hoc tempore, inde probatur, quod ſi dicamus illi 70. annos vitæ, vt vult Ioſephus, [e] & paſſim omnes conſentiunt, ex quibus auferamus regni 37. reſtant 33. ante regnum, quod eſt inchoatum, anno V.C. 713. exeunte, quorum trium & triginta annorum primus cadet in an. vr. 681. quo Conſules fuerunt, L. Gellius Publicola, & Cornel. Lentul.

a a m 4007 & 4031. n. 34.
b in Appar n. 114.
7. χ.
8. χ.
b in Theſibus ſuis annot. 13. n. 1.
c ἄντι τῶ εἴκοσι citat.
d n 14. & ſeq.
e l. 1. de bel. c. 1. init.
ἐτῶν ἑβδομήκοντα
d l. 17. ant c. 8
d l. 17. an c. 10. & l. 1. de bel. Iud. c. vlt.
e l. 14. c. 26.

vigeſimus aut octauus,in annum præſentem,quo Cæſar III. & Lepidus Coſſ. fuerunt ,vt patet expanſos annos ſigillatim nobiſcum,atque annuatim enumerãtibus. Hinc autẽ ſimul infirmatur illa correctio,15.in viginti quinque mutantium. Hæc exactius examinanda erant,quia ad ſtatuendum Chriſti annum, magni ſunt momenti,& ad eum confirmandum anni Herodis ab omnibus vſurpantur.

.c.17. QVOD ad rem autem ab Herode geſtam. *Comprehenſum*,ait Ioſephus , *Ezechiam primarium latronem,& cæterorum ducem, Syriæ fines incurſare, ac prædari ſolitum, affecit ſupplicio,cum multis latrocinii ſociis : quod eius factum magnam ei apud Syros conciliauit gratiam,nihil magis cupientes,quam repurgari tandem regionem à prædonibus. Decantabant igitur eum hoc nomine per vicos & oppida, vt authorem pacis, & fruendi ſecure poſſeſſionibus. Quin & Sex. Cæſari per hoc factum innotuit, cognato Magni Cæſaris, & tum adminiſtranti Syriam.* Hic habes hoc quoque anno Præſidem Syriæ fuiſſe Sex.Cæſarem;ſine cuius autoritate non potuit Herodes,latrones Syriam incurſantes , aut perſequi,aut ſupplicio afficere:quod enim id Hyrcano inſcio factum mox dicetur, eius ſtupiditati atque ignauiæ tribuitur. XLV. *Herodes purgat latronibus prouinciã.*

IMO nec iniuſſu Præſidis,aut certe illo inſcio Phaſaëlũ Hieroſolymis, Herodẽ Galilææ à patre fuiſſe præpoſitos crediderim. Romani quippe omnio Hieroſolymis,& in tota Iudæa poterant. Teſtes Gabinii & Craſſi rapinæ; & abducti in captiuitatem Rex Ariſtobulus cum filiis,& Alexander Ariſtobuli filius à Scipione præſide ſecuri percuſſus : aliaque id genus plurima. Et ne longius abeamus, cum Herodes de hoc ſupplicio ſumpto accuſaretur, Sex. Cæſar Præſ. Syriæ ſcripſit ad Hyrcanum pont.vt eum abſolueret,minis,ſi contra feciſſet,additis, ideoque cum dicitur Herodes per hoc factum Sexto Cæſari innotuiſſe, intelligere poſſumus Herodem in magna virtutis opinione apud Præſidem eſſe cœpiſſe,eoque illum familiariter deinceps vſum eſſe. Quomodo enim ſecũdum iam annum præſes Syriæ,ignorabat Antipatrum pene dominum Iudææ, aut eius filios, quos par eſt à principio honoris ergò Præſidem adiiſſe,atque frequentaſſe,& cum eius, vt dixi, conſenſu, ſuis præfecturis donatos fuiſſe. Hæc autem fauent ætati prouectiori Herodis. Fauet etiam quod legimus lib.19. Ant. ſub fi.filium Agrippæ, cuius mors tangitur in Actis,qui & ipſe Agrippa dictus eſt,cum ageret annum ætatis 17.& degeret Romæ apud Claudium Cæſarem,eique eſſet cariſſimus,paterni tamen regni ſucceſſorem non eſſe factum,amicis diſſuadentibus,negantibuſque tutum eſſe, admodum adoleſcenti, & vixdum egreſſo pueritiam,tantum regnum committere. XLVI. *Cõſcio Sex. Cæſare.*

(Left margin: ...ντο γνώ... ...ς. — a.v.21.)

VT autem redeamus ad hiſtoriam,pergit fuſius explicare Ioſephus , qui Phaſaëlus excitatus ad æmulationem fraternæ gloriæ, Hieroſolymitanorum gratiam ſibi conciliarit;eoque factum fuerit vt Antipater, haud ſecus quam ſi rex eſſet, à tota gente coleretur:qua re cum Hyrcanus Pontifex nulla inuidia moueretur, optimates Iudæorum pro eius gloria zelantes,& incrementis Antipatri inuidentes, illum, eiuſque filium Herodem,apud Pontificem accuſant,quaſi tyrannidis appetentem: qua re ille commotus Herodem ad cauſam dicendam euocat. At ille præmonitus à patre, vt cum comitatu ad ſe tuendum idoneo veniret; ordinatis Galilææ rebus , quemadmodum exiſtimabat ſibi conducere (num fuit id quindecim annorũ adoleſcentuli?) Hieroſolymam venit,munitus inſuper literis præſidis, iudicioque ſe ſiſtens accuſatores omnes,quantumuis eum damnare cupientes, terruit, atque elingues,inopeſque conſilii reddidit;excepto viro quodam bono Samea nomine , qui non ſolum Herodem audaciæ ac violentiæ accuſauit, ſed eius culpam in Hyrcani indulgentiam, & iudicum timiditatẽ deriuauit,quos à Deo legum vindice punitũ iri mature prænunciauit ac vere : omnes enim ab Herode iam rege interfecti ſunt. XLVII. *Inuidia in Antipatrũ & filios eius.* *Herodes ambitus ec.uſatus.*

TVNC autem iudicio in ſeq.diem dilato,Herodes monitu pont.clam abiit ad Syriæ Præſidem, à quo empta Cœleſyriæ præfectura, iratus cum exercitu Hieroſolymam venit: ſed patris ac fratris occurſu cohibitus,terruiſſe contentus diſceſſit. Hæc pluribus Ioſephus ; qui licet non exacte tempus notet, fierique potuerit, vt exercitus Hieroſolymam infeſtus venerit,id tamen ſatis diu ante Cæſaris cædẽ contigit,vt patet ex fine c.17.in quo iſta narrantur. At quis vltra credat, aut puero 15.vel ſedecim annorum Cœleſyriæ præfecturam eſſe commiſſam,aut tantula ætate adoleſcentulum exercitum,non ſolum duxiſſe contra Hieroſolymam, ſed eam etiam terruiſſe,vt patrem fratremque ad preces confugere neceſſe eſſet ? XLVIII. *Præficitur Cœleſyriæ: terret Hieroſolymam.*

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 4008.

1.N.I. Sigonius tamen & Onuphrius, Conſulem tantum hoc anno, & non etiam Dictatorem fuiſſe contendunt, idque ex tabl. Capit. aliiſque confirmant, quos tuto ſequaris licet, cum Marcodurano in vita Ciceronis, & Vignerio, Functio, & Stephano Pighio, neque id ſeriem chronologiæ perturbat. Si placet deinceps omiſſis Cæſaris Dictaturis, eius Conſulatus ſingulorum annorum numerare, quod facit Cuſpinianus, Temporarius, Caluiſius, Gordonius, Phrygio, Mercator, niſi quod vnum annum inter ſecundum & tertium Conſulatum Cæſaris male omittit, quo anno Cæſar Dictator II. non autem Conſul fuit, eo magiſtratu in fine anni conceſſo Vatinio & Caleno, à quibus nihilominus ille annus nomen accepit.

2.N.VII. Quod hoc loco Hircius narrat de centurione & veteranis crudeliter à Scipione interfectis ſuſpectum eſſe poteſt, quod tam illuſtris vir, qui cum decem ſociis audet firmiſſimam quamque cohortem Scipionis integram ad certamen prouocare; & tam indigno facinore occiſus ne nominatur quidem, cum potuerit eſſe nobiliſſimus, quod ſe pro Cæſare amplius 36. annis depugnaſſe gloriatur: quod ſi verum eſſet, oportuiſſet Cæſarem, qui nunc 4. & quinquageſimum agebat annum infra 18. annum exercitum duxiſſe, & prius propemodum imperatorem fuiſſe quam militem, quod nemo prodidit: vt forte pro 36. 16. legendum eſſe videatur; quod Glandorpio quoque viſum eſt, tot enim ab eius prætura numerantur, à qua in Hiſpaniam duxit exercitum. Fortaſſe autem huius Centurionis eſt mentio apud Valerium l.3.c.8. vbi eius quoque nomen ambiguum eſt.

3.N.XIII. Rebellum Proconſulem vocat, ſicut & infra Criſpum Salluſtium, alii C. Caninium Rebilum, quorũ ille nondum Conſul fuerat hic nunquam Conſul fuit; ſed Proconſul nonnunquam idem cum Proprætore ſignificat.

4 N.XXIV. Primæ traductæ per hos triumphos, inquit Appianus, ſexaginta millia talentorum cum dimidio talento proditum eſt, id eſt ſi fuerunt milliones aureorum, & inſuper 175. Si Euboica 28. milliones 233. $\frac{1}{3}$. Inſuper cor. aureas 2822. pondo 20414. id eſt 204 400. 1. 2. milliones, 41. millia & 400. cor. Ex quibus mox poſt triumphum perſolutum eſt militi, & cum auctario, quidquid promiſerat, militibus quinquies millenæ drachmæ Atticæ duplum centurionibus, tribunis & præfectis alarum quadruplum, plebi viritim mina Attica, quæ ſi vera ſunt ſingulis militibus dedit Cæſar 875. lib. Tur. ſiue coronat. 291. $\frac{2}{3}$. Centurionalibus 1750. libras, ſiue coronatos 583 $\frac{1}{3}$. Tribunis 350. lib. coron. 1666. $\frac{2}{3}$. plebi 17. lib. $\frac{1}{2}$. ſi hæc inquam vera ſunt. Nam aliter Dio ſecutus Suetonius n. 38. ait vlteranis legionibus dediſſe in pedites ſupra bina ſeſtertia, id ſupra centum lib. Tur. in equites vicena quaterna millia nummum, id eſt mille & ducentas libras Tur. præter agros quos dies aſſignauit. Populo autem præter denos frumenti modios, & totidem libras olei, trecenos nũmos, quos pollicitus olim erat viritim eius ſit, & hoc amplius centenos promora. Itaque ſingulis dedit 20. libras Tur. quoniam Cenales ſingulos nummos ſingulis ſolidis æſtimat: cum autem cenſu facto, vt ſcribit Zonar. & Plutar. in Cæſare 150. millia ciuium ſint, pro 320. millibus, quæ ante ciuile bellum cenſa fuerant, tantum cladis Reip. attulit duorum ciuium contentio Zonar Appianus adit dimidium fere minus ciuium inuentum hoc tempore fuiſſe, ſi viritim lib. Tur. 20. diſtribueris tres omnino milliones lib. Tur. reperies omne diſtributos

Et non poſt tertium, ſextum, & octauum 5.N.XXXV
annum. Nam præter moleſtiam crebrioris intercalationis, quomodo poſt tres annos tres dies, & 18 horæ inſeruntur? imo ſicut reſeruantur dies hi tres & horæ 18. ſequentibus copulandæ, ita & toti illi 33. cum ſuis horis reſeruati videntur in principium anni noni, iuxta ea, quæ ex Macrob & Solino diximus. Quamquam fieri potuit, vt tertio anno, mẽſis vnius fieret intercalatio, reſeruatis tribus diebus & 18 horis; deinde ſexto, retentis 7. diebus & 12. horis: qui dies & horæ coniunctæ cum viginti duobus, & horis duodecim ſeptimi & octaui anni, tertiũ explent mẽſẽ.

De errore porro qui illapſus eſt, ex præ 6.N.XXXVIII.
propera biſſextilis diei intercalatione, & ab Auguſto Cæſare emendatus, vt à Sueto. in Octaui. n. 31. Macrob. l. 1. Sat c. 14. Plin. l. 18. c. 25. Solino c. 3. notatum eſt, ſuo loco dicemus. Eum errorem tribuit Iulio ipſi Alexander ab Alexand. l. 3. c. 24 ibi, donec D. Auguſtus, &c. Plin. autem l. 18. c. 25. eum videtur tribuere ipſi Soſigoni de hoc anno Auguſti, quẽ Gordonus vult eſſe, V. C. 745. vide eum c. 19. nu. 7. Scalig. l. 4 c 1. p. 215. Cæterum obſeruarunt peritiſſimi Aſtrologi non pręciſe ſolem ad idem punctum redire vertente anno ſpatio 365. dierum cum $\frac{1}{4}$. & Dio quidem l. 43. tabulum putat errorem incidere in hori, qui intercalatione vnius diei 1461. quoque anno indignat. Sed longe ab eo diſtant Aſtrologi, vt videre eſt aput (Lalamantium in ratione anni Romani, &) Ptolemæum l. 3. Almag. c. 2. vbi ſecundum Mentonem in trecentis annis quinque dies deeſſe dicit, ſecundum Cællippum vero vnam ſolummodo, quam ſententiam ſua ipſe experientia fuſe confirmat, qui fleuit circa annum Chriſti 140. At Alphonſus rex Caſtellæ, qui amplius 1100. annis eo poſterior fuit, reperit

134. diei partem. Albategnius autem Maurus qui Alphonſum anteceſſit, trecentis & amplius annis, 106. diei partem tãtum agnouit. Sed de his ſatis, plura ſuggeret Ioannes Mariana l. de die mortis Chriſti c. 3. & Lalamãt. in ratione anni Romani. Gordonius ca. 19. Vide Clauii Apologiam contra Mæſtlin. l. 1. p. 37. vbi docet Greg. in correctione Calendarii ſecutum tabulas Alphonſinas, quod eius opinio media ſit inter Ptolem. & Albategnium.

7. N. xli. Ἡρώδῃ, inquit, τὴν γαλιλαίων ἐπιτρέπει, νέῳ παντάπασιν ὄντι, ιέ γὰρ αὐτῷ ἐγεγόνει μόνα ἔτη. Herodi Galilæam curandam dedit, cum eſſet prorſus iuuenis; quindecim enim annos tantum agebat.

8. N. xli. L. 1. de bello c. 8. vocat eundem κομιδῇ νέον, quod vertit interpres nimis adoleſcentem, ſic apud Platonem κομιδῇ μὲν οὖν prorſus quidem, omnino certe: pro quo idem dicit παντάπασι, σφόδρα γε, πάνυ γε, καὶ μάλα. Stephanus in theſ. Idem Ioſephus l. 19. Ant. c. vlt. κομιδῇ νέον vocat natum annos 17. & interpretatur μηδὲ τὰς παιδὸς ὑπερβεβηκότα χρόνους, qui nondum pueritiæ annos, exceſſerit.

ANNVS MVNDI 4009. SEXTÆ ÆTATIS 494.

IMPERII ROM. ET C. CÆSARIS 4. HYRCANI PONT. 31. PRÆSIDE SYRIAE CÆCILIO BASSO. HEROD. 28. PTOL. MIN. 3. CLEOPATRAE 6. OLYMPIADIS CLXXXIII. AN. 4. VRBIS CONDITAE 708. CAESARE IV. DICTAT. ET COSS. SINE COLLEGA. M. ÆMYLIO LEPIDO II. MAG. EQVIT. BELLI CIVILIS 5. SIMVLQVE HISPANIEN. AN. IVLIA. 1.

ANNVS ANTE CHRISTVM 44.

ANNVS ante Chriſtum quartus & quadrageſimus, cum bellis, triumphis, aliiſque rebus memorabilis, tum maxime primo anno Iuliano reperitur inſignis, quo primum ad ſolis curſus annus compoſitus cœpit, ab ipſis Calendis Ianuariis recte, æquabiliterq. procedere, vt ex iis intelligi poteſt, quæ ſuperiore anno diſputata ſunt, oſtenſumque hanc communiſſimam eſſe antiquorum recentiorumque ſententiam, quos hoc loco repetere non eſt neceſſe. Illud vnum ex Cenſorino, quod eſt clariſſimum, addiderim. I. *Primus annus Iulianus.*

Ex hoc anno, [a] inquit, *ita à Iulio Cæſare ordinato, cæteri ad noſtram memoriam Iuliani appellantur, eique conſurgunt ex quarto Cæſaris Conſulatu.* Illud autem quod de ſua memoria dicit, cap. 21. declarat, vbi à Roma Condita nongenteſimum nonageſimum primum, vocat ducenteſimum octogeſimum tertium Iulianum, ex quo fit, vt primus eorum ſit ſeptingenteſimus octauus, aut certe nonus, iuxta Palilia Varroniana; ſed nos faſtos Capitolinos, Sigonium, Pighium, reliquoſque pene innumeros ſequimur.

a c. 20. de die Natali

QVOD ad magiſtratus autem attinet, conſentiunt omnes hunc eſſe quartum Cæſaris Conſulatum, quo bellum Hiſpanienſe confectum eſt; & extinctum etiam ciuile videbatur, niſi ſequenti etiam anno reuixiſſet. Et Cæſar quidem ſine collega factus eſt Conſul. Quamuis enim alii ipſo abdicante ſuffecti legantur, nullus tamen eorum collega eius fuit, de quibus ſub finem anni, poſt bellum Hiſpanienſe, quando & creati ſunt, dicemus: nec eos in annum huius indice nominari oportuit, quando à ſolo Cæſare quarto Conſule annus nomen accepit. Dio dum de obſidione Cordubæ à Cæſare factæ agit. Eo tempore, inquit, Dictaturam gerebat Cæſar, & ſub exitum demum anni Coſ. creatus fuit, conuocato eius rei gratia populo per Lapidum, qui tum Magiſter eq. erat, eumque titulum ſibi Conſul contra maiorum inſtituta ſumpſerat. De 4. Dict. Cæſaris contentio eſt. Qui enim eum anno præcedenti Dictatorem fuiſſe negant, II. *Cæſar Dictator & Conſul.*

hanc eius tertiam Dictaturam memorant, cum M. Æmylio Lepido Magiſtro equitum; quæ ſententia Onuphrio, ac Sigonio placuit, aliiſque nonnullis; qui autem tertiùm Dictatorem cum fuiſſe anno præcedenti dixerunt, cum nunc IV. Dictatorem appellant, & Lepidum iterum Magiſtrum equitum; quæ eſt Dionis, Hircii, Suetonii, Cenſorini, aliorumque ſententia, quam & nos ſecuti ſumus.

III. *Dictator ad decennium, Coſ. ſine comitiis.* QVONIAM vero Cæſar cum è bello Africano reuerſus eſt victor, inter cæteros honores, ei vltro decreto Senatus attributos, in decennium Dictator erat conſtitutus, Dictaturam deinceps ad mortem vſque retinuit, vt Dictatorem vltra creari non oportuerit; Magiſtrum tamen equitum non retinuit ſemper Æmylium, vt ſequenti anno dicetur. Conſulatum nihilominus aſſumpſit hoc anno, propria autoritate atque voluntate ſine vllis comitiis. Poſt annum, inquit Eutropius, Cæſar Romam regreſſus, quartùm ſe Conſulem fecit, li.6.ſi. & ſtatim ad Hiſpanias eſt profectus, vbi Pompeii filii Cn. & Sex. ingens bellum reparauerant. Id ipſe paucis verbis perſtringit, ſicut & Plutarchus, paulo pluribus Appianus, nos Hircii narrationem contrahemus, & ex aliis de more ſupplebimus. 1. 1. ※.

IV. *Hiſpaniam celeriter cōtendit.* DVM Cæſar muneribus dandis in Italia detinetur, qui ex ſuperioribus præliis profugerant, cum duobus Pompeii Magni filiis Cnæo & Sexto, vlteriore Hiſpania potiti ſunt. Et ille quidem Vllam oppidum aliquot iam menſes oppugnabat, (Vliam Dio vocat, vicinam Cordubæ quinque leucis,) hic cum præſidio Cordubam tenebat. Interea & Cordubenſes, & alii, qui propenſiores erant in Cæſarem, crebris nunciis auxilia ſibi ab eo poſtulabant. C. ergo Cæſar Dictator III. deſignatus IV. magnis itineribus in Hiſpaniam contendit; & quidem tanta celeritate, vt quatuor & viginti diebus, illud iter ab eo decurſum quidam ſcribant, App. 27. Oroſ. ait decimo ſeptimo die Saguntum perueniſſe, forte 27. vt App. Is Q. l.6.c.16. Pædium, & Q. Fab. Maxim. quos legatos ante exercitui præfecerat, & qui Pompeianorum viribus impares, tum quieſcebant ipſi, tum omni ſtudio Cæſarem acceſſebant, vt ait Dio l. 43. de ſuo aduentu certiores facit, vt collectum in ea prouincia equitatum ſibi præſidio mitterent.

V. *Pompeius Bæticā adit.* EA re cognita, videns Pompeius non ſatis ſibi virium eſſe ad totam Hiſpaniam tenendam, relicta citeriore, Bæticam ad vlteriorem ſe recepit, eiuſque diſceſſu, ſtatim omnis ora maritima defecit, præſertim cum Varus à Didio apud Crantiam nauali prælio ſuperatus eſſet: de quo tamen loco Conſule Ortelium. Cæſar rogatus ab Vllenſibus obſeſſis, intra oppidum duce Iulio Paticco vndecim cohortes, per media aduerſariorum præſidia per fraudem immittit, inde Cordubam contendit, vt hanc oppugnando, alterius obſidionem ſolueret; quod & conſecutus eſt: ſed & ipſe Cæſar bis obſidionem intermittere Cordubæ, aduentu Pompeii coactus eſt, tum quod ſui nondum aduenſſent, tum quod morbo afflictaretur. Dio.

VI. *Res ad Bætim geſta.* INDE ad flumen Bætim leuibus præliis, & paribus fere damnis certatum eſt, dum Cæſar cupit aduerſarios in æquum locum deducere, & primo quoq. tempore de bello decernere, cum tamen Pōpeius cunctaretur, nec vellet, niſi idonea, & potiore loci temporiſue conditione pugnare. Etſi Appianus li. 2. ſcribat Pompeium confiſum copiis ſuis, quæ quartum iam annum exercitæ, operam ſuam alacriter offerebant, voluiſſe quamprimum Cæſari occurrere, & cum eo pugnare diſſuadentibus ſenioribus, & monentibus vt bellum trahendo, hoſtiles opes attereret. Hic Cæſar Ateguam oppugnare parat, & munitionibus cingere, quod frumento, quo ipſe maxime egebat, abundare didiciſſet. Dio. Cum Pompeius ſuperueniens matutina tectus nebula, concluſit Cæſaris equites, & concidit, ſic vt vix pauci effugerent. Tum Munacium Flaccum ducem oppido per fraudem intromiſit, ſed nullo admodum opere pretio. Dio. Cæſar nihilominus oppidum oppugnare non deſtitit, eoque ante diem vndecimum Calendas Martii deditione potitus eſt.

Tum Pompeius Vcubim verſus caſtra mouit, vbi dicitur 86. qui Cæſari fauebāt, ſecuri percuſſiſſe: nihilominus 120. ad Cæſarem perfugiſſe; aliiſque in locis beneuolentiam & ſtudium in Pompeiū eſſe debilitatū. Scribit enim Dio capta Ategua cætera defeciſſe, aut vacillaſſe: eoque coactum Pomp, inuitis diis pugnare ſtatuiſſe.

VII. *Varia prælia vſque ad Mundā* ALIQVANTO poſt caſtra caſtris contulit Cæſar, ad Salſum fluuium,

ibique pugnatum vehementius; ſed quo euentu vix ex ſcriptore iſto, & mutilo & inepto, intelligi poteſt. Coniicio ceſſiſſe à principio Cæſarianos, moxque reſtituta acie ſuperiores factos, victoriam amiſſis duobus Centurionibus retuliſſe; poſtero tamen die magna clade Pompeianos affectos, aliaque minuta prælia commiſſa, donec ad Mundam Bœticæ oppidum ventum eſt. Illic caſtra contra Pompeium Cæſar poſuit, indeque poſtero die iter facturus erat, quod locum pugnæ parum ſibi idoneum duceret, quod aduerſarii & loci natura, & oppidi munitione ſuperiores erant. Verum cum renunciatum eſſet à ſpeculatoribus, Pompeium à tertia vigilia in acie ſtetiſſe, iactatumque vulgo Cæſarem nolle in conuallem deſcendere, quod maiori ex parte exercitum tyronem haberet, Cæſar pugnare ſtatuit; cum præſertim videret ſe aduerſarios, ad pugnandum in planiciem, & æquum locum poſſe deducere. Itaque aciem inſtruit, & ad dimicandum procedit.

VIII. *Copiarum vtrimque numerus.*

POMPEIANI tamen non audent longius mille paſſibus, ab oppidi munitione procedere. Erat eorum acies tredecim aquilis conſtituta, quæ lateribus equitatu tegebatur, cum leui armatura ſex millium: præterea auxiliares accedebant, prope alterum tantum. Cæſariana vero 80. cohortibus, & 8. millibus equitũ conſtabat. Decumani, id eſt decima legio, dextrum cornu, ſiniſtrum tertia & quinta legio tenebant; tum cętera auxilia, & equitatus, Dio. *In vtriuſque ducis exercitu præter Romanos, ſocioſque, multi Hiſpani Maurique erant. Nam Bocchus filios ſuos Pompeio auxilio miſerat, Bogud vero ipſe cum Cæſare militabat.*

Et Cæſariani quidem vltra planiciem iam progrediebantur, & iniquiore loco aduerſarios adoriebantur, cum Cæſar locum definit, quo vſque progredi poſſint, quo facto ſuorum alacritatem frangere, aliorum accẽdere videbatur. Nihilominus prælium vtrimque magno clamore committitur, Cæſarianis virtute, Pompeianis loci ſuperioris commoditate præſtantibus.

IX. *Cur ſumma contẽtione ab vtriſque pugnaretur.*

VTRIQVE tamen, vt inquit Dio, ſumma animi corporiſque contentione pugnabant, quod Cæſariani hanc vnam ſupereſſe pugnam, ad perpetuam quietem & felicitatem, arbitrabantur. Pompeiani perſuaſum habebant, niſi vincerent, neceſſario ſibi eſſe pereundum; primarii præſertim duces, qui nullam à Cæſare miſericordiam ſibi poterant polliceri, qui iam ſuperati, vitaque donati fuerant. Addit etiam primo conflictu ſociorum auxilia, vtraque ex parte terga oſtendiſſe; ipſas vero Romanorum acies cominus congreſſas diuturnum ſumma contentione prælium feciſſe, nullo cedente loco, ſed ſuperante, vel ſi cecidiſſet locum corpore tegente.

X. *Initiũ victoriæ ex Dione.*

VICTORIÆ initium à Decumanis factum, videtur Hircius indicare, qui licet pauci, cum eximia virtute, & ſcientia militari præditi eſſent, ea opera perpetrabant, quibus omnibus aduerſariis terror inferretur. Aliter Dio, *Par* inquit, *animus vtriſque erat, pugnam quoque æquis viribus ſuſtinebant. Quod niſi Bogud, qui extra aciem cum ſuis conſtiterat, ſe ad caſtra Pompeii capienda conuertiſſet, profecto aut vniuerſi in acie cecidiſſent, aut nox incerta victoria prælium diremiſſet. Nunc cum Labienus, animaduerſo Bogudis inſtituto, ordine relicto aduerſus eum contenderet, Pompeiani eum fugere opinati, animis ceciderunt. Et quamquam eius conſilium poſtea cognouerunt, rem tamen in integrum reſtituere non valuere.* Sic Dio. Denique poſt multam cædem acies in fugam verſa, partim ad caſtra confugiens, non inulta periit, partim in oppidum, ex quo erant egreſſi, ſe receperunt: id perfugium niſi præſto fuiſſet, inquit Hircius, ipſis Liberalibus funditus omnes homines periiſſent.

XI. *Quod tẽpus initii prælii.*

LIBERALIA intelligit feſtos dies, Libero, ſiue Baccho ſacros, qui 16. Calend. Maias Romæ celebrabantur,

Tertia poſt Idus lux eſt celeberrima Baccho.

Ea eſt 16. Aprilis, quo die pueris Romanis toga dabatur. Græci vocant *Διονύσια*, vt
l.1.c.10. Plut. in Cæſare, qui illum hanc victoriam obtinuiſſe ait, non Saturnalibus, vt vertit interpres, alioqui doctiſſimus, atque diligentiſſimus, quæ 14. aut 16. Cal. Ianuar. celebrabantur, vt author eſt Macrob. ſed Liberalibus, quibus Pompeius Magnus quoque ad bellum profectus dicitur, ſpatio 4. annorum interiecto. Hoc prælium, inquit
l.6.c.16. Oroſ. ex Plut. eo die commiſſum eſt, quo Pompeius pater ab Vrbe bellum geſturus

aufugerat, quatuorque annis hoc ciuile bellum indeſinenter toto orbe tenuit, Ita ſcilicet, vt hic ſit quintus annus bellorum ciuilium, vt præfert index præſentis anni. Fuit autem 56. vitæ Cæſaris, vt autor eſt Eutropius, quod oſtendit eum natum anno Vrbis 653. C. Mario Sextùm, & L. Valerio Flacco Coſſ. vt ſuo loco dictum eſt. Sed illud addo de Liberalibus, non videri ſatis ſibi hunc authorem conſtare, qui aliquanto poſt dicat Cæſari Hiſpalim proficiſcenti, Cn. Pompeii reſectum caput prid. Id. April. allatum, & populo datum in conſpectum. Id autem pluribus diebus poſt pugnam factum eſſe ex ipſiuſmet narratione conſtat, vt poſtea intelligetur; quomodo ergo pridie Idus Aprilis, id eſt 12. eiuſdem allatum eſt caput, ſi 16. pugnatum eſt? an vox April. in Maium mutanda eſt?

XII. *Quanta Romanorũ clades.* In hoc prælio ceciderunt, vt ſcribit idem Hircius, millia hominum circiter 30. in quibus Labienus, & Attius Varus, equitum autem ad tria millia, belli duces ſeptendecim capti, aquilæ tredecim, præter alia ſigna & faſces. Cæſarianorum deſiderati, partim pedites, partim equites mille, ſaucii ad quingentos. Cui numero ſubſcribit & Plutarchus in Cæſare, niſi quod omittit illa tria equitum millia, & hos quingentos ſauciatos. Enimuero, inquit Dio, tanta vtrinque Romanorum cædes eo prælio facta eſt, vt Cæſariani cum dubitarent, quanam ratione vrbem circumuallarent, ne quis noctu euaderet, ex ipſis cadaueribus aggerem comportarint. Diſtincte Hircius, ex hoſtium armis pro ceſpite cadauera collocabantur, ſcuta & pila pro vallo: inſuper occiſis, & gladii & mucrones infixi, & capita omnium ordinatim ad oppidum conuerſa, vt vniuerſa hoſtium timorem augerent, &c. [a]

XIII. *Quantum Cæſaris periculum.* Qvantvm fuerit Cæſaris in hoc prælio periculum, placet ex Floro recitare. [b] Ait enim poſt anceps diuturnumque prælium, quaſi ex condicto in medio ardore certaminis, factum eſſe ſilentium; tum in ipſius Cæſaris oculis veteranos, poſt 14. annorum victorias, (hic nimirum decimus quintus annus eſt à primo anno belli Gallici, & ab exacto primo Cæſaris Conſulatu) retro gradum tuliſſe, adeo vt quamuis nondum fugerent, pudore magis quam virtute retineri viderentur. Itaque Cæſarem reiecto equo, remotaque galea, vt agnoſceretur ab omnibus, furenti ſimilem primam in aciem procurriſſe; ibi prenſaſſe fugientes, confirmaſſe, oraſſe, ne ſe pueris proditum irent, oculos, manus, clamorem per totum agmen circumtuliſſe. Addit Appianus, & ſuperos votis ſollicitaſſe, ne vno ignominioſo conflictu, tot egregiæ victoriæ abolerentur. Nullum vnquam atrocius, ait Velleius, periculoſiuſque ab eo initum eſt prælium; adeo vt pluſquam dubio Marte deſcenderet equo, conſiſtenſque ante recedentem ſuorum aciem, increpita prius Fortuna, quod ſe in eum ſeruaſſet exitum, denunciaret militibus veſtigio ſe non receſſurum; proinde viderent, quem, & quo loco relinquerent Imperatorem.

XIV. *Etiam de propria cæde cogitaſſe.* Pergit autem Florus. Dicitur in illa perturbatione, & de extremis agitaſſe ſecũ; idemque affirmat Suet. [c] & ita manifeſto vultu fuiſſe, quaſi occupare manu mortẽ vellet, niſi cohortes hoſtium quinque per tranſuerſam aciem actæ, quas Labienus periclitantibus caſtris præſidio mittebat, fugæ ſpeciem præbuiſſent. Hoc aut & ipſe credidit, aut dux callidus arripuit in occaſionẽ, & quaſi in fugientem inuectus, ſimul & ſuorum erexit animos, & hoſtes percutit. Nam Cæſariani dum ſe putant vincere, fortius ſequi. Inde Pompeiani, dum fugere credunt ſuos, fugere cœperunt, prout ex Dione nuperrime diximus.

Reuerſus à pugna, inquit Plut. & Appian. dixit ad amicos, ſæpe ſe pro victoria, in præſentia vero pro vita primum dimicaſſe.

XV. *Quid factũ vtrique Pompeio.* Ex prælio autem fugiens Valerius quidam adoleſcens, cum paucis equitibus Cordubam venit, vbi Sex. Pompeio, qui illic fuerat, rem geſtam narrat. Is diſtributa ſuis equitibus, quam ſecum habebat pecunia, oppidanis dixit, ſe de pace ad Cæſarem proficiſci, & ſecunda vigilia ex oppido diſceſſit. Cnæus autem Pompeius cum paucis, id eſt 150. equitibus ad nauale præſidium Carteiam contendit, quod oppidum abeſt à Corduba 170. millia paſſuum, eoque propter vulnera lectica delatus. Appian.

Interea Cæſar relictis cum Fabio Maximo, qui Mundam obſiderent, Cordubam venit, vbi, cum ſeditio inter vtriuſque partis fautores orta eſſet, 22. millibus occiſis, qui oppidum deſperatione incendere cœperant, eo Cæſar potitus eſt.

a l. 1. c. 36. & Oroſ. l. 6. c. 16.
b l. 4. c. 2.
c l. 1. c. 36. & Oroſ. l. 6. c. 16.

inde Hiſpalim proficiſcitur: nec minus periculum adiit ea ciuitas, ne à quibuſdam Luſitanis, qui eo ſe cum magna militum infuderant manu, & pro victis ſtabant, incendio & inteſtina diſcordia abſumeretur. Verum Cæſar conſulto eos eruptionem facere permittit, & naues, quæ ad Bætim fluuium ſtabant, incendere, ſed inde profugientes à Cæſarianis equitibus conciduntur. 3. Quo facto, oppido recuperato, Aſtam verſus iter facere cœpit; ſed ea per legatos deditionem fecit.

XVI. *Res ad Carteiam geſta*

Dvm hæc geruntur, Legati Carteienſes renunciauerunt ſe Pompeium in poteſtate habere. Cum enim portas Cæſari ante præcluſiſſent, eius nunc victoris gratiam eo facinore occupare ſtudebant. Mundenſes quoque, qui ex prælio in oppidum confugerant, cum diutius circumſiderentur, bene multi deditionem ſimulant; & cum eſſent in legionem diſtributi, coniurant inter ſe, vt noctu ſigno dato, qui in oppido eſſent, eruptionem facerent, dum illi cædem in caſtris perpetrarent, ſed ea re cognita, extra vallum omnes ſunt occiſi. Cæſar Carteiam petens, in itinere reliqua oppida oppugnat, quæ propter aduentum Pompeii diſſentire cœperant, Carteienſium pars erat, quæ legatos ad Cæſarem miſerat, pars Pompeianarum partium erant fautores; ſeditione facta portas, alii alias occupant, cædes fit magna; ſaucius Pompeius, 30. naues longas occupat, & profugit.

XVII. *Pompeium Carteia fugientẽ Didius perſequitur.*

Didivs, qui Gadibus claſſi præerat, eo accepto nuncio confeſtim ſequi cœpit, & quarto die conſecutus, dum aquantur, naues incendit, nonnullas capit Pompeius cum paucis euadit, & locum quendam munitum natura occupat; eum Ceſennius Lento cum equitibus & cohortibus perſequitur, & circuncludit, & poſt tentatam crebro non ſine damno irruptionem, locum opere circummunire celeriter incipit, vt ex æquo cum aduerſariis congredi poſſet. Qua re animaduerſa cæteri fuga ſibi conſulunt, plerique in fuga cæduntur. At Pompeius, qui humero, & ſiniſtro crure vehementer erat ſaucius, cum inſuper talum intorſiſſet, tardius fugere poterat; cum iniquitas loci, neque equo, neque vehiculo eum ſaluti ſuæ conſulere pateretur. Itaque excluſus munitione, amiſſis auxiliis, in ſpeluncam ſecretam ſe abdidit, vbi captiuorum indicio repertus, à Cæſarianis occiditur, eiuſque caput ad Cæſarem defertur: id Cæſar ſepeliri iuſſit, vt ait Appianus.

In ſpelunca æger occiditur.

XVIII. *Didii cædes Mundæ expugnatio.*

Interim Didius, qui cædi Pompeii præfuerat, non diuturnum eius lætitiæ fructum cepit, mox enim à Luſitanis circumuentus, incenſis nauibus, cum plurimis interficitur. Interea Munda, cum multa ciuium cæde, expugnatur à Fabio Cæſaris legato, cum oppidani inter ſe contentioſe decertarent: idque maximum fuit fundamentum triumphi, quo eum Cæſar, vt legatum ſuum in Vrbe honorare voluit. Expugnatur quoque Vrſao, quod oppidum Plinius Verſonem appellat, magno labore oppugnatũ. Cæſar Hiſpali concionem habet, & commemoratis ſuis in Hipanos beneficiis eos accuſat vehementius; nec plura iſte Hirtius. Ex hac vrbe Cæſar Romam epiſtolas conſolatorias ad Ciceronem dedit, pridie Cal. Maii, vt ille ad Atticum [a] teſtatur. Victoriæ autem nuncium 12. Cal. Maii delatum Romam teſtatur Dio. Præterea inſtitutum ait, vt Parilibus, quo feſto die equorum certamen celebrabatur, diis immortalibus ſacra fierent, non ob eam cauſam, quod is dies natalis Vrbis erat, ſed quod nũcius de hac victoria Cæſaris pridie eius diei ſub veſperam allatus eſſet. Sic ipſe: eſt autem Vrbis natalis xi. Cal. Maii, ergo 12. allatus eſt nuncius, id eſt 20. Aprilis, quarto ſcilicet die, ex quo pugnatum fuerat. Plutar. in Cæſare negat ab illo nuncium, aut literas de victoriis ciuilibus Romam miſiſſe, ne publicæ calamitati inſultare videretur.

a ep. 13. l. 13

Victoria nuncius.

XIX. *Cæſar victor Romã venit.*

Rebvs in Hiſpania compoſitis, eiuſque adminiſtratione Antonio commiſſa, qui eam per amicos exercuit, vt inquit Appianus, Cæſar Romam menſe Octobri venit, vt author eſt Paterculus, & quidem ſub eius initium. Nam cum Fabius triumpharit, 3. Id. Octob. Ipſe autem Cæſar prius triumpharit, vt ex Dione conſtat, & Fabio, quem mox referemus, priuſque ſe Conſulatu abdicarit, eumque Conſulem fecerit, Fabium enim Conſulem in triumpho appellant Capitol. tabulæ, neceſſe eſt eum ipſo menſis initio Romæ fuiſſe.

Eius honores, & priuilegia.

At Cæſar, ait Appianus, in vrbem properauit, ſublatis omnino bellis ciuilibus

timendus & illuſtris, quantum ad eam diem nemo alius. Quamobrem ad emerendam eius gratiam omnes humani diuinique honores ei cōgeſti ſunt, ſacrificia, certamina, donaria in omnibus templis, & locis publicis, per ſingulas tribus, & per omnes nationes. Effigies quoque eius vario habitu proponebantur, nonnullæ querna ciuica ornatæ, quaſi ſeruatoris ſuę patriæ. Appellatus enim eſt pater patriæ, & dictator perpetuus, & Conſul in decennium, & ſacroſanctus, decretumque vt ius redderet in ſellis eburneis, aureisue; & vt inter ſacrificandum triumphali veſte vteretur; vtque publice ſolennibus ſacris celebrarentur dies, quibus inſigniores victorias adeptus fuerat: & vt ſingulis luſtris ſacerdotes ac Veſtales publica vota pro eius ſalute facerent: vt qui magiſtratus inirent, iurarēt ſe nullis eius decretis refragaturos. Hæc & plura Appianus, quorum aliquā ad ſequentem quoque annum pertinent.

XX. *Cæſaris triumphus odioſus.* Et primum quidem videtur triumphali pompa in vrbem ingreſſus, priuſquam imperium conſulare deponeret, Conſulesve crearet. Cuius ſplendorem tacitus ciuium obſcurauit dolor, quod is non de hoſtibus aut barbaris, ſed de plurimis, clariſſimiſque ciuibus agebatur. Itaq. omnes eam querelam ingeminabāt, cui Cæſar tanto maiorem anſam dedit, quod non contentus triumphaſſe de ciuibus, de iiſdem quoque voluit legatos ſuos, licet immerentes triumphare. Triumphum, inquit Dio, non tantum ipſe duxit, exhibito iterum populo prandio, tanquam in communi quadam felicitate; (aut duobus potius prandiis, vt Suetonio placet. Nam cum prius parce, neque pro liberalitate ſua præbitum iudicaret, quinto poſt die, aliud largiſſimum præbuit, in quo Chium & Falernum dedit, vt ait Plinius. Pergit Dio.) *Manut. in ep. 30. l. 7.* *l. 1. n. 38.* *l. 14. c. 15.*

XXI. *Et Fabii, Pædiq. legatorum eius.* Sed Fabio etiam Pædióque legatis ſuis, quique nihil propriis auſpiciis geſſerant, triumphandi poteſtatem fecit. Qua in re id riſum multum excitauit, quod ij imaginibus, ferculiſque nonnullis non eburneis, ſed ligneis vtebantur. Alludit vtique Dio, ad illud Chryſippi, quod eſt apud Quintil. l. 6. c. 4. Is cum in triumpho Cæſaris eburnea oppida eſſent tranſlata, & poſt dies paucos Fabij Maximi lignea, thecas eſſe oppidorum Cæſaris dixit. Sic ibi. Et Fabius quidem 3. Idus Octob. triumphauit, vt dixi; Pædius autem, vt ex iiſdem tabulis Capitol. conſtat, Idibus Decembris, id eſt 13. eiuſdem. Atque ita triplex pompa Romæ de victoria Hiſpanienſi habita eſt, inquit Dio: ferięque inſuper quinquaginta dierum actæ.

XXII. *Noui Coſſ. in reliquū annum.* Iam de nouis in reliquū annum magiſtratibus, hæc habet Dio ſub fin. l. 43. Conſulatum continuo, ante etiam quam vrbem intraret, incepit, non autem toto anno geſſit: ſed poſtquam in vrbem venit, eo ſe abdicauit, Conſuléſque fecit Q. Fabium ac C. Treboninm, Fabióque extrema magiſtratus ſui die mortuo, ſtatim in reſiduas horas C. Caninium ſubſtituit. Quod Cicero cauillatus, tanta virtute, ac vigilantia Conſulem fuiſſe dixit, vt ne breuiſſimum quidem in eo ſomnum admiſerit: ſic Dio. Sed verba ipſa Ciceronis præſtat audire. Ille autem qui tributis comitiis eſſet auſpicatus (creandis ſcilicet Quæſtoribus) centuriata habuit, conſulem hora ſeptima renunciauit (i. prima à meridie) qui vſque ad Cal. Ian. eſſet, quæ erant futuræ mane poſtridie. Ita Caninio Coſ. ſcito neminem prandiſſe. Nihil tamen eo Conſule mali factum eſt: fuit enim mirifica vigilantia, qui ſuo toto Conſulatu ſomnum non viderit. Nec ineptius luſit M. Votacilius apud Macrobium cum dixit, antea flamines diales fuiſſe, nunc etiam Conſules factos eſſe. Pergit autem Dio. *l. 2. c. 2.*

XXIII. *Conſules breuis aui.* Vervm ab eo tempore cœptum eſt, vt perpauci toto anno Conſulatum gererent, ſed alij pauciores, alij plures menſes, dieſque, prout caſus tuliſſet, eo magiſtratu fungerentur. Ac noſtro quidem tempore nemo neque ad integrum annum, neque amplius vt plurimum duobus menſibus, cum collega aliquo Conſul eſt: in cæteris ab antiquo more nihil diſcrepamus; annorum autem enumeratio, iis qui initio Conſules fuerunt, adſcribitur. Sic Dio, cuius Conſulatum Temporarius refert in Vrbis annum 980. quem geſſit cum Alexandro Seuero III. Coſſ. idque ipſe teſtatur ſub finem. l. 80. idemque Caſſiod. confirmat.

Alia Cæſaris priuilegia. Dictus Liberator. Cum autem Cæſarem multis aliis ornauit honoribus, ac priuilegiis S.P.Q.R. quæ apud Suetonium & Dionem & Appianum leges, tum illis in primis, vt veſtem triumphalem omnibus ludis geſtaret, vt laurea corona perpetua vteretur, vt ei li-

beratoris nomen tribueretur, & in eius honorem ædes Libertati publice extrueretur.

Imperatoris quoque nomen non antiqua tantum pro conſuetudine, ei datum eſt, qua id cum alii, tum ipſe quoque, poſt eximium aliquod in bello facinus, ſæpe reportauit, ſed eo modo, quo poſtea iis, qui ſummum imperium obtinuerunt, quo etiam nomine filios quoque eius, ac nepotes affici voluerunt, cum neque filiũ ipſe vllum haberet, & iam ſenex eſſet, inquit Dio, ſex videlicet & 50. annorum, vt ante dixi. Vt ædes ei publicæ tanquam principi Reip. concederentur. Sueto. c. 46. ait eum primo in Subura modicis ædibus, poſt autem Pontificatum habitaſſe in ſacra via, domo publica. Cui autore Liuio, & Plutarcho in Cæſare, velut ad ornamentum & amplitudinem pinnaculum SC. adiunctum eſt. Et vt apertius eum Regem facerent, decretũ vt omnes magiſtratus, etiam plebeii eius arbitrio permitterentur, vt ſolus haberet milites, ſolus pecunias publicas curaret, ac ne cui horum alterutro ipſius iniuſſu vti liceret. Solum regis nomen deeſſe videbatur, ac diadema, quod vtrumque anno ſequenti propemodum adiectum. XXIV. *Nouũ Imperatoris nomen.* *Ædes publica.*

Sed vlterius etiam hoc anno adulatio progreſſa eſt, Deum facere cœperunt. Statuam enim eius eburneam, poſtea etiam currum totum in Circenſibus pompis cum Deorum ſimulacris vehi iuſſerunt. Sed & alias duas imagines, alteram in fano Quirini, cum inſcriptione Dei inuicti, alteram in Capitolio iuxta Reges ei poſuerunt. Templa etiam multa tanquam Deo, ex SC. decreta ſunt, & in his vnum ipſi, Clementiæque commune, in quo ſimulacra eorum iungerent dexteras, vt habet Appianus; fortaſſe eadem fuit ædes Libertatis, quam in eius honorem Dio decretam fuiſſe ſcribit, licet ille ἐπιεικείας, hic ἐλευθερίας vocet. Sed de Iulio Cæſare hoc anno, Romanaque re hactenus; de rebus autem Syriæ, hæc pauca Ioſephus. XXV. *Etiam Deũ faciunt.*

Incidit, eiſdem temporibus tumultus in Syria huiuſmodi ex cauſa. Cæcilius Baſſus è Pompeianis, per inſidias interfecto Sex. Cæſare, ipſe occupauit prouinciam, cum legionibus; ſicque Syriæ Præſes effectus eſt. Sed ab ea cæde magnum bellum exortum eſt circa Apamæam, Cæſarianis ducibus contra eum venientibus, cum equeſtribus, & pedeſtribus copiis: ad quos & Antipater miſit auxilia cum filiis, memor beneficiorum acceptorum à Cæſare, ideoque repetendas pœnas ab eius interfectore iuſtum exiſtimans. Id bellum dum trahitur Murcus venit Sexti ſucceſſor; & interim Cæſar, ab iis qui cum Caſſio & Bruto coniurauerant, in Senatu occiditur &c. Sed hæc cædes ad ſequentem annum pertinet, Sexti autem ad præſentem. Ait enim Ioſephus, [a] Antipatrum miſiſſe auxilia Cæſarianis contra Baſſum, tam interempti, quam ſuperſtitis Cæſaris cauſa: fuit autem ſuperſtes, vſque ad proximum menſem Martium. Aliter rem narrat Dio lib. 47. ſub medium. XXVI. *Tumultus in Syria ex Ioſepho.* *Baſſi præfectura Syriæ ex Ioſepho.*

[a] l. 1. de bel. c. 8.

Appian. autem l. 3. eandem de Baſſo, cum Ioſepho ſententiam, ex quodam Libone tradit; repetitque fuſius l. 4. [b] Sed alteram etiam profert non minus probabilem, Cæſarem legioni Baſſum præpoſuiſſe, quam in Syria ad bellum Parthicum relinquebat; Prouinciæ autem præfecturam Sex. Cæſari commiſiſſe, qui cum voluptatibus indulgeret, & ad eam rem indecore legionem circumduceret, Baſſus hominem de officio admonuit, ille monitorem, cum contumelia reiecit; eoque factum eſt, vt vocanti tardius obediret, ille cunctantem attrahi iuberet. In eo tumultu, cum ad manus ventum eſſet, exercitus non ferens inſolentiam, iaculis Præſidem confixit. Moxque ſecuta eſt pœnitentia, & metus à Cæſare; Itaque coniurarunt, ni venia fideſque ſibi daretur, vſque ad mortem ſe decertaturos: in quam cõiurationem, etiam Baſſum compulerunt: deinde aliam etiam legionem conſcripſerunt, & iiſdem ſecum inſtitutis aſſuefecerunt. Vtraque propoſita narratione ſubdit Appianus. Vtcumque eſt Sextius Murcus, cum tribus legionibus à Cæſare contra eos miſſus, magna vi repulſus eſt; donec Minutius Criſpus è Bithynia, cui præerat vocatus, cum aliis tribus legionibus, venit in eius auxilium; ſed vtrique mox poſt occiſum Cæſarem, ex SC. in Caſſii poteſtatem venerunt. XXVII. *Ex Appiano.*

[b] p. 622. & ſeq.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 4009.

1. N. III. Si tamen is eſt Hirtius, qui librum de bello Hiſpanienſi ſcriptum reliquit. Nam præter nimium ſtudium partium, admodum videtur, hoc ſcripto præter conſuetudinem inquinate locutus, nihil in eo connexum atque cohærens: omnia laxa, atque diſſipata, nihil quod præcedentibus libris conferendum videatur; quod ab aliis quoque video obſeruatum. Nec ſane admodum lynceum eſſe oportet, ad tam craſſa errata videnda. Vt non mirum ſit imperfectum ad nos peruenisse, quando ne hæc ipſa quidem ſeruata eſſe multum intererat. Eū Petrarcha, vt fertur, quaſi paraphraſtice reddidit explicando, corrigendóque, vt potuit; quod nos quoque conati ſumus.

2. N. XV. Appianus pugnam ſuperiorem, quam omnes ſcriptores ad Mundam factam ſcribunt, ipſe ad Cordubam memorat contigiſſe, & vtrāque miſcet. Nam Scapula quidem Cordubæ interiit: non autem Varus & Labienus, ſed Mundæ. De Scapulæ autem morte Hirtius ait, eum cum ex prælio Cordubam veniſſet, familiam & libertos conuocaſſe, pyram ſibi extruxiſſe, cœnam afferri quam opimam imperaſſe, pecuniam & argentum in præſentia familiæ donaſſe, vinum identidem, reſinam, & nardum ſibi infudiſſe inter cœnandum; poſtremo ſeruum iuſſit & libertum, alterum ſe iugulare, alterum pyram incendere. Plurima ſcelera, quę iſti contra naturæ impetum, ac iura quotidie perpetrabant, vim eius ita eis obterebant, mortis vt aculeum, in morte vltro adeunda, vel non ſentirent, vel vt ſine ſenſu ferrent, vino & epulis iudicium omne rationis obruerent. Præter inueteratum illum errorem quo id facinus ad eximiam fortitudinem pertinere arbitrabantur.

Quod hic author Hiſpalim à Cæſare dicit recuperatam, aperte explicat Dio. Ait enim eam quoque poſt Cordubam deditionem feciſſe, præſidiumque ſibi imponi non ægrè paſſam eſſe, ſed eo mox occiſo bellum ſuſcepiſſe. Cæſarem autem eo cum exercitu profectum, remiſſiorem aliquanto obſidionem inſtituiſſe, dum illos foras eliceret, iiſque perditis, vrbem à defenſoribus deſtitutam, ad deditionem cogeret; ſicut & contigit. 3. N. XV.

Allatum dicit Hirtius, cum Cæſar Hiſpalim proficiſceretur, pridie Idus Aprilis. Alterum ambiguum, alterum falſum arbitror. De tempore dixi, & tot res geſtæ à victoria Mundenſi, Maii potius, aut Iunii requirunt Idus, quam Aprilis, quando nondum pugna commiſſa fuerat; Hiſpalim autem non primum adibat; eam enim iam occupauerat, & inſuper Aſiam; ſed Carteia Hiſpalim verſus reuertebatur. Nam aliquanto poſt legitur, Cæſarem Gadibus rurſus Hiſpalim recurriſſe. 4. N. XVII.

Μύλλος in Græco legitur, Velleius Statium Murcum vocat prætorium virum, ſicut & Criſpum Marcium, quem Appianus Minutium Criſpum appellat. Dio lib. 47. vocat vnum L. Statium Murcum, alterum Marcum Criſpum, à quibus Baſſus iterum obſeſſus eſt, cum eum antea C. Antiſtius obſediſſet, vna cum militibus Cæſarianis, etiam Roma à Cæſare miſſis. Meminit horum Tullius in Philip. vndecima, vbi C. Caſſio ſuadet bellum contra Dolabellam mandari. 5. N. XXVII.

ANNVS MVNDI 4010. SEXTÆ ÆTATIS 495. HYRCANI II. PONTIF. 32. IMPERII ROMANI, ET C. Cæsaris 5. et vltim. Octavii initia Præside Syriæ L. Statio Mvrco, sive Sex. Mvrco. Ptolem. Minoris 4. Cleopat. 7. Olymp. 184. an. 1. Vrbis Cond. 709. C. Cæsare V. Dict. M. Æmilio Lep. Mag. Eqv. Cos. v. cvm M. Ant. Bell. Civi. 6. Itemqve Mvtinense, ann. Ivlianvs. 2. Herodis 19.

Dio. Appian.

ANNVS ANTE CHRISTVM 43.

I. *Iulii Cæſaris cædes.*

REIPVB. Romanæ libertas multos iam annos, cum C. Iulio Cæſare luctata, Pompeio magno in acie Pharſalica victo, in Ægyptio littore moriente ſuccubuit; quatuorque ipſos annos ita victa, proſtratáque iacuit, vt incumbentem aduerſarium variis ad dextram ſiniſtramque motibus in Africa Hiſpaniaque ſuccuteret. Hoc autem demum anno, quaſi generoſus athleta, iterum conata reſurgere, multo cum tumultu victorem ipſum euertit, atque proſtrauit. Nec tamen victrix euaſit, ſed plurimis iterum ictibus concuſſa bellorum, penitus denique Octauiani Auguſti potentia ſolo affixa, atquæ extincta eſt.

II. *Ratio temporis, Olympiadis, anni, menſis, & diei.*

Cæsaris porro necem, & alia pleraque illi connexa, huic primo anno Olymp. 184. quæ Theodorum Meſſenium iterum victorem habuit, attribuit Euſeb. in chron. aut certe D. Hieron. ibid. in Græco enim, id non habetur. Eumque paſſim recentiores ſequuntur, in quibus Onuphrius, Cuſpin. Deckerius, Torniellus, Temporarius, Caluiſius, Heluicus, Buntingus, Beroaldus, & Collector Olympionicarum. De conſulibus neminem omnium repugnantem reperio, etſi enim alii quintum, alii quartum Cæſarem Dictatorem ſcribant, omnes tamẽ quintum Conſulem fatentur cum Antonio. Imo neque de menſe aut mortis die, atque adeo pugionum ictibus dubitari video: Idus Martii, qui eſt 15. dies eiuſdem, omnes celebrant. Onuph. l. 2. faſt. Sigon. in an. v.c. 709. Cuſpin. in eundem, Caluiſ. item Marcoduranus, Gordon. Torniel. Scalig. Functius, Phrygio, Mercator; etſi eorum nonnulli annum hunc 710. vrbis appellant, ſed ex antiquioribus, eadem tradideruut Solinus cap. 2. extremo, Euſeb. in chron. aut D. Hierony. Caſſiodorus, Velleius l. 2. Eutropius l. 6. in fi. Appian. l. 2. Plutar. in Cæſare, Oroſ.[a] Sueton. in eodem Cæſare, [b] atque Senatus conſulto ſancitum, vt Idus Martiæ parricidiũm nominarentur: hinc Cic. pro Cæſaris morte Idus Martias ſæpe in epiſtolis ponit.[c]

a l. 16. c. 17.

b n. 8. & ſeq. & 88.

c vt l. 14. ad Att. ep. 1. 4. 6. 12. 13. 15. 19 20. 24. l. 15. ep. 4. Seru. prid. Idus Martias dicit occiſum, vide 1. Georgicon.

III. *Quanto tẽpore dominatus fuerit.*

In hac omnium conſentione finis Cæſarianæ dominationis, duratio tamen non eadem ab omnibus ponitur, quia ipſius initium alii aliud fecerunt. Euſeb. regnaſſe tradit annos 4. menſes 7. quo modo etiam habetur in Græco. Ei conſentit Nicephori chronicum, & Beda de ſex ætatib. niſi quod pro 7. menſibus ſex menſes tantum ponit. Iſidorus ei tribuit annos quinque. Primo videlicet vltimoque diminutis; Onuph. annos 4. menſes duos, dies 15. Inchoat quippe eius imperiũ à Cal. Ian. anni 705. & finit in Id. Martiis 907. qui tamen fatetur à die pugnæ Pharſalicæ, ſi de eo conſtaret, numerari oportere. At cum Plutarchus alicubi dicat eam circa meſſem contigiſſe, menſe puta Iunio vel Iulio; inde numerando reperiemus quinque aut ſex menſes anni ſeptingenteſimi quinti, inde tres annos integros ſextum, ſeptimum & octauum poſtremo 2. menſes cum dimidio anni 709. tota ſumma erit 3. annorum 7. vel octo menſium. Quæ ſupputatio non admodum à calculis Ioſephi diſtat, qui[d] ait occiſum in Senatu exactis in principatu ſuo tribus annis, cum dimidio, ſicut inquit, & ab aliis memoriæ proditum eſt,[e] At l. 1. de bello c. 9.

A morte Pompeij.

d l. 14. c. 17.

e initio.

ait eum per triennium, ſeptemque menſes tenuiſſe principatum: denique apud Clementem Alexandrinum legitur ex quorundam deſcriptione, C. Iulium Cæſarem annis tribus, menſibus quatuor, quinque diebus regnaſſe, in Græco eſt, diebus ſex. Cum autem Velleius Paterculus ait ei non plus quinque menſibus principalem quietem contigiſſe, ab Octobri ad Idus Martias. M. autem Tul. [a] multo ante, quaſi ex humana prudentia prophetans dixit, regnum Cæſaris vix ſemeſtre eſſe poſſe. De regno pacifico poſt compreſſos ciuiles motus loquebantur; ſed de tempore ſatis.

Quietum imperium paucorum menſium. — lib. 1. ver. ſi — a ep. 7. L. 10.

IV. *Sūma Caſaris laus ex clemētia*

In hac autem pace nonnulla ei præclara ad gloriam, non pauca glorioſa ad inuidiam contigere. Vtriuſque generis præcipua, ex variis ſcriptoribus colligam, vnde ad eius mortem ſenſim narratio noſtra delabetur. Et prima quidem ac ſumma C. Cæſaris laus fuit Clementia, atque placabilitas, maximum excelſæ mentis, ac magnitudinis animi monimentum; quam Cicero multis locis, præſertim pro M. Marcello, meritiſſimis notiſſimiſque laudibus extulit; & Senatus Populuſque Romanus, excitato in eius honorem Clementiæ templo, teſtificatus eſt. Clemēs quippe atque placabilis princeps, ea virtute facile vincit, quos vulgus mortalium ſummos viros putat, & diuitiis, honoribus, potentia, ingenio, fœlicitate, fortitudine nobilitate, victoriis, in rerum apice collocat; eoſque longe multumque ſupergreſſus, ſimillimum ſe Deo Opt. Max. reddit, cuius proprium eſt, miſereri ſemper & parcere. Ita qui ſe in bello clariſſimum imperatorum omnium, duobus [b] & quinquaginta præliis vincendo demonſtrauerat, in pace multo pluribus inimicis ignoſcendo, bonis ſuis reſtituendo, honoribus cumulando, ex inimicis amicos reddendo, belli ſeſe paciſque artibus glorioſiſſimum redidit.

b Solin. c. 6.

V. *Alia opera glorioſa.*

Alia quoque illi præclara ad gloriam contigere, quod multas vrbes per Italiam, atque extra eam partim refecit, partim nouas condidit; tum maxime Corinthum, atque Carthaginem inſtaurauit, & retentis antiquis nominibus, eo colonias deduxit. Vt ſcribit hoc anno Dio, Sueton. autem n. 42. ait Cæſarem octoginta ciuium millia in tranſmarinas colonias diſtribuiſſe. In vrbe autem pomeria amplificauit, forum renouauit, in quo Syllæ, & Pompeii ſtatuas, cum laude & approbatione reſtituit. Theatrum quoque exemplo Pompeii ædificare inſtituit: ac fundamenta quidem illius iecit, ſed morte præuentus id Auguſto ſucceſſori perficiendum reliquit.

VI. *Bellū Parthicum cogitat.*

Hæc dum Cæſar maxime ageret, magna populum Romanum cupiditas inceſſit debellandi Parthos, & Craſſum, amiſſumque cum eo exercitum vlciſcendi. Id bellum ſummis ſtudiis omnes Cæſari deferebant, omniaque ad id conficiendum parabant. Ac præter cætera, vt & Cæſari miniſtrorum copia adeſſet, & eo abſente, neque ſine magiſtratibus ciuitas eſſet, neque ſi ipſa eos delegiſſet, res ad inteſtinos motus rediret, magiſtratus iam ante ad totum triennium; tantum enim temporis Parthicæ expeditioni deſtinabant, conſtituere intenderunt. Appianus tamen Cæſarem, propter ſuſceptam longinquam expeditionem, in quinquennium deſignaſſe magiſtratus, ſemel iterumque affirmat, imo tertio: qui tamen non omnes tum ordinati ſunt. Horum dimidiam partem Cæſar, quod lege quadam ei conceſſum fuerat, re autem ipſa omnes deſignabat, inquit Dio.

VII. *Magiſtratus omnes ad plures annos deſignat.*

Nam, vt explicat Suetonius [c] comitia cum populo partitus erat, vt exceptis Conſulatus competitoribus, de cætero numero candidatorum pro parte dimidia, quos populus vellet pronunciarentur, pro parte altera quos ipſe edidiſſet; & edebat per libellos circum tribus miſſos ſcriptura breui. *Cæſar Dictator illi tribui. Commendo vobis illum & illum, vt veſtro ſuffragio ſuam dignitatem teneant, &c.* Cum autem nemo illi quicquam negare auderet petenti, qui cogere poterat, omnes omnino magiſtratus ex eius ſententia fiebant.

c l. 1. n. 41.

Augetque eorum numerum.

Et Senatū.

Ac primum quidem in annum primum, adeoque primi tunc ſex Ædiles conſtituti ſunt, duo Patritij, qui Cereales vocarentur, & 4. plebeii. Prætores præter inſtituta maiorum, creati ſunt ſexdecim. Nam anno præcedenti quatuordecim tantum creauerat, & quadraginta Quæſtores; Aliam enim, inquit Dio, Cæſar rationem præſtandi ea, quæ multis multa promiſerat non habebat: ideoque & plurimos adſcripſit in Senatum, adeo vt is ad nongentos excreſceret. Deinde xv. viris vnū, VII. viris tres alios adiunxit. In huius anni Prætoribus, fuit in primis P. Ventidius,

Dio.

qui poſtea de Parthis ſuperatis triumphauit, cum ipſemet iam pridem à Pompeio Strabone fuiſſet triumphatus. Fuerunt etiam D. Brutus & C. Caſſius, quorum illum Conſulem deſignando non obligarat, Caſſium autem differendo offenderat. Velleius l. 2. Interea tamen ipſum Syriæ præfectum in annum ſequentem deſignarat; ſed res artibus Antonii mutata eſt, vt fuſius narrat Appian. l. 3.

VIII. *Magiſtratus bienny. Octauius Mag. equitum.*

Ac magiſtratus quidem, qui primo proximo anno Remp. adminiſtraturi eſſent, tum conſtituti ſunt, vt ait Dio; in ſecundum vero annum Conſules tantum, & Tribuni plebis. Cæſar autem his ipſis duobus annis Dictator futurus, magiſtros equitum futuros, tum alium quendam, tum Octauium, licet id temporis adhuc adoleſcentulum delegit; ipſe Dolabellam pro ſe Conſulem eſſe iuſſit, Antonio Conſulatum, vſque ad finem anni geſturo: Lepido Galliam Narbonenſem, Hiſpaniamque finitimam ei prouinciæ mandauit; In Antonii autem Lepidique locum, duos alios magiſtros equitum ſuffecit. Multa etiam alia deſtinabat de ornanda inſtruendaque vrbe, de tuendo ampliandoque imperio, quæ Sueton. n. 44. diligentius enumerat; In quibus non vltimum tenebat locum, ſtudium Græcarum, Latinarumque Bibliothecarum, data M. Varroni cura comparandarum ac dirigendarum, vt ſcilicet Alexandrina Philadelphi, eius ſiue culpa, ſiue occaſione incenſa, aliquo modo reparari poſſet. Cogitabat etiam viam munire à mari ſupero per Apennini dorſum ad Tiberim vſque; perfodere Iſthmum Corinthiacum; Dacos, qui ſe in Pontum & Thraciam effuderant, coërcere: mox Parthis per Armeniam minorem bellum inferre; ſed hæc agentem atque meditantem præuenit immatura, atque inopina mors.

Deſtinat ſtudia literarum, & Bibliothecas.

Aliaque opera.

IX. *Quæ odiũ Cæſaris conflarent.*

Cæterum odium atque inuidiam Cæſari multa conflabant; quorum primum ac ſummum erat deſideriũ auitæ libertatis. Tametſi enim multo meliore ſtatu Reſpub. tunc eſſet, quam ſuperioribus annis, cum ambitio in creandis magiſtratibus, auaritia in adminiſtrandis, omnia domi, foriſque ſurſum ac deorſum verteret; eorum tamen malorum obliti, nemini vni parere glorioſum putabant, & principem Reip. omnia ſumma lenitate prudentiaque adminiſtrantem, vt tyrannum auerſabantur. Vrebat eos quoque, quod cum toti eſſent quotidie in honoribus, & priuilegiis ei conferendis, quidam beneuolentiæ & honoris, inuidiæ nonnulli ipſi conciliandæ cauſa, [a] pleriſque ipſe libentius vti videretur. In honorificis autem illud fuit, quod hoc anno in honorem natalis eius Quintilem menſem, mutato nomine Iulium vocari placuit, vt ait Appia. De tempore autor eſt Cẽſor. c. 22. Ex his 12. menſibus, inquit, duorum tantum nomina immutata. Nam qui Quintilis, fuit Iulius cognominatus eſt, C. Cæſare V. & M. Antonio Coſſ. anno Iuliano ſecundo &c. Factum id legem ferente M. Antonio, alio loco ex Macrobio diximus. [b] Curiam quoque Hoſtiliam Dio, [c] deſtructam fuiſſe ait, vt reſtaurata Iulia vocaretur; vnamque tribum ſorte ad id delectam, Iuliam fuiſſe cognominatam.

[a] Dio l. 43. & 44.

Iulius mẽſis.

[b] an. vr. cõ. 651. n 10.
[c] lib. 44.

X. *Collegium Iulium Lupercorum.*

Privilegiis iſtis affine fuit alterum; quod ſcilicet Collegium quoddam ſacerdotum inſtituerunt in eius honorem, quod Iulium vocauerunt, cuius ſacerdotes Lupercalia celebrabant, certo quodam anni die eis conſtituto, quo ludi gladiatorii celebrarentur, (Dio vocat τὰς τῶν παιδὸς γυμνοπαιδίας, vide de Lupercal. Plut. in Cæſare) quo illud Ciceronis pertinet pro M. Cælio, vbi de Lupercis. Fera quidam inquit ſodalitas, & plane paſtoritia, atque agreſtis Germanorum Lupercorum, quorum coitio illa ſylueſtris ante eſt inſtituta, quam humanitas, atque leges &c. Sed illud etiam magis, Philip. 2. *Sedebat in roſtris collega tuus amictus toga purpurea, in ſella aurea coronatus, aſcendis, accedis ad ſellam; ita eras Lupercus, vt te eſſe Conſulem meminiſſe deberes. Diadema oſtendis, gemitus toto foro; vnde diadema? non enim abiectum ſuſtuleras, ſed attuleras domo meditatum, & cogitatum ſcelus. Tu diadema imponebas, cum plangore populi, ille cum plauſu reiiciebat,* & mox. *At etiam miſericordiam captabas, ſupplex te ad pedes abyciebas, quid petens? vt ſeruires? tibi vni peteres* &c. Et iterum. *O præclaram illam eloquentiam tuam, cum es nudus concionatus!* & infra, *Neque vero M. Antonium Conſulem poſt Lupercalia putare debuiſtis. Quo enim ille die, populo Rom. inſpectante, nudus, vnctus, ebrius concionatus eſt, & id egit, vt Collegæ diadema imponeret, eo die ſe non modo Conſulatu, ſed etiam libertate abdicauit.* &c.

Diadema illi oblatũ & regnũ.

XI. *Non ſyncere reycit.*

Svetonivs n. 79. ait Cæſarem in Capitolium reiectum diadema Ioui Opt. Max. miſiſſe. Dio vero addit Antonium, cum collegis Lupercalibus Cæſarem ad-

iſſe, regem ſalutaſſe, & diadema imponendo dixiſſe, hoc tibi populus per me exhibet; Cæſarem autem reſpondiſſe ſolum Iouem Romanorum regem eſſe, miſſoque in Capitolium diademate, nihil alioqui ſuccenſuiſſe: quin etiam in acta publica referri iuſſiſſe, regnum ſe, à populo ſibi per Conſulem oblatum, non accepiſſe. Ex quo in ſuſpicionem venit, rem ita ex compoſito geſtam, vt cum Regis nomen appeteret, cogi tamen ad id accipiendum videri vellet. Hæc Luprecalibus cõtigerunt. *15 Cal. mar.* Ait etiam Dio Antoniũ iſti collegio quaſi flaminem Dialem aliquẽ fuiſſe præpoſitum. Quæ cum Cæſari placuiſſent, iam in Theatra ſellam eius auream, coronamque gemmis auroque inſignem, vt Diis fieri ſolet, ait Dio, inferri, atque in Circum etiam introduci à multitudine iuſſerunt. Denique Iouis Iulij, ſiue Diui Iulij cognomentum ipſi palam impoſuerunt, templumque ei Clementiæ dedicari iuſſerunt.

Antonius flamen dialis.

Deus vel Diuus Iulius.

XII.

Ex oraculis Sibyllinis regem dici volunt.

ACCESSIT etiam aliud, quod maiorem ei inuidiam tyrannidis, odiumque cõflaret, vt ſcribit Plut. in Cæſare. Rumorem enim inquit, in plebem vulgauerunt libris Sibyllinis proditum, vinci Parthos à Romanis poſſe, ſi Rege duce bellum eis mouiſſent, alioqui inſuperabiles fore. Sic illi ſacris, vt putabant, libris abutebantur, vt Cæſari vel adularentur, vel inuidiam crearent. Ita nuper Sibyllinum oraculum finxerant de reſtitutione Ptolemæi Auletis, vt ſuo loco ex Cicer. dictum eſt. Rurſus etiam cum Alba Cæſar ouans rediret, id contigiſſe 7. cal. Febr. in tabul. Capit. legitur. Regem eum ſalutare non dubitarunt. Indignante populo, ille offenſus, non Regem ait ſe, ſed Cæſarem vocari. Ibi cum obticuiſſent cuncti, plane triſtis, dolenſque tranſiit; Sic Plut. Vtique doluit non totius populi conſenſu Regem ſe acclamatum eſſe.

XIII.

Amat ſe regem æſtimari, ac dici.

ID QVE aperte declarat Sueton.[a] cum de hoc ipſo itinere agens ſubdit; Inter nouas & inſolitas acclamationes, quendam è turba ſtatuæ eius coronam lauream impoſuiſſe, candida faſcia præligatam; Tribunos autem Pl. Marullum & Cæſetium coronæ faſciam detrahi, hominemque in vincula duci iuſſiſſe; Cæſarem autem dolore commotum, ſiue quod parum proſpere regni mentio facta eſſet, ſiue quod ſibi, vt ferebat, erepta eſſet gloria recuſandi, Tribunos grauiter increpitos poteſtate priuaſſe. Rem paulo aliter narrat Dio l. 44. quem conſule, eadem cum Suetonio habet Plutarchus. *a n. 79.*

Senatui nõ aſſurgit.

Verum præcipuam, inquit idem Suet.[b] & inexpiabilem ſibi inuidiam, hinc maxime mouit. Adeuntes ſe cum plurimis honorificentiſſimiſque decretis vniuerſos Patres Conſcriptos ſedens, pro æde Veneris genitricis excepit. Quidam putant retentum à Cornelio Balbo, cum conaretur aſſurgere, (ei ſcilicet inſuſurrante, vt eſt in Plut. in Cæſare; non meminiſti te eſſe Cæſarem, neque vis pro maieſtate tua coli?) Alii autem ne conatum quidem omnino, ſed etiam admonentem C. Trebatium, vt aſſurgeret, minus familiari vultu reſpexiſſe. Sic Sueton. Dio autem hunc contemptum Senatus, vel præcipuam ait præbuiſſe percuſſoribus eius excuſationem. *b n. 78.*

XIV.

Brutus ad coniurandũ incitatur.

An ex antiquo Bruto ortus.

HÆC igitur, aliaque id genus pleraque Romanos animoſiores in eius perniciem incitabant. Nominatim autem illi Brutum, tum priuatim, tum publice etiam irritabant. Quia enim idem nomen, cum antiquo illo Bruto gerebat, qui Tarquinios euerterat, eo nomine abutebantur, vt illo genere ortum dicerent, vt eum ad ſimile facinus perpetrandum impellerent. Negat tamen Dio, hunc Brutum illo fuiſſe ortum, quod duos filios, quos ſolos ille ſuſceperat, interfeciſſet. Neque admodum repugnat Plutarchus, vel in Cæſaris, vel in Bruti vita; Poſidonium tamẽ Philoſophum in contrariam ſententiam adducit. Accedebant & inſcriptiones, quas tum ſtatuæ antiqui Bruti, tum tribunali Prætoris ingerebant, de quibus Dio, Plut. Sueton. qui ipſiuſmet Cæſaris ſtatuæ ſubſcriptum dicit, ***Brutus quia Reges eiecit, Conſul primus factus eſt, hic quia Conſules eiecit, Rex poſtremo factus eſt.***

XV.

Brutus & Caßius primi coniuratorum.

PRIMVM ex coniuratis fuiſſe Brutum, Plut. & Dio conſentiunt, ſi non tempore, certe authoritate. Nam Plut. & Appian. aiunt Brutum à Caſſio, qui Iuniam ſororem eius habebat vxorem, excitatum in Tyrannum, & peculiares in Cæſarem odii cauſas habuiſſe. Coniuratos 14. recenſet Appianus præter Brutum & Caſſium; ſed multos omittit. Denique numerus ad ſexaginta excreuit. Audi enim Sueton. n. 80. Conſpiratum eſt in eum à 60. amplius, C. Caſſio, Marcelloque, & D. Bruto principibus conſpirationis. Iis autem maturandæ conſpirationis fuiſſe cauſam, tam

Sueton.

Sueton. quam Dio tradunt, quod proximo Senatu L. Cotta xv. vir ſententiam dicturus eſſet, libris fatalibus contineri Parthos niſi à Rege non poſſe vinci, ideoque Cæſarem Regem appellandum eſſe. Ergo ne aſſentiri neceſſe eſſet, conſilia quæ bini terniue ante ceperant, in vnum omnes contulerunt. Qui primum cunctati, vtrumne illum in campo per comitia tribus ad ſuffragia vocãtem è ponte deiicerent, atque exceptum trucidarent, an in Sacra via, vel in aditu Theatri eum adorirentur. *Eorum numerus, & deliberatio.*

Postqvam ſenatus Idibus Martiis in Pompeii Curiam edictus eſt, facile tempus, & locum prætulerunt; quoniam in ſcriniis loco libellorum ſe tuto ac facile gladios habituros ſperabant; cæteros autem inermes Cæſari opem non laturos. Præſertim cum gladiatores in propinquo Pompeii theatro in omnem euentum, tanquam ad ſpectaculum exhibendum collocaſſent. XVI. *Eligitur Curia Pōpey, idibus Martiis.*

Cum aduenisset dies quo in Senatum veniendum erat, Cæſarem, Vates & Aruſpices, & inſomnia ſua, & vxoris Calphurniæ, & omina terrebant; vt ille non ſolum moras traheret, ſed etiam domi eo die manſurus diceretur. Conſpiratores autem veriti ne dilato negotio, inſidiæ, quæ iam tam multis notæ erant, patefierent, ipſique deprehenderentur; Decium Brutum, qui ſummus eius amicus habebatur mittunt, qui eum in Curiam adduceret, quod etiam fecit. *Cæſar ominibus tardatur.*

Rem belle, vt ſolet, explicat Plut. in Cæſare. Poſtquam inquit, multis hoſtiis cæſis renunciauerunt ei Aruſpices litari non poſſe, ſtatuit miſſo Antonio Senatum dimittere. Interea Decius Brutus Albinus cognomento, quem Cæſar in ſecundis hæredibus ob fidem ſcripſerat, cum coniurationis alterius Bruti & Caſſii conſors eſſet, veritus ne ſi diem illum exemiſſet Cæſar, res efferretur irriſit Aruſpices, (dicitur etiam iocatus aliquando Cæſar non pro oſtento ducendum, ſi pecudi cor defuiſſet [a]) Cæſaremq; caſtigauit, quod criminum materiam, & calumniarum patribus præberet aduerſum ſe, qui ludibrio viderentur haberi. Conueniſſe ex ipſius edicto Senatum, omneſque paratos eſſe decernere, vt ipſe Rex omnium extra Italiam prouinciarum dicatur, ac terra marique, præterquam in Italia diadema geſtet; quod ſi nunc aliquis eos domum abire iubeat, & rurſum in Curiam venire, vbi meliora Calphurniæ ſomnia oblata fuerint; quoſnam futuros æmulorum ſermones putaret? & mox; Quod ſi omnino conſtitutum eſſet diem abominari, rectius facturum, ſi ipſe in Curiam progreſſus, hoc Senatui coram indicet; ſimulque Cæſarem manu prehendit, eduxitque. XVII. *A D. Bruto in Curiā adducitur.*

a Suet. 77.

Hac ſuperata dilatione, eluctatoque periculo, alia quoque deinceps ad Curiam vſque illi in itinere contigerunt. In primiſque oblatus eſt ei libellus, (is ab Artemidoro Gnidio ſcriptus dicitur, apud Plutarchum) in quo omnia, quæ in ipſius perniciem præparata erant, continebantur: quem tamen non legit, ſiue ingenti animi fiducia, ſiue quia eo nihil quod vrgeret contineri putabat, ſiue, quod videtur vero ſimilius, coniuratorum variis ſermonibus, petitionibuſque diſtentus. Quot autem illi metus ac pericula adierint, ne res maturius innoteſceret, ex Plutarchi Bruto ac Cæſare intelliges, ex quo Appianus. l. 2. XVIII. *Pericula in itinere.*

Vbi demum in Curiam venit Cæſar, irriſit etiam vatem, Spurinam appellat Suetonius, qui Idus Martias ei cauendas dixerat: cui ille reſpondit, adeſſe quidem, nec tamen præteriiſſe, Antonium Trebonius, (aut Decius Brutus, vt ait Plutarchus in Cæſare, at in Bruto id tradit factum à Trebonio, cui aſſentitur Appianus, & Dio,) extra Curiam detinuit. Etſi enim pleriſque viſum fuerat Antonium ac Lepidum interficiendos eſſe, reſtitit tamen Brutus, ne multitudine interfectorum calumniæ locum præberent, quaſi non liberandæ vrbis, à tyrannide, quod præ ſe ferebant, ſed dominationis parandæ cauſa Cæſarem occidiſſent. Lepidus autem apud exercitum erat in ſuburbio. Dio, Suet. Appian. Plut. in Antonio & Bruto, vbi Brutum eo nomine peccaſſe affirmat, quod improbum hominem, & grauem coniuratis aduerſarium reliquerit. XIX. *Abſtinetur ab Antonio.*

Conivrati ergo Cæſari circumfuſi, ſuſpicionis tollendæ cauſa, alii confabulari, alii deprecari cœperunt, cum Cimbro quodam Tullio; Metellum Cimbrum Plutarchum vocat in Cæſare, at in Bruto Tullium Cimbrum, ſicut & Suetonius: Appianus autem ſemel atque iterum Atilium appellat: qui pro fratre exule rogabat Cæſarem, ſimulque deprecantes, vſque ad ſellam ſunt eum proſe- XX. *Pugionibus confoditur. Modus rei geſtæ.*

cuti. Vt conſidens abnuit preces, Cimber hic togam eius ambabus manibus correptam, à collo detraxit; id ſignum erat adoriendi. Primus Caſca gladio vulnus ſecundum ceruicem inflixit, cum iugulum peteret; ſed in magni facinoris exordio attonitus, neque lethale, neque graue vulnus inflixit, Cæſar conuerſus cum clamore pugionem eius inuadit, ille fratrem aduocat, confeſtimque vndique circumuentus, ac quocumque conuertiſſet oculos, ictibus occurrens, in omnium manibus inſtar feræ volutabatur, donec conſpecto, Bruto dixit, *Tu quoque fili?* & ſimul toga caput abuoluit, ac demiſit ſeſe; Opinio fuit Brutum Cæſaris filium fuiſſe ex Seruilia, qua nimium familiariter vſum tradit Appianus, & Suetonius n. 50.

Iulius cæditur in Curia.

XXI. *Ad ſtatuã Pompeii trucidatur.*

Dvm ſalute deſperata demittit ſe, illico fortuito ne, an de induſtria? à percuſſoribus impulſus eſt ad baſim, in qua Pompeii ſtatua poſita erat, eamque largè, dum interficeretur, cruore reſperſit. Ita apparebat vltioni de hoſte ſumendæ præfuiſſe Pompeium, ad pedes ſuos abiecto, atque ob vulnerum multitudinem animam agente: tribus enim & viginti plagis confoſſus dicitur. Hæc fere Plut. & Sueton. & ex Plut. Appianus.

Senatores tumultuãtur, ac diffugiunt.

Ingens ſcilicet tumultus, luctuſque, tum ab Senatoribus, qui in Curia erant, tum ab iis qui foris ſtabant eſt excitatus. Et quamquã Brutus proceſſit in medium, tanquam facti huius rationem dicturus, omnes tamen ſe foras eiecerunt, & vrbem luctu tumultuque repleuerunt.

XXII. *Coniurati forum adeunt, ac populum confirmant.*

Conivrati recta in forum contenderunt, inquit Dio, & cum ipſis geſtibus, tum vociferando oſtendebant nihil eſſe timendum; idque illi tandem perſuaſum eſt, cum neminem cædi, nemini manus violentas iniici viderent. Sic Dio, & Plutarchus.

Capitoliũ petunt.

Hic cædis autores multa contra Cæſarem, ac pro ſtatu Reip. populari verba fecerunt, pro quo ſtabiliendo, & tollenda tyrannide, non proprii cuiuſpiam commodi gratia, Cæſar eſſet interfectus; His multitudine pacata, ne ipſi viciſſim aliorum inſidiis peterentur, in Capitolium, tanquam Deos comprecaturi, conceſſerunt, ibique diem illam noctemque exegerunt. Iis ſeſe ſub veſperam primarii quidam viri aggregarunt (C. Octauium, & Lentulum Spintherem nominat Plut.) plures etiam Appianus, vt huius facinoris participes fuiſſe viderentur; qui tamen nec ſperatam laudem conſecuti ſunt, & inſuper pœnas cum reliquis non perpetrati facinoris dederunt.[a]

XXIII. *Dolabella Conſulatũ inuadit.*

Hæc cernens Dolabella, quem 25. tantum annorum fuiſſe dicit Appianus l. 2. Conſulatum, quamquam is nondum ad ipſum pertinebat, inuaſit, deſignatus enim tantum erat Conſul, cum ſe, abiens in Parthos, Cõſulatu Cæſar abdicauiſſet, quod fere nono anni menſe faciebat. Appian. l. 2. Suet. n. 76. Sed ille mortuo ſibi ſuccedendum putauit. Ait autem Appianus eum grauiter aduerſus tyrannidem Cæſaris concionatum, Cinnam Prætorem, qui affinis erat Cæſaris imitatũ, & cum reliquis cenſuiſſe Sex. Pompeium, qui tum in Hiſpania à Cæſarianis oppugnabatur, eſſe euocandum, ſimulq; Cæſetium & Marullum Tribunos plebis à Cæſare Magiſtratu priuatos, & tunc exules. Habita vero oratione in Capitolium Dolabella aſcẽdit. Hoc rerum ſtatu Lepidus noctu forum militibus occupauit, concionemque contra percuſſores Cæſaris ſub auroram habuit.

XXIV. *Antonius Senatum cogit. Tullius omnes ad concordiam inuitat, adducitque.*

Antonivs autem quamquam ſtatim Cæſare occiſo fugerat, proiectáque, quo facilius lateret, veſte Conſulari, ſeſe occuluerat ea nocte, tamen vbi percuſſores in Capitolio, Lepidum in foro eſſe intellexit, Senatu in Telluris templum conuocato, de ſtatu rerum præſenti retulit; Ibi cum variæ ſententiæ dictæ ſunt, tum eam habuit orationem Marcus Tullius, quam frequens Senatus ſecutus eſt, vt iniuriarum obliterata memoria, pax inter ciues, qui iam factionibus ſcindebantur, aliis Capitolium, forum aliis tenentibus, decreto Senatus conſtitueretur.

Interea autem, qui in Capitolio erant verbis ſcriptiſque, cum iureiurando, per legatos, vt ait Appianus, apud Cæſaris milites proteſtati ſunt, ſe vniuerſas Cæſaris actiones ratas eſſe iuſſuros. Quod cum perſuaſiſſent, & Senatus conſultum inſuper acceſſiſſet, annitente etiam Antonio, concordia ſtabilita eſt.

XXV. *Quæ concordiam ſuaderent.*

Nam præter populares illas rationes de bono pacis, & ciuilium bellorum dam-

[a] Dio l. 44.

nis quintum iam annum experientia ipſa cognitis, cum Lepidus res nouas affectaret, & Cæſaris potentiæ ſuccedere conaretur; Antonius autem nullis adhuc ſuffultus viribus, nihil innouare auderet, Lepido perſuaſit, vt maiori parti concederet. Accedebat ad vtrumque inflectendum ad pacem, quod videbant Senatum percuſſoribus addictum, & plurimis eorum affinitate, vel conſanguinitate coniunctum; D. etiam Brutum, cum magno exercitu vicinam Galliam tenentem, ſibi à Cæſare demandatam, vt ait Appianus. Neque tamen qui in Capitolio erant ante deſcenderunt, quam Lepidi Antoniique filios obſides acceperunt. Ita Brutus ad Lepidum propinquum ſuum, Caſſius ad Antonium ſecuritatis cauſa deſcenderunt. Dio l. 44. Plutarchus in Antonio ad cœnam inuitatos ait.

XXVI. *Lecto Cæſaris teſtamento omnia turbantur.*

HIS ita peractis, gaudebant plerique ſe dominatu Cæſaris eſſe liberatos; Percuſſores autem ſoluto erant animo, ac libertatis reſtitutores, ac tyrannicidæ cognominabantur. Sed mox conturbata ſunt omnia. Recitato enim Cæſaris teſtamento, cum populus cognouiſſet Octauium à Cæſare adoptatum, Antonium vero, D. Brutum, aliosque nonnullos percuſſorum, Octauii tutores, & Cæſaris bonorum hæredes, ſi ad Octauium ea non perueniſſent, inſtitutos, commoti ſunt animis. Erat is Octauius ex ſororis filia Attia nepos, vt ait Dio l. 45. init. Suetonius [a] & Appian. l. 2. Licet eum Plutar. in Antonio filium ſororis appellet, & Apolloniæ hoc tempore egiſſe dicat. Nam ipſe ſe in M. Bruto corrigit: hic inquit ſororis Cæſaris nepos erat, quem tabulis filium & hæredem nuncupauerat. Is Apolloniæ, cum Cæſar eſt interfectus vacabat literis, atque illum expeditionem in Parthos molientem opperiebatur.

Octauii genus.

[a] n. 83. & l. 2. n. 4.

XXVII. *Eius Liberalitas, & viſum cadauer populum mouet.*

INGRATVS ergo coniuratorum animus populum offendit, ſed multo magis aſperatus eſt, cum viritim centenos vicenos, aut vt alii tradunt trecentenos ſeſtertios ſibi à Cæſare legatos [b] acceperunt. Eosque vehementius adhuc irritauit Antonius, cum dementi ac pernicioſo cõſilio, corpus in forum, ſicut erat ſanguinolentũ, & vulneribus deformatum, intulit; habita inſuper oratione in eius laudem, & Percuſſorum deteſtationem. In quo alteram Bruti culpam agnoſcit Pluta. in eius vita, quod, Caſſio acriter repugnante, paſſus ſit corpus non clam & ignominioſe efferri, ſed publice, & ab Antonio laudari: ea tamen de re factum SC. id agente L. Piſone, apud quem erat teſtamentum Cæſaris, ait idem Appianus. Fuerat animus coniuratis, inquit Sueton. n. 82. corpus occiſi in Tiberim trahere, bona publicare, acta reſcindere: ſed metu M. Antonii Conſulis, & Magiſtri equitum Lepidi deſtiterunt.

[b] id eſt ſex. vel 15. lib. Tur.

XXVIII *Cadauer, cõburitur incendium ſæuit cædes patrantur.*

ITAQVE in eos plebs concitata, ac in Senatore, ſqui eius cædem non prohibuiſſent, hos accuſabant, illos ad mortem quærebant. Tum in foro tumultuarium rogum extruxerunt, in quem coniectum cadauer, ita combuſſerunt, vt eodem incendio vicinæ domus pene conflagrarent; Addit Plutarchus congeſtis ex foro ſubſelliis, cancellis, menſiſque ſuccendiſſe ac cremauiſſe cadauer: inde ardentibus titionibus ad domos percuſſorum inflammandas tetendiſſe. Idemque repetit in Antonio, & Suetonius n. 85. Reliquias funeris liberti ſublatas in primum monumentum depoſuerunt; Plebs autem in loco rogi aram extruxit, & illi tanquam Deo ſacrificare inſtituit; At Conſules, Antonius videlicet, & Dolabella, aram eam ſubuerterunt, quoſdam indigne ferentes ſupplicio affecerunt. Et licet aliqui turbulentiores iuſſu Conſulum de Capitolii rupibus præcipitati eſſent, non deſtiterunt tamen alii domos percuſſorum adire, obuioſque obtruncare; ſed cum Conſules armorum geſtationem, præterquam militibus interdixiſſent, à cædibus ceſſatum eſt.

XXIX. *Dictatura antiquatur.*

SENATVS autem & futuræ quieti, & præſentibus tumultibus recte proſpiciens dedit operam, vt ferretur lex, ne quis in poſterum Dictator crearetur, ne quis de eo magiſtratu referret, aut admitteret rogationem, additis execrationibus, & morte propoſita in eos, qui ſecus facerent, pecuniamque ei, qui talem occidiſſet, conſtituerunt.

Eos etiam tum, quibus ager à Cæſare aſſignatus fuerat, ſtatim in colonias emiſerunt, ne quid nouarum rerum molirentur. Percuſſores, quibus prouinciæ ſorte contigerant, in eas amandarunt; reliquos diuerſa in loca, alio alium prætextu, ablegarunt. Decreuerunt inquit Plut. in Bruto, Cretam M. Bruto, Africam Caſſio,

Octavivs ſe profitetvr Ivlii filivm.

Trebonio Aſiam Cimbro Bithyniam, D. Bruto Galliam circumpadanam. Quotquot inquit Appian.[a] à Cæſare prouincias acceperant, in eas profecti ſunt: Decimus Brutus in Galliam Italiæ finitimam, Trebonius in Aſiam, Tullius Cimber in Bithyniam. Caſſius vero, & M. Brutus, qui maxime cordi erant Senatui, in futurum annum deſignati fuerant à Cæſare, Caſſius Syriæ præſes, Brutus Macedoniæ. Tum vero vt Prætores vrbani, ex officio curabant mittendos in colonias.

XXX. *Antonius Cæſaris acta deprauat.*

Antonivs autem, etſi initio ſtatuerat Dolabellam ad Conſulatum non admittere, vt ait Dio,[b] ne tamen ſeditionem moueret, ſibi collegam eſſe paſſus eſt. Porro ſedato tumultu, poſtquam ei acta Cæſaris inſpicere, exequique, quæ is fieri iuſſiſſet, mandatum fuit, moderationem animi exuit; atque vt primum libellos in ſuam poteſtatem accepit, multa deleuit, multa viciſſim in eos retulit, & in his cum alia, tum etiam leges. Præterea pecunias & magiſtratus aliis ademit, aliis tribuit, quaſi ex Cæſaris præſcriptis agens. *Agitque tyrannice.* Pecuniam etiam multam hac ratione coëgit, multa priuatos homines populoſque expilauit; exules etiam nonnullos reſtituit, regibuſque aliis agrum, aliis libertatem, aliis ius ciuitatis, aliis immunitatem vendidit; iubente nihilominus ſenatu, vt quæ à Cæſare conſtituta dicerentur, aut dici oporteret, cum primariis viris communicarentur, & communibus ſententiis diiudicarentur, non paruit.

XXXI. *Octauium contemnit, pecunias à Calphurnia capit.*

Octavivm velut adoleſcentulum, & rerum imperitum, quique hæreditatem, ceu grauem, & aditu tractatuque difficilem, repudiaret, omnino contempſit. Atque ipſe ita omnia geſſit, quaſi hæres non facultatum modo Cæſaris, ſed etiam potentiæ relictus eſſet. Calphurnia etiam vxor Cæſaris ei fidens, ſeſtertiûm millies domo elata, apud eum depoſuit; Plutar. in Ant. id eſt 5. miliones libr. Tur. Appianus autem in dubio relinquit, an id iuſſu Antonii fecerit.

Lepidum ſibi adiungit. Et quoniam ſibi plurimum à Lepidi potentia metuebat, eum ſibi affinitate coniunxit: filiam enim ſuam Lepidi filio nuptum dedit, & patrem Pontificem maximum creauit, tranſlata iterum electione à populo ad Põtifices, ne in ſuas ille actiones inquireret. Hæc fere Dio l. 44. Fulciebatur etiam fratrum magiſtratibus; Nam C. Prætorem habebat, L. vero Tribunum Pl. Plut. in Ant. Dio l. 45.

XXXII. *Quo ſtatu Octauii res eſſent.*

Interea vero Octauius, quem Cæſar ſibi hæredem ex dodrante reliquerat, & in familiam etiam nomenque adoptauerat, vt ait Suet.[c] ex quo deinceps C. Iulius Cæſar Octauianus eſt dictus, ad quæ etiam nomina Auguſti nomen acceſſit; Octauius inquam, cum à Cæſare vehementer diligeretur, iam ab eo in patricios relatus, ad imperium erudiebatur. Græcis, Latiniſque literis, Apolloniæ docebatur, quo tempore occiſus eſt Cæſar, vt ante ſignificauimus, & Dio copioſius l. 45. perſequitur, & Appian. l. 3. qui addit ad eum crebro equitum alas, quod deſtinatus eſſet à Cæſare magiſter eq. eiuſque cognatus eſſet; è Macedonia inuiſendi ſalutandique gratia commeaſſe, cum eo militares exercitationes obiſſe, ſicque mature apud exercitum gratioſum factum fuiſſe. Is Cæſaris audita morte, ſexto menſe quam Apolloniam venerat,[d] quamquam vt par erat ægre eam ferret, tamen noui quidquam aggredi non audebat, ſiue quod nondum audierat, ab eo ſe filium atq; hæredem inſtitutum, ſiue quod initio ea cædes à populo approbata ferebatur.

XXXIII. *Aſſumit Cæſaris nomen, & hæredem ſe profitetur.*

Cvm vero Brunduſium tranſmiſiſſet, ibique de teſtamento Cæſaris, poſterioreque populi ſententia certior factus eſſet, & ſecum magnam vim pecuniæ militumque à Cæſare ad Parthicam expeditionem præmiſſam haberet, ſtatim Cæſaris nomen aſſumpſit, ſeque hæredem profeſſus eſt, Attia matre, & Philippo vitrico diſſuadentibus, eique hoc nomine timentibus à coniuratis. Nihilominus grauiſſimum negotium ac longe impeditiſſimum minore, vt videbatur, prudentia ſuſcepit, cum annum tantum ageret decimũ octauum, inquit Dio; Iamdudum tamen ingreſſum eſſe decimum nonum ex eo conſtat, quod cum natus ſit 9. Cal. Octob. vt ait Suet.[e] id eſt 23. Septembris, Cicerone & Antonio Coſſ. anno. v. c. 690. Inde ad diem cædis Iulii, 18. anni, menſes quinque, dies 22. numerantur. Adde tempus delati nuncii vltra Italiam & Ionium mare, & eiuſdem traiectum in Italiam. *Eius ætas.*

XXXIV. *Quam periculoſum negotium ſuſceperit.*

Impeditissimvm inquam negotium ſuſcepit: hoc enim ipſo ſe vltorem paternæ cædis, & inimicum omnium coniuratorum profitebatur; hæreditatem adibat maximis ſumptibus obnoxiam; Antonium quoque Conſulem & Lepidum, qui tum rerum potiebantur, & in imperio atque armis erant, habiturus erat aduer-

[a] l. 3. p. 527. & 529. ſ.
[b] l. 44. ſ.
[c] l. c. 85.
[d] Appian.
[e] l. 2. c. 5.

ſarios, id eſt vtramque Reip. factionem, & non multos, vt apparebat, propugnatores. Ita tamen rem aggreſſus eſt, atque confecit, vt viros omnes audacia, ſenes omnes prudentia ſuperaſſe videatur, inquit Dio l.45. Nam ad nomen Cæſaris, non minus quam ſi verus Cæſaris filius foret, magnus vndique concurſus fuit; partim amicorum Cæſaris, partim militum, & eorum qui vectigalia, & pecunias Brunduſium ex prouinciis portabant.

Primum ita vrbem ingreſſus eſt, vt ſolam ſe hæreditatem adire velle præ ſe ferret: deinde tantum abfuit à pecuniis ab Antonio repetendis, vt eum, quamuis affectus iniuriis, demereri conaretur. Legis enim Curiatæ promulgationem conſulto extrahebat, vt Octauius, cum nondum ſecundum leges filius Cæſaris eſſet, neque de facultatibus eius inquirendi poteſtatem haberet, & in reliquis quoque rebus eſſet infirmior. Sic Dio. *Demeretur Antoniũ.*

XXXV. *Quem de poſiti petitione offendit.* QVIBVS Plut. habet non admodum repugnantia in Antonio, niſi quod ſtatim poſt Antonii tanquam paterni amici ſalutationem, ait factam ab eo depoſiti mentionem; idemque confirmat Appian. l.3. eaque re offenſum Antonium: & reuera nõ erat tantula pecunia, vt negligeretur. Cum autem milites ſibi addictos cerneret, quod vltionem Cæſaris cuperent, quam Antonius negligere videbatur, Tribunatum in locum Cinnæ nuper occiſi expetiit, & eodem Antonio obſiſtente, non impetrauit. Nec tamen à propoſito deſtitit, ſed à Canutio Trib. plebis ad plebem introductus, pecuniam à Cæſare promiſſam ſtatim ſe perſoluturum promiſit, & cum ſpem aliorum donorum iniecit, tum ludos à Cæſare deſtinatos, ſuis ipſe ſumptibus edidit. Æneam patris ſtatuam, cum ſtella ſupra caput, in templo Veneris poſuit; quòd dum ludos exhiberet, per 7. totos dies crinita ſtella apparuerat, quam vulgus animam Cæſaris in cœlum recepti opinabatur. Vt ait Suet.[a] Quæ cum metu plebis nemo prohiberet, & reliqua in Cæſaris honorem decreta paulatim introducta ſunt; quibus etiã Cæſaris milites conciliati ad eum ſe plurimi aggregarũt. *Tribunatum petentem impedit. Octauius plebem demeretur. Et mortui patrem colit.*

a l.1. in fi.

XXXVI. *Eius cum Antonio ſimultas.* CVM autem aliquando Cæſar Antonium pro Tribunali excelſo loco ſedentem adiiſſet, vt ante conſueuerat, ignominioſeque illum Antonius inde per lictores exturbaſſet, magnam populi indignationem cõtra ſe mouit. Vtque illi Octauius maiorem conflaret inuidiam, pluribus diebus foro abſtinuit, ſicque ad reconciliationem coëgit Antonium, quæ cum in ſpeciem tantum eſſet, non deſtitit is Octauium quibus potuit modis vexare, per ſe, perque fratres ſuos: ſed eum nihilominus populi gratia ſubleuabat, vt potentia conſularis Antonium. Quamquam & Senatui Ciceronis opera, & aliorum qui Antonium oderant, quibus ſe dedidit adoleſcens, commendatus eſt. Antonius autem Sex. Pompeium adhuc incolumen erexit, Prouinciam Macedoniam, quæ ſibi ſorte obuenerat, C. fratri dedit, ipſe D. Bruti prouinciam Galliam Ciſalpinam, vt militibus & pecuniis inſtructam, affectauit.

XXXVII. *Et vtriuſq bellum ap paratus.* VERVM ſimultates in apertum bellum eruperunt. Cum enim Antonius Brunduſium ad milites, qui eo ex Macedonia tranſmiſerant, proficiſceretur, Cæſar eodem ſuos præmiſit cum pecuniis, qui ſibi illos milites conducerent. Ipſe in Campaniam vſque progreſſus, magnam manum veteranorum contraxit, qui agris à Cæſare dudum donati fuerant, ſinguliſque duo millia nummum confeſtim dedit,[b] & legionem, quæ vocata eſt Euocatorum, confecit. Cumque Romam ante reditum Antonii reuerſus eſſet, plebem ſibi à Canutio paratam inueniẽs, accuſato Antonio, auxilio ſe vrbi veniſſe teſtatus eſt. Quod cum multitudo probaret, in Hetruriam quoque delectus habendi gratia profectus eſt. Sed complures quoque Antonii milites, tam eius ſeueritatem quam auaritiam pertæſi, quadringentos enim tantum ſeſtertios ſingulis promittebat, [c] ad Cæſarem defecerunt; in primiſque legio Martia tota, & legio quarta; quibus Cæſar par cum cæteris argentũ diuiſit. Sed & omnibus Antonii elephantis potitus eſt, cũ in eos dum præteragerentur, incidiſſet.

b id eſt 100. libr. Tur.

c id eſt 10. lib. Tur.

XXXVIII. *Se Bruto iungit contra Antoniũ.* ROMAM reuerſus Antonius, rebus ibi conſtitutis, in Galliam ciſalpinam, quam D. Brutus obtinebat, profectus eſt, ne ibi noui motus exiſterent. Eum ſtatim Octauius eſt inſecutus: & quamquam Brutum æque, atque Antonium oderat, vtrumque tamen ſimul aduerſarium habere noluit, ſed alteri ad perdendum alterum adhæſit, certus poſtea eum quoque, qui ſua ope viciſſet, affligere. Ergo cum Antonio Brutum noſſet inimicum, Bruto armorum ſocietatem obtulit, ſi Antonium non recepiſſet; eoque effectum, vt qui in oppido Aſta erant, Cæſaris

rebus ſtuderent. Quæ res Romam relatæ, & à Senatu, Cicerone annitente', comprobatæ ſunt. Scribit Appianus Antoniũ iuſſiſſe D. Brutum ex ea prouincia in Macedoniam migrare; illum autem finxiſſe ſe à Senatu cum exercitu in Italiam reuocari, & ex itinere Mutinam occupaſſe, ibique obſidionem Antonii expectaſſe, & creatis iam nouis Conſulibus ab illo circumuallatum fuiſſe.

XXXIX. *Brutus & Caßius cũ caſ. arma parant.*

Hoc anno Brutus & Caſſius, qui, vt ſcribit Appianus l. 3. init. in futurum annum deſignati fuerant à Cæſare, cum Prætoria poteſtate præſides, Syriæ Caſſius, Brutus Macedoniæ, quoniam videbant Antonium valida manu ſuccinctum, & de eius inconſtantia metuebant, (nam Cæſarianos aliquamdiu ita repreſſit, vt in plebis odium incurreret, & contra eam ſe præſidio tueri Senatus autoritate cogeretur) clam ad D. Brutum, qui copias in vicina Gallia habebat, ad Trebonium in Aſiam, ad Tullium Cimbrum in Bithyniam literas miſerunt, vt pecunias cogerent, & de exercitu diſpicerent. Ipſi in prouincias ſuas ire feſtinabant, præſertim cum parum in vrbe aut ſecuri, aut honorati viderentur; non tamen ante exactum annum eo profecti ſunt, ne fugere viderentur; ideoque Senatus de eorum honore ſollicitus, eos interea frumento vndecumque in vrbem conuehendo præfecit, vt fuſius diſputat Appianus l. 3.

XL. *Commutã-tur prouinciæ.*

DISTRIBVTIO nihilominus prouinciarum commutata eſt. Nam inſtinctu Antonii Dolabella petiit à populo, & obtinuit, vt in Syriam, & Parthicam expeditionem mitteretur, cum legionibus ad id bellum à Cæſare deſtinatis, & iis quæ iam in Macedoniam præceſſerant. Macedoniam autem Antonius à Senatu impetrauit. Et Senatus vice verſa Bruto Bithyniam, Caſſio Cretam attribuit & Cyrenenſem; quæ pluribus narrat App. l. 3. Caſſium tamen in Syriam veniſſe, ſequenti anno ex Ioſepho docebimus. Cæterum totum artificium & ſimulatio qua Antonius contra Percuſſores & Senatum vſus eſt, ab ipſo accurate declaratur, apud Appianum l. 3. in eius ad Tribunos militum oratione.

XLI. *Trebonius à Dolabella occiditur*

Hoc ipſo anno primus è coniuratis C. Trebonius crudeliter à Dolabella occiſus eſt, vt habetur ex literis M. Antonii ad Hirtium & Cæſarẽ, in Phil. 13. vbi ait intra finem anni vertentis luiſſe ſupplicium parricidii, & refert Appian. l. 3. Cum enim Smyrnam, ex qua fuerat à Trebonio excluſus, nocturno inſultu occupaſſet, eumq; in lecto deprehenſum capite truncari iuſſiſſet, prima luce id caput in ſella Prætoria proponi iuſſit, tum milites in reliquum eius corpus variis contumeliis ſæuierunt, caput autem per vias lapide ſtratas, ſibi inuicem pro pila mittentes, per ludibrium ita contriuerunt, vt facies non appareret. At Cic. Philip. XI. ait poſt datas fidei dexteras, nocturno introitu Smyrnam occupatam à Dolabella, oppreſſum Trebonium hominem Conſularem, & Conſulari imperio Aſiam prouinciam tenentem Samiario exuli tradidiſſe, & cum eũ verborum contumeliis inceſto ore laceraſſet, tum verberibus ac tormentis quæſtionem publicæ pecuniæ habuiſſe per biduum, poſt ceruicibus fractis caput abſcidiſſe, idque affixum geſtari iuſſiſſe in pilo, reliquum corpus tractum atque laniatum abieciſſe in mare. Ita Tullius.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 4010.

L. N. XXVI. Græcus habet 30. drachmas vel 75. ſed res eodem redit datis cuilibet drachmæ 4. ſeſtertiis, iiſque ſingulis ſolidis æſtimatis. Maiorẽ ſummam approbat Plutarchus in Bruto, & in Antonio. Suet. n. 83.

L. N. XXXIIII. Idque fuſe App. lib. 3. init. anni ſeq. Profectionem porro Ciceronis in Græciam, eiuſque reditum pridie Cal. Septemb. diligenter perſequitur Marcoduran. in Ciceronis hiſtoria.

ANNVS MVNDI 4011. SEXTÆ ÆTATIS 496. HYRCANI II. PONTIF. 33. IMPERII ROM. 6. CÆSARIS OCTAVIANI 1. PRÆSIDE SYRIÆ C. CASSIO. PTOLEM. MIN. 5. CLEOPAT. 7. OLYMP. 184. AN. 2. VRBIS CONDITÆ. 710. COSS. A. HIRCIO, & C. VIBIO PANSA, QVIBVS MORTVIS, SVFFECTI SVNT CÆSAR OCTAVIAN. & Q. PÆDIVS, & ILLO ABDICANTE, ISTO MORTVO C. CARRINAS, P. VENTIDIVS BASSVS. TRIVMVIRATVS LEPIDI, ANT. & CÆS. A. 1. BEL. CIV. 7. MVTINENSE &C. ANNVS IVLIANVS 3. HERODIS ÆTATIS 30.

ANNVS ANTE CHRISTVM 42.

RERVM geſtarum ſeries, & communis conſenſus omnium pene antiquorum atque recentium, hoc initium principatus Octauiani, cum primo eius Conſulatu, & inchoato Triumuiratu confirmant. Hircium autem & Panſam Coſſ. anno Vrbis Conditæ 710. Solinus cap. 2. Ad Hircium, inquit, & C. Panſam Conſules anni ſeptingenti. Quorum Conſulatu Cæſar Auguſtus Conſul creatus eſt, octauum decimum annum agens; qui principatum ita ingreſſus eſt, vt vigilantia illius non modo ſecurum, verum etiam tutum imperium eſſet. Vides hunc ingreſſum principatus Auguſti à Solino perſpicue dici, quod clarius poſtea intelligetur, & annum hunc Conſularem ab V. C. confirmari, & cum faſtis Capit. perſpicue congruere. Ad hunc porro vſque annum numerat Conſulum imperium Solinus; inde autem Octauiani principatum. I. *Initium principatus Octauii Cæſaris.* *Eius ætas.*

Sex. quoque Rufus in Breuiario ſuo, initio; ait Romanam Rempublicam ſub Regibus ſtetiſſe 243. annis, ſub Conſulibus 467. mox autem Conſules primos & vltimos ponit Brutum & Publicolam, Hircium & Panſam; duo autem illi numeri 710. omnino conficiunt, ergo Hircium & Panſam, anno Vrbis Conditæ 710. Conſules fuiſſe teſtatur: quamquam Conſules prius etiam deſiiſſe dicere potuit; quod aliquot iam annos omnia Iulii Cæſaris nutu agerentur, vt poſtmodum Octauii arbitrio agi cœperũt; etſi diu Coſſ. ad ſpeciẽ antiqui moris deinceps vſurpati ſunt. Hoc quoque anno, atque his Conſulibus initium imperii Octauiani Auguſti ponit Caſſiodorus, & cum eo Cuſpin. Euſeb. in Chron. Græco, Latinoque, & confirmat infra anno 15. Auguſti in 5. eius Conſulatu; qui etiam de huius Olympiadis anno Conſulibuſque conſentit. Suetonius etiam n. 8. cum ait in Triumuiratu duodecim annos, ſolum 44. annos Rempublicam tenuiſſe; nam illorum 56. annorum, hic annus principium eſt. Recentiores quoque paſſim conſentiunt. Quin etiam Conſulatus ante legitimum tempus per vim aſſumptus, & pro arbitrio depoſitus, & non pauca in illo pro arbitrio geſta, & initus propria autoritate Triumuiratus, nullam de hoc initio principatus Auguſti dubitationem relinquunt. Sed iam ad huius anni res aggrediamur. II. *Coſſ. huius anni.* *Cõfirmatur ratio temporis.*

Dvm Mutinæ D. Brutus ab Antonio, vt ſcribit Appianus, obſidetur, ipſis Calendis Ianuarii noui Conſules, Hircius & Panſa mox à ſacrificio, in ipſum templũ conuocauerunt Senatum contra Antonium. Ibi Cicero, eiuſque amici cenſebãt illum hoſtem iudicandum, quando Galliam inuito Senatu armis occupaſſet, aliaque multa egiſſet, quæ tyrannidem ſapere viderentur; quæ cum L. Piſo, qui erat abſentis Antonii Vicarius, accurate eleganterque refutaſſet, perfecit ne hoſtis iu- III. *M. Cicero agit de Antonio hoſte iudicando*

dicaretur: vtriuſque orationem apud eundem Appianum leges, & Dionem; quanquam Dio Calenum Ciceroni reſpondentem inducit. Et videtur vterque hiſtoricus minus in Ciceronem æquus fuiſſe, certe Dio acerbiorem Calenum Ciceroni facit, quam octaua Philippica patiatur: quin & reſpõſio Caleni, ad reditum legatorum videtur potius referenda, quam ad hanc conſultationem, in qua illi fuerunt. Nec tamẽ Piſo Antonio prouinciam Galliam impetrare valuit, reſiſtentibus amicis Bruti, aliorumque coniuratorum; ne ſi pax eſſet Antonio, is Cæſari reconciliatus, Iulii percuſſores cum eo vlciſceretur; itaque eorum diſſidium quantum poterant, alebant.

IV. *Decretum Senatus de Antonio.*

Decrevit Senatus, vt Macedonia pro Gallia Antonio offerretur, per legatos; Mutina confeſtim abſcedere, Bruto Galliam relinquere, ad Rubiconem intra certum diem ſe recipere, reſque ſuas Senatui permittere iuberetur. Hæc mandata cum Antonius à legatis accepiſſet; vehementius iratus in Senatum, maximeque in Ciceronem, quẽ ſciebat ſibi infenſiſſimum, & totum Senatum in ſuam ſentẽtiam pertrahere, infeſtius cœpit obſidionem vrgere. Ante os, inquit, oculoſque legatorum tormentis Mutinam verberauit, opus oſtendebat, munitionemq. legatis: ne punctum quidem temporis, cum legati adeſſent, oppugnatio reſpirauit. Itaque hoſtis iudicatus eſt à Senatu: iuſſique ſunt qui eo duce militarent, intra proximas Idus Martias, ad Conſules, aut Cæſarem, aut D. Brutum, deſerto Antonio ſe conferre: alioqui Senatum exiſtimaturum eos contra Rempublicam feciſſe.

Quod ſpernens hoſtis iudicatur.

V. *Vbi & Dolabella. C. Caſſii & M. Bruti prouincia & copia.*

Pavlo etiam ante, cum de Trebonii & Dolabellæ in eum crudelitate relatũ eſſet ad Senatum, agente Cicerone, vt ex 11. Philippica apparet, Dolabella cum ſuis hoſtis iudicatus eſt. Macedonia autem cum Illyrico, & copiis quæ in vtraque prouincia ſupererãt, M. Bruto data eſt, donec conſtitueretur Reſpub. Brutus iam proprium habebat exercitum, & inſuper ab Apuleio nonnihil militum acceperat, habebatque naues, tum longas, tum onerarias, & pecuniæ circiter ſexdecim millia talentũm: (quæ ſumma aſcẽdit ad quinque milliones, & ſexcenta millia coronat. ſi Attica fuerunt, ſi autem Euboica 12. milliones, & quadringenta millia francorum:) armorumque magnum numerum, quæ Demetriade Cæſari multo ante parata inuenerat: quæ omnia tunc ex Senatuſconſulto accepit, ad tuendam Rempublicam. Caſſius quoque ex eodem Senatuſconſulto præfectus eſt Syriæ, belloque contra Dolabellam gerendo; aſcriptumque vt quidquid prouinciarum, exercituumque ab Ionio mari Orientem vſque Romano imperio pareat, Caſſii Brutique imperata faciat; quod erat eis ſubiicere omnes præſides prouinciarum tranſmarinarum.

VI. *Octauius affligitur, nec ei Senatus fauet.*

Hæc nimirum Cæſarem vehementer affligebant, vt quæ directo eius conſiliis, de euertendis vlciſcendiſque patris percuſſoribus, aduerſarentur. Senatus autem Cicerone duce, in illis fouendis augendiſque ſalutem ſuam, libertatemque Reipublicæ poſitam, non immerito arbitrabatur. Rurſum videbat ſe Proprætoris quidem dignitate à Senatu ornatum, quam ei milites vltro paulo ante detulerant: ſed reuera ſibi proprium exercitum ablatum, dum eidem exercitui duos Conſules vidit eſſe præpoſitos, præſertim cum Hircius in mandatis accepiſſet à Senatu, vt in partiendis cum Cæſare copiis, duas legiones, quæ ab Antonio ad Cæſarem trãſierant, quod erat robur exercitus, ipſe pro ſua portione acciperet. Denique Senatum abuti ipſo contra Antonium, tantiſper dum ipſum tollat è medio. Nihilominus cogitationes haſce comprimens, & beneuolentiam erga ſe fouens, Hircio, Senatuique conſenſit.

VII. *Res ad Mutinã geſta.*

Exacta interim hyeme Brutus Mutinæ fame laborabat, ad quem obſidione liberandum Hircius cum Cæſare profecti ſunt; nec tamen cum Antonio ſignis collatis dimicare placuit, donec Panſa, qui per Italiam conſcribebat exercitum veniret; interim crebræ equitum velitationes fiebant. Addit Dio Germanos equites, quos cum elephantis Cæſar adeptus fuerat, iterum ad Antonium defeciſſe, & & tranſitione in prælio facta, magnam cladem Cæſarianis intuliſſe, aliiſque nonnullis præliis Antonium ſuperiorem fuiſſe. Dum hæc ad Mutinam geruntur, in Vrbe per Conſulum abſentiam, Cicero populum regebat quotidianis fere concionibus, & amicos Antonii pecuniarum exactione vexabat, vt ait Appianus, qua re

Ventidius vrbẽ turbat

commotus P. Ventidius, qui ſub Cæſare ordines duxerat, & Antonio fauebat, excurrit in deductas à Cæſare colonias, indeque duas legiones veteranorum ad Antonii militiam reuocauit, & ad vrbem cum iis, vt Ciceronem comprehenderet, properauit. Tum vero tantus Romæ tumultus excitatus eſt, vt paſſim cum vxoribus & liberis migraretur, ipſe Cicero ex vrbe profugeret. Quo cognito Ventidius iter vertit ad Antonium; ſed cum intercluderetur à Cæſare & Hircio, in Picenum ſe contulit. Sic Appianus l. 3.

Interea Panſa ad Collegam & Cæſarem cum copiis Mutinam venit; ei Cæſariani Carſuleium obuiam miſerunt, cum prætorianis Cæſaris, & legione Martia, quo facilius viarum anguſtias penetraret. Antonius in arundinetis paludis, ex vtroque latere anguſti aggeris, duas robuſtiſſimas legiones poſuit in inſidiis: quibus pateſactis prætoriani Cæſaris ſeorſim cum prætorianis Antonii pugnam inierunt, ſecluſis de induſtria tyronibus, & iis qui minus erant armorum periti. Seruilius Galba l. 10. famil. epiſt. 30. è caſtris ad Ciceronem ſcribit 16. Calend. Maii id eſt poſtridie commiſſi prælii, aitque pugnatum, poſteaquam anguſtias paludis & ſyluarum tranſiuiſſent. Ergo obſtinatiſſimo certamine mutuis incenſi odiis confligentes, prætoriani Cæſaris ad vnum deleti ſunt. VIII. *Præliū ad Mutinam.*

Ex Martia vero legione, qui ſub Carſuleio erant, aduerſam aciem propulerunt, qui autem ſub Panſa eodem modo vrgebantur; ſuſtinebant tamen fortiter, donec Conſul veruto per ilia ſauciatus, ex pugna elatus eſt Bononiam, reliqui ceſſere; tyrones intra vallum ſe recepere, quo cum veniſſet Antonius, vt caſtra caperet, com plures ibi amiſit, nec egit quicquam. Sic Galba lo. cit. *Antonii victoria.*

Hircivs ad Mutinam certior factus de eo prælio, octauo inde lapide curſim eo peruenit, cum altera legione, quæ ab Antonio defecerat: (Cicero 14. Phil. cum duabus legionibus, 4. & 7. quas mox vocat 20. cohortes,) iamque veſper appetebat, & Antoniani canentes reuertebantur: cum viſo hoſte nouo, inſtauratis pro tempore ordinibus, iterum fortiter pugnarunt, ſed nimirum feſſi a recentibus ſuperati ſunt, maiorique ex parte cæſi. Cum cohortibus viginti veteranis ait Galba veniſſe Hircium, copiaſque omnes Antonii deleuiſſe, aquilas duas, ſigna ſexaginta retuliſſe. Cicero Philip. 14. ait Hircium ita hoſtis Antonii copias occidione occidiſſe, ſuo exercitu ita incolumi, vt ne vnum quidem militem deſiderauerit. Sequenti die omnes petierunt caſtra ad Mutinam poſita. IX. *Eiuſdem mox clades*

Antonius poſt eam cladem ſtatuerat abſtinere à prælio, etiã hoſtibus laceſſentibus; & tantum quotidianis equitum incurſationibus hoſtem infeſtare, donec Decimus ad extremam famem iam redactus, deditionem faceret. Verum aduerſariorum arte ad pugnam pertractus, iterum victus eſt. Hircius etiam in Antonii caſtra irrupit, & circa prætorium pugnans cecidit: tum Cæſar accurrens, corpore ſimul & hoſtium caſtris potitus eſt: ſed mox repulſus ab Antonio, vtrique in armis pernoctarunt. *Alia rurſum eius clades, cum morte Hircii.*

Antonivs aduocato ſuorum concilio, iiſque producendam ad deditionem vſque obſidionem ſuadentibus; veritus ne Cæſar, ſicut pridie conatus fuerat, euaderet intra mœnia, aut ab eo circumuallaretur, & à Lepido & Planco, quibus ſe coniungere cupiebat, quaſi victus contemneretur, ſoluit obſidionem, & iter verſus Alpes ingreſſus eſt. In Piceno ſe tribus Ventidii legionibus cõiunxit, vt inquit Appianus, vbi de coniunctione Lepidi & Antonii. Decimus Brutus obſidione exemptus, ſublatis Conſulibus à Cæſare metuere cœpit, tanquam ab vltore paternæ cædis. Quem metum iuſtiorem etiam faciebat illa ſuſpicio, cuius meminit Suetonius, Cæſarem mortis vtriuſque Conſulis non ignarum fuiſſe: quorum tamen Panſa viuebat adhuc, qui ſe mox nimis amicum in Cæſarem oſtendit. Brutus rupto ponte fluminis, miſit ad eum in lembo, qui tanquam ſeruatori gratias agerent, & colloquium ad reconciliationem expeterent. X. *Antonius deſerit obſidionem.*

verſ. fi. l. 3.

l. 2. n. 11.

vide etiam l. 11. epiſt. fam. 9. & 10

Respondit Cæſar nullam ſe expoſcere gratiam, quod non ad eum ſeruandum, ſed ad Antonium hoſtem patriæ bello perſequendum veniſſet: vt autem eum ad colloquium admittat, pietatem non ſinere. Quibus cognitis Brutus prodiit ad fluuium, vocatoque nominatim Cæſare, clara voce de ſcripto recitauit Senatuſconſultũ, quo Galliam prouinciam acceperat, eique denunciauit, ne ſine Coſſ. traiecto flumine alienam prouinciam inuaderet, neue contra Antonium vltra procede- XI. *Brutus reconciliationem cũ Cæſare fruſtra quærit.*

ret, ſe enim ad eum perſequendum ſufficere.

Victoria Roma nuncius. AT Cæſar, etſi eum facile opprimere poterat, abſtinuit tamen, & ad Panſam profectus Bononiam, rem omnem Senatui perſcripſit. Idem & Panſa fecit. Cicero in vrbe Conſulis literas in concione recitauit, alteras Cæſaris in Senatu duntaxat. Cenſuit etiam vt ſupplicatio quinquaginta dierum, de profligato Antonio, trium imperatorum nomine decerneretur. Id factum pridie Vinalia, id eſt decimo Calendas Maii, idque fuſe habetur in eadem Philippica: quod autem addit Appianus non habetur. Exercitum Conſulum Decimo dandum cenſuiſſe, eique ſoli imperium committendum contra Antonium: aperte autem falſum eſt Cæſaris, ne nomine tenus, in eo Senatuſconſulto mentionem factam fuiſſe, ſi ex ſententia Ciceronis conſcriptum eſt; perhonorificam enim illius mentionem in ea oratione M. Tullius fecit.

XII. *Cæſar Pãſa opera fit infenſus Senatui.* INTEREA Panſa moriturus Cæſari iam irato, quod nimium contemptim à Senatu tractari ſe putabat, vnguis in vlcere fuit. Appianus enim ſcribit, eum conſilia Senatus in perniciem Cæſaris aut patefeciſſe, aut calumniatum eſſe; Conſulibus autem propoſitum fuiſſe nimiam Antonii ſuperbiam reprimere, eumque mox victum Cæſari ipſi reconciliare, & deinceps Cæſarianis partibus conſulere, ideoque & legiones ab eo acceptas ſe illi reddere: voluit & reliquas tyronum legiones, ſed eas Torquatus Quæſtor mandato Senatus Bruto dedit. *Qui Cæſarem timet, ac deprimit.* Id enim tum videbatur Senatus maxime agere, vt Cæſarem reprimeret, & ne ad aliquam potentiam peruenire poſſet, impedire. Itaque omnes inimicos in eum armauit re nauali Sexto Pompeio commiſſa, M. Bruto Macedonia, Caſſio Syria, & bello contra Dolabellam. Haud dubie etiam legiones ipſas ademiſſent, niſi ſtudia militum erga Cæſarem agnouiſſent: inter quos etiam æmulationis atque inuidiæ ſemina ſpargere conati ſunt. Dio li.46.

ANTEQVAM autem ad vlteriora, aliamque rerum Romanorum faciem conuertamus orationem, imitati Appianum, Syriam inuiſamus.

XIII. *Res Syriæ. Caſſij & Bruti prouinciæ.* C. Caſſio, & M. Bruto Syria, Macedoniaque prouinciæ viuo ipſo Cæſare in hunc annum deſtinatæ erant: artibus autem M. Antonii factum fuerat, vt Dolabella Syriam à populo obtineret, ipſe autem Antonius à Senatu Macedoniam, prouincias, exercitibus, pecuniiſque refertas; quarum loco illis datæ ſunt Creta & Cyrene, inopes, nudæque præſidiis, vt inquit Appianus lib. 3. Sed mox annitente Cicerone priores illæ prouinciæ, cum magna imperii acceſſione, Bruto & Caſſio reſtitutæ ſunt à Senatu, vt ſupra diximus. Sed ante illud Senatus decretum in prouincias ſpecie procurationis frumenti profecti ſunt, Caſſius in primis in Syriam, quam, & nominatim Iudæam, non modicis exactionibus afflixit. Qua de re audiendus eſt Ioſephus. l.46. n.6. l 14.c.18.

XIV. *Caſſius in Syria arma parat.* BELLO ciuili poſt cædem Cæſaris, exorto, Conſularibus aliis alio diſcurrentibus ad parandos exercitus, Caſſius in Syriam venit, occupaturus eum, qui circa Apamæam erat exercitum: ſolutaque ea obſidione, tam Marcum, quam Baſſum in ſuas partes pertraxit, obeundoque ciuitates comparabat arma, & milites, grauia etiam tributa exigendo; ſed maxime Iudæam afflixit, pluſquam ſeptingentis argenti talentis imperatis. Tum Antipater res vbique turbatas videns, partem eius pecuniæ duobus filiis exigendam committit, partem Malicho ſibi parum amico, partem quibuſdam aliis; & primus Herodes ex Galilæa quantum imperatum erat afferens, maximam apud Caſſium gratiam iniit: prudens enim illi videbatur conſilium, iam tum Romanorum alieno ſumptu captare beneuolentiam. *Iudæa exactionibus vexat.* Et libro primo de Bello capite nono ait Herodem ex Galilæa centum talenta attuliſſe, proptereaque inter eximios amicos numeratum fuiſſe.

XV. *Ex eodem Ioſepho.* SVB aliis autem procuratoribus ipſæ ciuitates venundabantur vna cum ſuis habitatoribus, quarum quatuor erant præcipuæ Gophna, Emaus, Lydda, Thamna; nam earum plebes Caſſius haſtæ ſubiecit: adeo autem exacerbatus erat, vt etiam Malichum interfecturus fuerit, niſi Hyrcanus per Antipatrum, centum talentis de ſuo miſſis, furorem eius leniſſet. Hæc de Caſſii in Iudæos acerbitate fortaſſe videatur Ioſephus amplificare, in gratiam Imperatorum, qui tum rerum potiebantur, quorũ primum Caſſius interfecerat: ſed ex iis quæ poſtea ab eo Tarſenſes & Laodicenſes paſſi ſunt, facile confirmabitur iſta rapacitas, vt proximo

anno referemus; quamquam auaricia peculiare in eos odium acuebat, qui Dolabellam vltro accerſierant.

L. STATIVM Murcum ſucceſſorem Sex. Cæſaris veniſſe ait Ioſephus, lib. 14. cap. 18. fi. Dio autem lib. 47. ait à Caſſio Statium relictum cum ea dignitate, qua cum ad ipſum venerat, & inſuper claſſem ei commiſiſſe. Nihilominus Cicero, vt conſtat ex vndecima Philippica, autor fuit Senatui, vt decretum fieret in hanc ſententiam; Senatui placere C. Caſſium Proconſulem prouinciam Syriam obtinere, vti qui eam optimo iure obtinuerit, eumque à Q. Marcio Criſpo Proconſule, L. Statio Murco Proconſule, A. Allieno legato exercitus accipere, eoſque ei tradere &c. factum autem decretum perſuadet Velleius, cum inquit, Bruto, Caſſioque prouinciæ, quas iam ipſi ſine Senatuſconſulto occupauerant, decretæ. Qua autem lege, quo iure occupauerant? Reſpondet de Caſſio Tullius Philippica vndecima, illum eo conſilio ex Italia profectum, vt prohiberet Syria Dolabellam, ea lege ac iure, quod Iupiter ipſe ſanxit, vt omnia, quæ Reipublicæ ſalutaria eſſent, legitimo & iuſta haberentur. Sic ipſe; quod vulgo dicimus, iure diuino, ac naturæ. Reliquit autem Statium in ſua poteſtate, quia ipſe habuit ampliorem, ac magis vniuerſam. — *poſt med.* — XVI. *Vt prouinciam obtinuerit ex M. Tul.*

LIBET porro hæc ipſa Syriaca paulo exactius, propter res Iudaicas illis cognatas, explicare. C. ipſe Caſſius ad Ciceronem ſcribens ex caſtris Tarichæis, ſuum in Syriam aduentum paucis explicat. Erant autem caſtra eius ad Tarichæam vrbem Iudææ, ad meridiem maris Galilææ, ſiue Geneſareth ſitam, quam ipſemet Caſſius occuparat, quo tempore Craſſus à Parthis victus deletuſq. eſt: indeque ferme triginta millia captiuorum abduxerat, teſte Ioſepho, Sueton. in Tito Tarrachiam appellat. In Syriam, inquit, Caſſius me profectum eſſe ſcito, ad L. Murcum, & Q. Criſpum imperatores. Viri fortes, optimique ciues poſtea quam audierunt, quæ Romæ gererentur, exercitus mihi tradiderunt, ipſique mecum vna fortiſſimo animo Rempublicam adminiſtrant. Fallitur ergo Dio lib. 47. cum ait Baſſum & Criſpum, & cæteros qui ſecum militare nollent, à Caſſio ſine iniuria dimiſſos. Pergit. Item legionem, quam Q. Cæcilius Baſſus habuit ad me veniſſe, quatuorque legiones, quas A. Allienus (legatus Dolabellæ) ex Ægypro eduxit, traditas ab eo mihi eſſe ſcito. Et epiſtola ſeq. Exercitus omnes, qui in Syria fuere teneo; habui paululum moræ dum promiſſa militibus perſoluo. Nunc iam ſum expeditus. Hæc Caſſius. — XVII. *Ex ipſomet C. Caſſio* — *Caſtra Tarichaea.* — *. 12. c. 11. & 12. . 14. c. 12. vide Adrichom. in trib. Iſachar. n. 58.*

BASSVS, inquit Dio, cum aliquandiu præualuiſſet, poſtea à M. Criſpo, & L. Statio Murco iterum eſt in obſidione habitus, cum Caſſius ſuperuenit, ac continuo vrbes, gloria rerum à ſe in Quæſtura geſtarum, cæteraque nominis claritate adductas, in ſuam poteſtatem, exercituſque item Baſſi & aliorum, ſine vllo labore redegit. Auctior paulo & accuratior eſt Appianus, qui duas legiones Baſſo tribuit, & vtrique illorum imperatorum ternas. Sextius, inquit Murcus cum tribus legionibus à Cæſare contra Baſſum miſſus, magna vi repulſus eſt, donec Minucius Criſpus è Bithynia cui præerat vocatus, cum aliis tribus legionibus, in eius auxilium venit. Ab his cum duæ illæ legiones obſidione premerentur, ſuperueueniens repente Caſſius obſeſſos in fidem recepit, ſimulque alias ſex earum oppugnatrices in partes ſuas, & amicitiam pellexit, quibus Proconſulari poteſtate præeſſet. Nam Senatuſconſulto edictum fuerat omnibus, vt Caſſii Brutiq. imperata facerent. — *ib. 47.* — XVIII. *Ex Dione & Appiano.* — *. 3. Ciuil p. 576 gr. lat. & l. 4. p. 622. & 23.*

ACCVRATE quoque de Allieno, quem Albienum vocat. Nec multo, inquit, ante Albienus à Dolabella miſſus in Aegyptum, reduxerat inde quatuor legiones, Pompeii, Craſſique cladis reliquias, aut ex eorum numero, qui Cæſare diſcedente, apud Cleopatram reſederant. Hunc Caſſius in Palæſtina ex improuiſo circumuenit, coëgitque ſuis partibus accedere, non auſum quatuor ſuas opponere octo legionibus. Atque ita præter opinionem duodecim in vniuerſum potitus, Dolabellam cum duabus, quas videlicet Trebonio occiſo magna ex parte collegerat, ex Aſia venientem, & Laodicææ tanquam amicum receptum obſedit, & oppugnauit: id quod Senatui auditu pergratum fuit. Addit idem libro quarto auctum etiam fuiſſe Caſſium aduerſus Dolabellam, nonnullis Parthorum equitibus ſagittariis: apud quam gentem, inquit, in præclara exiſtimatione fuit, — XIX. *Augetur Caſſius legionibus Allieni.* — *614 gr. at.*

iam inde ex quo Craſſi Quæſtor, viſus eſt eis Imperatore ipſo prudentior.

XX. *Quando contigerit mors Dolabellæ.*

Dolabellæ porro interitum ad hunc ipſum annum pertinere, quo Hircius & Panſa Coſſ. extincti ſunt, atque ad Maium fere menſem, ex epiſtola Lentuli Spintheris ad Ciceronem facile intelligi poteſt. *Dolabella*, inquit, *in Syria eſt, & dum iſti venient*, Hircius ſcilicet & Panſa Coſſ. *Caßius eum opprimet, excluſus enim ab Antiochia Dolabella, & in oppugnando male acceptus, nulla alia confiſus vrbe Laodiceam, quæ eſt in Syria ad mare ſe contulit; ibi ſpero celeriter eum pœnas daturum. Nam neque quo refugiat, habet, neque diutius ibi poterit tantum exercitum Caßii ſuſtinere. Spero etiam confectum eſſe iam, & oppreſſum Dolabellam. Quare non puto Panſam & Hircium in Conſulatu properaturos in prouincias exire, ſed Romæ acturos Conſulatum &c.* Ita ſcribit Perga vrbe Pamphiliæ Lentulus, IV. Cal. Iunii, cum putaret adhuc in viuis eſſe Coſſ. qui tamen Aprili menſe occubuerant in prælio Mutinenſi, vt colligitur ex ſupplicatione pridie Vinaliorum decreta, cuius nuncius nondum Pergam peruenerat. Conſtat autem Laodiceæ oppreſſum à C. Caſſio Dolabellam, prout ab Appiano & Dione ſcriptum eſt.

XXI. *Quis eius locus & modus.*

Cassivs ergo intelligens Dolabellam eſſe Laodiceæ, & veritus ne euaderet, terra, marique eum obſidere cœpit; & nauali quidem prælio cum eo primum conflixit, & præter multas vtrimque naues demerſas, quinque vna cum naualibus ſociis in Dolabellæ poteſtatem venerunt. Aliquanto poſt Caſſius reparatis pro facultate viribus, denuo bis cum Dolabella conflixit nauali certamine, primum dubio marte, iterum multo ſuperior. A terra quoque perfecto in Iſthmo aggere, arietes admoti mœnibus, ea quaſſabant, cum corruptis centurionibus, qui in diurnis erant ſtationibus, per aliquot minores portas intro admiſſus eſt Caſſius. Capta vrbe Dolabella ſatelliti ceruicem feriendam præbuit, iuſſo, vt abſciſſo capite ſalutem ſuam redimeret; fecit ille imperatum, ſed ſeipſum inſuper iugulauit. Velleius Dolabellam ait, non ſegniter ad ictum ſerui ſui ceruicem dediſſe. Dio addit M. Octauium eius legatum ſibi quoque manus attuliſſe, Idem de Marſo nocturnarum excubiarum præfecto, ſcribit Appianus. Sicque Trebonii crudelem, proditoriamque cædem intra annum vertentem Dolabella capite ſuo luit, & quamquam Trebonium inhumatum proieciſſet, cum tamen ſepultura dignatus eſt Caſſius, vt notauit Dio.

l. 12. ep. 4. l. 4 Ciuil. 614. & 615. gr. lat. l. 47. p. 344. & 345. gr. lat.

li. 2.

XXII. *Caſſius copias eius aſſumit.*

Dvce mortuo Caſſius exercitum Dolabellæ iuſſit ſibi ſacramentum dicere; & quamuis Romæ fuiſſent hoſtes iudicati, ſalute nihilominus eos, atque impunitate donauit, vt ait Dio; additque de Laodicenſibus, neque Laodicenſes, præter impoſitam pecuniæ collationem, vlla pœna affecit, idemque fere mox dicit, de Tarſēſibus, qui Dolabellam vltro accerſierant, & Tullio Cimbro reſtiterant, ne Caſſio contra Dolabellam auxilium ferre poſſet. Longe aliter Appianus. Laodicenſium, inquit, & fana & ærarium diripuit, nobiliſſimum quemque affecit ſupplicio, à cæteris grauiſſima tributa exegit, ita vt eam ciuitatem ad extremam redegerit miſeriam. De Tarſenſibus autem. Tandem Caſſius victo Dolabella mille & quingentis talentis eos mulctauit, illi præ inopia, cum milites violenter pecuniam exigerent, vendiderunt omnia ornamenta publica, atque ſacra etiam; concidentes donaria ac fecula pomparum: & cum ne hæc quidem ſufficerent, ingenuos primum pueros, puellaſq. vendebant, deinde mulieres, ſeneſque minimo addictos; poſtea iuuenes, ex quibus ſibi plerique mortem conſciuerunt. Hæc ibi.

Laodicēſes & Tarſenſes punit.

157500. ſc.

XXIII. *Ægyptū fruſtra cogitabat.*

Castigatis Laodicenſibus Caſſius Aegyptum inuadere cupiebat infeſtus, partim quia cum nuper auxilia à Cleopatra corrogaſſet, repulſam tulerat, quod regina cauſata eſſet Ægyptios fame ſimul ac peſte laborare, fuiſſetque Dolabellæ, cui quatuor legiones par Allienum miſerat: partim quia audierat Cleopatram magna claſſe ad Cæſarem & Antonium nauigare. Itaque cogitabat ſe hoc modo eam impediturum, ſimul & puniturum: Ægyptum etiam occupaturum fame afflictam, & externo milite pene vacuam, propter recentem Allieni diſceſſum. Cum ergo hac occaſione bene vti cuperet, impedimento fuit Brutus, qui aliis ſuper alios nunciis eum vrgebat, vt ad ſe veniret cum omnibus copiis, quod iam Cæſar, cum Antonio iunctis copiis, contra ſe per Ionium, mare vela faceret. Itaque Caſſius inuitus ab ſperata Ægypto diſtractus eſt, Brutum adiit. Hæc pluribus Appianus.

vide l. 12. epiſt. 13.

Addam

XXIV. *Brutus comitate C. Antonii copias ad ſe trahit.*

Addam ex Appiano memorabile facinus M. Bruti aduerſus C. Antonium fratrem M. Antonii. De Macedonia, inquit, C. Antonii frater cum Bruto contendebat, fretus vna legione, & cum Bruto eſſet inferior, ei ſtruxit inſidias; quas cum euaſiſſet Brutus, eum viciſſim cum toto exercitu excepit inſidiis, nec tamen vlla re læſit, ſed deos iuſſit conſalutare aduerſarios, quod cum illi contemnerent, neç ſalutarent, eos nihilominus ex inſidiis elabi paſſus eſt incolumes. Circunductoque per alias vias exercitu in præruptis locis deprehenſos, rurſus non inuaſit, ſed ſalutauit. Tum vero vt parcentem ciuibus, & dignum exiſtimatione, qua apud milites habebatur ſapiens, admirati ſunt, & reſalutarunt, & ad eum transierunt. Caius quoque ſe dedidit, & erat apud eum in pretio, donec conuictus ſæpe ſollicitaſſe ad defectionem exercitum occiſus eſt. *Eiuſdem C. mors.* Ita & Brutus copias auxit ad ſex legionum numerum; laudataque virtute Macedonum, duas ex eis legiones delegit, & Romano more in armis exercuit. Ei Velleius ſeptem legiones attribuit, addit quippe, *Trahit & Vatinii.* Vatinii copias circa Dyrrachium ad Brutum tranſgreſſas, Antonium, inquit, bello laceſſierat, Vatinium dignatione obruerat, cum & Brutus cuilibet ducum præferendus videretur, & Vatinius nulli nomini non eſſet poſtferendus: in quo deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenii, adeo vt animus eius digniſſimo domicilio incluſus videretur. Ita Velleius. Dio libro quadrageſimo ſeptimo ait Vatinium à ſuis militibus odio habitum, ac propter morbum contemptum fuiſſe. C. autem Antonii geſta latius perſequitur.

XXXV. *Antipater veneno à Malicho tollitur.*

Hoc ipſo tempore, vſque ad diſceſſum Caſſii è Syria, contigerunt quæ pluribus Ioſephus exponit (lib. 14. cap. 18. 19. & fere ad finem vigeſimi) de Malicho, qui poſt Caſſii diſceſſum è Palæſtina, Antipatro parauit inſidias, vt per eius mortem, Hyrcani Pontificis dominationi ſecuritatem pararet (qua re intellecta à Marco Syriæ præſide (lege L. Murco, qui ſub Caſſio, tam ipſius Syriæ, quam multarum prouinciarum præſide, Syriæ præerat,) iuſſus erat occidi, niſi ipſiuſmet precibus donatus eſſet, quem tamen mox ingratus veneno ſuſtulit. *Herodes dux Cœleſyriæ à Caſſio creatur.* Cum enim Caſſius, & L. Murcus Herodem totius Cœleſyriæ ducem feciſſent, multis ei copiis terra marique attributis, regnum etiam polliciti poſt finitum bellum, quod tum gerebant contra Antonium & Iuniorem Cæſarem: ea incrementa Malichus timens, corrupto pincerna Hyrcani, apud quem Antipater & Malichus epulabantur, veneno necauit Antipatrum Herodis patrem: quem mox Herodes re ad Caſſium delata, in patris vltionem interfici curauit. *Qui viciſſim ab Herode necatur.* Eadem habet etiam libro primo de bello capite nono, nonnullis emendatis in poſteriore opere.

XXVI. *Cæſaris in Senatum offenſiones. Cupit redire in gratiã cum Antonio. Et cum Lepido clam conſpirare.*

Dvm hæc in Syria geruntur, Cæſar in Italia putans ſe affectum contumelia, ait Appian. l. 3. quod nõ ipſe, ſed Decimus Brutus electus eſſet Imperator, ad gerendum bellum cum Antonio, diſſimulata ira, triumphum ob rem feliciter geſtam petiit. Contemptus autem à Senatu, quaſi maiora quam pro ætate appeteret, veritus ne deleto Antonio magis etiam contemneretur, cupiuit cum eo redire in gratiam, iuxta monita Panſæ morientis. Itaque captiuos eius comiter habuit, atq. in ſuorum numerum adſcripſit, aut ſi mallẽt ad eum remiſit, eodemque ſe modo geſſit erga tres Ventidii legiones, Antonio ſignificans ſe non multum à reconciliatione abhorrere. Deinde ad Lepidum, atque Aſinium ſcripſit querelas de illata ſibi contumelia, de parricidarum promotione, de periculo etiam quod ipſis immineret, ne alter poſt alterum, ſicut Antonius, affligerentur, niſi mature proſpicerent, & inter ſe ſecuritatis cauſa ſecreto conſpirarent, dum tamen ad ſpeciem Senatui obtemperarent.

XXVII. *Conſulatũ petit.*

Ipse autem interea in demortuorum Conſulum locum petiit Conſulatum, Ciceronem priuatim rogans, vt ſimul ipſe eandem ambiret dignitatem, quod vellet eius prudentia omnia gubernari, ſuamque ætatem regi, ſolo honoris nomine contentum. Id cum Ciceroni perſuaſiſſet, eius ambitionem Senatus riſit: reſiſtentibus illi maxime percuſſoribus, quod timerent ne Cæſar Conſulatum adeptus, pœnas de eis ſumeret.

Dum comitia variis de cauſis differuntur, Antonius Alpibus ſuperatis permiſſu Culeonis, qui earũ cuſtodiæ à Lepido præpoſitus fuerat, ad Lepidum acceſſit. Is

Senatus autoritate motus, eum recipere cunctabatur; vbi tamen per internuncios eadem; quæ à Cæſare de periculo ſibi quoque imminente accepit, & vtriuſque milites inter ſe familiarius agere cœperunt, ab iis in caſtra acceptus Antonius, à Lepido quoque neceſſario receptus eſt; ſicque rurſus ad magnam potentiam peruenit Antonius. Nam præter alias copias, quas Mutina abduxerat, & cum his equitatum egregium, in itinere tres ei legiones Ventidij ſe adiunxerant: nunc autem Lepidus in ſocietatem receptus, cum ſeptem legionibus, cæteriſque auxiliis, & apparatu non contemnendo, quæ nomine quidem Lepidi erant, re tamen ab Antonio regebantur.

XXVIII *Lepidus hoſtis propterea iudicatur.*

His in vrbe nunciatis, magnus Rempublicam metus inceſſit, magno omnium odio flagrauit Lepidus, adeo vt hoſtis cum ſuis omnibus à Senatu iudicaretur. Teſtis Marcus ipſe Tullius epiſtola decima libri 12. ad Coſſ. Lepidus, inquit, tuus affinis, meus familiaris, pridie Calendas Quintiles ſententiis omnibus hoſtis à Senatu iudicatus, cæterique qui vna cum illo à Republica defecerunt: quibus tamen ad ſanitatem redeundi, ante Calend. Septembris poteſtas facta eſt; & paulo poſt. Præclare viceramus niſi ſpoliatum, inermem, fugientem Lepidus recepiſſet Antonium. Itaque nunquam tanto odio ciuitati Antonius fuit, quanto eſt Lepidus, ille enim ex turbulenta Republica, hic ex pace & victoria bellum excitauit.

XXIX. *Metu Senatus ex nouo bello.*

Metum autem oſtendit, cum ſubdit. Huic oppoſitos Conſules deſignatos habemus, (hi erant Plancus, & D. Brutus,) in quibus eſt magna illa quidem ſpes, ſed anceps cura, propter incertos exitus præliorum. Perſuade igitur tibi, in te, & in Bruto eſſe omnia, vos expectari &c. & rurſus epiſtola octaua, vbi deſignatos illos à Cæſare Conſules nominat. Confecto bello, inquit, vt arbitrabamur, renouatum bellum gerimus, ſpemque omnem in D. Bruto & Planco habemus: ſi verum quæris in te, & in meo Bruto, non ſolum ad præſens perfugium, ſi, quod nolim, aduerſi quid contigerit; ſed etiam confirmationem perpetuæ libertatis.

Et ab Octauio Cæſare.

Scribit Appianus Senatum inopem conſcii, timentemque ne Cæſar cum Antonio fœdus faceret, clam ad Brutum & Caſſium miſiſſe ex ordine ſuo Luceium & Panſam, quaſi ad viſendum ſtatum Græciæ, vt ſibi opem ferrent pro viribus: idque videtur innuere Cicero illis actis, quorum meminit ſcribens ad Caſſium epiſtola octaua.

XXX. *Quē iubet in Antonium bellū gerere.*

Eodem incitante metu, Senatus ex Africa, ex tribus legionibus quæ Sextio parebant, duas acciuit tametſi iure ſuſpectas, quod ſub Cæſare militaſſent (huc pertinet epiſtola vigeſima quinta, D. Bruti lib 11. famil.) tertiam tradi iuſſit Cornificio, fouenti partes Senatus in Africa. Quin & Cæſarem, à quo ſibi plurimum metuebant, pari cum Decimo poteſtate contra Antonium bellum gerere iuſſerunt. At Cæſar militem ſuum in Senatum exaſperauit; quod non perſoluto adhuc donatiuo, iterum ad aliam expeditionem mitteretur: itaque eis author fuit, vt legatos ea de re ad Senatum mitterent; illi miſerunt Centuriones. Nec latuit Senatum id eius monitu fieri. Itaque decemuiros creauit diuidendæ pecuniæ, nec eis Cæſarem vndecimum addidit; quin potius monuit, vt duas legiones ſenſim monerent, ne ſpes ſuas in vno homine, ſed in vniuerſo potius Senatu collocarent, & ad D. Brutum, à quo pecuniam accepturi eſſent, conferrent ſeſe. At legati cum non admitterentur à legionibus ſemoto Cæſare, reuerſi ſunt infecto negotio.

XXXI. *Et ſibi obſtringit.*

Tum Cæſar non amplius cunctandum ratus, milites in concionem aduocat, iniurias ſibi à Senatu factas enumerat, idque agi docet, vt Pompeiani rerum potiantur, Cæſariani ſigillatim opprimantur omnes, aut certe perpetuis expeditionibus vbique vexati, nunquam agris, cæteriſque beneficiis ſibi à Cæſare collatis, quiete fruantur, aut ſeditionibus mutuis, dum aliquibus tantum præmia pollicentur, æmulatione pereant. Itaque ſuam quoque ſalutem in ſummo diſcrimine verſari. Quod ſi eorum opera, à quibus nuper inſignia Præturæ oblata vltro fuerant, etiam Conſulatum adipiſcatur, & illos integra præmia, & Cæſaris beneficia, & ſe debitam paternis manibus vltionem conſecutum; ſicque finem bellorum fore.

XXXII. *Cẽturiones Conſulatũ pro Cæſare petunt.*

CVM ad hæc exercitus alacriter acclamaſſet, miſſi ſunt ad Senatum centuriones, qui Conſulatum Cæſari peterent. Senatu autem ætatem iuuenis cauſante (agebat tunc annum vigeſimum, iſque ami fere erat in exitu) reſponderunt, vt erant præmoniti, Coruinum quoque, & Scipionem iuuenes Conſules eſſe factos, nec patriam geſtorum ab vtroque iuuene pœnitere. Proferebatur etiam recens exemplum Pompeii Magni, ipſiuſque Dolabellæ, quin & Iul. Cæſari iam conceſſum decennium ante ætatem legitimam. Quæ cum à Centurionibus confidentius dicerentur, à quibuſdam Senatoribus obiurgati, exercitum ita commouerunt, vt confeſtim ſe ad vrbem duci poſtularet, ſe priuatis comitiis Conſulem filium Cæſaris creaturos.

XXXIII. *Idem ex Dione.*

HIS de rebus paulo aliter Dio libro quadrageſimo ſexto. Scribit enim Cæſarem ſacramento exercitum ſuum adegiſſe, ſe contra nullum exercitum, qui fuiſſet Cæſaris, pugnaturos, quod ad Lepidi & Antonii exercitum pertinebat, qui fere ex Cæſarianis conſtabat; deinde 400. miſiſſe, qui promiſſam ſibi pecuniam, & Cæſari Conſulatum peterent: quin etiam impunitatem iis omnibus, qui Antonii partes ſecuti eſſent, vt ea negata, iraſcendi & vim afferendi occaſionem arriperent. Cum enim Senatus hanc petitionem non admitteret, iratis legatis vnus ex curia proripuit ſe, gladioque reſumpto, inermes enim ad Senatum introiuerant, & manu eum tangens, Si vos, inquit, Cæſari Conſulatum non datis, hic dabit. Suetonius id dictum ſcribit à Cornelio centurione principe legationis huius.

XXXIV. *Cæſar armatus vrbem adit.*

l. 1. n. 26. Eos vbi Cæſar ita incitatos vidit, vtendum opportunitate ratus, cum octo legionibus, & idoneo equitatu, reliquiſque auxiliis, caſtra mouet, Rubiconem, vnde pater eius ciuilis belli fecerat initium, traiicit, copias bifariam diuidit, iuſſaque altera parte per otium conſequi, ipſe cum ſelectis antecedit, vt imparatis ſuperueniret. Quumque ex aduerſo occurrerent à Senatu miſſi, cum pecunia militibus diſtribuenda, veritus Cæſar ne aliqui hac mercede corrumperentur, clam miſit, qui illis terrorem incuterent; atque ita cum pecunia aufugerunt, & ciuitatem totam, quæ neſciebat eũ Conſulatus tãtum occupandi cauſa venire, trepidatione in latebras & fugã cõpulerunt. Dio pecunias acceptas ſcribit, nec gratias redditas, quod vi extortas viderent, indeque factos ferociores in eos, quos à ſe iam perterrefactos videbãt: eaque re animaduerſa Senatum ſententiam mutaſſe; & interdixiſſe ne propius 750. ſtadia ad vrbem accederent: ſed redeamus ad Appianum.

Milites pecunia ferociores.

XXXV. *Senatus acquieſcit Cæſari, moxque repugnat.*

SENATVS, qui non ſolum Cæſarem in portis, cum infeſto exercitu videret, ſed Lepidum etiam cum Antonio propinquare ſciret, neminem autem adeſſe, qui vrbem tueretur, conſternatus Conſulem abſentem deſignat Cæſarem, non duabus, ſed octo legionibus pecunias mittit, earumque Cæſarem diſtributorem facit, celeriterque mittit, qui hæc Cæſari nuncient. Qui vix portas tranſcurrerant, cum Senatum ſubitæ conſternationis pœnituit, ſtatuitque oppugnationem potius ſuſtinendam, donec Decimus aut Plancus ſuccurrat, ne timiditate ſua ambitioſis anſam aperiant inuadendi per vim magiſtratus; & pugnandum vſque ad mortem potius, quam dominationem admittendam. Vbi vero duæ legiones accitæ ex Africa eadem die in portum appulere, viſum eſt deos ipſos fauere ſtudio libertatis. Itaque cum iis copiis, & altera legione, quam Panſa Vrbi præſidio reliquerat, Vrbem vndique muniunt, & in ſua pœnitentia confirmantur.

Et vrbem munit.

XXXIV. *Cæſar proxima vrbis armis occupat.* *Obuiam priuatim itur.* *Vrbem ingreditur, & legiones vrbanæ ei dedũt ſeſe.*

CÆSARI adhuc legationem audienti nunciatur, Senatum mutaſſe ſententiã, ita legati confuſi reuertũtur. Ipſe magis exaſperato exercitu ad vrbem properat, quidquid vltra Quirinalem collem eſt occupat, nemine auſo vel prohibere, vel congredi: quin potius mira fit nobilium ac plebeiorum, obuiam illi officii cauſa prodeũtium concurſatio; ſequenti die, relicto ibi exercitu, vrbem petiit, idonea ſeptus cuſtodia: tum vero maximo quoque ſalutantium occurſu recipitur, in iiſque à matre & ſorore cum Veſtalibus; ſed & tres vrbanæ legiones, contemptis ſuis ducibus, quorum vnus Cornutus ſibi manus intulit, reliqui in fidem recepti ſunt, ad Cæſarem miſſis legatis tranſierunt.

Eos vbi fide data receptos accepit Cicero, Cæſaris colloquium per amicos impetrauit, admiſſuſque ad colloquium eſt & gratiam, cum illo dicto, eum ſibi

vltimum amicorum occurrere. Cumque publica pecunia, quæ in ianiculo erat, potitus eſſet, bis millenos quingenos ſeſtertios militi diſtribuit, id eſt centum & 25. li. Turon. viritim, pollicitus ſe reliquum additurum.

XXXVII *Fit Conſul, aſſumit collegam Pedium.*

Atque ita vrbe exceſſit, donec comitiis Conſul crearetur, ne ad ſui electionem populo vim attuliſſe videretur: quaſi vero, inquit Dio, præſentia eius, & non potentia terrori eſſet. Electus Q. Pedium collegam ſibi aſciuit, qui portionem ſuã ex Cæſaris hæreditate illi donauerat, vt ait Appianus, quem Dio mauult legatum appellare, & alioqui illi cognatus erat, Iulii Cæſaris etiam ipſe ex ſorore nepos, cum L. Pinario, qui duo ex quadrante relicti fuerant heredes, vt ait Sueton. Conſulatum iniit Cæſar, inquit Velleius libro ſecundo, pridie quam viginti annos impleret, decimo Calend. Octob. cum collega Q. Pedio poſt Vrb. Cond. annis 710. ante 72. quam tu M. vnici Conſulatum inires. Quæ vltima verba docent legendum eſſe, 710. non 709. Vinicius quippe Coſſ. fuit cum Longino, an. Vrb. Cond. 782. li.1.c.3.

XXXVIII. *Rurſum de menſe ac die.*

Dio tamen l.55. Sextilem menſem, ait, Auguſtum nominauit, quod nomen cum alii Septembri, quo menſe natus eſſet Auguſtus indere vellent, ipſe Sextilem prætulit, quod eo menſe primum Conſul factus, ac eo multis magnis præliis victoria potitus eſſet. Quæ deſumpta videntur ex Senatuſconſulto, quod habetur apud Macrobium, cuius hoc eſt initium. *Cum imperator Cæſar Auguſtus menſe Sextili, & primum Conſulatum inierit, & triumphos in vrbem intulerit, & ex Ianiculo legiones deductæ, ſecutæque ſint eius auſpicia &c.* Rurſus libro quinquageſimo ſexto. Vita exceſſit 19. Auguſti, qua die quondam primum Conſulatum inierat. Suetonius decimo quarto quidem Cal. Sept. mortuum ſcribit, ſed de die Conſulatus id non addit. l.1. Satur. c.12. l.1 n.100.

XXXIX. *Prima Cõſulatus acta.*

Electus ergo Cæſar, in vrbem Conſulari pompa ingreſſus eſt ad ſacrificandum, ſacriſque peractis, ſe rurſum in patris familiam ac nomen, comitiis curiatis inſeruit, vt ſcribit Appianus ſub fin. lib. 3. & Dio lib. 46. eaque legitima adoptione, in omnia iura C. Cæſaris publice ſucceſſit. Ne autem vi agere videretur, iudicio res committi voluit. Nam Dolabellam, qui hoſtis à Senatu iudicatus fuerat, iam mortuum abſoluit. De Cæſaris autem nece in primis iudicia conſtituit, & mox Cæſarianis accuſantibus, aliqui vt facinoris ſocii, alii vt conſcii vna præconis denunciatione in iudiciũ vocati, omnes inſpectãte Cæſare damnati ſunt.

Iulii percuſſores dãnari curat.

Eadem habet Plutarchus in vita M. Bruti, vbi ait L. Cornificium illi accuſatorem appoſitum, Caſſio autem M. Agrippam, & indicta cauſa, coactis ſententiam ferre iudicibus, damnatos eſſe. Fama eſt, inquit, cum Præco de more citaret Brutum ex roſtris ad cauſam dicendam, plebem non obſcure ingemuiſſe. Optimates deiecto in terram capite, conticuiſſe, P. Silicio lacrymas manaſſe, atque hac de cauſa mox inter proſcriptos relatum fuiſſe. Hunc ſignificare videtur Appianus libro tertio, dum iſtius iudicii narrat hiſtoriam, nec eum tamen nominat, ſed aliam proſcriptionis cauſam affert, quod ſcilicet ſolus ex omnibus iudicibus album calculum ferre auſus eſſet, pro innocentium ſalute. Idemque Dio, qui illum Sicilium Coronam appellat, pro Marco Bruto abſoluendo ſuffragium tuliſſe refert.

ſenſus populi in dãnatione M. Bruti.

XL. *Senatus Cæſarem ornat priuilegiis.*

Addit Dio Senatum priuilegiis Cæſarẽ lenire conatum fuiſſe, vt ſcilicet is cui paulo ante Conſulatum negarant, peracto Conſulatu, quotieſcunque apud exercitum eſſet, Conſulibus cuiuſcunque temporis honore anteiret; ac cui iudicia & pœnam minati fuerant, quod priuato conſilio copias contraxiſſet, cum alios etiam exercitus parare iuſſerunt; & cuius ignominia afficiendi, opprimendique cauſa, bellum D. Bruto contra Antonium mandauerant, ei quoque Bruti legiones adiecerunt. Denique ei Vrbis cuſtodia commiſſa eſt, vt agere pro ſuo arbitrio etiam præter legum præſcripta poſſet, quæ vellet. Quidam legunt ἐκ τῶν νόμων ex legum præſcripto, alii ἐκτὸς τῶν νόμων quod videtur verius; legibus enim eum ſoluiſſe ex priuilegio videri voluerũt, quem iam videbant omnia pro arbitrio agere poſſe. Itaque hæc omnia metus extorſit à Senatu, qui inuitiſſimus hoſti libertatis ſuæ blandiebatur, quique paratus erat poſtridie hæc omnia antiquare, ſi qua forte grauior, atque inſanabilis plaga Cæſarem afflixiſſet.

XLI *Cæſaris cũ Antonio gratia, & affinitas.*

His peractis, inquit Appianus, cogitabat de ſarcienda cum Antonio gratia; publice videlicet: nam priuatim iamdudum renouata fuerat, imo affinitas

contracta: audi enim Velleium, qui cum dixiſſet Lepidum à Senatu hoſtem fuiſſe iudicatum; tum, inquit, inter eum Cæſarem & Antonium commercia epiſtolarum, & conditionum facta mentio. Cum Antonius ſubinde Cæſarem admoneret, quam inimicæ ipſi Pompeianæ partes forent, & in quod iam emerſiſſent faſtigium, & quanto Ciceronis ſtudio Brutus Caſſiuſque attollerentur: denunciaretque ſe cum Bruto, Caſſioque, qui iam decem & ſeptem legionum potentes erant, (Appianus habet viginti, lib. 3. imo init. lib. 4. ſupra 20.) iuncturum vires ſuas, ſi Cæſar eius aſpernaretur concordiam; diceretque plus Cæſarem patris, quam ſe amici vltioni debere. Igitur tum inita potentiæ ſocietas; & hortantibus, orantibuſque exercitibus, inter Antonium etiam & Cæſarem facta affinitas, cum eſſet priuigna Antonii deſponſa Cæſari. Sic Velleius. Plutarchus in Antonio vocat eam Clodiam Fuluiæ filiam. Dio eam affinitatem contractam dicit, cum de Triumuiratu inter ſe conuenerunt.[a]

[a] Suet. l. 2. n. 62.

XLII. *Curat Lepidum & Antoniũ de hoſtibus amicos declarari.*

Pvblica ergo autoritate Cæſar volebat ſibi reconciliari Antonium. Itaque lentis itineribus ad mare ſuperum profectus, quaſi bellum contra Antonium Lepidumque facturus, Pedii collegæ interuentu, autor fuit patribus, vt priuſquam factionum odia fierent immedicabilia, Lepidum & Antonium reciperent in gratiam, quod illi neceſſitate cogente approbarunt; etſi videbant eo facto, non ſolum decreta ſua ignominioſe irritari, ſed autores etiam publicæ libertatis deſeri, ac miſere prodi, imo auxilia etiam Cæſari contra Brutum & Caſſium adminiſtrari. Idem affirmat Dio, ſed addit Senatum non prius in eam concordiam conſenſiſſe, quam ea de re Cæſaris voluntatem acciperet, iſtumque finxiſſe, ſcilicet inuitum ac pugnantem conſentire, qui iam ſacramento ſuos deuinxerat, contra eos non pugnare. Itaque antiquato hoſtili Senatuſconſulto, pacificas ad eos literas miſerunt; quod Cæſar Senatui per literas gratulatus eſt. Senatus Cæſarem viciſſim amiciſſimo reſcripto collaudauit.

XLIII. *Antonius profitetur bellum cõtra amicos Senatus. Ei ſe iungũt Pollio, & Plancus cum copiis.*

Antonivs autem Senatui reſcripſit exacturum ſe à Decimo Bruto pœnas perfidiæ erga Cæſarem, & à Planco erga ſeipſum; coniuncturumque cum Cæſare copias. Nihilominus tamen Antonio Decimum perſequẽti, cum ſe Aſinius Pollio cum duabus legionibus coniunxiſſet, eodem conciliatore Plancus, qui dudum ſe Decimo, & ſcilicet deſignato collegæ dederat, eo deſerto cum tribus legionibus ad Antoniũ tranſiit. Paulo tamen ante, cum nondũ Lepidus ſe Antonio coniunxiſſet, idq. ne cum L. Planco faceret, Senatus formidaret, prohibuit eos tranſire in Italiã, ſed iuſſit eos, qui ad confluentes Rhodani & Araris aquas conſederant, ex quo fuerant Vienna pulſi ab Allobrogibus, vrbem condere: itaque illi ſubſiſtentes Lugdunum ædificauerunt. Ita Dio lib. 46. Affert Sigonius monumentum antiquæ inſcriptionis, in quo L. Munacius Plancus dicitur in Gallia colonias deduxiſſe Lugdunum & Rauricam.

XLIV. *Decimus Brutus deſeritur, dũ Macedoniã cogitat.*

Decimo ſupererant legiones decem, quarum quatuor rei militaris peritiſſimæ, adhuc ex tolerata in obſidione Mutinenſi ſame laborabant: ſex autem tyronum, & rudes: quare inconſultum ratus eos prælio committere, ſtatuit ad Marcum Brutum in Macedoniam fugere, & quidem, vt vitaret Cæſarem, longiore ac difficiliore via. Traiecto enim Rheno, per ſolum barbaricum iter moliebatur. Qua difficultate deterritæ tyronem legiones, ad Cæſarem deſerto duce tranſierunt. Nec multo poſt aliæ quatuor veteranæ contulerunt ſe ad Antonium, ſimulque auxiliares, exceptis Gallis, equitibuſque deſtinatis ad corporis cuſtodiam; ille permiſſis ex hoc quoque numero domum redire quotquot vellent, cum trecentis qui remanſerant Rhenum petiuit, quem fluuium cum tranſire difficile eſſet, paulatim & ab his, decem exceptis deſertus eſt.

XLV. *Captus ad Aquileiã occiditur.*

Tvm demum ſumpto cultu Gallico, relicto viarum diſpendio, Aquileiam petebat, ſperans ſe propter paucitatem poſſe fallere. Captus autem à latronibus, & vinctus ad Camillum Dynaſtum, cuius erat ea regio ductus eſt, & honorifice tractatus; verum clam rem ad Antonium detulit. Is Camillo mãdauit, vt eius caput ad ſe mitteret. Addit Dio libro quadrageſimo ſecundo, cum iam iugulandus iniquo animo ſuum caſum ferret, ac deploraret. Eluium quendam Blaſium, qui propter militiam eum amore proſequebantur, ſuo exemplo eum confirmaſſe;

ſeipſum enim coram ipſo interficiendo, ad tolerandam necem animaſſe. Reſectum caput Antonio miſſum eſt: quod ille inſpectum ſepeliendum ſuis tradidit. Ita mortuus eſt D. Brutus, qui ſecundus poſt Trebonium homicidii pœnas poſt ſeſquiānum dedit. Hæc fere Appianus, vſque ad extremum librum tertium. Quod ſi Brutus poſt annum cum dimidio à Cæſaris nece occiſus eſt, Septembri menſe, ſub initium Conſulatus Octauiani occiſum oportet, aut certe aliquanto poſt.

XLVI. *Antonius ac Lepidus adeunt Cæſarem.*

SVBLATO D. Bruto, inquit Dio, Antonius ac Lepidus relictis in Gallia legatis, in Italiam ad Cæſarem contenderunt, ſecum maxima atque validiſſima exercitus parte abducta; nam neque ſatis fidebant Cæſari, neque eius beneficio ſuam impunitatem ac reditum debere ſe, ſed à ſuis viribus parauiſſe videri volebant. Ad hæc ſperabant, propter ſuorum militum præſentiam, Cæſarem Romanoſque, omnia quæ ipſi voluiſſent facturos. His Cæſar cum valida militum manu prope Bononiam occurrit; ſed armis contra ſe inuicem tunc opus non fuit. Etſi enim ſummis ſeſe odiis proſequebantur; tamen quod æquis viribus erant inſtructi, quodque mutuis prius auxiliis vlciſci ſuos alios inimicos volebant, pacem ac concordiam fictam compoſuerunt. Cætera quæ ad Triumuiratum conſtituendum pertinent, accuratius habet Appianus, ex quo etiam petenda duximus.

XLVII. *Conueniūt, ac conſtituunt Triūuiratum.*

CÆSAR ergo, vt narrat Appianus initio libri quarti, poſt reſartam cum Antonio amicitiam, congreſſus eſt circa Mutinam, aut circa Bononiam, vt Dioni placet, in parua quadam, ac plana inſula fluuii Labinii, vterque ſecum habens legiones quinque, quibus inter ſe oppoſitis, comitati trecenis ambo proceſſerunt ad pontes fluuii, & Lepidus miſſus ad perſcrutandam inſulam, paludamentum quatiens, ſignum dedit vtrique veniendi. Illi comitatu, & amicis in pontibus relictis, progreſſi in medium locum conſpicuum, ſoli tres conſedere, Cæſare propter Magiſtratum medio. Ibi per integrum biduum, triduum habet Plutarchus in Antonio, colloquio habito, hæc ſtatuerunt de communi ſententia.

Vt Cæſar in reliquum anni Conſulatu Ventidio cederet, vt nouus magiſtratus Triumuirorum, ad tollendas ciuiles diſſentiones crearetur, eumque Lepidus cum Antonio, Cæſareque in quinquennium Conſulari poteſtate agerent; hoc enim nomen magis, quam Dictatorum placuit, fortaſſe propter recentem Antonii legem de abroganda Dictatura.

XLVIII. *Quæ Triūuirorum poteſtas, quodque inſtitutū.*

VT Triumuiri confeſtim in quinquennium Vrbanos magiſtratus annuos deſignarent: vt prouincias ita partirentur, vt Antonius haberet vniuerſam Galliam, excepta prouincia Narbonenſi: huic vero Lepidus præeſſet, vna cum Hiſpania; Cæſari obueniret Africa cum Sicilia, reliquiſque inſulis; dilatis in aliud tempus tranſmarinis prouinciis, propter Brutum & Caſſium, qui eis præerant. Cum his bellum gerere Antonium & Cæſarem placuit. Nam Lepidus, deſignatus in proximum annum Conſul, in vrbe manſurus erat, & Hiſpaniam per vicarios adminiſtraturus. Et tribus legionibus relictis ad vrbis præſidium, reliquas ſeptem diſtributum iri, Cæſari tres, Antonio quatuor, vt cum viginti legionibus ſinguli bellum gererent. Et quo exercitus redderetur alacrior, poſt propoſita victoriæ præmia, præter alia donatiua, octodecim ei coloniæ Italiæ promiſſæ ſunt agri optimi, pulcherrimórumque oppidorum.

XLIX. *Decernunt proſcriptionem.*

SED ante omnia viſum eſt inimicos tollere, ne longinquam expeditionem ſuſcipientibus, à tergo aut detrimento eſſent, aut formidini. Hæc decreta Cæſar ex officio Conſulari exercitibus de ſcripto recitauit, ſola proſcriptione ſilentio prætereita.

Cæterum quod ad proſcriptos attinet, Triumuiri inter ſe conferentes, in eum catalogum referebant ſuos quiſque inimicos, quo fiebat vt aliquos cuipiam ipſorum amicos, atque adeo conſanguineos immaniſsima commutatione morti deſtinarent. Nam Cæſar Ciceronem ceſsit Antonio; Antonius Cæſari conceſsit L. Cæſarem auunculum ſuum, Lepidus Paulum fratrem morti cum cæteris deſtinari paſſus eſt, vt inquit Plutarchus, in M. Antonio. In eodem albo plerique ob potentiam ſuſpecti, aut alioqui diuites ſcripti ſunt, quod multis pecuniis tantum bellum indigeret, & bellis Italia exhauſta eſſet. Appianus & Dio.

Addit Dio l. 47. hanc præſcriptionem Syllana acerbiorem fuiſſe, tum aliis rebus, tum quod in illa ſoli Syllæ inimici peribāt. Hic cum tres eſſent Proſcriptores, iique ſpecie tenus amici, qui vni amicus erat, cæteris hoc ipſo inuiſus erat: itaque cum quiſque quos oderat perditos vellet, multos quiſque amicorum neceſſario amittebat. Sic fere Dio, pluraque deinceps de prædicta vitarum commutatione ſubdit: totamque crudelitatem Antonio maxime ac Lepido tribuit, qui multos habebant inimicos, vt pote multis honoribus diu functi. At Cæſar tum iuuenis erat, & natura placidus, & moribus patris innutritus; itaque cum ſolus regnauit, nihil huiuſmodi perpetrauit. Vt mirum ſit à Suetonio ſcriptum eſſe n. 27. Reſtitit quidem, inquit, aliquandiu collegis, ne qua fieret proſcriptio, ſed inceptam vtroque acerbius exercuit &c. L. *Quam grauis ac luctuoſa fuerit.*

Fvervnt autem proſcripti, ſi Plutarcho in Bruto credimus, ducenti trucidandi, in quorum numero Cicero in primis fuit. At Appianus l. 4. hanc carnificinam longe numeroſiorem facit. Ait enim proſcriptos bonis publicatis, Senatores trecentos, equites Romanos bis mille. A principio autem tantum ſeptendecim è potentioribus proſcripſerunt, Ciceronem in primis; quorum quatuor mox deprehenſi ſunt, reliqui dum tota nocte quæruntur, omnia tumultu repleta ſunt, quod nondum tabula proſcriptionis extaret; proptereaque quiſque ſibi metueret, dum quoſdam ad mortem inueſtigari conſtaret. Et plerique in deſperationem adducti, incendium in priuatas, publicaſque domos immittere moliebantur. Q. Pedius tota nocte vrbem obiit, omnes confirmans, & diei exortum expectare iubens. Qui vbi aduenit ſeptemdecim illos propoſuit, vt cæteri metu ſoluerentur, & quieſcerent: quibus etiam ſecuritatem fide publica promiſit, ignarus decreti triumuiralis. Et is quidem ſequenti nocte, morbo ex nimia defatigatione contracto, extinctus eſt. LI. *Quamque numeroſa.* *Mors Pedij Coſ.*

Trivmviri autem triduo vrbem ingreſſi ſunt, ſeorſim quiſque cum ſua Prætoria cohorte, & legione vna. Poſt quorum aduentum vrbs armatis continuo repleta eſt, & ſigna militaria in locis opportunioribus conſpecta. Aduocatáque concione P. Titius Trib. plebis legem tulit de nouo Magiſtratu creando, vt Triumuiri conſtituendæ Reipub. præeſſent in quinquennium, cum poteſtate Conſulari, Lepidus, Antonius, & Cæſar, & lex ſine mora perlata eſt; præter morem moreſque Ciuitatis. LII. *Triumuiri vrbem ingrediūtur, & nouum adeūt Magiſtratum.*

Sequenti nocte præter illos 17. alii 130. proſcripti ſunt: nomina eorum diuerſis Vrbis locis pependerunt; & paulo poſt aliorum 150. ſemperque nouis tabulis, noua nomina ſcribebantur, aut recens damnatorum, aut eorum, qui per errorem erant interfecti, ne ſine cauſa periiſſe viderentur; mandatumque vt omnium capita ad triumuiros deferrentur, præmiis propoſitis, libero pecunia, ſeruo inſuper libertate; eadem quæ proſcriptis pœna propoſita erat iis, qui fugientem exciperent, vel celarent, vel non præberent excutienda omnia; Sic enim in edicti formula ſcriptum erat. *Alii ex aliis proſcribuntur.*

Ergo quod fœlix fauſtumque ſit ex iis quorum nomina, huic ſcripto ſubiuncta ſunt, nemo quemquam recipito, neue celato, neue dimittito, neue pecuniis corrumpitor: quiſquis autem vel ſeruaſſe, vel adiuuiſſe, vel conſcius fuiſſe deprehendetur, eum nos, abſque vlla excuſatione veniaque, referemus in proſcriptorum numerum. Capita vero occiſorum ad nos referunto, accepturi præmium vicenaquina millia ſeſtertium in ſingula, [a] ſi liber attulerit; ſin ſeruus libertatem & dena millia ſeſtertium, [b] & heri ſui ius ciuitatis. Eadem præmia ſunto & indicibus; nec cuiuſquam præmium accipientis nomen commentariis inſeretur, ne manifeſtum fiat. Hinc autem apparet quanta ianua crudeliſſimis indigniſſimiſque cædibus aperta ſit, vt nec filii parentibus, nec parentes filiis nec mariti vxoribus, nec vxores maritis, nec famuli dominis, nec fratres fratribus parcerent, vt pluribus exemplis comprobatum eſt. Cæterum integram edicti formulam, qua immani crudelitati, iuſtitiæ, & neceſſitatis velamenta prætenderunt, varias etiam proſcriptorum cædes, in quibus iura omnia diuina humanaque violata ſunt, alios item plurimos, qui miris modis ſeruati ſunt, accurate retulit Appianus l. 4. nec neceſſe eſt nos, in tam diro ac ferali argumento, diutius verſari. LIII. *Formula edicti proſcriptionis.*

a id eſt 1250 lib. Tur.
b 500. lib. Tur.

Exercita eſt hæc carnificina poſtremis maxime huius anni menſibus, priuſ- LIV. *Quando maxime exercita.*

Ciceronis cædes.

quam Cæſar & Antonius expeditionem in Brutum & Caſſium ſuſciperent; cuius rei argumento eſt lapis Colotianus, quem Sigonius & Onuphrius referunt, in quo habetur, Triumuiros Lepidum, Antonium, Cæſarem factos ex A. D. V. Cal. Decemb. ad pridie cal. Ian. ſexti anni conſequentis. Tacitus autem in Dial. de Orat. Tironis liberti teſtimonio affirmat ſeptimo Idus, Decembris ſcilicet ſeptimo die interemptum M. Ciceronē, ætatis anno 64. fere expleto: de cuius morte plena ſunt omnium ſcriptorum monumenta, Plutarchi in eius vita, Appiani l. 4. Dion. l. 47. Vellei. l. 2. & aliorum, quos ſtudioſe collegit Marcoduran. in eius Hiſtoria.

LV. *Crudelis Lepidi triumphus.*

Habes & alterum crudelitatis argumentum ex Lepidi triumpho, qui in faſtis habetur notatus prid. cal. Ian. de quo ita Appianus. Interea Lepidus de Hiſpanis triumphauit, & edictum huiuſmodi eſt propoſitum. Quod fœlix fauſtumque ſit, edicitur vniuerſis, vt ſacris, ac epulis dent hunc diem; qui contra fecerit inter proſcriptos eſto. Eam quoque ſæuitiam tangit Dio l. 47. cum de lætitia ineuntis anni loquitur. Alius iam triumphus 4. cal Ian. Munacii Planci ex Gallia celebratus erat, & fortaſſe triſtiore facie ciuitatis, quæ cauſa fuerit illius edicti Lepidi. Vtriuſque triumphi meminit Velleius. Quis autem tam barbaram crudelitatem non exhorreat, vt cum immenſam lugendi cauſam dederis, & vero etiam dare pergas, nihilominus etiam lugere prohibeas, imo inuiti gaudii ſimulationem extorqueas.

LVI. *Rapina prætereades exercita.*

Interea enim, vt ait idem Appianus, proſcriptorum ædes diripiebantur, prædia, domuſque venundabantur, ſumma militum impunitate, atque inſolentia; quippe quos magiſtratus coërcere non audebat, neque licentium reprimere, ne eorum in ſe furorem conuerteret: & quia rari reperiebantur emptores, viliſſimo res diſtrahebantur. Itaque ad ſummam belli ſumptibus deſtinatam, cum viginti millia myriadum adhuc deſiderarentur, [a] propoſita publice nomina fuerunt mille & quadringentarum mulierum ditiorum, quas oportebat profiteri bona ſua, & in ſumptus belli conferre, pro triumuirorum arbitrio. Quam tributi inſolentiam, cum publice per Hortentiam conqueſtæ eſſent, ſolæ quadringentæ ad eam neceſſitatem adactæ ſunt: ſed earum vicem alii viri ſubierunt, quos iuſſerunt vnius anni reditus ad belli ſumptus contribuere. Alias pleraſque artes extorquendæ pecuniæ vſurparunt, quas Dio ſub huius anni finem commemorat.

Tributum in mulieres

[a] id eſt 10. milliones lib. Tur.

LVII. *Subrogatio Magiſtratuum.*

Svb cuius etiam anni finem de magiſtratuum ſubrogatione hæc habet Dio l. 47. Cum Cæſar Conſulatum (quem adeo appetierat, vt eius adipiſcendi cauſa bellum patriæ inferret, vltro deponeret, quod ei ſcilicet Triumuiratus ad omnia, quæ libuiſſent peragenda ſufficeret, & eius collega Pedius paulo ante mortuus eſſet, P. Ventidium Prætorem, & alium quendam (cum C. Carrinatem ex lapide Colotiano appellat Sigonius) Conſulem creauerunt, Præturamque eius Ædili cuidam tradiderunt; omnibuſque poſt Prætoribus Magiſtratum, quem quinque adhuc dies geſturi erant, abrogauerunt; iiſque in prouincias emiſſis, alios in eorum locum ſubſtituerunt: leges alias antiquarunt, alias pro iis ſtatuerunt; vtque vno verbo dicam, omnia ex animi ſui ſententia egerunt; adeoque omnia pro ſuo arbitrio ac cupiditate adminiſtrarunt, vt regnum Cæſaris aureum fuiſſe videri poſſet. Hæc fere Dio. Cæterum neque illud omittendum, multos proſcriptorum in Siciliam ad Sext. Pompeium, qui & ipſe proſcriptus inſulam habebat in poteſtate, & omnes admirabili quadam beneuolentia, & patriæ charitate libenter excipiebat, fuiſſe profectos: nonnullos ad Cornificium in Africam, multos etiam ad Brutum & Caſſium in Aſiam abiiſſe, ſicq; proſcriptionis crudelitatem vitaſſe. Vt Appianus cum Dione teſtantur.

Fuga Proſcriptorum.

SCHOLIA IN ANNUM MUNDI 4011.

1.N.XXXVI Scribit Dio l. 46. pecuniam à Cæſare erogatam poſt receptum Conſulatum, & quidé ait dediſſe iis, quibus eam Senatus decreuerat, & quantum decreuerat: ſed reliquis quoque è publico dediſſe, licet de ſuo ſe dare ſimularet.

De hoc Decimi Bruti caſu ita Velleius lib. 2. Paulatim eum relinquente exercitu fugiens, in hoſpitis cuiuſdam nobilis viri, nomine Capeni domo, ab iis quos miſerat Antonius iugulatus eſt. Vltimam eius ad Ciceronem epiſtolam, habes lib. 11. epiſt. 25. 2.N.XLV.

ANNVS MVNDI 4012. SEXTÆ ÆTATIS 497.

HYRCANI II. PONTIF. 34. IMPERII ROM. 7. CÆSARIS OCTAVIANI ET TRIVMVIRATVS 2. HERODIS 31. PRÆSIDE SYRIÆ STATIO MVRCO. CLEOPAT. 9. OLYMP. 184. AN. 3. VRBIS COND. 711. COSS. M. ÆMILIO LEPIDO II. L. MVNACIO PLANCO. BELLI CIVILIS 8. PHILIPPENSE. ANNVS IVLIANVS 4.

ANNVS ANTE CHRISTVM 41.

I. *Res anni huius, & belli magnitudo.*

SECVNDVM Octauiani annum, ſecundum item Triumuiratus appellamus; ſed vtrobique inchoatum duntaxat intelligi volumus, à 10. ſcilicet Cal. Octob. priorem, poſteriorem autem à 5. Cal. Decembris.

Cæterum inſignis eſt hic annus, ortu Tiberii Cæſaris, qui proxime Auguſto in imperio ſucceſſit: cadit illa natiuitas in finem anni huius, de illa itaque in eius fine dicetur. Inſignis quoque eſt bello, apud Philippos in Macedonia geſto, quo victis occiſiſque Bruto & Caſſio, in quos vnos intuebatur S P. Q. cupidus libertatis, illa ipſa libertas poſtrema pene ruina proſtrata eſt. Bello omnino maximo, ſiue rei quæ victoria petabatur magnitudinem ſpectes, ſiue quatuor imperatorum confligentium eximiam fortitudinem, rerum gerendarum prudentiam, fœlicitatem, omnimodam denique præſtantiam contemplere; ſiue copiarum vtraque ex parte pugnantium multitudinem, veteranam armorum peritiam, pugnandi ardorem obſtinatum; adde ducum liberalitatem, adde militum in duces beneuolentiam, adde rerum omnium ad victoriam apparatum.

II. *Dei iudiciũ in victoria.*

QVÆ tamen, iuſto Dei exercituum iudicio, ad eam partem, quamuis aliquandiu cunctata, deuolauit, quæ illa, propter oppreſſam libertatem patriæ, propter cruentam proſcriptionem innocentium, propter innumerabiles bonorum rapinas, propter hoſtiles ciuium inermium cædes in pace perpetratas, propter impoſitum liberis capitibus triplicem tyrannum, minime omnium digna videbatur. Eos autem deſeruit, qui eximiis naturæ, doctrinæ, aliarumque virtutum præſidiis exculti, ciuitatis Romanæ decora cenſebantur: quos Senatus vniuerſi fauor, quos omnium bonorum vota, auxilia, lachrymæ proſequebantur; qui vnam patriæ libertatem intuentes, iura legeſque valere & regnare, in libera tot ſeculis republica cupiebant. Vſque adeo ingrata eſt, atque inuiſa Deo, ſubditorum in legitimũ principem rebellio, quando contra iniuſtum, priuata autoritate, atque arbitrio inſurgentes, atrox repente vindicta diuinitus ſontes perſecuta proſtrauit: quod ſcriptores ipſi profani Appianus, Dio, Velleius agnouere, ſcriptorũque monimentis poſteritati prodidere; Sed rem ipſam aggrediamur. Eam Appianus explicat accurrate l. 4. eum igitur in hac epitome habebimus ducem, ita tamen vt cæteros ſcriptores ſubinde ſubſidio aduocemus, vt quæ deeſſe, aut probabilius dicta eſſe videbuntur, de more ſuppleamus.

Exercitus omnes adeunt Macedoniam.

exilium miſiſſe; quidquid pecuniarum, auri argentique, in ſacro aut publico fuit, id omne corraſiſſe. Nec eo contentus priuatim iuſſit à dominis, ad præſtitutam diem proferri quidquid eſſet occultatum, propoſitis indicibus præmiis; quo facto aliam quoque magnam pecuniæ auri argentique vim contraxit. Imperauit nihilominus & aliis omnibus Aſiæ prouinciis, decem annorum tributa, eaq; ſumma contentione exigebat: vt non mirum eſſet, tot legionibus, tot millenos ſeſtertios viritim, ſemel, iterum, tertio diſtributos, ad ſinum Melanum, cum luſtratus eſt exercitus: rurſum poſt orationem Caſſii, ad eundem exercitum; tertio poſt primum prælium: cum paulo ante Brutus, ex iiſdem prouinciis ſexdecim talentorum millia collegiſſet, vt ait Appianus. Acceſſerunt & theſauri Regis Thraciæ, Bruto à Polemocratia regina, cum puero rege commiſſi. Vt omittamus Ariobarzanis Cappadocis pecuniam, & tam multa Iudæorum, Laodicenſium & Tarſenſium millia talentorum. VIII. *Immenſas cogunt pecunias, quas in milites profundant.*

CÆTERVM M. Brutus ſub hoc tempus, cum Roma nuncium proſcriptionis accepiſſet, & C. Antonium, M. fratrem in Macedonia, ſub Hortenſii manu in poteſtate haberet, à conſueta lenitate abductus (id ſignificat ἐκβιασθεὶς Plutarchi in eius vita) Hortenſio ſcripſit, vt interficeret C. Antonium, quo D. Bruto & M. Ciceroni parentaret; quorum hic amicus, illo genere propinquus erat. Verum Dio C. Antonium ſub Clodii cura fuiſſe dicit, ab eoque occiſum, quod ſibi eum M. conaretur eripere, ſiue proprio conſilio, ſiue Bruti iuſſu, poſt auditam D. Bruti necem. At Plutarchus ſententiam ſuam ex euentis confirmat. Ait enim Antonium, captum apud Philippos Hortenſium, ad fratris ſui tumulum iugulaſſe. IX. *M. Brutus C. Antonium iubet interfici.*

LYCIORVM porro Brutus primum Xanthios adortus, magna ſuorum clade, ſed ipſorum longe maxima iis potitus eſt. Capta enim vrbe, Xanthii chariſſimos quoſque occiderunt, & iis in rogos impoſitis, ſeipſi quoque ſubiecta flamma, poſtremo crudeliſſima rabie perciti iugulauerunt; Itaque Brutus Xanthiorum tantum mancipiis potitus eſt; ex ingenuorum vero numero vix 150. mulierculis, quibus viri percuſſores defuerant. At Plut. in Bruto, qui hanc hiſtoriam fuſe narrat ipſe quoque, totidem viros ſeruatos dicit, cum Brutus præmium militi qui ſeruaſſet Lycium pronunciaſſet. Inde Patarenſes Xanthiorum horribili calamitate deterritos, deditione accepit; quorum corporibus aut libertati nullam vim attulit, ſed pecunias omnes publicas priuataſque exegit, vbi & exemplum ingenitæ humanitatis edidit. X. *Xanthiorũ fœda ſtrages.* *Patarenſiũ deditio.*

SERVVS quidam aurum à Domino abditum prodidit, & centurioni ad id miſſo indicauit, vti paulo ante fuerat imperatum. Cumque omnes domeſtici ducerentur, Dominus ſilebat, mater vero illius, vt eum ſeruaret, ſequebatur, clamans à ſe aurum abſconditum; ſeruus ſuper ea re non interrogatus alteram mentiri, alterum aurum occuluiſſe contendit. Brutus laudata tum iuuenis patientia, tum matris pietate, ambos cum auro dimiſit incolumes, ſeruum in crucem egit. Deinde reliqua Lycia breui ſubiugata, claſſem Lyciorum vniuerſam, cum aliis nauibus Abydum nauigare iuſſit: quo ipſe terreſtres etiam ducebat copias, præſtolaturus ibi Caſſium venientem ex Ionia, vt ſimul traiecto freto Seſtum peterent, hic enim breuiſſimus eſt Helleſponti traiectus ex Aſia in Europam. XI. *Exemplũ lenitatis Bruti.*

a l. 47. INTEREA Ceditius, Decium Saxam vocat Dio, [a] & Norbanus, quos Cæſar & Antonius, cum octo legionibus in Macedoniam præmiſerant, fauces Thraciæ occuparunt, per quas ſolas notum eſt iter ex Europa in Aſiam. Caſſii tamen, & Bruti copiæ, Thraciæ regulo duce, longiore triplo itinere, eoque ſaltuoſo, ſiticuloſo, imperuio, ad Arpeſſum vſque fluuium, qui in Hebrum influit, indeque itinere vnius diei maximo labore exhauſto, vniuerſi Philippos peruenere, cum prius ad Melanum ſinum luſtratus eſſet exercitus, & donatiuum promiſſum militi diſtributum, maxime vt eos, qui ſub Cæſare antea militarant, largitione in officio contineret. XII. *Cæſar occupat fauces Thraciæ. Caſſius Philippos peruenit.*

Ibi Caſſius extructo in tribunalis ſpeciem ſuggeſtu, in quo Senatores omnes quos habebat in exercitu, conſidere iuſſit, orationem ipſe habuit ad exercitum de cauſæ ſuæ æquitate, & aduerſariorum iniuſtitia, de commeatuum commoditate, qui hoſtibus erant impeditiſſimi, de omnium in ſe beneuolentia, cum odio in eos ob crudelitatem proſcriptionum cõflato, de exercitu ſuo retro ab hoſte libero, Cæſariano vero retro à claſſe 260. nauium Murci & Ænobarbi, præter Sex. Pompeium, qui erant ſuarum partium, concluſo. *Concionem habet ad exercitum.*

XIII. *Copia militares vtriuſque partis.*

ACCEDEBAT & præſentium copiarum magnitudo non pœnitenda; octoginta peditum armatorum millia, in nouendecim legionibus; equitum ſub Bruto 6. millia, ſub Caſſio totidem, præter quinque alia millia, quos Reges ac tetrarchæ ſocii duxerant. Orationem excepit altera largitio, qua milleni [a] & quingeni ſeſtertii militi diſtributi ſunt, Centurioni quintuplum, Tribuno proportione.

[a] id eſt milia 75. lib. Tur. Centus. [illegible]

Cum ergo magno labore, præter expectationem hoſtium, Philippos appropinquarent, eos qui fauces occupauerant pene oppreſſerunt; illi tamen deſertis illis anguſtiis, ad Antonium, qui cum exercitu appropinquabat, Cæſare propter valetudinem ad Epidamnum relicto, ſeſe receperunt. Habebat autem equitum tredecim millia, peditum aliquanto plures quam Brutus & Caſſius.

XIV. *Cæſar ad exercitum accelerat.* *Eiuſdem metus.*

SCRIBIT Dio Antonium inſidiis quibuſdam parum fœliciter vſum animum demiſiſſe; Cæſarem autem vtrumque veritum, ne aut ſe abſente vinceretur Antonius aut vinceret, quorum alterum ſi eueniret Caſſium & Brutum, viribus contra ſe auctum iri; ſin alterum, Antonium contra ſe inualiturum certo putaſſe, ideoque licet nondum confirmata valetudine, tamen feſtinato ad Antonium perrexiſſe intra decem dies, Plut. in Bruto, Antonianiſque copiis animum reddidiſſe. Vtrique caſtra communiere, ſed commodiore loco Caſſiani; quos illi nihilominus explicata acie, per multos dies ad certamen prouocarunt, certamen de induſtria detrectantes, & hoſtem commeatus inopia debellare cupientes, idque proculdubio futurum erat, niſi ad prius prælium, ab hoſtibus, ad poſterius à ſuis pertracti fuiſſent. Quamquam aliam quoque mox cauſam tum accelerati, tum retardati prælii ex Dione proferemus.

XV. *Quãti momenti hoc prælium.*

ET merito in prælio tanti momenti cunctabantur, in quo non de Reipub. Romanæ incrementis, aut mediocri quopiam damno vitando agebatur; ſed in quo plane eiuſdem ſalus ac libertas vertebatur, Caſſio enim ac Bruto vincentibus, magna ſpes erat omnia in integrum tum Romæ, tum vbicunque Romana potentia dominabatur, reſtitutum iri. Vincente autem Cæſare, Senatui populoque Romano ſeruitutis iugum iam ſuſceptum, deinceps, ſine vlla ſpe libertatis perferendum erat. Itaque ab hoc prælio, vt ait Dio, nunquam populus Romanus ad libertatem oculos ſuſtulit, quanquam à nullo externo hoſte ſuperatus; ſed ipſe & ſui ipſius victor, & à ſeipſo ſuperatus, ſibi ipſi & cladem attulit & accepit, extinctoque populi principatu, regia poteſtas vires aſſumpſit. Neque ego hoc dico, inquit, non fuiſſe tum in rem ipſorum, vt ſuccumberent, cum eo res eſſent Romæ adductæ, vt diutius concordia perſeuerare non poſſet. Neque enim fieri poteſt, vt ciuitatis ſtatus mere popularis, tantam ad imperii molem euectus, intra moderationis fines contineatur. Ita euenturum erat, vt aliis ex cauſis bellis ciuilibus excitatis, omnino aut in ſeruitutem alii ab aliis redigerentur, aut vniuerſi penitus exſcinderentur.

XVI. *Occaſio inchoata pugna.*

OCCASIO pugnæ hæc exorta eſt. Nam cum clanculum viam per paludem, ad caſtra Caſſii ſtruxiſſet Antonius, & per expeditas cohortes multa loca natura munita prope Caſſii caſtra vallaſſet, & Caſſius viam mediæ paludis interrupiſſet, vt iis qui tranſierant receptus ad ſuos nullus eſſet, nec reliquis ad ſuccurrendum traiectus: Antonius iratus copias ad oppugnanda Caſſii caſtra conuertit; quod Bruti milites ignominioſum rati, non expectato imperio, tantum ad vnius tribuni vocem, irruentes in eos ex latere, pleroſque occiderunt, & inchoato ſemel prælio, verterunt ſe mox ad oppoſitam ſibi Cæſaris aciem, coactamque terga vertere perſecuti, etiam caſtris potiti ſunt, abſente tum Cæſare.

Hoſtilia caſtra mutuo occupantur.

Tum Antonius, vt vidit cœptum prælium gauiſus eſt, quod hoſtem eo compuliſſet, reuerti tamen in campum noluit, ne ſuos ordines turbaret; ſed continuato, vt cœperat curſu, in aduerſum cliuum inopinata audacia euaſit, nec deſtitit dum caſtris, quæ propter firmitatem à paucis cuſtodiebantur, potitus eſt, aliis interea extra fortiter pugnantibus; donec à Caſſianis auditum eſt, caſtris ſuis hoſtem potiri, tunc enim fuga diſperſi ſunt.

XVII. *Euentus prioris pugna.* *Caſſii deſperatio.*

ET hactenus æquatis vere damnis vtrimque, lucriſque certatum erat, cum tamen alteri de alteris ignorarent, propter vim magnam pulueris in medio campo excitati; imo deſiderata feruntur Caſſianorum fere octomillia, Cæſarianorum duplo plura, abſente ſcilicet duce, & propter inualetudinem, & propter quoddam ſomnium eo die prælium vitante, & quidem felicitate non exigua; ſi enim caſtris

interfuiſſet, magnum adibat periculum ne caperetur: quamquam Dio in prælio fuiſſe illum, autor eſt. Sed Caſſius pudore amiſſorum caſtrorum, deſperatione ſua partium ſuarum cladem longe maiorem fecit. Is enim amiſſorum caſtrorum conſcius, in tumulum quendam curſu recepit ſe, vt proſpiceret quo loco res eſſent; ſed magnitudine pulueris impediente proſpectum, ſiue omnia perdita credidit, ſiue dedecus amiſſorum caſtrorum ferre non potuit, iuſſit armigerum ſuum Pindarum, ſibi fieri percuſſorem. Quod dum ille cunctatur facere, accurrit alius quidam nuncians Brutum in altero cornu vincere, & caſtra diripere: cui Caſſius, Refer ei me optare illi abſolutam victoriam. *Caſſii deſperatio.*

Tvm ad Pindarum verſus, quid ceſſas? inquit, cur non me ab hac ignominia liberas? ſimulque iugulo ferrum excepit. Sic Appianus; qui & alium mortis eius modum refert. Alii putant, inquit, & videtur ſignificare Velleium l. 2. afferentibus lætum nuntium Bruti equitibus, Caſſium exiſtimantem hoſtes eſſe, miſiſſe Titinium, qui rem exacte cognoſceret; & cum equites illum, vt amicum Caſſii in medium recepiſſent, conclamarentque per gaudio, Caſſium, qui crederet illum in hoſtes incidiſſe, hoc tantum profatum, expectauimus dum videremus amicum abripi, ſeceſſiſſe in tentorium, cum Pindaro, & Pindarum nunquam viſum poſtea. Titinium autem morarum pœnas vltronea morte luiſſe; eadem fere Dio, & Plut. in Bruto. Et Velleius. Deciderat, inquit, Caſſii caput, cum euocatus aduenit, nuncians Brutum eſſe victorem. Qui cum Imperatorem proſtratum videret, ſequar, inquit, eum quem mea traditas occidit; & ita in gladium incubuit. Caſſium die natali ſuo extinctum refert Plut. in Bruto, & Dio l. 47. Eo porro facinore Caſſius poſtremam in partes ſuas ſecurim inflixit; qui ſi animi impetum ad mortem ruentis retinere voluiſſet, magna omnino ſpes erat victoriæ: non enim eadem facilitate qua Brutus, voluntati militum, pugnam improuide, atque importune petentium ceſſiſſet, & hoſtem rerum penuria, vt mox dicetur, confeciſſet. XVIII. *Et voluntaria cædes.*

Dvm ad Philippos ancipiti marte pugnatur, & Brutus ſocii cadaueri iuſta perſoluit, in Ionio mari Domitius Caluinus, qui copias ducebat ad Cæſarem, cum in Murcum & Ænobarbum incidiſſet, magna clade affectus eſt; ſeptendecim triremes ad Murcum deditione tranſierunt, plerique fame, ſiti, naufragio perierunt, Caluinus cum ſua naue Brundusium repetiit; meminit & Plut. in Bruto. Sed eam cladem ignoratam Bruto facit, aut certe non creditam: contra autem Appianus. Cæterum Brutus ne accepta clades exercitum terreret, aut ex præſentia obiecti nimium mœror affligeret, Caſſii corpus ſtatim clam in Thaſum ſepeliendum miſit. Dio, & fere Appian. & Plut. in Bruto. Aduocataque concione docuit multo grauiora damna, hoſtem quam ſuos accepiſſe; illudque accurate demonſtrauit, hoſtem commeatus penuria breui neceſſario oppreſſum iri, intercluſis omnibus ex locis commeatibus, præterquam Macedonicis, qui magna iam ex parte conſumpti erant, & Theſſalicis, qui tanto exercitui diu ſufficere non poſſent, & ægre, & longo interuallo comportarentur; cum è contrario ſuo exercitui omnia affatim ſuppeterent, & quam vellent diu ſuffectura eſſent, tota retro Aſia & Syria, totoque mari magnis claſſibus ſuccurrente. XIX. *Naualis Cæſarianorum clades.* *Bruti ad ſuos cõcio.*

Vt autem nihilominus, & ad pugnam alacres, & ad iuſſa obedientes haberet, rurſus millenos ſeſtertios[a] militibus viritim dimiſit, quam ſummam ordinũ ductoribus ſolita proportione auxit, atque diſtribuit; quin etiam poſt victoriam ſe eis Lacedæmonem, & Theſſalonicam diripiendas traditurum promiſit; vt quidam ſcriptis prodidere; id diſerte Plut. affirmat in Bruto: qui etiam addit, hoc Bruti vitæ crimen vnum eſſe inexcuſabile, quamuis multo his triſtiora militibus præmia Antonius & Cæſar tribuerẽt. Quo tam iniuſto ſuſcepto facinore iratus Deus, mox permiſit vt milites, quibus tam inique gratificari voluit, & illum, & ſeipſos in perniciem, pugnæ cupiditate pertraherent; & quibus victoribus innoxias vrbes diripiendas dare voluit, eos victos cum ſuis rebus prædas hoſtium fieri vidit. Accedebat ad feſtinationem Cæſarianorum vrgendam ille metus, quem tangit Dio,[b] ne Sextus Pompeius, qui Sicilia potiebatur, & magna claſſe imminebat Italiæ, eam occuparet: eaq; etiam cauſa fuit, cur hoc bello confecto, cũ Antonius Aſiã peteret, Cæſar quam primum Italiam repeteret. Vice autem verſa Caſſius & Brutus cum ciuium amantes eſſent, propterea que non minus pro ſuis, quam pro aduerſariis XX. *Eos largitione conciliat.* *Metus Cæſarianorũ.*

[a] …fr. Tu. [b] …ſi. l.

ſolliciti eſſent, id agebant, vt ſine periculo, atque interitu hominum, ſi fieri poſſet, victoriam conſequerentur; Sic Dio. At Plut. in Bruto, ait Caſſium voluiſſe bellum ducere, Brutum autem accelerare, vt tot mortales, qui impenſis & ærumnis fatigabantur, citius ſubleuarentur.

XXI. *Brutus ad d ... pugnam à ſuis & ab hoſtibus incitatur.*

ANTONIVS porro, qui ſenſit Brutum niſi coactum non pugnaturum, concione ad ſuos habita, non dubitauit commeatuum neceſſitatem exponere, docereque omnium ſalutem in accelerando prælio, quo de ſumma rei decerneretur, eſſe collocatam. Itaque hoc erat vtrorumque ſtudium, vt alii ad pugnandum adigerent, alii vt ne inuiti pugnare cogerentur. Illi cauillis & conuitiis clauſos impetebant, iſti famelicis inſultabant. Plurimos dies ea res tenuit, cum Bruti milites indignari cœperunt, quod tanquam mulieres clauſi tenerentur, quaſi eorum virtuti Imperator diffideret; indignabantur & ductores ordinum, non quod improbarent Bruti conſilium; ſed quod alacritate militum freti, citius affore victoriam putarent. Idque eo magis, quod Brutus ingenio miti placide imperaret, cum contra Caſſius ſeuerior, vel ipſo nutu minores duces in obſequio retineret. Idque ſignificat etiam Plutarchus in Bruto.

XXII. *Ac deniq; compellitur*

CVM ergo querelæ increbreſcerent, & iam tribuni ipſi militum voluntati manus darent, & periculum eſſet, ne qui ſub Cæſare pridem militauerant, ad hoſtem tranſirent indignantes, ingemuit Brutus, dolenſque eos dubiam fortunam certæ victoriæ anteponere, ceſſit illis, in ſuam, & ipſorum perniciem, & in aciem produxit; & ordines obequitans admonebat, vt quoniam pugnam ab inuito imperatore extorſiſſent, darent operam, vt ne vel ducem, vel milites pugnæ pœniteret; hoſtis quoque gaudio triumphabat, quod ad pugnam aliquando ventum eſſet, & vt illos vrgebat extorta pugnandi licentia, ita hos neceſſitas acrius ſtimulabat, qui ſcirent aut vincendum, aut certe fame, & hoſtium arbitrio pereundum. Stimulabat & illa ſpes, ſi hodie vincerent, cum Pompeianis plane debellatum eſſe.

XXIII. *Pugnatur acerrime.*

ITAQVE pugnatum eſt acerrime, vt rei magnitudo exigebat, aderant tres Imperatores circumcurſantes, vndique conſpicui, hortantes, ſuccurrenteſque, prout res exigibat, & defeſſis, mortuis, vulneratis, integros ſufficientes. Plutarchus in Bruto, ait dextrum cornu, in quo pugnabat Brutus, ſiniſtrum hoſtium impuliſſe; ſed alterum cornu non ſuſtinuiſſe hoſtem, ſed auerſum in fugam; qui autem id fuderant circumueniſſe Brutum; pleraque etiam circa hoc prælium, & Bruti mortem habet diuerſa ab Appiano: qui ait tandem Cæſarianos aduerſam aciem loco mouiſſe, ac ſi impreſſione facta machinam quampiam grauiſſimam protruderent; hoſtes vero pedem iam, quamuis intrepide referebant: vt vero prima frons diſſoluta eſt, concitatius ſe recipiebant, & cedentibus ſimul ſecundis, ac tertiis manipularibus, omnes promiſcue confuſi premebantur, & à ſuis, & ab hoſtibus inceſſanter vrgentibus; donec effuſe iam, ac ſine ordine cederent.

Bruriani paulatim cedunt.

XXIV. *Cæſariani receptum eorum intercludunt.*

TVM vero Cæſariani mandatorum memores, portam quæ ducebat ad caſtra, magno ſuo periculo ac damno occuparunt, ſicque fugientium receptum intercluſerunt. Inde paſſim cædes fieri cœpta, Cæſare excipiente, qui è caſtris erumperent, Antonio toto campo volitante, & militis ſimul atque Imperatoris munia fortiter obeunte, & elabendi vias, dimiſſis vndique equitibus, occupante.

Brutus mõtes petit.

At Brutus cum ſatis multis in montes refugit, vt noctu reuerteretur in caſtra, aut ad mare deſcenderet, & cum iis pernoctauit armatus. Sequenti die videns hoſtem perſtare in inſidiis, & circa ſe non integras legiones quatuor; tribunos miſit qui quærerent, an vellent per inſidias hoſtiles erumpere, & ſua adhuc aſſeruata à Præſidiariis recipere. Illi infenſo vtique Numine reſponderunt, Sibi, qui toties fortunam tentauerant, ſpem pacis reliquam non eſſe corrumpendam.

Et à ſuis deſeritur.

XXV. *Se interficiendum præbet.*

TVM Brutus ad amicos; Ergo iam inutilis ſum patriæ, quoniam iſti ſic animati ſunt, ſimulque Stratonem Epirotam amicum vocauit, iuſſitque vt ipſum ferro conficeret. Quo cunctante, aduocatus Strato ſeruus, gladium in Bruti non reluctãtis latus immerſit: qui ſui ipſius cædẽ ſapienter antea improbauerat, eoq; nomine

Catonẽ vticenſem repræhenderat, vt Plut. in Brut. teſtatur. Ea cæde cognita, reliquiæ exercitus 14. fere millia miſſis ad Cæſarem & Antoniũ legatis, impetrata venia, eorum legionibus adſcripti ſunt. Omnia præſidia, arma, pecuniæ, commeatus in hoſtium poteſtatem venere. Tanta fuit vtrimque pugnantium virtus, cupiditaſque vincendi, vt exæquato vtroque prælio, non minor cæſorum numerus apud victores repertus fuerit. Hic finis Bruti & Caſſii, & belli Philippenſis fuit. Quorum egregiis virtutibus, vt inquit Appianus, cœptiſque aduerſabatur facinus perpetratum in Cæſarem, quem amicum & benefactorem, & Imperatorem ſuum, & quod caput eſt Reip. principem, necopinantem oppreſſerant, amboque interfectores ſuimet ipſi fuerunt, ſicut prius Cæſaris fuerant.

XXVI. *Belli huius finis & magnitudo*

Bellvm autem ipſum non dubitant Appianus ac Dio, cum maximis quibuſque bellis populi Romani conferre, multiſque etiam rebus anteferre; Nullo enim vnquam bello tot, tamque egregii Imperatores, & tot ciues Romani, aut conflixerunt, aut deſiderati ſunt; Nam Brutus & Caſſius ſupra centum millia armatorum ſub ſignis habuerunt, Cæſar autem & Antonius etiam plures, vt ante dictum eſt. Quanta ergo ciuium Romanorum ſtrages facta eſt, ſi par fere cæſorum numerus apud victos, victoreſque fuit, vt ait Appianus, [a] & tamen vix 14. millia eorum qui victi ſunt, ſuperfuerunt? oportet pluſquam 150. millia deſiderata. Quorum pars magna veterani, externis bellis domeſticiſque exercitatiſſimi, vnius linguæ, vnius militaris diſciplinæ, aut licentiæ potius pene tyrannicæ, qua erga populos, quibus imperitabant, duceſq; ipſos ſuos vtebantur. Denique nuſquam maiori de re certatum eſt, nunquam maiore publicæ vtilitatis damno pugnatum. Antonii autem & Cæſaris copiis id contigit, vt vnius diei labore, ab extremo famis, & internecionis periculo liberati, victoria ad glorioſam abundantiam transferrentur.

[a] l. 4 extr.

XXVII. *Ortus Tyberij Cæſaris.*

Hoc anno, ſed extremo, natus eſt Tiberius Cæſar poſtea imperator, Romæ in Palatio, 16. calend. Decembres, M. Æmilio Lepido iterum, & L. Munatio Planco Coſſ. poſt bellum Philippenſe: ſic enim in faſtos, actaque publica relatum eſt, teſte Sueto. [b] De ſexto decimo Nouẽbris, quod idem eſt conſentit Dio. [c] Parentes habuit T. Claudium Neronem, & Liuiam Druſillam gener poſtea Augusti, ex filia eius Iulia factus eſt, Octauii filius dictus eſt, quo modo ipſemet Octauius Iulii Cæſaris filius fuit.

[b] l. 3 n. 5. [c] l. 57 p. 614 Gr. Lat.

XXVIII. *Syria turba ac tyranni.*

Iam vero vt res Syriæ, quæ ſunt anni huius, expediamus: Cum Caſſius è Syria proficiſceretur, vt Ciliciam, indeque Aſiam, ac Macedoniam peteret, & L. Statium Murcum, qui Sex. Cæſaris ſucceſſor fuerat miſſus ab vrbe, etiam claſſi præfeciſſet, aliquot ille ſibi legatos ſubſtituit, quos Ioſephus tyrannos appellat, & Appianus l. 5. cum ait Antonium in Syria tyrannos oppidatim ſuſtuliſſe, Felicem quendam Hieroſolymis, Fabium Damaſci, Marionem Tyri, vt ex Ioſepho [d] intelligi poteſt. Cumque Hieroſolymis orta eſſet ſeditio, Felix in Phaſaëlum Herodis fratrem natu maiorem impetum fecit, Malichi mortem vindicaturus; fratris vtique Malichi ſuaſu, qui aliquot in Iudæa caſtella occupauerat; At Hieroſolymitanus populus pro Phaſaëlo arma corripuit, licet Hyrcanus pontifex, Romanorum vt apparet metu, Felici faueret, & fratrem Malichi caſtella occupare permitteret.

[d] l. 14 c. 20. ſub fi. & c 21. & l. 1. de bel. c. 10.

XXIX. *Herodis res in Iudæa geſta.*

Herodes vero ad Fabium profectus eſt Damaſci Præſidem, & volens fratri ſuccurrere, morbo præpeditus eſt; nihilominus Phaſaëlus, per ſe Felicem ſuperauit; & Herodes ſanitati redditus, in Iudæam veniens amiſſa caſtella recepit, & Marionem Tyriorum tyrannum ex Galilæa pepulit, in qua ille tres arces occupauerat; & Antigonum Ariſtobuli filium, qui Marionis & Fabii ope Iudæa potiri cupiebat, prælio ſuperauit; vixque extremos Iudææ fines ingreſſum, inde profligauit: & Hieroſolymam reuerſus magno cum honore acceptus eſt, duxitque vxorem Mariammen filiam Alexandri Ariſtobulo geniti, & Hyrcani ex filia neptem: qui tamen antea iam vxorem duxerat è ſuis popularibus, Idumæis ſcilicet, Docem nomine, ex qua ſuſcepit Antipatrum filiorum natu maximum. [e]

[e] Ioſeph. l. 14. c. 21. l. 1. bel. c. 10.

SCHOLIÆ IN ANNVM MVNDI 4012.

I. N. VII. De Rhodiis vide dictam epiſt. l. 12. ep. 13. Caſſii Quæſt. & Dionem verſus fi. l. 47. qui ait pecuniis, & nauibus ſpoliatos, reliqua indemnes relictos. Plut. in Bruto, durius ait in Rhodiorum ciuitatem conſuluiſſe, & ex ea octo millia talentum conflaſſe, & nihilominus eam quingentis aliis publice mulctaſſe. Denique Lycus 150. talenta imperaſſe.

2. N. xxii. Hoc prælium viginti ferme dierum interuallo ab altero commiſſum indicat Plut. in Bruto, & quidem imminente iam hyeme. Volutabantur, inquit, apud paludes, & prælium (prius ſcilicet) imbres ſecuti autumnales, tentoria cæno complebant, & aqua confeſtim ex rigore conglaciante.

3. N. xxv. Et ſimul lamentans virtutem ſuam à Cæſaris, & Antonii fortuna ſuperatam, Herculis illud dictum inclamat.

Ω' τλῆμον ἀρετὴ, λόγος ἄρ' ἦσθ' ἐγὼ δέ σε Quod Alciatus vertit in Emblemat. I.
Ως ἔργον ἤσκουν, σὺ δ' ἄρ' ἐδούλευες τύχῃ.
Infœlix virtus, & ſolis prouida verbis,
Fortuna in rebus cur ſequeris dominam?

O miſera Virtus, verbum es, ego autem te, vt rem colebã, tu vero Fortunæ famulabaris. vel, Virtutem ô miſeram, quid nomen inane colebam? Quæ modo fortunæ ſis famulata deæ.

Præmaturè mortui ſunt Caſſius & Brutus. Tãto fuit diuturnior vita Iuniæ, quæ C. Caſſii vxor, Bruti ſoror fuit, quæ 64. deinceps vixit annos, autore Tacito in fi. l. 3. Annal. Qui hinc ad Conſulatum Agrippæ & Galbæ, qui cadit in an. v. c. 774. tot annos numerat, computatis videlicet extremis. 4. N. ibid.

ANNVS MVNDI 4013. SEXTÆ ÆTATIS 498.

HYRCANI II. PONTIF. 35. IMPERII ROM. 8. CÆSARIS Octaviani, et Trivmviratvs 3. Herodis 32. Præside Syriæ M. Ant. trivmviro. Cleopat. 10. Olymp. 184. an. 4. Vrbis Cond. 712. Coss. L. Ant. pietate et P. Servil. Isavrico II. Belli Civilis 9. Belli Pervsini I. An. Ivlian. 5.

ANNVS ANTE CHRISTVM 40.

I. *Res anni huius vniuersè.* BIPERTITÆ ſunt huius anni res geſtæ, locis perſoniſque diſtinctæ, aliæ Orientales ſunt & ad Antonium pertinent, vſque ad profectionem eius in Ægyptum, in qua cum Cleopatra hyemauit, vt ait Appianus l. 5. Aliæ Occidentales in Italia, à Cæſare geſtæ contra L. Antonium Triumuiri fratrem, & Fuluiam viraginem, eiuſdem Triumuiri vxorem: in vtriſque ducem maxime ſequemur Appianum l. 5. ducto ab Antonio, qui pauciora ſuggerit initio; præmiſſis tamen nonnullis de re communi.

Copiæ Sti pionis diſperguntur. Confecto Philippenſi prælio, & Bruto exequiis ab Antonio, perhonorifice perſolutis, & reliquiis ad Seruiliam eius matrem miſſis, qui ad Cæſarem & Antonium non transfugere, ſeſe cum aliis, qui in Thaſo & Creta eaſdem partes ſecuti fuerant, magno numero ad L. Murcum, & Aenobarbum, qui claſſi præerant, ſe contulere in mare Ionium: vbi diuiſi, pars cum Statio Murco Siciliam petiit, & vires Sexti Pompeii auxit; pars cum Ænobarbo manſit, & propriam factionem conſtituit; ſed ea non diuturni temporis fuit. Nam breui omnes iugum Octauiani Cæſaris volentes, nolentes ſuſcepere.

II. *Cæſar & Antonius ſeparatur.* Cæsar autem & Antonius, poſt ſacrificia peracta pro victoria, & laudatos exercitus, vt eis promiſſa præmia darentur, agri ſcilicet & domus, Cæſar

cum parte exercitus in Italiam; vt autem etiam pecuniæ, Antonius cum altera parte exercitus in Aſiam, cum primum mare patiens eſſet nauigationis, vela facere cogitabant.

A Lepido alienatur. Imperium quoque Romanum noua partitione diuiſerunt, nulla neque Senatus, neque Populi Romani autoritate, imo ne collegæ quidem Triumuiratus expectato conſenſu, vt Orientales prouinciæ Antonio cederent, Cæſari Occidentales; Iam enim Lepidum deſpiciebant, & calumnia, quaſi Sex. Pompeio fauens ſolios proderet, de gradu deiicere cogitabant. Italia autem in medio, quaſi commune omnium patrimonium, integra, atque indiuiſa relinquebatur. Superfuerunt omnino vndique collectis legionibus, & equitibus quæ Cæſariana ſigna ſequerentur, præter eos qui ex emeritis dimittebantur, legiones vndecim, equitum quatuordecim millia; ex quibus Antonius ſex legiones aſſumpſit, & equitum decem millia; Cæſar equitum quinque millia, & legiones quinque, præter alias quas in Italia ſub imperio Fuſii Caleni habebat. Ergo Cæſar verſus Ionium mare terreſtri itinere profectus eſt.

Dio lib. 48 init.

Imperium Rom. ſibi diuidunt & copias.

III. *Antonius Græciam adit. & Aſiam.*

ANTONIVS inſtituto in Aſiam curſu Epheſum tenuit, vt ſcribit Appianus; at Plut. in Antonio eum Græciam inuiſiſſe ait, neque acerbum ſe aut durum Græcis præbuiſſe, etſi infinitis egeret pecuniis, qui vicena millia nummum in ſingula militum capita pollicitus fuerat, id eſt mille lib. Tur. Idque intellige præter prædas omnes, ſpolia, ſtipendia; ſed ordinum ductoribus triplo, aut quadruplo, nonnunquam & quintuplo maius donatiuum competebat. Adiit autem Athenienſes, quorum ciuitatem multis donis affecit, viroſque doctos honorauit, inuiſit & Megarenſes, & Apollinem Pythium, moxque relicto in Græcia L. Cenſorino, in Aſiam tranſmiſit. Vbi poſt ſacra Dianæ magnifice facta, ſupplices Caſſianos, qui in id aſylum confugerant, liberos dimiſit, paucis exceptis, quos aliæ culpæ grauabant: omninoque ibid. exempla edidit clementiæ, quæ alios deinceps ad ſperandam veniam animarent: quibuſdam tamen immanem, & trucem fuiſſe, tradit Plut. in eius vita; vt qui nobiles homines ſuis facultatibus ſpoliaret, quas verberonibus, & adulatoribus ſuis largiretur.

IV. *Cædes propinquorum Cleopatræ.*

CLEOPATRÆ quoque fratres Epheſi Antonii voluntate necatos, Dio l. 47. affirmat; Idemque Appianus l. 5. & Ioſephus [a] affirmant de eius ſorore Arſinoë. Cum prius, inquit, fratrem, cui debebatur regni ſucceſſio, decimum quintum annum agentem, veneno ſuſtuliſſet. Illæ porro cædes patratæ videntur, in eiuſdem Cleopatræ gratiam; proptereáque ſub finem potius anni, iuſſu Antonii necatos apparet; cum iam in Cilicia retiis Cleopatræ captus eſſet. De iſtis tamen fratribus, merito dubitari poteſt, num plures eſſent adhuc ſuperſtites. Nam duo tantum Ptolemæi reperiuntur Auletis filii, Ptolemæus maior, qui bello contra Cæſarem Alexandrino naufragio periit; & Ptolemæus iunior, qui Cleopatræ, poſt prioris mortem, à Cæſare datus eſt maritus, quem Ioſephus, ait à ſorore veneno ſublatum, vt ſolutis habenis omni ſe nequitiæ dederet. Itaque de fratribus illis amplius inquirendum eſt.

a lib. 15. c. 4.

V. *Antonius conuentū agit Epheſi.* *Ingentes exigit pecunias militibus largiendas.*

EPHESI deinde conuentus Aſiaticorum populorum collegit, verbo quidem vt de pace ageretur, re autem ipſa vt pecunias ab iis exigeret. Antonius itaque recenſitis iis, quæ in eorum gratiam Pop. Ro. in primiſque C. Cæſar feciſſet, cuius nunc iniuſtam necem maximis ſumptibus perſecuti victoriam obtinuiſſent, quamuis ipſi eius percuſſores multis pecuniis iuuiſſent, veniam quidem dari, quod coacti dediſſent, præmia tamen legionibus promiſſa exhibenda eſſe, ideoque grauioribus pœnis remiſſis, pecunias tantum exacturum; multis autem egere ſatis conſtare, cum 28. legionibus, quæ cum ſuis appendicibus conficerent 170. virorum millia, præter equites, turbamque reliquam militarem, præmia danda eſſent. Quantum inquit, noſtris inimicis dediſtis biennio, dediſtis autem decem annorum vectigalia, tantumdem nobis ſufficit; niſi quod intra annum accipere volumus.

Aſiam Syriamque perluſtrat. Hic illi ſe in terram abiicere, violentiam Caſſii & Bruti perpeſſos, miſericordia potius, quam mulcta dignos eſſe, non pecunia ſolum; ſed rebus omnibus ſpoliatos eſſe. Tandem autem impetrarunt, vt nouem annorum tributum penderent intra biennium. Quaſdam tamen ciuitates, quæ inſignem in modum proſtratæ fuerant,

vt Xanthii, Laodicenſes, Tarſenſes, Lycii, Rhodii, aliquam immunitatem conſecuti ſunt. Tranſiens deinde per Phrygiam, Myſiam, Galatiam, Cappadociam, Ciliciam, Cœleſyriã, Palæſtinam, Ituræam, cæteraſque Syrorum prouincias, omnibus indixit tributa grauiſſima. Hæc fere Appianus: vnus omnium accuratiſſime.

VI. *Quæ hac de re Ioſephus.*

A T Ioſephus[a] intentus Iudaicis rebus, nonnulla de hac Aſiana expeditione Antonii dicit, quæ poſſint non immerito in dubium reuocari. Nam conuentum ſiue legationes omnium gentium ad Antonium veniſſe in Bythyniam refert, vnaque primates Iudæorum, conquerentes de Phaſaëli & Herodis potentia; Herodem vero ad obiecta crimina diluenda anteuertiſſe, perfeciſſeque, vt occupatus pecuniis Antonius, ne ad colloquium quidem aduerſarios eius admitteret. Inde autem veniſſe Antonium Epheſum, ibique præſto fuiſſe legationem Hyrcani Pontificis, & Iudaicæ gentis publico nomine, cum munere aureæ coronæ, petentem vt quos Iudæos Caſſius captiuos abduxerat, quoſque eis agros ademerat, à Tyriis occupatos, eis reſtitui iuberet; idque ab eo prolixe factum, ſcriptis ad Iudæos Tyrioſque litteris; deinde etiam eodẽ fere exemplo Sidoniis, Antiochenſibus, & Aradiis. a l. 14. c. 22.

VII. *Examinatur de aduentu in Bithyniã.*

D V B I V S eſt autem iſte aduentus Antonii in Bithyniam, non ſolum quia à Plutarcho, Appiano, Dione, cæteriſq; omnibus, quod ſciam prætermittitur; Sed quod abſurdum eſt Athenis venientem, prius in Bithyniam mediterraneam prouinciam venire, quam in portum appellere, & littus, in quo eſt Epheſus, attingere. A qua Bithynia plurimorum dierum itinere, verſus Septentrionem & Orientem diſtat, ſi quid credimus tabulis Ptolemæi. Inducit etiam Ioſephus Antonium, Caſſianos accuſantem violati iuriſiurandi, quod nemo alius; affirmantem quoque Brutum, ex pugna compulſum intra mœnia Philippenſium, ibique ab Antonio obſeſſum: contra quam alii omnes, qui paulo fuſius hoc bellum ſcripſere; qui cum ad tumulũ quendam prope caſtra effugiſſe aiunt, ibique ſponte gladio incubuiſſe. Appianus. At Brutus, cum ſatis multis in montes refugit, vt noctu reuerteretur in caſtra. Dio autem, Brutus cum in locum quendam natura munitum (editum ſcilicet) effugiſſet, conatus eſt in caſtra peruadere. Plut. Brutus riuum obſitum virgultis & rupibus tranſiit, neque multo longius, quod iam nox eſſet, proceſſit, ſed loco quodam cauo, cui grande prætentum erat ſaxum, conſedit, paucis cinctus amicis &c. Velleius, Brutus victus acie, cum in tumulum nocte ex fuga ſe recepiſſet, impetrauit à Stratone Ægeatæ familiari ſuo, vt manum morituro commodaret ſibi, reiectoque læuo ſuper caput brachio, cum mucronem gladii eius dextera tenens, ſiniſtræ admouiſſet mamillæ, ad eum ipſum locum, qua cor emicat, impellens ſe in vulnus, vno ictu transfixus expirauit; ſed de his ſatis.

Et Bruti morte.

VIII. *Antonius Cleopatram in Ciliciam euocat.*

C Æ T E R V M quæ de his Iudæorum controuerſiis hic dicuntur à Ioſepho, illis Appiani verbis ſignificantur. Diſceptationes quoque ciuitatum ac regum ex arbitrio ſuo compoſuit. Præcipua vero diſceptatio, cum Cleopatra fuit, quam in Ciliciam ex Ægypto euocatam accuſabat, quod ſubſidio Cæſaris copiis non veniſſet. Illa contra tum 4. legiones ad Dolabellam miſſas, tum claſſem ſuam tempeſtate laceratam obiecit, tum Caſſii minas iteratas, quod ei ſuppetias non ferret: quibus Antonium facile vicit; à principio iam eius forma captum, imo etiam ex quo tempore iuuenis præfectus equitum Gabinium ſequebatur ducem. De mulieris porro huius ad Antonium aduentu, ea ſcribit Plut. quæ meram declamationem ſapiant.

IX. *Res ad Palmyram geſta.*

E A in Ægyptum reuerſa Antonius miſit equites Palmyram vrbem, non longe ab Euphrate ſitam, vt eam diriperent; illud crudeli auaritiæ velum prætexens, quod cum eſſent in Romanorum & Parthorum confiniis, ambiguæ fidei viderentur. Id quia præſenſere Palmyreni, in vlteriorem ripam ſua tranſtulere, diſpoſitis, qui arcerent ſagittariis. Equites inuenta vrbe vacua inanes reuerſi ſunt; eoque facto belli Parthici ſemina iacta ſunt. Antonius autem diuiſo per hyberna exercitu, ipſe in Ægyptum ad Cleopatram profectus eſt, à qua ſplendide exceptus, apud eam traduxit hyemem, & ſui & imperii Romani pene oblitus: conſuetudinemque cum Cleopatra contraxit, quæ vtrique perniciem, Ægypto autem ſeruitutem attulit, vt Plut. & Appian. ſcriptum reliquerunt.

Antonius hyemat in Ægypto.

X. *Cæſar Brũduſii æger.*

I N T E R E A Cæſar dum vrbẽ repetit, tam graui ad Brunduſium morbo affectus eſt, vt rumores etiam de illius morte ſpargerentur; vt fuſius Dio tradit. Remittente ſe morbo vrbem ingreſſus, Antonianis literas Imperatoris ipſorũ exhibuit; qui mox l. 48.

& Calenũ iuſſerunt duas legiones reddere Cæſari, & in Africam ſcripſerũt Sextio, vt illi prouincia decederet; vtrunq; factum eſt. Eam prouinciam ipſe Lepido dedit, vice Hiſpaniarum & Galliæ Narbonenſis, quæ illi initio Triumuiratus obtigerant, quaſque ſibi Cæſar vſurpauit.

XI. *Militibus agros diſtribuere parat*

DEINDE cum vendidiſſet, quod de bonis proſcriptorum ſupererat, moleſtiſſimum negotium, deducendi milites in colonias, agroſque diuidendi ſuſcepit; quoniam tamen id opus beneuolentiam militum ei, à quo eſſent poſſeſſionibus donati, conciliaturũ erat, Cæſar omnium militum, tam Antonii, quam ſuorum muneratorem eſſe cupiebat, ſicuti ipſi cum M. Antonio ante diſceſſum conuenerat: L. autem Antonius & Fuluia, Antonianis agros diſtribuere volebant. Cum autem animaduerterunt plus odii conflari in Cæſarem, ex iniuria veterum dominorum, quam beneuolentiæ militum, id facile remiſerunt, ſperantes plus ſibi præſidii, in affectis iniuria, futurum, quam in iis qui agros accepiſſent, vt ait Dio lib. 48. Huc autem videtur pertinere illa paſtoris apud Poëtam querela.

Initia belli Peruſini.

Barbarus hæc tam culta noualia miles habebit?

& alia in eam ſententiam permulta.

XII. *Quam operoſum id negotium.*

HOC ergo negotium cum exigeret priorum dominorum innoxiorum expulſionẽ, nec ſuppeterent pecuniæ, quæ eiectis poſſeſſoribus bonorũ ſuorum loco traderentur, & milites ſeſe inſolentiſſime gererent, ſiue quia eos diuturna bella, crebræ victoriæ, cædes, rapinæ efferauerãt, nullaque diſciplina militari continebantur; ſiue quia ducibus ſuis operam ſuam adhuc neceſſariam norant, eis facile obſtrepebant, ſi quid monere auſi eſſent, etiam grauiter peccantes. Hinc grauiſſimæ iniuriæ tota Italia illatæ, non iam proſcriptis inimicis, ſed amicis & innoxiis: hinc querelæ innumerabiles exſtiterunt, rixæ, cædeſque perpetratæ ſunt. Denique bellum exarſit, quod quia circa Peruſiam finitum eſt, Peruſinum eſt appellatum. Id bellum cum L. Antonio Conſule conflatum ſit, eiuſque ipſe pars magna fuerit, vt author eſt Appianus, mirum eſt ab eo dictum eſſe non ſemel, in eodem bello enarrando, quinquennium Triumuiratus ad finem vergere, aut etiam expletum eſſe; cum tertius eius annus ſub finem tantum præſentis anni, ad quintum ſcilicet Cal. Decemb. inchoëtur.

XIII. *Auſpiciis L. Antonij Conſulis.*

L. ANTONIVS Conſul, offenſus alioqui nimia Triumuirorum potentia, quæ multis quoque nobilibus exoſa erat, antiquum Reipub. ordinem reſtitui curabat; veteres agrorum poſſeſſores ad optimates confugientes, ſolus excipiebat, cui vltro illi operam ſuam offerebant. Acceſſit ad bellum excitandum Fuluia vxor M. Antonii, quæ & virili animo prædita erat, & mariti Triumuiri filiis M. Antonium Triumuirum repræſentabat. Cui cum ſe L. Antonius, in gratiam fratris adiunxiſſet, Pietatis cognomen ſortitus eſt, quod ei iuſtius pro defenſione Reipublicæ aduerſus Triumuiratum ſuſcepta competebat. Hæc ad res turbandas vafro Manii conſilio, quaſi æſtro, percita fuit. Mulieri enim is perſuaſit, pacata Italia M. Antonium apud Cleopatram moraturum; rebus autem bello turbatis, propere reuerſurum. Illa ergo vt ad ſe maritum retraheret, & impuræ Cleopatræ eriperet, Lucium pro tuenda mariti dignitate, pro diſtribuendis coloniis legionibus ipſius, extimulare cœpit, & ſeſe Lepido adiungere.

XIV. *Fuluia potentia, & ſimultas cũ Cæſare.*

VERVM Dio de hac muliere, ſic ſcribit lib. 48. Anno ſequenti, inquit, P. Seruilius, & L. Antonius nomen Conſulum, Conſulatum autem hic & Fuluia geſſerunt. Hæc Cæſaris ſocrus, ac M. Antonii vxor, Lepido propter ignauiam contempto, ipſa Rempublicam adminiſtrauit, ita vt neque Senatus, neque populus quicquam, præter eius ſententiam ſtatueret. Ipſe L. Antonius cum de quibuſdam Inalpinis triumphare vellet, quandiu Fuluia contradixit, nemo ei triumphum conceſſit, vbi ea delinita conſenſit, ab omnibus decretus eſt. Triumphauit autem Calendis Ianuariis, quo die magiſtratum iniuit, vt propterea ſe parem Mario iactaret: cum tamen mulier illa, ex cuius arbitrio ille triumphabat, verius triumphare videretur.

Acceſſit repudium filiæ Fuluiæ à Cæſare factum, quod ſocrus inſolentiam non ferret. Itaque affinitate dirempta, multæ vtrinque ſuſpiciones, ac ſimultates enatæ, nec amicorum vtriuſque partis ſtudio ſatis compoſitæ: itaque fruſtratis pacificatoribus, ſtatuerunt bellum gerere.

XV. *Copiæ partis vtriuſq.*

Erant Lucio ſeptendecim legiones in Italia, eique pecuniæ ex Aſia ſuppetebant. Cæſar Capuæ quatuor legiones habebat, & circa ſe cohortes Prætorias. Sex alias legiones ei Saluidienus adducebat ex Hiſpania, pecunias autem, tum ex prouinciis ſuis, tum ex Fanis mutuo vbique accipiebat, quas ſe cum fœnore redditurum pollicebatur. Italia tota propenſior erat in L. Antonium, tam qui iniuriam paſſi fuerant expulſi, quam qui eam timebant, crebroque intervtroſque veniebatur ad manus: vice autem verſa qui nouis poſſeſſionibus aucti erant, iis ſpoliari metuebant. Lucius prior Vrbem cum exercitu occupauit, nihil admodum Seruilio Conſule, & Lepido Triumuiro, propter ignauiam repugnantibus; & conuocata populi concione, ſpem fecit Triumuiratus antiquandi. Itaque Imperator à populo conſalutatus, profectus eſt contra Cæſarem.

XVI. *Mutuo ſibi occurrunt.*

Salvidienvs magnis cum copiis è Gallia reuertebatur ad Cæſarem; illi Lucius profectus eſt obuiam, Saluidienum etiam à tergo ſequebantur Aſinius Pollio, & Ventidius, & ipſi duces Antoniani, eiuſque iter morabantur. Agrippa vero Cæſarianus, veritus ne Saluidienus à Lucianis intercluderetur, Inſubres occupauit, regionem opportunam Lucio, ſperans fore, vt ille à Saluidieno in ſe auerteretur, quod & factum eſt. Itaque Lucius cœpto fruſtratus, petiit Aſinium & Ventidium; Saluidieno & Agrippa vtrimque occaſionem captantibus eum inuadendi, & maxime itinerum anguſtias obſeruantibus. Lucius vbi inſidias ſibi parari cognouit, non auſus cum vtroque manus conſerere, Peruſiam vrbem munitam ſe recepit; ibique caſtra metatus eſt, expectaturus Ventidium, ibique, ſi res ferret, hyematurus.

L. Conſul Peruſiam petit.

XVII. *Ibique à tribus exercitibus obſidetur. Nec iuuatur à ſuis.*

Sed mox Agrippa & Saluidieno, ipſoque Cæſare superuenientibus, obſeſſus eſt Peruſiæ tribus exercitibus, accitis propere aliis quoque Cæſarianis copiis, ne Lucius belli caput elaberetur. Miſſi ſunt, & qui diſtinerent Ventidium Aſiniumque, licet non admodum properantes, quamuis à Lucio acciti, quod inter ipſos eſſet contentio, quis eorum videretur eſſe maior; quodque nec bellum id probarent, & incerti eſſent de mente Antonii. At Lucius cum obſideretur, nec prælio ſe audebat committere, ad erumpendum impar hoſti, & numero militum & genere; & vrbem natus erat, munitam illam quidem, ſed ad tolerandam obſidionem imparatam: vt iam ſatis appparet, quis belli exitus eſſet futurus. Aliquid tamen conatus eſt Lucius. Ticinium quippe iuſſit cum quatuor millibus equitum è Cæſarianorum agris prædas agere, vt Cæſar ab obſidione recederet. Sed ille nihilominus vrbem quinquaginta ſex ſtadiorum ſpatio circumuallauit, & brachia longa indead Tiberim vſque deduxit, ne quid in eam importaretur.

XVIII. *Fuluia quantum-uis anni-tente.*

Interea Fuluia duces omnes Antonianos vrgebat, ad opem ferēdam obſeſſo; quibus Cæſar obuiam cum Agrippa profectus eſt, relicta interim ad Peruſiam cuſtodia. At illi priuſquam coniungerentur intermiſſo itinere, contulerunt ſe alter Rauennam, alter Ariminum, alter denique Spoletium ſe recepit. Cæſar oppoſita cuique parte ſui exercitus ne coniungerentur, Peruſiam rediit, & celeriter foſſis vallum addidit, & munitiones ingētes, tam contra eruptiones, quam contra externa auxilia. Et multæ quidem eruptiones cum aliquo obſidentium damno tentatæ ſunt; nihil tamen ad ſalutem hoc anno perfectum eſt. Et hæc quidem ad Calendas vſque Ianuarias proſecutus eſt Appianus, cætera igitur ad annum ſequentem pertinent.

SCHOLIA IN ANNUM MUNDI 4013.

1.N. II. In Italia vndecim fuiſſe ſub Caleno, & ſex ſub L. Antonio ait idem Appianus l. 5. p. 685. vt mirum ſit aliquanto poſt ab Antonio viginti octo legiones Romanas Epheſi recenſeri: niſi id amplificando dictum placet, ad maiores pecunias extorquendas ab Aſianis.

Multa habet Gorionides libro quinto capite ſeptimo hac de re, parum cum Ioſepho, aut veritate congruentia, quæ piget breuitati ſtudentem refellere. 1.N. VI.

ANNUS MUNDI 4014. SEXTÆ ÆTATIS 499. IMPERII ROM. 9. OCTAVIANI ET TRIUMVIRATUS 4. HYRCANI PONTIFICIS 36. PRÆSIDE SYRIAE M. ANTONIO. REGNI HERODIS 1. ÆTATIS 33. CLEOPATRAE 11. OLYMPIADIS CLXXXV. AN. 1. URBIS CONDITAE 713. COSS. CN. DOMITIO CALVINO II. ET C. ASINIO POLLIONE; QUIBUS ABDIC. SUFFECTI L. CORN. BALBUS, ET P. CANIDIUS CRASSUS. BELLI CIVILIS 10. PERUSINI 2 AN. IUL. 6. SICULUM INCHOATUM.

ANNUS ANTE CHRISTUM 39.

HABUIT hic annus primus Olympiadis centeſimæ octogeſimæ quintæ Ariſtonem Thurium in ſtadio victorem; habuit & Peruſini belli finem; bellicos inter Cæſarem & Antonium motus, pace breui ſubſecuta: Romani quoque populi laborantis cruentam ſeditionem, quæ Cæſaris & Antonii pacem cum Pompeio extorſit. Res porro huius anni à bello Peruſino, quod his Coſſ. vt author eſt Dio, atque adeo ſub huius anni initia finitum eſt, exordiemur. Inde in Græciam Antonium comitabimur, in Syria Parthorum excurſiones, & Herodis geſta, regiumque nomen Romæ obtentum perſequemur. I. *Res anni huius ſummatim.*

II. *Ventidii auxilia irrita.* Dum ergo L. Antonius in ea vrbe fame, foris valida obſidione premeretur, ipſa nocte quæ præcedit Calendas Ianuarias, vt diſerte notat Appianus, ratus id ſolenne allaturum hoſtibus negligentiam, in ipſam portam eorum fecit impetum: vbi ſuccurrentibus mature Cæſarianis, poſt acre certamen in vrbem repulſus eſt. Ventidius autem ignominioſum ratus L. Antonio fame laboranti non ſuccurrere, impetu facto cum ſuis ad eum proficiſcabatur, repulſis Cæſarianis; ſed Agrippa & Saluidieno cum maioribus copiis aduentantibus ad Fulcinium caſtrum deflexerunt, quod Peruſia centum ſexaginta ſtadiis diſſitum erat, vbi ab Agrippa obſeſſi, ſignificabāt, ignibus Lucio ſocios cum auxiliis adeſſe; quæ res ſpe ac lætitia affectos, breui deſeruit. Nam veriti ne ſi erumperent, inter Cæſarem & Agrippam medii concluderentur, rem diſtulere.

III. *Fames Lucium ad pacis conſilia compellit.* Lucius autem fame preſſus, ſeruis cibaria negat, nec patitur ad hoſtem tranſire, vnde agminatim fame confecti, in prægrandes foſſas proiecti, metu peſtilentiæ ſepeliuntur. Ipſe crebris eruptionibus ſumma audacia, atque ardore militum vſus, crebrius in vrbem ſumma neceſſitate repellitur. Tandem & fames, & morientium multitudo, & ſubſidiorum deſperatio, & Cæſaris perfugas recipientis clementia, de pace ac deditione conſilia capere coëgit, timentē ne ſi ſolus obſtaret, Cæſari dederetur. Conſentiente igitur exercitu, tres ex optimatibus legatos

Legatos ad Cæſarem mittit.

ad Cæſarem mittit; qui non ignarus exercitum conſtare è veteranis & tyronibus, ait ſe Antonianis veniam dare, in gratiam Imperatoris, cæteros autem iuſſit ſe ipſius poteſtati permittere. Hæc publice; ſeorſim autem Furnio vni legatorum oſtendit etiam in reliquos ſpem clementiæ, exceptis propriis inimicis.

IV. *Quem mox ipſemet ſe dedens adit.*

Hoc illi priuatum Furnii colloquium ſuſpectum habentes, conuitiis ipſum reuertentem appetiuerunt, & à Lucio poſtulauerunt, vt aut eandem omnibus pacem peteret, aut bellum internecinũ gereret. Tum Lucius ſuos miſeratus, ipſe per ſe pro omnibus ſumma fiducia legationem ſuſcipit, nulloque vſus feciali, duobus tantum lictoribus comitatus obit. Venienti Cæſar obuiam progreſſus, pari fiduciæ ſignificatione, hominem excipit, & poſt mutuam ſalutationem Lucius, declarata libere belli ſuſcepti cauſa, veniam ſuis petit, qui in optima cauſa fami ſuccubuerint, ſe niſi amore ciuium impulſum, ab hac ignominia potuiſſe ſemet ipſum eximere: voluiſſe tamen pro ſuis deprecantem, ſeſe eius voluntati poteſtatique permittere, vt pœnas pro amicis ſuis, qui eius ductu atque auſpiciis hoc bellum ſuſceperint, pro eius arbitratu luat.

V. *Parique fiducia accipitur.*

CÆSAR hac Lucii erga ipſum fiducia delectatus manus dedit, non paſſus eũ falli expectatione ſua. Poſtera die deditio facta eſt; Lucius emiſit exercitum arma geſtantem, ſed iter facientium habitu; & illi Cæſarem è longinquo conſalutarũt, & conſtiterunt legionatim, quo loco Cæſar mandauit, veterani diſcreti à tyronibus. Ipſe peractis ſacris, laureatus ſedit pro tribunali, iuſſitque omnes in veſtigio arma deponere, propiuſque veteranos accedere, vt eos ingratitudine exprobrata terreret, quod ſubodorati Cæſariani, illis ſe amicius coniungere, eorumque vicem lugere, ac pro iis Cæſarem orare cœperunt. Tum Cæſar, ita vos ſemper commilitones, geſſiſtis erga me, vt nihil fruſtra petere poſſitis; itaque illis pro reconciliatione fide iubentibus, omnibuſque ſublato clamore Cæſari gratias agentibus, conſecutus eſt, vt vtrorumque beneuolentiam promereretur, fidemque firmaret; mox autem Cæſar reconciliatis, oppida ad hyberna deſignauit. Ex quibus Appiani verbis intelligitur, hæc vigente adhuc hyeme geſta eſſe; proindeque ſub anni initia, vt ante diximus, Ianuario ſcilicet vel Februario.

Cæſar veteranos egregio artificio demeretur.

VI. *Vt ſe in reliquos geſſerit.*

DEINDE Lucius cum Senatoribus, multáque Romanorum nobilitate, à Cæſare pro tribunali ſedente euocantur; illi procedunt triſtitia, cultuque miſerabili, quorum Cæſar L. Antonium apud ſe accipit, reliquos ſuis committit, præmonitis, vt eos in libera & latente cuſtodia haberent; quorum poſtea nonnullos ex inimiciſſimis interemit, quod ita ſecuritati ſuæ, & publicæ paci crederet expedire. Ciuibus autem è mœnibus veniam petentibus veniam dat, exceptis decurionibus, quos morte mulctauit, præſidium vrbi imponit: cumque eam militi diripiendam dare cogitaret, vnius Ceſtii ædes ſuas deſperatione incendentis, culpa, vrbs tota conflagrauit. Ita bellum Peruſinum confectum eſt.

Vrbs ipſa deditiția conflagrauit.

VII. *Duces Antoniani diſperſi.*

RELIQVI Antoniani duces in multas diuiſi partes, alii alio ſe contulere. Iulia Antoniorum mater in Siciliam ſe recepit ad Pompeium, qui ea vſus eſt, ad fœdus & amicitiam cum Antonio contrahendam. Plancus cum Fuluia vxore Antonii, eiuſque liberis ad eum nauigauit. Aſinius Pollio Domitium Ænobarbum, Caſſianæ claſſi magna ex parte præpoſitum, ad partes Antonii pertraxit; qua de re eum ambo per literas certiorem fecerunt; vtque mox in Italiam venturo, loca opportuna ad exſcendendum parabant, & commeatus expediebant.

Cæſar Calenicopias occupat, & Romam venit.

At Cæſar, qui iampridem Antonii ruinam animo deſtinarat, vbi eius opera Cæſaris percuſſores deleuiſſet, ipſamque Rempublicam ſubegiſſet, vt eum paulatim debilitaret, magnas eius copias, quæ ſub Alpibus Fuſio Caleno ſuberant, eo moriente occupauit, Caleni filio omnia ſine certamine dedente. Ita Cæſar vndecim legionibus, & prouinciis ampliſſimis Gallia & Hiſpania potitus eſt, & amotis præfectis, aliiſque in eorum locum ex ſua factione ſubſtitutis, Romam profectus eſt.

VIII. *Antonius Aegypto migrat.*

ANTONIVS autem ineunte vere ex Aegypto ſoluens, Tyrum peruenit; inde per Cyprium Rhodiumque mare nauigans in Aſiam, de Peruſinæ obſidionis euentu cognouit; incuſauitque fratrem, & Fuluiam, & Manium in primis, qui non exigua fuerat eius belli cauſa; vxorem porro Athenis inuenit. Mox autem

PAX & AFFINITAS INTER CÆSAREM, & ANTONIVM.

& Iuliam matrem offendit, quam Pompeius è Sicilia, cum magnifico apparatu ac comitatu miſit, vt Antonium ad conſpirandum cum Pompeio cõtra Cæſarem adduceret. Is reſpondit, ſe quidem gratias Pompeio pro remiſſa matre habere, relaturum etiam ſuo tempore; & ſi bellum gerendum ſit contra Cæſarem, vſurum illius ſocietate: ſi autem fœdera ſemel icta manſerint, daturum operam vt Pompeius reconciliaretur Cæſari. Hæc Athenis tractata ſunt.

IX. *Cæſar in Antonium intentus, eiuſque amicos.*

Cæſar autem cum ſuſpectum haberet Antonium, & rem ad bellum progreſſuram ſuſpicaretur, nouis colonis odioſum reddere conabatur Antonium, affirmans eum ad reſtituendos veteres colonos, quorum plerique ad eum in Ægyptum confugerant, cum exercitu venturum. Sed ne ſic quidem veteranos ſegniores ad Antonii militiam reddidit, tantum fauoris pugna Philippenſis ei conciliarat. Quamuis autem Antonium, Pompeium, & Ænobarbum legionibus ſuperaret, iam enim ſupra quadraginta contraxerat; nauibus tamen carebat, quibus illi erant inſtructiſſimi, verebaturque ne illi cum quingentis nauibus, Italiam iam magna penuria laborantem, circumeundo, ei famem afferrent. Itaque pacem cum Pompeio quærens, quoniam cum eo Antonius conſpiraſſe ferebatur, Scriboniam ſororem Libonis, ſoceri Pompeii duxit vxorem. Deinde quotquot Antonianos amicos, aut exercitus ſuſpectos habebat, alios alia occaſione ablegauit. Lepidum in deſignatam ei Africam, cum ſex Antonianis ſuſpectis legionibus, Lucium autem Antonium cum exercitu in Hiſpaniam: ſed legatos ei addidit Proprætores, quos iuſſit eum clam cuſtodire.

Pacem cum Pompeio quærit, & Scriboniã ducit.

X. *Antonius Brunduſio excluſus Cæſari bellum parat.*

INTEREA Antonius vxore Fuluia ægra Sycione relicta, cum ducentis nauibus Ionium mare Brunduſium verſus nauigabat, & ex itinere Domitium Ænobarbum cum ſuis nauibus recepit.

Vt Brunduſium ventum eſt, Cæſariani, qui oppido cum quinque cohortibus præſidio erant, portas clauſerunt Ænobarbo, vt hoſti veteri, Antonio vero, vt hoſtem adducenti. Ea re iratus Antonius, ſeque ex Cæſaris ſententia excludi ratus, Brunduſij obſidionem magno ſtudio moliri cœpit, ſimulque miſit circum oras Italiæ, qui loca opportuna occuparent, hortatus eſt ſimul & Pompeium, vt claſſe quantum poſſet, inuaderet Italiam. Quod vbi factum agnouit Cæſar, territus Brunduſium cum exercitu contra Antonium profectus eſt, quem veterani, licet in Antonium propenſi, ſecuti ſunt, partim Cæſaris reuerentia moti, partim ſpe vtrunque ducem inter ſe conciliandi: quam ad rem commodum accidit, vt Fuluiæ mors nunciaretur. Ea mors viſa eſt vtrique parti vtilis, ſublata fœmina inquieti ingenii, quæ ob Cleopatræ muliebrem æmulationem, tam graue bellum exciuerat, & præſentes ſimultates fotura videbatur.

Brunduſiũ obſidet. Cæſar in eũ mouet. Fuluiæ mors.

XI. *Pax inita inter vtroſque.*

CVM autem L. Cocceius vtrique imperatori amicus eſſet, ita vtriuſque animum mitigauit, & offenſionum cauſas expediuit, vt iis prolatis in medium, tollerentur; Pompeius ab Antonio reuocaretur in Siciliam, Ænobarbus in Bithyniam cum poteſtate mitteretur. Denique vtriuſque exercitus voluntate, interueniente Antoniano Pollione, & Cæſariano Mœcenate, decreta eſt mutua præteritarum offenſionum obliuio, & amicitia in poſterum ſancita. Quoniam autem Marcellus maritus Octauiæ, ſororis Cæſaris nuper obierat, poſtulauerunt pacis autores, vt frater eam Antonio vxorem daret, quod magna vtriuſque exercitus gratulatione confectum eſt. Ergo pace in caſtris ad Brunduſium ita confecta, conuiuio ſe mutuo acceperunt, quod Cæſar more militari ac Romano, Antonius Aſiatico, Ægyptioque inſtruxit.

XII. *Imperium Romanum inter ſe diuidunt.*

TVM Cæſar & Antonius totum Romanum imperium inter ſe denuo partiti ſunt, vtriuſque ditionis termino poſito Codropoli vrbe Illyrici; vt inde orientem verſus omnes inſulæ prouinciæque, vſque ad Euphratem ad Antonium pertinerent: cætera omnia vſque ad occidentalem oceanum, Cæſari cederent, Lepido vero Africa relinqueretur, Cæſar bellum contra Pompeium ageret, niſi quid aliud interueniret, Antonius autem bellum contra Parthos ſuſciperet. Ænobarbus in fœdus à Cæſare receptus eſt, quamuis is in Iulii Cæſaris percuſſoribus numeraretur, vt obſeruat Dio. Additũ ad fœdus, vt liceret vtriq. Imperatori habere nouos in Italia delectus pari numero legionum: actum quoque de reconciliando Pompeio, ſed obſtitit Cæſar, quod Menodorus quidam dux Pompeianus, He-

lenum Cæſarianum ducē recens Sardinia expuliſſet: vterque tamen vel inuitus pacem cum eo inire, à plebe Romana coactus eſt. Cæterum inito fœdere, mox vterque ad ea quæ vrgebant, amicos ſuos dimiſit, Antonius Ventidium contra Parthos, ad eorum impetum reprimendum, qua de re paulo poſt in Syriacis rebus dicemus.

XIII. *Ambo vrbem adeunt.* In vrbem deinde reuerſi celebrarunt nuptias. Mox Antonius Manium, interfecit, quod Peruſinum bellum concitaſſet, & Fuluiam zelotypia, in Cleopatram inflammaſſet: Cæſar Saluidienum ſuſtulit, qui defectionem ad Antonium molitus eſſet.

Quam vexat fames. Interea fames Vrbem premebat, Pompeio omnes tenente aditus, ne vllus mari commeatus deferretur: itaque populus vociferabatur in principes, & pacem cū Pompeio conuitiis flagitabat. Illi contra, bellum malebant contra illum accelerari, vt illo inuito penuria tolleretur, ſed pecuniæ in belli apparatum deerant. Ergo edicto nouæ exactiones propoſitæ ſunt; ſed edictum plebs furibunda diſcerpſit, indigne ferens poſt exhauſtum ærarium, ſpoliatas prouincias, Italiam ipſam exactionibus, & bonorum confiſcationibus oppreſſam, nunc ad perſequendos priuatos inimicos, augendamque domeſticam potentiam, nouis inuentis populum Romanum exinaniri.

XIV. *Populus furit pro pace.* Itaqve plebs tota paſſim per circulos in ſeditionem coibat, & ſi qui aggregari nollent ad ipſos, ſaxis eos impetebant: magiſtratum ad ſedandas turbas in forum progredientem, lapidatione foro eiecerunt, Cæſarem denique ipſum & Antonium progreſſos, vt eam ſedarent, lapidibus pene oppreſſerunt, ſtatuaſque eorum deiecerunt: & ne immiſſis quidem armatis militibus, plurimiſque occiſis, atq. in Tiberim proiectis, quieuerunt, ſed odium etiam, & querelas auxerunt. Eadem fere habet Dio libro quadrageſimo octauo. Hic apparet manifeſtum Dei iudicium in iſtos totius orbis prædones, vt poſtquam omnibus ex prouinciis omnia ſacra profanaque rapuiſſent, tanta tamen egeſtate premerentur, vt populum ad ſeditiones concitarent, ſeſe in manifeſtum vitæ diſcrimen coniicerent.

XV. *Colloquiū de pace inter principes.* Tandem Libone interueniente (is nuper ſororem Cæſari nuptui tradiderat, & ſocer erat Pompeii) & Mutia Pompeii matre populi minis compulſa, legationem ad eum ſuſcipiente, ad colloquium principum deuentum eſt. Id habitum iuxta Puteolos, defixis in mari palis interuallo modico, pontes inſtrati ſunt deſuper, in quorum alterum terræ contiguum Cæſar proceſſit cum Antonio, Pompeius & Libo in alterum, modico interuallo diremptum, ita tamen, vt non niſi clara voce loquentes, exaudirentur inuicem. Id colloquium tum irritum fuit: ſed fame & populo vrgente, Mutia inſuper matre, atque vxore Iulia, rurſum hi tres in veterem quendam aggerem, mari cinctum vndique conuenerunt, ſatellitio vndique in nauibus collocato, colloquium ad Miſenum habitum, autor eſt Dio lib. 48. cum Cæſar & Antonius in continenti ſtarent, Pompeius autem in aggere quodam mari circumfluo, non procul ab eis ad hoc ipſum congeſto, & quo tutior eſſet, aſtante ipſi vniuerſa claſſe, illis autem pedeſtribus copiis.

XVI. *Cōditiones pacis, in quas conuētum eſt.* Ibi his conditionibus tranſactum eſt, vt pace terra marique reddita, negotiatiationes nuſquam impedirentur; Pompeius ex omnibus Italiæ locis præſidia deduceret, nec amplius fugitiuos reciperet, neue naues ſuas in Italiæ littoribus ſtare permitteret; imperaret Siciliæ, Sardiniæ, Corſicæ, cæteriſque quas tunc habebat inſulis tot annis, in quot Antonio Cæſarique imperium prorogatum eſſet; mitteret Romano populo frumentum iam diu debitum, Peloponneſum quoque vltra dictas inſulas acciperet, abſens Conſulatum per quemlibet amicorum gereret, & in Pontificum collegium aſcriberetur. Conuentum etiam vt reditus nobilibus exulibus pateret, exceptis coniuratis iudicio publico damnatis: profugis bona erepta integre reſtituerentur, exceptis mobilibus, proſcriptis vero quarta pars. Et ſeruis qui ſub Pompeio militaſſent, libertas eſſet præmium; ingenuis vero poſt peracta ſtipendia, perſoluerentur eadem præmia, quæ veteranis Cæſaris

XVII. *Mutua conuiuia, timor, periculum.* & Antonii. Hæ tum pacis leges fuere, quas conſcriptas, obſignataſque, in vrbem miſere aſſeruandas Veſtalibus: eas nonnulla cum diuerſitate apud Dionem reperies, lib. 48.

Moxqve alteri alteros hoſpitio inuitarunt, quod ſorti commiſſum eſt, prior

Pompeius ſortitò ſexireme ad aggerem appulſa excepit hoſpites; ſequentibus diebus Cæſar & Antonius Pompeium, ſed omnia erant metu ac diffidentia plena, omnia circunquaque armatis ad nutum paratis redundabant, conuiuæ ipſi ſub veſte pugionibus accincti erāt. Fertur Menodorus, dum in naui haberet Cæſarem & Antonium, Pompeium clam monuiſſe, vt patris fratriſque mortem data occaſione vlciſceretur, & patris ſibi adſciſceret imperium. Cui Pompeius, vtinā inconſulto me id peregiſſet Menodorus; nam Menodoro periuro eſſe licet, Pompeio non licet. Hoc conſilium Dio leuiter attingit, & Menæ tribuit. His tranſactis diſceſſerunt, hic in Siciliam nauibus, illi ad vrbem terreſtri itinere: plerique profugi, ſalutato apud Puteolos Pompeio, ad vrbem nauigarunt. Pacis nuncius, & quæcunque illi commoda erant coniuncta, ſumma lætitia vrbem, totamque Italiam affecit, vt illis trāſeuntibus, tanquam ſeruatoribus, ſacra fierent, ipſi ne vrbanis eſſent oneri, Vrbem noctu ſunt ingreſſi.

XVIII. *Cæſar Galliam adit, Antonius Orientem. Reges regnaque pro arbitratu conſtituit.*

Posthæc Cæſar in Galliam nonnihil turbatam expeditionem fecit. Antonius ad bellum Parthicum profectus eſt. Eius autem actibus, tam præteritis, quam futuris SC. approbatis, rurſum duces paſſim dimiſit pro arbitratu ſuo, regeſque conſtituit, Herodem Idumæorum & Samaritarum, Ponti Darium Pharnacis filium Mithridatis nepotem, Amyntam Piſidarum, Polemonem partis Ciliciæ, alioſq. aliarum gentium; certum tamen tributum pendere iuſſos. Cum autem Athenis hyemare conſtituiſſet, copias ſuas ita diſtribuit, vt pars vna in Parthyenos gentem Illyricam, alia in Dardanos, in Epirum altera, eius nutum præſtolari iuberetur. His ita cōſtitutis Athenis cum Octauia, ex qua iam filiolam ſuſceperat teſte Plutarcho, vt ſuperiore anno Alexandriæ cum Cleopatra, hyemem in ſummo luxu tranſegit. Hæc fere Appianus hoc anno; quæ poſtrema regnum Herodis cum attingant, nos ad eum, reſque Syriacas ſtylum conuertendum monent: hiſtoriam paulo altius repetitam ex Dione & Ioſepho mutuabimur.

Appian.

XIX. *Defectio Labieni ad Parthos, eiuſq. cauſa.*

[…]l. 48. […]l. 14 c. 23. […]24. & ſeq. vſque ad […]28.

Miserat Caſſius Labienum, T. Labieni filiū, qui bello Pharſalico à Cæſare defecerat ad Pompeium, ad Orodem Parthorum regem ante pugnam Philippenſem, vt inde auxilia euocaret; ibi aliquandiu commoratus eſt, quod rex nec Caſſium iuuare vellet, nec auxilia ei negare auderet; nunciata autem clade, Labienus exiſtimās aduerſarios nemini veniā daturos, cum Parthis vitā degere inſtituit; vbi autē amores, & deſidiam Antonii didicit, eiuſque in Ægyptum profectionē; & Cæſaris in Italia cum Antonio fratre diſcidia, & in Sicilia cum Pōpeio, Parthis inferendi Romanis belli autor fuit, & Syriam, vicinaſque ei regiones ſibi ſubiugandi, eique bello ſe ducem obtulit, regi promittens, multas ſe prouincias per deditionem accepturum.

XX. *Cum iis Syriā occupat.*

Persvasvs Orodes filium ei Pacorum cum magnis copiis committit, cū quibus in Phœnicem irruit, præſidia in Syria ab Antonio relicta, deditione accepit; Saxā ducem in Syria ab Antonio conſtitutum, & Labieno adhærere nolentem, prælio congreſſum vicit, & in fugam compulſum, aliquanto poſt interfecit; Apameam, & Antiochiam occupauit, moxque mortuo Saxa tota Syria potitus eſt, excepta Tyro, quā Parthi, neque vi, quod claſſe carerent, neque ſuaſione à Romanis abducere potuerunt. Reliqua omni Syria Pacorus accepta, in Palæſtinam profectus Hyrcanū, qui tum præpoſitus à Romanis illi regioni imperabat, depoſuit, fratremq. eius Ariſtobulum præfecit. Ita Dio, qui ex Ioſepho corrigendus eſt. Ariſtobulus enim Roma dimiſſus à Cæſare, à Pompeianis veneno ſublatus fuerat, eodem anno quo pugna Pharſalica commiſſa eſt, Vrbis Conditæ 705. quæ autem à Dione tanguntur, de Antigono eius filio accipienda ſunt, quæ à Ioſepho fuſius narrantur, ſunt autem huiuſmodi.

XXI. *Res ab Antonio Antiochiæ geſta.*

Cvm Antonius Antiochiam veniſſet apud Daphnem, centum è Iudæorum gēte venerunt ad eum, Phaſaëlum & Herodem accuſaturi, ſed eos Meſſala defendit. Vtriſque auditis, Antonius ſiſcitatus eſt ab Hyrcano, Herodis iam ſocero, vtra pars melius Rempublicam adminiſtraret. Qui cum reſpondiſſet pro iuuenibus, Antonius, qui eos iam familiariter diligebat, propter paternum hoſpitium, quo tempore cum Gabinio agebat, ambos tetrarchas conſtituit, & Iudæorum eis gubernacula commiſit. Cumque Iudæi nihilominus non acquieſcerent, ſed maioribus etiam legationibus Tyri obſtreperent, ab Antonio male mulctati ſunt. Et hæc quidem proximo anno geſta ſunt, Antonio in Ægyptum proficiſcente.

XXII. *Antigonus Parthos ſibi deuincit.*

ALTERO deinde anno Syriam occupauerunt Pacorus regis filius, & Barzapharnes Parthorum ſatrapa, vt ait Ioſephus, cum Antigonus Ariſtobuli filius mille talenta, & quingentas mulieres Parthis ſe daturum pollicitus eſt, ſi regnum ab Hyrcano in illum transferrent, & Herodem cum ſuis interficerent. Parthi aſſerturi regnũ Antigono, duxerunt verſus Iudæam exercitum, Pacorus per maritima, Satrapa per mediterranea. (Dio tamẽ ait Parthos nullam claſſem ſecum habuiſſe, ideoq. neque Tyro potiri potuiſſe.) Antigonus cum multis Iudæorum Carmelum incolentibus Hieroſolymam ingreſſi, regiam oppugnare cœperũt, propugnantibus, qui fratrum partes ſequebantur. Cumque multæ in tumultu patrarẽtur cædes, Pacorus Parthorum dux cum paucis equitibus, rogante Antigono, in vrbem ingreſſus eſt, prætextu quidem ſeditionis compeſcendæ, re autem vera illi principatum aſtruere cupiens.

Vi Hieroſolymam occupat.

XXIII. *Hyrcanus cum Phaſaele à Parthis in vincula coniecti.* *Herodes fugit Idumæam verſus.*

QVI poſtquam à Phaſaëlo occurrẽte exceptus eſt hoſpitio, ſuaſit ei, vt legatus iret ad Barzapharnem: quam ille legationem cum Hyrcano Pontifice Herode improbãte, obiit; ſed illi à Parthis in vincula coniecti ſunt; dum interim ducenti equites, quos Pacorus apud Herodem reliquerat, eum comprehendere, abductum ex regia conarentur: ſed ille cognita fratris comprehenſione, fugam nocturnam parat cum mulierib. & familia domeſtica, & armatorum, quos ſecum habebat, ſubſidio, cum quibus verſus Idumæam properat, Maſſadam caſtelum petens: multiſque in via periculis perfunctus contra Parthos ac Iudæos perſequentes, Maſſadæ domeſticos depoſuit, & qui eos defenderent, fere 800. ipſe ad Petram Arabiæ profectus eſt.

XXIV. *Parthi Hieroſolymam diripiunt Antigonũ regem cõſtituunt.* *Hyrcani iniuria Phaſaeli mors.*

INTEREA Parthi vrbe potiti eam diripuerunt; ſicque fugato Herode, acceptoque Hyrcano cum Phaſaëlo vinctis Antigonus rex Iudæorum à Parthis cõſtitutus eſt. Veritus autẽ ne populi fauore Hyrcanus reſtitueretur in regnum, ei auriculas amputauit, vt inhabilem pontificatui redderet. Phaſaëlus autem, cum ſibi propter vincula mortem inferre non poſſet, alliſo ad ſaxum capite, vitam abrupit. Id facinus cum Ioſephus prædicet, vt maxime admirandum propter animi magnitudinem, oſtendit profano ſe Ethnicorum ſpiritu plenum, ſui ipſius mortem tanquam generoſum facinus admirantium; cum id legi diuinæ, cuius ipſe ſacerdotem ſe profitebatur, certiſſimum ſit aduerſari. Cæterum non diſſimulabo, pleraque in hac tota Ioſephi narratione, ſi non falſo, parum certe probabiliter narrari, vt facile quiuis intelliget, quem non piguerit c. 25. libri 14. expendere, & cum l. 1. de bel. c. 11. conferre. Vide Gori. l. 4. c. 8. & 9.

XXV. *Herodes Arabiam, inde Ægyptum, ac Romam petit.*

HÆC dum in vrbe fiunt, Herodes, qui fratris adhuc mortem ignorabat, tum illius redimendi, tum præſidii inueniendi gratia, Malchum regẽ Arabum adit, multis iam ſuis beneficiis obligatum: ſed ille metum Parthorum excuſans, finibus eum ſuis iubet excedere. Is Ægyptum verſus iter intẽdit: in itinere cognita fratris morte, Peluſium venit, indeque magiſtratibus deducentibus Alexãdriam peruenit; vbi à Cleopatra, ait Ioſephus, detinebatur: quæ tamen efficere non potuit, ne Romam properaret, licet hyberno tẽpore, & parum tranquillis, ut nunciabatur, Italiæ rebus. Parum tranquillas tum res Italiæ fuiſſe veriſſimum eſt, vt docet tota huius anni narratio, hyberno autem tempore nauigaſſe in Italiam, verum eſſe non poteſt, etſi idem etiam affirmet l. 1. de bello c. 11.

XXVI. *Quod profectionis tẽpus.*

NAM Ioſephus ipſe paulo ante feſti Pentecoſtes meminit, ex quo vix paucos menſes, ne dicã dies, res ab eo tempore geſtæ poſtulant. Deinde vel hyemem intelligit, quam tranſegit Antonius cum Cleopatra, vel antecedentem, vel ſequentem. Non antecedentem, quam Cæſar & Antonius Philippis, vel in Macedonia, peracto Philippenſi bello, egerunt; nã tunc Herodis in vrbem appulſus non caderet in conſulatum Domitii & Pollionis, vt ipſe vult, ſed L. Antonii & Seruilii Iſaurici. Non hyemem, quam Antonius egit Alexandriæ: fruſtra enim ad Antonium Romã proficiſceretur, ſi eum Alexandriæ reperire potuiſſet, vnde non niſi vere ineunte profectus eſt, vt ſcribit Appianus l. 5. & ab eo quod quærebat obtinere potuiſſet: ſicut antea tetrarchiam, & regnum Põti Darius, Amyntas Piſidarum, Polemo partis Ciliciæ, & alii aliarum gentium obtinuerant, pro Antonii arbitratu, vt ex Appiano diximus; ſatis quippe obſequentem habebat Senatum, qui præterita futuraque eius acta confirmarat, eumq. nõ ſolum Senatus, ſed Cæſar ipſe, non obſtantibus tot legionibus, formidabat. Quod ſi Herodis profectionem in alteram hyemem ſeq. differamus, certe Antonium Athenis reperiſſet: ibi enim proximam cum Octauia traduxit hyemem, nec Coſſ. quibus regem declaratum fuiſſe dicit, conuenirent.

XXVII. *Videri ſub Autumnum.*

Svb autumnum potius profectum oportet, & tempeſtate iactatum, quam Ioſephus refert, ex qua leuiter collegerit Herodem hyeme nauigaſſe. Ait enim ſoluentem Alexandria, verſus Pamphyliam graui tempeſtate conflictatum, ægre in Rhodum euaſiſſe, iactura facta ſarcinarũ. Nam æſtiuis menſibus etiam tempeſtates contingunt, vt hoc ipſo tempore Cæſari contigiſſe teſtatur Appianus libro quinto. Quod ergo de hyeme dicit Ioſephus; de illa appropinquante intelligendum eſt, cum Cæſar & Antonius adhuc in vrbe eſſent. Hæc de profectione Herodis accuratius notare voluimus, quod vir diligentiſſimus Torniellus, anno mundi 4014. num. 7. Ioſephum bona fide ſecutus, exiſtimarit hyeme profectum, indeque infert eundem Herodem ſub æſtatem, & ſub finem primi anni Olympici regem fuiſſe declaratum: quod ſi illi conceſſerimus, dicendũ omnino erit non eſſe declaratum; regem Caluino & Pollione Coſſ. finis quippe anni primi Olympiadis 185. cadit in medium Conſulatum L. Marcii & C. Caluiſij, qui proximo anno Conſulatum geſſerunt.

XXVIII. *Romæ Antonio res ſuas exponit.*

Addit Ioſephus Herodem apud Rhodios amicorum ope triremen inſtruxiſſe, & Brunduſium appuliſſe. Gorionides ſcribit eum Anconam eſſe delatum, indeque à Cæſaris præfecto, equis viriſque inſtructum, ac Romam honorifice deductum. Romæ autem Ioſephus ait, ante omnes Antonio enarraſſe, quæ ſibi in Iudæa contigiſſent, quæ fratri, quæ Hyrcano Pontifici, quæ Antigonum Parthorum ope fortuna extuliſſet, ſe autem abieciſſet. Et videlicet motus adhibui tquos & cladis præteritæ, & imminentis ſpei magnitudo ſuggerebant.

Ea narratio cum Antonii commiſerationem erga Herodem excitaſſet, accedente etiam hoſpitii paterni memoria, & in primis pollicitatione pecuniæ, ſi eius ope rex fieret, & odio Antigoni, tanquam hominis turbulenti, ac Romanis inimici, factus eſt in Herodem propenſior. Cæſar quoq. partim propter Antipatri militiam, in Ægypto cum patre ipſius toleratam, & hoſpitii ius, ac reliquam beneuolentiam, partim vt Antonio gratificaretur, quem valde ſtudioſum ſciebat Herodis, ad conatus eius promouendos erat paratus.

XXIX. *In Senatu rex declaratur.*

Itaqve conuocato Senatu Meſſala, ac deinde Atratinus, productum Herodem commendarunt, commemoratis, tam patris eius, quam ipſius in Romanos beneficiis, ac beneuolentia. Antigonum vero tum ob vetera crimina accuſarũt, tum quod recens contemptis Romanis, à Parthis accepiſſet imperium. Cum Antonius quoque Senatum docuiſſet conducere ad Parthicum bellum, quod erat in manibus, Herodem regnare, hoſtis declaratus eſt Antigonus, Herodi regis nomen omnium ſuffragiis delatum eſt. Gorionides ait impoſitam Herodi coronam regiam, cũ feſto tubarum ſonitu, variiſque populi acclamationibus. Quo inſignius, ait Ioſephus, fuit Antonii erga illum ſtudium, quia præter ipſius ſpem regnum ei parauit. Nunquam enim putabat Romanos hoc ſibi cõceſſuros; ſolitos hunc honorem regio ſeruare generi. At quomodo non putabat, aut ſperabat Herodes ſe regnum conſecuturum, cum ea de cauſa Romam nauigaſſet, & Antonio pecunias pollicitus eſſet, ſi rex fieret? & is cum Cæſare, Romæ, atque adeo in toto orbe Romano, poſſent omnia, eiſque Senatus omnibus in rebus famularetur, eorum facta omnia, præterita, futuraque comprobaret?

XXX. *Ab Auguſto & Antonio honoratur, & fœdus init cum Romanis.*

Cætervm dimiſſo Senatu Antonius & Cæſar medium habentes Herodem exiuerunt, Conſulibus, cæteriſque magiſtratibus deducentibus, aſcenderuntque in Capitolium ſacra ibi facturi, & Senatuſconſultũ depoſituri. Et nouus rex primo regni ſui die conuiuio exceptus eſt ab Antonio: idemque habet Gorionides. Ingreſſi ſunt, ait, domum Antonii, inſtruxitque eis Antonius conuiuium grande, & inuitauit Auguſtum, Senatum, & cunctos ſeniores Romanos. Comedentes & bibentes plurimum congratulati ſunt Herodi, quod eſſet rex coronatus, & ſignantes diem illum pro initio regni Herodis percuſſerunt cum eo fœdus, & exarauerũt verba fœderis in tabula ænea, poſueruntque eam in Capitol. Sic Herodes regium faſtigium adeptus eſt Olymp. 184. C. Domitio Caluino iterum, & C. Aſinio Pollione Coſſ. intraque ſeptimum diem ex Italia profectus eſt. (l. 5. c. 10.)

XXXI. *Ratio temporis regni Herodis ineuntis.*

Hæc fere Ioſephus, à quo recte quidem Conſules notantur, non autem Olympias. Cum enim ſub finem anni, ante quam Anton. & Cæſar ex Vrbe proficiſcerẽtur hæc facta ſint, vt conſtat ex Appiano, & iis quæ paulo ante de eius profectione

ex Ægypto diximus, certe 185. Olympiadem inchoatam oportet affirmare. Ideoque hos Conſules, cum anno primo Olympiadis centeſimæoctogeſimæ quintæ copulat Euſebius in Chronico Græco; & recentiores Temporarius, Onufrius, Cuſpinianus, Caluiſius, Dekerius, annot. 2. in ſuas tabulas, in primiſque purpuratorum doctiſſimus Baronius in Apparatu n. 13. Scal. lib. 5. de emend. c. de initio Herodis magni, vbi de anno 6. Iuliano conſentit. Nec recte refutat Baronium Torniel. quaſi male ſupponentem Conſulatum Domitii & Pollionis cœpiſſe Calendis Ianuar. cum adhuc media pars vltimi anni Olympiadis centeſimæ octogeſimæ quartæ agebatur, & Conſulatum geſſiſſe altera media parte primi anni Olympiaci. Rectiſſime quippe id ponit Illuſtriſſ. Baron. Nam cum hoc eſſet ordinarium, docendum erat aliter hoc anno ſe rem habuiſſe, quod probari non poteſt. Nam quod attinet ad initium Conſulatus iſtius, nos ſupra ex Appiano, & Dione docuimus, Peruſiam initio anni captam, idque Domitio & Pollione Coſſ. De ipſorum vero Conſulatu ad finem anni protracto, audi Dionem de his ipſis Coſſ. agentem. *Interea temporis, etſi in exitu erat annus, abrogato Prætoribus & Coſſ. magiſtratu, alios iis ſuffecerunt, nihil curantes, quod ii paucos dies eſſent cum ea dignitate futuri.* Sic ipſe; ſed virum optimum nimius zelus defendendi triginta ſeptem annos Ioſephi deduxit in fraudem.

Defenditur Baronii chronologia — l. cit. n. 8.

XXXII. *Regnum Herodis ſub finem anni huius inchoatum. Antigonus eius familiam vexat.*

Dicamvs igitur hoc anno inchoatum regnum Herodis, aut ſi mauis regnandi ius ab eo Romæ acquiſitum, cum ageret ætatis annum trigeſimum quartum, tot enim à Conſulatu L. Gellii Publicolæ, & Cornelii Lentuli enumerantur, qui cadit in an. Vrb. C. 681. vt ſupra quoque docuimus, dum de eius præfectura Galilææ ageremus, V. C. 707. Eſt autem hic annus, ita dicendus primus Herodis, vt inchoatus tantum intelligatur. Nam pene totus ad ſequentem annum pertinet, ſicut de Octauiani etiam annis ante monuimus.

Toto autem tempore abſentiæ Herodis, inquit Ioſephus, *Antigonus familiam eius oppugnabat in Maſſada, abundantem quidem cætero commeatu, ſed laborantem aquarum inopia, ita vt hac de cauſa Ioſephus frater cum ducentis familiaribus ad Arabas inde fugere decreuerit: audierant enim Malchum iam pœnitere, quod parum officioſius in Herodem fuiſſet. Id conſilium mutauit, imbre noctu de cœlo demiſſo. Ciſternis enim aqua repletis, non amplius fuga opus habuit: ſed haud ſecus, quam diuina ope hac difficultate leuati, magno animo excurrebant, & conferentes manus cum Antigonianis, modo aperte, modo clam multos trucidabant.* Gor. ait laboratum ſiti propter aquæductum à Ciuitate abductum opera Antigoni. l. 14. c. 26. l. 5. c. 10.

XXXIII. *Res à Ventidio in Parthos geſta.*

Interea autem Ventidius, quem Antonius ad reprimendos Parthorum impetus præmiſerat, dum ipſe expeditionem parat, rem præclare geſſit cõtra Parthos & Labienum, de ſubacta Syria & Cilicia exultantem, & Parthici imperatoris cognomen vſurpantem, vt notauit Dio l. 48. Prælio enim contra eos congreſſus, victor euaſit, cæſo Labieno, & Phraate præſtantiſſimo è regis Orodis ducibus: idq. nuncium delatum eſt ad Antonium Athenis hyemantem, vt ait Appia. in Parthicis. Quam ob rem poſtea Antonio Romæ ſupplicationes decretæ ſunt, quod eam Ventidius non proprio imperio, ſed auſpiciis Antonii, à quo miſſus erat, geſſiſſet, vt eſt in Dione; qui fuſius rem ab eo geſtam narrat. Necopinantem ſcilicet Labienũ Ventidii exercitu oppreſſum, cum Parthi abeſſent, & fugientem vſque ad Taurum montem perſecutum, ibi complures dies vtrunque manſiſſe, dum Labienus Parthos, Ventidius ſuas copias expectat.

XXXIV. *Pugna, & victoria Ventidii.*

Cvm vtrique veniſſent, Ventidius, qui Parthorum equitatum metuebat, caſtra in edito loco poſuit, quem ſuperbe aggreſſi Parthi, Romanis è ſuperiore loco irruentibus, fuſi fugatique plurimis occiſis in Ciliciam profugere. Inde ad caſtra expugnãda progreſſus Vẽtidius, vbi in iis Labienum reperit, ſubſtitit; ſed is videns ſuos fuga barbarorum perterrefactos, veſte mutata noctu effugit, pleriſque de eius exercitu cæſis, aliis ad Ventidium tranſeuntibus. Ipſe aliquanto poſt à Demetrio Cæſaris liberto indagatus, ac captus eſt. Ventidius Ciliciam recepit, & ad montẽ Amanum Pharnapatem Pacori legatum, cum multis aliis occidit, occiſum quoque Pacorum ipſum, autor eſt Velleius l. 2. & Iuſtin. l. 42. Appian. in Parthicis, & Plutar. in Anton. ſed id in altera pugna poſterius contigit. Indeque Syriam recepit, citra prælium, & multam pecuniam ab Antigono, Malcho Nabathæo, ſiue Arabe, & Antiocho exegit, quod Pacorum auxilio iuuiſſent. Sic Dio.

AT Ioſephus rem alio trahit: ait enim Ventidium Parthis expulſis in Iudæã veniſſe, quaſi laturum auxilium Ioſepho fratri Herodis, Maſſadam contra Antigonum propugnantis, cum tamen reuera veniſſet, vt pecuniam ab Antigono extorqueret: qui cum à ſe, & à Hieroſolymitana oppugnatione, pecuniarum largitione XXXV. *Eius in Iudæam aduentus.*
l. 5. c. 10. repulit: hoc enim maxime telo Romani, hoc tempore vincebantur. Scribit Gorionides, Herodem hoc tempore in Syriam cum Antonio claſſe veniſſe, alterum contra Pacorum regẽ Perſarum (Perſas enim pro Parthis ſemper vſurpat, & ſæpe Eutrop. l. 7.) alterum cõtra Antigonum regem Iudæorum; & Antonium Antiochiam, Herodem Ptolemaidem appuliſſe. quod mirum eſt nõ ſolum ab Appiano, Dione, & Plutarcho, ſed Ioſepho etiam prætermiſſum. Et quamuis fieri poſſit, vt Athenas vſque ſimul ambo nauigarint, indeque digreſſus Herodes, tum aliquas copias ab Antonio acceperit, tum etiam comitem habuerit Gellium, quem ille ad Ventidium & Silonem legauit, cum mandatis vt Herodem in ſuum regnum reducerent, *Et Herodes cum Antonio in Syriam.*
l. 14. c. 27. vt ſcribit Ioſephus: ſatis tamen conſtat, nec Antonium tam cito in Syriam, niſi ad breue tempus nauigaſſe; qui poſt tranſactam Athenis hyemem breui in Italiam regreſſus ſit, vti ex Appiano dicemus; nec Herodem in Græcia ſubſtitiſſe, qui ſciret totam familiam ſuam in arce Maſſada ab Antigono obſeſſam, atque in ſummo periculo conſtitutam.

l. 14. c. 27. HERODES igitur ex Italia reuerſus Ptolemaidem appulit, vt ait Ioſephus, collectiſque non mediocribus copiis, tum ex conductitio, tum ex ſuæ gentis milite, properabat per Galilæam contra Antigonum, Ventidii, ac Silonis ope ex Antonii mandato ſubnixus, quamuis Ventidius tunc forte diſtinebatur componendis ciuitatum tumultibus, quos irruptio Parthorum excitarat. Silo vero in Iudæa erat, ſed pecunia corruptus ab Antigono: erat Silo vnus de Ventidii ducibus, quem Dio lib. 48. Vpedium cognominat, Gorionides autem Pardelium. XXXVI. *Herodes copias cogit contra Antigonum.*

Nihilominus Herodes progrediebatur cum magnis copiis, ex Galilæa maxime collectis; ad quem etiam plerique vndique confluebant, ob ſpem, quam de confirmato iam rege cõceperant. Et quoniam in Maſſadam iter à Ioppitis obſtruebatur, ne quam hoſtilem munitionem à tergo relinqueret, Ioppem primum occupauit. XXXVII *Obſidente Hieroſolymis Antigonum.*

ANTIGONVS autem obſidione ſoluta, Hieroſolymam ſe contulit, locis aliquot Herodi ſtructis inſidiis, quibus ille vitatis, aut ſuperatis, deinde receptis è Maſſada domeſticis, & capto Reſſa caſtello, cũ Silone petebat Hieroſolyma. Cũque ad occidẽtalem vrbis partem caſtra poſuiſſet, caduceatorem circa mœnia proclamare iuſſit, ſe bono publico veniſſe, & ad ſalutem vrbis, acceptarum iniuriarum memoriam depoſiturum. Antigonus contra ad Silonem, ac Romanos ſermone conuerſo, iniquum eos facere dicebat, qui Herodi regnum aſtruant, homini priuato, & Idumæo, hoc eſt ſemiiudæo; cum id more gentis, generis ſucceſſioni debeatur. Et cum Silo, qui pecuniis erat corruptus, inopiam commeatus cauſaretur, vt occaſionem ſumeret deſerendæ obſidionis, dedit operam Herodes, vt exercitus rebus omnibus abundaret, coactis Hiericunte commeatibus. Apparet nihilominus ſolutam fuiſſe obſidionem.

NAM Rex Hiericunte reuerſus, Romanum exercitum hybernatum in recens deditas regiones dimiſit, Idumæam, Galilæam, & Samariam. Quin & Antigonus captans Antonii gratiam, partem eorum Lyddæ hyemare permiſit. Herodes autẽ non ſtatim quieuit, ſed Idumæam duobus millibus peditum, & 400. equitibus, miſſo etiam fratre ſuo Ioſepho, communiuit. Ipſe in Samariam profectus, & depoſita XXXVIII. *Alia hoc anno in Iudæa geſta ab Herode.*
id eſt 26. lib. Tur. cum ½. ibi matre, aliiſque cognatis, quos è Maſſada perduxerat, in Galilæam duxit, expugnaturus quædam loca ab Antigono inſeſſa præſidiis, vbi re bene geſta, numeratis viritim 150. drachmis militem ad hyberna dimiſit.

ANNVS MVNDI 4015. SEXTÆ ÆTATIS 500. IMPERII ROM. 10. OCTAVIANI ET TRIVMVIRATVS 5. HYRCANI PONTIFICIS 37. PRÆSIDE SYRIAE M. ANTONIO. REGNI HERODIS 2. ÆTATIS 34. CLEOPATRAE 12. OLYMPIADIS CLXXXV. AN. 2. VRBIS CONDITAE 714. COSS. L. MARCIO CENSORINO, & C. CALVISIO SABINO. BELLI CIVILIS II. SICVLI 2. ANNVS IVLIANVS 7.

ANNVS ANTE CHRISTVM 38.

I. *Quies aliqua Romæ, & geminus triumphus.*

QVIES hoc anno populo Romano futura videbatur à bellis ciuilibus, pace inter Triumuiros reconciliata, & cum Sex. Pompeio conſtituta, erantque diuturnæ calamitates in lætitiam & triumphum verſæ: duos quippe hoc anno triumphos ſuggerunt Capitolinæ tabulæ, alterum L. Marcii Cenſorini Conſulis, primo die Conſulatus ſui, (ſicut nuper Dolabella, & pridem Marius,) de Macedonia triumphantis; alterum Aſinii Pollionis Proconſulis; qui de Parthineis Illyrici populis 7. Calend. Nouemb. legitur triumphaſſe. Eius tamen triumphum Dalmaticum appellat Horatius, propter Salonas Dalmatiæ ciuitatem bello captam.

Inſigne mœſtis præſidium reis,
Et conſulenti Pollio Curiæ;
Cui laurus æternos honores
Dalmatico peperit triumpho.

Dio libro quadrageſimo octauo victos ait à Pollione Epidaurios; ibique bellicos motus aliquot præliis compreſſos. Lætitiam auxit Iulia filia Auguſti hoc anno nata, [a] quæ poſtea Marcello nupſit, deinde Agrippæ, poſtremo Imperatori Tiberio, vt ſuis dicetur locis. [a] Dio l. 48.

II. *Siculum bellum renouatur.* *Antonius Bacchus Athenis. Belli cauſa.*

VERVM Siculum bellum contra Pompeium cito renouatum eſt. Erat in pactis conuentis, vt Peloponneſus Pompeio traderetur: Antonius autem cum in Græcia hyemaret, vt quam maxime debilem prouinciam illi redderet, vrbes affligebat, & Athenis Bacchum ſe, ſiue Dionyſium appellari voluit, cui Athenienſes ad adulationem nati, inter reliquos honores ei Mineruam deſponderunt; ille probare ſe id matrimonium dixit, ſed dotis nomine quadragies ſeſtertiûm exegit, id eſt ducenta millia lib. Turon.

Verum Appianus, qui hoc bellum exactius eſt perſecutus, ait Peloponneſum ab Antonio promiſſam Pompeio ea lege, vt expectaret, dum illi debita ſoluerent, aut ipſe ſe eorum debitis oneraret. Quod ægro ferens Pompeius, qui debita ſibi cum prouincia data volebat, bellum clam per piratas inceptabat, & ad grauius bellum apparatum faciebat: vt cum nondum ſatis remedii vrbanæ fami allatum eſſet, vulgo iactaretur, hac pace, non malorum finem inuentum, ſed quartum tyrannidi ſocium additum.

III. *Præmiæ que la. & belli apparatus.*

ITAQVE res in bellum propendebant, & Cæſar captos aliquot piratas torſit, qui faſſi ſunt ſe à Pompeio ſubmiſſos, quod Cæſar populo euulgauit, & ipſi Pompeio per literas ſignificauit; ille ſe prius excuſato, de Peloponneſo querebatur. Sic totus hic annus in ſuſpicionibus, querelis, bellique apparatibus conſumptus eſt. Lepidus etiam ex Africa acceſſitus eſt, ſed ille non ſtatim paruit, inquit Dio. [b] Cæſar quoque Antonium Athenis euocauit Brundusium ad certam diem, vt de hoc bello cum eo conſilia conferret, ſimulque naues longas Rauenna, exercitum è [b] l. 48. p. 385. gr. lat.

Gallia, cæterumque apparatum propere acciuit Brunduſium, & Puteolos, Siciliam ab vtroque latere inuaſurus, ſi idem Antonio videretur. Qui venit quidem ad præſtitutam diem, ſed abſente Cæſare regreſſus eſt, ſiue id bellum contra fœdera improbans, ſiue Cæſaris apparatum metuens, qui eo cum paucis aduenifſet, ſemper enim ambo inter ſe ſuſpecti fuerunt, propter imperandi cupiditatem. Nec plura, vt arbitror hoc anno geſta, circa bellum Siculum.

IV. *Parthi rurſum in Syria vincuntur.*

DVM autem Antonius circa Italiam ac Græciam moras trahit, Pacorum regis Parthorum filium, cum magnis eorum copiis rurſus in Syriam irruentem, Ventidius fudit in agro Cyreſtico, qui ſcilicet ad Cyrum vrbem Syriæ pertinet, quam dicuntur Iudæi condidiſſe in honorem Cyri, à quo ſoluta fuerat eorum captiuitas. Ibi ſtrages ingens eſt edita, & inter primos Pacorus cecidit; rurſumque Parthi à clade ſub Craſſo accepta, intra Mediam, & Meſopotamiam repreſſi ſunt, tribus deinceps victi præliis; quos Ventidius amplius perſequi noluit, inuidiam Antonii veritus. Cæterum ciuitates quæ deſciuerant recipiebat, & Antiochum Commagenum oppugnabat incluſum Samoſatis. Quem pollicentem mille talenta, & facturum ſe imperata Antonii, iuſſit ad eum legatos mittere; iam enim non longe aberat, vt ab ipſo pacem acciperet, & Antonius aliquid egiſſe videretur.

V. *Antiochus Comagenus Samoſatis obſeſſus.*

SED cum diu duraret oppugnatio, obſeſſi ex deſperatione pacis ad fortitudinem verſi ſunt, & acriter reſiſtentes, Antonium trecentis talentis contentum eſſe coëgerunt: qui conſtitutis aliquantulum rebus Syriæ, Athenas rediit, honoratoque vt merebatur Ventidio, eum Romam ad triumphum miſit, quem anno ſeq. conſecutus reperitur in faſtis. Hæc Appianus ex Plut. in Anton. Verum ipſa deditio loci, quam vterque diu protractã dicit, poſt diſceſſum Ventidii facta videtur. Ioſephus hoc quoque anno Ventidium in Syria detinet, & auxilia Herodi duarum legionum, cum mille equitibus mittentem inducit; & potuit aliquanto tardius abiſſe in Italiam, qui extremo tantum Nouembri triumphauit, & interim Herodi opem tuliſſe.

VI. *Herodes latrones expugnat.*

PERGEBAT porro hoc anno Herodes iter ſibi ad Regni Iudaici poſſeſſionem munire. Itaque Silonis opera vſus, contra latrones in ſpeluncis degentes militem duxit, eiſque expugnatis, nouis auxiliis ab Antonio acceptis, duce quodam Machæra. Is cum male ſe gereret, nec pauciora Herodi quam Antonio damna inferret, exacerbatus Herodes, ſtatuit ad Antonium proficiſci, & querelas ad ipſum deferre. Verum Machæræ flexus precibus, eique reconciliatus, fratrem cum eo Ioſephum reliquit, cum mandatis ne prælio contra Antigonum ſe abſente decerneret. Ipſe interea properauit ad Antonium oppugnantem Samoſatam, ad Euphratem fluuium ſitam, ducens auxiliares tam pedites quam equites. Cumque multos Antiochiæ reperiſſet, qui cupientes adire Antonium, non audebant ſe committere itineri, propter barbaros vias obſidentes, ſe illis ducem præbuit; barbariſque ſemel iterumque ſuperatis, ad Antonium peruenit; ab eoque multo cum honore, & laude fortitudinis exceptus eſt.

Et Antonium adit.

VII. *Belli Comageni finis.*

ANTIOCHO autem paulo poſt id caſtrum dedente, & hoc pacto finito bello, Soſio prouinciam Antonius, cum exercitu tradidit, commendatóque ei Herodis negotio, in Ægyptum ipſe profectus eſt. Appianus tamen Athenas rediiſſe tradit; ſed vtrique repugnans Plutarchus in Antonio ait, eum Cleopatram in Syriam, puta Antiochiam, accerſiſſe per Fonteium Capitonem, eique, vt venit, immenſa dona elargitum eſſe. Phœniciam ſcilicet, Cœleſyriam, Cyprum, magnam Ciliciæ partem; adhæc Iudææ regionem, quæ balſamum gignit, & Arabiæ Nabathææ quantum ad Oceanum vergit. Iactans imperii Romani magnitudinem, non ex iis quæ caperent; ſed ex iis quæ donarent agnoſci poſſe. Id autem donum videtur ei elargitus, quod geminos ex illa vno partu liberos ſuſcepiſſet, filium quem vocauit Alexandrum, & filiam, cui Cleopatræ nomen dedit; filio autem addidit cognomen Solis, filiæ Lunæ

Antonius Cleopatrã in Syriam accerſit, eiq; dat prouincias totas.

Duos ex ea liberos ſuſcipit.

VIII. *Mors Ioſephi fratris Herodis.*

CÆTERVM Herodem quoque arbitror, cum Antonio Antiochiam veniſſe; cum iam duas legiones in Iudæam præmiſiſſet Soſius, ibi hyematuras, & primo quoque tempore contra Antigonum pugnaturas. Cum autem apud Daphnem Antiochiæ ſuburbium eſſet, nuncium de caſu fratris accepit. Is immemor mandatorum fratris, ad Hiericuntem profectus, ab hoſtibus circumuentus occubuit,

amiſſis ſex cohortibus. Antigonus Ioſepho præcidit caput, 50. talentis à Pherora fratre redimendum; quo facto Galilæi à ſuis præfectis deficientes, factionem Herodis in lacum demerſam necauerunt, multáque apud Iudæam hoſtiliter perturbata ſunt.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 4015.

I. N. II. Hoc bellum Dio libro quadrageſimo octauo ad ſequentes Coſſ. refert, nec in reliqua narratione cum Appiano plane conſentit; Sigonius an. Vrb. Cond. 717. ad Dionem accedit. Verum alia eſt Appiani ſententia: niſi enim in hunc annum referas, non poteſt ex Græcia, Atheniſque Antonius Tarentum reuocari. Sequenti enim anno in Syria videtur ſubſtitiſſe, eoque Cleopatram euocaſſe, vt ſignificat Plutarchus. Verum Appianus in Parthicis diſerte ait eum rebus Syriæ cōpoſitis, Athenas rediiſſe. Itaque ſatius eſt hoc totum bellum in annum ſequentem differre. Hunc autem impendere in occultis, piraticiſque excurſionibus. Videndus Appianus p. 716. 717. l. 5.

ANNVS MVNDI 4016. SEXTÆ ÆTATIS 501.

HYRCANI II. PONTIF. 38. IMPERII ROM. 11. OCTAVIANI, ET TRIVMVIRATVS 6. REGN HERODIS 3. ÆT. 35. PRÆSIDE SYRIÆ M. ANT. TRIVMVIRO; CLEOPAT. 13. OLYMP. 185. AN. 3. VRBIS COND. 715. COSS. APPIO CLAVDIO PVLCHRO, ET C. NORBANO FLACCO. BELLI CIVILIS 12. AN. IVLIAN. 8. SICVLI 3.

ANNVS ANTE CHRISTVM 37.

I. *Ratio temporis belli Siculi.* BELLVM Siculum ſuperiore anno diſſimulanter, occultéque, quaſi quibuſdam velitationibus inchoatum, & vtraque ex parte non ſegniter apparatum, hoc anno palam erupit, geſtumque eſt hoſtibus gemino prælio nauali concurrentibus; Ita tamen vt vtrobique victoria in Pompeium propenſior, quam in Cæſarem fuerit; pro Pompeio modo virtute, modo tempeſtate pugnante. Cæterum in hunc annũ hoc bellum cadere docet Dio, qui perſpicue ad hos Coſſ. id refert; docet & Appianus, qui hoc bellum in id tempus refert, quo prius quinquennium Triumuiratus ad exitum vergebat. Eſt autem hic quintus annus Triumuiratus, ſextuſque ſub anni finem tantum modo inchoatur.

II. *Defectio Menodori ad Cæsarē.* CVM bellum Siculum vtrimque maximo ſtudio, atque opere pararetur, non leue momentum rebus Cæſaris attulit Menodorus Pompeii libertus, cum eum inuiſum Pōpeio nobiles Romani, inuidia ſtimulante, reddidiſſent. Ad Cæſarem enim cum claſſis parte defecit, in qua tres legiones, multique eius amici militabant, ſimulque ei Sardiniam & Corſicam tradidit. Cæſar eum benigne exceptum è liberto ingenuum fecit, & claſſi quam adduxerat præfectum, Caluiſio claſſis præfecto, vt legatum ſubiecit.

Dat bello initium. Vt ſatis ſibi paratus viſus eſt nauigauit in Siciliam, ipſe Tarento mouens, Caluiſius autem Sabinus & Menodorus ab Etruria; exercitus quoque terreſtri itinere Rhegium petiit omnibus accelerantibus.

Nec prius Pompeius ſenſit transfugiſſe Menodorum, quam aduentante Cæſare.

Itaqve vtrimque imminente hoſtium claſſe, ipſe Meſſanæ expectauit Cæſarem; Caluiſio autem Sabino Proconſuli, & Menodoro oppoſuit, cum magna claſſe Menecratem libertum, Menodoro (eum Dio Menam vocat, ſicut & Velleius) infenſiſſimum: à quibus ancipiti quidem marte vtrimque pugnatum eſt, & licet mortuo Menecrate, Pompeianorum tamen potiores partes fuere. III. *Pugna naualis prior.*

Altera ex parte Cæſar Rhegii erat, cum claſſe inſtructiſſima, quem amici hortabantur, vt Pompeium, cum ſolis 40. nauibus deprehenſum inuaderet; quod ille recuſauit Caluiſium expectans, cuius vt detrimentum accepit, obuiam illi per fretum venit; cuius maiori parte enauigata, & iam Syllæis ſcopulis appropinquante, in eum Pompeius Meſſana progreſſus impetum fecit, modo poſtremas naues, modo primas fatigans incurſibus, Cæſare prælium in freto non admittente, iubenteque, vt omnes ſe ad littus reciperent, & in ſalo ſtarent in anchoris; arcerentque è prora ſi quis inuaderet. *Pompeius in Cæſarem impetum facit.*

Demochare vero, quem Menecrati ſubſtituerat Pompeius, binis nauibus in ſingulas inuehente, perturbatæ iam, & in ſaxa impingebant, & inter ſe collidebantur, replebanturque mari, & per ignauiam peribant, hoſte crebro in illas incurſante. Cæſar hoc rerum ſtatu è naui in ſaxa deſiliit, enatantes excipiens; Cum aliquot eius duces ſe ipſi exhortati ne inulti perirent, iniuſſu Imperatoris abruptis anchoralibus in altum euecti, cum hoſte congreſſi ſunt, & Democharis Prætoriam inſigni audacia iuuaſerunt, Demochare in aliam nauem exiliente. IV. *Et in littore affligit.*

Interea Pompeiani Caluiſium & Menodorum aduentantes conſpicati, ne feſſi contra recentes tenebris imminentibus pugnare cogerentur, retroceſſerunt, Cæſarianis, qui eos non animaduerterant, tota nocte cum ſaxis marique luctantibus, iis autem qui in terra, cum fame, rerum que omnium penuria; donec caſu ſuperueniens decima tertia legio Imperatorem quoquo modo refecit. Prima luce Caluiſius & Menodorus ad ſocios ſe adiunxerunt, tota die ac nocte inſequenti miſerandum in modum vento, fluctibus, æſtuque iactati, naufragii, damnorumque ingentium participes fuerunt, tantaque tempeſtate afflicti ſunt, quantam nullam indigenæ meminiſſent: donec appetente iam die remiſit ventus, ortoque ſole in vniuerſum elanguit. *Quem tēpeſtas quoq; diuexat.*

Cæsar maiore parte nauium virorumque amiſſa, Vibonem eadem nocte per mõtes properauit, dimiſſiſque vndique ad amicos nunciis, vt ſibi præſto eſſent, ne vt fit in rebus aduerſis, aliquot nouæ in eum exorirentur inſidiæ, copias quas circa ſe habuit, per Italiæ littora dimiſit, timens ne hac victoria elatus Pompeius Italiã inuaderet. Sed is improuide atque inconſulte victoria vti neſciuit, & reliquias naufragiorum incolumes abire permiſit, nec trepidantem Italiam variis in locis ſegnis inuaſit, præſertim fame populum rurſus vrgente, & bellum contra fœdera ſuſceptum inclamante, nec quidquam pecuniarum, quibus maxime egebat Cæſar, ſuppeditante. V. *Cæſar prudenter proſpicit rebus ſuis.* *Pompeius victoria vti neſcit.*

Cæsar autem ingenioſus & ſolers ad propria commoda, Mecenatem ad Antonium miſit, vt eum ad belli ſocietatem perduceret, quod ſi minus ſuccederet, ſtatuebat legiones onerariis in Siciliam tranſportare, ibique terreſtri marte decernere. Cum his curis auxio nunciatur, Antonium ſocietatem non recuſare; Agrippam Aquitanos egregie viciſſe, amicos, quaſdamque ciuitates, ei naues polliceri, atque fabricare. Quibus nunciis permotus in belli apparatum rurſus incubuit. Interea Menodorus partim ingenii leuitate, partim perpetua ſociorum obiurgatione victus, fortaſſis etiam clade Cæſaris incitatus, impetrata fide & venia, ad Pompeium iterum, cum ſeptem nauibus transfugit, nihil ſentiente claſſis præfecto Caluiſio: quamobrem Cæſar ablatam ei perfecturam in Agrippam tranſtulit. VI. *Cæſar Antonium ad ſe allicit.* *Et reualeſcit ad bellum.* *Menodorus ad Pompeiũ redit.*

Interea Antonius cum trecentis nauibus Tarentum appulit: nec tamen eius auxiliis Cæſar vti voluit, vel eum ſuſpectum habens, vel illi victoriæ gloriam inuidens. Verum Antonius quamuis id ægre ferrens, quia tamen legionibus contra Parthos egebat, claſſem cupiebat, cum legionibus commutare, Octauiaque interueniente iterum conciliati, mutua inter ſe fiducia certauere. Antonius Cæſari 120. naues Tarentum continuo miſſas tradidit: Cæſar ei 20. millia legionariorum, ex Italia ſe miſſurum pollicitus eſt. Octauia fratrem donauit decem Phaſelis trire- VII. *Antonij & Cæſaris ſimultas, & reconciliatio.*

mibus, Plut. habet 20. Myoparonas; Cæſar Octauiam mille ſelectis corporis cuſtodibus, delectu eorum Antonio permiſſo. Verum Cæſar in annum ſequentem expeditionem in Pompeium diſtulit. Plut. ait Cæſarem Siciliæ potiundæ ardore incitatum, confeſtim bello moliendo intendiſſe.

VIII. *Antonius in Orientē redit.*

Antonius in Parthos curſum intendit, Octauia relicta apud fratrem, cum communi filiola: vrgebat nimirum Cleopatra, quæ hominem dementauerat, ſeque illi vel belli comitem adiungere cupiebat. Sed quoniam Triumuiratus tempus, inquit Appianus, à Senatu præſcriptum deſinebat, prorogarunt ſibi ipſis poteſtatem in aliud quinquennium, nihil morati plebis ſuffragia, neque Lepidi, qui erat in Africa, expectato conſenſu. Non enim dubitabant, illum omnia rata habiturum. Triumuiratus inchoatus fuerat 5. cal. Decembr. anni 710. Itaque ſub finem huius anni ſeptingentiſimi decimi quinti finem accepturus erat; ſed illi antequam digrederentur à ſe inuicem, mature eam ſibi poteſtatem prorogarunt, deincepſque geſſerunt. *ἰλκχο*

Prorogatio Triumuiratus.

IX. *Ventidii de Parthis triūphus.*

Hoc anno P. Ventidius, quem M. Antonius de Parthis victorem, Romam ad triumphum dimiſerat, magna omnium approbatione de eiſdem triumphauit. Dio l.49. ſcribit Ventidium ab Antonio, ſtimulante inuidia, officio ſuo deiectum, neque ipſius opera vltra vti voluiſſe. Glorioſum eius triumphum duo maxime reddiderunt; hoſtis nobilitas. Parthi enim ab eo primùm multis prælijs victi, magniſque cladibus affecti ſunt, qui à Craſſi clade, terrori ſemper nomini Romano fuerant; idque hoc fuit admirabilius, quod eadem die qua Craſſus cladem acceperat, clades Parthis à Ventidio repoſita eſt. Alterum admirationi fuit, quod is qui pridem, anno V.C.664. in triumphum à Pompeio Strabone ductus fuerat, poſt annos 50. glorioſius eo ipſo à quo triumphatus fuerat, triumphabat. Vide ea de re A. Gellium,[a] Valer.Max.[b] Plin.[c] præter Velleium, Dionem, Plutarchum, & Appianum. Triumphus hic ponitur in Faſtis anno V. C. 715.5. calen. Decembris, vbi ſcriptum eſt, eum de Tauro monte, in quo ſcilicet rem egregie geſſerat, & Parthis triumphaſſe.

a l.15.c.4. b l.6.c.9. c l.7.c.42.

X. *Herodis expeditio ad vltionem fratris. Hoſtē vincit, fugatq; Dei in Herodem prouidentia gemina.*

Iam vero quod ad Iudæorum res huius anni pertinet, eas ex conſequenti Ioſephi narratione[d] petere poſſumus. Herodes enim fratris mortem vlturus, Antiochia digreſſus, ad mōtem Libanum accelerato itinere peruenit; & aſſumptis octingentis eius loci hominibus, ducens etiam vnam Romanam legionem, Ptolemaïdem petiit, vnde noctu profectus cum exercitu, per Galilæam progrediebatur. Ibi occurrentes hoſtes prælio vicit, & in caſtellum vnde eruptionem fecerant, compulit; ſuperueniente autem ab Antonio legione altera, qui caſtellum tenebant territi, noctu id deſeruerunt. Rex Hiericuntem progreſſus, cupiebat fratris mortem vlciſci; ibi diuinitus ereptus eſt, ne ruina triclinii, in quo fuerat conuiuatus, obrueretur: & inſuper eiuſdē Dei in eum benignitate, victoriam contra Pappum Antigoni ducem, ingenti hoſtium ſtrage conſecutus eſt, in eaque Pappi occiſi caput truncatum, Pheroræ, in vltionem Ioſephi fratris miſit, quem ille ſua manu interfecerat.

d l.14.c.27.

XI. *Rurſum tertia.*

Alteram nihilominus iterum expertus erga ſe Dei prouidentiam; quod cum eum domi tres milites nudum interficere potuiſſent, ex ea tamen domo ſibi metuentes profugerint, Herode intacto relicto. His autem lector fidem adhibeat, qua Ioſephum in huiuſmodi narratione dignum eſſe crediderit. Eadem habet ex ipſo Gorionides.[e]

e l.5.c.11.12

Herodes obſidet Ieruſalem.

Inde autem moto exercitu Hieroſolymam venit, & caſtra prope vrbem metatus eſt, anno tertio poſtquam Romæ declaratus Rex fuerat, ſic Ioſephus; cui vides conſentire chronologiam noſtram. Cæterum, vt ille ſub finem anni, vti ſupra diximus, Romæ declaratus eſt Rex; ita & ſub finem anni obſidionem inchoauit, quæ in ſequentem annum protracta eſt. Nam ad quinque menſes tenuit obſidio, vt ait Ioſephus,[f] vel etiam ſex, vt idem alibi[g] ait. Fuit porro expugnata tertio menſe anni ſequentis, vt ex eodem dicemus. Dum autē vrbs magna cura obſidetur, ipſe Samariam profectus eſt, ſiue ducturus in vxorem filiam Alexandri, neptem Ariſtobuli, ſibi iam deſponſam,[h] ſiue illic hyematurus, dum copiæ vndique colliguntur. Mariamnem autem, quæ erat regii generis Aſſamonæorum, ſiue Machabæorum, ducebat, vt Antigono mortuo, quod proximo anno contigit, tanto aptior apud Iu-

Duc't Mariamnem.

f l.1.de bel. c.13. g l.6.c.11. h l.14. Ant. c.27 ſi & l.1.de bel. c.13.

dæos ad regnandum cenſeretur: qui tertium iam annum Romæ nomen regis erat conſecutus.

Svb hæc tempora, neque enim annus diſtinctè tradi poteſt, antequam Herodes Antipatri filius, Iudæorum regno potiretur, regnante in Ægypto Cleopatra, in Perſide Caſopare (quem quidam Pacorum Parthum putant, qui non ſolum diſſimilitudine nominis & gentis; ſed etiam officii differunt; neque enim Pacorus vnquam regnauit, ei quippe pater eius Orodes ſuperuixit, vt in familia Parthorum docuimus) ſub hæc inquam tempora Mathan ſacerdos, cum ex Maria coniuge tres ſuſcepiſſet filias, Mariam, quæ nupſit in Bethleem, & peperit Salomon obſtetricem, Sobam, quæ in Bethleem genuit Elizabetham, matrem S. Ioannis Bapt. & Annam; Hæc hoc circiter anno nupſit in Galilæa, & peperit Beatiſſimam Virginem, vt tradidit S. Hippolytus Portuenſis Epiſcopus, apud Niceph.[a] Et confirmatur ex traditione, quæ habet D. Annam ipſos 20. annos in ſterilitate vixiſſe, ante quam Beatiſſ. Virginem pareret, quam Niceph. ex Euodio ſcribit anno 15. ætatis Chriſtum Dominum peperiſſe.[b] XII. *Ortus S. Annæ matris Beatiſſimæ virginis.*

a l. 1. c. 3.

b l. 2. c. 3.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 4016.

l. N. VII.

Plut. ait Antonium delationibus quibuſdam incenſum in Cæſarem, in Italiam veniſſe, quaſi cum eo bellum geſturum: amicitia vero redintegrata pactos fuiſſe inter ſe, vt duas legiones Antonio Cæſar ad bellum Parthicum daret, Antonius Cæſari naues roſtratas centum.

ANNVS MVNDI 4017. SEXTÆ ÆTATIS 502.

HYRCANI II. PONTIF. 39. IMPERII ROM. 12. OCTAVIANI, ET TRIVMVIRATVS 7. REG. HERODIS 4. QVI ET I. A POSSESSIONE REGNI, SIVE CAPTIS HIEROSOLYMIS, ÆT. 36. PRÆSID. SYRIÆ M. ANT. TRIVMVIRO. CLEOPAT. 14. OLYMP. 185. AN. 4. VRBIS COND. 716. COSS. M. VIPSANIO AGRIPPA, ET L. CANINIO GALLO. BELLI CIVILIS 13. SICVLI 4. AN. IVLIAN. 9.

ANNVS ANTE CHRISTVM 36.

CIVILE bellum, quod in Sicilia gerebatur, hoc anno ſummo ſtudio apparatum eſt, vt ſequenti anno, ſi quo modo fieri poſſet, debellaretur. Dio enim extremo l. 48. de Cæſare agens, per vniuerſam ferme Italiam, inquit, naues ædificabat, remiges primum ab amicis tanquam vltro conferentibus, deinde à reliquis etiam Senatoribus, equitibuſque, & plebeiorum locupletibus accipiebat, militum delectus agebat, pecuniam ab omnibus ciuibus, ſociis, ſubditiſque, & intra, & extra Italiam, contrahebat. Nauibus parandis & colligendis, exercendiſque remigibus, totus is cum ſequenti annus eſt conſumptus. Quod ſcilicet reliquum fuit anni præcedentis, à clade in Sicilia accepta, & totus præſens in quo Agrippa & Gallus Conſules fuerunt. I. *Cæſar bellũ Siculum diligenter apparat.*

Nam ſubdit; Cæſar hæc, & reliqua omnia, quæ & in Italia, & in Gallia fiebant, inſpiciebat, atque vti fierent mandabat, Agrippæ rei naualis apparandæ negotio dato. Nam in Gallia quoque rebellio facta erat, & Agrippam, Conſul is tum erat II. *Agrippa bene rem gerit in Gallia.*

Fit Nauarchus Cæſaris. Et triumphũ omittit.

cum L. Gallo, contra eos Gallos qui defecerant bellum gerentem euocatum, & triumphi honore affectum, claſſi fabricandæ, exercendiſque naualibus ſociis, militibusque præfecerat. Igitur Agrippa triumpho omiſſo, (turpe enim putabat eſſe, ſi re à Cæſare infœliciter geſta, ipſe exultaret,) omni ſtudio in mandatum ſibi munus incubuit, egregia ſtatione naualibus ad Cumas præparata. Hæc ferme Dio l. 48. qui etiam 49. ait eodem anno nihil memoratu dignum in Syria à Romanis geſtum eſſe; Nam Antonius, inquit, in Italiam eundo, & inde reuertendo totum annum exegit. Verum Dio ſine vlla dubitatione decipitur; eius enim profectio in Italiam, reuerſioque non ad hunc annum pertinet, ſed ad præcedentem; vt ex Appiano, & rerum ipſarum ordine perſpicuum eſt.

III. *Captam hoc anno Hieroſolymam.*

Cæterum hoc ipſo anno expugnatam à Romanis Hieroſolymam, & Antigonum ſecuri percuſſum, ex Ioſepho mox referemus; quin & bellum hoc anno contra Parthos redintegratum, eodem autore Dione ſatis conſtat. De Iudaicis ergo rebus, hæc fere habet Ioſephus.[a] *a l. 14. c. vl.*

Herodis copiæ contra eam.

Peractis Herodis & Mariammes nuptiis, venit Soſius per Phœnicem, præmiſſis per mediteranea copiis: venit etiam Rex à Samaria, cum magna acceſſione copiarum, vt triginta circiter millia numerarentur, omnes autem confluebant ad Hieroſolymorum mœnia, & aſſidebant Septentrionali vrbis lateri, ad vndecim legiones peditum, & ſex equitum millia, præter auxiliares Syrorum copias. Præerant autem duo cum imperio, Soſius ab Antonio, & in Herodis auxilium, & Herodes pro ſe ipſo, vt deiecto Antigono Populi Romani hoſte, ipſe regno ex SC. potiretur.

IV. *Iudæorum in propugnando diligentia.*

Ivdæi contra, multa cum fiducia pro Vrbe pugnabant, & crebris eruptionibus, aut prohibere commeatum, aut machinas igni corrumpere conabantur; verum abundante operarum frequentia, & fauente cœli temperie calida, erat enim æſtas, tres aggeres excitati ſunt, in quibus impoſitæ machinæ muros quatiebant, euertebantque, oppidanis ruinas impigre reparantibus, & cuniculis cuniculos eludentibus, & ſub terra ipſa certantibus. Verum paulatim fames domare cœpit obſeſſos, quod hæc oppugnatio in annum ſabbaticum incidiſſet. Imo ſabbaticus annus in ſequentem annum cadit. Quandoquidem, & Scriptura, & Ioſepho ipſo teſte,[b] annus regni Græcorum 150. fuit ſabbaticus, qui fuit annus Mundi 3892. ex quo neceſſario efficitur, vt quater milleſimus decimus octauus, qui ſequitur ſit ſabbaticus, ordine 205. Tot enim annorum ſeptenaria ad primum annum Ioſue reperiuntur.

b 1. Mach. 6. v. 20. 49. Ioſeph l. 12. c. 14. vide a m. 3892. n. 25. 26. & ſeqq.

V. *Expugnatio vrbis ex Ioſepho.*

Denique in mœnia Romanis certatim conuolantibus, primo ſecundoque muro captis, vrbs expugnata eſt, moxque omnia repleta ſunt cædibus, Romanis longa oppugnatione exacerbatis, & Herodianis aduerſam factionem funditus extirpare conantibus, nullo vel loci, vel ætatis diſcrimine. Antigonus deſcendit è turri, Soſioque ad genua procidit, qui nihil eius fortunam miſeratus, Antigonam contemptim appellauit, & in vincula coniecit. Herodes cohibuit milites à templi adytis; rapinas quoque pecuniarum largitione redemit.

Et Gorionide.

De vrbis inuaſione Gorionides;[c] Poſt hæc factum eſt, vt nocte conſurgerent viginti Iudæi ex militibus Herodis, & erigerent ſcalas ad murum, & aſcenderunt poſt eos milites Soſii, interim dum cuſtodes muri labore fatigati dormierunt. Cum autem aſcendiſſent, percuſſerunt cuſtodes: milites autem Herodis accurentes fregerunt portas, ſtupefactiſque ciuibus capta eſt Hieruſalem vrbs ſancta, & ingreſſi Herodes & Soſius vrbem præcuſſerunt ciues cæde magna atque atroci, non parcentes iuuenibus, virginibus, ſenibus, & mulieribus. Et indignatus Herodes cõtra duces Soſii ait ad Soſium, ſi gladius abſumpſerit omnem populum, vbi regnabo ego? *c l. 5. c. 21.*

VI. *Quo tempore contigerit.*

Ea clades, inquit Ioſephus, incidit in Conſulatum M. Agrippæ & Canidii Galli 185. Olymp. menſe 3.[d] feriis quibus ſolenne fit ieiunium, tanquam recurrente in idem temporis momentum, illata Iudæis à Pompeio calamitate. Nam & ab illo eadem die vrbs capta fuerat, ante annos viginti ſeptem. Sic ipſe reſpiciens ad ea, quæ ſupra dixerat,[e] captum fuiſſe templum tertio menſe die Ieiunii, 179. Olympiad. C. Antonio, & M. Tull. Cicer. Conſul. erat autem annus 2. illius Olympiadis, à quo, ad 4. præſentis 185. anni 27. aut potius 26. etiam vtroque extremo computato, numerantur. Quomodo autem hanc expugnationem ad ſequentis anni

d Gorió l. 5. c. 12. habet menſem quartum. e l. 14. c. 8.

Conſules

Conſules referat Torniellus, [a] ſane non intelligo: totis enim ſex menſibus res confecta eſt, priuſquam Gellius & Cocceius Conſulatum inirent, aut Agrippa & Gallus magiſtratu abirent. Nec minus fallitur Dio l. 49. cum ait Antigonum ſupplicio affectum ab Antonio, Claudio & Norbano Coſſ. id eſt anno præcedenti. Nimirum oppugnationis vrbis initium, cum expugnatione coniungit, quæ tamen ad diuerſos annos pertinent, vt diſtinctius ſupra ex Ioſepho notauimus. Sed reliqua de Antigoni nece, & fine regni Aſſamonæorum qui nunc adeſt, ex ipſo audiamus.

VII. *Supplicium Antigoni Iudæorum regis vltimi.*

Sosivs autem conſecrata Deo corona aurea, profectus eſt Hieroſolymis, Antigonum vinctum ducens ad Antonium. Herodes autem veritus ne in viuis aſſeruatus Antigonus, & Romam perductus ab Antonio, apud Senatum iure ſecum contenderet, docens ſe regio natum ſanguine, Herodem vero plebeium: & quod ſi ipſe propter offenſum Romanum populum indignus regno eſſet, certe filiis eius inſontibus regnum debeatur: hæc inquam timens multis pecuniis induxit Antonium, vt Antigonum tolleret; quo facto tum demum Herodes metu liberatus eſt. Et rurſum. [b] Cæterum Antonius accepto Antigono, volebat eum vinctum ſeruare ad triumphum; ſed vbi audiuit gentem ad res nouas ſpectare, & odio Herodis fauere Antigono, magis placuit apud Antiochiam eum ſecuri percutere; vix enim Iudæi poterant in officio contineri.

[b] c. 1. l. 15.

VIII. *Eiuſque cauſa ex Strabone.*

Eandem mortis cauſam ex Strabone Ioſephus ita confirmat. Teſtis eſt Strabo, ſic ſcribens. Antonius Antigonum Iudæum perductum Antiochiam ſecuri ſubiecit, Romanorumque primus affecit regem hoc ſupplicio, ratus non aliter poſſe adduci Iudæos, vt Herodem pro illo regem conſtitutum admitterent. Nam ne tormentis quidem adigi poterant, vt appellatione regis eum dignarentur; tanta apud eos fuit prioris regis exiſtimatio. Quare viſum eſt ignominioſa morte obſcurare eius memoriam, & lenire publicum Herodis odium. Hæc Strabo. Quem mirum eſt exiſtimaſſe, ignominioſo Antigoni ſupplicio, odium Herodis leniri potuiſſe; ea enim crudelitas & ignominia illi miſericordiam conciliabat, Herodi autem, in cuius gratiam à Romanis, pecuniis precibuſque eius deuictis, ea cædes perpetrabatur, maius odium accedebat. Sic Iudæi crudeli & ſeruili ſupplicio in Chriſtum Dominum illato, infamem illum atque odioſum ſe reddituros ſperarunt; qui factus eſt ex innocentia commiſeratione, & amore digniſſimus: ipſi autem iuſtæ execrationis obiectum.

IX. *Ioſephus Antigonũ accuſat ignauia.*

[c] l. 1. de bel. c. 13.

De mortis genere conſentit ſibi Ioſephus, [c] Et illum quidem, inquit, vana ſpe vitæ cupidum, vſque ad vltimum diem, ignauia digna ſecuris excepit. Ignauiæ quoque paulo ante accuſarat. Nam cum dixiſſet milites in vrbis expugnatione velut furentes omnem ætatem perſecutos. *Ibi tunc*, inquit, *etiam Antigonus, neque priorem, neque præſentem fortunam cogitans, domo deſcendit, ad pedes Soſii proſternitur. Ille autem nihil eum tantæ mutationis cauſa miſeratus, & intemperanter deriſit, & Antigonam appellauit: neque tamen etiam cuſtodia liberum dimiſit, vt fœminam, ſed vinctum aſſeruauit.* Ignauiam videlicet reputat, quod ſibi ipſe, Phaſaëlis exemplo, alliſo ad ſaxum capite vitam non abrupiſſet: Ethnicorum ipſe quoque opinione dementatus, vt alibi notauimus; ſed ſæpius in eundem lapidem inſipienter impingentem, ſæpius inſipientiæ accuſare par eſt, ne ſilentii, & diſſimulationis rei ſimus.

X. *Ipſe viciſſim accuſatur temeritatis.*

Palmarem videlicet ducebat fortitudinem Ioſephus, facinuſque generoſum ſibi ipſi manus afferre, & non furioſum potius, & omni pœna probroque digniſſimum; eoque maiore, quo is fuerat ante innocentior. Nam & ipſe iudicem ſe conſtituit in cauſa ſua, condemnatque, & tortorem agit, & extremo ſupplicio afficit alioqui innocentem, & naturæ iura, quæ poſſunt, cum quoquam mortalium eſſe antiquiſſima, violat; ſupremoque imperatori ac principi militem, ciuem, ſubditum, perfidus ac transfuga eripit, vt de iniuria Reipublicæ facta ſileatur. Ex quo apparet quantis ignorantiæ tenebris Iudæi, his temporibus circumfuſi viuerent, quando Ioſephus homo ſacerdos, vt ipſe gloriatur, facinus quos ius diuinum, humanum, naturale in ſupremo gradu violatur, generoſum putabat. Non aliter quam nuper Brutus & Caſſius, aliique tam multi Romani duces, in idololatria nati, atque educati.

XI. *Antigonus virgis ad palum caſus.*

CÆTERVM præter iſtam ſecurim dignam ignauia, vt Ioſephus amicus noſter putat, ſic enim quidam loquuntur, Dio virgis ad palum verberatum è Romano more agnoſcit. Antigonum, inquit, flagris cecidit, cruci alligatum, quod nemo alius Rex à Romanis paſſus erat, & poſt hoc etiam iugulauit. Plutarchus tamen in Antonio, Ioſepho conſentiens ſecurim memorat, virgas omittit. Forte quod eæ ex vulgari conſuetudine intelligerentur, quod maxime verum fuit in iis, qui nudi agebantur in crucem, vt ſanguis & vulnera illis inſtar tunicæ, aut veſtimenti eſſent; ſed in cæteris quoque id valuit. Stabant, inquit Liuius l. 2. deligati ad palum nobiliſſimi iuuenes. Coſſ. in ſedem proceſſere ſuam, miſſique lictores ad ſumendum ſupplicium, nudatos virgis cædunt, ſecurique feriunt: quod ex aliis quoque locis, ſcriptoribuſque intelligitur; etſi virgæ ſecuribus non ſemper iunctæ fuerunt. Sed de his ſatis.[a]

τὸν δ' Ἀντίγονον ἐμαστίγωσε, σταυρῷ προσδήσας, ὃ μηδεὶς ἄλλος βασιλεὺς ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων ἐπεπόνθει, καὶ μετὰ τοῦτο ἀπέσφαξεν. ἔπαισεν, a vide Sig. l. 3. de Iudic. c. 16.

XII. *Nũ in pugna caſus.*

EVSEBIVS in Chron. videntur ſignificare in pugna cæſum, cum ait, *Antigonus contra Iudæos dimicans tandem occiditur*; vel potius, vt recte vertit ex Græco Scaliger, *Antigonus occupato per vim Iudæorum regno*, nimirum opera Parthorũ, *poſt multa tandem prælia occiditur*. Male autem, quod idem ait eum non dimicaſſe contra Iudæos: quaſi vero ſoli Romani Hieroſolyma obſiderent, & Herodes non ſecum, præter eorum copias, 30. millia ex Samaria deduxerit, vt autor eſt Ioſephus.[b] Qui etiam ait omnia repleta fuiſſe cædibus, non ſolum Romanis longa oppugnatione exacerbatis, ſed Herodianis etiam Iudæis, conantibus aduerſam factionem extirpare funditus. Sed errat iterum, cum nimis audacter falſi Euſebium arguit: *falſum enim* inquit, *poſt multa prælia occiſum. Congreſſus ſiquidem ſemel, cum Herode* (annon id erat dimicare contra Iudæos? *& victus ac Hieroſolyma compulſus, & tandem expugnatus finem indignum rege, vt ait Ioſephus, habuit*; Sic ipſe.

b l. 14. c. 28

Euſebius contra Scaligerum defenditur.

XIII. *Plurima prælia Antigoni contra Iudæos.*

VERVM attentius legerat Ioſephum Euſebius, quam hic Emendator; inueneratque apud eum[c] per aliquot capita, plurima prælia inter Antigonum & eos, qui ex eius partibus ſtabant; & Herodem, cum ipſius fautoribus; vnum in foro, vbi hoſtis in templum compulſus eſt, quam pugnam quotidianæ velitationes ſunt conſecutæ; alterum in ſuburbio, vbi egregia pugna edita, coëgit Herodes multa millia aduerſariorum terga vertere: tertium in Herodio, vbi regiam condidit in monimentum victoriæ: quartum poſt reditum ex Italia, vbi Silonem ægre repugnantem, Iudæis profligatis ſeruauit. Quintum ad ipſam vrbem dum primùm obſidetur. Sextum ad Hiericuntem obſidione relicta. Septimum ad Arbelam; octauum in Galilæa, vbi Ptolemæus, qui ſtabat ab Herode, cum ſuis oppreſſus eſt: nonum iterum ad Hiericuntem, vbi Ioſephus Herodis frater occiſus eſt; decimum contra Pappum ducem Antigoni, quo in prælio, cum multa ſuorum cæde idem Pappus occubuit. Inde ſecuta eſt obſidio, ad ſextum fere menſem, in qua quotidiana prælia. Iudicet ergo veritatis amans lector, Euſebius ne, an Scaliger falſi arguendus ſit.

c à c. 24. l. 14 ad finẽ libri.

XIV. *Errat iterũ Scaliger.*

QVI errat præterea, cum ait Antigonum inuaſiſſe regnum Iudæorum excluſo patruo, Hyrcano ſcilicet, qui tum rerum potiebatur; ſed omnia per Antipatrum eiuſque filios adminiſtrabat. Verum Hyrcanus non fuit Antigoni patruus, ſed auus, pater ſcilicet matris eius Alexandræ, vt ex Ioſepho & noſtro Machabæorum ſtemmate perſpicuum eſt. Nam filia Hyrcani Alexandra, nupſit Alexandro patri Antigoni.[d]

d Ioſeph. l. 15. c. 2.

Quam longus Machabæorum principatus.

De fine porro regni Aſſamonæorum, hæc habet Ioſephus.[e] Atque ita (per mortem ſcilicet Antigoni) Aſſamonæi principatus deſiit, poſt annum 126. Quæ domus illuſtris fuit, & celebrata propter continuatum in ea gente honorem ſacerdotii, facinoraque maiorum egregia, quibus propugnauerunt Iudæorum Rempub. Verum hæc familia inteſtinis ſeditionibus agitata, amiſit imperium: adminiſtratio autem rerum peruenit ad Herodem Antipatri filium, plebeio natum genere, & ſubiecto regibus. Hæc ipſe. Verum quadriennio aberrat à veritate Ioſephus; Nam ab anno Antiochi Epiphanis 10. quo primũ anno Mathatias inclaruit; dux & Pontifex Iudæorum factus, vſque ad præſentem annũ, 130. numerantur: ab anno ſcilicet 3. Olympiadis 153. ad quartum centeſimæ octogeſimæ quintæ. Sic etiam ab anno V.C. 587. ad annum 716. etiam computatis extremis. Idemque ex annis quoque Mundi aperte conſtat.

e in fi. l. 14.

a l. 1. c. 6. 7 SIGNIFICAT porro Euſebius in chronico,& Hiſtoria Eccl. [a] & de Demonſtr. l. 8. hoc tempore impleri cœpiſſe antiquiſſimum illud vaticinium Iacobi Patriarchæ, de non auferendo ſceptro de Iuda, donec veniret Chriſtus Dominus; quod plane nunc ablatum eſſet ſceptrum de Iuda, cum ad alienigenam eſſet tranſlatum. Verũ hæc ſententia ponit, regnum ſiue principatum Iudæorum hactenus penes Iudæos fuiſſe, atque adeo ipſam tribum Iuda; quod probari non facile poteſt. Primo quia à 26. annis iam ſubditi erant, atq; tributarii Romanorum, à quibus per Syriæ præſides gubernabantur. 2. quia à 130. annis familia Machabæorum Iudæorum genti præſidebat, quam ad tribum Iuda minime pertinuiſſe certum eſt; ſed ad Leuiticam tribum, [b] & ægre oſtendi poteſt Mathatiam, aut Iudam, alioſque vxoribus de tribu Iuda fuiſſe coniunctos: quod ipſum vt vltro detur, non videtur ſatisfieri illis Prophetiæ verbis, *& dux de femore eius.* Nec tamen tyrannice dici poſſunt regnum inuaſiſſe, ad quod totius populi votis, vocibuſque vocati ſunt. Quo tamen toto fere tempore Syriæ regibus obtemperarunt.

XV. *An nunc ſceptrum ablatum de Iuda.*

1. *Videri etiã prius.*

2.

b 1. Mac. 2. 1

TERTIO, quia ab ipſo Alexandro magno, 292. abhinc annis regibus Græcorum ſubditi fuere, ſicut antea Perſarum à Cyro magno, 208. annis, quibus imperium Perſarum ſtetit, & vlterius annis ſeptuaginta Chaldæorum, vt iniuſſi, neque ex peregrino ſolo pedem efferre, neque templum ædificare, neque ciuitatem Hieroſolymitanam mœnibus cingere auderent. Itaque ſiue Iudæus fuerit Herodes, vt placet Torniello, ex Nicolao Damaſceno, quem refert Ioſephus, [c] ſiue Idumæus, vt pleriq; cum Ioſepho contendunt, ſiue Aſcalonita, quæ communiſſima ſententia eſt antiquorum patrum, & nominatim Africani apud Euſeb. l. c. & ipſiuſmet Euſebii, Origenis, Epipha. Ambroſii, Hieron. & aliorum multorum, quos ſecuti ſunt Baron. in Apparatu, & Serar. in Opuſ. quod de Herode ſcripſit, & cui nos ſuperius [d] ſubſcripſimus, non videtur poſſe oſtendi ſceptrũ Iuda non prius quã in Herode defeciſſe.

XVI. *Videri à Sedechiæ caſu ſublatum.*

3. *Quicunq; tandem fuerit Herode.*

c l. 14. c. 2.

d a. m. 3989 n. 12.

VT grauiſſimæ huic difficultati, pro modulo noſtro ſatis faciamus, conſentaneè iis quæ anno Mundi 2345. diſputata ſunt, cum certum ſit ex communiſſima patrum ſententia, hoc oraculum ad Chriſti Domini aduentum, eiuſq; tempus indicandum pertinere, vt temerarium plane ſit contra ſentire, oportet eam veritatem, quam probabiliſſime explicare, eiuſque obſcuritatẽ ex euentis illuſtrare. Quo enim modo res facta eſt, ita prænunciata eſt futura, ſi vere pronunciata eſt, quod de diuinis oraculis dubitari non poteſt. Euenta autem ipſa certiſſima, quæ maxima ex parte ex ipſa Scriptura eruuntur, aut ex indubitato hiſtoriæ omnium gentium conſenſu, docent non poſſe rigide accipi oraculum de regno Iuda, quo modo fuit à Dauide vſque ad Sedechiam. Ergo accipiendum eſt ita modificatum, vt veritati ſubſecutæ hiſtoriæ congruere poſſit. Præſertim cum Patriarcha non regem tantum in ſceptro ſignificarit, ſed dixerit etiam ducem.

XVII. *Explicatur Vaticiniũ Iacobi.*

DICIMVS ergo Patriarcham intellexiſſe, non defecturum ante Chriſti Domini aduentum, Principem Reipublicæ Iudaicæ, ſiue regni Iudæ, prout opponitur regno Iſraëlitico, quod fuit cæterarum tribuum, ex quo regnum Hebræorum, ſub Roboamo bipertito diſtractum eſt, quod multis ſeculis ante Chriſti Domini ortũ extinctum eſt. Cum tamen ad Herodem, vſque extiterint in regno & ſorte Iuda, Principes, qui Remp. Iudaicam adminiſtrarent. Nec obſtat, quod Iudæi iſti duces regibus, & Monarchis variarum gentium ſubiecti fuerint: nam neque vaticinium hoc huiuſmodi libertatem pollicetur; neque etiam Regum tempore illa immunitas viguit; ſæpe enim ac diu reges Iuda modo Ægyptiis, modo Aſſyriis, aut Chaldæis, & Babyloniis ſeruierunt. Manſit autem populus Iudaicus ſuis legibus, & inſtitutis vtens, etiam in Babylone, cum magiſtratibus & Iudicibus, & Pontificibus ſuis, qui vitæ ac necis haberent poteſtatem, vt ex hiſtoria Suſannæ liquet. Indeque ſub Monarchis Perſarum, Græcorum ac Romanorum duces habuerunt, & Pontifices in regno Iudæ, quorum meminit vnus ipſorum Nehemias, quoſque per ſingulos annos quantum licuit, ad hoc vſque tempus digeſſimus, & tributa pendendo potentioribus, in ſuo regno viuebant.

XVIII. *Regnum Iudæ ſub principibus alienigenis manſit.*

EX his aliiſque, quæ primo tomo diximus, à quibus ne nunc quidem diſcedendum putamus, facile obiectis fieri ſatis poteſt. Nam quamuis, ex quo ſubacti fuerant a Pompeio, Romanis & Syriæ præſidibus parerent, & antea regibus Aſiæ ac Syriæ, Perſarum quoque ac Chaldæorum, ſuum tamen regnum Iuda in ipſa Iu-

XIX. *Satisfit obiectis.*

Herodem non fuiſſe Iudæum.

dæ ſorte habuerunt, in eaque ſemper pontifices, quorum vt plurimum ſumma poteſtas fuit, ſæpiſſime duces, non raro etiam reges in Machabæorum familia habuerunt, à quibus gubernati ſunt, & in his ſceptrum Iudæ manſiſſe dicendum eſt. De Machabæis alio loco reſponſum eſt, eos ſceptro Iudæ contineri, quia ipſius regiæ tribus voluntate, electione atque conſenſu, & in ipſo Iudaico ſolo rerum potiti ſunt, vt propterea ipſa tribus Iuda regnare cenſeretur. Nunc autem primùm homo Idumæus, aut Philiſthæus, inuito populo Iudaico, tyrannica Romanorum potentia, armiſque, cum magna Iudæorum cæde, in regnum intruditur; & regnat dum veniat qui mittendus erat, qui erat expectatio gentium, Poſt cuius aduentum ilicet tribus, & regnum Iuda funditus interiit.

XX. *Confirmatur Herodis Aſcalonitæ genus.*

Illarvm porro ſententiarum, quæ de Herodis genere ſunt, nullam plane certam exiſtimo, omnes probabiles, vt quæ antiquis nitantur autoribus, neque Scripturæ, aut perſpicuæ rationi repugnent: communiori tamen ſententiæ de Herode Aſcalonita potius adhæſimus, quoniam à tot grauiſſimorum ſanctiſſimorumque patrum ſententia, ſine manifeſta ratione diſcedere, religioni ducendum videtur: præſertim cum Iuſtinus Martyr, (cuius loco mala fide abutitur Scaliger, vt recte docuit Serar.[a] & Africanus apud Euſebium,[b] hanc fuiſſe communiſſimam & indubitatam apud Iudæos ipſos, Chriſtianoſque ſententiam aſſeuerent. Et Iudæos quidem etiam doctores eorum, qui id in ſeria diſputatione admitterent; Chriſtianos autem, qui propter generis cognationem, quo Chriſto Seruatori coniungebantur δεσπόσυνοι, hoc eſt, ex Domini tribu, & familia orti nuncupati ſunt; eoſque dicat iſthæc tradidiſſe, πάντως ἀληθεύοντας; quamuis dubitet qua intentione ad ea recitanda mouerentur, ſtirpisne ſuæ venditandæ, an hiſtoriæ ſimpliciter docendæ;

a Io ci. c 6.
b l 1. c. 6 7.

XXI. *Repudiatur Iudaicum quod illi affingitur.*

Cæterum Damaſceni & Tornielli ſententia, quam omnes ſancti patres, omnes antiqui recentioreſque ſcriptores, mille iam & ſexcentis annis repudiarunt, & contempſerunt, non ægre refelli hoc ipſo poteſt. Niſi enim ille in Herodis gratiam vana de illius genere prodidiſſet, aut ſi vere ille genus duxiſſet à Iudæorum primatibus, qui in Iudæam venerant ex Babylonia, quid cauſæ erat cur ille genealogicas Iudæorum tabulas flammis addiceret, vt teſtis eſt Africanus apud Euſeb.[c] & D. Ambroſ.[d] cum iis tabulis, non minus eius genus, quod erat primarium, quam cæterorum, qui minorum gentium videri poterant, contineretur? Sed nimirum, vt ait Africanus, illorum ſtirpem nihil ad ſe pertinere, nihilque ad ſuam dignitatem illuſtrandā afferre adiumenti animaduertebat; Itaq; ſuæ ignobilitatis & obſcuri generis conſcientia exagitatus, Annales illos de generum & familiarum antiquitate incendit, arbitratus ſe nobilem viſum iri, cum nemo ſuum genus ex publicis illis monumentis depromptum ad Patriarchas, vel ad proſelytes, vel ad eos qui γειῶραι, id eſt terræ incolæ, vel cuſtodes, aut indigenæ qui cum Iſraelitis permiſcebantur.

c l. 1. c. 7.
d l. 3. in Luc.

XXII. *Refellitur ea de re Torniellus.*

At inquit Torniel. ſi Herodes fuiſſet Idumæus, homo audacia & ferocitate inſignis, Iudæos in Idumæorum ritus traducere conatus eſſet. Nam Ioan. Hyrcanus anno quinto Pontificatus ſui,[e] Iudæorum ad ritus tranſtulit Idumæos. Reſpondemus, etſi hæc nihil contra nos faciant, qui Aſcalonitam dicimus, non Idumæum, tamen oportere oſtendere Herodem, hominem impium, & quem Torniellus ipſe[f] fatetur ſtudio adulandi Auguſto, à patriis inſtitutis deflexiſſe, paternorum rituum vel auitorum, qui iam ab 94. annis antiquati fuerant, valde æmulatorem fuiſſe. Nec zelus mouet homines quos vocant politicos, regni magis quam religionis amatores, vt religionis cauſa res nouas moliantur; vt patet in illo ipſo Coſtobaro, quem refert Torniellus,[g] qui prætextu religionis vtebatur ad inuadendum Idumæam; ſic Herodes etiam venturus erat Bethleem, vt nouum regem adoraret. Nec facile inuenias ex alienigenis, aut ethnicis ortos, qui ethnicos ritus æmulentur, ſicut Iudæi. Certe quantopere zelatus fuerit Iudaicos ritus, aut diuinam legem curarit, vel ex templis in honorem Cæſaris, quaſi Dei cuiuſpiam erectis, intelligi poteſt, qua de re author eſt Ioſephus pluribus locis.[h] Quod autem Herodes milites arcuit ab adytis templi, templumque Hieroſolymis excitauit, operamq; dedit, vt in Ioniæ vrbibus ſui ritibus patriis viuerent, id non prodit hominem genere Iudæum, quod probandum erat; ſed profeſſione & cultu externo; alioqui quidquid honoris, donorum, & religioſi cultus delatum eſt olim Hieroſolymitano templo ab Aſiæ regibus,[i] probaret eos genere fuiſſe Iudæos.

e a. V. C. 629 nu. 1.
f a. m. 4031. n. 2.
g ex l 15 ant. c. 11.
h l. 15 c. 12 & maxime l 19 c 7. Ille enim malitiolus &c.
i 2. Mac. c. 3 2. 3.

XXIII. *Nec obſtat Antipatri potentia.*

Alterum eius argumentum, Antipatrum Herodis patrem, niſi Iudæus fuiſſet, non habiturum tantum virium ad conſpirandum contra Ariſtobulum, per infirmum eſt. Quis enim ignorat ad quantam potentiam ſerui, eunuchi, liberti aſcenderint, apud dominos & principes ſuos? nonne hoc ipſo tempore Menas, Menodorus, Demochares liberti Sexti Pompeii magnarum claſſium præfecti facti ſunt? & Ventidius è vili famulatu ad Præturam, Conſulatum, Pontificatum, curruſque triumphales euectus eſt? nonne Ieroboam ſeruus Salomonis, maximam regni partem filio Domini ſui abſtulit, & in ſe tranſtulit? quidni Antipater regnum trāſferret ad Hyrcanum hominem mitem, atq; moderatum, cui iure naturæ debebatur?

XXIV. *Aut credita Herodi Idumæa.*

Illa quoque infirma ſunt, Reges Iudæorum non credidiſſent ei regnum Idumæorum gubernandum, niſi fuiſſet Iudæus, nec ei Pontifex Hyrcanus neptem ſuam Mariamnem dediſſet vxorem. Reſpondeo vtrumque ſimillimo exemplo refutari, ex Ioſepho.[a] Erat inquit, Coſtabarus vnus inter primates Idumæorum; hunc Herodes, quamprimum regnum adeptus eſt, Idumææ ac Gazæ præpoſuit, data in matrimonium Salome ſorore ſua &c. An Herodes non ſatis cautus erat regni cuſtos? aut quomodo ſi Iudæus erat, ſororem Idumæo dabat? an eam ob rem quiſquam Phariſæorum obſtrepuit, aut reclamauit? aut reclamans exauditus eſt?

Vel data Mariamne

Vel eiuſdē potentia.

Firmius videtur quod ſequitur argumentum. Herodes diu regnum Iudæorum tenuit, ergo Iudæus fuit non Idumæus; alioqui quomodo verum eſſet illud, *Maior ſeruiet minori*? Reſpondeo regnum Herodis modico tempore duraſſe, habita ratione tot annorum, imo ſeculorum, quibus Iudæi dominati ſunt Idumæis. Et hæc vtique mens oraculi fuit. Alioqui Eſau multo Iacobo potentior, atque honoratior fuit.[b] Verum hoc argumentum minus etiam valet contra eos, qui illum alienigenam fuiſſe contendunt, quibus Iudæi magna ex parte ſubditi fuerunt, vt paulo ante docebamus.

XXV. *Vel Herodianorum Hæreſis.*

At Herodiani, qui eum Chriſtum & Meſſiam eſſe dicebant, Iudæum quoque dicebant. Sed iſti non inuiti, neque apud inuitum adulando mentiebantur; ſicut Nicolaus ille Damaſcenus, quem eius criminis Ioſephus accuſat. Verum eodem argumento probari poſſet Herodem fuiſſe de regia ſtirpe Dauidis. Nam Chriſto Domino rogante, cuius filius eſſet Chriſtus, incunctanter dixerunt eſſe Dauidis. Reſpondet autem Epiphan. illos hæreticos Herodianos vanos fuiſſe, atque hypocritas, deceptos illo Iacobi Patriarchæ dicto, *non auferetur ſceptrum de Iuda* &c. Quin etiam, ſi diligentius Epiphanium legimus, affirmabant iſti Herodem eſſe alienigenam. Quamobrem inquit, quod ex aliena ille gente regnare cœperat, cum hactenus à Iuda & Dauide regnum, atque ex Iudæ ſtirpe principes, ac Patriarchæ perſtitiſſent, quod inquam imperium in externum hominem tranſlatum fuerat, idoneum illis viſum eſt erroris argumentum, vt Herodem eſſe Chriſtum arbitrarentur; quod ex illo Scripturæ loco conſequens videbatur, non deſinet Princeps è Iuda donec venerit, cui reſeruatum eſt. Vt eo ſenſu ſit accipiendum, quaſi Herodi reſeruatum eſſet: deſierunt enim, aiebant, illi. Porro iſte de Iudæ genere non eſt, ac ne omnino quidem Iſraeliticæ gentis, huic ergo Chriſto eſſe reſeruatum fuerat. Hæc ibi.

XXVI. *Vel Syrorū confeſſio.*

His addit Torniellus confeſſionem Syrorum habitantium Cæſaræ. Illi enim iurgantes de iure ciuitatis, cum Iudæis, faſſi ſunt eius conditorem Herodem, fuiſſe genere Iudæum, vt eſt apud Ioſephum.[c] Reſpondeo nomen Iudæi late aliquādo ſumi pro Hebræis, & deſcendentibus ab Abraham, prout opponitur Græcis, alienigenis, & gentilibus: & ſic acceptum hoc loco, comprehendit Idumæos, qui erant filii Eſau fratris Iacob; cum Syri eſſent plane alienigenæ, ſicut Ægyptii, Philiſthæi, Moabitæ &c. Sic Ioſephus Iudæos Græcis opponit,[d] & D. Paul.[e] cum ait, non eſt Iudæus, neque Græcus,[f] & alibi paſſim. Fuit autem Herodes Iudæus religione, educatione Idumæus, origine autem Philiſthæus.

XXVII. *Aliud arg. ex Iacobi oraculo.*

Svperest aliud argum. Illa verba Prophetiæ Iacob Herodi, vt figuræ Chriſti recte conueniunt, *Catulus Leonis Iuda, ad prædam fili mi aſcendiſti*, & quod ibidem ſubditur, Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius &c. facilem habebit expoſitionem, ſi dicatur Herodes de tribu Iuda. Nam ſub eius mortem ſublatum eſt ſceptrum de Iuda, & venit Chriſtus Dominus, qui mittendus erat. Etſi enim ante crebro ſceptrum de Iuda ſublatum fuerat, nunquam tamen niſi ad

a l. 15. c. 11.
b Gen. 32. 33
c l. 20. c. 6
d l. 19. c. 7.
e Gal. 3. 28.
f & Ro. 10. 12. 1. Cor. 12. 13.

tempus aliquod, & non in perpetuum ſublatum fuerat, vt Herode iſto mortuo. Denique ſic licet argumentari. Veniente Chriſto ablatum eſt ſceptrum de Iuda, ergo erat in Iuda; erat autem in familia Herodis, igitur Herodis familia erat Iudæa. Priuatio enim ſupponit habitum; nec priuari ſceptro poteſt, qui ſceptrum non habet.

XXVII. *Aliud arg. ex Iacobi oraculo.*

Verum Torniellus ipſe eodem fatetur loco Cyrum, hominem Perſam Iſaiæ 45. figuram eſſe Chriſti Domini; & ſicut Iacob Iudam vocat filium ſuum, ſic Dominus Cyrum Chriſtum ſuum. Nec illa compellatio filii ad genus pertinet, magis quam cum Salomon dicit. *Audi fili mi diſciplinam patris tui; fili mi, ſi te lactauerint peccatores, fili mi ne ambules cum eis: fili mi auſculta ſermones meos.* &c. ſic dicuntur filii Prophetarum, qui ad eorum diſciplinam ſe aggregant, vt Herodes ad Iudæorum ritus. Quod autem dicitur ſublatum Herode mortuo, ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, certe conſtat ex ſcriptura ipſa & Ioſepho, in filiis & nepotibus Herodis, duces, tetrarchas, reges ad plurimos annos inueniri. Nam teſte Ioſepho,[a]

XXVIII. *Nil Herodem inuari illo vaticinio.*

Claudius Imperator Agrippam filium Agrippæ in patris ſui regno conſtituit; id factum anno Chriſti Domini 50. autor eſt Baron. qui vſque ad excidium Hieroſolymorum regnum tenuit, vt ex Ioſepho[b] intelligitur, Chriſti ſcilicet anno circiter ſeptuageſimo. Dicendum igitur, iuxta ea quæ ſupra diximus,[c] regnum fuiſſe in Iuda veniente Chriſto, quia regnum in Iudæa fuit, & regem habuit profeſſione Iudæum, licet non gente, atque origine; Inde autem paulatim, id regnum defecit, donec plane concidit, atque extinctum eſt. Sicut autem aduentus Chriſti, ſic defectio regni moraliter accipienda, nec ad vnum diem, vel annum coarctanda eſt: & Herodes ſuis Idumæis, aut potius Aſcalonitis relinquendus.

[a] l. 2. de bel. c. 11.

[b] l. 5. de bel. c. 6.

[c] n. 17. & 27

XXIX. *Initia regni Herodis cruenta.*

Qvo autem modo ſe geſſerit Herodes captis Hieroſolymis, ex Ioſepho[d] ſatis liquet. Illa ſunt præcipua, Antigoni cædem pecuniis, muneribuſque apud Antonium, eiuſque amicos impetrauit; prætextu quidem ſedandi populi, re autem ipſa, æmulum ſuum tollendi gratia, & ſe metu amittendi imperii liberandi, quo metu ad mortem vſque fatigatus eſt. Præterea omnem regiam ſupellectilem in vnum congeſſit, à diuitibus quoque ablata, & collecta magna vi auri & argenti, totum id Antonio, eiuſque amicis donauit; plebem, quæ ſibi antea fauerat, viciſſim promouit, aduerſæ autem factionis homines quotidianis abſumebat ſuppliciis. Interfecit etiam 45. primates ex factione Antigoni, appoſitis ad portas cuſtodibus, qui etiam cadauera ſcrutabantur, nequis eorum efferretur pro mortuo, & quidquid auri aut argenti inueniebatur, id totum ad regem referebatur, nec vllus finis malorum aderat. Nam bona eorum auaritia Domini egentis abſumebat, & agri inculti manebant, propter tempus anni ſabbatici, quo nobis non eſt fas ſerere, inquit Ioſephus; iterum confirmans quæ de anno ſabbatico[e] dixerat. Torniellus tamen annum ſabbaticum merito nobiſcum in annum ſeq. differt.

[d] l. 15. c. 1.

[e] l. 14. c. vl.

XXX. *Res Parthorum huius anni.*

Porro ſparſus de nouo Iudæorum rege nuncius in Parthiam quoque peruenit, qui deſiderium reuiſendi patriam Hyrcano iniecit, vt ſeq. anno dicetur. Quæ autem apud Parthos his Conſulibus geſta ſint, quoniam ea paucis à Dione l. 49. traduntur, & ad bellum ab Antonio contra ipſos geſtum in primis pertinent, paucis expediemus.

Phraatis diræ ſæuitias in ſuos.

Orodes Rex Parthorum, cum & ſenectus eum, & Pacori luctus conficeret, viuus adhuc regnum Phraati, filiorum ætate maximo tradidit; Is regno accepto omnium ſe mortalium ſceleratiſſimum exhibuit; Nam & fratres ſuos ex Antiochi (Commageni opinor, idque ex Dione colligitur) filia natos, quod ſe & virtute, & materno genere præſtantiores eſſent, dolo necauit, & Orodem ipſum indigne id ferentem occidit, ac poſt etiam nobiliſſimum quemque.

XXXI. *Multi ab eo deficiũt.*

Præterea tam multa flagitioſe egit, vt primorum permulti ab eo partim alio, partim ad Antonium conceſſerint; in quibus fuit Monæſes; Euenit hoc Agrippa & Gallo Coſſ. Sic Dio l. 49. De Orodis autem luctu, aut furore potius ita Iuſtin. l. 42. Orodes pater Pacori, qui filium Romanorum victorem gloriabatur, (& ope Labieni vicerat) repente filii morte, & exercitus clade audita, ex dolore in furorem vertitur. Multis diebus non alloqui quemquam, non cibum ſumere, non vocem mittere, ita vt etiam mutus factus videretur. Et mox; poſt longum deinde luctum, alia ſolicitudo miſerandum ſenem inuadit, quem ex numero 30.

filiorum in locum Pacori regem deſtinet. Multæ pellices, ex quibus generata tanta iuuentus erat, pro ſuis quæque ſolicitæ, animum ſenis obſidebant. Sed fatum Parthiæ fecit, in qua iam quaſi ſolenne eſt reges parricidas haberi, vt ſceleratiſſimus omnium, & ipſe Phraates nomine rex ſtatueretur.

Itaqve ſtatim quaſi nollet mori, patrem interficit, fratres quoque triginta trucidat: ſed nec in filiis ceſſant parricidia. Nam cum infeſtos ſibi optimates, propter aſſidua ſcelera videret, ne eſſet qui nominari rex poſſet, adultum filium interfici iubet. Sed de Orodis morte diſtinctius Plutarchus in Craſſo, ex quo Appianus in Parth. Orodi, inquit, poſt cæſum à Romanis in prælio Pacorum filium, laboranti morbo intercutis, Phraates filius aconitum miſcuit, quod cum morbi vis per aluum deieciſſet, adeo vt Rex inde haberet ſe melius, Phraates omiſſis veneficiis, vſus compendio præfocauit hominem. Hæc Appianus. XXXII. *Etiam patrem interficit, & 30 fratres.*

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 4017.

I. N. VI. Alterum enim extremum male numeratum eſt. Nam ſi quis exactius annos menſeſque computet, annos tantum ſex & viginti reperiet. Si enim Hieroſolyma capta eſt a Pompeio, anno Vrbis Conditæ 609. menſe Iunio ſi placet, menſe Iunio anni ſexcenteſimi nonageſimi primi, annus vnus erit abſolutus, ergo anno ſeptingenteſimo decimo ſexto, eodem menſe & die, 26. anni vertentes reperientur, non 27. vt Scaliger quoque notauit lib. 5. Emend. & Dechet. annot 3. in tab. Corrigendus eſt quoq. Caſaubonus in exercitatione prima numero tertio. Cum Herodi, inquit, regnum à Romano Senatu eſt delatum, autoribus Antonio & Auguſto, annus iam agebatur vigeſimus octauus à capta vrbe per Pompeium. Id qui verum eſſe poteſt, cum à Conſulatu Ciceronis & Antonii, ad Domitii & Pollionis Conſulatum, (qui termini à Ioſepho poſiti ſunt l. 14. c 8. & 26.) 4. tantum & 20. anni numerentur, etiam computato vtroq extremo.

I. N. XX. Nam quod Africanus apud eundem Euſeb. li. 1. ca. 7. hiſt. Eccleſ. eam hiſtoriam μὴ ἐμμάρτυρον appellat, non vult nullis plane firmatam teſtibus, vt putat Caſaubonus in Exercit. 1. Nam ibidem affirmat Africanus iſtam genealogiam ex libris Annalibus depromptam, ex quibus ſibi indices conficiebant, quos memoria retinebant: ſed fatetur eam carere, aut Scripturæ, aut peculiaris alicuius ſcriptoris teſtimonio, aut potius reſpicit ad illud, quod paulo ante dixerat, iſtos Annales Herodis inuidia, incendio conflagraſſe, ex quo factum ſit, vt illi ipſi Annales, qui ea de re teſtimonium ferant, conſuli non poſſint. Deinceps autem tot pene teſtes habuit, quot ſcriptores, eoſque Græcos, Latinoſque omni exceptione maiores. Quod autem Africanus ait. *Igitur ſiue hæc ita ſe habeant, ſiue aliter, planiorem certe explicationem nemo inueniat, vt equidem puto*, non credidit propterea inter dubiæ fidei narrationes hanc quoque habendam eſſe; quippe qui ſtatim ſubdat, vt ille idem Caſaubonus recitat, nullam ſe poſſe, aut meliorem, aut veriorem afferre; & poterat vtique Ioſephi afferre opinionem, viro eruditiſſimo minime profecto ignotam; nec Nicolaum Damaſcum ignoraſſe credibile eſt, ſed quod hanc omnium veriſſimam arbitraretur. Illa autem verba, *ſiue hæc ita ſe habeant, ſiue aliter*. Phraſim habent Græcis ſcriptoribus ſæpe vſitatã, vt nõ ſemel in Ioſepho notauimus: eaque vſurpari recte poteſt in rebus, quæ fide humana duntaxat, non diuina nitantur: quanquam Ioſephus etiam in diuinis vſurpat. Nam lib. Antiquit. cap. 12. εἰ δέ τις ἄλλως δοξάζειν βούλεται περὶ αὐτῶν, ἀνέγκλητον ἐχέτω τὴν ἐπιγνωμοσύνην, & tamen agebat de Vaticiniis Danielis L. 3. Ant. c. 10. vbi agit de lepra per calumniam Moyſi afficta ab Ethnicis. Qua re, inquit, manifeſtum ſit, quod hæc per inuidiam de nobis fingantur. Moyſes enim purus ipſe, & inter puros degens, ad honorem Dei talium legum (contra leproſos) autor eſſe voluit: ſed hæc quiſque ita, vt libitum fuerit, accipiat ταῦτα μὲν περὶ μὲν τούτων ἕκαστος ὡς αὐτῷ δοκεῖ σκοπείτω, num his verbis ſignificat Ioſephus ſibi parum liquere, an Moyſes leproſus eſſet, necne? Sic ergo loquitur Africanus modeſtiæ cauſa, ſignificans ſe contra ſentientes damnare nolle temeritatis, erroris, vel ignorantiæ; ſed eos in ſua ipſorum opinione relinquere: cum tamen ipſe profiteatur nullam ſe aliam, aut meliorem, aut veriorem exiſtimare. Atque hunc vnum mihi Africani locum, ne ſim longior, neue falcem in meſſem alienam immittam, contra Caſaubonum explicaſſe, atque communi ſententiæ aſſeruiſſe ſufficiat. Ex quo ſtatuere poſſint æqui iudices, vtrum ſit ſatius Sſcriptoribus numero plurimis, antiquitate venerandis, & pleriſque eorum ſanctitate clariſſimis fidem habere: an Ioſepho, cuius hiſtoria innumeris locis, vt hactenus, vel ex ipſa Scriptura ſacra demonſtrauimus, mẽdacii aperte conuincitur. Cæterum Ioſepho, diſſimulandi vile & obſcurum genus Herodis, cauſa ſatis idonea eſſe potuit, ne huiuſmodi dedecus, atque ignominia in Iudæorum genus redundaret, quod ex primaria ſua intentione illuſtrat, quantum poteſt.

ANNVS MVNDI 4018. SEXTÆ ÆTATIS 503. IMPERII ROMANI 13. OCTAVIANI, ET TRIVMVIRATVS 8. Herodis Regis 2. qui & 5. ætatis 37. Hyrcani Pontificis 40. Præside Syriae M. Antonio. Cleopatrae 15. Olympiadis CLXXXVI. an. 1. Vrbis Conditæ 717. Coss. L. Gellio Poplicola, & M. Cocceio Nerva. Belli Ciuilis 14. Siculi 5. Annus Iulianus 10. Belli Parth.

ANNVS ANTE CHRISTVM 35.

I. *Res anni huius.*

MVLTA de rebus Syriacis, Parthicis, Siculiſque, quæ in hunc annum cadunt, à Ioſepho libro decimo quinto, à Dione libro quadrageſimo octauo, Appiano in Parthicis, Ciuilibuſque traduntur; è quibus præcipua quæque de more delibanda ſunt, ducto à Syriacis, ſiue Iudaicis initio, apud quos annus Sabbaticus ordine ducenteſimus quintus actus eſt, vt ſuperiore anno probatum eſt; qui fuit etiam primus Olympiadis 186. in qua Scamander Alexandrinus ſtadii palmam tulit.

Hyrcanus in Pontificatu perſeuerat.

Et primum eundem Hyrcanum retinemus pontificem, quamuis exulem, quamuis corpore mutilatum, & quod erat conſequens, à pontificiis muneribus ſuſpenſum. Etſi enim ea deformatio prohibuiſſet hominem à pontificia dignitate ſuſcipienda, vt patet ex Leuit. 21. non tamen promotum, ſine ſua præſertim culpa, deiiciebat, ideoque populus eum tanquam verum pontificem colebat, & reuerebatur, vt mox dicetur, & in eius locum ſubſtitutus Ananelus, aut Ariſtobulus, quandiu ille in viuis fuit, Vicarius potius, quam pontifex fuit. Vitam autem produxiſſe vſque ad peractam pugnam Actiacam, ex Ioſepho ſuo loco dicemus, qui eum deinceps, non ſolum pontificem nominat, ſed eius, quaſi pontificis, annos ad mortem vſque numerat; cum in eodem libro decimo quinto capite nono dicat eum, poſtquam Pompeii ope reſtitutus eſt, receptis omnibus honoribus, quadraginta annos in eis exegiſſe: qua de re exactius in eius morte dicendum erit. l. 15 c. 9.

II. *Bene habitus Babylone.*

HYRCANVS ergo Pontifex, vt inquit Ioſephus, captiuus apud Parthos erat, l. 15. c. 1. & 2. quem Phraates Parthorum Rex, propter claritatem generis, comiter habuit, & vinculis ſolutum permiſit Babylone degere, vbi magna erat Iudæorum frequentia; hi non aliter quam pontifici, ac Regi Hyrcano, honorem habebant; nec hi ſolum, ſed quantum Iudæorum vltra Euphratem habitabat, ita vt non admodum præſentis cum fortunæ pœniteret.

Reditum in patriam cupit.

Sed poſtquam reſciuit Herodem ad regiam dignitatem euectum, ad nouam ſpem animum tranſtulit, gratiam ab Herode expectans, quem aliquando de capite periclitantem in iudicio ſeruaſſet, quiq. omnino de tota Antipatri familia præclare meritus eſſet. Cœpit ergo cum Iudæis, eum officii cauſa adeuntibus, de profectione conſultare; qui tamen prudentibus monitis non potuerunt Hyrcano eximere patriæ deſiderium.

III. *Quem Herodes obtinet.*

PRÆSERTIM cum Herodes quoque, qui miſerum ſenem in poteſtate habere cupiebat, ei ſcripſiſſet, rogaret Phraatem, & eius regni Iudæos, ne ſibi inuiderent communem cum Genero futuram poteſtatem: nunc enim adeſſe tempus referendæ ſuo quondam & altori & ſeruatori gratiæ: quam mox illata nece reddidit. Vides hominis hypocriſim, ingratamque perfidiam, quibus perſpicue confirmes illud. *Renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum.* [a] Itaque reditum impetrauit,

[a] Vide Gorion. l. 5. c. 13.

Ananelvs fvtvrvs pontifex.

& dimiſſum à Partho, & ab illis Iudæis viatico honorifice adiutum cum excepiſſet, in ſummo honore habuit: primumque in conuentibus locum ei tribuendo, & in conuiuiis ſemper honoratiorem cedendo, patremque appellitando, lactabat hominem, quo minus ſuſpicaretur inſidias.

IV. *Datque Ananelo Pontificatũ*

Hyrcanvm tamen Herodes pro pontifice non habuit, propter aurium detruncationem, ſed alterum in eius locum ſubſtituit, & quidem hoc anno, vt arbitror: non enim poterat templum Hieroſolymitanum, ſine totius populi offenſione, diutius carere Pontifice. Ea de re, ita pergit Ioſephus. Quin & aliis artibus procurabat, quidquid putaret ſibi ad ſtabiendum principatum conducibile; vnde tamen domeſticæ ſeditionis enata eſt occaſio. Cauens enim ne quis illuſtrium crearetur pontifex, accito Babylone non obſcuri generis ſacerdote Ananelo, huic ſummum ſacerdotum dedit, in Græco eſt τῶν ἀσημοτέρων ignobiliorum, opponit enim εἰς ἐπισήμους illuſtribus, quos paulo ante dixerat. Et Gorionides libro quinto capite decimo quinto ait Herodem tradidiſſe pontificatum vni ex ignobilibus ſacerdotibus, Ananelo, qui non fuit de genere Aſmonæorum, vt propterea corrigendus videatur Nicephorus Callixti, qui eum negat fuiſſe ſacerdotalis generis: cum Ioſephus dicat illum fuiſſe pontificii.

V. *Quale hominis genus.*

Itaqve quomodo Ananelum hoc loco dicat τῶν ἀσημοτέρων ἱερέα, non intelligo, cum initio cap. ſeq. dicat eum quidem peregrini generis fuiſſe, vtpote natum ex Iudæis olim vltra Euphratem traductis per Aſſyrios, extitiſſe tamen ἀρχιερατικοῦ γένους à pontificibus oriundum, & Herodi familiariter notum; certe cõſtat nihil fuiſſe apud Iudæos illuſtrius regio & pontificio genere. Apparet autem Ananelum iſtum Babylone in Iudæam cum Hyrcano honoris cauſa fuiſſe profectum: forte etiam nominatim ab Herode euocatum, quandoquidem Ioſepho teſte, erat illi familiariter notus, vt pontificis loco miniſtraret, vtique in ſpem futuri pontificatus poſt Hyrcani mortem. Quomodo autem hæc pontificia dignitas collata Ananelo, zelum Alexandræ ſocrus Herodis accenderit, & ad quæ fœminam pro filio Ariſtobulo zelantem impulerit, ſequenti anno dicemus, quo eas turbas credimus contigiſſe, vt ſeries ipſa rerum, & tempus eis agendis requiſitum exigit.

VI. *Canidius Iberos & Albanos victos ſibi in Parthos ſociat.*

Res porro Parthicæ referente in primis Dione, hoc modo ſe habent. Reliqua hyemis parte, Gellio & Nerua Coſſ. P. Cannidius Craſſus in Iberos exercitum duxit, victumque pugna regem eorum Pharnabazum, ad ſocietatem belli compulit; ac cum eo in Albaniam progreſſus, victam eam gentem, ac regem eorum Zoberem ſimiliter ſibi adiunxit. His & Moneſi fidens Antonius, (Is enim ſe ducem belli futurum, ac ſine vllo labore, pleraſque Parthiæ partes occupaturum promiſerat) bellum Parthicum Moneſi gerendum iniunxit; atque inter alia præmia, ei trium Romanis ſubditarum vrbium reditus fruendos, vſque ad belli finem conceſſit, regnumque Parthiæ promiſit. Sic Dio; Appianus in Parthicis eas vrbes vocat Lariſſam, Aretuſam, & Hierapolim, Bambycem olim vocatam, aitque eas ab Antonio illi dono datas, cum illius fortunam caſui Themiſtoclis conferret, ſe autem Xerxi Perſarum Imperatori opibus ac magnificentia compararet.

Antonius Parthicum bellum Monaſi committit. Quo præmio.

VII. *Quem ad ſe Phraates allicit.*

At Phraates, inquit Dio, cum bellici apparatus cauſa ſibi metueret; præſertim quia fugam Moneſis Parthi moleſte ferebat, legatos ad Moneſem de pace miſit, ſummiſque pollicitationibus ei perſuaſit, vt retro cederet. De belli porro apparatu audiendus eſt Appianus, qui ait iuſſas conuenire copias in Armenia, cum regum auxiliis; ex quibus Artabazes Armeniæ Rex equitum ſex millia, peditum ſeptem præbebat. Ibi cum recenſerentur milites, comperta ſunt peditum Romanorum, & ſociorum Latini nominis ſexaginta millia, & ordinarius equitatus Hiſpanorum, Gallorum decem millia: ex aliis vero gẽtibus auxiliarium triginta millia, connumeratis equitibus, & leuis armaturæ milite. Hunc tantum apparatum vireſque, quibus Bactros etiam, & his remotiores Indos terruit, vnam Cleopatram ferunt inutilem reddidiſſe. Eius enim deſiderio bellum aperuiſſe, non expectato opportuno tempore, omniaque inconſultius egiſſe, mentis non ſatis compotem, & illecebris illius fœminæ captum, vt non tam de victoria, quam de reditu celeri cogitaret. Sic Appianus totidem omnino verbis ex Plutarcho in Antonio hiſtoriam mutuatus.

Romanæ in Parthos copiæ.

Ob Cleopatram Antonius inconſulte agit omnia

VIII. *Monæſem ad fraudem dimittit.* MONÆSEM abire volentem Antonius, etſi eum habebat in poteſtate, interficere noluit, ne Barbaros deinceps ab ſua amicitia abſterreret. Sed fraudem contra hoſtem ſtruens eum dimiſit, tanquam eius opera cum Parthis amicitiam facturus, & cum eo legatos miſit ad Phraatem, qui ea lege pacem cum Parthis componerent, ſi Rex ſigna & captiuos, quæ Craſſi calamitate Parthi cœperant, Romanis reddidiſſet; ſperabat autem ſe Regi ſpe pacis imparato ſuperuenturum. *Ad Euphratem procedit.* Ipſe interim ad bellum ſe comparans ad Euphratem vſque proceſſit, exiſtimans tranſitum nullo præſidio teneri, ſed opinione deceptus, auerſo inde itinere in Armeniam ſtatim ire conſtituit, ad bellum Artauaſdi Medorum regi faciendum, ab Artauaſde, ſiue Artabazo Armeniæ maioris rege inimico eius impulſus.

IX. *Inde contra Medos mouet.* CVMQVE intelligeret regem Mediæ ad opem Parthis ferendam procul domo abiiſſe, impedimentis, & machinis, quæ trecentis plauſtris erant impoſitæ, & parte exercitus cum Oppio Statiano, (ſiue Tatiano, vt Plutar. & Appianus, Velleius habet Statiano, quidam Saxam ſuſpicantur, non recte) relictis, & ſubſequi iuſſis, ipſe cum lectiſſimis eſt antegreſſus, ſperans ſe primo impetu omnem Mediã ſubacturum. Ergo ad Metropolim Mediæ venit, eam Dio Praaſpa, Appianus & Plutarchus Phraatam vocant, in qua vxor regis Medorum erat cum liberis. Ea cum imperata non faceret, obſidenda fuit: ſtatimque Antonius agnouit culpam in relinquendis machinis admiſſam; ſed eam mox grauius etiam luit. *Cladẽ accipit à Parthis.* Nam cum opere laborioſo, ac diuturno vrbem aggeribus obſideret, Parthorum rex valido equitatu Statianum improuiſo adortum, & itineris labore fatigatum, cum 10. millibus oppreſſit, & machinas in poteſtatem redegit. In hoc prælio Polemonem Ponti regem captum, ac pecunia dimiſſum ſcribit Dio, Appianus cæſum, Plut. captum duntaxat. Ea clades in limine belli accepta, omnes Antonii milites grauiter perculit; acceſſit & diſceſſus Armenii Artabazi, propter quem maxime bellum hoc ſuſceptum fuerat.

X. *Praaſpem Mediæ obſidet.* ANTONIVS etſi ad primum Statiani nuncium feſtinarat, vt ſuis auxilium ferret, tamen tardius venit, & præter mortuos inuenit neminem; ac non multo poſt cum eis congreſſus, non magno illato damno ad vrbis oppugnationem rediit, in qua maximis laboribus parum profecit, præſertim commeatuum inopia, laborans. *Permodico fructu.* Nam iis qui ex vicinia capi poterant conſumptis, longius frumentandi cauſa progrediendum erat; quo ſi pauci mitterentur, excepti ab hoſte peribant, ſin plures, oppugnatoribus nudabatur ciuitas, ac barbaris erumpentibus Antoniani grauia damna accipiebant: vt Antonius nihil præter hoſtium probra lucrari videretur.

XI. *Pugnat cũ Parthis.* NE autem ſedenti exercitui deſperatio & pauor increſceret, eduxit frumentatum decem legiones, & tres cohortes prætorias grauis armaturæ, & totum equitatum, exiſtimans ſe hoſtem ad pugnam eliciturum, & pugnatum quidem eſt, ſed permodico Parthorum damno, captis 30. cæſis 80. tantum: non enim diu fugientes perſequi audebant, quod fugientes Parthi non ceſſarent pugnare, & telis perſequentes conficere.

Permodico ſuorum damno. Sequenti die in caſtra, ab hoſte crebro fatigati, redierunt, vbi ſuos à Medis erumpentibus, in aggeris ſeu valli tuitione perterrefactos, ac loco pulſos decimatione caſtigauit, & reliquis pro tritico admenſus eſt hordeum.

XII. *Conſilia de pace irrita.* ERATQVE bellum vtrique parti moleſtum, ſed grauiora metuebantur. Antonius enim famem timebat: Phraates vero ſciens Parthos, quiduis potius laturos, quam in caſtris, & in alieno ſolo hyemem, & iam autumnale æquinoctium præterierat, cum mitius Antonianos, qui in ipſos incurriſſent tractare, tum de pace per ſuos iactare ſermones cœpit; Antonius à pace non alienus, miſit ad Parthum, qui ſigna Romana dudum amiſſa, captiuoſque repoſcerent, quibus nõ impetratis, nihilominus intra paucos dies collectis vaſis pudore plenus, Armeniam verſus iter intendit, ſed diuerſum ab eo quo venerat, quoniam id ſibi intercluſum opinabatur. *Armeniã confuſus repetit.* In eo autem cum exercitu ſuo extrema pertulit mala, quæ diſtinctius Plutar. & Appianus retulerunt.

XIII. *Plurimo cũ labore.* DIO vero paucis, Regionum, inquit, ipſis oberat ignoratio, & Barbari anguſtiis præoccupatis, foſſis operibuſque tranſitum obſtruebant, aquationem vbique difficilem reddebant, pabula corrumpebant, ſummiſſis falſis nunciis à viis cõmo-

dis, tanquam ab hoſtibus inſiderentur, ad difficiles attrahebant, & ad eas in quibus ipſi inſidias collocarant. Sic Dio. Plutarchus tamen & Appianus ſcribunt Romanos optimo fidiſſimoque viæ duce Mardo eſſe vſos; qui etiam ad faciendam fidem eis ſe conſtringendum vinculis dederat: ſed pergit Dio; His incommodis ac fame multi perierunt; iamque ad hoſtem profugere cœptum erat; ac niſi perfugas Parthi in reliquorum conſpectu ſagittis confeciſſent, videbantur omnes ad Barbaros tranſituri; ſed Parthorum crudelitas eam defectionem inhibuit. Frigus quoque eos vehementer afflixit. Iam enim aderat hyems, & montes Armeniæ, per quos ſolos tuto iter facere poterat, glacie tecti, ſauciis multum moleſtiæ afferebant. Itaque cum ſtatuiſſet aliquanto poſt in Armeniam redire, precibus & adulationibus Armeniæ regem permouit, etſi eius à ſe diſceſſum valde cupiebat vlciſci, vt in eius regno hyemare liceret, vere iterum contra Parthos exercitum ducturo.

Parthorum ſæuitia Romanorum defectionē continet.

XIV. *Qualis in ſuos Antonius*

Scribit idem Dio Antonium interdixiſſe ne de militibus morientibus, & vulneribus debilitatis, ac deformatis ad ſe referretur; Plutarchus contra Antonium ait vulneratos in accepta Flauio Gallo duce clade, in qua tria millia ceciderant, quinque millia in tentoria ſaucia relata fuerant, inuiſentem circumiuiſſe, eoſque dolore ac lacrymarum plenum, conſolatum eſſe: illos autem dexteram eius apprehendentes orauiſſe, ne ſe affligeret, & modo valeret Imperator, ſe ſaluos fore. Sub hæc manus ad cœlum tendentem cælites deprecatum eſſe, ſi qua calamitate priores fortunæ ſerenitates luendæ eſſent, ea in caput ſuum verteretur, modo exercitui incolumitas ac victoria contingeret. Deniquecrebris hoſtium incurſibus, & tumultu erroreque tota caſtra occupante, eo eſt compulſus, vt vnum è libertis, Rhamnum nomine, accitum iureiurando adigeret, vt vbi præcepiſſet, confoderet ſe gladio, caputque detruncaret, ne veniret viuus in poteſtatem, aut ab iis mortuus agnoſci poſſet.

Eiuſdem metus, & conſilium propriæ cædes.

XV. *In Armenia quieſcit.*

Vbi in Armenia quieſcere licuit, recenſito Antonius exercitu, deſiderauit viginti millia peditum, & quatuor equitum; qui non interierunt omnes vi hoſtili, ſed ſupra dimidium morbo. Ex inopia enim effuſe cibis vtētes, hydropicis, cœliaciſque morbis correpti peribant. A Phraatis vrbe viginti ſeptem diebus iter fecerunt, & octodecim prœliis à Parthis vexati ſunt: ſic enim verius dixerimus, quam totidem prœliis victos Parthos à Romanis; etſi non integra ſolidaque victoria, vt Plutarchus & Appianus loquuntur, ipſum Antonium imitati, qui, vt ait Velleius lib. 2. fugam ſuam, quia viuus exierat, victoriam vocabat, cum haud minus quarta militum parte amiſiſſet, calonum ſeruitiorumque tertiam partem, & impedimentorum vix vlla ſuperfuiſſent.

Et in multa clade ſe victorem putide prædicat.

XVI. *Inde perfugit in Syriam.*

Plvtarchvs in Antonio ait eum octo millia militum in via amiſiſſe; Appianus autem deſiderata viginti millia peditum, equitum quatuor millia, quorum pluſquam dimidium non ferrum, ſed morbus abſumpſerat. Florus quoque libro quarto capite decimo, vix tertia parte de ſedecim legionibus reliqua, cum argentum eius paſſim dolabris concideretur, & ſubinde inter moras mortem à ſuo gladiatore flagitaſſet, egregius imperator tandem profugit in Syriam: ibi incredibili quadam mentis vecordia ferocior aliquanto factus eſt, quaſi viciſſet, qui euaſerat. Plutarchus ait paucis comitatum Antonium ad mare deſcendiſſe, atque in caſtello inter Berytum, Sidonemque poſito, Leucome appellatur, ſubſtitiſſe, vt Cleopatram operiretur, quæ militibus magnam vim veſtium & pecuniarum detulit: etſi pecuniam quidam putant Antonium de ſuo, quaſi ab illa acceptam diſtribuiſſe.

XVII. *Res Siculæ.*

Sicvlæ res ſuperſunt, prœliis multiplices, ancipiteſque periculis: victoria Cæſaris, deſolatione Lepidi, fuga Pompeii terminatæ. Contigiſſe autem hoc anno, atque hiſce Conſulibus, tum alia docent, tum illud Appiani l. 5. ciuil. vbi ait hanc victoriam Cæſari cōtigiſſe, cum annum ageret octauum & vigeſimum; quem ille ingreſſus eſt 9. Cal. Octob. vt ex Suetonio conſtat. Interpres ponit cum Cæſar vigeſimum octauuum ætatis annum exegiſſet. In Græco autem eſt, ἦν ὁ Καῖσαρ ἐτῶν ἐς τὸ ὀκτὼ, καὶ εἴκοσιν, & erat Cæſar annorum tunc ad vigeſimum octauum: non ergo dicit fuiſſe exactos, ſicut nec reuera exacti erant, ſed inchoati: poſtremum autem prœlium ſub extremum annum perfectum eſt. Rem totam Appianus loco citato

Cæſaris ætas.

accuratiſſime perſecutus eſt, eum ergo habebimus ducem.

XVIII. *Cæſar triplici exercitu Siciliam petit.* STATVERAT Cæſar tribus exercitibus, tribus ex locis triquetram Siciliam inuadere, Meridianam plagam exercitu Lepidi ex Africa profecto, orientalem Tauri claſſe Tarento erumpente. Ipſe Puteolis occiduam partem erat inuaſurus. Dicta vna eadem dies omnibus ad ſoluendum, Calendæ Iulii, quæ eſt decima, inquit, poſt ſolſtitium, (ex quo intelligitur ſolſtitium à Iulio Cæſare ſedem in vigeſimo primo Iunii accepiſſe,) ratus id tempus, ob felicitatem patris, cui dicatus erat, ſibi propitium fore. *Solſtitii dies hoc anno.* Poſtquam Calendæ venerunt, omnes prima aurora ſoluerunt, Lepidus ex Africa mille onerariis, longis ſeptuaginta cum legionibus duodecim, equitum Numidarum quinque millibus, multoque alio apparatu.

Taurus Tarento ex Antonianis 130. nauibus, duas tantum ſupra centum duxit, reliquarum remige peſte abſumpto anteacta hyeme. Cæſar exercitum ſuum bipertito diuiſit, poſtremum agmen commiſit Appio.

XIX. *Pompeius vndique Siciliam tuebatur.* AT Pompeius Lepido oppoſuit Plennium, ad Lilybæum cum legione vna, & multitudine velitum Orientale & Occidentale Siciliæ latera præſidiis muniit; inſulaſque in primis Liparam & Coſſyram, ne hæc Lepido, illa Cæſari portus, aut ſtationes opportunas præberent contra Siciliam; Robur autem Claſſis Meſſanæ continebat, in omnes occaſiones intentus.

Tempeſtas Cæſarianos vexat. Tertia die, ex quo ſoluerant exortus Auſter multas Lepidi onerarias ſubuertit, tenuit tamen Siciliam, & Plennium intra Lilybæam oppugnauit; oppidaque aliquot, partim vi, partim deditione in ſuam redegit poteſtatem. Taurus vbi reflare ventus cœpit Tarentum reuerſus eſt. Appio vero circa Mineruæ promontorium nauigante, pars nauium ſcopulis illiſa eſt, pars hæſit in breuibus, reliquæ non ſine damno diſiiectæ ſunt. Cæſar tempeſtate oriente in Velinum ſinum confugit, vna ſexireme amiſſa: ſed ſuperueniens Africus naues in ſtatione ipſa conquaſſauit; amiſit Cæſar naues graues ſex, leuiores viginti ſex, Liburnicas etiam plures.

XX. *Nihilominus redintegratur bellum.* HIS incommodis ſarciendis opus fuit 30. dierum ſpatio, & æſtas iam vergebat ad exitum, vnde optimum videbatur bellum in æſtatem proximam differre; ſed populo inopia laborante viſum eſt, reparata quamprimum claſſe inſtitutum bellum integrare.

Pompeii imprudentia. Sed nec Pompeius victoria, quam ei ſecundo dederat tempeſtas, prudenter vſus eſt, ſed ſeſe quaſi adoptatum à Neptuno filium venditabat, eoque ſolutius, quod hoc anno finita prælia crederet. Verum vt audiuit mox redituras claſſes contra Siciliam, Menodorum cum ſeptem nauibus, quas ſecum tranſfugiens nuper ad Pompeium abduxerat, exploratum naualia Cæſaris miſit; *Menodori iterata perfidia.* quibus plurima damna intulit. Deinde videns non ſatis adhiberi ſibi fidei, non redditum claſſis imperium, ſed ſolas, quas ſecum duxerat naues, iterum cum iiſdem ad Cæſarem transfugit, non maiorem apud eum fidem promeritus, neque ſortitus, vt Dio quoque memorat.

XXI. *Lepidus cladem accipit à Pompeii duce.* IAM reparata erat claſſis, cum Cæſar iterum ſoluens, appulſuſque Vibonem Meſſalam cum duabus legionibus traiicere in Siciliam iuſſit, & cum Lepido ſe coniungere; tres alias miſit ad Stylida in extremum fretum, occaſionem rei gerendæ expectaturas; Taurum etiam ad montem Scylacium collocauit.

Pompeius claſſem in ſinu Meſſanenſi paratam tenuit, cum dux eius Papia occurrit quatuor legionibus, quæ onerariis ex Africa ad Lepidum tranſportabantur. Is dum putaretur amicus, & à Lepido miſſus, eas oppreſſit, alias cœpit, alias ſubmerſit, incenditue, quædam in Africam reuerſæ ſunt; duæ legiones in mari perierunt; & ſi qui militum enatarunt, Tiſienus Pompeii dux terram prenſantes confecit.

XXII. *Agrippa pugna ad Mylas.* INTEREA Cæſar Agrippam iuſſit ad Mylas pugnare contra Pompeium, quem illic eſſe arbitrabatur; eſt autem is locus vrbs littoralis è regione Liparæ inſulæ, dum ipſe cum aliis copiis Taurominiam per abſentiam Pompeii expugnare conaretur. Verum cum Agrippa videret, longe opinione maiores copias Mylas confluxiſſe. (Nam Pompeius Agrippæ conatus ſuſpectos habens, Demochari, qui cum quadraginta nauibus Mylas tenebat, 45. naues duce Apollopha-

ne liberto Meſſana miſit, quem ipſe cum aliis ſeptuaginta ſecutus eſt.) Cæſarem de re tota monuit: nihilominus pugnauit, & poſt multa vtrimque accepta, illataque damna ſuperiores tulit; Pompeius receptui cecinit, amiſſis triginta nauibus, quinque hoſtilibus ſubmerſis; nec minus propterea ſuos donauit præmiis, quod magnitudine nauium Cæſarianarum potius, victos ſuos diceret, quam hoſtium virtute. Nam Dio quoque libro quadrageſimo nono ait ſero Cæſarianos, & inſtante iam nocte victores euaſiſſe, nec fugientes inſequi voluiſſe, ſiue quod earum celeritatem curſu æquare non poſſent, ſiue quod vada, eorum ignari pertimeſcerent, ſiue quod Agrippa inuidiæ parceret, ſi hoſtem nimium glorioſe viciſſet.

XXIII. *Cæſar ad Tauromenium. Cui ſuperuenit Pompeius.*

Cæsar autem è Scylacio Leucopetram deuectus, traiecit Taurominium, cum tribus legionibus, & equitibus quingentis, ſine equis, velitibus mille, colonis voluntariis bis mille, præter nauales ſocios, credens Pompeium prope Agrippam manſurum, & iam ad eum locum deditionem recuſantem caſtra metabatur; cum Pompeius magna claſſe omnibus mirantibus ſuperuenit; deuictus enim credebatur ab Agrippa; per oram etiam equitatus irruebat, celeritate contendens cum nauibus; & diuerſa parte pedeſtres copiæ conſpectæ ſunt. Itaque Cæſariani à tribus exercitibus circumuenti exterriti ſunt; timuit & Cæſar, quod non poſſet Meſſalam, cui reliquas copias tranſportandas commiſerat, accerſere.

Et male differt pugnam.

Equites igitur primi Cæſarianos in caſtris muniendis adhuc occupatos turbauere. Quod ſi claſſiarii, pediteſque pariter feciſſent impetum, fortaſſe maius aliquid à Pompeio perfectum eſſet; ſed per imperitiam rei militaris, & ignorantiam trepidationis hoſtilis, in ſequentem diem pugnam diſtulerunt, quo Cæſariani vallo abſoluto fatigati, minus ad pugnam erant idonei.

XXIV. *Cæſar ſemel iterumque parum feliciter pugnat.*

Cæsar tradito peditatu Cornificio, vt in terra quantum poſſet hoſtibus repugnaret; ipſe ante lucem in altum prouectus eſt, ne à mari quoque intercluderetur. Et inſtructa claſſe, ipſe Liburnica circa eam volitans, omnibus hortator aderat; quo facto inſignia, vt in maximo periculo conſtitutus depoſuit. Occurrente autem ex aduerſo Pompeio bis congreſſi certamen in noctem extraxerunt. Cumque naues Cæſarianæ caperentur, & incenderentur, pars earum, expanſis minoribus velis, profugit in Italiam, reliquæ profligatæ, partim captæ partim incenſæ ſunt; qui in terram enatabant, partim à Pompeianis conficiebantur, partim in Cornificii caſtra confugiebant, quos ille obuiam miſſis velitibus excipiebat, non auſus prælio legiones male animatas committere: Cæſar in actuariis ad multam noctem iactatus eſt, incertus Cornificiumne per media naufragia peteret, an ad Meſſalam, quem reliquerat in Leucopetra, refugeret.

Deponit inſignia, vt in maximo periculo.

XXV. *Monet ac confirmat ſuos. Meſſalæ virtus.*

Forte fortuna ad Abalam portum Italiæ delatus eſt, cum vnico armigero, deſtitutus amicis, ſeruis, ſatellitibus, animo defectus & corpore: inde ad Meſſalam delatus: qui non longe aberat, ab eo humaniter exceptus eſt, egregia commendatione virtutis, quippe qui dudum ab eodem Cæſare proſcriptus fuerat. Priuſquam autem Cæſar corpus curaret, ad Cornificium miſit Liburnicam, & circa omnes montes dimiſit, qui nunciarent ſe incolumem, iuberentque omnes opem ferre Cornificio, idemque iuſſit Agrippam facere: Cornificio autem ſcripſit ei mox adfore auxilium. Mæcenatem vero Romam miſit, qui nouos comprimeret motus.

Cornificius fame preſſus prælium petit. Milites ſeruat non ſine laude.

Interea Cornificius cum laboraret commeatuum inopia, ſuis in aciem productis hoſtem prouocauit, Pompeio vero certamen detrectante cum deſperantibus, & fame ſe eos ſubacturum ſperante, Cornificius iter ingreſſus eſt, receptis in medium agmen inermibus, qui euaſerant è naufragio, ſed toto itinere vehementer à Pompeiano equitatu, à leui Afrorum armatura, & ab æſtu in primis ac ſiti intolerabili afflicti ſunt, adeo vt reperta aqua ſeſe ingurgitantes emorerentur. Tandem Mylas cum parte exercitus ad Agrippam euaſit; qui Mylas iam & Tyndaridem occuparat, vt Dio quoque teſtatur, ſed incredibilem aut intolerabilem potius in arenti ſolo ſitim non memorat, additque Cornificium tantum ſibi ob ſeruatos à ſe milites tribuiſſe, vt Romæ quoties foris cæ-

nare, elephanto domum reuectus ſit.

XXVI. *Pompeius cupit generale certamē nauale. Quod Cæſar admittit.*

Inde paſſim multæ velitationes tota Sicilia factæ, nullo memorabili prælio, donec Pompeius veritus, ne commeatu à Cæſare intercluderetur, ſtatuit prælio nauali ſemel decernere, idque Cæſari obtulit. Cæſar, quamuis abhorreret ab omnibus rebus maritimis, quas ſibi aduerſas toties eſſet expertus, turpe tamen ratus detrectare certamen, conditionem accepit, conſtituta die ad quam trecenæ naues vtrimque parabantur, omni telorum machinarumque genere inſtructæ. Addit Dio inclinatum ad nauale prælium Cæſarem, quod Lepidum ſuſpectum haberet, nec ei conſilia communicare auderet, ne proderetur; neque occultare, ne eum incommodiſſimo tempore apertum hoſtem redderet.

XXVII. *Pugnatur, vt de ſumma re.*

Vbi conſtituta dies venit, tanto vtrimque ſtudio, ac contentione pugnatum eſt, vt par erat de ſumma rei in tota Sicilia decertantibus: certamen vterque terreſtris exercitus cernebat ex littore, non ſine metu, ſtudioque partium, in eo de ſua quoque ſalute agi exiſtimans; ſed magna erat nauium, & in ipſis nauibus hoſtium, amicorumque confuſio, propter Latinæ linguæ ſimilitudinem, & teſſeram euulgatam; vt qui vincerent, aut vincerentur, ne ipſi quidem qui pugnabant, nedum qui è littore ſpectabant, agnoſcerent.

Cæſariani ſuperiores euadunt.

Vix tandem è turrium coloribus, quod ſolum diſcrimen erat, plures Pompeianas naues periiſſe intelligens Agrippa, cohortatus eſt proximos, quaſi iam victores, redintegratoque in hoſtes impetu vrgere non deſiit, donec qui ipſi oppoſiti erant, primi coacti cedere, turres deiecerunt, verſiſque nauibus tanto cum impetu in fretum fugerunt, cum ſeptemdecim nauibus, vt illiſæ littori, inde retractæ fuerint, aut incenſæ, reliquis ab Agrippa intercluſis.

XXVIII. *Et de victoria iubilant.*

Qvod vbi videre, qui in alto pugnam continuabant, deditionem fecerunt. Hic Cæſariana claſſis, edito ingenti iubilo, victoriam ſignificauit, quem non minore terreſtris excepit; Pompeianus vero ingemuit. In hoc prælio, inquit Dio, captus Demochares ſeipſum interfecit, Apollophanes naui ſua integra, etiamnum cum poſſet effugere, ad Cæſarem ſe contulit. Quod idem cum alii non pauci, tum Gallus etiam Tiſienus, qui ſe non ita pridem Pompeio coniunxerat, omneſque eius equites & pedites aliquot fecerunt; quæ res deſperationem Pompeio, & fugæ conſilium iniecerunt.

Pompeiani gemunt. deditionem multi faciunt. Pompeius turbatus fugit.

Ipſe ergo dux è Naulochis Meſſanam ſe proripuit, ſic attonitus, vt nihil de terreſtri exercitu cogitarit. Quo factum eſt, vt & hos Cæſar Titieno dedente in fidem reciperet, & poſt hos equitatum, hunc quoque præfectis dedentibus. Merſæ ſunt in eo prælio naues Cæſaris tres, Pompeii viginti octo; reliquæ aut crematæ, aut captæ, aut littori alliſæ, fractæque; ſolæ ſeptemdecim effugerunt.

XXIX. *Qualis eius fuga.*

De fuga Pompeii Florus ita concionabundus. *Non alia*, inquit, *poſt Xerxem miſerabilior fuga; quippe modo trecentarum quinquaginta nauium Dominus cum ſex ſeptemue fugiebat, extincto prætoriæ nauis lumine, annulis in mare abiectis, pauens atque reſpectans, & tamen non metuens ne periret.* Sic ipſe: at Appianus ſeptemdecim fugæ comites non ſemel dixit. Pergit autem. Pompeius, poſtquam in via cognouit de defectione exercitus, priuatum cultum ſumpſit pro imperatorio, præmiſſis Meſſanam, qui in naues quidquid poſſent, imponerent. Dio oſtendit non nimium præcipitatam fuiſſe Pompeii fugam; itaque filiam, & amicos, & pecunias, cæteraſque res precioſas in naues ſuperſtites, quæ eſſent maxime agiles, collocaſſe, & noctu nemine inſequente abiiſſe; quia & clanculum diſcedebat, inquit, & Cæſarem continuo ingens tumultus à Lepido, & Meſſana excepit. Addit Appianus, à Pompeio. Plennium quoque à Lilybæo propere accitum cum octo legionibus, quaſi habiturum has fugæ comites; ſed eius aduentu non expectato, cum timeret ne ab hoſte intercluderetur, cum ſolis ſeptemdecim nauibus ad Antonium profugiſſe.

XXX. *Plennius Meſſanam tenet.*

Plennivs ergo poſt eius diſceſſum Meſſanam peruenit, & ciuitatem eam tenuit; quam Cæſar obſideri ab Agrippa iubet, id quod fecit ſocio vtens Lepido. Et cum Plennius legatos de pace miſiſſet, Agrippa rem differri in matutinum Cæſaris aduentum voluit: Lepidus vero pacem dedit, & vt ſibi Plen-

nii exercitum conciliaret, vrbem ei ex æquo cum aliis militibus diripiendam dedit. Ita miſera ciuitas amicis, æque atque inimicis prædæ fuit, Plennii exercitus ad Lepidum ſigna tranſtulit.

XXXI. *Lepidus inſoleſcit, & à Cæſare reprimitur.*

Horvm acceſſione auctus Lepidus, vſque ad duarum & viginti legionum numerum, cum valido equitatu, elatus eſt animo, & de tota Sicilia ſibi vendicanda egit, & Cæſarianos præſidiis ſuis cœpit excludere. Et reuera iamdudum à Cæſare erat alienior, quod, vt ſcribit Dio libro quadrageſimo nono, ipſe vt collega Cæſaris, omnia æquato imperio adminiſtrare, Cæſar autem eo, vt legato duntaxat, vti cupiebat. Itaque ad Sextum Pompeium inclinarat, & occulte cum eo conſilia agitarat, quæ nunc patefacta ſunt. Cum enim Cæſar ad eius caſtra, cum paucis profectus eſſet, Lepidum necopinato aduentu perterrefacturus, & milites eius ſibi adiuncturus, cum militi parum grata dixiſſet, in Cæſarem impetus factus eſt, & aliquibus ſuorum occiſis, non leue ipſe vitæ diſcrimen adiit.

XXXII. *Lepidi ſpes euerſa.*

At breui ſpes Lepidi omnes euerſæ ſunt. Cum enim milites Cæſarem Lepido longe præferrent, eiuſque duces à Cæſare ſinguli corrumperentur, paulo poſt omnes à Lepido ad Cæſarem transfugerunt: primi Pompeiani defecerunt, cum quibus pacē nondum Cæſar confirmarat. Poſtremum autem Lepidi equites, qui ad Cæſarem ſcitatum miſerunt, num Lepidum, iam imperio priuatum, placeret interfici; quod ille non permiſit. Sic Lepidus præter ſpem deſertus ab omnibus, reflante fortuna, mutato cultu properauit ad Cæſarem; aliis pariter velut ad ſpectaculum feſtinantibus. Cui Cæſar aſſurrexit, nec paſſus eſt ſibi accidere ad genua, & in vrbem cum priuato cultu, priuatum imperio, non ſine cuſtodia remiſit; pontificatum tamen illi reliquit, cum quo aliquandiu vixit, iis magiſtratibus obnoxius, quos Triumuir ipſe proſcripſerat.

Confugit ad Cæſarē priuatus.

XXXIII *Et in exiliū denique mittitur.*

Orosivs libro ſexto capite decimo octauo, perpetuo exilio damnatum ſcribit, ſecutus Suetonium libro ſecundo numero decimo ſexto, vbi ait Octauium Lepidum ſuperbientem viginti legionum fiducia, ſpoliaſſe exercitu, ſupplicemque conceſſa vita Circeios in perpetuum relegaſſe; Antonius tamen apud Actium pugnaturus, ait Cæſarem in cuſtodia Lepidum tenere, tanquam captiuum; apud Dionem libro quinquageſimo. Decimo anno, inquit Velleius, quam ad diſſimillimam vitæ ſuæ potentiam peruenerat Lepidus, & à militibus, & à fortuna deſertus, pulloque velatus amiculo, inter vltimam confugientium ad Cæſarem turbam latens, genibus eius aduolutus eſt; vita rerumque ſuarum dominium ei conceſſa ſunt; ſpoliata quam tueri non poterat dignitas. Numerat autem Velleius, decimum eius annum ab Vrbis Conditæ ſeptingenteſimo ſeptimo, quo in Conſulatu collega C. Iulii tertium Conſulis fuit. Videtur autem, pertæſus fortunæ ſuæ, in voluntarium exilium abiiſſe. Suetonius in Octauiānum. 54.

XXXIV. *Cæſar Pōpeium non perſequitur*

Cæteryм Cæſar, neque Pompeium ad Antoniū profugientem perſequi voluit, nec alios perſequi paſſus eſt: ſiue quod nollet in alienum imperium inuadere; ſiue quod Pompeio, qui non fuerat in coniuratis, vitam eripi nollet, contentus ei ſuſtuliſſe potentiam, & nocendi facultatem: ſiue quod futura ſpectaret, conatuſque Antonii, habiturus iuſtam occaſionem diſſidii, ſi quid ille præter æquum faceret; præſentiebat enim ſublatis reliquis, inter ipſos ambitionis contentionem fore.

Res Siciliæ diſponit.

Coactis autem in vnum copiis repertæ ſunt legiones quadraginta quinque, equitum viginti quinque millia; leuis armaturæ tantundem quantum equitum & dimidium inſuper, naues longæ ſexcentæ; onerarias autem prope innumeras remiſit ad proprios dominos, militibus donatiuum ob victoriam dedit, coronas quoque, & alios honores diſtribuit. Agrippam autem honorauit in primis, donata illi corona aurea roſtrata, qui honor nemini ante eum, neque poſt ipſum contigit, & Pompeianis ducibus ignouit. Dio tamen libro quadrageſimo nono, ait equites & Senatores, qui Pompeio fauiſſent, paucis exceptis ſupplicio affectos, legionarios milites in ſuas legiones conſcriptos, & ſeditione ſua miſſionem & præmia flagitantium compoſita, indictoque Siciliæ mille & ſexcentorum talentorum tributo, deſignauit Africæ & Siciliæ proprætores, diuiſo

in vtramque exercitu, per Statilium Taurum vtramque Africam nullo negotio recepit. Dio. Naues Antonii numero æquales acceptis, vt ſcribit Dio li. 49. miſit Tarentum: reliquum exercitus partim pręmiſit in Italiam, partim ſecum duxit decedens ex Inſula.

XXXV. *Quin Vrbe exceptus* Venientem ad vrbem Senatus immodicis excepit honoribus, & cum cætero populo coronatus obuiam longiſſime proceſſit, erectoque arcu triumphali, ouans in vrbem ingreſſus eſt, Dione teſte. Vitauit enim triumphum, ne victis, occiſiſque ciuibus inſultare videretur. A Senatu in templa primum deinde domum deductus eſt. Sequenti die, tam in Senatu, quam pro concione orationem habuit, qua res à ſe geſtas, ex quo Rempublicam adminiſtrare cœpit, expoſuit: pacemque populo, confectis iam bellis ciuilibus, denunciauit, *Pacem denunciat.* tributa nondum reddita condonauit, debita publicanorum remiſit, & mercedes nondum perſolutas pro locationibus publicis; quod illa ſciret, vt inquit Dio, ſibi ob inopiam ciuium non perſolutum iri, callide gratiam ex neceſſitate captauit. Ex honoribus autem ei à Senatu oblatis, omnes autem pro ſuo arbitratu accipiendos obtulerat, accepit thenſam in circenſibus, id ſacri vehiculi genus eſt, & annua ſolennia diebus victoriæ, auratamque pro roſtris ſtatuam, ad viuum expreſſam, cum hoc titulo; *ob pacem poſt diuturna bella terra marique redditam*; 2. 2. x.
Oblatum autem Lepidi pontificatum maximum recuſauit, neque eum quaſi hoſtem occidi permiſit. Et hæc de Siculo bello ſint ſatis. Quæ autem deinceps Pompeio contigerunt, cum eius morte, quæ ſequenti anno contigit, in proximum annum referemus.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 4018.

1. N. VII. Aut certe vterque ex tertio. Nonnulla tamen eſt, vt aſſolet, in propriis nominibus diuerſitas. Nam Phraatem Plut. vocat Phraortem, & Bambycem Borbycem: & Artabazem Artauaſdem, ſicut Dio, (in comparatione tamen cum Demetrio vocat Artabazem.) Porro Bambycem eandem & Edeſſam à Ptolemæo, & Magog à Syris autore Plinio, & Rages ab Hebræis, teſte Brochardo dici, notauit Ortelius in theatro Geogr. Verum cum Hierapolis eadem ſit cum Bambyce, vt aiunt Plutarchus & Appianus, non poteſt Bambyce eadem eſſe cum Edeſſa Ptolemæi, apud quem Edeſſa multum differt ab Hierapoli; medius enim Euphrates interiacet, vt patet ex Aſiæ tabula quarta. Edeſſa in Meſopotamia, Hierapolis in Syria, illa in prouincia Chalcitide, iſta in Cyrrheſtica. Illa prope Amanum montem, hæc ad Singam fluuium. Sed redeamus in viam.

2. N. XXXV. Aliud ipſe voluebat animo, reſque ipſa requirebat. Viuebat quippe adhuc Antonius & potens erat. Nec finis bellorum ciuilium eſſe poterat, dum vterque ſtaret. Rectius autem inſcriberetur fortaſſe, ob ſtabilitum imperium, & ſublatam populo libertatem. Etſi id tanto vtilius fuit, quanto Monarchia populari gubernationi præſtat. Et vero ſingulorum profuſa cruentáque ambitio, potentiore vnius ambitione tolli, opprimiq. merebatur. quanquã dominatus hic multo pluribus rapinis cædibuſq. ſtetit, ſi quis ab initiis C. Iulii bella ciuilia dinumeret.

ANNVS MVNDI 4019. SEXTÆ ÆTATIS 504.

IMPERII ROMANI 14. OCTAVIANI, ET TRIVMVIRATVS 9. HERODIS REGIS 3. QVI & 6. ÆTATIS 38. HYRCANI PONTIFICIS 41. PRÆSIDE SYRIAE [a] M. ANTONIO. CLEOPATRAE 16. OLYMPIADIS CLXXXVI. AN. 2. VRBIS CONDITÆ 718. COSS. SEX. POMPEIO, & L. CORNIFICIO BELLI CIVILIS 15. ANNVS IVLIANVS 11.

[a] Plancum Syriæ præſidem vocat Appianus l. 5. hoc anno, quo Sex. Pomp. eſt interfectus

ANNVS ANTE CHRISTVM 34.

TRIVMVIRATVM nunc quoque nominamus, etſi deinceps is Duumuiratus fuit, donec poſt annos fere quinque ſolus rerum potitus Octauianus, & Auguſtus, & Monarcha factus eſt. Placuit tamen non mutare nomen, quoniam nullo nouo fœdere Duumuiratus conſtitutus eſt. I. *Ratio indicis.*

Neque vero Ananelum, aut Ariſtobulum pontifices ponimus, quoniam viuo Hyrcano neuter iure pontifex fuit, qua de re etiam anno ſuperiore meminimus; fuit autem hic alius à Sexto Pompeio Magni filio, qui hoc anno factus eſt Conſul, vt Dio quoque notauit; & cum nomine conueniant, ita fortuna diſtant, vt hic ad ſummam hoc anno dignitatem euectus ſit, ille à ſumma gloria ac poteſtate deiectus, miſera morte trucidatus ſit: qua de re non prius agemus, quam res Syriacas expedierimus.

ALEXANDRA Hyrcani filia, ſocrus Herodis, vt vidit Ananelo cuidam homini obſcuro, collatum à genero pontificatum, quem illa filio ſuo Alexandro fratri Mariammes deſtinarat, non potuit ambitioſa mulier hac contumeliam moderate ferre. Scribit igitur Cleopatræ per quendam fidicinem, vt Pontificatum filio ſuo petat ab Antonio; eam rem cum negligeret Antonius, amicus eius Gellius ſtimulator acceſſit, quo agente Antonius adoleſcentem ab Herode ſibi mitti petit; ſed is veritus ne iuuenis Antonii gratia collecta, Pontificatum impetraret, reſcribit Antonio, ſi vel pedem è regno ſuo moueat adoleſcens, fore vt cuncta bellicis tumultibus, ſpe rerum nouarum compleantur. II. *Alexādra filio Pontificatum ambit.*

CVMQVE ita ſatisfeciſſet Antonio; vt ſocrui quoque atque vxori ſatiſfaceret, quæ eum quotidianis precibus obtundebant, conſilio ſuorum aduocato, multis in Alexandram conqueſtus eſt, quaſi regnum in puerum transferre moliretur, quod ipſe tot laboribus eſſet conſecutus; ne tamen pietatem erga ſocrum, cæteraſque neceſſitudines aſpernari videretur, nunc ſe eius filio pontificatum reddere, cui Ananelus hactenus, propter ætatem immaturam, prælatus eſſet. III. *Et ab Herode impetrat.*

Hic Alexandra præ gaudio vix compos ſui, ſimul etiam ſuſpectam ſe dolens ambiti regni, lachrymas fudit, ſeſeque de huiuſmodi crimine purgauit, gratiiſque pro filii honore actis, ſe in poſterum regi obſequentiſſimam fore pollicetur: ita datis dexteris diſceſſum eſt; Ananelus iuſſu Herodis vicarium pontificis deſiit agere, neque enim pontificem; eique Ariſtobulus vxoris frater, ad ſedandas domeſticas diſcordias, datus fuit ſucceſſor. *Depoſito Ananelo.*

HVNC porro annum Antonius, Cleopatræ laqueis miſere irretitus, in vino & crapula, & conuiuiis egit, vt tradit Plutarchus. Interea autem Octauia, Cæſare annuente Roma ad Antonium nauigauit. Vt venit Athenas, redditæ ſunt ei ab Antonio parum vxorio literæ, quibus mandauit, vt ibi ſubſiſteret, IV. *Octauia ad Antonium reditus.*

Antonius maleremin Oriente gerit.

ei ſuam expeditionem in Armeniam, Parthoſque ſignificans, quæ tamen in annum ſequentem tracta eſt illecebris Cleopatræ, vt dicemus. Octauia, quamquam eum contemptum ægre tulit, & prætextum odorata eſt, quæſiuit tamen per literas, quo mitti vellet, quæ attulerat ei. Attulerat autem multam veſtem militarem, magnum numerum iumentorum, pecuniæ, & munerum ducibus, amiciſque eius. Inſuper duo millia delectorum militum, in cohortes prætorias inſignibus armis exornatorum. Quæ cum Cleopatra ſenſiſſet, verita ne Octauia Antonium à ſe abſtraheret, omnibus id genus fœminarum artibus, atque blanditiis, eum ſibi retinuit: quamuis à Medorum rege per legatos accerſiretur, & egregia occaſio rei bene gerendæ offerret ſeſe.

V. *Qui occaſionem rei bene gerendæ amittit.*

Hæc enim dum Alexandriæ geruntur, & Antonius à Cleopatra captiuus tenetur tanto ſtudioſius, quanto maius periculum imminebat eius amittendi, Octauia Athenis maritum repetente; muliere & morum grauitate inſigni, & conſuetudine amabili, & Cæſaris fratris potentia ſubnixa: diſſentio inter regem Medorum Artauaſdem, & Phraatem Parthorum interuenit; exorſa quidem, vt fama eſt, inquit Plutarchus, ex præda Romana, ſed quæ Medum in ſuſpicionem ac metum abduxit, ne regno ſpoliaretur: vnde Antonium per legatos accerſiuit, eique auxilium oſtendit copiarum ſuarum. Hic Antonius ſpe magna rei bene gerēdæ inflatus eſt, quod vna res, quæ illi ad debellandos Parthos defuiſſe videbatur, quod minus ab equitatu & ſagittariis firmus veniſſet, ea vltro accederet: parauit iterum per Armeniam pergere, & ad Araxem amnem Medorum bellum mouere. Hæc fere Plutarchus; qui recte quidem dicit paraſſe profectionem; reuera enim detentus à Cleopatra, non eſt profectus; eique recte conſentiens Dio lib. 49. Anno ſubſequente, inquit, Sexto Pompeio & L. Cornificio Conſulibus, (hic præſens annus eſt) bellum Regi Armeniæ facere inſtituit, haud parum ſpei in rege Mediæ ponens, qui Phraati ſuccenſebat, quod neque prædæ magna parte, neque alio honore eſſet ab eo affectus &c. Mox autem addit Polemonem à Medo miſſum legatum ad Antonium, eaque re ita delectatum fuiſſe, vt inita cum Medo pace, præmium legationis Polemoni Armeniam minorem poſtea dederit. Sic Dio.

ἐπιχείρησιν στρατεῦσαι.

VI. *Cæſar conſtituit Rēp.*

Cæsar autem interim animo in Pompeium atque Antonium intento, conſtituebat Rempub. eamq. more maiorū per annuos magiſtratus adminiſtrabat: præſides mittebat in prouincias; cohortes vigilum contra latrocinia, quæ plurima ex belli reliquiis in Vrbe, totaque Sicilia graſſabātur, magna omnium vtilitate inſtituit; literas omnes belli tempore ſcriptas exuſſit, promittens ſe reſtituturum Remp. cum primum rediſſet Antonius; ſibi enim compertum eſſe, illum quoque ceſſantibus bellis ciuilibus, magiſtratum velle deponere. Quapropter fauſtis exceptus acclamationibus, Tribuniciam poteſtatem accepit in perpetuum; tanquam hoc honore populari inuitatus ad priorem illum ſeueriorem Triumuiratus deponendum: præſertim quod Tribunatus perſonam, quæ eo fungeretur ſacroſanctam, & inuiolabilem conſtitueret. Hæc & alia Appian. lib. 5. ſub finem.

Accipit tribunitiā poteſtatem.

VII. *Pompeii ad Antoniū fuga.*

At Pompeius è Sicilia fugiens, vt idem ait, ad Lacinium promontorium appulit. Claudit id promontorium ſinum Tarentinum ab occaſu, ſicut Iapygium, ſiue Salentinum ab ortu; in illo ergo ſinu Pompeius fanum Iunonis, votiuis donariis diues ſpoliauit, petens Antonium; Dio vero ait Sex. Pompeium noctu Meſſana fugientem, & inſectationem hoſtium, & ſuorum proditionem timentem, eis dixiſſe ſe per altum vela facturum: extinxiſſe autem ignem, quo prætoriæ naues reliquis prælucere ſolent, oramque Italiæ legiſſe; inde in Corcyram, ac Cephalleniam traieciſſe, ibique alios ad ſe recepiſſe, eo forte vi tempeſtatis eiectos, moxque plurimis dimiſſis, cum reliquis in Aſiam tranſmiſiſſe, vt ſe quamprimum Antonio coniungeret. Delatuſque Mitylenem, vbi eum tum puerum cum matre Cn. Pompeius pater ante annos tredecim depoſuerat, ibi egit aliquātiſper. Dio libro quadrageſimo nono ait illic cum perlibentibus Leſbiis hyemaſſe. Et quia bellum in Media, cum Medis Parthiſque gerebat Antonius, ſtatuebat Pompeius eo reuerſo in eius ſe fidem committere; ſed vbi deuictum conſtans fama tulit, ſpem concepit ſe, vel in vniuerſam defuncti potentiam, vel in partem certe illius ſucceſſurum: cum ei præter ſpem nunciatur Antonium, rediſſe Alexandriam.

Et noua conſilia.

VIII. *Antoniũ & Parthos ſimul ſollicitat.*

Ergo geminam ingreſſus conſiliorum viam, hinc Antonio per legatos ſe amicum & ſocium obtulit, inde Thraciæ Pontique Dynaſtas clam per legatos ſibi conciliauit, vt ſi poſtulata ab Antonio non impetraret, per Pontum fugeret in Armeniam, ſeque Parthis ducem præberet, vt nuper Labienus, in Antonium; eamque in rem naues parabat, ſocioſque nauales exercebat, ſimulans metum à Cæſare, aut parati hæc in vſum Antonii. Quæ vbi didicit Antonius, Titium aduerſus eum deſignauit, vt claſſe & exercitu è Syria accepto, vel ei bellum molienti reſiſteret, vel ſi in fidem Antonii recipi mallet, eum honorifice adduceret; quod etiam candide Pompeii legatis ad ſe miſſis renunciauit; Interea vero alii Pompeii legati, qui ad Parthos mittebantur, à ducibus Antonii comprehenſi, ad eum perducti ſunt Alexandriam.

IX. *Res innoteſcit Antonio.* *Et nihilominus placatur.* Pompeius *ſpes ſuas infregit.*

Ex his omnia Pompeii conſilia, vbi didicit Antonius, alteros Pompeii legatos accerſit, eiſq; captos oſtendit, quos ille mittebat in Parthiam. Qui excuſabant hominem iuuenem, in extrema calamitate conſtitutum, metuentem, ne repulſam ab illo pateretur, coactum tentare animos, vel infenſiſſimarum populo Rom. gentium: quod ſi compertam habuiſſet mentem Antonii, nullis artibus vſurum, nulli ſe potius crediturum fuiſſe. Quæ Antonius homo minime malitioſus, pro ſuo candore, animique magnitudine credidit. Et hactenus Pompeii negotia, non male ſubſiſtebant; ſed dum res nouas interea molitur in Aſia, habitum reſumit Imperatorium, delectus habet, militem exercet, Lampſacum capit, Cyzicum terra marique aggreditur, contra Furniũ ad Achæorum portum congreditur, ac vincit; equites ab Octauia ad Antonium miſſos auro corrumpere, atque in ſuas partes traducere conatur; & petens, expectanſque pacem ab Antonio, bellum contra eius duces gerit, res omnes ſuas ſpeſque ſubuertit.

X. *Antonii contra Põpeium copia.* Pompeius *Armeniã cogitat.* *Deſeritur à ſocero.* *Antoniani Pompeium perſequuntur.*

Cvm enim 70. naues è Sicilia ad Antonium veniſſent, adeſſet & Titius, cui Antonius res eius commiſerat, cum 120. nauibus & copioſo exercitu, præter eas copias quas Aſiæ præfecti Furnius, Ænobarbus, Amyntas Proconneſum (ea eſt inſula Propontidis inter Helleſpontem & Boſphorum Thracium.) coëgerant: eo apparatu territus Pompeius naues ſuas incendit, remiges armauit, in terra maiori vſui, cum cæteris futuros; id factum Nicomediæ Dio ſignificat. Verum hoc tempore primarii eius amici, & in iis Libo ſocer eius, vt viderunt eum contra potentiorem bellum temere ſuſcipere, deſperantes de eo tranſierunt ad Antonium. Ille ab amicis deſtitutus, per mediterranea Armeniam petebat, quem perſecuti ſunt Furnius, Titius, & Amyntas, cumque ſub veſperam aſſecuti, vtrique ex itinere feſſi, ſine foſſa valloque caſtra metati ſunt.

XI. *Quos hic turbat, nec victoria vtitur.* *Dedìtionẽ inconſtanter cogitat.*

Pompeivs noctu eos inuadit, cum paucis, vehementerque turbat, victoriam inſignem vtique obtenturus, ſi eadem nocte, vel totis viribus eos aggreſſus eſſet, vel turbatos fugienteſque fuiſſet inſecutus; ſed dum ille victoria vti neſcit, aduerſarii rurſum collecti, & copiis quæ à tergo ſequebantur aucti, vlteriora petentem ſequebantur: donec commeatu impeditum ad petendum colloquium Furnii, Pompeii magni quondam amici coëgerunt; quo impetrato eius ſe fidei committere voluit, vt ad Antonium deduceretur; quod Furnius renuit, qui ſciret Pompeium ab Antonio commiſſum Titio, cui cum Pompeius non fideret, ſed clam noctu remenſo itinere ad mare, Titii claſſem incenſurus reuerteretur, à Scauro transfugiente proditus eſt.

XII. *Ab Amynta fugiens comprehenditur.* *A Titio interficitur*

Fvgientem ſine equitatu Amyntas, cum mille & quingentis equitibus aſſecutus cum eſſet, Pompeii ſocii illum deſerunt, deſolatumque Amyntæ, ad quem transfugiebant, ſeſe dedere coëgerunt, id Midaii Phrygiæ oppido contigiſſe ſcribit Dio l. c. (loc. cit.) Quem Titius, ſiue veteris offenſæ memoria, ſiue recentem eius diffidentiam indigne ferens, ſiue Antonii mandatis obſequens, ad ſe adductum Mileti interfecit; immemor ſe ab eo aliquando captum fuiſſe, atque ſeruatum. Eius copias ſacramentum Antonio dicere coëgit. Interfectum autem ait, idem Appianus ætatis anno quadrageſimo, cum in tenera ætate patre orbatus eſſet, fratre vero iam adoleſcentulus; quæ non ſatis inter ſe congruunt; nam pater eius mortuus eſt, an. V.C. 705. frater 708. quo tempore ſi adoleſcentulus, fuit, vt puta viginti annorum, nunc non quadragenarius, ſed decennio minor fuerit. (*puerulus,*)

XIII. *An Antonii voluntate.*

Svnt qui dicant, inquit Appianus, Plancum Syriæ præſidem, non Anto-

nium, Pompeii mortem mandaſſe, cum ille in maioris momenti literis nomen aſcriberet Antonii, & annulo eius ſignatorio vteretur: alii Plancum conſentiente Antonio, quod ambo vererentur, ne cauſa diſſidii Cæſarem inter & Antonium, aut Antonii cum Cleopatra Pompeius exiſteret. Paulo aliter de Pompeii morte Dio l. 49. Antonius inquit ira permotus, confeſtim Titio ac Furnio per literas mandauit, vt interficerent Pompeium; paulo poſt pœnitentia captus ſalute eum donari iuſſit. Atqui cum priorem tabellarium poſterior præueniſſet, Titius poſterius acceptis de morte literis, eaſque vel ſcriptas poſterius eſſe ratus, vel cognita veritate fidem habere nolens, ordinem literarum non ſenſum ſecutus eſt. Ita Sex. Pompeius mortuus eſt, L. Cornificio & Sex. alio quodam Pompeio Coſſ.

Ratio temporis.

XIV. *Res grata fuit Cæſari. Titius unde Romanis odioſus.*

EIVSQVE mortis cauſa Cæſar Ludos equeſtres exhibuit. M. autem Antonio currum in Roſtris, & ſtatuas in templo Concordiæ poſuit. Quod ſcilicet publicæ pacis turbatorem, & ciuilis belli incentorem ſuſtuliſſet. Vellcius l. 2. Pompeius Aſiam fuga petiuit; iuſſuque M. Antonii, cuius opem petierat, dum inter ducem & ſupplicem tumultuatur, & nunc dignitaté retinet, nunc vitam precatur, à Titio iugulatus eſt; cui in tantum durauit hoc facinore contractum odium, vt mox ludos in theatro Pompeii faciens, execratione populi ſpectaculo quod præbebat, pelleretur. Nimirum ſi quod odium iuſtum eſt, aduerſus ingratum iuſtum eſt.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 4019.

1 N. 111

Incurrit hoc loco Ioſephus, iterum in idem erratum, quo lapſus ſupra l. 12. c. 6. cum ait pro Ieſu ſubrogatum in Pontificatu fratrem eius Oniam. Non enim Onias ſucceſſit Iaſoni, ſic enim appellari maluit, ſed vice verſa Iaſon Oniæ. 2 Machab. 4. 7. 10. Iaſoni autem Menelaus ibid. verſ. 24. 27. eum Lyſimachus v. 29 Vide quæ ſupra diximus, an. Græcorum 137. n. 16. & ſeq. & ann. 140. n. 1. & ſeqq. & n. 8. & 9.

ANNVS MVNDI 4020. SEXTÆ ÆTATIS 505.

HYRCANI II. PONTIF. 41. IMPERII ROM. 15. OCTAVIANI, ET TRIVMVIRATVS 10. HERODIS ASCALON. 7. QVI ET 4. ÆT. 39. PRÆSID. SYRIÆ M. ANT. CLEOPAT. 17. OLYMP. 186. AN. 3. VRBIS COND. 719. COSS. L. SCRIBONIO LIBONE, ET L. SEMPRONIO ATRATINO, BELLI CIVILIS 16. BELLVM ARMENICVM. AN. IVLIAN. 12.

ANNVS ANTE CHRISTVM 33.

I. *Huius anni Coſſ.*

HOS Conſules Caſſiodorus apud Cuſpin. profert, aliiq. vt habent Sigon. Pighius & Onuphr. Quod autem ſcribit Dio M. Antonium factum II. Coſ. eundemque Calendis. Ianua. abdicaſſe, & in ſuum locum ſuffeciſſe L. Sempronium Atratinum, difficultatem habet non leuem. Nam Alexandriæ tum Antonium fuiſſe, & inde non niſi æſtate egreſſum, ex Plut. in eius vita conſtat; vt dicendum videatur id totum per literas factum eſſe. Sic Auguſtus, vt notat Suet. in eius vita, quartum Conſulatum in Aſia, quintum in inſula Samo, octauum & nonum Tarracone iniit. Iudaicas porro huius anni res ex Ioſepho [a] petemus. Quæ ſic ſe habent. num. 16. a l. 15. c. 3.

II. *Alexādra fugam cū filio in Ægyptum cogitat.*

CVM Alexandra in Ariſtobuli filii Pontificatu acquieſcens nihil moueret; Herodes ſiue timens ne mulier fiducia generis res nouas agitaret animo, ſiue occaſionem quærens, qua in eam ſæuire poſſet; iuſſit eam ſe intra regiam continere; &

nihil pro poteſtate agere; adhibuit & moleſtos perpetuoſque obſeruatores, qui in omnes eius actiones intenti, omnia ad regem deferrent. Eam ſeruitutem, cum Alexandra ferret impatientius, miſit ad Cleopatram literas, præſentem rerum ſuarum ſtatum deplorans, & rogans, vt opem aliquam ſibi afferret. Illa iuſſit eam, vna cum filio clam in Ægyptum ad ſe confugere. Hæc paratis duabus ſandapilis, quaſi mortuis efferendis, in eas ſe & filium incluſit, iuſſis famulis conſciis, vt eas noctu efferrent, & ad paratum nauigium in Ægyptum deuehendas, deportarent. Ea res cum Herodi innotuiſſet, paſſus eam tentare fugam, in ipſa fuga deprehenſam retraxit; veniam tamen ei dedit, metuens Cleopatram, & inſidias in adoleſcentem, quem tollere ſtatuebat, vt perpetuam timoris materiam, in tempus diſtulit, vt ſeq. anno dicemus.

III. *M. Antonius adit Armeniã. Ratio temporis.*

IAM quod ad rem ab Antonio hoc anno geſtam attinet, nam res à Cæſare geſtæ nihil habent inſigne, eam de more attingit Velleius l. 2. Notato tamen obiter tempore. Cum enim dixiſſet Antonium ex Parthica expeditione reuerſum, fugam ſuam victoriam appellaſſe, ſubdit. Qui tertia æſtate reuerſus in Armeniam regem eius Artauaſdem fraude deceptum, catenis, ſed ne quid honori deeſſet, aureis vinxit. Tertiam æſtatem vocat, tertium annum ab illa fuga, quæ contigit anno V.C. 717. Itaque parum probabilis videtur Dio, cum hoc bellum refert in Pompeii & Cornificii Conſulatum; non enim tertia, ſed altera æſtate Velleius dixiſſet. Confirmat etiam Appianus in fi. l. 5. qui ait Antonium, Pompeio defuncto, in Armeniam expeditionem ſuſcepiſſe, & Cæſarem contra Illyrios. Verum dicendum eſt, Dionem ſub iiſdem Conſulibus res prioris, & poſterioris anni coniunxiſſe, vt ſæpe ſolet; Itaque quæ ad præced. annum pertinent ante retulimus, nunc cætera perſequamur, quæ ipſemet paulo poſt ad Conſulatum L. Sempronii Atratini retulit. Æſtatem autem nominatim Velleius notat, quoniam non ante æſtatem eam expeditionem, ſi eo digna eſt nomine, ſuſcepit.

IV. *Cur tardius ſuſcepta expeditio.*

IN tantum, inquit Plut. in Antonio, molliuerunt & effœminarunt hominem, vt verens ne mortem ſibi Cleopatra conſciſceret, Alexandriam regrederetur, Medumque in æſtatis horam reiiceret, quamuis nunciaretur res Parthorum ſeditione agitari. Sic ille.

Et qua belli cauſa.

Cauſam huius belli Plut. & Appianus, ille in Antonio, iſte in Parthicis, referunt in iſtum ipſum Armenium Artauaſdem, qui cauſa fuiſſet præteritæ cladis, quod equitatum ſuum ſexdecim millium ex Media abduxiſſet; cum legionibus Romanis adeſſe debuerat, ad perſequendum Parthos, in fugam Romanorum viribus effuſos, nec permittendum, vt illi toties profligati, toties pugnam, cum magno Romanorum damno, redintegrarent. Quare Antonium omnes infeſti ad vindicandum in Armenium concitabant. At ille conſilio vſus, ait Plutarchus, tunc neque proditionem exprobrauit ei, neque de conſueta in eum comitatem, & honore quidquam detraxit; quod infirmus admodum eſſet ab exercitu, & omnium rerum indigus.

V. *Rex Armenus cõprehenſus, vinctuſque*

POST tamen (hac ſcilicet tertia æſtate) iterum Armeniam ingreſſus, multis pollicitationibus & inuitationibus induxit Artauaſdem ad congreſſum, vt Dio quoque tradit, nihil iræ præ ſe ferens, ne is metuens bellum pararet, quem imparatum opprimere cupiebat, ac tum comprehendit eum, vinctumque deduxit Alexandriam, vbi de eo triumphauit. Qua potiſſimum re populum Rom. offendit, quod prima patriæ ornamenta, in gratiam Cleopatræ, deferret Ægyptiis. Sic Plut. Dio ſcribit Antonium, per quendam Dellium legatum, filiam eius popoſciſſe in vxorem filio ſuo Alexandro, quem ex Cleopatra ſuſceperat: cumque ille nihilominus timens inſidias non veniret, Antonius celeriter, vſque ad maioris Armeniæ vrbem ARTAXATAM progreſſus, cum terrorem intuliſſet, ille ad ANTONIUM denique in caſtra venit; vbi comprehenſum, primum abſque vinculis circum caſtella, in quibus theſauri erant repoſiti, circumduxit, ſpe eorum ſine certamine potiundi; ſimulans ſe eum non alia de cauſa captiuum habere, (vt olim Thrypho Ionatham [a]) quam vt ab Armeniis, pro liberatione ac regno eius, pecuniam colligeret.

De eo Alexandriæ triumphauit.

Rei geſtæ modus.

a 1. Mac. 13. 15.

IV. *Filius Artauaſdis fit rex, & ab Antonio vincitur.*

POSTQVAM autem cuſtodes Gazæ ei non obtemperarunt, & qui in armis erant, Artaxam, eius filium natu maximum regem eius loco conſtituerunt, argen-

teis catenis Artauaſdem vinxit, moxque vniuerſam Armeniam partim vi, partim deditione accepit. Nam Artaxes prælio congreſſus, & victus ad Parthos conceſſerat.

Filia eius nubit Antonii filio.

His perfectis, Medorumque regis filia, arctioris amicitiæ cauſa, filio ſuo in matrimonium impetrato, relicto in Armenia exercitu, magnam prædam, Artauaſdemque cum coniuge & liberis ſecum abducens, in Ægyptum reuerſus eſt, eoſque inter alios captiuos ante ſe ducens, triumphali curru Alexandriam inuectus eſt. In Cleopatræ autem gratiam & cætera egit, & Artauaſdem cum ſuis, aureis in vinculis, ad eam in medio populi, tribunali argento obducto, aurataque ſella ſedentem adduxit; qui tamen ei ſupplices eſſe noluerunt.

VII. *Cæſario ab Antonio fit Aegypti ac Cypri rex. Antonii profuſa largitio prouinciarum.*

Deinde Antonius Alexandrinis epulum dedit; atque in concilio populi Cleopatræ, eiuſque liberis iuxta ſe ſedem dedit, habitaque ad populum oratione, Cleopatram Reginam regum; Ptolemæum Cæſarionem Regem regum appellari iuſſit, iiſque Ægyptum & Cyprum addixit; affirmans Cleopatram Cæſaris coniugem fuiſſe, ideoque Cæſarionem eius eſſe legitimum filium, vt Octauianum adoptatum in inuidiam adduceret. Suis vero ex Cleopatra liberis, Ptolemæo Syriam, & omnes cis Euphratem, vſque ad Helleſpontum regiones, Cleopatræ autem Africam Cyrenaicam, Alexandro fratri eorum Armeniam, & alias trans Euphratem, vſque ad Indiam permittens. Hæc Dio,[a] quibus anguſtiora etiam in Plutarchi Antonio reperias. a ſub fi. l. 49

VIII. *Eadem ex Plutarcho.*

Repleto, inquit, hominibus gymnaſio duos aureos thronos, ſuper argenteo tabulato collocauit, vnum ſibi, alterum Cleopatræ; liberis alios humiliores. Tum primum Clopatram declarauit Ægypti, Cypri, Africæ, Cœleſyriæ Reginam, Collega addito Cæſarione, quem ea ex Cæſare concepiſſe, grauidaque ab eo relicta fuiſſe credebatur. Inde communes filios Reges regum appellauit, & Alexandro Mediam, Armeniam, Parthiamque, ſi quando ſubacta foret, attribuit. Ptolemæo Syriam, Phœnicem, & Ciliciam, ſimul & produxit eos, Alexandrum Medico veſtitu, cum tiara & recta ſidari; Ptolemæum cum crepidis chlamyde, & cauſia, quam diadema ornabat: hic enim habitus eſt regum, qui Alexandro magno ſucceſſerunt, ille Medorum & Armeniorum. Cùm pueri parentes ſalutaſſent, alterum Armeniorum, alterum Macedonicum ſatellitium ſtipauit. Cleopatra vero & tunc, & quoties prodibat in publicum, veſtem Iſidis ſacram geſtabat, & nouæ Iſidis nomine populis reſponſa dabat. Hanc autem largitionem ſuam Antonius etiam Romam perſcribere non dubitauit, vt rata haberetur; ſed quomodo ea Romæ excepta ſit, ſequenti anno dicetur.

IX. *Antonii captiuitas.*

Hic tantum addo, vel hoc vno exemplo Antonii, qui fortiſſimus alioqui peritiſſimuſque Imperator, Cleopatræ, fœminarum impuriſſimæ ſceleſtiſſimæque famulabatur, intelligi, quantus ſit dominatus inſanæ libidinis in homines, quos eò adducit, vt ſua & aliena impudenter profundant, vt vxores ſuas pernicioſa offenſione contemnant, vt patriam obliuiſcantur, vt ab induſtria militari, roboreque torpeſcant, vt fœdam infamiæ maculam contrahant, inimicos accumulent, vitam denique turpiſſima morte commutent: quæ ex ſequentibus illuſtriora fient.

ANNUS MUNDI 4021. SEXTÆ ÆTATIS 506. IMPERII ROMANI 16. OCTAVIANI, ET TRIUMVIRATUS 11. Herod. 8. qui et 5. Æt. 40. Hyrcani 43. Præsid. Syr. M. Anton. Cleopatræ 18. Olymp. 186. an. 4. Urbis Condit. 720. Coss. C. Cæsare Octaviano 11. et L. Volcatio Tullo. Bell. Civil. 17. An. Iulian. 13.

ANNUS ANTE CHRISTUM. 32.

BELLUM ciuile omnibus hiſce annis præferimus, quod ſemper id clam aut aperte præparatum, aut geſtum eſt. De Coſſ. Dio l. 9. extremo ait Cæſarem Conſulatum, quem ſecundum gerebat collega L. Tullo, ſtatim prima die depoſuiſſe, exemplum Antonii ſecutum, vti præcedenti anno annotatum eſt; idque ipſum fortaſſe dicere voluit Appianus in Illyricis, vbi de hoc tempore agens, ita loquitur, prout eſt apud interpretem, nam Græcus textus non extat. Eo in prælio Cæſar (ad vrbem Setouiam inito) lapide genu ſaucius, per multos dies æger iacuit, conualeſcens Romam ad Conſulatum rediit, cum Barbatio Tullo collega magiſtratum initurus, Statilium Taurum ad reſidua eius belli dereliquit. I. *Cæſaris pugna in Dalmatia.*

Mensis initio ingreſſus Conſulatum, eamet die, Antonio adminiſtratione præbita, ipſe in Dalmatas iterum procurrit, Triumuiratum adhuc obtinens: iam enim ſecundi quinquennii tempus effluxerat: quem à ſeipſis à principio inuaſerant, populus vero ſubinde confirmarat. Sic Appian. quem vides tempus Triumuiratus à nobis notatum aperte confirmare; ſed cui Antonio adminiſtrationē præbuerit non intelligo, M. quippe in Ægypto erat. Corruptum vtique eſt Conſulis vtriuſque nomen, & pro Antonio Autronius, quem aliqui Pætum, alii Craſſum cognominant; pro Barbatio Volcatius legendus eſt, quod Sigonius, Onuphrius, Pighius annotarunt. Cæſaris hunc ſecundum Conſulatum confirmat Sueto. n. 26. quem geſſiſſe ait, poſt 9. annos à primo, excluſis videlicet extremis, alioqui enim decimus eſt, eumque pauciſſimis horis geſſiſſe ait. Nam Cal. Ianu. cum mane pro æde Capitolini Iouis, paululum curuli ſella præſediſſet, honore abiit, ſuffecto alio, Autronio videlicet, vt dictum eſt, ſicut Sex. Pompeio deſignato, & antequam iniret occiſo, ſuffectus eſt Volcatius Tullus. II. *Coſſ. anni huius.*

Hoc anno Herodes ſpem vnicam regii generis ſuſtulit Ariſtobulum, Alexandræ filium, vxoris ſuæ Mariamnes fratrem, cui Pontificatum ante annum dederat, vt iiſdem mulieribus gratificaretur. Suſtulit autem timens ne is aliquando in paternum regnum ſe deiecto eueheretur, ab Antonio per Cleopatram euicto, id agente apud Cleopatram Alexandra matre adoleſcentis. Cæterum non ante hunc annum ea mors contigit, perſpicue enim Ioſephus[a] ſcribit Ariſtobulum ſeptendecim annos natum in feſto Scenopegiæ, id in Septembrem cadit, ceremonias Pontificias decentiſſime tractaſſe, & multitudinis oculos ad ſe ſtudiaque conuertiſſe. Indeque accenſam Herodis inuidiam, quod de cæde Adoleſcentis decreuerat, maturaſſe, vſque ad æſtiuos tamen calores, id diſtuliſſe apparet. III. *Herodes Ariſtobuli cædem machinatur.* *Ratio temporis.*

a l. 15. c. 3.

Cum ait Herodem apud Alexandram exceptum conuiuio, comitate Adoleſcentem pertraxiſſe in piſcinas, quæ circa aulam erant, ibique primum ſpectaſſe natantes quoſdam è ſociis & famulis, deinde prouocante Herode, adoleſcentem quoque ſe eis immiſcuiſſe, & ab iis, prout ab Herode iuſſi fuerant, natantem quaſi per luſum, & petulantiam ſub aquis detentum eſſe, donec aquis præfocaretur, ætatis anno decimo octauo, Pontificatus primo. Hæc fere Ioſephus. Gorionides[b] factum ait conuiuium ab Herode in Iericho; & ab fuiſſe, cum merſus eſt Adoleſcens, IV. *Cædis modus.*

b l. 5. c. 16.

ἕβδομον ἐπὶ τοῖς δέκα γεγονὼς ἔτος, διεφθάρη ὀκτωκαίδεκα μὴ ἀπαρτίσας ἔτη.

Vnicum pro Pontifice annum vixit

à ſociis ſimul natantibus. Ioſephus autem cum adoleſcentis annos prius ſeptemdecim ponit, deinde octodecim, duos vtique diſtinguit annos. Nihilominus tamen videtur idem ſignificare hanc cędem mox à feſto Scenopegiæ eſſe perpetratam. Ait enim peracta illa feſtiuitate, acceptum Herodem conuiuio ab Alexandra, & ſatis conſtat vltimos Septembris dies, in locis præſertim calidioribus, qualis eſt Iudæa, ſæpe æſtuoſos eſſe: nec repugnat tempus Pontificatus, poſſet enim ad hunc annum perueniſſe, nec niſi annum vnum in ea dignitate expleuiſſe.

V. *Pro eo luctus, & funus.*

Casvs hic vbi mulieribus renunciatus eſt, inquit Ioſephus, verſa repente rerum facie lamentatio exoritur ſuper cadauer iuuenis, & luctus inconſolabilis, altera filium, fratrem altera lamentante, totamque vrbem mœror occupauit. Mater tamen etſi ſæpe ad manus ſibi inferendas pronior, cum eam dolus non falleret, diſſimulandum tamen cenſuit, ne vel ſibi ipſa à tyranno mortem accerſeret, vel expetitæ vltionis adimeret facultatem. Herodes interim modis omnibus operam dedit, vt ſe ab ea cæde plane alienum demonſtraret; itaque præter lachrymas & mœſtitiam veræ ſimillimam, magnificentiſſimo Iuuenem apparatu, in regiarum mulierum ſolatium extulit.

Cleopatra vltionem vrget.

Alexandra nihilominus, vt idem Ioſephus[a] memoriæ prodit, in dies magis ac magis exacerbante mœſtitia, accendebatur ad vindictæ deſiderium. Per literas igitur inſidias Herodis Cleopatræ indicat, ſimulque filii ſui miſerabilem interitum. Illa vero ſiue miſerata mulierem, ſiue regno Iudæorum inhians, filiis ſuis, cum multis aliis prouinciis, deſtinato, vt ex Dione & Plut. diximus, non deſtitit Antonium incitare ad iuuenis mortem indigniſſimam vlciſcendam.

a l.15.c 4.

VI. *Antonius Herodem euocat.*

His permotus Antonius, poſtquam Laodiceam peruenit, (proficiſcebatur autem in Orientem, quaſi Parthis bellum illaturus, & vſque ad fluuium Araxem profectus eſt, vt traditur à Dione,[b] & Ioſephus affirmat, vt mox dicemus,) accerſiuit ad ſe Herodem, cauſam de eo crimine dicturum. At ille nec cauſæ ſuæ ſatis fidens, & Cleopatræ odia metuens, abiturus regni curam Ioſepho patruo committit, & clam mandat, vt ſi Antonius grauius aliquid in ſe ſtatuat, confeſtim Mariamnem interficiat; exiſtimans ad iniuriam ſuam pertinere, ſi quis ſe mortuo illius pulchritudine potiretur; aut potius veritus, ne quis Iudæorum ex ea ſemen Machabæorum pro Aſcalonitico ſuſcitaret. Itaque mulier, vbi rem ad eam detulit Ioſephus patruus, id non in amoris in ſe argumentum; ſed in ſignum tyrannici animi, qui vel mortuus in ſuorum capita ſæuire conaretur, non male interpretata eſt.

b in fi.l.49.

Qui abiens Mariamma cædem mandat.

VII. *Antonium muneribus placat.*

Verum Herodes cum primum ad Antonium venit, muneribus eum placauit, & crebris colloquiis indignationem viri leniit, tametſi ſiniſter de eo interfecto rumor ſparſus fuerit; ab eoque impetrauit, vt ne deinceps Cleopatra Iudæam affectaret, quam iampridem Herodi conceſſam à ſe populoque Rom. non ignoraret, Cœleſyria contenta. Herodes ergo deducto aliquantiſper Antonio contra Parthos eunte, in Iudæam reuerſus eſt. Ibi Ioſephum patruum, ne in conſpectum quidem admiſſum, iuſſit interimi, quod ſecretum de occidenda Mariamne ad eam detuliſſet; Alexandram vero ſocrum, quæ per ſiniſtrum illum rumorem ad Romanos fugere voluerat, vinctam coniecit in cuſtodiam.

Patruum necat, ſocrũ habet in vinculis.

VIII. *Antonium Cleopatra comitatur, Cleopatrã Herodes.*

Cleopatra porro Antonium in Armeniam cum exercitu profectum, Euphratem vſque proſecuta, reuertitur, & obiter adita Apamea, Damaſco, Iudæa, in qua Hiericuntinum agrum Balſami feracem Antonius illi dederat, quem illa Herodi locauit, ab eo cum muneribus in Ægyptum deducta eſt.

Cæterum Antonius ſubiugata Armenia, Artabazem Tigranis filium, cum filiis ſuis ſatrapis vinctum, in Ægyptum miſit munus Cleopatræ, & quidquid pretioſum de eo regno ceperat. Regno autem Armeniæ potitus eſt Artaxias filiorum illius natu maximus, qui in eo tumultu effugerat &c. Sed hæc videntur ad præcedentis anni hiſtoriam, quam ex Dione & Plutarcho retulimus, pertinere, quam non ſatis Ioſepho cognitam docet ipſe, cum putat in Ægyptum miſſum Artauaſdem, quem omnium conſenſu conſtat ductum ab ipſo Antonio in triumphum Alexandrinum: poſt quem, hanc alteram profectionem in Parthos notat Plut. in eius vita.

IX. *Antonius cum Medo ſocietatem init.*

Dio quoque, vt paulo ante dicebamus, ait Antonium hoc tempore, vſque ad Araxem profectum, quaſi Parthis bellum illaturum; ſatis tamen habuiſſe, cum Medorum rege ſocietatem iungere, eiuſque ratione mutua ſibi auxilia Antonius

Medo contra Parthos, Medum Antonio aduerſus Cæſarem ſpopondiſſe; Iam enim ſimultates inter Cæſarem & Antonium erumpebant, adeo vt Plutarchus ſcribat Antonium ex iſta expeditione reuerſum fuiſſe, bello ciuili iam intentum: firmaſſe autem ſocietatem cum Medo, deſponſa vna filiarum eius paruula, cum vno filiorum, quos ex Cleopatra ſuſcepiſſet. Dio puellam Iotapen vocat, puerum Alexandrum, affirmatque Cæſarem miſeratum eſſe regis Artuaſdis ignominiam, in triumphum ab Antonio deducti; quippe qui occulte, cum eo rege conſilia aduerſus Antonium agitarat; ſibique mutuo inuidiam apud populum Romanum conflaſſe, ideoq; quæ de rebus à ſe cōtra Armenum, & in Alexandria geſtis, ad Senatum p.q.R. ſcripſit, publice recitata non ſunt, ſtudio eorum qui fauebant Antonio, quod ea magnam illi conflare inuidiam cernebant. Cæſar autem euulgari cupiebat, imo vt habet Plut. hæc in Senatu Cæſar exponens, & crebro ad populum criminans, plebem in Antonium incendebat; ſed non niſi anno ſeq. iurgia hæc in publicum elata ſunt, vt ex Dione dicemus.

Semina belli inter Cæſarem & Antonium.

Qvæ autem magnifica opera Romæ, ſub hoc tempus conſtructa ſint, tam Cæſaris ipſius, quam Agrippæ, aliorumque principum opera, breuitatis cauſa omittemus, multa ſuggeret Dio. [a] & Suetonius in vita Auguſti.

a in fi. l. 49.

ANNVS MVNDI 4022. SEXTÆ ÆTATIS 507.

IMPERII ROM. 17. HYRCANI II. PONTIF. 44. OCTAVIANI, ET TRIVMVIRATVS 12. HERODIS 6. QVI ET 9. ÆT. 41. PRÆSID. SYRIÆ M. ANT. CLEOPAT. 19. OLYMP. 187. AN. 1. VRBIS COND. 721. COSS. CN. DOMITIO ÆNOBARBO, ET C. SOSSIO. BEL. CIV. 18. AN. IVL. 14.

ANNVS ANTE CHRISTVM 31.

I. *Res anni huius.*

INIMICITIÆ inter Cæſarem & Antonium, quas ambitio pepererat, & mutuus fouebat metus hoc anno manifeſte exarſerunt, & in id bellum erupere, quod proximo anno geſtum eſt. Itaque hunc annum Ioſephus vocat, erumpentis belli Actiaci, ſequentem autem vigentis, atque adulti. Sed prius quam de ipſo bello, aut eius apparatu dicam, res ab Herode contra Arabas hoc anno geſtæ compendio ex Ioſepho, [b] exponendæ ſunt. Fuit autem præſens annus Olympiacus, habuitque in ſtadio victorem Sopatrum quendam Argiuum.

[illegible] b l. 1. bel. c. 14 & l. 15. c. 5. 6.

II. *Occaſio belli Herodis, cum Arabe.*

Cvm Cleopatra partem Arabiæ ac Iudææ ſibi ab Antonio datam Herodi locauiſſet, eam pecuniam ille fideliter perſoluebat, ne quam occaſionem maleuolentiæ Cleopatræ præberet. Arabs vero, quem Plutarchus in Antonio Malchum vocat, poſtquam eorum exactio ad Herodem ſpectare cœpit, aliquandiu ei ſoluebat ducenta talenta annua; deinde malignior factus, & ad dandum ſegnior, vix partes quaſdam reddebat, ac ne eas quidem integras. Quam eius iniquitatem non ferens Herodes, ei bellum erat illaturus, ni retardatus eſſet Romanorum contentionibus. Cum enim expectaretur pugna Actiaca, quæ in 187. Olympiadem incidit, eiuſque annum ſecundum, vt dicemus Cæſar de Imperii ſumma decreturus erat, cum Antonio. Et Herodes quidem magno apparatu auxilia expediebat Antonio, ſed ille hanc operam ei remiſit, negans ſibi opus eſſe.

III. *Quod Herodes Antonii iuſſu ſuſcepit. Perfidia Cleopatræ & Athenionis.*

Vervm quia tam ex ipſo, quam ex Cleopatra audierat de Arabis perfidia, iuſſit in illum bellum vertere, Cleopatra id probante, quæ in rem ſuam, eſſe exiſtimabat, ſi alter ab altero mutuis cladibus attereretur; quod & factum eſt. Nam ad Dioſpolim acerrimo prælio confligentes Iudæi, de Arabibus victoriam retulere. Deinde cum ſecundo ad Cana Cœleſyriæ Arabes conflixiſſent, iterum à Iudæis cæſi ſuperabantur, niſi Athenio dux Cleopatræ, cum integris copiis feſſos Iudæos inuaſiſſet, ſimulque addito victis Arabibus animo, eos ad pugnam reduxiſſet; tunc enim magna ſtrage affecti, iam pene partam victoriam, cum ſuis etiam caſtris amiſerunt. Scribit Gorionides [c] Cleopatram miſiſſe Antemum, ſic

c l. 5. c. 18.

enim vocat, ducem exercitus ſui in Herodis auxilium; clam autem ei mandaſſe, vt cum rege Arabiæ in ruinam Iudæorum conueniret, & eos à tergo, in ipſo congreſſu belli inuaderet, vt cæſo Herode cum ſuis, ipſa regno Iudææ potiretur. Ex eo tempore Herodes, quod collatis ſignis non poterat, id excurſionibus obtinere ſtudebat, vt Arabas quam maximis damnis afficeret. Hæc pluribus loco citato Ioſephus. Nunc Actiacæ pugnæ apparatum, ex quinquageſimo Dionis libro, & Plutarcho in Antonio petamus.

IV. *Mutua Cæſaris & Antonii querela.* Mvltis adhuc inter ſe literis nunciiſque certabant Cæſar & Antonius, Antonio Cæſarem accuſante, quod Lepidum magiſtratu detruſiſſet; prouincias & exercitum, cum Lepidi tum Sexti Pompeii ſibi vendicaſſet, quæ debuerant ambobus eſſe communia; itaque dimidiam earum partem poſtulabat, ſicut & militum quos Cæſar ex Italia, vtrique communi delegerat. Cæſar vero accuſabat Antonium, quod Ægyptum ſibi ſorte non datam obtineret: quod Pompeium à ſe dimiſſum occidiſſet; quod Artauaſdem Armenum, per fraudem & perfidiam captum, & in vincula coniectum, cum magna populi Ro. infamia, in triumphum duxiſſet; ſed omnium maxime Cleopatram illi, liberoſque ex ea ſuſceptos, ac donatas eis regiones exprobrabat; Idque præcipue quod Cæſarionis nomen filio Cleopatræ indidiſſet, eumque in Cæſaris familiam retuliſſet. Hæc illi per literas, legatoſque, qui viciſſim res aduerſarii explorabant, dum duces ipſi pecunias & arma, quaſi in alium aliquem finem, atque hoſtem compararent.

V. *Coſſ. Antoniani Cæſarem vexant.* Donec Cn. Domitius, qui poſt bellum Philippenſe Antonii partibus adhæſerat; & C. Soſſius, qui Antonii legatus Iudæos ſubegerat, & Herodem in regnum Antigono deuicto, cæſoque immiſerat, donec, inquam, Domitius & Soſſius, Antonianarum vterque partium, Conſulatum adierunt. Nam Soſſius ipſis cal. Ianuar. multa verba in Cæſaris vituperationem, & laudem Antonii declamauit, edictumque contra Cæſarem confeſtim facturus erat, niſi Nonius Balbus tribunus plebis interceſſiſſet. Aberat tum de induſtria Cæſar, quod præuidiſſet, neque conniuere ſe iſtis poſſe, ſi adfuiſſet; neque reſiſtere vellet, ne prior bellum incepiſſe videretur; & per otium certius conſilium, de iis quæ ſibi agenda eſſent, capere poſſet.

VI. *Qui ſe in Senatu defendit.* Romam reuerſus, præſidio amicorum militumque ſeptus, Senatum conuocauit, in eoque ſella curuli in medio Conſulum ſedens, multis ſe ipſe defendit, multis Soſſium atque Antonium accuſauit: quibus cum neque Conſules, neque alius quiſquam reſpondere auſus eſſet, eos iterum ad certam diem conuenire iuſſit, qua die ex ipſius Antonii literis accuſationem ſuam confirmaturus eſſet. *Et viciſſim Antonius.* Sed ante eam diem Coſſ. ex vrbe ad Antonium profugerunt, eoſque ſenatores non pauci ſecuti ſunt,[a] quo die nihilominus Cæſar ſenatu congregato, de ſcripto recitauit, dixitque quæ voluit cõtra Antonium; quæ poſtquam ad Antonium ſunt relata, ipſe Senatu præſentium habito, multis in vtramque partem prolatis, bellum ſuſcepit, atque Octauiam repudiauit. [a] vid. Suet. l. 2. n. 17.

VII. *Qui Octauiam Cæſaris ſororem repudiat.* Avdit Plut. etiam Romam miſiſſe certos homines, qui Octauiam domo ſua pellerent: exiiſſeque illam trahentem ſecum omnes Antonii liberos, præter natu maximum è Fuluia genitum, qui cum parente agebat. Lamentabatur autem Octauia, quod vna ex belli cauſis ipſa quoque videretur. Populus autem ei compatiebatur, & videlicet in Antonium indignabatur, qui talem mulierem præ Cleopatra contemneret, atque iniuria afficeret: cuius conſuetudinem moleſte ferentes, *Amici Antonii ab eo deficiunt.* & Antonii actionibus offenſi, qui illi intimi erant, ab Antonio ad Cæſarem tranſierunt; in quibus Titius & Plancus, quos Antonius cariſſimos, atque honoratiſſimos habuerat, & omnium ſecretorum conſcios, eoſque Plutarchus ait à Cleopatra ſugillatos, quod plurimum fuerant aduerſati ne bello ipſa intereſſet. In hunc Planci ad Cæſarem tranſitum Velleius l. 2. peracerbo ac maledico ſtylo inuehitur, moxque ait eum Titii auunculum fuiſſe, qui ſcilicet Sex. Pomp. occiderat.

VIII. *A Cæſare accepti.* Cæsar illos libentiſſime recepit, & ab iis cum alia didicit, tum quæ ille teſtamẽto mandaſſet, id enim vterq; obſignauerat, & vbi illud repoſitum ſeruaretur. Quod acceptum apud Veſtales Cæſar, tam in Senatu, quam in populi concione recitauit; quo ferebatur Cæſarionem eſſe verum Cæſaris filium; propterea que locum adoptato Octauio nullum eſſe; ſuis autem ex Cleopatra liberis immenſa munera dabat, ſuumque mortui corpus, per forum Romanum elatum, Alexandriæ

driæ cum Cleopatra ſepeliri iubebat. Hæc tantam inuidiam, apud omnes excitarunt, vt reliqua etiam, quæ vulgo iactabantur, & pro veris tradit Florus,[a] vera eſſe crederent; nempe Antonium, ſi rerum potitus foret, Romam Cleopatræ dono daturum, & imperium in Ægyptum tranſlaturum. Itaque vnanimi conſenſu ei Conſulatus, erat enim Conſul deſignatus, ademptus eſt, ac reliqua etiam poteſtas omnis abrogata; & licet non verbo, re tamen ipſa hoſtis declaratus eſt. *Teſtamentum Antonii in Senatu recitat.*

[a] l. 4. c. 11. Eutrop. l. 7.

IX. *Antonius reipſa hoſtis declaratur. Cleopatra bellum indicitur. Quantus belli apparatus.*

Nam impunitas ac laus iis propoſita eſt, qui Antonium deſererent; & populi iuſſu Cleopatræ bellum, maximo ſolennique ritu, à Cæſare tanquam feciali in æde Bellonæ indictum eſt. Sed reipſa indicebatur Antonio, quem certum erat non derelicturum Cleopatram, nec ad Cæſaris partes acceſſurum. Volebant autem eius aduerſarii hoc ei crimen obiici poſſe, quod contra patriam, nihil à ſuis læſus, ipſe vltro bellum pro Ægyptia muliere ſuſcepiſſet.

Apparatus ad hoc bellum pro vtraque parte maximus fuit, ac longe prioribus omnibus maior, vt inquit Dio. Totus quippe terrarum orbis in duas partes diuiſus concurrebat; Cæſarem omnis Italia, Gallia, Hiſpania, Illyricum, Africa, tam ea quæ iam ante ſub Romanis erat, excepta Cyrenaica, quam quæ Bogudi prius, ac Boccho paruerat, Sardinia, Sicilia, ac reliquæ omnes inſulæ prædictis terris vicinæ ſuſtentabant; Antonium autem Aſia vniuerſa quæ Romanis patebat, in qua decẽ duodecimue magnæ prouinciæ, & inſuper in Europa, Thracia, Græcia, omnis Macedonia, Ægyptus, Cyrenaica, cum finitimis; inſulæque omnes prædictis regionibus adiacentes, finitimique Imperio Romano principes ac Dynaſtæ. Numerat Plutarchus reges vndecim, qui pro Antonio in armis erant, quorum ſex præſentes aderant, quinque auxilia miſerant, in quibus Malchus Arabs, & Herodes Iudæus.

X. *Copiarum vtrimque numerus.*

Quamprimum autem illi de bello conſtitit, Canidium, cum ſedecim legionibus ad mare deſcendere imperauiſſe, refert; ipſum autem trahentem Cleopatram Epheſum conceſſiſſe, quo claſſis bellica, vndique cogebatur nauium octingentarum; ex quibus ducentas, Cleopatra, & viginti millia talentũm, commeatuſque per bellum toti exercitui præbuit. Sic Plut. quamuis Forus,[b] ducentas tantum naues Antonio tribuat, ſed magnitudine, & apparatu inſignes, vt quæ ciuitatum, cum ſuis turribus inſtar eſſent. Plutarchus rurſus in Antonio, naues pugnæ idoneas haud pauciores quingentis fuiſſe ait, in quibus octiremes & deciremes multæ, terribili, & ſuperbo ornatu, centum peditum, & duodecim equitum millia. Et mox, Cæſar naues ad prælium paratas habebat ducentas quinquaginta, 80. peditum millia, & totidem quot Antonius equites.

[b] l. 4. c. 11.

XI. *Cleopatra extorquet, vt bello adſit.*

Non probabat Antonius bello adeſſe Cleopatram, itaque Domitii, Titii, Planci conſilio ei præcepit, vt in Ægyptum nauigaret, ibique belli exitum expectaret. At illa reconciliationem, cum Octauia timens, Canidium ingenti mercede induxit, vt pro ſe apud Antonium ageret, eique demonſtraret, neque æquum eſſe ſubmoueri bello mulierem, quæ tantum prudentia valeret, tantumque conferret auxilii, neque ex eius eſſe vſu, vt frangerentur ea re Ægyptiorum animi, qui virium naualium magnam partem efficerent; quibus perſuaſus Antonius fatalem ad ruinam vtriuſque, mulierem ſecum traxit Epheſum; indeque Samum venit, quo vniuerſos ludicrarum artium architectos etiam coëgit, vbi magno in luxu diebus aliquot poſitis, nauigauit Athenas, vbi de integro ſe effudit in ludos & ſpectacula, & cum Cleopatra magnis ab Athenienſibus affectus eſt honoribus. Vſque adeo vero addictus erat Cleopatræ, vt cum peditatu longe, quam hoſtis eſſet potentior, in honorem tamen illius victoriam claſſe quæſierit, quamuis in ſumma remigum penuria atque imperitia.

XII. *Cæſaris metus de periculum.*

At Cæſar celeritate, & mole Antonii apparatus nunciata trepidauit, ne bellare illa æſtate cogeretur. Nam pecuniæ inopia laborabat, & exactionibus totam hoc tempore turbabat Italiam. Quare numerant in maximis Antonii peccatis, inquit Plut. belli procraſtinationem: inſtruendi quippe ſe ſpatium Cæſari dediſſe, & tumultum ſedandi. Additur à Dione Antonium pecuniis abundantem, aurum identidem in Italiam, atque in Vrbem ſummiſiſſe, ab abſtrahendos à Cæſare hominum animos, ſibique adiungendos. Quæ Cæſari cauſa fuit, vt & attentiores vbique cuſtodias inſtitueret, & pecuniam militibus ſuis diuideret.

Antonius Italiam petens retardatur.

Patris hyemat.

Suſpenſis iam his apparatibus, multiſque prodigiis omnium animis, Antonius curſum in Italiam intendebat, bellum ibi inopinantibus aduerſariis geſturus. Verum vbi Corcyræ audiuit Cæſaris naues actuarias, quæ ad ſpeculandum præmiſſæ fuerant, apud montes Ceraunios ſtare; ſuſpicatus eo Cæſarem, cum tota claſſe veniſſe, in Peloponneſum; (iam enim ſub finem Autumni erat) Patris hyemauit, dimiſſis in omnia loca militibus ad ea cuſtodienda, ſubmittendoſque commeatus.

ANNVS MVNDI 4023. SEXTÆ ÆTATIS 508.

IMPERII ROMANI 18. OCTAVIANI, ET TRIVMVIRATVS 13. Herod. 10. qvi et 7. Æt. 42. Hyrcani 45. Præsid. Syr. M. Anton. Cleopatræ 20. Olymp. 187. an. 2. V. C. 721. Coss. Octaviano 3. et Messala Corvino, Bell. Civi. 19. An. Ivl. 15. Actiacæ victoriæ 1.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 30.

I.
Actiaca pugnæ tẽpus.

HIS Coſſ. debellatum fuiſſe apud Actium omnium eſt conſentiens aſſertio, Velleii in primis l. 2. Dionis l. 50. qui ait deſignatos, quidem iampridem Cæſarem & Antonium, cum in octo continuos annos magiſtratus ordinaſſent: verum Antonio deiecto, vt ante dictum eſt, Valerium Meſſalam, quem illi pridem proſcripſerant, Conſulem eſſe factum: quibus conſentit Appianus l. 4. ciuilium, vbi de proſcriptione Meſſalæ. Caſſiodorus in faſtis; vbi tamen Cæſarem vocat II. Conſulem, non III. repugnantibus faſtis capitol. & Paulo Oroſ. qui eum [a] ſequenti anno, cum M. Licinio Craſſo quartum Conſulem vocat: & deinceps V. cum Appuleio. Suet. [b] ait tertium Conſulatum anno interiecto geſſiſſe. Idemque ſentit Ioſephus. [c] Eadem eſt omnium recentiorum nemine diſſentiente ſententia, niſi quod quidam hunc annum vocant vrbis 723. alii autem 722. in quibus Sigon. Pighius, & Cuſpin. quocum de anno triumuiratus, vrbis & Olympiadis conuenimus.

Conſul Meſſala dudum proſcriptus.

a l. 6. c. 19. *b num. 26.* *c l. 15 c. 7. & l. 1. de bel. c. 14.* *d l. 2. n. 8.*

II.
Tempus Triumuiratus.

Nec repugnat noſtræ Chrono. Sueton. [d] vbi ait Octauium triumuiratum, cum Antonio per annos fere 12. tenuiſſe: Nam reuera victus eſt Antonius, & profligatus ad Actium, durante adhuc anno duodecimo Triumuiratus, cuius annus decimus tertius incipit, 5. cal. Decemb. qui eſt 27. Nouemb. vt non ſemel diximus; pugna vero Actiaca cadit in 4. non. Sept. qui eſt 2. eiuſdem, vt ex Dione dicemus. Deerant ergo duo menſes, & 26. dies ab completis duodecim annis; quæ cauſa fuit Suetonio dicendi per annos fere duodecim Cæſarem tenuiſſe Triumuiratum. Cæterum nos decimum tertium vocamus hunc annum, ſcilicet inchoantem, non vertentem, ſicut & Herodis annum decimum; Nec repugnat nobis Ioſephus, [e] vbi hunc annum ait belli Actiaci, ſeptimo Herodis anno contigiſſe; id enim à morte Antigoni accipiendum eſt, V. C. 716. quando captis Hieroſolymis, & Antigono cæſo, regni poſſeſſionem iniit, vt ſenſit etiam Deckerius. [f] Ex quo intelligitur, Ioſephum vtrobique hoc bellum in hunc annum conferre. Sed de tempore hactenus, rem ipſam videamus, ſi prius pauca de rebus Iudaicis. [g]

Et regni Herodis.

e l. 15 c. 7. & l. 1. de bel. c. 14. *f loc. cit.* *g ex Ioſeph. lo. cit.*

III.
Magna ex terræ motu clades in Iudæa.
Arabes excitat ad iniuriam.

Dvm maxime, ait Ioſeph. apud Actium Herodes conflictatur cum Cæſare, 7. regni Herodis initio veris, Iudæa magno terræ motu concuſſa, qualis non fuit à diebus Oziæ regis Iuda, ait Gorionides: magnam pecudum paſſa eſt, hominumque ſtragem, adeo vt ruinis ædium circiter decem millia oppreſſa ferantur, [h] Gorionides, [i] quaſi decem millia interierunt in vicis Ieruſalem, præter eos qui mortui fuerunt in ciuitatibus Iuda. Militari multitudine nihil detrimenti accipiente, vt quæ ſub diuo ageret. Hæc clades in maius aucta rumoribus, auxit Arabum animos, vt qui afflictis profligatiſque Iudæis ſe ſuperuenturos ſperarent. Itaque legatis eorum, qui pacem petituri venerant, interfectis ad bellum properarunt; interfectos ait Gorion. extra Petram vrbem deſerti regni metropolim.

h in l. 1. de bel c. 14 dixerat triginta millia τρεῖς μυριάδας, hic autem περὶ μυρίους. *i l. 5. c. 18.*

AT Herodes ſuis ad fortiter agendum, & vltionem de perfidis & ingratis hoſtibus ſumendã excitatis, eos vltra Iordanem contra Arabas duxit, & caſtra ad Philadelphiam poſuit: [a] Vbi de quodam caſtello occupando certamine inito, Iudæi ſuperiores tulerunt; quæ res cum Iudæorum animos erexiſſet, Arabumque deieciſſet, & pugnare nihilominus cogerentur, poſt diutinum conflictum, impulſi Arabes & in fugam verſi, & ſuis & hoſtium telis cadebant, adeo vt quinque millia deſiderata ſint; reliqui in caſtris obſeſſi, ac ſiti domiti, ſeſe vinciendos, & in ſeruitutem abducendos, ad quatuor millia dedidere; reliqui deſperatione pugnantes, ad ſeptem millia cecidere, ſicque edomita Arabum ferocia, Herodes Hieroſolymam magna cum gloria reuerſus eſt. Hæc pluribus Ioſephus. [b] Gorionides refert Herodem obtinuiſſe ciuitates Arabum munitas, præſertim Petram deſerti, & reliquas omnes ciuitates eorum, factoſque ſeruos Herodis cunctis diebus vitæ eius: neminem vero de eius exercitu cecidiſſe, cum Ioſephus dicat non paucis vtrimque cæſis, tandem Arabas in fugam verſos eſſe. At in lib. de bello nullam Iudæorum attingit cædem.

Quos Iudæi magna clade afficiunt.

[a] l. 1. bel. c. 14.

[b] l. 15. l. 7. 8. & l. 1. de bel. c. 14 & Gorion. l. 5. c. 19.

CÆTERVM nimium fortaſſis audax eſt illa Ioſephi, quamuis Herodi tributa vox, terræ concuſſionem nullius futuræ cladis eſſe portentum, ſed huiuſmodi mala, eſſe elementorũ quaſi quædam vitia, quæ cum extiterint, ſui magnitudine finiãtur. Certe ex Euangelio conſtat [c] terræ motus magnos fore per loca, & peſtilentias, & fames, terroreſq; de cœlo, quæ ſint futura ſigna, bonis bonorum imminentium, & malorum malis. Nam ſequitur, *areſcentibus hominibus per timore, & expectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi*; & mox, *his fieri incipientibus, reſpicite, & leuate capita veſtra, quia appropinquat redemptio veſtra.* Illa autem eiuſdem prophana ac ſcelerata vox; conuenit, inquit, conſceleratis hoſtibus planum facere, quod neque humanum aliquod malum, neque ira cæleſtis vnquam deprimit fortitudinem Iudæorum, donec ſpiritum vitæ ducunt.

V. *Ioſephi de terræ motu ſententia refutatur.*

De inuicta fortitudine Iudæorum.

[c] Lu. 21. 11.

HÆC Herodes ad ſuos contra Arabas Thraſonice, aut Ioſephus de ſuis nimis aperto mendacio. Diceret ſaltem quod ille Ammonita apud Holofernem, non fuit qui inſultaret populo iſti, niſi quando receſſit à cultu Domini Dei ſui: nunc autem cœlum terramque laceſſit. Quaſi non iam centies humana potentia Romanorum, Ægyptiorum, Chaldæorum, Syrorum, Græcorum, Macedonum, Perſarum, Aſſyriorum, imo & vicinorum populorum proſtrati eſſent: aut non poſſit Deus, aut ipſe per ſe, aut vtens bonorum malorumue angelorum miniſterio, ſuperbi populi tumidam frangere ceruicem, qui ranis & muſcis Pharaonis potentiam contudit, atque afflixit; Audiat Idumæus hic Abdiam loquentem ad Edom; *Ecce paruulum dedi te in gentibus, contemptibilis tu es valde. Superbia cordis tui extulit te, inhabitantem in ſciſſuris petrarum, exaltantem ſolium tuum, qui dicis in corde tuo; Quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris vt aquila, & ſi inter ſydera poſueris nidum tuũ, inde detraham te, dicit Dominus.* Sed bene habet quod hæc in antiquitatibus ſunt emẽdata.

VI. *Refellitur experiẽtia.*

IAM vero quod ad Romanorum inter ſe poſtremam pugnam attinet, quæ Cæſarem Auguſtum, & Monarcham fecit. Cum tota hyems, vt ſcribit Dio l. 50. ſpeculando, viciſſimque damna inferendo tranſacta eſſet, vere inito Antonius ex Actiaca ſtatione nuſquam progrediebatur. Nam ſocii nauales, qui promiſcue variis ex gentibus erant collecti, qui procul ab eo hyemauerant, neque exercuerant ſe, etſi erant valde rudes & plane tyrones, & morbo inſuper ac perfugiendo diminuti erant. Interea Agrippa Methonem in Peloponneſo expugnat, Bogudem in ea occidit, multiſque Græciæ locis vim inferens Antonium perturbabat, qui Patris, vt diximus, hyemabat.

VII. *Antonius male instructus turba nautica paratus. Velitationes.*

CÆSAR qui malebat in Græcia, & Antonii regionibus pugnare, quam in Italia prope vrbem, omnes milites qui eſſent alicuius precii, eo conuenire iuſſit, & omnium ſenatorum equitumque primarios, alteros vt eorum opera in agendo vteretur, alteros ne ſoli relicti, res nouas agitarent: potiſſimum vero vt oſtenderet hominibus, maximam, optimamque Romanorum partem ſecum ſentire, cum his Brunduſio, (nam eo cohorta ad Corcyram tempeſtate reuerterat,) ſoluens Ionium mare traiicit, & ad Actium venit, vbi maior pars claſſis Antonianæ ſtationẽ habebat, ſperans eam ſe vel vi, vel deditione capturam, ideoque pedeſtres copias infra montes Ceraunios expoſitas eo mittens; ipſe Corcyram à præſidio deſtitutam na-

VIII. *Cæſar Brũduſio Corcyram venit. Et inde Actium.*

uibus occupauit.

IX. *Situs vtrocumque caſtrorum.* Inde ad Actium cum claſſe profectus eſt, eumque locum occupauit, in quo poſtea Nicopolim condidit, quam Ptolem. conſtituit poſt fauces ſinus Ambracii, à parte Occidentali è regione fere fani Actii, (cum Antoniani, neque ad colloquium propter fidem, neque ad pugnam propter metum progrederentur,) ibique edito loco caſtra poſuit, ac communiuit, cum Antoniani tam ſinum ipſum, quam eius fauces occupaſſent, ex vtraque faucium parte turribus ædificatis, & medio inter has interuallo ita munito, vt intrare atque exire nauigiis ſuis tuto poſſent. Caſtra vero iuxta Actium, erat id templum Apollinis, ad partem Orientalem habebant. Loci diſpoſitionem lector ex tabula Græciæ Ptolemæi facile intelliget.

Cæſar ambit pugnã ante collectas Antonii copias Antonius ſimulatque de aduentu Cæſaris cognouit, nihil cunctatus, cum ſuis ad Actium venit, vbi Cæſar crebro ei copiam pedeſtris naualiſque pugnæ fecit, volens cum eo ante aduentum omnium copiarum confligere. Quæ ipſa cauſa erat, cur Antonius compluribus diebus velitationibus tantum ageret: donec collectis omnibus copiis fretum traiecit, & caſtra haud procul à Cæſare poſuit, & vtraque ex parte ſinus, equitatum etiam ſubſidio collocauit.

X. *Quas & diſtrahere cupit opera Agrippa.* Cum Cæſar quieſcens, nec prælium vltro ſuſcipiens, in Græciam ac Macedoniam quoſdam miſit, qui eo Antonium euocarent. Nam Agrippa Leucadem repente aduectus, inſulam, & naues quæ in ea erant, cepit; tum Patras victo Q. Aſidio nauali certamine, poſt Corynthum quoque recepit. Ita quidem Dio, repugnante Plutarcho, qui poſt cladem Actiacam memorat Antonium literas Corinthum ſcripſiſſe, ad Theophilum procuratorem ſuum, in gratiam amicorum ſuorum, qui ad eum è prælio perfugerant. Interea M. Titius, ac Statilius Taurus Antonii equitatum, quem ille ex vtraque parte freti collocarat, ſubito adorti fuderũt, vt poſtea Antonius, ad alteram ſinus partem, priore noctu relicta, diſceſſerit.

Domitius aliique ab Antonio deficiunt. Domitius infenſus Cleopatræ redditus, licet febre correptus, perexiguo nauigio conſcenſo ad Cæſarem tranſiit. Etſi autem grauiter id tulit Antonius, miſit ei tamẽ omnia impedimenta, cum amicis & ſeruis; ſed is paulo poſt expirauit. Nihilominus ea re non parum detrimenti rebus Antonii attulit, quaſi de iis deſperaret, & plerique eius imitati ſunt exemplum; Amyntas enim & Deiotarus reges ad Cæſarem defecere, teſte Plut.

XI. *Antonius ſuos habet ſuſpectos.* Sævire in ſuos cœpit Antonius, & omnes habere ſuſpectos, & veritus ne quos ille ad colligendos mercenarios milites miſerat, res Cæſaris præferrent, ipſos ſecutus eſt, quaſi auxilium laturus. Dum per eius abſentiam Soſſius, pugna nauali ſuperuentu Agrippæ victus, cum multis aliis interiit. *Nauali prælio, & equeſtri inferior fit. De transferendo bello deliberas.* Quin & ipſe reuerſus, cum equeſtri prælio ab excubiis Cæſaris ſuperatus eſſet, & iam eum alimenta deficere inciperent, conſultare cœpit, an ibi prælio decertandum videretur, an alio digreſſis bellum trahendum. Ibi cum ſententiis variatum eſſet, Cleopatræ conſilium vicit, quæ ſuadebat vt opportuniſſima loca præſidiis firmarentur; reliqui ſecum & cum Antonio in Ægyptum abirent, non quidem furtim ac fugientium more, ne ſociis metum incuterent; ſed tanquam ad nauale prælium inſtructi, vt vi quoque ſi opus eſſet, iter ſibi aperirent. Itaque rebus ad diſceſſum paratis, ſuos ad pugnam pluribus cohortatus eſt, cum Cæſar re ex perfugis cognita, & ipſe ſuos ad pugnam comparauit, & ad eos orationem habuit, quam Dio fuſe repræſentat.

XII. *Canidii ea de re ſententia.* Hæc aliter Plutarchus narrat. Ait enim Canidium, qui legionibus præerat, & Antonio autor fuerat ducendi Cleopatram, ſub ipſum diſcrimen mutata ſententia, eidem ſuaſiſſe, vt Cleopatram remitteret, & in Thraciam vel Macedoniam profectus, terreſtri marte decerneret, quoniam terreſtribus copiis maxime valeret, & illic nouis Getarum auxiliis vti poſſet: & ipſemet terreſtrium certaminum peritior eſſet. Veruntamen fatalis Cleopatra, iam tum fugam circumſpiciens, expreſſit vt claſſe decerneretur. Moxque reliquis crematis nauibus, extra 60. Ægyptias, viginti millia peditum, & duo ſagittariorum in eis impoſuit. At quomodo extra 60. omnes exuſcit, cum mox 60. Ægyptiæ effugiſſe dicantur, cum Cleopatra: & trecentas à Cæſare captas ipſemet Plutarchus ex Cæſaris commentariis referat? Nimirum 60. Ægyptiæ naues ſeruatæ, cæteræ combuſtæ, videlicet Ægyptiæ: at retentæ Phœnices, Siculæ, Græcæ, Aſiaticæ, magno numero, quæ partim depreſſæ partim captæ fuerunt.

Et cogitabat quidem Cæſar hoſtibus dare enauigandi facultatem, quo fugientes à tergo adoriretur, nauium ſuarum celeritate: ſimul etiam ſperans, vbi palam factum eſſet Antonium fugere, fore vt plurimi vltro ad ſe tranſirent. Verum Agrippa id conſilium diſiecit, veritus ne Antonianos vela facientes, ipſi ſine velis conſequi non poſſent: itaque Cæſar hoſtium exitus præſtolatus eſt. Qui cum claſſico dato naues eduxiſſent, & eas confertim ante fauces in acie conſtituiſſent, neque progrederentur, Cæſar ſuos ad pugnam parat, & ſigno dato cornibus circumuenire Antonianam claſſem cœpit: quo facto cunctantem ad pugnam compulit, peditibus, qui in terra erant, ſuos clamore cohortantibus. Certamen graue ac diuturnum fuit, tum propter par vtriuſque partis victoriæ ſtudium, tum propter virium paritatem. XIII. *Naualis pugna Actiaca.*

Qvia enim propter magnitudinem nauium Cæſaris, Sextus Pompeius in Sicilia victus ferebatur, Antonius naues ædificauerat multo hoſtibus maiores, paucas quidem triremes; reliquas omnes à quaternis vſque ad denos ordines remorum capaces, turreſque inſuper altas in iis extruxerat, multitudinemque hominum in iis collocarat, qui quaſi de muro pugnarent. Verum hæ naues mole ac tarditate laborabant, cum Cæſarianæ agilitate præſtantes, eas variis aſſultibus quaterent, & repetito impetu diffringerent; & illæ vice verſa ex alto certis plagis hoſtem configerent, & cum hæ ſtatariam pugnam legionum, grauiſque armaturæ militem repræſentarent, illæ velites ac ſagittarios, funditoreſque referebant. XIV. *Nauium vtrimque diſparitas.*

Cvm autem iamdudum dubio euentu certaretur. Cleopatra quæ in anchoris poſt claſſem pugnantem ſtabat, cum non ferret diuturnam atque incertam expectationem, ſigno ſuis dato vela facit, & ſecundo vento vſa Peloponneſum circumflectit, Cretam, indeque Cyprum, & Aegyptum petitura. Plutarchus inquit, eam cum ſexaginta nauibus iniſſe fugam, perrupta media hoſtium acie. Antonius opinatus Ægyptios non iuſſu Cleopatræ, ſed metu victos fugæ ſe dedere, & ipſe eos ſecutus, reliquæ claſſi conſternationem animi attulit: quæ nihilominus hæſit in pugna, ſiue non deſperans de victoria, ſiue eam Cæſari carò venditura, ſiue fuga ab hoſtibus, eam vndique cingentibus, intercluſa, ſiue denique, vt ait Plutarchus, quod Antonii fugam non ſenſiſſet. XV. *Cleopatra maturius fugit.* *Antonius eã ſequitur* *Prælium perſeuerat.*

Durauitque prælium donec Cæſariani incendio pugnauere, quo tamen prius Cæſar abſtinere decreuerat, parcens tum ipſis nauibus, tum opibus Aſianis, atque Ægyptiis, quibus illæ abundabant: quarum tamen plurimæ cum vectoribus, armis opibuſque, flammis, ferro, fluctibuſque hauſtę periere. *Nauale incẽdium.*

Certamen ad horam vſque decimam protractum eſt, vt inquit Plutarchus, neque plus quinque millia cecidere. Naues captæ trecentæ, vt ipſe quoque Cæſar in comment. retulit. Aliter habet Oroſius libro ſexto capite decimo nono, quem vide. At Velleius, Prima, inquit, occupat fugam Cleopatra, Antonius fugientis reginæ, quam pugnantis militis ſui comes eſſe maluit, & Imperator, qui in deſertores ſæuire debuerat, deſertor exercitus ſui factus eſt. Illis, etiam detracto capite, in longum fortiſſime pugnandi durauit conſtantia, & deſperata victoria in mortem dimicabatur &c. adde Suet. l. 2. n. 17. At Plutarch. Haud multi ſenſerãt, inquit, Antonii fugam, atque audientibus res viſa incredibilis, nouendecim legionibus peditum integrorum adhuc; & 12. millibus equitum relictis, capere eum fugam, qui ſexcentorum certaminum vices eſſet expertus. Et milites cum expectarẽt dum alicunde exoritur, tantam ei præſtitere fidem, & virtutem, vt patefacta ducis fuga, cohæſerint diebus ſeptem, miſſoſque à Cæſare legatos repudiauerint: donec Caninio duce noctu profugiente, ab omnibus derelicti aggregauerunt ſe ad victorem. XVI. *Victoria Cæſaris, & quam turpis Antonii fuga.*

In hunc modum pugna naualis Actiaca facta eſt, quarto non. Septembris, qui eſt 2. eiuſdem, quem diem Dio initio libri quinquageſimi primi notat, quod ab ea die primum, inquit, Cæſar ſolus rerum potitus eſt; imperiique eius recenſio, præciſe ab ea ſumitur: eodem alludit Velleius. Quid ille dies, inquit, terrarum orbi præſtiterit, ex quo in quem ſtatum peruenerit fortuna publica, quis in hoc tranſcurſu, tam arctati operis exprimere audeat? Cæterum Ægyptii, Auguſti annos, nonniſi poſt annum ſequentem, quo capta eſt Alexandria, & finiti ſunt anni Lagidarum, incipiunt, vt poſtea dicemus. Eademque XVII. *Victoria dies in Epocham tranſit.*

Victoria edita monimenta. die Apollini, qui ad Actium colebatur, triremem, quadriremem, aliaque nauium genera, vſque ad deciremem ex captis nauibus conſecrauit; deinde autem templum maius exſtruxit, ludoſque muſicos ac gymnicos, quos Actios vocari voluit, & certamen equeſtre quinquennale conſtituit, vrbem denique quam Nicopolim appellauit, in eo loco, in quo caſtra habuerat, tranſlatis eo finitimis. Sed hæc poſtea contigerunt.

XVIII. *Cæſar Antonianos ſibi adiūgit.* Tunc autem emiſſa parte claſſis ſuæ, quæ Antonium & Cleopatram inſequeretur, cum eos aſſequi non potuiſſet, reuerſa eſt. Ipſe cum reliquis Antonij caſtra expugnauit; & reliquum eius exercitum aſſecutus, iter in Macedoniam intendentem, ſine pugna ſibi adiunxit, Auxiliarii in ſuam quique patriam diffugere, nec Cæſari deinceps moleſti fuerūt: ſed partim ſtatim, partim poſt pacis conditiones à Cæſare acceperunt. Poſtremo rebus vbique pro tempore conſtitutis, expectans quid Antonius ageret, media hyeme in Italiam, quartum accepturus Conſulatum vela fecit. Rem explicat Suetonius libro ſecundo numero decimo ſeptimo. Ab Actio, inquit, cum Samum inſulam in hyberna ſe recepiſſet, turbatus nunciis de ſeditione militum, præmia & miſſionem poſcentium, quos ex omni numero confecta victoria Brunduſium præmiſerat, repetit Italiam, tempeſtate in traiectu bis conflictatus, nec amplius quam 7. & 20. dies Brunduſii commoratus, Aſiæ, Syriæque circuitu Ægyptum petit. Hæc ibi pluribus. Sed redeamus ad Antonium.

XIX. *Antonii ſtupor Cleopatræ ſimulatio.* Interea autem Antonius curſu Cleopatram aſſecutus, & in nauim acceptus, neque eam aſpexit, neque ab ea conſpectus eſt, ſed ſolitarius tranſiit in proram: ibiq. tacitus manibus tenebat caput, cum quidam amici ex fuga ad eum confluxere, profligatam nunciantes claſſem, ſed terreſtres copias arbitrari ſe conſtare. Ad quos nuncios miſit Antonius imperans, vt propere per Macedoniam reciperēt ſe cum exercitu in Aſiam. Dio libro quinquageſimo primo, Antonius inquit, & Cleopatra ex pugna nauali fuga elapſi, cum vſq. ad Peloponneſum ſimul perueniſſent, inde diuiſi ſunt. Cleopatra in Ægyptum contendente, & proris coronatis, tibiarum cantu victoriam præ ſe ferēte, ne clades accepta nouos ibi motus excitaret. Vt in tutum peruenit, eos à quibus timebat, occidit, ex eorumque bonis, ſicut & Phanorum, quæ expilabat vniuerſa, magnam pecuniæ vim congeſſit, copias comparauit, auxilia quæſiuit, vtque Mediæ regem ad ſuam ſocietatem pertraheret, ei caput Regis Armeniæ, de quo Alexandriæ triumpharat Antonius, amputatum miſit. *Et crudelitas.*

XX. *Antonius adit Alexandriam.* Cæterum Antonius in Africam quoſdam miſit ad ducem Pinarium Scarpum, qui cum exercitu Ægyptum tuebatur: verum ab illo reiectus Antonius, ipſe quoque Alexandriam ſe contulit, vbi cum Cleopatra bello neceſſaria præparauit, & ſuos filios Cæſarionem Cleopatra, Antyllum ex Fuluia ſibi natum Antonius, in viros retulerunt, vt viris imperantibus Ægyptii alacrius obtemperarent: quæ res perniciem adoleſcentibus attulit, vt iis Cæſar quaſi iam imperantibus minime parceret: ſed hæc poſtea contigerunt. Reliquum anni tempus in parando terreſtri, maritimoque exercitu, & aduocandis auxiliis collocatum eſt: quin etiam ad hoc ſe inſtruebant, vt ſi qua neceſſitas vrgeret in, Hiſpaniam nauigarent, ſperantes ſe eam pecuniis ad defectionem pertracturos, aut per mare rubrum in Orientem conceſſuros.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 4023.

1.N.I. Temporarius, Lipſius in princ. hiſtor. Taciti. Vignerius, Scaliger de Emend. lib. 5. tit. de Actiaca victoria, Gordonus, Decherius in l. de anno ortus Chriſti, annotatione quarta ſub fin. lib. Codomanus. Heluicus.

Alii 725. vt Onuphrius, quem ſequitur Baronius, & Tornellus. In eademque ſententia ſunt Phrygio, Functius, Samerius Caluiſius.

2.N.V. In Græco eſt, *ὅτι ἀνθρώπινον οὐ κακόν, ὅτι δαιμόνιον ποτὲ τὰ τοιαῦτα τὴν ἰουδαίων ἀνδραγαθίας φρόνημα καὶ ψυχὰς ἔχουσιν.*

3.N.VI. Sed dicat hic fortaſſe nouus Pharao, Exod. 5. 2. *Quis eſt Dominus, vt audiam vocem eius? Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam.* Audiat ergo Aſcalonita Philiſthæus, Alienigenam prædicantem.

Ῥεῖα μὲν γὰρ βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει,
Ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει, καὶ ἄδηλον ἀέξει.
Ῥεῖα δέ τ' ἰθύνει σκολιὸν, καὶ ἀγήνορα κάρφει. Heſiod. init. *ἔργων.*

Facile enim extollit facile ſe extollentem deprimit,
Facile clarum minuit, & obſcurum auget.
Facile corrigit prauum, & ſuperbum arefecit.

Quoties inculcat facilitatem, quam prophanus Herodes videtur ignorare? neſciens contra Deum, neque potentiam corporeã, neque fortitudinem animi vllam eſſe, ſed duriciam & obſtinationem Iudaicam, ſed impœnitens cor, theſaurizans ſibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicii Dei, cuius diuitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis contempſerit. Non ſic Gorionides l. 5. c. 18. corrigit enim Ioſephum, vbi hanc hiſtoriam refert. Quod ſi Deus, inquit, vellet amplius affligere nos, id quidem facile poſſet, quis enim illi reſiſtere poteſt? Ex benignitate ſua, & propter iniquitates noſtras afflixit nos, & ideo iam innocentes ſumus à ſcelere &c.

Hæc ferme Dio; quæ à Scaligero de Emend. temp. lib. 5. titul. de primo agone Actiatico reprehenduntur. Ait enim falſum eſſe Actia inſtituta eſſe ab Auguſto, cum Strabo dicat lib. 7. hunc agonem illuſtriorem ab eo eſſe factum, fuiſſeque Actia certamen Olympicum, Apollini Actio ſacrum. Verum Dioni ſubſcribit Euſebius in Chron. eademque habet Strabo ipſe. Nec tamen negat Dio, aliqua ibi certamina Apollini antea celebrata, ad quæ alludens Virgilius Æneam inducit dicentem. 4.N.XVII.

Actiaque Iliacis celebramus littora ludis.

ANNVS MVNDI 4024. SEXTÆ ÆTATIS 509.

IMPERII ROMANI 19. AVGVSTI CÆSARIS. 14. HERODIS REGIS 8. QVI & II. ÆTATIS HERODIS 43. HYRCANI PONTIFICIS 46. & vlt. ANANELI PONTIFICIS 1. PRÆSIDE SYRIÆ Q. Dcl.51. DIDIO. CLEOPATRÆ 21. & VLTIM. OLYMPIADIS CLXXXVII. AN. 3. VRBIS CONDITÆ 723. COSS. CAESARE IV. & M. LICINIO CRASSO. BELLI CIVILIS 20. ANNVS IVLIANVS 16. ACTIACÆ VICT. 2.

ANNVS ANTE CHRISTVM 29.

FINITA, inquit Velleius libro ſecundo, viceſimo anno bella ciuilia, ſepulta externa, reuocata pax, ſopitus vbique armorum furor, reſtituta vis legibus, iudiciis autoritas, Senatui maieſtas, imperium magiſtratuum ad priſtinum redactum modum &c. quæ panegyrice dicta eſſe, res ipſa docet. Nos hiſtorica, orſi à Syria, videamus. Nuncius deuicti ad Actium Antonii cum Cleopatra, & vtriuſque in Ægyptum fuga, cito in Iudæam perlatus eſt ad Herodem, qui huius I. *Nuncius cladis turbat Herodē*

prælii expectatione pendebat; & audita clade actum de ſe putauit, vt ſcribit Ioſephus: nec ipſe ſolus, ſed omnes eius amici exiſtimantes, non illi impune apud victorem Cæſarem fore tantam cum Antonio amicitiam. Itaque veniæ obtinendæ, & regni conſeruandi gratia, ad Cæſarem ire ſtatuit, & quoniam ſibi male metuebat, ne vel vita, vel regno priuaretur, atrox ac nefarium conſilium iniit, ac crudeliſſimi hominis immanitate dignum.

II. *Hyrcanum pontif. per calumniã necat.*

NE quis è ſemine regio ſupereſſet, qui ſe in ordinem redacto, regnare poſſet, Hyrcanum pontificem calumniis appetitum interficit, quaſi fugam meditantem, & regnum, Malchi Arabis ope ambientem; quod ipſemet Herodes in ſuis commẽtariis perſcripſit, vt tradit Ioſephus, vt miſerum ſenem vita priuatum, etiam infamia proditionis aſpergeret; hominem mitiſſimo ingenio, quique nullis ſe vnquam negotiis admiſcuerat, ſed Herodi ipſi, & patri eius, ac fratribus, cuncta ita permiſerat, vt ipſi potius, quam Hyrcanus regnare viderentur; hominem ætate confectum, vt qui iam octuageſimum annum exceſſerat, hominem denique ea ſecũ affinitate coniunctum, quæ ad parentis cum filio coniunctionem accedat, eius quippe neptem habebat vxorem, ex qua iam aliquot ſuſceperat liberos. Hominem qui præ illius amore, ac conuiuendi deſiderio vltro è Parthis venerat, vbi quieto licebat, atque honorato viuere. Quo minus veriſimile eſt, inquit Ioſephus, eum molitum facinus à ſua natura alieniſſimum; confictaque videntur hæc ab Herode omnia. Ita Ioſephus, qui & ſub initium anni huius occiſum ſignificat, dum Herodes properaret ad Cæſarem, qui media hyeme ex Italia traiecit in Aſiam, eique ad inſulam Rhodum occurrit Herodes, vt dicemus; quo ipſo tempore ſocrum & vxorem coniecit in vincula, vt ex Ioſepho videbimus, ſi prius retulerimus, quæ ille de Hyrcani fortuna per anacephaleoſim congeſſit.

Quanto cũ ſcelere.

Tempus cædis.

III. *Varia eiuſdem fortuna.*

HIC finis, inquit, Hyrcani fuit, poſt variam fortunam, qua tota vita circumactus eſt. Nam viuente etiam tum matre Alexandra (Iannæi pontificis & regis vxore) pontifex Iudæorum creatus, per nouem annos eum honorem obtinuit (quandiu ſcilicet regnauit mater:) cui defunctæ cum in regnum ſucceſſiſſet, elapſis tribus menſibus, ab Ariſtobulo pulſus eſt; ac deinde Pompeii ope reſtitutus, receptiſque omnibus honoribus, quadraginta annos in eis exegit. Deinde iterum ab Antigono (nepote fratris ſui Ariſtobuli) pulſus & mutilato corpore, captiuus apud Parthos vixit: vnde aliquanto poſt domum reuerſus, quamuis multa ſibi de Herode polliceretur, nihil tamen eorum conſecutus eſt, poſt tantam fortunæ varietatem; & quod omnium eſt maxime miſerabile, in extrema ſenectute indigno fine abſumptus eſt. Sic Ioſephus.

IV. *Quot annis Pontificem egerit.*

Ex quibus vix intelligi poteſt, quot annos Hyrcani pontificatui attribuat. Pri-
mum enim ei dat annos nouem viuente matre, tum 40. ex quo reſtitutus eſt à Pom- 9
peio: poſtremo decem anni addendi ſunt, ex quo captus fuit à Parthis; non enim 40.
deſiit ab eo tempore eſſe pontifex, & qui ſubſtituti ſunt ab Herode, pro Pontifice 10.
fuerunt, non Pontifices. Itaque quinquaginta nouem Hyrcani numerarentur, 59.
quod abſurdum eſt. Nam à primo eius anno, qui eſt Vrb. Cond. 678. vſque ad 11.
præſentem 723. ſex tantum & quadraginta numerantur, quorum poſtremus tan- 46.
tum inchoatus eſt. Manifeſtus autem lapſus eſt in illis quadraginta annis, quos 9
ait Hyrcanum tranſegiſſe, ex quo à Pompeio reſtitutus eſt, vſque ad id tempus, 26.
quo in Parthos abductus eſt: id enim interuallum Ioſephus ipſe viginti ſeptem an- 11.
nis metitur libro decimo quarto capite vltimo. Itaque ſi tredecim annos detraxe- 46
ris, inuenies Hyrcani Pontificatum quadraginta ſex annis inchoatis circunſcriptum eſſe; quos etiam exactius numerando pariter reperies, ſi ad nouem annos primos eius, addas 26. non enim plures reperiuntur, inter vtramque Hieroſolymorum expugnationem, vt ſuo loco docuimus, & nunc 11. inchoatos, ab vltima expugnatione, poſt quam Hyrcanus in Parthos abductus eſt. Herodes autem Romam profectus eſt.

V. *Cõfirmatur tempus põtificatus eius.*

VARIVS quoque atque anceps eſt Ioſephus in Hyrcani annis libro vigeſimo capite octauo ſub finem, vbi ait eum præter priores illos nouem annos, per alios 23. ſummum ſacerdotium obtinuiſſe, (in Græco eſt 24.) Omittit videlicet tres annos, totidemque menſes, quibus eius frater Ariſtobulus, ſibi ipſe regnum ſimul vſurpauit, & ſacerdotium, qui tamen, omittendi non ſunt, quia Ariſtobulus, tum

Pſeudopontifex erat, ſicut & poſtea eius nepos Antigonus, aut certe eius Vicarius: verus autem Pontifex Hyrcanus, licet pontificatus poſſeſſione deiectus. Iſtis porrho annis addendi ſunt 11. quos diximus; ſicque eadem ſumma recurret, quam aſſignauimus. Nunc auté Hyrcano mortuo Ananelus, qui non ex ſacerdotali ſolū, ſed ex pontificio quoq. genere erat oriūdus, vt author eſt Ioſephus, [a] legitimum pontificatum gerere cœpit, quandoquidem, præter Herodis electionem, genus Aaronis illi ſuffragabatur. Itaque annos eius deinceps tanquam Pontificis, & Hyrcani ſucceſſoris enumerabimus.

a lib. 15. c. 2. 3.

VI. *Herodes abiens ad Cæſarem, vt de rebus ſuis, & familia diſpoſuerit.*

Hoc ipſo tempore, dum Herodes ad Cæſarem properat, nihilque boni de ſe ſperat, propter amicitiam Antonii; ſuſpectam etiam habens Alexandram ſocrum, cuius dudum filium, nunc patrem interfecerat, ne vſa hac temporis opportunitate, ad defectionem populum concitaret, mandata regni cura Pherorœ fratri ſuo, matrem ſuam Cypron, & ſororem Salomen, & reliquam cognationem in Maſſada depoſuit, iuſſitque fratrem, ſi quid ſibi accidiſſet durius, habenas regni retinere. Mariamnem vero vxorem, quæ propter ſimultatem cum matre eius, & ſorore degere non poterat; in Alexandrio cum Alexandra matre collocauit, commiſſa quæſtori ſuo Ioſepho, & Sohemo Ituræo caſtelli cuſtodia. Quibus mandatum dedit, vt ſi quid ſibi accideret, confeſtim ambas interficerent, regnumque pro viribus liberis eius, ac Pherorœ fratri conſeruarent.

VII. *Alexandra & Mariamne turbantur.*

Qvibvs mandatis Rhodum properauit, vt illic Cæſari occurreret. Interea vero familia turbata eſt. Alexandra enim & Mariamne ratæ non ſecuritatis cauſa ſe illic concluſas, ſed quaſi in carcerem coniectas, ægerrime ferebant, præſertim cum Mariamne muliebribus blanditiis à Sohemo exſpiſcata eſſet, quid ſibi Herodes de illis mandaſſet. Tunc enim Mariamne iniquiſſimo animo tulit, noua ſibi ſemper alia ex aliis ab Herode pericula naſci; votaque faciebat ne ille vnquam ſaluus reuerteretur. Sed ille nihilominus magno eius malo reuerſus eſt, cum victore Cæſare, ad quem nos oratio, temporiſque ratio deduxit.

VIII. *Cæſar Italiam repetit, recipit Conſulatū.*

Cæsar, vt ſcribit Dio lib. 51. rebus poſt victoriam in Græcia atque Aſia pro temporis ratione conſtitutis, in Italiam media hyeme properauit: ex vrbe enim, vt teſtatur Plutarchus, ſcribebat Agrippa, Rempublicam eius præſentiam poſtulare. Et vero erat Octauius in exitu annui magiſtratus ſui, & finito iam vtroque quinquennio Triumuiratus, nolebat priuatus, ac ſine imperio eſſe. Itaque celeriter in Italiam venit, ſe quartum & M. Craſſum facturus Conſules; hunc enim collegam Conſulatus accepit, quamquam & Pompeianas, & Antonianas partes prius ſecutum, nec Prætura functum, idque arbitror Brunduſii factum. Nam, vt inquit Dio, & conſentit Suetonius, cum Brunduſium perueniſſet, vlterius non eſt progreſſus, quod eo Senatus vniuerſus, audito eius aduentu, tantum Trib. pleb. ac duobus Prætoribus ad vrbem ex Senatuſconſulto relictis, occurrerat, cum equitibus, ac magna parte plebis.

Li. a. 17.

IX. *Militares turbas ſedat.*

Itaqve Cæſaris aduentu, & maioris partis Reipublicæ in eum ſtudio effectum eſt, vt nemo res nouas tentare auderet, ne militum quidem, qui ſæpe à victoria inſoleſcentes, in ipſum imperatorem ſuum efferabantur, aut miſſionem, aut donatiua flagitantes; quamquam ſeditionem eorum memorat Suetonius, vt dixi, eamque breui ſedatam. Etenim auctore Dione, pleriſque agros conceſſit, aliis præſentem pecuniam numerauit, aliis promiſit. Etſi enim ex victoria magnam pecuniæ vim obtinuerat, tamen impenſæ fiebant longe maiores; ideoque & ſua, & quorundam amicorum bona venum in foro propoſuit; quæ cum nemo emere, vel accipere auderet, honeſtam ea ratione dilationem accepit, dum ex Ægypto reuerteretur. His ita geſtis, neglecto populo, qui Romæ remanſerat, Brunduſio in Græciam trigeſimo, quam venerat die, aut vigeſimo ſeptimo, vt habet Suetonius profectus eſt; ac propter hyemem nauibus per Iſthmum Peloponneſiacum tranſlatis, tanta celeritate in Aſiam aduenit, vt de eius diſceſſu ſimul, redituque Antonius & Cleopatra audiuerint.

In donatiua venum proponit ſua, & amicorum bona.

Dio ibid.

X. *Cæſar Aſiæ Syriaq. circumeu Ægyptū petit.*

Venit autem, inquit Plutarchus in Antonio, per Syriam, & duces eius per Africam, eoque ſpectare arbitror, quod ſcribit Dio, Cornelium Gallum, accepto Scarpi exercitu, ſubito Paretonium occupaſſe, quæ eſt Ægypti vrbs littoralis, ab Alexandria occidentem verſus ſatis diſtans. Quo cognito Antonius, etſi

in Syriam proficiſci cupiebat, euocatus à gladiatoribus, qui ei erant addictiſſimi, & à Q. Didio Syriæ præſide tranſitu prohibebantur, ne ad eum in Ægyptum peruenire poſſent; tamen iis omiſſis ad Parætonium contendit, ſperans ſe eas copias à Gallo ad ſe, aut beneuolentia, aut vi traducturum: magnas quippe terreſtres, naualeſque copias ſecum trahebat. Sed nec colloqui cum iis potuit, quamquam ſubiiſſet ad murum, & alta voce clamaret. Concinere enim tubicines Gallus iuſſerat, nemo vt quidquam exaudire poſſet.

XI. *Et cum damno.* SED & ſubita eruptione damnum paſſus, multas quoque amiſit naues. Nam catenas quaſdam ſub aqua latentes noctu per fauces portus Gallus extenderat, quas cum ſe in portum naues Antonianæ immiſiſſent, rurſum per certas machinas intendit, & interclufas naues partim ſubmerſit, partim incendit.

Herodes cũ Cæſare conſtanter agit. Interea vero Cæſar Rhodum appulerat, vbi Herodes illi occurrit, & poſito tantum diademate, vt ſcribit Ioſephus, retento cætero apparatu regio, ad eius colloquium admiſſus, cum magna conſtantia, & magnitudine animi, ſuam erga Antonium beneuolentiam faſſus eſt, & auxilia illi contra ipſum præbita, frumenti atque pecuniarum, quoniam Arabico bello diſtentus, eo copias adducere nequiuerit; volens oſtendere ſe validum, ac conſtantem amicitiæ cultorem, & mutato nunc beneuolentiæ obiecto, pari fide amicitiam Cæſaris culturum. l. 15. c. 10.

XII. *Et beneuole inter amicos recipitur.* AT Cæſar, qui fidum ac potentem amicum Antonio eripere cupiebat, hoc maxime tempore, ſibique adiungere, occaſione dicendæ cauſæ, permiſit Herodem paulatim inſinuare ſe in illius amicitiam. Quare diademate reſtituto, hortatus eum, vt non minus ſuam, quam prius Antonii amicitiam coleret, in ſummo honore habuit, addens ſcripſiſſe Capidium quantum apud monarchas fauore Herodis adiutus ſit. Hic Ioſephus, quæ eodem modo habentur in Græco. Verum qui ſint hi monarchæ, quiſue Capidius puto intelligere neminem. Memoratur quidem Canidius præfectus Antonianæ claſſis, in pugna Actiaca, à Plutarcho in Antonio, & aliis, non Capidius. Lux aliqua ex lib. primo de bello capite decimo quinto affulget, vbi Cæſar ad Herodem. Prior, inquit, ab officiis cœpiſti quantum apparet, quem aduerſus eorum gladiatores idonea auxilia miſiſſe, Ventidius perſcribit. Ex quo loco primum intelligitur corruptum priorem illum locum, & pro μονάρχας legendum eſſe μονομάχους, vt habetur in poſteriore loco.

XIII. *Q. Didius in eius gratiam ſcripſit.* VTROBIQ. autem vitioſe nomen proprium legitur. nam pro Capidio, & Vẽtidio, & Canidio legendum eſt Q. Didius, ex Dione lib. 51. qui rem totam perſpicue tradit, quãuis taceat Herodis auxilia, quæ hic deſcribemus, vt quæ paulo ante de gladiatoribus attigimus, illuſtrentur. Arabes, ait, à Q. Didio Syriæ præfecto perſuaſi, naues in ſinu Arabico fabricatas ad nauigationem in rubrum mare, combuſſerunt, populique ac reguli omnes ſuppetias Antonio, Cleopatræque denegauerunt. Deinde ſubdit de gladiatoribus eos magna conſtantia pro ipſis ſtetiſſe, cum Cyzici ad ludos triumphales, quos Antonius ſe, deuicto Cæſare daturum ſperabat, exercerentur; cumque ad eos poſt Actiacam cladem tranſire vellent, multum Didio, qui eis tranſitum impediebat, moleſtiæ exhibuiſſe. Tandem cum nec veniret Antonius, quem literis euocabant, nec nuncios mitteret, periiſſe eum rati, inuiti ſe Didio ea conditione dediderunt, ne poſthac gladiatores eſſent. Qui poſtea alii alio dimiſſi, quaſi in legiones aſcribendi, per occaſionem interfecti ſunt. Affuit ergo Didio Herodes contra gladiatores tranſitum ad Antonium quęrentes, idque valuit ad conciliandum Cæſari Herodem.

XIV. *Reconciliatur Auguſto.* QVI vt præter ſpem ſe vidit acceptum Cæſari, & ope eius denuo confirmatum in regno, Senatuſconſulto quoque per eum impetrato, deduxit illum in Ægyptum, donatum pluribus muneribus, quibus etiam amicos eius ſibi conciliauit, & animi ſui magnitudinem declarauit. Conatus eſt etiam Alexandro Antonii amico impetrare veniam; quod tamen non potuit, quia Cæſar animaduerſurum ſe in illum iurauerat. Sic Ioſephus, qui alio in loco ait Cæſarem iracundia victum Herodis preces pro Alexandro quodam ſupplice repuliſſe. Vtrumque locum explicat Plutarchus in Antonio. Laodicenſis Alexas, ait, (ſic enim eum vocat, eſt autem Alexas nomen ex Alex contractum, ſicut ex Antipatro Antipas,) qui Timagenis opera Romæ innotuerat Antonio, eundemque ab Octauia, quam maxime abductum, ad Cleopatram traduxerat, miſſus fuit ad retinendam Hero- in 15. Ant. c. 10. l. 1. bel. c. 15. l. 14. Ant. c. 1. Scaliger in in Euſeb. n. 1918.

dis regis tranſitionem. Cæterum reſtitit apud eum prodito Antonio, ſuſtinuitque Herode fretus, in Cæſaris venire conſpectum. Verum nihil ei profuit Herodes; nam confeſtim vinctus, atque in patriam ſuam in compedibus deportatus, ibique Cæſaris iuſſu necatus, adhuc viuo Antonio perfidiæ pependit pœnas. Hæc Plutarchus: quæ, Auguſtus vtique in vindictam iniuriæ in Octauiam ſororem ab ipſo illatæ, imperauit.

XV. *Legati & munera ad Cæſarem, ab Antonio & Cleopatra. Altera legatio.*

Dvm autem Cæſar eſt itinere, Antonius & Cleopatra legatos ad Cæſarem de pace mittunt, cum pecuniis quibus eius familiares corrumperent; Cleopatra vero clam Antonio ſceptrum aureum, coronam auream, ſellam regiam Cæſari miſit, quaſi regnum cum iis tradens: vt ſi exoſum omnino haberet Antonium, ſaltem eius miſereretur. Cæſar acceptis muneribus nihil reſpondet Antonio; Cleopatræ autem, etſi aperte multa minaretur, occulte ei impunitatem, & regnum integrum pollicitus eſt, ſi Antonium occidiſſet. Hi cum rediſſent, rurſus alios miſerunt. Ac Cleopatra quidem per eos magnam vim pecuniæ promiſit, Antonius autem eum priſtinæ amicitiæ atque propinquitatis adadmonuit, eique P. Turullium Senatorem, vnum de C. Iulii percuſſoribus, tum amicum ſuum miſit occidendum, ſeque etiam ipſum interfecturum pollicitus eſt, ſi eo facto ſalus Cleopatræ impetrari poſſet. Cæſar Turullium occidit, Antonio ne tum quidem quidquam reſpondit.

XVI. *Tertia, & miſſus ad Cleopatrã à Cæſare libertus.*

Igitvr tertiam legationem Antonius, ac filium ſuum Antyllum cum multo auro miſit: Cæſar accepto auro, Antyllum quoque ſine reſponſo remiſit. Verum veritus ne deſperatione veniæ, bellum ei diuturnum in Ægypto facerent, deinde in Hiſpania Galliaue redintegrarent, aut theſauros, quos Cleopatta in ſepulchrum congeſſerat, flammis vt minabatur abſumpſeret, Thyrſum libertum ad Cleopatram miſit, qui amorem in eam ſuum, & primam reſponſionem confirmaret.

Cæſar Peluſium capit proditione Cleopatræ.

Dum hæc fiunt Cæſar Peluſium vi, vt ferebatur, re autem vera proditione Cleopatræ cœpit, quod Thyrſi perſuaſa ſermonibus, Octauianum ſe mox, ſicut olim Cæſarem, & Antonium deinceps, in poteſtate habiturum ſperabat. Quin etiam cum idem capto Peluſio Alexandriam veniret. Cleopatra publice quidem, vt hoſti occurrerent, præcipiebat, occulte autem vrbe ciues exire prohibebat.

XVII. *Antonius ad Alexandriam equitatu victor, pedeſtri pugna vincitur. Naues ad Cæſarem transfugiunt opera Cleopatræ.*

Antonivs autem cum ad nuncium eorum, quæ Peluſii accidiſſent Parætonio diſceſſiſſet, ante Alexandriam Cæſari obuiam factus, equitatu eum ab itinere fatigatum ſuperauit. Hinc aucta confidentia, etſi aduerſariis ſena in ſingulos ſeſtertia iaculatis in caſtra libellis promiſiſſet, certamine pedeſtri congreſſus, victus eſt. Ergo ad claſſem confugit, & certamen nauale comparat. Sed Cleopatra re intellecta perfecit, vt naues ab eo ad Cæſarem transfugerent. Ipſa autem confeſtim in monumentum inſiluit, verbo quidem quaſi mortis ſibi conſciſcendæ cauſa; re autem ipſa, vt cum Antonius eam mortuam audiuiſſet, ſibi ipſe manus inferret.

XVIII. *Cleopatra fingit mortem, vt Antonius ſibi manus inferat. Quod ille facit*

Ergo nefaria mulier è ſepulcho nuncium ad Antonium ſuæ mortis emiſit, iſque ſtatim mori decreuit. Ac primum quendam eorum, quos ſecum habebat, Erota vocat Plutarch. orauit, vt ipſum occideret: ille contra nudato gladio ſeipſum interfecit, quod imitatus Antonius, ſibi ipſi vulnus impoſuit, collapſuſque in faciem, mortem obiiſſe ab aſtantibus iudicatus eſt.

Inde coorto tumultu, cum id Cleopatra ſenſiſſet, ex faſtigio ſepulchri proſpexit: qua viſa ita exclamatum eſt, vt Antonius quoque exaudierit, qui exurgens multo profuſo ſanguine, deſperata vita ad ſepulchrum Cleopatræ ſe deferri rogauit, ac per funes, qui ſuſpenſi erant, lapidibus in altum euehendis, ſurſum ſe trahi: quo impetrato, Antonius illic in gremio Cleopatræ mortuus eſt. Hæc de Antonii morte ampliora apud Plutarchum reperies; quæ Dio videtur contraxiſſe, apud quem de Cleopatre morte hæc habeatur.

XIX. *Cleopatra ſtudet ſibi Cæſarem conciliare.*

Cleopatra nonnihil Cæſari fidens, omnem ei rem ſtatim ſignificauit, nec tamen à ſepulchro digreſſa eſt, ſperans ſe à Cæſare veniam, & regnum obtenturam, metuente ne ab ipſa Gaza omnis inflammata periret; ideoque & ignem & aſpidem ſecum habebat, vt altero ſibi vitam, altero victori theſauros

eriperet, Cæſar etſi gaza potiri, eamque viuam capere cupiebat, vt in triumphum duceret, nolebat tamen eam data fide dedititiam accipere, vt ſine perfidia illa pro arbitrio vti poſſet. Itaque C. Pompeio equite, Epaphrodito liberto miſſis, qui eam per fraudem caperent, ſtudioſe cuſtodiri illam iubet, prohiberique ne ſibi manus inferret. Cumque condito per aliquot dies Antonii corpore, etiam Cæſaris colloquium expetiiſſet, atque impetraſſet, ornato magnificentiſſimo cultu cubiculo, ſe autem vili & abiecto, nihil oblita eſt, aut verborum, aut geſtuum, aut omnino eorum, quæ ad Cæſaris animum ad eius beneuolentiam inflectendum valere poſſe ſperabat.

XX. *Petit, vt ſibi mori liceat. Triumphũ verita mortem parat.*

At Cæſar cum oculis in terram defixis illud vnum dixiſſet, bono animo eſto mulier, nihil mali patieris: Cleopatra ingenti dolore correpta, ſe ad Cæſaris pedes abiiciens, per patris eius memoriam petiit, vt ſibi cum Antonio mori liceret, neque communem cum eo ſepulturam illi inuideret. Id cum illa non impetraret, & cuſtodiretur attentius, triumphum verita, quem infinitis mortibus acerbiorem ducebat, morique certa, finxit ſe mutaſſe ſententiam, & cum Cæſare in Italiam nauigare velle, qua re paulatim conſecuta eſt, vt minus accurate obſeruaretur, quaſi iam illam mentis cogitationem abieciſſet.

XXI. *Quo mortis genere ſeſe peremerit.*

Itaqve ad mortem ſe parans, quæ minimo cum dolore ipſi vitam eriperet ſcripſit ad Cæſarem epiſtolam, qua eum obteſtabatur, vt cum Antonio ſepeliri Cleopatram iuberet. Epiſtolam Epaphrodito ferendam dedit, obſignatam, ne quid illa contineretur ſcire poſſet. Quam dum libertus defert, ipſa veſte omnium elegantiſſima ſe induit, & ornatum adhibuit maxime regium, ſtatimque ſibi vitam eripuit; ſiue aſpidis morſu inter flores latentis, quoniam punctura tantum exigua in brachio defunctæ reperta eſt, ſiue acu, qua capillum componere ſolebat, & in hunc nouiſſimum vſum geſtabat in capite, eratque veneno illita, cuius eam vim fuiſſe ferunt, vt vbi ſanguinem corporis attigiſſet, mortem celerrimam, & doloris omnis expertem afferret: ſicque illud conſecuta eſt, vt poſtquam duxiſſet in bonis dies ſuos, etiam in puncto ad inferna deſcenderet, infinitorum criminum pœnas, integras & illibatas diuino iudicio luitura.

XXII. *Cum gemitu Cæſaris.*

Eivs mortem ſtatim ancillæ duæ, & eunuchus ſecuti; fruſtraque Cæſar Pſyllos, (Plutarchus, Dio, Suetonius, Oroſius, omnes) adhibuit, qui venenum exugerent, ſi quo modo eam ad vitam reuocare poſſet, dolens in ea morte ſpecioſiſſimum ſibi triumphi ornamentum eſſe ſublatum: mortuam autem miſericordia proſecutus, iuſſit inſigni pompa, eadem cum Antonio arca ſepeliri. Ita Alexandria, & cum ea tota Ægyptus Romanorum effecta eſt, menſe Auguſto. Nam

Tota Ægyptus cum Alexandria quando recepta.

Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 12. recitans ex Senatuſconſulto cauſas, cur Sextilis menſis appellatus ſit Auguſtus, hanc ponit, quod Ægyptus hoc menſe in poteſtatem populi Romani redacta ſit, finiſque hoc menſe bellis ciuilibus impoſitus. Cæſar tamen Baronius in Appar. numero centeſimo quarto, ait Alexandriam debellatam, non eodem anno, quo Actiaca pugna victus eſt Antonius, ſed ſequenti, ſex. Calend. April. idque notatum ſcribit in faſtis. In quibus autem faſtis id reperetit: reperi verum arbitror Senatuſconſulto Macrobii potius aſſentiendum.

XXIII. *Duratio regni Lagidarum.*

Hic ergo finis regni Cleopatræ, & Ægypti, & omnium Lagidarum fuit, qui in Ægypto ducentis nonaginta quinque annis regnauerunt, vt eſt apud Euſebium, ſiue ea ſupputatio Hieronymi ſit, quia à Græco abeſt, ſiue ipſius Euſebii, quam Chronologiam putamus eſſe veriſſimam. Nos certe recenſitis & enumeratis quanta maxima cura potuimus ſingulis annis, reperimus à morte Alexandri Magni, in quam primus Ptolemæi Lagi annus incurrit, ad præſentem vſque annum, ccxcv. annos computatis extremis, ſiue annos Mundi, ſiue Vrbis Conditæ, ſiue Olympiadas, ſiue ſingulorum regum annos computemus. Eadem omnino eſt Cl. Ptolemæi Chronologia, qui à morte Alexandri, vſque ad regnum Augusti numerat annos ccxciv. quod contingit, quia primum annum Lagidæ ſeparat à morte Alexandri, & regnum Auguſti à morte Antonii & Cleopatræ numerare incipit. 1. Eadem eſt Cenſorini mens in die Natali. 2. Conſentiret etiam Tornellus, ſi Cleopatræ annos 21. non 24. tribuiſſet; eius enim ſumma aſcendit, ad 298. non 295.

3729. 295. | 4024. 428. 295. | 723. | l. 3. Alma. c. 8. | 1. χ. | 2. χ.

Cæterum Cleopatram hoc anno extinctam, tertio ſcilicet Olympidis centeſimæ octogeſimæ ſeptimæ, atque his Conſulibus, autor eſt Euſebius in Chronico Græco & Latino. Cleopatra, inquit, & Antonius ſemet interficiunt, & Aegyptus fit Romana prouincia, quam primum tenuit Cornelius Gallus, de quo Virg. ſcribit in Bucol. Sic Euſebius cum Hieronymo. Quæ cum ita ſint, mirum tamen eſt eundem Euſebium Cleopatræ viginti duos annos regni tribuere, cum ſcribat, vigeſimo primo anno regni ſui à ſeipſa occiſam. Verum ſi aliquot menſes numeremus, quos regnauit Cleopatra anno ſecundo Olympiadis centeſimæ octogeſimæ ſecundæ, qui fuit annus vltimus patris eius, vt notauimus initio regni Cleopatræ, eam vigeſimum ſecundum annum regni attigiſſe dicendum erit. Extinctam quoque hoc anno Cleopatram proximo à clade Actiaca, autor eſt Dio libro quinquageſimo primo, & Suetonius libro ſecundo capite decimo ſeptimo, qui ait Auguſtum poſt pugnam, ab Actio, ad Samum inſulam in hyberna ſe recepiſſe: proximo autem anno Antonium, feras conditiones pacis tentantem, ad mortem adegiſſe, eodemque tempore Cleopatram morſu aſpidis periiſſe. *XXIV. Confirmatur tempus regni, & mortis Cleopatra.*

Plutarchus in Antonio, vbi agit de annis regni, & vitæ Cleopatræ; Exceſſit Cleopatra, inquit, annos nata vnde quadraginta, quorum duos & viginti regnauit, imperauit cum Antonio amplius quatuordecim. Ideo Beda dixit annos quindecim, lib. de ſex. ætat. coniungens, vt videtur, initia Cleopatræ cum Antonio, cum initiis Auguſti, qui tamen cœpit eſſe cum imperio à primo ſuo Conſulatu, ſiue Triumuiratu. Dicendum potius amplius duodecim, à bello ſcilicet Philippenſi, quod in nonum Cleopatræ cadit. Antonium alii ſex, alii tres & quinquaginta annos vixiſſe aiunt. Clemens quoque Alexandrinus poſtremam ſucceſſorum Alexandri regnaſſe ait, viginti duobus annis, ſicut & Nicephorus Conſtant. cap. 8. ſuæ Chronologiæ, & Beda de ſex ætat. & recent. Pontac. Scalig. in Euſeb. Decherius in tab. & annot. 4. *XXV. Antonii item cum Cleopatra.*

Antonio Cleopatraque mortuis, ſimulque bellis ciuilibus extinctis, ne qua forte ex parte reuiuiſcerent, Auguſtus ex eorum liberis Antyllum, quem Suetonius vocat Antonium, maiorem de duobus Fuluia genitis, quamquam ei Cæſaris filia deſponſata erat, atque in patris eius ſacellum à Cleopatra factum confugerat, ſtatim iugulauit. Cæſario autem in Æthiopiam fugiens, interceptus in itinere necatus eſt. Cleopatræ filia ex Antonio ſuſcepta Cleopatra nomine filio Iubæ regis, qui & ipſe Iuba dicebatur, à Cæſare in matrimonium data eſt, cum paterno Iubæ regno: quibus etiam Alexandrum & Ptolemæum fratres ex Antonio & Cleopatra genitos conceſſit. Ægyptiis porro, Alexandriniſque vniuerſis ignouit, nec eorum quemquam occidit in gratiam, vt ferebat Serapis, & Alexandri conditoris, cuius corpus inſpexit, atque attrectauit, & Arii Alexandrini Philoſophi, cuius olim opera & conſuetudine vſus fuerat. Inde cum magnam pecuniæ vim in regia reperiſſet, magnam etiam exegiſſet, omnia militibus ſtipendia debita numerauit: qui autem tum cum Cæſare erant, 250. drachmas ſinguli acceperunt, ne vrbem Alexandrinam diriperent. * Verum Antonii liberos paulo diſtinctius Lectori ex Plutarcho exhibeamus. *XXVI. Semina belli extinguit.* *Mors Antylli & Cæſarionis.*

Suet. l. 2. n. 17.

* ſ. 43. li. tur. & 15. ſolid. datis 3. ſoli. ½. ſingulis drachmis.

XXVII.

- M. Antonius Triumuir ſobolem ex tribus vxoribus 7. liberorum reliquit Plut. in Anton.
  - Ex Fuluia natus eſt.
    - Antyllus à Cæſare interfectus in Ægypto, in ſacello Cæſaris, mox à parentis morte, Dio l. 51. Plut. in Antonio. ſupra num. 26.
    - Antonius, quem Cæſar valde euexit. Plut. in Ant. At Suet. in Oct. n. 17. ait hunc occiſum, nō Antyllum, manifeſto errore. Nam hic eſt Iulius Antonius qui Conſul fuit V. C. 743. cum Fabio Africano, vt autor eſt idem Suet. l. 5. c. 2. vide & Velleium l. 2. vbi de relegata Liuia, quę ait duxiſſe filiam ſororis Auguſti. Iulium quoque Antonii & Fuluiæ filium memorat Dio, l. 51. cui Cæſar bona legitima reſtitui per libertos iuſſit.
  - Ex Octauia natæ ſunt filiæ duæ, quarum.
    - Vna nupſit Domitio Ænobarbo, dicta Agrippina, ex quibus natus L. Domitius.
    - Altera caſtitatę & forma celebris Antonia nomine, nupſit Druſo Liuiæ filio, priuigno Cæſaris, ex quibus deinde nati ſunt.
      - Germanicus, cuius filius Caius infamia nobilis imperauit.
      - Claudius, qui imperauit, & ſumpta in matrimonium Agrippina, eius filium L. Domitium adoptauit, quem Neronem Germanicum appellauit, omnium imperatorū ſceleſtiſſimum Plut. in Ant.
  - Ex Cleopatra ſuſcepit.
    - Alexandrum. Ptolemæum. — Dictus à matre Sol Dio l. 51. Plut. vel à patre. Eos Cæſar dedit ſorori iuniori Cleopatræ, Dio. l. 51. ſupra num. 26.
    - Cleopatram, quæ nupſit Iubæ regi Mauritaniæ, cui Cæſar de fratribus ſuis gratificatus eſt. Dio l. 51. dicta à matre Luna, ibid. aut à Patre, Plut. in Antonio.
    - Cæſarionem eadem Cleopatra ex Iulio Cæſare ſuſceperat, quem Auguſtus interfecit. Plut. in Ant. Dio l. 51. Alii.

XXVIII. *Reditus Herodis in Iudæam*

His aliiſque in Ægypto confectis, per Syriam, inquit Dio, in Aſiam prouinciam profectus eſt, ibique hyemauit. Quibus conſentit Ioſephus, qui ſcribit Herodem maturius ex Ægypto, quo Cæſarem comitatus fuerat, reuertiſſe ante extinctos Antonium & Cleopatram, vt patet ex libro decimo quinto capite vndecimo: vt ſcilicet eum vna cum exercitu reuertētem magnifice exciperet; quod fecit apud Ptolemaidem, nihilque eis etiam per ſqualida, & inaquoſa loca deeſſe paſſus, etiam Cæſarem octingentis talentis donauit; aliosque rurſum Romanorum optimates, per Syriam tranſeuntes, tot officiis proſecutus eſt, vt ſe magnificentius, quam pro regni facultatibus tractatos faterentur: quæ pluribus apud Ioſephum l. c. leges. Sed nunquid Herodes fruſtra colebat Auguſtum? audi eundem Ioſephum. *Auguſtū magnifice excipit.*

XXIX. *Auguſt in eundem liberalitas.*

Herodes in Ægypto cum Cæſare congreſſus, magnis ab eo beneficiis ornatus eſt, quadringentorum enim Gallorum Cleopatræ ſatellitium ei donauit, & regionis partem reddidit, quam illa occupauerat. Attribuit etiam eius regno Gadarā, Hipponem, & Samariam, & in maritimis Gazam, Anthedonem, Ioppen, Stratoniſque turrim; quæ illi non mediocris fuit ad regium ſplendorem acceſſio. Deductoque deinde vſque Antiochiam Cæſare, in regnum reuerſus eſt: & ſuſpicionibus aduerſus Mariamnem coniugem agitatus eſt, quæ illi proximo anno interitum attulerunt.

Halycarnaſſæus venit in Italiam.

Hunc ipſum annum notatum arbitror à Dionyſio Halicarnaſſæo ſub initium l. 1. Ego, inquit, appulſus in Italiam ſimul cum ſolutis bellis ciuilibus ab Auguſto Cæſare, centeſima & 87. Olympiade mediante; ſiue cum dimidia pars Olympiad. 187. eſſet elapſa, ageretur que annus illius tertius, idque confirmat ibid. idem Dionyſius, qui ab hoc anno vſque ad 745. duos & viginti annos numerat.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 4024.

1.N.xxiii Huic ſupputationi non ſatis quadrat Clementis Alexandrini ſumma, qui ait Macedonum tempora duraſſe annis 312. Nam ſi ad annos Lagidarum, addideris annos, quibus à deuicto Dario imperauit Alexander Magnus, qui ſunt omnino ſeptem, ea ſumma decem minimum annis abundabit. Nec accuratus eſt ſanctus Epiphanius l. de ponder. & menſuris, vbi à Ptolemæo Lagida ad Cleopatrâm 306. annos numerat: turbati quippe ſunt apud eum annorum numeri, adeo vt Cleopatra dicatur ibi annis duobus & triginta regnaſſe. Multo minor eſt ſumma Tertulliani lib. contra Iudæos: annos enim tantum habet 266. totidem quippe inuenies ſubductis nouem regum annis, quos ibi recenſet: neque enim recte à Scaligero numerati ſunt in hoc Euſebii loco, dum reperit 278. ſi ſteterimus rectæ emendationi doctiſſimi Pāmelii. Illius etiam requiro modeſtiam, cum ait Clementem Alexandrinū aliud agere, dum temporibus Macedonum tribuit annos 312. Nam ſi auferas octodecim annos, quos ille tribuit Alexandro Magno, qui vtique ad Lagidas, qui ibi recenſentur, non pertinent, non longe à numero Euſebiano diſtabit.

Ipſe potius aliud agebat, cum ibidem ait, Porro hic annus captæ Ægypti, pertinet ad V. Conſulatum Auguſti, ne cui forte imponant nummi Auguſti, in quibus cuſum eſt ex vna ſuperficie, *Cæſar Coſſ. VI.* Ex altera, *Aegypto capta.* Nam hunc eſſe quartum Auguſti Conſulatum cum Craſſo, ex Dionis libro quinquageſimo primo perſpicuum eſt. Imo ex Euſebii Chronico Græco, quem ille met edidit, & Caſſiodoro in faſtis, & Paulo Oroſio libro ſexto capite decimo nono; & Velleio libro ſecūdo, vbi ait Cæſare & Meſſala Coruino Coſſ. debellatum apud Actiū, proximo deinde anno Cleopatram & Antonium periiſſe. Sed bene habet, quod hæc ille in poſteriore editione, de Emendatione temporum emendauit. Itaque in nummis illis pro VI. conuerſis numeris IV. legendum videtur: aut dicendum potius eum nummum non pertinere ad annum Ægypti captæ, ſed biennio poſt cuſum: niſi placet notam VI. non ad Conſulatum, ſed ad imperium referre. Nam audi Oroſium libro ſexto capite decimo nono. Cæſar ſextùm Imperator adpellatus, & quartum ipſe cum M. Licinio Craſſo Conſul, ibique orbis terrarum præſidia diuiſis legionibus compoſuit, &c. Quin ipſemet Scaliger libro quinto de Emend. ca. de primo Toth Auguſtorum, fatetur biennio poſt Aegyptum captam Auguſtum fuiſſe ſextum Conſulem. Non ergo capta eſt Ægyptus quinto Conſulatu. Recte igitur ſe ipſe emendauit.

Cenſorinus capite vigeſimo primo annū ab exceſſu Alexandri, vſque ad Vr. Cond. 991. vocat 591. vtitur autem ſupputatione Varroniana in annis Vrbis: itaque mortem Alexandri refert in an. Vrb. Cond. 430. à quo ſi recte componas annos, ſeptingenteſimus vigeſimus tertius, qui nunc agitur, erit 294. & 991. reſpondebit 562. Onufrius tamen illum annum, quem Cenſorinus ait nomen habuiſſe ab Vlpio & Pontiano Conſulibus, non vocat 991. ſed 990. qui autem Catonis Palilia ſequuntur, etiam 989. illum vocant, vt Temporarius, quæ eſt ratio temporis Capitolinorum marmorum. 2.N.xxiii

In aliis ſcriptoribus numeri vitiati reperiuntur. Nam Epiphanius in lib. de pond. pro 22. habet 32. vt iam notauimus. Tertullianus l. aduerſus Iudæos, Cleopatra, inquit, regnauit annis viginti menſibus ſex. Item adhuc Cleopatra conregnauit ſub Auguſto annis tredecim; ſic ipſe, eſſent igitur 33. cum ½. Exiſtimarem dicendum viginti vno & menſibus ſex, vt conueniat communi ſententiæ. Illi autem tredecim anni à pugna Philippenſi numerandi ſunt, vt exigit illud *conregnauit*, non adiiciendi præcedenti numero. Corrigendum etiam Iſidori Chronicum, vbi legimus Cleopatram regnaſſe annis duobus, pro 22. & Niceph. Calend. l. 1. c. 9. vbi ait Ægyptum & Cleopatram in poteſtatem Cæſaris & Romanorum veniſſe duodecimo anno, poſtquam Auguſtus imperium ſuſcepit: contigit enim id anno 13. exeunte, vel 14. ineunte. 3.N.xxv.

ANNVS MVNDI 4025. SEXTÆ ÆTATIS 510. IMPERII ROMANI 20. AVGVSTI CÆSARIS. 15. HERODIS REGIS 9. QVI & 12. ÆTATIS 14. ANANELI PONT. 2. PRÆSIDE SYRIAE Q. DIDIO OLYMP. CLXXXVII. AN. 4. VRBIS CONDITÆ 724. COSS. AVGVSTO CAESARE V. & SEX. APVLEIO, ANNVS IVLIANVS 17. AVGVSTORVM I. ACTIACÆ VICT. 3.

ANNVS ANTE CHRISTVM 28.

I. *Ratio temporis.* HVNC annum quinti Conſulatus Auguſti, qui Iudæis fuit Sabbaticus, 206. Dio libro quinquageſimo ſecundo in principio, appellat 725. ab Vrb. C. vt ex libri etiam fine intelligitur, Chronologiam Varronianam ſecutus; ſed eum 15. Auguſti vocat Euſebius in Chronico. Apud Grutterum in theatro Inſcriptionum, refertur vetus Calend. repertum apud Cardinalem Maffeium, quem Scalig. Colotianum vocat, in quo ad VI. Calend. April. notatum eſt. Hoc die Cæſar Alexandriam recepit. Repugnare etiam videtur Chronologiæ noſtræ de annis imperii Auguſti, Horatius cum ſcribens ad illum ipſum Auguſtum præcedentem annum, mortui Antonii & Cleopatræ vocat decimum quintum imperii. Sic enim canit. l.4. od.14.

-- Nam tibi quo die
Portus Alexandrea ſupplex,
Et vacuam patefecit aulam.
Fortuna luſtro proſpera tertio
Belli ſecundos reddidit exitus;
Laudemque, & optatum peractis
Imperiis decus arrogauit.

Ecce Alexandria Auguſto patefecit vacuam aulam, morte dominorum priorum Antonii & Cleopatræ, fortunaque proſpera bellis ciuilibus finem attulit, tertio luſtro, id eſt anno 15.

II. *Ei non repugnare Horatium.* RESPONDEO Horatium non exprimere, quoto anno tertii luſtri Alexandria in poteſtatem venerit; ideoque non ſolum decimus quintus, ſed decimus quartus, aliique etiam præcedentes accipi poſſunt: etſi Scaliger libro quinto de Emendatione cap. de primo Thoth Auguſtorum, tertium luſtrum abſolutum, abſolute pronunciet, nec probare poſſit Horatium definiſſe tempus imperii Auguſti ad receptam vſque Alexandriam annorum quindecim ſolidorum, licet daremus 6. Calend. April. receptam Alexandriam. Nam ab Idibus Martiis, quibus occiſus eſt Cæſar, an. Vrb. Cond. 709. vſque ad 6. Calend. April. anni Vrb. Cond. 723. 14. anni ſolidi, & 12. dies reperiuntur. Reſpondent aliqui Horatium numerare cœpiſſe annos imperii Auguſti à cæde Iulii Cæſaris, vt ſentit Baronius in Appar. n.103. quo ex tempore alios quoque numeraſſe, ibid. tradit. ab anno ſcilicet V.C.709. & illi hunc annum Auguſti 16. vocant Verum cum toto illo anno priuatus fuerit, nec ius vllum ad imperium habuerit, non poteſt, rem exactius expendẽdo, inde duci initium imperii eius. Imo neque ab anno ſequenti ante eius Conſulatum, qui cadit in menſem Auguſtum, vt conſtat ex Senatuſconſulto, quod extat apud Macrobium lib. 1. Saturn. cap. 12. Inde ergo numerando inuenies hunc eſſe annum decimum quintum imperii eius, ſed inchoatum duntaxat;

Ex eodem etiam Senatus conſulto Macrobiano conſtat Octauianum Cæſarem Auguſto menſe, tres in vrbem triumphos intuliſſe. Sic enim habet. CVM IMPERATOR CÆSAR AVGVSTVS MENSE SEXTILI, ET PRIMVM CONSVLATVM INIERIT, ET TRIVMPHOS TRES IN VRBEM INTVLERIT: ET EX IANICVLO LEGIONES DEDVCTÆ, SECVTÆQVE SINT EIVS AVSPICIA, AC FIDEM. SED ET AEGYPTVS HOC MENSE IN POTESTATEM POPVLI ROMANI REDACTA SIT, FINISQVE HOC MENSE BELLIS CIVILIBVS IMPOSITVS SIT; ATQVE OB HAS CAVSAS HIC MENSIS HVIC IMPERIO FELICISSIMVS SIT, AC FVERIT, PLACERE SENATVI, VT HIC MENSIS AVGVSTVS APPELLETVR. Hactenus SC. Capitolina marmora dies ipſos Auguſti notatos habent, & quintum Conſulatum Imperat. Cæſaris D. filii, annumque vrbis DCCXXIV. primum de Pannoniis & Dalmatis &c. VIII. Idus Sextil. Alterum de Macedonia, ſeu victoria ad Actium obtenta VII. Idus. Tertium de Ægypto & Cleopatra VI. Idus, id eſt ſexto, ſeptimo, & octauo die Auguſti. Quæ Sigonius, Pighius, aliique paſſim confirmant. *III. Tempus triumphorum Auguſti.*

MIRVM itaque videtur à Paulo Oroſio [a] ſcriptum eſſe. Imperatore Cæſare Auguſto quinquies, & L. ſic enim vocat, Apuleio Coſſ. Cæſarem victorem ab Oriente redeuntem, octauo Idus Ianuarias vrbem triplici triumpho ingreſſum eſſe, Iani portas clauſiſſe, ſopitis omnibus finitiſque bellis ciuilibus; eodemque die primum Auguſtum conſalutatum eſſe. Porro ne memoria lapſum putaremus, aut mendum irrepſiſſe, addit eum diem Epiphaniæ Domini dedicatum eſſe. Idque triumphi tempus recte aſſignatum affirmat Scaliger in Euſebium. Oroſium quoque ſecutus eſt Beroaldus in Suetonium, qui tres curules triumphos continuo triduo actos memorat [b] Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum; ſed menſem atque annum tacet. Sicut & Seruius in 8. Virgilij, & Euſebius in Chronico. Verum præter authoritatem ex dicto SC. petitam, ratio aperta id refellit. Cum enim in Aſia hyemarit, vt ex Dione ſuperiore anno diximus, & æſtate in Græciam, indeque in Italiam tranſmiſerit, vt idem affirmat hoc anno, adeo vt iam Apuleio Potitus Coſ. ſuffectus eſſet, quomodo VI. Ianuarii Romæ triumphare potuit? aut tres etiam triumphos octauo Idus Ianuarias agere? vide quoque in hunc annum Sigonium. *IV. Dubitatio ex Oroſio.* *Refutatur hac opinio.*

[a] l.6.c.20. — nu 198. — [b] l.2.c.22.

PONIMVS etiam hoc anno primum Auguſtorum: quæ eſt Ægyptiorum chronologia. Cum enim annos Macedonum ſiue Lagidarum in proxime præcedenti anno finiant, vt ibi diximus, conſequens eſt, vt hoc anno nouam inchoent, cuius nomen Auguſtorum, ſiue σεβαστῶν eſſe voluerunt, gratiam inituri ab Octauiano Cæſare, & C. Iulio eius patre, qui ad deos relatus iamdudum fuerat. Quin & Auguſtus ipſe ſacrificiis honorabatur, nominatimque Narbone VIII. cal. Octobris, die eius natali, & VII. Idus Ianuarii, qua die primum imperium orbis terrarum auſpicatus eſt. vt eſt in Narbonenſi inſcriptione, apud Gruterum. Hanc Æram ſtatutam fuiſſe à Senatu Romano author eſt Dio, l.51. Diem, inquit, quo capta eſt Alexandria faſtum eſſe voluerunt, ab eoque reliquis annis numerandis initium eſſe ſumendum. Annos quoque Auguſtorum Romani celebrarunt, ſed qui biennio tardius inchoarentur, vt teſtis Cenſorinus, illi anno 17. Iuliano, hi 19. illi quinto Conſulatu Cæſaris, iſti ſeptimo, illi ab Auguſto menſe, hi à Ianuario. Differentiam 490. dierum ait eſſe Scaliger, quod ſupponit Alexandriam captam Auguſti die 28. Sed hac de re alio rurſum loco dicendum erit. Nunc de Herode agendum eſt. *V. Annus Auguſtorum Alexandrinorum.* *Romanorũ.*

pag 229. — l.5. emend.

IS hoc anno Mariammem vxorem ſuam calumniis circumuentum interfecit; latiſſimè id explicat Ioſephus, [c] res breuiter ſic habet. Cum Mariamne, cum matrè incluſæ fuiſſent iuſſu Herodis ad Cæſarem abeuntis, in caſtro Alexandrio: mandatis Sohemo datis, vt vtramque interficeret, ſi quid ſibi durius accidiſſet: ille blanditiis mulieris victus, rem Mariamnæ patefecit. Quæ inde graui in Herodem odio, ac mœrore concepto, minime eum diſſimulauit; Illo enim reuerſo, & apud Mariamnem narrante ſuos ſucceſſus, eos illa ſuſque deque ferre videbatur, & ad blandas illius appellationes ingemiſcebat, vt iam Herodes apertam vxoris erga ſe auerſionem agnoſceret, & inter odium amoremque fluctuaret. *VI. Mariamme vxor Herodis, ab eo mandatum ſuã necem agnoſcit.*

[c] l.15.c.11.

VII. *Calumniis appetitur ab Herodis ſorore.*

Talibvs curis æſtuantem, & ſic erga Mariamnem affectum, vt videre ſoror eius Salome, & Cypros mater, quibus illa ſæpe humilitatem generis exprobrabat, opportunum ſe tempus nactas putarunt, ad accendendum hominem calumniis ad odium ac Zelotypiam. Ac fortaſſe iamtum fuerat in eam ſæuiturus, ni commodum nunciatum eſſet, extinctis Antonio & Cleopatra, Ægypto Cæſarem potiri; cui obuiam properans familiam ſuam, vt erat, reliquit; eandemque mox reuerſus in eodem ſtatu reperit, ægritudine animorum in omnibus perſeuerante. Cumque ſuſpiciones Herodis per annum integrum creuiſſent, & mulier neglectis regis blanditiis, inſuper illi patris ac fratris ſui necem opprobraret, (intelligit opinor Hyrcanum, auum matris ſuæ patrem, quem nihilominus patrem appellat; neque enim Herodes patrem eius Alexandrum Ariſtobuli filium interfecerat; ſed Scipio iuſſu Pompeii teſte Ioſepho)[a] vix ab inferendis illi manibus ſeſe ipſe continuit, quem cum ex ſtrepitu commotiorem ſenſiſſet ſoror, ſubmittit iamdudum ſubornatum pincernam, qui indicaret ſolicitatum ſe à Mariamne, vt regi poculum amatorium propinaret, quod ille qualecumque tandem eſſet, apud ſe haberet. a l. 14. c. 13.

VIII. *Herodes eunuchum Mariammes & Sohemum tollit.*

Ad hæc verba Herodes iam ante ſatis commotus, cum magis etiam exaſperatus eſſet, eunuchum Mariammes fidiſſimum tormentis examinauit, certus nihil ſine illo eſſe tentatum; qui cruciatus non ferens, id vnum prodidit, offenſam eſſe mulierem, propter ea quæ Sohemus indicarat. Adhuc eo loquente exclamat Rex, Sohemum ſibi regnoque ante hac ſemper fidiſſimum non fuiſſe hæc proditurum, niſi aliquid commercii ſecretioris inter ipſos interceſſiſſet; moxque Sohemum comprehenſum iubet interfici; vxorem vero, aduocato intimorum amicorum conſilio, (Gorionides[b] ait conuocatum cœtum 70. ſeniorum, qui fuerunt in diebus illis,) veneficii accuſat, ea verborum animique aſperitate, vt qui adſtabant ſatis intelligerent, velle regem illam capite damnari, quod omnium ſuffragiis factum eſt. Cum autem cenſerent ſupplicium nequaquam præcipitandum, ſed includendam in aliquem regiæ carcerem, Salome inſtitit apud regem, vt quamprimum necaretur, ne quis in populo motus, illa in carcere viuente, exiſteret; itaque Mariamne ad ſupplicium ducta eſt. b l. 5 c. 21.

Vxorem veneficii damnari curat.

IX. *Alexandra metu in filiam Mariammem aſperatur.*

Id conſpicata Alexandra eius mater, & intelligens ſimilem exitum ſibi ab Herode expectandum, omiſſa priſtina ferocia valde indecore mutata eſt, (ſi qua tamen fide tam improbabilis narratio digna eſt.) Volens enim oſtendere, inquit Ioſephus, ſe non eſſe conſciam eius criminis, cœpit filiæ conuitium facere omnibus audientibus; ſceleſtiſſimam & ingratam erga virum clamitans. Hæc illa turpiter fingente, vt etiam in capillos miſeræ inuolatura videretur, eam circumſtantes merito damnabant: & quæ ducebatur ad ſupplicium, ne verbo quidem vllo eam dignata eſt, ſed excelſo vultu, atque animo eam calumniam refellebat. Ad hunc modum periit mulier, dum mærorem animi diſſimulare non poteſt, erga ferum, atque impotentem animi maritum, à quo iam bis, quantumuis innocens, capite dãnata fuerat. Cuius ſupplicii culpam non vidit Ioſephus in Herodis crudelitatem, & ſororis eius calumnias, referendam eſſe; qui illorum accuſatione ſuppreſſa, miſeram mulierem & commiſeratione digniſſimam, inſuper oratione divexet.

Mariamma cadet.

Sic mittit coruos, vexat cenſura columbas.

X. *Herodes æger iubet Alexandram interfici.*

Interfecta Mariamne tum rex magnis intemperiis agi cœpit, & occiſæ à ſe deſiderio prope in furorem agi, omnibus oblectationis generibus irritis: tum populus, ipſe ſuperueniente peſtilentia, iraſcebatur, quod eam irato Deo immiſſam, propter iniuſtum reginæ ſupplicium, interpretabantur. Ita aucta regis ægritudine, etiam morbum contraxit, eoque grauiter afflictus Sebaſte decubuit: quo cum periturum Alexandra crederet, arces vrbis ſibi, filiiſque Mariamnes tradi, in omnem euentum, ſatagebat. Quæ res cum delata eſſet ad Herodem per amicos fideles, ille ſine mora eam iuſſit interfici; vtique commiſeratione parum dignam, quæ in filiam, quam norat innocentem, ſe tam immitem atque inhumanam præbuiſſet. Herodes autem ſuperato tandem morbo, affectis & corporis, & animi viribus, ita efferatus eſt, vt quauis ex cauſa ad ſæuiendum eſſet promptiſſimus.

XI. *Quintus Cæſaris Conſ. & eius honores.*

Iam quod ad Romanam rem attinet, Cæſar V. cum Sex. Apuleio collega Coſ. facti ſunt ipſis Cal. Ianuariis. Quanquam Cæſar non tam factus, quam confirmatus eſt Conſul: toto enim hoc anno & ſuperiore biennio Conſulatum, teſte Dione[c] c lib. 51.

retinuit. Huius autem anni cal. Ianuar. Romæ omnia eius acta iuramento confirmata ſunt, multaque in eius honorem decreta: in quibus vt tribus Iulia ab eo denominaretur,(de nomine autem Auguſti nulla adhuc mentio) vt corona triumphali ludis omnibus vteretur, vt dies qua in vrbem ingrederetur feſta eſſet, publiciſque ſacrificiis celebraretur, vt Sacerdotes quotquot placeret conſtitueret, vt Iani portæ,quaſi bellis omnibus iam confectis,clauderentur, quod illi acceptiſſimum fuit: idque adulatorie magis quam vere factum, ex iis quæ eodem loco de variis bellis attingunrur à Dione non obſcure oſtendi poteſt. Præſertim [a] vbi de rebus eodem fere tempore, à M. Craſſo contra Dacos & Baſtarnas geſtis, pluribus agitur.

[a] ſub fi. l. 51

XII. *Diuini honores Romæ Auguſti.*

CÆSAR autem hoc tempore, templum Romæ, quaſi cuipiam Deæ, patrique Cæſari, quem Heroa Iulium nominauit, Epheſi & Nicææ fieri permiſit, vt ab incolis Romanis colerentur; Græcis autem conceſſit, vt ſibi ipſi quoque templa facerent, Aſiani quidem Pergami, Bithyni vero Nicomediæ; & Galli Narbone, vt paulo ante dicebamus. Id ſacrilegium ab his ortum initiis, ad reliquos deinceps Imperatores propagatum eſt, quibus tum alii diuini honores, tum ſacraria attributa. Æſtate in Græciam, atque hinc in Italiam Cæſar tranſmiſit, eoque vrbem intrante, cum alii, tum Valerius Potitus, qui Apuleio Conſuli ſucceſſerat, pro felici eius aduentu, pro S.P.Q.R. publice, nouo exemplo ſacrificauit, eumque triplici triumpho, multaque largitione decorauit.

XIII. *Cæſaris in vrbem ingreſſus, & liberalitas.*

NAM legatos ſuos, Agrippam in primis, laudibus honoribusque affecit, milites muneribus; populo viritim drachmas centum, id eſt 17. lib. Tur. cũ dimid. puberibus primum, deinde etiam pueris in gratiam Marcelli ſororis ſuæ filii. Aurum coronarium ab vrbibus Italiæ non accepit, debita ſua perſoluit, ſibi debita non exegit. Quibus effectum eſt, vt omnium malorum Romani obliuiſcerentur; eiuſque triumphos, tanquam de ſolis externis ductos, libenter ſpectarent, quibus totam vrbem locupletauit. Ægyptius præſertim ſplendidiſſimus fuit, in quo inter alia Cleopatra ferebatur in culcitra, ad imitationem morientis efficta, cum Alexandro & Cleopatra filiis, quibus Solis ac Lunæ cognomina dederat. Quæ aſtra, ſua quoque eclipſis vehementer obſcurauerat.

XIV. *Quædam eius opera publica. Et ſpectacula.*

DEINDE Mineruæ templum, & curiam Iuliam, in honorem patris ſui factam dedicauit, in eoque Victoriæ ſignum poſuit, & multis Ægypti ſpoliis exornauit, ſicut & Iulii ſacrarium, & Iouis, Iunonis, ac Mineruæ: In templo autem Veneris auream Cleopatram conſpiciendam dedit. Acceſſerunt varia ſpectacula, ludi, certamina ferarum, gladiatorum, captiuorum barbarorum, de quibus pluribus agentem Dionem conſulere licet; apud quem etiam copioſiſſimam deliberationem reperies toto libro 52. de conſtituendo Reipubl. ſtatu monarchico, aut reſtituendo populari, Cæſare cum Agrippa & Mecænate ea de re deliberantibus: vbi præclariſſima præcepta reperies à Mecenate, quæ ad officium Imperatoris recte adminiſtrandum valent.

XV. *Imperatoris nomen accipit. Cenſuram gerit.*

EODEM etiam quinti Conſulatus anno Imperatoris nomen accepit, non quale propter victoriam tribui vetuſto more ducibus ſolebat; ſed quo Imperii ſumma deferebatur, quale Iulio eius patri delatum iam pridem fuerat. Cenſuram quoque collega Agrippa geſſit, à quo Senatus, qui ad millenos aſcenderat, expurgatus eſt, primum quinquaginta ſua ſponte cedentibus; deinde alios centum quadraginta, ad horum exemplum imitandum adegit, Patriciorum familias ſuppleuit; Senatores iniuſſu ſuo Italia abire vetuit, Carthaginem coloniam iterum deduxit; Antiochum Commagenum ad ſe Romam accitum interfecit, quod fratris cum quo litigabat, legatum Romam miſſum dolo peremiſſet.

XVI. *Lepidi in Cæſarem irrita coniuratio.*

HOC ipſo anno coniuratio in Auguſtum, priuſquam pene naſceretur, extincta eſt. Eam inceptabat M. Lepidus Triumuiri filius, qui Cæſaris interficiendi conſilia, ſimul ac in vrbem reuertiſſet, inierat, patris videlicet vlturus iniuriam; Sed eam C. Mecænas vrbis cuſtodiis præpoſitus, obſeruauit, deprehendit, extinxit. Autor Velleius l. 2. tangit Suet. [b] eamque pluribus aliis agglomerat: tangit & Florus in Epitoma 133. Sed in eo recte corrigitur à Sigonio, vt res non altero & trigeſimo anno bellorum ciuilium, vt ibi ſcriptum eſt, contigiſſe dicenda ſit, ſed altero &

[b] l. 2. n. 19.

vigeſimo. Præcedens enim, Velleio teſte, vigeſimus fuit. Oportuiſſetque bella ciuilia inchoata eſſe anno V.C. 6◦3. cum cœperint tantum 704. Lentulo & Marcello Coſſ. qui fuit primus annus dictaturæ Iulii Cæſaris.

ANNVS MVNDI 4026. SEXTÆ ÆTATIS 511. IMPERII ROMAN. 21. AVGVSTI 16. HERODIS 10. ET 13. ÆTATIS 45. CLXXXVIII. OLYMPIAD. AN. I. VRBIS COND. 725. COSS. IMPER. AVG. VI. ET M. AGRIPPA II. AN. IVLIANVS 18. AVGVSTORVM 2. ACTIACÆ VICTORIÆ 4.

ANNVS ANTE CHRISTVM 27.

I. *Cæſaris in Agrippã beneuolentia.*

OLYMPIACVS eſt annus præſens, Olympionicæ tamen nomen excidit, ſicut & Præſidis Syriæ; eſt tamen inſignis ſexto Augusti Conſulatu, quem ille ex ſuperioribus annis retinuit. Aſſumpſit autem collegam M. Vipſanium Agrippam, qui à priore Conſulatu decimum annum agebat, virum omnium ſibi amantiſſimum; cuius beneuolentiæ ea dedit ſigna clariſſima, quod ei ſororis ſuæ filiam in matrimonium locauit, quod veteri Romanorum inſtituto faſces Cõſulares, cum eo partitus eſt, vt dimidia vterque parte vteretur; quod cum eo, ſicut & cum Mœcenate, negotiorum ſuorum ſecretiſſima communicaret, ideoque cum iis de principatu Romæ conſtituendo aut deponendo diſputationem habuit, quam Dio [a] eſt perſecutus. Denique quod ſi quando ſimul in bellum proficiſcerentur, tabernaculum ſui ſimile illi dedit, ac militarem teſſeram ab vtroque accipi iuſſit. Agrippa contra, cum author eſſet Cæſari, adiutorque plurimorum operum glorioſorum, nihil tamen eius gloriæ ſibi arrogabat, honoreſque ab eo ſibi attributos, non in proprium commodum & ſuum, ſed in Auguſti laudem, & Reipub. vtilitatem conuertebat.

a.V.C.716. — *Agrippa modeſtia.* — Dio l.53. — Ibid.

II. *Cæſar vrbẽ luſtrat, ac cenſet.*

OCTAVIVS cenſum anno ſuperiore à triumphis inchoatum, cum M. Agrippa hoc anno perfecit, princepſque Senatus ipſe in eo dictus eſt, pro eo more qui ſtante gubernatione populari receptus erat. Cenſu Romæ agitato, ait Euſebius anno primo huius Olympiad. inuenta ſunt ciuium Romanorum quadragies & ſemel centena millia, & inſuper 64. millia: vel vt habet Suidas, verbo Auguſtus, 4. milliones, centum & vnum mille & 17. Verum audiri poteſt Auguſtus ipſe, in breuiario rerum à ſe geſtarum, quod habetur in Grutteri Inſcriptionibus. *In Conſulatu*, inquit, *ſexto cenſum populi collega M. Agrippa egi, luſtrum poſt annum alterum & quadrageſimum feci, quo luſtro ciuium Romanorum cenſita ſunt capita quadragiens centum millia, & ſexaginta tria*, nimirum millia. Quod autem ait luſtrum à ſe conditum poſt annum alterum & quadrageſimum, reſpicit vtique luſtrum conditum à L. Gellio, & Cn. Lentulo Cẽſoribus, anno V.C. 684. à quo tempore agitur hic annus 42. Itaque interiecta luſtra, quæ à Sigonio & Onuphrio inſeruntur, præſertim Iulii Cæſaris, eleganter à Iuſto Lipſio, atque erudite refelluntur, cum Plutarcho, qui in vita Cæſaris eos induxit in fraudem.

4164000. — 4101017. — p.230. — *Qui poſt annos 42.* — 4063000. — l.1 Elect. c.17.

III. *Aliqua eius opera Apollinium, & Bibliotheca*

ADDIT aliquot inſignia Cæſaris Auguſti opera Dio, in hoc eodem Conſulatu, quæ in reliquarum rerum penuria operæ pretium ſit recenſere. Apollinis in palatio ædem cum circumfuſo, & adiacente ſolo, ac bibliothecas perfecit, ac conſecrauit, prius vt apparet iuſſu eius inchoata: non enim exigui ſunt ita temporis, quæ explicat Suetonius libro ſecundo numero vigeſimo nono. Templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus excitauit, quam fulmine ictam deſiderari à Deo, Haruſpices pronunciarant. Addita porticus cum bibliotheca Latina, Græcaque, quo loco iam ſenior ſæpe etiam Senatum habuit.

apparet ergo vel ex hoc opere Auguſtum amantem fuiſſe literarum, & iam ſupra dictum eſt, cum operam dediſſe Philoſopho, cum ad ſpem imperii euocatus eſt. Et cum Alexandriæ pepercit clementiæ ſuam cauſa protulit Deum Serapin, Alexandrum Vrbis Conditorem, & Arium Alexandrinum ciuem, cuius opera in Philoſophia, & familiaritate vſus fuerat, vt ſcribit Dio l. 51.

IV. *Ludi Actiaci.*

LVDOS etiam propter Actiacam victoriam decretos, cum Agrippa exhibuit, in iis equeſtre certamen per pueros & viros patricios peregit; iique cum hoc primum anno celebrati eſſent, vt Scaliger quoque fatetur, [a] cap. de primo agone Actiaco, quem male ſuis in Euſebium notis ad Olympiadem refert 187. quādo neque inſtituti adhuc ab Auguſto ludi, neque obtenta victoria. Hi ergo ludi quinto quoque anno, quo temporis ſpatio peragebantur, curæ erant quatuor ſacerdotum collegiis per ordinē, Pontificibus, Auguribus, Septemuiris, Quindecimuiris. Addidit & gymnicos ludos, & munus gladiatorium per aliquot dies, quæ ne per valetudinem quidem intermiſit, Agrippa eius partes obeunte: totoque populo magna gratulatione confluente.

[a] l. 5. de emend.

V. *Eius magnificentia, & egeſtus ærarii.*

SVMPTVS in ea ſpectacula, & ludos ex ſuis ipſe facultatibus ſuppeditauit, vt inquit Dio: ſed illud potius mirum, quod ſubdit de penuria publici ærarii, cui ipſe mutuo pecunias dederit. Cum legamus Auguſtum ipſum in Alexandrino triumpho tantam aduexiſſe Gazam, tantamque pecuniæ vim ſparſiſſe, vt ſummam rei nummariæ copiam effecerit, & fœnus quod ante denario pendebatur, tum ad trientem eius recideret, & preciis agrorum plurimum accederet. Poſt triumphum vero Capitolium, & templum D. Iulii, & Baſilicam ſpoliis Ægyptiis ornauit, & in cellam Capitolini Iouis, vt Suetonius author eſt, ſedecim millia pondo auri, gemmaſque, & margaritas quingenties ſeſtertium vna donatione contulit. Nimirum quæ alii pridem duces & imperatores in ærarium publicum inferebant, Auguſtus & Iulius in milites populumque ſpargebant, vt ſibi eos priuatim demererentur. Denique cum magna vſus in omnes ordines magnificentia, fiſco debita remiſiſſet, inique in triumuiratu conſtituta abrogaſſet, cum omnium laudem ac beneuolentiam promeruit, tum eorum animos ſenſim diſpoſuit, ad vltro ſibi imperium, quod cupiebat deferendum.

VI. *Iani portæ iterum apertæ.*

CVM autem anno ſuperiore quinto Auguſti Conſulatu, Iani portæ à Romanis in gratiam Cæſaris clauſæ fuiſſent, vt affirmat Dio, [a] idque magnam ei voluptatem attuliſſet, anno proxime ſequenti eiuſdem Conſulatu ſexto, Iani portæ iterum, ob bellum Cantabricum, apertæ ſunt, vt teſtatur Oroſius; [b] etſi illud Dio ad nonum Cæſaris Conſulatum referat. Cæſar, inquit ille, parum in Hiſpania per ducentos annos actum intelligens, ſi Cantabros atque Aſtures, duas fortiſſimas gentes Hiſpaniæ, ſuis vti legibus fineret, aperuit Iani portas, atque in Hiſpanias ipſe cum exercitu profectus eſt. Rem ipſam geſtam, quæ ad plures annos pertinet pluribus apud eum leges. Interea autem cum cæteræ prouinciæ, tum Iudæa ipſa, cum Herode quieſcebat.

Bellum in Hiſpania.

[a] l. 51. p. 457 grdat.
[b] l. 6. c. 11.

Mors Varronis.

Refert porrho Euſebius ad hunc Auguſti & Olympiadis annum mortem M. Terentii Varronis Philoſophi, prope nonagenarii: ex quo intelligitur eum natum anno primo Olymp. 166. à quo hic annus eſt octogeſimus nonus. Et mirum eſt celeberrimi viri mortem ſilentio à ſcriptoribus illius æui fuiſſe præteritam, cuius laudes tum apud M. Tullium, tum apud D. Auguſtinum celebrantur.

ANNVS MVNDI 4027. SEXTÆ ÆTATIS 512. IMPERII ROMANI 22. OCTAVIANI, ET TRIVMVIRATVS 17. HEROD. II. QVI ET 14. ÆT. 46. ANANELI 4. PRÆSID. SYR. OLYMP. 188. AN. 2. VR. COND. 726. COSS. IMPERAT. AVGVSTO 7. ET M. VIPSANIO AGRIPPA 3. AN. IVL. 19. AVGVSTORVM 3. ACTIA. VICTORIÆ 5.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 26.

I. *Præ ſe fert ſumma dignitatis depoſitionem.*

CÆSAR ſeptimum Conſulatum gerens, cum M. Agrippa, cum omnium oculis atque ore ferretur, vt inquit Dio l. 53. ad oſtendendam nouam magnitudinem animi, in ſummi honoris contemptu, cum ſe velle deponere, atque abdicare præ ſe tulit, vt ab vniuerſo Senatu vltro deferretur. Cum ergo collegiſſet Senatores ſui ſtudioſiſſimos, & erant omnes eius ſtudioſi, ſiue quia eos in Senatum allegerat, ſiue quia pleriſque eiectis dum Senatum cenſeret, eos retinuerat, in Senatum venit, atque orationem de ſcripto recitauit, in qua oſtendit ſe ſummam potentiam, quam eſſet in Rep. conſecutus, alia de cauſa non quæſiuiſſe, quam vt Patris interfecti cædem vlciſceretur, & vrbem magnis & continentibus malis affectam liberaret; iis autem nunc tandem fœliciter confectis, imperiũ omne velle deponere, reſtituereque protinus omnia, arma, leges, prouincias, ſiue quæ ipſi Senatus commiſiſſet, ſiue quæ ipſe acquiſiſſet. Huic eius generoſæ voluntati omnes debere acquieſcere, ſiue quia videant Rempub. vlterius hoc imperium non deſiderare, cui ſuis maximis laboribus, periculiſque quietem iam peperiſſet; ſiue quia hanc gloriam C. Iulium parentem imitando ambiat, vt ſicut ille oblatam regiam poteſtatem repudiarit, ita ipſe iam acquiſitam vltro deponat. Siue quia laboribus, ærumniſque confectus, cupiat in priuata vita, cum quiete & gloria viuere potius, quam ſummum imperium, cum periculo gerere.

II. *Cui Senatus non acquieſcit. Sed eius principatũ confirmat.*

Hæc atque id genus alia cũ dixiſſet, mire Senatorum animi affecti ſunt, pauci eius animum ſatis intellexerunt, omnes tamen ſeu vere crederent, ſeu credere ſe ſimularent ex animo habitam fuiſſe hanc orationem, eam improbarunt: Proindeque cum etiam adhuc dicenti frequenter acclamaſſent, vbi perorauit multis eum verbis omnes precati ſunt, vt ſolus imperii ſummam gereret, pluribuſque argumentis tandem compulerunt, vt principatum ſolus obtineret; ſtatimque eius ſtipatoribus, vt diligentius eum cuſtodirent, duplex ſtipendium decretum eſt. Hac arte Cæſar cum ſe velle imperium deponere ſimulaſſet, effecit vt ei à SPQR. confirmaretur.

III. *Validiores prouincias ſibi retinet.*

NIHILOMINVS vt popularis videretur, negauit ſe omnes velle prouincias obtinere, aut quas regendas ſumpſiſſet in perpetuum gubernare; itaque infirmiores tanquam pacatas aliis attribuit, potentiores in quibus pugnandum adhuc eſſet, ſibi retinuit; Quod ille hac ſpecie fecit, vt Senatus bonis imperii tuto perfrueretur, ipſe laboribus, periculiſque obiectus videretur; At hoc vſus prætextu Senatum omnem exarmauit; & imbellem reliquit, ipſe omnia ſibi arma militesque retinuit. Hæc Dio clarius, quæ tangit Suetonius.[a] Deinde imperium in ſuas prouincias decennale ſuſcepit; profeſſus, ſi breuiori ſpatio eas pacare poſſet, citius ſe imperio deſtiturum. Cumque illi primum decennium exiuiſſet, quinquennium, atque eo circumacto, rurſus aliud quinquennium, poſt decennium, atque eo finito, aliud iterum ei quinquies decretum eſt, ita vt continuatis decenniis, per totam vitam imperii ſummam obtinuerit. Quam ob cauſam poſteriores quoque Imperatores, inquit Dio, etſi non ad certum tempus, ſed per omne vitæ ſpatium iis imperium deferatur, tamen ſingulis decenniis, feſtum pro eius renouatione agunt. a l. 2 n. 4.

Cum decẽnis in eas imperio.

Eoque ſẽper repetito.

Octavius dicitur Augustus. IV. *Octauius quando dictus Auguſtus.*

Hoc ipſo tempore Octauius à S.P.Q.R. appellatus eſt Auguſtus. Cenſorinus l. de die nat. c. 21. ait id factum 16. calend. Febr. Ex ante diem, inquit, 16. calend. Febr. Imperator Cæſar D. filius, ſententia L. Munacii Planci à Senatu, cæteriſque ciuibus Auguſtus appellatus eſt, ſe ſeptimum, & M. Vipſanio Agrippa tertium Coſſ. At Ouidius libro primo Faſtorum, quatriduo ante eam nominationem factam tradidit, Idibus ſcilicet Ianuarii. De Idibus enim illis agens iſta cecinit.

Redditaque eſt omnis populo prouincia noſtro,
Et tuus Auguſto nomine dictus Auus.

a l. 2. c. 7. b l. 6 c. 8. Sententiæ Munacii Planci meminit etiam Suetonius.[a] Paul. Oroſius,[b] ait Cæſarem 8. Idus Ianuarias vrbem triplici triumpho ingreſſum, eodemque die primum Auguſtum fuiſſe conſalutatum; ſed vt illic in menſe, forte hic in die deceptus eſt. Huc videtur reſpexiſſe lapis ille Narbonenſis, cuius ſupra meminimus, cum ait Auguſtum VII. Idus Ianuar. orbis terrarum imperium auſpicatum eſſe.

V. *Cur eo nomine appellatus.*

Etenim cum ſtatuiſſent, inquit Dio, peculiari quodam eum cognomento inſignire, & alii alia referrent ac probarent, Cæſar quamuis Romuli nomen vehementer appetebat; tamen cum ſentiret hinc ſe ſuſpectum affectati regni fieri, eo omiſſo, Auguſtus, quaſi hominis natura amplior, ipſe cognominatus eſt. Auguſta enim ea, quæ honore digniſſima & ſanctiſſima ſunt, dicuntur. Ideoque Σεβαστὸν Græci Auguſtum interpretati ſunt, quaſi venerandum dicas. Florus:[c] Ob hæc tot facta ingentia Dictator perpetuus, & Pater patriæ dictus. Tractatum etiam in Senatu, an quia condidiſſet Imperium, Romulus vocaretur: ſed ſanctius & reuerentius viſum eſt nomen Auguſti, vt ſcilicet iam tum dum colit terras, ipſo nomine & titulo conſecraretur; ſic ipſe. Quo pertinet illud Horatii initio l. 2. Epiſt. (c l. 4. c. vl.)

Præſenti tibi maturos largimur honores,
Iurandaſque tuum per nomen ponimus aras.

Libet & illud ex 1. Faſtorum de Auguſti nomine addere.

Sancta vocant Auguſta patres, Auguſta vocantur
Templa, ſacerdotum rite dicata manu.
Huius & augurium dependet origine verbi,
Et quodcunque ſua Iuppiter auget ope.

VI. *Quanta in eo poteſtas, omninoque regia.*

Hoc ergo modo omne S.P.Q.R. imperium ad vnum Auguſtum tranſiit, & vitatis inuidioſis, legibuſque damnatis nominibus, Regis, & Dictatoris, res ipſa ad vnum, ſub Auguſti, & Imperatoris nomine, delata eſt, qui magiſtratus omnes aut gereret, aut haberet in poteſtate: ſine cuius nutu neque exercitus, neque prouinciæ, neque reditus Imperii adminiſtrarentur; ad cuius arbitrium crearentur magiſtratus, bella gererentur, contraherentur fœdera pacis, regum & populorum legatis reſponſa darentur, ſententiæ in Senatu dicerentur, iudicia fierent; Qui vnus ius omne vitæ atque necis, fortunarumque omnium ciuium, & peregrinorum in manu haberet: non inde Senatores, non Equites, non Pontifices, non augures, non vlli ſacerdotes exempti. Ipſe autem ſolutus legibus, nemini ſubeſſet, omnia pro arbitrio ageret.

VII. *Cur Tribunitiam poteſtatem retinuerit, cæterique Imper.*

Maxime autem Tribunatum plebis retinuerunt deinceps Imperatores: non quidem vt eum magiſtratum gererent, id enim cum eſſent Patricii nefas ducebant, ſed vt omnem Tribuniciam poteſtatem, quanta maxima vnquam fuit, ſibi aſſumerent; ſiue vt intercedere omnibus, quæ ab aliis contra eorum voluntatem ſuſciperentur, iure poſſent; ſiue vt plebis beneuolentiam, quaſi ſibi ex munere commendatam conciliarent; ſiue vt ipſi ſacroſancti, atque inuiolabiles eſſent: ita vt ſi vel minimo, non dicam facto, ſed verbo ſe ab aliquo læſos exiſtimarent, eum indicta cauſa, tanquam qui ſe piaculo obſtrinxiſſet, necare poſſent. Imperii quoque ſui annos ex tribunitia poteſtate numerabant, quaſi ſi quotannis etiam ipſi, cum tribunis plebis eam acciperent. Hæc fere, atque his plura Dio l. 53. Nunc ad hiſtoriam cum ipſo reuertamur.

VIII. *Varia è Repub. gerit.*

Augustus, cum alia quæ ad imperium pertinerent, maiori iam ſtudio egit, quippe cui id vltro iam delatum eſſet, tum multas leges condidit, quod Euſebius quoque in Chronico notauit, vias publicas reficiendas curauit, ſiue publico ære,

ſiue ſuo; ægre enim iſta diſtinguebantur, licet videri vellet de ſuo pleraque facere; priuatim tamen ipſe Flaminiam, qua ducturus erat exercitum, ſuſcepit, vt confidentius aliis alias ſternendas daret. Quo facilius, inquit Suetonius [a] vrbs vndique *à populis* adiretur, deſumpta ſibi Flaminia via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris, ex manubiali pecunia ſternendas, diſtribuit. (Non ergo priuatis ſumptibus, vt ait Dio,)[b] qua inſtaurata, ſtatuæ ipſi ſuper aras in ponte Tiberis, & Arimini ſunt poſitæ. *a l. 2. n. 30.* *b l. 53 l. ...*

IX. *Galliam adit, atque Hiſpaniam* HIS peractis ab vrbe, cum exercitu profectus eſt, vt in Britanniam bellum transferret. Verum poſtquam in Galliam venit, cum Britanni oratores petitum pacem ad eum miſiſſent, componendis Gallicis rebus, quæ per ciuilia bella fluctuabant, cenſuque agendo, aliquanto tempore poſito, in Hiſpaniam profectus, eam quoque prouinciam conſtituit. Hæc eadem ex Dione: ex quo intelligis iam bellum ibi Auguſti contra Cantabros, & Aſtures imminere, quod ille tamen ad nonum Cæſaris Conſulatum differt, Caſſiodorus ad octauum & nonum refert. Paulus autem Oroſius, id vt dixi à ſexto inchoat, quod quinquennium duraſſe ait, [c] eiuſque rei ſignum eſt, quod Sex. Apuleius, qui ante biennium Conſul fuerat, ibi re bene geſta triumphum meruit, quod ſequenti anno geſſit, vt eſt in Tabulis Capit. Alii tempus non exprimunt, vt Florus, [d] vt Velleius, [e] vt Suetonius, [f] Eutropius, & alii, qui attingunt tantum hanc expeditionem. *c l. 6. c. 21.* *d l. 4. c vlt.* *e l. 2.* *f l. 2. n. 20.*

X. *Pantheon ab Agrippa extructum.* HOC anno M. Agrippa inſigne templum Romæ diis omnibus ædificare cœpit, ideoque Pantheon appellauit: quamquam Dio in nono Cæſaris Conſulatu, quo anno abſolutum eſt, ſcribit ita dictum quibuſdam videri, quod in ſimulachris Martis & Veneris, multas deorum imagines acciperet. Vt vero mihi videtur, inquit, inde id nominis habet, quod forma conuexa faſtigiatum, cœli ſimilitudinem oſtenderet. Fuiſſe autem hoc anno inchoatum, teſtis eſt inſcriptio, quæ prima eſt apud Gruterum; & viſitur adhuc Romæ, cum ſuo templo. Sed nunc Sanctæ Mariæ, omnibuſque ſanctis, melioribus auſpiciis, à ſummis pontificibus dedicato. Sic autem habet, M. AGRIPPA. L. F. COSS. TERTIVM FECIT. Videbatur ratio exigere, vt inſcriptio operi perfecto non inchoato reſponderet; ſed voluit, opinor, meminiſſe magiſtratus ſummi, quod inchoato geſſit, perfecto non geſſit.

ANNVS MVNDI 4028. SEXTÆ ÆTATIS 513.

IMPERII ROMAN. 23. AVGVSTI 18. HERODIS 12. ET 15.

ÆTATIS 47. PONTIFICIS ANANELI 5. PRÆSIDE SYRIÆ.

OLYMPIAD. CLXXXVIII. AN. 3. VRBIS COND. 727.

COSS. IMPERATOR. AVGVSTO VIII. T. STATILIO TAVRO II. ANN. IVLIANVS 20. AVGVSTORVM 4 ACTIACÆ VICTORIÆ 6.

ANNVS ANTE CHRISTVM 25.

I. *Cæſar in Hiſpania.* IN Hiſpaniam profectus erat Auguſtus anno ſuperiore, vt ex Dione dicebamus; illic hoc anno iniit Conſulatum, Autor Sueto. [g] qui ait eum octauum & nonum Conſulatum Tarracone iniiſſe, vbi & Florus hyemaſſe tradit. Quoniam vero etiam Caſſiodorus, vtrique Conſulatui hoc bellum attribuit, de eo pauca ex Oroſio, qui Florum ſequitur, & declarat, mutuemur, qui prius cum Cantabris, deinde cum Aſturibus rem geſtam eſſe ſignificant. De Cantabris ergo hoc anno, de Aſturibus ſequenti dicemus. *g l. 2 n. 26.*

Svb occaſu, inquit Florus, pacata erat fere omnis Hiſpania, niſi quam Pyrenæi deſinentis ſcopulis inhærentem citerior alluebat Oceanus. Hic duæ validiſſimæ gentes Cantabri & Aſtures immunes imperii agitabant. Hos populos collocat Ptolem. in Septentrionali parte Hiſpaniæ Tarraconenſis, verum à Pyrenæis ſcopulis ſatis remotos: plures quippe alios interiicit Populos inter Pyrenæum, & Cantabros, puta Antrigones, Cariſtios, Vardulios, Vaſcones; quos recentiores Chorographi nomine Biſcaiæ & Nauarræ comprehenderunt. Aſtures autem Gallæciæ viciniores faciunt; imo & Paulus Oroſius, homo in Hiſpania natus & educatus, Cantabros & Aſtures Gallæciæ prouinciæ portionem eſſe tradit, qua extentum Pyrenæi iugum haud procul (ſic enim legendum non proconſul) ſecundo Oceano ſub Septentrione deducitur. II. *Qua Cantabrorum, & Aſturenium ſedes.*

Svscepti porro contra hoſce populos cauſas belli duas proferunt; alteram, quod imperii immunes agitabant: quam explicat Oroſ. Cæſar, inquit, in Hiſpania parum per ducentos annos actum intelligens, ſi Cantabros atque Aſtures duas fortiſſimas gentes Hiſpaniæ, ſuis vti legibus ſineret, aperuit Iani portas, atque in Hiſpanias ipſe cum exercitu profectus eſt. Alteram quod non contenti libertatem ſuam defendere, proximis etiam imperitare tentabant, eoſque crebris incurſionibus fatigabant. Velleius de ducentis illis annis clarius explicat. In quas, inquit, prouincias Hiſpaniæ, cum initio Scipione & Sempronio Longo Coſſ. primo anno ſecundi Punici, ab hinc annos 250. Romani exercitus miſſi eſſent, duce Cn. Scipione Africani patruo, per annos ducentos in his multo, mutuoque certatum eſt ſanguine &c. Verum ab anno 535. qui primùs eſt ſecundi Punici, præſens annus eſt tantum 193. Velleius autem ſcribebat an. V.C. 784. qui annus proxime Chriſti Domini mortem anteceſſit. III. *Belli cauſa dua.*

192.
25.
33.
250.

Igitvr Cæſar apud Segiſamam caſtra poſuit, tribus agminibus totam pene amplexus Cantabriam. Diu fatigato fruſtra, atque in periculum ſæpe deducto exercitu, tandem ab Aquitanico ſinu, per Oceanum incautis hoſtibus admoueri claſſem, atque exponi copias iubet. IV. *Cantabri diu Cæſarem fatigãt*

Tum demum Cantabri ſub mœnibus Belgicæ, (vt ait Oroſ. legendum forte Belgedæ, cuius meminit Appian. in Celtib. in fine: Florus habet Vellicæ, & habet eam vrbem in Cantabria Ptolem.) maximo congreſſi bello, & victi, in Vinnium ſiue Vindium montem natura tutiſſimum confugerunt, vbi obſidionis fame ad extremum pene conſumpti ſunt. Aracillum deinde oppidum magna vi ac diu repugnans, poſtremo captum ac dirutum eſt. *Ferro denique opprimuntur & fame.*

Præterea vlteriores Gallæciæ partes, quæ montibus ſyluiſque conſitæ Oceano terminantur, Antiſtius & Firmius legati, magnis grauibuſque bellis perdomuerunt. Nam & Medullium montem, (ſiue Edulium, vt in Floro legimus, & Ptolem.) Minio flumini imminentem, in quo ſe magna hominum multitudo tuebatur, per quindecim millia paſſuum foſſa circumſeptum, obſidione cinxerunt. Itaque vbi ſe gens hominum trux natura & ferox, neque tolerandæ obſidioni ſufficientem, neq; ſuſcipiendo bello parem intelligit, ad volũtariam mortem ſeruitutis timore concurrit. Nam pene omnes certatim igne, ferro, ac veneno ſe necauerunt, quod ibi vulgo ex arboribus taxis exprimitur. V. *Vlteriores à legatis Cæſaris domiti.*

Hæc per Antiſtium, Furnium, Agrippam legatos, hybernans in Tarraconis maritimis Cæſar accepit; res enim felicius per legatos, ſicut & Antonius, quam per ſe ipſi conficiebant, vt autor eſt Plutarchus in Antonio, & Dio, [a] qui tradit Auguſtum in ſummis difficultatibus conſtitutum, & ex labore, & curis in morbum prolapſum, Terraconem ſe contuliſſe, C. Antiſtio ei bello præfecto, ab eoque multa præclare geſta; non quod artibus Imperatoriis Auguſto anteiret; ſed quod eo contempto congredi barbari auſi eſſent. Nihilominus ipſe præſens, inquit Florus, hos deduxit montibus, hos obſidibus aſtrinxit, hos ſub corona iure belli venumdedit. Digna res lauro, digna curru ſenatui viſa eſt. Et iam Cæſar tantus erat, vt poſſet triumphos contemnere. Sic ipſe, quaſi in theatro buccinator; ſed hæc triumphi recuſatio pertinet ad totius Hiſpanici belli finem. VI. *Per quos felicius res agit.*

[a] l. 53 p. 514 gr. lat.

Hoc ipſo anno M. Agrippa, etſi magnificum Romæ templum Pantheum exſtruebat, Cæſari tamen gratificari cupiens, quem ſciebat magnificentiæ vrbis VII. *Agrippa ſepta comitiorũ ornat.*

ſtudioſum, [a]. quia nullam viam ſternendam ſuſceperat, Septa tributis comitiis habenda in campo Martio dedicauit, quæ dudum Lepidus, extructis vndequaque porticibus, ædificarat. Sed Agrippa tabulis lapideis & picturis à ſe exornata, Septa Iulia ab Auguſto cognominauit; magna omnium, Cæſariſque ipſius approbatione, quem ille glorioſarum omnium, vtiliumque actionum faciebat autorem, vt illi omnium beneuolentiam conciliaret: & viciſſim honores ſibi ab illo tributos, in eiuſdem Auguſti ac Reip. vtilitatem conuertebat, vt ex Dione ſupra dicebamus.

a vid Suet. l. 2 c. 29.

VIII. *Herodis hoc anno geſta.*

MAGNVS Agrippæ imitator in toto regno ſuo Herodes fuit, quo illum etiam ingenitum ſplendoris, & magnificentiæ ſtudium vltro impellebat; magnamque etiam ipſe beneuolentiam ſibi à Cæſare, eamque non infructuoſam collegit, vt deinceps oſtendetur. Præſens tamen annus, ab Antigoni morte duodecimus illi, aut reliquiæ potius Aſſamonæorum familiæ cruentus fuit, quo quidquid reliquum erat ex Hyrcani cognatione ſuſtulit, & inſuper Coſtobarum Idumæum, cui ſororem ſuam Salomen in vxorem dederat, cum eius maritum Ioſephum interfeciſſet. Orto ergo inter Salomen & Coſtobarum diſſidio, Salome libellum repudii marito mittit, præter legitimum patriæ morem, inquit Ioſephus. [b] Lex enim noſtra ſolis maritis hoc ius permittit; mulieribus autem ne dimiſſis quidem fas eſt nubere, niſi prioris viri permiſſu.

b l. 15 c. 11.

IX. *Eius ſoror maritum repudiat.*

VERVM id in Iudaico more fortaſſe fuerit, in lege certe non fuit. [c] Nam ibi de permiſſione mulieri facienda à viro repudiante ad ineundum alterum connubium, nullum plane verbum reperies. Ea tamen permiſſio, vel tacite, vel expreſſe in libello repudii continebatur. Qua de re vide Maldonatum noſtrum in cap. 19. Matthæi. Cæterum obiicere Ioſepho poſſemus S. Hieronym. in illum Matthæi locum. Necnon, inquit, quia poterat euenire, vt iuxta eandem legem vxor quoque marito daret repudium, eadem cautela præcipitur, ne ſecũdum accipiat virum. Obiici etiam illud poteſt ex li. Iudicũ, vbi vir quidam Leuites habitans in latere montis Effraim, accepit vxorem de Bethlehem Iuda, quæ reliquit eum, & reuerſa eſt in domum patris ſui; ſicut hæc Salome in domum fratris ſui Herodis. Verum neque illa derelictio, neque hæc proprie repudium fuit.

c Deut 24 1

ca. 19. 1.

X. *Ipſe reliquam Hyrcani cognatione͂ delet.*

SALOME porro ad fratrem ſe conferens, etiam relictum maritum accuſauit; conſpiraſſe eum ad res nouas moliendas, cum Lyſimacho, Antipatro, & Doſitheo, quos omnes Herodes interfecit, anno regni ſui, ſiue à morte Antigoni duodecimo, vt ex eodem Ioſephi loco [d] colligitur. Aſſertioni ſuæ fidem aſtruebat Salome, ex eo quod Coſtobarus, inſcio atque inuito Herode, Babæ cuiuſdam liberos, qui Antigonum in ferenda vrbis obſidione defenderant, & ad eius, Hyrcanique cognationem pertinebant, clam apud ſe haberet. Quo audito Herodes, miſſis quibuſdam ad loca latebrarum, & illos interfecit, & quotquot in eodem hærebant crimine: *Vt nihil iam eſſet*, inquit, *reliquum ex Hyrcani cognatione; ſed ſublatis omnibus, quorum excellebat dignitas, arbitratu ſuo poſſet quidquid vellet agere, nemine amplius reſiſtente.*

d l. 15 c. 11.

Eodem anno, vt ait Dio, Polemo Rex Ponti, inter ſocios ac fœderatos populi Romani adſcriptus eſt. Auguſtus autem cum expeditionem in Britanniam agitaret animo, in Hiſpania nouis populorum motibus retentus eſt.

ANNVS MVNDI 4029. SEXTÆ ÆTATIS 514.

IMPERII ROMANI 24. OCTAVIANI, ET TRIVMVIRATVS 19. Herod. 16. qvi et 13. Æt. 48. Ananeli 6. Præsid. Syr. Olymp. 188. an. 4. Vr. Cond. 728. Coss. Imperat. Avgvsto 9. et M. Ivnio Silano. Ann. Ivlian. 21. Avgvstorvm 5. Actia. victoriæ 7.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 24.

RETVLIMVS in hunc annum, non tam ex certa ſcientia, quam ex coniectura, vt ante ſignificauimus, Hiſpanici belli reliquias, quæ ſunt de Aſturibus; etſi non negemus vtroſque populos vtroque anno bello ab Auguſto, eiuſue legatis exercitos. Aſtures, inquit Oroſius, [a] poſitis caſtris apud Aſturam flumen, Romanos, niſi proditi, præuentique eſſent, magnis conſiliis, viribuſque oppreſſiſſent; tres legatos cum legionibus ſuis in tria caſtra diuiſos, tribus æque agminibus obruere repente moliti, ſuorum proditione detecti ſunt. Brigæſinos appellat Florus, à quibus, inquit, præmonitus Cariſius, cum exercitu aduenie[n]s oppreſſit conſilia. Hic tamen quoque non incruento certamine. Reliquias fuſi exercitus validiſſimi ciuitas Lancia excepit; Dio Lanciam maximam Aſturiæ vrbem appellat, eamque ait deſertam à ciuibus, à Cariſio occupatam: vbi adeo certatum eſt, vt cum in captam vrbem faſces poſcerentur, ægre dux Cariſius impetrauerit veniam, vt victoriæ Romanæ ſtans potius eſſet, quam incenſa monumentum. I. *Res in Aſtures geſta* *Lanciæ vrbi parcitur.*

a l. 6. c. 21.

Hic finis Auguſto bellicorum certaminum fuit, idem rebellandi finis Hiſpaniæ, ſiue ex gentis ingenio, in partes pacis promptiore, vt ait idem Florus, ſiue Cæſaris gemina induſtria. Nam & eorum habitationem ex editioribus locis in plana deduxit, & foſſilibus eruendis exercuit; Sic Aſtures latentes in profundo opes ſuas, atque diuitias dum aliis quærunt, noſſe cœperunt. Cantabricæ victoriæ hunc honorem Cæſar detulit, teſte Oroſio, vt tunc quoque belli portas clauſtro cohiberi iuberet. Ita tunc ſecundo per Cæſarem, quarto poſt vrbem conditam clauſus eſt Ianus. De clauſo Iano, qui propter hæc bella fuerat reſeratus, eadem ſcribit Dio, at Floro videtur repugnare, in decimo Cæſaris Conſulatu. Cum ait Cantabros & Aſtures, vbi primum Auguſtus ex Hiſpania L. Æmylio ei præpoſito, diſceſſit, rebellaſſe, permultoſque Romanos milites fraude circumuentos interfeciſſe. II. *Belli finis, Ianuſque iterũ clauſus.*

Addit etiam hoc anno M. Terentium Varronẽ, Cæſaris auſpiciis aduerſus Salaſſos pugnaſſe. Hi ſunt inalpini populi, quorum regio ab Indigenis, *La Val Doſta* dici ſolet; Ibi Cæſaris iuſſu, pars agri optima cohortibus prætorianis data, vrbs quoque condita, Auguſta Prætorianorum dicta eſt, vt vulgare quoque nomen indicat. Alteram quoque vrbem finito hoc bello condi iuſſit in Luſitania, quam militibus emeritis dedit, indeque Auguſta Emerita dicta eſt, conſtructionem eius Dio in annum ſequentem differt.[b] III. *Salaßi à Varrone deuicti.* *Emerita.*

b l. 13. p. 524. gr. lat.

Triumphi propter hæc decreti ſunt à Senatu Cæſari, quos cum recuſaſſet, Arcus triumphalis in Alpibus ei poſitus eſt, fornix trophæum ferens. Fortaſſe hic arcus eſt, quem Ortelius vidiſſe ſe ait in aditu vallis, ſed imaginibus & inſcriptione orbatum: extabat tamen Plinii tempore, eam enim ipſe refert. Non alienum videtur, inquit, hoc loco ſubiicere inſcriptionem è trophæo Alpium, quæ talis eſt.

ἁψὶς τροπαιοφόρος.

IMPERATORI CÆSARI DIVI FIL. AVGVRI, PONT. MAX IMPER. XIII. TRIBVNITIÆ POTEST. S. P. Q. R. QVOD EIVS DVCTV, AVSPICIISQVE GENTES ALPINÆ OMNES, QVÆ A MARI SVPERO AD INFERVM PERTINEBANT, SVB IMPERIVM POPVLI ROMANI SVNT REDACTÆ &c.

Nam ibi deinceps magno numero recenſentur; verum recte ibi habes emendatum in aliquibus libris Trib. pot. 18. ex Toletano & Salmant. exemplari; & ex veteri exemplari Imperat. 13. Tribun. pot. 18. Neq; id repugnat Chronologiæ noſtræ, quæ Cæſaris annos inchoat à Conſulatu primo, aut Triumuiratu, cuius initium in anni penultimum menſem cadit, vt ſæpe diximus.

IV. *Opera Agrippæ inſignia.* *Pantheū.* *Auguſti modeſtia.*

Interea Agrippa propriis ſumptibus vrbem exornabat, Dione teſte. Nam & porticum Neptuni, propter victorias nauales exſtruxit, & Argonautarum pictura decorauit, & ſudatorium laconicum fecit, Panthæum quoque perfecit, voluitque in eo Auguſti ſtatuam collocare, & nomen operis ei aſcribere; neutrum autem eo permittente, in Pantheo ipſo Cæſaris ſuperioris ſtatuam; ſuam & Auguſti in veſtibulo poſuit, Cæſare ita probante, vt cum propter morbum, nuptias filiæ ſuæ Iuliæ, & Marcelli ex ſorore nepotis, Romæ celebrare non poſſet, Agrippæ opera eas abſens celebrarit; cumque domus in Palatino monte, quæ prius Antonii fuerat, deinde Agrippæ & Meſſalæ conceſſa fuerat, incendio eſſet abſumpta; argento Meſſalam donauit, ad eam opinor reficiendam, Agrippam in ſuam ipſe domum recepit.

V. *Herodes egregia opera conficit, in honorem Auguſti.*

Cæterum cum Romana opera, & Auguſti ſtudia toto orbe ſubiecto circumferrentur, accenſum eſt etiam Herodis ſtudium, vt ſplendida ipſe quoque opera aggrederetur in regno, iiſque Auguſti gratiam aucuparetur.[a] Ergo Athletica certamina quinto quoque anno in honorem Cæſaris inſtituit, theatro Hieroſolymis extructo; deinde in campo Amphitheatrum, vtrumque ſumptuoſo opere conſpicuum; ſed alienum à Iudaicis moribus, apud quos nullus eſt horum vſus, nulla ſpectaculorum oſtentatio. Ille tamen celebritatem hanc nobiliſſimam eſſe voluit, denunciatam circumuicinis, ac longinquis etiam gentibus: propoſitiſque præmiis magnus vndique athletarum concurſus factus eſt. Sed ne credideris, certamina hoc ipſo anno celebrata, non enim tam cito tanta opera inchoari, ac perfici potuerunt.

a Ioſeph. l. 15. c. 11.

VI. *Ratio temporis.*

Inchoata porro hoc anno ſuadent, quæ de operibus Agrippæ diximus, ſuadet & nominatus à Ioſepho annus Herodis 13.[b] quem 13. annum à regni poſſeſſione accipimus, cum Torniello, tanquam rebus hactenus narratis, narrandiſque conuenientiorem; & conſentit Scaliger in Euſeb.[c] vbi recte notat metachroniſmum quinquennii: contigit enim anno 4. Olymp. 188. quod Euſebius attribuit anno primo 190. Non recte autem D. Hieronymum arguit, qui vertit interpretando πλεῖστα ϗ μεγάλα ἔκτισεν, multas & magnas ædes conſtruxit, non autem multa & magna opera. Nam non ædes, aut οἴκους, inquit, ſed templa, porticus, & alia maioris momenti publica opera intelligit. Non recte inquam; nam vt omittam templa in magnis ædibus recte intelligi, certe Herodes hoc ipſo tempore, duas priuatas ædes exſtruxit, vnam Cæſari, Agrippæ alteram, vt legere poterat in illo ipſo capite quod citat.[d] Tardius autem perfecta, ſuadent calamitates, de quibus mox dicemus, quæ hoc ipſo anno in Iudæam incubuerunt, eaque opera ſine dubio retardarunt.

b l. 15. c. 13.

c n. 1997.

d l. 15. c. 12. & l. 1. de bel. c. 16.

VII. *Herodes laxat Iudæorum diſciplinam.*

Ad eundem decimum tertium Herodis annum referimus, quæ Ioſephus[e] aliquanto ante finē c. 11. ſcribit de laxata ab eo Iudæorum diſciplina, extructis arcibus in Iudæa, reſtauratiſque vrbibus Samariæ, ac Turris Stratonis; idque vt faciamus, ipſemet nobis author eſt c. 12. initio, vbi ait alias calamitates eodem anno Herodis 13. in Iudæam incubuiſſe, quas inde exortas fuiſſe ſignificat. Ait ergo Herodem cum neminem amplius haberet in regno ſuo ſibi obſiſtentem, oſtendere cœpiſſe animum hominis alienigenæ, magis magiſque diſcedendo à patriis ritibus, eaque peregrinis ſtudiis violando. In quibus primum ponit athletica certamina, quinto quoque anno in honorem Cæſaris inſtituta, & Amphitheatrum, vt diximus.

e l. 15. c. 11.

VIII. *Fames ac*

Hoc ergo anno decimo tertio Herodis maximæ calamitates in Iudæorum

Reditus Cæſaris in urbem peſtis in Iudæa, cui opem fert Herodes.

regionem ingruerunt, ſiue ea fuit vindicta irati numinis, ſiue ita ferebant ſtatæ temporum viciſſitudines. Primum enim ſiccitas diuturna obtinuit, quam ſterilitas ſecuta eſt, poſtea per inopiam mutata victus ratione morbi inualuerunt, & peſtilentia. Cumque publicæ neceſſitati, opera Petronii, qui Ægyptum Cæſaris nomine obtinebat, ſuccurrere pro viribus conatus eſſet, aureis etiam argenteiſque vaſis regiæ ſuppellectilis conflatis, atque in Ægyptum frumenti cauſa miſſis, publicum erga ſe odium, quod ex operibus iſtis theatricis conflabatur, in beneuolentiam conuertit. Quin etiam aduerſus hyemis aſperitatem, prouidit ne qui periclitarentur inopia veſtium, abſumptis pecoribus, & lanis, aliiſque tegumentis deficientibus. Hæc Herodes hoc anno, (nam annos ſub hyemis initia terminamus,) quæ Ioſephus pluribus libro decimo quinto capite vndecimo, & duodecimo.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 4030.

l. N. III. Cæterum cum de hoc arcu in Alpibus poſito Dio Pliniuſque conſentiant, & teſtis etiam accedat oculatus, quantiuis pretii, non aſſentior Dalechampio ſcribenti Plinium hic deceptum eſſe, quod Trophæũ id fuiſſe prope Auguſtam prætoriam Salaſſorum arbitratus ſit, quod reliquiæ eius trophæi viſantur prope oppidum Monigo in Liguribus, extante adhuc columna coclea-ta, qua & ſpeculæ & arcis loco vtuntur, incolæ vocant Torbia, quaſi Trophæa, hæc ipſe, ſed ſine teſte; hoc autem Auguſti Tropæum alio trahendum puto, Ptolemæus oppidum maritimum Ligoriæ Auguſti Tropæum appellat,] vt notauit etiam Ortelius in theatro Geographico. Sigonius hæc refert ad annum quadringenteſimum quadrageſimum ſextum, non recte, vt opinor; eo enim anno nihil de Alpinis gentibus, ſed de Germanicis.

ANNVS MVNDI 4030. SEXTÆ ÆTATIS 515. IMPERII ROMANI 25. AVGVSTI CÆSARIS. 20. HERODIS REGIS 17. QVI & 14. ÆTAT. 49. IEHV F. PHALETIS PONT. DEINDE SIMONE. PRÆSIDE SYRIÆ VARO. OLYMPIADIS CLXXXIX. AN. 1. VRBIS CONDITÆ 729. COSS. AVGVSTO X. & C. NORBANO FLACCO. ANNVS IVLIAN. 22. AVGVSTORVM 6. ACTIACÆ VICT. 8.

ANNVS ANTE CHRISTVM 23.

CÆSARI decimum Conſuli Piſonem collegam dat Caſſiodorus: ſed nos Capitolinas Sigonii tabulas, & Dionem libro quinquageſimo tertio ſequimur, apud quos, ſicut & apud Euſebii Græcum Chronicum, Piſo in annum ſequentem differtur, præſenti autem ponitur C. Norbanus Flaccus, qui poſtea Proconſul reſcriptum in gratiam Iudæorum dedit apud Ioſephum. I. Cæſar in vrbẽ redit.
l. 16. c. 10. Dio porro ait Calendis ipſis Ianuariis Senatum iuramento confirmaſſe, Cæſaris ſe acta approbare. Cumque iam vrbi appropinquare diceretur, nam propter morbum diutius abfuerat, ac viritim centenas drachmas populo polliceretur, ſi ita Senatui viſum eſſet. Reſpondit Senatus omnibus eum legibus ſolutum eſſe. Hoc

porro anno, qui Aſclepiadem Sidonium habuit Olympionicam,

II. *Data domeſticis Auguſti priuilegia.* Posteaqvam in vrbem Auguſtus aduenit, pleraque pro ſalute ac reditu eius acta: tentatam quippe fuiſſe in Hiſpania eius valetudinem ex Dione[a] diximus, & lapides ipſi loquuntur: ac præterea decretum vt Marcellus, (quem filium ſororis eius diximus, ab auunculo in primis dilectum) inter prætorios in Senatu eſſet, decennioque maturius, quam leges ferant, peteret Conſulatum. Tiberioque permiſſum (fuit hic priuignus Auguſti, ex Liuia Druſilla natus, quam poſtea Auguſtus duxit vxorem, qui & illi in imperio ſucceſſit,) vt in ſingulos magiſtratus, quinquennio ante quam conſtitutum erat, adire poſſet, ſtatimque huic Quæſtura, illi Ædilitas data eſt. *Aetas Tiberii & Marcelli.* Agebat Tiberius annum decimum octauum, natus ſcilicet Vrb. Cond. 711. 16. Calend. Decemb. vt habet Suetonius libro tertio numero quinto, M. Æmylio Lepido II. & L. Munacio Planco Coſſ. Nec repugnat Velleius, ſed extrema numerat, dum libro ſecundo de eo agens. Quæſtor, ait, vndeuigeſimum annum agens capeſcere cœpit Rempub. Marcellus autem Octauiæ filius agebat in Ædilitate, 24. in qua & mortuus eſt, ait Cuſpinianus, ſed ſeq. anno mortuum, ex Velleio, & Dione dicemus.

III. *Bellum Hiſpanicũ integratur.* Dvo huius anni bella, ſed vtrumque exigui temporis, memorantur à Dione, alterum Cantabrorum & Aſturorum, qui vbi primum Auguſtus ex Hiſpania deceſſit, relicto illic L. Æmylio præpoſito, rebellarunt, defectionemque hoſtili facinore cumularunt. Ad Æmylium enim miſerunt, qui dicerent, frumentum ipſos, aliaſque quaſdam res exercitui donare; atque ita cum nacti eſſent permultos Romanos milites ad ea apportanda profectos, in loca ſibi opportuna adductos interfecerunt. *Et ſopitur.* Sed hoc eis gaudium diuturnium non fuit. Nam agro vaſtato, atque incenſis oppidis, celeriter in poteſtatem venerunt, & videlicet meritas cruentæ perfidiæ pœnas dederunt.

IV. *Expeditio in Arabiã.* Interim alia quoque expeditio ſimul & cœpit, & deſiit. In Arabiam felicem, cuius tum Rex erat Habos, exercitum Ægypti præfectus Ælius Largus adducebat, ſed ſolitudo regionis, ſol quoque & aquæ infeſtæ natura, ita eos afflixerunt, vt maior pars exercitus morbo periret. Qua occaſione vſi barbari, qui prius ſemper è præliis inferiores diſceſſerant, Romanos aggreſſi, eos ex ſua regione expulerunt, ſuaque receperunt. Hi primi, atque vt mea fert ſententia, ſoli etiam Romanorum Athlulam vſque in Arabia iſto bello progreſſi ſunt. Hæc Dio. Meminit huius expeditionis Ioſephus,[a] ſimulque Chronologicam diſpoſitionem noſtram non parum confirmat. Eodem tempore, inquit, quo ſcilicet Herodes prouidit, tam ſuorum, quam Syrorum neceſſitatibus, quas fames inuexerat, & auxilia miſit Cæſari, quingentos ſelectos ex ſuo ſatellitio, quos Ælius Gallus duxit in expeditionem Arabicam, eorumque ſæpe forti opera vſus eſt. In Græco eſt,[b] circa mare rubrum, quod ſcilicet Arabiam felicem ab occaſu claudit.

V. *Errat Ioſephus in præfectis Aegypti. Cornelius Gallus. Aelius Largus.* Cæterum in præfecti huius Cæſariani nomine, perſpicue mendum irrepſit; ex Dione enim conſtat Ælium Largum legendum eſſe. Niſi malis hoc Ioſephi ipſius eſſe erratum, duos Ægypti præfectos ita confundentis, vt ab altero nomen, ab altero cognomen acciperet. Nam Dio libro quinquageſimo tertio, in octauo Auguſti Conſulatu ſcribit Cornelium Gallum, qui primus ab Auguſto deuictæ Ægypto præfectus fuerat, vt inſtar legati Auguſtani eam adminiſtraret, & in ea ſuperbe ſe, & in Auguſtum contumelioſe gerebat, ab eodem exautoratum, & infamia notatum fuiſſe, & ab vniuerſo Senatu bonis omnibus exutum, atque exulare iuſſum: accuſante Ælio Largo, qui ſocius eius & conuictor fuerat; qui mox illi in eadem præfectura ſuffectus eſt: illo præ doloris impatientia, ſibi manus afferente. li. 53.

VI. *Herodes Cæſaream & Agrippiũ ædes extruit.* Hoc eodem tempore, Iudaicis rebus in priſtinam felicitatem reſtitutis, regiam Herodes in ſuperiore vrbis parte ædificauit, extructis ædibus ampliſſimis exornatiſque auro & marmoribus, & ſubſelliis, ſic enim κατακλίματα vertit Gelen. Verum puto intelligi lectos diſcubitorios, in tricliniis ad cibum capiendum compoſitos, quos ait Ioſephus fuiſſe factos ampliſſimos, vt magnum virorum numerum, ad conuiuandum ſcilicet, capere poſſent, vocat enim κλισίας, quæ ſunt diſcũbentium claſſes, conuiuia vertit Vulgatus interpres. Domibus autẽ, pro cuiuſque dignitate, appellationem indidit, vt maior & præſtantior Cæſaris, minor Agrip- Luc. 9. 14.

[a] li. 53. p. 514. gr. lat.

[a] l. 15. c. 12.

[b] περὶ τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν.

IOSEPHI CVLPA CIRCA PONTIFICES.

pæ diceretur. De hiſce ædificiis agitur, & libro primo cap. decimo ſexto De bello, Quin etiam domo ſibi regia in ſuperiori parte ciuitatis (Sione ſcilicet) exſtructa duas ædes in ea maximas, atque pulcherrimas ædificauit, quibus ne templum quidem vſquam conferri poſſet, (quale ſcilicet tunc erat) eaſque amicorum vocabulis, vnam Cæſaream, Agrippium alteram nominauit. Nam Herodes à Cæſare quidem amabatur poſt Agrippam, ab Agrippa vero poſt Cæſarem.[a]

[a] l. 1. Bel. c. 15.

VII. *Noua Herodis nuptiæ.*

SVBDIT his aliam narrationem Ioſephus de nouis Herodis nuptiis, non annotato earum tempore, quibus cum certum tempus aſſignare nequeamus, eas loco non mouebimus, quod Torniellus quoque probauit anno Mundi 4031. cui tamen in anno vrbis ſeptingenteſimo trigeſimo primo non aſſentimur. Nam decimus quartus Herodis, ad quem hæc vterque referimus, reſpondet 729. ex communiore chronologorum ſententia; aut ex Onuphrio, quem ipſe ſequitur 730. nec profectio Agrippæ in Syriam à Dione, niſi ſeq. Conſulibus ponitur.

Cum ergo Herodes puellæ cuiuſdam, quam Mariamnem Ioſephus libro primo de bello capite decimo nono appellat, amore captus eſſet, ne tyrannice agere videretur, eam vxorem habere voluit; erat ea filia Simonis cuiuſdam Boëthi Alexandrini filii, de genere ſacerdotali.

In fine.

VIII. *Noui ex Ioſepho pontifices.*

NE autem nuptiæ parum dignæ rege Iudæorum viderentur, puellæ patrem ad ſummi pontificatus honorem euexit, Iehu Phabetis filio tum pontifice in ordinem redacto. Sicque Simonem nouum pontificem ſuggerimus, Ioſephum ſecuti, qui ſe in iis admodum exhibuit negligentem. Nam Ananeli aut mortem, aut abrogatum pontificatum, aut diuturnitatem eius ſacerdotii nullam aſſignauit. Nunc abrogati Pontificatus Iehu Phabetis filii meminit, cuius ingreſſum in eam dignitatem prætermiſit. Quin ne ſignificat quidem an Ananelo immediate ſucceſſerit: quæ culpa eo maior eſt, quod ipſe de genere ſacerdotali ſe eſſe prædicat, quorum eximia erat ſolicitudo annotandi conſcriptiones genealogicas, vt ipſe ſcribit ſub initium l. 1. contra Apionem.

IX. *In iiſque ſumma eius negligentia.*

IMO intolerabilis plane culpa eſt ipſius, ſi vera ſunt illa eius verba ibidem, Pontifices, inquit, apud nos à duobus annorum millibus denominati filii à patre conſcripti. Quid ergo homo, qui tanto ſtudio Iudæorum origines ſcribendas ſuſcepit, illa maximi momenti cura Pontificatus annotandi, tam oſcitanter perfunctus eſt, nihil vt laxius in tota eius hiſtoria, eo loco tractatum eſſe videatur. Quanquam quomodo Pontifices bis mille annos notatos habere poſſunt, cum ab Aarone ad vltimum, ſiue eum Matthiam, ſiue Phanaſum velit,[b] ne mille quidem & ſexcenti anni reperiantur, vt eum manifeſto quadringentorum, & quod excurrit annorum mendacio teneri neceſſe ſit. Sed redeamus nihilominus ad ipſum, qui libro decimo quinto capite duodecimo, nouam arcem maximis operibus, ſumptibuſque maximis exſtruit, iam ſupra per anticipationem libro decimo quarto, capite vigeſimo quinto memoratam.

[b] l. 20. Ant. c. 8.

X. *Herodis nouum caſtellum Herodium.*

PERACTIS, inquit, *nuptiis nouum caſtellum condit, quo loco Iudæos olim profligauit, dum pelleretur armis Antigoni.*. Decimus ſeptimus inde agebatur annus; id enim illo ipſo tempore atque anno contigit, quo Herodes Romam profectus, ibi re[…]m adeptus eſt nomen. *Diſtat autem*, inquit, *à Hieroſolymis ſexaginta ſtadiis, natura firmum, & ad muniendum idoneum. Collis enim eſt leniter accliuis, attollens ſe in manufactam altitudinem, habens mammæ ſpecie circumferentiam; eſtque diſtinctus teretibus turribus, aſcenſu arduo, qui per ducentos gradus lapideos ſcanditur: intus autem diuerſoria ſunt regia, magnis impenſis ſtructa, tam ad firmitatem, quam ad pulchritudinem. In radice collis habitationes viſuntur ſpectatu digniſſimæ, tum propter alia, tum propter aquæductus egregios, magno ſumptu è longinquo perductos. Circumiacens planicies ædificiis referta eſt, ad iuſtæ vrbis magnitudinem, cui collis ille vice arcis imminet.*

XI. *Herodis potentia opũ tanta improbabilis.*

NON nego iſtos immenſos ſumptus ædificiorum, theatrorum, amphitheatrorum, ædium regiarum, arcium, vrbium, templorum, quæ Salomonis ipſius, ac Dauidis congeſtos multis annis theſauros exhaurire poſſint, præter nonaginta millia cororum tritici expenſa, quæ valent nongentis millibus medimnorum, & quinquaginta millia hominum in fame nutrita, mihi iamdudum eſſe ſuſpecta: præſertim cum in idem ferme tempus omnia concurrant; nec totam ille Iudæam poſſideret, etiam additis, quæ Cæſar adiunxerat,[c] vt omittam illa octingenta ta-

[c] l. 15. c. 11. l. 1. Bel. c. 15.

lenta Cæſari data, & magnificentia in eius duces, atque optimates, & vniuerſum eius exercitum exhibita tanta, vt omnibus admirationi eſſet: placet tamen in gratiam Ioſephi, incredibilibus non plane abrogare fidem, dum non ſuccedant incredibiliora.

XII. *In gratiam Cæſaris legē violat.*

Hæc tamen ambitio, inquit Ioſephus, ſtudiumque demerendi Cæſarem cum Romanis potentioribus, cauſa fuit, vt multum à patriis inſtitutis decederet, & leges diuinas violaret, dum in honorem eorum vrbes condit, & templa inſtruit, licet non in ſolo Iudaico. *Hoc enim illi nequaquam laturi erant, quod nefas ſit noſtris, ſtatuas atque effigies more Græcorum colere*; credo equidem, neque id poſtulabat Herodes, & aliud longe eſt colere, & in patrio ſolo habere. *Quapropter*, ait, *extra eorum regiorum tales vrbes collocabat, excuſans ſe Iudæis, quod non ſponte, ſed potentiorum iuſſu hæc faceret: & interim Cæſarem, Romanoſque tanto magis ſibi deuinciens, quod in eorum honorem, à patriis ritibus ſuſtineret diſcedere.* Egregium vero & firmum beneuolentiæ fundamentum, quod Dei offenſa, eiuſque religioſi cultus violatione nitebatur: nimirum dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem; erant enim eorum mala opera. (Io. cit.; Ioan 3.19.)

XIII. *Templa Cæſari in Iudæa erigit.*

Cæterum quomodo non in ſolo Iudaico templa exſtruxerit Herodes non intelligo, cum Ioſephus ipſe hoc ipſo lib. ſcribat, Samariæ, quæ vnius diei itinere Hieroſolymis diſtabat, vt ipſemet ait, Herodem fanum, ac templum exſtruxiſſe, cum quouis alio magnitudine ac pulchritudine conferendum, idque Cæſari dedicaſſe: præter aliud templum eidem ex candido marmore poſitum ad fontem Iordanis, vt eſt libro primo de bello capite decimo ſexto. Ad fontem autem Iordanis, quæ ſunt ad radices Libani, Iudaicum ſolum ad Septentrionem protenſum fuiſſe, ex Scriptura multis in locis conſtat, vbi Dan & Emath, & mons Libani, pro Iudæorum finibus memorantur, ſed ipſe ſtrictius Iudæam vſurpat, vt opponitur regno Iſraelis. Quæ diſtinctio iamdudum ſublata erat; & lex de vtroque regno æque lata fuerat: & Herodes nondum inſcius rerum erat, vt in alieno ſolo ædificaret, ſed ſuo: neque aliud ſolum eſt principis, aliud ſubditorum eius: neq. Iudæi alium tunc principem, aut Herodes alios habuit ſubditos.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 4030.

1. N. I.

Centenæ drachmæ ſunt 17. franc. 10. ſolid. centeni autem denarii 20. franc. quia denarii quatuor ſolid. valent, drachma tribus cum $\frac{1}{2}$.

2. N. X.

Huc aſpexit Plinius libro quinto capite decimo quarto, cum ait in Iudæa Herodium eſſe, ſcilicet arcem, cum oppido illuſtri eiuſdem nominis, quod à Ioſepho ſumpſiſſe videtur libro decimo quarto capite vigeſimo quinto. In eo loco vbi Iudæos vicit, poſtquam regno potitus eſt regiam condidit, adiuncto etiam oppido, quod Herodium vocari voluit. Longe poſt hoc tempus collocat exſtructionem Herodii Euſeb. in Chron. Olymp. 192. 1. quia hanc arcem ſimul cum aliis commemorat, habita ratione non tēporis, ſed ſimilitudinis materiæ. Duo autem φρούρια eiuſdem nominis, inquit ibi Scaliger, Herodes conſtruxerat, prius quidem ἐν τῷ πρὸς Ἀραβίαν ὄρει, alterum ἐν μαστοειδεῖ κολωνῷ ſexaginta ſtadiis ab vrbe Hieroſolymorum. In quo fidem hominis, aut diligentiam, merito exigas. Nam Ioſephus libro primo de bello capite decimo ſexto. ex quo Scaliger hæc ſumit, nequaquam duas arces ſiue præſidia eiuſdem nominis ponit, neque diſtinguit locis, ſed vnum idemque Herodium verſus Arabiam, diſtans ſexaginta ſtadiis impoſitum colli ſine tumulo, qui mammæ habet ſimilitudinem, qui idem collis arcis quoque nomen retineat, circa autem collē ſit oppidum arci cognomine. Lege l. 1. de bel. cap. 16. & aliquanto ſuperius capite vndecimo, & in Antiquit. libro decimo quarto capite vigeſimo quinto, & libro decimo quinto capite duodecimo, & vide an Scaliger ſit Ioſephi ſententiam aſſecutus, aut certe vere retulerit.

ANNVS MVNDI 4031. SEXTÆ ÆTATIS 516. IMPERII ROMANI 26. AVGVSTI CÆSARIS. 21. HERODIS Regis 18. qvi & 15. ætatis 50. Simonis Pontificis 2. Præside Syriae M. Agrippa, Olympiadis CLXXXIX. an. 2. Vrbis Conditæ 730. Coss. Avgvsto XI. & Cn. Calphvrnio Pisone, An. Ivlian. 23. Avgvstorvm 7. Actiacæ vict. 9.

ANNVS ANTE CHRISTVM 22.

I. *Aegritudo grauis Auguſti.*

AVGVSTVS vndecimùm Conſul cum Calphurnio Piſone, vt ſcribit Dio libro quinquageſimo tertio, adeo graui morbo decubuit, vt nulla ſpes ſalutis reliqua eſſet. Itaque teſtamento facto, reliquiſque omnibus tanquam fato conceſſurus diſpoſitis, magiſtratibus, & Senatorum, equitumque primoribus ad ſe conuocatis, nemine ſibi ſucceſſore conſtituto, licet plerique omnes Marcellum ad hoc deſtinatum crederent, cum quædam iis de publicis negotiis expoſuiſſet, Piſoni libellum, quem Suetonius Rationarium Imperii appellat, in quem exercituum & redituum publicorum indicem conſcripſerat; Agrippæ annulum, vt quondam Alexander Perdicæ, tradidit; ſed cum Antonius Muſa, inſignis ea ætate medicus, lauacris potionibuſque frigidis ſanitati reſtituit; quibus mox eius nepotem Marcellum perdidit.

L.2.n.18.

II. *Videtur Agrippā Marcello prætuliſſe.*

Cæsar autem valetudine recuperata, teſtamentum quod fecerat in Senatum intulit, voluitque recitare, vt omnibus palam faceret, ſe neminem ſui principatus ſucceſſorem conſtituiſſe; ne tamen legeret ab omnibus prohibitus fuit: admirantibus Agrippam in eo genere Marcello, & nepoti, & genero, (Iuliam enim Auguſti filiam in vxorem duxerat, vt teſtatur Velleius libro ſecundo, & alij,) & longe dilectiſſimo, fuiſſe annuli indicio prælatum. Magno vtique amoris in Rempublicam argumento, cui cum vtiliorem putaret Agrippam, amoris proprii, & neceſſitudinum vincula ac iura poſthabebat. Cumque hanc ob cauſam intelligeret Auguſtus Marcellum ſimultatem aliquam contra Agrippam ſuſcepiſſe, ne ſi ambo in eodem loco manſiſſent, animorum offenſiones accederentur, Agrippam continuo in Syriam amandauit. Agrippa tamen vrbe profectus in Syriam non peruenit, ſed eo miſſis legatis, qui ſuo nomine prouinciam adminiſtrarent, ipſe Leſbi permanſit. Hæc fere Dio. Cōſentit Ioſephus. Interim, ait, in Aſiam Agrippa mittitur, adminiſtraturus tranſmarinas prouincias pro Cæſare: eum, quod eſſet amiciſſimus, Herodes apud Mitylenem cum ſalutaſſet, (eſt ea Leſbi vrbs, ex qua tota etiā inſula aliquando Mitylene dicitur) in Iudæam reuerſus eſt. Addit ibidem Gadarenſes quoſdam Agrippam adiiſſe, Herodem accuſaturos, eoſque ne auditos quidem, vinctos ad regem ab Agrippa remiſſos.

Suet.l.2.c.63.

Agrippa Syriā adit.

l.15.c.13.

III. *Mors Marcelli, ratio temporis.*

Mortvvm porro hoc ipſo anno Marcellum, tum ille idem Dio, tum Velleius libro ſecundo aperte docent. *Circa Murenæ*, inquit, *Cæpioniſque coniurationis tēpus, ab hinc annos quinquaginta*, Scribebat in Cōſulatu M. Vinicii, V.C.782. erat ergo hic annus quinquageſimus ſecundus, ſed rotundo numero contentus fuit, *M. Marcellus Octauiæ ſororis Auguſti filius*, ex priore ſcilicet illius marito C. Marcello, qui paulo ante mortuus fuerat, quam eadem Octauia cum Antonio cōtraheret, teſte Plutarchus in Antonio, *quem homines ita, ſi quid accidiſſet Cæſari, ſucceſſorem potentiæ eius arbitrabātur futurum, vt tamen id per M. Agrippam ſecure ei poſſe contingere non*

exiſtimarent, magnificentiſſimo munere Ædilitatis edito deceſſit, admodum iuuenis: ſane ingenuarum, vt aiunt, virtutum, lætuſque animi, & ingenii, fortunæque, in quam alebatur, capax. Poſt cuius obitum Agrippa, qui ſub ſpecie miniſteriorum principalium profectus in Aſiam (vt fama loquitur) ob tacitas cum Marcello offenſiones, præſenti ſe ſubduxerat tempori, reuerſus inde filiam Cæſaris Iuliam, quam in matrimonio Marcellus habuerat, duxit vxorem. Sic Velleius; ſed id matrimonium poſt annum ſequentem contractum eſt, vt ex Dione docebimus. Et par erat viduam aliquandiu lugere.

IV. *Eius glorioſum funus.* MARCELLVM, inquit Dio, funere publico elatum, laudatumque pro more, Auguſtus in ſepulchrum, quod tunc conſtruebatur, condidit, memoriaq. cum Theatri eius, quod ante cœptum à Cæſare, Marcelli dictum eſt, honeſtauit: iuſſitque vt ludis Romanis effigies Marcelli aurea, aureaque corona, & ſella curulis in theatrum inferretur, mediaque inter ludorum præfectos collocaretur. magnificum funus eius attingit Seruius in 6. Æneid. vbi ait ad funeris huius honorem, Auguſtum ſexcentos lectos intrare ciuitatem iuſſiſſe: quo pertinent illa Poëtæ. *Laudatur à Marone.*

Quantos ille virûm magnam Mauortis ad vrbem
Campus aget gemitus, vel quæ Tiberine videbis
Funera, cum tumulum præterlabere recentem.

Laudauit etiam Marcellum Virgil. in 6. Æneid. carmine illo aureo.

O nate ingentem luctum ne quære tuorum,
Oſtendent terris hunc tantum fata, nec vltra,
Eſſe ſinent &c.

Aureum dixi, magno videlicet auro ab Octauia matre honoratum. [a] Seruius tamen dicit poëtam ære graui donatum. *a Vid. Bud. l.3. de aſſe p. 341.*

V. *Num puer eſſet nunc.* QVOD autem puerum vocat Maro.

Nec puer Iliaca quiſquam de gente Latinos
In tantum ſpe tollet auos, &c,
Heu miſerande puer, ſi qua fata aſpera rumpas,
Tu Marcellus eris &c.

Affectui potius compatientis, quam ætati tribuendum eſt: & grandæui inſuper Anchiſæ ratio habetur. Nam quod quidam pene impuberem appellant, non recte faciunt: iam filiæ Cæſaris matrimonio iunctum ex Velleio diximus; maiorem certe natu Tiberio, qui 19. agebat annum, ex Ædilitate conſtat, quam Marcellus geſſit, cum ille Quæſturam; etſi Seruius dicat periiſſe in Baiano decimo octauo anno, cum Ædilitatem gereret. Nam Propert. l. 3. eleg. 18. de eo.

Occidit, & miſero ſteterat vigeſimus annus.
Tot bona tam paruo clauſit in orbe dies.

Liuia de morte ſuſpecta. Addit Dio mortis Marcelli cauſam Liuiæ à quibuſdam attributam eſſe, quæ cum ſuis filiis præferri indigne tuliſſet: eam tamen ſuſpicionem dubiam effeciſſe, eius ac ſequentis anni temperiem ita vitioſam, vt ingens hominum multitudo morbis abſumpta ſit.

VI. *Murena & Capionis cōiuratio.* VERVM quod de Murenæ coniuratione tangit Velleius, idem ipſe plenius paulo ante, his verbis. Erant tamē qui hunc feliciſſimum ſtatum (Reipublicæ ſub Auguſto) odiſſent, quippe L. Muræna & Fannius Cæpio, diuerſis moribus; Nam Muræna ſine hoc facinore potuit videri bonus, Cæpio & ante hoc erat peſſimus, cū iniſſent occidendi Cæſaris conſilia, oppreſſi autoritate publica, quod vi facere voluerant, iure paſſi ſunt. Tangit & Suetonius. [b] Faſti Capit. A. Terent. Varronē cognomento Murenam, Conſulem hoc anno cum Auguſto XI. componunt, eique ſufficiunt Piſonem: Sigonius illum putat in magiſtratu mortuum, Onufrius autem antequam iniret magiſtratum; dubitatque an is fuerit, qui cum Cæpione hoc tempore in Auguſtum coniurauit: quam coniurationem cum Dione in annum ſequentem referemus. *b l. 2. c. 19.*

ANNVS

ANNVS MVNDI 4032. SEXTAE AETATIS 517.

IMPERII ROM. 27. AVGVST. 22. HEROD. 16. & 19. ÆT. 51.
SIMON. PONTIF. 3. PRÆSID. SYRIAE M. AGRIPP. OLYMP.
CXXCIX. A. 3. VRB. COND. 731. COSS. M. CLAVDIO
MARCELLO ÆSERNINO ET L. ARVNTIO
AN. IVL. 24. AVG. 8. ACT.
VICTORIAE 21.

ANNVS ANTE CHRISTVM 21.

M. Agrippam etiam hoc anno ſabbatico, ordine 207. retinemus Syriæ præſidem, quam tamen per legatos adminiſtrabat: ſed & hoc ipſo anno Romam reuertiſſe mortuo Marcello videri poteſt, iuxta ea quæ ſuperiore anno ex Velleio diximus. Fuiſſe tamen mox comitem profectionis Auguſti innuit Dio, cum eum proximo anno in vrbem à Cæſare remiſſum ſcribit. Itaque ſatius eſt dicere Agrippam in Græcia etiam hoc anno remanſiſſe; ibique ab Auguſto ſequenti anno repertum, Romamque remiſſum fuiſſe. I. *Agrippa Syriæ præſes.*

Hoc anno, inquit Dio l. 54. altera Tiberis inundatione Romæ nauibus vehi licuit: fulminibus cum alia multa, tum ſtatuæ in Pantheo ictæ ſunt, ita vt haſta etiam è manu Auguſti excuteretur. Peſtis quoque ita per totam Italiam eodem anno graſſata eſt, vt agris colendis nemo vacaret; ergo fames quoque ſubſecuta eſt. *Inũdatio, fulmen peſtis & fames Romæ.*

HORVM malorum cauſam ſuſpicantes Romani, quod hoc anno Auguſtus Conſul non eſſet, eum Dictatorem dicere voluerunt, incluſumque in Curia eo Senatum impulerunt, etiam incendium comminantes, vt id decerneret. Ipſi cum viginti quatuor faſcibus ad Auguſtum acceſſere, orantes vt ſe Dictatorem creari pateretur, ſimulque annonæ curationem, vt quondam Pompeius, acciperet; Et hanc ille quidem prouinciam ſuſcepit inuitus, alteram autem conſtanter repudiauit, etiam veſte diſciſſa. Idem affirmat de dictatura Velleius, Suetonius vero:[a] *Dictaturam*, inquit, *magna vi offerente populo, genu nixus, deiecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus eſt.* Timuit inuidioſum nomen, atque adeo periculum, quod dudum Iulius expertus fuerat. Re tamen ipſa Dictatorem agebat perpetuum, atque adeo Regem, & quod etiam auguſtius eſt, nouo modo Imperatorem, qui Reges vbique gentium ſubditos haberet, aut ſocios, prouincias Imperio Romano ſubiectas, quantum quoque modo vellet adminiſtraret. Romam denique ipſam gentium Dominam haberet in manu. Sed vnde illa populo ſuſpicio? an quia ſuperiores anni, quibus Auguſtus geſſit Conſulatum hiſce cladibus Reſpublica libera fuerat? an quia Dictaturam prioribus ſeculis experti ſæpe fuerant, belli paciſque temporibus ſalutarem? II. *Auguſto vis ad Dictaturam fruſtra affertur. Tiberius Quæſtor cu ratoranno næ.*

a l.2.n.52.
b l.54. init.

SED nec oblatam perpetuam Cenſuram accepit; creauit tamen cenſores Paulum Æmylium Lepidum, & L. Munaciam Plancum, quorum hic proſcripti frater, ille à fratre triumuiro proſcriptus fuerat. Hi poſtremi, ait Dio,[b] Cenſores ſimul ex priuatis fuerunt, quod ſtatim eis oſtenſum eſt. Tribunal enim ipſorum, cum ad ipſum prima die magiſtratus conſcenderent, corruit, & confractum eſt; nec deinde alij cenſores eorum ſimiles ſimul creati ſunt. Cenſuram tamen reipſa gerere viſus eſt. Nam conuiuiorum collegia quædam protinus ſuſtulit, quædam ad frugalitatem contraxit, Ludorum omnium curam Prætoribus iniun- III. *Cenſuram repudiatã reipſa gerit.*

xit, edixitque vt certum quid à populo conferretur: ne munus gladiatorium iniuſſu ſenatus daretur, nec ſæpius quam bis in anno, aut plurium quam 60. parium. Ne equites, aut ſenatorum liberi aut nepotes in Orcheſtra ſaltarent, aliaque nonnulla quæ apud Dionem leges.

IV. *Coſſ anni huius.* SVB extremum annum præcedentem Auguſtus in Albanum exiit, & Conſulatu ſe abdicauit, ſuffecto ſibi L. Seſtio, quem ſibi demereri voluit, licet Bruti quondam amantiſſimum, qua re ſibi quoque publicam laudem, & gratulationem acquiſiuit. Nec minus propterea noui Coſſ. de more anni huius initio creati ſunt Marcellus Æſerninus, & L. Arruncius, quos Oratores hoc tempore celeberrimos memorat Corn. Tacitus lib. II.

V. *Coniuratio Murenæ detecta, punitaque.* CONIVRATIO Fannij, Cæpionis, & Murenæ proximo anno, incertum qua de cauſa, conflata, hoc patefacta, & oppreſſa eſt. Forte ægre tulit Murena ſe de Auguſto bene meritum, vt cuius auſpiciis triennio ante Salaſſos inalpinos populos domuerat, deiectum de Conſulatu, eumque Piſoni nihilo meliori datum. Patefactam per Caſtricium quendam auctor eſt Tranquillus, [a] ex quo, ait, Auguſtus de Murenæ coniuratione cognouit. Licinium appellat hunc Murenam Dio, Velleius Lucium, Suetonius, Varronem, [b] qui libertate dicendi contra quoſcunque, ipſumque etiam Auguſtum, vt teſtatur Dio, intemperanter vtebatur. Hi ergo cum die dicta in iudicio non comparuiſſent, abſentes exilio damnati ſunt, & paulo poſt necati. Neque auxilio fuit Murenæ frater eius Proculeius, neque ſororis maritus Mæcenas, qui tamen ſummo erant apud Auguſtum loco.

a l. 2. n. 56.
b l. 2. n. 19.

VI. *Alia Auguſti.* CYPRVM, & Galliam Narbonenſem, quia nihil armis ſuis indigerent populo reddidit, atque ita proconſules in eas quoque prouincias mitti cœperunt. Nec deinceps eas per legatos ſuos arbitrio ſuo adminiſtrauit. Iouis etiam Tonantis templum dedicauit, vt antea Apollinis palatini. Prædictæ porro famis meminit Velleius, & Tiberium in Annonæ procuratione laudat. Quæſtor, inquit, vndeuiceſimum annum agens capeſſere cœpit Remp. maximamque difficultatem annonæ, ac rei frumentariæ inopiam, ita Oſtiæ atque in Vrbe mandato vitrici moderatus eſt, vt per id quod agebat, quantus euaſurus eſſet eluceret.

Cantabri & Aſtures iterum domiti. Sub idem fere tempus Cantabri Aſtureſque, ſuperbe ac crudeliter à Cariſio tractati, rebellauerunt. Sed ſuperueniens C. Furnius, iunctis cum Cariſio copiis, vtroſque in ſeruitutem redegit: pauci tamen Cantabri viui in poteſtatem venerunt. Nam cum de libertate deſperaſſent, vita quoque contempta, incenſis prius munitionibus, ſeipſos interfecerunt, alii eodem incendio, alii veneno publice ſumpto. Aſtures vero primum ab oppidi cuiuſdam oppugnatione repulſi, deinde etiam acie victi perdomiti ſunt. Petronius quoque in Ægypto rem bene geſſit, vt pluribus explicatur à Dione l. 54.

VII. *Auguſtus Siciliam adit, & quo animo.* QVÆ dum fiunt. Auguſtus in Siciliam profectus eſt, vt eam, & omnes alias ad Syriam vſque, prouincias conſtitueret, vt placet Dioni, forte etiam vt rei frumentariæ, iuxta populi vota & neceſſitatem, proſpiceret; erat quippe Sicilia horreum populi Romani. Nec diu abfuit Auguſtus quin Romæ turbas ambitio excitaret, quæ quia in Conſulum creatione contigere, ad annum ſeq. differentur.

Herodes ludos celebrat quinquennales. HOC etiam anno, vt recte ſentit Torniel. [d] prima certamina theatrica Herodes celebrauit. Non enim prius theatrum & Amphitheatrum, quæ anno 13. inchoarat, perfecta eſſe potuerunt, vel propter operum magnificentiam, vel propter publicas famis & peſtilentiæ calamitates, de quibus ante diximus. Accedit quod ij ludi, ſicut & Olympici, quinto quoque anno ineunte agitarentur, vt ſupra, ex Ioſepho [e] recitauimus. Cum ergo conſtet ex eodem Ioſepho, annum 28. Herodis, abſoluta Cæſaræa, his certaminibus ludicris celebratum eſſe, [f] oportet decimum ſextum, quem nunc agimus, & vigeſimum quartum fuiſſe agonalem.

d a. m. 4033. n. 2.
e 16. ant. c. 9.
f l. 15. c. 11.

VIII. *Eorum celebritas & pompa.* DE hac igitur prima celebritate hæc habet. [g] Ille celebritatem hanc nobiliſſimam eſſe voluit, denunciatam circumuicinis, atque etiam longinquis gentibus: propoſitiſque præmiis magnus vndique athletarum, cæterorumque certatorum concurſus factus eſt, & enumeratis variis eorum generibus, *Theatrum ipſum*, inquit, *per circuitum titulis erat ornatum Cæſaris, & trophæis deuictarum ab illo gentium, auro atque argento collucentibus. Quod vero ad inſtrumentum & apparatum attinet, non veſtes*

g l. 15. c. 11.

pretioſiſſimæ, non gemmæ raritate inſignes deerant in his ſpectaculis: conquiſitis etiã feris plurimis, leonibus, cæteriſque vel robore ſpectandis, vel aliquo naturæ miraculo. Hæ modo inter ſe, modo cum damnatis hominibus committebantur: quæ peregrinis quidem ſpectatoribus plurimum admirationis, ſimulque delectationis afferebant: indigenis vero prorſus ad diſſolutionem patriæ diſciplinæ tendere videbantur. Nihil enim magis impium exiſtimabant, quam ex ſpectandis hominibus cum beſtiis comparatis homines crudelem captare voluptatem: abſurdum æque peregrinis artibus mutare domeſtica inſtituta.

IX. *Turbatio Iudæorum ob trophæa.*

SVBDIT etiam pluribus excitatum Hieroſolymis tumultum, ob trophæa propoſita, quæ Iudæi tanquam idola, & ſimulacra ad adorandum propoſita deteſtabantur: ſedatum autem ait, cum Herodes iſtiuſmodi trophæis detrahi iuſſit ornatum appoſititium, & nudos ſtipites tumultuanti plebi demonſtrauit.

Ioſephus in cultu imaginum arguitur.

Cæterum errat Ioſephus, & ſe legis imperitum ſuæ aperte docet, cum vſum imaginum Iudaica lege prohibitum ait. Sed nec ſatis ipſe conſentientia loquitur, cum hũc populi pro ſua lege zelũ, etſi non ſecundũ ſcientiam, appellat ipſe δεισιδαιμονίαν, id eſt, ſuperſtitionem; nec enim facile reperias eam vocem, in meliorem partem ſumi. Verum quæ fuerit mens legiſlatoris, legiſque ſententia, ex ipſa lege facile intelligitur, cum prohibitioni ſculptilium ſtatim ſcriptura ſubiiciat, *non adorabis ea, neque coles*, vt abuſum prohiberi, non autem pium ac legitimum imaginum vſum, omnes intelligerent; cum & Moyſes ipſe legiſlator, Dei iuſſu Cherubinos conflauerit, & vna cum arca per quadraginta annos circumtulerit; & Salomon non ſolum ad eius imitationem, Cherubinos opere ſtatuario, in templi oraculo, ſculpſerit & collocarit; ſed in totius etiam templi parietibus Cherubinos cælauerit, qui toti populo eſſent aſpectabiles; [a] Sed hæc quotidianis contrita diſputationibus contra Iudaizantes hæreticos miſſa faciamus.

[a] vide l. 2. Paral c. 3. n. 7. & 10.

X. *Coniuratio in Herodẽ.*

APPARET porro hoc ipſo tempore excitatam illam decem ciuium coniurationem, Sammæo quodam duce, vt ait Gorionides, [b] quam deinceps narrat Ioſephus, cum dicat coniuratos in theatrum veniſſe, vbi ſcilicet prædicta ſpectacula exhibebantur, qui putauerunt, vt ait, ſui officii eſſe labanti diſciplinæ publicæ, vel capitis periculo ſuccurrere; nec pati Herodem quicquam contra receptos mores inducere. Verum cum res Herodi innotuiſſet, per eos, quos ad perſcrutanda, & indicanda talia diſpoſuerat, recepit ſe in regiam, & nominatim coniuratos accerſiuit, qui comprehenſi in ipſo facinore, & ſcientes nullum eſſe effugium, decreuerunt forti animo ferre præſentem neceſſitatem: nihil enim inficiati, interrito vultu ſicas protulerunt, profitentes ſe recte ac pie coniuraſſe, non propter priuatos affectus, aut ſui commodi gratia, ſed pro diſciplina publica, quam nemo bonus violare, ne morte quidem ſibi intentata, ſuſtineat. Hæc cum illi magna confidentia pro ſe attuliſſent, à regiis abducti, per omnes cruciatus necati ſunt.

[b] l. 5. c. 22.

XI. *Meritis extincta ſuppliciis, diſſimulante Ioſepho.*

ET merito quidem: nulla quippe autoritate ſuffulti, Regis ſui ſe non ſolum iudices, ſed etiam carnifices ſtatuebant, prætextu pietatis male obtecti. Eorum improbiſſimam temeritatem, non admodum improbat Ioſephus, & ſuam videtur ſententiam horum ſicariorum ore proferre, qui grauiſſimi facinoris reos, ne minimo quidem verbo perſtringit; imo diuino quodammodo iudicio innocentes demonſtratos conatur oſtendere, cum eorum accuſatorem dira morte mox periiſſe narrat. Nec multo poſt, inquit, delator eorum inuiſus omnibus, à quibuſdam interfectus fruſtatim conciſus eſt, & obiectus canibus, idque multis ſpectantibus, quorum tamen nemo eam cædem Herodi prodere voluit, donec eam multis tormentis expreſſam, multorum cædibus vltus eſt.

XII. *Herodes Sebaſtem & Cæſaream inſtaurat.*

QVÆ etiam cauſa fuit cur Herodes tuendi ſui cauſa, cum duas arces munitas in vrbe haberet, regiã ſuam & Antoniam, alias etiam variis in locis deinceps excitarit, vt eodem [c] in libro ſcribitur. In primiſq; viſum eſt ei reſtaurare, ac munire Samariã, eo nomine in Sebaſtẽ mutato, quæ vox latino Auguſto reſpondet, quæ foris totã gentẽ à tumultibus compeſceret, vnius diei itinere diſtantẽ. Aliam etiam quaſi arcẽ Iudæorum ceruicibus impoſuit: Stratonis olim turrim dictam, quam Cæſaræam maluit appellari. Addidit & munita loca in campo magno, quem vocant Eſdrelon, & planiciem Galilææ: Et in Galilæa ipſa, ac Peræa, quæ eſt prouincia trans Iordanem, vt omnibus regni partibus parata haberet remedia, ad ſubitos multitudinis motus compeſcendos. Sicque vna eademque opera & magnificentiæ ratio-

[c] l. 15. c. 11.
Dio l. 53. p. 507 gr. lat.

nem habuit, & propriæ ſecuritati conſuluit: & Romani Imperatoris gratiam quæſiuit, dum eius nomina vrbibus à ſe reſtauratis impoſuit.

XIII. *Quo id factum tempore.*

CÆTERVM conſtitutam à nobis temporis rationem turbat Euſebius, qui ſub annum tertium Olympiadis centeſimæ nonageſimæ ſic habet, Herodes Samariam olim iam in cineribus ſedentem, à fundamẽtis ſuſcitans, in honorem Auguſti Auguſtam, id eſt Sebaſtem appellauit. Vbi Scaliger metachroniſmum triennii notat, aitque & Sebaſtem & Cæſaraã, & reliqua ædificia inſtituiſſe anno decimo ſeptimo à captis Hieroſolymis. Sed ſine dubio fallitur, tum quia ſi Cæſaræa abſoluta eſt decennio, vt author eſt Ioſephus,[b] & non annis 12. vt ait Scalig. ſecutus ſibi nõ conſtantem Ioſephum[c] & vigeſimo octauo Herodis regni dedicata, vt ibidem ſcriptum eſt, ſufficit vt decimo nono ſit inchoata, vel decimo ſexto à captis Hieroſolymis, qui eſt præſens annus. Fallitur quoque, quia Sebaſte abſoluta erat, cum vix Cæſaræa inchoaretur. Nam Ioſephus de Cæſaræa loquens, *Cum in his eſſet*, , Cæſaræ ſcilicet operibus, *& iam Sebaſte condita eſſet*, ſic enim vertendus eſt locus, vt infra dicam. Metachroniſmus ergo eſt integræ Olympiadis, quam anticipat Euſebius.

a Dio l.53. p.507. gr. lat.

b l.16.c.9.
c l.15.c.13. nu.2005. Euſeb.

XIV. *Qua cauſa, modoque.*

CÆSAREAM ergo hoc tempore inſtaurare cœpit Herodes, partim Cæſaris beneuolentiam ſibi magis magiſque obſtricturus, partim gloriam ſibi ex præclaris operibus, & nominis immortalitatem quæſiturus. Loci etiam & portus commoditatem quæſiuit. Cum animaduertiſſet, inquit Ioſephus,[d] in maritimis locum condendæ vrbi opportuniſſimum, cui primum Stratonis turris nomen fuerat, & formam eius magnifice deſcripſit, & ædificiis marmoreis totam exornauit accuratiſſime, tam regiis palatiis, quam priuatorum ciuium ædibus, & quod fuit omnium operoſiſſimum, portum à tempeſtatibus tutum addidit, magnitudine Piræeo parem, ſtationibus inſtructum & diuerſoriis, admirandum ſtructura &c. rem pluribus apud eum leges, & quidem non ſine cacozelia exaggeratam.

d l.15.c.13.

ANNVS MVNDI 4033. SEXTÆ ÆTATIS 518. IMPERII ROMANI 28. AVGVSTI 23. HERODIS 17. & 20. ÆT. 52. SIMON. PONTIF. 4. PRÆSID. SYRIAE M. AGRIPP. OLYMPIAD. CLXXXIX. AN. 4. VRB. COND. 732. COSS. Q. ÆMYL. LEPIDO ET M. LOLLIO. AN. IVL. 25. AVGVST. 9. ACTIACÆ VICT. 11.

ANNVS ANTE CHRISTVM 20.

I. *Ratio temporis profectionis Augusti.*

AVGVSTVS proximo anno profectionem ſuſcepit in prouincias Romano Imperio ſubiectas, & à Sicilia exorſus, in Græciam hoc anno peruenit, qui eſt ab Actiaca pugna, & priore Cæſaris in eam prouinciam aduentu decimus. Id confirmat Ioſephus,[e] vbi agens de prouincia Syria, & Auguſto, & decimo anno, adhuc videlicet durante: Reuerſus iterum, inquit, in prouinciam, nequid ſe inconſulto procuratoribus liceret adminiſtrare, præcepit.[f] Hunc decimum annũ alibi interpretatur 17. Herodis, *decimo ſeptimo demum eius regni anno Cæſar venit in Syriam*, ex quo ſcilicet Herodes regni poſſeſſionem inuaſit extincto Antigono. Sicque vides chronologiam recte duplici ex capite ſtabiliri. Dio aduentum Cæſaris in Syriam in ſeqq. Conſules differt, itaque ille annus decimus, & decimus ſeptimus de exeunte accipiendus eſt. Sicq, Dio Ioſepho conſiliari poteſt. Verum quia nos in dimetiendis annis, Conſulum rationem habemus, & annorum Iulianorum, Cæſaris aduentum in Syriam in ſequentem annum differemus. De huius porro anni Coſſ. hæc habet, Dio lib.54.

e l.1. de bel. c.5. ſub fi.
f l.15. anti. c.13.
Dio l.54.

II. *Seditio de Conſulatu.*

Per Cæſaris abſentiam, inquit, proxime autem dixerat ex vrbe profectum in Siciliam, inde autem ad Syriam vſque venturum fuiſſe) populus Rom. in creandis Coſſ. ſeditione agitatus eſt; quod ipſum ſatis oſtendit rem futuram fuiſſe impoſſibilem, vt in populari ſtatu ciuitatis ipſi ſalui manerent; quando tumultuatum eſt ab eis, etiam cum exiguam quandam in comitiis, & ipſis magiſtratibus deligendis poteſtatem obtinerent. Conſulatus locus alter Auguſto ſeruabatur, ideoque anni initio M. Lollius ſolus Conſulatum geſſit; Cæſare autem Conſulatum non accipiente, Q. Lepidus, & L. Silanus eum ambiuerunt, itáque fauoris venatione omnia conturbarunt, vt cordati viri Auguſtum Romam reuocarent; Auguſtus tamen Romam non rediit, ſed Conſulatus candidatos ad ſe profectos verbis increpitos, iuſſoſque abeſſe ab vrbe, cum darentur ſuffragia, dimiſit. Romæ autem redintegratis tumultibus, vix tandem Lepidus Conſul creatus eſt. Hæc Dio.

III. *Agrippa fit gener Auguſti.* *Et præfectus vrbi.*

Qvi etiam addit his turbis adductum Auguſtum, cum videret non ſoli Vrbi ſibi vacandum eſſe, & multas prouincias ſuam deſiderare præſentiam, de præficiendo vrbi Agrippa cogitaſſe. Aberat, inquit Velleius, in ordinandis Aſiæ Orientiſque rebus Cæſar, circumferens terrarum orbi præſentia ſua, pacis ſuæ bona. Agrippam autem è Sicilia in Vrbem miſſum iam ante ex Dione notauimus: cumque eo nihilominus præſente candidati tumultus excitarent, Auguſtus, plus ei maieſtatis addendum ratus, ſuum ipſum generum creare voluit. Itaque ad ſe accerſitum vxore ſua, quamquam hæc ſororis Auguſti filia erat, repudiata, Iuliam ducere iuſſit, ac continuo Romam miſit ad nuptias peragendas, vrbiſque adminiſtrationem accipiendam, vbi aduentu ſuo ſedauit omnia. Ex Aſia reuerſus Agrippa, inquit Velleius l. 2. filiam Cæſaris Iuliam, quam in matrimonio Marcellus habuerat, duxit vxorem, fœminam neque ſibi, neque Reipub. fœlicis vteri. Sic ipſe. Innuit mulierem impudicam, & impudicæ matrem. Iulias, inquit Sueto. [a] Filiam & neptem, omnibus probris contaminatas, relegauit. Ex ea tamen proximo anno filium accepit, qui Caius dictus, & Auguſto chariſſimus fuit.

nu. 65.

IV. *Auguſtus in Græcia.*

Interea Auguſtus, vt ſcribit Dio, rebus in Sicilia ordinatis, Syracuſiſque, & aliis quibuſdam vrbibus, coloniæ Romanorum vt eſſent, deſtinatis, in Græciam tranſmiſit, Lacedæmonios Cytheris donauit, epuliſque publicis honorauit, quod ibi Liuia, cum viro & filio ex Italia profuga commorata fuiſſet. Hæc Liuia Druſilla, tum erat vxor Auguſti, quam dilexit & probauit vnice ac perſeueranter, quam Tiberio Neroni matrimonio iunctam, & prægnantem ſibi aſſumpſit. Suet. [b] Athenienſibus autem Æginam & Erethræam ademit, quod Antonio fauiſſent, vetuitque ne quem ciuem accepta pecunia facerent. Rebus in Græcia confectis Auguſtus in Samum nauigauit, ibique hyemauit.

cap. 62.

Interea vero Herodes, ſi Ioſepho credimus, vbique paſſim arces, vrbes, templa, ædificabat. Meminit Conſulum anni huius Horatius, in quorum magiſtratu, Sequater vndenos ait impleuiſſe Decembres. Natus eſt ergo ann. Vr. Cond. 689.

ANNVS MVNDI 4034. SEXTAE AETATIS 519.
IMPERII ROM. 29. AVGVST. 24. HEROD. 18. & 21. ÆT. 53.
SIMON. PONTIF. 5. PRÆSID. SYRIAE TITIO. OLYMP. CXC.
A.I.VRB. COND. 733. COSS. M. APPVLEIO, ET P. SILIO
NERVA. AN. IVL. 26. AVGG. 10.
ACT. VICT. 12.

ANNVS ANTE CHRISTVM 19.

I. *Res ab Auguſto in Aſia geſta.*

HIS Coſſ. quibus Aufidius quidem Patrenſis victor in Olympico ſtadio celebratus eſt, cum Auguſtus in inſula Samo hyemaſſet, vt author eſt Dio. [a] Vere in Aſiam perrexit, ibique, & in Bithynia omnia conſtituit, & vt conueniebat emendauit; pecunias aliis elargitus eſt, aliis etiam nouas, præter tributum imperauit. Cyzicenos, quod in quadam ſeditione nonnullos Romanos flagris cæſos necaſſent, in ſeruitutem redegit. Idemque in Syriam cum aduenißet, Tyriis & Sidoniis, propter factiones ſupplicium irrogauit. Interea Romæ Dione teſte [b] Iulia Auguſti filia, vxor Agrippæ Caium peperit, cuius natalibus perenne ſacrificium decretum eſt. Quomodo autem Dio cum Ioſepho conſentiat de aduentu Cæſaris in Syriam proximo anno diximus. Habemus autem & conſentientẽ Decкerium annor. 7. in tabulas. nu. 1. Vide Chron. Io. Georg. Heruuat, qui c. 245. vult hoc anno natam B. Virg.

a l. 54.
b l. 53. p. 526 gr. lat.

II. *Recipit à Parthis ſigna Romana, captiuoſque.*

In Aſia varias prouincias cōponit.

INTERIM Phraates, vt Dio refert, quia nihildum eorum quæ pactus fuerat perfecerat, veritus ne bello ab Auguſto peteretur (prope enim ab ipſo aberat, & circumquaque in prouinciis legiones habebat, quas aduocare ad ſe poterat, & in Parthos inferre) ſigna ei militaria & captiuos omnes miſit, paucis demptis, qui ſe ipſos pudore moti interemerant, aut in Parthia occulte remanſerant, eaque Auguſtus quaſi Parthum bello viciſſet accepit, magnæ ſibi laudi ducens, quod ea citra vllum certamen recepiſſet. Caſſiodorus quoque his ipſis Coſſ. aquilas & ſigna Craſſiana de Parthis Cæſarem recepiſſe ſcribit, meminit & Liuiana epit. 139. & Flor. l. 4. extremo. Strab. l. 16. poſt initia, vbi de Meſopotamia. At Phraates, qui Pacoro ſucceſſit, tantum Cæſaris Auguſti amicitiæ ſtuduit, vt etiam illi trophæa remitteret, quæ Parthi de Romanis erexerant, & vocato in colloquium Titio, qui per id tempus Syriæ præerat, quatuor ei legitimos filios obſides tradidit; Haraſpadem &c. Hinc Ouidius.

Nunc petit Armenius pacem, nunc porrigit arcus
Parthus eques, timida captaque ſigna manu.

Sed nec vllum aliud bellũ Cæſar partis contentus tunc attigit, inquit Dio, quin & Iani templum quintum clauſit, & ſubditos ex Romanarũ legum præſcripto compoſuit, fœderatos vti maiorum ſuorum inſtitutis permiſit. Iamblicho Iamblichi filio paternum principatum in Arabia, Tarcondimotoque eum quem pater eius in Cilicia habuiſſet, Archelao minorem Armeniam, Herodi Zenodori cuiuſdam tetrarchiam, Mithridati Commagenem attribuit. Quum autem Armeniæ maioris populus Artabazem accuſaret, Tigranemque fratrẽ eius, qui tum Romæ erat, euocaret, Auguſtus Tiberium accerſiuit, vt Artabazem regno pelleret, Tigranemque ei præficeret; Sed Artabaze ab Armenis ante aduentum Tiberii occiſo, nihil ille dignum apparatu perfecit. Hæc pluribus Dio.

III. *Herodes auctus Zenodori prouincia ab Auguſto.*

VERVM quæ de Herode tangit, illuſtrantur à Ioſepho. [c] Zenodorus quidam, inquit, conduxerat ditionem Lyſaniæ (fuerat hic Ptolemæi Mennæi Dynaſtæ Chalcidis filius, amicus Ariſtobulo, [d] pro quo in Iudaico regnō ſtabiliendo Parthos magna mercede euocarat [e] & à Cleopatra interfectus fuerat, cauſata cum ſtudere Parthicis rebus. [f] Zenodorus ergo non contentus his prouentibus in Trachone fouebat latrocinia incolarum, qui prædas ex Damaſcenis agebant, qui ve-

c l. 1. de bel. c. 15. & lib. 15. antiq. c. 13.
d l. 14. c. 23.
e l. 1. bel. c. 11.
f l. 15. c. 4. 6.

HERODES CÆSARI GRATIOSVS.

xati querelis Varum prouinciæ præſidem obtundebant, poſtulantes vt Zenodori iniurias Cæſari per literas ſignificaret. Ille reſcripſit expugnanda eſſe latronum receptacula, & regionē eam ditioni Herodis contribuendam. Quod cum factum eſſet, Herodes ad latronum receptacula adhibitis ducibus penetrans, circumuicinis ſecuritatem peperit. Zenodorus autem partim inuidia, partim dolore ademptæ poſſeſſionis permotus, Romam ad accuſandum Herodem profectus, nihil efficere potuit. In ditione Zenodori erant Gadarenſes, qui inuitiſſime parebant Herodi à Zenodoro incitati. Et eum quidem accuſaturi venerant ad Agrippam, vt ſupra diximus, a quo ne auditi quidem, vincti ad Herodem remiſſi fuerant, ab eodemque humaniter dimiſſi. *Zenodorus prædo.*

IV. *Gadarenſium ad Auguſtum de Herode querelæ irrita.*

CVM autem Cæſar hoc anno veniſſet in Syriam, mox plurimi Gadarenſium in Herodem clamare cœperunt, grauem eum dictitantes ac tyrannicum, inſtigati à Zenodoro, qui interpoſito iureiurando pollicitus fuerat, ſe effecturum vt illi, à dominatione regia liberati, prouinciæ Cæſaris attribuerentur. Illi ergo apud Cæſarem tumultuabantur, & multorum eum criminū accuſabant, tanto audacius, quāto mitius fuerant ab Agrippa & Herode tractati. Cumque Herodes ad reſpondendum præſto eſſet, & Cæſar eum ſolita comitate nihilominus tractaret, veriti accuſatores ne Herodi dederentur à Cæſare, ſequenti nocte plerique tormentorum metu ſibi manus intulerunt. atque ita cum ſeipſi prædamnare viderentur Cæſar Herodem abſoluit, & Zenodoro interim apud Antiochiam ſanguinis profluuio pereunte, illius portionem non contemnendam donauit Herodi, quæ ſita Galilæam inter & Trachonitidem. Adiecit etiā Batanæā & Auranitidem, vicinas prouincias, vt prædictis locis idem tradit. Quin etiam Rectoribus Syriæ Herodem Cæſar adiunxit, mandauitque vt omnia ex eius ſententia fierent. *Mors Zenodori.*

V. *In fratrem beneficus Cæſari templum in Paneade conſtruit.*

HAC erga ſe beneuolentia fretus Herodes Pheroræ fratri ſuo tetrarchiam impetrauit, de ſuo regno deciſis centum talentorum reditibus, vt etiamſi quid fatale ſibi accideret, in tuto eſſent res illius, neque ſubijcerentur Herodis filiorum imperio. Hoc quidem ſi præter veritatem non eſt, præter conſuetudinem parentum eſt, qui vice verſa fratribus eripiūt quæ filiorum bonis accumulent, præ quibus fratres à ſe alienos ducunt, pergit. Deducto inde ad mare Cæſare, in regnum reuerſus in terra Zenodori elegantiſſimum ei templum conſtruxit è marmore candido, prope Panium quod vocant: id ſpelunca eſt in monte amœniſſima, eique ſubiecta in immenſum hians terræ deuexitas plena ſtagnantibus aquis, cui mons valde magnus imminet: ſub ſpelunca autem ſcatent fontes Iordanis fluminis. Hunc locum alioqui etiam celebrem, ornauit templo extructo in honorem Cæſaris.

VI. *Suſpicioſus erga ſubditos.*

TVNC etiam tertiam tributorū partem remiſit regni ſui ſubditis, prætextu quidem, vt poſt ſterilitatem ſe reficerent, re autem vera vt placaret eorum animos offenſos talibus regis operibus, quæ videbantur plane ad religionis & bonorum morum perniciem tendere, vt omnium iactabatur ſermonibus, quibus vt occurreret conuenticula per vrbem, & frequentiora conuiuia prohibuit, & cum alios ſpeculatores adhibuit, qui ſe conuentibus insererent, & vulgi ſermones captarent, tum ipſe quoque ſe plebeio cultu noctu vulgo miſcuit, vt experiretur quid de ſe vulgus ſentiret, & multos obſtinatiores occidit, alios metu atque iureiurando in fide, officioque continuit. Hæc Ioſephus pluribus.

VII. *Excipit Auguſtus Indorum legatos.*

AVGVSTVS autem in Samum reuerſus, ibidem iterum hyemauit, vt author eſt Dio, ac Samijs libertatem, hoſpitij præmium dedit. Datam Samijs ab Auguſto libertatem habes etiam apud Euſeb. in chron. Olymp. 190. 3. metachroniſmo biennij, vt recte notauit Scal. ſicut non recte diſtractā profectionem Tiberij in Armeniam, & Auguſti in Syriā, quas Dio & Strabo coniunxerūt. Straboni autem conſentit Dio, dum hic datam Samijs libertatem ſcribit Auguſto è Syria reuerſo, Strabo autē cū in Syriā traijcere vellet, eſtque probabilior, vt opinor Dionis ſententia, cum dicat datum præmium hoſpitij, gemini certe potius, quā vnius. In Samum frequentes legati commearunt, in quibus Indi, qui antea pacem per oratores petierāt, tunc eam interpoſito fœdere ſanxerunt, & tigres, nondum viſa Græcis aut Romanis animalia, dono data. Ex Indis autem vnus Zamarus, ſapientiæ opinione tumidus, gloriam coram Auguſto & Athenienſibus affectans, deorum ſacris initiatus, vltro ſe in ignem coniecit.

ANNVS MVNDI 4035. SEXTÆ ÆTATIS 520.
IMPERII ROMANI 30. AVGVSTI 25. HERODIS 19. & 22.
ÆT. 54. SIMONIS PONT. 6. PRÆSID. SYR. N. N. OLYMP.
190. 2. VRB. COND. 734. COSS. C. SENTIO SATVRNINO, ET. L. LVCRETIO VISPALIONE. ANN.
IVLIAN. 27. AVGVSTORVM 11. ACTIA.
VICTORIÆ 13.

ANNVS ANTE CHRISTVM 18.

I. *Ratio temporis reſtaurati ab Herode templi Hieroſolymitani.*

HOC anno 27. Iuliano, cum Cæſar è Syria receſſiſſet, & Herodes annum Regni ageret adhuc 18. Sentio & Lucretio Coſſ. cœpit Herodes templum Hieroſolymitanum reſtaurare. Certè Ioſephus tam l. 1. de Bello c. 15. & 16. quam l. 15. Ant. c. 13. & 14. aperte ſentit ac ſcribit, non prius Herodem manum admouiſſe templo, quam auctus ditione ab Auguſto fuiſſet, & Auguſtum è Syria diſcedentem ad mare officij cauſa deduxiſſet. Ita ſentit Deckerius annot. 7. in tab. ſuas n. 2. Carolus Sigon. in Sulpitium, Genebr. l. 2. Chron. Henricus Samelius, Gordonus, Ioan. Georg. Heruart c. 245. Sethus Caluiſ. in huius anni Coſſ. Mercator, Functius, & Phrygio in ſuis Chronol. Et Ioſephus quidem l. 1. de bello c. 16 huic operi aſſignat decimum quintum Herodis annum, cumque ſecutus eſt Egeſippus, qui extat, l. 1. c. 35. Adrichom. & Torniellus An. M. 4032.

II. *In quo parum ſibi conſtat Ioſephus.*

VERVM nihil neceſſe fuit errantem ſequi, præſertim corrigentem in poſteriori opere Antiquitatum, errorem priſtinum. Nam quod aiunt in opere de Bello Ioſephum annos computaſſe à captis Hieroſolymis, in Antiq. autem ab accepto Romę regis nomine, parum probatur. Nam durum valde eſt toto reliquo libro annos computari à captis Hieroſolymis, hic autem duntaxat, ab accepto regis nomine: quod Torniellus quoque, alioqui ſat Ioſephi ſtudioſus, ingenue fatetur, qui tamen deinceps multa in doctiſſimo Baronio reprehendit, in gratiam Ioſephi, à quibus ſatius erat eum abſtinere. Excepta enim deceptione eius, in accipiendis Herodis annis ab Actiaca pugna, quod ipſum in tria errata parum candide digerere conatur; quartum de Ioſepho ſibi contradicente tam clarum eſt apud ipſum Baronium, vt nullius defenſione obſcurari poſſit; quod tamen poſtea attingemus. Celebris ergo eſt hic annus apud Ioſephum templi Hieroſolymitani ſiue conſtructione, ſiue reparatione. Nam ex l. Ant. 15. c. 14. plane recens excitatum dicendum eſt; ex l. autem 1. Bel. c. 16. inſtauratum: & illud 18. regni anno factum dicitur, hoc 15. pro ratione geminæ epochæ regni Herodis. De ſumma tamen rei gr[a]uis eſt inter viros doctiſſimos diſputatio, vt ex ſeqq. planum fiet; de qua vt noſtram quoque ſententiam proferamus, tria mihi videor hac tota de controuerſia valde probabiliter affirmare poſſe.

An. M. 4032. n. 1.
n. 3. & ſeq.
li. 20. c. 8.

III. *Herodes templum Hieroſolymis inſtaurauit.*

DICO ergo primò, Herodem templum Hieroſolymitanum inſtauraſſe, eius ſpatia dilataſſe, porticibus nouis exornaſſe. Hæc affirmat Ioſephus l. 1. de bello c. 16. Anno, inquit, regni ſui 15. & templum inſtaurauit, τὸν ναὸν ἐπεσκεύασε. & duplum terræ ſpatium, quam fuerat circa templum muro amplexus eſt, ingenti ſumptu, & magnificentia ſingulari. Argumento erant in ambitu fani magnæ porticus, quas à fundamentis erexit. Sic ipſe, eademque habet Egeſippus. eadem & ſentit Gordon. in Chronologia: id tamen de omnibus porticibus intelligi non debet. Nam authore Ioſepho l. 20. c. 8. ſub Agrippa rege ſtabat adhuc orientalis porticus, opus Salomonis regis, qui primus integrum templum condiderat. li. 1. c. 35.

IV. *Manſit ab antiquo & porticus Salomonis.*

EA porticus templi extima claudebat, profundæ valli & anguſtæ imminens, ac proinde ſubnixa muro quadringentos alto cubitos, ſaxis conſtructo quadratis valde candidis, eratque cuiuſque ſaxi longitudo cubitorum viginti, ſex vero altitudo. Memorat eandem porticum Salomonis, & ſpecioſam eius portam Lucas Act. 3.

Imperii Romani an. 55.

[a] De eadem accipiunt, illa Math. [b] vbi egreſſo Domino de templo, diſcipuli
oſtendebant illi ædificationes templi, vtique eas quæ foris apparebāt, quorum vnus
vt eſt apud Marcum [c] ait. *Magiſter aſpice quales lapides, & quales ſtructuræ*, (con-
a Mt. 10. 11. uerſus autem Dominus, & protenſa manu) ait illi, *Vides has omnes magnas ædificatio-*
b 24. 1. *nes? non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.* Egreſſum autē per portam o-
c ca. 13. 1. rientalē, patet ex eo, quod mox venit in montē oliuarū, & ibi ſedebat contra tem-
plum, cum diſcipuli quæſierunt, quando ea futura eſſent. Id ipſum innuit idem
d li. 15. c. 14 Ioſeph. [d] cum ait orientale latus, quam longum eſt, duplicem habere porticum ſpe-
ctantem ianuam templi ſiti in meditullio, quam priores reges adornauerant. Deni-
que interpr. in Ioannem hanc aſſertionem tenent, in quibus Tolet. annot. 25.

V. *Non fuit excitatum ab Herode à fundamentis.*

Dico 2. templum Hieroſolymitanum à fundamentis nullum ab Herode ex-
citatum fuiſſe. Hæc ſententia eſt contra Ioſephum l. 15. c. 14. & Ioſephum Gorio-
e c. 2. n. 43. & ſeqq. nidem l. 5. c. 25. & Riberam in Aggæum prophetam. [e]

Eam tamen affirmat vir doctiſſimus, idemque Eccleſiæ catholicæ propugnator
acerrimus Ioan. Eckius, valideque probat, vt dicemus, affirmat & Nicolaus Serar.
in Opuſc. de Herode c. 22. Gordonus in annum Herod. 10. Idem Villalp. l. 2. in
f l. 5. c. 67. & ſeq. Ezechielem. [f] Nec ab ea multa abeſt Baron. in annum Chriſti 3[1]. n. 39. Prima

Oſtenditur ex Aggæo.

probatio ſummitur ex Aggæi c. 2. vbi propheta, agens de templo quod ædificaba-
tur à Zorobabele, & Ieſu Ioſedech ſacerdote magno, conſolatur populum mæren-
tem de vilitate iſtius templi præ gloria & magnificentia Salomonici, aitque maio-
rem fore gloriam domus iſtius nouiſſimæ quam primæ: gloriam autem eius peti-
tum iri, non ab auro vel argento, lapidibusve pretioſis, aut eximio opificum vel
architectorum artificio, quibus facile poterat nobilitare templum iſtud, ſi libuiſſet,
cum Domini ſit terra & plenitudo eius, ſed à præſentia corporea eius, qui eſt deſi-
deratus cunctis gentibus.

VI. *Inepetita probatio.*

Hæc eſt planiſſima loci huius, cōmuniſſimáq; interpretatio; ex quo ſic argu-
mentamur, Domus quæ ædificabatur à Zorobabele erat nouiſſima, ergo non fuit
alia poſterior ab Herode conſtructa. Secundò Templū Zorobabelis glorificandū
erat præſentia Saluatoris, ergo ſtabat viuo Saluatore; falſum ergo eſt id ab ipſis
fundamentis euerſum fuiſſe. 3. Templum quod ſtabat viuente ac prædicante Chri-
g c. 2. v. 20. ſto Domino 46. annis ædificatum fuerat, vt eſt apud Euang. [g] Ioan. templū Hero-
dianū 9. annis cū dimidio, teſte Ioſepho, [h] ergo templū quod ſtabat viuente Chriſto
h l. 15. c. 14. fi. non fuit Herodianum. Reſp. Ribera l. c. vtrumque templum pro vno eodemque

Obiectio.

ſumi, quoniam vno euerſo ſtatim alterum in eius loco excitatum eſt: & confirmat
i c. 2. 4. ex eodem Aggæi loco [i] vbi dicitur, *quis vidit domum iſtam in gloria ſua prima?* quaſi
vnica ſit domus Salomonis & Zorobabelis, ſed ſub diuerſo ſtatu, primum glorio-
ſo, deinde vili atque ignobili, eodemque modo vnum dicitur templum Zoroba-
belis & Herodis.

VII. *Herodianum templum non poſſe dici vnum cum Zorobabelico.*

Verum inſtamus, dicimuſque non eſſe quæſtionem de loquendi modo, ſed
de re; dicatur vna domus, aut templum ſucceſſiue, aut æquiualenter, re tamen ipſa
conſtat eſſe plures domus, & plura numero templa, quando vno funditus euerſo,
alterum à fundamentis excitatum eſt. Sicut plures ſunt numero homines filius &
l Eccli. c. 30. 4. pater, licet legamus in Scrip. [l] *Mortuus eſt pater eius, & quaſi non eſt mortuus, ſimi-*
lem enim reliquit ſibi poſt ſe, plures quoque numero ſunt phœnices, quando vno
mortuo alter ex mortui cineribus ſuſcitatur, & plures circuitus rotæ figuli, licet om-
nes ab eodem puncto inchoentur, & in eodem finiantur: eodemque modo plures
dies, anni & plura tempora. Sic ergo propheta licet vnam vocet domum, duas ta-
men apertè diſtinguit, vt reuera diſtinctæ erant, cum opponens ſecundam primæ
dicit, *quid vos videtis hanc nunc?* poſteriorem ſcilicet quam ædificatis, loco alte-
rius, quæ combuſta fuit à Chaldæis. Eodemque modo de illa ipſa numero agere
intendit, quā tunc ædificabat Zorobabel, non de alia reuera, quam poſt plura ſe-
cula ædificaturus erat Rex impius atque alienigena.

VIII. *Probatur ex intentione Prophet.*

Confirmatvr hæc expoſitio ex intentione Prophetæ populum conſolan-
tis. Alioqui quæ erat conſolatio mœrentibus propter vilitatem præſentis domus,
& quam tenuis excitatio ad ſtrenue promouendum præſens opus, dicere excitatum
iri domum aliam, quæ ſit præſtantior Salomonica: dicerent, differamus potius &
relinquamus in id tempus ædificationem; efficax vero eſt exhortatio cum dicitur

hæc *ipſa* domus veſtra nouiſſima, quæ videtur deſpicabilis, erit glorioſiſſima. Sicut homini pauperi vera conſolatio erit dicere eum fore aliquando diuitem, potius quam filium eius, cognatum vel fratrem. Mitto quod reuera deceptio eſſet, ſi populo intelligente de vna domo, iuxta verum, proprium, ac ſimplicem loquendi modum, Propheta, aut Deus ipſe de vna per æquiualentiam loqueretur.

IX. *Et communi patrum conſenſu.*

PRÆTEREA hoc templum nouiſſimum fore tantum glorioſum ex Meſſiæ præſentia, & mirabilibus eius operibus in eo perficiendis, antegreſſa Domini verba clamant, cum ait venturum Deſideratum cūctis gentibus, quæ alioqui fruſtra allata viderentur: itáque ſenſit ad hanc diem omnis antiquorum patrum ac doctorum chorus. De quibus conſule Villalpandum; ſufficiat nobis D. Auguſtinus [a] qui docet dedita opera Deum prouidiſſe vt multis cladibus Iudæi affligerentur poſt inſtauratum templum, vt promiſſam ab Aggæo gloriam in aduētu Deſiderati cunctis gentibus poſitam eſſe populus ille carnalis intelligeret, non in illa inſtauratione templi. D. etiam Hieron. in eum locum confitetur, ſe non putare eſſe aliquē qui exiſtimet hoc loco Aggæum de argento loqui. & auro, quod à diuitibus poſſidetur. Atq; adeo neque de glorioſa architectura Herodis. Illud enim Prophetę verbum, *implebo domum iſtam gloria*, ſignificat gloriam iſtam non pendere ex magnis & pretioſis lapidibus, ex altitudine aut amplitudine domus, aut artificio eius eximio & elaborato: imo nec ab incruſtatis auro argentoue parietibus, ſed à re aliqua extrinſeca, qua impleri & vacuari poſſit, Chriſto videlicet cœli terræque Domino, eiuſque Matre glorioſiſſima, totaque familia ſanctiſſima Apoſtolorum, quos Chriſtus ſtatuerat mundi lumina, & principes ſuper omnem terram. Aderat quidem, Deus olim iſti templo, eique ſe exhibebat præſentem, ſed Deus ſpiritus eſt, & ſpiritus non replent loca, ſed corpora.

a l. 18. de ci. c. 45.

X. *Non potuiſſe ab Herode glorioſius templum excitari.*

DICO tertio Templum Hieroſolymitanum magnificentius Salomonico, non potuiſſe ædificari ab Herode; primo quia ex conſenſu contra ſentientium, Salomonem ditiorem fuiſſe conſtat. Neque enim Herodes patrem habuit, qui in paupertate ſua pararet filio ad ædificandum templum auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum, æris & ferri pondus inæſtimabile, ligna & lapides ad vniuerſa impendia:[b] qui de peculio ſuo donaret tria millia auri de auro Ophir, & ſeptem millia talentorum argenti probatiſſimi. [c] Non habuit principes populi, qui darent in templi ſumptus auri talenta quinque millia, & ſolidos decem millia, argenti talenta decem millia, æris talenta decem & octo millia, ferri centum millia talentorum.

b 1. Paral. 22. 14.
c 1. Paral. 29. 3.

XI. *Salomonis diuitiæ præ Herodianis.*

NON habuit per ſingulos annos 666. auri talenta, excepto eo quod accipiebat à mercatoribus, & negotiatoribus, ab omnibus regibus Arabiæ, & principibus terrarum: [d] non exercuit poteſtatem ſuper cunctos reges, à flumine Euphrate, vſque ad terram Philiſtinorum, & vſque ad terminos Ægypti, nec præbuit tantam auri copiam in Hieruſalē quantā lapidum. [e] Non habuit naues, quæ afferrent ex aurifodinis aurum quotannis de Ophir; non alias denique innumeras immenſę potentiæ vias, de quibus Pineda & Villalp. plurima ſcripſerunt: vt vere dicatur impletum illud. [f] *Sed & hæc quæ non poſtulaſti dedi tibi, diuitias ſcilicet & gloriam, vt nemo fuerit ſimilis tui in regibus cunctis retro diebus.*

d 3. Reg. 10 14. 2. Paral. 9. 13.
e Ibid. v. 26 27. 3. Reg. 4. 21. 24.
f 3. Reg. 3. 13

XII. *Refellitur obiectio.*

RIBERA, reſpondet minus quidem attuliſſe per ſe Herodem ad templi magnificentiam, quam Salomonem, ſed adiutum reliquijs primi & 2. templi, potuiſſe facere magnificentius. Verum quæ fuerint primi templi reliquiæ facile intelligitur, ex variis ſcripturæ locis, quæ omnia incenſa, eruta, exportata in Babylonem oſtendunt, adeo vt neceſſe fuerit Zorobabeli noui templi noua iacere fundamenta. [g] Quod ad ſecundum templum attinet, Aggæus Propheta [h] fatetur ſecundum templum tantum ceſſiſſe primo, vt quaſi nihil eſſet. *Nunquid non ita eſt, quaſi non ſit in oculis veſtris?* Ergo recte dici poteſt illud cum omni Herodis incremento, non potuiſſe templum Salomonis exæquare. Imo ſi omnis Herodis apparatus æquaſſet Dauidis & Salomonis apparatum, qui tamen millies minor fuit, quamuis illi ſecundum templum adderetur, quaſi nihil additum fore. Non ergo potuit Herodes etiam his adiutus reliquiis, ædificare templum Salomonico magnificentius.

g 1. Eſd. 3. 6. 7. &c. & ca. 5. 16. &c. 6. 3.
h c. 2. 4.

XIII. *Non potuiſſe propter alios ſumptus.*

DEINDE quamuis daremus Herodem pari ſucceſſiſſe hæreditati, quam reliquerat Salomoni Dauid, paria vectigalia, munera, reditus; parem ſubditorum

& prouinciarum numerum, non potuiſſet templum par Salomonico ædificare, quoniam permulta alia opera eodem tempore ædificabat, quæ immenſos requirebant ſumptus; Nam conſtat ex l. 1. de Bello c. 16. cum ſub idem tempus arcem Antoniam inſtar regiorum palatiorum largis opibus renouaſſe. Quin etiam domo regia inquit, ſibi in ſuperiore parte ciuitatis exſtructa, duas ædes in ea maximas, atque pulcherrimas, quibus ne templum quidem vſquam conferri poſſet, ædificauit; ergo præter tẽplum, etiã tẽplo magnificentiores exſtruxit ædes, vt non iam vnum, ſed duo triáue templa Salomonica condidiſſe dicendus ſit. Sed addemus his longe maiora.

XIV. *Alij eiuſdem ſumptus inire debiles.*

NEQVE *enim ſolis tectis*, (inquit) *memoriam eorum & cognomina circumſcripſit, ſed in totas etiã ciuitates ſtudium liberalitatis extendit. Nam in Samaritica regione oppidum, muro pulcherrimo per 20. ſtadia circundatum, Sebaſten appellauit, deductis eo ſex millibus colonorum, terráque fœcundiſsima his attributa: vbi templum quoque maximum inter ædificia & circum id aream trium & ſemis ſtadiorum Cæſari dedicauit*, & mox. *Ob hæc alterius terræ* (Zenodori videlicet) *adiectione donatus à Cæſare, aliud ei templum circa Iordanis fontem candido marmore poſuit, qui locus appellatur Panium*, & paulò poſt. *Quin & apud Hiericunta, inter Caſtellum, Cyprum, & priores domo regias, meliores alias, & quæ commodiorem vſum præberent aduenientibus fabricatas, eorundem amicorum nominibus vocitauit. Prorſus non eſt idoneus regni locus, quem honore Cæſaris nudum reliquerit. Poſtea vero quam fines ſuos templis repleuit: in prouinciam quoque honores eius effudit, & in multis ciuitatibus templa, quæ Cæſaria vocantur, conſtituit.*

XV. *Opes Iudææ impares ſumptibus.*

QVÆ opes, non dicam reguli vnius, cuius annua tributa non reſponderent tributis, quæ Ægyptus vno menſe perſoluebat, vt alicubi teſtatur Agrippa Rex, ſed Auguſti ipſius, aut Conſtantini Magni, aut omnino Romani Imperii tam breui tempore pares tot ſumptibus eſſe poſſent? Aut quis tam religioſus eſt Ioſephi obſeruator, qui ambitioſiſſimam, & plane putidam cacozeliam iamdudum non ſentiat? Præſertim ſi addamus Cæſaræam, quam totam candido ſaxo reparatam, clariſſima regia decorauit, vbi liberalitate ac ſumptibus deuicta natura, Piræo maiorem portum fabricauit, & in eius penetralibus alias nauibus ſtationes altiſſimas fecit, vt ſuperius attigimus. 1

1. 2. a Ex l. 15. Ant. 11. 12.

His addi oportet [a] caſtellum conditum in magno campo, & in Galilæa Gabalam, & in Piræa Eſthmonitim, & Herodium 60. ab vrbe ſtadio, & theatrum atque amphitheatrum Ieroſolymitanum, vtrumque ſumptuoſo opere conſpicuum; cum magnis omnium athletarum præmiis, ferarum & gladiatorum ſpectaculis: quibus omnibus Romanæ opes, ex toto oriente atque occidente collectæ, pares eſſe vix poſſent. Adde quæ cõgerit author ipſe [b] de 30. circiter ciuitatibus aut populis, quibus fora, templa, balneas, aquæductus, periſtilia, lucos, portus, & porticus conſtruxit, ac condidit: donaria, agros, reditus annuos atque perpetuos aſſignauit. Plane quaſi illi aurum & argentum, in omnibus agris ac deſertis, pro ſpinis, atque vrticis naſcerentur.

b l. 1. c. 16. ibi. Tantis autem conſtructis ædificiis, &c.

XVI. *Iudæa & Ieruſalem iam dudum exhauſta bellis ac tributis.*

QVOD ſi etiam cauſas addamus, cur Herodem non magna in re fuiſſe oſtendamus, tanto certius conſtabit eum, tot aliis ſumptibus exhauſtum, templum Salomonico magnificentius excitare non potuiſſe. Nam vt taceam templum à Craſſo expilatum [c] totieſque vaſtatam à paucis annis prouinciam, & pluſquam decem millia talentorum, quæ breui tempore à Iudæis Romani exegerant, [d] certe Herodes Romæ regni titulum magnis ſumptibus emit, poſt iacturam ſarcinarum in tempeſtate factam [e] & cum primum regni poſſeſſionem adiit, immenſis ſumptibus vrbis vlteriorem direptionem redemit [f] cum eam iam Antigonus, vt Parthis ſatis faceret, mille talentis viduaſſet, [g] præter eos ſumptus, quos in ſtipendia exercitus, in quo militabant ſuper 30. hominum millia, faciebat; quibus etiam viritim donatiua exhibuit. [h]

c l. 14. c. 12. d Vt habetur l. 14. ant. c. 8. e c. 25 & 20. f l. 14. c. 28. g l. 14 c. 24. & 25. h l. 14. c. 27. & 28.

XVII. *Varijſque cladibus ac ſumptibus.*

DEINDE Cleopatræ rogatu, Antonius ei partem Iudææ abſtulit delicioſiſſimam atque fructuoſiſſimam, pro qua ducenta talenta annua Cleopatræ perſoluit ad annos aliquot. [i] Non ita multo poſt, magnam ab Arabibus [k] cladem, magnam à terræ motu ruinam, [l] maximam à ſiccitate, fame, peſtilentia [m] paſſus eſt, cum languentium multitudine obrutus, quidquid erat in regia ſuppellectilis tam aureæ quam argenteæ id totum concidit, nec laudatorum artificum parcẽs operibus, nec

i l. 15. c. 4. 5. & 8. k l. 15. c. 6. l l. 15. c. 7. m ca. 12.

Nabuchodonoſorem per annos quadringentos viginti quinque, vt diximus in primo deſolationis anno, ſolidiſſime tulerat; & rurſus templum Zorobabelis per quingentos & 18. [a] ab initio Olympiadis 61. ad medium Olymp. 190. ad 20. cubitos repente ſubſediſſe. Præſertim cum fundamenta eruta fuiſſe dicantur, vt ſolidiora iacerentur, & quæ maiorem multo molem ſuſtentare poſſent; quin etiam ſtructura ipſa, fundamentorum in primis, conſtaret firmiſſimis lapidibus, magnitudine 25. cubitorum in longum, octo in altum, latitudine vero cubitorum duodecim. Aut liberaliore etiam vanitate [b] quadragenum cubitorum magnitudine. Num petricoſus ille tumulus in ceram fuerat conuerſus?

a An. m. 3447. n. 5. & ſeqq.

b l. 6. bel. c. 6

XXIII. *Repugnare proportionem, & omnia.*

Deinde quæro, an ex æquo vbique fundamenta ſubſederint, an in vna aliqua parte: ſi ex æquo omnia, nonne ianuę & feneſtræ maxima ex partæ ſepultæ erant, vt in id templum nullus aditus pateret? Nulla eſſet altitudinis cum longitudine, latitudineque proportio: cum altitudine, tam notabili præſertim deceſſione diminuta, cætera proportio neceſſario corrumpatur: cumque interior altitudo, partis illius quæ dicitur ſancta, eſſet 25. cubitorum, vt ait Ioſephus ipſo [c] decedentibus 20. cubitis, quinque remanſerant, ad furnum non templũ. Sin autem in vna aliqua parte fundamenta ſubſederunt, qualis erant connexio eorum quæ ſteterant, cum cæteris quæ ſubſederant? aut quomodo quæ ſubſederant, etiam reliqua ingenti ruina non ſecum trahebant? quis hic non ſolum Ioſephi fidem, ſed etiam prudentiam non vehementer deſideret? atque adeo etiam eorum qui ſibi talia perſuaderi patiuntur?

c l. 6. Bel. c. 6

XXIV. *Alia in eodem templo abſurda. Gradus.*

Imprudenter quoque in ea parte, quæ Sancta dicebatur, hallucinatur, cum ait [d] exteriorem Sancti celſitudinem, quamuis quadraginta cubitis ſurgeret, interiorem tamen fuiſſe 25. cubitorum, quoniam 14. gradibus illuc aſcendebatur; ergo ſinguli gradus ſingulis cubitis, id eſt ſex palmis altiores erant, cum ne duo quidem palmi eis tribui ſoleant, ſed ſex fere ſeptemve digiti: ne nimium arduus, ac laborioſus ſit ſcalarum aſcenſus.

d l. 6. de Bello c. 6.

Porta.

Parum commode quoque illud de templo finxit, quodcum interiora templi 20. cubitis laxarentur, portam ipſe templo latiorem facit, quinque ſcilicet & 20. cubitorum. *Prima eius porta*, inquit, [e] *70. cubitis alta erat, & 25. lata, neque fores habebat*, & paulò poſt, *cum autẽ interior ædis pars contignatione interſepta eſſet, adiacens ei prima ædes*, quam veſtibulum Scriptura vocat [f] & porticum [g] *patebat in altitudinem perpetuam, perque 90. cubitos tollebatur, cum longa 40. cubitos eſſet, ac viginti tranſuerſa.* 2. Quomdo lata erat porta 25. cubitos, cum tota latitudo domus eſſet tantum 20. cubitorum? quomodo propylæum maius erat templo?

e l. 6. c. 6.

f 2. Par. 3. 17

g Ibid. v. 4.

2. χ^e.

XXV. *Porticus quoque vitioſa.*

Avt quomodo hæc porticus 50. vel 40. cubitorum habebat longitudinem, cum in templo Salomonis, quod Herodes repræſentare cupiebat, 20. tantum eſſet? Nam [h] ita legimus, *Porticum verò ante frontem, quæ tendebatur in longum, iuxta menſuram latitudinis domus, cubitorum viginti.* Vt ſcilicet interius id ſpacium quadratum eſſet. Repræſentare inquam cupiebat; cum enim vellet ſuum templum par eſſe altitudine alteri, ſi id idonea proportione conſtabat, oportebat eandem quoque eius longitudinem ac latitudinem deſignari, & vno mutato, reliqua quoque mutanda erant.

h 2. Paral. 3 4.

Dici poteſt, quod vidit Torniel. latitudinem portæ in anguſtum interius retroceſſiſſe, in craſſitudine muri ad 5. cubitos. Sed id præter decorum eſt, quod exigit vt ingreſſis portam, interior ædes latius diducatur.

XXVI. *Peccatur & circa tempus inchoati templi.*

Nec illud ſapienter, aut verè à Ioſepho dictum, & ſæpius inculcatum, templum hoc inchoatum poſt abſoluta prædicta præclara opera: prædixerat autẽ inter alia Cæſaræam, quæ non niſi poſt ſex ab hinc annos abſoluta fuit, vigeſimo ſcilicet octauo regni Herodis. [i] Imo etiam non niſi poſt decem. Nam hic annus non eſt niſi decimus nonus à morte Antigoni, aut etiam decimus quintus, ſi ſtare volumus ijs quæ ſcripta ſunt [k] li. 1. de Bello Iudaico. Quod autẽ ad abſolutionem huius templi attinet, vt ſuſceptam de eo diſputationem abſoluamus, idem Ioſephus [l] ſic ſcribit. *Herodes*, inquit, *interiora, à quibus profani lege arcebantur, non auſus ingredi, per ſacerdotes curabat fabricam intimam porticuum*, vel, vt in Græco eſt, porticus & interiores peribolos. Quid autem id ſibi velit non ſatis intelligo.

i Vt dicitur l. 16. c. 9.

k l. 1. c. 16

l l. 6. c. vlt.

Itemque abſoluti.

XXVII. *Geminus eius peribolus.*

Nam peribolus vnus erat, ambiens vniuerſum ædificium, omnibus patens & apertus; alius autem claudebat atrium Leuitarum, ipſumque templum circumquaque: quem miror Ioſephum fingere à ſacerdotibus, vna cum ipſo templo, ædificatum, quod eo ſcilicet prophanis ingredi fas non eſſet. Quonam ingredi prohibebatur Herodes? In templum ne quod nondum erat ædificatum? an potuit locus ſacer eſſe, & inacceſſus antequam eſſet? Nimia iſthæc apparet ignorantia, aut vere Iudaica ſuperſtitio. Pergit, Abſolutoque octo annis reliquo ædificio, tandem etiam templum ipſum, eorundem ſacerdotũ opera, ſeſqui anno perfecit. Significat interpres, quod vix quiſquã credat, totum reliquum ædificium abſolutum, antequam templum ipſum ædificaretur; à quo, vt ratio exigit, ductum videtur initium, vt norma eſſet reliquis omnibus ædificiis: cum præſertim ſatius eſſet ſumptus deficere, in quod metuebat à principio populus, in porticibus, aliiſq; adiectitijs partibus, quam in templo ipſo. Verum in Græco nullus habetur ordo temporis ſeruatus, & apparet, quod dixi, prius ad templum ipſum, quam ad cætera manum admotam fuiſſe.

Templum quanto tempore abſolutum.

XXVIII. *Lætitia & gratiarum actio opere perfecto.*

Addamvs nunc quod ſupereſt de finito opere. Quo facto, inquit, ingens gaudium exortum eſt in populo, omnibus gratias agentibus Deo, pro tam celeriter finito opere, & regi pro accurato tam alacriter negotio, fauſta comprecantibus, & inſtaurationem templi magna feſtiuitate concelebrantibus. Ibi rex trecentos boues Deo mactauit, & alij pro ſuis quiſque facultatibus tantum victimarum, quantum vix numero comprehendi poſſit, fallente veram æſtimationem earum multitudine. Incidit enim in hanc celebritatem abſolutæ templi fabricæ, etiam natalis regni, quem Herodes anniuerſaria hilaritate ſolitus eſt colere, vt hoc pacto publica lætitia conduplicaretur.

XXIX. *Reuera perfectum fuiſſe.*

Si quis non videt hoc loco templum Herodianum plane perfectum & abſolutum à Ioſepho dici, vt cenſuit Card. Baronius [a] parum omnino videt; Quorſum enim gratiarum actio, de tam cito perfecto opere, & feſtiua conſecrationis celebritas, ſi deerat adhuc quod vſque ad ſextum & quadrageſimum annum protraheretur? imo, ſi ſuperis placet, vſque ad ſeptuageſimũ? Adde quod nec l. 15. [b] neq; 20. [c] ſcribit Ioſephus vſq; ad Neronis tempora, Herodiani templi ædificationem perduraſſe, quod ſignificat Torniel. [d] dum nimis ſtudioſe obſcurat illuſtriſſimum Baronium, quin potius hoc poſteriore loco, antequam agatur de operariis templi ſtructuræ applicãdis, præmittitur. *Iam abſolutum erat templi ædificium, alteri tamen operi circa ipſum manus admouere volebant*, ſcilicet porticui Salomonis reparandæ.

[a] Anno Chriſti 31. n. 39.
[b] l. 15. c. 14.
[c] l. 20. c. 8.
[d] An. 4032 n. 5.

XXX. *Iterumque poſtea aliquid reparatum.*

Nam quod Ioſephus vno loco [e] ait Iudæos voluiſſe addere 20. cubitos tẽplo, qui deceſſerant, [f] alio voluiſſe renouare porticum Salomonis, plane diſparata ſunt, nec templi abſolutionem faciunt. Non enim ſi reparandi fuerunt viginti cubiti, poſt annos circiter 70. ideo dicendum eſt ad id tempus non fuiſſe abſolutum. Neque ſi vnam porticum populus tum reſtaurare voluit, ideo templum non fuit ab Herode abſolutum; ea enim porticus Herode regnante reſtauratione non indiguerat. Dicamus ergo cum omnium interpretum conſenſu, vt ait Baron. ſub annũ Chriſti 31. [g] id tempus 46. annorum ad Zorobabelis templum relatum fuiſſe, quod etiam tum ſtabat [h] exceptis quibuſdam adiectijs ornamentis, quæ Herodes, captandæ laudis cauſa addiderat. [i] Et de Herodiano templo hactenus, nunc Romana reuiſamus.

[e] l. 15. c. 14.
[f] l. 20. c. 8.
[g] 31. n. 18.
[h] Vide an. m. 3557. n. 6. & ſeqq.
[i] Antiq. l. 15. c. 12. fi. & 10 fi. c. 12.

XXXI. *Turba pro conſulatu.*

Cvm C. Sentius hoc anno conſul factus eſſet, vt ſcribit Dio [l] eiq; collega dandus eſſet, nam tum quoque reſeruatum ſibi conſulatum Auguſtus non accepit, iterũ ſeditiones ac cædes Romę contigerunt, adeo vt Senatus Sentio militum præſidium decreuerit, quo is cum vti nollet, legatos ad Auguſtum, binis quemque cum lictoribus miſerunt. Auguſtus vnum ex legatis Q. Lucretium 3. qui vnus ex proſcriptis fuerat, conſulem declarauit, ac ipſe Romam contendit. Alterum conſulem Saturninum egregie laudat Velleius, & cuilibet veterum conſulum gloriæ comparat, ſimulque abſentiæ Cæſaris ſuffragatur.

[l] Dio. l. 54.
3. N. XXXI.

XXXII. *Mors Virgily Maronis.*

His conſulibus abiit è viuis, gloria Romanæ poëſeos Virgilius Maro, vt habet in Euſebii Chronico Hieronymus, ad ſecundum annũ Olymp. 190. [m] in hæc verba Virgilius Brunduſij moritur, Sentio Saturnino & Lucretio Cinna Coſſ. Oſſa eius Neapolim tranſlata, in ſecundo ab vrbe milliario ſepeliuntur, titulo iſtius modi ſupraſcripto, quem moriens ipſe dictauerat.

[m] Quæ eſt V.C. 734.

Mantua me genuit, Calabri rapuere: tenet nunc
Parthenope; cecini paſcua, rura, duces.

Et quidem poëſi, qua nihil caſtius, elegantia, qua nihil pictius, ſermone latino, quo nihil purius atque incorruptius; cecinit artificio, quo nihil eruditius, maturitate, qua nihil grauius, decori obſeruatione, qua nihil ſapientius, denique tanta cum laude, nemo vt fuerit, futuruſve ſit omni poëtica laude cumulatior.

Avgvstvs cum Romam reuertiſſet, de multis honoribus oblatis id tantum accepit, vt Fortunæ reduci ara conſecraretur, & dies eius reditus inter ferias relati, Auguſtalia dicerentur tametſi noctu, vitandæ celebritatis cauſa, vrbem iniiſſet. Caſſiod. in Faſtis. His Coſſ. inquit, & nominarat C. Sentium & Q. Lucretium Cæſari ex prouinciis redeunti, currus cum aurea corona decretus eſt, quo aſcendere noluit. Vbi vide Cuſpinianum. De perpetua etiam conſulari poteſtate, cum faſcibus duodecim, aliiſq; id genus, Dionem conſule. Illud tamen non omitto, quod propter ſeditiones eo abſente ab ambientibus conſulatum excitatas, à Senatu in eius reditu decretum eſt, vt magiſter morum per quinque annos eſſet, & conſularem poteſtatem quandiu viueret haberet. Leges ferret quas vellet, quas Auguſtas vocaturos, & iureiurando ſeruaturos ſpondebant. Dio idem de re ab Agrippa geſta hæc habet. XXXII. *Mors Virgily Maronis.*

Agrippa qui prius ex Sicilia ad gubernandam vrbem miſſus fuerat, Galliis tum adminiſtrandis eſt præfectus. Tumultuabantur enim inuicem Galli, & à Germanis infeſtabantur. Iis motibus ſedatis in Hiſpaniam tranſiit. Nam Cantabri, qui in bello capti fuerant ac venditi, ſuis dominis interfectis, domum redierant, multiſque ad defectionis ſocietatem permotis, caſtellis quibuſdam occupatis, præſidia Romanorum adoriebantur. XXXIII. *Reditus Augusti, ingeſtaque priuilegia.*

Contra hos profectus Agrippa, poſt multam ſuorum cædem, (nam & Romanorum plerique inuiti pugnabant, & hoſtes ex conuictu Romanorum peritiores belli facti erant, & cum ſalutis deſperatione certabant) multoſque ignominia notatos, tandem victor, Cantabros, qui eſſent militari ætate, omnes prope deleuit, reliquos armis exuit, & ex montanis locis in campeſtres tranſtulit. De his tamen neque literas dedit ad Senatum, neque triumphum; Auguſti iuſſu ei decretum agere voluit. XXXIV. *Expeditio Agrippa in Galliam & Cantabros.*

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 4035.

1. N. xv. Vt fuſe eodem l. 1. de Bello c. 16. narratur, vbi tot fere hyperbolæ, ne dicam mendacia, quot verba. *Per viginti vlnas*, inquit, *in profundum ſaxa demiſit, quorum pleraque pedum quinquaginta longitudinis, altitudinis nouem, & latitudinis decem, nonnulla vero etiam maiora fuerant.* Quæ ars tantos lapides cædere, qui currus, quæ naues ferre potuerunt? pergit. *Expleto autem ſpacio, quod vnda celabat, in ducentos pedes murum dilatauit &c.* Addit turres maximas atque pulcherrimas, addit crebros fornices & coloſſos columnis fultos, addit domos portui connexas candido lapide contructas, & in colle contra oſtium portus, Cæſaris templum magnitudine ſimul & pulchritudine præcipuum, in eoque, inquit, Cæſaris coloſſus, non minor quã Iouis apud Olympiam, cuius ad exemplar factus eſt, Romano autem par, & Iunoni quæ Argis eſt. Et infra. Quin etiam & cætera opera, forum, theatrum, amphitheatrum, digna Cæſareo vocabulo collocauit, & quinquennali certamine inſtituto, nomen ei Cæſaris donauit.

In Græco eſt, μηκυνόμενοι δὲ ἐπὶ πεντήκοντα, καὶ διαβαίνων ἐπὶ εἴκοσι. In longum protenſa erat, hæc prima ædes, ad 50. cubitos, latitudinis autem traiectus erat circiter viginti. 2. N. xxiv.

In indice libri vocatur L. Caſſiodorus Q. vocat, ſicut & lapis Colotianus, quem ſequitur Sigon. in faſtis, & Onuphrius; ac deinceps Temporar. Gordon. Caluiſius, Mercator, alii. Iulius Frontinus Sp. vocat, & poſt eum Phrygio, & Functius, habetur in Græco Euſebij chronico. Horum conſulum meminit Euſeb. in chron. vbi de morte Virgilij, aut potius D. Hieron. addidit: nam à Græco abſunt. Recte autem conſules notauit, ſed Lucretium cognominat Cinnam, ſicut & Chronicum Græcum. 2. N. xxxi.

ANNVS MVNDI 4036. SEXTÆ ÆTATIS 521.

IMPERII ROMAN. 31. AVGVSTI 26. HERODIS, 20. ET 23. ÆTATIS 55. SIMONIS PONTIFICIS 7. PRÆSIDE SYRIÆ. N. N. OLYMP. CXC. 3. VRB. COND. 735. COSS. CN. CORNELIO LENTVLO, ET P. CORN. LENTVLO MARCELLINO ANN. IVL. 28. AVGG. 12. ACTIACÆ VICTORIÆ 14.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 17.

I. *Cæſar Agrippam ſibi ſupparem efficit.*

HOc anno Cæſar Agrippam ad Imperii pene ſocietatem prouexit. Cum enim eius opera plurimum in Rep. vteretur, inſidiaſque ipſe metueret, parumque præſidii in thorace, quem etiam cum in Senatum iret, ſub veſte geſtabat, eſſe arbitraretur, Agrippam quaſi alterum ſe ad expedienda negotia habere voluit. Ergo cum in aliud quinquennium ſuum ſibi principatum prorogauit, cum iam decenniũ eſſet in exitu, P. iam & Cn. Lẽtulis Coſſ. Sic Dio, cõſentaneè iis quæ ſcripſerat anno V.C. 626. eo VII. & Agrippa III. Coſſ. quando Auguſti nomen accepit, pergit. Deinde Agrippæ cum alia fere eadem quæ ſibi, tum tribunitiam poteſtatem itidem ad quinquennium dedit; tot enim ipſis annos tunc ſufficere dicebat. Huc reſpiciens Tacitus l. 3. ait Agrippam primum fuiſſe Auguſto ſocium, in honore tribuniciæ poteſtatis: & Velleius, qui ait amicitiam principis Agrippam vſque ad tertium conſulatum, & mox collegium tribuniciæ poteſtatis euexiſſe. Ac non multo poſt, ait Dio, pleraque Imperatoriæ potentiæ propria Cæſar accepit, & vt alterum decennium eius principatus duraret.

II. *Senatum ſemel iterumque legit.*

MVLTVM deinde in habendo ſenatorum delectu laborauit Auguſtus, multamque inuidiam, querelas atq; inſidias adijt cum Agrippa, quantumuis eas ſortitione vitare conati eſſent. Et cupiebat quidem Auguſtus trecentos tantum, ſecundum antiquam conſuetudinem retinere; bene cum Rep. agi ratus, ſi tot ex ijs ſenatu digni reperti eſſent. Veritus tamen offenſionum multitudinem, ſexcentos ſenatores delegit: in ijs vero Lepidus olim Triumuir ægre retentus eſt, Antiſtio Labeone (cuius arbitrio legendum Senatum Auguſtus permiſerat) id agente. Cui cum propterea periurium Auguſtus obiiceret (iurauerat quippe ſe, niſi Senatu dignum, admiſſum neminem) & ſupplicium minaretur. Reſpondit non viſum ſibi indignum Senatu virum, quem Auguſtus ipſe adhuc Põtificem eſſe pateretur. Sic ille cõmode iram Auguſti fregit. multa quoque alia Romæ è Rep. ordinauit, quæ pluribus apud Dionem reperies.

III. *Herodes Romam duos filios mittit.*

ARBITROR hoc anno Herodem filios ſuos Alexandrum & Ariſtobulum, quos ex Mariamna ſuſceperat, Romam ad Cæſarem, tum honoris atque officii cauſa miſiſſe, idque maturè poſt eius in vrbem reditum, qui magna ſolemnitate celebratus fuerat, vt diximus; tum etiam Romanarum diſciplinarum addiſcendarum. Miſſos enim ait Ioſephus, conſtructa iam Sebaſte, & interim dum Cæſarea ædificaretur. Hæc enim eſt vis eorum verborum. [a] *Cum in his eſſet*, quæ ſcilicet de Cæſarea narrauerat, *& iam Sebaſte condita eſſet.* At Gelenius ita vertit, quaſi Cæſaream quoque iam conſtructam diceret: ſic enim habet. *Hac iam altera vrbe poſt Sebaſtem condita, decreuit Romam mittere filios Alexandrum, & Ariſtobulum, vt ſalutarent Cæſarem.* Imo vt apud eum conuerſarentur, & bonis artibus erudirentur, vt ex dictis [b] cognoſci poteſt. Erat q. eis paratum hoſpitiũ apud Pollionẽ Herodis ſtudioſiſſimum licuit tamen etiam Cæſaris vti hoſpitio. Excepit enim adoleſcentes ſumma humanitate, fecitque Herodi poteſtatem, vt arbitratu ſuo è filiis quemcumque vellet hæredem regni deſignaret.

a l. 15. Ant. c. 13. Ἐπὶ τούτοις δὲ ὤν, καὶ τῆς Σεβαστῆς ἤδη πεπολισμένης,
b c. 1. l. 16.

ANNVS MVNDI 4037. SEXTÆ ÆTATIS 521. IMPERII ROMANI 32. AVGVSTI 27. HERODIS 21. & 24. Æt. 56. Simonis 8. Præside Syriæ n. Olymp. cxc. 4. Vrb. Cond. 736. Coss. C. Fvrnio, et C. Ivnio Silano. anno Ivlian. 29. Avgvstor. 13. Actia. victoriæ 15.

ANNVS ANTE CHRISTVM 16.

C. Furnio, & Iunio Coſſ. alterum filium ex Iulia Auguſti filia ſuſcepit Agrippa, cui Lucio datum eſt nomen, tanto aui gaudio, vt eum, fratremque eius Caium triennio grandiorem Auguſtus ſtatim adoptarit, & hæredes imperii fecerit, non expectato dũ virilẽ ætatẽ attingerent: Huius enim geminæ ſobolis incremento tutiorem ſe ab inſidiis fore cenſuit, vt ait Dio. Ad eamque diem honorandam feſtum quod Virtuti & Honori celebrabatur, in eam diem transtuliſſe idem ſignificat. Reperio autem celebratum 4. Cal. Iunias, ex quo conijcere licet Lucium eodem natum die. Quin & ſeculares ludos, quos hoc anno celebratos, & quidem ingenti apparatu Cenſorinus[a] teſtatur, Auguſti voluntate potius, quam ordine temporis id exigente, actos fuiſſe in lætitiæ argumentum, facile adducor vt credam. Quo etiam inclinant nos, quæ deinceps ab Auguſto in gratiam horum puerorum geſta ſunt, quæ ſuis referentur locis. I. *Ortus Lucij nepotis Auguſti.*

a c. 17. & Dio. l. 53.

Longe maioris cauſa lætitiæ fuit hic annus vniuerſo terrarum orbi, quo in ſpem minime fallacem, vt filij Iuliæ, genita eſt Regina, & hæres imperii orbis terrarum, quam retroacta omnia ſæcula expectarunt, expetierunt, figuris præmonſtrarunt, vaticiniiſque prædixerunt. Et conſulatui quidem Furnii & Silani beatiſſimam natiuitatem Auguſtiſſimæ Virginis Mariæ aſſignat Baron.[b] quoniam Chriſtum Dominum natum ſtatuit ſub conſulatu Lentuli & Meſſalini; nos qui vno anno tardius diuinam ponimus natiuitatem, exeunte hoc anno conceptionem matris eius integerrimæ, ſequenti autem natiuitatem eiuſdem, decimo quinto deinde anno partum ineffabilem aſſignabimus. Nullum habemus hac de re certius neque antiquius teſtimonium, eo quod ex Euodio Antiocheno Epiſcopo recitat Nicephorus[c] Nam in epiſtola quam vocauit lumen, inter alia ſic habet. *Trimula cum eſſet in templum præſentata, ibi in ſanctis ſanctorum traduxit annos vndecim, deinde vero ſacerdotum manibus Ioſepho ad cuſtodiam eſt tradita, apud quem cum menſes peregiſſet quatuor, ab Angelo lætum illud accipit nuncium; peperit autem huius mundi lucem annum agens decimum quintum, vigeſima quinta die menſis Decembris.* Hæc ibi: decimum quintum vtique non exactum, ſed currentem, vt vocant, & per quatuor menſes inchotum in Græco eſt; ἤ. ὑπάρχουσα &c. II. *Ortus Beatiſſ. Virginis.*

b In Appar. n. 48.

c l. 1. c. 3.

Cvm autem omnia quæ ad B. Virginis genus, & parentes pertinent, ſolidaque veritate ſubſiſtunt, illuſtriſſimus Baron. ſingulari diligentia ſcrutatus ſit, eruerit, & in publicam lucem protulerit, non eſt quod actum agamus: paululum nobis negotii reliquum eſt in iiſad annos ſuos reuocandis, & ſicubi fortaſſe opus fuerit, diiudicandis: quandoquidem hæc annorum digeſtio ad eius Spartam non pertinebat. Interea dabis nobis hanc veniam, amice lector, præſertim qui hanc incomparabilem Virginem debito cultu ac veneratione proſequeris, vt paululum ſub vmbra illius, quam iam tot annis atque ſeculis deſideraueram ſedeam, & nonnihil de illius dulcedine deguſtem, priuſquã tranſeam. Dabis tu quoque hanc mihi veniam Angele Dei, qui dux es & comes vtriuſque peregrinationis meæ: ecce Aurora eſt, demitte me paululum, vt conuertam oculos ad primum ortum ſurgentis Auroræ; ad primos iam radiantis ſtellæ matutinæ fulgores. III. *Genethliacon eius prius.* IV. *Cauſa Hilaritatis in hoc ortu primo B. Virginis.*

Ambvlavimvs iam tot annis per noctem infidelitatis vniuerſarum prope gentium, fuimus obſcuri & triſtes ſola ſub nocte per vmbras Iudaicarum obſerua-

tionum, quidni lætemur aliquantulum, albeſcente iam cœlo, Aurora conſurgente, præſertim cum eam laudent ſimul aſtra matutina, & iubilent omnes filij Dei? Ambulauimus, & laſſati ſumus in via iniquitatis; in hoc ergo iam quaſi primo gradu Throni Salomonis parumper acquieſcamus. Ambulauimus, & famem ſitimque paſſi ſumus, & ecce commodùm adeſt nobis Nauis inſtitoris de longe portans panē, quæ iam molitur iter ad nos, & ex alto ſpeculātibus apparet iam vela faciens ad portus noſtros. Ecce Puteum aquarum viuentium, qui aperitur nobis. Ambulauimus vias difficiles, & per tam fœtentes criminum ſordes, vulnera quoque fortaſſis accepimus, ecce Balſamum fragrantiſſimum, nunc primū ortum in ipſo iudaico ſolo, quod mitiſſimam afferat medicinam: ecce Cinnamomum & Balſamum aromatizans, & incipiens diffundere odorem ſuam. Nocturnos imbres paſſi, nocturnaque gora ingrediamur hunc Hortum concluſum, hunc Paradiſum voluptatis, & videamus hanc terram noſtram benedictam, quæ breui dabit fructum ſuum, & in eius propinqua ſpe reficiamur.

V. *Eadem cauſa lætitiæ.*

CONTEMPLEMVR hanc auream Domum, quam magnus Salomon incipit fabricari, & ingentem auri vim iacit in fundamentum, quia hæc erit palatium, atque hoſpitium magni principis. Lætemur cum vniuerſo mundo, quia aduentat atque adeo iam adeſt Regina mundi, iam venit Deſiderata cunctis gentibus, iam apparent primi radij cœleſtis arcus, qui imminentem & rorantem iam imbrem de cœlo nuncient. Venite omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte ab initio ſæculi, à diebus ęternitatis, ſi quam huic ſimilem vidiſtis in filiabus hominum, non eſt quæ comparetur ei, non eſt vſque ad vnam, quia ſupergreſſa eſt vniuerſas. Venite ergo & gratulemur ei, imo potius gratulemur nobis, quia nobis genita, nobis data eſt, qui benedicimus primum ortum eius.

VI. *Compellatio ad eandem.*

O infantula! ô tenella virguncula, ſi ſcires donum Dei, quod tibi paratum eſt, & quis eſt venturus eſt in te, & petet à te bibere dulciſſimum ac diuiniſſimum lac tuum! nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis, nondum agnoſcis diuitias illas tuas; Agnoſce tamen interea, & ſcito cætera dona Dei, quæ iam nunc dantur tibi, vt dignum filij Dei habitaculum effici merearis: donum immaculatæ conceptionis tuæ, quo pręuenta ipſa momento animati corporis tui, ſanctiſſima facta es, Deoque gratiſſima, ne puncto quidem temporis expers gratiæ & charitatis: donum accelerati vſus rationis tuæ, donum abundantiſſimæ ſanctificationis tuæ, donum fidei, ſpei, charitatis, cum cæteris ordinarijs Spiritus ſancti donis, cum tāta plenitudine, quantam nemo filiorum hominum, vnico excepto filio tuo, vnquam eſt conſecutus: donum gratiæ confirmatæ, & immutabilis perſeuerantiæ, quæ omnem vel uiſſimam labeculam in perpetuum excludat, & fomitē peccandi prorſus extinguat. Non potes adhuc illos tuos miſericordes oculos ad nos conuertere, cor tamen & animum potes, & hoc nunc ſatis eſt nobis: conuertes tamen etiam oculos aliquanto poſt, cum nata iam in matre, naſceris in mundo, cum iterum compellabimus, & ſalutabimus te, & implorabimus ſalutare auxilium tuum.

Dei dona in eam nūc collata.

VII. *Non ſine miraculo concepta.*

CONCEPTA eſt ergo hos anno Virgo beatiſſima, ex Ioachimo patre & Anna matre, parentibus genere & virtute nobilibus, via quidem communi, non tamen ſine aliquo miraculo, & ſupernaturali virtute conceptio perfecta eſt, vt diſputat noſter Suares.[a] Referūt enim ſancti patres, quos ille fuſe recenſet, beatam Annam fuiſſe ſterilem, & vitam ſine prole vſque ad ſenectutem produxiſſe, & orationibus conceptionem Virginis impetraſſe; *vt ad ſummum miraculum*, vt ait D. Damaſcen.[b] *via per miracula ſterneretur.*

Prænunciata parentibus.

Quin & prænunciatam parentibus conceptionem, nomenque ipſum Mariæ, non ſolum veriſimile facit priuilegium: Iſaaco & Samſoni, Samueli & Ioanni Baptiſtæ conceſſum: eaque ratio communis, quod non ſit negandum Matri Dei vllum priuilegium, cuius illa fuerit capax, quod alicui ſeruorum Dei fateamur eſſe conceſſum,

VIII. *Confirmatio ex patribus.*

SED autoritas etiam ſanctorum patrum: Epiphanius[c] enim, *Deſinat tandem*, inquit, *infelicium ille hominum error. Neque enim Maria Deus eſt, neque de cœlo corpus accepit, ſed ab viro ac muliere genita, tametſi ex promiſsione vt olim Iſaacus.* Et iterum hæreſi 79. *Nam ſi ne Angelos quidem*, inquit, *adorari permittit, quanto minus id Annæ filiæ tribui conceſſerit, quam illi è Ioachimo Dei bonitas indulſit, quam precibus, omnique*

[a] t. 2. in tert p. diſp. 2. ſect. 1.

[b] Orat. 1. de Nat.

[c] Hæreſ. 78.

animi ſtudio, ac contentione parens vterque promeruit. Et paulo poſt, *Quamuis autem ex Mariæ hiſtoria, ac traditione illud habetur, Ioacimo eius patri diuinitus hoc in deſerto nunciatum fuiſſe: Vxor tua concepit; non ita tamen accipiendum eſt, quaſi hoc citra nuptialem conſociationem ac virilem ſatum acciderit. Verum quod futurum erat, miſſus à Deo ſignificauit Angelus, ne qua dubitatio foret propter illud, quod reuera in lucem editum, & à Deo conſtitutũ, ac iuſto viro natũ fuerat.* Breuius & clarius S. Dama.[a] Ioachim, inquit lectiſſimã illã ac ſummis laudibus dignam meliorem Annam matrimonio ſibi copulauit. Verũ quidem priſca illa Anna, cũ ſterilitatis morbo laboraret, per orationem ac promiſſionẽ Samuelem procreauit; eodem modo hæc etiam, per obſecrationem & promiſſionẽ Dei genetricem à Deo accepit, vt ne hic quoque cuiquã ex illuſtribus matronis cederet. Et Gregor. Niſſ. de Nat. Chriſti. Imitata & hæc (Anna) quod de matre Samuelis ſcriptum eſt, ad ſanctum ſanctorum accedit, & ſupplex Deum orat, ne ſe legis benedictione ſinat excedere, cum nihil vnquam admiſerit cõtra legem. Quod ſi mater euaſerit, ſe quodcunque pepererit ei dedicaturam &c. Sed de his iam ſatis.

a l. 4. c. 15.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 4037.

Epiph. hæreſi 78. Damaſcenus, & alij paſſim, qui etiam volunt eundem Ioachim, cum Eliakim (quo modo idem filius Ioſiæ 4. Reg. 23. 34. dicitur Eliacim, in 2. autem Para. 36. v. 4. appellatur Ioakim. Verum hoc ipſo loco oſtenditur Ioacim & Eliacim diuerſa eſſe nomina, quando vnum in alterum commutatur) Eliacim autẽ per ſyncopem dici Eli. qui memoratur in genealogia, quæ eſt apud Lucam 3. 24. quaſi auus Chriſti, non autem pater Ioſephi, qua de re fuſe Suarez diſpu. 2. ſect. 3. concluſ. 3.

t. N. VII.

ANNVS MVNDI 4038. SEXTÆ ÆTATIS 523.

BEATISS. VIRG. I. IMPERII ROM. 33. AVGVSTI 28. HERODIS, 22. & 25. ÆT. 57. SIMON. PONTIF. 9. PRÆSID. SYR. M. AGRIPP. OLYMPIAD. CXCI. AN. 1. VRB. COND. 737. COSS. L. DOMITIO ÆNOBARBO, P. CORNEL. SCIP. AN. IVL. 30. AVGVST. 14. ACTIAC. VICT. 16.

ANNVS ANTE CHRISTVM 15.

I. *Beatiſ. Virgo naſcitur in Nazareis.*

HIS Coſſ. 8. Septemb. nono à Conceptione menſe, nata eſt Beatiſſima Chriſti mater. Cum enim Euodius apud Nicephorũ,[b] vti proximo anno dicebamus, dicat de ea, *Peperit autem huius mundi lucem annum agens quintumdecimum*, vigeſima quinta die Decembris; oportet eam hoc anno natam, peperiſſe autem agentem 15. annum, per tres menſes, & 17. dies inchoatum. Natam vero fuiſſe in Nazareth pago Galilææ, quod eã ibi habitaſſe cum Ioachimo clarum eſt, vbi Annam nupſiſſe teſtatur Hippolytus apud Nicephorum. Antiquus tamen Rabbinus apud Galatinum[c] in Bethlehem Iudææ natam affirmat.

b l. 2. c. 3.

c l. 7. c. 12.

II. *Genethliacum poſterius.*

Nos autem qui Orientem Auroram ſalutauimus, ſalutemus exortam, & vicinum Solis ortum annunciantem. Mundus erat in nocturnis tenebris vitiorum & ignorantiæ. Et apparuerant quidem iam prioribus ſeculis aliqui ſancti, & bona pars eorum, qui huic Virgini affinitate coniuncti erant, ſancti erant, ſed ſtellæ erant lucentes in firmamento, nox nihilominus intempeſta, & profunda erat, propter remotum Solem, quem illæ à longe videbant. Sed tandem conſurrexit Aurora vicinior ſoli, & plus luminis mundo afferens, quam ſtellæ omnes: Vir-

go quippe ſanctior vniuerſis. Sequitur exortum ſtellarum Aurora, nec ab eis accipit decorem ſuum; ſed à vicino ſole. Imo Aurora nihil aliud eſt, quam præuia lux Solis. Secuta eſt Maria reges, Patriarchas, & Prophetas progenitores, ſtellas vtique illuſtres, quæ fulgebunt in perpetuas æternitates: Nec tamen ab eis accepit excellentiam & dignitatem ſuam; ſed à Sole, Virginis enim dignitas ſingularis eſt, eſſe Matrem Dei, ex qua omnia dona ac priuilegia effloreſcunt. Qui matrem Dei dixit, omnia dixit. Itaque S. Matthæus pro omni eius laude dixit, *virum Mariæ de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.*

III. *Auorum, & parentũ lætitia.* Nonne exultarunt ſancti progenitores eius Abraham, & Dauid, & alii ſancti, vt diem iſtum viderent? viderunt vtique ſicut exortum ſolis, neque enim Sol, niſi Aurora præcurrente, exoritur, viderunt & gauiſi ſunt: Sed proximi progenitores in primis, ſiue propter promiſſionem Angelicam ſibi factam, de excellentia huius puellæ, quam quidam iam olim non abſurde tradidere; vt eam iam tum non ſolum vehementer amare, ſed etiam reuereri animo inciperent; tanquam puellam, in qua Deus mirabilia magna facturus erat, ſiue propter ſpecialem ſenſum, & ſpiritualem conſolationem, quam eis Deus tunc infundebat, compenſationem deſolationis, quam intulerat ſterilitas diuturna. Iuxta illud: [a] *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* a Pſa. 93. 19.

IV. *Anna repleta creditur Spiritu ſancto.* Nominatim autem Anna, quæ haud dubiè repleta eſt SS. non minus quam S. Elizabeth; tulerat quippe ſanctiorem, & à primo conceptu, non à ſexto menſe Sanctam: ſiue etiã propter ſpeciem, viſu vehementer amabilem, & diuinum quiddam iam ſpirantem; vt hic quoque dicere liceret: *Vidi ſpecioſam quaſi columbam aſcendentem deſuper riuos aquarum, cuius ineſtimabilis odor erat nimis in veſtimentis eius. Et ſicut dies verni circumdabant eam flores roſarum, & lilia conuallium.*

Et de his ſatis, nam multas huius celebritatis laudes congeſtas reperies, apud P. Caniſ. l. 1. Marialis c. 11. Nec erant neceſſaria illa ipſa quæ diximus feſtinanti lectori; ſed veniam dabit verecundanti in tanta illius ſolennitate elinguem eſſe, cui ſecundum Deum omnia accepta referimus.

V. *Auguſtus cur Gall ã nunc adierit.* Avgvstvs his Coſſ. in Galliam profectus eſt, authore Dione l. 54. prætendens bellicos eius prouinciæ motus; cum reuera ægreferret, dum in vrbe eſſet, ſe vel multos offendere, quos delinquentes puniret, vel ſuas ipſum leges antiquare. Itaque Solonis exemplo peregre abire decreuit. Volebat quoque cum Mæcenatis vxore Terentia ſine obtrectatoribus viuere, propter quam iam Mœcenas minus gratus erat. Ante diſceſſum autem Quirini templum recens ædificatum dedicauit, in quo ſex, & ſeptuaginta columnas excitauit, quot deinde quaſi diuinans viuendo expleuit annos, deinde Vrbis & Italiæ gubernatione Statilio Tauro impoſita: Nã Agrippam rurſus in Syriam mittebat, Mæcenatẽ minus amabat, Tiberiũ quanuis Prætorem ſecum abducebat, Druſo in eius locum ex SC. ſuffecto. Cum autem Auguſto ex vrbe profecto multa prodigia contigiſſent, vota pro eius reditu concepta ſunt, & Auguſti principatus quinquennalia ludis celebrata, ſumptus faciente Agrippa, vt qui eſſet in XV. virorũ collegium cooptatus. Bellicos porro motus, qui variis in locis hoc tempore contigerunt, paucis perſtringit Dio, in quibus nihil eſt ſingulare.

VI. *Agrippa ab Herode in Syria magnifice excipitur.* Interea Agrippa peruenit in Aſiam, ad quem Herodes adiit, eumque duxit in Iudæam, & ſumma cum beneuolentiæ ſignificatione tractauit; quippe quem ſciret ſecundum Cæſarem poſſe omnia. Rem Ioſephus, [b] narrat his verbis: Poſt hæc audito quod M. Agrippa, ex Italia rediiſſet in Aſiam profectus illo inuitauit in regnum ſuum; quo impetrato, nihil prætermiſit quod illi voluptatem afferre poſſe crederet, excipiens eum in recens conditis vrbibus, & oſtendens ædificia. Ad hæc omne genus deliciarum & magnificentiæ tam ipſi, quam amicis exhibens, apud Sebaſtem, & Cæſarienſem portum, & in extructis à ſe arcibus Alexandrio, Herodio, Hircania. Hieroſolymam quoque eum perduxit, occurrentibus populariter omnibus, amictu & cultu feſtiuo, cum fauſtis acclamationibus. Agrippa autem, Deo hecatombe immolata, epulum populo præbuit: Et quamuis libenter ibi diutius fuiſſet commoratus, appetente tamen hyeme tempeſtatum metu, maturius atnauigauit in Ioniam, vna cum amicis multis muneribus honoratus. Hæc Ioſephus. b l. 16. c. 2.

VII. *Ioſephus ordinē narrando perturbat.*

Recte autem hic notat Torniel. Ioſephi ordinem in narrando præpoſterum, qui reuocatos ex Italia filios prius dicat, atque adeo matrimonio iunctos, quam Agrippa rediret in Aſiam. Non enim Herodes Cæſarem Romæ ſalutaſſet, quippe qui aberat, neque liberos ſuos ab eo recepiſſet, quod ipſe affirmat; [a] aut certe vix vnum annum Romæ ſubſtitiſſent, cum idem Ioſephus dicat, illos ibi iam ſatis inſtructos fuiſſe liberalibus diſciplinis: quæ res ſatis diuturnum tempus requirit. Profectionem ergo Herodis in Italiam, in reditum Cæſaris in vrbem differemus, qui cadit in V.C. an. 740. vt ex Dione conſtat. [b] Scribit item Ioſephus Herodem, cum nauigaret in Italiam, offendiſſe apud Elidenſes Olympica certamina, ſcilicet initium Olymp. 191. Huius autem initio memoratur in ſtadio victor Diodotus Tyanenſis Cappadox.

a l. 16. c. 1.

b l. 1. bel. c. 16.

ANNVS MVNDI 4039. SEXTAE AETATIS 524.

BEATIS. VIRG. 2. IMPER. ROM. 34. AVGVS. 29. HEROD. 23. & 26. ÆT. 58. Simon. Pont. 10. Præsid. Syr. M. Agripp. Olymp. CXCXI. A. 2. Vrb. Cond. 738. Coss. M. Livio Drvso Libone, et L. Calpvrnio Pisone, an. Ivl. 31. Avgg. 15. Act. victoriae 17.

ANNVS ANTE CHRISTVM 14.

I. *Herodes Agrippā adit cumque comitatur.*

HABET hic annus in primis res à M. Agrippa in Aſia geſtas, Herode honoris cauſa eum comitante, à Ioſepho [c] narratas, quarum hæc ſumma eſt.

c l. 16. c. 3. 4.

Herodes exacta domi hyeme, inſtante vere rurſum ad Agrippam properauit, audito quod cum exercitu Boſphorum peteret, factaque præter Rhodum & Coum nauigatione, Leſbum petit, ratus ſe eum ibi inuenturum; ſed repulſus aduerſis Boreæ flatibus, aliquot diebus apud Chium hæſit, vbi & priuatim multos ſalutatum venientes regiis honorauit muneribus, & in reſtaurandam Vrbis illius magnificam porticum tantum pecuniarum contulit, quantum abunde ſufficeret. Mutato deinde vento, primum Mitylenem, deinde Byzantium allatus, vt audiuit Agrippam iam vltra Cyaneos ſcopulos prouectum (inſulas duas Cyaneas collocat Ptolem. ad Boſphorum Tracium, ſub ingreſſum Euxini ponti, ad Orientem) quanta potuit contentione ſecutus, apud Sinopem Ponticam Vrbem eum offendit, ibique maxima exceptus beneuolentia, indiuiſus ei hærebat laborum ſocius, & conſiliorum particeps. Confectis deinde Ponticis negotiis, quorum cauſa Agrippa venerat, placuit non reuerti nauigio.

II. *Res ab Agrippa in Ponto geſta*

Qværat fortaſſe lector, antequam progrediamur vlterius, quænam eſſent Pontica iſta negotia; ea tangit Euſeb. in Chron. Boſphorum inquit Agrippa capit. Dio explicat l. 54. ſed refert ad ſequentis anni Conſules, nimirum, vt apparet, narratione dilata, ad id tempus, quo re bene geſta Romæ nunciata, eius nomine ſupplicatio decreta eſt, & triumphus. Quem tamen ille non geſſit, quod ſæpe etiam factum à Dione in præcedentibus libris, tempore præſertim bellorum ciuilium obſeruatum eſt: & alioqui non videtur credibile hoc iam altero anno aduentus Agrippæ in Aſiam, otioſum illum fuiſſe. Scribonius quidam, inquit, Mithridatis ſe nepotem eſſe perhibebat, regnumque Ponti ſibi ab Auguſto traditum, quandoquidem Aſander diem ſuum clauſerat, aſſerebat; Itaque Dynamin Aſandri coniugem, filiam Pharnacis, Mithridatis neptem, cui regnũ à marito relictum fuerat, in

Scribonius & Aſander.

matrimonium duxit, ac Cimmerij Boſphori regnum occupauit. Agrippa re audita Polemonem Ponti Cappadocii regem miſit, qui eum bello inuaderet; At is Scribonium ſuperſtitem non inuenit. Fraude enim eius cognita, Boſphorani hominem iam ſuſtulerant: reſiſtentes autem Boſphoranos, quod metuebant ne eum Regem haberent, prælio vicit, neque tamen eos ſubegit. Cum vero Agrippa contra ipſos exercitum adducens, Sinopem perueniſſet, armis demum poſitis Polemoni traditi ſunt, coniuxque Dynamis eidem data, Auguſto id probante. Hæc Dio eodem loco.

III. *Agrippa cum Herode Epheſum adit, & Samum.*

His ergo negotiis confectis per Paphlagoniam, Cappadociam, & maiorem Phrygiã terreſtri itinere Agrippa, cum Herode Epheſum peruenere, vt ait Ioſeph.[a] Vereor tamen ne pro Cappadocia, Galatia ſcribenda ſit; hæc enim in ipſo recto itinere, quo Sinope itur Epheſum, poſita eſt, Cappadocia vero ad Orientem relinquitur, in Syriaco itinere, ſi quid Ptolemæi tabulis credimus: rurſumque ex Epheſo nauibus Samum traiecerunt. Toto autem itinere fere per ſingulas ciuitates in multis Herodi gratificatus eſt Agrippa, ad eiuſque preces multorum neceſſitatibus ſubuenit; præcipue autem Iudæorum Ionicorum, qui interueniente Herode, in Leſbo inſula[b] queſti ſunt de indigenarũ iniurijs, quod nec legibus ſuis eos viuere ſinerent, & feſtis diebus traherent ad tribunalia, & ſacram pecuniam Hieroſolyma mittere vetarent, & oneribus grauarent contra conceſſa per Romanos priuilegia.

Lesbii Iudæi afflicti.

IV. *Propitium habent Agrippam.*

Qvibvs reſpondit Agrippa, ſe & propter Herodem amicum illis gratificari paratũ, & quia æquum poſtulare videantur: Velléq; vt quæ prius illis conceſſa erant priuilegia rata manerent, neque ipſis quenquam moleſtum eſſe, iuxta patria inſtituta viuentibus. Tum Herodes aſſurgens ei gratias egit omnium nomine, deinde poſt mutuos complexus vale dicto à Leſbo digreſſi ſunt.

Herodes Iudæam repetit.

Rex autem paucis poſt diebus ſecunda nauigatione vſus Cæſaræam appulit, & inde Hieroſolyma petiit, ibi aduocata populi cõcione, rationem eis ſuæ peregrinationis expoſuit, & impetratam immunitatem Iudæis per Aſiam degentibus. Deinde quo magis eos exhilararet, ſibique beneuolos redderet, profeſſus eſt quartam tributorum partem ſe remittere: qua illi munificentia deliniti, omnia fauſta regi comprecati, cum maxima lætitia diſceſſerunt. Hæc Ioſephus.[c]

V. *Licinnius Auguſti Præfectus. Gallos vexat.*

Dio autem narrat tam his quã præcedentibus Coſſ. neq; enim ſatis diſtinguit Germanos aduentu Auguſti territos, in ſuam terrã regreſſos, datis obſidibus pacem impetraſſe, & Cæſarẽ res Germaniæ, Galliæque compoſuiſſe. Galliæ præſertim vbi Licinnius quidam indigenas inſigni rapacitate expilarat, & inter alia annum in 14 menſes diuiſerat, vt pro duodenis tributis quaterdena reciperet, addens ad Decembrem, quaſi decimum menſem, alios menſes duos quos appellabat Auguſtos. Cum has accuſationes ægre ferret Auguſtus, & tum Gallorum miſereretur, tum Præfecti ſui eum puderet, Licinnius artificio vſus, eos omnes inſigniter irriſit, & Auguſti auaritiam inſignem demonſtrauit. Auguſtum enim cui ſe pœnas daturum minime dubitabat, in ſuas ædes adducit, eique congeſtos theſauros demonſtrat; tum, hæc, inquit, Domine, data opera tibi ac Romanis collegi, ne Galli tanta vi pecuniæ inſtructi deficerent, itaque omnia & conſeruaui tibi, & nunc trado. Ita Licinnius, quaſi vires Gallorum, in Auguſti gratiam eneruaſſet, diſcrimen euaſit. Et crimen in Auguſtum, cum pecunia tranſtulit.

Prædam recipit Auguſtus.

VI. *Res geſta in Rhætia.*

Interea Tiberius & Druſus in Rhætia, quæ inter Noricum & Galliam ad Alpes Tridentinas ſita eſt, rem bene geſſerunt. Meminit etiam Oroſ.[d] vbi multa congerit bella, diuerſis locis, & temporibus ſub Auguſto geſta.

Crudelis gula Vedii Pollionis.

Sed addamus vice verſa alterum Auguſti factum memorabile, quod ab eodem Dione hoc anno narratur, quo anno mortuus eſt Vedius quidam Pollio, quem factum id attingit. Erat is libertino genere Romanus eques, diuitiis potens, & ſæuitia inſignis, vt qui muræenas in piſcinis haberet, quas humanis carnibus enutriret; mancipia quippe, quæ morti addixiſſet, eis obiiciebat. Is cum aliquando Auguſtum conuiuio excepiſſet, & calicem cryſtallinum miniſter poculorum fregiſſet, muræenis eum, ne conuiuæ quidem pudore motus, proiici iuſſit. At is ad Auguſti pedes prouolutus, veniam & vitam ſupplex precabatur; quam cum ne interueniente quidem Auguſto, impetraret, omnia eiuſdem generis vaſa, quaſi ad vtendam conferri iuſſit, & prolata confringi, ſed vnum quoq; defuit, quod non etiam

[a] l. 16. c. 3.
[b] vt patet ex ſi. c. 4.
[c] vſque ad c. 6. l. 16.
[d] l. 6. c. 21.

tam crudelem herum ad Muranas proiici iuſſit. Eodem tempore Auguſtus multas in Galliam & Hiſpaniam colonias deduxit, Cyzicenis libertatem reſtituit, Paphiis terræ motu afflictis pecunias largitus eſt, ac permiſit vt ex S.C. vrbem ſuam Auguſtam nominarent.

Incendivm Romæ. Lentvli avaritia. *Paphus Auguſta. Ortus Germanici.*

Natus eſt hoc anno Germanicus Cæſar à Tiberio Auguſti iuſſu adoptatus, Caligulæ pater. Nam 4. & 30. annos natus, vt ait Tranquillus, mortuus eſt, ann. V.C. 772. Vide Sueton. init. l. 4.

ANNVS MVNDI 4040. SEXTAE AETATIS 525. BEATIS. VIRG. 3. IMPER. ROM. 35. AVGVS. 30. HEROD. 24. & 27. ÆT. 59. SIMON. PONT. 11. PRÆSID. SYR. M. AGRIPPA OLYMP. CXCI. A. 3. VRB. COND. 739. COSS. M. LICINIO CRASSO, ET CN. CORNELIO LENTVLO, AN. IVL. 32. AVGG. 16. ACT. VICTORIAE 18.

ANNVS ANTE CHRISTVM 13.

I. *Incendiũ Romæ.*

BEATISSIMÆ Virginis inchoatos tantum numeramus annos, itaque eius deuotiſſimam Præſentationem, ne ante ſequentem annum expectato.

Vrgebat interea Herodes, cum alia ædificia, tum Cæſaræam, & templum, iuxta diſtributionem temporis ſuo loco conſtitutam. Dio porro ſcribit hoc anno, Craſſo & Lentulo conſulibus, Æmylij Pauli porticum Romæ incendio abſumptam eſſe, ignemque ab ea ad Veſtæ vſque graſſatum, ita vt ſacra à reliquis Veſtalibus, nam ſumma ſacerdos excæcata fuerat, in Palatium ſint deportata, & in domo flaminis dialis poſita; quæ poſtea porticus ab Auguſto, & Pauli Æmylii amicis refecta eſt. Hoc anno memorat Dio res in Ponto ab Agrippa geſtas, quo illi honores ſupplicationum, & triumphi decreti ſunt, vt præcedenti anno diximus, quos ille non admiſit, atque adeo, vt idem teſtatur, exemplo fuit cæteris ſui ſimilibus, omiſſo triumpho, ſolis triumphalibus honoribus eſſe contentos.

Veſtalium periculum. *Honores Agrippæ.*

II. *Lentuli Auguris diuitiæ & auaritia.*

a l. 2. de benef. c. 27.

HVNC Cornelium Lentulum Cuſpin. Augurem cognominat, ſicut & Græcum Euſeb. Chronicon. De quo Seneca.[a] Cn. Lentulus Augur diuitiarum maximum exemplum, antequam illum libertini pauperem facerent; hic quater millies ſeſtertium ſuum vidit, proprie dixi, nihil enim amplius quam vidit, (eam ſummam Cenalis æſtimat viginti milionibus librarum Turon. Significat autem non vſum fuiſſe, quod eſſet auariſſimus; ſed miſer ſeruauit Tiberio Cæſari, de quo Suet. c. 49. Sat conſtat Cn. Lentulum Augurem, cui cenſus maximus fuerit, metu & angore ad faſtidium vitæ ab eo actum, & vt ne quo, niſi ipſo hærede moreretur. Pergit autem Seneca;) Ingenii fuit tam ſterilis quam puſilli. Cum enim eſſet auariſſimus, nummos citius emittebat quam verba, tanta illi inopia erat ſermonis. Hic cum omnia incrementa ſua D. Auguſto deberet, ad quem attulerat paupertatem, ſub onere nobilitatis laborantem, princeps iam ciuitatis & pecunia & gratia, ſubinde Auguſto ſolebat queri, dicens à ſtudiis ſe abductum, nihil tantum in ſe congeſtum eſſe, quantum perdidiſſet, relicta eloquentia; (tanti faciebat homo infantiſſimus ſuam eloquentiam, imo nullam aut ridiculam, ideoque ſubdit,) At illi inter alia hoc quoque D. Auguſtus præſtiterat, quod illum deriſu, ac labore irrito liberauerat.

Et infantia

ANNVS MVNDI 4041. SEXTÆ ÆTATIS 526. BEATISS. VIRG. IV. IMPER. ROM. 36. AVGVSTI 31. HERODIS, 25. & 28. ÆT. 60. SIMON. PONTIF. 12. PRÆSID. SYR. M. AGRIPP. OLYMPIAD. CXCI. AN. 4. VRB. COND. 740. COSS. TIB. CLAVD. NERONE, ET P. QVINTILIO VARO. ANN. IVL. 33. AVGVST. 17. ACTIAC. VICT. 19.

ANNVS ANTE CHRISTVM 12.

I. *Beatiſſ. virgo ex voto parentum offertur Deo.*

EXPLETO triennio Beatiſſima Virgo Hieroſolymam à parentibus deducta, illicque Deo oblata ex ipſorum voto, vitam deinceps in templo, vſque ad ſponſalia traduxit. Nam Euodius Apoſtolorum ſucceſſor in Epiſtola, quam lumen inſcripſit, [a] *Trimula*, inquit, *cum eſſet, in templum eſt præſentata, & ibi in ſanctis ſanctorum traduxit annos vndecim.* Sic Euodius, de parentum autem voto ſupra teſtes adduximus D. Gregor. Niſſ. & D. Io. Damaſc. quibus addi poſſunt multi poſteriores, in quibus Nicephor. [b] qui vtriuſque veſtigiis inſiſtens, inter alia hæc habet, de Anna loquens; *Exemplo matris Samuelis ipſa quoque fit ſupplex Deo, orans vt ei matri eſſe liceret, ac quod paritura eſſet, ipſi Deo dicaturam ſe eſſe vouens. Sed enim diuino nutu ad eam quam petierat gratiam Annæ confirmata atque roborata* (voti rea facta eſt.)

Ex Niceph.

[a] Apud Niceph. l. 2. c. 3
[b] l. 1. c. 7.

II. *Ratio temporis.*

POSTQVAM *puella ex maternis prodijt locis, Mariam eam ſtatim nominauit, ænigmate latenter à Deo acceptam gratiam declarans. Vt vero infans à lacte materno iam abhorruit, promiſſionem mater adimplet, & in templum aſcendens, iuxta votum eam Deo conſecrat, tertium iam tum ætatis agentem annum.* (Completum ſcilicet, completur autem octauo Septemb. anni præſentis, factaque eſt iſta oblatio 11. cal. Decembris, quo die quotannis ab Eccleſia catholica celebratur, quæ dicitur Præſentatio Mariæ Virg. pergit autem Niceph.) *Et ſacerdotes quidem, tum eam tanquam ſanctius donarium ſuſcepere, & puellam in ſacrario fouendam eſſe duxere, ad antiqui illius Samuelis ſimilitudinem.* Itaque *illa vt res diuina, intacta, & ſacroſancta, in templi ſanctiore loco, & adytis ipſis viuebat.* Hæc Nicephorus; quæ ille minime finxit de ſuo, ne quis auſit contemnere.

III. *Ex Gregorio Niſſeno.*

AVDI enim Gregor. Niſſen. ex quo hic plane mutuatus eſt. *Quod ſi mater euaſerit, inquit, ſe quodcunque pepererit ei dedicaturam. Quamobrem cum voti compos effecta, filiam ſuſcepiſſet, eam vocauit Mariam, vt ipſo etiam nomine teſtaretur acceptum munus à Deo; Illa igitur cum iam grandiuſcula eſſet, nec vbere matris amplius indigeret, ducens ad templum Deo reddidit, & ſtudioſe promiſſum exoluit. Sacerdotes autem, quandiu paruula fuit, ad Samuelis ſimilitudinem in ſanctis ædibus educarunt.* Hæc Niſſ. quibus conſentit & S. Damaſcenus; vt omittam quæ in libello de B. Virg. ortu apud Hieronymum leguntur. Porro de templi exedris Virginibus dicatis conſule Villap. & Baro. [c] Neque enim eam in ipſa æde ſacra, nedum in adytis eius, aut Sancto ſanctorum habitaſſe putandum eſt. Neque aliud ſancti patres voluerunt, quam eius cubiculum templi ſeptis incluſum, minime aditum vulgo fuiſſe, vtpote locum ſanctis virginibus ſepoſitum.

[c] in Appar. n. 50. & 51. & Candſ. l. 1. c. 12.

IV. *Sæpius ſe Deo Virgo prius obtulit.*

AT oro te, piè lector, quoniam nemo auſit negare acceleratum rationis vſum B. Virg. quem S. Præcurſori præuia Scriptura concedimus, quæ infantem in gaudio exultaſſe teſtatur. Quoties eam ſe præpotenti Dei obtuliſſe putas, tum in vtero, tum extra matris vterum; eodem inſpirante, qui id poſtea facturus erat, antequam in templo Simeon eum exciperet in vlnas ſuas. [d] Quam exiſtimas fuiſſe toto triennio præparationem huius ſanctiſſimæ animæ, ad hoc ſacrificium, & deuotiſſimam oblationem ſui? Quem ſenſum in illa ipſa donatione, atq; conſecratione animi

[d] vide Heb. 10. 5. 10.

corporiſque ſui: præſertim ſi iam tum, vt probabile arbitror, nec apparet cauſa differendi, votum perpetuæ virginitatis emiſit? Quem ſummi ſacerdotis à Deo inſtillatum animi motum, in recipienda in domum Dei, illa imagine ſanctitatis?

V. *Quis in parentibus deuotionis ſenſus.*

Sed nec facile quis piæ deuotionis ſenſum in vtroque parente exundantem, aut verbis aut animo aſſequatur. Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis ſeruorum ſuorum, qui miniſtrauerunt ſanctis, vt teſtatur Apoſtolus, [a] neque parcum, aut pauperum habemus Deum, qui nolit aut non poſſit gratiam copioſe rependere, etiam in præſens. Si ergo Deus ſæpenumero, orantibus, ieiunantibus, pauperibus miniſtrantibus, aut quidpiam aliud piæ opellæ facientibus tantum ſuauitates impertit, quantum experti norunt, quid fecerit ſanctis iſtis coniugibus, tali ſe, tamque amata prole priuantibus? memento doloris Tobiæ, atque vxoris eius, in Tobiæ iunioris abſentia, in paucos duntaxat dies. Iſti autem in perpetuum amabiliſſima prole priuabant ſe, illam deinceps, niſi cum bona ſacerdotum venia, non viſuri. Carituri aſpectu illo modeſtiſſimo, pulcherrimo, miram ſpirante ſanctitaté.

a Heb. 6. 10

Quantumque meritū in oblatione iſta.

VI. *Ex priuatione talis filiæ.*

Non deguſtaturi inſignem illam obedientiam, deuotionem, pietatem, verba omnia, actioneſque compoſitiſſimas, quæ omnes quidem delectare ſolent, parentes autem ineffabili modo, qui ſapiunt, & guſtant iſta, non quaſi aliena bona, ſed tanquam propria & ſua. Quem ergo ſenſum conſolationis habituros putamus Ioachimum & Annam ſingulis horis, vel cum ſe ab ea ſalutari audiunt, vel vident perquam amabiles tenellæ virgunculæ mores, & diuinas in ea gratias exundantes? Dum ergo hac ſe oblatione, quotidiana, imo perpeti conſolatione priuarunt, & vnigenitam Deo filiam, quam pluris, quã vitam propriam faciebant, qui non vltra iam, niſi propter illam viuere cupiebant, obtulere, ingentis vtiq; meriti Deo ſacrificium obtulere, quale neque Salomon, neque Dauid, neque Abraham, neque Noë, neque Abel ipſe, neque quiſquam Sanctorum ad eam diem obtulerat, aut offerre etiam potuerat, præter illud vnum, quo filius Dei oblatus eſt patri.

Sed de his ſatis, nullus enim futurus ſit finis, ſi cum ſanctis hiſce progenitoribus in templum ire aut redire libuerit; & trium primo, deinde duorum colloquiis intereſſe concedatur, tu conſidera rem attentius pie lector, ego ad alia gradum facio. Vocat enim nos iamdudum Auguſtus ad ſe.

VII. *Auguſtus in Vrbem redit.*

De illo igitur Romam reuertente Dio li. 54. Auguſtus, inquit, rebus Gallicis, Germanicis, Hiſpaniciſque omnibus confectis, cum multos in ſingulis ſumptus feciſſet; magnã ab aliis pecuniæ vim accepiſſet, libertatem ac ius ciuitatis aliis dediſſet, aliis ademiſſet, Druſo in Germania relicto, Romã reuerſus eſt, Tiber. & Quintilio Varo Coſſ. Nuncius aduentus eius S. P. Q. R. excitabat ad fauſtum eius reditum honorandum. Et ſtatuerat inter alia Senatus aram in ipſa curia pro Auguſti reditu conſecrare: præterea vt qui Auguſto, cum eſſet intra pomerium, ſupplices fierent, impunitatem haberent. Verum neutrum horum Auguſtus probauit, ac ne paſſus quidem eſt obuiam ſibi ire populum; ſed noctu de more vrbem intrauit, ne cui moleſtiam exhiberet.

Et noctu ſine pompa ingreditur.

VIII. *Militia tēpus ordinat*

Postera die quam in vrbem venit, in palatio populum ſalutauit, & in Capitolium aſcendens, laurum faſcibus detraxit, eamque ad Iouis genua depoſuit. Deinde conuocato Senatu, ipſe raucedine laborans, Quæſtori libellum recitandum dedit, quo res ab eo geſtæ recenſebantur, anni militiæ ciuibus determinabantur, quantumque ij pecuniæ emeritis ſtipendiis, pro agro, quem nunquam non petebant, eſſent accepturi; videlicet vt conſtituto deinceps certo militiæ præmio, nullam tumultuandi cauſam haberent. Erant autem definiti anni Prætoriis cohortibus duodecim, aliis ſedecim, pecuniæque etiam plus illis, quam his. Poſtea tamen in Conſulatu Cornelii Cinnæ, & Valerii Meſſalæ, anno V. C. 757. decretum eſt, vt cohortium Prætorianorum militibus, poſtquam annos 16. meruiſſent, viritim vicena millia nummum, reliquis, exactis militiæ 20. annis, duodena darentur. Sicque data eſt ſpes iis qui non militarent, fore vt ſuis in poſterum prædiis, militum remunerandorum gratia, non ſpoliarentur.

IX. *Balbi & Marcelli theatra & Ludi.*

Svb aduentum Cæſaris Cornelius Balbus Theatrum ſuum dedicauit, ac ſpectacula exhibuit, & Tiberius ludos votiuos pro eius reditu exhibuit; mox autem Auguſtus ipſe Theatrum quod appellauit Marcelli: ludiſque eius rei gratia factis, Troiam inter pueros patricios Caius nepos Auguſti octennis luſit, feræ Africanæ ſex-

Natalis Auguſti. centæ occiſæ, natalis etiam Auguſti dies variis ludis epuliſque celebratus. Senatorius cenſus ab Auguſto examinatus, qui quoſdam etiam inuitos ſenatores eſſe coëgit, qui etiam Senatoribus oriundi, eam dignitatem eiurabant, nedum eam immẽſis pecuniis emebant, vt tulit poſteriorum temporum iniquitas.

X. *Auguſtus fit Pontifex Max.* Hoc eodem anno Lepido mortuo, Auguſtus factus eſt Pontifex Maximus, nihilque ſibi propterea noui honoris attribui paſſus eſt, neq; domum publicam accepit; ſed cum omnino publicam eſſe Pontifici maximo habitationem oporteret, ſuarum ædium partem ipſe publicam eſſe iuſſit, & quoniam ſub Pontificis cura Veſtales erant, teſte Plut. eas quamprimum nouo munere affecit, domo Regis ſacrificuli contigua illis attributa. *Quo tempore.* Accepit porro hanc dignitatem Auguſtus prid. non. Martias, qui eſt 6. eiuſdem. Autor Ouidius 3. Faſt.

Sextus vbi è terra cliuoſum ſcandet Olympum
Phœbus, & alatis æthera carpet equis,
Quiſquis ades, caſtæque colis penetralia Veſtæ
Gratare, Iliacis thuraque pone focis.
Cæſaris innumeris, quos maluit ille mereri,
Acceßit titulis Pontificalis honor.

XI. *Prodidit Clementiã ſuam.* Seneca l.1. de Clem. c.18. vbi de Auguſti Clementia. Ipſum Lepidum quandiu mori paſſus non eſt? per multos annos tulit ornamenta principis retinentem, & Põtificatum maximum non niſi mortuo illo, transferri in ſe paſſus eſt; maluit enim illum honorem vocari, quam ſpolium. Recte Lipſius multos illos annos vocauit viginti tres, tot enim ab anno 717. quo peractum eſt bellum Siculum, & ille in ordinẽ redactus eſt, vſque ad 740. numerantur. Meminit Pontificatus Auguſti Euſeb. in Chro. refertq; eum in 31. Auguſti principatus, & annum vlt. Olymp. 191. qua vtraq; nota vides Chronologiã noſtram confirmari. Aliud quoque Auguſti eximium clementiæ monimentum erga Cinnam edidit, quod A.V. 757. referemus.

XII. *Libros fatidicos cõburit, Sibyllinos expurgat.* Postqvam vero Pontificatũ maximum, inquit Suet.[a] quem nunquam viuo Lepido auferre ſuſtinuerat, mortuo demum ſuſcepit; quidquid fatidicorum librorum Græci, Latiniq; generis nullis, vel parum idoneis autoribus vulgo ferebatur, ſupra duo millia vndiq; contracta cremauit, ac ſolos retinuit Sibyllinos: hos quoq; delectu habito, condiditque duobus forulis, ſub palatini Apollinis baſi. Id factum ab Auguſto non ſine diuina prouidentia, iam olim notatum eſt ab antiquis patribus: vt Chriſtiani, ex libris Sibyllinis, ab ipſo Auguſto Cæſare repurgatis, & recognitis fidem Chriſtianum apud Ethnicos maiori cum fide ſtabilire poſſent, quod ab eis videmus diligentiſſimè factitatum; Auguſt. libb. de Ciuit. Lactantio totis libris ſuis, Tertulliano, Arnobio, aliiſque paſſim.

a l.2.c.31.

XIII. *Agrippa redit è Syria.* Reversvs eſt hoc anno à Syria M. Agrippa, quem Auguſtus tribunitia poteſtate in aliud quinquennium (in exitu enim erat primum, inchoatum an. 735.) prorogata cohoneſtauit, ac in Pannoniam, vbi iam bellum gliſcebat, cum maiori Imperio quam vllus alius extra Italiam haberet, miſit: quam expeditionem inſtãte iam hyeme, qua M. Valerius Meſſala Barbatus, & Sulpitius Quirinus Conſules fuere, fecit. Hæc Dio l.54. Significat Suet.[b] Auguſtum mox à ſuſcepto Pontificatu, annum mala intercalatione vitiatum emendaſſe; ſed id pertinere ad annum vrbis 745. qui fuit 38. Iulianus, ſuo loco docebimus.

b l.2.c.31.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 4041.

I.N.IX. Dio in Græco textu habet quinque millia drachmarum pro Prætorianis, & tria millia pro reliquis; pro quibus interpres poſuit vicena millia, & duodena millia nummũ. Quæ tamen non parum differunt ſi ſequamur æſtimationem Roberti Cænalis. Nam 20. millia nummum æſtimat quadringentis francis, quinque autem millia drachmarum, octingentis 75. Rurſum duodena millia nummum 240. francis, tria vero millia drachmarũ 525. francis: quia drachmas æſtimat tribus ſol, cũ dimidio. Mille autem nummûm 20. francis.

ANNVS MVNDI 4042. SEXTAE AETATIS 527.

BEATIS. VIRG. 5. IMPER. ROM. 37. AVGVS. 32. HEROD. 26. & 29. ÆT. 61. SIMON. PONTIF. 13. PRÆSID. SYRIÆ N. N. OLYMP. CXCII. A. 1. VRB. COND. 741. COSS. M. VALER. MESSALA BARBATO, ET P. SVLPITIO QVIRINIO. AN. IVL. 34. AVGG. 18. ACT. VICTORIAE 20.

ANNVS ANTE CHRISTVM II.

HABET hic annus Olympiacus Diophanem Æolium in ſtadio I.
victorem, & Conſulem illum Quirinium, qui poſtea Syriæ præ- *Romana*
ſes factus eſt, Luca teſte, qui eum Cyrinum, cum Dione & Euſe- *Herodis*
bio vocat. Habet & profectionem Herodis in Italiam, vt iam *profectio*
in theſi 16. ſupra anno 28. Auguſti notauimus; etſi eam differt Deckerius in *ratio tem-*
initium ſequentis Olympiadis, quæ erit CXCIII. At no- *poris.*
a l. 1. de bel. c. 16. ſtram ſententiam confirmat Ioſephus ipſe, [a] Cum Olympicum certamen, inquit,
deficere ſumptuum videret inopia, quodque ſolum ex veteri Græcia reſtabat col-
labi, non ſolum Agonotheta ipſe factus eſt, eo luſtro, quod cum Romam nauiga-
ret offendit; ſed etiam perpetuos pecuniarum reditus inſtituit: vt nunquam eius
memoria Agonothetæ munere fungi deſineret, id eſt, vt in perpetuum eſſet ipſe
Agonotheta. Non poteſt autem aliud intelligi initium Olympiadis, quam huius
192. Nam initio 190. Cæſar erat in Syria cum Herode, vt ad eum fruſtra Romam
nauigaret. Initio 191. ab vrbe item aberat profectus in Galliam. Initio denique 193.
Romæ, aut potius Aquileiæ filios apud Cæſarem accuſauit.

b l. 16. c. 1. NON recte igitur Ioſephus [b] profectionem Herodis in Italiam præmittit, & II.
præceſſiſſe ait ſecundum Agrippæ aduentum in Syriam, quem & Dio l. 54. & ordo *Cauſa pro-*
rerum ante quatuor annos contigiſſe conuincit. Commodum porro proficiſceba- *fectionis.*
tur hoc anno Romam Herodes, repetendorum filiorum cauſa, qui quintum iam
illic morabantur annum. Simul etiam vt eadem opera felicem Auguſto reditum, & *Auguſtus*
nouam Pontificatus dignitatem gratularetur, & cum Senatu Populoque Romano *Pater pa-*
Patrem patriæ ſalutaret. Hoc enim anno Auguſtum Patrem patriæ à S. P. Q. R. *triæ.*
appellatum per Meſſalam, docebimus infra, anno V. C. 757. Quibus adde, Saluta-
tionem hanc Non. Febr. ideſt 5. eiuſdem contigiſſe. Autor Ouidius l. 2. Faſt.

Dum canimus ſacras alterno pectine nonas
Maximus his faſtis accumulatur honos.

& mox *Sancte Pater patriæ, tibi plebs, tibi curia nomen*
Hoc dedit, hoc dedimus nos tibi nomen eques.
Res tamen ante dedit, ſero quoque vera tuliſti
Nomina, iam pridem tu pater orbis eras.

Sic poſtea Traiano, Plinius dixit ſoli omnium illi contigiſſe, vt Pater patriæ eſſet ante quam fieret, Ouidius quoque alibi.

Tu quoque cum Patriæ rector dicare, paterque,
Vtere more Dei nomen habentis idem.

c l. 2. c. 58. QVÆ ſunt conſentanea Suetonio, qui [c] ait ter ipſi nomen Patris patriæ fuiſ- III.
ſe delatum, primum à plebe legatione Antium miſſa: quod nomen cum ille mo- *Ter ſaluta-*
deſte recuſaſſet, rurſum plebs eadem frequens & laureata ipſi Romæ ſpectacula in- *tus à plebe*
eunti obtulit. Poſtremo in curia Senatus vniuerſus, idem per Meſſalam Coſ. man- *& Senatu.*
dauit in hæc verba. *Quod bonum fauſtumque ſit tibi, domuique tuæ, Cæſar Auguſte, ſic*

enim nos perpetuam fœlicitatem Reipub. & læta huic precari exiſtimamus, Senatus te conſentiens, cum populo Romano conſalutat Patriæ patrem. Cui lachrymans reſpondit Auguſtus. *Compos factus votorum meorum P. C. quid habeo aliud Deos immortales precari, quam vt conſenſum veſtrum ad vltimum vitæ finem mihi perferre liceat?* Id eſt, vt perpetuo ea ſalutatione ſim dignus, nec moribus eam appellationem refellam.

IV. *Quæ Virginis vita in templo.*

SED priuſquam Hieroſolymis cum profano rege digrediamur, ibi ſanctiſſimam Virginem commorari incipientem, & dicatas fœminis templi Hieroſolymitani cellas ſanctificantem, inuiſamus. In hoc ergo loco, inquit Suares, [a] Deipara Virgo permanſit, vſque ad nubiles annos, ſoli Deo vacans, & forma virtutis effecta, vt dicit Ambroſ. l. 2. de Virginibus. Quos enim Deus ſingulariter ſibi conſecrat, ab infantia ſeparat à cura ſenſibilium rerum, vt ſibi liberius vacare poſſint: quod in multis, & præſertim in Ioanne Baptiſta cernimus; & multo perfectius credendum eſt, hoc eſſe conceſſum Virgini. Vnde etiam referunt Autores graues, toto illo tempore accepiſſe Virginem cibum miniſterio Angelorum. Quod ex Hieron. refert D. Bonad. in lib. Medit. vitæ Chriſti c. 3. & Gregor. Nicomed, hom. de oblat. Virg. in templo, & Cedren. in compend. hiſt. Et facile credi poteſt: nam ſimile priuilegium conceſſum legimus Paulo primo heremitæ longo vitæ tempore. Quid ergo mirum quod conceſſum fuerit B. Virgini? Eo præſertim tempore, quo vitam tantum contemplatiuam profitebatur, ne vel minimum de illius cura remitteret, vt corpori neceſſaria curaret.

Cibum ab Angelis accepit.

[a] *ar.1.in 3.p. d.7.init.*

V. *Incarnationem Verbi exorat.*

DENIQVE indubitatum eſt, toto illo tempore B. Virginem ardentiſſimis deſideriis, ac frequentiſſimis orationibus incarnationem filii Dei poſtulaſſe, tanto maiori amore, merito, & efficacia, quam omnes ſuperiores ſancti, ac Prophetæ, quanto eos perfectione gratiæ & ſanctitatis ſuperabat. Hæc Suares, hoc maiori digna fide, quo ſtudioſius magnus ille Theologus, res ſacras ſolet expendere. Eademque fuſius habet Caniſ. [b] Certe S. Ambroſ. eam crebro ab Angelis viſitari ſolitam, priuſquam ab Archangelo Gabriele illi diuini Verbi incarnatio annunciaretur, haud obſcure teſtatur. Nam quemadmodum ſola inquit, cui tot libri adeſſent, tot Archangeli, tot Prophetæ. Denique & Gabriel, vbi eam reuiſere ſolebat, inuenit, & Angelum Maria quaſi viri ſpecie mota trepidauit, quaſi non incognitum audito nomine recognouit; Ita peregrinata eſt in viro, quæ non eſt peregrinata in Angelo. Hæc Ambroſ. Alii dicunt Virginem Angelica viſione, vt conſueta, non turbatam, ſed inſolita ſalutatione commotam, vnde ſubdit Euangeliſta, *& cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.*

Viſitatur ſæpe ab Angelis.

[b] *l.1.c.13.* *l.2.de Virg.*

VI. *Herodes Romæ filios recipit, reducitque.*

IAM quod ad Herodem attinet, per id quod dixi tempus nauigauit in Italiam, ſalutatum Cæſarem, vt ait Ioſeph. [c] & ad inuiſendos Romæ ſuos liberos. Ibi Cæſar humaniſſime tractato filios reducendos domum reddidit, ſatis iam inſtructos diſciplinos liberalibus. Tres ex Mariamme ſuſceptos liberos, præter filias duas ſcribit Ioſephus, [d] & illorum natu minimum Romæ in ſtudiis vita functum. Reliqui duo poſtquam reuerſi ſunt in patriam, ſtatim excepti ſunt magnis ſtudiis multitudinis, quod eſſent conſpicui tum ſtatura, tum multis ornamentis animi, & modis omnibus regium quiddam ipſa ſpecie præ ſe ferrent; Inde porro natam inuidiam & inſidias eorum, qui Mariamnem adoleſcentum matrem perdiderant, narrat Ioſephus; quam inuidiam ratio videtur exigere, vt aliquanto tempore, puta ad ſequentem annum, differamus.

[c] *l.16.c.1.* [d] *l.1.bel.c.17.*

VII. *Expeditio Pannonica M. Agrippæ.*

REFERT ad hunc annum Dio M. Agrippæ mortem, cum Pannonica eiuſdem expeditione verbis pauciſſimis. Expeditionem inquit, inſtante iam hyeme dictis Coſſ. fecit. Quo eius aduentu exterriti Pannonij, cum à rebellione deſtitiſſent, reuerſus, poſtquam in Campaniam veniſſet, morbo decubuit; Auguſtus tum forte panathenæis, ſiue quinquatribus munus gladiatorium filiorum, ſiue nepotum nomine exhibebat, Lucium enim intelligit & Caium ex Iulia nepotes, & adoptatos in filios, & Principatus hæredes. Eo cognito propere profectus ex vrbe mortuum reperit: corpus eius in vrbem aduexit, ac in foro propoſitum funebri laudatione decorauit, atque in eum extulit locum, in quem deinceps ipſe relatus eſt; ſuoque eum in ſepulchro condidit; & populo viritim pecuniam eius nomine diſtribuit.

Eiuſque mors.

ἐν τοῖς παναθηναίοις.

VIII. *Eiuſdem virtutes.*

Hvnc finem habuit Agrippa, vir omnium ſuæ ætatis hominum optimus, qui principis amicitia in publicæ rei vtilitatem ſapienter vteretur; cui cum omnem ſuam ſapientiam & fortitudinem vtendam daret, honores tamen & potentiam ab eo parce acciperet, & in eius gloriam, aliorum autem vtilitatem impenderet: vnde factum eſt, vt neque Auguſto moleſtus vnquam eſſet, neque inuidiæ aliorum obnoxius; ſimulque monarchiam Auguſti ſi quis alius maxime ſtabiliret, & nihilominus maxime popularis videretur. Exemplum vtique egregium, aulicæ vitæ ſectatoribus iure propoſitum, in quod intuentes, principi, & populo, atque ipſi etiam Deo acceptiſſimi fiant. Ei poſthumus natus eſt filius, quem Auguſtus Agrippam nominari voluit, quem poſtea adoptatum à Cæſare, vna cum priuigno ſuo Tiberio, autor eſt Sueton.[a] Sed idem ſubdit eundem Agrippam mox abdicatum, propter ingenium ſordidum ac ferox.

Et poſthumus Agrippa. — a l. 2. c. 65.

IX. *Auguſtus iteram morum magiſter. Eius liberalitas.*

Secvndvm hæc Auguſtus in aliud quinquennium magiſter, correctorque morum conſtitutus, (nam hoc quoque, ſicut & imperium, ad certum tempus accipiebat,) iuſſit vt ſenatores, quoties in curiam conuenire, aut ad ſe accedere vellent, ſuffitum adolerent, partim vt ſe religioſe gererent, partim vt eo minore, cum moleſtia conuenirent. Non omittam illuſtre eiuſdem principis liberalitatis exemplum. Cum Aſia prouincia terræ motibus concuſſa, ope aliqua indigeret, ex ſuis pecuniis tributum eius annuum in ærarium intulit; ne ſcilicet cum publico detrimento miſericors eſſet. Quamquam, qui hoc narrat Dio, negat ſe ſatis intelligere quid inter publicas pecunias, priuataſque Imperatoris intereſſet. Nimirum quia Ærarium, omniumq; prouinciarum reditus habuit in poteſtate. Nihilominus & lautum habuit patrimonium, & plurima ex Iulij Cæſaris bonis accepit: plurima item ab amicis, ciuitatibus, regibus, priuatim tum dono, tum teſtamento; & nominatim ipſius Agrippæ, Mecænatis, & Horatij poëtæ, bonis eius acceſſerunt. Denique Suetonius in fine vitę eius, ſcribit eum 20. proximis annis quaterdecies millies ex teſtamentis amicorum percepiſſe, id eſt 70. milliones Francorum.

X. *Tiberium in Agrippæ locum aſſumit.*

Agrippa mortuo cum Auguſtus indigeret viro, qui Agrippæ potentia ac dignitate reſponderet, quo in maximis Reip. negotiis vteretur, Tiberium priuignum adhoc munus aſſumpſit, quod nepotes ſui puerilem adhuc ætatem agerent; Caius enim nonum agebat annum, Lucius ſextum, ille natus anno V. 733. hic 736. Itaque prius ei adempta, quam habebat vxore (filia Agrippæ, ex alia quam ex Iulia coniuge,) quæ & infantem ex eo natum iam alebat, & vterum ferebat, Iuliam ei deſpõdit. Recte dicit deſpondit ἐγγύησε, non enim eam vxorẽ habuit, niſi anno ſeq. quo Octauia mortua eſt, vt ex eodem Dione & Suet. dicemus. Tiberium autem contra Pannonios miſit, qui audita Agrippæ morte bellum renouabant. Ad quos Tiberius profectus, finitimorum Scordiſcorum opera vſus, eos multis damnis affectos fregit, & armis ſpoliatos vendidit. Quam ob rem cum ei triumphum Senatus decerneret, renuit Auguſtus, triumphalibus ornamentis eum contentum eſſe iubens. Euſeb. tamen in Chron. triumphaſſe dicit, latius ſumpto triumphandi vocabulo; ſed confert in annum ſeq. quo triumphũ Romam rediit. Druſus quoque eodem tempore contra Gallos, Germanoſque vſque ad ſequentem annum bene rem geſſit, vt pluribus ex Dione intelliges. Adi etiam Oroſ.[b]

Deſpondet ei filiam Iuliam.

Res ab eo & Druſo geſta. — b l. 6. c. 21.

ANNVS MVNDI 4043. SEXTAE AETATIS 528.
B. VIRGINIS 6. IMPERII ROM. 38. AVGVSTI 33. HERODIS 27. & 30. ÆTAT. 62. SIMONIS 14. PRÆSIDE SYRIÆ N.N. OLYMP. CXCII. AN. 2. VRB. COND. 742. COSS. Q. ÆLIO TVBERONE, ET PAVLO FABIO MAXIMO ANN. IVL. 35. AVGG. 19. ACT. VICT. 21. *Paulũ vocat Dio, Euſeb. in Chron. Publium.*

ANNVS ANTE CHRISTVM 10.

I. *Calumnia in filios Herodis ex Mariamme.*

IN hunc annum referimus, vt ſuperiore anno dictum eſt, initia inuidiæ, & inſidiarum in Alexandrum & Ariſtobulum, Herodis ex Mariamne filios; publicum enim in eos ſtudium, mouit ad inuidiam Salomen ſororem Regis, cæteroſque quorum calumniis Mariamme oppreſſa fuerat, metuentes ſuæ potentiæ, cum viderent non deſore vltores materni interitus. Hinc igitur occaſione arrepta, illos quoque calumniis appetunt, dictitantes parum iucundam eis eſſe patris conſuetudinem, memoria ſupplicij de genitrice ſumpti, quaſi auerſantibus pollutum materno ſanguine. Videbant calumniatores hanc aptã eſſe cauſam odij, & hac vna via expugnare ſe poſſe & abolere paternam beneuolentiam. Neq; hæc ad ipſum regem perferebant, contenti in vulgus tales rumores ſpargere, quibus tandem ad illum perlatis facile diuinabant exoriturum tantum odium, vt ne naturalibus quidem affectibus vinceretur.

II. *Quibus ille dat vxores.*

SED tum nondum paterna pietate frigeſcente, rex nihil mali ſuſpicans, in eo quo par erat honore illos habuit, & quod iam eſſent adulti, vxores eis coniunxit Ariſtobulo Salomes filiam Bernicem, Alexandro Archelai Cappadocum regis filiam Glaphyram. Porro mirum eſt, nec ſatis fortaſſe credibile, Salomen Herodis ſororem, quæ tam infenſo animo erat in filios Mariamnes, vt eorum ruinam modis omnibus machinaretur, alteri tamen eorum filiam ſuam vxorem dare. An ſicut olim Saul Dauidi dabat Michol filiam ſuam, vt fieret ei in ſcandalum?[a] Verum dicamus, quod credibile eſt, his nuptiis ſopita nonnihil odia refrixiſſe, donec paulatim recaluere. Par ergo eſt in ſequentem annum differre eorum noua effecta, qua in re Ioſephus nullum nobis præfinit tempus. Templum tamen hoc anno abſolutum eſſe ex eius ſupputatione, quã tradit l. 15.[b] ſtatuendum eſt; eodemq; etiam dedicatum, concurrente ſimul ad celebritatem altero feſto natalis Herodis, de quibus pluribus Ioſephus ibid.

l. 6. χ.
a 1. Reg. 18. 21. vide an. m. 3858. n. 2. & 3. & 3862. n. 6.
b l. 15. c. vlt.

III. *Res à Druſo in Germania geſta.*

HOC anno Druſus, cum ex Germania Romam ſub hyemem rediiſſet, ibi Prætor vrbanus, quamquam Prætorios honores iam adeptus, eſt creatus, Fabio, & Tuberone Coſſ. Idemque veris initio rurſus ad bellum profectus Rhenum tranſiit, Vſipetas ſubiugauit, Lupiæque fluminis ripis Ponte iunctis, in Sicambros irrupit, perque eos in Cheruſcorum regionem, vſque ad Viſurgim fluuium proceſſit, ope Sicambrorum, qui interim in Chattos expeditionem fecerãt: quo tempore Druſus iis nec opinantibus regionem peragrauit, Viſurgim etiam tranſiturus, ni eum inopia alimentorum, ac hyemis propinquitas, præterea examen apum in caſtris viſum deterruiſſent. Quapropter nec vlterius proceſſit, & regreſſus in ſociorum terram, in ſummum deuenit periculum, hoſtium inſidiis multa paſſus; & aliquando in loco anguſto & concauo circumcluſus, haud procul abfuit quin, cum toto exercitu periret. A qua eum pernicie nihil aliud eripuit, quam hoſtium temeritas, qui cum contemptis Romanis quaſi iam captis, & vno velut ictu concidendis, nullo eos ordine aggreſſi eſſent, victi, ferocia fracta inde diſceſſere.

Eiuſdem periculum.

IV. *Et ex eo victoria.*

DRVSVS viciſſim iis contemptis caſtellum contra eos ad Lupiæ & Aliſonis fluuiorum confluentes; aliudque in Chattis ad ipſum Rhenum extruxit. Sic Dio l. 54. Meminit eiuſdem expeditionis Oroſ.[c] ſed rem totam in vnum quaſi faſcẽ con-

c l. 6. c. 21.

ijcit. Victas, inquit fortiſſimas nationes, quibus natura vires, conſuetudo experientiam virium dabat, quorum ex eo conſiderari virtus ac feritas poteſt, quod mulieres quoque eorum, ſi quando præuentu Romanorum inter plauſtra ſua concludebantur, deficientibus telis, vel qualibet re, qua velut telo vti furor poſſet, paruos filios colliſos humi, in hoſtium ora iaciebant, in ſingulis filiorum necibus bis parricidæ, ſic ipſe. Velleius magnus Druſi laudator, vt in eius morte dicemus, illum magna ex parte domitorem Germaniæ appellat.

Germanum mulierum ferit.u.

V. *Honores Druſi ac Tiberij.*

O b hæc, inquit Dio, honores ei triumphales decreti, vt ouans in vrbem inueheretur, ac peracta Prætura cum proconſulari imperio eſſet, nomen autem Imperatorium, ſicut nec Tiberio, quamuis eo vterque à militibus appellatus eſſet, rebuſque geſtis abunde meruerat, non tamen ab Auguſto datum eſt. Tiberius autem eodem tempore Dalmatas rebellantes, atque inde Pannonios, qui per eius abſentiam res nouas moliti fuerant, vtriſque Bello ſimul illato, idque modo hac, modo illac transferendo, in ſuam poteſtatem redegit. Quas ob res ijdem ei honores qui Druſo tributi ſunt, & Auguſtalia in honorem natalis Auguſti in circo, & variis vrbis locis venationibus, ex Senatus decreto, tum primum celebrata ſunt.

Auguſtalia.

VI. *Geſta à Piſone in Thracia.*

S v b idem tempus Vologæſus Thrax Beſſus natione, & Bacchi ſacerdos, finitimis quadam ſibi ſuperſtitione coniunctis, bellum mouit. Contra quos bellum gerere iuſſus L. Piſo, qui tum Pamphyliæ præerat, primum quidem male pugnauit. Deinde pluribus fractos præliis in ſeruitutem redegit. Ob quas res geſtas, & ſupplicatio, & honores triumphales ei decreti ſunt. Videtur autem hic idem eſſe L. Piſo, qui quinto ab hinc anno conſul fuerat, iuxta Auguſti legem, prohibentis ne qui magiſtratum geſſerant, prouinciis, niſi quinquennio poſt præeſſent. Velleius l. 2. hunc Piſonem vehementer commendat, & ad ſua vſque tempora perueniſſe ſignificat. De re autem ipſa hæc habet. *Legatus Cæſaris triennio cum his bellauit genteſque ferociſsimas, plurimo cum earum excidio, nunc acie, nunc expugnationibus in priſtinum pacis redegit modum, eiuſque patratione Aſiæ ſecuritatem, Macedoniæ pacem reddidit;* Ita Velleius, Thracia quippe inter vtramque prouinciam media eſt.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 4043.

1. N. 2. Scribit Dio l. 49. ſub an. V. C. 717. Antonium, Amyntam, qui ſcriba Deiotari fuerat, Galatiæ principem conſtituiſſe, Cappadociæ autem, eiecto inde Ariarathe, Archelaum: cuius genus paternum deducebatur ab Archelais, qui contra Romanos bellum geſſerant; mater autem illi erat ſcortum Glaphyra. Poſt pugnam Actiacam veniam vterque ab Auguſto conſecutus eſt; vt idem ſcribit init. l. 51. Lib. vero 53. an. V. C. 733. Archelai etiam regnum auxit Cæſar, addita minore Armenia, poſt mortem Medi regis, eodem ipſo tempore, quo Herodi attribuit Zenodori ditionem, vt ſuo loco dictum eſt. Is deinde Romam euocatus, atque accuſatus à Tiberio tum Cæſare, morbis & ætate confectus mortuus eſt, vt ſcribit idem Dio l. 57. Hic ergo filiam hoc tempore nubilem habuit, quæ matrem nomine referret, & Herodis nurus fieret.

haud procul à bello Germanico remotus, eiuſque euentui intentus, Romam redierunt.

V. *Dedicatio Cæſaræa ab Herode.*

A d hũc annũ pertinet dedicatio Cæſaræ ab Herode facta. de qua l. 16. Ioſephus.
[a] l. 16. c. 9.
[a] Et primum quod ad temporis rationem attinet, Chronologiam noſtram ex anno Herodis & Olympiade confirmat, ſic enim ait, Per idem tempus perfecta eſt Cæſaræa decimo anno poſtquã ædificari cæpta eſt, regni vero anno octauo ſupra vigeſimum, Olymp. 192. Quæ omnes notæ temporis in hunc annum cadunt.

In eius dedicatione magna fuit celebritas, inquit Ioſephus, & apparatus facti ſunt ſumptuoſiſſimi. Exciti enim ſunt ad certamẽ artifices muſici, & athletę gymnicorum certaminum: ad hæc gladiatorum, ac ferarum comparatus eſt magnus numerus, & quidquid huius generis in pretio eſt tam Romæ, quam apud gentes cæteras. Conſecratum eſt autem hoc quoque certamen Cæſari, inſtaurandum per ſingula quinquennia. Hinc intelligitur Herodianos hoſce ludos, non reſpondere Olympiacis, proindeque nec eoſdem eſſe cum Actiacis. Præſens enim annus tertius Olympiadis eſt, non primus, & Actiacæ victoriæ vigeſimus ſecundus, non vigeſimus.

VI. *Ludorum apparatus, & celebritas.*

P e r g i t autem; Hunc omnem apparatum Rex ſuo ſumptu magna ambitione vndecumque curauit conuehi, multa in hoc conferente etiam vxore Cæſaris Iulia, & mittente permulta pretioſa ex Italia, vt omnibus computatis, ſumptus ad quingenta talenta accederet. [b] Congregata igitur ingenti multitudine ſpectaculorum gratia, legationes, quæ à diuerſis populis mittebantur ob accepta beneficia omnes excepit diuerſoriis, & menſis, & continuis hilaritatibus; dum hominum frequentia ſpectaculis ſe totos dies oblectat, noctu vero conuiuiis, & oſtentatione magnificentiæ, cum inſigni laude magnanimitatis regiæ. In omnibus enim ſtudebat vt poſteriora quęq; maiorem admirationem ſui facerent; ferturque ipſum ſæpe Cæſarem & Agrippam dixiſſe, quod maior quam pro præſenti ditione eſſet Herodis magnanimitas, qui dignus videretur totius Syriæ & Ægypti imperio. Hæc ibi, quæ nemo non videt ſupra fidem ac ſupra modum elata à Ioſepho, indebitam opinionem magnificentiæ ſuæ genti inuerecunde affectante. Quam cenſuram etiam ſequentia valde confirmant.

[b] Si Attica 315000. Franc. ſi Eubeica 700000.

Vane affectata.

VII. *Condit aut renouat Antipatridem.* *Cypron* *Phaſaelum*

P o s t celebritatem enim Cæſarienſis dedicationis, vt idem ſcribit, etiã nouum oppidum condidit in agro, qui dicitur Capharſaba, aut potius renouauit oppidum, quod prius dicebatur Caphar ſalama, cuius mentio eſt [c] in 1. Mach. quod Adricho. cõſtituit in dimidia tribu Manaſſis intra Iordanẽ.[d] Eã porro vrbẽ à patre ſuo Antipatro appellauit Antipatridem. Deinde caſtellum matrem ſuam nomine referens ſuper Hierichũtem condidit, quod Cypron appellauit, in honorem etiam Phaſaëli fratris, turrim in vrbe pulcherrimam, quæ inſtar Phari Alexandrini eſſet, Phaſaëlum vocauit. Deinde eiuſdem nominis oppidũ circa vallem Hiericuntinã condidit, ex quo ager etiã Phaſaëliticus appellatus eſt. Hæc, & alia plura Ioſephus de magnificentia Herodis, quæ huc retulimus cum eodem, quod ſingulorum operum tempus non notet. Euſebius eandem nobiſcum Olympiadem notat, ſed nos mediam, ille ineuntem, vterque ex probabili coniectura.

[c] 1. Mach. 7. 31.
[d] N. 9.

VIII. *Diſſidium domeſticum apud Herodem augetur.*

[e] l. 16. c. 6.
I n t e r e a vero domeſticum diſſidium augebatur; vt tradit Ioſephus.[e] Ad hoc enim tempus eam narrationem pertinere arbitramur, iuxta ea quæ proximo anno diximus. Nam Salome tanquam hæreditario odio adoleſcentes proſequebatur, idque agebat, ne quis ſupereſſet qui mortem Mariammes vlciſceretur. Adoleſcentes autẽ à Salome ac Pherora inſtigati, non parcebãt conuitiis, quaſi contra matris interfectores, illis de induſtria adoleſcentum ferociam prouocantibus, quod in eo conuitio Herodes ipſe includeretur. Apud quem illos accuſarunt, quaſi propoſitum haberent vindictam de matris interfectoribus ſumere, illiſq; ſpem facere Archelaum Cappadocem, cuius filiam Glaphyram minor eorum habebat vxorem. Vides apparatũ luctuoſæ tragœdiæ inter domeſticos, dignæ quæ in vaferrimi Antipatri, & crudeliſſimi Herodis familiam cuderetur, niſi ea in perniciem innocentiæ parata eſſet.

IX. *Euchit Antipatrum contra filios Mariammes.*

Q v i b v s auditis Herodes turbatus, animo fluctuans, ſtatuit alterum filium Antipatrum, qui tum priuatus agebat, accerſere, comprimendiſque adoleſcentum ferocibus animis illum opponere, & honoribus augere: quo facto maiorem diſ-

cenſionum & odiorum flammam ſuccendit. Nam Antipater, qui fratres videbat parum Patri charos, etiam cœpit eſſe vnguis in vlcere, id tantum cauens ne ipſe fratrum delator eſſe videretur; ſed per alios ſibi iam, ob ſpem rerum nouarum, addictos, neque regi ſuſpectos, Herodem in illos exaſperabat.

Romamque mittit.

Deniq; eum Romam miſit Herodes, quaſi regni heredem deſignans, & Cæſari commendatiſſimum eſſe cupiens. Itaque Cæſari ſæpe pro eo ſcribebat: & cum nauigaret, inquit Ioſephus [a] ad ſalutandum Agrippam, poſt decennalem adminiſtrationem Aſiæ deceſſurum, ſolum ex filiis Antipatrum ſecum duxit, quem ei cum multis muneribus tradidit Romam ducendum, & recipiendum in Cæſaris amicitiam.

[a] l. 16. c. 6.

X. *Nam cum M. Agrippa?*

Quæ ſine dubio vera eſſe non poſſunt. Nam 1. neutra adminiſtratio Agrippæ in Aſia decennalis fuit: non prior, quæ cœpit V. C. Anno 730. & vix biennij fuit. Mortuo enim Marcello, quod illo ipſo anno contigit, reuerſus eſt in Italiam, & factus comes expeditionis Auguſti, ab eo è Sicilia Romam, ad Vrbem gubernandã, motibus candidatorũ tumultuantẽ remiſſus eſt. Non poſterior, quæ facta eſt anno 737. & abſoluta 740. quæ ſingula ex Dione, vt ſuis locis oſtẽdimus, confirmãtur. Vtraq; autem pro vna haberi non poteſt, cum quinquennio toto interrupta ſit, eoq; ſpatio Cæſar ipſe in Syriam venerit, eamque aliis, vt par eſt credere, regendam tradiderit. Deinde non miſit Herodes Antipatrum Romam, niſi poſt eductos inde Alexandrũ & Ariſtobulũ, vt patet ex Ioſeph. l. li. 16. [b] Atqui Agrippa redierat in vrbem, vt ex Dione dixi, [c] Herodes autem non iuit Romam ad repetendos filios niſi 741. initio præſentis Olympiadis, vt ex eodem Ioſepho probauimus, non potuit ergo Herodes miſiſſe Antipatrum cum Agrippa.

Vitioſa Ioſephi chronologia.

[b] l. 16. c. 1. & 6. [c] Anno 740

XI. *Et hiſtoria perturbata.*

Hinc etiam ſequitur Herodem, cum venit ad ſalutandum Agrippam, non potuiſſe ſolum Antipatrum ducere, neglectis aliis filiis, quippe qui Romæ adhuc erant, nec Antipatrum ad ſe accerſiſſe, niſi poſt eorum reditum, occaſione domeſticæ æmulationis exortæ, vt patet, ex li. 16. c. 6. Ex quibus intelligi poteſt Ioſephi narrationem admodum perturbatam eſſe in hac re, nec ſibi ſatis conſentientem.

Dicamus ergo miſſum quidem ab Herode Romam Antipatrum, ſed non cum Agrippa, nec ante hunc annum, vt præcedentium annorum ſeries neceſſario exigit. Quid autem Romæ fecerit ad annum ſequentem differemus.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 4044.

1. N. 1.

Antonii cognomen, & prænomen in dubio ſunt, Nam Iulum vocat Horat. in Ode 2. lib. 4. Iule, ceratis ope dedalæa Nititur pennis. & Suet. l. 5. c. 2. Velleius l. 2. Corn. Tacitus l. 4. Annal. vt nunc quidem legitur: nam olim vbique Iulius, vt fatentur illi ipſi qui mutarunt, At Iulium prænominat Dio tum in indice libri 54. & in fine eiuſdem libri, tum iterum in eodem, in conſulatu Tiberii & Quintilii Vari. & Ioſephus l. 16. c. 10 vbi habes eius reſcriptum in gratiam Iudæorum datum Epheſiis; tum in eodẽ extremo; & Euſeb. in Chronico Græco apud Scalig. Caſſiodorus quoque apud Cuſpin. etſi apud Sigonium ad priorem claſſem pertineat, multi hanc, plerique etiam illam lectionem ſequuntur, nec refert vtros ſequaris.

Maior eſt in cognomine difficultas, nam Africani cognomen Fabio tribuunt Sueton. vt dixi, quem propterea Sigonius & Cauſaubonus reprehendunt. Dio in indice l. 54. licet eum pro ſe laudet Sigon. Euſeb. in chron. Græco, Caſſiodorus apud Cuſpin. & in Rom. Hiſtor. t. 1. quos ſecuti ſunt Onuphrius in Faſt. Gordon. in Chron. Tempor. Calſuiſ. Mercator. Samerius, Functius, Conſtantinus Phrygio.

Antonium vero Africanum cognominãt liber ignotus Cuſpin. qui Africanum cum Maximo, quaſi conſules duos componit, ſicut & faſti Siculi. quos Sigonius, Pithius, Genebr. Dekerius, Caſaubonus imitantur. Cognominis porro huius cauſam, nemo quod ſciam explicat.

Quid quod pro Antonio Euſebij Chronicum Græcum habet Antoninũ? & vide num is ſit ad quem ſcribit Rabbenu Haccados .i. Magiſter noſter ſanctus apud Galatinum l. 7. c. 2. l. 1. c. 2. Certe legendum eſſe Antonium cum omnibus ſcriptoribus perſpicuum eſt.

ANNUS MUNDI 4045. SEXTÆ ÆTATIS 530. B. VIRGINIS 8. IMPERII ROMAN. 40. AUGUSTI 35. HERODIS, 29. ET 32. ætatis 64. Simonis 16. Præside Syr. n. n. Olymp. cxcii. 4. Urb. Cond. 744. Coss. Claudio Nerone Druso, et T. Quintio Crispino. anno Iul. 37. Augg. 21. Actiacæ victoriæ 23.

ANNUS ANTE CHRISTUM. 8.

QUINTUM Criſpinum Velleius l. 2. vocat virum, ſingularem nequitiam truci ſupercilio protegentem; fuit enim vnus ex ijs, qui patefacta nequitia Iuliæ filiæ Auguſti, damnati ſunt. Inſignis porro eſt hic annus & conſulatu, & morte immatura clariſſimi viri CL. Druſi, vtique clariſſimi, vt qui Imperatoris Auguſti priuignus fuit. Imperatoris Tiberij frater, Imperatoris Claudij parens, quem mors bellum in Germania 30. ætatis anno gerentem, intra 30. dies oppreſſit. Cum enim, inquit Dio, [a] contemptis prodigiis in Chattorum fines ingreſſus, obuia quæque non ſine magno labore ſubigendo, congreſſoſque præliis haud incruenta victoria ſubeundo, ad Sueuos vſque peruenit, Inde in Cheruſcos conuerſo itinere, vſque ad Albim fluuium progreſſus, trophæis ibi conſtitutis receſſit, quaſi diuino iuſſus imperio. — *I. Mors Claudij Druſi.* — [a] l. 55. init.

NAM, vt ante Dionem etiam ſcripſit Suet. [b] hoſtem frequenter cæſum, ac penitus in intimas ſolitudines actum, non prius deſtitit inſequi, quam ſpecies barbaræ mulieris humana amplior victorem tendere vltra ſermone latino prohibuiſſet; quod iam ipſi, vt addit Dio, operum ſuorum, ac vitæ terminus inſtaret. Diſtat autem à Suetonio Dio, quod hic ſpectrum hoc oblatum Druſo putet in hac vltima expeditione conſulari ſub mortem; ille autem in præcedente, cum Præturam gereret: morbo porro deceſſiſſe vterque conſentit. Dio; In itinere, inquit, priuſquam Rhenum attingeret morbo deceſſit. Addit Suet. in æſtiuis caſtris, quæ ex eo Scelerata ſunt appellata. Ad famam ægrotantis Druſi Auguſtus, qui non ita procul ab eo aberat, celeriter Tiberium accerſit, iſq; animam adhuc trahentem fratrem ſuum reperit; Romamque corpus defuncti attulit, portantibus id principio vſque ad hyberna centurionibus ac tribunis militum, inde ſingularum in itinere ciuitatum decurionibus. Liuius in vltima Epit. quæ eſt 140. etiam morbi, & mortis cauſam affert. Ipſe, inquit, ex fractura, equo ſuper crus eius collapſo, 30. die quam id accidit, mortuus eſt. — *II. Mortis modus, tempus locus.* — [b] l. 5. c. 1.

SED illum, inquit Velleius l. 2. magna ex parte domitorem Germaniæ, plurimo eius gentis variis in locis profuſo ſanguine, fatorum iniquitas, conſulem, agentem annum trigeſimum rapuit. Sic Velleius, de publica magni viri iactura gemens; ſed non niſi cum iniuſtiſſima in Deum querela, in cuius prouidentia, quam fatorum nomine ethnici accipiebant, nulla eſt iniquitas, ſiue breuem, ſiue diuturnam vitam concedat, qui nihil cuiquam debeat: ſatiuſq; ſit quod gratis dat cum gratiarum actione accipere, quam iram patientis Domini blaſphemis vocibus aduerſum ſe prouocare. Ex verbis porro Vellei colligis Druſum natum anno V. C. 714. & triennio minorem fuiſſe Tiberio fratre, quem ſupra ex Sueton. diximus natum V. C. 711. — *III. Eiuſdem ætas, funebriſque honos.*

CADAVERE in foro propoſito, inquit Dio, duplex Druſi laudatio fuit, vna à Tiberio in ipſo foro. Altera in circo flaminio ab Auguſto, qui eum viuum tantopere dilexit, vt cohæredem filiis ſemper inſtituerit: nec ſine cauſa, quippe quem plerique cenſuerunt Auguſti filium, ex eius cum Liuia conſuetudine, dum illa cum — *IV. Ab Auguſto & Tiberio laudatur.*

priore marito eſſet: [a] & defunctum ita pro concione laudauerit, vt deos precatus ſit ſimiles ei Cęſares ſuos faceret, ſibique tam honeſtum quandoq exitũ darent, quam illi dediſſent. Inde funus ab equitibus & patricijs in campum Martium allatum, ibique crematum; reliquiæ in Auguſti ſepulchrum illatæ, Germanicique cognomen ei & filiis datum, honoreſque ſtatuarum, & arcuum triumphalium in via Appia, & honorarii ad ipſum Rhenum tumuli dati, quod κενοτάφιον vocat Dio. *a Suet. l.5.c.1.*

V. *Honoratur ab exercitu, & ciuitatibus.*

CÆTERVM exercitus, ait Suet. honorarium ei tumulum excitauit, circa quem deinceps ſtato die quotannis miles decurreret, Galliarumque ciuitates publice ſupplicarent. Id monumentum Moguntiæ viſitur. Nam Euſebius in chronico. [b] *Iſte eſt*, inquit, *Claudius patruus Druſi, qui apud Moguntiacum monumentum habet*; quem locum ita corrigit Pontacus, *Ille eſt Claudius Auunculus Caij filius Druſi*, &c. Fuit enim frater matris Caij Caligulæ, non frater patris, nec patruus Druſi, ſed filius. Liuia Druſi mater, vxor Auguſti, ſolatii cauſa ſtatuis donata eſt, & iure trium liberorum. Nam ex priore marito duos tamen ſuſcepit Tiberium & Druſum, ab Auguſto vero, qui eam priori marito abſtulit, nihil liberorum tulit, cum maxime cuperet: nam infans, qui conceptus erat, immaturus eſt editus. [c] Etſi autem Auguſtus non pauca hoc anno Romæ ex vſu Reipub. conſtituit, in vrbem tamen propter mortem Druſi intrare noluit; ſed de his ſatis. *b Olymp. 205. a. 1.* *c Sueton. l.2.c.65.*

VI. *Antipater Herodis filius clareſcit Romæ.*

INTEREA Antipater Herodis filius ex Doride, illuſtris factus è Romæ, paternis literis commendatus omnibus amicis. Vnum moleſte ferebat, inquit Ioſephus, [d] quod non poterat fratres continuis vexare calumniis, & verebatur ne patris animus mutatus, æquiorem ſe præberet erga filios Mariammes. Quod reliquum erat per literas Herodē in ipſos exarcebabat, quaſi de ipſius incolumitate ſollicitus, tandemque eo induxit, vt in filios ſtatueret animaduertere; ſed nequid temere & per iram ageret, decreuit Romam nauigare, & ibi filios accuſare apud Cæſarem. Quo poſtquam peruenit, non inuentum ibi Cæſarem Aquileiam vſque perſecutus eſt, ſed id ſequenti anno conuenire, poſtmodum non frigidis coniecturis aſſequi conabimur. *d l.16.c.7.*

ANNVS MVNDI 4046. SEXTÆ ÆTATIS 51. B. VIRGINIS 9. IMPERII ROMANI 41. AVGVSTI 36. HERODIS 33. ET 36. ÆT. 65. SIMONIS 8. PRÆSIDE SYR. N.N. OLYMP. CXCIII. I. VRB. COND. 745. COSS. C. ASINIO GALLO, ET C. MARCIO CENSORINO ANNO IVLIAN. 38. AVGVSTOR. 22. ACT. VICTORIÆ 24.

ANNVS ANTE CHRISTVM 7.

I. *Sextilis menſis dictus Auguſtus.*

CELEBRATVR hic annus (qui inchoat Olympiadem centeſimam nonageſimam tertiam, & victorem celebrauit Artemidorum) [e] apud ſcriptores antiquos recentioreſque non vna de cauſa. Primum quod hoc anno Sextilis menſis dictus eſt Auguſtus. Teſtis Cenſorinus. [f] Nam qui Quintilis fuit, inquit, Iulius cognominatus eſt C. Cæſare V. & M. Antonio Coſſ. Iuliano ſecundo. Qui autem Sextilis fuerat, ex S. C. Marcio Cenſorino, & C. Aſinio Gallo Coſſ. in Auguſti honorem dictus eſt Auguſtus, anno Auguſtano (quidam legunt Auguſtio) vigeſimo; quæ nomina etiam nunc ad hanc pertinent memoriam. Annum Auguſtanum vocat, ex quo appellatus eſt Auguſtus, quod contigit Auguſto VII. conſule, vt ex eodem Cenſorino ſuo loco diximus. Annus autem Auguſtorum, quem notamus vigeſimum ſecundum, ſumitur ex eo tempore, quo Ægyptij in poteſtatem ditionemque populi Romani venerunt, quod biennio ante contigit, vt idem Cenſorinus c. 21. teſtatur. *e Vide Gordon. c. 19. n.7.& a. m. 4008.* *f Schol. 6. ſca. 21.*

Cauſas porro cur id nomen Sextili potiſſimum menſi tributum eſt, profert Dio l. 55. Quod nomen, inquit, cum alii Septembri, quo menſe natus eſt Auguſtus, indere vellent, ipſe Sextilẽ prætulit, quod eo menſe primum Conſul factus, & multis magnis præliis victoria potitus eſſet. Idem habet Suetonius [a] ſed rem luculentius explicat Macrob. l. 1. Saturn. c. 12. Vbi etiam S. C. profert, quod alio loco retulimus. Meminit C. Marcii Cenſorini hoc anno conſulis Ioſephus, [b] quem ait libellum ſupplicem obtuliſſe Auguſto in gratiam Iudæorum.

a l. 2. n. 31.
b l. 16. c. 10.

II. *Auguſtus emendat errorem Põtificum circa annum.*

Celebratvr 2. hic annus, quod eo ſit emendatus error, qui à Pontificibus in intercalatione cõmittebatur, ex quo annus à Iulio correctus fuerat; teſtis Suet. [c] Annum, inquit à D. Iulio ordinatum, ſed poſtea negligentia conturbatum, atque confuſum rurſus ad priſtinam rationem redegit, (Quando autem?) in cuius ordinatione Sextilem menſem ex ſuo cognomine nuncupauit; magis quam Septembrem, quo erat natus, quia hoc ſibi & primus conſulatus, & inſignes victoriæ obtigiſſent. Errorem autem omnium diſtinctiſſime profert Macrob. l. 1. Satur. c. 14. vbi poſt explicatam Iulij correctionem, & adiectionem decem dierum cum quadrante. Et hucuſq; inquit, error ſtare potuiſſet, ni Sacerdotes ſibi errorem nouum ex ipſa emendatione feciſſent. Nam cum oporteret diem, qui ex quadrantibus confit, quarto quoque anno perfecto, antequam quintus inciperet intercalare, illi quarto non peracto, ſed incipiente intercalabant.

c Suet. l. 2. c. 31.

III. *De eadem emendatione.*

Hic error ſex & triginta annis permanſit: quibus annis intercalati ſunt dies duodecim, cum debuerint intercalari nouem; ſed hunc quoque errorem ſero deprehenſum correxit Auguſtus, qui annos duodecim ſine intercalari die tranſigi iuſſit, vt illi tres dies, qui per annos triginta & ſex, vitio ſacerdotalis feſtinationis excreuerant, ſequentibus annis duodecim nullo die intercalato deuorarentur. Poſt hoc vnum diem, ſecundum ordinationem Cæſaris, quinto quoque incipiente anno intercalari iuſſit: & omnem hunc ordinem æreæ tabulæ, ad æternam cuſtodiam inciſione mandauit. Hactenus Macrob. eademque omnino Solinus c. 3. Marcellinus autem l. 26. Auguſti correctionem cum Iuliana confudit. Vide expanſos annos Iulianos, cum intercalatione vitioſa, & legitima, apud Scaligerũ initio libri 4.

IV. *Auguſto imperium confirmatur. Luſtrum facit.*

Notabilis quoque 3. eſt hic annus nouo decennio Imperii Auguſtani. Auguſtus (inquit Dio ad annum hiſce Conſulibus inſignitum) cum principatum depoſuiſſet, hoc enim præ ſe ferebat, exacto decennio altero (ab anno ſcilicet Vrbis 735.) inuitus iterum ſuſcepit, & in Germanos bellum molitus, ipſe domi ſubſtitit.

Quartò ex lapide Ancyrano, de quo ſuper diximus, colligitur hoc anno luſtrum ab Auguſto conditum. In eo enim ita legitur. Nvper lvstrvm solvs feci, legi Censorvm ---- Sinio cos. qvo lvstro censa svnt civivm Romanorvm qvadragens centvm millia, et dvcenta triginta tria .... Corrigit, & ſupplet Lipſius: *Cenſorino & Aſinio Coſſ.* Ad hunc cenſum pertinere deſcriptionem, quæ facta eſt à Præſide Syriæ Cyrino ſentit P. Deckerius [d] re, vt abitror, nonnihil accelerata, de qua poſtea dicendum erit: nunc reliqua, quæ de his Coſſ. ſcribit Dio, attexamus.

d In theſi 5. & 16.

V. *Vrbem à luctu adit.*

Cvm Auguſtus propter Druſi mortem præcedenti anno in Vrbem intrare noluiſſet (propterea enim in circo Flaminio extra vrbem Druſum laudauerat, vt notauit Dio) hoc anno Aſinio Gallo & Marcio Cenſorino Coſſ. Romam iniuit, lauream que in Iouis Feretrii templum, præter conſuetudinem Romanam intulit, neque vllum tamen diem feſtum egit, plus ſibi morte Druſi damni, quam victoriis commodi accidiſſe exiſtimans.

Tiberius in Germania bellum gerit.

Tiberius deinde Rhenum tranſiit, perfecturus quæ à fratre fuerant inchoata. His conſentit Velleius l. 2. vbi ait, Mortuo Druſo, molem Germanici belli tranſlatam in Neronem eſſe, quod is, inquit, ſua virtute & fortuna adminiſtrauit. Romanorum quippe vim metuentes barbari omnes, exceptis Chattuaris (ſic enim corrigendus eſt Dio, vt vult Leunclauius, nam Cantabri non ſunt in Germania, vt conſtat) legatos de pace miſerunt, quam tamen non impetrarunt.

VI. *Titulum obtinet Imperatoris.*

Avgvstvs præterea militibus, non quidem victoriæ nomine, quamquam & ipſe Imperatoris nomen acceperat, & Tiberio dederat, ſed quod Caium filium

(ab Agrippa genitum, à ſe adoptatum) nunc annum agentem duodecimum, aut ſummum decimum tertium, tum primum militaribus exercitationibus deditum, ſecum habebant, pecuniam largitus eſt, Tiberium autem etiam conſulem deſignauit. Huc facit illud Euſeb. in Chrón. Olymp. 193. 1. Tiberius vaſtata Germania Imperator appellatur. Quæ autem ibi ſubdit, de diuerſis rebus ab Herode geſtis, per epitomem in vnum locum congeſta ſunt, ſicut & alibi;[a] vt non neceſſarium fuerit Scaligerum ibi de parachroniſmis tragœdias agere. a l. 1. de Bello c. 17. & l. 16. Ant. c. 10.

VII. *Mecœnatis mors.* INTEREA cum vix finitus eſſet de Druſi morte luctus, alia ſuperuenit Auguſto lugendi materia, Mecœnatis: enim morte ingenti dolore affectus eſt; virum quippe fortem ac fidelem, & in monendo liberum amiſit: quippe cui Vrbis cuſtodiam: ſicut Agrippæ, diu commiſit, & aſperum etiam monitorem in media ira non illibenter accepit; dilexit & animum ab ambitione alienum, vt qui in equeſtri ſtatu conſeneſcere voluerit. Idem hæredem nuncupauit Auguſtum, eique liberum reliquit, velletne aliquid quibuſdam amicis dare. Idem primus Romæ natatorium aquis calidis refertum inſtituit, primuſque ad celeritatem ſcribendi notas quaſdam literarũ excogitauit: quam rem Aquilæ liberti miniſterio multos docuit. Fuiſſe autem eo tempore literatorum virorum præſidium & decus, ex Horatio notiſſimum eſt: nec ſine illuſtri eius gloria, nomen Mecœnatis ad poſteros, benignitatis ipſius imitatores, propagatum eſt.

VIII. *Herodes Romam, & Aquileiam venit.* PERVENIT hoc anno Romam Herodes cum filiis, quos apud Cæſarem accuſaturus erat, idq; duabus notis confirmare poſſumus, vrbe ſcilicet Aquileiæ, & largitione in milites facta, quam paulo ante attigimus; vtraque in ipſa narratione demonſtrabitur.

Quo poſtquã peruenit ait Ioſephus[b] (Romam ſcilicet) non inuentum ibi Cæſarem, Aquileiam vſque perſecutus eſt. Egreſſus videlicet fuerat cum Tiberio contra Germanos proficiſcente, ſed non vltra Aquileiam proceſſerat. Id egregie confirmat Suet.[c] Reliqua bella, inquit, per legatos adminiſtrauit, vt tamẽ quibuſdã Pannonicis atque Germanicis aut interueniret, aut non longe abeſſet, Rauennam, vel Mediolanum, vel Aquileiam vſque ab Vrbe progrediens. Conſentit Dio l. 54. extremo. His peractis, inquit, Tiberius & Druſus cum Auguſto, qui in Lugdunenſi Gallia plerumque verſabatur, haud procul à bello Germanico remotus, eiuſque euentui intentus, Romam redierunt. Et initio l. 55. ad famam ægrotantis Druſi Auguſtus, qui non ita procul ab eo aberat, celeriter Tiberium acceſſit. b l. 16. c. 7. c Suet. l. 2. c. 20.

IX. *Abfuiſſe nunc Roma Cæſarem.* AT, inquies, Dio, quod ad rem præſentem attinet, contra nos facit: ait enim Auguſtum cum hoc tempore principatum in alterum decennium acciperet, & in Germanos bellum moliretur, ipſum domi ſubſtitiſſe, Tiberium autem Rhenum tranſiiſſe. (καὶ αὐτὸς μὲν ἐν τῇ οἰκείᾳ ὑπέμεινε.) Reſpondeo mentem Dionis eſſe Auguſtum ad tempus domi ſubſtitiſſe, nec ſimul cum Tiberio egreſſum eſſe, expectando dum ei imperium in alterum decennium decretum eſſet, quoniam ſine imperio bellum ſuis auſpiciis gerere non poterat: cunctabatur autem id recipere, vt inuitus recipere videretur, vt perſpicue aſſerit Dio. Mox autem eum egreſſum eſſe confirmato imperio, ex eo certo conſtat, quod deinde quaſi re bene geſta, & ipſe Imperatoris nomen accepit, & Tiberio dedit, quod ridiculum eſſet, ſi ipſe domi reſediſſet.

X. *Vt per ſuos bella conficeret.* SVBSISTEBAT autem ipſe quaſi in medio itinere, & per legatos rem agebat, ſiue quia ſæpe fœlicius per legatos, quam per ſe ipſe bella conficiebat, vt Plutarch. in Antonio, & Appianus tam de ipſo, quam de Antonio prodiderunt; itaque notat Suetonius[d] eum externa bella duo omnino per-ſe geſſiſſe, Damalticum cum eſſet adoleſcens, & deuicto Antonio, Cantabricum; ſiue quia eadem opera & Vrbi præerat, & exercitui, cum non longe ab vtroque abeſſet, & hoſti terrori erat, quaſi eum gemino inuadens exercitu, & vrbem, ne quis res nouas molliretur, in officio continebat, ſimulque vitabat ſatietatem ſui. d li. 2. c. 20

Auguſti prudentia.

XI. *Herodes filios apud Auguſtum accuſat.* VT ergo redeamus ad Herodem, cum is Aquileiam, vt ait Ioſephus,[e] in colloquium cum Auguſto veniſſet, rogaſſetque vt de infortunio ſuo vellet cognoſcere, adductos coram filios accuſauit inſolentiæ, tentatique veneficii, ſed cum res tota careret probationibus, idemque eſſet accuſator, & parens, facile intellexit Cæſar rem totam calumniis eſſe ſubnixã, & regem ipſum culpa non carere, qui ſine vllis certis argumẽtis tã temere criminationẽ eſſet amplexus: præſertim cũ filii dudũ e l. 16. c. 17

FILIORVM CVM HERODE RECONCILIATIO.

Romæ ab Auguſto noti, ſe & verbis & lachrymis ab eo facinore longe abeſſe facile demonſtrarent, & omnes, atque adeo accuſatorem ipſum ad ſui miſerationem commouerent. Itaque Cæſar auditis vtriſque aliquantiſper deliberabundus, hoc ipſo iuuenes alioqui inſontes, peccaſſe pronunciauit, quod non tales parenti ſe præſtitiſſent, vt nulla poſſet in eos hærere ſuſpicio. Herodem autẽ rogauit vt ſuſpicari deſineret, ac reconciliaretur filiis, & vtrinque deinceps, ad abolendas ſuſpiciones veteres, pietas diligentius coleretur.

XII. *Reconciliantur pater ab Auguſto.*

POST hanc admonitionem iuuenibus innuit vt patri ſupplices fierent, ſeque ad eius genua abiicerent, (id enim eſt ὑποπεσεῖν ἐπὶ δίκῃ) quod Pater non expectans, prior flentes vnum poſt alium complectitur. Tum igitur poſt actas Cæſari gratias, vnà diſceſſerunt, & cum eis Antipater, ſimulans ſe gratulari reuerſis in gratiam. Sequentibus deinde diebus Herodes trecentis talentis Cæſarem donauit, munera edentem Romæ, & congiarium diuidentem populo. Hanc largitionem exiſtimo eandem eſſe cum ea, cuius meminit Dio, quæ militibus facta eſt, propter initia, rudimentaque militiæ Caij. Munera vero, ſiue ſpectacula (Θέας) accipio perennes illos equeſtres ludos, quos ipſe in natalitiis ſuis tum accepit, cum Tiberio triumphatum conceſſit.

Dona mutua Auguſti & Herodis.

XIII. *Herodi cõmittit regni diſpoſitionem.*

CÆSAR autem viciſſim Herodi donauit dimidium redituum è metallis Cypriis, & reliquum dimidium procurationi eius commiſit, aliiſque hoſpitalibus officiis honorato, liberam poteſtatem permiſit eligendi ſucceſſorem quemcumque è filiis; aut ſi mallet, regni in ſingulos diuidendi. Quod cum ille iam facere pararet, negauit Cæſar ſe commiſſurum, quin ille quam diu viueret, tam regnum haberet in poteſtate, quam filios.

Qui Iudæam repetit.

His ita peractis Rex cum ſuis Iudæam repetit. Cumque perueniſſent ad Eleuſam oppidum Ciliciæ, quod Sebaſte mutato nomine dicitur, offendunt ibi Archelaum regem Cappadocum, de reconciliata gratia gratulabundum, datiſque viciſſim regiis muneribus digreſſi ſunt.

Et imprudens æmulationem accendit.

Poſt hæc Herodes in Iudæam reuerſus aduocata in templum concione, quid in ea peregrinatione egiſſet expoſuit, denarrataque humanitate Cæſaris, & aliis rebus quas illos ſcire voluit, extrema oratione omnes ad concordiam cohortatus, pronunciauit filios poſt ſe regnaturos, primum Antipatrum, deinde ex Mariamne natos Alexandrum & Ariſtobulum; qua voce inuidiæ & æmulationis facem, inter filios ſuos vtcumque ſopitam, imprudenter accendit.

XIV. *Mors & ætas Horatij poëtæ.*

MORTVVM hoc anno, atque his conſulibus Horatium Lyricum poëtam, ex dolore fortaſſe patroni ſui Mæcenatis defuncti, autor eſt Suetonius in eius vita, poſt nonum, inquit, & quinquageſimum annum, herede Auguſto palam nuncupato, cũ vrgente vi valetudinis non ſufficeret ad obſignandas teſtamenti tabulas, &c. Si poſt nonum & quinquageſimum, ergo ineunte ſexageſimo; ſed ſine dubio non ſuperauit 57. tum quia, eodem Suetonio teſte, natus eſt 6. idus Decembres, L. Cotta & L. Torquato Coſſ. V. C. 688. in fine. Inde autem ad an. 745. 57. tantum reperiuntur, 12. diebus minus, quandoquidem mortuus eſt quinto Calend. Decembres, vt ait idem Suetonius: tum quia, vt ſupra diximus, ipſemet Horatius author eſt ſe Lollio & Lepido Coſſ. annum egiſſe quadrageſimum quartum, vnde neceſſario præſens eſt quinquageſimus ſeptimus. Vir fuit in cuius ſepulchro, ipſo non repugnante, ſcribatur, *Epicuri de grege porcus.*

facinus monimentum in aditu ſepulchri extruxit. Deinceps autem tota eius domus in dies pluribus agitata odiis, calumniis, querelis; amicorumque tormentis ac cædibus, tam huius criminis, quam aliorum multo grauiorum pœnas diuinitus inflictas ſentire cœpit, quæ à Ioſepho [a] fuſius exponuntur, & ab eo peti poſſunt. De theſauris autem iſtis ſepulchralibus quid nobis dicendum videretur, aliis iam locis diximus. [b] Ex quibus intelliges tam Hircanum quam Herodem ab hoc ſacrilegio immunes videri. Cæterum quæ apud Ioſephum c. 12. habentur, quia ad ſeriem temporum indicandam pertinent, non ſunt omittenda.

a l. 16. c. 11. & 12.

b An m. 3031 n. 109. 104 & a. m 3921. nu. 8. & 9.

V. *Herodes in Alexandrum miteſcit.*

Dvm ergo Herodes vndique animo anxius quo ſe verteret ignoraret, adeo vt nocte dieque eas moleſtias animo volutans minimum abeſſet ab inſania, & Alexandrum, Archelai regis Capadociæ generum, calumniis oppreſſum pro conuicto, ac parricidii reo haberet, Cappadox de filia & genero ſolicitus, ad Herodem venit, & ſimulata in Alexandrum indignatione, præ ſe fert ſe filiæ ſuæ cum eo matrimonium velle diſſoluere: quo periculo quaſi vero motus pater, cœpit in filium miteſcere, quam occaſionem ſumens gener filio patrem, fratri etiam fratrem reconciliauit, id eſt Pheroram Herodi, poſtquam ille criminationes & calumnias in Alexandrum ſuas detexit. Et quoniam Herodes de hoc negotio Romam ſcripſerat ad Cæſarem, conuenit inter Archelaum & Herodem, vt Romam Herodes peteret. Feceruntque ſimul iter vſque Antiochiam, vbi præſidem Syriæ Titum reconciliauit Archelao; atque ita in Iudæam reuerſus eſt, primo quoque tempore in Italiam nauigaturus. Nec plura hoc anno geri potuerunt, cum Italicæ nauigationi, & nouis Syriæ præſidibus tempus aſſignandum ſit.

Opera Cappadocis.

Herodes Romam iterum cogitat.

ANNVS MVNDI 4048. SEXTÆ ÆTATIS 533. B. VIRGINIS 11. IMPERII ROMAN. 43. AVGVSTI 38. HERODIS, 32. ET 35. ÆTATIS 67. SIMONIS 19. PRÆSIDE SYR. SATVRN. ET VOLVMNIO. OLYMP. CXCIII. AN. 4. VRB. COND. 747. COSS. C. ANTISTIO VETERE, ET D. LÆLIO BALBO. ANNO IVL. 40. AVGG. 24. ACTIACÆ VICTORIÆ 26.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 5.

I. *Lucius petit fratri conſulatum.*

Domesticæ res Auguſti Cæſaris nonnullam turbationem in vrbe ſenſerunt, ſicut Herodianæ Hieroſolymis. Nam C. & L. Auguſti ex adoptione filij, in principatu educati, ex molliori vita etiam audaciores fiebant, vt ſcribit Dio l. 55. Lucius quippe, minor ſcilicet natu, iniuſſu aliquãdo in theatrum ingreſſus, cum omnium applauſu exciperetur, aucta licentia auſus eſt petere, vt Caio fratri, nondum ex ephebis egreſſo, conſulatus daretur. Agebat is nunc annum decimum quintum. Natus enim eſt, autore eodem Dione, M. Apuleio & P. Silio Coſſ. An. V. C. 733. Auguſtus autem indignatus, optauit ne vnquam inciderent huiuſmodi tempora, in quæ olim ipſe incidiſſet, vt minor viginti annis Conſul fieret. Cum nihilominus filij hoc ab ipſo contenderent, tum demum inquit hunc magiſtratum alicui eſſe ſuſcipiendum, cum & ipſe à peccando ſibi cauere, & populi cupiditatibus reſiſtere poſſet.

II. *Auguſtus deſignari Coſſ. cupit.*

Designari tamen conſules ipſe cupiebat. Audi enim Tacitum [a] Genitos Agrippa C. ac L. in familiam Cæſarum induxerat: necdum poſita puerili prætexta, Principes iuuentutis appellari, deſtinare conſules, ſpecie recuſantis flagrantiſſime

cupiuerat. Et vero etiam obtinuit. Nam in monimento Ancyrano, qui extat in Gruteri inſcriptionibus, ita legitur. HONORIS MEI CAVSA S. P. Q. R. ANNVM QVINTVM ET DECIMVM AGENTES [a] CONSVLES DESIGNAVIT, VT EVM MAGISTRATVM INIRENT POST QVINQVENNIVM, EX EO DIE QVO DEDVCTI IN FORVM. Hæc ibi, quæ refert etiam, & ſupplet doctiſſimus Lipſius.

a C. ſcilicet & L.

III. *Quando deducti fuerint in forum.*

QVO autem die deducti ſint in forum, ſatis conſtat: cum legamus apud Suet. in Octauio c. 26. duodecimum conſulatum magno, id eſt ſeptemdecim annorum interuallo, & rurſum tertium decimum bienno poſt vltro petiit, vt Caium & Lucium filios ampliſſimo præditus magiſtratu, ſuo quemq; tyrocinio deduceret in forum. Sic ipſe; At duodecimus Augusti conſulatus ad annum ſequentem pertinet; alter autem ad V. C. 751. ergo non prius deducti ſunt in forum. Nam ſequens annus Caio decimus ſextus erat, qui annus legitimus erat deponendæ prætextæ, & aſſumendæ togæ puræ, dicebaturque annus tyrocinij, vt ex dicto Suetonii loco intelligitur, & affirmat Sigon.[b]

b l. 3. de Iud. c. 18.

IV. *Tempus prætextæ, & togæ puræ.*

EVM togæ puræ annum confirmat Suet.[c] Quadrimus (Auguſtus) patrem amiſit; duodecimum annum agens auiam Iuliam defunctam, pro concione laudauit; quadriennio poſt virili toga ſumpta, militaribus donis, triumpho Cæſaris Africano, donatus eſt, quamquam expers belli propter ætatem; quæ ſcilicet incipit anno 17. Lucius autem cum deductus in forum fuerit anno 751. & 13. Auguſti conſulatu, triennio fere minor fuit Caio. In Auguſti gratiam igitur, C. & L. futuri erant conſules ætatis anno 21. ille V. C. 753, hic autem 756. Sed præmatura mors eam ſpem, cæteraſqu omnes irritas fecit.

c l. 2. c. 8.

V. *Caius princeps iuuentutis.*

NIHIL ne igitur hoc anno conſecuti ſunt? L. aliquid priuilegii accepit, C. autē etiam Princeps iuuentutis factus eſt; Ancyranum enim monimentum ſic habet, VT INTERESSENT CONSILIIS PVBLICIS DECREVIT SENATVS, EQVITES AVTEM ROMANI VNIVERSI PRINCIPEM IVVENTVTIS CAIVM, HASTIS ARGENTEIS DONATVM, APPELLAVERVNT. Dio l. 55. non vnum Caium, ſed vtrumque donatum parmis & haſtis aureis tradit ab equitibus, cum virilem togam ſumerent: reliqua, & aliquanto plura, vni Caio tributa ab Auguſto ſcribit, ait enim; Deinde ſacerdotium Caio, vtque in ſenatum ire, atque inter Senatores ſpectare, epuliſque intereſſe liceret, dedit. Sed affectui paterno prudentia moderabatur.

VI. *Tiberium honorat Auguſtus. Cum offenſione filiorum.*

VT enim aliqua ratione modeſtiores eos efficeret, Tiberio Tribuniciam poteſtatem in quinquennium conceſſit, Armeniamque quæ defecerat mandauit; ſed vtroque eo facto offendit, filios quidem, quod ſe ſpretos iudicabant; Tiberium, quod iram eorum verebatur. Itaque ſe Rhodum hic contulit, vt ſeq. anno docebimus, quaſi diſciplinæ capiendæ cauſa, ne comitatu quidem omni ſuo ſecum accepto, vt & à conſpectu ſe eorum, & actionibus ſubduceret: ſicut pridem anno V. C. 730. Agrippa Marcellum vitans in Syriam Auguſto volente abiit. Vt Tranquillus quoque notauit.[d] Nec deſunt qui hoc eum propter Iuliam coniugem feciſſe putent, quam ferre diutius nequiuerit, certe abiens eam Romæ reliquit. Hæc Dio.

d l. 3. c. 10.

VII. *Dionis chronologia decennio confuſa.*

VERVM hæc profectio Rhodienſis ad hunc annum non pertinet, imo ne ad ſequentem quidem, cum Velleius dicat Tiberium eo profectum, cum C. ſumpſiſſet iam virilem togam, L. item maturus eſſet viris. Itaque eam ad annum Vrbis Conditæ 749. referemus. Exilium quoque Iuliæ ad hunc annum non pertinet, multoque minus mors C. & L. quamuis ad hunc annum à Dione referri videantur: ſed ille plurium annorum res geſtas in vnum faſcem congeſſit: ab anno enim 747. ad 757. non diſtinxit annos, quod plerique admodum ieiuni eſſe viderentur. Quæ res nonnullos in fraudem induxit, idque ingenue fatetur Lipſius in primū Annal. Taciti. Feſellit Caluiſium. Scalig. Pontacum, Baron. init. Annal. n. 15. & niſi fallor, Deckerium in theſibus ſuis. Sed neque dictos filios adhuc in prouincias miſſos exiſtimo, propter ætatis infirmitatem, cui timebat Auguſtus, niſi forte in vicinas. Suadet Suetonius,[e] Caium inquit & Luciū teneros adhuc, ad curam Reip.

e l. 2. c. 64.

admouit, & Conſules deſignatos circum prouincias, exercituſque dimiſit. Sic ipſe.

VIII. *Herodes Italiam repetit. Latronum excurſiones in Iudæa. Syllæo receptatore.*

a l. 16. c. 13. Series porro narrationis de Herode exigit, iuxta ea quæ à Ioſepho [a] narrantur, vt Rex ille hunc annum in Romana peregrinatione conſumpſerit. Et nuper quidem quando Rex nauigauit in Italiam, Alexandrum accuſaturus, & commendaturus Antipatrum Cæſari, Trachonitæ, qui Herodi à Cæſare iam dudum fuerant attributi, per eius abſentiam, res nouas moliti fuerant, & ab Herodis ducibus perdomiti, ſupplicioque affecti. Cæterum 40. ex his latronum principes, captorum exemplo territi, relicto patrio ſolo fugerant in Arabiam, recipiente Syllæo, propter non impetratum Salomes coniugium. (Erat hic Syllæus, qui Obodæ regis Arabum negotia adminiſtrabat, & Salomen vxorem non obtinuerat, quod Iudæorum religionem ac ritus amplecti noluiſſet, vt fuſius tradit Ioſeph. [b] à quo cum munitum quendam locum accepiſſent habitandum, excurſionibus Iudæam, totamque Cœleſyriam fatigabant, abigebantque prædas in ſua receptacula, Syllæo præbente impunitatem & ſecuritatem maleficiis.

b l. 16. c. 11.

IX. *Herodes apud Syriæ præſides litigat. Eum apud Cæſarem Syllæus criminatur.*

Herodes autem reuerſus à Romana peregrinatione, in qua quid egerit cum Cæſare, aliiſue tacet omnino Ioſephus, reuerſus inquã comperit multa damna illata ſuis à latronibus, quorum cum domeſticos in Thraconitide interfeciſſet, illi irritatiores Herodis ditionem perpetuis incurſionibus vexabant. Tum Rex ad præſides à Cæſare miſſos Saturninum & Volumnium rem detulit (& videntur hi hoc anno Roma cum Herode veniſſe, in locum Titi ſuffecti,) latrones depoſcens ad ſupplicium, & ſimul 60. talenta mutuo data Obodæ Regi Arabiæ. Illi ſtatuunt vt intra 30. dierum ſpatium & debitum redderetur, & ex vtroque regno perfugæ reſtituerentur. Vbi tempus aduenit, Syllæus nolens ſtare conuentis, Romam profectus eſt, Herodem criminaturus apud Cæſarem.

X. *Herodes Arabiam cum exercitu inuadit.*

Interim Herodes permiſſu præſidum Syriæ in Arabiam cum exercitu penetrauit, & pecuniam & prædones exigens; quorum caſtellum primo impetu cœpit, ducem eorum cum 25. occidit, reliquis in fugam compulſis. Hæc Romam properatis nunciis Syllæo relata ſunt, omnia ſuo more exaggerantibus. Is iam ante inſinuatus in notitiam Cæſaris, mutata veſte atratus illum adiit, & damna Arabiæ ab Herode illata in infinitum amplificans, Auguſtum vehementer commouit; præſertim cum percunctatus eſſet ex Herodis amicis, qui tunc aderant, an is vllum exercitum extra regni ſui fines eduxiſſet. Id cum illi fateri neceſſe haberent, nec Cæſar cauſam expeditionis audire dignaretur, magis etiam iratus, Herodi ſcripſit minaciter, ſe hactenus illo vſum tanquam amico, poſthac habiturum eum pro ſubdito. Syllæus quoque ea de re ſcripſit ad Arabas; ſed hæ literæ non videntur hoc anno in Iudæam peruenire potuiſſe. Quis enim ſibi perſuadeat, iter quod interiacet Romam inter & Hieroſolima quater eodem anno, confici poſſe, etiamſi neutro in loco tantillum moræ ponatur? Harum itaque literarum effecta in annum proximum differemus.

Cæſar Herodi infenſus.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 4048.

I. N. I. Scaliger in hunc annum refert relegationem Iuliæ filiæ Auguſti, Euſeb. autem in annum ſeq. quem propterea vnius anni parachroniſmi arguit, cum ipſe potius metachroniſmi quinquennij arguendus ſit. Contigit enim ea relegatio anno quo Naumachiam exhibuit Cæſar, vt docet Dio: cuius lacuna in Conſulatu Lælii & Antiſtii eum in fraudem induxit, vt putaret iiſdem Conſulibus relegatam Liuiã; atqui Velleius clare ait & Naumachiam & relegationem, Auguſto & Caninio Coſſ. anno 751. contigiſſe, vt ſuo loco dicemus, idque agnoſcit Pontacus in eundem Euſebij locum.

ANNVS MVNDI 4049. SEXTAE AETATIS 534. B. VIRGINIS 21. IMPERII ROM. 44. AVGVSTI 39. HERODIS 33. & 36. ÆT. 68. SIMON. PONT. 20. PRÆS. SYR. SATVRN. ET VOLVMNIO. OLYMP. CXCIII. AN. 4. VRB. COND. 748. COSS. AVGVSTO XII. ET L. CORNELIO SYLLA. ANN. IVL. 41. AVGG. 25. ACT. VICT. 27.

ANNVS ANTE CHRISTVM 4.

I. *Duodecimus Augusti Conſulatus, cur receptus*

MAGNO ſeptendecim annorum interuallo factus eſt duodecimùm Conſul Auguſtus, vt cum Suetonio dicebamus.[a] Vndecimùm enim Conſul fuit cum Piſone, anno 730. ex quo hic decimus octauus inchoatur, cum Cornelio Sylla: duodecimum autem Conſulatum (quem Caſſiodorus vndecimum appellat, faſti autem Siculi 13. Sed Sueton. Plin.[b] Euſeb. Chronogræcum, & recent. omnes appellant duodecimum) ſuſcepit, quantumuis honorum, & magiſtratuum ſatur, vt Caium Cæſarem annos 16. natum, maiore pompa & gloria, ampliſſimo fungens magiſtratu, in forum deduceret, vbi prætexta depoſita togam puram cepit, & ex eo die deſignatus Conſul eſſe cœpit in quinquennium, vt proximo anno dictum eſt. Ea deductio fiebat 17. Martii, teſte Ouid. l. 3. Faſt.

a l.2.c.26. *b l.7.c.3.*

Tertia poſt idus lux è celeberrima Baccho &c.

II. *Tiberius abit ab Vrbe.*

MOX autē Tiberius ex vrbe abiit, autore Paterculo. Cum enim dicat eum Rhodi ſeptem annos moratū eſſe, rediſſeq; P. Vinicio Conſule, id eſt an. V.C. 754. oportet ipſum hoc anno diſceſſiſſe, poſt datam Caio ab Auguſto virilem togam. De cauſa autem profectionis hæc habet Velleius, adulatorio deinceps ſtylo nimium luxurians. Locum ſubobſcurum & ambiguum, quomodo à Iuſto Lipſio legitur deſcribam: non parum enim ad hiſtoriæ ſeriem facit. *Breui interiecto ſpatio, Tib. Nero duobus Conſulatibus, totidemque triumphis actis, tribuniciæ poteſtatis conſortione æquatus Auguſto; Ciuium, poſt vnum, & hoc quia volebat, eminentiſſimus, ducum maximus, fama fortunaque celeberrimus; & vere alterum* Reip. *lumen & caput, mira quadam & incredibili, atque inenarrabili pietate (cuius cauſa mox detectæ ſunt) cum Caius Cæſar ſumpſiſſet iam virilem togam, Lucius item maturus eſſet viris, ne fulgor ſuus orientium iuuenum obſtaret initiis, diſſimulata cauſa conſilij ſui, commeatum ab ſocero, atque eodem vitrico, acquieſcendi à continuatione laborum petiit.*

Ex Velleio.

III. *Rhodi inuiſitur, & honoratur.*

QVIS fuerit eo tempore ciuitatis habitus, qui ſingulorum animi, quæ digredientium à tanto viro omnium lachrimæ; quam pene ei patria manum iniecerit, iuſto ſeruemus operi. Illud etiam in hoc tranſcurſu dicendum eſt, ita ſeptem annos Rhodi moratum, vt omnes, qui proconſules legatique, in tranſmarinas profecti prouincias, viſendi eius gratia, cum conuenirent, ſemper priuato, ſi illa maieſtas priuata vnquam fuit, faſces ſuos ſummiſerint, faſſique ſint otium eius honoratius Imperio ſuo. Eadem fere habet Sueton.[c] Addit etiam quomodo, dum abiens oram Campaniæ legeret, audita Cæſaris valetudine ſubſtiterit; ſed iuniores veritus, quaſi mortis nuncia ad inuadendum Imperium præſtolaretur, tantum non aduerſis tempeſtatibus Rhodum enauigaſſe, amœnitate atque ſalubritate inſulæ captum, ex quo ab Armenia rediiſſet.

c l.3.c.10.

IV. *Herodes Romani legatū mit-*

INTEREA vero in Iudæa Arabes literis Syllæi, neque latrones qui effugerant

dedere, neque acceptam mutuo pecuniam per ſoluere voluerunt. Quin etiam Trachonitæ hac occaſione vſi Idumæorum cuſtodiam, quam illis impoſuerat Herodes, iuncti Arabibus vexabant: quæ Herodes, literis Cæſaris territus, ferre cogebatur. Præſertim cum is eius legatos primum ne admiſerit quidem, deinde iterum ſe offerentes, dimiſerit infecto negotio. In quo, ſi vera ſcripſit Ioſephus, Auguſtus non ſatis boni Iudicis officium expleuit, qui accuſatione audita, reſponſioni aurem indignabundus occluſerit. Cum autem in Iudæa & Arabia res in dies ruerent in peius, decreuit Herodes legatos denuo Romam mittere, ſi quid æquius per amicos à Cæſare impetrare poſſet. In eam legationem Nicolaus Damaſcenus profectus eſt. *tit Damaſcum.*

V. *Noua Herodis cum filiis diſsidia.*

Per idem tempus diſſidium Herodis cum filiis vehementius exacerbatum eſt, vt habet Ioſephus, [a] artibus cuiuſdam Euryclis Lacedæmonii, qui ſeſe in ſingulorum gratiam inſinuabat, vt perderet vniuerſos. Cumque Herodes omnibus calumniis aures præberet, & per tormenta ad eas excogitandas miſeros cogeret, filios Mariamnes, quaſi conuictos inſidiarum in patrem, coniecit in vincula; in eos ſæuiturus, prout res ſuæ Romæ tuliſſent. Cum enim inter alia Alexander & Ariſtobulus negaſſent quidem vllas à ſe in patrem paratas inſidias, falſi tamen eſſent ſe fugam ad Archelaum meditatos, vt ſeſe ab hiſce turbis, ac ſuſpicionibus expedirent,

a l.16.c.16.

VI. *Mittit Romam alios legatos.*

Herodes etiam Archelao infenſus, literas Olympo dedit & Volumnio, iuſſis vt inter nauigandum appellerent ad Eleuſam oppidum Ciliciæ, & Archelao ſcripta de his redderent, (hic Volumnius alius videtur à Præſide Syriæ, neque enim ei mãdata daret vt ſubdito. [b] Alibi Volumnium militiæ magiſtrum appellat, & Olympum vnum de regis amicis.) & poſt expoſtulationẽ, quod conatuum particeps eſſet, Romam inde nauigare pergerent, & literas de hiſce rebus Cæſari, ſi eum à Nicolao placatum inuenirent, redderent. Quid autem ab hiſce legatis, & Damaſceno, vbi Romam peruenerunt, factum ſit, cum eos in Iudæã reduxerimus, ſequenti anno dicemus. Torniellus autem anno 4049. multo plura coniicit in vnum annum, quam ratio temporum patiatur, ſi Ioſephum attendas.

b in l.1. de bel. c.17. ſub fi.

ANNVS MVNDI 4050. SEXTÆ ÆTATIS 535.

BEATISS. VIRG. 13. IMPER. ROM. 45. AVGVSTI 40. HERODIS, 34. & 37. ÆT. 69. SIMON. PONTIF. 21. PRÆSID. SYR. SATVRNINO ET VOLVMNIO OLYMP. CXCIV. AN. 1.
VRB. COND. 749. COSS. C. CALVISIO SABINO, ET L. PASSIENO RVFFINO.
ANN. IVL. 42. AVGVST. 26.
ACTIAC. VICT. 28.

ANNVS ANTE CHRISTVM 3.

I. *Rhodia Tiberii commoratio.*

HIC annus, qui Damaratum Epheſium habuit Olympionicam, primus eſt commorationis Tiberii in inſula Rhodo, de qua legendus eſt Suet. [c] qui eam modeſtiæ titulo, atque humanitatis commendabilem exhibet, vbi inter alia. Hic modicis contentus ædibus, nec multo laxiore ſuburbano, genus vitæ ciuile admodum inſtituit, ſine lictore aut viatore gymnaſia interdum obambulans, mutuaque cum Græculis officia vſurpans, prope ex æquo. Ne autem offendare lector, quod hic annos mortis Herodis ſemel iterumque à Ioſepho notatos non inuenis à nobis obſeruatos. Nam primo memento nos annos tam Herodis quam Auguſti & B. Virg. inchoatos tantum numerare, prout incurrunt in Iulianos, ſiue

c l.3.c.11.

Conſulares annos. Itaque 34.& 37. Herodis ſequenti tanquam anno finiuntur,ſub finem autem præſentis duntaxat inchoantur.

II. *Ratio temporis.* DEINDE ſcito obſeruatis annis,quos Ioſephus aſſignat,tam reſtaurationi templi, & dedicationi Cæſaręæ,quam Agrippæ & Cæſaris profectionibus in Syriam; cætera quæ adhuc narrauit, non potuiſſe breuioribus temporis ſpatiis circumſcribi; idque tute mecum fatebere,ſi ſingulos annos expenderis; vt dicendum ſit numerum annorum Herodis à Ioſepho diminutum, aut pluribus refertos rebus, quam veritas ipſa patiatur; quod illi etiam magis experiuntur, qui Chriſti ortum vno aut pluribus Conſulatibus accelerant. Itaque plerique iam,in quærendo anno natiuitatis Chriſti,fatentur Ioſephum,aut Herodis annos ab eo notatos,certos duces eſſe non poſſe, eum quippe deſerit Baronius, & Gordonus,Samerius, aliique non pauci; ſed de his poſtea diligentius, nunc Herodis res anni huius exequamur.[a]

III. *Cæſar Herodi reconciliatus.* LEGATI Herodis Romam delati inuenerunt iam Herodi reconciliatum Cæſarem, eique literas reddiderunt. Nam Nicolaus Damaſcenus iunctus Arabibus, qui ad Syllæum accuſandum venerant, eiuſdem ſe accuſatorem profeſſus eſt apud Auguſtum, non Herodis defenſorem, ne ſicut ante cæteri, repelleretur. Cumque multa eius crimina patefaceret, ac legatorum Arabum teſtimonio confirmaret, etiam addidit Cæſarem eius mendaciis in Herodis cauſa circumuentum. Quæ cum aperte retexiſſet, & certis, legitimiſque ſcriptis comprobaſſet, ad vltimum eo res deuenit, vt Cæſar damnato capitis Syllæo, & pœnitens quod eius mendaciis impulſus durius ad Herodem ſcripſiſſet, Herodem in gratiam recepit, Syllæum remiſit in prouinciam, vt poſtquam ſatisfeciſſet creditoribus, pœnas daret. *Syllæi damnatio.* Aretæ quoque, qui regnum Arabum loco Obedæ acceperat, non expectata Auguſti ſententia, reconciliatus, eius munera dudum reiecta accepit, eique regnum ſua autoritate confirmauit. [a ex l.16. Ant.c.16.& 17.]

IV. *Cæſaris literæ ad Herodem de filiis eius.* POST hæc Herodi iam reconciliatus, ſcribit dolere ſe vicem eius, qui tales haberet liberos, debere eum, ſi quid contra pietatem auſi ſint, vt in parricidas animaduertere; ſe enim liberam ei poteſtatem permittere; quod ſi tantum fugam meditati ſint, ipſum quoque ſalua pietate oportere leni caſtigatione contentum eſſe. Quare ſuum conſilium eſſe, vt indicto conſiſtorio apud Berytum Romanorum domicilium, & adhibitis præſidibus cum rege Cappadocum Archelao, amiciſque cæteris, & viris illuſtribus, de communi ſententia quid ſtatuendum ſit diſpiciat. Atque hoc fuit argumentum epiſtolæ Cæſaris: Qua accepta Herodes ſupra modum gauiſus eſt, tum quod rediiſſet in gratiam, tum propter conceſſam ſibi liberam de filiis ſtatuendi poteſtatem. [l.16 c.16. 17.init.]

V. *Quos Herodes in iudicio condemnari curat.* ERGO rebus ſuis in melius commutatis, & recepta priſtina, fiducia, laxat habenas odiis, conuocat per nuncios quotquot viſum[b] eſt Cæſari, vno excepto Archelao, ſiue quod hominem oderat, ſiue quod vereretur ne ſuo propoſito obſiſteret. In primo de Bello nominat iudices Romanos Saturninum, & Pedauium legatos, & Volumniũ procuratorẽ. In eo iudicio, res iniquiſſime ab Herode Romaniſq; iudicibus acta eſt, ſi eam vere Ioſeph. retulit. Nã Herodes qui pars erat, accuſatorẽ agit & iudicẽ, mortiq; addicit regios adoleſcentes neq; auditos, neq; in conciliũ vocatos, friuolis nixus coniecturis, nec liberam iudicibus relinquit ſuffragiorum poteſtatem; ſed exemplo illos ſuo, & autoritate ad innoxios damnandos compellit. [b l.1.de bel. c.17.ſub.fi.]

Cum Iudicum culpa. In quo illi grauiter quoque deliquerunt, qui cum in Syria Præſides eſſent, & exercitum haberent in manu, ſi vti placuiſſet, vt innocentes immani ac parricidæ tyranno eriperẽt, illi tamen maxima ex parte eos morti addixerunt. Nam Saturninus quidem cum filiis eos ita damnauit, vt tamen interficiendos non cenſeret, Volumnius autem capite plectendos pronunciauit; quem deinceps maior pars ſecuta eſt.

VI. *Per nouam calũniã damnati occiduntur.* HERODES reos Tyrum ſecum duxit: quo cum Roma veniens Nicolaus, qui Cæſaris literas præmiſerat, appuliſſet, Rex prius expoſitis, quæ apud Berytum acta fuerant, vbi didicit quæ eſſet hac de re amicorum Romæ ſententia, quæ erat ad lenitatem propenſior, ille ſecum multa voluens animo, Cæſaręam cum Nicolao nauigauit. Ibi cum vetus quidam Regis miles, libere eum deſtinati facinoris arguiſſet, coniectus eſt in carcerem cum ſuis, & ſæuiſſime tortus, quibus cum tor-

mentis filius male miſericors vt eriperet, falſi contra regem criminis patrem innoxium accuſauit; quem mox cum aliis ad populum productum & accuſatum, multitudo lapidibus obruit. Alexander autem & Ariſtobulus ducti Sebaſten, ibi iuſſu patris ſunt ſtrangulati, & corpora eorum in Alexandrium recondita ſunt, vbi maternus eorum auus Hyrcanus, aut potius propior Alexander, vt habet idem Ioſeph.[a] & plerique ex progenitorum ſerie ſiti ſunt.

a l. 1. debel. c. 17. in fi.

VII. *Ioſephus fatalem ſtatuit neceſſitatem.*

Hæc pluribus Ioſephus, qui huic tragœdiæ finem imponens, ita Herodem diræ ſæuitiæ arguit, & filios arrogantiæ, & credulitatis aduerſum patrem, vt cauſam tamē horum malorum in fortunam, & fatalem neceſſitatem coniicere malit: Nam inter alia. *Illud*, inquit,[b] *merito dubitari poſſit, in adoleſcentes ne ea culpa conferenda ſit, an in patris duritiam ac ſuperbiam, an potius in fortunam cuius, potentiæ nullis humanis rationibus reſiſtere licet, ne ſapientiſſimis quidē. Vnde perſuaſum habemus eam omnes humanas actiones præſanxiſſe, vt neceſſario conſequantur, eamque vim Fatum vocamus, quod nihil ſit quod illa non efficiat.* Alludere videtur ad notationem Latini nominis, potius quam græci. Nam fatum à faciendo dictum videri poteſt; at in græco idiomate, quo ille ſcribebat, εἱμαρμένη non ab efficiendo; ſed à partiendo, vel ſortiendo deducitur.

b Ant. l. 16. c. 17.

VIII. *Cum Dei & hominū iniuria.*

Verum hoc leuiuſculum eſt; illud graue ac pernicioſum, quod hominibus tollat libertatem, quod omnem humanam induſtriam irritam, atque inutilem reddat, quod diuinæ prouidentiæ, ad quam fatum hoc pertinet, iniuſtitiam omnem ac ſcelus impingat. Calumniæ ſiquidem iſtæ mortiferæ, cum ſine vlla dubitatione criminoſæ ſint, ſi culpa ad hominem ex neceſſitate agentem non pertinet, ad Deum vtique præſancientem, & manu eius operantem pertinet: non enim in gladium, ſed in hominem cædes iniuſta tranſcribenda eſt. Sed bene habet, quod hunc errorem ipſe quoque refellit, ſimulque ſibi contradicit; niſi aliquod textui erratum irrepſiſſe, aut verbum deeſſe fateamur: *Sed hunc ſermonem*, inquit, *vt arduum leuiter attigiſſe ſufficiet, qui & ſtudiis noſtris nonnihil tribuit, & varietatis actionum cauſas examinat: quæ quidem contemplatio iam olim incluſa eſt legis noſtræ voluminibus.* Sic ipſe: At quomodo ſtudiis noſtris tribuit aliquid hæc opinio, ſi omnia ita præſancita ſunt, vt neceſſario conſequantur? aut quo modo actionum cauſas examinat, ſi eæ non ex libertate, ſed ex neceſſitate fiunt? Itaque exiſtimarim deeſſe ἀποδεχώμεθα, aut aliquid eiuſmodi, vt verborum græcorum ſit iſta ſententia. Hunc itaque ſermonem, vt maiorem ad illum, ſiue præſtantiorem mouiſſe ſufficiat; amplectamur autem eum, qui nobis ipſis aliquid tribuit, & varietatem ſtudiorum noſtrorum obnoxiam faciat reddendæ rationi. Et hæc de Iudaicis rebus hoc anno, nam Antipatri conatus ad opprimendum patrem, fratribus iam ſublatis, non tam cito eruperunt.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 4050.

I. N. VIII. In iſtis verbis; τοῦτον μὲν οὖν τὸν λόγον, ὡς μείζω πρὸς ἐκεῖνον, ἀρκέσει κινεῖν, ἀποδεχώμεθα δὲ ἡμῖν τι αὐτοῖς ἀποδιδόντα τι, καὶ τὰς διαφορὰς τῶν ἐπιτηδευμάτων εἰς αἰτιωθέντας ποιοῦντα, &c. Verum hunc ſermonem, qui cauſas humanis ſuperiores attingat, mouiſſe ſufficiat: eum autem amplectamur, qui & nobis ipſis aliquid tribuit, nec varietatem ſtudiorum noſtrorum legibus ſolutam eſſe permittit. Vel certe nihil addendo, ita ſi placet interpretemur; hunc ergo ſermonem, quem ſcilicet ſubiicio, vt illo vtiliorem, mouere ſufficiat, qui nobis ipſis tribuat aliquid, & non omnia fato; & multiplices actiones noſtras examini ſubiiciat.

ANNVS MVNDI 4051. SEXTAE AETATIS 536.

B. VIRGINIS 14. IMPERII ROM. 46. AVGVSTI 41. HERODIS 35. & 38. ÆT. 70. SIMON. 22. MATTH. 1. PRÆS. SYR. SATVRN. ET VOLVMNIO. OLYMP. CXCIV. AN. 2. VRB. COND. 750. COSS. L. CORNELIO LENTVLO, ET M. VALERIO MESSALINO AN. IVL. 43. AVGG. 27. ACT. VICT. 29.

ANNVS ANTE CHRISTVM 2.

I. *Res anni huius.* PLERIQVE veterum, recentiorumque ſcriptorũ hunc annum fœliciſſimæ Chriſti Domini Incarnationi, & Natiuitati attribuunt, quam ſententiam proximo anno diligentius expendemus. Nos in hunc, conceptionem ſanctiſſimi Præcurſoris, & deſponſationem intemeratæ Virginis, quæ ad penultimum ante Chriſtum annum pertinent, coniiciemus, ſi prius res Herodis pertexuerimus; Nam Romanæ horum temporum, cum ad ſingulos reuocantur annos, admodum ieiunæ apud Scriptores eorum temporum apparent. Illud non negligendum *Ortus Galbæ Imperat.* videtur, Ser. Sulpicium Galbam Romanorum Imperatorum ſeptimum, his ipſis Conſulibus, extremo anni tempore 9. Cal. Ianuar. natum eſſe, autore Suet.[a] *a l.7.c.4.* Interea Caius Auguſti filius expeditionem in Orientem parat; ſed eam ſequenti anno duntaxat ſuſceptam, non autem præſenti, vt quibuſdam eſt viſum, ſuo loco docebimus.

II. *Antipater aditũ munit ad cædem patris.* ANTIPATER Herodis filius, ſublatis fratribus, gradu ad ſupremam impietatem facto, Patrem quoque de medio tollere ſtatuit, vt fuſe narrat Ioſephus.[b] *b l.17.c.1.* Cum autem plurimis in regno ſe odioſum eſſe non ignoraret, muneribus ac largitione eorum ſibi animos tam Romæ, quam in Iudæa adiungere ſatagit, quorum ope ſe faciliusvoti compotẽ fore ſperabat; & ante omnes Saturninũ qui tũ Syriæ præerat, & regis ſororem Salomen, quam hoc tẽpore Herodes compulit Alexæ cuidam matrimonio copulari, Syllæi loco hominis Arabis, qui noluerat Iudaicos ritus ſuſcipere. Verum hoc matrimonium vetulæ mulieris, quippe cuius frater, neque is primogenitus ſeptuagenarius erat, cuius filia Bernice quinque liberorum erat parens, parum mihi decorum, parum etiam, fateor, probabile videtur: manifeſto certe mendacio debilitatur eius fides; ait enim coaluiſſe id matrimonium adiuuante, & perſuadente Iulia Cæſaris vxore.

III. *Ioſephus in vxore Auguſti arguitur.* AT conſtat ex Suetonio,[c] *c l.2.n.62. 63.64.* qui genus eius vxoreſque percenſet, & cæteris, Auguſti Iulias fuiſſe duas, alteram filiam, neptem alteram: vxores autem Seruiliam Iſaurici filiam, Claudiam Antonii priuignam Fuluiæ filiam, Scriboniam, ex qua ſuſcepit Iuliam, denique Liuiam, quam vnice ac perſeueranter dilexit. Itaque pro Iulia Liuiam apud Ioſephum in Græcis, Latiniſque codicibus corrigendum videtur. Si tamen id erratum librariorum, & non ipſius Ioſephi fuit; in quod iterũ impegit,[d] *d l.19 c.9.* cũ ait Iuliam vxorem Cæſaris quingenta talenta in dedicatione Cæſaræ in Syriam miſiſſe, & in ludos effudiſſe, poſtremo[e] *e l.17.c.7 & rurſus c.8.* vbi Herodes teſtamento multa ei talenta legat. Officiis videlicet coluerat Liuiam Herodes, dum Romæ tam ipſe, quam filii eius verſarentur: & eam illa celebritatem dedicationis, ad mariti Auguſti gloriam redundare intelligebat.

IV. *Antipater filiis fratrũ infenſus.* SED redeamus ad Antipatrum. Is cum videret Herodem, miſeratione filiorum quos occiderat, in eorum pupillos beneuolentia ferri, curamque eorum gerere ſingularem, & affinitatibus ſibi cæteriſque domeſticis ſuis coniungere, inuidia ſtimulante ſceleſtus ingemuit; quippe qui eundem erga pueros animum obtinebat, quos erga parentes eorum habuerat, timenſque ne forte adulti potentiæ ipſius officerẽt,

in eam curam erat intentus, vt eis perniciem afferret; ſed parenti in primis tendebat inſidias; quippe qui perſuaſum haberet, ſi illum ſuſtuliſſet, ſe illico Regem fore; itaque regias quoque mulieres ſibi adiunxit, excepta Salome, quæ ſuſpiciones Regi afferebat. Addidit & Pheroram, & illi addictos Phariſæos, qui Pheroræ vaticinabantur regnum: quo nomine aliquot eorum Rex interfecit, aliosque domeſticos eiuſdem conſilii, vel conſcios, vel autores.

V. *Se Romam euocari curat.*

CVM autem patrem etiam ſuſpectum haberet Antipater, Romam ſcripſit ad amicos, vt eorum opera Cæſar ipſum Romam accerſeret, quo facto Antipatrum Herodes miſit, cum pretioſiſſimis muneribus & teſtamento, in quo ipſum Antipatrum Regem declarabat, aut ſi ille prior vita decederet, Herodem, natum ſibi è filia Simonis Pontificis. Interea Pheroras, id agente matre Antipatri Doride, digna filio muliere, veneno tollitur Herodi quoque venenum ſe abſente dari iubet Antipater, per Antipatrum procuratorem ſuum, vt ſuſpicio parricidii in abſente filio non hæreret. *Et venenũ patri.*

Ea res cum in Herodis cognitionem per Pheroræ libertos veniſſet, etiam Mariamne Pontificis Simonis filia, Regis vxor accuſata eſt, quaſi ſecretorum horum omnium particeps; quapropter & ipſam Rex abiecit, & filium eius Herodem è teſtamẽto deleuit, vbi ſucceſſor deſtinatus fuerat. Socero quoq; Simone Boëthi filio ſacerdotio priuato, ſurrogauit Matthiam Theophili, Hieroſolymitani genere filium. *Quod innoteſcit Herodi. Qui repudiat vxorẽ, & Pontificem mutat.*

VI. *Antipater rurſum veneficus.*

NEC contentus impius Antipater priori veneno procurato, etiam efficacius aliud Roma miſit, per Bathillum libertum ſuum; ſimulque etiam duos alios patris ſui filios, qui Romæ educabantur, per amicos ſuos calumniis apud Patrem in odiũ vocabat, quaſi patrem crebro accuſantes, ob Alexandrum & Ariſtobulum interfectos, & eorum cædem miſerantes, quos Antipater ipſe diſſimulanter excuſabat, intemperantiam linguæ in ætatem reiiciens. Nec tamen cum per 7. menſes ante eius reditum, tam multa contra eum in Iudæa mota eſſent, omniſque eius malitia patri innotuiſſet, quidquam ad eius notitiam peruenit; vt diuina prouidentia, quæ improbiſſimam hominis malitiam, & ſcelera artificioſe contecta vltra ferre nõ poterat, illum ita regeret, vt ipſe ſe in laqueos indueret. Eius autem aduentus ad ſequentem annum pertinet, quo Saturninus Quintilium Varum habuit in Syriæ præfectura ſucceſſorem. *Eius malitia patri innoteſcit.*

VII. *Tranſitus ad Zachariam Baptiſtæ patrem.*

SED interim à funeſtis hiſce, ac feralibus conſanguineorum odiis, quæ ambitio inflammarat, quæ etiam fraternæ cædes nondum extinxerant, quod eadem adhuc viuerat ambitio, ab his inquam odiis oculos ſtylumque auertentes, ad lætiora mentem atque orationem conuertamus. Ad ſanctum videlicet Prophetam, & religioſiſſimum Sacerdotem nomine Zachariam, cui præparatur gaudium & exultatio, aliiſque multis, in natiuitate filii, iam tot annis efflagitati, atque expectati. Id nuncium Zachariæ allatum illo ipſo anno, qui natiuitatem anteceſſit, nullus plane dubitare poteſt, ſi modo credat Euangelio; id autem huic anno conuenire ſequenti anno docebimus.

VIII. *Neceſſarius Iudæis præcurſor Meſſiæ.*

ADVENTABAT iam pridem, atque adeo prope erat in ianuis, ille Meſſias Hebræorum, ille Deſideratus cunctis gentibus; ſed is futurus erat, quem in propria venientem ſui non agnoſcerent, neque reciperent; eo quod ad terrenarum rerum cogitationem depreſſi; & ad vnum propemodum paſtum, pecudum more abiecti, ſpiritualia & cœleſtia neque ſaperent, neque ſentirent, ideoque iſtis neglectis, illa ſola à ſuo Meſſia expectarent atque flagitarent. Perinde ac ſi hoſtibus in regionem noſtram irruentibus, & viros ac mulieres, ſenes & vtriuſque ſexus infantes in miſeram ſeruitutem abducentibus, oues inſuper & boues cæteramque prædam ſecum trahentibus, miſſus Imperator ad ſalutem prouinciæ, poſthabitis hominibus, debeat, pro recuperandis ouibus & bobus, in certamen deſcendere.

IX. *Quem illi ob temporalia tantũ ſtulte expetebant.*

NON ita ſapiebat magnus ille Machabæus.[a] *Non concupiſcatis*, inquit, *ſpolia, quia bellum contra nos eſt, & Gorgias & exercitus eius prope nos in monte; ſed ſtate nunc contra inimicos noſtros, & expugnate eos, & ſumetis poſtea ſpolia ſecuri.* Neque tanto antea fortiſſimus, idemque ſapientiſſimus bellator Dauid.[b] Amalecitæ impetum fecerant in Siceleg, & abducto vniuerſo populo, magnaque præda congeſta, ſuc-

a 1. Mach. 4. 17.
b 1. Reg. 30. 1.

cenderant igne ciuitatem. Recognita Dauid armat ſuos, perſequitur abeuntem hoſtem, & conſecutus inuadit, ac cædit à veſpere vſque ad ſequentis diei veſperam; tum demum captiuos omnes recipit, eximitque vinculis, à paruo vſque ad magnum; poſtremo & ſpolia quæcunque rapuerant, & vniuerſos greges, atque armenta reduxit, & minauit ante faciem ſuam, dixeruntque. *Hæc eſt præda Dauid.* Hanc videlicet animarum prædam in primis quæſiturus erat is, qui dicturus etiam erat. Quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.

X. *Meßia demonſtrator Ioannes.* Hanc veram ſapientiam, etiam digito demonſtratam, vix capturi erant cæci, ac carnales Iudæi; & quod erat conſequens, eiuſdem Doctorem vix agnituri, humilem præſertim vitam, & pauperem agentem, & ab omni faſtu, ſimulatione, vitiiſque cæteris Iudaicis alienam. Neceſſarius ergo fuit vir, iſtorum quoq; opinione maximus, atque ſanctiſſimus, homo miſſus à Deo, homo natura, Angelus miniſterio; homo infirmitate corporea, Angelus puritate, & ſanctitate cœleſti, qui ſumma cum authoritate huiuſmodi Doctorem populis cæcutientibus digito demonſtraret, dicens, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*: Oportuit vocem tonitrui quaſi ſurdaſtris intonare, *Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius*, vt eo ſono aliquando excitati, mentes ad verbum ipſum audiendum conuerterent.[a] *a Epiph. Hær. 69.*

XI. *Patri naſciturus prædicitur.* Hvnc ergo hominem, hunc Angelum, hunc Præcurſorem, hunc puerum Prophetam altiſſimi præmittit hominum atque Angelorum Deus, puerum, qui etiam nondum natus, in vtero Virgineo deliteſcentem Dominũ motu oſtenderet, & deinde vir factus ætate florentẽ digito demonſtraret; ad eum diſcipulos ſuos, populoſque traduceret, & Euangelicæ prædicationi eremitico clamore claſſicũ inſonaret. Hunc admirabilem virum, veteris ac noui teſtamenti horizontem, hoc anno Angelus, Zachariæ ſacerdoti, futuro parenti annunciat; & quidem ille idem Gabriel Angelus, qui proximo anno Incarnationem filii Dei nunciaturus erat.[b] Ait enim de ſe hic idem nuncius ſacerdoti. *Ego ſum Gabriel, qui aſto ante Deum, & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare*: quod priuilegium ipſi vni ſecundum Chriſtum, in nouo teſtamento legimus fuiſſe conceſſum. Conueniebat porro eundem Angelum, qui olim definitis annorum hebdomadis Danieli aduentum Meſſiæ prænunciarat, nunc cum illæ incipiebant impleri, apparere, & ad executionem promiſſorum præcurrentia cuncta diſponere. *b Luc. 1. 19.*

XII. *Num is ſummus ſacerdos.* Annvnciat autem Zachariæ, quem ſummum ſacerdotem nonnulli ex ſanctis patribus[c] exiſtimarunt. Id ex eo colligit Sanct. Auguſt. tract. 49. in Ioa. quod incẽſum non licebat altari imponere, niſi ſummo ſacerdoti; & D. Ambroſ. in cap. 1. Lucæ, Videtur hic, inquit; ſanctus Zacharias ſummus deſignari Sacerdos; quia ſicut lectum eſt, in priore tabernaculo ſemper intrabant ſacerdotes miniſteria conſummantes, in ſecundo autem ſemel in anno ſingularis ſummus ſacerdos, &c. Idem videtur ſentire Diuus Bernardus ſerm. de priuileg. Ioan. Bapt. ſi tamen ipſius eſt ille ſerm. Beda quoque, & Euthymius in 1. Lucæ. *c Dan. 9. 21. &c.*

Non fuiſſe. Verum hoc anno Hieroſolymis Pontifex erat, non Zacharias; ſed Simon, aut eius ſucceſſor Matthias, vt paulo ante ex Ioſepho retulimus. Deinde altare incenſi non erat in oraculo, cum arca fœderis; ſed in altera templi parte, quæ dicebatur Sancta, citra velum, quod oppanſum erat ante Sanctum ſanctorum. Idque aperte intelligitur ex 40. Exod. 3. *Eriges*, inquit, *tabernaculum teſtimonii, & pones in eo arcam, demitteſque ante illam velum; & illata menſa pones ſuper eam, quæ rite præcepta ſunt*, panes ſcilicet propoſitionis, *candelabrum ſtabit cum lucernis ſuis, & altare aureum, in quo adoletur incenſum, coram arca teſtimonii*, id eſt è regione arcæ, vt ſit medium inter candelabrum luminum & menſam panum.

XIII. *Idque docet ipſemet Lucas.* Accedit quod Euangeliſta ipſe ſatis docet illum non fuiſſe ſummum Pontificem, cum eum vocat Sacerdotem quendam de vice Abia, quæ erat octaua claſſis earum, in quas omnis ſacerdotum turba diſtributa erat,[d] Nec Pontifex ſtatum aliquod habebat miniſtrandi tempus, ſed perpetuũ. Quod autem *d vt patet ex 1. 1. Paral. c. 24.*

quidam aſſerunt familias illas viginti quatuor à familia Pontificia fuiſſe ſeparatas, præter Scripturæ ſententiam id videtur, quæ illo ipſo cap. 24. libri 1. Par. filios Aaronis duos ponit Eleazarum & Ithamarum, & illius vices,ſiue familias ſedecim inuentas eſſe tradit, Ithamari autem octo; quæ ſunt 24. Itaque Pontifex vtrumlibet illorum generis authorem agnoſceret, ſemper ad aliquam illarum quatuor & 20. claſſium pertinebat, etſi miniſterium ſuum non haberet definito cuipiam tempori alligatum;ſed neque ſorti obnoxium,cum ea locum habeat inter plures, Pontifex autem vnus eſſet, nec quiſquam alternatim eius munere fungeretur.

Quid diuerſum haberet à ſacerdotibus Pontifex.

XIV. *Nuncius Angeli ad Zachariã.*

Hic porro nuncius pleraque continet priuilegia ſanctiſſimi Præcurſoris, & primum quidem illud, quod ante attigimus, quod ab Angelo prænunciatur. *Vxor tua pariet tibi filium*, quod fuit ſemper priuilegium magnorum virorum vt Iſaaci, Samſonis, & ſi quorum aliorum, qui fuerunt filii promiſſionis, & figuræ Chriſti Domini. Alterum priuilegium eſt illuſtre nomen Ioannis,quod interpretatur gratia, & merito, vt qui fontem gratiæ præcurreret, & legem veterem cum lege gratiæ copularet,[a] *lex enim & Prophetæ*, ait Dominus, *vſque ad Ioannem.* Nec nomen inane fuit, multiplici quippe gratia plenus fuit; & illa maxime quæ eſt omnium præcipua, quod Spiritu ſancto repletus eſt, adhuc ex vtero matris ſuæ,qua factus eſt ſanctus antequam natus,& quidem ſanctus cooperatione propria, accelerato illi rationis vſu, vt illa exultatio in vtero patefecit. Quod priuilegium vni tantum, atque alteri ab Orbe condito conceſſum fuerat, Ieremiæ & Virgini Beatiſſimæ.

a Luc. 16. 16.

XV. *Quæ priuilegia Ioannis contineat.*

Tertivm priuilegium, quod ſit futurus parentum gaudium, tanquam filius ſapiens, cum ſtultus mœſtitia ſit matris ſuæ,[b] quod parentum gaudium in omnes etiam cognatos & vicinos diffuſum eſt, imo in omnia montana Iudææ. Quartum quod magnus coram Domino futurus ſit, qui magnitudinis eius prædicator fuit, adeo vt in natis mulierum negarit eo ſurrexiſſe maiorem: & magnus coram illo,cui orbis terrarum vniuerſus, inſtar eſt grani arenæ. Quintum, quod Deo conſecratus eſſet, vt olim Nazaræi, ſimulque futurus eſſet vir abſtinentiæ ſingularis,non in aqueo tantum potu; ſed in cibo quem deſerta loca ſponte funderent: non eſt autem exiguum priuilegium, quam pauciſſimis, ac minimis egere, id enim eſt ad beatam cœlitum vitam accedere.

b Prou. 10. 1

XVI. *Alia eiuſdem priuilegia.*

Sextvm ac gloriſſimum priuilegium Angelico nuncio declaratum eſt, quod multos filiorum Iſrael conuerſurus eſſet ad Dominum; id enim fuit participare, & occupare munus Saluatoris, & eſſe eius inſtrumentum,in officio nobiliſſimo lucrandarum animarum in æternam fœlicitatem; in re autem tanta de hominibus,ac de Deo ipſo quodammodo,vt eorum Domino ac parente,bene mereri, nihil poteſt eſſe diuinius. Denique quod habiturus ſit ſpiritum, & virtutem Heliæ, qui ſcilicet olim conuertit totum populum claudicantem modo ad Baal, modo ad Deum verum, vt illo ſacrilego relicto, huius cultum amplecteretur, illius cultores penderet: qui eximia virtute & animi præſentia reſtitit Achabo, vt Ioannes Herodi; vterque factus eſt Eremi cultor, ille dum vitat Iezabelem, iſte Herodem; & vterque habuit vitæ ſuæ, doctrinæque imitatores.

Annunciatione facta cum illo toto rerum ac verborum apparatu, qui habetur Lucæ 1. conceptus eſt Ioannes, octauo Calend. Octobris, anno quidem V.C.750. vt placet Baronio; ſed Conſulibus Lentulo & Meſſala, quos ille meliori conceptioni reſeruauit, quod ſequenti anno examinandum erit.

XVII. *Ratio temporis deſpõſata Virginis.*

Iam quod ad deſponſationem ſacratiſſimæ Virginis, & primum quod ad tempus attinet, autor eſt Euodius apud Nicephor.[b] eam quatuor menſibus ante Chriſti domini Incarnationem contigiſſe. *Trimula*, inquit, *cum eſſet in templum eſt præſentata, & ibi in ſanctis ſanctorum traduxit annos vndecim. Deinde vero ſacerdotum manibus Ioſepho ad cuſtodiam eſt tradita, apud quem cum menſes peregiſſet quatuor, ab Angelo Gabriele lætum illum accepit nuncium.* Ita Euod. qui cum ait in ſanctis ſanctorum annos peregiſſe vndecim, ne putes B. Virg. in templi oraculo vitam egiſſe, vt ſupra monuimus, ad quod ne ſacerdotibus quidem aditus patebat;ſed iis ver-

b l. 2. c. 3.

bis intelligi loca ſanctiſſima, ſecretiſſima, ac religioſiſſima, dicatis Deo Virginibus deſtinata: idque ſatis indicat pluralis numerus; vnde S. Greg. Niſſ. ait eam in ſanctis ædibus educatam. Porro anni vndecim inchoati in eiuſdem Virginis Præſentatione II. Cal. Decembr. anno ipſius quarto ineunte, hoc anno ſub idem tempus terminantur, ex quo ad Annunciationem Angeli quatuor integri menſes decurrunt: ex quibus etiam ſequitur B. Virginem inchoato anno decimo quarto Ioſepho ſponſo traditum fuiſſe, inchoato autem per duos menſes cum dimidio.

XVIII. *Quid Niſſenus de ea deſponſatione.*

ILLAM porro Virginis traditionem factam à Sacerdotibus, paulo vberius explicat Greg. Niſſ. in Orat. de Natal. Chriſti, in hæc verba. Sacerdotes autem quandiu paruula fuit, ad Samuelis ſimilitudinem eã in ſanctis ædibus educarunt, ſed cũ iam adoleſceret, conſulebant quidnam agerent de ſacro illo corpore, ne Deum offenderent. Etenim naturæ legi illam ſubiicere, vt culpam in matrimonio collocata ſeruiret, abſurdiſſimum videbatur; inſtar enim ſacrilegii fuiſſet, ſi muneris Deo ſacrati Dominus homo fieret; legibus enim erat conſtitutum, vt maritus dominaretur vxori. Mulierem rurſus (id eſt adultam ac nubilem Virginem) inter ſacerdotes in templo verſari, atque in ſanctis ædibus conſpici, nec lex, nec grauitas permittebat. *Eiuſdem cauſa.* Deliberantes igitur, in hanc ſententiam diuinitus conuenerunt, vt eam connubii nomine cuipiam deſponderent, qui tamen ad cuſtodiam eius duntaxat eſſet idoneus. Ad hoc autem munus aptiſſimus inuentus eſt Ioſeph, ex eadem tribu, & patria qua erat virgo. Sacerdotum ergo conſilio Ioſeph puellam ſponſam accipit, quæ tamen coniunctio ſponſalia non eſt egreſſa. Sic S. Greg. quibus ſimillima S. Damaſ. & Niceph. habẽt.[a] Vbi inter alia; *Hac porro deſponſatione id agebatur*, inquit, *vt & Virgini cuſtos præſto eſſet, & ei qui Virgines obſeruat impoſtura fieret* quam rationem ex S. Martyre Ignatio eſſe deſumptam, S. Hieronymus in primum Matthæi teſtatur.

XIX. *Verũ fuiſſe matrimonium.*

QVIBVS verbis videtur quidem ſignificari non fuiſſe inter Ioſephum & B. Virginem verum matrimonium; ſed veluti quoddam pactum ad mutuam tantum cohabitationem ordinatum, vt Ioſephus B. Virgini miniſtraret, eiuſque Virginitatis cuſtos, & teſtis exiſteret. Certum tamen eſt, vt fuſius probant Doctores theologi, qui ſubtilius hæc ſacra myſteria ſcrutantur, in iiſque Suares,[b] inter B. Virg. ac Ioſephum verum ac proprium fuiſſe matrimonium ratum. Id enim ſat is docent nomen vxoris & coniugis, quod ſcriptura eis tribuit, quæ nihil vetat proprio & vero in ſenſu accipi. Nam vt vulgatiſſimum, ita veriſſimum eſt illud Auguſtini.[c] *Hoc exemplo magnifice fidelibus inſinuatur coniugibus, etiam ſeruata pari conſenſu continentia, poſſe permanere vocarique coniugium, non permixto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu.* Sic ipſe.

XX. *Nec repugnare patres.*

CVM autem Sancti aliqui patres Ioſephum vel maritum negãt, vel ſolo nomine maritum appellant, id ad ſolum cohabitationem carnalem excludendam faciunt, non ad id quod eſt de ratione veri coniugii. Quod videtur voluiſſe Sanctus Ambroſius cum ait.[d] Nec illud moueat quod ait, quia *Ioſeph accepit coniugem ſuam, & profectus eſt in Aegyptum.* Deſponſata enim viro coniugis nomen accepit; cum enim initiatur coniugium, tum coniugii nomen adſciſcitur: non enim defloratio Virginitatis facit coniugium, ſed pactio coniugalis.

Neque votum Virginitatis.

Nec eſt quod maiorem afferat difficultatem huic coniugio, quam votum Virginitatis, quod ab ipſa emiſſum, omnes antiqui recentioreſque conſentiunt. Verum nec minus conſentiunt, Beatam Virginem ex diuina reuelatione contraxiſſe matrimonium: quippe quæ in rebus omnibus ſpeciali Spiritus Sancti directione regebatur, præſertim in re tanta, & quæ ad ſtatum vitæ pertinebat; ſimulque intellexiſſe diuinitus, ſponſum ſuum libenter in perpetuam eius Virginitatem conſenſurum.

XXI. *Ioſeph virgo non viduus.*

PRÆSERTIM cum Ioſephum ipſum non viduum, vt plerique ex antiquis patribus tradiderunt, Epiph. Origenes, Hippolytus, & alii; ſed Virginem vitam omnem traduxiſſe graues autores affirment: in primiſque S. Hieronymus & Auguſtinus duo maxima eccleſię lumina, quorum ille aduerſus[e] Heluid. cum dixiſſet pleroſque non tam pia, quam audaci temeritate confingere Ioſephum plures habuiſſe vxores, de quibus nati ſint, qui fratres Domini appellantur, ſubdit. *Tu dicis Mariam Virginem non permanſiſſe; ego mihi plus vendico, etiam ipſum Ioſeph*

[a] l. 1. c. 7. & Damaſ. l. 4. c. 15.
[b] t. 2. diſp. 7. ſect. 1.
[c] l. 2. de cõſenſu Euãg. c. 1.
[d] l. de inſti. Virg. c. 6.
[e] Heluid. ſub fi.

Virginem fuiſſe per Mariam, vt ex Virginali coniugio Virgo filius naſceretur. Si enim in virum ſanctum fornicatio non cadit, & aliam eum vxorem habuiſſe non ſcribitur; Mariæ autem, quam putatus eſt habuiſſe, cuſtos potius fuit quam maritus, relinquitur Virginem cum manſiſſe cum Maria, qui Pater Domini meruit appellari.

D. quoque Auguſtinus inſtar multorum eſſe poteſt, qui D. Hieronymo conſentiens, eiuſdem Virginitatis Ioſephi aſſertor fuit, in ſerm. 14. de Nat. Dom. Si tamen Auguſtini eſt ille ſermo. Habe, inquit ille, Ioſeph cum Maria coniuge tua cõmunem Virginitatem membrorum, quia de Virginis mẽbris virtus naſcitur Angelorum. Sit Maria mater Chriſti in carne ſua Virginitate ſeruata: ſis autem & tu pater Chriſti, cura caſtitatis & honorificentia Virginitatis, vt de Virgineis membris genitricis ſeculis Chriſtianis nulla ſit zelotypia. Et in fine, Gaude itaque Ioſeph, nimiumque congaude Virginitati Mariæ, qui ſolus meruiſti Virginalem affectum poſſidere coniugii, quia per meritum Virginitatis ita ſeparatus es à concubitu vxoris, vt pater dicaris Saluatoris.[a] Audiamus denique Theologorum Choryphæum S. Thomam Aquinatem, cuius ſunt illa verba.[b] Poſtmodũ vero accepto ſponſo, ſecundum quod mores illius temporis exigebant, ſimul cum eo votum Virginitatis emiſit.[c] XXVII. *Et Auguſtino, aliiſq;*

PORRO quod ad ætatem S. Ioſeph, cum ei deſponſata eſt Virgo Beatiſſima, certum eſt nonnullos antiquorum, vt Niſſenum Gregorium, in primiſque S. Epiphanium in hæreſi 78. exiſtimaſſe illum fuiſſe octogenarium, cui recentiores aliqui ſubſcribunt: quod inde exiſtiment integritati Virginis magis fuiſſe conſultum, ſi eum habuerit coniugem, qui nec per virtutem voluerit, nec per ætatem potuerit vllum ei detrimentum afferre. At hi non vident ſe hac ratione, & Chriſti Domini, & B. Virginis famæ vehementer obeſſe; ſic enim facile crederetur Virginem de adulterio concepiſſe, ad quam tamen infamiam vitandam voluit Deus Chriſtum Dominum de coniugata generari, vt docet S. Hieron.[d] Cumque illum oporteret viribus iis præditum eſſe, quæ ad tot peregrinationes obeũdas pares eſſent, & ad labore manuum ſuſtentandam familiam, & tam ſponſæ quam eius filio miniſtrandum, nemo non videt ætatem octogenarii talibus muneribus non conuenire. Alias quoque rationes congerit Suares[e] & concludit, eum non videri fuiſſe ſenem, nec admodum iuuenem; ſed maturæ ætatis, prout diuinæ prouidentiæ congruebat, triginta ſcilicet, vel 40. annorum. XXIII. *Quæ cum Ioſephi ætas.*

a vide Suar. l.2.d.5.ſ.4. concl. 2. & confirmat ex D. Tho. l.5. in ep. ad Gal.
b 3.p.q.37. a.4.
c in Cor. & ad 3.
d in c. 1. Matth.
e t. 2. q. 29. d. 7. ſect. 3.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 4051.

1.N.3. Et ne forte Ioſephum erroris nimium pudeat, dabimus ei ſocium Dionem l.55. ſub finem, vbi ait Agrippam poſthumum abdicatum ab Auguſto, inter cætera quod Iuliam quaſi nouercam conuitiis proſcinderet: Nã, vt recte notauit Lipſius l.1. in Tacitum n.27. Liuia pro Iulia ſcribendum eſt. Non enim matrem ſuam Agrippa inſectabatur: & vero illa iam relegata aberat, ſed Liuiam; vt probabile eſt, Auguſtæ ſtirpi nunquam æquam. At inquies Dio in fi. l.56. ait Liuiam accepiſſe cognomina Iuliæ & Auguſtæ. Reſpondeo id factum eſſe dũtaxat poſt Auguſti obitum, quando illo immortalitate donato, Liuia eius ſacerdos facta eſt, quindecim poſt Herodis mortem annis, quando & ipſa Iulia filia Cæſaris iuſſu Tiberii fame extincta eſt.

2.N.XVII Ioan. Annius, & qui eum ſequitur Driedo l.3.tr.3.c. 5. p. 4. fin. arbitrantur B. Virginem peperiſſe filium Dei ante expletum 14. annum, cùm 4. menſibus ante annunciationem nupſerit, oportet eam ante expletum 13. nupſiſſe. Caiet. autem qui in 1. Luc. Probabile credit fuiſſe Virg. 24. annorum, cum filium peperit, & certũ putat, vt minimum habuiſſe nouemdecim annos, etiam conſequens eſt illam vel 18. vel 23. in eius opinione nupſiſſe.

ANNVS AB ORBE CONDITO 4052. SEXT. ÆTAT. 537. ET VLT. B. VIRG. 15. IMPER. ROM. 47. AVGVST. 42. HERODIS, 36. & 39. ÆT. 71. MATTH. PONTIF. 2. PRÆSID. SYR. QVINTIL. VARO, ET CYRINO, SIVE QVIRINIO. OLYMP. CXCIV. AN. 3. VRB. COND. 751. COSS. AVGVSTO XIII. ET M. PLAVTIO SILVANO. ANN. IVL. 44. AVGG. 28. ACTIAC. VICT. 30.

ANNVS CONCEPT. ET NATIVIT. CHRISTI IESV.

I. *Proluſio in annũ præſentem.* ADEST aliquanto nobis ſingulari Dei præpotentis beneficio, annus ille expectatiſſimus, ad quem per quadraginta iam ſecula decurrebamus; ad quem aſpirantes, iam tot annis & menſibus, tot diebus ac noctibus, irrequieto atque indefeſſo ſtudio & labore gemimus, &, vti ſpero cum diuina miſericordia, gemitu non irrito, neque inani. Adeſt annus plenitudinis temporis, ad quem quaſi ad horæ vnius integritatem, & complementum, ſingula momenta in dextram ſiniſtramque partem, per ſingulos gradus iactabantur; ad quem quaſi ad centrum mundani horologii pondera infatigabili motu ferebãtur; & Sol ipſe dierum, atque annorum parens, eoſdem curſus iterũ iterumq; repetebat, ſi forte tandẽ aliquando maiorem illum Solem aſpiceret, qui tempora nouit & momenta, eaque habet in poteſtate ſua. Vt non, Annus inquam adeſt illibenter audiret,

Phoſphore cede palo maior Sol ſurgit in orbe.

Circa quẽ quaſi cardinẽ verſantur omnes dies ſeculi, & qui eum præceſſerunt, & qui deinceps ſecuti ſũt, & qui porro exoriẽtur, & occidẽt in omnes annos conſequẽtes.

II. *Annus reparando Mundo deſideratiſſimus.* ANNVS Mundi adeſt, quaſi criticus atque decretorius; Mundi, morbis peccatorum iacentis, & pene agentis animam, vt ab authore ſuo reparetur, & in ſtatum meliorem, atque adeo florentiſſimũ reſtauretur; imo annus placabilis Domini, quo cogitãs cogitationes pacis, & non afflictionis, mundũ tacitis clamoribus inuocantem, ſanctos omnes dico, in primiſque Beatiſſimam Virginem, cum vniuerſitate creaturarum exaudiuit. Sic enim pluuiam irrorantẽ ſitiens & ſqualida terra deſiderat; ſic fruges neceſſarium maturitati calorem, terra & ignis, cæteraque elementa ſuis dimota locis, eadem innato impetu poſtulant, & ad ea perpetuo connituntur. Sic creaturæ omnes ſenſiſſe videntur reparationem imminentem, quæ proximum aliquando interitum ac ruinam inſolitis motibus ſe quodammodo agnoſcere demonſtrabunt: idque videtur ſignificare Gregorius,[a] eoque non inuita trahere omnia ſigna iudicii propinquantis. [a] *Hom. 35. in Euang.*

III. *Annus rebus geſtis omnium maximus.* ANNVS denique adeſt omnium maximus, atque ſacratiſſimus; in quo primum ac maximum omnium myſteriorum, ab orbe Condito, ad infinitam vſque æternitatem peractum eſt, & maxima omnium miraculorum perpetrata ſunt, quandoquidem Incarnatio filii Dei, & partus Virginis in eum cadunt. Incarnationis enim miraculo cætera omnia cedere videntur, ſiue quæ anteceſſerunt, ſiue quæ deinceps diuina potentia perpetrauit. Quod cum de antecedentibus clarum per ſe, atque illuſtre ſit, de conſequentibus, ſi ſingula ſpectentur ipſa per ſeſe, etiam ea ratio videtur demonſtrare, quod omnia diuinam Incarnationem ponunt, eaque poſita, non magnam habent admirationem. *Incarnatio omnium miraculorũ maximũ.* Deum fieri hominem magnum omnino eſt, & captum omnem hominum & Angelorum longe multumque exuperat; at Deum factum hominem in paupere Matre, naſci deinde in ſtabulo, iacere in præſepio, multa pati, mori, reſurgere, conſentanea ſunt homini Deo, & quaſi naturalia; Nempe maius eſſet miraculum hominem in auem conuerti, quam factum auem volare; & regem aliquem præpotentem fieri baiulum, quam factum baiulum

onera pœtere humeris, & pauperem vitam traducere.

Quoniam ergo anni omnes, hunc annum reſpiciunt, in eo præcedentes fundantur omnes, is quanta maxima diligentia ſtabiliendus eſt nobis, ne illo labefactato, reliqui omnes nutent. Quod ſi in ſingulis annis, amice lector, hactenus id ſedulo egimus, vt nullo præoccupati in aliquam ſententiam affectu, quid rei veritas, quid meliorum ſcriptorum conſenſus exigeret quæreremus, eoq; quaſi necopiantes delaberemur, quo nos ipſa rerum ſeries ſequentes paulatim deduceret; id tanto magis in eo faciendum eſt, à quo cæteri pendent omnes, & quo probe ſtabilito, cæteri omnes confirmantur. *IV. Hic annus vniuerſam regit chronologiam.*

Sed priuſquã hæc agamus, & totum illum huius anni titulum ſtatuamus ſigillatim, huius anni hiſtoria Romana atque Iudaica præmittenda eſt: aliquid enim inde firmitatis ſententiæ noſtræ fortaſſis accreſcet.

Init Auguſtus hoc anno decimum tertium conſulatum, dat togam virilem alteri filio, cum multo certaminum ac ſpectaculorum apparatu, C. in orientem cum Quirinio proficiſcitur; Iulia relegatur, Tiberius reditum in Italiam fruſtra petit, & ſi qua ſunt alia, quæ ad hæc capita reuocantur. *V. Res Romana anni huius.*

a l. 2. c. 26. Dictum eſt iam ſupra ex Sueton. [a] ſuſceptum ab Auguſto, & vltro petitum decimum tertium cõſulatum, vt ſicut antea Caium proprio tempore ac ſuo in forum, ad ponendam togam prætextam, ſumendamque virilem, conſul deduxerat, ita hoc tempore Lucium illius fratrem legitimo pueritiæ peractæ tempore, eodem fungens magiſtratu deduceret in forum. Ex quo etiam intelligimus Lucium hoc anno ad decimum ſextum ætatis perueniſſe, neque fuiſſe grandiorem, idque annus Vrbis 736. quo natus eſt neceſſario exigit, ſi computantur extrema. Neque par eſt credere Auguſtum, qui filiis ſuis modis omnibus fauebat, eis duriorem fuiſſe, nec communi cum cæteris lege paſſum eſſe frui. Et id affirmant illa verba Tranquilli, *ſuo quemque tyrocinio deduceret in forum.* *Auguſtus Conſul Lucium in forum deducit.*

Ad hanc celebritatem ſpectant illa ſpectacula, quæ tangit Dio l. 55. Spectaculorum quippe cum eſſet ſtudioſiſſimus, non omiſit hanc occaſionem conſulatus ſui, & lętitiam, in qua alter filiorum deſignabatur Conſul, fiebatque etiam ipſe princeps iuuentutis, quin eam ludis ac muneribus celebraret. Spectaculorum, inquit Suetonius & aſſiduitate, & varietate, atque munificẽtia omnes anteceſſit. Feciſſe ludos ſe ait ſuo nomine quater, pro aliis magiſtratibus, qui aut abeſſent, aut non ſufficerent, ter & vicies; fecitque nonnunquam etiam vicatim ac pluribus ſcenis, per omnium linguarum hiſtriones &c. In lapide Ancyrano refert Auguſtus ſe in Circo, in foro, in Amphitheatris beſtiarum pugnas, aut venationes dediſſe, quibus confecta ſunt tria millia & quingentæ beſtiæ. Beſtias autem intelligit leones, pardos, Elephantos, & id genus alias. *VI. Eamque celebritatem ornat ſpectaculis.* Ca. 43.

Sed redeamus ad Dionem, qui Naumachiam ſolum attingit, cum ait, Spectacula cum exhiberet, aquam in Circum Flaminium induxit, in ea ſex & triginta crocodili ſunt conciſi. Et Ouidius: [b] *VII. Auguſti Naumachia ſimulata.*

b l. 1. de arte.

> *Quid modo cum belli naualis imagine Cæſar;*
> *Perſidas induxit, Cecropiaſque rates.*

Cap. 43. Et Suetonius Nauale prælium circa Tiberim cauato ſolo, in quo nunc Cæſareũ nemus eſt, edidit. Quibus diebus cuſtodes in Vrbe diſpoſuit, ne raritate remanentium graſſatoribus obnoxia eſſet. Sic ille. Lõgitudo excauati loci fuit mille & octingentorum pedum, latitudo ducentorum: in quo triginta roſtratæ naues, & triremes plurimæ, præter minora nauigia, inter ſe conflixerunt, vt eſt in monumento Ancyrano ſub finem. Gladiatorium etiam munus Auguſti celebrat Velleius l. 2. ſimulque nos ad Liuiæ res trahit, & rei geſtæ tempus notat. *Et Gladiatores.*

In vrbe, inquit, eo ipſo anno, quo magnificentiſſimi gladiatorii muneris Naumachiæque ſpectaculis D. Auguſtus, ab hinc annos triginta, ſe & Gallo Caninio Coſſ. dedicato Martis templo, animos oculoſque populi Roman. repleuerat, fœda dictu, memoriaque horrenda in ipſius domo tempeſtas erupit. Collegam Auguſti Gallum Caninium alibi quod ſciam non legis, illum Sigon. & poſt eum Onufrius, & Pighius in Faſtis ad hunc annum referunt, ſuffectum in locum Plaucii Syluani, quod erat his temporibus ſatis frequens. Id autem tempus ex quo numerat Paterc. eſt V. C. 782. quo M. Vinicius, ad quem Velleius ſcribit, geſſit con- *VIII. Tempus Iuliæ relegatæ.*

ſulatum, vt non ſemel diximus. Habet autem Velleius, vt plurimũ, ſupputationem iuxta Varroniana Palilia, vno anno tardiorem, ſicut & Cenſorinus. De re autem ipſa pergit ita ſcribere.

IX. *Iuliæ adulteria deprehenſa.* Qvippe filia eius Iulia, per omnia tanti parentis, ac viri immemor, nihil quod facere aut pati turpiter poſſet fœmina, luxuria & libidine infectũ reliquit, magnitudinemque fortunæ ſuæ, peccandi licentia metiebatur, &c. Numerat deinceps inſignos aliquot viros, qui eius nequitiæ participes pœnas dederunt, vt Iulum Antonium, M. Antonii Triumviri filiũ, quem Auguſtus deuicto eius parte, non tãtum incolumitate donauerat, ſed ſacerdotio, prætura, Conſulatu, prouinciis: matrimonio etiam ſororis filiæ ſuæ honorauerat: iſque ſceleris à ſe commiſſi vltor, voluntaria id morte luit. Numerat & Quintium Criſpinum conſularem, & Appium Claudium, & Sempronium Gracchum, & Scipionem. *Multi rei puniti.* Aliique, inquit, minoris nominis vtriuſque ordinis viri, quaſi cuiuſlibet vxore violata, pœnas pependere, cum Cæſaris filiam, & Neronis violaſſent coniugem. Dio ait Antonium morte mulctatum, quaſi id ſpe imperii occupandi feciſſet.

X. *Iulia in inſulam relegatur.* Ivlia relegata in inſulam, patriæ & parentum ſubducta eſt oculis: quam tamen comitata mater Scribonia, voluntaria exilii permanſit comes. Ita emendat Lipſius, & non volũtarii. Macrobius autem addit [a] eam trigeſimum octauum ætatis annum egiſſe. Natam ergo oportet quarto imperii paterni anno. Ingenti dolore ac pudore affectum Auguſtum prodit Suetonius.[b] De filia, inquit, abſens ac libello per Quæſtorem recitato notum Senatui fecit, abſtinuitque congreſſu hominum diu, præ pudore, etiam de necanda deliberauit: certe cum ſub idem tempus vna ex conſciis liberta, Phœbe nomine, ſuſpendio vitam finiſſet, maluiſſe ſe ait Phœbes patrẽ fuiſſe. Relegatæ vſum vini, omnemque delicatiorem cultum ademit, neque adiri à quoquam libero ſeruoue, niſi ſe conſulto permiſit. Addit etiam [c] illi libellum repudii, Tiberii mariti nomine remiſſum, ex autoritate Auguſti. Hæc ille, pluraque alia.

[a] l. 2. Satur. c. 5. [b] ca. 65. [c] c. 11. l. 3.

XI. *Mox ſecuta Caij in Syriam expeditio.* Hanc porro nequiſſimæ mulieris relegationem, priorem fuiſſe profectione Caii in orientem, aut Lucii in Hiſpaniam, autor eſt Velleius, cum ait poſt breue tempus ab hoc exilio, Caium miſſum in Syriam; ergo patris imperio ſub oculis filiorum mater ignominia affecta eſt. Ex eadem quoq; breuitate temporis facile intelligitur, hoc ipſo anno Caii expeditionem in Orientem factam eſſe. Idemque non obſcure indicat, ſupra memoratus poëta, quem quidam aiunt etiam occaſione Iuliæ relegatum, cum Auguſtus ſuo malo didiciſſet, quanto publico damno iſtiuſmodi libelli, vera inſtrumenta nequitiæ, emittantur in vulgus. Verum in huius poëtæ morte, [d] ſuo loco docebimus eum minimum decennio tardius fuiſſe relegatum. Is ergo poëta cum Naumachiam celebraret, ſubdit de Caio Cæſare, in Syriam, Parthoſque proficiſcente.

[d] An. V. C. 769.

Ouidij relegatio.

Ecce parat Cæſar domito quod defuit orbi
Addere: nunc oriens vltime noſter eris.
Parthe dabis pœnas, Craſsi gaudete ſepulti,
M. & P. ille pater, hic filius. (∴)
Signaque barbaricas non bene paſſa manus.
Vltor adeſt, primiſque ducem profitetur in annis,
Bellaque non puero tractat agenda, puer.

Minuit ætatem, vt augeat gloriam; agebat autem decimum nonum annum.

Parcite natales timidi numerare deorum,
Cæſaribus virtus contigit ante diem;
Tale rudimentum tanto ſub nomine debes,
Nunc iuuenum princeps, deinde future ſenum.

Verum hic Poëta vates non fuit.

XII. *Belli Parthici cauſa.* Cavsa belli erat minor Armenia, ad quem Parthus, deſciſcens à ſocietate Romana, manum adiecerat, vt ait Velleius. Cumque nihilominus literas ad Auguſtum de pace dediſſet, reſcribẽs Auguſtus iuſſit eum cedere, quod ille neglexit, donec ſenſit Caium eſſe in Syria, cum exercitu. Ita Dio.

Caij comites. Cum Caio profectum eſſe M. Lollium, ab Auguſto miſſum, quaſi moderatorem iuuentæ filii ſui, autor eſt Velleius, quem etiam ſignificat breui mortuum, nec

a l. 3. c. 22. ſine opinione perfidiæ. Suet. [a] vocat comitem, & rectorem Caii orienti præpoſiti. At Tacitus l. 3. Annal. P. Sulpitium Quirinium ſcribit datum Rectorem C. Cæſari Armeniam obtinenti, poſtquã ſcilicet ibi mortuus eſt Lollius, qui Caii Rector ab vrbe profectus fuerat, & mox de rectoris honorario ſocio factus eſt Rector; ex Auguſti, vt apparet, deſtinatione, ne in tam longinqua regione, dum conſulitur Auguſtus, iuuenis rectore careret, vtq; via ambitioſis litibus præcideretur.

Porro cum Caius in Aſiam pergeret, Rhodum ad Tiberium illic commorantem diuertit, ex more cæterorum principum Romanorum, vt ſignificat Velleius, qui etiam ait Caium Tiberio tanquam ſuperiori ſe ſummiſiſſe, & reuera Tiberius Caii & Lucii vitricus erat, ducta in vxorem matre eorum Iulia. Verum non obſcura eſt Vellei erga Tiberium aſſentatio, eique Dio & Suetonius repugnant. Dio [b] clare affirmat Caio ad bellum Armeniacum miſſo, Tiberium in inſulam Chium officii cauſa ad eum eſſe profectum, eum ſtudioſe coluiſſe, neque illi ſe tantum, ſed eius etiam comitibus, humiliter ſummiſiſſe. Nec aliter ſentit Suetonius [c] niſi quod de inſula diſſentit: de Tiberio enim agens, Priuignum Caium inquit, Orienti præpoſitum cum viſendi gratia traieciſſet Samum, alieniorem ſibi ſenſit, ex criminationibus M. Lollii comitis & rectoris eius. XIII. *Ex itinere aditur à Tiberio.*

b l. 55.

c l. 3. c. 12.

Inde cum in Syriam profectus eſſet cum exercitu, Regem Parthorum aduentu ſuo terruit, & ad dimittendam Armeniam compulit. Phraates Rex Parthorum, inquit Dio, cum de pace ad Auguſtum literas dediſſet, isque reſcribens Phraatem tantum nominaſſet, omiſſo titulo Regis regum; iuſſiſſetque Armenia eum cedere, adeo nihil territus eſt Phraates, vt reſcribens ſuperbe ſibi ipſi Regis regum titulo dato, illum Cæſarem duntaxat appellaret. Poſtea vero quam Caium in Syriam aduenisſe audiſſet, ac res domi odio ſui conturbatas ſuſpicaretur, ea conditione vt Armeniam miſſam faceret, in gratiam rediit. ſic Dio, quæ apparet ad ſequentem quoque annum pertinere. Velleius ait Caium & Phraatem in excelſa inſula, quam ambit Euphrates conueniſſe, æquato vtriuſque partis numero: & cum Pharthus Auguſti poſtulatis acquieſceret, rem ab armis ad conuiuia conuerſam eſſe. *Prior Parthus*, inquit, *apud Caium in noſtra ripa, poſterior hic apud regem in hoſtili epulatus eſt.* Ita Velleius. XIV. *Appropinquãs Phraatem terret.* *Et iuſſis parem redit in gratiam.*

d l. 7. c. 3.
e In Sex. ætat.

Hvc etiam pertinet quod ſcribit Oroſ. [d] & ex eo Ado. [e] Poſtquam Redemptor, inquit ille, Dominus Ieſus Chriſtus venit in terras, & Cæſaris cenſu ciuis Rom. adſcriptus eſt, dum per 12. vt dixi annos, clauſæ belli portæ beatiſſima pacis tranquillitate cohibentur, Caium nepotem ſuum Cæſar Auguſtus ad ordinandas Ægypti, Syriæque prouincias miſit, qui præteriens ab Ægypto fines Palæſtinæ, apud Hieroſolymam in templo Dei, tunc ſancto & celebri, adorare contempſit, ſicut Suetonius Tranquillus refert: [f] Quod Auguſtus vbi per eum cõperit, prauo vſus iudicio, prudenter feciſſe laudauit. Sic Oroſ. qui eam culpam fame punitam affirmat, 48. Cæſaris anno; ſed maturior vindicta in ipſummet Caii caput effuſa eſt, vt ſuo loco dicetur, Suetonius autem nihil habet de tradita Caio Ægypto gubernanda, vel ordinanda. Sed quoniam iam in Syriam cum Caio peruenimus, quæ illic apud Herodem gerantur ex Ioſepho videamus. [g] XV. *Caius Templum Iudæorum contemnit, Auguſto probante.*

f l. 2. c. 93.

g l. 17. c. 7.

Herodes ad Antipatri literas, quibus callide excuſabat fratres, quos aliorum literis curabat Regi fieri ſuſpectos, ſimulque ſignificabat, rebus ex ſententia peractis, breui ſe rediturum in patriam, Rex diſſimulata ira de veneficio, inſidioſe reſcripſit, properaret, ne quid ſibi per eius abſentiam quod nollet accideret. Has literas in itinere accepit in Cilicia; eas vero quæ Pheroræ mortem nunciabant, prius iam Tarenti acceperat, triſti animo, non tam quod Pheroram amaret, quam quod ille morte præuentus, pollicita, de patre veneno tollendo, non præſtiterat. In Cilicia dubitare de reditu cœpit, vehementer contriſtatus matris ignominia, quibuſdam amicis ſuadentibus euentum alicubi expectare, aliis ſine mora domum nauigare conſulentibus, vt natas per eius abſentiam criminationes, coram & præſens diſſiparet. XVI. *Antipater redit ad Herodem.*

Forte per id tempus, Hieroſolymis erat Quintilius Varus ſucceſſor Saturnino miſſus in Syriam, tum vero ab Herode in conſilium de rebus agendis adhibitus. Quibus vna ſedentibus ſuperuenit Antipater omnium inſcius, eoque admiſſo cum comitatus eius eſſet excluſus, ſenſit quo deueniſſet, quando etiam pater acce- XVII. *A patre male accipitur.*

dentem à complexu repulit, perpetratum fratricidium, & cogitatum, imo præparatum parricidium opprobrans, & Varum cognitorem, ac iudicem in craſtinum denuncians.

Et apud Varum accuſatur veneficij in patrem.

Poſtridie Rex iubet Antipatrum, (qui ad genua patris procumbens orabat differri iudicium) in medio ſiſti; ſimulque deplorare cœpit ſuam, in talibus liberis procreandis, infœlicitatem, & Antipatri aduerſus Parentem ingratitudinem, improbitatem, atque dementiam, quando tanta in illam indulgentia, totque beneficiis nihil profeciſſet, quo minus capitalibus ab eo peteretur inſidiis, vt regnũ quod iure & patris voluntate teſtamento confirmata, breui contingere poterat, imo quod iam propemodũ ex æquo cum parente obtinebat, illo impie & præpropere ſublato, mercedem impietatis eſſe vellet.

XVIII. *Et fraternæ cædis per calumniam*

Obiiciebat deinde fratrum accuſationem, quorum ſiue ſontium accuſator, idem & imitator, ſiue innocentium circumuentor, & parricida fuerit. Se enim nec comperiſſe de eis quicquã, niſi hoc indice, nec in eos ſtatuiſſe, niſi ex huius ſententia. Hæc dicenti lachrymæ oborbæ orationem cum abrupiſſent, rogauit Nicolaum Damaſcenum, amicitia & domeſtica conſuetudine coniunctiſſimum, totiuſque negotii ſcientiſſimum, vt reliquam accuſationem pertexeret; quam tamen Antipater anteuertit, inſertis quæ ad ſuam innocentiam aſtruendam facere videbantur. Perrexit nihilominus accuſare, probareque multis argumentis Antipatri parricidium, aliaque grauia ſcelera. Nam ad hoſtilem in patrem animum, addebat diſturbatam fratrum concordiam, & calumniis extortam vitam, commiſſos inter ſe omnes domeſticos, mentẽ hominis improbam, qui nunquam nec odia iuſta exerceret, nec amicitiam niſi improba vtilitate metiretur. Accedebant & alii accuſatores, qui cum primum licuit, magnis vociferationibus reum vrgebant, & variorum criminum indicia proferebant.

Aliarumque culparum.

Alij eiuſdem accuſatores.

XIX. *Qualis defenſio Antipatri.*

Contra quæ Antipater licet callidiſſimus mendaciorum artifex, & frontis perfrictiſſimæ, ne hiſcere quidem valebat. Sed Varo præſide poteſtatem ei faciente vt pro ſe diceret, & innocentiam ſuam doceret; ille pronus in faciem, & ſupplicabundus humi iacens, Deum conſcientiæ ſuæ inſpectorem obteſtabatur, vt euidenti ſigno aliquo innoxium ſe comprobaret: & qui cum ante omnia ſic egiſſet, quaſi nullum Numẽ mortalium rebus intereſſet, nunc imminente vltione, iuris præſidiis deſtitutus, à Deo miracula poſtulabat. Tum Varus cum crebris interrogationibus nihil eliceret, iubet venenum in medium proferri, vt quale id eſſet experiretur: ſed id ad bibendum datum cuidam damnato capitis, ſine mora necauit hominem. Quo facto ſurgens abiit è Concilio, & ſequenti die Antiochiam profectus eſt. Herodes vero confeſtim vinxit filium, omnibus ignorantibus quænam eius fuiſſent cum Varo colloquia: coniectura tamen erat cuncta regem facere ex illius ſententia.

Damnatur à Varo.

Vincitur ab Herode.

XX. *Qui de eo ſcribit ad Cæſarem.*

Coniecto deinde in carcerem, Romam Cæſari de eo per literas legatoſque ſignificauit, quanta eſſet hominis malitia: cuius etiam deinceps in dies argumenta deprehendit, quæ ille, & Romæ, & in Ægypto, tam in parentis, quam ſuorum perniciem præparaſſet: quam ille accuſationem omnem, & literarum deprehenſarum exempla, Romam ad Cæſarem miſit, vt pluribus tradit Ioſephus.[a] a l.17.c.7.

Et teſtamentum condit.

Interea dum legati inſtructi mandatis ac literis Romam properant, Rex morbo correptus teſtamentum condidit, regni ſucceſſionem relinquẽs minimo natorum: (is erat Antipas, vt ex cap. 10. l. 17. patet, ſuſceptus ex Matthace Samaritide, vt habetur l. 17. c. 1.) exaſperatus in Archelaum & Philippum calumniis Antipatri. Cæſarique legauit mille talenta, & vxori Iuliæ (lege Liuiæ) liberiſque eius, & amicis, atque libertis, talenta quingenta.1 1. Sch.20.

XXI. *Herodis ætas.*

Desperata deinde ſalute, quod iam ad ſeptuageſimum ætatis annum accederet, (ἦ γὰρ περὶ ἔτος ἑβδομηκοστὸν ἦν. Etenim circa annum ſeptuageſimum erat, prope erat videlicet vt 70. annum abſolueret, & inchoaret 71. in quo, per tres fere menſes inchoato, mortuus eſt, vt dicetur infra: annos autem enumeramus inchoatos, vt iam à principio ætatis Herodis admonuimus; ſed pergit Ioſephus,) mirum in modum efferatus eſt, iræ impatiens, & amarulentus in rebus omnibus. In cauſa erat opinio contemptus, quodque exiſtimaret gentem lætari ſuis infortuniis; ſed animaduertere etiam oportuit, ſua eum crimina perſequi, qui præter alia facinora, iam

tot prophana delubra idololatriæ officinas, in veri Dei contemptum erexerat; cuius ipſum admonere potuit hoc ipſo tempore excitata ſeditio, quæ initio ſequentis anni, crudeli multorum morte ſedata eſt. Eius hæc cauſa fuit.

XXII. *Seditio in Herodis opera.*

a l. 1. de bello, 21.

Ivdas Sariphæi filius, & Matthias Margalothi, (nonnulla eſt alibi in vocabulis diuerſitas) [a] doctiſſimi erant Iudæorum, & erudiebant iuuentutem; qui vbi incurabilem regis morbum cognouerunt, concitauerunt iuuentutem, vt quæ putabantur ad idolorum cultum pertinere, ab Herode conſtituta tollerent; in primiſque Aquilam auream magni ponderis, quam ſupra maiorem templi portam dedicauerat. Iuuenes itaque doctorum ſuorum oratione perſuaſi, cum inſuper rumor falſus de Regis morte increbuiſſet, ad rem audacter ipſo meridie, coram populo aggreſſi ſunt, & in altum aſcendentes detractam aquilam ſecuribus conciderunt. Quod vt renunciatum cognouit dux regius, eo cum valida manu accurrit, populoque facile diſſipato, 40. iuuenes reſiſtere auſos comprehendit, cumque his authores facinoris Iudam & Matthiam, turpe putantes cedere, omnesq, ad regem perduxit: apud quem cum etiam recte ſe feciſſe iactarent, & promptos ſe ad mortem præberent, eos Rex vinctos miſit Hiericuntem.

Et aquilam auream.

Seditioſi capti.

XXIII. *Herodis ad Iudæos concio.*

Et accitis in concionem Iudæorum primoribus, cœpit commemorare ſuos pro Repub. labores, & inſtauratum templum impendiis ingentibus, quale opus per 125. annos nemo Aſamonæorum regum, ad honorem Dei valuiſſet perficere, (Dicendum fuit per 130. annos, vt docuimus anno V. C. 716.) Inde grauiter de iniuria ſibi facta conqueritur, ab iis, apud quos beneuolentiam æternamque memoriam iure exigere potuiſſet.

Seditioſos punit.

Matthia pontificatum adimit.

b Vt Caluiſ. Tempor. & Scal. in Euſebium. n. 2019.

Hic Iudæi hominis veriti crudelitatem, negauerunt hæc facta ex ipſorum ſententia, & digna ſupplicio dixerunt. Ille in cæteros mitior, Matthiæ Pontifici ademit ſacerdotium, quaſi non alieno ab hoc conſilio; eique ſucceſſorem dedit fratrem vxoris ſuæ Ioazarum, & alterum Matthiam ſeditionis authorem, eiuſque ſocios viuos exuſſit. In eam noctem etiam defertus lunæ incidit, quam quidam volunt in 9. Ianuarij incidiſſe ex quo liquidò apparet Herodianas res hoc anno non vltra fuiſſe progreſſas.

XXIV. *Ratio temporis. Eſſe hunc Chriſti natalem.*

Seqvitvr ergo vt Natiuitatis dominicæ tempus, reliquasq; notas, quas in huius anni indice poſuimus, confirmemus.

Annum Conceptionis & Natiuitatis Chriſti hunc annum appellamus, quia in illo ex beatiſſima Virgine natus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus filii Dei. Eſt hic idem annus vltimus, aut ſi mauis primus præuiorum, ſiue procurrentium ſurſum verſus annorum. Nam ſi à Chriſto ſurſum aſcendimus, hic primus occurrit; ſin ab Adamo, Abrahamo, vel Dauide ad Chriſtum deſcendimus, hic vltimus numerabitur. Cæterum non eſt quod octo dies quempiam turbent. Sicut enim omittuntur à Chriſto nato, & primus proximis Cal. Ianuariis inchoatur annus; ſic etiam illi iidem octo dies omittuntur, vt dicatur hic annus eſſe vltimus præuiorum.

Et B. Virginis decimum quintum.

b l. 1. c. 3.

c l. 1. chron. ſue in fi.

Eſt hic etiam annus Beatiſſimæ Virginis 15. octauo Septembris inchoatus: cumque admirabilis eius partus in 25. Decembris cadat, oportet eundem incidere in annum Virginis decimum quintum per tres menſes cum dimidio iam decurrentem. Id autem ſatis eſt ad veritatem ſententiæ Euodii apud Nicephorum. [b] *Deinde*, inquit, *ſacerdotum manibus Ioſepho ad cuſtodiam eſt tradita, apud quem cum menſes* 4 *peregiſſet, ab Angelo Gabriele lætum illum accepit nuncium. Peperit autem Mundi ipſius lucem annum agens quindecimum*, 25. *die menſis Decembris.* Hęc ipſe. Nec minus idcirco verum eſt quod ſcribit Marianus Scotus [c] incarnationem Chriſti Domini in 14. annum matris incidere, iam à ſex menſibus cum dimidio currentem.

XXV. *Confirmatur ex anno Imperii Rom.*

Rectam porro & legitimam eſſe horum myſteriorum in hunc annum aſſignationē, aliquot notis in huius anni titulo deſcriptis cōfirmamus. Prima eſt quod incidit hic annus in 47. annum Romani Imperii, cum C. Iulius Cæſar, deuicto in acie Pharſalica Pompeio, primus Romano imperio potitus eſt, variiſque ſibi mox victoriis in Ægypto, in Africa, in Gallia, atque Hiſpania confirmauit. Sed ex eo mox quinto imperii ſui anno per cædem extruſo, vnius fere anni interregnum ſecutum eſt, & Octauius hæres imperii eſſe cœpit. Quo interregno imperfecti anni expleti ſunt, etſi alioqui certū ſit primum & poſtremū Iulii nō fuiſſe integros; vulgari tamen conſuetudine, quam paſſim vſurpant ſacræ literæ, pro integris compu-

tari, habita ratione annorum Iulianorum, qui Cal. Ianuariis oriuntur. Quod ſi ab An. V. C. 705. quo cœpit imperare Iulius, ad præſentem annum 751. enumeres, reperies 47. annos per quinque circiter menſes inchoatos. Denique cum anni Iulii Cæſaris minime ſint controuerſi, ſatiſque ſuo loco firmati fuerint, ſi conſtiterit de anno Auguſti, annus imperii quadrageſimus ſeptimus dubitatione carebit.

XXVI. *Ex Auguſti anno 42.*

SECVNDA ergo nota ducitur ab annis Imperii Auguſti. Quod enim quadrageſimo ſecundo eius anno Chriſtũ Dominum natũ aſſerimus, tum ratione certiſſima, tum plurimorum ſcriptorum omnis ætatis autoritate nitimur, adeo, vt qui eo anno excluduntur, in eo tamen vt inueniantur, Imperium Auguſti ab eo tempore ordiuntur, quo omni prorſus carebat imperio: à Iulii videlicet cæde. Nam à primo conſulatu eius, qui cadit in 19. Auguſti, anni 710. vt alibi ex Dione diximus, vſque ad eundem huius anni diem, 40. & vnus annus integri euoluti ſunt; ſecundus autem & quadrageſimus inde inceptus eſt, in cuius quinto menſe natus eſt Chriſtus. Ex quo perſpicuum eſt eos errare, qui cum 42. anno Auguſti, eiuſque decimotertio conſulatu natum velint, vere tamen ineunte natum affirmant; cum conſulatus ille 13. finiatur hyeme inchoante. Neque minus falli videntur, qui imperium Auguſti à cæde Iulii putant inchoandum, ideſt à 15. Martii, anni V. C. 709. Sic enim Chriſtus, quem in bruma natam ſupponimus, non erit natus anno Auguſti 42. ſed 43. iam per 9. menſes & dies decem inchoato. Nam 42. finietur 15. Martii, & 13. eiuſdem Auguſti conſulatu. Itaque quicumque imperium Auguſti à cæde Iulij ordiuntur, ab anno 42. eiuſdem Imperatoris excluduntur, ſi cum Eccleſia Catholica, natalem Chriſti Domini diem in Decembrem extremum referunt. Itaque Baronius conſentaneè illi ſententiæ de inchoandis annis Auguſti à cæde Iulii, natum fatetur Chriſtum anno 41. Auguſti.

XXVII. *Ex multis ſcriptoribus, Euſebio.*

HVNC etiam Auguſti annum Chriſti natali conſecrat Euſebius in Chron. in Græcis latiniſq; codicibus, tam editis, quam manu ſcriptis, vt notat Pontac. & in præfat. l. eiuſdem, *quadrageſimo ſecundo*, inquit, *anno Imperij Auguſti Chriſtus natus eſt, quinto decimo Tiberij anno prædicare exorſus eſt, &c.* Idemque in 10. de Præparat. ex Africano. Idẽ affirmat in hiſtoria[a] *Secundus*, inquit, *& quadrageſimus regni Auguſti agebatur annus, octauus autem & vigeſimus ab Aegypto ſubiugata, & Antonij, Cleopatræque morte, in quam Ptolemæorum in Aegypto dominatus ac regnum poſtremo deſijt, cum Seruator & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſub primo cenſu Cyrenij, id temporis præfecti Syriæ, congruenter ſecundum prophetarum vaticinationes de illo editas; in Bethleem Iudææ natus eſt.* Sic ipſe; vbi vides etiam alteram notam temporis ſecundum Ægyptios, quibus hic annus eſt 28. à morte Cleopatræ, & ſubacta Alexandria aperte confirmari. Ex quo etiam ſequitur Clement. Alexandrinum, qui l. 1. Strom. Ægyptiorum æram ſecutus, ait Chriſtum natum 28. anno, tempore Auguſti, vt infra dicam, etiam 42. anno Auguſti aſſentiri; ſimul enim hæ duæ notæ concurrunt, vt patet ex indice noſtro in hunc annum.

a l. 1. hiſt. eccl. c. 5.

Africano, Aera Alexandrina, Clemente.

XXVIII. *Ex Epiphanio.*

ACCEDIT Epiphan. hæreſi 51. Naſcitur enim Saluator, inquit, quadrageſimo ſecundo anno Auguſti regis Romanorum, qui ſane erat coniunctionis Romanorum ad Iudæos annus 29. &c. Idemque mox ſemel iterumque inculcat. Et rurſum in hæreſi vigeſima, quæ eſt contra Herodianos. Et in lib. de menſuris. *Deinde*, inquit, *Romanorum reges regnauerunt, Auguſtus annos 56. cuius regni anno 42. Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſecundum carnem natus eſt.* Nec pugnat huic ſententiæ D. Irenæus[b] cum ait natum Dominum noſtrum circa primum & quadrageſimum annum Imperii Auguſti, nam initium 42. eſt circa primum & quadrageſimũ. 2. Tertul. autẽ l. aduerſus Iudæos manifeſte labitur, cum ait, *Videmus autem quoniam quadrageſimo & primo anno Imperii Auguſti, quo poſt mortem Cleopatræ imperauit, naſcitur Chriſtus*; nam hic annus à morte Cleopatræ eſt vigeſimus octauus; qui incurrit in quadrageſimum ſecundum Auguſti, vt ibi quoque notat Pamel.

D. Irenæo.

b l. 3. c. 25.

2. χ°.

XXIX. *Ex Iſidoro, Oſorio Adone, Beda, aliiſque multis.*

DE quadraginta duobus annis affirmat etiam Iſidorus in Chronico. Paulus Oroſ.[c] (qui cum ait natum emenſo propemodum anno 42. reſpexit vtique ad annos Iulianos, ſiue conſulares: nam proprius Auguſti annus nondum medium ſpacium decurrerat) Ado init. ſex. æt. Niceph. Conſtant. in chron. c. 9. alter Niceph. l. 1. hiſt. Eccleſ. c. 10. Beda l. de ſex. ætat. Martyr. Rom, quod multorum inſtar habet, in diem 25. Decembr. Zonaras, in Annal. Iornam l. de temp. ſucceſſ. Hono-

c l. 1. c. 1. & l. 7. c. 2.

rius

rius Auguſtodun. apud Cuſpin. Quibus magno numero recẽtiores aſſentiuntur. Abulenſis in c. 2. Matth. q. 5. Tolet. in c. 8. Ioan. annot. 26. Et in c. 2. Lucæ. & ibid. Maldon. vbi etiam affirmat hanc omnium eſſe ſententiam. Sicut & Alphonſus Salmeron, & Baradius [a] vbi ſequitur Romanum Martyrol. Ianſen. in Concord. c. 8. Cuſpin. in Caſſiod. ait omnes Chronographos tam Græcos quam Latinos dare Natiuitati Chriſti quadrageſimum ſecundum annum Imperii Auguſti, in quam ſententiam etiam vnum M. S. librum recitat. Perer. l. 11. in Dan. q. 5. Sigon. in Sulpitium Seuerum & Suares in D. Thomã. [b] Nec diſſentiunt Sectarii in c. 2. Lucæ, & Mercator in Chronologia.

a l. 2. c. 12. to. 3 tr. 32.

b Suares t. 1 in 3. p. d. 6. ſect. 1. fi.

XXX. *Ex Herodis annis.*

IAM quod ad Herodis annos attinet, quæ tertia eſt nota, qui ab vno Ioſepho petuntur, iam diximus eos parum certos eſſe duces, ad eam rem quam quærimus, propterea que paſſim à ſcriptoribus maxima ex parte neglectos. Sulpicius tamen Seuer. l. 2. hiſt. & ante eum Epiph. Hæreſi 51. aiũt Chriſtum natũ 33. eius anno, addit Sulp. Sabinum & Rufinum Coſſ. ſed neutra nota vllos habet nunc ſectatores, ne Sigonium quidem eius interpretem. Vide porro in his annis opinionũ varietatem;

Chriſtum natum Herodis, anno regni.
- 30 Putat Abulenſis ſub fi. c. 2. Matth.
- 31 Beda, lib. de ſex ætatibus.
- 32 Euſebius in Chronico.
- 33 Seuerus Sulpit. l. 2. & S. Epiph. Hæreſi 51.
- 29 Ineunte Baron. in Appar. n. 124.
- 34, 37 Torniel. in tab. ſuis, cum Ioſepho li. 17. c. 10.
- 36. Scalig. l. 6. Emend. tit. De natali Chriſti in fi. ſed in Euſeb. n. 2019. colligit triginta nouem, in quem vtrumque regni Herodis annum noſtra incurrit Chronologia, ſed annos, vt aliquoties monuimus, ſumimus ineuntes.

XXXI. *Tempus mortis Herodis.*

CÆTERVM cõmunis plurimorũ ſententia eſt Herodẽ tribus poſt Chriſti D. Natiuitatẽ menſibus circa feſta paſchalia eſſe defunctũ, id eſt currẽte iã anno vitæ 71. & expleto 70. De feſtis paſchalibus teſtis eſt Ioſeph. [c] cũ ait poſt curatũ ab Archelao funus Herodis, dũ ipſe profectionẽ Romanã parabat, vt ab Auguſto confirmaretur, tumultum Hieroſolymis circa feſta paſchalia fuiſſe excitatum, magnamque factam ſeditioſorum cædem. Eadem eſt ſententia Card. Baronii ſub octauum Chriſti annum, eadem quoque Scalig. in Euſeb. [d] vbi ſpatium inter Chriſti ortum, & Herodis interitum trium circiter menſium eſſe definit. Quæ eſt etiam Tornielli ſententia anno Mundi 4051. n. 10. & 36. At idem Scaliger l. 6. de Emend. tit. de anno Natal. Domini ait à nato Chriſto ad exceſſum Herodis, eſſe annos duos abſolutos: qua de re poſtea dicendum erit.

c l. 17. Ant. c. 11.

d n. 20. 16.

XXXII. *Confirmantur anni regni eius.*

HERODIS porro morte ita conſtituta, non eſt quod in probando numero annorum regni eius ab alterutro eius termino, initi videlicet vel deſignati regni, anxiè nunc laboremus. Cum enim vtrumlibet initium habeat conſules nominatos, deinceps autem annos ſingulos, prout res tulit, ex Romana hiſtoria confirmauerimus, & nominatim certis Agrippæ & Cæſaris in Syriam profectionibus, & commorationibus, & negotiis cum Herode geſtis, recte conſpirantibus inter ſe, & ab Ioſepho narratis ita expleuerimus, vt plura vnoquoque anno geri non potuiſſe prudens quiſque lector facile aſſentiatur, neceſſarium eſt aut in numerum annorum mendum irrepſiſſe, aut Ioſephum, cum [e] ait Herodem vita functum poſt detruſum regno Antigonum anno 34. ex quo autem à Romanis rex declaratus eſt trigeſimo ſeptimo, vt ſæpe alias eſſe deceptum: dicendumque eſſe mortuum Herodem anno initi regni 37. deſignati vero 40. ſed inchoato, non expleto, vt de annis vitæ eius diximus. Natum vero Chriſtum Dominum anno initi regni eius trigeſimo ſexto, vel trigeſimo nono deſignati. Hanc ipſam ſententiam Onufrius, & alii ſecuti ſunt, vt fatetur Baron. in Appar. Annal. n. 113. Annos porro Herodis non parum turbauit Ioſephus ipſe, partim cum eorum diſtinctionem neglexit, rebus ad conſulares annos, vel Olympicos, non referendis, partim cum ei Galileæ adminiſtrationem anno decimoquinto eius affinxit? [f]

e l. 17. c. 10.

f Vide a. mun. 4008. n. 41. 43. 44.

XXXIII. *Ex Iudæo Pontifice.*

DE Matthia Pontifice Iudæorum huius anni, nihil eſt quod addamus iis, quæ paulo ante ex Ioſepho retulimus, ex quo intellectum eſt ipſum extremo hoc anno, vel ſequentis initio, pontificatu, ab Herode irato deiectoribus Aquilæ aureæ, fuiſſe deiectum, etſi nihil id facinus ad Pontificem pertineret.

Et Syriæ præſide.

Iam vero quod ad Syriæ præſides attinet, Ioſephus[a] docet Quintilium Varum Syriæ præſidem fuiſſe, ſucceſſorem Saturnini aliquanto ante mortem Herodis, cum apud ipſum de Antipatri veneficio diſputatum eſt; tum etiam anno ſeq. quando Archelaus Romam profectus eſt, vt regni confirmationem acciperet ab Auguſto, vt patet ex eodem.[b]

XXXIV. *Plures in De Cyrino præſide Caij rectore.*

CÆTERVM fuiſſe etiam Cyrinum, vel Romano more Quirinium, in Syria hoc anno præſidem, Lucas ipſe Euangeliſta teſtatur, cui Chriſtianos omnes aſſentiri neceſſe eſt; vt profana omnia ſcripta cõtra pugnarent. Apparet autem eum vocari præſidem, & reuera fuiſſe, ſed extrordinarium, vtpote adiunctum C. Cæſari Auguſti filio, & Orientis Præpoſito, quaſi Moderatorem honorarium, &, vt loquitur Tacitus l. 3. Annalium, Rectorem, vt tum in Syria, tum in Armenia, & Aſia, Caio dux eſſet & comes, & Lollij ſucceſſor, vt ſupra dixi, ſi quid Lollio humanitus contigiſſet. Qui cum Tiberio fuiſſet iniquior & ab eo Caiũ alienaſſet, Velleius eum perfidiæ, in gratiam Tiberii, reum facit: quem idem Tiberius in funere Quirinii incuſauit, quaſi autorem C. Cæſari prauitatis, & diſcordiarum, vt ait, Tacitus l. 3. Annal.

XXXV. *Plures in Syria ſimul præſides.*

NEC magis abſurdum eſt Varum & Quirinium ſimul fuiſſe præſides hoc anno in Syria, quam anno Vrbis 749. Saturninum & Volumnium, quos ſimul ſuggerit præſides Syriæ Ioſephus,[c] præſertim cũ Quirinius extraordinarius eſſe, vt dixi, & Præfecturam Caii loco potius ageret, quam ſuo. Lucas tamen Quirinium, per quem cenſus agebatur potius nominauit, quam Caium cuius autoritate agebatur. Quamquam etiam ipſe, vt conſularis & triumphalis, magna autoritate pollebat. Verum de hac Natiuitatis Chriſti nota, cum nulla eſſe poſſit inter Chriſtianos dubitatio, & plurima de illo Baron. in Apparatu diſputet,[d] non eſt quod de ea pluribus hic agamus. Nonnihil tamen infra, cum ad hiſtoriam Natiuitatis ventum fuerit, de edicto Cæſaris, & deſcriptione dicendum erit. Conſule interea Scripturæ interpretes in c. 2. Lucæ & nominatim Baradium.[e]

XXXVI *Ex Olympiadum annis.*

SEQVITVR ſexta nota diuinæ Natiuitatis, quæ ab Olympiadibus petitur. Statuimus enim illam cadere in annum tertium Olymp. 194. ſecuti Euſebium in Chron. græco, latinoque: à quo ſtat Ado init. 6. ætatis, licet ibi perperam legatur Olymp. 193. Nam annus V. C. quem ibi ponit 752. nullo modo reſpondere poteſt Olympiadi 193. idemque de Beda etiam dicendum. Marianus Scotus init. l. 2. chron. perſpicue habet annum tertium Olymp. certe nonageſimæ quartæ.

Ex recentioribus conſentiunt in annum 3. eiuſdẽ Olymp. Temporar. l. 3. chron. Onuphr. in lib. 2. Faſtorum, An. V. 796. Mariana in opuſc. de die mortis Chriſti, c. 11. Pontacus in Euſeb. Cuſpin. in faſtis. Ioan. Functius, Heluicus, Buntingus in ſuis Chronologiis. Sunt qui annum quartum eiuſdem Olympiadis malunt, vt Pererius noſter, Beroaldus item ac Phrygio, quod eo contigiſſe videtur, quod annum Natiuitatis, ab anno primo à Natiuitate Chriſti non diſtinxerunt.

XXXVII *Ex anno Vr. Con. 751 vel 752*

QVOD attinet ad annos Vr. Con. perpetua quidem eſt vnius anni diſſentio inter Sigonium & Onuphrium, vt qui Sigonio eſt quadrageſimus, alteri ſit quadrageſimus primus; quod tamen contra fieri deberet. Nam Sigonius Dionyſ. Halicarnaſſeum ſecutus, primum annum Vrb. Cond. vult eſſe primum Olympiadis 7. Onufrius autem Varronem, vt inquit, ſecutus annũ tertiũ Olymp. 6. ſub fi. Itaque anno vno deberet antecedere, qui tamen in progreſſu ſubſequi reperitur. Propterea id diſcrimen ad Palilia Varronis & Catonis diuerſa referendum non eſt, quod Scaliger perpetuo facit: ſed ad diuerſitatem anni primi conſulatus, quem alii vocant 240. alii 245. idque ex Tarquinii Priſci annis pendet, cui alii 37. regni annos tribuunt, alii 38.

XXXVIII. *Ratio ſupputationis noſtræ.*

NOS à principio Dionyſium Halicarnaſſeum ſecuti ſumus, tam in annis Regum, quam in Conſulum initio, vtpote hominem omnium in hoc genere accuratiſſimum atque diligentiſſimum; eoque deficiente Liuium, & Faſtos Capitolinos, cum Onuphrio, vſque ad annum Vrb. Condito 385. in quo Onu-

a l. 17. c. 7.
b l. 17. c. 11. & 12.
c l. 16. c. 16
d Nu. 87. & ſeqq.
e l. 8. c. 8. 11

phrius, Sigonius & Pighius inſerunt annum vnum, quem duobus dictatoribus tribuunt: quod cum non probaremus, nullo anno inſerto, elapſus eſt nobis è manibus Onufrius, in cuius locum Sigonius ſucceſſit, cum quo præſentem annum 751. numeramus. Itaque ſingulis annis, in quibus ratio ſuberat dubitandi, quanta potuimus diligentia examinatis, deuenimus ad annũ ab Vrbe Cond. ſeptingenteſimum quinquageſimum primum; qui eſt Onufrio 752. ſicut & Dioni, Cenſorino, Freculpho, Pererio in Danielem, Phrygioni in chron. Mariano Scoto l. 1. chron. init. ſextæ æt. Martyrol. Rom. Vbi cum conſules taceantur, videntur 7. dies ad primum Chriſti annum, qui eſt 752. relati. Nobis autem qui anni Iuliani, & Coſſ. rationem habemus, eſt 751. vt dixi, ſicut & Cuſpiniano, & Sigonio in Faſtis conſularibus. Baronio quoque in fine Apparatus, licet de conſulibus diſſentiat; cumque ſequitur Torniel. & Functius.

Consvles huic ſacroſanctæ Chriſti Natiuitati aſſignamus Auguſtum XIII. & Plautium Syluanum, prælucente nobis S. Epiphanio Hæreſi 51. & Euſebio in chron. Græco, in latino enim omittuntur, ſicut & in magna parte antiquorum. Eoſdem conſules, natali Chriſti aſcribunt recentiores, Onufrius in faſtis in An. Vrb. Cond. 786. Cuſpin. in Caſſiodori Coſſ. (vbi Caſſiodori ſententiam, quam Baronius amplectitur deſerit) An. V. Conditæ 750. Sigon. in Sulpitium Seuerum. Genebr. in l. 2. Chronol. Ioan. Mariana l. de die mortis Chriſti c. 11. Pererius in Daniel. l. 11. q. 5. Quibus Sectarii plerique ſubſcribunt, in quibus Temporarius, Heluicus, Buntingus, Mercator, Scaliger in Euſebium, Conſtantinus Phrygio, & ſi qui alii. **XXXIX.** *Coſſ anni huius.*

Alia eſt de conſulibus ſententia Illuſtriſſ. Baron. in apparatu Annalium, ponit enim præcedentis anni conſules L. Cornelium Lentulum, & M. Valerium Meſſalam, quæ eſt ſententia Caſſiodori in Coſſ. Rom. & Mariani Scoti l. 2. Chron. init. Baronium ſequitur Torniel. Samerius; Gordonus. Scaliger. l. 6. Emend. c. de natali Chriſti, & Sethus Caluiſius. Nos nihilominus decimum tertium Auguſti conſulatum retinendum putamus.

Seqvitvr nona nota ex anno Iuliano, quem diximus agi quadrageſimum quartum, quem pariter agnoſcunt quicumque nobis de conſulibus, & vrbis anno 751 conſentiunt. Eſt enim hic annus 44. ab Vrbis anno 708. qui omnium conſenſu fuit primus Iulianus: de quorum 44. Chriſti Natali nobiſcum ſentit Scaliger l. 6. de Emend. cap. de Natali Chriſti, quem Heluicus, aliique ſequuntur: qui ſine dubio biſſextilis eſſet, ſi annum confuſionis, & ingentem intercalationem in eo factam loco biſſexti eſſe diceremus. Sed cum ea intercalatio ſub extremum annum facta ſit, ideoque in principium Iulianorum annorum redundet, fit vt primus annus inſtar biſſextilis numeretur, & conſequenter quintus, nonus, 13. 17. 21. 25. 29. 33. 37. 41. 45. Deinde 46. erit initium æræ Chriſtianæ, cuius quartus, qui eſt Iulianus 49. erit biſſextilis, & item octauus, qui eſt Iulianus 53. & ita deinceps quartus quiſque æræ Chriſtianæ eſt biſſextilis, & nominatim proximus, qui erit 1624. Verus autem Chriſti annus biſſextilis non fuit, ſed primus ab eius Natiuitate, quod alio quoque loco declarabitur.[a] **XXXX.** *Annus Chriſti an & quomodo biſſextilis.*

[a] 1. æræ Chriſt.

Decima nota ab annis Auguſtorum deſumitur, quæ eſt Alexandrinorum, ſiue Ægyptiorum, & vicinorum populorum propria, ſumiturque à morte Cleopatræ, & ſubacta Alexandria, quod contigit An. V. C. 723. in menſe Auguſto, vt ſuo loco dictum eſt: ex quo numerando reperies hunc annum eſſe 28. ſed in Auguſto abſolutum. Et re quidem ipſa eſt 29. inchoatus ab eodem Auguſto: vocatur tamen ſimpliciter 28. quia maxima pars præſentis anni Iuliani ad 28. pertinet. Quem ita appellant, & aſcribunt natali Chriſti Domini Euſeb. l. 1. hiſtor. Eccl. c. 5. quem ſupra in ſecunda nota retulimus; & ante eum Clemens Alexandr. l. 1. Strom. *Natus eſt autem*, inquit, *Dominus noſter vigeſimo octauo anno, cum primum iuſſerunt deſcriptiones fieri ſub Auguſto. Quod autem hoc verum ſit, ſic ſcriptum eſt in Euangelio ſecundum Lucam, Anno quintodecimo Tiberij Cæſaris, &c.* **XXXXI.** *Confirmatur ex annis Auguſtorum.*

Ex eo enim loco probare vult hunc annum eſſe 28. Auguſtorum, quia ſuperſint adhuc 15. anni Auguſti. Ideoque Philo in legatione ad Caium, ait Auguſtum tribus & quadraginta annis Ægyptum tenuiſſe:[b] quibus quindecim annis ſi addantur 15. Tiberij, quando baptizatus eſt Chriſtus, fient 30. anni; ſecun- **XXXXII** *Apud Clementem Philonem, Bedam, & alios.*

[b] p. 784. in Græc. Lat.

dum computum Euangeliſtæ; ſed ea de re poſtea dicetur.

Huic ipſi anno 28. ſubſcribunt Beda l. de ſex. æt. & Ado initio ætatis 6. Vterque tamen habet 27. pro 28. à morte Cleopatræ, errore in numeri notam illapſo, ſicut & de nota Olimpiadis ante monuimus. Iulianus Pomerius l. 1. contra Iudæos, Nicephorus Calixti,[a] vbi vocat hunc annum 28. à Macedonicæ ditionis ſolutione, quia Cleopatra, quæ tum mortua eſt, ad regnum Græcorum, ſiue Macedonum pertinebat. Hanc etiam notam ex Clemente notauit Barad.[b]

[a] l. 1. c. 10.
[b] t. 1 l. 8. c. 1

XLIII. *Et ex Actiaca victoria.*

VNDECIMA nota petitur ab Actiaca victoria, quæ contigit 4. Non. Sept. qui eſt ſecundus eiuſdem, autore Dione init. lib. 51. anno V. C. 722. Auguſto III. & Valerio Meſſala Coſſ. Hic ergo annus eſt 29. abſolutus primo Septembris, & trigeſimus inchoatus ſecundo eiuſdem: nos autem annorum inchoatorum rationem habemus in titulis annorum. Itaque fallitur Scaliger, qui l. 6. de Emend. c. de anno natalis Domini, vocat hunc annum 28. Actiacum, idque non ſemel, videturque confundere annos Auguſtorum, cum annis Actiacis: cum tamen hi à victoria apud Actium promontorium, illi à capta Alexandria, proximo poſt anno ab illa victoria, inchoëntur. Sic enim ait. *Relinquitur 44. Iulianus currens, in quo Chriſtus natus eſt, anno 28. Actiaco, vt voluit Clemens, & pleraque omnis vetuſtas; omnino effugere non poſſunt, quin Chriſtus natus ſit anno Actiaco vigeſimo octauo.* Et rurſum eodem cap. *De anno autem ita cenſuerunt veteres, & recte, Chriſtum natum anno 28. Actiaco. Hoc eſt natalem Chriſti circa vltimos menſes anni Iuliani conferunt, à cuius anni Iuliani Auguſto initio 28. annus Actiacus. Omnium enim vetuſtiorum hæc fuit ſententia, vt teſtatur Clemens Alexandrinus vetuſtiſſimus Chriſtianiſsimi ſcriptor.* Sic ipſe.

Quid ea de re Scaliger.

XLIV. *Arguitur in multis.*

VBI errat primo dum putat Clementem Alexandrinum annos Actiacos, non Alexandrinos numerare; quod abſurdum eſt, & refutatum ſupra[c] 2. dum confundit annos Actiacos cum Alexandrinis, 3. Dum vult annum Chriſti natalem eſſe 28. Actiacum, cum ſit 29. abſolutus, vt dixi, & 30. inchoatus. 4. cum ait annum Actiacum inchoari ab Auguſto, cum Dio ab initio Septembris illos ordiatur. 5. cum ait Clementem teſtari hanc fuiſſe omnium vetuſtiorum ſententiam, vtique Chriſtianorum ſcriptorum, illi enim natalem Chriſti notabant; non ergo fuit Clemens vetuſtiſſimus, vt ipſe ſcribit. Cum enim Clemens hos libros Stromatum ſcripſerit 2. anno Seueri, id eſt Chriſti Domini 196. vt ex Euſebio notat Baronius,[d] certe ante 30. annos martyrio coronatus fuerat Iuſtinus martyr. anno Chriſti 165. & ante hunc Clemens Romanus annis 63. tertio ſcilicet Traiani anno, vt ſcribit D. Hierony. in Script. eccleſ. Non fuit vtique vetuſtior Panthero præceptore ſuo, non Dionyſio, aut Caio Corinthiorum epiſcopo, non Theophilo Antiocheno, non Barſane Aſſyrio, non Theophilo Cæſarienſi, quorum ſe auditorem ac diſcipulum fuiſſe, ſignificat Clemens ipſe l. 1. Strom. & notauit Baron. anno Chriſti 185.

Aeuum Clementis Alexandrini.

[c] An. V. C. 723. ſub fi.
[d] An 196. n. 21.

XLV. *Statuitur annus trigeſimus inchoatus.*

SCALIGERI ergo concluſionem, quam aliquanto poſt prædicta ſubiicit, *Tres igitur ſectæ ſunt de anno natalis Chriſti hodierna, Dionyſio Abbate autore, mendoſiſſima, quo natalem Chriſti ſtatuit anno Actiaco triceſimo; media, quæ anno Actiaco vnde triceſimo; prima & veriſsima, anno viceſimo octauo.* Ea, inquam concluſio ſic corrigenda eſt, Tres igitur ſunt ſententiæ de anno Actiaco natalis Chriſti, hodierna Dionyſio abbate authore mendoſa, quæ natalem Chriſti ſtatuit anno Actiaco triceſimo ſecundo; ſedecim enim menſibus poſterior eſt, quam vera Chronologia patiatur. Media, eaque veriſſima nam medio tutiſſimus ibis, quæ anno Actiaco triceſimo (is enim quatuor ante menſes fuerat inchoatus) mendoſa item, quæ anno vigeſimo octauo, is enim à 15. menſibus, & 23. diebus abierat.

XLVI. *Concluditur noſtra ſententia. Quid Danielis Hebdomada.*

HÆC ergo de anno Chriſti Domini natali ſententia, non tam noſtra, quam omnium communiſſima, atque probabiliſſima videri debet, nulla enim eſt quam plures antiqui recentioreſque autores amplectantur, nulla quæ pluribus aut maioribus probationibus & coniecturis fulciatur.

Poteſt hebdomadam quintam & ſexageſimam ex Danielis ſeptuaginta hebdomadibus numerare cum Romano Martyrol. In illam quippe cadit noſter

Chriſti annus, ſed cum hebdomada 65. reliquæ etiam opiniones non excludantur, eam notam prætermiſimus. Illam potius ex ſcriptura liceret probationem petere, quæ ducitur ex 3. cap. Lucæ; ex quo habetur Chriſtum baptizatum anno quinto decimo Imperii Tiberii Cæſaris, cum ipſe Ieſus eſſet incipiens quaſi annorum triginta; nam ſi currente decimo quinto Tiberii, Ieſus cœpit agere trigeſimum annum, peracto 29. neceſſe eſt eum natum fuiſſe anno Auguſti 42. & Vrb. Con. 751. exeunte; ita vt eius primus annus, omiſſis 7. diebus, cum 752. Vrbis, & Iuliano quadrageſimo quinto inchoëtur. Verum quia locum illum Euangeliſtæ, quidam de trigeſimo abſoluto interpretantur, ſatius erit eum locum in annum Chriſti 30. differre, ne hic longiores ſimus.

His ita expeditis, pauca de magnis huius anni myſteriis attingamus, in quibus pius lector, his Chronologiæ ieiunis atque aridis quæſtionibus nobiſcum fatigatus, nonnihil conquieſcat. Dicamus autem non orationis neceſſitate, ſed pudore ingrati ſilentij, in tanti magnitudine beneficii. Quamquam quis eloqui poſſit, & non potius attonitus hæreat in tanti ſtupore prodigii, quo *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*; quo Deus ipſe ſumma edidit ſapientiæ ſuæ, potentiæ, iuſtitiæ, bonitatis, ſi alias vnquam admirabilia documenta. Miraculum enim eſt, tantum profecto tamque inopinatum, vt ad illud prouidendum antequam fieret, nulla hominum aut Angelorum intelligentia ſufficere poſſit. Quo maius neque factum eſt, neque fiet, neque fortaſſe per diuinam omnipotentiam effici poſſit. XLVII. *Quantum diuina Incarnationis miraculum*

Nam Solem immotum in cœlo retinere, aut in ortum retrouertere, mira profecto res eſt: nec illi prodigio diſpar, quo mons aliquis longe maximus, ab ipſis radicibus erutus, in altum tolleretur, quantum oculi poſſent ſpectare ſequentes; deinde ſuo nutui ac grauitati permiſſus, in medio decurſu ſuſpenſus in aëre, libratuſque retineretur: aut fluuius aliquis rapidiſſimus ageretur in caput ſuum; vtrumque enim præter naturam eſt, alterum in recto motu, alterum in circulari. Magnum eſt in mediis flammarum globis, quæ ad 49. cubitos in altum ferantur, ita earum ardorem temperare, atque moderari, vt impii repentina flammæ eruptione deuorentur, iuſti ita intacti perſeuerent, vt combuſtis eorum vinculis, ne capillus quidem affletur incendio. Magnum eſt profundos Oceani gurgites aperire, & aërio muro erectas in cœlum vndas cohibere: ſed hæc ad præſens miraculum permodica ſunt, & pene puerilia, quæ Deus non ipſe per ſe, ſed per famulos ſuos Angelos, homineſque perficiat. LVIII. *Id docetur exemplis.*

Vt immenſa hæc cœlorum, terrarumque moles, è nihilo produceretur, eumque acquireret ſtatum quem cernimus, & niſi obſtet videndi conſuetudo, merito admiramur; vt decem mundorum millia huic paria, aut etiam maiora, & præſtantiora procreentur, quid opus tunc fuit, aut nunc neceſſarium foret, præter nudum ac ſimplicem conſenſum diuinæ voluntatis? nec plus in ijs redigendis in nihilum, quam in producendis negotij foret. At efficere vt tantus tamque potens artifex ſit verus homo, & homo ſit verus Deus; vt virgo ſit mater, & mater ſit virgo; vt qui eſt ab æterno genitus, vere gignatur in tempore: vt is qui tanta ſimplicitate eſt, vt eius eſſentia, exiſtentia, ſubſiſtentia, ſubſtantia, & natura vnum ſint, ſit vere compoſitus ex duabus naturis, in vna numero perſona coniunctis: & rurſus vt vna mulier fiat eodem momento Dei filia, ſponſa, parens, id demum opus magnum, ipſis quoque cœlitibus admirabile, ac plane diuinum eſt. XLIX. *Quanto maior ſit Incarnatio.*

Eiusdem miraculi magnitudo vel ex eo intelligi poteſt, quod vnius miraculi ambitu octo prodigia comprehenduntur. Primum quod corpus hoc Dei Verbo deſtinatum, non paulatim tacitiſque incrementis ex materno ſanguine conceptum, coagmentatum, ac figuratum eſt in vtero materno, & animæ ſanctiſſimæ copulatum, ſed vtrumq; vno eodemque temporis momento. Alterum, quod illo eodemque temporis puncto quo Beatiſſima Virgo aſſenſum dedit, diuinitas animæ, itemque corpori iuncta eſt, ſimulque pars vtraque concurſu materno vnita eſt: ex quo veriſſime factum eſt, vt ea Virgo, Dei eſſet hominiſque mater. Tertium quod totum alterius parentis concurſum Trinitas ſacroſancta, nominatimque Spiritus ſanctus immenſa ſua poteſtate ſuppleuit. Quartum quod ea L. *Priuilegia huius Conceptionis.*

7. Mart. 30 April. 31. Maii. 30. Iun. 31. Iul. 31. Aug. 30. Sept. 31. Octob. 30. Nou. 25 Decebr. 276.

illo ergo die, vſque ad iſtum computati 276. reperiuntur dies, qui ſenarium numerum quadragies ſexies habet. Ex quibus Auguſtini verbis, quæ confirmat etiam Albinus Flaccus, Bedæ diſcipulus, Caroli magni præceptor, l. de diuinis offic. c. 1. conſtat hanc non eſſe opinionem; ſed Eccleſiæ catholicæ doctrinam, eius autoritate roboratam, à maioribus traditam, & eiuſdem eccleſiæ autoritate cuſtoditam. Quæ doctrina cum ab Auguſtini ætate, id eſt à mille prope & quadringentis annis conſeruata in eccleſia fuerit, quis ferat ora Nouatorum, qui eam conuellere, atque exterminare præſumunt?

LVI. *Sectariorũ deliria.*

Vnvs diem veram Natalis Chriſti ignorari aſſerit, vt Scaliger. l. 6. de emend. c. de Natali Chriſti: alius in æquinoctium autumnale reiicit, & Conceptionem in 15. Decembris, vt Beroaldus in Chronol.[a] Alius circa initium menſis Octobris natum putat, & conſequenter circa initium Ianuarii conceptum, vt Caluiſius. Alius Chriſtum natum aſſerit ineunte vere, ideoque ineunte æſtate conceptum, vt Tẽporarius: vt videãtur omnes differẽtias temporũ ſectari voluiſſe, vt à ſe ipſi, & à catholica Eccleſia diſſiderent. Et ne nullo firmamento niti viderentur, ficulneum inuenerunt: quia *paſtores erant in regione eadem vigilantes*, ἀγραυλοῦντες in agris ſtabulantes; quaſi id Decembri conuenire non poſſit, in Iudæa regione calida, in qua primitiæ frugum demeſſæ in paſchate offerebantur Deo, & in Pentecoſte primitiæ meſſis triticeæ.[b] Denique Arabes, & Phryges, & Cilices, quod paſtu pecudum maxime vtuntur, campos & montes hyeme & æſtate peragrantes, propterea facilius cantus auium, & volatus notauiſſe, teſtatur M. Tullius.[c]

a l. 4. c. 2.
b Exod. 34. 22. Leuit. 23. 10.
c l. 1. de diuin. n. 94.

LVII. *Ex aliis ſcriptoribus*

D. Athanaſ. aut quiſquis eſt autor qq. ad Antiochum (non enim eſt reuera Athanaſ. vt qui q. 3. citat S. Epiphanium Archiepiſcopum Cypri in Panario, & S. Epiphan. citat certamina S. Athanaſii contra Arianos: autor tamen eſt perantiquus) *Quare*, inquit, 25. *die menſis Martij in vtero Virginis clauſus habitare cœpit Chriſtus, & Deus noſter veniens in terram?* Et reſpondetur; quia eodem die in mundi principio Deus creauit Adam. Sed in locum Athanaſii ſuccedat Clemens Romanus, tribus pene ſeculis Athanaſio vetuſtior, & ipſis Apoſtolorũ principibus æqualis, qui l. 5. conſtitutionum Apoſtolicarum, Dies feſtos, inquit, agitate fratres, ac primum quidem diem Natalis, qui vigeſimo quinto die menſis noni celebretur. Poſt hunc dies Epiphaniæ in maximo honore ſit, in quo Dominus diuinitatem ſuã nobis patefecit; is vero dies ſit ſextus menſis decimi. Ita S. Clemens, qui menſium ordinem ab Aprili numerat, cuius rei rationem tradit Beda. Adde quoq; Sanctum[d] Auguſt. & concilium Florentinum in decreto Eugenii 4. vbi præſcribit Armenis, vt prædicta die feſtum dominicæ Annunciationis celebrent. Multos in hanc ſententiam citat Deckerius:[e] vide etiam Baradium[f] Ioann. Georgium Heruartium.[g]

q. 54.
cap. 12.
d q. 56. l. 83. qq.
e in Theſib in 1. Par. ann. 1.
f to. 2. l. 8. c. 10.
g in Chron. c. 247.

LVIII. *Quo hebdomada die ſexto & primo.*

In quem etiam hebdomadæ diem diuinum hoc myſterium inciderit controuerſum eſt. Plerique arbitrantur id feria ſexta contigiſſe, Natiuitatem autem dominica die. Nominatim Rupertus.[h] *Nocte*, inquit, *Domini natus eſt Chriſtus, conſonante mirabilium ſuorum ordine, vt quo die dixit, fiat lux & facta eſt lux, eiuſdem diei nocte exoriretur in tenebris lumen rectis corde, & viſitaret nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris ſunt, & in vmbra mortis. Nocte vero congrue natus eſt, vt ipſo die ortus ſui tempore, ad illuminandam noctem noſtram ſe aduenire ſignificaret.* Hæc ibi, & ca. 19. *Idem mirabilis plaſtes noſter, qui, vt dictum eſt dominica nocte natus eſt, feria ſexta conceptus eſt.* & mox, *Igitur pium atque pulchrum ordinem prouidamque diſpoſitionem in hoc ſalutis noſtræ opifice mirantes veneramur, qui diem qua veterem formauit Adam de limo terra, nouum ſibi reformare cœpit hominem, de vera carne Virginis Mariæ, eadem nihilominus die redempturus mortis paſſione.* Hactenus Rupertus, cui conſentit Author qq. ad Autolicum q. 17. Antoninus,[i] Clitouæus,[k] Ioan. Lucidus,[l] Viguerius,[m] Barad.[n] Denique in 6. concilio ſub finem c. 8. *Dies Dominicus Natali Domini conſecratus habetur*: quod eſt præcipuũ Baronii argumentum. Verum capita illa concilii, ſiue canones, Concilio illi falſo adſcriptos fuiſſe docet Surius tom. 3. Concil. cui non repugnat Baradius.[o]

h l. 3. de diuin. offic. c. 16.

LIX. *Poſita noſtra Chronologia videri Conceptum feria quarta.*

Cæterum ſicut ſtylus diuerſo loco aut modo poſitus, vmbras diuerſe proiicit. Ita prout diuerſis annis conceptus, ortuſq; Domini collocatur in diuerſos hebdomadæ dies, quos quotannis certum eſt commutari, eos incidere neceſſe eſt. Itaque

i 4 p. ſummæ theol. tit. 15. c. 9. §. 4.
k l. de Annun c. 3.
l l. 7. c. 2.
m l. 20. §. 9.
n t. 2. l. 7. c 6 n. 8 & 9. & l. 8. c. 11. n. 4.
o l. 8. c. 11.

annum hunc Imperii Auguſt. 42. & Conſulatum decimũ tertium ad quem diuina iſta myſteria retulimus, expendere oportet, & attendere in quos hebdomadæ dies, tam 25. Martii, quam 25. Decembris incidant, quod accurata diligentia, acríque ſtudio fecit Henricus Buntingus inſignis Mathematicus, qui digeſto huius anni calendario per dies ſingulos, poſitaq; litera Dominicali D. propter irregularẽ intercalationẽ, annum à feria quinta inchoat, quando Iani templum tertio clauſit Auguſtus, Oroſio teſte l.6. Quo poſito vigeſimus quintus Martij, in quo fuit medium æquinoctium, contigit feria quarta, durante adhuc anno ſecundo Olympiadis 194. Qua eadem feria natus reperitur. Ioannes in medio ſolſtitio, Iunii 24. eademque feria in 1. Iulii circumciſus eſt, poſtridieque Virgo in domum ſuam reuerſa eſt.

LX. *Et natum feria ſexta.*

HVIC dierum & feriarum diſpoſitioni, conſentaneum eſt diem vigeſimum quintum Decembris, qui tum fuit dies medii ſolſtitii hyemalis, incidere in feriam ſextam, quæ erat Hebræis dies 29. menſis Caſleu, & quintus Encæniorum, quæ celebrabantur ob repurgatum à Iuda Machabæo templum; cum Herodes inchoaret trigeſimum nonum annum regni ſui, ex quo cum titulum Romæ conſecutus eſt. Currente anno tertio Olympiadis 194. ſub mediam noctem, quæ fuit inter vigeſimum quartum & 25. Decembris, ſiue inter feriam quintam & ſextam. Sententia vero quæ ſtatuit ſacroſanctam hanc noctem fuiſſe Dominicæ præuiam, eo vrgetur incommodo, quod pios coniuges die ſabbati iter feciſſe contra ritum Iudæorum fateri cogitur. Ea enim cauſa paſſim affertur, cur in ſpeluncam extra oppidum ſe receperint, quod tarde in oppidum locis omnibus occupatis veniſſent. Quod ſi in Bethlehem diem totum ſabbati egiſſent, minime credibile eſt eos in huiuſmodi anguſtias redactum iri, neque vllum toto in oppido locum aut prece, aut precio inuenturos fuiſſe. Poſita vero feria ſexta, quinque præcedentes dies conficiendis triginta leucis, quibus Nazareth Bethlehemo diſtat, facile pares eſſe potuerunt. Poſtremo feria ſexta natum Dominum ſcribit Heſychius,[a] Anaſtaſius Synaita,[b] Anaſtaſius Nicænus q. 94. Sed de tempore ſatis, de Domuncula Nazarethana dicamus aliquid.

[a] Serm. de Nat.
[b] in hexam. l.7.
Aranda in prolog. l. de terra ſancta. Adrichom.

LXI. *Domuncula Lauretana, in qua facta Annunciatio.*

SCRIBIT Hieronymus Angelitanus, & ex eo Horatius Turcellinus in hiſtoria Lauretana l.1. & deinceps P. Ludouicus Richeomus, illuſtre Gallicanæ facundiæ & Societatis noſtræ ornamentum in Peregrino Lauretano c.12. Anno 1489. ab energumena muliere Gratianopolitana expreſſum exorciſmis in nomine Domini, vt Dæmon, cui nomen Arctus profiteretur, ſi quid ille de ea ſacroſancta Domuncula noſſet, quæ Verbi diuini Incarnatione, ſanctiſſima, atque auguſtiſſima facta eſſet, & in qua eius ſocii maximis cruciatibus affligerentur. Ille poſt crebras tergiuerſationes, magno ſuo dolore confeſſus eſt, crudeli ſe experientia didiciſſe illud eſſe cubiculum, in quo Maria à Gabriele ſalutata fuiſſet, & nuncium de Verbi Incarnatione recepiſſet; addebatque Virginem eo tempore precibus intentam fuiſſe, quod plerique patrum affirmant,[c] fuiſſeque ad eum cubiculi angulum, in quo nunc Euangelium recitatur.

[c] apud Suarét.2. diſp. 9. ſect. 5.

LXII. *Angeli & cubiculi diſpoſitio & ſitus.*

ANGELVM vero, maioris reuerentia cauſa, alterum angulum ab illo remotiſſimum occupaſſe. Fidem vtique mendacii pater nullam mereretur, niſi exorciſmis, quaſi quæſtionibus ab reo veritas extorta eſſet. Cæterum quod de loco Euangelii dixi, vt intelligatur recitat idem Pater c.13. Id cubiculum quadratum eſſe, altera parte longius, Angelorum miniſterio eo ſitu collocatum, vt longitudine ſua Orientem & Occidentem æquinoctialem reſpiciat rectis lineis, menſe Martio & Septembri: anterioribus autem angulis, duo puncta ſolſtitiorum Orientalium, poſterioribus autem duo illis oppoſita ſolſtitia ad occaſum intueatur. Ex quo etiam ſequitur Virginem ad angulum æſtiui ortus oraſſe, Angelum ad angulum brumalis occaſus ad ſalutandum ſubſtitiſſe.

LXIII. *Hora ſalutationis huius quæ videatur.*

ADDAMVS poſtremo de Incarnationis hora, videri grauibus doctoribus media nocte factam eſſe, eoque recte accomodari illa verba Sapientiæ ab ipſa Eccleſia,[d] quæ de Ægyptiorum exterminatione ſcripta ſunt. *Cum quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus de cœlo à regalibus ſedibus venit.* Etſi enim ea verba Natiuitati attribuantur, clarum tamen eſt Incarnationi magis conuenire, tunc enim proprie Verbum Dei de cœlo à regalibus ſedibus venit. Accedit quod, Natiuitas in mediæ noctis hora creditur contigiſſe, ſic-

[d] 18.14.

que nouem integri menſes dabuntur commorationi filii Dei in vtero Virgineo; Nec vero eſt, inquit Suares,[a] cur exiſtimetur intempeſtiua illa hora noctis, vt in ea Angelus Virgini appareret. Nam veriſimile potius eſt ſolitam fuiſſe Virginem in ſecretiori loco domus ſuæ, maiorum noctis partem in diuina contemplatione tranſigere: & aliunde propter quietem, ſilentium, ac ſecretum noctis fuiſſet illud tempus aptiſſimum, vt in eo hoc myſterium fieret. Sic ipſe. Cui plures conſentiunt cum Baradio.[b]

a d. ſp. 9. ſec. 3. t. 2.
b t. 1. c. 6. l. 7. & l. 8. c. 5. init.

LXIV. *Virgo adit Elizabeth à cognatam.*

Svbsecvta mox eſt viſitatio S. Elizabethæ, facta à Beatiſſima Virgine, dicente Euangeliſta; *Exurgens autem in diebus illis, abiit in montana cum feſtinatione in ciuitatem Iuda.* Innuens non ſtatim vt illuxit, Virginem ad cognatam properaſſe; ſed intra dies aliquot. Quoniam enim diuturniorem ibi moram factura erat, diſponenda erant omnia, tam domi priuſquam ſuſceperetur iter, quam in itinere neceſſaria, & in domo Zachariæ. Et quamuis non eſt exiſtimandum Virginem ſine comite, aut ſponſi conſenſu, quaſi fugitiuam è ſponſi domo, montana cum feſtinatione percurriſſe; ſed in comitatu aliquo vicinorum, aut cognatorum eodem proficiſcentum ſociam factam eſſe: Ioſephum tamen abfuiſſe neceſſarium videtur. Didiciſſet quippe à cognata, quod ab vxore non didicerat; nec in eam turbationem, quæ poſtea ſubſecuta eſt, incidiſſet; Audiſſet quippe, *Vnde hoc mihi vt mater Domini mei veniat ad me? & benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Virgo enim humilis gratiam ſibi factam Ioſepho tacuerat, cognatæ autem Elizabethæ, quam viſitare cupiebat, collatam enunciarat, cauſam itineris ſuſcipiendi pátefaciens, & abſentiæ prolixioris.

Num incomitata.

vide Barad. l. 8. c. 5. etſi obiter Suares init. diſp. 13. aliter ſenſerit.

LXV. *Ex itinere adit Hieroſolymam.*

Socias ergo itineris, vt dixi habuit matronas aliquas cognatas, cum quibus etiam ex itinere Hieroſolymam venit, vt gratias Deo ageret in templo, pro tam immenſo in ſe, totumque genus humanum beneficio. Ita ſentit Clitouæus,[d] & Barad.[e] Quin & gratiam cognatæ factam, coram Deo memor agnouit, proque ea, eiuſque coniuge, & communi prole Deo preces fudit, eique miniſterum apud illos ſuum humiliter obtulit. Inde digreſſa venit in ciuilitatem Iuda, ſiue Hebron, vt pleriſque placet, quæ eſt in montanis tribus Iuda; verum Beda in 2. Lucæ eam putat fuiſſe Hieruſalem, quem ſequuntur Clitouæus, Hugo Cardin. Echius ſerm. de viſit. Et Caniſius,[f] qui in eandem ſententiam citat Auguſtinum. Verum Ieruſalem proprie non erat in tribu Iuda; ſed Beniamin, vnde Hieroſolymitæ ſeorſim à viris Iuda ſæpe memorantur.[g] Nec videtur ciuitatem ſanctam taciturus Euangeliſta,[h] ſi parentes Ioannis ibi fuiſſent commorati.

d l. de viſit. Virg. c. 2.
e l. 7. c. 12.
f l. 4 Mar. c. 5.
g Ioel. 3. 6. Iere. 4. 4. 5. & alibi paſſim.
h Sa & Barad.
i n. 243.

LXVI. *Domus Zachariæ ad Emans.*

Vervm hanc domum milliario vno ab Emaus fuiſſe diſſitam ſcribit Adricho. in tribu Iuda,[i] aitque ex Saligniaco inſpectore, An. Chriſti 1522. tum quoque habitatam fuiſſe, & à peregrinis reuerenter ſalutari ſolitam: ibique natum eſſe Ioannem Baptiſtam, circumciſum, & in ſpelunca abſconditum, ne cum pueris Bethlehemiticis ab Herode occideretur, & iuxta eam domum fontem eſſe B. Virginis, ex qua ipſa aquam haurire conſueuerat, cum maneret apud Elizabetham. Quid hac de re Burchardus, & alii locorum illorum inſpectores ſentiant, vide apud Barad.[k]

k t. 1. l. 7 c. 12.

LXVII. *Salutat Eliſabethã.*

Intravit ergo domum Zachariæ, & ſalutauit Elizabeth; verba ſalutationis reliquit Lucas piorum meditationi, & vero ſatis intelligi poteſt ea fuiſſe, quæ ab humillima, dulciſſima, & diuinorum beneficiorum gratiſſima expectari poſſent, qualia eſſent, Salue domina mea, cognata mea, benedictus Dominus, qui magnificauit tecum miſericordiam ſuam; idque ſuſpicari licet ex ipſa Eliſabethæ ſalutatione, quæ alludens ad verba ſanctæ Virginis dixit. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Nam cum Virgo perſeueraret abſcondere gratiam ſibi factam, & diceret, Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui vidit afflictionem tuam, & abſtulit opprobrium tuum. Benedictus qui conuertit luctum tuum in gaudium, & in iubilationem lacrymas tuas. Media inter talia verba Deus ipſe ſe ex vtero ingenti miraculo prodit, exultatione infantuli in vtero Dominum ſuum agnoſcentis, & adorantis. Itaque non continuit ſe vltra Eliſabeth; ſed exclamauit voce magna, præ voce videlicet depreſſiore S. Virginis, ſimulque cum amplexu & dulci pacis oſculo, reddidit ei ſalutationis vicem, dum ſe interea infantuli ex maternis vteris conſalutarent.

LXVIII. *A qua viciſſim ſalutatur.*

At illa, *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Quaſi dicat. Tu me benedictam dicis; at tu longe beatior es me, & omnibus mulieribus, quæ illibata virginitate concepiſti, & concepiſti filium Dei; quæ placuiſti Domino, vt eligereris præ omnibus, & eueheris ad ſupremam dignitatem, quam mulier capere poteſt. Itaque facta es non gloria Nazareth, aut Ieruſalem; ſed gloria totius fœminei ſexus, decus & ornamentum omnium fœminarum, tam Virginum quam quæ iunctæ ſunt viris. *Benedicta tu inter mulieres,* quæ præ illis obtuliſti Deo illibatam Virginitatem, & præ omnibus illis obtinuiſti à Deo maternam inſuper fœcunditatem. Cæteræ mulieres, quantuncumque nobiles, diuites, ſapientes, atque etiam ſanctæ, id ſummum habent, vt ſint Ancillæ Dei: tu hunc gradum infinito ſpatio ſupergreſſa, facta es eiuſdem Mater. *Multæ* enim *filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.*

LXIX. *Ex eadem ſalutatione*

Singvlæ nationes, atque ætates vnam aliquam habent quam prædicent, quam imitentur, quam beatam dicant. At te *beatam dicent omnes generationes*; vt quæ illarum omnium dotes adepta es, & virtutes; & inſuper facta es Mater Dei. *Benedicta tu inter mulieres,* quæ cum peccato concipiuntur, & cum impura voluptate concipiunt, & cum labore & moleſtiis multis vterum ferunt, & cum multo cruciatu pariunt; à quibus omnibus diuina benedictio eximiam te & liberam fecit; quia nimirum *benedictus* eſt *fructus ventris tui,* à quo in te, & in omnes deinceps per te profecta, & profuſa eſt omnis benedictio. Ipſe enim cauſa eſt cur præuenta ſis ab ipſo ortu & conceptu tuo, vſque ad hanc horam in benedictionibus dulcedinis, & priuilegiis & gratiis, vt idonea eſſes ad id munus, ad quod parabaris. *Et vnde hoc mihi, vt Mater Domini mei veniat ad me?* Sed abeamus cum bona venia boni lectoris ab hiſce deliciis, ne noſtri muneris nimium obliti videamur.

LXX. *Virgo adeſt cognatæ parienti.*

Ibi poſt tertium menſem natus eſt Ioannes Baptiſta, præſenténe Virgine dubium eſt, videtur enim id negare Lucas, cum ait, [a] *Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus, & reuerſa eſt in domum ſuam*; Tum demum ſubdit, *Elizabeth autem impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium,* Verum id per occupationem dictum eſſe merito putat Barad. [b] plurimoſque refert, qui in eam ſententiam abeant, vt B. Virgo parienti cognatæ adfuerit, in primiſq; Ambroſiũ & Bedam, tũ Eutym. D. Antoninum, Comeſtorem, D. Bonaduenturam, Simonem Caſſianum, Hugonem Card. Gloſſam vtramque: quibus ipſe ſubſcribit. Et reuera æquum erat, vt tum B. Virgo non abeſſet, quando cognata maxime opera eius, & conſolatione indigebat, in nouo, & ſenilis infirmique corporis puerperio. Lyranus hanc opinionem communem vocat: dubium relinquit Petrus Damiani Cardinalis in ſerm. de Ioan. Bapt. Fortaſſis, inquit, vſque in diem Natiuitatis Ioannis glorioſa Virgo, cum cognata ſua morata eſt, donec puerum natum ſinu beatiſſimo confoueret, & vno pariete remoto, propinquiorem redderet præſentiæ Creatoris: facile autem hoc ex Euangelio conjectare licet. Alii qui librum iuſtorum diligentioribus oculis inſpexerunt, ibi ſe vidiſſe teſtantur, quod ipſa Dei genitrix felicem puerum, primum de terra leuarit, & cognatæ partum omni proſecuta ſit ſeruitute.

[a] v 56.
[b] l 7. c. 13.

LXXI. *Turbatio Ioſephi ac ſedatio.*

Svb tempus reuerſionis B. Virginis in domum ſuam, in qua ſcilicet cum ſponſo habitabat, contigit tentatio illa Ioſephi, cum agnoſcens ſponſam ſuam ferentem vterum, conſcius continentiæ ſuæ, nolens eam traducere, ſiue ignominioſe tractare, eſt enim παραδειγματίσαι quod eſt infamem reddere, edere exemplum ignominiæ in aliquem, voluit eam dimittere, dato videlicet libello repudii, eaque ſuas ſibi res habere iuſſa, quæ fidem ſibi datam non ſeruauerat. Neque tamen adulterii accuſare poterat, qui teſtibus adulterium probare non poterat. Manſerant enim in eadem domo tribus amplius menſibus. Nam oportuit Virginem conceptus tempore cum Ioſepho habitare, ne ſi grauida eſſet ante cohabitationem, aut pareret ante 9. menſium cum viro conuictum, infamiæ nota iſto matrimonio vitari non poſſet. Sed de diuino myſterio edoctus ab Angelo, conſilium eius dimittendæ reliquit, retinuitque apud ſe coniugem ſuam, vt fuſius narrat Matth. [c]

[c] c. 1. 18. & ſeqq. vide Suarem t. 2. diſp. 7. ſect. 2. & Barad. l. 8. c. 5.

LXXII. *Virgo cum Ioſepho abit in Beth.*

Hac perturbatione ſemota, vixerunt communiter ſancti coniuges, cum admirabili animorum conſenſu, & pari animi corporiſque puritate: Cum *exiit edictum a Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. Hæc deſcriptio prima facta eſt à Præſide Syriæ Cyrino. Et ibant omnes vt profiterentur ſinguli in ſuam ciuitatem. Aſcendit*

autem & Ioſeph à Galilæa, de ciuitate Nazareth in Iudæam, in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem, eo quod eſſet de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore prægnante. Et ſi multis circumſtantiis ab hiſtoria Romana petitis, inſignita eſt hiſtoria omnium nobiliſſima, vix tamen ab ea quidquam lucis, ſcriptorum inopia, aut quopiam alio caſu accipere poteſt.

Mvlti certe doctores mirantur huius deſcriptionis memoriam in ſcriptoribus prophanis nullam extare, neque apud Ioſephum: neq; præfecturã Cyrenii, neque deſcriptionem & cenſum ab illo factum, ſatis huic tempori conuenire; ideoque reſponſiones quam poſſunt maxime probabiles excogitant, alii cauſam in penuriam Scriptorum referunt, alii in negotii parum illuſtris qualitatẽ: Et ſane perpauci ſcriptores extant, qui huius temporis hiſtoriam Romanam prodant. Nam Liuius, in morte Druſi deſiit: in Dione decem fere anni, in quorum mediũ diuina Chriſti Natiuitas incurrit, deſiderantur. Corn. Tacitus ab exceſſu Auguſti orditur hiſtoriam ſuam; cæteri obiter & captim res huius temporis attingunt, vt Sueton. Velleius, Florus, Eutropius, Aurelius Victor, &c. Itaque ſi nos quoque coniecturis agamus, boni conſulet lector beneuolus, dum certiora repererit; quibus nos libentiſſime cedmus. LXXIII. *Silentium prophana hiſtoria.*

a l. 7. c. 3. Cvm ergo ſub anni finem aduenîſſet in Syriã Caius, ſiue ex Ægypto, vt vult Oroſius,[a] ſiue ex Aſia, vt Dio, & Suetonius ſignificant; aliis prouinciis ad ſedandum obitis, vt ait Velleius l. 2. Auguſti Cæſaris nomine promulgauit edictum, vt deſcriberetur vniuerſus orbis; quod forte ſolius Caii autoritate, inſcio Auguſto factum eſt, vt maiores pecuniæ in bellum Parthicum cogerentur, eaque cauſa fuerit, cur minus eius mentio extet apud hiſtoriæ Romanæ Scriptores. Nec obſtat, quod dicitur exiiſſe edictum à Cæſare Auguſto; quia ſcilicet nomen eius præferabatur. Nã ſæpe Regum nomine multa edicuntur & fiunt, quorum ipſi penitus ignari ſunt. Eodem in edicto præ ſe tulit Caius, & qui ſub ipſo rerum potiebantur in Syria, M. Lollius in primis, & Quirinius eius Rectores, & comites, vt ſupra dixi,[b] generalẽ eſſe hanc deſcriptionem vniuerſi orbis; tum vt tanto probabilius eſſet ab Auguſto, qui vnus toti Romano imperio præerat Imperator, eam iuſſionem eſſe profectam; tum vt reliquorum populorum conſortio, Iudæi, qui ſæpe turbas concitabant, facilius obtemperarent. LXXIV. *Edictum Cæſaris ſiue Caii.*

b n. 33 34.

Fverit autem præfectus Syriæ Quirinius, ſed extraordinarius, vt ante dicebamus, ſicut & Caius præfectus Orientis; qui cum maiorem in prouinciis Orientalibus poteſtatem haberet, quã præfecti ipſi ordinarii, (vt poſtea Germanicus,[c] & antea Pompeius in bello piratico) ſuos etiam Præfectos habuerit, per quos quæ libebat ediceret, quæ nemo auderet arguere, vel improbare, nedum poſteritati tradere. Autor eſt enim Dio l. 53. res geſtas in prouinciis, parum fideliter fuiſſe conſcriptas, temporibus Imperatorum in Rep. dominantium, omnibus in eorum gratiam ſtylum attemperantibus, vt ex Velleio de Tiberio ſcribente, vel cæcis perſpicuũ eſt. Eſt enim ſuſpicio, inquit Dio, omnia dici, agiq; arbitrio Imperatorum, eorumque qui potentiæ illorum ſunt participes: atque inde fieri vt multa conficta diuulgentur, multa quæ vere acta ſint, ignorentur; denique ſecus omnia quam euenerint, edantur. Sic ipſe. In iis ergo quæ vere acta ſunt, & tamen ignorata, minuſque edita, ponatur hic cenſus in Syria editus, nec tamen in publicos relatus commentarios hiſtoricorum. LXXV. *Confirmatur id Caii edictum.*

c Tacit. l. 2. ann. ſub med.

d in 2. Mat. Porro hæc Bethlehem terræ Iudæ eſt; alia quippe fuit in Galilæa autore Hiero.[d] quam Adrichomius collocat in tribu Zabulon, prope Bethuliã à Iuditha celebratam: at illa altera Bethlehem re ipſa exiguum oppidum, ducis noſtri & Rectoris Iſraëlitici populi Natiuitate, glorioſiſſimæ ciuitatis inſtar habuit, ideoque quam pridem Propheta minimam dixerat, vel frequentia populi, vel circuitu murorum, vel domorum numero, eam Euangeliſta magnam dignitate pronunciat, propter ibi natum filium Dei. Sic Gregor. Nazienzen. Orat. 19. quæ eſt in laudem patris demortui, de Nazianzo agens, ait eam vrbem id conſecutam, vt quantum aliis multitudine ciuium cedebat, tanto eas nominis celebritate vinceret. Idemque ipſi vſu veniret, quod Bethlehem accidiſſe videmus, inquit, quam nulla res prohibuit quominus ſimul & parua ciuitas eſſet, & totius terræ Metropolis, vt pote Chriſti Orbis conditoris ac victoris parentem, atque nutricem. LXXVI. *Locus Natiuitatis Bethlehem.*

LXXVII. *Ex S. Hieronymo.*

BETHLEHEM, inquit D. Hierony. de locis Hebr. ciuitas Dauid in ſorte tribus Iudæ, in qua Dominus noſter ac ſaluator natus eſt, in ſexto miliario ab Ælia (Hieruſalem) contra Meridianam plagam, iuxta viam quæ ducit Chebron, vbi & ſepulchrum Ieſſe & Dauid oſtenditur, & mille circiter paſſibus procul turris Ader, quæ interpretatur Turris gregis, quodam vaticinio paſtores Dominicæ Natiuitatis conſcios ante ſignificans; ſed & propter eandem Bethlehem regis quondam Iudææ Archelai tumulus oſtenditur, qui ſemitæ ad cellulam noſtram è via publica diuertentis principium eſt. Hæc D. Hieron. Verum quoniam de loco Saluatoris natali conſecrato ſatis multa ſtudioſe collegit illuſtriſſimus ſcriptor Annalium, & Baradius noſter, [a] in gratiam pij lectoris pauca de ipſa diuina Natiuitate, præuio Euangeliſta dicamus. a t. 1. l. 8. c. 14.

LXXVIII. *Compatiendum infanti.*

FACTVM *eſt autem cum eſſent ibi*, *ait Lucas*, *impleti ſunt dies vt pareret*, *& peperit filium ſuum primogenitum*, *& pannis eum inuoluit*, *& reclinauit eum in præſepio*, *quia non erat eis locus in diuerſorio*, in ſpelũca illa fortaſſe ad quam Virgo cum Ioſepho tum diuerterant, & pauperes oppidis domibuſque aliis excluſi, diuertebant. Venite nihilominus & pannis inuolutum, & reclinatum in præſepio adoremus, & procidamus ante eum, & ploremus coram eo, & lachrymas noſtras lachrymis eius conſociemus, eius paupertati & humilitati compatientes, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter, *nos autem populus eius*, *& oues paſcuæ eius*. Et ſubditi agnitum regem ſuum, vbiuis locorum fuerit honorare debent, quoniam neque palatium, neque purpura, neque diadema regem facit; ſed perſona legitimo regnandi iure prædita.

LXXIX. *Collaudandum Angelis.*

VERVM quoniam canunt Angeli, & triumphant gaudio, & nobis lætitiam annunciant, *Venite* filii hominum, *exultemus Domino*, *iubilemus Deo Salutari noſtro*, nam *paruulus* hic *natus eſt nobis*, *præoccupemus faciem eius in confeſſione*, confitentes quia *per viſcera miſericordiæ ſuæ viſitauit nos oriens ex alto. Illuminare iis qui in tenebris*, *& in vmbra mortis ſedent*, confiteamur quia in iſta ignominia ſtabuli, & paupertate præſepii, & vilitate pannorum, ille ipſe eſt, *qui ſedet ſuper Cherubin*, *& intuetur abyſſos*: ille ipſe eſt qui etiam nunc *facit mirabilia magna ſolus*, qui oſtendit in ſtabulo, & in præſepio inſignem gloriam ſuam. Neque enim fefellerunt nos Angeli, cum heri dicerent, *hodie ſcietis quia veniet Dominus*, *& mane videbitis gloriam eius*, vtique *gloriam quaſi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis*, gloria quippe filij regis ab intus.

Qui hodie gloriam canunt in excelſis Deo.

LXXX. *Chriſtus in ſtabulo glorioſus.*

RIDICVLA eſt mortalium gloria, à metallis, à lapidibus, à vermiculis emendicata, vt iis quaſi alienis nudati plumis, merita irriſione ludantur. At ſapiens hic paruulus voluit gloriam ſuam vere eſſe ſuam, nec foris mendicauit falſam, qui habuit intus veram. Velauit autem faciem gloriæ ſuæ velamento humanitatis, vt in ipſum intueri poſſemus. Nam modice patefactam poſtea in monte Thabor ſancti Apoſtolorum principes ferre non potuerunt.

Sed vera gloria.

Vere ergo Angeli annunciauerunt vniuerſam gloriam fratris noſtri Ioſeph, pleni gratiæ, & veritatis; Et ſi aperiamus oculos, ſtabulum & præſepe plena ſunt vniuerſis bonis cœli, vbi dominatur princeps iſte noſter, plena bonitate, plena miſericordia, plena pulchritudine, plena vera luce illuminante omnem hominem venientem in hunc mundum. Plenus eſt gratia, qua nos patri gratificet dilectus filius eius: plenus veritatis ſecretorum diuinorum, quæ reuelaturus eſt nobis, & de plenitudine eius accipiemus omnes.

XXCI. *Virginis admiratio & exſtaſis.*

FAMA vulgata de Salomone noſtro non fuit media pars eorum, quæ experiuntur qui eius faciem intuentur, præſertim Regina mater ipſius, quæ ſine dubio facta in exſtaſi, præ admiratione non habebat vltra ſpiritum: tantam agnoſcebat in hoc diuino myſterio, & circumſtantiis eius ſapientiam, tot mirabiles congruentias, quas vix Prophetæ ſuſpicarij, vix Angeli ipſi ſatis prædicare potuerunt. Præſertim cum ſe & Matrem ſentiret & Virginem; itaque enixam eſſe, factamque puerperam, vt ſine diruptione vteri, ſine clauſtri Virginalis apertione, Virginitatis gloria permanente, lumen æternum mundo effunderet Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Cum immunem ſentiret à dolore partum, vacuum omni ſorde puerperium; Neque enim illa anteceſſerant, quæ deberent carnis dolore, gemitibus animi, corporis ſordibus expiari. Qua de re vide pluribus Suarem. [b] & Baradium tom. 1. l. 8. c. 15. b t. 2. d. 13. ſ. 1. & 2.

Vere

VERE ergo pluſquam Salomon hic, cuius gloria non auro de Ophir, & argento conſtat, non ebore, Indiciſque gemmis, quæ mox Ægyptiorum præda fiant; ſed incredibilibus & immórtalibus æternæ patriæ bonis. Vis videre quomodo ſtabulum glorioſius eſt aurea domo Salomonis, & vile præſepium eo throno, cui par nullum inuentum eſt in vniuerſis terris? quis eſt qui ſi ſuperba illa ſpectauerit caput aperiat? quis non ad iſta adoranda venerabundus proſternitur? Quis ad illa honorāda, vti hoc præſepe, maria terraſq; percurſet? Quāta gloria eſt, quamq; mirabilis, perſuaſiſſe mundo & matrem illā eſſe Virginem, & pauperculum hunc infantē eſſe Deum? Quanta gloria eſt tam vilia reddere tam glorioſa? Salomon in omni ſapientia & gloria ſua, non potuit efficere aurum glorioſum, Chriſtus infans potuit res deſpicatiſſimas ſtabulum, pannos, præſepe; poſtea verbera, clauos, ſpinas, & ipſum patibulum crucis, alias maledictum, & deteſtabile, facere glorioſa. XXCII. *Chriſtus in præſepi Salomone glorioſior.*

SED maxime facta eſt hodie glorioſa illa Virgo, quæ ſicut vere conceperat hominem Deum, hoc ipſo quod diuinitatem ineffabiliter iunctam prius animæ, ſeorſum & corpori, ipſa materno concurſu inter ſe iunxerat, vt ante dixi vt eodem puncto tēporis conciperet hominem Deum, Emanuelem nobiſcum Deū; ita nunc vere peperit hominem Deum, & perfecte facta eſt Mater Dei, cum naturali eniſu, maternoque impulſu cum Virgo emiſit in lucem, quem Virgo ante genuerat: vtrumque enim compleri oportuit, quoniam vtrumque Propheta tam diu ante cecinerat, *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, &c.* Natum autem non ſolum Angelico præconio celebrari voluit, ſed etiam euulgari. Angelus enim Domini, quem aliqui Gabrielē merito interpretantur, qui totum hoc Incarnationis myſterium videtur diſpenſaſſe, vt Verbum concipiendum nunciauit Virgini, & conceptum Ioſepho, ita nunc natum paſtoribus; qui ad Chriſtum, vt primitiæ Iudæorum aduocantur, vt Magi mox primitiæ gentium. Et decebat vt qui pauper erat, & pauperibus Euangelizaturus erat, primum à paſtoribus agnoſceretur ac coleretur: nam ſimiles ſimilibus facile aggregantur. XXCIII. *Virginis partus, & reuelatio facta paſtoribus.*

a Luc. 2. 8. QVOD autem ſcribit Euangeliſta, fuiſſe paſtores in eadem regione vigilantes,[a] & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum, de loco admodum vicino intelligendum videtur: & vicinitatem innuunt illa eorum verba, *Tranſeamus vſque Bethlehem*, quaſi dicant, breuis eſt via, & modicus labor. Et apparet eos fuiſſe in deſerto Bethlehem, quod inde ex vicinitate traxit nomen; vbi quondam Dauid adoleſcens paſcebat, oues iuxta illud,[b] *Quare dereliquiſti pauculas illas oues in deſerto?* Vicinitatis illud quoque indicium eſt, quod Samuel peracto ſacrificio, & ſcilicet parato prandio, eum euocari iubet,[c] negatque diſcubituros ad ſumendum cibum, priuſquam ille venerit. Iuxta hos ergo ſtetit Angelus Domini, vt facile exaudiri vox poſſet, & inter illos radiante fulgore merito circumfulſit: erat enim Angelus lucis, lucem beatam inhabitans, lucem amans, & ſecum inuehens, modo ſpiritualem, modo etiam quæ ſub videndi ſenſum cadit; denique lucem magnam mundo exortam nuncians, populo qui habitabat in tenebris, & regione vmbræ mortis. XXCIV. *Quo tum in loco eſſet paſtores.*

b 1. Reg. 17. 28.
c 1. Reg. 16. 11.

ANGELICA lux inexpectata, ac repentina, & in nocturnis tenebris lucens, ſubitum timorem incuſſit, talium viſionum, ac viſitationum inſolentibus, *& timuerunt*, ait, *timore magno*. Nā & fulgur ſuo fulgore terret, nec lux in tenebris minus horretur, quā denſæ tenebræ in medio die. Timemus enim ne hæc inſolita aliquid ſecum apportent mali: præſertim cum lux ab eo quoq; eſſe poſſit, qui transfigurat ſe in Angelum lucis. Pertinuit autem & lux & timor ad attentionem, nam qui timent arrectis auribus aſtant; & ad opinionē rei nouæ, & in primis ſeriæ conciliandā. Quia tamen nimius timor perturbat, & confundit hominis mentem, Angelus eum efficaci voce moderatur dicens, *Nolite timere.* Gaudii enim & fiduciæ vobis apporto nuncium, nec vobis tantū, ſed populo, nec veſtro tantum, ſed omni populo, quia vbique gentium canere oportet mortales; *qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis.* XXCV. *Angelica luce terrentur.*

QVOD autem maius gaudii argumentum, quā patefactus aditus ad gaudia ſempiterna? Quicunque in carcere mundi huius, & vmbra mortis ſedetis, oportet natum vobis gratulari Saluatorem, qui à ſeruitute dæmonis, & peccati aſſerat vos in libertatem filiorum Dei. Natus eſt vobis hodie, nec vltra dicendum eſt, *ecce veniet*. Promiſſa in rem deducta ſunt, venit, adeſt, natus eſt; & qui erat ſimilis XXCVI. *Gaudium magnum nunciatur.*

nobis in cœlis, factus eſt ſimilis vobis in terris. Ipſe eſt Chriſtus, vnctus omni gratia, Regia, Prophetica, Sacerdotali: Chriſtus Dominus, non ciuitatis Dauid, aut cuiuſpiam ſingularis loci; ſed Dominus, cœli nimirum atque terræ: non famuli alicuius, aut ſubditi; ſed omnium hominum atque Angelorum, tanquam primogenitus omnis creaturæ, & princeps regum terræ; quē nos ipſi quoque Angeli, quãuis minoratum à nobis in carnale mortali, ſuperexaltatum tamen in diuina perſona, Dominum agnoſcimus, & prædicamus. Sic ille.

XXCVII *Signumq; datur paſtoribus.* Quoniam vero neque parentes proximi ab Angelo nominabantur; & vt nominarentur, peregrini erant, & ignoti Bethlehemitis: neque infanti nomen adhuc inditum erat, neque hoſpitij domus deſignabatur, aliquo ſigno res monſtranda erat, vt inueniretur, & agnoſceretur inuēta. *Et hoc vobis ſignũ*, inquit, *inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio,*[a] Quando Samuel vnctum à ſe Saulem dimiſit,[b] dedit ei ſigna, quibus ordine occurrentibus, agnouit ſe vere in regem electum eſſe. Sic & paſtores ſignum accipiunt, quo inuento ſciant ſe inueniſſe Saluatorem, qui nunciatus eſt eis. Sed hic idem eſt ſignum & res ſignificata, ſicut in diuina Euchariſtia, idem eſt memoriale, & res quæ memoratur. Neque oportuit diſtinctius locum ab Angelo notari: nam ſpeluncam diuini puerperii, in aditu ipſo, ac ſuburbio oppidi Bethlehem erant inuenturi. Vere ſignum magnum apparuit in terra, ſignum vtique germanumque prodigium demiſſionis animi ac charitatis. a Luc. 2. 12. b 1. Reg. 10.

XXCVIII. *Canticum Angelorũ.* Vix orator ille cœleſtis finem dicendi fecerat, cum multitudo beatæ militiæ, quæ diuinum legatum comitabatur, & in tantæ, tamque inauditæ rei miraculo, iam dudum ſtabat defixa, ſilentium rupit, & conſona voce nobiliſſimum inchoauit hymnum; vt exemplo ſuo mortales incitaret ad laudandum Deum, & gratias agendas de tam ſingulari beneficio. Nec tacuit Euangeliſta iſtius glorioſi cantici exordium, quo illi gloriam Deo, terræ pacem, hominibus bonam voluntatem precabantur. In codice enim Græco tria ſunt vnius membra ſententiæ. Exordium dixi; Apparet enim eos inter canendum viſos eſſe cœlum aſcendere, nec paſtores interrupiſſe muſicam longe ſuauiſſimam; ſed attonitos quandiu licuit attendiſſe, dum minus minuſque audiretur. Dum autem illi incœpta hic cantica, in cœlum non intermiſſa transferunt, ibique vel hunc ipſum hymnum, vel illud triſagium, ſumma audientium voluptate, infatigabiles integrant, paſtores ſibi ipſis redditi, inter ſe colloqui, ſeque mutuo ad Bethlehemiticam profectionem inuitare cœperunt; eoque mox cum feſtinatione profecti, agnouerunt accepti nuncii veritatem: quod mox ſparſere in vulgus, & eos qui audierunt propriæ admirationis & gaudii participes effecerunt.

XCI. *Concluſio anni huius.* Et de integerrimo quidem Virginis partu, diuinaque natiuitate hactenus. Neque enim conuenit, vt inculcandis iis quæ ſapientiſſime à Cardinali Baronio iam dudum prodita ſunt in lucem, actum agamus. Quin & finem hic facturi eramus, & finem operi laborioſo impoſituri, niſi ex iam poſitis principiis, nonnullis in locis ab eo deinceps diſſentire cogeremur: nonnullis etiam eum ab erroris opinione vindicare, pro noſtro in veritatem amore, cuius ille ſtudioſiſſimus ſemper fuit, noſtri muneris eſſe duceremus. Neque æquum eſſe videretur, ad firmanda magis magiſque ea, quæ diximus, fruſtra lectorem deſiderare, quæ dictis conſentanea ſunt de tempore occiſorum Innocentium, mortis Herodis, aduentus Magorum, moræ in Ægypto, Chriſti baptiſmatis, denique de tempore prædicationis, & mortis eiuſdem; quæ non modicis difficultatibus implicata ſunt, & à pleriſque non minore ſtudio, quam præcedentia expetuntur. Et ſic Sextæ Ætati finem imponimus, quæ in primo anno imperantis Cyri exorta, in Chriſti Domini ortu terminatur, & 537. annorum periodo circumſcribitur, vt in primo anno Samuelis, primoque Cyri diximus.

Sextæ Aetatis, quæ eſt Zorobabelis, & cæterorum Principum & Sacerdotum Hebræorum finis,

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 4052.

1.N.xx. Hæc ſumma, quæ habetur etiam l.1. bel.c. 20. fidem exuperat, meam certe. Cum enim hæc talenta cenſenda videantur Hebraica, quorum ſingula 125. libris auri valeant, vt placet S. Epiphan. & quæuis auri libra, centum nummis aureis, certe mille & quingenta talenta valent octodecim milionibus ſeptingentis & quinquaginta millibus coronatorum: quæ exiſtimo Ioſephi faſtui potius, quam Herodis cenſui tribuenda. Si tamen libet accipere Attica talenta, ſingula 1050. Francorum, ſumma aſcendet ad 1575000. ſin Euboica ad 7100000. Francos. Quidquod iterum c.10. cum hæc legata Cæſari, eiuſque domui facta repetit, longe ab hac ſumma abeſt? cum ait legaſſe Cæſaris argenti ſignati mille Myriadas, puta drachmarum, eius autẽ domeſticis quingentas Myriadas, at 1500. Myriades drachmarum aſcendunt tantum ad 875000. id eſt octingenta & 75. millia coron. Aliam etiam largitionem apud eundem leges, quam vt valde improbabilem præter mitto.

2.N.xxiix Vel explica cum Perer. in Dan. l.11. annum 41. expletum, & Suare t.1. in 3.p.d.6. ſect.1. in fi. vide notas Pontac. col. 530.

3.N.ll. D. Chryſoſtomus t. 2. in ſerm. de Nat. S. Ioan. Bapt. aut potius antiquus aliquis, ſed incertus author, qui nec Græcè ſcriptus habetur, nec forte Græcè ſcriptus vnquam fuit, ideoque & hic ſeorſim ponetur. Poſt ſextum menſem, inquit, conceptionis Ioãnis, qui eſt 8. Cal. Octobris, ſextus menſis Martius principiũ eſt anni, quia princeps & primarius omnium; ipſo menſe conceptus & paſſus eſt. & paulo poſt, Ex die igitur conceptionis Ioannis, octauo Cal. Octobris, vſque ad octauũ Cal. Aprilis, quando Angelus Gabriel ingreſſus eſt ad Mariam, & ſalutauit eam dicens, pax tecum, quę inueniſti gratiam apud Dominum &c. & mox. Fuit igitur, vt diximus, quando hæc Angelus Mariæ annunciauit 8. Calen. Aprilis, qui & ipſe eſt dies æquinoctialis ad inchoationem lucis. Iam enim detenſa caligine à mundo, lux in mundum adueniebat; & iterum. Conceptus eſt ergo Dominus noſter 8. Cal. Aprilis mẽſe Martio, qui eſt dies paſchæ, paſſionis Domini, & conceptionis eius. In qua enim die conceptus eſt, in eadem & paſſus eſt. Et inferius, Nã Chriſtus, qui in Natiuitate Ioannis iam trium menſium erát, vt & ipſe ſecundũ humanam Natiuitatem suppleret menſes nouem, ſupererant ei alii menſes ſex, qui nunc ex 8. Calend. Iulias, in 8. Cal. Ianuarias ſunt menſes ſex, quibus ſuppletis nouem menſibus, initiante decimo Chriſtus mundo natus eſt; quando prima cenſio capitalis humani generis facta eſt, proconſulatum in Syria agente Cyrino, id eſt Domino; veniebat enim Dominus orbis terrarum, qui de capite noſtro cenſeret. Et ſub finem, Qua enim die conceptus eſt Dominus, eadem die & paſſus eſt. Eadem ipſa dies cœna pura fuit, in qua & luna quartadecima occurrit. Conceptus eſt enim menſe Martio, 8. Cal. April. die, luna quinta decima fuit, quá momentis ſuis (ſic enim legendum videtur pro momentiſſime) propter horam paſſionis ſuæ ſuſtinebat. Poſtremo, Sed nunc, inquit dilectiſſimi, poſt duo æquinoctia, quæ ſunt duæ conceptiones, intendenda ſunt & duo ſolſtitia, in quibus duæ natiuitates continentur &c.

Forte huc faciat quod de M. Lollio priore Caii Rectore ſcribit Solinus c.66. ſub fin. ex Pli. l.9 c.35. Lolliam Paulinam Caii Principis coniugem, vulgatum eſt habuiſſe tunicam ex margaritis quadringenties ſeſtertium tunc æſtimatam (id eſt vicies centena millia libr. Tur.) cuius parandæ auaritia Pater ipſius M. Lollius ſpoliatis orientis regionibus, offendit C. Cæſarem Auguſti filium, interdictaque amicitia principis, veneno interiit. Sic Solin. Lollii auaritiam clarius accuſat Plinius, cum ait Paulinæ opes prouinciarum ſpoliis fuiſſe partas. Hic eſt inquit, rapinarũ exitus: hoc fuit quare M. Lollius infamatus regum muneribus in toto Oriente, interdicta amicitia a C. Cæſare Auguſti filio, venenum biberet, vt neptis eius quadringenties ſeſtertium operta, ſpectaretur ad lucernas. Iſtius ergo fortaſſis auaritia edictum Caio perſuaſum fuerit, quod tamẽ ille ſucceſſori Cyrinio agendum reliquit. 4.N. xxx.

SEPTIMA AETAS

ANNVS MVNDI 4053. SEPT. ÆTAT. 1. IESV CHRISTI AN. 1. B. VIRG. 16. IMPER. ROM. 48. AVGVST. 43. HERODIS, 37. & 40. ET VLT. ARCHELAI 1. IOAZAR. PONTIF. 1. PRÆSID. SYR. QVINTIL. VARO, OLYMP. CXCIV. AN. 4. VRB. COND. 752. COSS. COSSO CORNEL. LENTVLO, ET L. CALPVR. PISONE AVGVR. ANN. IVL. 45. AVGG. 29. ACTIAC. VICT. 31.

I. *Summa capita hiſtoriæ anni huius.*

PRIMVS iam à Chriſti Domini Natiuitate aperitur annus, ab ipſis Cal. Ianuariis, Chriſti Domini Circuncisioni, & ſacroſancti Iesv nominis impoſitioni conſecratus; ex quo deinceps die, eius anni perinde numerantur, omiſſis diebus ſeptem, quaſi ipſo die primo menſis huius natus fuiſſet. Primus item exoritur Septimæ ætatis annus, quæ cum Mundi occaſu terminabitur; in cuius etiã initium ducenteſimus decimus ſabbaticorum annorum cadit. Primi autem diei myſteria, poſt ſextum diem Epiphania ſecuta eſt, & poſt 33. Virginis Matris Purificatio, & infantis Ieſu in templo oblatio, cum reliquis, quæ illo ipſo tempore in templo contigiſſe Euangeliſta narrat. Non multo poſt indicitur diuinitus fuga in Ægyptum, Innocentes occiduntur, Herodes moritur, Archelaus patri ſuccedit, moxque Romam proficiſcitur; Sed his Romana, quaſi fundamenta præſtruamus.

II. *Tiberius reditum in vrbem petit.*

Ad hunc ergo annum pertinent illa, quæ Tranquillus [a] de Tiberio, Auguſti poſtmodum ſucceſſore ſcribit. *Tranſacto*, inquit, *tribunitiæ poteſtatis tempore*, (quinquennio ſcilicet, quod inchoatum anno V.C. 747. cum præcedentium Conſulum magiſtratu terminatum eſt, vt ſuo loco diximus, licet Sueton. [b] eam poteſtatem illi collatam ſecundo ipſius Conſulatu dicere videatur, cum ſatis conſtet datam Tiberio, eodem tempore, quo C. & L. Cæſares Conſules deſignati ſunt; ſed pergit Sueton.) *Confeſſus tandem nihil aliud ſeceſſu deuitaſſe ſe, quam æmulationis cum C. Lucioque ſuſpicionem; petiit vt ſibi ſecuro iam ab hac parte, corroboratis his, & ſecundum locum* (ab Auguſto) *facile curantibus, permitteretur reuiſere neceſſitudines, quarum deſiderio teneretur.* *Nec impetrat.* *Sed neque impetrauit; vltroque etiam admonitus eſt, dimitteret omnem curam ſuorum, quos tam cupide reliquiſſet.* Quod erat ei non obſcure inſultare.

a l.3.c.11.

b l.3.c.9.

III. *Remanet Rhodi legatus.*

Remansit ergo Rhodi contra voluntatem, vix per matrem Liuiam Druſillam Auguſti vxorem conſecutus, vt ad velandam ignominiam exilii, quaſi legatus ab Auguſto abeſſet. Vt ait idem Sue. qui pergit deinceps narrare, quomodo factus ſuſpectus Romæ, quaſi cupidus rerum nouarum, ob mandata ambiguè data compluribus, magnum diſcrimen adierit, bienniumque inuiſior in dies, contemptiorque Rhodi, quaſi in exilio vixerit: quæ Velleius diſſimulauit omnia, vt qui Tiberii gratiam, primaria, vt videtur, intentione captabat.

Caius redit ex Oriente, Lucius adit Hiſpaniã.

Cum res in Oriente ex ſententia ſuccederent, & Parthus, vt diximus anno ſuperiore, pacem obtinuiſſet, Caius in Italiam reuerſionẽ parabat, vt ſequenti anno gereret Conſulatum. Interea L. Cæſar Caii frater ad Hiſpanienſes exercitus profectus videtur, ex Tacito. [c] In itinere autem Maſſiliæ in morbum incidit, quem fuiſſe diuturnũ ex eo videtur conſtare, quod eo ſolutus eſt vita, duodeuiginti menſibus ante Caium, qui Romæ Conſulatum geſſit anno ſeq. ſi Ioſepho credimus. [d] Verum cum nunquam in vrbem reueniſſe affirmat Velleius, vt ſequenti anno dicemus; ſed quæ ſunt his priora videamus.

c init. l. 1. Annal.

d de morte L. cir a. V C 754. Caii 756.

IV. *Chriſti Do-*

Primvm huius anni Iuliani quadrageſimi quinti diem, Chriſtus Dominus

pretioſo ſanguine ſuo conſecrauit; ſponſuſque ſanguinum eſſe cœpit, dato arrhabone in eum diem, quo vniuerſum effuſurus erat, in redemptionem generis humani; in cuius rei ſignum ſacroſanctum Ieſu nomen accepit. Nimirum rutilans mane triſte cœlum, ſerotinam vitæ tempeſtatem denunciabat. Hunc diem, ſicut & Chriſti natalitium, in feriam quartam incidiſſe contendit Deckerius, in theſi 20. alii vtramque diem Dominicam malunt. Nobis tamen, iuxta ea quæ proximo anno ſtatuimus, fuit hic ſextus dies, ſicut & natalis. Quid autem lacrymarum cum ſanguine fuderit tenellus infantulus, quidque à matre dulciſſima conſolationis acceperit, tu per te pie lector cogitabis; dum ego quid ſacro iſti præputio factum ſit apud Cardinalem Toletum exquiro.

mini Circumciſio.

num.60.

in c.2. Annot.32.

V. *Hiſtoria reperti Dominici præputii.*

Is in hunc Lucæ locum recitat ex fide digniſſimis teſtibus, anno 1527. Lateranenſem Baſilicam, cum reliqua vrbe militari direptioni ceſſiſſe, militem è ſacrario Baſilicæ capſulam reliquiariam ſuſtuliſſe, qui Vrbe diſcedens à ruſticis captus, & in pagum cui nomen Calcata deductus, & in cellaria pro carcere detruſus, ibi capſulam defodit. Nec multo poſt libertate donatus, Romamque reuerſus, & morbo correptus in Xenodochium Sanctus Spiritus ſe recepit; vbi morti proximus rem aperuit: nec tamen ea Lipſana, etiam Pontificis Clementis VII. iuſſu diligenter quæſita, reperiri potuerunt. Donec anno 1557. menſe Octobris ab aduena ſacerdote reperta ſunt in ſcriniolo chalibeo, quod ad loci dominam delatum eſt. Eo aperto inueniunt reliquias peruetuſtis ſericis panniculis inuolutas, cum nominibus in membranula ſcriptis, ac pene vetuſtate conſumptis.

VI. *Inuentum cum aliis reliquiis.*

Inventa primum eſt particula carnis B. Valentini Martyris, nucis magnitudine, quæ eo tempore recens præciſa videbatur: tum pars maxillæ S. Marthæ, cum vno dente. Tertius erat ſacculus iuglandis inſtar, ex ſerico panniculo, cui inſcriptum erat Iesvs. Cuius cum fila ſoluere conatur matrona illa nobilis, ſemel, iterũ, tertio digiti eius ita obriguerunt, vt ne ſacrum quidem illum globulum poſſet contingere. Ibi Lucretia Vrſina, crediderim, inquit, ſacroſanctum Chriſti præputium hic contineri, de quo Clemens Pontifex marito meo aliquando ſcripſit: ſimulque ſuauiſſimus odor ex eo globulo percipitur, qui primum locum, tum domum vniuerſam compleuit. Hic ſacerdotis monitu, puella ſeptẽnnis quæ aderat Clarix nomine globulum reuerenter accipit, facileque fila reſoluit, inuenitque ſacroſanctum Chriſti præputium, quod denſum & criſpum inſtar rubri ciceris erat, quod in argenteo vaſculo collocatum, odorem puellæ, & matris manibus ad biduum communicauit; cum tamen cæteræ reliquiæ nullum odorem efflarent. Mox autem in Calcatenſi templo omnes repoſitæ ſunt.

VII. *Miraculis ſe prodit.*

Demvm anno 1559. Calendis Ianuariis, piæ quædam mulieres ex ſodalitate S. Vrſulæ, aliique plurimi, id templum cum facibus religioſe adierunt, ſibique ſacroſanctum præputium exhiberi petierunt. Sacerdos elatum è Sacrario in altari deponit. Et ecce ſubito templum nubes implet, quæ reliquias, ſacerdotem, ipſumque altare ita obduxit, vt nihil eorum à quoquam per 4. horas videri potuerit, præter nubem, ſtellas, & ignis flammas, quæ ſurſum ac deorſum tota Eccleſia ferebantur. Quæ à multo populo conſpecta ſunt, donec loci Domino adueniente videri deſierunt. Cumque eius vxor Magdalena Paulum IV. de re tota feciſſet certiorem, miſit ille canonicos duos Baſilicæ Lateranenſis, qui de re diligentius inquirerent. Quorum vnus Pipinellus nomine, menſe Maio eiuſdem anni, cum digitis pertentat durumne eſſet an molle Chriſti præputium, illud in duas partes incaute diuulſit, quo facto audita tonitrua, micuerũt fulgura, & obſcuratus eſt ſuper eũ locum aër, ita vt media luce lucem aſtantes deſiderarent, & metu conterriti omnes animam agere viderentur. Depoſitis reliquiis canonici Romam reuerſi, omnia Pontifici retulerunt, omnibuſque teſtificati ſunt veras eas eſſe reliquias Domini Saluatoris. Hæc & plura ibi Toletus.

VIII. *Quo loco facta Circumciſio.*

De loco autem ſatis conſtat parum probabiliter ab Hilario exiſtimatum Circumciſionem in templo fuiſſe peractam. Sic enim ipſe, ſub init. Pſal. 118. ſcribit, *Hic autem numerus etiam in lege ſanctus eſt: iuſſum enim eſt, vt qui natus eſſet, in octauo ſignum Circumciſionis acciperet. Hæc etiam in Circumciſione Domini ratio ſeruata eſt, & in hoc dierum numero, cum ipſe Circumciſione non egeret, oblatus in templo eſt, vt in corpore eius, humanæ carnis recideretur infirmitas.* Sic ipſe obiter. Verum aſſenſum po-

tius communem, obtinuit S. Epiphan. in hæreſi 20. quæ eſt contra Herodianos. *Animam*, inquit, *ac mentem humanam accepit, & totum id quod eſt homo, excepto peccato, in ſeipſum per ſuam deitatem coiiniuit, natuſque eſt in Bethlehem, Circumciſus in ſpelunca, oblatus in Hieruſalem, in vlnas acceptus à Simeone.* Imo S. Iuſtinus in eodem loco à Magis adoratum profitetur, in diſput. cum Tryphone. *Nato*, inquit, *tum puero in Bethlehem, quia Ioſeph in vico eo non habuit quo diuerteret, in ſpecum quendam viæ proximum conceſſit, atque ibi cum eſſent, enixa eſt Maria Chriſtum, & in præſepi poſuit, vbi eum ex Arabia venientes inuenere Magi.* Sed de Magis paulo poſt.

IX. *Au diutius in ſpelunca hæſerunt.* NVNC locum iſtum tot cœleſtium myſteriorum conſcium, ipſis regum palatiis auguſtiorem paulo diligentius explicemus. Et plerique quidem ſanctorum Patrum Chriſti Domini Circuncisionem, & factum regibus apparitionem in ſtabulo cōtigiſſe tradiderunt, quia Euangeliſtæ nullam fecere mentionem migrationis ex illa ſpelunca vel ſtabulo, in quo natus eſt diuinus infans. Non leues tamen occurrunt cauſæ, cur migrationem factam in aliquam oppidi domum dicendum videatur, in eaque Circuncisionem & Epiphaniam factam eſſe. Primum quia æquum non eſt exiſtimare ſanctum Domini nutritium ac cuſtodem Ioſephum, qui ad haſce curas diuinitus electus fuerat, tam parum ſollicitum aut induſtrium fuiſſe, vt totis octo, aut duodecim, aut quadraginta etiā diebus non quæſierit, aut inuenerit toto in ſuburbio, aut oppido Bethlehē commodiorem aliquem locum, præſertim cum in illo, *Non conuenire S. Ioſepho.* ſi plures ibi dies noctéſque perſeueratum eſſet, tam recens natus infantulus, quam adoleſcentula puerpera humanitus loquendo valde periclitarentur; frigidiſſimo præſertim anni tempore, & loco in quo nec caminus eſſet, vt in ſtabulo, neque ſi eſſet, ignis in eo excitari poſſet. Neque rationi conſentaneum eſt, ſi vrgente neceſſitate in ſpeluncam vel ſtabulum diuertit, vt ait S. Iuſtinus, in eo deinceps ſponte hærere voluiſſe, quaſi loco ſanctificato, & qui factus eſſet domus Dei, & porta cœli; id enim non minus imprudentiæ, vel negligentiæ, quam deuotioni prudenter aſcribi potuiſſet.

X. *Neque oppidanis Bethlehem.* ESSET hæc quoque non leuis accuſatio inhumanitatis nimium perſeuerantis oppidanorum Bethlehem, quæ ne in Sodomis quidem, aut in Gabaa Beniamin locum habuiſſet. Gen. 19. 2. 3. Iudi. 19. 20. 21. Quomodo enim aliquis Loth, aut ſenex quiſpiam Ephraimita inuentus non eſt, qui in ſpelunca ſuburbii, quaſi in oppidi platea, non pateretur ſanctos coniuges, vel externa ſpecie honeſta atque liberali, plures dies ac noctes, improbis hominibus, furibuſque nocturnis obnoxios moras trahere? Quin potius credibile eſt, poſtquam paſtores cognatis & amicis euulgarunt viſionem Angelicam, & hymnum militiæ cœleſtis, euulgaſſe enim, & admirationem audientibus inieciſſe, teſtis eſt Euangeliſta, plures certatim ex oppido, aut vnum certe aliquem illuc veniſſe, & viſitaſſe puerperā cum infantulo ſuo, & eis cubiculū aliquod obtuliſſe, & quāuis verecundantes coēgiſſe, vt diuerterent ad ipſum. Adde quod intra tot dies aduentitia turba ſoluentium tributum defluxerat; & ipſi pecunia non carebant, vnde viuerent, & profeſſi ſoluerent tributum Romanis. Itaque vel gratia, vel precio in meliorem locum migrare potuerunt, & vero etiam emigraſſe vero ſimillimum eſt.

XI. *Eadem domus & diuerſorium cum ſtabulo in ſpelunca.* DICI ergo poteſt, admodum conſentaneè verbis Euangeliſtarum, illam ſpeluncam, in qua veterum patrum teſtimonio conſtat natum eſſe Saluatorem, fuiſſe imam domus ſuburbanæ partem, qua dominus eius ſtabuli vice vtebatur, vt teſtatur præſepe; eam enim S. Matthæus domum vocat, in quam ingreſſi ſunt Magi; quæ vox ægre ſolitario ſtabulo, aut ſpeluncæ conueniat. Ea domus erat hoſpitium, ſiue diuerſorium, ſic enim vocatur à S. Luca, quod totum ad Ioſephi aduentum erat hoſpitibus occupatum. Itaque non ait Euangeliſta declinaſſe eos ad ſpeluncam, quia non inuenerunt diuerſorium; ſed *quia non erat eis locus in diuerſorio*, illo ſcilicet, ad quod de via diuerterant. Ergo poſtridie emigrantibus aliquibus hoſpitibus, aſcenderunt ſuperius in cubiculum aliquod, in quo habitauerunt ad 40. dies, vbi circunciſus eſt puer, ne præcipuum legis Moſaicæ ſacramentum in olido ſtabulo profanari videretur; vbi reges adorato puero munera obtulerunt; vbi admonitio ab Angelo facta eſt de redita per aliam viam & fuga in Ægyptum. Patres autem cum dicunt Chriſtum Circunciſum & adoratum in ſtabulo, vt ſpelunca, interpretandi ſunt de domo, in qua erat præſepium Chriſti cunis conſecratum.

Ex S. porro Epiphanio libet aliquot circuncisi Chriſti cauſas, paucis enumeratas deſcribere. Nam contra Ebionæos ita diſputat. Quod ſi iſtud nobis obiiciāt: cur igitur circunciſus eſt Chriſtus? ita à nobis audient. Iamdudum quidem ô homines opinione falſa ducti, cauſam vobis cur eſſet circunciſus oſtendimus. Multis enim id de cauſis ſuſtinuit. Primum vt ſe carnem reuera induiſſe monſtraret, propter Manichæum, cæteroſque, qui ſimilitudine quadam, ac ſpecie duntaxat apparuiſſe docuerunt. Deinde vt corpus diuinitati conſubſtantiale non eſſe demonſtraret, vt Apollinaris exiſtimat; nec à cœlo delatum in terras, qui Valentini error fuit. Tum vt cuius olim Circunciſionis author fuerat, eam merito ad aduentum vſque ſuum obſeruatam comprobaret. Atque vt omnem Iudæis excuſationem eriperet. Niſi enim circunciſus foret, hoc ad ſui purgationem afferre potuiſſent. Nos Chriſtum præputio præditum probare nequiuimus. Præterea vero cum oportebat, qui Abrahamo circuncidendi ſui mandatum ediderat, vt ad veri & aſpectum fugientis adumbrandam imaginem apparens illud ſignum, & aſpectabile præ ſe ferret, ratum illud ſua Circunciſione facere. Hactenus S. Epiphanius. XII. *Quæ Circunciſionis Chriſti cauſa.*

SEXTVS inde dies Epiphania, & Regum aduentu in Bethleem celebris factus eſt, & primitiæ gentium ad nouum Iudæorum regem adorandum adductæ ſunt. Id factum ſecūdo anno à Natiuitate cenſuit Epiphan. in hæreſi 20. cōtra Herodianos. Iuxta ſecundum, inquit, anni circuitum in Hieroſolyma & Bethlehem venit, ſimiliter à matre geſtatus In Bethlehem vero in domum deſcendit, cum propria matre, & Ioſepho iam ſene, & cum Maria de gente. Et illic ſecundo Natiuitatis ſuæ anno conſpectus ac viſitatus eſt à Magis, à quibus adoratus eſt, & dona accepit, & in eadem nocte, cum Ioſeph reſpōſum ab Angelo accepiſſet, in Ægyptum aſſumptus eſt. Idem affirmat & in hæreſi 30. ſub fi. In ea ſententia putatur, pleraque omnis antiquitas, nixa illis Matthæi verbis, [a] *à bimatu & infra, ſecundum tempus quod exquiſierat à Magis.* Plerique omnes tamen, qui poſt biennium faciunt occiſos innocentes, in biennium aduentum Magorum non differunt. Deckerius etiam [b] poſt tredecim quidem dies aduenisse Magos exiſtimat, in ſecundum tamen annum cedem innocentium differt. A qua ſententia non abhorret S. Thom. [c] In biennium quoque Magorum aduentum differt in chronico Euſebius; ſi tamen Euſebius. Nam in codico Græco, quem edidit Scaliger, nihil ea de re habetur: vt ea potius Hieronymi interpretis & amplificatoris, quam Euſebii ſententia dicenda ſit. In Eccleſiaſtica vero hiſtoria, ſi græcam conſulueris, nullum verbum reperies, quo aut citius aut tardius contigiſſe Epiphaniam ſignificet Euſebius. XIII. *Epiphaniæ tempus iuxta quoſdam.*

a c. 2. 16.

b In 1. p. theſ. in 20. theſ.

c 3. p. q. 36. a. 6. ad 3. & Toſtat. q. 72 in c. 2. Matth.

EXISTIMO tamen communiſſimam antiquorum patrum, & recentiorum doctorum ſententiam in eo conſentire, vt tam Magorum aduentus, quam Innocentium cædes, ab Herode perpetrata intra tres circiter menſes à Chriſti Domini Natiuitate contigerit. Iuſtin. in Dialogo cū Triphone. *Simulatque natus eſt Chriſtus* ἅμα τῷ γεννηθῆναι αὐτόν, *Magi ab Arabia aduenientes adorauerunt eum; cum prius ad Herodem in terra veſtra tunc regnantem adiſſent*, & paulò poſt. *Ex Arabia igitur cum perueniſſent Bethlehem, & adoraſſent puellum, & protuliſſent ei numera, aurum, thus, & myrrham; deinde per reuelationem occultam, adorato in Bethlehem puero iuſſi ſunt ad Herodem non reuerti.* Num vſque ad alterum annum in Bethlehem, & in tuguriolo, atque adeo in ſpelunca B. virgo cum filio remanſit, & in præſepi detinuit? Nam Iuſtinus ſubdit. *Nato autem tum puero in Bethlehem, quia Ioſeph in vico eo non habuit quo diuerteret, in ſpecum quendam vico proximum conceſſit, atque ibi cum eſſent, enixa eſt Maria Chriſtum, & in præſepi eum poſuit, vbi ex Arabia venientes Magi eum inuenere.* Sic ipſe. XIV. *Incidiſſe in anni huius initium, ex Iuſtino martyre.*

IVSTINVS idem mox ſubdit, Herodem non reuertentibus ad ſe Magis, omnes prorſus pueros in Bethlehem iugulari præcepiſſe. Denique concludit in hac Chriſti Natiuitate impletum illud. [d] *Accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari. Quia antequeſciat puer vocare patrem ſuum & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, &c.* Maligni dæmonis, inquit, Damaſcum incolentis poteſtatem ſignificauit debellatum iri per Chriſtum, cum primum natus eſſet, quod in eo oſtenditur factum eſſe. Magi enim quos prædatum fuerat Dæmonium illud, ad omnes malas actiones excitatos, cum aduenientes Chriſtum adorauerint, apparet eos ab ea poteſtate defeciſſe, quæ illos prædata fuerat. Hactenus Iuſtinus, repetens & inculcans illud, ἅμα τῷ γεννηθῆναι, quibus ſimillima leges apud D. Auguſt. ſerm. 4. de Epiphania, & XV. *Ex eodem Iuſtino, Auguſtino Athanaſio.*

d Eſa. 8. 3.

apud Athan. l. de Incarn. verbi, qui illam feſtinationem, & celeritatem exaggerans ſpoliorũ. *Quis igitur,* inquit, *ille eſt qui propemodum ante quam genitus ſit* (σχεδὸν πρὶν γεννήσεως) *& regnat, & deſpoliat inimicos?*

XVI. *Confirmatur ex eo quod Magi ad præſepe venerunt. Ex Iſidoro. S. Hieronymo.*

Isidorvs Peluſiota [a] ad Olymp. comitem ait ſtellam, quæ ducebat Magos, nouo & inuſitato curſu, tum antrum illud, tum dominiferum ac venerandum præſæpe, quod in eo ſitum erat, tumquam digito demonſtraſſe. D. Hieron. ep. 18. ad Marcellam, Bethlehem ecce in hoc paruo terræ foramine cœlorum conditor natus eſt, hic inuolutus pannis, hic viſus à Paſtoribus, hic demonſtratus à ſtella, hic adoratus à Magis; & rurſus in Epitaph. Paulæ. ep. 27. Atque inde Bethlehem ingreſſa, & in ſpecum Saluatoris introiens, poſtquam vidit ſacrum Virginis diuerſorium, & ſtabulum in quo agnouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præ ſepe Domini ſui, me audiente iurabat cernere ſe oculis fidei infantem pannis inuolutum, vagientem in præſepi Dominum, Magos adorantes, ſtellam fulgentem deſuper, matrem Virginem, nutritium ſedulum &c. At quis credat vſque ad ſecundum annum in ſtabulo perduraſſe?

a l. 1. ep. 378

XVII. *S. Gregorio Nyſſene.*

D. Greg. Niſſen. in Orat. de die natali Chriſti; *Peregrini, & à teſtamentorum promiſsione, benedictioneque patrum alieni, ſicut Magi, qui cognitione populum Iſraëlitam anteuertunt, & cæleſtem agnoſcentes lucem, & in ſpelunca Regem non ignorantes, hi munera offerunt, illi inſidias ſtruunt.* D. Chryſoſt. hom. 6. in Matth. *Quæ vero etiam Regni vidiſſe feruntur inſignia? humile profecto tugurium, ſqualidumque præſepium, & paruulum pannis vilibus inuolutum, & matrem pauperculam.* D. Cypr. in Orat. de ſtella & Magis. *Nato in Bethlehem Saluatore, audita eſt in Ephrata; eius in terris præſentia, & vſque ad ſyluas campoſque gentium, nouæ huius natiuitatis eſt fama porrecta. In Iudæa à paſtoribus & Angelis primo ſunt hæc gaudia celebrata; nec multo poſt Arabum fines huius rei notitia penetrauit, & incolis Saba præclari ſtella luminis cæleſte numen nouis ſplendoribus indicauit.* Non multo poſt natiuitatem ſtellam exortam ait, & nouo ſplendore cæleſte numen indicaſſe; ad eos refellendos, qui ſtellam multo ante exortam putarunt: & paulo poſt. *Ecce alienigenæ à fluminibus Aethiopiæ ad paruulum Chriſtum ſupplices veniunt, & filij diſperſorum deferunt munera; accedunt qui longe erant, & qui prope recedunt, in loco humili, & ſuppellectile vili Rex Regum, & Dominus dominantium inuenitur, cognoſcitur, & ab alijs adoratur.*

Chryſoſtomo. Cypriano.

XVIII. *Ex S. Auguſtino ſæpius.*

Avgvst. ſerm. 1. de Epiphan. *Illud vero quale eſt, quod Magi veniunt ad Deum natum, imo ducuntur, poſitum in præſepio vident, nec apud ſenſus eorum humilitas Natiuitatis, reuerentiã diuinitatis imminuit.* Et paulò poſt; *Videbatur quidem in præſepio, ſed dominabatur in cœlo: & ideo ſe Magi humiliabant, quia familiaria aſtra cernebant.* Et ſerm. 2. *Magnum ſacramentum,* inquit, *in præſepi tunc iacebat, & Magos ab Oriente ducebat; abſcondebatur in ſtabulo, & agnoſcebatur in cælo, vt agnitus in cœlo manifeſtaretur in ſtabulo, & appellaretur Epiphania dies iſte, quod latine manifeſtatio dici poteſt, ſimul eius celſitudinem humilitatemque demonſtrans, vt qui in aperto cœlo ſignis ſydereis monſtrabatur, in anguſto diuerſorio quæſitus inueniretur, inualidus infantilibus membris, inuolutus infantilibus pannis, adoraretur à Magis, timeretur à malis.*

XIX. *Ex eodem.*

Et ſerm. 3. aperte ſignificat intra 13. dies à Chriſti Natiuitate, & ſtella viſa, factam Epiphaniam: ait enim. Eo quippe die quo natus eſt, illi ſtellam in Oriente viderunt, & quem natum indicauerit agnouerunt; Ex illo igitur die ad hunc diem accurrerunt, Herodem Regem nuncio terruerunt. Et mox, Manifeſtatus eſt quidem & die ipſo Natiuitatis ſuæ Dominus, paſtoribus ab Angelo admonitis: quo etiam die per ſtellam illis eſt longe in Oriente nunciatus, ſed in iſto die ab eis eſt adoratus. Et ſerm. 7. *Nato Domino ex Virgine, quem diem nuperrime celebrauimus, paſtores admoniti ab Angelis ad infantis Verbi præſæpe venerunt; paucis diebus inde tranſactis, hodie Magi ab Oriente veniſſe creduntur.* & paulò poſt. *Iacebat in præſepi puer ortu recens, exiguus corpore, contemptibilis paupertate, ſed magnum aliquid latebat in paruo, quod illi homines primitiæ gentium non terra portante, ſed cœlo narrante didicerant, qui tam ex lõginquo tam ſupplices veniebant, promereri adorando cupiebant.* Chryſ. ſer. 31. de die natali, Simulatque enim in ciuitatem Bethlehem aſcendiſſent, confeſtim etiam Ieſus naſcitur, ac proinde etiam in præſepi reclinatur, quod vndique eo multi concurriſſent, & loca præoccupaſſent, magnaſque diuertendi anguſtias effeciſſent, quo in loco etiam Magi illum adorauerunt. Sic ipſe.

Et Chriſoſt.

XX. *Confirmatur autoritate, recentiorum doct. Et ratione.*

Eandem ſententiam præcipui quique Scriptores recentiores ſecuti ſunt, Frãciſcus Suares[a] Baradius[b] Maldonatus[c] Alphonſus Toſtatus[d] Iãſenius[e] Baronius anno Chriſti 1.[f] Torniell.[g] Gordon. in hunc 1. annum, in quẽ etiã cædem infantũ refert. At Onuph. in hunc annum, fatetur à Magis adoratum Chriſtum Dominum, & in templo oblatum, ſed puerorum cædem in ſeq. annum differt, quo etiam propendet Genebr. l. 2. chron. quẽ deſerit Adrichom. Sed in præſentem referunt etiam omnes, qui hoc anno atque his Coſſ. Herodem mortuum cenſent, in quibus Temporar. Scaliger, Conſtantinus Phrygio, Caluiſius, Functius in Chron. & l. 4. eiuſdem. Et pridem Oroſ. l. 7. c. 3. Namque eum, inquit, Rex Herodes ſimul vt natum comperit necare decreuit, plurimosque tunc paruulos, dum vnum inſectatur, occidit. Nota illud (*ſimulatque*, & *tunc*) nimirum legerat Oroſius atque perpenderat illud ex Euangelio. *Tunc Herodes videns quoniam illuſus eſſet à Magis.* Quando obſecro illud *tunc*, num poſt annum vnum, aut etiam biennium? Quis tam fatuum dicat Herodem, hominem callidum atque ambitioſum? Præſertim cum ad tumultum inſonuiſſet illud claſſicum, *Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum?* Quomodo non ſaltem euigilauit poſt quadrageſimum diem? vbi Simeon ſacerdos amplexus infantem publice exclamauit illud: *Viderunt oculi mei ſalutare tuum*; & Anna prophetiſſa repleuit totum templum ſermonibus, *quibus loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſraël*: quomodo nemo omniũ fuit qui aurem Herodi vellicaret, & in memoriam reuocaret recens natum, & à Magis palam quæſitum Iudæorum regem?

a t. 2. in 3. p. diſp. 14. ſect. 4.
b t. 1. l. 9. c. 8.
c in c. 2. Mat.
q. 4.
d q. 7. faſc.
e loit. c. 11. concord.
f n. 31. & ſeqq.
g An. Mundi 4051. n. 22. & 23. & 27.

XXI. *Alia probatio ex morte Herodis.*

Probatvr alia ratione eadem aſſertio. Nam mortuus eſt Herodes hoc anno, ſub feſta Paſchalia; ergo & innocentes hoc anno occiſi ſunt, & Magi adorauerunt, & reliqua contigerunt, quæ cædem iſtam præceſſerunt. Mortuum hoc anno, non puto exactius probari poſſe, quam diligenter examinando ſingulos Herodis annos, ex quo Rex dictus eſt à Senatu, & ex quo Hieroſolyma capta, regni poſſeſſionem accepit. Nam accurate diſpẽſatis omnibus hiſce annis, & Herodis rebus à Ioſepho ſcriptis ad eos relatis, quod vbique certe per ſtudioſe conati ſumus, & regni eius, & vitæ finis in hunc annum cadit. Nec obſtat quod numerus annorum Herodes à Ioſepho traditus, cum noſtro numero non congruit. Nam res ipſę ſingulis annis geſtæ certiorem annorum numerum exhibent, quam notæ arithmeticæ, in quas tam ſæpe illabuntur errores.

XXII. *Ex annis vitæ eiuſdem.*

Qvamqvam anni vitæ eius ſatis exactè conſentiunt. Nunc enim Herodes, vt ait Ioſeph.[h] περὶ ἔτος ἑβδομηκοστὸν ὤν, circa annum ſeptuageſimum erat; at iuxta noſtram chronologiam cum annum aliquot tantum menſibus ſuperabat, cum ſub anni huius initia extinctus eſt. Regni autem notæ triennio ſunt breuiores, aut biennio potius, & aliquot præterea menſibus; nam annos tantum inchoatos numeramus. Et in hac ſententia neceſſe eſt Euſebium eſſe, vt notauit Scaliger in eius Chron.[i] quia nimirum non 34. aut 37. ſed 39. anni reperiuntur à Conſulatu Aſinii Pollionis & Cn. Domitii, vſque ad annum, quo eum mortuum ſcribit, ideſt Sex. Ælio & C. Sentio Coſſ. vt habetur in Chronico græco, quod edidit Scaliger. In quo tamen valde fallitur idem Scal. Nam ſi numeres ibidem annos interiectos inter geminos illos conſulatus, inuenies annos 47. etiam non computatis extremis, quia toto triennio tardius Herodem morti addicit, quam temporis ratio ferat: nimirum quia tardius etiã quã oportebat annos regni eius inchoauerat, videlicet Auguſto II. & Volcatio Coſſ. Vrb. Cond. 720. Quod ſi annos tantum 34. aut 37. regni Herodis numerare voluerimus, aut mortuum Herodem ante Chriſtum natum contra Euangelii autoritatem dicere cogemur, aut, quod nonnulli facere coguntur, plura in ſingulos annos geſta infarciemus, quam rerum natura, & tempus rebus agendis neceſſarium patiatur, vt ex ſingulorum annorum narratione planum fecimus.

h l. 17. c. 8.
i n. 2019.

XXIII. *Alia probationes mortis Herodis.*

Præterea ex Ioſepho[l] conſtat quo anno Herodes mortuus eſt lunam defeciſſe; at iam ſuper notauimus, ex plurium aſtrologorum obſeruatione, eum defectum in 9. Ianuarii anni huius incidiſſe.

4. Eo anno mortuus eſt Herodes, quo filium ſuum Antipatrum iuſſit interfici: nam Ioſephus[m] aſſerit quinta die poſtquã illum iuſſit occidi, vita defunctum eſſe, conſtat autem ex Macrob. l. 2. Satur. c. 4. cum inter pueros bimulos, aut potius,

l l. 17. c. 8.
m l. 17. c. 10.

ſub tempus cædis eorum occiſum fuiſſe. Putauit enim Macrobius, vt videtur, filium quoque Herodis fuiſſe bimulum, quia occiſus eſt eo tempore, quo illi cædebantur; commiſſo, vt ait Deckerius [a] hoc paralogiſmo, Herodes cum infantibus bimulis ſuum pariter filium occidit, igitur filium ſuum bimulum occidit. [a] Annot 10 in 1. p. chr.

Denique, vt notat Abulenſis, Herodes quandiu vixit, non fuit de infanticidio accuſatus apud Auguſtum, nec punitus, ſignum ergo eſt illum mox à Deo morte punitum, Imperatoris animaduerſionem effugiſſe.

XXIV. *Mortuus eſt ſub feſta Paſchalia.*

IAM vero quod mortuum dixi ſub feſta Paſchalia, authorem habeo Ioſephum [b] qui referens ſeditionem natam Hieroſolymis, eo tempore, quo funerato Herode, Archelaus in eius ſe locum inſinuabat, ſperans paternum teſtamentum, quo ei regnum tradebatur, à Cæſare confirmatum iri. *Cumque feſtum*, inquit, *inſtaret, quo patrium Iudæis eſt veſci non fermentatis panibus* (*Paſcha vocant*, *monumentum veteris ex Aegypto effugij*) *ſeditioſi deploratores legis doctorum Iudæ ac Mathiæ, conglobati in templo permanebant, &c.* Contigerat autem recens ea legis doctorum cædes, puta ſub lunæ deliquium, vt ſupra diximus. [c] [b] l. 17. c. 11.

XXV. *Opinio S. Epiphanij de tempore Epiphaniæ.*

CONTRARIA ergo Epiphanii ſententia, Epiphaniam in alterum, atque adeo tertium annum differentis, neque præponderare poteſt cõmuniſſimæ antiquorum patrum, doctorumque ſententiæ, neque ipſa per ſe ſatis probabilis videtur. Nam poſt acceptum teſtimonium ab Anna propheteſſa, delatum ait eſſe in Nazareth, deinde veniſſe ſequenti anno, vt conſpiceretur coram Domino in Ieruſalem; verſatumque eſſe in Bethlehem propter cognationem, geſtatum à matre, rurſumque delatum in Nazareth, & iuxta ſecundum anni circuitum, in Hieroſolyma, & Bethlehem veniſſe; & tum demum ibi adoratum à Magis. Huc adegit S. Epiphanium illud Matthæi, ſecundum tempus quod exquiſierat à Magis. Verum hæc biennii interpretatio durior videtur atque coactior, rectiuſque ad cruentam Herodis cautelam refertur à Chryſoſt. homil. 7. in Matth. qui aliquot dies, in omnem euentum ad biennium extendi voluerit. Refellitur autem ex communi patrum, doctorumque conſenſu, vt diximus, qui 13. tamen dies inter Natiuitatem & Epiphaniam interceſſiſſe conſentiunt: & ex Eccleſiæ Catholicæ iudicio, cuius hanc eſſe ſententiam affirmant Maldonatus, [d] & Suares [e] tum ex textu ipſo Euangelii, vbi dicitur. *Cum natus eſſet Ieſus, ecce Magi ab Oriente venerunt.* Illud enim (*Ecce*) ſignificat ſtatim nato Chriſto veniſſe Magos, & quaſi ſuperueniſſe Natiuitati. [c] An. m. 4052. n. 22 & 23. [d] in c. 2. Math. [e] q. 4 Lo. cit.

XXVI. *Nomina & qualitas Magorum.*

ET de Epiphania quidem ſatis; reliqua enim late ſuggeret Baronius. Non erit tamen fortaſſis ingratum, aliquando pauca quædam, quæ vel metentis effugerant manum, vel pauperibus de induſtria relicta fuerant, collegiſſe. Et primum nomina eorum vulgo celebrantur Melchior, Gaſpar, Balthaſar, quæ traditione conſtanti certiora ſunt, quam ſcriptoris alicuius autoritate. Reperiũtur tamen in Bedæ Collectaneis ad finem tomi tertii: qui libellus, vel iudice Bellarmino, ingenium Bedæ non ſapit. Ibi inter alia hæc habentur. Dicitur fuiſſe Melchior ſenex & canus, prolixa turba, & capillis; aurum obtulit regi Domino. Secundus nomine Gaſpar iuuenis imberbis, rubicundus, thure quaſi Deo oblatione digna Deum honorabat. Tertius fuſcus, integre barbatus Balthaſar nomine, per myrrham filium hominis moriturum profeſſus eſt.

XXVII. *An ſinguli ſingula munera obtulerent.*

QVÆ vtique conſentanea ſunt picturis antiquiſſimis. Quod autem ſinguli ſingula munera obtulerint, recte improbat Toſtatus, [f] vultque ſingulos tria obtuliſſe, quod id tam reges decebat, qui offerebant, quam Chriſtum Dominum, quem Deum agnoſcebant, & prædicabant regem. Cum autem thus & myrrha in regionibus illis valde vilia eſſent, etiam magna thuris aut myrrhæ quantitas parum dignum rege munus fuiſſet. Quod ſi iſti reges pares erant inter ſe, vt apparet, nullam Scripturã inæqualitatem oſtendente: certe eorum munera valde fuiſſent inæqualia. Idem ſentit S. Anſelmus in eundem Matthæi locum, vbi eadem quæſtione poſita, reſpondet. Magis fatendum eſt, inquit, quod congruit myſterio, ſcilicet quod ſinguli tria: vnuſquiſque enim regem, & Deum, & paſſibilem eum crediderunt. [f] q. 46 in c. 2. Math.

XXVIII. *Magi & paſtores primitia gentium & Iudæorum.*

CONVENIENS autem fuit Chriſtum agnoſci, atque adorari à Magis, ſicut à paſtoribus Iudæis. Etſi enim in primis à Iudæis agnoſci oportebat, quia ipſis promiſſio facta fuerat, quia ex ipſis natus erat, quia eorum ſalus primo quærebatur; tamen quia de Regum ad Chriſtum aduentu à Prophetis prædictio facta fue-

rat, quam oportebat impleri, iuxta illud Iſaiæ.[a] *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui*, & reliqua deinceps, quæ Euangelicam potius lucem, quam propheticam obſcuritatem ſapiunt, vt omittam Dauidem regum Tharſis, & Arabum, & Saba munera celebrantem: & quia ipſis maxime natus erat, vtpote de quibus maxima multitudo credentium & ſaluandorum colligenda erat, ideo par erat vt eorum fides ac ſpes in hac nati Chriſti agnitione ſuſcitaretur, & vtriusq; populi primitiæ in paſtoribus & Magis vero Meſſiæ offerrentur. Ita vtroſque primitias Chriſti vocat S. Fulgentius, & S. Auguſt. ille ſerm. 1. de Natiuitate, iſte ſecundo. Et maxime S. Leo ſerm. 2. de Epiph. *Agnoſcamus*, inquit, *dilectiſsimi, in magis adoratoribus Chriſti, vocationis noſtræ fideique primitias, & exultantibus animis beatæ Spei initia celebremus. Exinde enim in æternam hereditatem cœpimus introire, exinde nobis Chriſtum loquentia Scripturarum arcana patuerunt*, &c.

XXIX. *Maria cum Ioſepho in templum veniunt, filium oblatum redempturi.*

Post diſceſſum Magorum expectauit B. Virgo adhuc 27. dies, dum impleretur purgationis tempus in lege Moſis conſtitutum. Adueniente autem quadrageſimo die, venerunt ſancti coniuges in templum, vt ibi duplici legi ſatisfacerent; alteri, quæ erat de primogenitis offerendis Deo.[a] *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam in filijs Iſraël, tam de hominibus, quam de iumentis, mea ſunt enim omnia*, & infra, *Omne autem primogenitum hominis de filiis tuis pretio redimes*, qui videlicet non eſſent de tribu Leui, quæ tota manebat conſecrata Deo: cæteri autem ſinguli redimebantur pretio quinque ſiclorum.[b] D. tamen Epiph. l. de pond. & menſ. Siclus, qui & quadrans dicitur, quarta pars eſt vnciæ, dimidium ſtateris, habens drachmas duas; vnciæ enim erant octo drachmæ. Sic ipſe, qua de re to. 1. dictum eſt. Qui geminum ſiclum inuehunt, alterum 4. drachmarum, qui & maior fuerit, alterum minorem, qui duarum, Epiphanium conciliant cum communi ſententia, quæ vult vt ſiclus ſi dimidia pars vnciæ, valens 4. drachmas Atticas, vt ait Ioſephus.[c] *Siclus*, inquit, *nummi genus eſt apud Hebræos, quales ſunt tetradachmi Attici*. Vncia vero argenti cum valeat 55. ſol. Tur. Siclus reſpõdebit ſolidis 27. & dim. & 5. ſicli, 6. Fran. 17. ſol. & dimid. quo pretio redẽptus eſt Dominus, qui precioſo ſanguine ſuo viles ſeruulos redempturus erat. Et pro quinque ſiclis quos dabant pro eo ſacerdotibus parentes eius, ipſe magnus ſacerdos, & ſummus pontifex futurorum bonorum, ab eis aliquando quinque atrociſſimas plagas recepturus erat.

a Exod. 13. c. 2.
b Vt dicitur num. 18 16 & Leuit. vlt. 6.
c l. 3. c. 9.

XXX. *Et uterperam purgatur.*

Altera lex, cui ſatisfactum eſt à B. Virgine, fuit lex purificationis, ad quam adimplendam ſtitit ſeſe templo purgandam, Virgo omni ex parte puriſſima. Quid facitis Iudæi purificantes iſtam Virginem cryſtallo mundiorem, auro ex fornace prodeunte puriorem, rutilitanti adamante nitidiorem? Num purgantur ſtellæ mũdiſſimæ, ô ſtella maris? num ſol qui purgat omnia, ô mulier amicta ſole? purgaturne luna incedens in plenitudine decoris ſui, ô Virgo pulchra vt luna? At luna maculas habet non veras, ſed apparentes; Ita & B. Virgo hoc ipſo quod filium, vera mater vere conceperat, & pepererat, eandem immundiciam, quam reliquæ mulieres contraxiſſe putabatur. Sed tantum abeſt vt concipiendo, aut pariendo talem filium immundiciam contraxerit, vt colligerit potius incredibilem puritatem atque ſanctitatem.[d]

d Conſule S. Thom. 3. p. q. 25. a. 5.

XXXI. *Cur virgo non obtulerit agnum*

At cum pro expiatione matris lex dicat,[e] *Quod ſi non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, ſumet duos turtures, vel duos pullos columbarum*, &c. Mirum eſt B. Virginem non obtuliſſe agnum; cum vel ex Magorum muneribus facile habere poſſet vnde agnum emeret. Et erecte reſpondetur, potuiſſe quidem ſimpliciter inuenire vnde emeret agnum, moraliter tamen, habita ratione proprii ſtatus & conditionis, non potuiſſe; & propterea pauperum oblationem, non diuitum acceptaſſe. Nam munera illa, vel delibare duntaxat contenta fuit, vel erogauit in pauperes, vel eadem integra iam ſanctificata, vel oblata Deo, miſit ad templum: aut etiam aliquid prudenter, non in peregrinationem Ægyptiacam, quam tum ignorabat, ſed in futuros vſus Deo inſpirante voluit reſeruare.

e Leuit. 12. 8.

XXXII. *An redit in Nazareth.*

Peracta celebritate ſacrificii & redemptionis, reuerſi ſunt in Galilæam in ciuitatem ſuam Nazareth, vnde ſcilicet digreſſi erant, vt deſcriberentur, & profiterentur in Bethlehem. Ammonius Alexandrinus cap. primo concordiæ Euangelicæ, ſignificat oraculum Ioſepho redditum cum Nazarethum repeteret.[f] *Ioſeph*, inquit, *rediens Nazareth oraculo admonetur, vt fuga in Aegyptum infantis vitæ conſulat*,

f cap. 18.

idque in tempore, &c. Idem ſenſit, ſcripſitque S. Bonaduentura, in meditationibus de Chriſti vita. Cum, inquit, pergerent verſus Nazareth, neſcientes adhuc ſuper hoc conſilium Domini, & quod Herodes pararet ſe ad necem pueri Ieſu, Angelus Domini apparuit Ioſeph in ſomnis &c. Et mox; ergo de nocte incontinenti cœperunt iter verſus partes Ægypti. Quibus tamen videtur repugnare S. Lucas, qui ait: Luc 2. 35.
Et vt perfecerunt omnia ſecundum legem Domini, reuerſi ſunt in Galilæam, in ciuitatem ſuam Nazareth. Quod tamen explicari poteſt, vt *reuerſi ſunt* idem ſit quod ſuſceperunt iter vt abirent, licet non peruenerint quo intendebant. Sic in Scriptura [a] dicuntur reuerſi milites in regionem ſuam, qui tamen non plane reuerſi ſunt, ſed effuſi per ciuitates Iuda ad prædandum. Nec opus fuit domum reuerti ad domeſtica negotia conſtituenda aliter, quam antea pro itinere Bethlehemitico fecerant. a Paral. 25. 10.

XXXIII. *Nocturna inde profectio.*

Possvmvs tamen communem ſequi ſententiam de reditu in Galilæam, nocturnaque inde profectione Ægyptum verſus, in ſignum promptiſſimæ diligentiæ in re tanti momenti: vtque diſceſſus eſſet occultior, vitatis vicinorum ac propinquorum interrogationibus, quibus ſi nil reſponderetur, aut diſſimularetur, ſuſpecta res fieret: ſin reſponderetur quod res erat, res diffunderetur latius, & per quoſpiam ad Herodem ipſum perueniret. Qui prioris negligentiæ conſcius, factique vehementer pœnitens, vtique in Ægyptum miſiſſet, qui prece aut precio, infantem cum parentibus inde retraherent; neque enim præfectus Ægypti rem tantulam Herodi negaret, aut ibidem certe occiderent. Cum ergo in Nazareth perueniſſent, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, nimirum patri familias, iuſſitque eum in Ægyptum fugere, ibique manere donec illi diuinitus nunciaretur, tempus reuerſionis aduenifſe, vt habet Matthæus c. 2. & ratio additur, quod futurum ſit vt Herodes quærat puerum, ad perdendum eum. Qui conſurgens accepit puerum & matrem eius nocte, & ſeceſſit in Ægyptum, de cuius in ea commoratione, rebuſque ibidem geſtis conſulendus eſt Baronius, [b] ne actum agamus. Quoniam tamen creduntur hoc quoque tempore parentes Ioan. Baptiſtæ diuinitus moniti, vt proximam Herodis in filium ipſorum rabiem, fuga vel latebris declinarent, eaque occaſione, matre cum filio elapſis, Zacharias occiſus inter templum & altare exiſtimatus eſt, quod nos alio loco refutauimus [c] rem diſtinctius ex hiſtoria parum probata ſeorſim dicemus.

Iubetur migrare in Ægyptum. — *Ioannis fuga.* — b n. 43 & ſeqq. — c to. 4. an. M. 3192. an. 10. 14. 15.

XXXIV. *Herodes ſe deluſum agnoſcit.*

Herodes igitur, vt ſapienter animaduertit Baronius [d] & ante eum Toſtat. q. 72. & Suares [d] & alii paſſim; Herodes, inquam, qui ad Magorum aduentum turbatus fuerat, & omnis Hieroſolyma cum illo, noui regis natiuitate nunciata; mandarat quidẽ Magis, vt inuento puero-rẽ ſibi renunciarent; quod illi ab Angelo moniti non præſtiterunt. Id autem Herodes interpretatus eſt non contemptu factum, ſed pudore, quod reuerſi nollent ſe Hieroſolymitis propinare deridendos, tamque expectatione deluſos, irritis ſumptibus & labore. Verum peracta Purificatione, cum rumor ex verbis Simeonis & Annæ ſpargeretur de nato Meſſia, qui foret lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis ſuæ Iſraël; res quoque ad Herodis cognitionem peruenit, & tum primum ſenſit ſe illuſum eſſe à Magis, *& mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infra, ſecundum tempus quod exquiſierat à Magis.*

d n. 41. — e t. 2. diſp. 17 ſect. 1.

XXXV. *Innocentes hoc ipſo anno cæſos.*

Hæc verba Matthæi poſtrema non paucos in eam adduxere ſententiam, vt crederent poſt biennium, aut poſt vnum certe annum, cædem Innocentium contigiſſe; eamque vt probabilem faciant, varias comminiſcuntur cauſas dilatæ cædis huius, quæ fere frigidæ ſunt, & contra temporum & hiſtoriæ ſeriem, quas etiam ex ijs quæ diximus aliquanto ſuperius [f] corruere neceſſe eſt. Qui enim ſub huius anni initium mortuus eſt, poſt biennium carnificinam exercere non potuit. Nec eſt quod ad expoſitionem verborum Euangeliſtæ aliud excogitemus, quam quod plerique fatentur interpretes, D. Chryſoſt. in homil. 7. in Matthæum ſecuti, Herodem, ſicut non contentum in Bethlehem infantes occidere, etiam lanienam in oppidi eius finibus exercuiſſe, ita non contentum tempore à Magis aſſignato, pro abundantia cautionis maius tempus incluſiſſe, ne nouus iſte rex, ſi forte proximæ eſſet ætatis, effugeret.

f n. 2. & ſeqq.

XXXVI. *Exponitur reſponſio Magorum.*

Ergo cenſent Magos ab Herode conſultos reſpondiſſe, exortam ſtellam Natiuitatis Chriſti nunciam, exempli cauſa 8. Cal. Ianuarias; Herodem autem man-

daſſe

daſſe infantes occidi à bimatu vſque ad tempus illud octaui Cal. quod exquiſierat à Magis; vt ſcilicet qui ab eo die, vſque in diem cædis nati eſſent, non occiderentur, reliqui autem incipiendo à bimatu tollerentur: & reſponſio Magorum non ad bimatum, ſed ad illud *infra* referatur. Et ita locum interpretatur Ianſen. c. 11. concord. Baron. n. 33. & ante vtrumque Eutymius. Sà quoque in notis, imo vt videtur, Epiphan. hæreſi 1. *Iuſsit*, inquit, *occidi à duobus annis, & infra, vſque ad diem in qua Magi apud ipſum fuerant.* Baradius ita eam ſententiam probat,[a] vt etiam probabilius putet ſicut maiores Chriſto, ſic etiam minores ſecuritatis cauſa interfectos eſſe, vſque ad infantem vnius diei, ſicut habet Beda in 2. Matth. & Chartuſ. Gloſſa, & alii. Itaque exquiſiuit ille quidem tempus à Magis; ſed illud ipſe pro arbitratu ſuo obſeruauit.

[a] l. 10. c. 10

N on prætermittam quod quibuſdam placet[b] infantes in vnum locum fuiſſe coactos, ibique interfectos. Verum id non ſolum communi expoſitioni patrum, verum etiam textui ipſi Euangelii videtur aduerſari, *& mittens occcidit omnes pueros.* Dicit enim miſſos, ſatellites videlicet, in Bethlehem vbi erant pueri, non ad colligendos, ſed ad occidendos: idemque de finibus eius, pagis ſcilicet & villis, dicendum eſt. Quod ſi congregati ſunt, id poſt cædem factum eſt. Crypta, inquit Saligniacus, viſitatur ad auſtrum Bethlehem, in qua multa innocentium corpora fuerant congeſta. Gorionides quidem[c] meminit filiorum cum parentibus incluſorum in Circo, etſi Ioſephus parentum tantum meminit, ſed hi ex tota Iudæa collecti erant, non ex Bethlehem, & finibus eius; & iuſſi tantum ſunt occidi, at hi re ipſa occiſi ſunt.

XXXVII. *An collecti ad cædem pueri.*

[b] P. Decxendo 1. p. Rethel. an. 10.

[c] l. 5. c. 41.

I n quorum cæde non leue apparet iudicium Dei, parentes caſtigantis in pueris ſuis; qui enim nuper parturientē matrem, ſimulq; eius filium in lucem prodeuntem recipere noluerunt hoſpitio, ſuos ipſi amiſerūt crudeli Herodis flagitio. Verum quia pueruli iſti ſua morte Chriſti vitam quodammodo protegunt, vitam æternā, quam fortaſſe nunquam obtinuiſſent adulti, conſequuntur, & perpetuis ab Eccleſia honoribus afficiuntur in terris, immuneras omnibus ſeculis à ſanctis patribus laudes conſecuti. Conueniebat autem hæc inuſitata liberalitas recens nato Redemptori, vt inſciis & immerentibus corona martyrii donaretur. Nam in natalitiis principum pecuniæ aliquādo ſparguntur in vulgus, quæ bonis malisq;, merentibus immerentibusq; contingant. Sic poſt reditū eiuſdem in cœlum mirifica liberalitate Spiritus ſanctus cum miraculorum copia in omne hominum genus profuſus eſt.

XXXVIII. *In eorum cæde Dei iudicium.*

V erum *quæ merces deinceps*[d] *crudele Herodis facinus contra Chriſtū*, ait Euſeb. *& pueros eius æquales admiſſum ſubſecuta ſit, & quo pacto ſtatim poſt, nulla vel minima quidē dilatione interpoſita,*[e] *diuina vltio illum, dum adhuc in vita manebat, exagitauerit, & quaſi proœmia rerum ei poſt diſceſſum è vita obuenturarum euidenter oſtenderit, operæ pretium eſt intelligere.* Ex quibus aperte confirmatur Chronologia noſtra, quæ in hunc ipſum annum mortem Herodis refert, in eoq; plurimos, quos ante retulimus, habet conſentientes. Illud etiam, *ſtatim poſt*, & *nulla interpoſita mora*, ſatis tempus circa Paſcha, quod ex Ioſepho confirmauimus, approbat, vt Purificatione facta initio Februarii, Chriſtus mox tranſlatus ſit in Ægyptum; inde ſecuta reliquo menſe infantium cædes, inde ægritudo Herodis, & mors in menſe Martio, cui reſpondet Niſan. Rurſus Euſeb. ibid. *Cæterum quomodo ſtatim poſt inſidias Seruatori noſtro, & alijs infantibus factas, cœlitus inuecta plaga illum ad extremum vſque ſpiritum afflictarit, non erit alienum, vocibus autoris ad verbum citatis, attente auſcultare.* Habentur[f] apud Ioſephum in hæc verba.

XXXIX. *Tempus mortis Herodis.*

[d] Euſebius l. 1. hiſt. c. 8.

[e] εἰς τὸν σωτῆρα, μηδὲ συχνῆς διαλιπούσης χρ[illegible]

[f] l. 17. c. 8.

R egi *vero morbus factus eſt grauior, pœnam impietatis exigente numine. Lento enim calore torrebatur, qui non tam externo tactu deprehenderetur, quam intus popularetur viſcera. Aderat & vehemens voracitas, cui neceſſe eſſet continuo cibos ſuggerere: ſimulque vexabatur inteſtinorum exulceratione, & colicis paſsionibus: pedes tumebant phlegmate humido, & pellucido, ſimiliterque inguina. Ipſa quoque verenda putrefacta ſcatebant vermiculis, accedente fœtore, nec minus moleſta tentigine, non ſine fœtore grauiſsimo. Super hæc omnia neruorum contractione laborabat, & difficultate anhelitus. Quamobrem conſtans erat inter viros diuinos, & fatidicos opinio, Regem læſæ tot modis pietatis, Deo pœnas expendere.*

XL. *Morbi eius ex Ioſepho.*

N on ſenſit ergo Ioſephus propter occiſos ſeditioſos ſcribas, Iudam & Mat-

XLI. *Eorumque cauſæ.*

thiam, eorumque ſocios Herodem tot diuexatum mortis occubuiſſe; ſed propter læſam tot modis pietatem, ideſt tot aras, tot templa Cæſari excitata, in Dei contumeliam, & fauorem idololatriæ, ipſumque Dei templum Aquilæ ſigno profanatum, & tot cædes crudeliſſime perpetratas, in quibus ipſi eius filij, calumniis apud credulum patrem circumuenti: & quod caput eſt, ingens puerulorum Innocentium numerus, crudeli morte peremptorum, & quidem ſtudio perdendi Regem Meſſiam Mundi Saluatorem; quæ intentio ſummum addidit & huic, & reliquis omnibus ſceleribus incrementum. Sed pergit.

XLII. *Remediis fruſtra incumbit.*

Qvi tametſi grauius affligeretur, quam vt videretur poſſe morbo perferendo ſufficere, tamen ſe euaſurũ ſperabat, accerſendis medicis intentus, & medicamentis vndique conquirendis. Profectus etiam vltra Iordanem fluuium, calidis aquis ſe fouebat apud Calliroën, quæ præter vim medicam, potu quoque iucundæ ſunt. Hæ aquæ in lacum bituminis feracem effluunt. Ibi de medicorum conſilio immiſſus, fouendus in refertum oleo ſolium, viſus eſt illis iam agere animam. Quare exorta comploratione familiarium excitatus, & ad ſe reuerſus, nullamque amplius ſalutis ſpem ſupereſſe intelligens, donatiuum militibus quinquagenas drachmas iuſſit diſtribui: (id eſt octonos francos cum tribus quadrant.) Magna deinde liberalitate vſus in duces atque amicos, rurſus Hiericuntem reuerſus eſt.

XLIII. *Facinus immane ſub mortem parat.*

Ibi atra-bile prægrauante, eo immanitatis prolapſus eſt, vt facinus longe atrociſſimum animo conciperet. Nam cum è tota ditione nobiliores Iudæorum ad eum conueniſſent, edicto euocati, pœnam capitis non parentibus intentante, ex æquo ſontibus inſontibusque infenſus, vniuerſos concluſit in Circo. Gorionides addit [a] Herodẽ non ſolũ populi principes, ſed filios etiam eorũ ad eandẽ Lanienã deſtinatos conuocaſſe, ex quo quidã putant alludi ad cædẽ innocentium. Cum autẽ prædã in poteſtate haberet ſæuiſſimus tyrannus, ſororem ſuã Salomen, eiusq; virũ Alexã ſumma precum & lachrymarũ contentione per mutuam fidem ac beneuolentiam, perque omnia ſacra obteſtari cœpit, vt quam primum vidiſſent ipſum exhalaſſe animam, cælata tantiſper eius morte, clauſam in Circo nobilium multitudinem immiſſo milite trucidarent; ſicque publico luctu honoraretur, omnibus per totam ditionem non ficte lugentibus: quæ pluribus Ioſephus perſecutus eſt, barbaroque animo, atque inhumano tribuit, qui eo tempore viros innoxios perdere voluerit, quo reliqui mortales etiam inimicis odia remittere ſolent. Fraudatus eſt tamen expectatione ſua tyrannus crudeliſſimus, & totum reatum facinoris ſecum tulit ad inferos, facinore non perpetrato. Sed reliqua videamus.

[a] l. 5. c. 41.

Accepit Romæ nuncia.

Dvm hæc mandata cognatis dat, ſuperuenerunt ex vrbe literæ, à legatis miſſis ad Cæſarem de facinore parricidii ab Antipatro ſuſcepti, cum tota accuſatione, & literis quæ ad veneficii crimen probandum pertinebant: [b] quarum ſumma erat, Acmen ab irato Cęſare occiſam eſſe (erat autem hæc Acme, vt ſupra ex c. 7. dictum eſt, Iudæa genere, agens in ancillatu Liuiæ vxoris Cæſaris, quæ operam Antipatro magna pecunia vendiderat, ad Salomen ſororem Herodis calumniis perdendam, quaſi in fratrem coniuraſſet) propter locatam Antipatro operam; ipſumque Antipatrum relinqui arbitrio & Regis & Patris, ſiue in exilium vellet eum pellere, ſiue capite plectere. His auditis Herodes paululum recreatus eſt, mox graui dolore repetitus, cibi tamen auidus, malum ſimul & cultellum popoſcit, ſeipſum ferire cupiens, feciſſetque, niſi Achiabus nepos ictum præueniens, eius dexteram clamore ſublato cohibuiſſet. Hoc deerat adhuc Herodis criminibus & malis, vt propriæ cædis reus grauiore pondere præcipitaret in Tartara. Cæterum hic Achiabus vocatur hoc loco nepos ab interprete alibi [c] conſobrinus, vtrobique in Græco eſt ἀνέψιος. Et vox quidem vtrumque ſignificat; puto autem intelligi ex Salome ſorore filium; illa enim fratri morienti aderat, vt ſupra dictum eſt, & quidem cum marito & filio, vt apparet. Sed pergit ad explicandum mortem Antipatri, à patre, quem ille toties perdere machinatus fuerat, denique interempti.

Acme ſcelus & pœna.

Herodis ſibi manus afferre conatur.

Achiabus ἀνέψιος.

[b] Vt c. 7. l. 17. dictum eſt.

[c] l. 1. de bello c. [illegible]

XLV. *Occaſio occiſi Antipatri.*

Mox *denuo luctus, cum trepidatione ac tumultu, occupauit palatium, quaſi rege iam agente animam. Quem ſtrepitum vbi perſenſit Antipater, ratus patrem vere vitam finiſſe, ſpem concepit fore vt ſolutus vinculis ſine vlla difficultate regnum acciperet: cœpitque cum cuſtode carceris de ſua dimiſſione agere, multa & in præſens*

& in futurum, poſt acquiſitam poteſtatem pollicens. Ille vero adeo non paruit, vt mox conatus eius regi renunciaret, vtque ab eo oſtentato præmio ſollicitatus eſſet. Tum Herodes, qui iam male affectus erat erga filium, audito cuſtode carceris, exclamans præ indignatione, & caput ſibimet verberans, quamuis morti proximus crexit ſe in cubitum, iuſsitque vnum è ſatellitio ſine mora eum occidere, & corpus obſcuro funere condi in caſtello Hyrcanio. Sic vir ſanguinem non dimidiauit dies ſuos, nec parentis hoſtis, nedum honorator, longæuus eſſe potuit ſuper terram: & quem ambitio ad calumnias, cædeſque fratrum, ſummaque propinquitate coniunctorum inſtruxerat, atque armauerat, in carnificis manus, & obſcurum ſepulchrum coniecit.

XLVI. *Mutat teſtamentum.* *Et moritur.*

Deinde Herodes mutata voluntate, mutauit etiam teſtamentum. Antipam enim, quem regni ſucceſſorem deſtinauerat, Galilææ ſimul ac Peraææ tetrarcham conſtituit, regnum vero Archelao largitus, alias prouincias Tetrarchiæ nomine Philippo filio aſſignauit, fratri Archelai; aliaque tam ſorori, quam Cæſari, ac Liuiæ vxori eius legauit, & quibuſdam amicis. Quibus ita ordinatis, quinta die poſtquã Antipatrum filium occidit, vita defunctus eſt, poſt detruſum regno Antigonum anno trigeſimo quarto, ex quo autem à Romanis Rex declaratus eſt, anno 37. Addi poteſt annus ætatis 70 Verum de hiſce regni annis iam ſupra diximus.

XLVII. *Qui eius mores ex Ioſepho.*

De moribus eius hæc addit Ioſephus, *vir in omnes ex æquo ſæuus, iræ ſeruus, iuris Dominus, fortuna autem proſpera vſus, ſi quis alius. Ex priuatis enim natus, regnum aſſecutus eſt, & innumeris circundatus periculis ſemper euaſit fœliciter, vixitque longiſsimo tempore, ſed domi infœliciſsimus fuit.* Hæc fere ibi: ſed plenius infra,[a] vbi legati Iudæorum apud Cæſarem eum defunctum accuſantes aiunt Regem illum fuiſſe nomine tenus, alioqui omnibus omnium tyrannorum artibus vſum, ad ſubiectæ gentis perniciem; aliaque addunt de cædibus, rapidis, ſtupris in ſubditos perpetratis.

a c. 12. l. 17.

XLVIII. *Dimittuntur captiui.* *Teſtamentum vulgatur.* *Archelaus rex acclamatur.*

Ab eius morte Salome, cum Alexa coniuge, dimiſit nobilitatem Iudæorum Circo incluſam, & quidem ſine Herodis odio, quippe qui eius nomine dimitti dicebantur. Indicata deinde Regis morte, congregatáque in Hiericuntinum amphitheatrum omni militia, primum lectæ ſunt eius literæ ſcriptæ ad milites, in quibus gratias eis agebat, pro fide ac beneuolentia, rogabatque vt eandem ſeruarent etiam Archelao filio, quem regni ſucceſſorem ſibi ſubſtitueret. Deinde Ptolemæus, cui annulus Regis ſignatorius creditus fuerat, teſtamentum perlegit, quod non alias ratum habendum eſſet, quam accedente Cæſaris conſenſu. Moxque acclamatum eſt Regi Archelao, & milites cateruatim, vna cum ſuis ducibus, pollicebantur eandem, quam Patri hactenus præſtitiſſent, fidem, atque operam, lætis ominationibus Deum illi fautorem comprecantes.

XLIX. *Herodis funus, & Epitaphium.*

Deinde funus ambitioſiſſimo apparatu ab Archelao præparatum eſt: quod copioſius fortaſſe quam verius à Ioſepho, æmulo gloriæ gentis ſuæ, ad imitationem Romanorũ funerum deſcriptum: eſt quæ totidem pene verbis ante[b] conſcripſerat. Nos eius ſepulchrum, elogio ex eius vita collecto, ne quid deſit funeri, honoremus.

b l. 1. de bello in fine.

HERODIS ASCALONITÆ IMPIIS MANIBVS.

HIC SITVS EST HERODES ANTIPATRI F. ANTIPÆ N. ORTV IDVMEVS, EDVCATIONE ASCALONITA, COGNOMENTO MAGNVS, REAPSE VITIIS OMNIBVS, IN PRIMISQVE IMPIETATE IN DEVM, ET IN HOMINES CRVDELITATE MAXIMVS. QVI REGNO PER VIM ET CÆDEM LEGITIMI PRINCIPIS ANTIGONI POTITVS, RELIGIONE FORIS IVDÆVS PROSELYTVS FVIT, INTVS EAM COLVIT, QVAM AMBITIO PRÆSCRIBEBAT. MESSIAM FILIVM DEI IMPIVS QVÆSIVIT AD MORTEM, ET, VT EVM STATIM PERDERET, HORRIBILEM CARNIFICINAM IN BETHLE-

HEM, ET OMNIBVS FINIBVS EIVS A BIMATV ET INFRA EXERCVIT: PROFANA TEMPLA ET ARAS IMPIA ADVLATIONE PRINCIPIBVS ROMANIS EREXIT.

PONTIFICES DVOS REGII SANGVINIS, ALTERVM CALVMNIIS, ALTERVM INSIDIIS CIRCVMVENTVM SVSTVLIT. QVATVOR ALIOS IN ORDINEM REDEGIT PONTIFICATV DEIECTOS. SCRIBAS, PHARIZÆOS, SACERDOTES PLVRIMOS INTERFECIT, IN QVÆIS ZACHARIAM IOAN. BAPTISTÆ PATREM. DAVIDIS SEPVLCHRVM SVFFODIT, TEMPLVM INSTAVRAVIT.

HOMO MVLIEROSVS NOVEM EODEM TEMPORE, PRÆTER ALIAS NEFANDAS DELICIAS, VXORES HABVIT, QVARVM DVAS EXPVLIT; TERTIAM CVM MATRE ET DVOBVS EIVS EX EA SVSCEPTIS FILIJS, INTERFECIT: PARIQ. POENA PATRVVM, ET PRIMOGENITVM FILIVM, MAGNAMQVE DOMESTICORVM PARTEM MVLCTAVIT. DOMI CALAMITOSVS, FORIS IN PRÆLIIS FORTIS AC FŒLIX FVIT.

DENIQVE MVLTIS SCELERIBVS PERPETRATIS, ET MORTE LECTISSIMÆ TOTIVS REGNI NOBILITATIS IMPERATA, PLVRIMORVM MORBORVM SVPPLICIIS EXCRVCIATVS, VICTVSQ. CVM SIBI ETIAM MANVS AFFERRE CONATVS ESSET, SVB PASCHALES FERIAS SCELERATAM ANIMAM EVOMVIT. VIXIT ANNOS SEPTVAGINTA, REGNAVIT AD TRIGINTA SEPTEM MORTVVS ANNO VR. COND. DCCLII. IN HERODIO CASTRO SEPVLTVS EST. QVIESCIT IN PICE ET STAGNO IGNIS ET SVLPHVRIS. TV VIATOR DESPVE SEPVLCHRVM, ET AMBVLA.

XLVII. *Archelaus abſtinet à Regis titulo.*

ARCHELAVS pet ſeptem dies, iuxta patriam legem, luctu parentis celebrato, & in fine luctus funebri epulo multitudini præbito, in templum aſcendit. Alludit Ioſephus ad legẽ quæ eſt in l. Num.[a] vbi ad ſeptimũ vſque diem declaratur immundus, nec ad communem vitæ conſuetudinem idoneus, qui vel cadauer tetigerit, vel os eius, vel etiam ſepulchrum; vbi & modus expiandæ huiuſmodi legalis immunditiæ declaratur. Porro Archelaus quantumuis fauſtis acclamationibus quaquumque tranſiret exciperetur, à Regis tamen nomine, ac diademate abſtinuit, donec à Cæſare fieret teſtamenti Herodis confirmatio.

[a] In lib. num. 19. 11. 16.

Seditio cruenta Hierosolymis.

Eam vt obtineret, dum profectionem in vrbem parat, excitata eſt ſeditio ab amicis eorum, quos propter Aquilam auream Herodes ſupplicio affecerat, qui tum conuitia in defunctum regem iactabant, tum quoſdam illius amicos ad pœnam depoſcebant, ſimulque Pontificem Ioazarum deijci Pontificatu poſtulabãt: quos cum fruſtra Archelaus placare conaretur, res eo denique proceſſit, vt ſub feſtum Paſchæ, ad tria millia, immiſſo ab Archelao exercitu, circa templum perirent.

XLVIII. *Archelaus cum regia familia Romam adit.*

ITA ſeditione compreſſa, Archelaus ad mare deſcendit, vna cum matre ſua (erat ea Malthace Samaritis) ducens ſecum Nicolaum, & Ptolemæum, (egerat hic regis defuncti procuratorem,[b] ille Oratorem) multoſque ex amicis alios; regno & familia commiſſis Philippi fratris ſui fidei. Simul etiã profecta eſt Salome Herodis ſoror, ducens ſuã ſecum progeniẽ; aliique multi ex cognatis ſequebantur, quaſi Archelao pro paranda regia dignitate collaboraturi, re autem vera obnixuri ei potius, & præcipue perpetratum in templo facinus incuſaturi. Eodem tẽpore etiam Antipas Herodis filius Romam, parandi ſibi regni ſpe nauigauit: ad quam profectionem cum Salome excitarat, quod prioribus teſtamenti tabulis ſucceſſor Regni fuiſſet deſtinatus. Quid autem ab illis Romæ factum ſit, dicemus anno ſequẽti, quo credimus contigiſſe. Hic autem ſchema Herodianæ familiæ, ad nonnullam hiſtoriæ Euangelicæ lucem, duximus eſſe ſubiiciendam.

[b] l. 16. c. 11.

XLIX. *Familia Herodis Regis Iudæorum.*

Antipas Idumæus vir induſtrius & pecunioſus Hyrcani amicus ab Alexandro Iannæo & eius vxore Alexandra dux Idumææ conſtitutus, amicitia & muneribus coluit Arabas, Gazæos, Aſcalonitas, Ioſeph. l.14.c.2. ab hoc orti ſunt.

- Antipas, qui & Antipater, qui Hyrcano Pontifici contra fratrem Ariſtobulum ſtuduit, Ioſeph. l.14.2. Apud Idumæos duxit vxorē Cyprō nomine, genere Arabem, ex qua 4 ei geniti ſunt filii, & vna filia, Ioſ. l.14.c.12. fine. Cum Mithridate Pergameno auxilio fuit Cæſari in bello Alexandrino. l.14. c.14. ſicut & antea Gabinio in reducendo Ptolæmęo. l.14.c.11.
  - Phaſaëlus primogenitus, quem pater, propter Hyrcani Pontificis ignauiam, Hieroſolymis vicinæque regioni præfecit, Ioſ. l.14.c.17. A Parthis per fraudem capitur, & alliſo ad ſaxum capite vitam abrumpit l.14.c.25. filium habuit eo tempore ſeptennem, quem Herodes Parthos fugiens ſecum duxit, ibid.
  - Herodes qui poſtea regnauit, ſecundo genitus, ei pater Galilæam curandam commiſit l.14.c 17. num 15. annum agenti? An. Mun. 4008. n 41. an potius 27. n.43. & 44. quando natus ſit, a.m. 3982. n.3. vide infra A.
  - Ioſephus Idumææ Præfectus defendit arcem Maſſadam abſente Herode, eidemque affuit obſidenti Hieroſolymam, Ioſ l.14.c.26. & 27. Ab Antigono circumuentus occiditur, cuius corpus Pheroras 50. talentis redemit. lib.14.c.27.
  - Pheroras, cui poſt Actiacam pugnam Herodes abiens ad Cæſarem regnum commiſit. Ioſ. l.15.c.9. & regem ipſo moriente eſſe voluit, ibid. Ei Tetrarchiam à Cæſare impetrauit, l.15.c.13. Moritur in Tetrarchia, & ab Herode fratre publico luctu Hieroſolymis honoratur, ibique ſepelitur: vxor eius cum Antipatro conſueſcit, l.17.c.3. fine, ab ea veneno, Antipatro autore tollitur, l.17.c 6.
  - Salome, quæ duxit, vt habet Ioſephus l.15. c.4. Amauit Syllæū quendam Arabē, cui nubere nō licuit, ritus Iudaicos reſpuenti.
    - Ioſephū patruum quē Herodes occidit, ex quo ſuſcepit, l.15. c.4. & l.1 bel. c.17.
    - Coſtabarum Idumæū Gazæ principem quē Herodes interfecit, l.15. cap.11. ex quo nati ſunt.
      - Antipatrum qui duxit Cipron Herodis filiam, qui contra Archelaum apud Auguſtum Romæ dixit l.17.c.11.
      - Ioſephum, cui nupſit Olympias Herodis ex Marthaca filia.
      - Filius ἀνώνυμος forte Achiabus, l.17.c.9. & 12.
      - Berenice, quæ nupſit Ariſtobulo.
    - Alexam, quem duxit ab Herode, & vxore Auguſti compulſa, l.17.c.1. ex quo ſuſcepiſſe dicitur.
      - Alexem quendam Selcium, apud Temporat.

&

- Ioſephus patruus Herodis regis, qui cum eo vixit, eique regnum commiſit, cum M. Antonium adiit, cauſam de cæde iunioris Ariſtobuli dicturus, cum mādato occidendi Mariamnē, ſi quid ei grauius ab Antonio accidiſſet: quod cum ille Mariamnæ ſignificaſſet, ab Herode reduce occiſus eſt l.15.c.4. vxorem habuit Salomē neptam ſuam.

A Herodes ex diuerſis vxoribus multos ſuſcepit liberos. & primum ex quādo mortuus & quomodo Ioſephus l.17. c.10. eius vitam, in indice collectam reperies.

- Doride Idumæa, quæ fratrē habuit Theudionem hominem veneficum, l.17. c.6. eam Herodes conſpirantē cum filio contra ſe, ſpoliatā ornamentis eiecit è regia, l.17.c.6. Ex hac ergo natus eſt teſte Ioſepho l.14.c.21.
  - Antipater filiorum Herodis natu maximus, qui duxit Antigoni, qui ante Herodem regnauit filiam. l.17.c.7. ex qua ſuſcepit.
    - Filium cui nupſit Ariſtobuli filia maior. l.17.c.1.
    - Filiam quæ nupſit Agrippæ maiori.
  - Fratres calūniis oppreſſos patri mactādos dedit, l.16. c.17. Suſtulit & Pherorā patruum l.17.c.5. & 6. Voluit & patrem, ſed ab eo præuentus eſt, l.17.c.7. & 9.
- Mariamne filia Alexandri Ariſtobulo geniti, & Hyrcani Pontificis ex filia nepte, quinque liberos ſuſcepit, primus eſt.
  - Ariſtobulus calumniis Antipatri à patre interfectus eſt, ex Berenice Salomes filia quinque ſuſcepit liberos l.17.c.1. primus eſt.
    - Herodes Act.12. qui & Agrippa maior qui Iacobū maiorem occidit gladio, & Petrū cōiecit in vincula, & à Deo percuſſus interiit ib. de eo Ioſepho l.18.8. ſeſe. ex quo & Cypro vxore orti, Ioſ 18.c.8.
      - Agrippa minor, qui Veſpaſiano in bel. affuit
      - Druſus
      - Berenice quæ nupſit Herodi patruo.
      - Marianne, quæ Archelao.
      - Druſilla, quæ Felici præſidi. Act.24.
    - Herodes Rex Chalcidis, qui Ioannem occidit
    - Ariſtobulus duxit Iotabem filiam Regis Emeſeniorum, Agrippæ fratri inimicus, fuit. l.18.c.8.
    - Mariāne, quæ nupſit Antipatrō Herodis regis primogenito.
    - Herodias quæ nupta Herodi Simonis Pontificis nepoti, edidit Salomē ſaltatricem. Deinde nupſit Philippo Tetrarchæ, cui erepta eſt ab Herode fratre, Marc.6 17. de Herodiade Ioſeph l.18.c.8.
  - Alexander à patre cum fratre occiſus, duxit Glaphyram Cappadocum regis filiam, ex qua duos mares ſuſcepit l.17.c.1.
    - Alexandrū qui duxit Pheroræ filiam.
    - Tigranē regē Arm.
  - Anonymus Romæ in ſtudiis obiit, l.1. de be.17
  - Duæ filiæ, quarū cōiugiū Pheroras cōtēpſerat, Rex alterā tradidit. E
    - Antipatro ſororis ſuæ filio.
    - Phaſaëlo fratris ſui filio. l.17.c.1.
- Mariamnem adulterii ſuſpectam cū Ioſepho filio Salomes, cū eodē interfecit, 1. be.17
- Altera Mariamne Simonis Pontificis filia, l.1. de bel. c.17. particeps veneficii Herodi parati à regia pellitur l.17.c.6. l.1. de be c.19. Ideoque filius eius. B
  - Herodes è patris teſtamēto eraſus eſt, qui vxorē habuit Herodiadem matrē Salomes ſaltatricis, l.17.c 1
- Marthace Samaritide C l.17.c.1. quæ poſt obitū Herodis Romæ ex morbo deceſſit, l.17. c.12. ſuſcepit ex Herode tres liberos. l.17.c.1. C D
  - Antipā qui Romæ priuatim educatus, ſicut & Archelaus, l.17.c.1. primū fit regni ſucceſſor ab Herode, mox tetrarcha. l.17.c.10. & 13.
  - Archelaus regni ſucceſſor ab Herode ſub mortē, poſt cædem Antipatri, l 17.c.10. quo ab Auguſto improbato Ethnarcham eum conſtituit, l.17.c.13. cum ſpe regni, ibid
  - Olympias quā duxit regis fratruelis Ioſephus, l 17.c.1.
- Cleopatra Hieroſolymitide Iduos ſuſcepit, l.17.c.1. D
  - Herodem, qui & Antipas, à Chriſto vulpes dictus.
  - Philippum, qui Romæ educatus l.17.c.1. ab Auguſto tetrarcha conſtituitur c.13. Habuit vxorem Herodiadem, quam ei frater abſtulit. Marc.6.17.
- Pallade habuit Phaſaëlum, — Phædra ſuſcepit Roxanam — Elpide Salomen l.17. c.1.6.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 4053.

1. N. 12. Theodotus in epitome, apud Clement. Alex. græcè edit. fi. *ἀναργὴς δὲ ἀπόδειξις, καὶ ἡ τῶν μαθημάτων θεωρία. αὐτίκα οἱ μάγοι οὐ μόνον εἶδον τὸν ἀστέρα τοῦ κυρίου, ἀλλὰ καὶ τὸ ἀληθὲς ἔγνωσαν, ὅτι βασιλεὺς ἐπῆλθη, καὶ ὧν βασιλεύς; οὐ θεοσεβῶν.* paulo ante dixerat natum Dominum pacem terris & gloriam in excelſis annunciaſſe, nouum & peregrinum aſtrum produxiſſe, ad fatalem aſtrorum ſcientiam deſtruendam. Eam ſtellam quamprimum non ſolum viſam à Magis, ſed ex ea noui regis natiuitatem cognitam fuiſſe, & ſcilicet eius ductu ad eum quàprimum veniſſe.

2. N. XIV. Cypriano ſubſcribens Auguſt. ſer. 3. de Epiph. *Nam ipſe nouam ſtellam declarauit natus, qui antiquum ſolem obſcurauit occiſus.* & ſer. 6. *Eo naſcente lux noua eſt in ſtella reuelata, quo moriente lux antiqua eſt in cœlo velata; eo naſcente ſuperi nouo honore claruerunt, quo moriente inferi nouo timore tremuerunt.* &c. & hæc probabiliora ſunt de ſtella producta ſimul cũ natiuitate Chriſti, quam ante biennium, quod tamen idem Aug. ait in ſer. 7. ſed illi ſententiæ fauet, vbique S. Leo in ſer. de Epiph. iſti D. Chryſ. Homil. 6. in Matth. ſub init. Verum probabiliorem facit priorem ſententiam Magorum prompta piaque deuotio, (quam hæc taci tè accuſat tarditatis) ab ipſo Auguſtino celebrata: & ſtella ſignum erat nati pueri, non naſcituri. Sed hac de re plura leges apud Sua. t. 2. d. 14. ſ. 4. ſub medium. Quanquam nouitas aut antiquitas ſtellæ non retardat aduentum Magorum.

.N. XXV. Non quia id foret contra charitatem naturalem Ioſephi, & contra mandatum Dei, Matth. 2. 13. vt infans in eum locum reduceretur, vbi à tyranno ad mortem quæri ſciebat. Cum enim hæc opinio ſupponat Magos non veniſſe ante biennium, conſequenter etiam turbationem Herodis, & ſtudium perdendi pueri in biennium differt; differt quoque in par tempus Dei iuſſionem fugiendi in Ægyptum. Non ergo contra iuſſionem faciebat, quæ nondum facta erat, neq; contra charitatem naturalem, quia nõdum erat timor ab Herode, qui ante Magorum aduentum, neſciebat Chriſti natiuitatem.

.N. XXV. Vt Geneſ. 19. 9. *Adhuc loquebantur, & ecce Rachel veniebat cum ouibus patris ſui.* & Geneſ. 24. 15. *Nec dum intra ſe verba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur &c.* Mald. l. c. Sic Exo. 2. 4. *Expoſuit infantem in carecto ripæ fluminis, Ecce autem deſcendebat filia Pharaonis &c.* Sicut enim Moyſi in fiſcella ſuperuenit filia Regis, ſic Chriſto in præſepio Magi reges. Et Iudic. 4. 22. *Siſara clauo terræ defixus mortuus eſt, & ecce Barac ſequens Siſaram veniebat, &c.*

N. XXXIII. Itaque S. Petrus Alex. in ſermone de pœnit, qui habetur t. 2. biblioth. patrum, ait Ioannem quæſitum ab Herode ad cædẽ, (quamuis neq; in Bethlehem, neque in finibus eius natus eſſet, ſed mirabilia quæ in eius natiuitate contigerant, eum ſuſpectum reddebant) quem cum non inueniſſet, patrem eius Zachariam interfeciſſe inter templum & altare, cum effugiſſet filius cum matre Elizabeth, quæ copioſius habentur in Iacobi proteuãgelio ſub finem. Cuius verba, ſi quis requirat, hæc ſunt. *Ἡ δὲ Ἐλισάβεθ ἀκούσασα ὅτι ὁ υἱὸς αὐτῆς μέλλει ζητεῖσθαι, λαβοῦσα αὐτὸν ἀνέβη εἰς τὴν ὀρεινήν, καὶ περιέβλεπε τόπον, ἐν ᾧ ἀποκρύψαι αὐτόν. καὶ οὐκ ἦν τόπος ἀπόκρυφος. καὶ στενάξασα λέγει. Ὄρος τοῦ Θεοῦ δέξαι μητέρα μετὰ τέκνου· οὐ γὰρ ἠδύνατο ἡ Ἐλιζάβετ προσαναβῆναι. καὶ παραχρῆμα ἐδιχάσθη τὸ ὄρος ἐκεῖνο. καὶ ἦν διαφαίνων αὐτοῖς ἄγγελος κυρίου, καὶ διαφυλάττων αὐτούς.* id eſt. Cum audiſſet Elizabeth fore, vt filius eius quæreretur, eo accepto abiit in montana, & circumſpexit locum in quo eum abſconderet: cumque non appareret locus occultus, & latebris idoneus, ingemiſcens dixit. Mons Dei accipe matrem cum filio, non enim poterat Elizabeth aſcendere: & confeſtim mons ille diuiſus eſt, & apparuit eis Angelus Domini cuſtodiens eos. De morte autem Zachariæ hæc ſubdit.

Ὁ δὲ Ἡρώδης ζητήσας τὸν Ἰωάννην, ἀπέστειλεν ὑπηρέτας πρὸς Ζαχαρίαν ὄντα ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ, καὶ εἶπεν αὐτῷ· ποῦ ἀπέκρυψας τὸν υἱόν σου; ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς. Ἐγὼ λειτουργὸς ὑπάρχω τοῦ Θεοῦ, καὶ προσεδρεύω τῷ θυσιαστηρίῳ, καὶ πόθεν γινώσκω ποῦ ἐστιν ὁ υἱός μου; πορευθέντες δὲ ὑπηρέται ἀπήγγειλαν τῷ Ἡρώδῃ πάντα. Ὀργισθεὶς δὲ ὁ Ἡρώδης εἶπε, μὴ ὁ υἱὸς αὐτοῦ μέλλει βασιλεύειν ἐν τῷ Ἰσραήλ; καὶ πέμψας τοὺς ὑπηρέτας αὐτοῦ πρὸς Ζαχαρίαν εἶπεν· εἰπὲ ἡμῖν τὸ ἀληθές, ποῦ ἐστιν ὁ υἱός σου; οἶδας γὰρ ὅτι τὸ αἷμά σου ὑπὸ τὴν χεῖρά μου ἐστίν. οἱ δὲ ὑπηρέται ἀπελθόντες ἀπήγγειλαν αὐτῷ ταῦτα πάντα. καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ζαχαρίας. Μάρτυς εἰμὶ τοῦ Θεοῦ· καὶ ἐὰν χέῃς μου τὸ αἷμα, τὸ πνεῦμά μου ὁ Θεὸς λήψεται, πλὴν ὅτι αἷμα ἐκχέεις ἀθῷον. παρὰ τὰ πρόθυρα τοῦ ναοῦ, καὶ τοῦ θυσιαστηρίου. καὶ περὶ τὸ διάφραγμα ἐφονεύθη Ζαχαρίας, ἐν τῷ ναῷ κυρίου. Cum Herodes, inquit, Ioannem quæreret miſit ad Zachariam miniſtros, cum eſſet ad altare, & dixit ei, vbi abſcondiſti filium tuũ. Qui reſpondit eis, ego ſum ſacerdos Domini, & aſſideo altari, & quomodo ſciam vbi ſit filius meus? Abeuntes miniſtri omnia Herodi retulerũt. Qui iratus dixit, nonne filius eius regnaturus eſt in Iſrael? & remiſſis ad Zachariam miniſtris, dic nobis, inquit, vbi ſit filius tuus, noſti enim quod vita tua in manibus meis eſt. Regreſſi ergo miniſtri hęc illi omnia nunciarunt. Quibus Zacharias, Teſtis ſum Dei, quod ſi effuderitis ſanguinem meum, ſpiritum meum Deus recipiet, præterquam quod ſanguinem effundetis innoxium. Ad veſtibula templi & altaris, & circa interceptum occiſus eſt Zacharias in templo Domini. Hæc ibi. Agebat autem tum Ioannes non biennium vt affirmant, qui ad biennium cædem innocentium differunt, ſed menſem octauum, quoniam iſta ſub Februarium menſem contigerunt; quanquam neminem omninm qui citantur legi, qui à bimatu eum deſerta petiiſſe dicat, ſed ab ineunte ætate, à puero, vix à ſolutis faſciis, ab ætate puerili. Chryſoſtomus autem referente Caniſ. l. 1. de Ioan. c. 2. ſtatim vt natus eſt in Eremo viuit. Et Hom. 10. in Matth. ex ipſis incunabulis ſemper in Eremo habitauit. &c.

ANNVS MVNDI 4054. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI AN. 2. B. VIRG. 17. IMPERII ROMANI 49. AVG. 44. ARCHELAI 2. ANTIPÆ, ET PHILIPPI TETRAR. 1. IOAZARI PONT. 2. PRÆSIDE SYR. VARO, OLYMP. CXCV. 1. VRB. COND. 753. C. IVLIO AVG. FILIO, ET L. ÆMYLIO PAVLO COSS. ANNI IVLIAN. 46. AVGVST. 30. ACT. VICTORIÆ 32.

ANNVS ÆRAE CHRISTIANÆ 1.

NOVAM nunc cum noua Olympiade, & non nouo Olympionica Demarato Epheſio inchoamus Epocham, omnium quæ vſquam toto terrarum orbe memorantur longe celeberrimam, qua Chriſtiani omnes vtimur, eoque merito Chriſtianam Aerã vocamus, cuius annum nunc agimus 1623. quam etiam Dionyſianam ab authore Dionyſio, cum Beda, aliiſque paſſim ſcriptoribus appellamus. Eius initium cum anno ſexto & quadrageſimo Iuliano, & imperij Auguſti 44. concurrere, & in Conſulatum Caij Auguſti filij, & Æmylij Pauli incidere cum alia docent, tum annus biſſextilis, qui in quaternarios quoſq; annos huius æræ ſemper cadit: itaque proximè ſequens annus 1624. erit biſſextilis, & proxime præcedens biſſextus locum habuit in anno 1620. & ita de cæteris omnibus, Quod tamen non poteſt vlla ratione conſiſtere, niſi quartus huius æræ annus ſit biſſextilis, & primus incidat in Iulianum quadrageſimum ſextum, cuius 45. reuera eſt biſſextilis, ſicut & primus, vti dictum eſt ſuperius. I. *Initium æra Chriſtianæ probatur ex biſſexto.*

Deinde, vt recte annotauit Petauius noſter, ſuis in Epiphanium ſuum pereruditis animaduerſionibus, cum conſtet ex tabulis Aſtronomicis inſigne illud lunæ deliquium, quod 40. dieà morte Auguſti contigit, in æræ vulgaris annum decimum quartum incidiſſe; ſicut ſolis Eclipſim, quæ incidit in quintum Claudij Imperatoris annum, in æræ vulgaris 45. cadere, & iterum alteram Eclipſim ſolis, quæ quintum Neronis afficit, etiam æræ Chriſtianæ quinquageſinum nonum annum inſignem facere, ex ijs, aut ex præſenti anno 1623. retrocedendo, oportet primum eiuſdem æræ Chriſtianæ annum cadere in præſentem annum Iulianum quadrageſimum ſextum, eoque principio poſito, recte omnes illæ eclipſes in prædictos annos æræ Chriſtianæ cadent; cui hoc anno reſpondet Annus mundi 5676. Quæ tamen nihil impediunt, quo minus quæ de vero Chriſti concepti natique anno, aut primo ab eius ortu ſtatuimus, multiplicique probatione firmauimus, conſiſtant. Itaque vtramque temporis notam deinceps ad finem vſque operis huius, in ſingulis annorum titulis apponemus, additis etiam Galilææ tetrarchis, vnde lux aliqua ſcriptis Euangelicis addi poteſt, qui aliquanto poſterius Archelao, conſenſu Auguſti, hoc anno ſuis locis dominari cœperunt. *Ad hæreſ. 51. Alogorũ p. 105. & alibi.* II. *Ex eclipſibus.*

Consvles anni huius non exiguam ingerunt difficultatem. Nam Caſſiodorus hunc annum aſſignat Conſulatui 13. Auguſti, qui dicendus potius eſſet 14. Sed ille vnum prætermiſit. Cum enim putaret hunc Conſulatum ad Auguſtũ pertinere, & alioqui ſciret Octauium tredecim tantum geſſiſſe Conſulatus, ne male numerum, de quo ſatis conſtabat, augeret, vnum de præcedentibus prætermiſit, primum videlicet, & quidem omnium celeberrimum; forte quia is non nominauit annum, & breui tempore, ſuccedente eodem anno Triumuiratu, geſtũ eſt. Legitimum autem numerum Conſulatuum Auguſti Tacit. [a] aperte confirmat, qui ait eum in iſto magiſtratu Valerium Coruinum, & C. Marium ſimul æquauiſſe, quorum ille ſextum, hic ſeptimùm conſul fuit. Nec plurium Suetonius meminit: quorum XII. & XIII. ab eo geſtum ait, vt C. & L. filios ampliſſimo præditus magiſtratu, ſuo quemque tyronicio deduceret in forum. III. *Hunc Conſulatum nõ eſſe Auguſti.* *a l. 1. Annal. l. 2. c. 26.*

IV. *Neque id Dionem ſentire. Neque tollendum.*

HIC ergo Conſulatus Auguſto tribui non poteſt; Ideoque in indice græco, latinoque libri 55. Dionis mendum irrepſiſſe, aut ſcioli cuiuſpiam emendationem neceſſe eſt, vbi C. Cæſarem Auguſtum XIV. cum L. Æmylio Paulo Conſulem fuiſſe reperies. In ipſo autem libro ingens lacuna eſt, vt quæ eſſet mens Autoris intelligi non poſſit. Illum indicem ſecutus eſt Genebrardus in Chron. atque in poſtrema Colonienſi editione Baronius, mutata ſententia quam antea cũ Onuphrio ſecutus fuerat. Quidam etiam per errorem hunc Conſulatum irrepſiſſe rati, eum ſuſtulerunt, vt Antonius Concius in ſua Chronol. quam adiecit codici Iuſtinianæo; Phrygio quoq;, & Functius; hocque ideo, ait Deckerius, vt in Dionyſianam Chriſti Epocham latenter adreperent, quos propterea deinceps ſemper errare in Coſſ. enumerandis neceſſe eſt. Sed illis rurſum obiicere poſſumus Statium in ſyluis, Suetonio & Tacito conſentientem, Ait enim Annot. 9. in tabulas.

Ter Latio deciesque tulit labentibus annis
Auguſtus faſces----

V. *Fuiſſe autē reuera Caij.*

DICIMVS itaque Caium Cæſarem Auguſti filium, vel nepotem, hoc anno cum Æmylio Paulo geſſiſſe Conſulatum. Id probamus ex Epiphanio hæreſi 51. vbi enumerans Coſſ. ad 30. annos vitæ Chriſti, L. Cæſarem cum Paulo hoc anno ponit. Vbi L. pro C. poni certum eſt. Nam L. Conſul deſignatus ante quam illum iniret extinctus eſt: & facilis eſt in prænominibus lapſus; hunc enim Cæſarem faſti Siculi P. vocant. At Capitolini, prout à Sigonio, Onuphrio, Pighio ſupplentur, C. habent Cæſarem Auguſti filium D. nepotem. Profert & Pighius marmoream tabulam Neapolitanam, in qua diſerte ponitur Conſul C. Cæſar Auguſti filius: & rurſus aliam Anagninam, in qua idem habetur: aliam quoque antiquam inſcriptionem Onuphrius. Et in Euſebii Chronico Græco C. Cęſar, ſine vllo numero Conſulatuum, ponitur hoc anno Conſul cum Æmylio Paulo. Quod ea quoque ratio valide confirmat, quod hoc demum anno abſolutum eſt quinquennium, poſt quod deſignati Conſules illud inituri erant, quod an. V.C. 748. factum eſſe docuimus, & ex monimento Ancyrano conſtat. Et huic ſententiæ acquieſcunt Onuphrius, Sigonius, Pighius, qui ex inſtituto hoc argumentum tractant: quibus conſentiunt Deckerius, Gordonus, Petauius, Samerius, Mercator, Temporarius, Caluiſius, Heluicus, Buntingus.

Ex communi ſententia. — An V.C. 747. n. 3. & 748. n. 1.

VI. *obiectiones aliquot.*

SED huic aſſertioni noſtræ aliqua officere videntur. Primum, quod Dio teſtatur petitum quidem à C. Conſulatum, ſed ab Auguſto negatum, quod ei nec ætas nec mores ſuffragarentur, Alterum quod nemo Scriptorum Romanæ hiſtoriæ Caium ex Orientali expeditione reuerſum tradat, ſed in ea extinctum. Velleius certe lib. 2. diſerte affirmat non reuertiſſe. Per quæ vitia, inquit, eo deductus eſt, vt in vltimo, ac remotiſſimo terrarum orbis angulo conſeneſcere, quam Romam regredi mallet. Deinde reluctatus, inuituſque reuertens in Italiam morbo obiit. Sic ipſe, ſui temporis hiſtoriam ſcribens, & cui potuit intereſſe. Verum ad priorem dubitandi rationem, quam affert Baronius, reſpondendum eſt, eam petitionem Conſulatus ad annum ab hinc quintum pertinere, quo Conſulatum quidem non obtinuit, cum tamen id Auguſtus flagrantiſſime cuperet, vt ait Tacitus: in eius tamen honorem deſignatus eſt Conſul, vt eum magiſtratum iniret poſt quinquennium, ex quo deductus eſſet in forum, quod factum eſt ab Auguſto XII. Conſule. Itaque eo quinquennio abſoluto, hoc anno factus eſt Conſul.

Reſpondetur priori.

VII. *Caius abſens Conſulatum geſſit.*

PROPTER alteram obiectionem dicimus Caium Cæſarem abſentem iniiſſe, geſſiſſeque Conſulatum, exemplo patris Auguſti, qui Tranquillo teſte, quartum Conſulatum in Aſia, quintum in Samo inſula, octauum & nonum Tarracone in Hiſpania iniit. Itaque Deckerius noſter affirmat eum ex SC. abſentem hoc anno geſſiſſe Conſulatum. Id egregie confirmatur ex epiſtola Auguſti hoc ipſo anno ſcripta, quæ extat apud Gellium, data 9. Cal. Octobr. cum is expleto anno vitæ 63. quartum & ſexageſimum inchoaturus eſſet, quæ eius ætas in hunc annum quadrat: tot enim à 9. Cal. Octob. quo anno M. Cicero Conſul fuit, ad 9. Calen. Octob. huius anni exacte numerantur. Ex qua epiſtola certiſſimum eſt, tum Caium ab vrbe abfuiſſe, tum Lucium quoque adhuc fuiſſe ſuperſtitem. Lubet breuem deſcribere epiſtolam, quæ ſic habet.

l. 2. c. 26. — Theſi XI. — lib. 15. c. 7.

VIII. *Auguſti ætas, ex eius epiſtola.*

Have *mi Cai, meus ocellus iucundiſſimus, quem ſemper Medius fidius deſidero cum à me abes, ſed præcipue diebus talibus qualis eſt hodiernus, oculi mei requirunt meum Caium, quem vbicunque hoc die fuiſti, ſpero lætum, & beniuolentem celebraſſe, quartum & ſexageſimum natalem meum.* Hoc ipſo videlicet die inchoantem, Pergit. *Nam, vt vides,* κλιμακτῆρα *communem ſeniorum omnium tertium & ſexageſimum annum euaſimus. Deos autem oro, vt quantum mihi supereſt temporis, id ſaluis vobis traducere liceat, in ſtatu Reipub. fœliciſſimo,* ἀνδραγαθούντων ὑμῶν, καὶ διαδεχομένων *ſtationem meam.* Ideſt vobis in viros fortes euadentibus, & ſuccedentibus, ſiue excipientibus ſtationem meam. Hactenus Auguſtus. Si ergo abfuit Vrbe Caius, ad quem inde ſcribit Auguſtus, & tot teſtes, quos ſupra pro eius Conſulatu retulimus, falſi eſſe non poſſunt, clarum eſt abſenti magiſtratum, quinquennio ante promiſſum, fuiſſe delatum, & ab abſente exemplo paterno geſtum: præſertim cum inuitus Italiam, Velleio Paterculo teſte, repeteret.

IX. *Quæ repugnare videantur abſentiæ Caii.*

l. 2. Bell. c. 2. l. 17 Ant. c. 11. Video tria hic nobis obiici poſſe. Primũ quod Ioſephus ſemel iterumq; ait Caiũ Romæ interfuiſſe iudicio, quod in cauſa Archelai apud Auguſtum habitum eſt, Herode non ita pridem defuncto; quæ res cum hoc tempore, & tota rerum diſpoſitione mirifice congruit. Alterum, quod Octauius hoc anno cum Caio contulit, de reuocando in Vrbem Tiberio eius vitrico, qui Rhodi quodammodo exulabat. Deſtinatum enim Auguſto erat, vt ait Suetonius, nihil ſuper ea re, niſi ex voluntate maioris filii ſtatuere. Et mox; Permittente ergo Caio reuocatus eſt, verum ſub conditione ne quam partem curamue Reipub. attingeret; quam ſcilicet ipſe tum Conſul adminiſtrabat. (l. 3. c. 13.) Denique Auguſtus, vt ſcribit idem Suetonius, Caium nepotem collaudauit, quod Iudæam præteruehens, nimirum in reditu, apud Hieroſolymam non ſupplicaſſet, Rediit ergo vt gereret Conſulatum. (l. 2. c. 93.) Verum ad poſteriora duo facile reſponderi poteſt, totum id commercio literarum fuiſſe perfectum. De prætermiſſa vero ſupplicatione Hieroſolymitana in aditu ne, an in reditu factum fuerit incertum eſt.

X. *Ioſephum falli aut fallere. Permiſſus Tiberio reditus.*

Iosephvs autem cohoneſtandi concilii gratia, in quo de Hebræorum rege ac regno agebatur, Caii vt arbitror præſentiam adiecit. Cum enim ex Romanis faſtis didiciſſet Caium hoc anno cum Æmylio Paulo fuiſſe Conſulem, exiſtimauit etiã Romæ adfuiſſe & ibidẽ geſſiſſe Conſulatum. Cæterum facta eſt hoc anno permiſſio Tiberio redeundi Romam, quæ ſequenti in rem deducta eſt. (l. 3. c. 14.) Ante paucos quam reuocaretur dies, inquit Suetonius, aquila nunquam antea Rhodi conſpecta, in culmine domus eius aſſedit, & pridie quam de reditu certior fieret, veſtimenta mutanti tunica ardere viſa eſt. Quæ imperii futuri omina fuiſſe credita ſunt. Nam & Aquila index imperii eſt, vel in Romanis vexillis: & ardor ille olim quoque Seruii Tullii dormiẽtis capiti circunfuſus perhibetur, in magnæ fortunæ indicium, prout ſuo loco notauimus. (a m. 3477. n. 3.)

XI. *Filii Herodis apud Auguſtũ diſceptant.*

Qvod ad res Iudæorum attinet, Archelaus & Antipas fratres, de regni ſucceſſione apud Auguſtum diſceptarunt; quorum Antipas prioribus teſtamenti tabulis hæres ab Herode ſcriptus fuerat, Archelaus autem poſterioribus, qui & regni inierat poſſeſſionem, expectans duntaxat à Cæſare confirmationem. At plerique Iudæorum, ſiue ſtudio deiiciendi de gradu Archelai, quem etiam propter cædẽ Hieroſolymis nuper editam oderant, ſiue deſiderio libertatis, in qua ſe fore ſperabant, ſi ſub præſide Romano degerent, Antipæ ſtudebant, eum commodiorem fore Archelao ſperantes, ſi vtriuſque dominationem excutere non poſſent. Antipater Salomes filius contra Archelaum dixit; cui pro eodem reſpondit Nicolaus, vt fuſe ſcribit Ioſephus,[a] qui iudicii huius exitum his verbis refert. (a l. 17. c. 11.)

XII. *Iudicii exitus.*

Cvm Nicolaus dicendi finem feciſſet, Cæſar Archelaum ad genua ſibi accidentem erexit humaniſſime, dignum regno eſſe pronuncians, ſpræ ſe ferens nihil ſe facturum, niſi teſtamento præſcriptum, & Archelao ipſi commodum: Videnſque hac promiſſione confirmatum in ſpe iuuenem, nihil tum amplius ſuper ea re ſtatuit. Et dimiſſo concilio ſolus ſecum diſpiciebat, vnine regnum ratum faceret, an commune ſineret Herodis generi.

Alia legatio & ſeditio Iudæorum.

Interea Marthace Archelai mater morbo vitam finiit, turbæ Hieroſolymis excitantur, Sabino Cæſaris procuratore Iudæos irritante, & à Varo comprimuntur, actis in crucem duobus fere millibus Iudæorum: vt fuſe ſcribit Ioſephus, [b] præter

b l. 2. de bel. c. 2. & 3 & l. 17 ant. c. 11.

eos, qui in extimo templi ambitu incendio perierant. Ante motam hanc poſteriorem ſeditionem, quæ ſub feſtũ Pentecoſtes excitata eſt;[a] vt Iudæi non ad feſtos dies celebrandos, ſed ad turbas & ſeditionẽ conuenire viderentur, Vari permiſſu venit Romam Iudæorum legatio, poſtulãs vt eis liceret ſuis legibus viuere; erantq; legati quinquaginta, quibus aderant Iudæorum Vrbem incolentium plus quam octo millia.

a vt dicitur l.2. bell.

XIII. *Eorum poſtulata à Cæſare.* Hi legati apud Cæſarem coacto in Æde Apollinis, quam ille in palatio ſuo magnificentiſſimam conſtruxerat, concilio, poſtularunt ne vltra ſub regibus eſſent: quod vt aſſequerentur tam demortui Herodis crimina, quam Archelai accuſabant; quibus cum Nicolaus pro vtroque reſpondiſſet, Cæſar paucis poſt diebus Archelaum non regem declarat, ſed dimidia parte ditionis, quæ Herodis fuerat, illi conceſſa, Ethnarcham eum conſtituit, regnum quoque pollicitus, quam primum ille ſe tali honore dignum redderet. Alterum dimidium partitus eſt in alios duos Herodis filios, Philippum & Antipam, eum qui cum Archelao de toto regno contenderat: quibus peractis in Iudæam Archelaus reuerſus eſt.

Tripertito diuidit Auguſtus ditionem Herodis.

Agi hoc loco poſſet de relatione pueri Ieſu ex Ægypto, & iis quæ eam proxime anteceſſerunt, & ſecuta ſunt; verum ea diſputatio in ſequentem annum ad ſeptimum Ianuarij, quo dicta relatio ab Eccleſia celebratur, differenda eſt.

ANNVS MVNDI 4055. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI AN. 3. B. VIRG. 18. IMPER. ROM. 50. AVGVST. 45. ARCHELAI 3. HERODIS ANTIPÆ, ET PHILIPPI TETRARCHAR. 2. ELEAZAR. PONTIF. 1. PRÆSID. SYR. QVINTIL. VARO, OLYMP. CXCV. AN. 2. VRB. COND. 754. P. VINVCIO, ET P. ALPHENO VARO COSS. ANN. IVL. 47. AVGGVST. 31. ACTIAC. VICT. 33

vide bell. l. 5. c. 7.

ÆRÆ CHRISTIANÆ ANNVS 2.

I. *Reditus Tiberii in Vrbem.* NOTABILIS eſt hic ſecundus annus reditu Tiberii futuri Imperatoris ex inſula Rhodo, & relatione pueri Ieſu ex Ægypto. De Tiberio id perſpicue aſſerit Velleius l. 2. *Ante vtriuſque horum* (Caii ſ. & Lucij) *Patre tuo P. Vinucio Conſule* (dedicat eam hiſtoriam quã ſcribit M. Vinucio P. F.) *Tiberius Nero reuerſus Rhodo, incredibili lætitia patriam repleuerat.* Sueton.[b] *Rediјt*, inquit, *octauo poſt ſeceſſum anno*, (ab anno ſcilicet 747. ad 754. computatis extremis) *Magna, nec incerta ſpe futurorum*, & cap. 15. *Romam reuerſus, deducto in forum filio Druſo* (vt ſcilicet ætatis anno 16. togam puram de more acciperet) *ſtatim è Carinis ac Pompeiana domo, Eſquilias in hortos Mecænatianos tranſmigrauit; totumque ſe ad quietem contulit, priuata modo officia obiens, ac publicorum munerum expers.* Memor ſcilicet conditionis, ſub qua reuocatus fuerat, ne quam partem, curamue Reip. attingeret.

b l. 3. c. 14.

II. *Mortis L. Cæſaris tẽpus.* NON diu poſt Tiberii reditum Maſſiliæ mortuus eſt Lucius Cæſar, minor natu filiorum Cæſaris. De tempore conſtat ex Velleio, qui, vt iam retulimus, ait ante vtriuſque obitum Tiberium eſſe reuerſum. Nec repugnat Sueton.[c] cum ait, Caio & L. intra triennium defunctis, adoptatum ab Auguſto. Id factum eſt Ælio Cato & Sentio Saturnino Coſſ. anno V. C. 756. Itaque hoc quoque loco computat extrema Suetonius; cuius ſententia eſt, tertio anno à reditu Tiberii, Caium mortuum eſſe, & intra triennium ab eiuſdem reditu vtrumque mortuum, ita tamen vt intra vtriuſque mortem octodecim tantum menſes intercederent. Nam Suetonius ipſe[d] Caium & Lucium, inquit, in duodeuiginti menſium ſpatio amiſit ambos. Caio in

c l. 3. c. 15.

d l. 2. c. 65.

Lycia, Lucio Maſſiliæ defunctis; Sic ibi. Crediderat Lipſius, in primum Taciti, pro triennio, legendum in Suetonio, corrigendumque, biennium; candideque fatetur, ſe à P. Deckerio noſtro correctum, vt vulgata lectio retineretur, hiſtoria id approbante; quod mihi quoque videbatur, antequam vtrumque legiſſem, & pridem viſum fuerat Onufrio, in an. 757. Faſtorum. Mors ergo Caii in tertium ab hinc annum differatur. Lucii mors verſus finem huius anni contigerit, Caii vero ſub initia ſeptingenteſimi quinquageſimi ſexti.

III. *Locus, & modus.*

al. 4. c. vlt. Morbo Maſſiliæ deceſſiſſe Lucium, teſtis eſt Velleius, Sueton. l. 2. & Florus. [a] *Ambo*, inquit, *fato breues, ſed alter inglorius.* Maſſiliæ quippe Lucius morbo ſoluitur, cum adiret ad Hiſpanienſes exercitus, ait Tacitus l. 1. An. & Velleius, ex quo intelligitur, Lucium illic diuturno morbo contabuiſſe, etſi repentino morbo illum extinctum dicat Stephanus Pighius. Mox enim poſt depoſitam prætextam, anno num. xi. V. 751. ex vrbe profectum putamus, ſub Iuliæ relegationem, vt ibidem diximus, Poſt cuius obitum cœpit Auguſtus agere de Tiberio adoptando, eique Tribunitia poteſtate conferenda, plurimum reſiſtente Tiberio, qui Caii verebatur inuidiam: itaque res vſque ad Caii mortem dilata eſt, vt autor eſt Velleius. Cui potius de Tiberii reditu, ante vtriuſque principis mortem, credendum eſt, quippe qui viſa à ſe b l. 55. ſcribat, quam Dioni, qui duobus fere poſt ſeculis ſcripſit. [b] Caio & Lucio mortuis Tiberium Romam è Rhodo reuertiſſe, cum, vt ex Suetonio diximus, inter reditum Tiberii & Caii mortem triennium interceſſerit.

IV. *Ratio temporis reditus Christi ex Ægypto*

Iam vero quod ad reditum in Iudæam veri Imperatoris Ieſu Chriſti Domini noſtri attinet, de die quidem ex Romano Martyrologio conſtare poteſt, cui paſſim alia conſentiunt, vt notauit Baron. 7. Ianuar. tam in eod. Martyr. quam in Annal. anno Chriſti octauo, n. 13. De anno maior eſt difficultas: plurimæ quippæ ſunt de eo ſententiæ, & quæ fere ex ſupputatione annorum Herodis dependeant, vt recte animaduertit eodem loco Baron. Cum ergo ſtatuerimus Herodem mortuum ſub feſta Paſchalia, in primo Chriſti anno, conſequens videbatur, vt ſtatim initio anni ſecundi, eius reditum conſtitueremus: & facturi eramus niſi Euangelium ipſum nos ab ea ſententia deduxiſſet. Nam Matthæus, *Accepit puerum*, inquit, *& matrem eius, & venit in terram Iſrael; Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode, timuit illo ire.* Ergo ſub reditum Ioſephi Archelaus regnabat in Iudæa; at ſeptimo Ianuarij anni præcedentis, nec erat in Iudæa, nec regnabat Archelaus, ſed Romæ, apud Auguſtum de ſumma rerum periclitabatur, à multis diuerſis temporibus accuſatus.

V. *Diuturnitas Romani itineris Archelai.*

Nam primum non ſtatim à Paſchate Hieroſolymis abiit; tum quia poſt grauiſſimam ſeditionem, & cædem ſemel iterumque commiſſam, plurimorumque fugam, res componendæ fuerunt; tum quia magna cum ſuorum multitudine, in primiſque Malthace matre, & Salome amita profectus eſt, quas cum comitibus non tam cito ad longiſſimam, inſuetâque nauigationem paratas fuiſſe, facile intelligitur. Nam noti mores mulierum, *Dum moliuntur, dum comuntur annus eſt.* Deinde nonnulla in Cæſarea contigit mora, à Sabino procuratore Cæſaris, Tum demum abierunt Romam viam multam valde; Eodem tempore etiam Antipas Archelai frater Romam nauigauit, cuius profectionem miror à Torniello in ſeq. annum differri, cum Ioſephus dicat nauigaſſe ſub idem tempus. Romæ res deferuntur ad Cæſarem; ad quem interea literæ ex Syria contra Archelaum; & Romæ aduerſarij multi. Archelaus rei euentum, & Cæſaris opportunitatem præſtolatur. Cogitur ab Auguſto concilium, in quo accuſatur Archelaus, & defenditur. Hic Cæſar nil ſtatuit, ſed bona ſpe imbutum, ad aliud tempus dimittit.

[illegible] &c.

Summa rerum Iudaicarum à morte Herodis.

VI. *Noua Archelai mora.*

Interea Archelai mater moritur Romæ, priuſquã aliquid certi hac de re determinatum eſſet: & nouæ adſunt à Syria literæ, Iudæorum defectionem ſignificãtes: quibus literis nihil vtique acceleratum eſt Archelai negotium, Auguſto, vt credere par eſt, rei euentum præſtolante. Sed tardatum eſt etiam vehementius ſuperueniente legatione à Iudæa quinquaginta legatorum, regum dominationem deprecantium, & prouinciæ Syriæ vt contribuerentur poſtulantium. Iis datus eſt Senatus in æde Apollinis, & auditis oratoribus dimiſſum eſt concilium. Denique poſt aliquot dies Archelaus ab Auguſto declaratur Ethnarcha, cæteráq; ad Herodis teſtamentum ſpectantia conſtituuntur. Hæc multum omnino tempus exigere

nemo eſt qui non videat, ſi animum referat ad infinitas cunctationes, & moras, quibus lites, magni præſertim momenti, trahuntur in Curiis. Poſtremo præparatur reditus in Syriam, nauigatur, venitur ad Iudæam.

VII. *Chriſti reditum non potuiſſe citius contingere.*

Qvibvs omnibus negotiis, ſi quis biennium dederit, vt facit Torniel.[a] Nequaquam laxior in dimetiendo tempore videatur. Mihi autem vel vnus annus ſufficit, eo enim dato non potuit eſſe Archelaus in Iudæa ſeptimo Ianuarii, quippe qui poſt Paſcha tantum præcedentis anni Romam profectus fuerit. At Ioſeph venit in Iudæam, cum in ea regnaret Archelaus; ergo is aduentus non pertinet ad ſeptimum Ianuarii anni præcedentis, ſed præſentis. Denique autor eſt Suet.[b] Archelaum Romæ à Tiberio defenſum Auguſto de cauſa cognoſcente; at is vt probatum eſt, præcedenti anno nondum ex ſeptenni peregrinatione redierat. 1. Ex quibus etiam conſequens eſt Chriſtum Dominum ad biennium (demptis tamen aliquot menſibus) in Ægypto ſubſtitiſſe, quæ ſententia placuit Epiphanio hæreſi 20. & 51. & rurſus 78. Ex recentioribus autem Onuphrio in ſuo Chron. qui anno 3. (inchoante ſ.) Chriſti reditum ponit: conſentit Deckerius,[c] & alii nonnulli quamuis Hiſtoria ſcholaſtica iſti commorationi ſeptennium tribuerit, quam Baronius ad nonum quoque annum protrahit, ſicut Herodi, mortem ad octauum.

Ad biennium ibi manſiſſe.

[a] a.m. 4053. n. 1.
[b] l. 5 c. 8.
1. ex.
[c] theſi 18.

VIII. *Confirmatur tempus idem.*

Nec obſtat quod in Euangelio legimus defuncto Herode, admonitum in ſomnis ab Angelo Ioſephum, vt rediret in terram Iſrael, non enim ſcribit Euangeliſta, quamdudum, aut quampridem defuncto Herode admonitus fuerit Ioſeph, & Barad.[d] ait non ſtatim, ſed poſt aliquot menſes Ioſephum ab Angelo fuiſſe monitum de reditu, videlicet circa menſem Decembrē. Sic ipſe, ratus commorationem in Ægypto non fuiſſe integri anni; ſed nobis vnum annum addere negotia vrbana regis Archelai perſuadent, quæ triennium Torniello perſuaſerunt; qui recte addit expectatam videri ab Angelo, aliorum quoque mortem, qui quærebant animam pueri; atque etiam dum à Præſide Syriæ Varo, motus bellici, in Iudæa per Archelai abſentiam excitati, componerentur. Et conueniens fuit, vt inquit Ianſen, poſt Abulenſem q. 75. in c. 2. Matthæi, Chriſtum Dominum diutius in Ægypto non commorari; ſed inter Iudæos ab ipſa pueritia, imo ab ipſa infantia, educari, ne poſtea à Iudæis tanquam alienigena reiiceretur; nec haberet incredula illa gens, quod vel probabiliter ſuæ impietati prætexeret.

[d] l. 10. c. 11.

IX. *Cur Ioſeph timuerit Archelaū.*

Qvid autem timuerit ab Archelao, intelligi poteſt ex eius ſæuitia, quam eius cognati apud Cæſarem accuſant, eiuſque regnum tyrannidem vocant; ac ne id quidem poſt aliquot regni annos, ſed ab ipſo regni aditu. Legati quoque Iudæorum eum apud Cæſarem crudelitatis accuſarunt, antequam ab eo Ethnarcha conſtitueretur. Quod quaſi timeret ne non videretur germana parentis ſui ſoboles, ſine dilatione declaraſſet popularibus ſuis, quid de ſe ſentiendum eſſet, qui tria millia ſuorum ciuium in ipſo Dei templo pro victimis iugulaſſet. In reditu autem parum ſe humanum præbuit. Nam Ioſephus,[d] Archelaus, inquit, iam Ethnarcha in Iudæam reuerſus Ioazaro Boëthi filio Pontificatum abrogat, inſimulato quod ſeditioſis conſenſerit: eamque dignitatem in Eleazarum illius fratrem transfert. Non fuit ille quidem vnus de iis, qui quærebant animam pueri, nam eos iam defunctos dicit Angelus, ſi quis tamen ad Archelaū retuliſſet, apparuiſſe puerum illum, quem pater eius inquirebat ad mortem, vtiq; ab ipſo fuiſſet occiſus. Quod vitans Ioſeph ſeceſſit in Galilæam.

Qui mutat Pontificem.

Hoc ipſo anno natum ſcribit Ioannem Euangeliſtam Onuphrius in ſuo Chronico: ſed vnde id ipſe didicerit nondum reperi. Hieronymus lib. 1. contra Iouianum, adoleſcentulum ac pene puerum vocat Ioannem eo tempore, quo Chriſtus Petrum Eccleſiæ præpoſuit.

SCHO-

SCHOLIUM IN ANNUM MUNDI 4055.

1.N.1. Habes in Alpheno Varo huius anni Conſule non vulgare exemplum eorum, qui ex humili Fortuna in altum emerſerunt. Nam illum Horatius (lib. 1. Ser. ſatyra 3.) ait ſutorem fuiſſe, in quem locum Acron. Vrbane ſatis Alfinium Varum Cremonenſem deridet, qui abiecta ſutrina, quam in municipio ſuo exercuerat, Romam venit, magiſtroque vſus Ser. Sulpicio Iuriſconſulto, ad tantam peruenit ſcientiam, vt & Conſulatum gereret, & publico funere efferretur. Idem notat Porphyrio, & Pomponius de origine Iuris.

2.N.VII. Male ibi Caſaubonus Archelaum non Iudæum, ſed Cappadocem interpretatur, de quo Dio lib. 57. cuius omnis accuſatio ac Iudicium, Tiberio iam imperante, confectum eſt.

ANNUS MUNDI 4056. SEPT. ÆTAT. ET IESU CHRISTI AN. 4. B. VIRG. 19. IMPERII ROMANI 51. AUG. 46. ARCHELAI 4. ANTIPÆ, ET PHILIPPI TETRAR. 3. ELEAZARI PONT. 2. PRÆSIDE SYR. VARO, OLYMP. CXCV. 3. VRB. COND. 755. COSS. L. ÆLIO LAMIA, ET M. SERVILIO. ANNI IULIAN. 48. AUGUST. 32. ACT. VICTORIÆ 34.

ANNUS ÆRAE CHRISTIANÆ 3.

I. *Auguſtus vult adoptare Tiberium.* MORTVO ſub finem anni præcedentis in Gallia Lucio Auguſti filio, voluit Auguſtus Tiberium eius loco adoptare; quod tamen reſiſtente Tiberio, & Caium ſuperſtitem formidante, dilatum eſt. Non eſt diu cunctatus Cæſar Auguſtus, ait Velleius, neque enim quærendus erat quem legeret, ſed legendus qui eminebat. Itaque quod poſt Lucii mortem adhuc Caio viuo facere voluerat, atque vehementer repugnante Nerone erat inhibitus, poſt vtriuſque adoleſcentium obitum facere perſeuerauit. Hæc ille.

His Coſſ. excitatum eſt Romæ incendium, quo templum matris Deûm conflagrauit, quo tamen, ingenti prodigio, ſtatua Quintæ Claudiæ, quæ ad illius ædis veſtibulum erat, ab igne intacta in ſua baſi ſtetit, vt Valer. ait:[a] idemq; miraculum iam ante 113. annos contigiſſe refert, P. Scipione Naſica, & L. Beſtia Coſſ. V.C. 642. *De ea alio quoque loco meminimus.*

II. *Pſeudo Alexander.* REFERRI ad hunc annum poteſt illa fabula de Pſeudoalexandro, qui ſe in Herodis familiam, inuitante ſimilitudine, inſinuare conabatur, quem Auguſtus fictionem confeſſum ad triremes damnauit, quam fabulam narrat Ioſephus,[b] poſt expoſita atque expedita negotia Archelai, nec vllis notat temporis circumſtantiis. Tu eum de tota hac fallacia conſule, & in aliud aliquod tempus, ſi quid occurrit certius, refer, non repugnante me.

Interea Chriſtus Dominus Nazarethana commoratione, Nazaræi cognomen acquirebat; quod in Chriſtianos quoque omnes, initio naſcentis Eccleſiæ, tráſfuſum eſt; ſicut & Galilæi nomen, & Chriſtiani. Tiberius autem futurus Imperator, publica adminiſtratione etiam hoc anno abſtinebat: proptereaque non recte Olympionicarum collector eum contra Germanos pugnaſſe putat, anno primo & ſecundo huius Olympiadis, cum ea gemina expeditio ad quartũ huius pertineat, & primum ſequentis. Nihilominus eum Auguſtus, ſi Velleio ad gratiam ſcribenti credimus, inuitabat ad adoptionem, vti diximus.

a l. 1 c. 6.

b l. 17. c. 14. & l. 2 de bel. c. 5.

IV. *Ex L. Floro. Mors percuſſoris.*

Sed redeamus ad Caium, de cuius morte eadem fere habet Florus, quæ Rufus, de libello theſauri rationes continente, in cuius lectione ſtricto ferro cruentatus ſit Caius. Cæterum barbarus, inquit, vndiq; infeſto exercitu oppreſſus, gladio & pyra, in quam ſe percuſſus immiſit, ſuperſtiti etiam tum Cæſari ſatisfecit. Aliud addit de cauſa mortis Tacitus l. 1. Annal. Quod non videatur omittendum. Caium, inquit, remeantem Armenia, & vulnere inualidum, mors fato propera, vel nouercæ Liuiæ dolus abſtulit: quæ ſcilicet malebat filium, quam priuignum imperare; Sed pronior eſt aliquanto Tacitus in criminationibus, & ſuſpicionibus, & rebus in deteriorem partem malitioſe interpretandis, à quo vitio non plane immunis eſt Suetonius, neque Velleius in gratiam Tiberii.

V. *Funus horũ principum. Auguſtus Dominus non vult dici.*

Addamus de horum principum funere, quæ habet Dio l. 55 Corpora, inquit, Caii ac Lucii à tribunis militum, & cuiuſque ciuitatis decurionibus Romam apportata ſunt parmæſque & haſtæ, quas aureas ab equitibus cum virilem togam ſumerent, acceperant, in Curia ſuſpenſæ. Auguſtus eo tempore Dominus ſalutatus non modo prohibuit, ne quis ipſum hoc nomine compellaret; ſed ſummopere etiam id cauit; Viſum eſt eo tempore nimis faſtuoſum atque ambitioſum vocabulum, cui reſpuendo fortaſſe recens luctus ſeruiebat: Quod autem quidam exiſtimarunt Auguſtum, anno quo Chriſtus eſt natus, nomen Domini repudiaſſe, certum eſt eſſe deceptos. Ea de re pluribus Sueton.[a] Auguſtum imitatus eſt Tiber. vt idem[b] ſatis oſtendit, qui tamen Senatores dominos appellaret c. 29. Huc videtur Ouid. alluſiſſe 2. Faſt. vbi alloquens Romulum.

a l. 2. c. 53. b l. 3. c. 27.

Vis tibi grata fuit, florent ſub Cæſare leges.
Tu Domini nomen, Principis ille tenet.

VI. *Tiberius adoptatur ab Auguſto.*

Cum autem de morte Caii Romæ conſtitit, Auguſtus, qui, vt ſcribit Velleius, Lucio mortuo, ſuperſtite autem Caio, Tiberium ad ſummam dignitatem prouehere, ipſomet reſiſtente Tiberio, cupiebat, poſt vtriuſque adoleſcentium obitum facere perſeuerauit, vt & Tribuniciæ poteſtatis conſortium Neroni conſtitueret, multum quidem eo cum domi, tum in Senatu repugnante, & eum Ælio Cato & Sentio Coſſ. 5. Cal. Iul. poſt V. C. an. 754. (legendum vt dixi 756.) ab hinc annis 27. adoptaret: imo 26. Nam M. Vinucius ad quem, & in cuius Conſulatu iſta ſcribebantur, Conſul fuit an. V. C. 782. vt ſæpius dictum eſt, conſentiunt correctioni Aldus & Sigon. Sed pergit Velleius. Lætitiam illius diei, concurſumque ciuitatis, & vota pene inſerentium cœlo manus &c. vix iuſto volumine perſequi poterimus.

VII. *Iulia reducitur in cõtinentem.*

Publicæ huius occaſione lætitiæ factum videtur, quod ſcribit Tranquillus,[c] vbi agens de Iulia filia quinto ab hinc anno relegata. Poſt quinquennium, inquit, ex inſula in continentem, leuioribuſque paulo conditionibus tranſtulit eam: nam vt omnino reuocaret exorari nullo modo potuit, deprecanti ſæpe populo Rom. & pertinacius inſtanti tales filios, taleſque coniuges pro concione imprecatus.

c l. 2 c. 65.

Adoptatur & Agrippa.

Adoptatus eadem die etiam M. Agrippa, quem poſt mortem Agrippæ Iulia enixa erat; ſed in Neronis adoptione illud adiectum, his ipſis Cæſaris verbis; *Hoc* inquit, *Reipubl. cauſa facio.* Sueton.[d] Caio & Lucio intra triennium defunctis, adoptatur ab Auguſto ſimul, cum fratre eorum M. Agrippa, coactus prius ipſe Germanicum fratris ſui filium adoptare, & rurſus.[e] Tertium nepotem Agrippam, ſimulque priuignum Tiberium adoptauit in foro (qui ſcilicet C. & L. adoptauerat domi c. 64.) lege curiata: & iterum.[f] Nihil ex eo tempore, prætermiſſum eſt ad maieſtatem eius augendam, ac multo magis poſtquam, Agrippa abdicato atque ſepoſito, certum erat vni ſpem ſucceſſionis incumbere. Data rurſus poteſtas tribunitia in quinquennium: delegatus pacandæ Germaniæ ſtatus &c. Aliter de tribunitia poteſtate Dio. Tiberium, inquit, adoptauit, ac tribunicia poteſtate ad annos decem data, in Germaniam ablegauit. Veritus tamen ne is aliquando animo elatus, nouas ad res conſurgeret, Germanicum Druſi fratris filium ei adoptandum dedit. Quamquam ipſi Tiberio natus fuerat filius. Idemque affirmat Tacitus l. 1. Annalium.

d l. 3. c. 15. e l. 2. c. 65. f l. 3. c. 15.

Tiberius in Germaniā mittitur.

Tiberii expeditio in Germaniam.

Hoc ipſo anno miſſum in Germaniam ab Auguſto Tiberium, autor eſt Velleius. *Non diu vindicem Imperij ſui morata in vrbe patria, protinus in Germaniam miſit, vbi ante triennium ſub auo tuo M. Vinicio clariſſimo viro immenſum exarſerat bellum:* & mox, *Hoc tempus me functum ante tribunatu caſtrorum, Tiberij Cæſaris militem fecit; quippe protinus ab adoptione, miſſus cum eo præfectus equitum in Germaniam, ſucceſſor officii patris mei, cæleſtiſſimorum eius operum, per annos continuos nouem præfectus, aut legatus, ſpectator, & pro captu mediocritatis meæ, adiutor fui.* Hæc de ſe Velleius, addit paulo poſt, protinus intratam fuiſſe Germaniam, & ſubactos aliquos populos à Tiberio, vtente legato Sentio Saturnino, qui erat hoc anno Conſul, quique antea legatus patris Tiberii in Germania fuerat. Rem autem hoc anno geſtam ita concludit. Anni eius æſtiua, vſque in menſem Decembrem perducta, immanis emolumentum fecere victoriæ. Pietas ſua Cæſarem pene obſtructis hyeme Alpibus, in vrbē traxit, ad tutelā Imperii. Recte Lipſius; At tutela Imperij eum veris initio reduxit in Germaniam, &c. Quæ in ſeq. annum reſeruanda ſunt.

Et cum eo Velleius res ibi geſta.

Res Iudaicæ.

De rebus Iudaicis perpauca Ioſephus habet, [a] & quidem ſine vlla temporis nota; Itaque ſi placet huc refer, regiam ab eo apud Hiericuntem magnifice refectam, aliaque nonnulla.

a l. 17. c. 15.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 4057.

1. N. 3.

Sed & aliud videtur Rufi erratum de reſtitutione ſignorū, quæ multo ante cōrigit, ſub Apuleii & Silii Conſulatum, ann. V.C. 733. vt ibi ex Caſſiodoro, Dione, Floro, Strabone, diximus. Quod mirum eſt à Scaligero non notatum, cum hanc hiſtoriam referret, in Euſeb. n. 2016. Vbi etiā imprudens impegit in Syriam. Sed minus etiā diſſimulandus eſt in Emendatore temporum prochroniſmus nouem annorum. Atque hæc quidem hiſtoria, inquit: tempus autem deſignatur à Dione, D. Lœlio Balbo, C. Antiſtio Vetere Coſſ. num. 2011. eodem anno quo Naumachiam Auguſtus exhibuit, autore Ouid. l. 1. de Arte. Sed Scaligerum Dionis lacuna non animaduerſa fefellit, quam vidit oculatior Lipſius, vt ſupra notauimus, & ipſe fatetur in 1. Annal. num. 26. Errat ergo dum cædem hanc in nonum abhinc annum V.C. 747. refert. Sed præter tam inſignem prochroniſmum, errat iterum aperta hiſtoriarum confuſione, cum Auguſti Naumachiam in eundem Cælii & Antiſtii Conſulatum refert, quæ quadriennio poſt contigit, in 13. Auguſti Conſulatu, V. C. 751. vt ibi docuimus. Nec ſe ille Ouidio tueri poteſt; qui eum certioris coarguit falſitatis. Ibi enim ſcribit Ouidius, vt ſupra retulimus, ludos eos fuiſſe celebratos, cum Caius in procinctu eſſet Parthicæ expeditionis. Quî ergo fieri poteſt, vt eodem anno hiſtoria cæſi in Oriente Caii contingeret? Quis ergo ferat Scaligerum n. 2019. accuſantem in Dionyſio paruo fœdiſſimum, vt ait exemplum anachroniſmi nouem menſium, cum hoc loco parachroniſmum 9. annorum ipſe committat? Vbi tamen Dionyſium non conceſſi, imo falſi criminis reum facit.

ANNVS MVNDI 4058. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI AN. 6. B. VIRG. 21. IMPERII ROM. 53. AVG. 48. ARCHELAI 6. HERODIS ANTIPÆ ET PHILIP. TETRARH. 5. IESV PRIMVS PRÆS. SYR. QVINTIL. VARO, OLYMP. CXCVI. AN. I. VRB. COND. 757. CN. CORNEL. CINNA, MAGNO. L. VALERIO MESSALA VALÆSO COSS. AN. IVL. 50. AVGG. 34. ACT. VICT. 36.

ÆRÆ CHRISTIANÆ ANNVS 5.

I. *Inſigne exemplum Auguſti Clementiæ.* *Loci ratio temporiſq;.*

MAGNVM præbuit Auguſtus præcedenti anno modeſtiæ, ac demiſſionis animi argumentum, in nimis glorioſo, vt putabatur titulo repellendo, quoque ciues omnes ſubditique, famulorum vel ſeruorum loco haberi videbantur: ſed longe mirabiliorem dedit hoc anno Clementiæ & manſuetudinis ingenitæ probationem, cum inuſitatæ vindictæ genus in Cornelium Cinnam exercuit, quem & Conſulem hoc anno fecit. Rem & laude & imitatione digniſſimam poſteritati commendauit Seneca l. 1. de Clement. & ex eo Dio l. 55. qui tamen & locum correxit & tempus, ait enim Seneca, hæc contigiſſe in Gallia morante Auguſto, cum annum vitæ quadrageſimum tranſiſſet. (At agebat nunc 67.) & præmium dati Conſulatus, monet hoc anno, aut proxime præcedenti contigiſſe. Vide ibi Lipſium à nobis minime diſſentientem. Cæterum haud paulo magnificentius hiſtoria à Seneca, quam à Dione deſcribitur.

II. *Aduerſus Cinnam inſidiatorē.* *Coniugis Liuiæ ſuaſu.*

INTERIM, inquit, inſidiis appetitus, quarum præcipuus autor erat Cn. Cornelius Cinna Magnus, filia Pompeii Magni natus, [a] aliquandiu conſilii inops fuit, cum neque necare eos vellet, quia nihilo tutior editis cædibus fiebat, neque dimittere impunes, ne alios quoque contra ſe incitaret. Tandem Liuiæ coniugis adductus conciliis, ſtatuit contra immania conſilia parricidii, non humanitate ſolum, vel patientia, ſed beneficentia certare, & male cogitata benefactis obruere, denique carbones ignis, vt loquitur Apoſtolus, ſuper caput inimici congerere. [b] Interpellauit tandem illum, inquit Seneca, Liuia vxor, &, admittis, inquit, muliebre conſilium? fac quod medici ſolent, qui vbi vſitata remedia non procedunt, tentant contraria. Seueritate nihil adhuc profeciſti, & pluribus probat exemplis, nunc tenta quomodo tibi cedat clementia. Ignoſce L. Cinnæ, deprehenſus eſt, iam nocere tibi non poteſt, prodeſſe famæ tuæ poteſt, & mox.

[a] Seneca L. vocat.

[b] Ro. 12. 20

III. *Auguſtus Cinnam biurgat.*

CINNAM vnum ad ſe accerſit, dimiſſiſque omnibus è cubiculo, cum alteram Cinnæ cathedram poni iuſſiſſet, enumeratis quæ in ipſum contuliſſet beneficiis: Cum ſic de te meruerim, inquit, occidere me conſtituiſti. Cum ad hanc vocem exclamaſſet, procul hanc ab ſe abeſſe dementiam. Non præſtas, inquit, fidē Cinna, conuenerat ne interloquereris, occidere inquam me paras. Adiecit locum, ſocios, diem, ordinem inſidiarum, cui commiſſum eſſet ferrum. Et cum defixū videret, nō ex conuentione iam, ſed ex conſciēt tacentem, plus duabus horis in eius obiurgatione poſuit, cum hanc pœnam, qua ſola erat contentus futurus, extenderet. Vitam tibi, inquit, Cinna iterum do, prius hoſti, nunc inſidiatori, ac parricidæ. Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat; contendamus vtrum ego meliore fide vitam tibi dederim, an tu debeas. Poſthæc detulit vltro Conſulatum, queſtus quod non auderet petere, amiciſſimum, fideliſſimumque habuit, hæres ſolus fuit illi, nullis amplius inſidiis ab illo (legi vellet ab vllo Lipſius) petitus eſt. Hæc fere Seneca.

IV. *Terræ motus, inundatio, fames Romæ.*

Hoc ipſo anno, inquit Dio, horrendi terrę motus acciderunt, Tiberiſque deiecto ponte vrbem ſeptem dies nauigabilem effecit, Sol aliqua parte lumen ſuū amiſit, fames coorta. De Tiberis exundatione conſentit Dioni Caſſiodorus in Chronico; de fame Paulus Oroſ. [c] His Conſulibus, inquit ille, puta Cinna & Valerio, per dies octo Tiberis impetu, miſerāda clades hominum domorumq; fuit; At Oroſius etiā Chronologiam noſtrā egregie cōfirmat. Anno, inquit, Imperij

[c] l. 7. c. 3.

Cæſaris 48. adeo dira Romanos fames conſecuta eſt, vt Cæſar laniſtarum familias, omneſque peregrinos, ſeruorum quoque maximas copias, exceptis medicis & præceptoribus, trudi vrbe præceperit. Hæc Oroſ. ex Sueto. [a] quæ Dio in an. ſequentem differt, quo idem malum vehementius ſæuiit. a l.2.n.42.

V. *Virilis toga Agrippæ data.* Eodem anno, inquit Dio, Agrippæ, nullo eorũ quæ fratribus obtigiſſent potito, virilis toga eſt data: inſcriptus eſt ἐφηβεῖον: ex quo intelligitur referri ſolita nomina in matriculam, eorum qui exacta pueritia, deinceps Reipublicæ vtiles eſſe poſſent. Agebat autem annum decimum ſeptimum natus anno Vrb. 741. ſub mortem magni Agrippæ.) Ludi Circenſes ſeorſum à Senatoribus & Equitibus ſpectati ſunt; Collegio Veſtalium vt admitti poſſent, ius datum libertinis Virginibus, cum ægre nobiles Virgines id inſtitutum ſectarentur. Denique cum emeriti milites de præmiorum tenuitate murmurarent, ac nemo extra legitima ſtipendia arma ferre vellet, decretum eſt vt cohortium prætorianorum militibus, poſtquam annos ſedecim meruiſſent, viritim vicena millia nummum; reliquis, exactis militiæ viginti annis, duodena darentur. πεντακισχιλίας δραχμάς. τρισχιλίας.

VI. *Tiberius Germaniã repetit.* Initio veris Tiberius Germaniam repetiit, quo eum imperij tutela reduxit; in cuius mediis finibus ad caput Iuliæ fluminis (Lipſius Lupiæ mauult) digrediens princeps hyberna locarat. Pro dii boni quanti voluminis opera inſequentiæ ſtate ſub duce Tiberio Cæſare geſſimus? Perluſtrata armis tota Germania eſt, victæ gentes pene nominibus incognitæ; receptæ Cauchorum nationes, omnis eorum iuuentus infinita numero, immenſa corporibus, ſitu locorum tutiſſima, traditis armis vna cum ducibus ſuis, ſepta fulgenti armatoque militum noſtrorum agmine, ante Imperatoris præcubuit tribunal. *Quæ ibidẽ geſſerit.* Hæc & plura Velleius, nimium in Tiberii gratiam aucupandam effuſus. Qui paulo poſt huius anni geſta concludens. Victor omnium gentium, locorumque quos adierat Cæſar, cum incolumi inuiolatoque, & ſemel tantummodo, magna cum clade hoſtium, fraude eorum tentato exercitu, in hyberna legiones reduxit; eadem qua priore anno feſtinatione vrbem petens. Sic Velleius. At Dio l.55. ſub fi. verius vt arbitror, ait Tiberium frequenter ſolitum ab adminiſtratione bellorum, quoties liceret in Vrbem commeare, partim ob negotia quædam, potiſſimum vero metuens, ne quem ipſi abſenti alium Auguſtus præferret.

VII. *Res Iudaica. Nouus Pontifex.* Ad hunc annum conſequenter illa fortaſſe Iudaica Ioſephi pertineant. [b] Nouum etiam, inquit, vicum conditum à ſe denominauit Archelaida. b l.17.c.15.

Retulimus ad hunc Chriſti annum nouum Pontificem Onuphrii Chronicũ ſecuti, qui Chriſti anno ſexto, Ieſum Siæ filium Pontificem ponit, quoniam nihil certi à Ioſepho ea de re ſcriptum eſt. Nec Eleazarus inquit, diu ſacerdotio potitus eſt, ſubrogato in viuentis locum Ieſu Siæ filio. Hæc Ioſephus. [c] ὁ ζῶντι ἐν τῇ ἱερωσύνῃ. c l.17.c.15.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 4058.

1.N.II. Simile eiuſdem Auguſti exemplum Clementiæ narrat Dio, l.56. Zorocottam, inquit, quendam latrocinus in Hiſpania nobilem, primum tanta perſecutus eſt ira, vt præmiũ ei, qui viuum ſibi adduxiſſet, decies ſeſtertium (πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας) promiſerit, deinde vltro ad ſe venientem, neque pœna affecit, & ea quam dixi pecunia, quæ valet 50. millibus Francorum Gallici æris, ditauit.

2.N.III. Et fortaſſe propter tam inſignem clemenmentiam iterum Pater patriæ appellatus eſt; Nam Onufr. in faſtis an. 758. ait id contigiſſe Cinna Magno & Meſſala Coſſ. Nimirum quod Sueton. l. 2. c. 58. ſcribat hanc ſalutationem a Senatu Auguſto miſſam per Valerium Meſſalam: quaſi ſcilicet tum Conſul eſſet. Itaque viſum Caſaub. ibid. Verum id ego libentius retulerim ad an. V. C. 741. quando contigit Cæſaris Auguſti reditus ex prouinciis, ſub quem reditum eam ſalutationem factam eſſe non obſcure Tranquillus eodem loco c. 57. ſignificat. Quo ipſo tempore, moriente Lepido, factus eſt Auguſtus Pontif. Max. Vtrumque aperte confirmatur ex veteri inſcriptione, quæ Seduni in Valeſia viſitur, quam refert & deprauat Caſaubon. Ea ſic habet

P. Caesari. Divi i.
vgvsto Cos. xi.
ribvnicia potestate xv.
Patri Patriæ.
tifici maximo
---as sedvnorvm
---Patrono.

Caſaubonus ita ſupplet, & mutat.

Imp. Caesari Divi Ivli F.
Avgvsto Cos. xiii.
Tribvnicia Potestate xxiix.
Patri Patriae
Pontifici Maximo
Civitas Sedvnorvm
Patrono.

Errat autem quod negat Auguſtum fuiſſe Pont. Max. xi. ſuo Conſulatu. Nam factus eſt Pont. M. a. v. c. 740. vt ſuo loco diximus, id eſt decem annis poſt xi. Conſulatum, & 7. ante 12. Conſtat autem duraſſe denominationem vndecimi Conſulatus, donec duodecimum iniret: itaque male mutat Coſ. xi. in xiii. Errat 2. quod ponat audacter 28. tribuniciæ poteſtatis, cum is annus, quo reuertens ab longinqua expeditione Auguſtus tot titulis honoratus eſt, quo Meſſala cũ Sulpitio Quirino Conſul fuit, xi. tantum fuerit Tribun. pot. vt Sigon. & Onuph. in faſtis habent. Errat 3. quod cum inſultet aliis emendatoribus, & ſe ex fide & veritate hiſtoriæ corrigere dicat, nulla ex hiſtoria deprauationem cõfirmet: nullam enim profert cauſam vel occaſionem dati hoc tempore nominis Patris Patriæ. Et potuiſſet afferre ſaltem infirmam illam de venia data Cinnæ, aliiſque coniuratis, & inſuper duce eorum facto Conſule: quod ego ſupra diuinabundus dixi in gratiam Onuphrii, qui ſub hoc Meſſala Patriæ Patrem ſalutatum fuiſſe dicit, cum id probabilius ſit, vt oſtendi, ſub altero Meſſala, ante 17. annos contigiſſe.

Drachmas pro denariis ponit interpres, & ſingulis quatuor ſeſtertios nummos attribuit, quorum ſinguli ſi vno ſolido Turon. valent vt Cenali placet (qui drachmas tribus ſolidis cũ dimid. æſtimat, denarios 4. ſolidos ex eo ſequitur Prætorianis mille libras Tur. reliquis ſexcentas in præmium fuiſſe promiſſas. 3.N.V.

ANNVS MVNDI 4059. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI AN. 7. B. VIRG. 22. IMPER. ROM. 54. AVGVST. 49. ARCHELAI 7. Herodis Antipæ, et Philippi Tetrarchar. 6. Iesv Pontif. 2. Præsid. Syr. Qvintil. Varo, Olymp. CXCVI. an. 2. Vrb. Cond. 758. Coss. M. Æmylio Lepido, et L. Arvntio. Ann. Ivl. 51. Avggvst. 35. Actiac. vict. 37.

ÆRÆ CHRISTIANÆ ANNVS 6.

I. *Fames Romæ perſeuerat.* FAMES, quam præcedentibus Conſulibus coortam dixit Dio, hoc anno ita auctam tradit, vt gladiatores, mancipiaque venalia, vltra 650. ſtadia ab vrbe reiecta fuerint, multoſque ex ſuis famulis cum alii, tum ipſe Auguſtus ablegauerint, iuſtitium indictum fuerit, permiſſumque ſenatoribus, vt quo vellent proficiſcerentur. Eadem fere habet Sueton.ᵃ vt ſupra notauimus. Meminit idem Romanæ famis c.70. ſed tempus incertum eſt. Euſeb. in Chronico græco, ad huius anni Conſules, de eadem fame ſcribit. Fames Romæ accidit, vt modius aureis 27. venderetur. At in Latina D. Hieronymi verſione, quæ hanc famem recte refert ad 49. Auguſti, & conſentit annus Olympiadis, legitur, fames Romæ ita ingens facta, vt quinque modii venderentur denariis 27. & ſemis, ſiue 5. Francis Turon. cum dimidio, id eſt 22. nummis ſeſtertiis, ſiue ſolidis noſtratibus modii ſinguli; quæ ſi caritas fuit, oportet valde exiguam fuiſſe menſuram modii: aut magnam fuiſſe ordinariam rerum venalium vilitatem. *Romæ ordinaria vilitas.* Idque coniici poteſt ex eo, quod ait M. Tul. in off. non fuiſſe vitio datum M. Seio, quod in caritate modium aſſe populo dederit, id eſt eodem, aut minori pretio, quam in rerum copia. Poſſet fortaſſe non male ex Græca & Latina lectione vna conflari, vt legeretur, quinque modios (puta tritici, cuius ſinguli modii à Villalp. t.3. 24. libras ponderare creduntur) venditos fuiſſe 27. aureis & ſemis, id eſt, ſingulos modios aureis quinque cum dimidio.

a l.2.n.42.

Λιμὸς ἐν Ῥώμῃ γέγονεν, ὡς πραθῆναι μόδιον χρυσίνων. κ.ζ.

II. *Inſtitutio Ærarii militaris.* CVM annuo reditu indigeret Auguſtus, in emeritorum militum præmia, deque eo Senatus conſultus nullam idoneam expediret viam, Auguſtus pro ſe & Tiberio pecuniam in ærarium intulit, quam appellauit militarem, eiuſque adminiſtrationẽ prætoriis tribus ſorte lectis ad triennium mãdauit &c. De ea pecunia pluribus Dio in hunc annum: vbi addit poſtremo inſtitutum, vt 20. pars hæreditatum & legatorum, exceptis iis, quæ proxime genere iunctis, ac pauperibus relinquebantur, in ærarium militare inferrentur. *Incendia Romæ.* Incendiis quoque vaſtata eſt vrbs hoc anno, vt propterea libertinos ſeptem curandis incendiis conſtituerit Auguſtus, quibus equitem præfecit. Sicque plebs incendiis, tributo, fame afflicta tumultuabatur. Nec ante hi tumultus in Vrbe conſederunt, quam annone difficultate finita, Germanicus Cæſar, & Tib. Claudius Nero, filii Druſi, in honorem patris munus gladiatorium præbuerunt.

III. *Trepidatio à Marcomãnis.* PONIT deinceps Velleius res à Tiberio geſtas contra Marcomannos, Maroboduo duce, quo cum Pannonia & Dalmatia belli ſocietate inita, diu meditata arma corripuit, & partim in Macedoniam erupit, partim ſuis ſedibus præſidio erat, partim Italiæ imminebat; adeo vt territus Auguſtus in Senatu dixerit, decimo die, ni caueretur, poſſe hoſtem in vrbis Romæ venire conſpectum. Contra eos variis in locis partim à Tiberio, partim à Sentio Saturnino, partim à Meſſala Conſularibus viris fœliciter pugnatum eſt; quæ fuſe, & propedicam confuſe Velleius. Vide etiam Dionem, in huius anni Conſulibus; ad quos cum

referat relegatum Archelaum, quem vocat Herodem Palæſtinum, certum eſt eum non exacte vbique res geſtas ad ſua tempora reuocare; & hoc eius erratum notauit quoque Scalig. in Euſeb.[a]

a an.2019.

Qvo ſit vt dubitem an Cornelii Coſſi res geſtas contra Gætulos latrocinātes huc referre debeam; Sed referamus ſane, quoniam nihil habemus certius. Gætuli, inquit, Iubæ regi infeſti, & iniquè ſimul ferentes non Romanos ſibi præeſſe, contra eum inſurgentes finitima vaſtarunt, multoſque Romanos, cum exercitu contra ſe profectos, interfecerunt: Denique adeo creuere viribus, vt propter ipſos ſubactos Cornelius Coſſus triumphalibus honnoribus, & cognomento Gætulici ornatus fuerit. Muſulanos & Gætulos, ait Florus [b] accolas Syrtium, Coſſo duce compeſcuit Auguſtus, vnde illi Gætulici cognomen. Videtur Iuba in eo prælio, quo Gætuli ſuperiores fuerunt, occidiſſe; Nam hoc tempore mortuum fuiſſe, & eius vxorem Glaphyram regis Cappadociæ Archelai filiam, ad patrem reuerſam, & tertiis nuptiis ab Archelao Iudæo Ethnarcha ductam author eſt Ioſephus.[c] — IV. *Res in Gætulos geſta.*

b c.vlt.l.4.

c l.17.c.15.

Contempto, inquit, *more patrio, Glaphyram Archelai regis filiam, olim Alexandri fratris ſui coniugem, & liberorum ex illo ſuſceptorum matrem duxit: quamuis Iudæi lege vetentur fratrum vxores ducere,* niſi ſuſcitandi ſeminis gratia, fratre ſine liberis defuncto. Pluribus hac de re agit l.2. de Bello, c.6. Vbi ait Glaphyram, occiſo ab Herode Alexandro, Iubæ regi Libyæ nupſiſſe, ſiue Mauritaniæ, vt eſt in lib.17. Antiq. ſub finem, ſiue Gætuliæ, vt eſt apud Dionem. Eoque defuncto domum reuerſam, domique apud patrem in viduitate degentem (ad longam enim ſenectutem vitam protraxit hic Cappadociæ rex) Ethnarchæ Archelao ita gratam fuiſſe, vt ſtatim Mariamne repudiata, eam ſibi copularet vxorem. Sed eam mox in ſomnis ab Alexandro mortuo increpitam incontinentiæ, vix biduum ſuperuixiſſe. Eadem habet Gorionides.[d] — V. *Noua Archelai nuptiæ.*

d l.5.c.44.

ANNVS MVNDI 4060. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI AN.8. B. VIRG. 23. IMPERII ROMANI 55. AVG. 50. ARCHELAI 8. Antipæ, et Philippi Tetrar.7. Iesv Pontif 3. Præside Syr. Varo, Olymp. cxcvi. 3. Vrb. Cond. 759. Coss. Q. Cæcilio Metello Cretico, et A. Licinio Nerva. anni Ivlian. 52. Avgvst. 36. Act. victoriæ 38.

ANNVS ÆRAE CHRISTIANÆ 7.

CVM Tiberius in Syſcia Pannoniæ, cum Meſſalino diutius cōmorari videretur, nec hoſtes crebris inſultibus ſociorum agros inuadentes, prompte debellaret, ſuſpicari cœpit Auguſtus (vt ait Dio his Coſſ.) Tiberium Conſulto bellum trahere, quo diutius in armis eſſet. Itaq; Germanicum eo miſit Quæſturam tum gerentem; additis ei militibus, non ingenuis modo, ſed libertis etiam, cum aliis, tum quotquot à viris & mulieribus ſeruos, ſex menſium annona, pro eorum pretij ratione, redemerat, ac manumiſerat. Propter belli huius apparatum equitum luſtrum diſtulit, ludoſque magnos vouit: & paulo poſt, de neglecto Agrippa ſic ait. — I. *Tiberius in Pannonia.* *Auguſtus eo Germanicū mittit*

Qvod autem Germanicum non Agrippam ab bellum miſit, Agrippæ ſeruiles mores in cauſa fuerunt, ſoliti fere piſcari, vnde ſibi ipſe Neptuni nomen ſumpſerat, itaque vti præcipiti, Iuliamque quaſi nouercam conuitiis proſcindere, ipſumque ſæpius Auguſtum, propter bona patris inſimulare. Itaque cum — II. *Agrippam abdicat, ac relegat.*

Agrippa ivnior rilegatvr.

finem nequitiæ non faceret, abdicatus ab Auguſto, facultates eius in ærarium militare relatæ, ipſe in Planaſiam, Corſicæ propinquam inſulam, eſt relegatus. Liuiam pro Iulia Lipſius ſubſtituit, apud Tacitum, qui de hoc Agrippa agens[a] & Liuia, Senem, inquit, Auguſtum deuinxerat adeo, vti nepotem vnicum Agrippam poſthumum in inſulam Planaſiam proiiceret, rudem ſane bonarum artium, & robore corporis ſtolide ferocem; nullius tamen flagitii compertum. Addit etiam duriora Suetonius,[b] Agrippam nihilo tractabiliorem, imo in dies amentiorem, in inſulam tranſportauit, ſepſitque inſuper cuſtodia militum. Cauit etiam S.C. vt eodem loci in perpetuum contineretur.

[a] l. 1. Annal. ſub init.

[b] l. 2. c. 65.

III. *Eadem hiſtoria ex Velleio.*

Addo denique Velleium; Hoc fere tempore Agrippa, qui eodem die quo Tiberius adoptatus ab auo ſuo naturali erat, & iam ante bienniũ qualis eſſet apparere cœperat, mira prauitate animi, atque ingenii in præcipitia conuerſus, patris, atque eiuſdem aui ſui animum alienauit ſibi, moxque creſcentibus in dies vitiis, dignum furore ſuo habuit exitum. Hæc quoque Velleius in Tiberii gratiam qui eum interfecit, ſtatimatque rerum potitus eſt, vt ſuo loco dicetur. Non repugnat Tacito aut Dioni Tranquillus,[c] cum ait Agrippam ſepoſitum ab Auguſto Surrenti, quæ vrbs in Piceno eſt ad mare Tyrrhenum. Ibi enim ad tempus aliquod manſit, moxque cum in dies euaderet amentior, in dictam denique inſulam ablegatus eſt. Et ſuſpicari licet hominem ex adultera muliere natum, alio quopiam ab Agrippa genitum parente.

[c] l. 2. c. 65.

IV. *Res Germanica anni huius.*

Qvanta autem fuerit in exercitu Tiberii in militem charitas, prudentia, omneſque Imperatoriæ virtutes, pluribus agit Velſeius, vt laudatio potius quam hiſtoria videatur. Dio Germanicum in Pannoniam veniſſe, eoque vndique exercitus confluxiſſe, contractis in vna caſtra decem legionibus, 70. amplius cohortibus, 14. (alis addit Lipſius, de equitibus) ſed pluribus quam decem veteranorum millibus, adhæc magno voluntariorum numero, frequentique equite regio, tanto denique exercitu, quantus nullo vnquam loco poſt bella ciuilia fuerat, vt ait Velleius. Dio nihilominus ait nihil admodum memorabile à cæteris ducibus, quoniam diuidi placuerat copias, hoc anno geſtum fuiſſe, Germanicum Macæos gentem Dalmaticam, pugna victam damnis affeciſſe.

ANNVS MVNDI 4061. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI AN. 9. B. VIRG. 24. IMPER. ROM. 56. AVGVST. 51. ARCHELAI 9. Herodis Antipæ, et Philippi Tetrarchar. 8. Ioazar. II. Pont. Præsid. Syr. Qvintil. Varo, Olymp. CXCVI. an. 4. Vrb. Cond. 760. Coss. M. Fvrio Camillo, Sex. Nonio Qvintil. Ann. Ivl. 53. Avggvst. 37. Actiac. vict. 39.

ÆRÆ CHRISTIANÆ ANNVS 8.

I. *Ratio temporis principatus Archelai.*

ARCHELAVM nono principatus ſui anno deiectum principatu, pulſum in exilium, ſcribit Ioſephus.[d] Idque ſecutus eſt Euſebius in Chron. Verum tota hæc Chronologia apud eum turbata eſt, propter male digeſtos Herodis annos, vt ſupra dicebamus; ideoque mortem Auguſti, & Archelai exilium fere coniungit, cum plus quadriennio diſtent. Ioſephus autem ſe ipſe corrigens,[e] ait anno decimo accuſatum eſſe apud Cæſarem, & euocatum

[d] l. 2. bel. c. 6. ἔτει τῆς ἀρχῆς ἐννάτῳ φυγαδεύεται.

[e] l. 17. c. 15.

Romam, ibi à Cæſare fuiſſe exilio damnatum; ſed rectius vtrobique dicturus erat, ſi anno nono accuſationem factam, decimo pœnam diceret irrogatam. Triplex enim nauigatio è Syria in Italiam, præſertim ſi hyeme ceſſetur, facile annum conſumit, vt nihil grauioris negotii agendum ſit.

II. *Finem eius eſſe anni ſequentis.*

Itaqve exiſtimo hoc anno profectos accuſatores in Italiam, Archelaum apud Cæſarem accuſaſſe. Tū iuſſu Cæſaris veniſſe in Iudæā qui Archelaum acceſſerent ad Auguſtum Romam; qui cum ſub hyemem Hieroſolymam peruenissent, Archelaum ſub Paſcha, & initium anni decimi regni ſui Romam deduxerunt; vbi Auguſtus locutus eſt cum eo iudicia. Confirmat hanc temporis contributionem annus 37. Auguſtorum, qui inchoatur hoc anno menſe Auguſto, & finitur ſequenti: ante cuius finem Quirinius Ieroſolymam venit, & Archelai bona fiſco addixit, Archelaus vero Viennam deportatus eſt. Videat autem prudens lector, ne fallatur, præcurrente ad lapſum Ioſepho, [a] cum ait hæc incidiſſe in annum 37. poſt victum à Cæſare in Actiaca pugna Antonium. Nam reuera eſt 39. inchoatus, vt præfert index anni huius, & ſeries ipſa ſingulorum annorum. Verum Ioſephus, reliquique Iudæi Ægyptiorum more numerabant, nimirum à morte Cleopatræ, & occupata Alexandria, vt diximus in anno ante Christum 28. quamuis inter vtramque Epocham biennium ferme interiectum eſſet.

a l. 18. c. 3.

III. *Ioazarus Pontifex.*

Cæterum reſtituimus Pontificatui Ioazarum, id exigente Ioſepho, [b] vbi ait deſcriptionem à Quirinio ſine tumultu factam, opera & authoritate Ioazari Pontificis. Recuperauerit autem dignitatem Archelao, vel permittente, vel abſente; qua tamen mox iterum ſequenti anno priuatus eſt.

b l. 18. c. 1.

Archelaus Romæ accuſatus ab Auguſto accerſitur.

Archelao igitur nonum regni ſui annum ingreſſo, primates tam Iudęorum quam Samaritanorum non ferentes eius tyrannidem, Romam profecti, eum ad Cæſarem detulerunt, maxime cum ſcirent eum contra ipſius mandata feciſſe, à quo iuſſus fuerat ex æquo & bono præeſſe ſubditis. Hoc audito Cæſar ira commotus accerſit Procuratorem eius Romæ agentem, & ipſum Archelaum nomine, nec dignatus quidem ſcribere; Vade, inquit, & quamprimum illum ad nos adducito. Qui accelerata nauigatione in Iudæam delatus, reperit eum cum amicis in conuiuio; indicataque Cæſaris voluntate, illum ad profectionem hortatus eſt.

IV. *Somnium Archelai, vel Ioſephi.*

Hvivs mali prænuncium ſomnium habuit Archelaus de decem ſpicis, ſiue nouē, vt eſt in lib. de bello, quas vidit à bobus abſumi, quibus anni regni eius ſignificabantur, & vitæ conuerſio, ſicut à bobus terra verſatur. Quod ſomnium, ſi quis dixerit Ioſephi ipſius fuiſſe, ad ſimilitudinem Pharaonici expreſſum, non admodum repugnante me dixerit. Huiuſmodi enim ſomnium inſtar Prophetiæ erat, dicente Domino. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. At Prophetiæ iampridem apud Hebræos ceſſarant, niſi quę iam ad lucem Euangelicam pertinebant, vt Zachariæ, & Ioannis Baptiſtæ. Itaq; hoc ſomnium ſi verum fuit, humanum potius, quam diuinum fuit, & facile eſt poſt rem geſtam cudere vaticinia. Fictori autem ſomniorum quid fieret, vide in Deuteronomio. [c]

Num. 12. 6.

c c. 13. 1. 5.

V. *Varus Iudæam Syriæ contribuit.*

Videtvr autem eadem opera Cæſar, ad præſidem Syriæ Quintilium Varum literas, & mandata dediſſe, vt Iudæam ditionem Archelai, prouinciæ Syriæ contribueret. Nam Quirinius ſequenti anno Varo ſuccedens, id iam factum inuenit, vt non ſemel affirmat Ioſephus: etſi id dilatum crediderim, vſque ad profectionem Archelai ex Iudæa; vt ille re domi integra Romanam profectionem minus formidaret, nihilque moueret. De Varo autem è Syria decedente, non pigebit illud ex Velleio [d] deſcribere. Varus Quintilius illuſtri magis quam nobili (id eſt, antiqua, patritiorū ſcilicet ortus familia, vir ingenio mitis, moribus quietus, vt corpore & animo immobilior, otio magis caſtrorum, quam bellicæ aſſuetus militiæ; pecuniæ vero quam non contemptor, Syria cui præfuerat declarauit; quam pauper diuitem ingreſſus, diues pauperem reliquit, &c.

d l. 2. c. 117.

Eius mores.

VI. *Res in Pānonia, & Dalmatia geſta.*

His Coſſ. inquit Dio, [e] Pannonij, & Dalmatæ pacem expetiuere, fame primum, deinde morbis inde ſecutis confecti, quo minus tamen peterent, per eos fiebat, qui nullam ſpem ſalutis reliquam apud Romanos habebant, cum inte-

e l. 55. extre.

rea Germanicus validam obſideret vrbem, miſſili ſaxo in murum coniecto ita pinnas concuſſit, vt ſtatim cum viro eis incumbente corruerint. Id ſic perterruit reliquos, vt muris relictis in arcem confugerint, ac poſt ſeſe, & eam ipſam dediderint.

Prætores prouinciarum Rom. prædones.

CVM autem etiam Bato, qui concitatis ad rebellionem Dalmatis, multum damni Romanis intulerat, tandem aliquando per tranſactionem Tiberio ſe dediſſet; ac poſtridie ad eum in tribunali ſedentem adductus eſſet, interrogauit Tiberius, quid ita deficere, ac tantum temporis rebellare Romanis ſtatuiſſent. Vos, reſpondit Bato, in culpa eſtis ipſi, qui ad veſtros greges cuſtodiendos non canes paſtoreſue, ſed lupos mittitis. Ita Dalmatia partim bello, partim pacificatione ad Romanos rediit. Veriſſimile Bato hic, eaque exprobatio ſexcentis exemplis comprobari poſſet, eorum maxime qui Iudæis proximis temporibus præfuerunt, & gentem ad defectionem perpulerunt, & bellum, quo funditus deleta, atque exciſa eſt. De re porro Dalmatica pluribus Velleius, ſed laudatione magis Tiberii, quam hiſtoria inſtituta.

VII. *Auguſtus bello intentus. Exit ab vrbe.*

ADDIT Dio, bellorum adminiſtrationi ita intentum fuiſſe Auguſtum, vt cauſarum cognitione, aliiſque negotiis in Senatum reiectis, ipſe Ariminum ſe contulerit, quo propius quæ in Pannonia & Dalmatia gererentur acciperet, & quæ gerenda eſſent præſcriberet. In eius ab vrbe exitu vota nuncupata, ac redeunte ſacrificatum, tanquam ſi ab hoſtico rediiſſet. Ex quo etiam ſuſpicari merito poſſumus, quod ad rationem temporis attinet, neque hoc anno Romam Archelaum veniſſe, neque eius cauſam ab Auguſto iudicatam.

ANNVS MVNDI 4062. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI AN. 10. B. VIRG. 25. IMPER. ROM. 57. AVGVST. 52. ARCHELAI 10. ET VLT. ANTIPÆ, ET PHILIPPI TETRARCHAR. 9. ANANI. PONT. I. PRÆSID. SYR. QVIRIN. I. IVDÆÆ COPONIO I. OLYMP. CXCVII. AN. I. VRB. COND. 761. COSS. Q. SVLPITIO CAMERINO, ET C. POPPÆO SABINO. ANN. IVL. 54. AVGG. 38. ACTIAC. VICT. 40.

ÆRÆ CHRISTIANÆ ANNVS 9.

I. *Ratio temporis. Ortus Veſpaſiani.*

FIRMAT hos Conſules, & Imperii Auguſti annos Tranquillus, [a] cum Veſpaſianum Imperatorem natum, ait in Sabinis 15. Cal. Decembris, veſperi, Q. Sulpicio Camerino, & C. Poppæo Sabino Coſſ. quinquennio antequam Auguſtus excederet. Hic ille dux eſt, quē Chriſtus Dominus ad vltionem inimicorũ ſuorum deſtinauerat. Hoc denique anno Iudææ Ethnarcha Archelao in ordinem redacto, atque adeo in exilium deportato, Iudaicus populus conſecutus eſt, vt non haberet regem, niſi Cæſarem: Iudæa, quæ ad Archelaum pertinebat, Syriæ prouinciæ contributa, vt illi pridem ab Auguſto ſolenni legatione petiuerant, [b] cum apud eum de Archelao patri Herodi in regnum ſufficiendo ageretur, vt ſupra ex Ioſepho. [c] Aliis interea duobus Herodis filiis Philippo & Antipa, qui & Herodes dictus eſt, [d] in ſua ditione & Tetrarchia perſeuerantibus, illo Traconitidis & Batanææ, iſto Galilææ; idque ad multos annos, vt ex Euangelio conſtat. Archelai ſcilicet malo facti ſunt, vt parerat, ſapientiores.

Archelai clades.

a l. 8. c. 1.
b an. 1. Æræ Chriſt. n. 15.
c l. 17. c. 11.
d Ioſeph. l. 2. c. 8. Luc. c. 3.

Nugatur

a l. 5. c. 44.

II. *Ex Gorionide.*

Nvgatvr Gorionides hoc loco:[a] Nam cætera quidem de ſomnio Archelai & Glaphyræ, eadem fere cum Ioſepho ſcribit, at de Archelai profectione, & cæteris, longe aliter: *Factum eſt*, inquit, *poſt quinque dies, vt aſcenderet contra eum exercitus Cæſaris Imperatoris* (hoc primum mendacium) *& ligaret eum catenis* (hoc eſt alterum) *duceretque Romam, vbi & mortuus eſt*, (hoc tertium; quartum autem *regnauitque Antipas frater eius poſt ipſum, verſo nomine Antipæ in Herodem.* Non enim fratrẽ habuit regni ſucceſſorem, (licet id videatur ſenſiſſe Euſeb. in Chron. quẽ D. Hieron. in c. 1. Matth. ſecutus eſt,) ſed fiſcum Romanum, & Iudææ Procuratores ab Imperatore miſſos. Herodes autem, ſiue Antipas frater Archelai, in ſua Tetrarchia perſeuerauit, etiam tempore paſſionis Chriſti, ipſum irriſit, & Pilato reconciliatus eſt.

Antipas non ſucceſſit Archelao.

b l. 17. c. 15.

III. *De Archelao Augusti iudiciũ.*

Ipsam ergo Archelai calamitatem recenſeamus, de qua hæc tantum Ioſephus.[b] *Mox vbi venit Romam*, ſcilicet Archelaus, *Cæſar auditis eius accuſatoribus, & ipſius defenſione, miſit eum Viennam in exilium, quæ eſt vrbs Galliæ, mulctatum prius omni pecunia*, quam ſcilicet habebat Hieroſolymis reconditam, *ſimulque ditione omni*, id eſt, Iudæa proprie dicta, quæ Tribum Iuda & Beniamin continebat, & Samaria atque Idumæa,[c] Et poſtea, *Cæterũ ditione Archelai contributa Syriæ*, (vtique à Varo, qui in ea Præſidem adhuc egerat) *miſſus eſt illò à Cæſare vir Conſularis Quirinius*, ex anno 741. collega Valerio Meſſala, *qui cenſum ageret per Syriam, & ipſius Archelai domum venderet.* Et rurſum initio.

c l. 17. c. 13. & c. 15. fi.

Iudæa Syriæ contributa.

libri 18.

IV. *Cenſus Quirinii poſterior, cum Coponio.*

Interea Quirinius Senator Romanus, per omnes honorum gradus ad Conſulatum vſque prouectus, & in primis clarus, à Cæſare mittitur in Syriam, vt iura populis redderet, facultateſque cenſeret omnium, (altera ſcilicet cenſione, poſt eam, quam decennio ante fecerat.) *Et cum eo venit Coponius, præfectus turmæ equitum, penes quem eſſet totius Iudææ rerum adminiſtratio*, (qui tamen ſuperiorem agnoſceret ipſum Syriæ præſidem; ideoque[d] Iudææ Procurator tantum appellatur; idque ſatis indicant quæ ſequuntur) *Quin & ipſe Quirinius in Iudæam venit, iam attributam prouinciæ Syriæ, vt percenſeret facultates eius regionis ciuium; & Archelai pecunias in ſuã poteſtatem redigeret.* Illi vero tametſi primũ ægre ferrent mentionem deſcriptionis; nõ ſunt tamen reluctati pertinaciter, parendo authoritati Pontificis Ioazari, qui Boëthi fuit filius; atque ita illius ſuaſu ſine controuerſia cenſus per actus eſt.

d l. 2. bel. c. 7.

e l. 18. c. 3.

V. *Ananus Pontifex.*

Nec tamen à Romanis obtinuit, vt dignitatẽ paulo ante recuperatam retinere poſſet. Nam vt ſcribit Ioſephus.[e] Quirinius venditis & confiſcatis Archelai facultatibus, peractoq; cenſu, qui incidit in ann. 37. (labentem ſcilicet, aut exeuntẽ, vt dixi ann. præced.) poſt victũ à Cæſare in Actiaca pugna Antoniũ; cum mota eſſet contra Ioazarum Pontificẽ plebis ſeditio, priuauit eũ hac dignitate, & Ananum Sethi filium ſubſtituit. Non eſt Ananus hic quẽ Annam Euangeliſtæ nominant, ad illud enim tempus Pontificatũ non adminiſtrauit. Facile autem agnoſci poteſt quam turbatus eſſet Iudæorum Pontificatus hoc tempore, quo iam natus erat magnus ille ſacerdos, & Pontifex, cuius æternum erat ſacerdotium, qui vicarios haberet in terris, ſucceſſorem autem neminem.

VI. *Augusti oratio pro matrimonio. Eiuſdẽ Libido.*

Notabilis eſt hic annus oratione Auguſti Cæſaris, tum in laudẽ eorum qui legitimo matrimonio iuncti eſſent, aut liberos ex eo procreaſſent; tũ in eorũ accuſationẽ, qui eo neglecto vagas libidines, prætextu cõtinentiæ ſectarentur, nec legitimam prolem Reip. ſufficerent. Idq; verum eſſe, quidquid ſectarii garriant, oſtendũt illa verba. *Neq; enim*, inquit, *ita ſolitudine delectamini, vt abſq; mulieribus degatis, cũ quilibet veſtrũ menſæ ac lecti ſociam habeat, ſed licentiam libidini, ac laſciuiæ veſtræ exercendæ quæritis.* Iſti autem partim alias delicias quærebant, partim ſi qua forte concubina concepiſſet, aut fœtum medicamentis abigebant, aut etiam partum educi prohibebantne: ſcilicet afficeretur moleſtia, vel ſumptibus grauarentur: exponebant enim, vel interficiebant: à qua culpa non plane alienus ipſemet Auguſtus fuit.[f] Ex nepte Iulia, inquit Tranquillus, poſt damnationem editum infantem agnoſci, aliq; vetuit.

f l. 2. c. 65.

VII. *Veſtalibus & Virginitati fauet*

Qvoniam vero quidam exemplo ſe Veſtalium tegebant, non improbauit ille ſacram Deo Virginitatem & continentiam; imo commendauit, ac præmiis affecit. Nam vt eodem loco teſtatur Dio, Cæſar iis quæ perpetuam Virginitatẽ

ſeruarent, eadem quæ matribus præmia largitus eſt, quin & eorum collegium lege lata tutatus eſt, cum permiſit, vt etiam libertinæ Virgines, id vitæ inſtitutum ſectari poſſent, vt anno 757. ex eodem Dione diximus. Sed impuram & infœcundam libidinem hypocriſi velatam caſtigandam duxit; nam addidit. Ergo ſi pudicitiam non ſeruaueritis, itidem vt illæ ſupplicio afficiendi eſtis: eodemque pertinet illa Taciti querela in Tiberii principatu: nec ideo coniugia & educatio liberûm frequentabantur, præualida orbitate.

VIII. *Romana clades in Dalmatia.* Dvm hæc Romæ aguntur, inquit Dio l. 56. Romani ad Rhætinum Dalmatiæ vrbem, cum Germanico profecti damnum tulere. Cum enim hoſtes reſiſtendo non eſſent, ignem in mœnia, & iis vicina ædificia iniecerunt, prouidentes ne is ſtatim effulgeret; quo facto ſe in arcem receperunt. Eius rei ignari Romani cum irrupiſſent, intra ignis ambitum deuenere, neque eum prius viderunt, toti animo in hoſtes intenti, quam vndique ab eo circumdati, ſupremum diſcrimen adierunt, cum deſuper ab hoſtibus telis opprimerentur, vt neque ibi ſubſiſtere neque inde elabi, aut immiſſa tela, aut circumfuſa flamma pateretur. Itaque multi ibi periere, quibus in ignem coniectis quaſi pontibus vſi, nonnulli ſemiuſtulati euaſerunt, & inualeſcens incendium, hoſtem quoque ex arce eiectum, in loca ſubterranea compulit.

IX. *Res ibidem à Tiberio geſta.* Cvm bellum extraheretur, Auguſtus Tiberium iterum in Dalmatiam miſit. Is cum videret milites moræ iam impatientes, etiam cum periculo bello finem petere, veritus ne coniuncti ſeditionem excitarent, eos copiis tripertito diuiſis vnam Silano, M. Lepido alteram dedit: cum reliqua ipſe, & Germanicus ſe aduerſus Batonem contulerunt. Silanus & Lepidus haud difficulter ſuos aduerſarios domuerunt. Tiberius autem omnem fere peruagatus eſt regionem, Batone in diuerſa loca diſcurrente, quem tandem in Auderio caſtello alioqui inexpugnabili, partim induſtria, partim fœlicitate, multiſque vtrimque amiſſis, deditione recepit, vt pluribus à Dione narratur: qui addit de Arduba caſtello a Germanico contra perfugarum & mulierum pertinaciam occupato, vbi mulieres, quæ contra virorum ſuorum ſententiam libertatis cupidæ perfugis fauerant, arreptis liberis aliæ in ignem, aliæ in flumen præcipitauere ſeſe;

X. *Tiberii & Germanici victoria. Et honores* Inde vicinis locis deditionem facientibus, Germanicus ad Tiberium rediit, ad quem etiam Bato, filio vſus internuncio, deditîtius venit, & eadem quæ antea de lupina præfectorum feritate, qua ad defectionem cogerentur, exprobauit.

Hoc modo id bellum iterum confectum eſt, quod Romanis magna hominum, maxima pecuniæ iactura ſtetit. Victoriæ nuncium attulit Germanicus, eiuſque ergo Auguſto & Tiberio nomen imperatorium auctum, & triumphus decretus, & arcus duo triumphales in Pannonia. Hæc enim ex multis vtrique decretis Auguſtus admiſit: tum & Germanico, aliiſque ducibus, inſignia triumphalia, aliique honores, & priuilegia conceſſa.

XI. *Tempus Varianæ cladis.* Variana clades hunc quoque annum inſignem facit. Autor Dio l. 56. qui cum exponeret quæ ſub huius anni Coſſ. geſta eſſent, quæque Romæ in honorem victorum decreta fuiſſent, ſubdit. His recens decretis aduerſus ex Germania nuncius allatus, triumphos eorum impediit. In eodem enim tempore in Germania hæc contigere, &c. Autor Sueton.[a] Vbi agit de rebus à Tiberio in Illyrico per triennium geſtis, in magnis rerum omnium difficultatibus, eiuſdemque in vrgenda victoria perſeuerantia, quamuis ſæpius reuocaretur; Ac perſeuerantiæ, inquit, grande precium tulit, toto Illyrico quod inter Italiam, regnumque Noricum, & Thraciam, & Macedoniam, interque Danubium flumen, & ſinum maris Adriatici patet, perdomito, & in deditionem redacto. Cui gloriæ amplior adhuc ex opportunitate cumulus acceſſit. *Tiberius Illyrici victor* *a l. 3. c. 16.*

XII. *Eadem clades ex Tranquillo.* Nam ſub id fere tempus Quintilius Varus, cum tribus legionibus in Germania periit, nemine dubitante quin victores Germani, iuncturi ſe Pannoniis fuerint, niſi debellatum prius Illyricum eſſet. Quas ob res triumphus ei decretus eſt, multique & magni honores: triumphum ipſe diſtulit, mœſta ciuitate clade Variana. Diſtinctius etiam Velleius.[b] Tantum quod, id eſt, vix vltimam impoſuerat Pannonico, ac Dalmatico bello Cæſar manum, cum intra quinque conſummati tanti operis dies, funeſtæ ex Germania epiſtolæ, cæſi Vari, *Velleio.* *b l. 2. c. 117.*

trucidatarumque legionum trium, totidemque alarum, & ſex cohortium, velut in hoc ſaltem tantummodo indulgente Fortuna, ne occupato duce: Tiberio ſcilicet qui tum bello Illyrico vacabat.

XIII. *Res vt geſta fuerit.*

VT autem paucis rem perſtringam, quam Dio & Velleius cumulatius ediſſerunt. Quintilius Varus in media Germania, vt iamdudum in Syria, in magna negligentia ac ſecuritate viuebat, non intelligens ſe agere cum hominibus in ſumma feritate verſutiſſimis. Accedebat, vt ait Dio, ferocius in Germanos, quaſi in ſubditos imperium, & moleſta exactio pecuniarum. Cum Arminius, Sigimeri principis gentis filius, de opprimenis Romanis concilium init, in idque inſidias parat. Rem ad ſe delatam Varus; aut non credidit, aut neglexit. Quid multa? Exercitus omnium fortiſſimus, marcore ducis, perfidia hoſtis, iniquitate Fortunæ circumuentus, vt ne pugnandi quidem facultas daretur, incluſus ſyluis, paludibus, inſidiis, ab hoſte ad internecionem trucidatus eſt.

XIV. *Vari mors, & præfectorum caſtr.*

DVCI plus ad moriendum, quam ad pugnandum animi fuit, quippe paterni auitique exempli ſucceſſor, ſe ipſe transfixit. At è præfectis caſtrorum duobus alter ducis exemplum ſecutus, alter deditionis autor, ſupplicio mori maluit. Volumnius autem Vari legatus, ſpoliatum equite peditem relinquens, fuga cũ aliis Rhenum petere ingreſſus eſt: quod factum eius fortuna vlta eſt. Non enim deſertis ſuperfuit, ſed deſertor occidit: Vari corpus ſemivſtum hoſtilis lacerauerat feritas; caput eius abſciſſum, latumque ad Maroboduum, & ab eo miſſum ad Cæſarem, gentilitij tandem tumuli ſepultura honoratum eſt. Hæc fere Velleius.

XV. *Auguſti luctus.*

EA clade audita, inquit Dio, Auguſtus lacerata veſte in magno luctu fuit, veritus ne eæ gentes victoria elatæ in Italiam irrumperent. Cladem Cæſar Augu-

a l.6.c.21. ſtus, ait Oroſ. [a] adeo grauiter tulit, vt ſæpe, per vim doloris, caput parieti collidens clamaret, *Quintili Vare, redde legiones.* Nec tamen Oroſius, quod aliqui putarunt, cladem Varianam ante Chriſtum natum accidiſſe cenſuit, licet eã aliis etiam bellis percurrendis retulerit, ante quam Chriſti Natiuitatem narra-

b l.2.c.23. ret. Cæterum hæc habet Oroſius ex Tranquillo. [b] Hac clade nũciata inquit, excubias per Vrbem indixit, ne quis tumultus exiſteret, & præſidibus prouinciarum propagauit Imperium, vt & à peritis & aſſuetis ſocii continerentur. Vouit & magnos ludos Ioui Opt. Max. *ſi rem publicam in meliorem ſtatum vertiſſet*, quod factum Cimbrico Marſicoque bello erat. Adeo namque conſternatum ferunt, vt per continuos menſes barba capilloque ſummiſſo, caput interdum foribus illideret, vociferans, *Quintili Vare legiones redde*: diemque cladis quotannis mœſtum habuerit ac lugubrem. Hæc Sueton.

XVI. *Incumbit in reparandum bellũ.*

CONSTAT certe Auguſtũ omni ſtudio ac contentione, ad bellũ proximo anno Tiberio duce reſtaurandum, incubuiſſe, ſuorum pleroſque militiam recuſantes graui mulcta, & ignominia affeciſſe, Gallos Germanoſque tum Romæ agentes vrbe eieciſſe, ludos omiſiſſe, donec accepit nonnullos milites ſuperfuiſſe cladi. (Nam L. Aſprenas qui legatus ſub auunculo ſuo Varo militabat, duas le-

c l.2.c.110. giones quibus præerat, ab ea calamitate ſeruauit incolumes, vt ait Velleius,)[c] Germanias præſidio contineri; hoſtem ad Rhenum accedere non auſum, terrore liberatum eſſe, vt copioſius Dio l.56. tradidit. Tacitus tamen l.1. Ann. ait hoc bellum abolendæ magis infamiæ, ob amiſſum cum Quintilio Varo exercitum, quam cupidine proferendi Imperii, aut dignum ob præmium ſuſceptum eſſe.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 4062.

1.N.3. Herodes, inquit Hieron. in c.1. Matthæi, qui cum Pilato poſtea amicitias fecit, huius Herodis, magni ſcilicet, ſiue primi, filius eſt, frater Archelai, quem & ipſum Tiberius Cæſar Lugdunum, quæ Galliarum eſt ciuitas, relegauit, fratremque eius Herodem ſucceſſorem regni fecit. Lege Ioſephi hiſtóriam. Legatur ſane, ſed in ea Vienna habetur, non Lugdunum, nec relegator Tiberius, ſed Auguſtus: Ille enim tum aberat triennali bello Illyrico detentus, vt ait Sueto. l.3.c.16. Sed nimirum Lugdunum Vienna notius, eique vicinum.

Vide Florum l.4.c.12. Vari Quintilii libidinem ac ſuperbiam &c. & Tacitum in primis l.1. Ibi, Arminius turbator Germaniæ &c. & rurſum mox. 2.N.XIII.

ANNVS MVNDI 4063. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI AN. 11. B. VIRG. 26. IMPERII ROM. 58. AVG. 53. HERODIS ANTIPÆ ET PHILIP. TETRARCHAR. 10. ANANI PONTIF. 2. PRÆS. SYR. QVIRIN. 2. IVDÆÆ PROCVRATOR. COPONIO. 2. OLYMP. CXCVII. AN. 2. VRB. COND. 762. COSS. P. CORNELIO DOLABELLA, ET C. IVLIO SILANO. ANN. IVLIAN. 55. AVGG. 39. ACT. VICTORIÆ. 41.

ÆRÆ CHRISTIANÆ ANNVS 10.

I. *Res in Germania geſta a Tiberio* PROXIMO anno repetita Germania, inquit Sueton [a] Cum animaduerteret Tiberius Varianam cladem temeritate & negligentia ducis accidiſſe, tum præter conſuetudinem cum pluribus de ratione belli communicauit, & militarem diſciplinam ab antiquo repetitam ſeuere exercuit; Vltra Rhenum, ait Velleius, cum exercitu tranſgreditur. Arminio territo, quem arcuiſſe Pater & Patria contenti erant, penetrat interius, aperit limites, vaſtat agros, vrit domos, fundit obuios, maximáque cum gloria, incolumi omniũ quos traduxerat numero, in hyberna reuertitur. Nec plura vel iſte, vel alii. a l.3.c.18.

II. *Sedisio à Iuda Galilæo.* SVB hoc tempus occaſione nouæ deſcriptionis, ac Cenſus à Quirinio Hieroſolymis initi, extitit quidã Iudas Galaunites, ortus ex oppido Gamala, (habitatione, vt apparet, Galilæus; nã Galilæus à Luca appellatur,[b] & ipſemet Ioſeph.[c] eum Iudam Galilæum vocat, [d] non vno in loco. Forte etiam eius hæreſis in Galilæa primum coaluit. Is adiuncto ſibi Pharizæo Sadduco, ſollicitabat ad defectionem populos, cenſum nihil aliud eſſe dictitans, quam manifeſtam ſeruitutis profeſſionem; & vniuerſam gentem ad tuendam libertatem adhortans. Quid autem illi turbarum & cædium in Iudæa ediderint, pluribus narrat Ioſephus,[e] qui alibi [f] hunc ipſum appellat Simonem Galilæum, hunc ipſum, inquam, licet diſſentiente Lorin.[g] Nam cætera omnia eadem plane ſunt.

b in Act. c. 5.37.
c l.20.c.3.
d & l.18.c.2.
e l.18.c.1.
f l.2.bel.c.7.
g in Act.c.5. 37.§. ſed lõge ante.

III. *Secta Galilæorum Dominum reſpuentium.* FVIT autem hic ſectæ Galilæorum autor apud Iudæos, qui præ inſigni ſuperbia, cum hoſtes ſublimiorum poteſtatum eſſent, ſoli Deo parendum eſſe iactabant. Ioſeph.[h] Quartæ, inquit, ſtudium ſapientiæ ſectantium viæ primus autor fuit Iudas Galilæus: hi cætera cum Phariſæis conſentiunt, niſi quod conſtantiſſimo libertatis amore flagrant, credentes ſolum Deum Dominum habendum ac principem: facilius vel exquiſitiſſima pœnarum genera laturi, vna cum cognatis ſuis, ac chariſſimis, quam mortalium aliquem appellaturi

h l.18.c.2.fi

Dominum. Quam pertinacem duriciam, ſi Ioſephus inſignem appellat patientiam, & non potius deſpicientiam doloris & miſeriæ, profecto in inſigni vitio, nomine inſignis virtutis abutitur. Quæ enim virtus ſine iuſtitia? quæ exigit, vt reddantur, *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* Itaque iſti magnum in ſe iuſtumque odium principum concitarunt; quod in Chriſtianos quoque, eorumque ſecundum Chriſtum principes Apoſtolos è Galilæa fere oriundos, quaſi eiuſdem hæreſis ſectatores, primis illis temporibus deriuabatur. Quos contra
a l.2. de bel. c.7. videtur Ioſephus,[a] in laude Eſſenorum poſuiſſe, quod fidem omnibus ſeruarent, maxime vero principibus. Neque enim, inquit, abſque voluntate Dei cuiquam poteſt principatus potentia contingere. Quæ haud paulo luculentius
b Rom.13 1. Paulus Apoſtolus eodem reſpiciens.[b] *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* & infra, *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem.*

IV. *In Chriſtianos per calumniam deriuata.*

Eadem inculcat princeps Apoſtolorum, ſcribens ad Chriſtianos ex Iudæis
c 1.Petr.2 13 ortos, per varias regiones diſperſos,[c] vbi non obſcure ſignificat, Chriſtianos iniuſta inuidia nefariæ illius Galilæorum ſectæ laboraſſe, cum ait. *Vt in eo quod detrectant de vobis tanquam malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis*, malefactores videtur intelligere rebelles, & refractarios erga dominos, legitimoſque principes. Subdit enim, *Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi quaſi præcellenti, ſiue ducibus tanquam ab eo miſſis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum; quia ſic eſt voluntas Dei, vt bene facientes, obmuteſcere faciatis imprudentiam hominum ignorantiam,* (exiſtimantium videlicet eoſdem eſſe Chriſtianos, cum ſectariis illis Galilæis, qui velamentum habebant malitiæ libertatem. Huc denique pertinent, quæ Paulus ſcribit ad Ti
d 1.10. tum.[d] *Sunt enim multi inobedientes, vaniloqui, & ſeductores, maxime qui de circumciſione ſunt; quos oportet redargui,* & infra, *Increpa illos dure, vt ſani ſint in fide, non intendentes Iudaicis fabulis.* Denique c.3. *Admone illos principibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe.* Sed de his ſatis.

V. *Iudæ illius interitus & ſucceſſores.*

Ex quibus intelligitur, quamuis nebulo iſte male perierit, vt autor eſt Gama-
e Act.5.37. liel apud Lucam,[e] tacente de illius interitu Ioſepho, habuiſſe tamen ſatis diu
f l.20.c 3. ſuæ nequitiæ ſectatores, quorum ſpiritu merito creduntur his temporibus afflati Anabaptiſtæ. Meminit duorum iſtius Iudæ filiorum Ioſeph.[f] Eodem tempore etiam filii Galilæi Iudæ, Iacobus & Simon ſublati ſunt de medio, eius qui agente Syriæ cenſum Quirinio, Iudæos ſolicitabat ad defectionē à Romano populo; hos enim Alexāder Cuſpii Fadi ſucceſſor crucis affecit ſupplicio. Hæc ibi.

At inquies, vbi omiſimus Theudam, hominem ſeditioſum, ac præſtigiatorem, qui quadringentis hominibus ſe ducem præbuit, non minus ad ſeditionem, quā
g l.20 c.2. h Act.5.36. v.37. ad interitum; vt ſcribit Ioſephus,[g] & memorat bonus Gamaliel.[h] Nam ibidem dicitur, *poſt hunc extitit Iudas Galilæus.* Reſp. hunc locum multos torſiſſe interpretes; vt videre eſt apud Laurinum in eum locum; quoniam id videtur hiſtoriç & ordini temporum repugnare. Itaque quidam non dubitant affirmare videri lapſum memoriæ in venerabili ſene. Nonnulli illud, poſt, ſiue μετὰ, loco πρὸ, id eſt vltra, ſiue præter poſitum putant, inter quos Emanuel Sà in eum locum, &
n.179. Baron. anno Chriſti 34. Verum de re ſpinoſiore aliquid ſeorſim dicemus. 1.

1. c. χ. VI. *Geſta Tetrarcharũ.*

Interea Herodes & Philippus ſuæ quiſq; Tetrarchiæ res ordinauit, atque compoſuit: quorum Herodes Sephori cincta mœnibus, fecit eam totius Galilææ caput & propugnaculum; aliud deinde oppidum quod tunc Betaramphtha dicebatur, communitum, nomine mutato, Iuliada ab vxore Imperatoris appellauit. Geminum hic apparet erratum, verborum vnum, Rei alterum; Nam vt alibi quoque notaui, vxor Imperatoris non fuit Iulia, ſed Liuia. Deinde abſurdum videtur, & vero ingratiſſimum Auguſto Iuliam, hoc tempore relegatam & infamem, iactari, vt ſimul flagitia eius in ore hominum verſarentur; Nec potuit hoc ignorare Herodes: Idque notauit etiam P. Deckerius, licet rem alio detorqueat. Addit etiam Ioſephus à Philippo Tetrarcha Bethſaidam quoque, in ripa lacus Geneſareth, in vrbis ſpeciem conformatam, eamque Iuliæ Cæſaris filiæ cognominem eſſe voluiſſe: quod eidem reprehenſioni obnoxium eſt.

VII. *Oſſa mortuorum per templum ſparſa.* Deniqve ſub finem adminiſtrationis Coponii, Samaritæ oſſa mortuorum per templi porticus, & per totum templum ſparſerunt; magno ſcandalo Iudæorum. Quod ex Phariſæorum ſomniis erutum Deckerius putat, refellitque ex ipſa refutatione Ioſephi, qui perſimilem Apionis Alexandrini fabulam refert de Zabide quodam Idumæo, clam omnibus templum ingreſſo, per ſpeciem Apollinis, & ibi aureum aſini caput detrahente. At paulo ante Ioſephus negat in templum per fraudem quenquam penetrare potuiſſe; quod 4. porticus haberet in circuitu, & earum ſingulæ propriam habuerint cuſtodiam, aliquot ſacerdotum centuriis ne dicam, an millibus? conſtantem, à quibus ne vas quidem vllum per templum portari permitteretur. Oportuiſſet ergo omnes iſtos ex compoſito lethargico ſomno correptos obdormiſſe; Sed abeamus à fabulis.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 4063.

1. N. 5. Dici etiam non abſurde poſſet illud, μετὰ, ſignificare, poſt, vel ſecundum, non relatum ad ordinem temporis, ſed dignitatis. Quo modo Thucid. l. 2. καὶ μέγιστον μεθ' ἑαυτὸν δυνάμενον, qui plurimum poſt ipſum poterat, vel, ſecundum ipſum. Plut. de frat. amicit. δέδωκέ σοι δευτέρῳ μεθ' ἑαυτὸν εἶναι, dedit tibi ſecundum ab ipſo, vel primum poſt ipſum eſſe. Sic ille, quærenda pecunia primum, virtus poſt nummos. Sic dicatur Iudas iſte poſt Theodam eſſe, malitia videlicet, & improbitate, cum Theodas præter communem cum Iuda ſuperbiam, rebelleſque ſpiritus, etiam præſtigiator fuerit, & pſeudopropheta, pollicens ſciſſurum ſe vado Iordanem &c. quæ apud Ioſephum l. 20. c. 2. leges. Alii μετὰ τοῦτο, legunt quaſi dictum aut ſcriptum foret μετὰ τούτου, cum hoc. Significantes υ verſum in ο.

ANNVS MVNDI 4064. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI AN. 12. B. VIRG. 27. IMPERII ROM. 59. AVG. 54. HERODIS ANTIPÆ ET PHILIP. TETRARCHAR. 11. ANANI PONTIF. 3. PRÆS. SYR. QVIRIN. IVDÆÆ PROCVRATORE M. AMBIVIO. OLYMP. CXCVII. AN. 3. VRB. COND. 763. COSS. M. ÆMYLIO LEPIDO, ET T. STATILIO TAVRO. ANN. IVL. 56. AVGVST. 40. ACT. VICTORIÆ. 42.

ÆRÆ CHRISTIANÆ ANNVS 11.

I. *Profectio & amiſſio pueri Ieſu.* DVODECIMVS Ieſu Chriſti annus inſignis eſt, non Hieroſolymitana eius profectione, cum parentibus ſuis, ea quippe ſingulis annis frequentabatur, Euangeliſta atteſtante, *& ibant parentes eius*, inquit, *per omnes annos in Hieruſalem in die ſolenni Paſchæ*; (Luc. 2. 41.) nec credibile eſt eum in oppido Nazareth, ſub cura cognatorum, aut vicinorum derelictum: idq; affirmāt Suar. [a] & Mald. in eum locum: (a diſp. 17 ſect. 3.) ſed eius triſtiſſima, licet inculpabili amiſſione, & lætiſſima inuentione, & maxime inſolita manifeſtatione diuinæ ſapientiæ, futuris prædicationibus quaſi præludente, vt ſignificat S. Ambr. l. 2. in Lucam. Qua tota de re ac myſterio, cum ſatis multa ſcripſerit, circa duodecimum Chriſti annum Baron. & Caniſius in Mariali, (l. 4. c. 14. & ſeqq.) Tolet. in Lucam, & deinceps omnes interpretes, non eſt quod fruſtra hoc loco lectoris otio abutamur.

II. *An Chriſtus triduo mendicarit* DVLCISSIMA tamen illa deuotiſſimi Bernardi, ſi tamen Bern. Homil. intra oct. Epiph. verba, de Chriſti vita in illo triduo, non videntur, omittenda. *Per*

illud itaque triduum vbi eras bone Ieſu? quis cibum, aut potum miniſtrauit? Quis detraxit calceamenta? &c. & infra. *Quid dicam Deus meus? an vt te per omnia noſtræ conformares paupertati, & in te humanæ naturæ calamitates ſuſciperes, quaſi vnus è turba pauperum ſtipem per oſtia mendicabas? Quis dabit me buccellarum illarum ſic mendicatarum fieri participem? vel ſaltem diuini illius edulij reliquijs ſaginari?* ſic ipſe, pie meditando, vt dicit, & nil temere affirmando. A temeritate tamen facile vindicare poteſt illud, quod ait in eius perſona regius Propheta. [a] *Ego autem mendicus ſum, & pauper; Dominus ſollicitus eſt mei.* & illud Ioan. *Mulier da mihi bibere.*

a Pſa. 39. 18.

III. *Non videri mendicaſſe.*

Commvnior tamen videtur doctorum ſententia, neque tum Chriſtum, neque alias victum oſtiatim mendicaſſe, quod lege id prohiberetur. [b] *Et omnino indigens* ait, *& mendicus non erit inter vos;* quod præceptũ dirigebatur ad locupletes, ne paterentur pauperes mendicare; ſed vltro ſuccurrerent: quod tamen parum eos obſeruaſſe ſignificat illa parabola, mendicare erubeſco. [c] Mendicus Lazarus, & cæcus item & claudus leguntur mendicaſſe. [d] Legis tamen præceptũ erga Chriſtum ſeruatũ fuiſſe perſpicue intelligitur, ex illarum mulierũ benignitate, *quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.* [e] De hoc autem triduo ſcribit Maior, [f] Videri eum à viris eruditis & doctoribus, qui ſtupebant ſuper prudentia & reſponſis eius, ad menſam inuitatum fuiſſe; aut certe viatici aliquid à parentibus accepiſſe: & conſentiens Baradius. [g] Quis, inquit, admirabilem puerum non inuitaret? qui etiam addit ex Ambroſio, [h] traditionem Synagogæ fuiſſe, quam cupiebat Apoſtolus in Eccleſia ſeruari, vt ſeniores in cathedris, pro dignitate ſedentes diſputarent; tum qui illis dignitate, gradu, atque eruditione cederent, in ſubſellijs locum acciperent: nouiſſimi autem in pauimento ſupra mattas, ſtoreas ſcilicet inſtratas pauimento. In quibus Chriſtum Dominum locum accepiſſe innuit Euangeliſta, cum ait illum inuentum ſedentem in medio doctorum, in corona ſcilicet circumquaque in locis ſublimioribus conſidentium. Nec ei doctoris; ſed diſcipuli partes tribuit, cum audientem & interrogantem inducit, non etiam docentem, quia tempus nondum aduenerat, quo impleretur illud, [i] *Et non faciet auolare à te vltra Doctorem tuum, & erunt oculi tui, videntes Præceptorem tuum.* Nunc autem triduo auolauit ab eis.

b Deut. 15. 4
c Luc. 16. & ibid.
d Ioan 9. Act. 3.
e Luc. 8. 3.
f in 2. Luc.
g in 10. c. 8.
h in 1. Cor. 14.
i Eſa. 30. 20.

IV. *Iudææ Præſes M. Ambiuius*

Ad hoc tempus pertinet illud Ioſephi, [k] de nouo Iudææ Præfecto, ſiue Procuratore. Paulo poſt Coponius Romam reuertitur, ſucceſſore accepto M. Ambiuio. Cum autem de Præſide Syriæ taceat, apparet eundem Quirinium in eodem officio perſeueraſſe: diuturnum enim fuiſſe aliquando hunc magiſtratũ, vel ex Agrippa, & Quintil. Varo perſpicuũ eſt. Huius Ambiuii tempore Salome Herodis ſoror, ſic enim ex græco ἀδελφὴ legendum eſt, idque hiſtoriæ veritas exigit, vita decedens, Iuliæ Iamniam, cum ſua toparchia reliquit. Hoc quoque ſuſpectum redditur. Nam duodecimum iam annum relegata erat, nec aliud ab Auguſto, Tranquillo teſte, quam vomica & carcinoma audiebat. [l] Vt credibile ſit eum honorem iſtũ iniuriæ loco fuiſſe ducturũ. Id ergo reliquis Ioſephi næuis accenſeatur. Verum Tiberius, antequam Romam triumphaturus reuerteretur, magnum adiit vitæ periculum. Re proſpere geſta, inquit Suet. [m] Non multum abfuit quin à Bructero quodam occideretur: cui inter proximos verſanti, & trepidatione detecto, tormentis expreſſa confeſſio eſt cogitati facinoris. In reditu etiam Viennæ ſeditiones repreſſit, &, vt ait Velleius c. 21. coërcitione magis, quam pœna molliuit.

k l. 18. c. 3.
l l. 2. c. 65.
m l. 3. c. 19.

Periculum Tiberii.

V. *Res in Germania geſta.*

De re in Germania hoc anno geſta, hæc Dio. Tiberius, & Germanicus, cui proconſulare erat Imperium, impreſſionem in Germaniam fecerunt, ac populati nonnullas partes, nullo tamen prælio vicerunt, cum nemo ad repugnandum occurreret. Veriti enim ne rurſus cladẽ acciperent, haud ita procul à Rheno diſceſſerant, ſed prope eum vſque ad autumnum morati, ludis in honorem natalium Auguſti actis; ac miniſterio centurionum edito equeſtri certamine, in Italiam reuerſi ſunt.

VI. *Par eius cum Auguſto datũ.*

Interea Auguſto poſtulante S.P.Q.Rom. decreuit, vt Tiberio ius æquum in omnibus prouinciis, & exercitibus eſſet cũ patre. *Etenim abſurdum erat,* ait Velleius, *non eſſe ſub illo quæ ab illo, vendicabantur, & qui ad opem ferendam primus erat, ad vindicandum honorem non iudicari parem; Sicque in vrbem reuerſus, iampridem debitum,*

Triumphat de Pannon. & Dalmatis &c.

ſed continuatione bellorum dilatum, ex Pannoniis, Dalmatiſque egit Triumphum. Suetonius hanc iuris exæquationem in prouincias, non multo poſt triumphum, lege per Conſules lata, factam ſcribit: ſed de tempore maluimus Velleio credere, qui ſe fratremque ſuum inter præcipuos, præcipuiſque donis adornatos viros triumpho adfuiſſe dicit, & Tiberium 7. triumphis promeritis, tribus fuiſſe contentum. De quibus plura apud Suetoniũ reperies, illudq; nominatim, quod prãdium populo dederit mille menſis, & congiarium viritim trecenos nummos. Dedicaſſe quoque de manubiis, ſuo fratrumque nomine, ædem Concordiæ, Caſtoris & Pollucis. l. 3. c. 20.

ANNVS MVNDI 4065. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI AN. 13. B. VIRG. 28. IMPERII ROMANI 60. AVGVST. 55. ANTIPÆ, ET PHILIPPI TETRARCHAR. 12. ANANI PONT. 4. PRÆSID. SYR. METELLO CRETICO 1. IVDÆÆ PROCVRATORE M. AMBIVIO 2. OLYMP. CXCVII. AN. 4. VRB. COND. 764. COSS. GERM. CÆSARE TIB. F. AVG. N. ET C. FONTEIO CAPITONE. ANN. IVL. 57. AVGG. 41. ACTIAC. VICT. 43. Onuphr.

ÆRÆ CHRISTIANÆ ANNVS 12.

I. *Mors S. Ioſephi ex Epiphanio.*

SVB hoc tempus mortuum fuiſſe S. Ioſephum, B. Virginis ſponſum exiſtimat S. Epiphanius hæreſ. 78. & ſi qui ei de ſenili, ac potius decrepita eius ætate aſſenſi ſunt. Sed neque poſt reditum, inquit, ab Ægypto idem Ioſeph multis annis vixit, Quartus enim erat annus Saluatori, Ioſepho autem quartus ſupra octogeſimum, quando ex Ægypti regione reuertebatur, & permanſit aliis octo annis ſuperſtes. Et in duodecimo anno aſcendentibus illis ad Hieroſolyma quæſitus eſt, quando non reperiebatur in itinere, velut habet Euangelium ſecundum Lucam. Poſt hos annos moritur Ioſeph. & educatus eſt non amplius à Ioſeph, ſed in domo Ioſeph.

II. *Altera opinio, vixiſſe Chriſto moriente.*

ALTERA ſententia de morte ſancti Ioſephi in altero extremo eſt, eum ſcilicet adhuc in viuis fuiſſe, cum Chriſtus matrem diſcipulo commendauit; hæc videtur fuiſſe D. Ambroſii ſententia.[a] *Vtique ſi conueniſſent, inquit, nunquam virum proprium reliquiſſet, nec vir eam iuſtus paſſus eſſet à ſe diſcedere. Quomodo autem Dominus diuortiũ præcepiſſet &c.* quod repetit etiam alibi.[b] Idem ſupponit S. Cypr. libel. de Paſſ. Domini. *Habebat Ioſeph in hac Chriſti diſpoſitione rationabilem contradictionem, cum alteri commendaretur Maria, ſi ſe cognouiſſet carnalem maritum: ſed quia in ſpiritu actum erat coniunctionis illius myſterium, paſſus eſt Ioſeph æquanimiter ſibi eum in hoc ſeruitio præponi, quem digniorem ſe iudicabat.* Idem ſignificat & S. Chryſoſt.[c] Verum iſti ſancti id præcipue ſatagebant, vt docerent B. Virginis integritatem illibatam ſemper fuiſſe, nec vnquam matrimonium inter ſanctiſſimos hoſce coniuges copula conſummatum. Idque probabant, quod nunquam alioqui habitatione diremptum iri videbatur: nec tamen negarunt verum inter eos, ratumque fuiſſe matrimonium. Ætas autem Ioſephi tum ſuperſtitis quaſi probabilis, obiter ſine probatione aſſumitur, quod eius mortis nulla fiat in Euangelio mentio.

[a] l. 2. in Lucam ſub init.
[b] l. 10. c. 23. & l. de inſt. Virg. c. 6. & 7.
[c] Hom. 5. in Matth.

III. *Communior ſententia prius vita functum.*

NEC tamen id poſteriores doctores ſatis probabile iudicarunt; quin potius hoc ipſo quod Virgo coniugi commendata non fuerit, probabilius colligunt illum iam è viuis exceſſiſſe; ne aliquam iniuriam nutricio ſuo ſanctiſſimus, gra-

tiſſimuſque filius, dilectæ coniugis ſeparatione, feciſſe videretur. Ante Chriſti paſſionem defunctus eſt, alioqui enim cuſtodia matris alteri commiſſa non fuiſſet. Gerſon in ſerm. de Nat. Virg. & rurſum de paſſione Domini; Per hunc quoque textum concludunt doctores Ioſeph iam tunc fuiſſe mortuum. Alioqui Dominus noſter non abſtuliſſet Mariam ab eius cuſtodia, qui ab initio tam fideliter, & digne eam cuſtodierat, & in omnibus periculis ſocius fuerat.[a] Quam ſententiam Baron. quoque in an. Chriſti 12. comprobat, & Suares diſp. 7.

c. 4.

a ſec. 1. poſt medium. b Mald in c. 2. Ioan

IV. *Nec tamen ante aliquot ab hinc annos.*

Media ſententia eſt [b] nō tam cito mortuum, nec tamen ad 30. Chriſti annum perueniſſe, quod in nuptiis Cana nulla fiat eius mentio, & tamen ad aliquot annos pertinere videatur illud; *& erat ſubditus illis*; & quia B Virg. adhuc ad coniugiū experi poſſe videbatur, quę ad ſummum 28. agebat annum. Vt ergo ea moleſtia leuaretur, & filius in tenella adhuc ætate non deſtitueretur cura nutricii ſui, cuius laboribus ſuſtentabatur, videtur diuina prouidentia ad extremam potius Chriſti adoleſcentiam Ioſephum in viuis retinuiſſe. Quoniam tamen de certo anno nihil affirmare poſſumus, (nam de die affirmat Martyrologium Romanū eius dormitionem, & fœlicem ad Deum tranſitum 19. Martii contigiſſe,) de eo hæc dicta ſufficiant.

Barad. l. 6. c. 8. & Ger. de Nat. B. Vir. in Concil. Conſtan. in 3 p. operum eius.

V. *Ioſephum reſurrexiſſe cū Chriſto.*

Addam tamen hoc loco piam, & mihi quidem certe valde probabilem, ac doctis viris probatam Gerſonis ſententiam. Legimus, inquit, Chriſto moriente multa corpora ſanctorum reſurrexiſſe, & veniſſe in ſanctam ciuitatem, & apparuiſſe multis; hinc forte dicit Apoſtolus *Acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos*. Recogitet oro pius animus, ſi iuſtus Ioſeph vnus ex illis putandus eſt, qui apparuerit chariſſimæ ſponſæ, qui eam conſolatus ſit, qui tandem Chriſto in cœlum aſcendente, ſimul & aſcendit glorificatus; non dubium in anima, ſed an & in corpore neſcio, Deus ſcit, & collocatus eſt à dextris ipſius Ieſu, hoc eſt in potioribus bonis ſuis. Hæc pius doctor, in cœtu vniuerſæ Eccleſiæ Conſtantiæ congregatæ: idemque D. Bernard. ait pie credendum eſſe.

VI. *Conſulatus Germanici.*

De huius anni rebus, Dio hæc habet. Poſt hæc Conſulatum Germanicus nondum Prætura functus accepit, ac toto anno geſſit, non dignitatis cauſa, ſed quia idem ab aliis etiamtum fiebat: nulla re memorabili peracta, niſi quod potiores tulit partes, cum ipſius collega C. Capito obiter tantum numeraretur. At vero Auguſtus ſenectute iam grauis Germanicū Senatui, Senatum Tiberio ſcripto commendauit: famoſos libellos, quos ad traducendos homines à quibuſdam conſcribi acceperat, conquiſitos & repertos in Vrbe ab Ædilibus, extra Vrbem à ſingulorum locorum præfectis comburi mandauit, & in quoſdam eorum autores ſupplicio animaduertit. Huc videtur pertinere quod ſcribit Tacitus l. 1. Annal. Vbi infeſtior Tiberio, qui legem maieſtatis ad minima delicta extendebat; vt ſectarii ſolent, aduerſus catholicos, in locis, vbi rerum potiuntur, *Facta*, inquit, *arguebantur, dicta impune erant. Primus Auguſtus cognitionem de famoſis libellis ſpecie legis eius tractauit, commotus Caſſij Seueri libidine, qua viros, fœminaſque illuſtres procacibus ſcriptis diffamauerat.* Mox, *Tiberius, conſultante Pompeio Macro prætore, an iudicia maieſtatis redderentur, exercendas leges eſſe, reſpondit.* Idem habet Suet.[c] Exhibuit in Circo ludos Germanicus, in quibus ducenti leones occiſi, vt ait Dio, nec explicat an commiſſi gladiatoribus, vel ſeruis ſontibus, aut aliis feris.

Famoſi libelli Auguſti iuſſu exuſti.

c l. 3. c. 58.

VII. *Ortus Caii Caligulæ.*

Fvit hic Germanicus Caligulæ poſtea Imperatoris pater, Druſi & minoris Antoniæ filius, à Tiberio patruo Auguſti voluntate adoptatus: Quæſturā quinquennio, antequam per leges liceret, & poſt eam Conſulatum ſtatim geſſit &c. Ita Tranq.[d] Natum porro Caligulam hoc anno, patre ſuo, & Fonteio Capitone Coſſ. author eſt Sueton.[e] Sed de eo aliquanto poſt iterum dicendum erit.

d l. 4. c. 1.
e l. 4. c. 8.

ANNVS MVNDI 4066. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI AN. 14. B. VIRG. 29. IMPERII ROMANI 61. AVGVST. 56. Antipæ, et Philippi Tetrarchar. 13. Anani. Pont. 5. Præsid. Syr. Metello Cretico 2. Ivdææ Procvratore Annio Rvfo 1. Olymp. CXCVIII. an. 1. Vrb. Cond. 765. Coss. C. Silio Nepote, et L. Mvnacio Planco, Ann. Ivl. 58. Avgg. 42. Actiac. vict. 44.

In Onuph. in Chron at Dio l. 56. Cæcinam cognominat.

ÆRÆ CHRISTIANÆ ANNVS 13.

I. *Ratio temporis.* NE quære doceri hoc anno lector de morte Auguſti, contigit enim ſequenti. Nec tamen illum dicimus annum 56. regnando ſuperaſſe; ſed cum in titulo ineuntes numeremus annos, conſequens eſt hoc anno illum regni annum ſextum & quinquageſimum inchoaſſe menſe Auguſto, & ſequenti terminaſſe.

Auguſti teſtamentũ His Coſſ. vt author eſt Dio, Auguſtus, iam quintùm gubernationem Reip. in decennium accepit, Tiberio Tribuniciam poteſtatem rurſum dedit, (iam enim decennium abierat, ex quo eam Auguſtus illi vna cum adoptione contulerat, vt dictum eſt V.C. 756.) Druſum autem in tertium ab hinc annum Conſulem deſignauit. Teſtamentum, inquit Suet. [a] L. Planco & C. Silio Coſſ. 3. non Aprilis, ante annum & quatuor menſes quam decederet, factum ab eo, ac duobus codicibus ſcriptum, partim ipſius, partim libertorum manu, apud Virgines Veſtales depoſitum eſt. Sic ipſe, vbi plura de hæredibus, & legatariis ſubiungit, quæ apud ipſum leges. *a l. 2. c. 101.*

II. *Germanicus adit Germaniam.* Ad hunc quoque annum pertinere arbitror profectionem Germanici in Germaniam miſſu Auguſti, vt reliqua belli patraret. Eo enim profectum eſſe, antequam Tiberius in Illyricum expeditionem ſuſciperet, quod ſub initium ſequentis anni contigit, Velleius c. 123. aperte ſignificat. Vbi quid Germanicus, ſtatim contra hoſtem geſſerit, non reperio, quid cum militibus ſuis tumultuantibus, ſequenti anno, quo res illa contigit, dicetur.

Procurator Iudææ Rufus. Annivm Rufum Procuratorẽ Iudææ Ioſephus [b] ſuggerit, ſub quo mortuus eſt Auguſtus, nec tamen aperte docet eodemne anno, an præcedenti miſſus fuerit. Præcedenti ponimus, Onuphrii Chronologiam ſecuti. Qui autem Chriſtum natum putant anno regni Herodis 29. non habent quomodo vel hunc, vel præcedentes Iudææ Procuratores conſtituant. Fuit hic annus Olympicus, Olympionica Diophanes Bithynius. *b l. 18. c. 3.*

ANNVS MVNDI 4067. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI AN. 15. B. VIRG. 30. IMPERII ROM. 62. AVG. 57. & VLT. HEROD. ANTIPÆ ET PHILIP. TETRAR. 14. TIBERII 1. ANANI PONT. 6. PRÆS. SYR. METELLO 3. IVDÆÆ PROCVRAT. ANNIO RVFO 2. OLYMP. CXCVIII. AN. 2. VRB. COND. 766. COSS. SEX. POMPEIO. ET SEX. APPVLEIO. ANN. IVLIANI 59. AVGGVST. 43. ACT. VICTORIÆ. 45.

ÆRÆ CHRISTIANÆ ANNVS 14.

SVLPITIVS Galba, qui primus poſt Auguſti finitũ genus, Imperio potitus eſt, ipſis Cal. Ian. huius anni virilem togam ſumpſit, vt ait Dio l. 56. Sed Octauiani Cæſaris Auguſti mors hunc annum longe inſigniorem facit, in qua paſſim omnes ſcriptores conſentiunt; cui etiam coniungitur annus Sabbaticus duodecimus ſupra ducenteſimũ. De ea morte priuſquam dicamus, quæ ordine temporis antecedunt præmittemus. I. *Poſtremum Auguſti luſtrum.*

Luſtrum enim primum ſub huius anni initia condidit cum Tiberio, priuſquã in Illyricum proficiſceretur. Teſtatur id monimentum Ancyranum, vbi hæc leguntur. *Nuperrime luſtrum collega,* (Imperii ſcilicet & Tribuniciæ poteſtatis, & administrationis exercituum, & prouinciarum Auguſti, vt aiunt Velleius,[a] & Sueton.)[b] *Tiberio, Sex. Pompeio, & Sex. Apuleio Coſſ. quo luſtro cenſa ſunt Romanorum capitum, quadragies centum millia, triginta & ſeptem millia.* Ex quo corrigendum eſt Euſebii Chronicum, quod hunc cenſum refert in annum Auguſti 55. quo Germanicus & Fonteius Conſules fuerunt; capitum quoque ſumma corrigenda eſt, vbi legitur inuenta eſſe nonagies ter centena & ſeptuaginta millia, id eſt, vt interpretatur Pontacus nouem milliones, 370. millia: eodemque modo habet Iornandes l. 1. Sed Græca quoque corrupta ſunt, vt notauit Scaliger. Hoc luſtrum numerat Sigon. in faſtis ſeptuageſimum primum Onuphr. autem 73.

a l. 2. c. 121. b l. 3. c. 21. n

c l. 2. c. 97. MEMINIT eius Suet.[c] *Cum luſtrum*, inquit, *in campo Martio magna populi frequentia conderet, aquila eum ſæpius circumuolauit*, & mox, *ſub idem tempus ictu fulminis ex inſcriptione ſtatuæ eius prima nominis litera effluxit. Reſponſum eſt, centum ſolos dies poſthac victurum, quem numerum C. litera notaret: futurumque vt inter Deos referretur, quod ÆSAR, id eſt reliqua pars è Cæſaris nomine, Etruſca lingua Deus vocaretur.* Sic ipſe, ſi non vere narrata res eſt, certe commode excogitata, & probata Dioni, l. 56. Vbi de morte Auguſti. Ex hoc certe vaticinio intelligitur hoc luſtrum initio menſis Maij eſſe peractum. II. *Omina mortis eius.*

PERGIT Suet. Tiberium igitur in Illyricum dimiſſurus, Beneuentum vſque proſecuturus, Aſturam perrexit. Sed cauſam addit profectionis vtriuſque Velleius. (c. 123.) Cum Tiberium, inquit, filium miſſurus eſſet in Illyricum ad firmanda pace, quæ bello ſubegerat, proſequens eum; ſimulque interfuturus Athletarum certaminis ludicro, quod eius honori ſacratum à Neapolitanis eſt, proceſſit in Campaniam, quanquam iam motus imbecillitatis, inclinatæque in deterius principii valetudinis ſenſerat; tamen obnitente vi animi proſecutus filium, digreſſuſque ab eo Beneuenti, ipſe Nolam petiit, (Suet. cauſam valetudinis contraxiſſe ait ex profluuio alui: pergit Velleius) Ingraueſcente in dies valetudine, cum ſciret, quis, volenti omnia poſt ſe ſalua remanere, acceſſendus foret, feſtinanter reuocauit filium. Ille ad Patrem patriæ expectato reuolauit maturius.

III. *Comitatur Tiberium adeuntem Illyricum. Valetudine tentatur.*

Reuocat Tiberium.

IV. *Et moritur ex Velleio.*

Tvm ſecurum ſe Auguſtus prædicans, circumfuſuſque amplexibus Tiberii ſui, commendans illi ſua, atque ipſius opera, nec quidquam iam de fine, ſi fata poſcerent, recuſans, ſubrefectus primo conſpectu, alloquioque cariſſimi ſibi ſpiritus. Mox cum omnem curam fata vincerent, in ſua reſolutus initia, Pompeio Appuleioque Coſſ. ſeptuageſimo ſexto anno, animam cœleſtem cœlo reddidit. Condito luſtro, ait Suetonius, [a] in Illyricum profectus eſt. Et ſtatim ex itinere reuocatus, iam quidem affectum, ſed tamen ſpirantem adhuc Auguſtũ reperit, fuitque vna ſecreto per totum diem. Additque condoluiſſe illum populo Romano, qui ſub tali principe futurus eſſet: cuius morum diritatem improbaret ille quidem, ſed vel expugnatum precibus vxoris, adoptionem non abnuiſſe, vel ambitione tactum, vt Tacitus quoque confirmat, vt tali ſucceſſore deſiderabilior ipſe fieret: vel potius quod virtutes eius vitiis præponderare cenſeret. Addit denique [b] de vxore Liuia, Omnibus deinde dimiſſis, dum aduenientes ab vrbe de Druſi filia ægra interrogabat, repente in oſculis Liuiæ, & in hac voce defecit, *Liuia noſtri coniugij memor viue, ac vale.* Sortitur exitum facilem, & εὐθανασίαν qualem ſemper optauerat. Quod conſentaneum eſt, iis quæ ante dixerat, [c] dilexiſſe Liuiam, & probauiſſe vnice, ac perſeueranter.

Suetonio. — a l.3.c.21. — b l.2.c.99. — c c.62.

V. *Et Cornelio Tacito aliter.* *Liuia ſuſpecta, veritа reconciliationem Agrippæ.*

Vervm his parum conſentanea tradit Corn. Tacit. l. 1. Annal. *Hæc agitantibus,* inquit, *graueſcere valetudo Auguſti. Et quidam ſcelus vxoris ſuſpectabant: quippe rumor inceſſerat paucos ante menſes Auguſtum electis conſciis, & comite vno Fabio Maximo, Planaſiam vectum ad viſendum Agrippam: multas illic vtrinque lacrimas, & ſigna charitatis, ſpemque ex eo fore, vt iuuenis penatibus aui redderetur. Quod Maximum vxori Martiæ aperuiſſe, illam Liuiæ,* & mox. *Vtcumque ſe ea res habuit, vixdum ingreſſus Illyricum Tiberius, properis matris literis accitur, neque ſatis compertum eſt, ſpirantem adhuc Auguſtum apud vrbem Nolam, an exanimem reppererit: acribus namque cuſtodiis domum, & vias ſepſerat Liuia: lætique interdum nuncii vulgabantur; donec prouiſis quæ tempus monebat, ſimul exceſſiſſe Auguſtum, & rerum potiri Neronem fama eadem tulit,*

VI. *Cui conſentit Dio.*

Eandem in ſententiam Dio, *Auguſtus,* inquit, *ex morbo deceſſit, ſuſpecta nonnihil Liuia, quaſi eius fraude obiiſſet. Etenim ad Agrippam Auguſtus clam vxore in inſulam tranſmiſerat, videbaturque tam ipſi Agrippæ, quam aliis omnino cum eo in gratiam rediturus. Verita itaque, vt aiunt, ne eum reduceret Auguſtus, atque imperium ei traderet, ficus quaſdam in arboribus adhuc pendentes, quas Auguſtus ſua manu decerptas comedere conſueuiſſet, veneno inunxit, eique medicatas carpendas obtulit, ipſa ſanas ediſſe fertur.* Sic Dio. Cui ſuſpicioni fauet mors Agrippæ quam primum ſecuta: addit etiam Dio pleroſque, & fide digniores authores tradidiſſe, Tiberium abfuiſſe, cum mortuus eſt Auguſtus.

VII. *Tempus mortis, & ætatis Auguſti, ex Tranquillo.*

Iam quod ad tempus mortis attinet, quoniam res non minimi momenti eſt, ad ſtabiliendam Chronologiam, ea in primis petenda eſt ex Suetonio, qui tempus hoc omnium accuratiſſime notaſſe videtur. [d] Obiit in cubiculo, inquit, eodem quo Pater Octauius; duobus Sextis Pompeio & Apuleio Coſſ. 14. Cal. Septembris, hora diei nona, ſeptuageſimo & ſexto ætatis anno, diebus quinque & triginta minus. Exacte ſane Suet. ſibique conſentiens, qui c. 5. dixerat natum 9. Cal. Octobris, Cicerone & Antonio Coſſ. Tres ergo menſes, & dies ſeptem illo anno ſupererant, quibus adde decem in eodem ſeculo, & integros ſexaginta quinque in ſequenti, poſtremo 7. menſes & 18. dies. Idem plane ſentit Dio, niſi quod etiam exactius numerans, 26. dies addit 10. menſibus & 75. annis.

d l.2.c.100.

an.	men.	di
	3.	7.
10.		
65.	7.	18
75.	10.	25.
	1.	5.
76.	0.	0.

VIII. *Et reliquis.*

Conſentivnt Suetonio Euſeb. in Chronico. Caſſiod. in faſtis. Eutropius l. 7. (male enim legitur obiiſſe anno 86. Nam ex annis, quos paulo ante recenſuit, additis annis ad primum vſque Conſulatum, fiunt 76.) conſentiunt Sigon. Onuph. Cuſpin. in faſtis. Scal. in Euſebium, Gordon. in Appar. c. 5. Baro. an. Chriſti 16. Torniel. a.m. 4066. n. 1. Mercat. Tempor. Caluiſ. alii. Explicandus eſt ergo Ioſephus, qui l. 18. ant. c. 3. ait vixiſſe annos ſeptuaginta ſeptem, & Aurel. Victor in Epit. hiſtoriæ Auguſt. Annos, inquit, ſeptem & ſeptuaginta ingreſſus Nolæ, ſiue Atellæ, vt ait Euſebius, morbo interiit. Etſi enim non abſoluit 76. (Nedum ingreſſus 77.) Rectiſſime tamen de annis non completis explicari poſſunt: vndecim enim anni ſuperioris ſeculi, additi 66. nunc decurrentis, dictum numerum conficiunt.

IMPERII ROMANI an. 62. Ioſeph. l. 2. de bel. c. 8. Vbi de Pila. regimine ait regnaſſe an. 56. m. 6 d. 2.

DVRATIO IMPERII AVGVSTI. IX. *Imperii eius anni à primo Conſulatu.*

IAM quod ad Imperii eius annos, ij diuerſe admodum cenſeri ſolent, prout vel à primo eius Conſulatu, vel à Triumuiratu, vel à victoria Actiaca, vel a debellata Ægypto, ſiue Alexandria inchoantur. Cum ergo primum Conſulatum inuaſerit 14. Calend. Septem. qua die & mortuus eſt, vt ait Dio l. 56. an. Vrb. Cond. 710. Neceſſe eſt eum totos 56. annos imperaſſe. Quodſi placet à Triumuiratu initium ducere, ex hoc numero detrahendi ſunt centum dies: quia is cœpit 5. Calend. Decembris, vt docet ex Colotiano marmore Sigonius in faſtis ann. 707. Fient ergo anni 55. menſes octo dies viginti.

A Triumuiratu.

A.	M.	D.
	4.	18.
56.	7	18
55	8	20.

13. Aug. 30. Sept. 31. Oct. 26. Nouemb. 100

Ab Actiaca vict.

Ab Actiaca porro victoria, quæ an. V. C. 722. autore Dione,[a] ſecundo Septembris contigit, ex quo primum die Cæſar rerum potitus eſt ſolus, & ex quo Imperii eius recenſio, inquit, præciſe ſumitur, ab ea inquam die, ad diem obitus eius reperiuntur 43. anni, 11. menſes, 18. dies, quos ponit Onuphrius in ſua Chron. etſi Dio l. 56. habeat minus tredecim dies. Denique ſequenti anno menſe Auguſto debellata eſt Alexandria, vt diximus anno V. C. 723. Ex quo ſequitur hunc eſſe 43. annum completum, quem vocant Ægyptij annum Auguſtorum.

A.	M.	D.
	4.	
48.	7.	18.
43.	11	18.

a lib. 51.

Ab Alexandria domita.

b l. 18 ant. c. 3 & l. 2. de bello.

X. *Ioſephi de Auguſto Chronologia falſa.*

Ex his autem, quæ ex communiſſima ſcriptorum ſententia retulimus, corrigendus eſt Ioſephus;[b] Vtrobique enim ait Auguſtum regnaſſe annos quinquaginta ſeptem, ſex menſibus amplius, & duobus diebus; quod perſpicue falſum eſt, vndecunque anni Imperii eius inchoentur; quantumuis dies illi, & menſes, exactam diligentiam numerantis præ ſe ferant. Sed nec illud verum eſt quod ſubdit. *In quo numero quatuordecim ſunt anni, quibus Antonius et fuit Imperii ſocius, & particeps.* Nam ab inito Triumuiratu 5. Calend. Decembris anni 710. vſque ad 4. non. Septembris, quo Actiacam victoriam adeptus eſt Auguſtus, reperiuntur tantum vndecim anni, 9. menſes & quinque dies. Aberrat ergo Ioſephus à vero 2. annis, 2. menſibus & 25. diebus. Quod ſi numeraſſe eum dicas à cæde Iulii, quod iniuſtum eſt, cum tunc plane priuatus, & abſque Imperio fuerit, nihilominus erraſſe conuincetur. A 16 enim Martii, ad 19. Auguſti anni ſequ. ſunt tantum 18. menſes & 5. dies. Vt perſpicuum ſit irrito eos labore vexare ſe, qui eius Chronologiam tam ſtudioſe tueri conantur, qui ſane prius ſeſe erroribus implicauerint, quam illum expedierint.

	7.	4.
11.	9.	5.
1	9	5
2.	2.	25.
14.	0.	0.

XI. *Defectio Lunæ.*

DEFECISSE hoc anno Solem in occaſu maximi totius Imperii Romani principis, autor eſt Dio l. 56 qui totum ſolem defeciſſe ſcribit, magnamque cœli partem ardere viſam. Eadem eclipſis ab Euſebio in Chronico aſſeritur; ſed Latino duntaxat. Eam tamen Mathematici non agnoſcunt hoc anno, vt Ioannes Lucidus, Scaliger, Buntingus; ſed Lunæ duntaxat, die 27. Septembris, quadrageſimo poſt obitum Auguſti. Dio porro, ſi recte intelligatur, non agit de vlla eclipſi, quæ mortem Auguſti ſecuta ſit; ſed in prodigiis, quæ illam centum circiter diebus præceſſerunt, numerat hunc ſolis defectum, qui non proprius ex interpoſitione Lunæ fuit; ſed ex indiſpoſitione aëris, per quam Sol palleſcere, & obſcurari videbatur. Audi Plinium,[c] fiunt prodigioſi & longiores Solis defectus, qualis occiſo Dictatore Cæſare, & Antoniano bello, totius pene anni pallore continuo. De hoc porro Lunæ defectu ſic Tacitus. Noctem minacem, & in ſcelus erupturam fors leniuit. Nam Luna clariore pene cœlo viſa langueſcere. Id miles rationis ignarus omen præſentium accepit, ac ſuis laboris defectionem ſyderis adſimilans, proſpereque ceſſura quæ pergerent, ſi fulgor & claritudo deæ redderetur. Igitur æris ſono, tubarum cornuumque concentu ſtrepere: prout ſplendidior, obſcuriorue, lætari aut mœrere, & poſtquam ortæ nubes offecere viſui, creditumque conditam tenebris, ſibi æternum laborem portendi, ſua facinora auerſari Deos lamentantur.

c l. 2. c. 30.

l. 1. c. 100.

XII. *Corpus Romam honorifice defertur.*

SED vt redeamus ad Auguſtũ, corpus, inquit Suetonius decuriones municipiorũ & coloniarum à Nola Bouillas vſq; deportarunt, (id eſt ad vndecimum ab vrbe lapidẽ via Appia) noctibus propter anni tempus, cũ interdiu in baſilica cuiuſq; oppidi, vel in ædium ſacrarum maxima reponeretur. A Bouillis equeſter ordo ſuſcepit, vrbique intulit, atque in veſtibulo domus collocauit. & mox, Ve-

rum adhibito, honoribus modo bifariè laudatus eſt, pro æde D. Iulij à Tiberio, & pro Roſtris Sub veteribus à Druſo Tiberii filio, ac Senatorũ humeris delatus in campum, crématuſque: & mox. Reliquias legerunt primores equeſtris ordinis tunicati & diſcincti, pedibuſque nudis, ac in Mauſolæo condiderunt. Hæc Suetonius.

XIII. *Auguſti Apotheoſis.*

PLVRA alia de huius magnificentia funeris leges in Dione l. 56. vbi & laudationem Tiberii funebrem reperies. Ex quibus, Chriſtiane lector, profecto mirabere eſſe qui ſe Chriſtianos dicant, qui in ſanctorum Martyrum, aut Confeſſorũ Chriſti reliquias oblatrent, qui honores profano homini factos, cum admiratione legant, probentque. Nõ omittenda nihilominus apotheoſis Auguſti: non enim defuit vir Prætorius, qui ſe effigiem cremati euntem in cœlum vidiſſe iuraret, vt ait Suetonius: iuramento illo quidem ſacrilego, ſed tamen quæſtuoſo. Nam agens hac de re Dio l. 57. extremo, Liuia Numerio cuidam Attico Senatori, & Prætorio decies ſeſtertium dono dedit, quod iurauerat vidiſſe ſe Auguſtum in cœlum aſcendentem; ſicut antiquitus Romulum Proculus vidiſſe prohibetur: ne ſcilicet minus periuri adulatores regum poſtremis ſeculis, quam primis reperirentur. *πέντε ϗ εἴκοσι μυριάδας ἐχαρίσατο.*

XIV. *Tiberius principatũ ab Agrippæ cade inchoat.*

PRIMVM facinus, inquit Tacitus l. 1. Annal. Noui principatus fuit poſthumi Agrippæ cædes, quem ignarum, inermumque, quamuis firmatus animo centurio, ægre confecit. Nihil ea de re Tiberius apud Senatum diſſeruit, patris iuſſa ſimulabat: propius tamen vero eſt Tiberiũ ac Liuiam, illum metu, hanc nouercalibus odiis, ſuſpecti & inuiſi iuuenis cædem feſtinauiſſe. Tiberius, ait Tranquillus,[a] renuncianti Tribuno factum eſſe quod imperaſſet; neque imperaſſe ſe, & rationem Senatui eum redditurum reſpondit; inuidiam ſcilicet in præſentia vitans; nam mox ſilentio rem obliterauit. Monente ſcilicet Liuiam Salluſtio, qui ad Tribunum miſerat codicillos, ne arcana domus, ne conſilia amicorum, & miniſteria militum vulgarentur, ait Tacitus. Eadem fere Dio l. 57. Sed ille pergit. a l. 3. c. 22.

XV. *Eum diſſimulantem Romani principem ſuſcipiunt.*

AT Romæ ruere in ſeruitium Coſſ. Patres, Eques: quanto quis illuſtrior, tanto magis falſi ac feſtinantes, vultuque compoſito, ne læti exceſſu principis, neu triſtiores primordio, lachrymas gaudio, queſtus adulatione miſcebant. Sex. Pomp. & Sex. Apuleius Coſſ. primi in verba Tiberii Cæſaris iurauere; apudq; eos Seius Strabo, & C. Turranius. Ille Prætorianarum cohortium Præfectus, hic Annonæ; Præfectus vrbi, vt ait Lipſius, qui iuraret nemo tunc erat, defuncto Statilio Tauro. Tacitus idem mox Ælium Seianũ Præfectum Prætorio memorat, qui miſſus cum Druſo in Germaniam ad ſeditioſum militem, iuueni rector. Mox Senatus, mileſque & populus. Quamuis autem principatum, inquit Suet.[b] neque occupare confeſtim, neque agere dubitaſſet, & ſtatione militum, hoc eſt vi & ſpecie dominationis aſſumpta, diu tamen recuſauit impudentiſſimo animo, nunc adhortantes amicos increpans, vt ignaros quanta bellua eſſent Imperium, nunc precantem Senatum, & procumbentem ſibi ad genua ambiguis reſponſis, & callida cunctatione ſuſpendens, vt quidam patientiam rumperent; atque vnus in tumultu proclamaret, *aut agat, aut deſiſtat*, alter coram exprobraret, cæteros quod polliciti ſint, tarde præſtare; ſed ipſum quod præſtet tarde polliceri. b l. 3. c. 24.

XVI. *Imperium quaſi coactus admittit.*

TANDEM quaſi coactus, & querens miſeram, & oneroſam iniungi ſibi ſeruitutem, recepit Imperium, dum veniam, inquit, ad id tempus, quo vobis æquum poſſit videri, dare vos aliquam ſenectuti meæ requiem. Agebat autem nunc annum ætatis 55. natus Vrb. Cond. 711. vt ex eodem Suetonio[c] conſtat. Nec fere diſſentit Dio, qui l. 57. initio, tribuit ei, in hoc exordio Imperij annum 56. Vbi etiam Tiberij mores tectiſſimos præclare expreſſos reperies, & nominatim hanc in recipiendo Imperio fictam cunctationem quam etiam tangit Euſeb. in Chron. c l. 3. c. 5.

XVII. *Turba à militibus.*

SED miles nos foras vocat ad Germanicum, de quo Velleius c. 125. hæc fere. Exercitus, qui in Germania militabat, præſentiſque Germanici Imperio regebatur, ſimulque legiones quæ in Illyrio erant, rabie quadam, & profunda confundendi omnia cupiditate, nouum ducem, nouum ſtatum, nouam

quærebant Remp. quin etiam auſi ſunt minari, daturos Senatui, daturos Principi leges; proceſſum etiam in arma, ferrumque ſtrictum eſt, deſuitque qui contra Remp. duceret, non qui ſequeretur, &c. Eo miſſum ait à Tiberio Druſum filium, cuius induſtria, ac Tiberij literis, Iunii quoque Blæſi, ac Dolabellæ ſapientia, & autoritate breui tumultus omnis, tam in Germania, quam Illyrico ſopitus, ac ſublatus eſt. De his motibus legendus eſt Dio l. 57. & Suet.[a] & maxime Corn. Tacitus, qui omnium accuratiſſime. Nam Sueton. ea narratione coniungit quæ temporibus diſcreta ſunt. Res enim Clementis & Libonis, ad annum ab hinc tertium pertinent, autore Tacito, quem deinceps, vt accuratiſſimum ſcriptorem ſequimur.

a l. 3. c. 25.

XVIII. *Iuliæ relegata mors.* Qvi etiam author eſt Iuliam Auguſti filiam, Tiberii vxorem, iam olim ob impudicitiam à Patre relegatam, hoc anno extinctum eſſe. Eodem anno, inquit, Iulia ſupremum diem obiit, ob impudicitiam olim à patre Auguſto Pandateria inſula, mox oppido Rheginarum, qui Siculum fretum accolunt, clauſa. Fuerat in matrimonio Tiberii, florentibus Caio & Lucio Cæſaribus, ſpreueratque vt imparem: Nec alia tam intima Tiberio cauſa, cur Rhodum abſcederet. Imperium adeptus extorrem, infamem, & poſt interfectum poſthumum Agrippam, omnis ſpei egenam, inopia, ac tabe longa peremit, obſcuram fore necem longinquitate exilii ratus; Sic Tacitus, ibique Lipſius longinquitatem exilij mauult ad temporis diuturnitatem, quam ad diſtantiam totius longitudinis Italiæ referre. Nam, inquit, relegata Iulia anno 748. ex quo ad hunc diem anni fere viginti. Bona cum venia doctiſſimi, atque optimi viri, dicendum arbitror, anni fere quindecim. Nã eam vrbe pulſam a. V. C. 751. ſupra docuimus: & Tacitus ſtatim narrat eiuſdem Liuiæ adulterum Sempronium Gracchum, poſt exilium quatuordecim annis toleratum, immiſſis tunc à Tiberio percuſſoribus, occiſum fuiſſe; At ex Velleio,[b] ſatis conſtat eodem tempore, quo Liuia relegata eſt, adulteros, partim morte, partim exilio eſſe mulctatos. De Tiberii in Iuliam acerbitate conſule etiam Tranquil.[c]

b l. 2. c. 100.
c l. 3. c. 50.

ANNVS MVNDI 4068. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI AN. 16. B. VIRG. 31. IMPERII ROMANI 63. TIB. AVGVST. 2.

Antipæ, et Philippi Tetrarchar. 15. Iſmaelis Pont. 1. Præsid. Syr. Metello Cretico 4. Ivdææ Procvratore Grato 1. Olymp. CXCVIII. an. 3. Vrb. Cond. 767. Coss. Drvso Cæsare Tib. fil. et C. Norbano Flacco. Ann. Ivl. 60. Avgg. 44. Actiac. vict. 46.

ÆRÆ CHRISTIANÆ ANNVS 15.

I. *Auguſti legata, vt perſoluerit Tiberius.* QVÆ à Tiberio ipſis Cal. Ian. hoc anno geſta ſint, dum populariter Remp. gerere conatur, quod Germanicus adhuc viueret, quem Imperii æmulum metuebat, leges apud Dionem ſub init. l. 5. . In his non negligendum videtur illud ab eo falsè dictum factumque his Coſſ. Legatum, inquit Dio, populo ab Auguſto Tiberius perſoluit ob huiuſmodi factum. Quum funus quoddam per forum efferretur, acceſſit qui mortuo quiddam in aurem inſuſurraret, rogatuſque quidnam ei dixiſſet, reſpondit, indicare eum Auguſto iuſſiſſe, nihildum à quoquam acceptum eius nomine. At tu, inquit Tiberius, eum nuncium perferes, ſimulque hominem interfici, cæteris legata perſolui iuſſit, viritim diuiſis 75 denariis, id eſt, 15. lib. Tur. Onufrius in Faſt. ex antiquo monimento tradit hoc anno Tiber. factũ eſſe Pont. Max 6. Idus Martias. Nouus quoque Hieroſolymis factus eſt Pontifex. In hunc enim Christi Domini annum decimum ſextum quadrant illa Ioſephi verba

a l. 18. ant. c. 3.

Ei, puta Auguſto, Tiberius Nero priuignus ſucceſſit, Iuliæ filius, Romanorum Imperator tertius, à quo quintus Iudæorum præſes miſſus eſt in Annii Rufi locum Valerius Gratus. Hic adempto Anano ſacerdotio, Iſmaëlem Fabi filium iuſſit eſſe Pontificem. Porro hic Valerius vndecim annis eam præfecturam geſſit, vt ait Ioſephus. Nam id quoque morum Tiberii fuit, continuare Imperia, ac pleroſque ad finem vitæ in iiſdem exercitibus, aut iuriſdictionibus habere. Tacitus l. 1. Annal. in fi.

II. *Germanici in Germania geſta.* Sexto poſt cladem Varianam anno, vt autor eſt Tacitus l. 1. Annal. Druſo & Norbano Coſſ. Germanicus, diuiſis cũ Cæcina copiis, initio veris in Chattos Germaniæ populos ducit exercitum, eoſque improuiſo aduentu opprimit: quod imbecillum erat ætate, vel ſexu, ſtatim captum, aut trucidatum; iuuentus diſpergitur, quibuſdam ad Cæſarem perfugientibus. Fuerat animus Cheruſcis iuuare Chattos; ſed exterruit eos Cæcina, huc illucque arma circumferens, & Marſos congredi auſos proſpero prælio cohibuit. Interea legati à Segeſte venerunt, viro inſigni in Romanos fide, cuius ſi Varus conſilium ſecutus fuiſſet, Germanici motus compreſſi fuiſſent, & vitata clades. *Segeſtus liberatur.* Hic ab Arminio, qui Germaniam turbauerat, cum magnis copiis obſidebatur, & per legatos, quibus Segimundum filium præfecerat, auxilia Romanorum implorabat. Aſſenſus eſt Germanicus, & conuerſis copiis contra obſidentes feliciter pugnauit, Segeſtem, cum propinquorum & clientium manu, periculo eripuit, in quibus Arminii vxor, eademque Segeſtis filia, & ſpolia pleraque Varianæ cladis recuperauit, nomenque Imperatoris autore Tiberio accepit.

III. *Arminius bellum vrget infeſtius.* At Arminius ſpe Segeſtis in poteſtatem redigendi fruſtratus, & inſuper amiſſa vxore indignans, Cheruſcos, vicinaſque gentes concitat ad bellum, & vltionem aduerſus Segeſtem & Romanos, ancipiti diuerſis in locis periculo, atque euentu, quæ fuſius à Tacito enarrantur. Nec illud tamen omittendum, aditum à Cæſare ſaltum, in quo Variana clades accepta fuerat, vt ſuorum reliquiis iuſta perſolueret, præmiſſo Cæcina, qui occulta ſaltuum ſcrutaretur, ponteſque & aggeres humido paludum, & fallacibus campis imponeret. *In ſaltu Variana cladis parentatur.* Ibi ſpectatis mœſtis locis, viſu memoriaque deformibus, Romanus qui aderat exercitus, ſextum poſt cladis annum trium legionum oſſa, nullo noſcente alienas reliquias, an ſuorum humo tegeret, omnes vt coniunctos, vt conſanguineos, aucta in hoſtem ira, mœſti ſimul & infenſi condiderunt. Primum extruendo tumulo ceſpitem Cæſar poſuit, Tiberio pium eius officium haud ſatis probante; ſiue quod cuncta Germanici in deterius traheret, ſiue quod eo ſpectaculo militum animos debilitatum iri ſuſpicaretur, aut potius ſuam negligentiam tacite argui putaret. Ita quondam perſimili officii genere offenſus eſt Philippus Perſei pater Antiocho Magno, dum oſſa Macedonum ad Cynocephalas cæſorum ſepulturæ mandar, quando eius partibus derelictis, Romanis ſe dedidit, magno Antiochi damno, magno ſuo emolumento. a.m. 3862. n. 55.

ANNVS MVNDI 4069. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI AN. 17. B. VIRG. 32. IMPERII ROMANI 64. TIB. AVGVST. 3. ANTIPÆ, ET PHILIPPI TETRARCHAR. 16. ELEAZARI PONT. 1. PRÆSID. SYR. METELLO CRETICO 5. IVDÆÆ PROCVRATORE GRATO 2. OLYMP. CXCVIII. AN. 4. VRB. COND. 768. COSS. SISENNA STATILIO TAVRO, ET L. SCRIBO. LIBONE. ANN. IVL. 61. AVGG. 45. ACTIAC. VICT. 47.

ÆRÆ CHRISTIANÆ ANNVS 16.

I. *Tiberii de Germanico conſilium.*

TERTIVM hunc annum expeditionis Germanici in Germaniam numerat Tacitus l. 2. Ann. cum rebus in Oriente turbatis, eo Tiberius illum deſtinauit. Verebatur enim ne legionum in ſe beneuolentia fretus, res nouas moliretur; ſtudebatque ab eis abſtractum, nouiſque prouinciis impoſitum, dolo ſimul & caſibus obiectare. At ille quanto acriora in eum ſtudia militum, & auerſa Patrui voluntas, tanto accelerandæ victoriæ intentior, apud ſe pertractans præliorum vias, & quæ ſibi tertium iam annum in Germania belligeranti, ſæua vel proſpera eueniſſent. Statuit nauibus militem, quos ferret, cum rebus bello neceſſariis traducere, eoque mille nauium claſſem fabricat, & ad Batauos conuenire iubet: moxque nonnulla in hoſtem leuioribus præliis, & in defuncti patris Germanici honorem molitus, exploratis ſuorum animis, iuſto prælio decernere cum Arminio conſtituit, & fecit feliciter admodum.

II. *Germanici in Arminium pugna, & victoria. Ob trophæũ pugna victoriaque redintegratur.*

ARMINIVS cum diu manu, voce, vulnere ſuſtentaſſet pugnam, re deplorata, niſu corporis, atque impetu equi vſus, in obſiſtentes euaſit, oblitus faciem ſuo cruore ne noſceretur. Eadem ſeu fraus, ſeu virtus Inguiomero eius patruo effugium dedit. Ab hora diei quinta, ad noctem cæſi hoſtes, decem millia paſſuum cadaueribus, atque armis oppleuere, repertis inter ſpolia eorum catenis, quas in Romanos, vt non dubia victoria portauerant. [a] Miles in loco prælii Tiberium Imperatorem ſalutauit, ſtruxitque aggerem, & in modum trophæorum arma, ſubſcriptis victarum gentium nominibus, impoſuit. Ea re cum ſibi inſultari Germani crederent, nec ignominiam ferre poſſent, prælium breui redintegrant: in quo non minore virtute duces aut milites, nec meliore fortuna pugnauerunt. Poſt acrem ambiguamque victi pugnam, conciduntur, clamante Cæſare nihil opus eſſe captiuis, ſolam iternecionem gentis finem bello fore. Iamque ſero diei ſubducit ex acie legionem faciendis caſtris, cæteræ ad noctem cruore hoſtium ſatiatæ ſunt.

[a] vide 2. Mac. 8. 25.

III. *Eiuſdem in trophæo modeſtia.*

LAVDATIS pro concione victoribus, Cæſar congeriem armorum ſtruxit, ſuperbo cum Titulo. DEBELLATIS INTER RHENVM AMBIMQVE NATIONIBVS, EXERCITVM TIBERII CAESARIS EA MONIMENTA MARTI, ET IOVI, ET AVGVSTO SACRAVISSE. De ſe nihil addidit metu inuidiæ, an ratus conſcientiam facti ſatis eſſe? Nimirum vt priore pugna milites ſuam in Tiberium principem, cuius auſpiciis bellum gerebatur, obſeruantiam, venerationemque prodidere, dum ipſum, non Germanicum licet præſentem, Imperatorem ſalutauere, ita non minore modeſtia Germanicus eius exercitui victoriam, nulla ſui mentione, attribuit, & poſteritati monimento conſecrauit.

Imperii Romani ann. 64.

IV. *Afflicta Romana claßis.*

Æstate iam adulta legionum aliæ itinere terreſtri in hybernacula remiſſæ, plures Cæſar impoſitas claſſi, per flumen Amiſiam Oceano inuenit, vbi tempeſtate afflictæ, & pene conſumptæ ſunt. Eius cladis fama Germanos erexit, vt inchoatam à Neptuno perniciem ipſi perficerent; ſed breui collectis à Cæſare copiis, ita pugnatum eſt, vt Germani vltro faterentur, inuictos, & nullis caſibus ſuperabiles eſſe Romanos; qui perdita claſſe, amiſſis armis, poſt conſtrata equorum virorumque corporibus littora, eadem virtute, pari ferocia, & veluti aucti numero, irrupiſſent. Reductus inde in hyberna miles, lætus animi, quod aduerſa maris, expeditione proſpera penſauiſſet; addidit munificentiam Cæſar, quantum quiſque damni profeſſus eſſet, exſoluendo.

Inuicti nihilominus Romani.

V. *Tiberius Germanicũ reuocat inuitum.*

Iam hoſtis ſæpius fractus pacis conſilia agitabat, & ſi proxima æſtas eſſet adiecta, apparebat debellari in Germania poſſe: ſed crebris epiſtolis Tiberius reuocabat, rediret ad decretum triumphum, ſatis iam euentuum, ſatis caſuum expertum eſſe. Cumque Germanicus annum vnum perficiendis cœptis precaretur, acrius modeſtiam eius aggreditur, alterum Conſulatum offerendo, cuius munia præſens obiret: Simul etiam addebat, ſi foret adhuc bellandum, relinqueret materiam Druſi fratris gloriæ, qui alibi quam in Germania non eſſet hoſtem inuenturus, ex quo Imperatorium nomen, & lauream conſequi poſſet. Haud vltra cunctatus Germanicus, Romam cõtra inuidiam gemens reuertit In cuius gratiam in fine anni arcus propter ædem Saturni, ob recepta ſigna cum Varo amiſſa, & templum Fortunæ iuxta Tiberim dicata ſunt.

Reuertitur

VI. *Libo Druſus res nouas molitur.*

Hoc anno Scribonius Libo Druſus res nouas, impulſu Mathematicorum, & Magorum, & interpretum ſomniorum moliebatur; ſed delatus ad Tiberium ab iis ipſis, qui eum in fraudem impulerant, ſupplicium propria manu anteuertit. Facta de Mathematicis, Magiſque Italia pellendis ſenatuſconſulta: & duo eorum præſenti ſupplicio affecti ſunt. Nec tamen ipſe propterea minus, cum Thraſyllo erat Mathematico, vt ex Sueto.[a] cõſtat, & Dione,[b] qui etiam ſpe longioris vitæ deluſum, à morte pleriſque inferenda deduxit. Poſtero die multa in Senatu contra luxum ciuitatis dicta, decretumque inter alia, ne vaſa auro ſolida miniſtrandis cibis fierent; eo vſque luxus, corraſis orbis terrarum opibus, aſcenderat, ſed magis mirum fuit, quod is etiam publicum habuerit patronum Aſinium Gallum, qui & vicerit, in tanta morum ac vitiorum corruptela. Ex quo factum eſt, vt aureus iſte luxus, publico Senatus conſenſu probatus, ac roboratus, maiorem cladem Romanis moribus afferret, & maiorem rapiendi cupiditatem Prætoribus prouinciarum inſtillaret, vt aurea cuncti ſupellectile fulgerẽt: & ſibi creditos populos ſtrenue ſpoliatos, ad querelas, defectiones, nouaq; bella compellerent,

Mathematici Italia pulſi.

Mathematici Italia pvlsi.

a l.4.c.14.& l.2 c.98.
b l.55.& in fi.58.

VII. *Pſeudo-Agrippa.*

Eodem anno Poſthumi Agrippæ ſeruus nomine Clemens facinus edidit, à pluribus iam vſurpatum. Cum enim fruſtra Dominum cædi eripere, & naui in Germaniam transferre ſategiſſet, nec à Domini ſimilitudine multum abeſſet, addidiſſet etiam promiſſæ comæ barbæque ſimilitudinem, Agrippam ſe facit, & fama obſecundante propemodum creditur. Verum callide à Tiberio circumuentus capitur. Percontanti Tiberio quomodo Agrippa factus eſſet, reſpondiſſe fertur, Quomodo tu Cæſar; eiuſque iuſſu mox in ſecreta palatii parte interfectus eſt. Hæc Tacitus, & ex eo Dio l.57.

ANNVS MVNDI 4070. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI an. 18. B. VIRG. 33. IMPERII ROM. 65. TIB. NERONIS AVG. 4. Antipæ et Philip. Tetrar. 17. Simon. Pont. 1. Præs. Syr. Metello Cret. Silano 6. Iudææ Procurat. Valer. Grato 3. Olymp. CXCIX. an. 1. Vrb. Cond. 769. Coss. C. Coelio Rufo, et L. Pomponio Flacco. Ann. Iulia. 62. Augg. 46. Act. victoriæ. 48.

Cæcilium habet Chr. Græc. Euſeb. & Dio l. 57.

ÆRÆ CHRISTIANÆ ANNVS 17.

NOVVM hoc anno Syriæ præſidem ſuggerit Tacitus l. 2. Annal. Piſonem, reuocato Metello Cretico Silano, quoniam ille idoneus, ad conſilia Tiberii de perdendo Germanico, viſus eſt, non iſte, qui ei per affinitatem connexus erat: Anno tamen ſequenti factam mutationem, intelligetur ex iis, quæ ibi dicenda ſunt. Germanicus porro his Coſſ. 7. Cal. Iunias, is eſt Maii 27. triumphauit de Cheruſcis, Chattis, aliiſque populis: ideoque recte Pontacus Euſebii Chronicon emendauit, vbi habet Germanicum de Parthis triumphaſſe. Ex eo nihilominus confirmatur annus Olympiadis à nobis poſitus, qui Æſchinem Mileſium victorem celebrauit: ſicut ab Oroſio annus Tiberii. Nam [a] Sane, inquit, quarto Imperii eius anno Germanicus Druſi filius Caligulæ pater de Germanis, ad quos ab Auguſto ſene miſſus fuerat, triumphauit. De eodem triumpho legendus eſt Strabo l. 7.

I. *Cur mutatus Syriæ Præſes.*

Germanici triumphus

a l. 7. c. 4.

II. *Triumphi magnificentia.*

TRIVMPHAVIT autem quaſi plane debellatum eſſet, quia quod conficere prohibitus erat, pro confecto accipiebatur: additique ad triumphalem currum quinque liberi eius. Quæ fuerit triumphi magnificentia facile intelligi poteſt ex publica omnium ordinum in Germanicum beneuolentia, & gradu quem in Rep. tenebat, vt Agrippæ Germanici filius, Auguſti ex filia nepos, Tiberii priuignus, & adoptione filius. Tiberius eius nomine trecenos plebi ſeſtertios viritim dedit, ſeque collegam conſulatui eius deſtinauit. Hoc ipſo tempore videtur contigiſſe, quod narrat de Tiberio Dio. Cum inſtaret, inquit, Tiberio Senatus, ac menſem Nouembrem, nam 16. eiuſdem natus fuerat, cuperet ab eo Tiberium nominare. Quid, inquit, facietis, ſi 13. Cæſares fiant? Macrobius [b] ait Septembri Germanici nomen tributum fuiſſe, Octobri Domitiani, ſed non conſtanter.

b l. 1. Satur. c. 12.

III. *Tiberius eũ deſtinat in Orientem.*

VIVEBAT nihilominus in Tiberii pectore Germanici metus, & æmulatio quædã; ideoque ſub honoris ſpeciem longe in Orientẽ illũ amandare aggreditur, cauſas vel ſtruens ipſe, vel oblatas auide arripiens. Archelaus quinquageſimum iam annum Cappadociæ Rex, erat Tiberio inuiſus, quod eum Rhodi hærentem nullo officio coluiſſet: illum ergo matris ſuæ interuentu accerſitum, in Senatu accuſat, breuique ad mortem adigit: itaque id regnum in formam prouinciæ redigendum erat. Per idem tempus Antiocho Comagenorum, Philopatore Cilicum regibus defunctis, turbabantur nationes, pleriſque Romanum, aliis Regium Imperium cupientibus: & prouinciæ Syria atque Iudæa feſſæ oneribus, diminutionem tributi orabant; Parthorum quoque res turbatæ erant, Venone eorum rege ab Artabano Medo in Armeniam fugato, & in Romanorum fidem ſeſe permittente.

Quis eius ſtatus.

IV. *Cauſa Archelai Cappadocis.*

ARCHELAI Cappadocis cauſam diſtinctius explicat Dio, aitque infenſum illi Tiberium, quod ſe de ipſo benemeritum, Rhodi neglexiſſet, Caium vero in

Aſiam venientem ſtudioſe coluiſſet. Inſimulatum ergo quaſi nouis rebus ſtuderet Romam euocauit, ac Senatus iudicio tradidit hominem, non ſenectute modo extrema, ſed podagra etiam vehementi confectum, ac delirare creditum qui ex lectica in Senatu nonnulla diſſeruit, & mox vitato periculo extinctus eſt.

Senatui perſuadet profectionē Germanici. De prædictis ergo Tiberius apud Patres diſſerens, perſuaſit non poſſe motum Orientem niſi Germanici ſapientia componi: nam ſuam ætatem in ſenium vergere, Druſi filii nondum ſatis adoleuiſſe cauſabatur. Ergo decreto patrum permiſſæ Germanico prouinciæ, quæ mari diuiduntur, maiuſque Imperium quoquo adiſſet, quam iis qui ſorte aut miſſu Principis eas obtinerent, vt pridem bello piratico in gratiam Pompeii factum fuerat.

V. *Piſo deſtinatur Syriæ Præſes.* INTEREA Syriam Præſes deſtinatus erat Cn. Piſo, vir ingenio violento, ignaroq; obſequii, qui non dubitabat ſe delectum Syriæ præſidem, ad ſpes Germanici coërcendas. Credidere quidam data etiam à Tiberio occulta mandata; & Plaucinam Piſonis vxorem Auguſta monuit, vt Agrippinam Germanici vxorem inſectaretur. *Et Druſus in Illyricū.* Non multo poſt Druſi in Illyricum deſtinatur expeditio, vt is militiæ aſſueſceret, ſtudiaque exercitus pararet, nec vrbano luxu laſciuiret. Sed tutiorem quoque Tiberius ſe fore ſperabat, vtroque filio legiones obtinente. Nec tamen tam cito in prouincias ſuas vterque profecti ſunt, vt mox notat Tacitus, cum de ſubrogando prætore in locum Vipſanii Galli agit: profectos tamen eſſe ante huius anni finem, proximo anno cognoſcetur.

VI. *Res Germanicæ.* GERMANI autem, diſceſſu Romanorum vacui externo metu, inter ſe ad arma ſcinduntur, aliis pro Arminio, cæteri pugnaturi pro Maroboduo, qui mox deuictus, Romanorum auxilia fruſtra petiit. Cum interea terræ motus ita concuſſit Aſiam, vt duodecim celebres vrbes pene abirent in præceps; ſediſſe immenſos montes, viſa in arduo quæ plana fuerint, effulſiſſe inter ruinam ignes memorant, vt ſcribit hoc anno Tacitus; *Terræmotus in Aſia.* cui cladi Tiberius non ſolum remiſſione tributi in quinquennium, ſed alia etiam liberalitate ſubuenit. Meminit eiuſdem calamitatis Strabo l. 12. & Dio l. 57. Phlego apud Scaligerum in Euſeb. & Euſeb. ipſe in Chron. qui tamen eam in ſequentem annum differt, & aliis duodecim vrbibus addit duas. Nec tamen plane abſorptas, aut proſtratas exiſtimandum eſt, sed alias aliis plus minuſue conquaſſatas & euerſas, vt aperte docet Tacitus, cum ait eos proportione damni accepti, etiam miſericordiam Tiberii ad ſe traxiſſe. Cæterum minime audiendus eſt, Paul. Oroſius,[a] cum hunc terræ motum cum eo confundit, qui Chriſto moriente contigit. Nam ſedecim fere annis à ſe diſtare certum eſt. Notarunt etiam Pontac. & Lipſius, hic in Tacitum, ille in Euſeb. *πολλαὶ πόλεις ... Dio. a l. 1. c. 4. extremo.*

VII. *Mors T. Liuij & Ouidij.* HOC ipſo anno in Africa Furius Camillus, proconſul Africæ contra Tacfarinatem & Mazippam rem bene geſſit, & à Tiberio in Senatu laudatus, triumphalia obtinuit ornamenta. Refert porro in hunc annum Euſebius mortem T. Liuii, quam male Scaliger ait Hieronymum ex Suetonio ſumpſiſſe: id enim nemo vnquam legit in Suetonio. Eadem confidentia Ouidii mortem, quam in hunc annum refert Euſebius, ille ad Suetonium falſo retulit. Vltimum hunc an-*Scaliger notatur.* num fuiſſe Ouidio, ſcripſit quoque Marianus. Exilii autem octauum putat Scaliger, poſito Græcinum, ad quem eſt elegia 9. libri 4. de Ponto, eſſe Pomponium Flaccum, neque enim ſatis eſt Græcinum eſſe fratrem Conſulis, quod ille audacter ſine teſte aſſerit, cum Poëta dicat,

Miſſaque dij faceant auroram occurrat ad illam,
Bis ſenos faſces, quæ tibi prima dabit.

Adde quod elegia decima, quæ eſt ad Albinouanum, numerat tantum ſextum exilii annum.

Hac mihi Cimmerio bis tertia ducitur æſtas.

Sicut & 13. ad Carum ---*me iam Care niuali*
Sexta relegatum bruma ſub axe videt.

Parum ergo probabiliter, nona elegia pertinet ad octauum exilii annum, quod ille vult, cum decima tertia, ad ſextum pertineat. Rectius itaque Lilius Giraldus, quem hoc loco Scaliger male reprehendit, ex Minutiani Apulei frag-

mento recitat, eum anno exilii ſui ſeptimo, Calendis Ianuarii, qua die T. quoque Liuius deceſſerit, hominem eſſe deſiiſſe; ſtructumque illi à Barbaris monimentum. Eorum videlicet gratiam promeritus erat, cum Getico ſcripſit ſermone libellum, in laudem, & Apotheoſim Auguſti defuncti, vt ipſemet Ouidius ſcribit ad Carum. Ex quo ſequitur relegatum Ouidium an. V.C.762. Non multum ſuperauit annum vitæ quinquageſimum, qui ſcribat in exilio in Ibin.

Tempus ad hoc luſtris mihi iam bis quinque peractis.

Alibi tamen ſe quinquageſimum annum egiſſe ait,

Quum maris Euxini poſitos ab læua Tomitas
Quærere me læſi principis ira iubet.

Ex quo ſequeretur eum anno 57. vitæ mortuum.

ANNVS MVNDI 4071. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI an. 19. B. VIRG. 34. IMPERII ROM. 66. TIB. NERONIS AVG. 5. ANTIPÆ ET PHILIPPI. 18. IOSEPHI CAYPHAE PONT. 1. PRÆS. SYR. CN. CALPVR. PISONE 1. IVDÆÆ PROCVRAT. VALER. GRATO 4. OLYMP. CXCIX. AN. 2. VRB. COND. 770. COSS. TIBERIO AVGVSTO III. ET GERMANICO CÆSARE II. ANN. IVLIA. 63. AVGG. 47. ACT. VICTORIÆ. 49.

ÆRÆ CHRISTIANÆ ANNVS 18.

I. *Iudæorum Pontifices annui.*

NOVVM ſingulis annis cum Ioſepho Pontificem Iudæorum damus, prout illi nunc pro arbitrio Valerii Grati mutabantur. Nam de Grato agens Ioſephus.[a] *Hic, inquit, adempto Anano Sacerdotio, Iſmaelem Fabi filium iuſſit eſſe Pontificem; quo paulo poſt deiecto, in Eleazarum Anani Pontificis filium eum honorem tranſtulit.* Elapſo deinde anno & hunc redegit in ordinem, & Simoni Camithi filio Pontificatum tribuit; Hic quoque anno in hac dignitate exacto, iuſſus eſt eam cedere Ioſepho, qui cognominabatur Cayaphas. His ita geſtis Gratus Romam repetit in Iudæa exactis annis vndecim. Sic Ioſephus; quo duce Ioſephum, ſiue Caypham Pontificem retinebimus, dum nos idem de altero ſufficiendo moneat. Onuphrius in Chron. deſerto Ioſepho, Anano, ſiue Annæ viginti annos Pontificatus attribuit; ſicque falſum erit hos omnes Pontif. à Grato commutatos; imo ne vnum quidem, Nam ſi Anano 20. annos dederimus, Gratus Romam rediit, & Pilatus in eius locum ſucceſſit, totis quatuor annis, ante quam Ananus vigeſimum in Pontificatu exegiſſet annum. Itaque in digerendis hiſce Pontificibus, Baronius, Deckerius, & ſi qui alii, Ioſephum ſequi maluerunt. Et ſane ſatius eſt Cayphæ plures annos, neque Ioſepho, neque rerum ſerie repugnante, tribuere, quam iis aduerſantibus aliquot Pontificum ſedes commutare, nullo idoneo nixos fundamento.

[a] l.18.c.3.

II. *Germanici ad Orientē iter.*

PORRO hic annus Tiberium tertio, Germanicum iterum Conſules habuit, vt ſcribit Tacitus l.2. ſed eum honorem Germanicus iniit, apud vrbem Achaiæ Nicopolim, quo venerat per Illyricam oram, viſo fratre Druſo in Dalmatia agente, (Iam ergo vterque ex vrbe profectus erat, & quidem Druſus prior; conſentit Suet.[b]) Adriatici, ac mox Ionij maris aduerſam nauigationem perpeſſus. Igitur paucos dies reficiendæ claſſi, & viſendis locis Actiaca victoria inclytis inſumpſit; tum Athenas venit, vbi eum Græci exquiſitiſſimis honoribus excepere. Petita inde Eubœa tranſmiſit Leſbum, vbi Agrippina eius vxor nouiſſimo partu

[b] l.4.c.1.

Iuliam edidit; tum extrema Aſiæ, Perinthumque ac Byzantium Thracias vrbes, mox Propontidis anguſtias, & os ponticum intrat, cupidine veteres locos, & fama celebratos noſcendi, pariterque prouincias internis certaminibus, aut magiſtratuum iniuriis feſſas refouebat.

III. *Et Piſonis Syriæ Præſidis.*

At Cn. Piſo proxime ſubſecutus Germanicum, properabat in Syriam, & Athenas appellens, eam ciuitatem verbis tractat aſperius, obliqua accuſatione Germanici, qui mutuo cum ea honore certaſſe videbatur. Exin nauigatione celeri per Cycladas, & compendia maris, aſſequitur Germanicum apud inſulam Rhodum, à quo ipſe Piſo præſenti naufragii periculo ereptus, nec tamen mitigatus, relinquit Germanicum, & in Syriam præcurrit. Hæc pluribus Tacitus. Quæ cum tam perſpicua narratione dubia eſſe non poſſint, quid eſt quod idem Tacitus, ſub Cælii & Pomponii Conſulatu dixit de Tiberio, æmulum Germanico in Syria præparante, *Sed Tiberius demouerat Syria Geticum Silanum, per affinitatem connexum Germanico.* Si Silanus demotus antea, certe Piſo ſuffectus fuit, ille quippe demouebatur, vt hic ſufficeretur. Quæ cauſa fuiſſe videtur Onufrio in Chronol. vt ſub iiſdem Conſulibus Cn. Piſonem Syriæ legatum poneret. Dicendum videtur eam demotionem fuiſſe ordinationem principis iamdudum factam; & ad Silanum quoque ſi placet miſſam, non tamen ante hunc annum executioni mandatum. Dio certe l. 57. hanc coniecturam confirmat, cum ait multos, quibus ſorte prouinciæ obtigiſſent, diu Romæ & in Italia poſtmodum commoratos fuiſſe, vt propterea eos Tiberius in prouincias ante Cal. Iunias proficiſci iuſſerit.

IV. *Sibi legiones indulgentia conciliat.*

Ergo Piſo poſtquam Syriam ac legiones attigit, largitione, ambitu, licentia eas ſibi conciliare ſtatuit; eoque vſque corruptionis prouectus eſt, vt ſermone vulgi, parens legionum haberetur. Plaucina quoque eius vxor tam ipſa per ſe, quam per aliquos milites ad mala obſequia promptos, contumelias in Agrippinam, & Germanicum iactabat; idque hoc facilius, quod id haud inuito Imperatore fieri, occulto rumore ferebatur.

Germanicus dat regem Armenis. Cappadoces ordinat, & Comagenos

Quæ licet Germanico innoteſcerent, res tamen Armeniæ eum prius ad ſe traxerunt. Nam ea tempeſtate Armenii, amoto Venone, regem non habebant; ſed fauor nationis inclinabat in Zenonem, Regis Pontici filium, cui Germanicus in vrbe Artaxata, approbantibus nobilibus, circumfuſa multitudine, inſigne regium capiti impoſuit. At Cappadoces in prouinciæ formam redacti, Q. Veranium legatum accepere, & quædam ex regiis tributis diminuta, quo mitius Romanum Imperium ſperaretur. Comagenis Q. Seruæus præponitur, tum primum ad ius Prætoris tranſlatis: ob quæ bene geſta honores ei Romæ decreti ſunt.

V. *Germanici Piſoniſque ſimultas.*

Qvæ cum proſpere tranſacta eſſent, non propterea Germanicum exhilarabant, de ſuperbia Piſonis indignantem, qui iuſſus partem legionum ipſe, aut per filium in Armeniam ducere, vtrumque neglexerat. Cyrrhi demum vrbe Syriæ, apud hyberna decumæ legionis conuenere, vbi paucis familiarium adhibitis, ſermo cœptus à Cæſare, qualem ira & diſſimulatio gignit, reſponſum à Piſone precibus contumacibus, apertis diſceſſere odiis; poſt quæ rarus in Tribunali Cæſaris Piſo, & ſi quando aſſideret, atrox ac diſſentire manifeſtus.

Artabani ad Germanicum legatio.

Inter quæ à rege Parthorum Artabano legati venere, renouandæ amicitiæ gratia. Aiebat Rex ſe Germanici honori daturum, vt ad ripam Euphratis accederet, petere interim ne Venones in Syria haberetur, ne in diſcordiam proceres, gentium vicinitate traheret. Id libenter Germanico factum, non in gratiam Artabani tantum; ſed in Piſonis contumeliam, cui ille ſe officiis plurimis doniſque commendauerat. Hæc pluribus Tacitus.

VI. *Herodes Antipas Tiberiadem condit.*

Svb hæc tempora Herodes Tetrarcha receptus in amicitiam Tiberii, de ipſius nomine vrbem à ſe conditam vocauit Tiberiada, electo ad hoc optimo agro Galilææ, in ora lacus Geneſarethici. Ad eam incolendam multi facile confluxerunt, magnis eos immunitatibus ac beneficiis Herode alliciente.

ANNVS MVNDI 4072. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI AN.20. B. VIRG.35. IMPERII ROMANI 67. TIBERII AVG. 6. ANTIPÆ, ET PHILIPPI TETRAR. 19. CAYPHÆ PONT. 2. PRÆSIDE SYR. PISONE 2. PROCVR. IVDÆÆ GRATO 5. OLYMP. CCXIX. 3. VRB.COND.771.COSS. M. IVNIO SILANO, ET L. NORBANO FLACCO. AN.IVLIAN. 64. AVGVST. 48. ACT. VICTORIÆ 50.

ANNVS ÆRAE CHRISTIANÆ 19.

LVCTVOSVM hunc annum facit indigna mors clariſſimi atque optimi Principis Germanici, quam ab ipſo anni principio portentis præmonſtratam Dio ſub his Coſſ. refert. Eam calamitatem copioſe Tacitus l. Annal.2. perſequitur, ex quo hæc pauca libauimus. I. *Germanicus in Ægypto.*

Germanicus Ægyptum petit cognoſcendæ antiquitatis cauſa: vbi apertis horreis precia frugum imminuit, cultu, habituque etiam populari vſus, vtrumque improbante Tiberio. Cæterum dum Germanicus ſaxeam Memnonis effigiem, ad ſolis radios vocalem, Pyramides inſtar montium eductas, aliaque Ægypti miracula perluſtrat, in Germania res aſtu Druſi turbantur, vbi fractum Maroboduum perſequens, ad Romanum perfugium cogit; idemque alteri Germano principi nomine Caſtalda, & caſus & perfugium fuit, quorum ille Rauennæ, hic Foroiulii in prouincia Narbonenſi conſenuit. In Thracia quoque Rheſcuporis, conſortis regni impatiens, Cotyin filium fratris ſui fraude circumuentum catenis onerat; deinde malens apud Tiberium patrati, quam incepti facinoris reus eſſe, occidit, mortemque ſponte ſumptam ementitur. Sed & ipſe iuſſu Tiberii, opera Pomponii Flacci callide circumuentus, & in vrbem tractus, damnatuſque, ac regno exutus; poſtea etiam, dum fugam meditatur, interfectus eſt. Meminit etiam Velleius.[a] *Res Druſiana in Germania.* *Rheſcuporis Thrax.* a l.2.c.129.

IN Syria vero & in Aſia, cuncta quæ Germanicus ſiue in legionibus, ſiue in vrbibus conſtituerat, reuertens ex Ægypto antiquata reperit; vnde in Piſonem vehementer exarſit. Graues, inquit Tacitus, in Piſonem contumeliæ, nec minus acerba, quæ ab illo in Cæſarem tentabantur. Dein Piſo abire Syria ſtatuit; querelas vtique Romam ad Tiberium allaturus. Mox aduerſa Germanici valetudine detentus (vt ſi is moreretur in prouincia ſubſiſteret) vbi morbo recreatum accepit, vota quæ pro ipſius incolumitate ſoluebantur, admotas hoſtias, ſacrificalem apparatum, feſtam Antiochienſium plebem (Antiochiæ enim ægrotabat, vbi & mortuus eſt) per lictores proturbat. Tum Selemiam digreditur, opperiens ægritudinem, quæ rurſus Germanico acciderat. II. *Piſonis & Germanici inimicæ actiones.*

SÆVAM morbi vim augebat perſuaſio veneni à Piſone accepti. (Forte rectius, Sæua morbi vis augebat perſuaſionem veneni à Piſone accepti) reperiebantur & maleficia domi, quæ eodem ex fonte deriuata videbantur. Ergo in multa ira & gemitu, eius amicitiæ per literas renunciat, atque prouincia decedere iubet. Nec Piſo vltra moratus, naues ſoluit, moderabaturque curſui, quo citius regrederetur, ſi mors Germanici Syriam aperuiſſet. III. *Piſo veneni dati ſuſpectus.*

At Germanicus morbo fractus, finem imminentem ſentiens, Piſonem & Plancinam eius vxorem incuſans, & vltionem ab amicis poſtulans, ab vxore in ſæuiente fortuna moderationem, ac modeſtiam, moritur, haud multum triginta annos egreſſus, vt ait Tacitus: diſtincte 34. Sueton.[b] vbi de eius morte hæc habet. *Moritur Germanicus.* b l.4.c.1.

IV. *Eius ætas & mors ex Suetonio.*

Consvl deinde iterum creatus, ac priuſquam honorem iniret, ad componendum Orientis ſtatum expulſus, cum Armeniæ Regem deuiciſſet, Cappadociam in prouinciæ formam redegiſſet, annum ætatis agens quartum & trigeſimum, diutino morbo Antiochiæ obiit, non ſine veneni ſuſpicione. Nam præter liuores, qui toto corpore erant, & ſpumas, quæ per os fluebant, cremati quoque cor inter oſſa incorruptum repertum eſt; cuius ea natura exiſtimatur, vt tinctum veneno igne confici nequeat, Conſule Plin.[a] Obiit autem, vt opinio fuit, fraude Tiberii, miniſterio & opera C. Piſonis, qui ſub idem tempus Syriæ præpoſitus, filium ſibi potius, quam patrem offendendum cenſuit. Propter quæ, vt Romam rediit, pene diſcerptus à populo, à Senatu capitis damnatus eſt. Hæc fere Tranq. & copioſiſſime Corn. extremo l.2. & initio 3. & Dio l.57. qui pleraque ex eo mutuatur. Tangit & Ioſephus.[b]

V. *An Tiberius illius reus.*

Alii quoque ſcriptores, præter Velleium, Tiberium reum mortis huius principis, quem ipſe adoptarat, fatentur. Sed vltore Deo ipſemet proprium filium Druſum non multo poſt pari fraude ſublatum luxit, & eiuſdem Germanici filium, hæredem Imperii habere coactus eſt, vt ex ſequentibus intelligetur.

Piſo repulſus Syria Romam petit.

Tacitus Piſonem prius ait, audita morte Germanici, de repetenda Syria dubitaſſe; quæ iam Cn. Sentio, legatorum & Senatorum qui aderant conſenſu, ceſſerat, & amicis ſuadentibus perſuaſum, eam adiiſſe, ac vim & copias contra Sentium paraſſe, & poſt leuem pugnam in caſtello clauſum, nihil præter naues, & tutum in vrbem iter impetraſſe, quo eum Marſus Vibius citauit, dum Agrippinam Germanici vxorem Romam cum mariti reliquiis comitaretur.

VI. *Sacra Ægyptia, & Iudaica vrbe pulſa.*

Actvm eſt etiam hoc anno Romæ, teſte Corn. Tacito, de ſacris Ægyptiis, Iudaiciſque pellendis, factumque S.C. vt 4. millia libertini generis, ea ſuperſtitione infecta, quibus idonea ætas foret, in Sardiniam coërcendis illic latrociniis veherentur, vili damno, ſi illic ob cœli grauitatem interirent, cæteri Italia cederent, niſi ante certam diem profanos ritus exuiſſent. Eadem fere habet Sueton.[c] quæ Ioſephus[d] vberius explicat. Docet enim in ſacris Iſidis ſummam turpitudinem deprehenſam, Paulina illuſtri fœmina, à Decio quodam Mundo, ſimulatione Dei Anubis, in templo nocturna congreſſione polluta. De cauſa vero expulſorum Iudæorum hæc habet cap.5. *Erat quidam Iudæus, qui ne legibus pœnas daret, metu ſolum verterat, vir modis omnibus peſſimus. Is tum Romæ agens, gerebat ſe pro Moſaicæ legis interprete, aſcitis in ſocietatem tribus aliis per omnia ſui ſimilibus. His cum ſe in diſciplinam dediſſet Fuluia mulier nobilis, amplexa legem Iudaicam, perſuaſerunt ei, vt purpuram & aurum in Hieroſolymitanum templum mitteret: quæ accepta in proprios vſus verterunt, quo iam ante deſtinauerant. Id poſtquam Tiberius ex amico ſuo Saturnino, ipſius Fuluiæ marito, de iniuria coniugi facta queſto cognouit, iuſſit vniuerſos Iudæos ex vrbe pelli.*

VII. *Sentius Saturninus monet Tiberium ad Iudæos pellendos.*

Hic eſt Sentius ille Saturninus, quem à morte Germanici ſuffectum Syriæ Præſidem diximus, qua deinceps dignitate aliquot annos, Tiberii vtique conſenſu, functus eſt, ſed pergit Ioſephus: *Ex quibus Iudæis Conſules delectu habito, 4. millia militum miſerunt in Sardiniam, plurimos etiam, qui patria religione detrectabant militiam, affecerunt pœnis grauiſſimis; Ita propter quatuor ſceleratos, omnes Iudæi coacti ſunt vrbe cedere.* Hæc Ioſephus; quæ alieno vtique tempore narrauit, vt Baronius quoque notauit. Multo ſcilicet tempore poſt aduentum Pilati in Iudæam, quo ille vix poſt ſex annos appulit. Eodemque modo ficta Pilati acta refutauit Euſeb.[e] quæ quarto Tiberii Conſulatui tribuebantur, quadriennio ſcilicet ante præſidis eius aduentum in Iudæam, quibus occaſionem præbuit egregia Ioſephi Chronologia.

a l.11.c.37.
b l.18.c.3.fi.
c l.3.c.36.
d l.18.c.4.5.
e l.2.hiſt.c.6

ANNVS MVNDI 4073. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI AN. 21. B. VIRG. 36. IMPERII ROMANI 68. TIBERII AVG. 7. ANTIPÆ, ET PHILIPPI TETRAR. 20. CAYPHÆ PONT. 3. PRÆSIDE SYR. CN. SENTIO SATVRNINO 1. PROCVR. IVDÆÆ GRATO 6. OLYMP. CXCIX. AN. 4. VRB. COND. 772. COSS. M. VALERIO MESSALA, ET M. AVRELIO COTTA. AN. IVLIAN. 65. AVGVST. 49. ACT. VICTORIÆ 51.

ANNVS ÆRAE CHRISTIANÆ 20.

I. *Luctus vrbis pro Germanico eiusque funus.*

IANVARIO huius anni menſe, cum vix Valerius Meſſala, & Aurelius Cotta magiſtratum incepiſſent, vt ait Tacitus, l. Annal. 3. Agrippina, nihil intermiſſa hyberni maris nauigatione, Romam, cum mariti reliquiis venit, tota in luctum verſa ciuitate, iuſtitioque vltro ſuſcepto, & Tiberio luctum domeſticis parietibus, cum ſua, Germanicique matre, obtegente. Oſſa in Auguſti Mauſolæum illata ſunt, magno omnium in defunctum honore, magnis in Agrippinam viduam ſtudiis, & in Tiberium querelis. Deinde cum eiuſdem Tiberii edicto ad munia reditum eſſet, & Druſus ad Illyricos exercitus rediiſſet, omniumque animi intenti eſſent ad vltionem è Piſone petendam, ille præmiſſo in Vrbem filio, datisque mandatis, per quæ Principem molliret, ipſe Druſum adit, quem ſperabat ſibi remoto æmulo Imperii æquiorem, cum neutrius verbis impulſus eſſet in metum,

II. *Piſo Romæ accuſatur.*

PISO in Vrbem naui appellit, & reditum feſto ornatu epuliſque celebrat; ſed poſtridie à pluribus accuſatoribus in iudicium rapitur, à multis accuſatur. Tiberius cauſam ad Senatum reiicit, habita ſuper hoc negotio ad patres oratione, mitigandæ in reum offenſionis: cuius vt pleraque facinora à patronis defendi non poterant, ita nec venenum ab accuſatoribus ſatis probari. Interim populus in Piſonem furebat foris, ad diſcerpendum paratus, ſi patrum ſententiis euaſiſſet, in cuius rei argumentum eius effigies traxerant in Gemonias, & diuellebant. Nec minus erat in Plancinam odium; ſed eam Tiberii fauor, male conciliatus, vt credebatur, protegebat. Ea cum cauſa ſuam à mariti cauſa diſiunxiſſet, ſenſit Piſo actum de ſe eſſe. Et habebat ille quidem præ manibus libellum, quo literæ Tiberii, & mandata in Germanicum continebantur, quæ in ſui defenſionem promere cogitabat, ni eluſus à Seiano per vana promiſſa foret.

Populus, in eum furit.

Ab vxore deſeritur.

III. *Seipſe perimit.*

ERGO domum relatus certus mori, ſcribit ad Cæſarem codicillos, quibus ei filios ſuos Cn. & M. Piſones infimis precibus commendat, tum immiſſo in iugulum gladio, ſibi vitam extorquet, crudelior in ſe, quam in Germanicum fuerat. Tiberius flexo in mœſtitiam ore, apud Senatum queſtus eſt, inuidiam ſibi tali morte eſſe quæſitam. M. tamen Piſoni, qui ex patris conſortio in culpa eſſe videbatur, veniam dedit, dedit & Plancinæ illius matri, preces obtendens matris ſuæ. Sicque paulatim tota iſta accuſatio cauſaque conſenuit. Auxit gloriam deſideriumque defuncti, etiam atrocitas inſequentium temporum, cunctis nec temere opinantibus reuerentia eius ac metu repreſſam Tiberii ſæuitiam, quæ mox erupit, teſte Suet.[a] quæ habet etiam Dio l. 57.[b]

Res Africana.

Eodem anno Tacfarinas turbas renouauit in Africa, & Romanam cohortem cæſo duce in fugam dedit. Quam ignominiam L. Apronius ſuorum decimatione vltus, tantum ſeueritate profecit, vt hoſtem victorem pauci multa cum clade funderent, alteroque afflictum prælio in deſerta compellerent.

a l. 4 c. 6.
b in fi. ann. V. C. 767. l. 6 χ.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 4073.

1. N. 4. Sed in vrbe, ſi quid Dioni credimus l. 57. Tiberius vbi iam nemo ſuperfuit, qui imminens Principatui vitam eius obſeruaret, cum antea plurima egregie feciſſet, tum in contraria omnia mutatus eſt; imperauit crudeliter, violati numinis poſtulari iuſſit, non modo qui contra Auguſtum, ſed iam etiam qui contra ipſum, aut matrem eius egiſſent, dixiſſentue licentius: ſeruos in capita Dominorum in quæſtionem dedit: imo liberos ciueſque calumniatores, qui falſo teſtimonio reos preſſiſſent, facultatibus inſontium, ditabat; honoribus inſuper & magiſtratibus adiectis; eximios quoſque viros, quique ad Imperium peruenire poſſe videbantur, indagato eorum fato interficiebat: quod ipſum Galbam perdidiſſet; niſi illum iam grandæuum, & longo poſt ſe tempore imperaturum didiciſſet. Ad quæ omnia adiutorem, adminiſtrumque promptiſſimũ habuit L. Ælium Seianum, Seij Strabonis filium, eaque de cauſa, gratia apud ipſum, potentiaque florentiſſimum. Quæ etiam cauſa fuit, vt quem ſcriptores cæteri damnant, ſolus Velleius, extremo l. 2. immeritis laudibus commendet.

ANNVS MVNDI 4074. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI AN. 21. B. VIRG. 37. IMPERII ROM. 69. TIB. NERONIS AVG. 8. ANTIPÆ ET PHILIPPI. 21. IOSEPHI CAYPHAE PONT. 4. PRÆS. SYR. CN. SENTIO SATVRNINO 2. IVDÆÆ PROCVRAT. VALER. GRATO 7. OLYMP. CC. AN. 1. VRB. COND. 773. COSS. TIB. CÆSARE IV. DRVSO CÆSARE II. ANN. IVLIA. 66. AVGG. 50. ACT. VICTORIÆ. 52.

ÆRÆ CHRISTIANÆ ANNVS 21.

I. *Ratio temporis.* OCTINGENTESIMVS annus agitur ab initio Olympiadum, & Olympias ducenteſima, quæ Polemonem Petræum victorẽ prædicat: in quam etiam cadit annus Sabbaticus 213. Quum Tiberius in quarto ſuo Conſulatu Druſum filium II. Conſulem collegam haberet, inquit Dio l. 57 ſtatim ex hoc ipſo homines Druſo perniciem vaticinati ſunt; neque enim vllus eius in Conſulatu collega, niſi violenta morte obierat, exemplo Quintilii Vari, Cn. Piſonis, ipſiuſque Germanici: ita Druſus quoque, & Seianus poſtea collegæ eius perierunt. Id notauit etiam Zonaras. *Collegæ Tiberii infelices.*

Principio anni Tiberius, quaſi firmandæ valetudini, in Campaniam conceſſit, longam & continuam abſentiam paulatim meditans, ſiue vt amoto patre Druſus munia Conſulatus ſolus impleret, & ſummæ poteſtati exercendæ, ferendæque tam ipſe, quam populus Romanus aſſueſceret.

II. *Bellici motus compreſſi.* MOTVS in Africa renouauit Tacfarinas: diuerſique in Thracia populi; & in Gallia Treueri & Ædui, Floro & Sacrouiro ducibus, qui ob magnitudinem æris alieni, ad quod tributorum magnitudine adigebantur, rebellionem cœpere. Ij tumultus Vrbem de more in magnum coniecere metum, fortiter diſſimulante Tiberio; ſed vtriſq; bello victis, vterq; dux manus intulit ſibi, vt fuſius narrat Tacitus. Tum demum Tiberius ortum patratumque bellum Senatui ſcripſit, conſiliis ſuis, fide ac virtute legatorum.

Mors Quiriny. Hoc tempore Sulpicius ille Quirinius, quo in Syria Præſidente natus eſt Chriſtus Dominus, extinctus à Tacito refertur. ſed in ſordida ac præpotente ſenecta; poſt repudiatum multos ante annos Æmyliam Lepidam adulterii cauſa.

In fine anni C. Luterius Priſcus eques Romanus celebre carmen in funere Germanici ſcripſerat, cuius cauſa pecunia à Tiberio donatus fuerat. Quo præmio excitatus Druſo ægrotante aliud ſcripſit, quod in eius funere viui eſſet, quod maiori etiam præmio dignum ducebat; id cum per iactantiam lectitaſſet, reus factus vltimo ſupplicio affectus eſt. Nimirum quaſi ominoſus vates, & reus mortis principis concupitæ. Id factum ita laudauit Tiberius, vt tamen quaſi male factum pœna proſequeretur. Nam ex eius voluntate S. C factum eſt, ne decreta patrum ante diem decimum ad ærarium deferrentur, idque vitæ ſpatium damnatis prorogaretur. Extat hoc ipſum apud Dionem,[a] idque tempore Theodoſii ad trigeſimum diem protractum eſt.[b] De falſis Pilati actis huic anno attributis, iam ante ſignificauimus, conſulendus eſt.[c] Euſebius in hiſtoria Eccleſiaſtica. III. *C. Luterij Priſci poeſis infelix. Funebre carmen Germanici & Druſi.* *SC. de differenda morte.*

a l. 57. b in l. Si vindicari C. de Pœnis. c l. 1. c. 9.

ANNVS MVNDI 4075. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI AN. 23. B. VIRG. 38. IMPERII ROM. 70. TIB. NERONIS AVG. 9. ANTIPÆ ET PHILIPPI. 22. IOSEPHI CAYPHAE PONT. 5. PRÆS. SYR. L. POMPONIO FLACCO 1. IVDÆÆ PROCVRAT. VALER. GRATO 8. OLYMP. CC. AN. 2. VRB. COND. 774. COSS. D. HATERIO AGRIPPA, ET C. SVLPICIO GALBA. ANN. IVLIA. 67. AVGG. 51. ACT. VICTORIÆ. 53.

ÆRÆ CHRISTIANÆ ANNVS 22.

GALBAM huius anni conſulem Patrem Ser. Sulpicii Galbæ Imperatoris memorat Tranquillus.[d] Exiſtimo his conſulibus factum eſſe Syriæ præſidem L. Pomponium Flaccum. Perſuadet Tranquillus[e] qui ait in ipſa publicorum morum correctione, Tiberium cum Pomponio Flacco, & L. Piſone noctem, continuumque biduum epulando potandoque conſumpſiſſe, quorum alteri Syriam prouinciam, alteri Præfecturam Vrbis confeſtim detulit. Atqui Tacitus ſcribit hoc anno de compeſcendo infinito luxu vehementer laboratum fruſtraque in Curia decertatum, integro negotio ad principem tranſlato. Verum Imperator ipſe, literis ad Senatum datis, Imparem ſe faſſus eſt perficiendo negotio. An quia ipſe luxui in primis deditus, correctioni vel maxime obnoxius erat? quod Suet. eodem loco pluribus docet exemplis. Ea confeſſione cum ingruentes accuſatores repreſſiſſet, fama moderationis parta, I. *Nouus Syriæ Præſes.* *Irrita ſtudia de luxu coercendo.*

d l. 7. c. 3. e l. 3. c. 42.

MITTIT literas ad Senatum, quibus poteſtatem Tribunitiam Druſo filio petebat, qua dignitate, Auguſti exemplo, illum ſibi Imperii ſucceſſorem deſignabat; nec mortuo Germanico ſupererat alius, qui in hoc faſtigium eueheretur. Principio literarum, inquit Tacitus, veneratus Deos, vt conſilia ſua Reip. proſperarent, modica de moribus Adoleſcentis (36. iam agebat annum, vt recte probat Lipſius ſed ea vox ſenis eſt blandientis) neque in falſum aucta retulit: eſſe illi coniugem & tres liberos, eamque ætatem, qua ipſe quondam à D. Auguſto ad capeſſendum hoc munus vocatus ſit. Neque nunc propere, ſed per annos octo capto experimento, compreſſis ſeditionibus, compoſitis bellis, triumphalem, & bis conſulem, noti laboris participem ſumi. Id autem facile impetratum eſt ab iis, qui diſſentire poterant, impedire non poterant. II. *Druſo filio, Tribunitiam petit poteſtatem.*

EVSEBIVS[f] hãc ſignificat dignitatem, cum ait Druſum à Tiberio regni conſortẽ factũ eſſe, moxq; veneno ſublatum: proximo ſcilicet anno, vt ait Tacit. qui in præſentem annum refert incenſum Pompeii Theatrũ; at Euſeb. in præcedẽtem, III. *Theatrum Pompeij incenſum*

f in Chron.

Pompeii theatrum, inquit Tacitus, igne fortuito hauſtum Cæſar exſtructurum pollicitus eſt, eo quod nemo è familia reſtaurando ſufficeret, manente tamen nomine Pompeii. Simul laudibus Seianum extulit, tanquam labore vigilantiaque eius, tanta vis vnum intra damnum ſtetiſſet. Cenſuere patres effigium Seiano, quæ apud theatrum Pompeii locaretur. Eam ſtatuam æneam fuiſſe refert Dio. Indeque multos id exemplum ſecutos, multas ei erexiſſe, immenſæ illius gratiæ apud Tiberium, potentiæque velificantes.

IV. *Res Africana.* Rvrsvm hoc anno in Africa contra Tacfarinatem crebris excurſionibus Romanos fatigantem, exercitu in multa agmina diuiſo, fœliciter pugnatum eſt, à Iunio Blæſo proconſule, quo facto, permiſſu Tiberii, Imperator ſalutatus eſt. nec tamen debellatum. In vrbe de iure Aſylorum cum variis prouinciarũ legatis certatum eſt; cum ciuibus varia peccata in crimen maieſtatis trahebantur, id enim tunc omnium accuſationum complementum erat, vt ait Tacitus, dum de Cæſio Cordo Cretæ proconſule repetundarum poſtulato agit: cui additum eſt crimen maieſtatis, ſicut & C. Silano Aſiæ proconſuli, aliiſque. Conſule Tacit. l. 3. Ann. & 4. De Cæſio autem Cordo apparet cognatum fuiſſe Cremutii Cordi: & ſuſpicor eam totam accuſationẽ illi à Seiano fabricatam, quod hic cum Seiano ſtatua decernebatur, quæ in theatro Pompeii poneretur, exclamaſſet tum vere theatrum perire. Vide Senecã ad Marciam. Vbi reperies etiã illam parriſiam, Seianum in ceruices Romanorum non imponi, ſed aſcendere: quæ non multo poſt, ſpecie alterius culpæ, autori perniciẽ attulere, vt cum Tacito an. 777. dicemus.

Maieſtatis crimen.

ANNVS MVNDI 4076. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI AN. 24. B. VIRG. 39. IMPERII ROMANI 71. TIBERII AVG. 10. Antipæ, et Philippi Tetrar. 23. Cayphæ Pont. 6. Præside Syr. L. Pompon. Flacco. 2. Procvr. Ivdææ Grato 9. Olymp. CC. an. 3. Vrb. Cond. 775. Coss. C. Asinio Pollione et C. Antistio vetere. an. Ivlian. 68. Avgvst. 52. Act. victoriæ 54.

ANNVS ÆRAE CHRISTIANÆ 23.

I. *Dei iuſtum in Tiberiũ iudicium.* REDDIT Deus hoc anno promptam Tiberio mercedem perfidiæ in Germanicum ſuæ, Druſo per Seianum interfecto. Et vide ludentem quodammodo in vlciſcendo Deum. Tiberius Germanicum timens Imperii æmulum, mortem eius machinatus eſt. Seianus Imperium ambiens, Imperii hæredem, & iam conſortem ſuſtulit: vtrobique res veneno tranſacta eſt, vtrobique mulier ſceleris adminiſtra; & Tiberius, qui volens filium amiſerat adoptiuum, inuitus naturalẽ amiſit: qui Piſoni vires ad perdendum Germanicum volens dederat, dedit imprudens Seiano ad interimendum Druſum; & cum iſti pararet Imperium, illius filio vel inuitus dedit. Rem pluribus perſequitur Tacit. l. 4. An. ab ipſo initio: vbi quamuis his Coſſ. nonum numeret Tiberii annum, nihil tamen noſtræ Chron. aduerſatur, quæ ineuntes annos numerat. Tiberius agebat nonum Imperii, cum hi Conſules creati ſunt; decimum autem menſe Auguſto inchoauit, quatuor menſibus & amplius, antequam illi Conſulatu abirent: quando ludi decennales à Tiberio celebrati ſunt: nunc tamen confirmatio Imperii in decennium, aut quinquennium, quod Auguſtus conſueuerat, repetita eſt, vt notauit Dio l. 57.

Ratio temporis.

II. *Quis nunc Syriæ præſes.* Ponit hoc anno Syriæ legatum L. Aelium Lamiam Onufr. in Chro. quem tamen reipſa non fuiſſe Præſidem Syriæ ſignificat Tacitus l. 6. Annal. in fi. anni 785. vbi ait illum tum mortuum, adminiſtrandæ Syriæ imagine tandem exſolu-

tum. Apparet promiſſam ei à Principe prouinciam, nunquam tamen datam. Nam ſtatim ſubdit, & non permiſſa prouincia dignationem addiderat; Crediderim Lamiam cum aliquot iam annos Pomponius Syriam adminiſtraſſet, à Tiberio eam Præfecturam petiuiſſe, & promiſſione accepta, prius mortem obiiſſe, quam voti campos fieri poſſet. Idque innuit eodem lib.6. Tacitus, cum referens continenter vtriuſque mortem, prius mortuum Lamiam, exinde Pomponium tradit. Fruſta expectatam promiſſionem, vel ad exiguam hominis induſtriam referre poſſumus, quamquam is iam Africam obtinuerat, vt idem l.4. affirmat; vel ad morem Tiberii, qui cum ſemel aliquos ad aliquam adminiſtrationem aſſumpſiſſet, eos prorſus ſine modo retinebat, adeo vt plerique iiſdem negotiis inſe neſcerent, vt idem ait eod. l.4. Itaque hic idem Flaccus in eadem Præfectura ad mortem vſque perſeuerauit, & decimum ab hinc annum perſeuerabit: Sic Gratus annos vndecim, Pilatus decem Iudæam Procuratores rexere, teſte Ioſepho.[a] Sed Druſi rem agamus.

a Lib. c.3.5.

ÆLIVS Seianus, Seio Strabone equite Romano genitus, in Æliorum familiam adoptione tranſiit, ideoque paternum Seij nomen in Seianum vertit. Hic cum in Tiberii amicitiam irrepſiſſet, in maximum ab eo potentiam eſt euectus, & creſcente ambitione, dominationem captare cœpit, & cum eſſet Præfectus Prætorio, vt milites haberet ad manum, ſi qua vis eſſet adhibenda, militum caſtra in vrbe, conſenſu Tiberii collocauit; quos ſibi iiſdem artibus conciliauit, quas exercent qui tyrannidem ambiunt. In Senatu quos habebat clientes eos honoribus, atque prouinciis facili Tiberio ornabat. Et quoniam vim periculoſam cernebat, per fraudem tollere ſtatuit, qui cœptis obſiſtebant. III. *Seiani potētia.*

PRIMVS occurrit Druſus iam conſors Imperii, in quem etiam recenti ira ferebatur. Nam Druſus impatiens æmuli, & animo commotior orto forte iurgio, intenderat Seiano manus, & contra tendentis os verberauerat, (id contra à Seiano in Druſum factum ſcribit Dio l.57. & Zonaras, merito improbante Lipſio.) Seianus vindictæ auidus Liuillam eius vxorem, adulterio ante pollutam, regni promiſſione allectam, in mariti armauit necem. Et Seianus, vt ſpem Liuillæ faceret nuptiarum, propriam vxorem Apicatam, ex qua tres ſuſceperat liberos, domo pellit. Interea Druſus non obſcure de Tiberio, propter Seiani potentiam, querebatur, quæ illi cauſa accelerandi facinoris fuit. Nam Seianus maturandũ ratus, deligit venenum, quo paulatim irrepente, fortuitus morbus adſimularetur. Id Druſo datum per Lygdum Spadonem, vt octo poſt annos cognitum eſt: quando ſcilicet exſtinctus eſt, eius ſcelera prodente Apicata. IV. *Et cũ Druſo inimicitia* *Cuius vxorem in virũ veneno armat.*

CÆTERVM Tiberius, per omnes valetudinis eius dies, ad firmitatem animi demonſtrandam, pro qua tamen ſuſpicione aſperſus eſt, vt Dio ſignificat; ſed opinor iniuſta: cui enim bono? captauit ergo in iuſtiſſimo dolere fortitudinis laudem; propter quam eodem defuncto Druſo, necdum ſepulto, curiam ingreſſus, Senatum in luctum effuſum conſolatus eſt, & Germanici liberos Neronem & Druſum adoleſcentulos, in curiam euocatos, patribus obnixe commendauit. Funus Druſi maxima pompa celebratum eſt, & Tiberio filium pro roſtris laudante, Senatus populuſque, habitum ac voces dolentum, ſimulatione magis quam voluntate induebant, vt qui domum Germanici reuiuiſcere animo lætabantur; ſed & Druſum ipſum per ſe oderant, vt hominem impuriſſimum, & extremæ ſæuitiæ; vt gladiis acutiſſimis ab eo nomen darent, vt Druſianos vocarent, quæ Tiberium ipſum, in eius aliquando odium & obiurgationem trahebant, vt ſcribit Dio l.57. V. *Druſus ex lento veneno æger.* *Moritur, laudatur.*

HOC publici fauoris initium; in quo ſpem ſuam vidua Germanici Agrippina male regens, perniciem ſibi accelerauit. Nam Seianus primum facinus ex animi ſententia ſucceſſiſſe animaduertens, videnſque non dubiam Germanicorum ſucceſſionem, quoniam venenum in tres ægre ſpargi poterat, Agrippinam apud Tiberium ambitionis, per domeſticos calumniatores ſuſpectam reddere molitur. Interea vero & alter ex Druſi geminis extinguitur. Et hiſtriones cũ publice multa ſeditioſe, per domos multa fœde tentarent, Cæſare ipſo ad Senatum referente, Italia pulſi ſunt, vt ſcribit Tacitus. Dio vero Roma tantum pulſos ait, interdictumque ne hiſtrionica deinceps arte vterentur. VI. *Seiani artes in Germanici familiã* *Hiſtriones pelluntur.*

ANNVS MVNDI 4077. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI AN 25. B. VIRG. 40. IMPERII ROMANI 72. TIBERII AVG. 11. ANTIPÆ, ET PHILIPPI TETRAR. 24. CAYPHÆ PONT. 7. PRÆSIDE SYR. L. POMPON. FLACCO. 3. PROCVR. IVDÆÆ GRATO 10. OLYMP. CC. AN. 4. VRB. COND. 776. COSS. SER. CORNEL. CETHEGO, ET L. VISELLIO VARRON. AN. IVLIAN. 69. AVGVST. 53. ACT. VICTORIÆ 55.

ANNVS ÆRAE CHRISTIANÆ 24.

I. *Tiberii æmulatio in Germanici familiam.* *Studio Seiani.*

HIS Coſſ. Onufr. in Chron. L. Pomponium Flaccum Syriæ legatum ponit. Verum id ad tertium ab hinc annum referendum eſſe, ſupra docebamus. Iiſdem Coſſ. Pontifices Romæ, & eorum exemplo cæteri ſacerdotes, cum pro incolumitate Principis vota ſuſciperent, Neronem quoque & Druſum Germanici filios iiſdem diis commendauere, non tam caritate iuuenum, quam adulatione, quod dudum eos Tiberius Senatui impenſe commendaſſet. At Tiberius, etiam Germanici familiæ alioqui parum æquus, ſimulque Seiani in eos felle aſperſus, æquari adoleſcentes ſenectæ ſuæ impatienter indoluit; & ad ſe vocatos modice perſtrinxit; in Senatu autem oratione monuit, ne quis mobiles adoleſcentium animos, præmaturis honoribus ad ſuperbiam extolleret. Inſtabat quippe Seianus, qui ciuitatem, vt in ciuili bello, in duas partes diductam affirmabat, alteramque Agrippinæ fauere, alteram ab ipſo ſtare.

II. *Qui calumnijs claros viros impellit in mortem.*

ET remedium diſcordiæ cædem aliquorum, qui magis eminerent, ſuadebat, & vero etiam perſuaſit. Itaque C. Silium aggreditur, virum clariſſimum, rebus geſtis opibuſque: quem Varro Conſul Seiani odiis gratificatus, accuſauit. Nam ſine Seiani opera, & ſuffragio nemo magiſtratum aſſequebatur, vt diximus ex Dione. Is Silium repetundarum accuſabat, ex bello contra Sacrouirum geſto; ſed res ad crimen maieſtatis trahebatur. Cumque Tiberius ipſe Imperator accuſatorem ſuſtentaret, Silius imminentem damnationem voluntario fine præuertit. Inde tractus in iudicium Calpurnius Piſo, qui & ipſe maieſtatis accuſatus, receptus eſt reus, neque peractus, ob mortem opportune occupatam.

III. *In Africa à Dolabella debellatum eſt.*

Hoc demum anno bellum in Africa aduerſus Tacfarinatem abſolutum eſt. cumque priores duces, ea in bello geſſiſſe contenti fuiſſent, quibus inſignia triumphalia obtinerent, relicto ad belli ſeminarium duce Tacfarinate; eum hoc anno Dolabella Africæ proconſul circumfuſo exercitu incluſum capere conatur; ſed is ruendo in tela, captiuitatem haud inulta morte effugit. Nec tamen Tiberius Dolabellæ triumphalia petenti cõceſſit. Sub idem tempus Seruile bellum in Italia exortum, propere à Curtio Lupo Quæſtore oppreſſum eſt. Hæc fuſe Tacitus l. 4.

ANNVS MVNDI 4078. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI an. 26. B. VIRG. 41. IMPERII ROM. 73. TIB. NERONIS AVG. 12. Antipæ et Philippi. 25. Iosephi Cayphae Pont. 8 Præs. Syr. L. Pomponio Flacco 4. Ivdææ Procvrat. Valer. Grato 11. Olymp. CCI. an. 1. Vrb. Cond. 777. Coss. Cosso Corn. Lentvlo Isavrico, et M. Asinio Agrippa, ann. Ivlia. 70. Avgg. 54. Act. victoriæ. 56.

ÆRÆ CHRISTIANÆ ANNVS 25.

OCTO iã ſecula ſub Olympiadibus tranſacta ſunt. Huius initio, in qua Damaſias Cydoniates victor fuit, atque his Coſſ. Cremutius Cordus nouo, ac tum primum audito, crimine poſtulatur, quod editis Annalibus, laudatoque M. Bruto, C. Caſſium Romanorum vltimum dixiſſet. Accuſabant Seiani clientes, & Cæſar truci vultu defenſionem accipiebat. Dio in fi. l. 57. accuſatum dicit, quod Caſſium & Brutum laudaſſet, populum ac Senatum perſtrinxiſſet, Cæſarem & Auguſtum, etſi nullo maledicto, non tamen immodicis laudibus affeciſſet, quæ Suetonius tangit.[a] At verum crimen erat, quod Seianum liberius perſtrinxiſſet, vt ſupra dicebamus. Elegantem leges apud Tacitum eius defenſionem; qui addit egreſſum è Senatu, vitam abſtinentia finiuiſſe; & quamuis patres cenſuiſſent libros per ædiles cremandos, manſiſſe tamen occultatos, & editos à Marcia filia, vt notat Dio eodem loco. Hac de re fuſius Seneca, libello de conſolatione ad Marciam eiuſdem filiam. I. *Cremutii cordi iniuſtum iudicium.* a l.3.c.61.

Hoc anno Tiberius Hiſpanos poſtulantes, vt ſibi liceret Templum exſtruere Tiberio eiuſque matri, non minus ſapienter fortiterque repulit, quam ſtulte idem Aſianis ante conceſſerat. Seianus autem nimio Fortunæ fauore vecors, & muliebri inſuper cupiditate incenſus, promiſſum matrimonium flagitante Liuia (præmium ſcilicet ſublati veneno mariti Druſi) id à Cæſare per codicillos petit; quod à Tiberio obliq; negatum eſt, & vitandæ inuidiæ cauſa diſſuaſum ad tempus. At Seianus Tiberium ab vrbe abducit, ad vitam procul Roma amœnis locis degendam; vt ipſe commodius eo abſente gradum ad dominationem faceret. Viam autem inibat ſcelera cumulando ſceleribus; ſed ita, vt creſcente audacia, & impunitate peccandi, poſteriora prioribus tetriora eſſent, ac Reipublicæ nocentiora; donec eo conſcenderet, vnde præceps corruens, contrucidatus caſu, funditus cum tota familia peſſum iret, vt ſequentes aliquot anni docebunt, & ſequentia ſecula ſuo exemplo ab imitatione deterreret. II. *Seianus nuptias viduæ Liuillæ petit.*

ANNVS MVNDI 4079. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI AN. 27. B. VIRG. 42. IMPERII ROMANI 74. TIB. AVGVST. 13. ANTIPÆ, ET PHILIPPI TETRARCHAR. 26. CAYPHÆ PONT. 9. PRÆSID. SYR. POMPONIO FLACCO. 5. IVDÆÆ PROCVRATORE PONTIO PILATO 1. OLYMP. CCI. AN. 2. VRB. COND. 778. COSS. CN. LENTVLO GÆTVLICO, ET C. CALVISIO SABINO. ANN. IVL. 71. AVGG. 55. ACTIAC. VICT. 57.

ÆRÆ CHRISTIANÆ ANNVS 26.

I. *Pilatus Iudææ Procurator.*

NOVVM Iudææ Procuratorem Pontium Pilatum ſuggerit hoc anno Ioſephus. [a] *His ita geſtis*, inquit, *Gratus Romam repetit, in Iudæa exactis annis vndecim, cui deinde Pontius Pilatus ſucceſſor miſſus eſt.* Sic ipſe, cui Chronologiæ conſentit Onuphr. in Chron. Gordo. t. 2. Torniel. an. mund. 4078. Caluiſ. Mercator. Et licet aliqui annos aliter numerent, eodem tamen reuoluuntur omnes, & ad eoſdem Conſules referunt. In primiſque Euſebius in Chron. græco. 1. Pontius Pilatus Procurator Iudææ ſub Tiberio mittitur duodecimo anno regni eius, vt ſcribit Ioſephus, eadem & l. 1. hiſt. c. 9. tradit. In Ioſepho tamen id diſertis verbis non reperias, ſed ex eo facile colligitur, cum [b] dicat Tiberium, vt factus eſt Imperator, miſiſſe in Iudæam Valerium Gratum in locum Annii Ruſi, illumque vndecim annis Iudææ Procuratorem egiſſe, oportet Pilatum anno duodecimo eiuſdem Tiberii magiſtratu fungi cœpiſſe. Nec eſt quod lectorem moueat, quod nos 13. Tiberii annum in indice huius anni præferimus: is enim eſt decimus tertius inchoatus tantum per 4. menſes, duodecimus autem pro maiore anni parte. Quod ipſum in cæteris Tiberii & Auguſti annis intelligendum eſt, vt non ſemel monuimus.

a l.18.c.3. | 1. χρ. | b l.18.c.3.

II. *Tumultus Iudæorum ob ſigna Cæſaris.*

INTVLIT porro Pilatus Hieroſolymam ſigna, cum effigie Cæſaris, ex quo magnus Hieroſolymis tumultus exortus eſt. Quo autem id tempore factum ſit non expreſſit Ioſephus, & Philo in legatione ad Caium aperte ſignificat, id non fuiſſe factum initio adminiſtrationis eius; ait enim Iudæos pro his imaginibus altercantes à Pilato poſtulaſſe, vt legatio Romam, ſuper ea re ad Tiberium mitteretur. Idque illum noluiſſe, veritum ne ſi mitteretur legatio, cætera quoque illius crimina detegerentur, venditæ ſententiæ, rapinæ, iniuriæ, clades, tormenta, crebræ cædes indemnatorum, ſæuiſſima crudelitas; quæ ſane non potuerunt ſtatim à principio perpetrata eſſe. Cum autem Philo non ſatis exprimat quo loco à Iudæis, cum Pilato altercatum ſit, id Ioſephus aperte tradit in Cæſaræa contigiſſe.

Quando & vbi contigerit.

III. *Ex Ioſephi Antiq.*

CÆTERVM Pilatus, inquit ille, [c] Iudææ Præſes à Cæſarea Hieroſolyma traducto in hyberna milite, ſigna cum effigie Cæſaris in vrbem intulit, ad legis noſtræ contumeliam, qua cautum eſt, ne habeamus huiuſmodi effigies & ideo qui ante hunc fuere Præſides, cum ſignis aliter inſignitis ſolebant vrbem ingredi. Primus Pilatus ignaris omnibus noctu illatas effigies Hieroſolymis ſtatuit. Quod vbi cognitum eſt ciues magno agmine petierunt Cæſaream, vbi per multos dies ſupplices orauerunt Præſidem, vt transferret illas imagines alio. Verum Philo cum in aliis rebus, tum in ipſo ſolo ac fundamento controuerſiæ

c l.18.c.4.

multum diſtat à Ioſepho Nam hic ſigna cum effigie Cæſaris illata dicit, προτομὰς Καίσαρος αἳ τοῖς σημαίοις προσῆσαν, eſt autē προτομὴ effigies hominis vmbilico tenus, quæ ſcilicet in vexilis Romanorum acu picta erat, vel penicillo adumbrata.

IV. *Ex Philone rectius.*

ἀσπίδας αἷς οὔτε ζωγράφημα ... μορφὴ μηδὲ ἄλλο τι.

At Philo memorat ἐπιχρύσους ἀσπίδας inauratos clypeos, nulla inſignes imagine, nec habentes quicquam vetitum, præter quandam neceſſariam inſcriptionem, quæ nomen dedicantis, & eius cui fiebat dedicatio continebat. Quæ quidem non ſolum toto cœlo differunt, quippe vnus imagines ponit alius negat imagines; ſed Philonis narratio oſtendit Iudæos recte ac pie contra Pilatum fuiſſe concitatos. Nam huiuſmodi clypæi impreſſam habebant dedicationem Ioui, aut Mercurio, aut alicui Idolo factam, quod huiuſmodi anathemate ritu ſacrilego colebatur: à quo merito Iudæi abhorrebant, nec Idololatriam in ſanctam ciuitatem inferri patiebantur. At nihil erat in vexillis depictis imagine Cæſaris, quod Iudæi merito auerſarentur, & contra legem ſuam eſſe criminarentur. Neque enim ad Idololatriam pertinebant, cum non proponerentur adorandæ; neque lex vetet imagines fieri aut haberi, niſi vt ne adorentur; & lex ipſa Iudæorum Cherubinos, ſub hominum effigie formatos, in Sancto ſanctorum haberi iuſſerit, & eorum fictores Deus ſpiritu ſuo repleuerit, ad illa, cæteraq; opera ex precioſo metallo efformanda. Sed nos hæc alibi quoque, iam contra eundem Ioſephum legis ſuæ non peritiſſimum diſputauimus.

V. *Finis contētionis eius.*

Finis porro huius contentionis hic fuit. Pilatus admiratus conſtantiam Iudæorum in morte, & cruciatibus contemnendis, pro legum ſuarum violatione, vt putabant prohibenda, continuo reportari iuſſerit Cæſaream huiuſmodi imagines; idem de tranſlatis eodem clypeis ſcribit Philo; ſed interueniente iuſſione Tiberii. Verum in iis breui poſtea, imperante Caio, impletum eſt illud. Qui timet pruinam, irruet ſuper eum nix.[a]

a Iob.6 16.

Res Thracica.

Hoc anno in Thracia res fœliciter à Poppeio Sabino geſta eſt contra Thraces, onerum & ſeruitutis pertæſos, proptereaque tumultuantes. Rem fuſe narrat Tacitus l.4. ſub præſentis anni Coſſ. ſub quibus ſeries futuri in Agrippinam exitij cœpta eſt, Claudia Pulchra ſobrina eius adulterii accuſata, atque damnata, nequicquam Tiberium ſollicitante Agrippina.

VI. *Agrippina fruſtra coniugium petit.*

Quæ mox animi corporiſque morbo affecta viſitur à Tiberio, illa profuſis diu ac per ſilentium lachrymis, rogauit Tiberium, vt ſubueniret ſolitudini, & maritum daret, at Tiberius intelligens quantum intereſſet Reip. iratæ Auguſti nepti coniugem dare, qui res nouas moliretur, ſine reſponſo, quamquam inſtantem, reliquit.

Dira Seiani calumnia.

Sed mœrentem atque improuidam Seianus altius perculit; ſubmiſſis qui per ſpeciem amicitiæ monerent paratum ei venenum, vitaret Soceri epulas; quod cum illa incaute facit in conuiuio, agnoſcit Tiberius ſe illi ſuſpectum veneficii, & apud matrem conqueritur, inde rumor natus parari exitium, neque palam Imperatorem audere; ſed ſecretum ad patrandum quæri.

VII. *Tiberius abit ex Vrbe.*

Aliquanto poſt Tiberius diu meditatam ex vrbe profectionem in Campaniam ſuſcipit, ſpecie dedicandi templum apud Capuam Ioui, apud Nolam Auguſto, vt Suet. quoque ſcribit,[b] re autem ipſa, vt procul ab vrbe degeret, ſiue ex Seiani conſilio, ſiue quod vellet ſæuitiam ac libidinem, quæ factis promebat, locis occultare; ſiue quod matrem dominationis ſociam vitare cuperet, quam ferre cogebatur, vt qui eius opera Imperiū, Germanico ab Auguſto deſtinatum, accepiſſet Ergo cum Seiano paucisque aliis profectus eſt, quibuſdā vaticinantibus eum Romam nunquam rediturum, quanuis ipſe ſubinde reditum polliceretur, vt ait Dio init. l.58 Quod cum temere vulgatum eſſet, multis exitii cauſa fuit. Sed mox ipſemet natiuo in ſpecu cibum capiens, ſaxis pene obrutus, exitio proximus fuit; ſed à Seiano fortiter fideliterque protectus eſt: ex quo merito aucta in eum amicitia, & fides.

b l.3.c.40.

VIII. *Seianus perniciem duorum Cæſarum machinatur.*

Interea Seianus in perniciem filiorum Germanici & Agrippinæ intentus, Neronem circumuenit; nam illum iuueniliter de futura Imperii ſucceſſione exultantem, magis magiſque per clientes ſuos inſtigat ad improuidas voces, quas illi ad Seianum, & Tiberium deferunt, ex quo Tiberii odium in illum non occultum. Dumque huius ruinam texit Seianus, ſimul etiam fratris eius Druſi

perniciem orditur, dum eum æmulatione in ſpes fratris exacuit, ſpe obiecta principis loci, ſi priorem ætate, & iam labefactum demouiſſet. Denique ita Druſum fouebat, vt in eum quoque ſemina futuri exitii meditaretur: quem ſciret præferocem, & inſidiis magis opportunum.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 4062.

1. N. 1. Sic habet codex Græcus ex editione Scaligeri. Πόντιος Πιλᾶτος τῆς ἰουδαίας ὑπὸ Τιβερίου ἐκπέμπεται ιβ' ἔτει τῆς βασιλείας αὐτοῦ, ὡς ἱστορεῖ Ἰώσηπος, Pontius Pilatus Procurator Iudææ, anno Imperii Tiberii duodecimo miſſus eſt, vt Ioſephus tradit.

ANNVS MVNDI 4080. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI AN. 28. B. VIRG. 43. IMPERII ROMANI 75. TIB. AVGVST. 14.

Antipæ, et Philippi Tetrarchar. 27. Cayphæ Pont. 10. Præsid. Syr. Pomponio Flacco. 6. Iudææ Procuratore Pontio Pilato 2. Olymp. CCI. an. 3. Vrb. Cond. 779. Coss. M. Licinio Crasso, et L. Calpvrnio Pisone. Ann. Ivl. 72. Avgg. 56. Actiac. vict. 58.

ÆRÆ CHRISTIANÆ ANNVS 27.

I. *Clades ex ruina Amphitheatri.* INGENTIVM bellorum cladem æquauit improuiſum malum. Nã cœpto apud Fidenam Amphitheatro Atilius quidam libertini generis, quo ſpectaculum gladiatorum celebraret, neque fundamenta per ſolidum ſubdidit, neque firmis nexibus ligneam compagem ſuperſtruxit. Ergo impar oneri moles conuulſa diſrumpitur, pars intus ruit, pars in exteriora effunditur, immenſamque vim mortalium ſpectaculo intentam, aut qui circum aſtabant præceps trahit atque operit. Quinquaginta hominum millia eo caſu debilitata, vel obtrita ſunt. Atilius in exilium actus eſt, cautumque in poſterum S. C. ne quis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorum millium res, (id eſt 20. millibus Francorum ſingulis numis æſtimatis, vno ſolido Turon. vt placet Cenali) neue amphitheatrum imponeretur, niſi ſolo ſpectatæ firmitatis. Meminit huius cladis Suet. [a] aitque ea ruina ſuper 20. hominum millia periiſſe. Idque confirmat Oroſius. [b] Vbi ait eam 12. Imperii Tiberii anno contigiſſe. Sed Conſules, ſub quibus eam contigiſſe tradit Corn. Tacitus, exigunt 13. vel 14. inchoatum. a l. 3 c. 40. b l. 7. c. 4.

II *Clades ex incendio montis Cœlij.* NONDVM ea clades exoleuerat, cum ignis violentia vrbem vltra ſolitum affecit, deuſto monte Cœlio. Feralem annum ferebant, & ominibus aduerſis ſuſceptum Principi conſilium abſentiæ. Sed Cæſar criminationibus iuit obuiã benignitate pecuniaria, pro modo accepti detrimenti tribuendo, qua re magnam populi beneuolentiam eſt aſſecutus; gratiæque ei apud Senatum actæ ab illuſtribus, additæque ſententiæ, vt mons Cælius in poſterum Auguſtus appellaretur. Hæc Tacitus: At Tranquillus id iuſſu Tiberii factum tradit. [c] Quibuſdam, inquit Dominis inſularum, quæ in monte Cœlio deflagrarant pretio reſtituto. & mox. Id beneficium tanti æſtimauit, vt montem Cœlium, appellatione mutata, vocari Auguſtum iuſſerit. Sic ipſe, ſed redeamus ad Tacitum. c l. 3 c. 48.

III. Tiberii ociū

Cæsar dedicatis per Campaniam (Nolæ & Capuæ) templis, Capreas ſe in inſulam abdidit, trium millium freto ab extremis Surrentini promontorii diſiunctam, importuoſo circa mari, & vix modicorum nauigiorum patiente. Id factum amore ſolitudinis & quietis: ideoque abiens edicto monuerat, ne quis eius quietem interpellaret. Quam autem ibi agitaret quietem, abiecta, vt ait Sueton. Reipubl. cura, docet Tacitus. *Quanto*, inquit, *olim intentus in publicas curas, tanto occultior in luxus, & malum otium reſolutus.* Plenius autem Suet. Regreſſus in Inſulam, Reip. quidem curam vſqueadeo abiecit, vt poſtea non decurias equitum vnquam ſuppleuerit, non tribunos militum, præfectoſque, non prouinciarum præſides vllos mutauerit, Hiſpaniam & Syriam per aliquot annos, ſine Conſularibus legatis habuerit, Armeniam à Parthis occupari, Mœſiam à Dacis, Sarmatiſque, Gallias à Germanis vaſtari neglexerit, magno dedecore Imperii, nec minori diſcrimine.

c.41. — *Et inſignis negligentia Imperii.*

IV. Præſidum, & vinctorū.

Eivsdem negligentiæ, præſertim erga vinctos, locuples teſtis eſt Ioſephus,[a] qui inter alia. *Eutychum*, inquit, *libertū Agrippæ Tiberius more ſuo detinebat in vinculis, quod eſſet cunctator, ſi quis vnquam alius aut rex, aut tyrannus. Nam neque legationes, ſine mora admittebat, & præſidibus prouinciarum, vel procuratoribus ſucceſſorem non mittebat niſi mortuis. Proinde vinctos quoque negligebat audire*: moræ etiam cauſas referebat amicis, vt ſcilicet non ſolum vitaret ipſe moleſtias; ſed ſubditis parceret, quos noui Præſides egentes ſpoliabant, ſaginati ſegniores erant ad rapinam: vinctos autem volebat interea priorum ſcelerum pœnas dare. Huc pertinet illud Suetonij.[b] *Mori volentibus vis adhibita viuendi. Nam mortem adeo leue ſupplicium putabat, vt cum audiſſet vnum è reis Carnulium nomine anticipaſſe eam, exclamarit, Carnulius me euaſit. Et in recognoſcendis cuſtodiis, precanti cuidam pœnæ maturitatem, reſpondit, Nondum tecum in gratiam redii.*

a l.18 c.8. — b l.3.c.61.

V. Secreta libidines.

Cætervm ſecreti licentiam nactus, & quaſi à ciuitatis oculis remotus, cuncta ſimul vitia male diu diſſimulata tandem profudit. Ita Tranquillus; qui alio in loco,[c] ait Tiberium in receſſu Capreenſi ſellariam excogitauiſſe ſedem arcanarum libidinum, quas pudor eſt vel ſcriptas legere, vel audire. Nec tamen quietem quam ambiebat ſatis aſſecutus eſt. Manebat quippe, inquit Tacitus, ſuſpicionum, & credendi temeritas, quam Seianus agere etiam in vrbe ſuetus, acrius turbabat: non iam occultis aduerſus Agrippinam & Neronem inſidiis, quibus additus miles, nuncios, introitus, aperta, ſecreta, velut in Annales referebat. Vltroquè ſtruebantur, qui monerent perfugere ad Germaniæ exercitus, vel celeberrimo fori effigiem D. Auguſti amplecti, populumque ac Senatum auxilio vocare, eaque ſpreta ab illis, velut pararent, obiiciebantur.

c l.3.c.43. — *Seiani artes & calumniæ in Agrippinam & Neronē*

VI. Antipas vxorem fratris ducit Herodiadē.

Svb hoc tempus contigit Herodem Antipam Tetrarcham Galilææ, Herodiadem vxorem fratris ſui Philippi accipere. Cum enim de eo facinore à Ioanne reprehenſus fuerit, ſub initium prædicationis ſuæ, quod in 15. Tiberii annum cadit, Euangeliſta teſte,[c] eodemque tempore miſſus ſit in carcerem, vt dicemus, oportet ſub hoc tempus eam mulierem viro ſuo raptam fuiſſe. Viro inquam ſuo raptam, viuebat quippe adhuc, teſte Ioſepho,[d] qui ait Herodiadem, poſt ſuſceptam ex marito filiam Salomen, in contemptum legis patriæ, denuo nupſiſſe Herodi mariti germano, relicto priore adhuc ſuperſtite. Vixit enim eodē teſte,[e] vſque ad vigeſimum annum principatus Tiberii, quando iam Ioannes ab Herode fuerat capite truncatus. Cōſentit Euſeb.[f] Hier. Beda, Haymo Niceph.[g] & recentiores. Itaque in hoc flagitio, gemino crimine, adulterii ſcilicet & inceſtus, inquinatus eſt. Sed nec fuit hoc primum eius peccatum.

c Luc 3. — d l.18.c.7. — e l.18.c 6. — f l.1 hiſt.c.10 Hier. in 14. Matth. — g l.1.c.19. — h c.3.19.

VII. Supra cætera eius ſcelera.

Fvit enim hic Antipas homo flagitioſus, teſtē Luca,[h] *Herodes autem Tetrarcha*, inquit, *cum corriperetur ab illo, de Herodiade vxore fratris ſui, & de omnibus malis quæ fecit Herodes, adiecit & hoc ſuper omnia, & incluſit Ioannem in carcerem.* Non tamen inuita abducta eſt; ſed volens, vt ex Ioſepho[i] conſtat. *Qua aſſentiente*, inquit, *conuenit inter eos, vt quam primum ille Roma reuerteretur in patriam, mulier migraret in eius domicilium.* Certe ex Euangelio conſtat, eam admodum conſentientem, cum Herode manſiſſe, vt quæ capitali odio ferretur in Ioannem, quia vrgebat diuortium. Eodem facit quod Philippi moribus eſſet admodum diſſimilis. Nam Ioſephus.[k] Erat, inquit, vir perpetuo modeſtus, & amator quietis ac otii, dege-

i l.18.c.7. — *Duxit non inuitam.* — k l.18.c 6.

bat enim ſemper in ſua ditione &c. At Herodias mulier erat turbulenta, libidinoſa, crudelis, perſimilis Herodi Antipæ, cui propterea maluit adhærere.

CAETERVM errat Ioſephus, ab omnibuſque reprehenditur, quod, contra fidem Euangelii, Herodiadem non Philippi; ſed alterius Herodis facit vxorem, qui genitus ſit ex Mariamne filia Simonis Pontif. Philippo autem dat Salomen filiam Herodiadis. [a] a l.18.c.7.

Quoniam autem Herodes Antipas, vt Herodiadem duceret, repudiarat vxorem ſuam Regis Aretæ filiam, bellum inter vtrumque conflatum eſt; prælium tamen, in quo exercitus Herodis internecione deletus eſt, non ante mortem Ioannis committi potuit, quoniam creditum eſt eam cladem diuinitus Herodi inflictam, propter interfectum ab eo Ioannem Baptiſtam, teſte Ioſepho: [b] qui etiam aliam mortis ſanctiſſimi Baptiſtæ cauſam excogitauit, Herodis metum, ne is populum ſibi addictum ad defectionem incitaret. b l.18.c.7.

ANNVS MVNDI 4081. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI AN. 29. B. VIRG. 44. IMPERII ROMANI 76. TIB. AVGVST. 15. ANTIPÆ, ET PHILIPPI TETRARCHAR. 28. CAYPHÆ PONT. 11. PRÆSID. SYR. POMPONIO FLACCO. 7. IVDÆÆ PROCVRATORE PONTIO PILATO 3. OLYMP. CCI. AN. 4. VRB. COND. 780. COSS. AP. IVNIO SILANO, ET P. SILIO NERVA. ANN. IVL. 73. AVGG. 57. ACTIAC. VICT. 59.

ÆRÆ CHRISTIANÆ ANNVS 28.

I. *Ratio temporis Chriſti, & S. Ioannis.*

INCHOAT Tiberius 15. annum Imperii, 1. ab Auguſto menſe anni huius; quo anno decimo quinto iam per 4. menſes inchoato, Chriſtus Dominus iniit annum 30. in cuius initio ad Baptiſmum venit, vt dicetur anno ſequenti. Id te obiter monitum volui, candide lector, ne offenderere, dum prima fronte cerneres 15. Tiberii, cum 29. Chriſti, non cum 30. vt ex Lucæ 3. apparet, componi. Quamquam etiam hoc anno, & initio 15. anni Imperii fatemur factum eſſe Verbum Domini ad Ioannem filium Zachariæ, cum Chriſtus Dominus nondum expleuerat annum 29. Nam ſatis ex Euangelio Matthæi c.3. Marc.1. & Lucæ c. 3. perſpicuum eſt, Ioannem aliquanto tempore, & prædicaſſe, & baptizaſſe, antequam Chriſtus ad eum veniret baptizandus, quod ponimus factum eſſe 6. Ianuarii.

II *Confirmatur ex Euangeliſtis.*

MATTHAEVS enim v.1. *In diebus illis*, inquit, *venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudææ*. Non vtique ſemel, aut iterum, ſed ſæpius, & ordinarie: ex quo factum eſt quod ſubditur v.5. *Tunc exibant ad eum Ieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata ſua.* Eadē habet Marcus, [c] quæ ſignificant iam inductam conſuetudinem; deinde expoſita materia, de qua S. Præcurſor ſolebat habere conciones, ſubdit. *Tunc venit Ieſus à Galilæa in Iordanem, vt baptizaretur ab eo &c.* In praxi ergo erat iam baptiſmus Ioannis, & confeſſio peccatorum, & ſalutaria monita eius ad pie viuendum, cum Chriſtus ad baptiſmum venit: quæ praxis & conſuetudo non plures ſolum hebdomadas; ſed menſes etiam ſibi vendicat. Eadem eſt ſeries narrationis Euangeliſtæ Lucæ c.3. de Ioannis prædicatione & baptiſmo, quæ concluditur illis c Marc.1.5

verbis

verbis v.1. *Factum eſt autē cum baptizaretur omnis populus, Ieſu baptizato, & orante apertum eſt cœlū.* Et Marci c.1. poſt baptizatos Hieroſolymitas vniuerſos Ioānes prædicans Chriſtum, ait. *Ego baptizaui vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto.* (v. 8.) Deinde ſubdit rem nouam, & alio poſt tempore factam. *Et factum eſt: In diebus illis venit Ieſus à Nazareth Galilaæ, & baptizatus eſt à Ioanne in Iordane.* Ex his ergo perſpicue demonſtratum arbitror Ioannem ab ipſo initio 15. anni Tiberii, ac fortaſſe etiam aliquanto citius, baptizando, & prædicando cunctis innotuiſſe hoc anno: Chriſtum autem non niſi initio anni ſequentis, ad ipſum baptiſmi gratia veniſſe.

III. *Cædes Titii Sabini, eiuſd. in cauſa & modus.*

PORRO hoc anni initium Romæ fœdum, atque ominoſum fuit, tracto in carcerem illuſtri equite Rom. Titio Sabino, ob amicitiam Germanici, cuius familiam etiam nunc, infenſo Tiberio & Seiano, ſectabatur. Quatuor accuſatores Prætorii eum inuadunt, cupidine Conſulatus, ad quem non niſi per Seianum aditus patebat. Illum ergo vnus ad liberiores de Imperatore ſermones domi trahit, poſitis in inſidiis, qui dictorum teſtes forent. Itaque accuſatus, & reſcripto Imperatoris ipſis Cal. Ianuariis damnatus eſt, vt pluribus perſequitur Tacitus, ex quo Dio l.58. init. omiſſis Coſſ. Sed addit genus mortis, quod Tacitus prætermiſit. Ea ipſa die, inquit, in carcerem coniectus eſt Sabinus; deinde indicta cauſa necatus, & corpus eius ad ſcalas Gemonias proiectum, ac poſt in flumen miſſum. Eius caſus atrocitatem adauxit Canis Sabini, qui cum eo in carcerem iuit, morienti affuit, denique cum eo in flumen ſe præcipitauit. Hæc Dio, & ex eo Zonaras t.2. Annal.

Canis in herũ amor.

IV. *Tiberio grata.*

SECVTÆ ſunt inſuper literæ Tiberii, grates agentis, quod hominem infenſum Reip. puniuiſſent. Cum autem adieciſſet trepidam ſibi eſſe vitam, ſuſpectas inimicorum inſidias, ſatis intellectum eſt Neronem & Agrippinam notari. Tum cenſuit Aſinius Gallus, etſi Agrippinam affinitate contingebat, petendum à Principe, vt metus ſuos Senatui fateretur, amouerique ſineret: quod indigne tulit Tiberius, ſed mitigauit Seianus, re nondum, vt videbatur, matura.

PER idem tempus Iulia filia Iuliæ, Auguſti neptis, quæ Æmylio Paulo pridem nupſerat, mortem obiit. Auguſtus conuictam adulterii damnauerat, proieceratque in inſulam Trimerum, haud procul Apulis littoribus, vbi viginti annis exilium tolerauit, Auguſtæ ope ſuſtentata. (Taci. l.4. fi.) Nimirum domeſticum matris Iuliæ, quæ Agrippæ fuerat vxor, exemplum, & impuram viuendi licentiam ſecuta fuerat.

V. *Mors Iuliæ neptis Auguſti.*

EODEM anno Friſij male Romanos acceperunt. Nam nongenti apud lucum, quem Baduhennæ vocant, confecti ſunt: & rurſum quadringenti mutuis ſe vulneribus confecerunt; diſſimulante Tiberio damna, ne cui bellum permitteret, à quo Imperio priuaretur. Interea neque ipſe, neque Seianus vllam viſendi ſui copiam faciebant, neque, licet crebris ſolicitati precibus, aut in vrbem, aut in propinqua vrbis digreſſi ſunt. Cæterum Tiberius neptem Agrippinam Germanico ortam cum coram Cn. Domitio tradidiſſet; in vrbe celebrari nuptias iuſſit; ex quo matrimonio Nero Imperator, qui præ cæteris crudelitate notus eſt, nono poſt mortem Tiberii menſe, 18. Cal. Ianuar. natus eſt, autore Suet.a

a l.6. c.6.

Anni Vrbis. Coſſ. Anni Imper. Res geſtæ.

709. C. Iulius Cæſar V. cum M. Antonio. 5 & vlt. Iulii, cæditur in Curia, Idib. Martii. quo toto anno Octauius magiſtratu caruit, ac priuatus fuit.

710. Octauianus Auguſtus cum Q. Pedio. Octauii Cæſaris. 1. Fit Conſul 19. Auguſti, Triumuir 27. Nouemb. — *II. Initia Auguſti.*

711. M. Æmylius Lepidus, L. Munacius Plancus. 2. Naſcitur Tiberius, poſt bellum Philippenſe. 16. Nouemb. & Marcellus, vt patet ex an. V. 730. Quidam tamen 24. in Ædilitate mortuum dicunt. Vide a. 729. n. 2.

712. L. Antonius Pietas, P. Seruilius Iſauricus. 3. Octauius in L. Antonium Peruſii bellum gerit, Brunduſii ægrotat.

713. Domitius Caluinus, & Aſinius Pollio. 4. Octauii cum M. Antonio bellici motus, pax cum Sex. Pompeio. Herodes Romæ Regis nomen obtinet verſus anni finem. — *Herodes rex in Vrbe dicitur.*

714. L. Marcus Cenſorinus, & C. Caluiſius Sabinus. 5. Triumphi L. Marcii, & Aſinij Pollionis. Iulia filia Auguſti naſcitur. Herodes obſidet Hieroſolymis Antigonum. Siculum bellum renouatur.

715. Appius Claudius Pulcher. C. Norbanus Flaccus. 6. Octauius in Sex. Pompeium claſſe male pugnat. Ortus S. Annæ. Herodes fratrem Ioſephum amittit, renouat obſidionem Hieroſolymæ ſub finem anni.

716. M. Vipſanius Agrippa, & L. Caninius Gallus. 7. Octau. Siculum bellum apparat. Herodes Hieroſolyma potitur. Antigonus Rex Iudæorum vltimus ſupplicio afficitur, & finitur Machabæorum principatus. — *III. Regno potitur Herodes*

717. L. Gellius, & M. Cocceius Nerua. 8. Octauius in Sicilia bellum gerit, & periculoſe pugnat, tandemque vincit, Pompeius fugit, Cæſar Lepidum reprimit, & mittit in exilium, Siciliam ordinat, redit in Vrbem.

718. Sex. Pompeius, & L. Cornificius. 9. Soror Octauii Antonium adit. Cæſar conſtituit Rempubl. accipit Tribuniciam poteſtatem in perpetuum. Sex. Pompeius interficitur, cum Octauii & Antonii lætitia.

719. L. Scribonius Libo. L. Sempronius Atratinus. 10. Antonius Triumuir de Armenis Alexandriæ triumphat, &c.

720. Octauianus Cæſar II. cum L. Volcatio Tullo. 11. Octau. Bellum gerit in Dalmatia, Triumuiratum retinet. Herodes Ariſtobulum Alexandræ filium, vxoris ſuæ fratrem, in aquis per ludum ſuffocat.

721. Cn. Domitius Ænobarbus, & C. Soſſius. 12. Inimicitiæ inter Cæſarem & Antonium, qui Octauiam repudiat, & Romæ hoſtis à Senatu declaratur, vterque bellum vi magna parat.

722. Cæſar Octauianus III. cum M. Valerio Meſſala. 13. Octauius ad Actium vincit Antonium, qui cum Cleopatra Alexandriam fuga petit. Pugna facta 2. Septembris, ex quo die Auguſtus ſolus rerum potitus eſt, & ciuilia bella quieuerunt. Hinc ducitur Æra Actiaca. — *IV. Victoria Actiaca Octauij monarchia.*

723. Octauius Cæſar IV. & M. Licinius Craſſus. 14. Cæſar Ægyptum petit. Antonius legatos de pace fruſtra mittit, Cæſar Alexandria, totaque Ægypto potitur. Antonius & Cleopatra ſibi manus afferunt.

724. Auguſtus Cæſar V. & Sex. Apuleius. 15. Tres Auguſti triumphi, ei & Iulio templa excitantur; accipit Romæ nomen Imperatoris. Cenſuram gerit; irrita in eum coniuratio. Herodes Mariamnem & Alexandram interficit. Iani portæ Romæ clauduntur. Hinc ducitur Æra, quæ dicitur Auguſtorum. — *Primus annus qui Auguſtorum dicitur.*

725. Cæſar Auguſtus VI. & M. Vipſan. Agrippa II. 16. Octauii in Agrippam beneuolentia. Luſtrum conficit, exhibet Actiacos Ludos. Iani portæ iterum aperiuntur.

726. Cæſar Auguſtus VII. & M. Vipſan. Agrippa III. 17. Octauius dictus eſt Auguſtus à Senatu 16. Calend. Februar. Agrippa Pantheon excitat. Auguſtus retinet Tribunitiam poteſtatem, adit Hiſpaniam.

Anni Vrbis Coſſ. Anni Imperat. Res geſtæ.

V. *Finis Aſſamonæorum*

727. Cæſar Auguſt. VIII. & Statilius Taurus II. 18. Auguſtus Conſulatum in Hiſpania Tarracone iniit, & ibi rem non male gerit. Herodes reliquam Aſſamonæorum familiam delet.

728. Auguſtus IX. cum M. Iunio Silano. 19. Ibidem Auguſt. init Conſulatū, bellis finem imponit, Ianū claudit. Trophæum de Alpinis gētibus erigit. Herodes laxat Iudaicam diſciplinam. Iudæa fame ac peſte vexatur, Herodes populo ſubuenit fame afflicto.

729. Auguſtus X. & C. Norbanus Flaccus. 20. Auguſtus in Vrbem redit. Senatus eius acta probat, legibuſque ſolutum dicit, Tiberium & Marcellum priuilegiis afficit, Herodes ædificat.

VI. *Marcelli mors.*

730. Auguſtus XI. & Cn. Calphurnius Piſo. 21. Auguſtus ægrotat, Agrippa Syriam adit Marcellus moritur ætatis vigeſimo, aut 24. in Ædilitate, vt aliqui aiunt.

731. M. Claudius Marcellus, & L. Aruncius. 22. Coniuratio in Auguſtū detecta, punitaque. Auguſtus Siciliam adit. Herodes ludos celebrat, in eum coniuratur. Vrbes reſtaurat.

732. Q. Æmylius Lepidus, & M Lollius. 23. Auguſtus Prouincias inuiſit. Agrippa fit gener eius repudiata nepte, & ducta Iulia filia, & Vrbi præficitur.

VII. *Caius Cæſar naſcitur*

733. M. Appuleius, & P. Silius Nerua. 24. Res ab Auguſto in Aſia geruntur. Recipit à Parthis Romana ſigna, Herodis ditionem auget, excipit Indorum legatos. Caius nepos Auguſti ex Iulia & Agrippa naſcitur.

734. C. Sentius Saturninus, & L. Lucretius. 25. Auguſtus redit, eique priuilegia ingeruntur, Virgilius moritur, Herodes templum Hieroſolymis inſtaurat, non à fundamentis excitat, &c. fuſe.

735. Cn. Cornelius Lentulus, & Lentulus Marcellinus. 26 Auguſtus Tribuniciam poteſtatē. Agrippæ communicat, Senatum legit: Herodes duos filios Romam mittit.

Lucius Cæſar naſcitur

736. C. Furnius, & C. Iunius Silanus. 27. Lucius ex Iulia & Agrippa naſcitur, ab Auguſto cum fratre adoptatur. Beatiſſ. Virgo à S. Anna concipitur,

VIII. *Ortus B Virginis.*

737. L. Domitius Ænobarbus & P. Cornelius Scipio. 28. Naſcitur Virgo ſanctiſſima. Auguſtus Galliam adit. Agrippa in Syria ab Herode magnifice excipitur.

738. M. Liuius Druſus. L. Calphurnius Piſo. 24. Agrippam in Aſia Herodes comitatur cum fructu multorum.

739. M. Licinius Craſſus, Cn. Cornel. Lentulus. 30. Agrippa in Ponto res bene gerit Herode comite.

B. Virginis Præſent.

740. Tib. Claudius Nero, P. Quintilius Varus. 31. Virginis Præſentatio. Auguſtus in Vrbem redit, Ludos Natalitios celebrat, fit Pontifex Maximus 6. Martii, mortuo Lepido hactenus Romæ Pontifice: Agrippa è Syria redit.

Agrippæ mors.

741. M. Valerius Meſſala, & P. Sulpicius Quirinius. 32. Herodes Romam proficiſcitur. Auguſtus Pater Patriæ ſalutatur, idque tertio. Agrippæ Pannonica expeditio: ibidem moritur, eique naſcitur Poſthumus Agrippa. In eius locum Tiberius ab Auguſto aſſumitur, cui & Iulia vidua deſpondetur.

742. Q Ælius Tubero, & Paulus Fabius Maximus. 33. Druſus in Germania res bene gerit, cum Tiberio honoratur. Herodes filios ex Mariamme matrimonio iungit.

IX. *Ortus Claudij Imper.*

743. Iulius Antonius, & Q. Fabius Maximus. 34. Oritur Claudius Imperator, Iulia Tiberio nubit. Octauia moritur. Herodes Cæſaream dedicat, cum ludorum apparatu, & Romam mittit Antipatrum primogenitum.

Anni Vrbis. Coſſ. Anni Imper. Res geſtæ.

744. Claud. Nero Druſus, & T. Quintius Criſpinus. 35. Moritur Druſus frater Tiberii, priuignus Auguſti, Claudii Imperatoris pater. Antipater Herodis filius Romæ clareſcit.

745. C. Aſinius Gallus, & C. Marcius Cenſorinus. 36. Sextilis menſis dictus eſt Auguſtus. Emendatur error Chronologiæ ab Auguſto Pontifice, qui & luſtrum condit. Tiberius dicitur Imperator. Mecœnas moritur. Herodes filios apud Auguſtum Aquileiæ accuſat, quos Auguſtus reconciliat patri.

746. Tib. Claudius Nero II. & Cn. Calph. Piſo II. 37. Tiberius donatur Tribunicia poteſtate, triumphatque: Ludi pro Agrippa mortuo celebrantur. Herodes Dauidis ſepulchrum ſcrutatur. — X. *Tribunitia poteſtas Tiberii.*

747. C. Antiſtius Vetus, & D. Lælius Balbus. 38. Lucius Cæſar petit fratri Conſulatum; Caius fit princeps Iuuentutis. Herodes italiam repetit. Fit Cæſari infenſus ob Syllæi criminationem.

748. Octauius Auguſtus XII. cum L. Cornel. Sylla. 39. Caium Auguſtus deducit in forum, anno eius 16. Tiber. Rhodum abit. Herodes Romam legatos mittit, gratiæ redintegrandæ cauſa. — *Rhodum abit.*

749. C. Caluiſius Sabinus, & L. Paſſienus Ruffinus 40. Tiberius Rhodi commoratur. Cæſar Herodi reconciliatur, & ad eum de filiis ſuis ſcribit, qui per nouam calumniam occiduntur.

750. L. Cornelius Lentulus. M. Valer Meſſalinus. 41. Naſcitur Galba Imperator. Antipater Herodi patri machinatur cædem. Prædicitur Zachariæ Ioannis Bapt. eiuſdem natiuitas. B. Virgo deſponſatur. — *Ortus Galbæ.*

751. Auguſtus XIII. cum C. Antiſtio Vetere. 42. Auguſtus Conſul Lucium deducit in forum 16. eius anno, eamque celebritatem ornat ſpectaculis. Iuliæ adulteria deprehenſa puniuntur. Caii expeditio in Orientem ad bellum Parthicum, eius comites Lollius, & Quirinius. Antipater à Patre accuſatur apud Varum, damnaturque. Extremo anno naſcitur Iesvs Christvs filius Dei ex Virgine Maria. — XI. *Ortus Ieſu Chriſti.*

Anni Christi. 1. — 752. Coſſus Cornelius Lentulus, L. Calphur. Piſo Augur. 43. Annus Iesv Christi. & Septimæ Ætatis I. Eiuſdem Circunciſio, Apparitio facta Magis, Oblatio in Templo cum Purificatione Virginis, & vtriuſque in Ægyptum fuga, Innocentum cædes, Herodis mors, Archelaus patri ſuccedit, & Romam adit. Eodem Tiberius reditum petit, Caius ex Oriente reditum parat, Lucius adit Hiſpaniam. — *Septima Ætas.* *Mors Herodis.*

Aera Christiana. 2. — 753. C. Iulius Auguſti filius, & L. Æmyl. Paulus. 44. Caius abſens Conſulatum gerit. Tiberio permittitur reditus. Filii Herodis apud Auguſtum diſceptant, ditionem Herodis Auguſtus tripertito diuidit.

3. — 754. P. Vinucius, & P. Alphenus Varus. 45. Tiberius ſeptimo anno redit in Vrbem. Lucius Cæſar Maſſiliæ moritur. Chriſtus redit ex Ægypto, ſecedit in Nazareth Galilææ, metu Archelai. — XII. *Tiberius reddit in Vrbem. & ex Ægypto Chriſtus.*

4. — 755. L. Ælius Lamia, & M. Seruilius. 46. Auguſtus ſtatuit Tiberium adoptare. Romæ incendium graſſatur.

5. — 756. S. Ælius Catus, & C. Sentius Saturninus. 47. Caius Cæſaris filius moritur, Tiberius adoptatur, & Agrippa, Caij frater. Tiberius in Germaniam mittitur. — *Tiberius adoptatur ab Auguſto.*

6. — 757. Cn. Cornelius Cinna, L. Valerius Meſſala. 48. Auguſti mira clementia. Virilis toga Agrippæ data, Tiberius redit in Germaniam. Multæ Romæ clades, quæ perſeuerant anno ſequenti.

7. — 758. M. Æmylius Lepidus, & L. Aruntius. 49. Auguſtus inſtituit Romæ ærarium militare.

8. — 759. Q. Cæcilius Metellus Creticus, A. Licinius Nerua. 50. Tiberius in Pannonia Auguſtus eò Germanicum mittit; Agrippam abdicat, ac relegat.

9. — 760. M. Furius Camillus. Sex. Nonius Quintilian. 51. Auguſtus Archelaum accuſatum accerſit. Varus Iudæam Syriæ contribuit. Auguſtus bellis intentus exit ab Vrbe. — XIII. *Iudæa Syriæ contribuitur.*

Anni Vrbis. Coſſ. Anni Imperat. Res geſtæ.

Quirinii cenſus.

761. Q. Sulpicius Camerinus, C. Poppæus Sabinus. 52. Archelaus ab Auguſto damnatur. Cenſus Quirini poſterior, cum Coponio Iudææ Procuratore. Res à Tiberio in Dalmatia geſtæ. Variana clades. 10.

762. P. Cornelius Dolabella. C. Iunius Silanus. 53. Seditio à Iuda Galilæo excitatur, & ſecta Galilæorum exoritur. 11.

763. M. Æmylius Lepidus, T. Statilius Taurus. 54. Profectio, & amiſſio pueri Ieſu; an mendicarit. Tiberius ius æquum cum Auguſto recipit, triumphat de Pannoniis, & Dalmatis. 12.

Ortus Caligulæ.

764. Germanicus Cæſar Tiberii fil. C. Fonteius. 55. Germanici Conſulatus, Ortus Caligulæ filii eius: famoſi libelli Auguſti iuſſu exuſti. Num mors S. Ioſephi nutricii Chriſti huc pertineat? 13.

765. C. Silius Nepos. L. Munacius Plancus. 56. Auguſtus condit teſtamentum, Tiberio rurſum Tribuniciam poteſtatem tradit, anno decimo ab Adoptione. Germanicus adit Germaniam. 14.

XIV. *Mors Auguſti, & Tiberii primus.*

766. Sex. Pompeius, & Sex. Appuleius. 57. Auguſtus poſtremum condit luſtrum. Tiberium comitatur; Valetudine tentatus, Nolæ moritur 16. Calend. Septemb. ætatis 76. non perfecto. Imperii 56. abſoluto. 1. Hoc ipſo anno Imperium Tiberii à 16. Cal. Septembris inchoatur, cum Chriſtus à Ianuario inchoaſſet annum decimum quintum. Tib. Imperium inuitus accipit ſpecie tenus & Agrippam interficit. Iulia eius mater moritur. 15.

767. Druſus Cæſar Tib. filius, & Norbanus Flaccus. 2. Tiberii; Germanicus in Germania Varianæ cladi parentat. 16.

768. Silenna Statilius Taurus, & L. Scribonius Libo. 3. Tiberii in Germanicum æmulatio, cum ex Germania reuocat. 17.

769. C. Cæcilius Rufus, & L. Pomponius. 4. Germanici triumphus, eum Tiber. deſtinat in Orientem. Magnus terræ motus in Aſia, vnde 13. vrbium ruina. Druſus adit Illyricum. 18.

770. Tiberius Auguſtus III. & Germanicus Cæſar. 5. Germanicus in Orientem mittitur, multa ibi præclare gerit, eius cum Piſone Syriæ præfecto ſimultas; Artabani Parthi ad eum legatio. 19.

XV. *Germanici mors.*

771. M. Iunius Silanus, L. Norbanus Flaccus. 6. Germanicus adit Ægyptum. Piſo eum veneno necat, authore, vt putatur Tiberio. Iudæi Vrbe pelluntur, ſicut & ſacra Ægyptia. 20.

772. M. Valerius Meſſala, & M. Aurelius Cotta. 7. Germanicus in Vrbe lugetur, Piſo accuſatus ſe ipſe perimit. 21.

773. Tiberius Cæſar IV. & Druſus eius filius II. 8. Tiberius in Campaniam ſecedit. Moritur Quirinius. 22.

774. D. Haterius Agrippa, & C. Sulpitius Galba. 9. Tiber. Druſo filio Tribunitiam confert poteſtatem. 23.

Druſus filius Tiberij moritur.

775. C. Aſinius Pollio, C. Antiſtius Vetus. 10. Seiani potentia, & cum Druſo inimicitiæ, quem lento veneno tollit è medio, & Germanici familiæ exitium machinatur. Hiſtriones Vrbe pulſi. 24.

776. Seruius Cornelius Cethegus, & L. Vitellius Varro. 11. Tiberii æmulatio in Germanici familiam opera Seiani. 25.

777. Cornelius Lentulus Iſauricus, M. Aſinius Agrippa. 12. Cremutius Cordus iniuſte damnatus. Seianus Liuillæ nuptias petit. 26.

XVI. *Pilatus Iudææ Procurator.*

778. Cn. Lentulus Getulicus, C. Caluiſius Sabinus. 13. Pont. Pilatus Iudææ Procurator, Vexillorum occaſione tumultus Hieroſolymis excitatur. Seiani calumniæ, & machinæ in duos Cæſares. Tiberius abit ex Vrbe. 27.

779. M. Licinius Craſſus, & L. Calphurnius Piſo. 14. Clades ex ruina Amphitheatri, & montis incendio, Tiberii otium, & inſignis Imperii negligentia. Antipas Herodes ducit Herodiadem Philippi fratris vxorem. 28.

XVII. *Annus baptiſmi Chriſti.*

780. Appius Silanus, & P. Silius Nerua. 15. Tiberii. Moritur Iulia neptis Auguſti. Cædes Titii Sabini. Anno decimo quinto Tiberii per 4. menſes cum dimid. inchoato Chriſtus init trigeſimum. 29.

781. C. Rubellius Geminus, C. Fuſius Geminus. 16. Initio horum Conſu- 30.

lum, Tiberio adhuc agente 15. Imperii, Chriſtus venit ad Baptiſmum Ioannis, anno ætatis trigeſimo, per 13. dies inchoato. Iuxta illud Lucæ, *Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta.* At in æra Vulgari, quæ vno anno tardior eſt, vt eius primo anno demonſtrauimus, trigeſimus Chriſti non poteſt concurrere, cum 15. Tiberii; ſed cum 16. per 4. menſes inchoato. In æra vero Baronii, quæ noſtram vno anno antecedit, Chriſti Baptiſmus incidit in decimũ quartum Tiberii per 4. menſes cum dimidio inchoatum; qui tamen dicitur decimus quintus, ratione anni Iuliani currentis, in quo ſub ſeptimum menſem cum dimidio inchoatur decimus quintus. Hæc autem probant Chriſtum natum anno Auguſti quadrageſimo ſecundo ineunte, & viciſſim inde firmantur; ſunt enim ita connexa, vt alterum ſine altero ſtare non poſſit, & vno luxato, vel ſede ſua demoto, alterum labefactetur. *Probatur ex anno Tiberii.*

PRAETER illam autem ætatis Chriſti demonſtrationem, quam ex annis Tiberii Euangeliſta petit, alia non infirmior ex ipſiuſmet Lucæ verbis petitur. *Factum eſt*, inquit, *cum baptizaretur omnis populus, & Ieſu baptizato, & orante apertum eſt cælum, & deſcendit Spiritus ſanctus*, & mox. *Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta.* in Græco eſt, Καὶ αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ἦν ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος, ὤν, ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς Ἰωσήφ, &c. Quæ verba licet omnes variis interpretationibus in ſuam ſententiam trahant; illa tamen planiſſima proculdubio mens eſt Euangeliſtæ, vt cum protuliſſet ætatem Chriſti quaſi annorum triginta, videretq; adhuc dubitari poſſe, an eſſet in principio, ſubdidit declarãdo, ἀρχόμενος incipiens: quæ verba plane ſuperflua videntur, ſi S. Lucas dicere voluit Chriſtum 30. annos propemodum expleuiſſe. Itaque Vatabli verſio ſic habet; & ipſe Ieſus incipiebat agere annum circiter trigeſimum. Et explicans, Ingreditur, inquit, trigeſimum annum; quo etiam tempore putabatur filius Ioſeph, &c. XVIII. *Ex verbis Lucæ.*

ACCEDIT grauiſſimorum virorum qui noſtra, vel patrum memoria floruerunt conſentiens, conſpiranſque ſententia, quorum nonnullos referre, cum bona lectoris eruditi venia, non pigebit. Sic enim habet harum rerum ſcientiſſimus Onuphrius, Anno Imperii Tiberii Cæſaris quintodecimo, iam, à proximo 14. Cal. Septembris die, vt Tacitus, Tranquillus & Dio ſcribunt, inchoato, eoque quintum menſem agente, Chriſtum à Ioanne baptizatum fuiſſe, vt ex patrum traditionib. vſu & autoritate Eccleſiæ catholicæ liquet, 8. Idus Ianuarii die, quem nos Epiphaniæ feſtum vocamus: quum Ieſus præcedenti 8. Calen. Ianuarii (vt patrum tenet traditio, & Eccleſiæ) vigeſimo nono ætatis anno expleto, trigeſimum incepiſſet, atque anni ætatis trigeſimi iam diem tantum tertium decimum ageret &c. Lucæ autem verba ſic explicat, & ipſe Ieſus erat tanquam annorum triginta, incipiens quidem; vt demonſtraret eum initio anni, non in fine baptizatum. Ita Onuphrius.[a] XIX. *Iuxta Doctorum interpretationem.*

[a] in l. 2. faſt. a. V.C. 786.

SIGONIVS comment in Sulpit. Seuer. Cæterum, inquit, anno Tiberii decimo quinto, quem ille iniuit 14. Cal. Sept. Seiano & Nerua Coſſ. Pontio Pilato Procuratore, & Anna Pontifice & Caipha, cum annos Chriſtus ageret 29. Ioannes Zachariæ filius præcurſor pœnitentiam prædicare, & ad Iordanem profectus, homines aqua tingere cœpit. Et mox, Sequenti vero anno, cum iam Chriſtus viginti nouem annos & tredecim dies trigeſimi tranſegiſſet, 7. Idus. Ianuar. venit ad Iordanem, & à Ioãne baptiſmum popoſcit, & accepit. Pererius quoque in Danielem.[b] In lectione græca habetur; erat quaſi triginta annorum incipiens, hoc eſt tunc orſus trigeſimum annum. Nam cum illud quaſi triginta annorum ſignificare poſſet, vel exitum trigeſimi anni, vel initium; per illud participium, incipiens, contrahitur & determinatur ad ſignificandum initium triceſimi anni. Sic ipſe. XX. *Sigonii & Pererii.*

[b] l. 11. q. 6.

ADDO Baradium[c] Indicat D. Lucas quanam ætate Dominus docendi munus aggreſſus fuerit, nempe cum trigeſimum fere annum ageret, hoc eſt vigeſimum nonum, tredecim additis diebus Sic ipſe, & in eandem ſententiam adducit Lyranum, Caiet. Hugonem Cardin. Carthuſianum, Clarium. Addo Genebrard.[d] Decimo quinto, inquit, Tiberii, quem iniiſſe, dicitur 14. Cal. Septemb. Sillano & Nerua Coſſ. cum annum Chriſtus ageret 29. Ioannes Baptiſta pœni- XXI. *Barady, Lyrani, Caietani, Genebrad.*

[c] t. 2. l. 1. c. 13.

[d] l. 2. Chro.

tentiam prædicare, & ab Iordane profectus baptizare cœpit. Sequenti vero Chriſtus cum iam inciperet trigeſimum, id eſt cum 29. & 13. dies trigeſimi tranſegiſſet, 8. Idus Ianuar. venit ad Iordanem, & à Ioanne baptizatus eſt. Menſibus quatuor & diebus nouendecim poſt Ioannis manifeſtationem. Sic ipſe, quẽ de more ſequitur Adrichom. in ſua Chron. anno Chriſti 30.

XXII. *Mariana, & Toleti.*

ADDO Marianam li. De die mortis Chriſti. Cœpit, inquit, Tiberius imperare 14. Cal. Septembris, cuius Imperii anni decimi quinti, quatuor integris menſibus exactis 8. Cal. Ian. (lege 8. Idus Ian. is enim eſt dies Epiphaniæ) baptizatus eſt, vti Eccleſiæ traditio habet, cũ vigeſimo nono anno expleto, trigeſimi dies tredecim tantum haberet: ſic enim plerique intelligunt illa verba. *Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta.* Nempe attigerat trigeſimum annum, non expleuerat. Idem in ſcholiis, & in Diario vitæ Chriſti confirmat. Addo Cardinalem Toletum in c. tertium Lucæ. Probabilior eſt, inquit, poſtrema ſententia, nempe initio trigeſimi fuiſſe baptizatum, non autem prope finem: agebat enim vigeſimum nonum impletum, & tredecim dies trigeſimi. Moueor autem ad hoc, quia cum communiſſima ſententia ſit nondum expletum eſſe trigeſimũ quando baptizatus eſt, conſequitur p[ot]ius fuiſſe in principio, quia Eccleſiæ ritus obtinet baptizatum fuiſſe paucis diebus poſt natiuitatis tempus. Probat autem hanc ſententiam computatio annorum ex hiſtoriis fideliſſima, &c. Sic Toletus. Annot. 55. fi.

XXIII. *Suaris, & Toſtati.*

ADDO & Suarem,[a] qui fuſe hanc quæſtionem tractat, & ſententiam hanc confirmat: de verbis autem Lucæ ita loquitur. Si ſimpliciter dixiſſet fuiſſe quaſi annorum triginta, ambiguum relinqueretur eſſet ne in initio, vel in fine; aut medio illius anni. Additum ergo eſt participium, incipiens, ad indicandum ita fuiſſe quaſi triginta annorum, vt trigeſimum inchoaret, & ad rem magis declarandam additum eſt, quaſi, ne dubitari ſaltem poſſet an inciperet habere 30. annos completos. Sed addamus eum qui iure multorum inſtar eſſe poteſt, Alphonſum Toſtatum, qui in c. 4. Matthæi q. 78. Chriſtus, inquit, iuit de Galilæa, ſcilicet de Nazareth ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo, & erat Chriſtus ipſa die annorum 29. completorum, & tredecim dierum inſuper; vnde dicebatur incipiens quaſi annorum 30. quando baptizatus eſt. Luc. 3. Hæc ibi Abulenſis, ad verbum. & alio loco.[b] Chriſtus deſcendens de monte, vbi ieiunauerat incepit prædicare per Galilæam,[c] & hoc fuit in principio tricesimi anni ſui. Nam Luc. 3. dicitur, quod quando Ieſus baptizatus eſt, erat incipiens annorum triginta, ideſt, incipiebat tricesimum annum, & de illo fluxerant ſolum dies tredecim; quia die Epiphaniæ reuolutis annis 29. baptizatus eſt. Sic Abulenſis. 1.

[a] 3. p. to. 2. d. 26. ſect. 2. praeced. ca. [b] in c. 14. Matth. q. 63. [c] Matth. 4. Luc. 4. 1. 6χ.

XXIV. *Ex D. Thoma, Beda, & Euſebio*

ET hæc quidem recentiores doctores, qui omnia diligentius expendere ſolent; ſed ne antiquiores quidem deſunt. Nam D. Thom.[d] in hac plane eſt ſententia, cum ait Chriſtum conuenienter fuiſſe in anno trigeſimo baptizatum, alioqui enim dicendum fuiſſet eum in anno trigeſimo primo fuiſſe baptizatum. Citatur Beda pro hac ſententia;[e] ſed nihil aliud habet, quam quod Euangeliſta, Chriſtum ſcilicet à Ioanne baptizatum, incipientem iam fieri quaſi triginta annorum. Euſebius quoque in Hiſtor. Eccleſ.[f] Nuda ipſius Euangeliſtæ verba profert, ratus nimirum perſpicuam habere de ineunte trigeſimo anno ſententiam. Quæ ita recte vertit interpres. Seruator & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, id eſt, vnctus Dei, quando iam trigeſimum ætatis ſuæ annum agere incipiebat, ad Iordanem, vt lauacro baptiſmatis tingeretur ſe contulit, eodemque tempore prædicandi Euangelii fecit initium. Idem in Chronico, quod edidit Scalig. Baptiſma Ioannis & Chriſti demonſtrationem, & initium prædicationis Chriſti à 29. eiuſdem inchoat. Quæ cauſa fuerit Caſſiodoro ponendi Chriſti baptiſmum in Conſulatu App. Sillani, & P. Sillij in edit. Cuſpiniani: Euſebii tamen Chronicum Græcum ad ſequentes Conſules Rubellium & Ruffium Geminos retulit. Nimirum quia Ioannis baptiſmus cœpit illo anno, vt ait Genebr. Chriſtus autem præſentis initio baptizatus eſt. Idem habet Ioan. Lucidus.[g]

[d] 3. p. q. 39. a. 3. [e] c. 2. l. de temporum ratione c. 45. fi. [f] l. 1. c. 10. [g] l. 7. c. 2.

XXV. *Ex S. Irenæo.*

SANCTVS Irenæus[h] in hac profecto videtur eſſe ſententia cũ Gnoſticos refellit, qui dicebant Chriſtum veniſſe quidem ad baptiſmum anno trigeſimo; ſed poſt 12. menſes eſſe paſſum, ſicque annum vnum prædicaſſe, qui dicatur ab

[h] l. 2. c. 39.

Eſaia c. 61. *annus Domini acceptabilis*. Ex quo D. Irenæus infert Chriſtum completo anno trigeſimo eſſe paſſum; nimirum ſupponens vt certum & indubitatũ, Chriſtum ineunte anno trigeſimo baptizatum eſſe.

Ad baptiſmum, inquit, *venit, nondum qui triginta annos ſuppleuerat; ſed qui inciperet eſſe tanquam triginta annorum*, (vides hic primum ab Irenæo opponi ſupplere, ſiue explere 30. annos, & eoſdem incipere? ſed pergit) *Ita enim qui eius annos ſignificauit Lucas poſuit, Ieſus autem erat quaſi incipiens triginta annorum, cum veniret ad Baptiſmum, & à Baptiſmo vno tantum anno prædicauit, complens trigeſimum annum paſſus eſt, adhuc iuuenis exiſtens, &c.*

XXVI *Ex Tertulliano, Africano, Clemente.*

Eodem modo Tertullianus lib. aduerſus Iudæos c. 8. vt certũ aſſumit Chriſtum Baptizatum eſſe initio anni trigeſimi. Nam agens de Tiberio Cæſare. *Huius*, inquit, *quintodecimo anno Imperii paſſus eſt Chriſtus, annos habens quaſi triginta cum pateretur*, ſupponit autem vno anno prædicaſſe, quæ fuit aliquorum eo tempore opinio. Addit etiam mox Conſules illos, quos ante dixi Geminos. Africanus quoque apud D. Hieronym. (in c. 9. Dan.) *Et ipſi Macedones*, inquit, *regnauerunt annis trecentis, atque exinde vſque ad annum quintum decimum Tiberii Cæſaris, quando paſſus eſt Chriſtus, numeratur annum ſexaginta &c.* Clemens quoque Alexandrinus l. 1. Strom. citans verba Lucæ ait. *Erat Ieſus veniens ad baptiſma quaſi 30. annorum, & quod anno ſolo oporteret eum prædicare, hoc quoque ſic ſcriptum eſt. Annum acceptabilem Domini prædicatum miſit me, hoc & Propheta dixit, & Euangelium. Quintodecimo ergo Tiberii, & quintodecimo Augusti ſic implentur triginta anni, vſque ad tempus quo paſſus eſt.*

XXVII *Ex omnibus qui dixerũt paſſum Chriſtum anno trigeſimo.*

Si ergo paſſus eſt 15. Tiberii, anno ætatis trigeſimo, & prædicauit vno anno, vt dicunt Gnoſtici, non prædicauit autem niſi poſt baptiſmum acceptum, vt ex Euangeliſtis liquet, oportet eum initio anni trigeſimi accepiſſe Baptiſma. Denique quicumque dixerunt Chriſtum Dominum paſſum, ſub duobus Geminis Coſſ. quorum Conſulatus cadit in 15. Tiberii, neceſſario dicere debent Chriſtũ initio 30. anni eſſe Baptizatum: in iis autem fuit S. Auguſtinus.[a] Etſi non nominat Conſules, idem tamen ſenſiſſe videtur, cum Chriſti mortem in 15. Tiberii refert. Quamquam emendatiores codices pro 15. legunt 17. alii autem eoſdem Conſules nominant, ſed eos in 18. Tiberii coniiciunt, vt Sulpitius Seuerus. S. Epiphanius hæreſi 51. pro neutra facit ſententia, vt qui Baptiſma Chriſti in tempus Sex. Idus Nouembris refert, à quo ſemper abhorruit Eccleſia, vt ait Baron. in Apparatu n. 108.

[a] l. 18. de ciuit. c. vlt. Lactan. l. 4. c. 10. in fin. Paul. Oroſ. l. 7. c. 4.

XXVIII *Contraria ſententia de 30 expletis.*

Pro contraria opinione, quæ vult expleto 30. anno Chriſtum veniſſe ad baptiſma, perſpicua videtur D. Ignatii ſententia ad Trallianos, de tranſactis tribus annorum decadibus, & D. Bernardi in ſerm. 1. de Epiphan. *Cum iam Chriſtus*, inquit, 30. *annorum tempus exegiſſet in carne, qui ſecundum diuinitatem idem ipſe eſt, & anni eius non deficiunt &c.* Affertur in eandem ſententiam [b] Chryſoſtomus, & Eutymius, de quibus dicere poſſumus eos hæc obiter attigiſſe, quod perinde eſſet ad rem quã agebant annine 30. Chriſti inchoati eſſent, an abſoluti; Imo triginta ne eſſent an 28. quod de iis dici non poteſt, quos pro noſtra ſententia retulimus, qui diſputando, & ex profeſſo eam tradunt, aut ex eorum poſitionibus neceſſario ſequitur annus trigeſimus inchoatus.

[b] Hom. 10. in c. 3 Matt. [illegible]

XXIX *Refutatur.*

Adde quod ex communi modo loquendi, poſt 30. annos idem eſt quod trigeſimo anno, ſicut cum Chriſtus dicit, *poſt tres dies reſurgam*, id eſt tertio die, &, *poſtquam conſummati ſunt dies octo*, id eſt, cum ageretur octauus dies, vt notarunt locis cit. Perer. & Suares: qui etiam hanc expoſitionem confirmat ex can. 20. Græcarum Synodorum, vbi ſic habetur. *Si quis triginta ætatis ſuæ non impleuerit annos, nullo modo Presbyter ordinetur, etiam ſi valde ſit dignus; quia & ipſe Dominus trigeſimo anno baptizatus eſt, & ſic cæpit docere.* Conſtat autem ſuffeciſſe tunc annum trigeſimum inchoatum eſſe, ſicut & nunc vigeſimum quintum. Vides etiam ibi pro eodem poni, implere triginta annos, & eſſe in trigeſimo anno, ſiue agere trigeſimum annum? & hæc de ratione temporis hoc loco dicta ſufficiant.

XXX *Tetrarcha Abilinæ.*

Alias ſuggerit Euangeliſta temporis notas, in aſſignando initio prædicationis Sancti Præcurſoris, quæ non leuem excitant dubitationem. Et vt omittam Lyſaniam Abilinæ Tetrarcham, ſiue principem prouinciæ in Cœleſyria, ad Iudæam, Herodiſue primi regnum pertingentis, qui tum eam prouinciam rege-

bat, cuius caput vrbs Abila: nec ad filios Herodis ſucceſſoreſue pertinebat: geminus ille certe Pontifex, quem ille ſuggerit, omitti non debet. *Sub principibus,* inquit, *Sacerdotum Anna & Caypha, factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem &c.* Vnicum enim nunc Iudæorum fuiſſe Pontificem, & quidem Caypham, ex iis quæ in eius Pontificatus initio diximus, ſatis conſtare poteſt; neque Ananus ſiue Annas à morte Auguſti Pontificatum attigiſſe reperitur, à quo Cayphas quintus Pontifex à Ioſepho numeratur. Ex quo perſpicuum eſt, quam abſurde dictum ſit ab Euſebio,[a] Ioannis prædicationem ſub Anna cœptam Pontifice, intra quadriennium Caypha Pontifice terminatam. Annas enim decimum quintum iam annum carebat Pontificatu.

Vide Ortel. in Theſ. Georg. l. 18. ant. c. 3.

a l. 1. Hiſt. Eccl. c. 10.

XXXI. *Cayphas ſolus Pontifex fuit.*

Vt omittamus autem varias ea de re interpretum Scripturæ opiniones recenſere, aut referre; Cenſeo Caypham hoc tempore ſolum fuiſſe Pontificem, eamque dignitatem annum iam duodecimum egiſſe, in eaque porro vltra Chriſti mortem perſeueraſſe. Alterum autem, qui pridem fuerat Pontifex, eratque in ſanctiore Sacerdotum Cōcilio princeps, ex Cayphæ conſenſu Pontificis quaſi coadiutorem fuiſſe, qui id illi honoris, vt ſocero, vt ſeniori, vt pridem eadem dignitate functo, libenter deferebat.[b] Neque eſt inſolens in Scriptura Pontificem dici, non qui ſit; ſed qui antea fuerit. Nam Abiathar à Salomone amotus à Sacerdotio, æquè ac ſucceſſor eius Sadoc ſacerdos dicitur.[c] Vide quæ pridem diximus anno Salomonis tertio, nu. 125[d]

b vid. Bara. t. 2 l. 1. c. 12. & Suar. t. 2. diſp. 40. ſec. 3. ſub fin.
c 3 Reg. 2. 1.
d t. 2. an. m. 3022.

XXXII. *Quot annorum fuerit Chriſti prædicatio.*

Occvrrit grauior hoc loco difficultas, quam omnino explicare neceſſe eſt, antequam prouehamur vlteriùs. Si enim ineunte trigeſimo anno Chriſtus baptizatus eſt, & prædicare cæpit, cum eius prædicatio, ex communiſſima ſententia, tribus annis circumſcribatur, oportebit Chriſtum mortuum eſſe 33. ætatis ſuæ anno per 4. menſes inchoato. Nam ſi ad 34. annum perueniſſe volumus, in quarto eius menſe crucifixum, conſequens eſt eum quatuor totos annos, & aliquot inſuper menſes concionatum eſſe, cum in Euangeliis tria tantum Paſchata prædicationis reperiantur, excepto quarto in quo occiſus eſt.

XXXIII. *Poſſe dici 4 annorum.*

Respondeo primo, nihil eſſe abſurdi, neque repugnans Euangeliſtis, concedere quinque paſchata, ex quo Chriſtus per baptiſmum manifeſtatus eſt. Primum eſt id quod proxime ſecutum eſt baptiſma eius, receptum 6. Ianuarii, vt habet communiſſima Eccleſiæ traditio. Alterum eſt id quod ſecutum eſt nuptias in Cana Galilææ celebratas, quas eadem Eccleſia prædicat eodem ſexto Ianuarii contigiſſe, cuius meminit Ioan.[e] Fieri autem non poteſt, vt eodem numero die, quo baptizatus eſt Chriſtus venerit ad nuptias, quia ſtatim à baptiſmo ductus eſt in deſertum, vbi per 40. dies ieiunus permanſit. *Et ſtatim*, inquit Marcus,[f] *ſpiritus expulit eum in deſertum.* Tertium memoratur à Ioanne init. cap. 5. quando Chriſtus relicta Iudæa, abiit iterum in Galilæam, tranſiens per Samariam, vbi conuertit Samaritanam; quo tempore Chriſtus dixit diſcipulis ſuis quatuor ſupereſſe menſes, vſque ad meſſem, quæ in Aprili fiebat, aut Maio.[g] Vnde Rupertus, *Ex quo Dominus*, inquit, *vinum in aquam conuertit in Cana Galilææ, & nunc quando reuertitur iterum in Galilæam annus exactus eſt, qui eſt ætatis eius trigeſimus primus.* Hæc Rupertus. Agi autem eo loco de feſto Paſchæ, & nomine diei feſti Iudæorum intelligi Paſcha, ſuo loco docebimus.[h] Quartum perſpicue ponitur à D. Ioanne c. 6. 4. Deque eo nulla eſt controuerſia. Sed neque de quinto, in quo paſſus eſt Chriſtus, quod idem Euangeliſta celebrat multis in locis,[i] & paſſim omnes.

Quinque Paſchata.

e c. 2. 13.
f c. 1. 12.
g Ioan. 4. 35.
h vide autē Matt. 26 15 & Perer. in Dan. p. 702. 703.
i nominatim c. 12. 1 13. 1. 19. 14. 31. Matt. 26 2. 18. 19.

Et hanc temporis Chriſti Domini diſtributionem plerique doctiſſimi theologi, & Euangeliorum interpretes ſecuti ſunt, in quibus Suares[k], Baradius,[l] Ioãnes Mariana in lib. de die mortis Chriſti c. 10. & in Diario vitæ & actionum Chriſti, & alii, quos ſuis locis aſſeremus.

k t. 2. in 3. p. D. Tho. diſ. 30. ſect. 3. & diſp. 40. ſec. 1. & eq.
l Bara. t. 2 l. 6. c. 1. & l. 7. c. 16.

XXXIV. *Chriſtum anno baptiſmi non eſſe concionatum.*

Respondeo ſecundo, non eſſe abſurdum Chriſtum primo anno, qui intercurrit inter baptiſmum ipſius, & miraculum factum in nuptiis, non eſſe concionatum, nec miraculum vllum feciſſe, cum primum in nuptiis factum ſit. Et eam tanquam veram, & Eccleſiæ ſenſui conſentaneam, amplectitur D. Thom.[m] Qui cum poſuiſſet opinionem, quæ Baptiſmum Chriſti, & miraculum nuptiarum eodem anno factum putat, ſubdit. *Sed his contrariatur ſententia, & conſuetudo*

m t. 14. lec. 8

Tria eiuſdem diei miracula. Ex S. Thoma.

Eccleſiæ. Nam in feſto Epiphaniæ trium miraculorum commemoratio fit. Adorationis Magorum, quæ fuit primo anno Natiuitatis Dominicæ; & Baptiſmi Chriſti, quo baptizatus eſt eodem die, reuolutis 30. annis: & de nuptiis, quæ ſunt factæ eodem die reuoluto anno. Ex quo ſequitur, quod ad minus vnus elapſus fuit à baptiſmo, vſque ad nuptias. In quo quidem anno nil aliud legitur Dominus feciſſe, niſi quod dicitur Matthæi 4. de Ieiunio in deſerto, & de tentatione à Diabolo, & ea quæ hic Ioannes refert de teſtimonio Baptiſtæ, & conuerſione diſcipulorum; A nuptiis autem cœpit publice prædicare, & miracula facere, vſque ad paſſionem. Sic D. Thomas.

XXXV. Et Caietano, Ruperto aliiſque.

Qvem ſecutus Caiet. in c.1. Ioan. ait rationi eſſe conſentaneum, vt annum, qui inter Baptiſmum & nuptias interceſſit, exegerit Chriſtus docendo priuatim, & conuerſando ſæpe cum Ioanne, vt frequens de ipſo teſtimonium redderet; & ipſe Chriſtus inchoaret docendo priuatim &c. Rupertus quoque Ioannis 1. ait Dominum primo anno ſeorſum aliquos docuiſſe, publica vero prædicatione non adeo turbis innoteſcere voluiſſe. Idem ſentit Genebr. [a] cum ait Chriſtum, poſt Baptiſmum, & ieiunium in deſerto, reliquum anni tranſegiſſe, magis in exhibenda ſui notitia, quem prædicando Euangelio. Deinde autem vix ingreſſum 31. prædicare cœpiſſe, anno 16. Tiberii Cæſaris, Pilati quinto. Idem vult Barad. [b] Simon Caſſianus, [c] & Benedictus Pererius.

a l.2.Chro.

b t.2.l.3.c.12.

c l.5.c.1.Perer.l.11.in Dan.q.7.in fin.

XXXVI. De tribus myſteriis e iuſdem diei obiectio.

At eluditur fundamentum noſtrum de conſenſu Eccleſiæ, in miraculo vini, baptiſmo, & Epiphania Chriſti in eundem diem incidentibus, quæ à tot iam ſeculis canit *Tribus miraculis ornatum diem ſanctum colimus, hodie ſtella Magos duxit ad præſepium; hodie vinum ex aqua factum eſt ad nuptias; hodie in Iordane à Ioanne Chriſtus baptizari voluit, vt ſaluaret nos.* Et rurſus. *Hodie cœleſti ſponſo iuncta eſt Eccleſia, quoniã in Iordane lauit Chriſtus eius crimina; currunt cum muneribus Magi ad regales nuptias, & ex aqua facto vino lætantur conuiuæ &c.* Eluditur, inquã, à dicentibus Eccleſiam illo die tria illa myſteria celebrare, perinde ac ſi eadem die contigiſſent, licet diuerſis diebus, iiſque incertis contigerint. Sic Tolet. [d]

d in c.2.Ioan.ann.15. Perer.l.11.in Dan.q.7.v.fin. Baron.an.Chriſti 31.n.34.

e t.2.l.1.c.12.

XXXVII Reſpondetur, & confirmatur noſtra ſententia.

Qvibvs, cum Baradio noſtro reſpondemus. [e] Hanc ſententiam perſpicue Eccleſiæ verbis ſignificari, ei qui tergiuerſari nolit. Quorſum enim Eccleſia vno eodemque die illa celebraret, quæ eodem die acta eſſe non putaret? Nunquid deerant dies diuerſi, qui his miraculis celebrandis deſtinarentur? Imo illo eodem die eſſe peracta aſſerit; celebrat vero diuerſis diebus. Scilicet ipſo Epiphaniæ ſacro die Magorum aduentum, in Octaua Epiphaniæ baptiſmum; dominica ſequenti aquæ in vinum tranſmutationem. Quid igitur opus erat affirmare eodem die eſſe peracta, ſi diuerſis contigerant? Eccleſiam ſequor, ait Baradius, quæ manifeſte loquitur, nec indiget expoſitione: hanc opinionẽ illa elegit, eandem ego elegi. Sic ipſe, qui pleroſque refert Eccleſiæ patres, qui non vnum aliquod de tribus, huic diei aſſignant, quos retulit Baron. ſed qui omnia tria illi aſcribant.

XXXVIII. Ex S. Maximo.

Ex quibus ſufficiat nobis referre D. Maximum, Hom. 6. *Complura nobis,* inquit, *atque diuerſa, feſtiuitas præſentis diei ſalutarium myſteriorum ſacramenta multiplicat. Nam ſicut poſteritati ſuæ fidelis mãdauit antiquitas, hodie ſaluator humani generis cœleſtibus oſtenſus indiciis à Chaldæis eſt adoratus. Hodie Chriſtus beati Ioannis miniſterio fluenta Iordanis benedictione proprii baptiſmatis conſecrauit. Hodie etiam inuitatus ad nuptias, diuinitatis ſuæ potentiam manifeſtans aquas vertit in vinum, & quas ſanctificauit in baptiſmo, nobilitauit in nuptiis.* Quanti autem faceret D. Tho: hunc Eccleſiæ conſenſum iam diximus: cui Rupertum etiam [f] merito iungimus. *Nunquid annum,* inquit, *ſuæ ætatis trigeſimum, cuius in initio baptizatus eſt, totum ſine diſcipulis exegit, & ita redeunte anno eadem die illud admirabile ſignum primum coram diſcipulis fecit? Ita ſane credendum eſt, quomodo tria hæc, quæ ſuperius dicta ſunt, vna die celebrata eſſe, ſecundum ſanctæ Eccleſiæ autoritatem, negare non poſſumus.*

f l.3. de diu. off. c.24.

XXXIX. Et Abbate Ruperto.

Et rurſus, initio cap. *Sanctus dies Epiphaniæ cum tribus ex cauſis ſit celebris; ea namque die à Chaldæis Dominus eſt adoratus; itemq; annorum triginta iam eſſe incipiens, à Ioãne baptizatus eſt; atque redeunte anno ex aqua vinum fecit ad nuptias.* Subditque hanc Græcorum fuiſſe conſuetudinem, vt propterea in Epiphania ſolenne baptiſma conferrent, quod S. Leo improbauit, [g] non negans eo die Chriſtum Baptizatum, ſed aſſerens Chriſtianos in Chriſti morte baptizatos, vt loquitur Apoſto-

g ep.4.Dec. ad Epiſ. Siciliæ, quæ incipit Diuinis præceptis.

lus, non in Ioannis baptiſmate; ideoq; non in Epiphania, ſed in Paſchate baptiſmum ſolemniter eſſe conferendum candidatis. Et hæc hactenus. Nam particularia de Chriſti baptiſmo, rebuſque ad eum pertinentibus, tum Baronius, an. Chriſti 31. tum Euangeliorum interpretes ſuggerent; præſertim Baradius.[a]

[a] ... 12. & ſeqq.

XL. *Quota die hebdomadæ baptizatus.*

Ivvat tamen hic notare parum eſſe certum in quem diem ſexta illa Ianuarii inciderit, propter iteratam annorum confuſionem, quam Auguſtus in ſuo Pontificatu correxit. S. Auguſt. ex traditione maiorum, ſermon. 154. de tempore, agens de Reſurrectione Domini. *Venerabilis*, inquit, *eſt hic dies, qui dominicus dies, & dies primus atque perfectus eſt, & dies clarus, in quo viſa eſt prima lux. In quo tranſgreſſi ſunt filij Iſrael mare rubrum ſiccis pedibus: & in quo*, primum, *pluit manna filijs Iſrael in deſerto. & quo Dominus baptizatus eſt in Iordane, quo vinum de aqua in Cana Galilææ factum eſt &c.* Et de prima die, qua lux creata eſt, id minime dubium eſt, vt docuimus die mundi primo, nu. 12. De tranſitu maris, vide an. Moſis 81. n. 160. Vbi ex Hebræis ponitur dies quintus hebdomadæ, qui fuit 7. Azymorum. Manna vero reperitur primum decidiſſe feria ſecunda hebdomadæ. De baptiſmate non magis certa res eſt. Nam Ioan. Lucidus,[b] ait baptizatum feria ſexta, quoniam eo anno currebat littera Dominicalis A. At [?]untingus vult eam litteram fuiſſe B. ex quo ſequitur ſextam Ianuarii fuiſſe diem Iouis. Sed hoc, vt dixi, parũ certum eſt. Illud autem minime dubium; ſi Domini baptiſmus in diem Dominium incidit, mutationem vini anno ſequenti, non in diem dominicum, ſed in diem Lunæ incidiſſe.

ibid. n. 320. [b] l. 7. c. 2.

XLI. *An Ioannes à Chriſto baptizatus.*

Non omittamus etiam illud quærere, an Ioannes à Domino viciſſim fuerit baptizatus. Id enim videtur affirmare S. Hieronymus in c. 3. Matthæi. Pulchre dixit, inquit, ſine modo, vt oſtenderet Chriſtum in aqua, Ioannem à Chriſto in ſpiritu baptizandum. Quibus verbis videtur alluſiſſe ad quendam librum apocryphum, cuius meminit Author imperfecti operis, apud Chryſoſt. qui Homil. 4. in Matth. *Dum*, inquit, *dicenti Ioanni, ego à te debeo baptizari*, *reſpondit*, *Modo interim ſine, oſtendit quia poſtea Chriſtus baptizauit Ioannem, quãuis in ſecretioribus libris manifeſte hoc ſcriptum ſit. Et Ioannes quidem baptizauit illum in aqua, ille autem Ioannem in ſpiritu.* ſic ille. Qui baptiſmus in ſpiritu interprete Toſtato, dupliciter intelligi poteſt, vno modo de baptiſmo ſpiritali Chriſti, in quo remittuntur peccata, nec eſt ſolum in aqua, vt baptiſmus Ioannis, ſicque vere Ioannes à Chriſto fuiſſet baptizatus. Alio modo dicitur baptizatus in ſpiritu, per infuſionem Spiritus ſancti, ſiue collationem amplioris gratiæ, quo modo Chriſtus promiſit Apoſtolis eos breui baptizatum iri Spiritu ſancto, quod non fuit ſacramentum baptiſmi, cum nec aqua daretur, nec vlla proferretur forma verborum. Itaque res manet ambigua; Nec eam ſatis explicat Nazianzenus, cum ait; Sciebat Chriſtus paulo poſt futurum, vt ipſe Baptiſtam baptizaret: aut Damaſcenus cum ait Ioannem, & impoſita manu diuino capiti, & ſuo etiam cruore baptizatum.

q. 78. in 1. c. 3. Matth.

Ora. 39. ver. finem.

l. 4. c. 10. & Nicetus in Orat. 39. Nazian.

XLII. *Non videri.*

Abvlensis non immerito exiſtimat S. Ioannem à Chriſto non fuiſſe baptizatum. Idque colligitur ex admiratione diſcipulorum Ioannis, qui aliquanto poſt nunciarunt magiſtro ſuo, illum cui Ioannes teſtimonium perhibuerat, baptizare, & omnes ad eum venire. Quod illi fruſtra nunciarent, ſi is iam baptiſmum ſuum Ioanni contuliſſet, idque Ioannes eis reſpondiſſet, ad zelum, vel admirationem ipſorum tollendam. Quod ſi baptizatus fuit, videtur dicendum cum S. Cyrillo, dilatum eſſe in aliud tempus baptiſmum, propter illud, *ſine modo*; quoniam oportebat prius Chriſtum prædicare, & doctrinam Euangeliam euulgare, iuxta illud. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus ſancti.* Imo nec ſacramentum Baptiſmi inſtitutum adhuc fuerat, neque auditum illud. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.*

q. 78. in 1. 3.

l. 2. theſ. c. 4. fin.

XLIII. *Reliqua huius anni geſta.*

Qvæ autem hoc reliquo anno, ad nuptias vſque in Cana Galilææ celebratas, contigerunt, ſumma breuitate notata ſic habe. Chriſtus baptizatus à Ioanne in Iordane, ducitur in deſertum à Spiritu ſancto, vbi ieiunat dies 40. deinde eſuriens tentatur à Diabolo, eoque in trina tentatione ſuperato, acceſſerunt Angeli, & miniſtrarunt ei.

Inde Chriſtus in Galilæam abiit, ad matrem, vt ait S. Epiphan. hæreſ. 51. extremo menſe Februario. Deinde partim in Galilæa, partim in Iudæa vſque ad

t mensem

[a l. 1. c. 16.] menſem Decembrem egit, ſæpiusque ad Ioanne venit. Barad.[a] Sophron. in Prato. Spir. c. 1. Interea Ioannes coram turbis, abſente Chriſto teſtimoniũ perhibet de eo.[b] [b Ioan. 1. 15.] Mox ſecuta eſt Hieroſolymitana legatio, ad ſciendum num Ioannes eſſet Meſſias: qua ille occaſione ſapienter vſus, Chriſtum eis adhuc ignotum annunciauit.[c] [c Ioa. 1. 26.] Poſtridie à legatione venit Ieſus ad Ioannem, qui coram perhibuit teſtimonium, dicens, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.*[d] [d Ioa. 1. 29. vſque ad ℣. 34.] Sequenti die à dato hoc teſtimonio, cum Ioannes eſſet cum duobus diſcipulis ſuis, vidit Ieſum ambulantem, & dixit eis, *Ecce Agnus Dei;* qua illi voce commoti venerunt ad Ieſum: in iis erat Andreas, qui ſub veſperam à Chriſti domo digreſſus, inuenit fratrem ſuum Petrum, quem deduxit ad Ieſum.[e] [e Io. 1. v. 35. ad 42.] Poſtridie Chriſtus rediturus in Galilæam, inuenit Philippum, & vocauit eum.[f] [f Io 1. v. 43.] & ille ad eum adduxit Nathanaëlem,[g] [g v. 46.] quem Rupertus putat eſſe Bartholomæum. Et hæc hoc anno geſta; quæ temporis diſtributio Baradii quoque eſt, & Marianæ.

XLIV. *Mors Liuiæ vxoris Augusti.*

DE hiſtoria vero Romana hæc fere habet Tacitus l. 5. Annalium; Sub huius anni Conſules Liuiam vxorem Auguſti eſſe defunctam, quam Iuliam Auguſtam vocat, quod id nomen in Auguſti funere acceperat, vt ex ſi. l. 56. Dionis alibi diximus. Tacitus autẽ ait illam in Liuiorum, & Iuliorum familias adoptionibus tranſiiſſe, defunctamque extrema ætate; cum vixiſſet, vt ait Dio init. l. 58. & Zonaras, annos 6. & octoginta, ſiue vt vult Plinius,[h] [h l. 14. c. 6.] duos & octoginta. Funus eius modicum, inquit Tacitus, teſtamentum diu irritum fuit, laudata eſt pro roſtris à C. Cæſare pronepote, qui mox rerum potitus eſt. At Tiberius, quod ſupremis in matrem officiis defuiſſet, nihil mutata amœnitate vitæ, magnitudinem negotiorum per literas excuſauit, honoreſque memoriæ eius ab Senatu large decretos, quaſi per modeſtiam imminuit, paucis admodum receptis, & addito, ne cæleſtis religio decerneretur, ſic ipſam maluiſſe. *Tiberius in eam ingratus.*

XLV. *Ex Suetonio. Superbia Liuiæ.*

SEVERIVS hæc ſuo more Tranquillus. Nam[i] [i l. 3. c. 51.] de Tiberii filii in eam inhumanitate agens, inter alia. Toto triennio, inquit, quo viuente matre abfuit, ſemel omnino eam, neque amplius quam vno die, ac pauciſſimis vidit horis: ac mox neque ægræ adeſſe curauit, defunctamque, & dum aduentus ſui ſpem facit, complurium dierum mora, corrupto demum, & tabido corpore funeratam prohibuit conſecrari; quaſi id ipſa mandaſſet. Eadem habet Dio l. c. pauloque plura de laudibus eius; in quibus vel maxima illa eſt animi modeſtia, qua infirmitatis humanæ, & maximæ muliebris conſcia, diuinos honores non affectauit: quos tamen miſere conſecuta eſt ab ſuo nepote Claudio: qui vt author eſt Dio.[k] [k l. 60. ſub init.] eius natali ludos equeſtres attribuit, & præter eum honorem, etiam immortalitati aſſeruit, dedicauitque eius effigiem in templo Auguſti, ac rem ſacram ei fieri à Veſtalibus mandauit, mulieresque per nomen eius iurare iuſſit. Hæc ibi. Qui nihilominus[l] [l l. 57. p. 609 gr. lat.] eius faſtum vehementer arguit, adeo vt ſuperbia omnes retro fœminas longo interuallo poſt ſe relinqueret; & literæ ad Tiberium, ad ipſamquoq; inſcriberentur: ac niſi quod in Senatum, ad exercitum, aut conciones venire auſa non eſt, cætera omnia ageret, quaſi Imperium ipſa teneret, & priores Tiberio gerere vellet, quod ipſi eius opera Imperium quamuis non ſine ſcelere collatum fuiſſet. Si ſuſpiciones Taciti, de nece Auguſti, & Germanici, & Agrippæ iunioris veræ ſunt.

XLVI. *Vtilis fuit publicæ rei.*

VTILIS etiam mulier publicæ rei fuit. Nam incolumi Auguſta, inquit Tacitus, erat adhuc perfugium, quia Tiberio inueteratum erat erga matrem obſequium; neq; Seianus audebat autoritati parentis anteire. Tunc velut frenis exoluti ambo, in grauiora ſcelera prorupere. Agrippinam enim, & Neronem eius filium Tiberius per literas accuſauit in Senatu, pauore ac ſilentio ſuſpenſo, & populi fauore eos aperte ſuſtentante, Seiano etiam Tiberii dolorem exacuente. Qui rurſum etiam aſperius in nepotem, & nurum inuectus, plebem edicto increpuit. Quo autem modo atque ordine cætera geſta ſint, perobſcurum eſt; quod Tacitus l. 5. Annalium tota ea hiſtoria diminutus ſit, & multis ad Seiani Conſulatum & cædem pertinentibus: quæ à Dione partim prætermiſſa, partim iniuria temporum diminuta, partim conſulatibus parum diſtincta ſunt.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 4082.

1. N. I. Hic Fuſius Geminus in ſtrage amicorum Seiani eſt interfectus: necataque etiam eſt anus Vitia mater eius, quod filii necem fleuiſſet. Nam quæ occupandæ Reip. conſilio rum argui non poterant fœminæ, & lachrymas incuſabantur, vt ait Tacit l.6.

2.N.XXIII. Et rurſus in 2. p. Defenſ.c.12. Erat autem, inquit, tunc Chriſtus Ieſus incipiens annum trigeſimum, Luc.3. quia compleuerat 29. annos, & tredecim de anno 30. Et mox, non dixit quod erat annorum 30. ſed quod erat incipiens annorum triginta, id eſt, incipiens annum trigeſimum, quia de illo ſolum egerat tredecim dies, qui ſunt inter natalem Domini & Epiphaniam.

3. N. XXV. Verba D. Irenæi l.2.c.38. Non ergo, inquit, 30. æones ſunt, nec ob hoc Saluator 30. annorum exiſtens venit ad baptiſmum, vt oſtenderet tacitos æones eorum triginta. Et paulo poſt; Duodecimo autem menſe dicunt eum paſſum, vt ſit anno vno poſt baptiſmum prædicans: & ex Propheta tentant hoc ipſum confirmare. Scriptum eſt enim, Vocare annum Domini acceptum, & diem retributionis. At D. Irenæus reliquo capite annum placabilem intelligi contendit tempus hoc, in quo Deum placare poſſumus, & ſaluari, vſq; in diem retributionis, ſiue diuini iudicii. Cap. autẽ. 39. enumerat diuerſa Paſchata ab Euangeliſtis recenſita, ex quibus id figmentum refutat. Iuſtinus martyr cum Tryphone diſputans hanc controuerſiam dirimere non vult, τρεφόμενος, inquit, τὰς πάσας τροφὰς, καὶ τριάκοντα ἔτη ἢ πλείονα, ἢ καὶ ἐλάσσονα μείνας, μέχρις οὗ προελήλυθεν Ἰωάννης κῆρυξ αὐτοῦ τῆς παρουσίας. Alimentis omnibus vtens, & ad annos plus minus triginta durans, quoaduſque Ioannes præco eius aduentus proceſſit.

Scaliger l.6. de emend. quinque Paſchata ponit, ſed aliter digerit. Nam baptiſmum & conuerſionem aquæ in vinum ad idem Paſcha refert, quia annum baptiſmi vult eſſe Chriſti trigeſimum abſolutum. Secundum facit quod nos tertium. At tertium excogitat, quod eſt idem cum noſtro tertio. Ad illud enim pertinet iter illud Chriſti per ſata (vt infra dicetur) Matth.12. Marc.2. Luc.6. ex quo ille fabricat nouum Paſcha. 4.N.XXXIII

ANNVS MVNDI 4083. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI AN. 31. B. VIRG. 46. IMPERII ROMANI 78. TIB. AVGVST. 17. ANTIPÆ, ET PHILIPPI TETRARCHAR. 30. CAYPHÆ PONT. 13. PRÆSID. SYR. POMPONIO FLACCO. 9. IVDÆÆ PROCVRATORE PONTIO PILATO 5. OLYMP. CCII. AN. 2. VRB. COND. 782. COSS. L. CASSIO LONGINO, ET M. VICINIO QVARTINO ANN. IVL. 75. AVGG. 59. ACTIAC. VICT. 61.

ÆRÆ CHRISTIANÆ ANNVS 30.

I. *Alter annus à Chriſti Baptiſmate.* QVONIAM ſuperiore anno de diſpoſitione temporis rerum à Chriſto geſtarum ſatis dictum eſt, ea ſuppoſita, quæ in hunc annum cadunt, pari qua cœpimus breuitate, vt aliquando perueniamus ad finem decurramus; expoſitione interpretibus relicta. Eam ſuggerẽt accuratè Barad.[a] Ianſenius, Maldonatus, aliique numero plurimi, omnique eruditione clariſſimi. a t.2.l.3 &

Conuerſio aquæ in vinum.

Initium huius anni, ſextus videlicet Ianuarii dies, eximio miraculo aquæ in vinum conuerſæ in nuptiis conſecratur, tertio die ex quo Ieſus abiit in Galilæam, vt ait Orig. t.9. in Ioan. Affuit mater eius (nam nutritius iam obiiſſe creditur) & diſcipuli illi pauci, quos adhuc collegerat, Petrus, Andræas, Philippus, Natanaël, & ſi quis alius. Qui eo miraculo maiora in eum fidei incrementa ceperunt.[a]

a Ioa.2.11.

II. *Chriſtus è Cana venit Capharnaũ.*

CVM hoc primum miraculo Chriſtus manifeſtaſſet gloriam ſuam, cum matre ſanctiſſima, cognatis, ac diſcipulis deſcendit in vrbem Capharnaum, Ioan.2.12. ibique cum eis non multis diebus eſt commoratus. Nam feſto Paſchatis appropinquante aſcendit Ieroſolymam, venitque in templum, vnde emētes & vendentes flagello expulit. Cum Iudæi ſignum petierunt, quo probaret ſe legitima poteſtate inſtructum illos negotiatores expuliſſe. At contra Chriſtus ſignum eis dare noluit, in præſentia contentus ſuam mortem & reſurrectionem prædicere: mox tamen in eodem feſto multa ſigna fecit, propter quæ multi crediderunt in eum, Ioan.2.21. In his fuit Nicodemus princeps Iudæorum, qui, vi miraculorum impulſus, venit ad Ieſum nocte, nemo enim, inquit, poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo. At Chriſtus diſputationem cum eo de Baptiſmo inſtituit, deque miſſione ſua in mundum, vt omnis qui in ipſum crederet, haberet vitam æternam, Ioan.3.16.

Inde aſcendit Hieroſolymam ad Paſcha, quod ſecũdum eſt.

Colloquium cum Nicodemo.

III. *Chriſtus ſuo quoq; modo baptizauit.*

POST hæc Ieſus digreſſus Hieroſolymis, in alia prouinciæ Iudææ loca venit, & illic commorabatur cum diſcipulis ſuis, & baptizabat.[b] Cum autem interea etiam Ioannes baptizaret, nondum enim miſſus erat in carcerem,[c] diſcipuli eius ad eum retulerunt, Chriſtum baptizare. (quemquem non baptizabat ipſemet, ſed diſcipuli eius, vt dicitur Ioa. 4.2. refert tamen Nicephorus,[d] ex Euodio antiquiſſimo Antiochiæ poſt Petrum patriarcha, Chriſtum manibus ſuis Petrum tantummodo baptizaſſe, ab eo autem fratrem, & filios Zebedæi, Andræam, Iacobum, & Ioannem baptizatos, ab his deinceps reliquos Apoſtolos, & diſcipulos. Euthymius autem in 3. Ioan. Scribunt, inquit, quidam Apoſtolorum temporibus proximi, quod Chriſtus Petrum ac Virginem matrem baptizauerit, Petrus vero reliquos Apoſtolos &c. D. Gregorius Nazianzenus. Sciebat, inquit, paulo poſt futurum, vt ipſe Baptiſtam baptizaret. Vbi Nicetas. Hoc autem aduerbio, modo, ideo vſus eſt, quoniam exploratum habebat fore, vt exiguo poſt tempore Baptiſtam per ſacroſancti ſui verticis contactum, S. Spiritus aduentum ablueret. Idem refert author operis imperfecti, in Matth. Hom.4. ex autoris incerti libris.[e] Quæ de re anno ſuperiore alia occaſione diximus; ſed redeamus in viam.

b Ioan.3.22 et.24.

d l.2.c.8.

Orat.39. ſub fin.

e Et D.Th. 3 p.q.38.a.6 ad 3 a. 41, & 42

IV. *Teſtimoniũ nouũ Ioannis de Chriſto.*

EA occaſione Ioannes Baptiſta præclarum de Chriſto teſtimonium dedit diſcipulis ſuis, quo illum aſſeruit de cœlo veniſſe, Dei filium, & Eccleſiæ ſponſum eſſe, omnibus præcellere, omnia in poteſtate habere, veriſſimamque doctrinam tradere, cui ab omnibus fides adhibenda ſit.[f]

f Ioa.3.27. & ſeqq ad fi cap.

Ioannes in vincula conijcitur.

Sub hoc tempus D. Ioannes in carcerem coniectus eſt, cum Chriſtus Dominus iter moliretur iterum in Galilæam, in cuius medio itinere erat Samaria. Nam D. Matth.c.4.12. ait Chriſtum, cum audiſſet quod Ioannes traditus eſſet, ſeceſſiſſe in Galilæam: quod affirmat & Marcus.[e] Hactenus autem non fuerat coniectus in vincula, vt paulo ante monuerat Ioannes Euangeliſta.

e 1.14.

V. *Quæ cauſa vinculorũ. Et locus.*

CAVSAM vinculorum exiſtimat Ioſephus,[g] quod cum magni ad eum concurſus fierent, plebe doctrinæ illius auida, Herodes verebatur ne tanta hominis autoritas defectionem aliquam pararet, iudicabatque ſatius eſſe, priuſquam noui aliquid exoriretur, illum tollere, quam rebus turbatis ſeram pœnitentiam agere. Itaque vinctum illum in Machæruntem miſiſſe, & illic occidi imperaſſe. Sic ipſe; ſed de cæde ſuo loco poſtea. Verum trium Euangeliſtarum autoritate fatendum eſt veram cauſam fuiſſe dolorem ex impatientia correptionis, propter Herodiadem vxorem Philippi fratris ſui, quam illo adhuc viuente duxerat, vt ſupra docuimus, quamcumq; tandem ille cauſam vulgo prætexeret iniuriæ in S. Baptiſtam illatæ. Sed interim Ioſephus erroris arguitur, quod dicat miſſum in carcerem, in caſtellum Machæruntem, in finibus Arabiæ ſitum, ibiq; occiſum,

g l.18.c.7.

Nam in Galilæa miſſus eſt in carcerem, ibique occiſus, vt ſuo loco dicetur ex Marci 6.21.

VI. *Chriſtus Samaritanā conuertit.*

Adeamvs interim ad Chriſtum abeuntem iterum in Galilæam, vt ait Ioannes,[a] prior enim profectio fuit à Ioanne cap. 1. memorata quando & nuptiis initio anni huius interfuit. Quoniam autem oportebat eum tranſire per Samariam, cum muliere Samaritana collocutus eam conuertit, multoſque Samaritanos, cum biduum apud eos commoratus eſſet. v. 40. Virum id maximè obſeruandum, quod à Chriſto dicitur Apoſtolis, dum mox plerique Samaritanorum ad fidem aggregandi eſſent. *Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit.* Vbi futuram poſt quatuor menſes materialem meſſem, præſenti ſpirituali Samaritanorum meſſi comparat. Hinc autem colligitur hæc ſub extremum Decembrem contigiſſe. Quoniam meſſis Aprili menſe fiebat apud Iudæos. Nam primus eorum menſis, qui partim Martio, partim Aprili reſpondet, propterea dicebatur ab Hebræis Abib. id eſt, Nouorum, ſiue nouarum frugum,[b] non quod menſe Martio, aut ineunte Aprili regiones albæ eſſent ad meſſem; ſed quia iam aliqui manipuli hinc inde colligi poſſent, vt eſſent manipuli primitiarũ, qui offerrentur Domino. Sic[c] agri primitiarum ſunt optimi ac fertiliſſimi, quique primi maturam ſegetem præbent. Quin & virentes aliquando ſpicæ colligebantur, & torrebantur igni, & confractæ in modum farris, in primitias offerrebantur,[d] & ex iis aliquando fiebant azymi panes, quibus Paſcha celebrabatur, vt Orig. Ioan. 4. teſtatur.

VII. *Quo tempore id factum.*

Hvc pertinet quod Plin.[e] de Ægyptiis ſcribit, quibus vicina eſt Iudæa, cum falce eos arua viſere paulo ante Cal. Aprilis, meſſem autẽ peragere menſe Maio. Quatuor ergo menſes, qui antecedunt meſſem, ſunt Ianuar. Febr. Mart. & April. Hinc autem efficitur diem feſtum, de quo mox acturus eſt Ioannes c. 5. eſſe feſtum Paſchæ. Nec enim poteſt vllum tempus accipi commodius quod antecedat 4. menſibus meſſem Iudaicam, quam extremum Decembris. Ideo Rupertus in hunc locum. *Conſtat*, inquit, *quod vbi non pluſquam 4. menſes ad meſſem interſunt, Paſchalis feſtiuitas non pluſquam duobus menſibus longe abeſt*, quo vtique ſpatio temporis nulla alia feſtiuitas occurrit, in qua ſecundum præceptum legis omne maſculinum deberet apparere ante conſpectum Domini. Et ita hunc locum explicant optimi quique interpretes. In quibus Tolet. qui hæc contigiſſe ait decem fere menſibus poſt eiectos è templo negotiatores. Ianſen. in c. 23. concor. ait Chriſtum à proximo Paſchate, de quo agitur Ioan. 2. octo vel nouem menſes egiſſe in Iudæa. Barad.[f] pro qua expoſitione ſunt Auguſt. Cyrill. & Beda. Maldon. ait omnium eſſe communem. Eandem amplectitur Suares,[g] qui pro eadem expoſitione D. Tho. Caiet. alioſque affert; quibus adde Baron. an. 31. n. 43. & Gord. in eundem Chriſti annum. Sed de his ſatis: iam Chriſti veſtigia relegamus, qui poſt duos in Samaritanorum ſalute curanda poſitos dies. Exiit inde, & relicta Nazareth abiit in Galilæam, vbi honorifice exceptus eſt à Galilæis, qui viderant, quæ fecerat in die feſto Hieroſolymis. Ioan. 4. 45.

Venit autem iterum in Cana Galilææ, vbi fecit aquam vinum, & occurrit ei Regulus, cuius filium ægrotantem ſanauit abſens; ex quo factum eſt, vt ipſe cum tota familia crederet. Nec plura hoc anno de rebus à Chriſto geſtis à ſacris Euangeliſtis relata ſunt.

VIII. *Romanæ res anni huius.*

Qvod ad Romanas res attinet, hic eſt annus, atque hi Conſules, ſub quibus ſcripſit Velleius Paterculus, & in quibus terminat ſcriptionem ſuam, & ex quibus ſæpe præcedentia annorum ſpacia dinumerat. Porro deſunt in Annalibus Taciti huius anni Coſſ. & res ſub illis geſtæ. Cuſpin. huc pertinere putat relegationem Agrippinæ, & filiorum eius Neronis & Druſi, & forte coniurationem Seiani. At Dio l. 58. antequam Seianum deſignatum Conſulem memoret, quod hoc anno factum eſt, nam proxime ſequenti anno Conſul fuit, de Aſinio Gallo agit, quem diris ſuppliciis à Tiberio necatum ponit Euſebius primo anno Tiberii, quod oportuit decimo nono, ad quem annum id Dio retulit, quo Sergius Galba, qui deinde factus eſt Imperator, & L. Cornelius Sylla Conſules fuerunt; de Gallo igitur, & de Seiano ipſo hæc habet.

[a] c. 4. 3. V. 43.
[b] Exo. 13. 4. Deu. 16. 1.
[c] 1. Reg. 1. 21.
[d] Leu. 2. 14.
[e] l. 18. c. 18.
[f] t. 1. l. 4. c. 12
[g] t. 2. diſp. 30. ſect. 3.

Asinivm Gallum Tiberius propter ductam ab eo vxorem ſuam, ac libertatem dicendi de Imperio vſurpatam, captato tempore adortus eſt. Cum enim is legatus ad Tiberium veniſſet, conuiuio acceptus, comiterque habitus eſt; literæque ad Senatum ſimul à Tiberio miſſæ, quibus eum accuſabat. Ita res maxime inexpectata Gallo accidit, vt eadem die Tiberii conuiua eſſet, cumque eo amice compotaret, & in Senatu damnaretur, miſſo etiam Prætore, qui eum vinctum ad ſupplicium duceret. At Tiberius negata Gallo moriendi facultate, vt is diutius ignominia ſimul & metu conflictaretur, bono animo vt eſſet hortatus, in libera cuſtodia, vſque ad ſuum in Vrbem aduentum haberi iuſſit; non profecto ne effugeret, ſed ne mori poſſet: neque ei, aut ſeruus vllus aderat, aut colloquebatur quiſquam, neque videbat quemquam, niſi cum ad ſumendum cibum cogebatur, qui ſane huiuſmodi erat, vt neque voluptatem afferret, neque mori fineret. IX. *Aſinium Gallum diu vinculis maceras.*

Simliqve miſeria Tiberius multos alios afflixit. Nam & amicum quendam aliquando vinciri iuſſit; cumque deinde agi de hominis morte cœpiſſet, nondum id fieri poſſe dixit, quod in gratiam cum eo necdum rediſſet. In gratia nimirum ponebat, permittere vt occideretur: ſimultatem autem interpretabatur, eum ad miſeram vitam compellere, vt ſupra quoque notauimus, ita vt vita pro ſupplicio, mors pro beneficio eſſet; vt ait Dio.[a] Alium quendam, cum grauiſſimis tormentis excruciaſſet, deinde cognito eum immerito accuſatum, ſumma celeritate occidit, grauiora paſſum perhibens, quam vt commode viuere poſſet Rhodienſem hoſpitem, ait Tranquillus,[b] quem familiaribus literis Romam euocarat, temere torqueri iuſſum, deinde errore detecto, occidit, ne diuulgaret iniuriam. Carnificinæ eius oſtenditur locus Capreis, vnde damnatos, poſt longa & exquiſita tormenta, præcipitari coram ſe in mare iubebat, excipiente clamariorum manu, & contis, atque remis elidente cadauera, ne cui reſidui ſpiritus quidquam ineſſet. Hæc & plura Tranquillus de immani feritate Tiberii, quæ lector ſi lubet conſulat, Ego Seianum adeo. X. *Tiberii crudelitas.*

a l. 58 p. 634 græc.

b l. 3. n. 62.

Interea Seiani ambitio aliis ſuper alios honoribus extollebatur, vt maiore mox ruina præcipitaretur, & tumefacta vehementius, maiore ſonitu diſrumperetur. Decretum enim ſub hoc tempus fuit; vt publice eius natalis celebraretur, (Nam numerum quidem ſtatuarum, quas ei Senatus, Equites, Tribus, ac primarii viri poſuerunt inire nemo poſſit) legatoſque ad ipſum, perinde ac Tiberium mittebant; pro eis coniunctim vota, & rem diuinam faciebant, ac per eorum fortunam iurabant. Seianus autem quotidie, ſe maiorem & formidoloſiorem exhibebat, adeo vt Senatus & reliqui, Tiberio ſpreto, ei tanquam Imperatori ſe darent. XI. *Honores Seiano collati.*

Qvod vbi reſciuit Tiberius, veritus ne Imperium recta ei deferretur, rem minime negligendam duxit. Quoniam vero Prætorianos milites, ſibi ſumme deuinxerat, Senatores beneficiis, ſpe, metu in poteſtate habebat, & in omnium, qui cum Tiberio erant, amicitiam ita ſe inſinuarat, vt de omnibus eius actis ſtatim reſciret; eorum quæ ipſe ageret, nihil ad Tiberium referretur, nihil palam conatus eſt; ſed cum vafro vafre agendum ratus, & cum Crete Cretizandum, alia eum via aggreſſus, ſtatim Conſulem deſignauit, curarumque ſuarum participem nominauit, Seianumque ſuum vocabat, cum ad S.P.Q.R. ſcriberet. Ea re decepti Romani, omnibus locis æreas eis ſtatuas coniunctim ponebant, in picturis ambos vna pingebant, in literis vtriuſque nomen ſcribebant, amborum aureos currus in theatrum inuehebant: Denique decretum eſt, vt ad quinquennium Coſſ. ſimul conſtituerentur; vtrique cum Romam intrarent, obuiam procederetur, denique ad ſtatuas Seiani, ſicut & Tiberii ſacrificarunt. Hæc fere Dio l. 58. de ſumma Seiani autoritate ac potentia, ad quam nihil præter tribuniciam poteſtatem, & Imperatoris nomen deſiderari videbatur; quæ cum ſe pene manu tenere crederet, illico proſtratus eſt, vt ſequenti anno dicemus. XII. *Tiberius insidia ei perniciē ſtruit.*

ANNVS MVNDI 4084. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI AN. 32. B. VIRG. 47. IMPERII ROMANI 79. TIB. AVGVST. 18. ANTIPÆ, ET PHILIPPI TETRARCHAR. 31. CAYPHÆ PONT. 14. PRÆSID. SYR. POMPONIO FLACCO. 10. IVDÆÆ PROCVRATORE PONTIO PILATO 6. OLYMP. CCII. AN. 3. VRB. COND. 783. COSS. TIBER. AVGVSTO V. ET L. ÆLIO SEIANO. ANN. IVL. 76. AVGG. 60. ACTIAC. VICT. 62.

ÆRÆ CHRISTIANÆ ANNVS 31.

I. *Initium publicæ prædicationis Christi.*

CVM ſub exitum anni præcedentis Chriſtus Dominus per Samariam tranſiiſſet, & in Galilæam veniſſet, relicta ciuitate Nazareth, venit & habitauit in Capharnaum, vt ſcribit S. Matthæus, [a] & deinceps publicè, conuocatis ad audiendum populis, prædicare cœpit, & ad Pœnitentiam homines inuitare, denunciata propinquitate regni cœlorum; quod ipſum antea fuerat S. Præcurſoris concionum argumentum. Sed ea vox dudum clamantis in deſerto, aut tacebat in cuſtodia, aut potius foras erumpere prohibebatur. Publice, inquam, prædicare cœpit; Nam priuatim Samaritanos biduum paulo ante docuerat, & Nicodemum, & alios, quos per manus diſcipulorum ſuorum baptizauerat in Iudæa. Nec vno tantum in loco prædicare cœpit; ſed teſte Matthæo, circuibat totam Galilæam docens in ſynagogis, & ſanans omnem infirmitatem in populo, & fama de eo per vniuerſam Syriam effuſa eſt. Sed eodem tempore aſſumpſit ſibi prædicationum, & miraculorum adminiſtros Apoſtolos, Petrum, Andream, Iacobum, & Ioannem piſcatores. [b]

a c. 4. 13. 17.

b Mat. 4. 18. Marc. 1. 16. Luc. 5. 1. Barad. l. 5. c. 4.

II. *Res geſtæ in Capharnaũ Omniqúe Galilæa.*

POST horum Apoſtolorum vocationem, Chriſtus cum eis ingreſſus eſt Capharnaum, [c] & ingreſſus in Synagogas docebat eos ſabbathis, cum ſtupore audientium, ibique dæmonem vltro eum annunciantem iuſſit obmuteſcere, & exire de homine. Et protinus egreſſi de Synagoga venerunt, vt ait Marcus, [d] in domum Simonis & Andrææ, cum Iacobo & Ioanne, vbi Chriſtus ſocrum Petri, depulſa febri curauit, & mox veſpere facto, cum tranſacto ſabbatho liceret operari, afferebant ad eum omnes male habentes, & dæmoniis vexatos, tanto numero, vt omnis ciuitas ad ianuam congregata videretur: & curauit omnes, dæmonibus etiam ſilentium indicens.

c vt ait Mar. c. 1. 21. & Luc. c. 4. 31.

d v. 29.

Cum autem eam noctem in domo Petri egiſſet, diluculo valde ſurgens, abiit in deſertum locum, ibique orabat, [e] & reuccatus à ſuis, iuit ad proximos vicos, prædicans in ſynagogis, & miracula faciens in omni Galilæa. Cumque à multis vndique turbis circumfunderetur, vt dicit Matthæus [e] (cum præcedentibus enim id connectit Barad. [f] multos ſecutus, in iiſque Auguſtinum, [g] Ianſenium, Baron. Toſtat. Adrichom.) iuſſit ire trans fretum; cum Scriba quidam obtulit ſe ipſi, vt eum quaſi diſcipulus ſequeretur, cui ſuam paupertatẽ declarat, vt ille vitæ religioſæ ſub Chriſto ducendæ difficultatem æſtimet, perpendatque, *quid ferre recuſent, quid valeant humeri.* Alium autem diſcipulum ad tempus abire volentem retinet.

e Mar. 1. 35.

8. 18.

f t. 2. l. 5. c. 11

g l. 2 de cõſenſ. Euan. c 22.

III. *Tempeſtatẽ ſedat, dæmones in porcos eyeit.*

ITVM ergo eſt trans lacum; in curſu excitatur tempeſtas, Chriſto dormiente, quam excitatus ſedat. [h] Et cum ventum eſſet trans fretum in regionem

h Matt. 8. 23. Mar. 4. 35. Luc. 8. 22. Barad. l. 5. c 15.

Geraſenorum, liberati ſunt duo habentes dæmonia, quæ permiſſu Chriſti gregem porcorum in mare præcipitem dederunt. Tum ciues ei occurrẽtes rogauerunt eum, vt tranſiret ab eorum finibus; [a] ne Syri, quorum plerique mixti Iudæis habitabant trans Iordanem, vt ait Ioſephus: [b] & ad quos porci illi pertinuiſſe creduntur, illam ciuitatem male mulctarent, vt fauentem illi, per quem ea clades contigiſſet. Rogatus ergo, vt diſcederet, aſcendit in nauiculam, & venit Capharnaum, ibique paralyticum ſanitati reſtituit; dimiſſis prius peccatis eius, quo ex facto aliquos calumniantes redarguit, & omnes in admirationem conuertit. [c]

a Mat Luc. 8. Marci 5. b L. 3 de bel. c. 2. fin.

c Matth 9. Mar. 2. Luc. 5. Barad. l. 5. c. 19.

IV. *Vocat Matthæum.*

POST ſanatum paralyticum, iuſſumque in ſignum ſanitatis perfectæ ferre lectum ſuum, exiens inde [d] vidit publicanum ſedentem in telonio, & vocauit ad ſe, & Scribas ac Phariſæos obmurmurantes, quod cum publicanis comederet, ſapienter repreſſit. Qui nihilominus cum diſcipulis Ioannis quæſtionem propoſuerunt, cur ipſis ieiunantibus Chriſti diſcipuli non ieiunarent: [e] quibus cum reſponſum Chriſtus dediſſet, hæc eo loquente, ait Matth. [f] Archiſynagogus eum orat, vt ad filiam ſuam morti vicinam veniat: ad quam dum adit, in itinere mulierem fluxu ſanguinis duodecimum iam annum laborantem, tactu fimbriæ curat, moxque filiam Archiſynagogi Iairi mortuam ad vitam reuocat. [g] Tranſeunte autem inde Domino, ſecuti ſunt eum duo cæci clamantes; quos tactis eorum oculis illuminauit; & homini ex dæmonis infeſtatione multo, eiecto dæmonio loquelam reſtituit: non ſine Phariſæorum blaſphema calumnia. [h]

d vt ait Luc. c. 5. 27. e Matth. 9. Marc. 2. Luc. 5. f v. 18. g Marc. 5. Luc. 8. h Mat. 9. 27 & ſeq Barad. l. 5. c. 26. fin.

Curat Aemoroiſſam. & filiam Archiſynagogi ſuſcitat. Cæcos illuminat, &c.

V. *Diem feſtũ Ioannes intelligit Paſcha. Tertium Chriſti Paſcha.*

CVM hæc trium fere menſium ſpacio confecta eſſent, aduenerſſetque dies feſtus Iudæorum, aſcendit Ieſus Ieroſolymam, vt ait Ioann. c. 5. Fuiſſe autem hũc diem feſtum Paſcha, pleriq; omnes conſentiunt, & ſequitur ex iis, quæ ſuperiore anno de 4. menſibus ante meſſem dicta ſunt. Accedit quod ſi hoc feſtum eſſet Pentecoſtes, vt aliqui putant, oporteret quæcunque hoc anno dicta ſunt, & ſuperiori, intra quinquaginta dies fuiſſe confecta. Patrocinatur huic expoſitioni conſuetudo Euangeliſtæ, qui κατ᾽ ἐξοχὴν feſti nomine ſemper Paſcha intelligit, nec alios dies feſtos memorat, niſi cum particulari determinatione feſti, quod ſignificare vult. c. 2. 25. *Cum eſſet Ieroſolymis in Paſcha, in die feſto.* c. 4. 45. *Cum vidiſſent, quæ fecerat in die feſto Ieroſolymis; & ipſi enim venerant ad diem feſtum.* Et vt omittamus locum c. 5. de quo eſt quæſtio. c. 6. 4. *Erat proximum Paſcha dies feſtus Iudæorum.* c. 7. 2. *Erat in proximo dies feſtus Iudæorum Scenopegia.* & v. 8, *aſcendite ad diẽ feſtum hunc, ego autem non aſcendam ad diem feſtum iſtum*, ſcilicet Scenopegiæ, ſiue Tabernac. Vbi videtur addidiſſe demonſtratiuas particulas, ne ſimpliciter dictus dies feſtus, dubitationem de feſto Paſchatis afferret. c. 11. 56 *Quid putatis quia non venit ad diem feſtum?* Paſchatis ſcilicet, de quo paulo ante, & c. 12. 12. cum de eodem feſto ageret, *turba multa, quæ venerat ad diem feſtum.* & mox v. 20. *Gentiles aſcenderant, vt adorarent in die feſto.* & c. 13. 29. *Eme ea, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum.* Sic Matthæus 26. 5. *Non in die feſto, ne forte tumultus fieret*: eodemque modo Marcus. [i] *Per diem autem feſtum ſolebat dimittere eis vnum*; Et Lucas, [k] *ſecundum conſuetudinem diei feſti*, nec addit huius aut illius diei feſti.

Vt cæteris in locis.

i c. 14. 2. & c. 15. 6. k c. 2. 42. l l. 2 c. 39.

VI. *Iuxta expoſitionem antiquorũ.*

ADDE multitudinem antiquorum, recentiorumque doctorum: Irenæi. [l] *Et poſthac iterum ſecunda vice aſcendit ad diem feſtum Paſchæ in Hieruſalem, quando paralyticum curauit.* Nec recte reiicitur eius expoſitio. Nihil enim ea facit ad improbatam eius opinionem, de prolixiore Chriſti ætate ad 40. aut 50. annum. Pro qua expoſitione referuntur Euſeb. Hieron. Theodoret. Rupertus, & quicunque prædicationem Chriſti Domini tribus annis, & aliquot menſibus definiunt.

Et recentiũ.

Ita quoque intellexerunt eum locum Perer. Tolet. Ianſenius, Barad. Suares. [m] Baron. anno Chriſti 32. n. 1. Eman. Sà, in notis, Gordonius t. 2. Chron. an. Chriſti 32. Torniell. eodem anno Chriſti n. 3. Scalig. l. 6. de Emend. c. de 5. Paſchate & iterum in 2. Paſch. Mariana in Diario vitæ Chriſti, in eius anno 32.

m Pere. l. 11. in Dan. q. 7. Tolet. in c. 5. Ioa. & annot. 1. Ianſ. c. 36. conco. Bara. t. 2. l. 6. c. 1 Suar. t. 2 in 3. p. d 30. ſect. 3.

VII. *Geſta à Chriſto à 3. Paſchate.*

CVM ergo Chriſtus Dominus in feſto Paſchatis Hieroſolymam veniſſet, iam 38. annos ægrum ad probaticam piſcinam ſanitati reſtituit, & poſt diſputationem cum Iudæis, ea occaſione habitam, abiit Ieſus per ſata die Sabbathi, vt ait Lucas c. 6. 1. Hoc autem iter per ſata, proxime poſt hoc Paſcha collocant Ianſen. Barad. alii. cõtra Scalig. qui hic nouum Paſcha inducit; & diſcipulos ſpicas

v. 6.

veſtentes, contra Iudæorum ineptas criminationes defendit. Deinde altero die Sabbathi, vt idem Euangeliſta ſcribit. Manum aridam hominis ſanauit in ſynagoga. Inde inuidia frementes Phariſæi, ſtatim conſilium inierunt cum Herodianis, vt eum perderent, vt ſcribitur Marc 3 6. Ieſus autem cum diſcipulis ſuis ſeceſſit ad mare Galilææ, & multæ vndique turbæ ſecutæ ſunt eum, quas docuit è naui, ne comprimerent eum, & ſanauit.

VIII. *Electio duodecim Apoſtolorum.*

Secvta eſt deinceps electio duodecim Apoſtolorum, Marci 3. 13 Cum prius in oratione pernoctaſſet, ſecutus eſt, & Sermo Domini in monte, omnem pœne doctrinam Euangelicam continens, Matth. In cuius parte aliqua laxiore paraphraſi exponenda, & ſententiarum occultiore nonnunquam connexione perpetua ſerie dictionis oſtendenda, operam pio lectori non ingratam me poſiturum ſpero, cui nuda enumeratio miraculorum, geſtorumque Chriſti Domini ieiunior aliquanto fortaſſe, aridiorque videatur. Legiſlatorem ergo noſtrum atque doctorem, æternam Dei ſapientiam, ſingularem Euangelicæ legis perfectionem tradentem, & paradoxa diuina, ore ſacroſancto eructantem audiamus. Id enim iuſſi ſumus ab eo, qui nobile illud elogium doctoris noſtri, præceptumque coniunxit, dicens. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite.* Luc. 6. 15. Matt. 17. 5.

IX. *Paraphraſis initii ſermonis in monte.*

Videns ergo Ieſus ingentem populi multitudinem, (multæ quippe turbæ de Galilæa, & Decapoli, & de Hieroſolymis, & de Iudæa, & de trans Iordanem ſecutæ fuerant eum.) Aſcendit in montem, & cum ſediſſet, vt prolixiore aliquanto oratione verba facturus, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, qui ita erant diſcipuli, vt poſtea cæterorum doctores futuri eſſent, & quaſi magiſtri ſubalterni, & mittendi in quæſtum, neque ſordidum, neque illiberalem animarum, propter quem ipſe quoque venerat de cœlo Magiſter. Hos ergo ad tam glorioſum munus, prouinciamque omnium difficillimam erudiens, non contentus quotidianis virtutum exemplis, ad verum animarum magiſterium figurare, atque fingere, aperiens os ſuum, qui ante aperuerat ora Prophetarum, dixit.

X. *Vult diſcipulos eſſe pauperes ſpiritu.*

Ecce ego mitto vos ad opus, propter quod elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. Sed primum ſcitote, iaciendum vobis eſſe altiſſimum demiſſionis animi, & contemptus rerum humanarum fundamentum, quia nobilioribus lucris deſtinati eſtis: & eo fundamento deſtituti non habebitis me adiutorem, ſine quo nihil poteſtis facere; nam ſuperbis ego reſiſto, & humilibus do gratiam. Comprimite tumentem illum ſpiritum agnitione veſtri, quia *Beati pauperes ſpiritu.* Humilitas enim eſt eis certum pignus regni cœlorum. Nam *humiles ſpiritu ſaluabuntur.* Pſal. 33. 19.

Et mites.

Inuenietis homines agreſtes, & barbaros, qui vos doctrinamque veſtram, vt male ſani ſalutares medicos, auerſabuntur. Eſtote placidi ac mites, quia non Parthus, ſed mitis cedend[o] vincit. Aptate vos per manſuetudinem eorum captui, & impune lucrabimini eos. *Beati enim mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Denique quia ſicut miſit me pater, ita ego mitto vos, *diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde,*

XI. *Et lugere.*

Qvoniam vero in hac tractatione animorum, tam multa mala videbitis, quibus remedium afferre non poteritis, ſed erit fortius arte malum, nolite animo frangi, ſed recurrite ad me cum lachrymis, vt pueruli ad matrem. Nam, *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Lugete imperfectum veſtrum, lugete cæcitatem mortalium, lugete offenſas Dei, lugete perditionem animarum, & ego conſolabor vos.

Et eſurire iuſtitiam.

Sicvt autem vidiſtis quantus zelus domus Dei comedat me, ita vos eſurite, & ſitite Iuſtitiam. Zelus & affectus veſter pro iuſtificandis hominibus, ſit inſtar famis, & ſitis, quæ placari niſi cibo & potu non poſſunt: ita & vos non contenti deſiderio, & pigra voluntate, in rem ipſam venite, docete, monete, arguite, obſecrate, increpate. Et ſicut ſatiata fames, aut ſitis iterum accenduntur, ita & vos edēdo acuite appetitum, nec dicite vnquam ſatis eſt; id enim à me audietis, cum venerit hora mea. Date operam, vt homines reddant Deo pietatem & cultum, maioribus obedientiam, paribus beneuolentiam, inferioribus etiam, cum res feret, famulatum; Sic enim adimplebunt omnem iuſtitiam. Tempus autem erit

aliquando, cum vobis quoque illud conueniat. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Hic ergo ſemper famelici, illuc differte ſatietatem.

XII. *Eſſe miſericordes.*

Occvrrent porro vobis innumerabiles, tam corporum quam animorum miſeriæ, quibus fraterna charitas ad compatiendum, & ſubueniendum accendatur, ſubuenite animabus per opera miſeriæ ſpiritualia, & per corporalia corporibus. Si eleemoſynas dare non poteſtis, qui reliquiſtis omnia, eas à locupletibus procuratote, vt puer ille erudiatur, vt puella illa periculo eripiatur, vt pauperum verecundorum viſcera reficiantur, vt vidua & orphani ſuſtententur: quorũ ego, qui miſericors ſum, precibus excitatus, meliorem diuitibus eleemoſynam veræ pœnitentiæ, & ſalutis æternæ miſericorditer largiar. Hoc vos illis annunciate, hoc vobis ipſis dictum putate.

XIII. *Et mundo corde.*

Invenietis autem paſſim omnia nequitiæ, & libidinum ſordibus inquinata; videte ne dum alios inde extrahere conamini, vos ipſi per lubrica lapſi inquinemini; ſed vt inquinentur aures, eſtote mundi corde, ſi eſt ſenſus in corpore, non ſit conſenſus in corde; Si oculus videt quod placeat, cor non concupiſcat quod eius puritatem contaminet: recurrite ad me quam promptiſſimis precibus, qui ſum dator continentiæ. Habete etiam cor mundum per puram intentionem placendi vni Deo, nec vos ipſos quæratis. Nam inſtrumentum nihil plane velle debet, quam quod præcipuum agens. Sic autem merito Deum videbitis, quando inter ipſum, & vos nihil erit interiectum, quod viſionem impedire poſſit.

XIV. *Et pacificos.*

Qvoniam vero mundus abundat ſuperbia, & auaritia, reperietis mundum hac gemina face inflammatum, odiis, litibus, contentionibus abundare, & in mutuum interitum ruere. Eſtote pacifici, & pacem inter eos omni ſtudio componite; ſcitis quippe me amatorem pacis, & in pace factum eſſe locum meum, pacem dediſſe ac commendaſſe vobis, vt eius vos miniſtri vbique ſitis. Compatimini ex corde miſero ſtatui, in quo vitam trahunt qui inimicitias exercent, nihil quippe damnatis ſimilius; & conciliate eos; offenſis diminuite iniuriam, offenſoribus aggrauate culpam, vt ad couenientem ſatisfactionem adducantur. Sic reuera eritis filii Dei, & opera patris veſtri facietis, qui fraternam charitatem diligit, nec vult, vt bonus pater famil. filios ſuos inter ſe pugnare: quod ſi filii fueritis, eritis & heredes. E contrario qui odia proſeminant, & inimicitias fouent, erunt vtique filii Diaboli, qui inter primos fratres odium immortale ſeuit, vt alter alterum interficeret; erat videlicet ex maligno, Diaboli puta filius, imitatione non natura, ſicut Iudæi obſtinati, qui ſanguinem meum ſitiunt, ſunt ex patre Diabolo, qui homicida fuit à principio, cuius deſideria perficere cupiunt.

XV. *Et patientes.*

Dvm autem tanquam filii Dei, filii lucis, & pacis, obſiſtetis conatibus filiorum Diaboli, tenebrarum, & contentionis, eorum contra vos odia primum, deinde & hoſtiles inſultus, inſtigante patre ipſorum, concitabitis. Sed conſtantes nihilominus eſtote, & ſufferte generoſo animo tentationem, quia *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, & beatus vir qui ſuffert tentationem*, denique omnes qui placuerunt Deo, multis vndique caſibus, ærumniſque iactati ſunt; & nihilominus beati ſunt in ſpe præmii, *quia ipſorum eſt regnum cœlorum*, & quia leue hoc, & quod inſtar momenti eſt aduerſarum rerum, æternum gloriæ pondus acquirit vobis. Beati etiam reipſa dici poteſtis, quia hæc eſt exercitatio magnæ virtutis patientiæ, & expreſſa imago magiſtri veſtri, & omnium amicorum eius; qua exercitatione virtutis ſolidum dabitis argumentum veriſſimæ in illum dilectionis, quæ plurimum in gratiam amici patiendo, maxime declaratur.

XVI. *Fœlicitas in aduerſis*

Et quia tela præuiſa minus nocent, quoniam mature eis opponitur clypeus, ideo hæc mature prædico vobis, vt comparetis vos ad certamen, & recordemini, cum in rem ventum fuerit, hæc à me vobis fuiſſe prædicta. Ergo beati eſtis cum conuitiis & maledictis coram, atque in os ipſum criminoſi homines affecerint vos, & reipſa inimicè, atque hoſtiliter vos tractarint, rapinis, & direptionibus, verberibus & plagis: nec contenti his, etiam detractionibus vos, quaſi ſceleratos vbique gentium traducent, ſcribent libellos famoſos contra vos, & excogitabũt quidquid vſquã malitioſe, ac turpiter fingi poteſt, vt vos reddãt infa-

mes, & omnibus odioſos. Beati eſtis nihilominus, quia beatitudo in animo inſidet: qui cum interius ſit, in eum poteſtatum non habent, qui exterius tantum ſæuire poſſunt. Sed beatos præcipue facit ſpes ampliſſimæ mercedis, quæ vobis acquiritur in cœlis: vti beatus dicitur, qui potenti & liberali principi famulatur, qui ſuæ magnificentiæ intereſſe putat, famulos ſuos beatos reddere, atque fortunatos. Sed de his hoc loco ſatis, ne eruditi lectoris patientia abutar; ſeorſim aliqua, ſi hæc ingrata non fuerint, legere licebit. 1. 1. ex.

XVII. *Chriſti geſta à deſcenſu è monte.*

Cvm Dominus poſt copioſum ſermonem ex monte deſcendiſſet, etiam turbas in loco campeſtri docuit, pleraque repetens eorum, quæ in monte dixerat; habituſque eſt ſermo in Galilæa, id enim ex Matthæo c.8. & Luca c.7. intelligitur, qui affirmant Chriſtum, poſt ſermonem hunc, ingreſſum Capharnaum vrbem Galilææ, ibique centurionis puero ſanitatem reddidiſſe. Sed in via leprosum ſanauit, de quo idē Matth. c.8. & Marc. c.1. Mox excitatus eſt à mortuis adoleſcens filius viduæ, vt ſignificat Lucas qui etiam ſubdit, nunciata fuiſſe hæc miracula, à diſcipulis Ioannis magiſtro ſuo. c.7-11. Quæ cauſa fuit, vt ille mitteret è carcere duos è diſcipulis ſuis, vt ſe ad illum, tanquam ad verum Meſſiam aggregarent, quaſi præſentiens non diu ſe in viuis futurum. Addit continuo idem Euangeliſta conuerſionem mulieris peccatricis, in domo Simonis Phariſæi, quam fuiſſe Mariam Magdalenam ſororem Lazari, communis eſt ſententia.

XVIII. *Phariſæi miracula blaſphemant.*

Offertvr deinde Chriſto dæmoniacus cæcus & mutus,[a] quē ipſe tribus ſimul affecit beneficiis. Nec tamen in tam laudabili, glorioſoque facinore vitauit blaſphemas Phariſæorum calumnias, quas & ſapienter confutauit, & ſignum petentibus, ſignum Ionæ Prophetæ dedit, & à Niniuitis in iudicio condemnatum iri profeſſus eſt. Quæ cum diceret, mulier de turba extulit vocem, in eius, ſanctiſſimæque matris ipſius commendationem. Superuenit his B. Virgo cum cognatis: quæ cauſa fuit, vt oratione ſua affinitati carnali ſpiritualem anteferret. Matth. 12. Secuta eſt eodem die, vt ait Matth. c.13. concio habita ſecus mare, ad concurrentem omnibus ex locis multitudinem, in qua propoſuit parabolam ſeminantis, quam & poſtea expoſuit: Adiecit & parabolam zizaniorum, ſeminis creſcentis, graui ſinapis, & fermenti. Item theſauri abſconditi in agro, margaritæ, & ſagenæ miſſæ in mare.

[a] Matth. 12. Marc. 3. Luc. 11.

Chriſti variæ parabolæ.

Venit in Nazareth, vnde eijcitur.

Cumque haſce parabolas enarraſſet, venit Chriſtus in patriam ſuam Nazareth, teſte Matth. c.13. Vbi non fecit virtutes multas, propter incredulitatem illorum; quin etiam, vt narrat Lucas c. 4. eiecerunt illum ciues ſui extra ciuitatem, & voluerunt eum de monte præcipitem agere.

XIX. *Miſſio diſcipulorum.*

Pavlo poſt Chriſtus Dominus conuocatis diſcipulis ſuis, miſit eos ad prædicandum Iudæis, tribuens illis miraculorum poteſtatem, ſimulque eos egregiis præceptis inſtruens, vt eſt in c.10. Matth. Marci 6. & Lucæ 9.

S. Ioannes Baptiſtæ cædes.

Interea vero dum Chriſtus in Galilæa concionatur, & diſcipuli, miſſi in vineam Domini, fructificantur. Herodes Antipas Tetrarcha Galilææ, in conuiuio iuſſit interfici Ioannem Baptiſtam; non tam pertæſus reprehenſionis, quam ſtulta & crudeli promiſſione, & iureiurando compulſus. Tali ac tanto viro, etſi properamus, viſum tamen eſt ſcribere Epitaphium.

Epitaphium S. Ioannis Baptiſtæ.

NEFARIVM TE, AC PRODIGIOSVM ANTIPA, QVI TEMERARIA CRVDELIQVE VOCE NON PROPHETAM, SED PLVSQVAM PROPHETAM, NON HOMINEM SED ANGELVM DOMINI OBTRVNCASTI. HIC EST ENIM DE QVO DICTVM EST, ECCE EGO MITTO ANGELVM MEVM ANTE FACIEM TVAM, QVI PRÆPARABIT VIAM TVAM ANTE TE. ANGELVM INQVAM NON HOMINEM; HOMINES QVIPPE MANDVCANT, ET BIBVNT. VENIT IOANNES NEQVE MANDVCANS, NEQVE BIBENS. NON

MORS S. IOANNIS BAPTISTÆ

EST HOMO QVI NON PECCET: HIC QVAMPRIMVM EX HOMINVM CONSORTIO ABDVCTVS EST, NE LEVI SALTEM MACVLARE VITAM FAMINE POSSET. HOMINES CVM HOMINIBVS IN VRBIBVS, HIC CVM ANGELIS ANGELVS VERSATVR IN DESERTIS LOCIS. O HOMINEM NON HOMINEM! HOMINEM QVI ORTVM HABVIT, VT MONSTRARET ORTVM DOMINI SVI: QVI VITAM VIXIT, VT EAM PRO IVSTITIA PONERET; QVI BAPTISMO SVO DOMINI BAPTISMO PRÆLVDERET, ET PRÆDICATIONE PŒNITENTIÆ, PRÆDICATIONEM PRÆCVRRERET APPROPINQVANTIS REGNI COELORVM. QVANTVS FVIT IOANNES, QVANDO INTER NATOS MVLIERVM NON SVRREXIT MAIOR? QVANTVS FVIT, VT AB VNIVERSO POPVLO SANCTVS SANCTORVM, MESSIAS, AGNVS DEI, SPONSVS ECCLESIÆ, VERBVM PATRIS NON TEMERE ÆSTIMARI POSSET? ALTER ENIM ALTERI SIMILLIMVS AC GEMINVS FVIT. HIC VOX, ILLE VERBVM, HIC LEGATVS, ILLE PRINCEPS, HIC PÆDAGOGVS, ILLE MAGISTER: ALTER SPONSVS, ALTER PARANYMPHVS FVIT. VTERQVE DIVINITVS PRAENVNCIATVS, VTERQVE MIRACVLO IN LVCEM EDITVS, VTERQVE IN SALVTEM MORTALIVM NATVS, ET AD CONVERTENDA CORDA PATRVM IN FILIOS, ET INCREDVLOS AD PRVDENTIAM IVSTORVM; VTERQVE FVGITIVVS, ET EREMI CVLTOR, VTERQVE VITIORVM CASTIGATOR, VTERQVE PRO IVSTITIA MORTVVS, ET IN ÆTATIS FLORE, ET ÆTATE PARI. ITAQVE MATVRE IVSTITIA, DEMISSIONE ANIMI, OMNIQVE SANCTITATE CVMVLATVS, ET PRÆCVRSORIS OFFICIO FORTITER, RELIGIOSEQVE PERFVNCTVS, TRVNCATVS CAPITE, NVNCIVM TVLIT PATRIBVS SVIS IMMINENTIS ADVENTVS REDEMPTORIS AD IPSOS, IV. CAL. AVGVSTI, ANNO A CHRISTO NATO XXXIII.

Fama miraculorum Chriſti.

Eo mortuo, & à diſcipulis ſepulto, cum fama miraculorum Chriſti Domini perueniſſet ad Herodem, exiſtimauit ea miracula fieri à Ioanne dudum à ſe interfecto, & mox à mortuis ſuſcitato. Quod autem ad Herodem, tam tarde miraculorum Chriſti fama peruenerit, refert Baronius [a] partim ad Romanam eius profectionem, partim ad bellum ab eo contra Aretam Arabum regem ſuſceptum: vtrumque refert Ioſephus.[b] Interea redierunt ſub Paſcha diſcipuli, è miſſione ſua: quem nos reditum, & quæ inde ſecuta ſunt, ad proximum annum referemus.

a an. Chriſt. 33. n. 8.
b l. 18. c. 7.

XX. *Quando mors illa contigerit.*

SCIO pleroſque mortem Ioannis Baptiſtæ referre ad Paſchale tempus, idque perſuaſos, quod Matthæus dicat [c] Chriſtum audita morte Ioannis, ab eius diſcipulis relata, ſeceſſiſſe in deſertum, ibique pauiſſe quinque millia hominum: quod miraculum Ioannes c. 6. ſcribit proximo iam Paſchate contigiſſe. In ea ſententia eſt Barad.[d] & Maldo. in eum Matth. locum, videturque Baronij anno Chriſti trigeſimo tertio pro qua expoſitione affertur D. Auguſt. l. 2. de conſenſu Euang. c. 45.

c c. 14. 13.
d t. 2. l. 9. c. 16. n. 1. & 9.

videri anno ſequenti.

At Ianſen. c. 57. refert illa verba Matthæi. *Quod cum audiſſet Ieſus*, non ad proximam narrationem mortis Ioannis, quæ obiter & quaſi per parentheſim narrata fuerat, ſed ad opinionem Herodis de miraculis Chriſti, quæ à Ioanne ſuſcitato fieri putabat; idque aperte affirmat Theophil. etſi quidam pro priore ſententia ipſum referant. Sed Lucas,[e] refert aperte iſtam ſeceſſionem, non ad mortem Ioannis, aut timorem Chriſti ex ea conceptum, ſed ad reditum Apoſtolorum, quos à turbis abducere voluit ad aliquam quietem; quod Marcus quoque c. 6, 30. confirmat. Idem ſentit Eman. Sà in ſcholiis.

e c. 9. 10.

XXI. *Ea ſententia confirmatur ratione.*

ET reuera oportet interiectum eſſe tempus inter obtruncationem, & famam

de eo poſt mortem miracula faciente, vt recte vidit Ianſenius: ſatiuſque eſt mortem Ioannis ad anteriora tempora retrahere, vt illi Chriſti miracula probabiliter tribui poſſent; quam diuinare aliqua miracula, mox poſt obitum Ioannis facta à Chriſto, quæ prætérita fuerint ab Euangeliſtis. Deinde ſi Ioannes martyrio coronatus eſt, triginta & duobus annis, & ſex inſuper menſibus peractis, vt ait Nicephorus, [a] oportet eum in anni huius fine occiſum eſſe, quo Chriſtus 32. expleuit; Ioannes enim Chriſtum ſex menſibus ætate ſuperabat. Nam qui dicitur Decollationis dies 29. Auguſti, eſt inuentionis capitis eius, vt ex Beda refert Baron. in martyrolo. Fuiſſe autem verum eius martyrium, docet Suar diſp. 24. ſect. 4. vbi merito Ioſephum erroris arguit, qui eam mortis eius cauſam refert, quæ martyrium eius à Patribus celebratum tolleret, vel in ambiguo relinqueret.

a l.1.c.19.fi. ad fin.

XXII. *Ratio temporis mortis Seiani.*

Iam quod ad Romanam rem attinet, ea nihil habet Seiani morte memorabilius: quam hoc anno contigiſſe, certo Taciti teſtimonio comprobare poſſumus. Is enim l.6. Annal. eodem die defunctam ait Agrippinam, quo biennio ante Seianus pœnas luiſſet, decretumque eſſe, vt quinto decimo Cal. Nouemb. vtriuſque necis die, per omnes annos donum Ioui ſacraretur. Atqui idem Tacitus refert Agrippinæ mortem in Conſulatum Ser. Galbæ, & Syllæ, qui eſt 785. V.C. Ergo Seianus; qui biennio ante occiſus eſt, anno 783. & 18. Octobris mortuus eſt: id eſt hoc ipſo anno, quo Conſul fuit. Nec obſtat nobis Dio l.58. vbi ait Seianum ſentientem populum Caii ſtudioſum, ægre tuliſſe, pœnitentiaque captum fuiſſe, quod in Conſulatu nihil conatus eſſet, id eſt, non arripuiſſet Imperium. Verum hoc tantum probat Seianum iam tum Conſulatum abdicaſſe, quod erat his temporibus in ſummis viris frequentiſſimum: & Tiberius ipſe eius collega, hunc Conſulatum tantum vſque in Idus Maias geſſit, teſte Suet. [b] Et ipſe Dio ſuffectum Conſulem memorat Memmium Regulum, Tacitus autem in fi. l.5. Annal Regulum & Trionem.

b l.3.c.26.

XXIII. *Chriſti cultum an Seianus Senatus obtulerit.*

Hoc quoque anno Iuliano 76. atque his Coſſ. occiſum Seianum affirmat Decker. [c] In eo tamen minime probandus, quod hunc ipſum putat eſſe mortis Chriſti. Sed & falli neceſſe eſt eos, qui dixerunt Senatum repudiaſſe Chriſti cultum à Tiberio oblatum, Seiano præeunte, in quibus Oroſ. [d] & eum ſecutus Ado. quem totidem deſcripſit verbis, & ſi qui alii. Illam enim Seiani circumſtantiam, plerique omnes, qui ea de re poſt Tertullianum in Apologetico c.5 ſcripſere, prorſus omiſere, ſicut Tertullianus ipſe, & Euſebius in Hiſt. [e] & merito quidem, vtpote quæ rem fide digniſſimam, ambiguam ac fabuloſam reddit Nam Seianus 32. Chriſti anno mortuus, qui potuit præire Senatui ad reſpuendam Romæ Chriſti apotheoſim? vt recte docuit etiam Illuſtriſſ. Baronius, in fine anni Chriſti 33 quem ſequitur Gordon. t.2. chronologiæ.

c in 3. p. diſ. theol in th 6 & annot. 24.
d l,7.c.4.
e l.2.c.2.

XXIV. *Felicitas Seiani.*

De poſtremis itaque Seiani reb us hæc habet Dio l.58. Enimuero Seianus faſtu, potentiaque iam adeo efferebatur, vt ſeipſum pro Imperatore, Tiberium pro inſulæ Rectore quodam haberet, quod in inſula, cui Capreæ nomen Tiberius agebat, vt ante dictum ſæpius: & mox recenſitis quibuſdam prodigiis. Hæc inquit, neque à Seiano, neque ab vllo alio pro prodigiis ſunt habita. Nemo quippe ad præſentia reſpiciens, ne Deo quidem, futuram tantam breui commutationẽ aperte prædicenti, credidiſſet. Itaq; adulationis pleni, omnes per eius fortunam iurabant, collegamque eum Tiberio, non iam in Conſulatu, ſed in ſumma rerum adminiſtranda deſtinabant.

Tiberij artes in ipſum.

Quæ cum non ignoraret Tiberius, mirabili vſus eſt conſilio, ad ipſius, reliquorumque conſilia percipienda; Nam continenter multa ac varia de ſe ad Senatum, ac Seianum ſcribebat, modo ſe male affectum, ac tantum non mori, modo bona valetudine vti, venturumque Romam; Seianum aliàs laudibus extollere, interdum deprimere, amicorum Seiani alios honore, alios ignominia propter eum afficere, vt tam Seianus, quam cæteri omnes, qui ex Tiberii nutu pendebant, animis incerti fluctuarent.

XXV. *Seianus agnoſcit ſibi minus fauentem populum.*

Percvlit etiam Seianum, quod cum Tiberius C. Caligulæ ſacerdotium, addita laude contuliſſet, ac nonnihil præ ſe tuliſſet, velle ſe eum habere Imperii ſucceſſorem, ea re populum magna lætitia affectum vidiſſet, quem tamen ſuis

rebus

rebus valde addictum crediderat. Itaque doluit quod non eſſet conatus aliquid in Conſulatu. Perrexit Tiberius alia exhibere indicia minus beneuolæ in Seianum voluntatis. Nam inimicum eius reum abſoluit; in literis ad Senatum de morte Neronis datis, nude Seianum, omiſſis honorum titulis, appellauit: edixit ne cui homini ſacrificaretur, neue in ſuum honorem quicquã decerneretur, quæ propter Seianum facta intelligebantur, quibus factum eſt, vt iam palam multi ab eo ſe ſubtraherent, palamque deſererent.

HÆC vbi cognouit Tiberius, ſumpſit animos, ratus ſe auxiliariis etiam populo ac Senatu vſurum; vtque magis hominem ex improuiſo adoriretur, rumore prius ſparſo quaſi tribunitiam poteſtatem ei eſſet daturus, per literas eum apud Senatum accuſauit, eaſque perferendas dedit Næuio Sertorio Macroni, quem iam ante occulte cohortibus Prætoriis præfecerat, & quæ agenda eſſent docuerat. Is noctu Romam venit, mandata cum Memmio Regulo tum Conſule, nam alter Seiano fauebat, & Gracillo nocturnorum vigilum præfecto communicat. Sub auroram in Palatium aſcendit, Senatus enim in Apollinis templo indictus erat; Cumque in Seianum nondum eo ingreſſum incidiſſet, triſtemque, ob non datas ad ſe à Tiberio literas inueniſſet, conſolatur remotis arbitris, dicens ferre ſe ei Tribunitiam poteſtatem. Eo magna lætitia perfuſus Seianus in curiam inſiluit, vbi à Senatu varia adulatione commendatus eſt. *XXVI. Sperat Tribunitiam poteſtatem. Tiberius per Macronem eum ſupplantat.*

AT Macro militibus Prætorianis, qui circa Seianum & Senatum erant, in caſtra ablegatis, in eorum locum nocturnos cuſtodes templo circumfudit, ipſe tum ingreſſus eſt, literiſque Conſulibus exhibitis, egreſſus inde, antequam eæ recitarentur, cuſtodiam curiæ Gracillo Laconi mandauit, ipſe in caſtra, nequid ibi turbarum oriretur, contendit. Interim literæ recitantur, in quibus nihil confertim contra Seianum, ſed ſparſim, & quidem leuia, quæ Seianum nihil terrebant, neque ad vim attentandam incitabant; donec in fine duos Senatores Seiani familiares plectendos, Seianum in cuſtodia habendum, lectum eſt. Tum demũ omnibus ſtupore affectis, Regulus Conſul protenta manu. Seiane, inquit, ades huc, idque iterum ac tertio inclamauit: ille deiecto animo, tantum rogauit, an ipſe vocaretur. Demum cum ſurgeret, Gracillus vigilum præfectus ingreſſus curiam ei aſtitit. Prætores quoque ac tribuni plebis eum circumdedere, ne foras proſiliens aliquid turbarum daret. Perlecta tandem epiſtola, vno ore omnes clamore ac maledictis Seianum inceſſere. *XXVII. Eique eripit Prætorianos mil. Et vinciri iubet.*

REGVLVS Seianũ æde eductũ, comitantibus reliquis magiſtratibus, & Lacone in carcerem traxit. Addit Dio iniecta vincula, detractum tegimen, verberatum miſero caput, cui genua paulo ante flexerant, & tanquã Deo ſacrificauerant: populum multo clamore exprobrantem ab eo cæſos, & ſpes illius inanes irridentẽ. Interea Tiberius magno in metu verſabatur, expectans quẽ res exitum eſſet habitura. Id aperte docet Sue.[a] *Sic quoq; diffidens*, inquit, *tumultũq; metuens, Druſũ nepotẽ, quem vinculis adhuc Romæ continebat, ſolui ſi res poſceret, ducemq; conſtitui præceperat. Aptatis etiam nauibus ad quaſcumq; legiones fugã meditabatur, ſpeculabundus ex altiſſima rupe identidem ſigna, quæ ne nuncij morarẽtur tolli procul, vt quidq; foret factum* (id eſt hoc vel illud ſignum, dè quo præmoniti erant datum eſſet) *mandauerat.* Idẽ habet & Dio. *XXVIII. Conijcitur à Conſule in carcerem. Tiberij ſollicitus metus.*

a Suet. l. 3. c. 65.

Populus autem non ſe intra verba conuiciaque continuit; omnes enim ſtatuas eius deiecit, confregit, raptauit, quorum ipſe dum traheretur in carcerem, ſpectator fuit. Sed hoc initium malorum eius fuit. *XXIX. Populus in Seianum furit.*

Eodem die prope carcerem in æde Concordiæ conuenit Senatus, cũ hunc populi ſenſum videret, nec Prætorianos milites quidquam in eius gratiam facere, eum morte damnarunt; intelligebant enim id gratum eſſe Tiberio, qui tumultũ veritus, nõ eſſet auſus id mandare. Itaq; capite mulctatus in Gemonias proiectus eſt, eumq; totum triduum ludibrio habitum proiecit in Tiberim. Cuſpin. ait eũ gladio, quẽ ſinu abdiderat incubuiſſe; ſed ea verba apud Tacit. non videntur ad Seianũ, ſed ad quẽpiam amicorum, qui prope ipſum damnati fuerant, pertinere, vt iuſto quoque Lipſio viſum eſt: quem ſane laudare noluiſſem conſtantiam mortis hominis eius, qui ſibi manus intuliſſet. Id enim vna ex parte mollis & infracti animi eſt, ex altera vero furioſi. Sed id vir optimus ex Romano ſenſu, non Chriſtiano dixit. *Quem Senatus morti addicit.*

XXX. *Mortuus raptatur in Tiberim.*

CORPVS eius vnco tractum, & in Gemonias ſcalas abiectum: liberi quoque eius, vt ait Dio, ex Senatu conſulto necati, filia quoque, quam pactus erat Claudii filio, indigniſſima prius affecta contumelia, in carcere ſtrangulata eſt. Datum id, ſi ſuperis placet; honori ac reuerentiæ Virginitatis, ne ſcilicet Virgo triumuirali ſupplicio, vt ait Tacitus l. 5. quod erat inauditum afficeretur. Suet. in Tib, c. 61. Immaturæ puellæ, inquit, quia more tradito nefas eſſet Virgines ſtrangulari, vitiatæ prius à carnifice, deinde ſtrangulatæ. Inſigni crudelitate ac dementia, ne videantur Virginem occidiſſe, vnum ſcelus gemino cumulant, vnam iniuriam altera degrauant, & miſellam pudore ſimul, vitaque ſpoliant, fœlicior vtique, ſi, quoniam ei moriendum erat, vitam in tuenda Virginitate poſuiſſet. Eiuſdem Seiani vxor dudum repudiata nomine Apicata, cum Tiberio patefeciſſet totam de Druſi morte, artibus Seiani & Liuillę tragœdiam, vita ſeipſam priuauit.

Quid eius liberis & vxori factum.

XXXI *Populus in amicos Seiani ſæuit.*

AT populus, qui tumultum in Seiano cœperat, non ſtatim finiuit. Nam quoſcunque gratia valuiſſe apud Seianum vidit, eiuſque præſidio nixos, aliis iniuriam intuliſſe, eos trucidauit, ſicque idem qui peccandi cauſa fuerat, fuit & ſupplicii luendi. Prætoriani quoque ſe ſuſpectos dolentes, incendia, & direptiones fecerant, quamquam magiſtratus omnes, iuſſu Tiberii, vrbis cuſtodiæ inuigilarent. Senatus multa in mortui contumeliam decreuit, & Tiberii honorem; multos Seiani amicos damnauit, qui tortoris manus voluntaria morte anteuerterunt. Et de his ſatis, paulo quidem pluribus, quod hoc exemplum luculentiſſimum ſit inconſtantiæ ac vanitatis rerum humanarum, & fauoris principum, nunquam ſatis, ne à mille quidem ſcriptoribus decantatæ.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 4085.

I. N. XVI. *Apoſtoli ſal terræ.*

Mementote eligi & mitti vos, vt ſitis hominibus iſtis terrenis inſtar ſalis, qui putredinem prohibet, humorem exſiccat, & ſaporem cibis præbet: ſic & vos prædicatione veſtra prohibebitis, ne iumenta computreſcant in ſtercore ſuo, & vt opera bona ſua, optima intentione placendi Deo condiant. Quod ſi vos rigorem iſtum puritatis, & incorruptionis amiſeritis, ſi infatuati fueritis, facti ſenes fatui & inſenſati, ſi amiſeritis zelum placendi Deo, & iuuandi animas, quis ſaliet & condiet vos? quis erit doctorum prædicator? inueniri quidem poterit, ſed nihil proficiet, quia raro tales ad meliorem ſe frugem recipiunt, à Deo deſpecti & derelicti, propter magnam ingratitudinem ſuã: & quæ illis iuuandis afferuntur, vulgata eis ſunt & decantata, ideoque vim & efficaciam non habent. Nihil itaque illis ſupereſt niſi, vt per apoſtaſiam emittuntur, aut ſe ipſi proripiant extra domum meam, & cæteris de vulgo hominibus non pares, ſed multo viliores, & deteriores fiant, digni qui ab iis conculcentur. Dicat ergo diſcipulus meus, cum emori ſenſerit vigorem ſuum in iuuando animas, & ſeruiendo Deo, *Cum defecerit virtus mea ne derelinquas me*, ſed eam miſericordiſſime repara, atque reſtaura.

Lux mundi

Mitto ergo vos non ad purgandum tantum affectum, ſed ad illuminandum etiam intellectum, & docendum rerum diuinarũ ignaros; duplices peccati, & ignorantiæ diſpellite tenebras; lumine ſcientiæ & pietatis. Eſte lumina & exempla, in quæ mortales intueantur, vnde recte viuendi documenta petant: quia neque actiones veſtræ, neque dicta in obſcur eſſe poſſunt, ſed vel ſcandalo erunt, vel exemplo. Sicut nec latere poteſt, *ciuitas ſupra montẽ poſita*, ſed longe, lateque conſpicitur. Nolite vel ignauia, vel improuida humilitate abſcondere lucem, quam Dominus communicauerit vobis, nõ enim accenſam lucernam ponunt homines ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui domi ſunt. Quem ad modum autem lux, non ſibi lucet ſed aliis, ita neque vos lucere debetis vobis, vt inde laudem capteris, & ab hominibus celebrari velitis, ſed date operam, vt & vos, & ipſi glorificetis inde patrem veſtrum, qui in cœlis eſt, qui eſt pater luminum, & autor omnis boni.

Chriſtus impleturus legem.

Et hactenus quidem edocuit Dominus Apoſtolos, quod ad perſonas ipſorum attinet, quod eorum eſſet officium, & quales omnino eſſe deberent: deinceps de ipſa doctrina, quam docere debeant erudit, docetq; ſe ita nouum eſſe legiſlatorem, veterem tamen vt legem antiquare nolit, ſed perficere: quod de præceptis eius moralibus, quæ decalogo continentur, intelligendum eſſe

effecta ipſa docuerunt. Nam ceremonialia, quæ dicuntur, & iudicialia, vt propria Iudaici populi. *antiquata ſunt.* Quod autem dicit ſe velle adimplere, recte ad prophetias, quæ de ipſo erant, retuleris; quod ipſemet ſignificauit, in diſputatione, quā habuit cum euntibus in Emaus. Et quod vniuerſe additur, omnia vſq; ad vnū iota in lege impletū iri, omnes figura, dicit in rebus figuratis, & omnia prædicta in ſuis promiſſis exhibendis impleri debere. Ideoq; cōcionatores ipſos, qui verbo atq; exēplo docere debent, minima legis obſeruare debere, legis ſcilicet quam enunciabunt. *Doctores verborum atq; factorū* Nā qui docere tantū contentus fuerit minimus erit, *qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Non ſimilis videlicet Scribis & Phariſæis, qui *dicunt & non faciunt.* Minimus vocabitur, ſiue erit; quia quod minimum eſt, habet, ſcilicet verba, opera vero, quæ præcipua ſunt, non habet; minimus erit in Eccleſia, id eſt minimum proderit in Eccleſia; dum verbo tantum ædificabit; quia pauci ſunt, qui poſſint auertere oculos à vita, & præbere aures orationi.

Volo ergo, inquit Dominus, vt meliores ſitis Scribis & Phariſæis, *Præſtent Scribis & Phariſæis.* quibus ſatis eſt docere in ſynagogis, domi autem ſuæ nequitur viuunt, & cum doceant non furandam furantur, non mechandum mechantur, & ſola lingua iuſti ſunt. Quod ſi copioſior nō fuerit iuſtitia, & probitas veſtra, vt & linguę ſit & operis, *non intrabitis in reg. cælor.* Sit abundantior quoque iuſtitia, vt non exterior tantum ſit, vt apud illos; ſed etiam interior, & coram Deo, & Angelis eius. Sit abūdantior, vt non ſolum quæ minora ſunt legis obſeruetis vt illi, decimantes anetū &c. ſed vt maiora non relinquatis, vt illi; Dei ſcilicet, & proximi charitatem, vt non curā geratis corrigendi aliena errata, vel minima, veſtra autem maiora non curetis: feſtucam in alieno oculo, non trabem in veſtro conſpiciatis.

Oſtendit autem quaſi exempli cauſa in quo finio, in quibus velit abundantiorē eſſe Chriſtianorum iuſtitiam, iuſtitia Scribarum & Phariſæorum. *Iram comprimant.* Iſti enim iam ab antiquo cædem hominis ad iudicium vocandam putabant, vt de eius pœna ſtatueretur; At ego ait etiam iracundia temere effuſam in iudicium Dei voco. Iſti conuitium in concilio arguendum putant; ego aſſero in inferno caſtigatum iri.

O Deus meus quam ſæpe iracundiæ noſtræ dicere poſſis, quod olim Ionæ Prophetæ; *Putas bene iraſceris tu?*

Conſentit Scal. in Euſeb. & l. 5. de emend. c. de primis Palilibus vrbis; & confirmat ex monumēto quod habetur Interānæ in Vmbria, & apud Gruterum in inſcript. p. 113. n. 2. vbi repræſentatur tabula marmorea lata pedes 7. alta pedes 4. dicata. 2. N. XIII.

SALVTI PERPETVÆ AVGVSTÆ.
LIBERTATIQVE PVBLICAE.
POPVLI ROMANI
GENIO MVNICIPI. ANNO POST
INTERAMNAM CONDITAM
DCCIIII. AD CN. DOMITIVM
ÆNOBARBVM COS.

Suppleuit Onufr. in faſtis hoc anno ſupple collegam
M. Furium Camillum Scribonianū, pergit.

PROVIDENTIAE TIB. CAESARIS AVGVSTI. NATI AD AETERNITATEM ROMANI NOMINIS.
SVBLATO HOSTE PERNICIOSISSIMO P. R. FAVSTVS TITIVS LIBERALIS VI. VIR. AVGVST. ITER.
P. S. F. C.

Poſita eſt hæc tabula proximo à Seiani cæde anno, qui hic vocatur hoſtis pernicioſiſſimus populi Romani: idque aperte confirmant Coſſ. nomina. Idem tamen Scaliger immemor ſui, l. 6. de Emend. in ca. de quarto Paſchate, interfectum ait, in Conſulatu Domitii Aenobarbi, occiſum etiam hoc anno Seianum, quo & Conſul fuerat tradit Cuſpin. in Caſſiod. Caluiſ. Buntingus &c.

ANNVS MVNDI 4085. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI AN. 33. B. VIRG. 48. IMPERII ROMANI 80. TIB. AVGVST. 19. TETRARCHARVM 32. CAYPHÆ 15. PRÆSID. SYR. POMPONIO FLACCO. II. IVDÆÆ PROCVRATORE PONTIO PILATO 7. OLYMP. CCII. AN. 4. VRB. COND. 784. COSS. CN. DOMITIO AENOBARBO. ET M. FVRIO CAMILLO SCRIBON. AN. IVL. 77. AVGG. 61. ACTIAC. VICT. 63.

ÆRÆ CHRISTIANÆ ANNVS 32.

I. *Apoſtoli redeunt è miſſione. Quartum Chriſti Paſcha. Quinque millia hominum 5. panibus ſuſtentat.*

DIFFEREMVS in annum ſequentem totam firmare Chronologiam, quoniam ſub eius initium Chriſtum Dominum morte affectum ponimus. Huius autem initio, iuxta ea quæ ſuperiori anno ſtatuimus, reuerſi ſunt Apoſtoli ad Ieſum, & renunciauerunt ei omnia, quæ egerant & docuerant; qui iuſſit eos venire ſecum ſeorſum in deſertum locum, vt quieſcerent paululum, vt ſcribit Marcus c. 6. quod cum cognouiſſent turbæ ſecutæ ſunt eum trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis, cum proximum eſſet Paſcha Iudæorum, vt notauit D. Ioan. c. 6. ibique ex quinque panibus, & duobus piſcibus, refecit quinque millia hominum, vt omnes Euangeliſtæ retulere.

II. *Sedat tempeſtatem, Petrum liberat. Prænunciat inſtitutionē S. Euchariſtiæ.*

VESPERE facto iuſſit Dominus diſcipulos conſcenſa nauicula traiicere iterum lacum, in quo coorta tempeſtate afflicti ſunt: terrore quoque affecti viſo Domino ambulante ſuper aquas; vbi Petrus ex trepidatione præſenti periculo ereptus eſt; & Chriſto in nauiculam ingreſſo, ceſſauit ventus, & venerunt in terram Geneſareth, vbi multa miracula, ſanādis infirmis tactu fimbriæ ſuæ perfecit. Poſtridie venerūt turbæ ad Ieſum, traiecto mari Tiberiadis, quas Dominus de quærendo pane cœleſti monuit, vbi & de Incarnatione ſua, & myſterio Euchariſtiæ, quod poſt vnum annū erat inſtituturus diſſeruit; cum ſcandalo multorū diſcipulorum, qui Chriſtū propterea inconſulte deſeruerūt: duodecim nihilominus in Chriſti famulatu perſeuerantibus; quorum nomine Petrus dicit. *Domine ad quē ibimus verba vitæ æternæ habes.* Audierat enim; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternā.* Addidit quoq; Petrus illam fidei confeſſionē minus celebrem; & nos credimus & cognouimus, quia tu es Chriſtus filius Dei.[a]

III. *Diſcipulos defendit. Sanat filiā Chananææ. Surdum item, & mutum. Iterum panes multiplicat.*

POST hæc perambulabat Ieſus Galilæam, cum ad eum Hieroſolymis venerūt Scribæ & Phariſæi diſcipulos accuſantes, quod illotis manibus manducarent; quos ipſe viciſſim reprehendendos oſtendit. His autem Marcus,[b] ſubtexit profectionem Chriſti in fines Tyri & Sidonis, vbi filiam Chananææ de fidei magnitudine vehementer commendatā à Dæmone liberauit. Inde exiens venit per Sidonem ad mare Galilææ, vbi *ſurdum fecit audire, & mutum loqui.* In montem deinde aſcendens, ſequentibus eum turbis, nec habentibus quod manducarent, iterata panum multiplicatione, quatuor eorum millia ſeptem panibus ſaturauit. Marci 8. Et dimiſſa turba, vt ait Matth. c. 15. aſcendit in nauiculam, & traiecto lacu venit in fines Magedam trans Iordanem, vbi Phariſæi & Sadducæi eum adeunt, tentantque petentes ſignum de cœlo: quibus Dominus dat ſignum Ionæ Prophetæ, & iis relictis redit cis mare cū diſcipulis, quos & monuit cauere à fermento Phariſæorum.[c] Inde venitur Bethſaida, vbi illuminatur cæcus. Marc. 8.

Petrus Chriſtum profitetur.

In itinere autem, circa partes Cæſarææ Philippi, quærente Domino, quem eum homines eſſe dicerent, edidit Petrus nobilem illā celebratamq; confeſſionem, ob quam promiſit Dominus ſe eum facturum Petram Eccleſiæ ſuæ, & daturum ei claues regni cœlorum. Deincepsq; agit cum diſcipulis ſuis de paſſione ſua, & cruce omnibus tollenda. Matth. 16.

IV. *Transfiguratio Domini.*

POST ſex autem dies, vt habet idem Matth. c. 17. aſſumpſit Ieſus tres ex diſcipulis ſuis, & transfiguratus eſt coram eis in mōte Thabor. Vbi ſermo eſt Chriſtum inter Moyſem & Eliam, de exceſſu, quem completurus erat Hieroſolymis. Cumq; inde, mandato diſcipulis ſilentio, deſcendiſſet, lunaticum quēdam, ſiue

[a] Ioa. 6. 69. 70.
[b] Matt. 15. 1. Mar. 7. 1. 24.
[c] Mar. 8. Matt. 18.

dæmoniacum curauit, moxque iterum paſſionem ſuam, & reſurrectionem reuelauit. Eo enim frequentius aſſumebatur hic ſermo, quo tempus propius accedebat Dominicæ Paſſionis, vt minus, cum in rem ventum eſſet, diſcipuli turbarentur. Et ingreſſus cum diſcipulis Capharnaum ſolui iubet tributum pro ſe & Petro, quæ cauſa fuit diſcipulis, vt cum iam in via diſputaſſent quis eorum eſſet maior, domi, vt ſcribit Marcus c.9. Magiſtrum adirent & quærerent, quis maior eſſet in regno cœlorum, Matth.18. quos Dominus de amanda humilitate ſtudioſius erudiuit: vt habetur Matthæi 18. Apud quem etiam de ſcandalo puſillorum plura diſſeruit, addens etiam ſermonem de correctione fraterna, & parabolam de ſeruo debente decem millia talentorum, à quo Dominus propter inhumanitatem in conſeruum; dimiſſum ſemel debitum repetiit.

V. *Profectio in Iudæam ſeptimo mēſe. Diſſerit in templo.*

POST hæc ſub feſtum tabernaculorum, Chriſtus relicta Galilæa rediit in Iudæam. Cum autem tranſiret per Samariam, noluerunt eum recipere Samaritani, eo quod iret in Hieruſalem, vt ait Luc.c.9. Hæc profectio initio ſeptimi menſis facta eſt, quia decimo die eiuſdem, feſtum Scenopegiæ celebrabatur. In itinere autem decem leproſos mundauit, in quibus vnus tantum alienigena inuentus
a Luc.17.11. eſt qui rediret, & daret laudem Deo. ᵃ Sub medium dierum feſtorum, vt ait Ioan.c.7. Venit Ieſus in templum, vbi coram populo, & Phariſæis diſſeruit de doctrina ſua. Sermonis exitus fuit, vt plerique de turba, & legis doctores inter ſe altercarentur, Nicodemo partes Domini propugnante. Cumque reuerſi eſſent vnuſquiſque in domum ſuam, Ieſus perrexit in montem Oliueti, vt habetur c. 8. Ioãnis, & diluculo iterum venit in templum, quo Scribæ & Phariſæi deduxerunt mulierē deprehenſam in adulterio, qua miſericorditer liberata, iterum docere cœpit in templo, Phariſæis rurſum contra ipſum altercantibus, & poſtremo lapidare volentibus; cum Ieſus abſcondit ſe, & exiuit de templo.

Quo ducitur adultera.

VI. *Cæcus natus illuminatur.*

ET præteriens, vt ait Ioan.c.9. vidit hominem cæcum à natiuitate, quem miſſum ad natatoria Siloë illuminauit. Eum animoſe de Chriſto diſſerentem, inuidi Phariſæi multis verbis vexatum è templo eiecerunt. Inde ſecuta eſt altera cum ipſis diſputatio, quæ habetur Ioan. 10. vbi pleraque de bono paſtore diſſeruit. Inde autem Ioannes v.22. tranſit ad feſtum Encæniorum, quod nono menſe agebatur. Sed eam celebritatē anteceſſit deſignatio, & miſſio Septuaginta duorum diſcipulorum. vt recte docet Ianſenius c. 80. concord. Eos autem præ-
et c.10.Lu. ceptis inſtruit, data poteſtate prædicandi, & curandi infirmos. Simul etiam impœnitentiam, & incredulitatem exprobrat quibuſdam ciuitatibus, apud quas concionatus fuerat.

Feſtum Encæniorum. Miſſio 72. diſcipulorū.

Quantum porro temporis in hac miſſione poſuerint, non conſtat: certe reuerſio eodem decimo cap. Lucæ habetur v. 17. moxque laudat ibid. Chriſtus patrem, quod fidei myſteria paruulis aperuerit.

VII. *Legiſperiti tentatio. Hoſpitium Martha.*

EVANGELISTA vero ſubdit interrogationem legiſperiti tentantis Dominnm, cui reſpondit Dominus, parabola allata eius, qui deſcendens in Ierícho inciderat in latrones. Significat & ſub id tempus Chriſtum in Iudæa iter habentem, exceptum eſſe hoſpitio à Martha ſorore Lazari & Mariæ, vt habetur in fine eiuſdem cap. decimi. In vndecimo autem Dominus rogatus à diſcipulis docet eos orare, orandique perſeuerantiā inculcat; & mox Phariſæos obiurgat, damnatq; præpoſteram eorum mundiciam: cui ſubditur ac ſubnectitur capite 12. monitio diſcipulorum aduerſus mortis timorem, & diuitiarum ſolicitudinem; addito etiam officio fidelis ſerui erga venturum Dominum. Occaſione autem Galilæorum à Pilato occiſorum, docet c.13. agendam pœnitentiam, nec Dei patientia abutendū, ſub parabola fici: cui ſubditur obiurgatio Phariſæorum murmurātiū quod Chriſtus die ſabbathi mulierem octodecim iam annis inclinatā erexiſſet.

Dominus docet orare, & Phariſæos reprehendit.

VIII. *Paucitas ſaluandorū Reprobatio Iudæorum. Vocatio Gētium.*

INDE amplitudinem regni cœlorum ita declarat, vt nihilominus anguſtam eſſe portā dicat, qua ad illud perueniatur, & præter opinionē hominum multos expulſum iri, qui videbantur admittendi, & multos admiſſum iri & recubituros in ſinu Abrahæ, qui videbantur expellendi, ſignificans reprobationem Iudæorū, & vocationem Gentium. Occaſione vero monitionis ſibi factæ de Herodis inſidiis, prædicit ſe occiſum iri Ieroſolymis, & ſuper Hieroſolymorū ventura deſolatione lamētatur. Cap.4. ſanat hydropicū in ſabatho, cum confuſione Iudæorū,

qui ei ſtruebant calumniam, & Phariſæum à quo fuerat inuitatus, docet miſericordiam in pauperes; addita etiam parabola eius, qui fecit cœnam, & excuſantibus ſe qui fuerant inuitati, repleuit domum ſuam pauperibus, debilibus, cæcis & claudis: iis autem qui ipſum ſequi vellent, omnibus rebus renunciandum eſſe pronunciat.

IX. *Feſtum Encæniorum ante 196. annos inſtitutum.* Dvm hæc, & his ſimilia docentur à Chriſto Domino, ſuperuenit feſtum encæniorum, quod hyeme Ieroſolymis celebrabatur, vt ait Ioann. c. 10. nimirum 25. die menſis noni, ſiue Caſleu per dies octo, ab anno in annum, vt ſtatutum fuerat à Iuda Machabæo & fratribus eius, & vniuerſa Eccleſia Iſrael, [a] anno 148. regni Græcorum, id eſt 196. annis ante præſentem diem: tot enim numerantur à 589. V. C. ad 784. qui nunc agitur, & concurrit cum Chriſti 33. Durante ergo feſto Encæniorum circumſteterunt Ieſum Iudæi, volentes vt palam profiteretur ſe eſſe Chriſtū: quibus cum verè, ac ſapienter reſpondiſſet, ſuſtulerũt lapides, vt eum quaſi blaſphemum obruerent; ſed ipſe exiuit de manibus eorum, & venit in fines Iudææ trans Iordanem, vbi dudum Ioannes baptizarat, vbi turbas confluentes docuit, & curauit, & manſit illic, vt ſcribit Ioan. extremo c. 10. & multi crediderunt in eum. Quandiu autem ibi manſerit, certo affirmari non poteſt. *manet Chriſtus trans Iordanem.*

X. *Peccatores ad eum cōfluunt.* Inter eos porro qui confluebant ad Ieſum, erant publicani, & peccatores, vt ait Luc. c. 15. murmurantibus de more Scribis & Phariſæis; quos reprimit Dominus tribus parabolis, de oue, drachma, & filio prodigo perditis, quibus oſtēditur quantam gerat Dominus curā peccatorum. Et cum iis eorum ſuperbiā & inuidiam contudiſſet, altera parabola de villico iniquitatis eorum auaritiam arguit. Secuta eſt mox diſputatio cum Phariſæis de matrimonii indiſſolubilitate, & cum diſcipulis de continentia. Sed cum Phariſæi auari Chriſtum de eleemoſyna facienda, ſub parabola villici iniquitatis diſputantem irriderent, vt habetur Luc. 16. 14. Addidit hiſtoriam de diuite epulone, ob inhumanitatem in Lazarum mendicum, in inferis ſepulto, & aquæ guttam inutili clamore mendicante, qui miſero micas de menſa decidentes negauerat. *Parabolis Phariſæos reprimit, & hiſtoria Lazari.*

Pauca porro quæ ſuperſunt de Chriſti geſtis, vſque ad ſuſcitationem Lazari, quæ ſub feſtum Paſchatis contigit, in ſequentem annum probabiliter reſeruabimus.

XI. *Coſſ. anni huius.* Gessit hoc anno Domitius Ænobarbus Conſulatum, & quidem, vt notat Dio l. 58. toto anno, quod haberet in matrimonio Agrippinam, Agrippinæ & Germanici filiam, ex quo matrimonio natus eſt inſignis feritate Nero. In collegis eius reperitur, tum Furius Camillus Scribonianus, tum A. Vitellius. Nam Suet. in Vitel. n. 2. Aulus, inquit Vitellius in Conſulatu obiit, quem cum Domitio Neronis Cæſaris patre inierat. Illi ergo ſuffectus eſt Camillus, in ſex menſes, vt ait Onufrius. Nam pro arbitrio Tiberii, plus minuſue ſinguli magiſtratū gerebant. Quoſdam enim, vt inquit Dio, ad longum, alios ad breuius temporis ſpatium deſignabat, itemque nonnullos etiam citius quam conſtituiſſet, loco mouebat, aliis vt diutius in magiſtratu eſſent concedebat, eoque modo Conſulatus toto Imperii eius tempore habitus eſt. *Pleriq; minus tempore.*

XII. *Clades Seianorum quieſcit & recrudeſcit.* Hoc anno, poſt multam ſtragem amicorum Seiani, viſus eſt tandem Tiberius, vt ait Dio, ſancire velle obliuionem præteritorum, cum & lugeri Seianum permiſit, & prohibuit ne quis luctu quemquam prohiberet; ſed mox iſtius obliuionis oblitus, propter Seianum alios calumniis oppreſſos interfecit: vt videri potuerit luctum permittere voluiſſe, vt agnitos qui lugerent, gemino luctu conficeret. Certe Tacitus l. 6. ſcribit in fine anni huius, tres equites Romanos cōiurationis crimine cecidiſſe: vt omittam prius memoratam Fuſii Gemini viri Conſularis matrem necatam, quod filii necem fleuiſſet.

Felix Varronis conſtantia. In iis tamen M. Varronis inſignis, vel conſtantia, vel felicitas fuit; Nam in ius vocatus propter amicitiam Seiani, tantum à negando abfuit, vt oſtenderit maximo ſe eum ſtudio coluiſſe, quem ipſe Tiberius in tanto honore habuerit. Qui ſi rectè, inquit, fecit, eius amicitia vtens, neque ego quidem quicquam peccaui, cum æquum ſit nos amare, quos ille amore ſuo honoribuſque dignos duxerit. Sin Imperator ipſe, qui omnia explorata habet, deceptus fuit, quid mirum

[a] 1. Macha. 4. 59.

me vna quoque in errorem tractum eſſe? Ergo abſolutus eſt Senatorum ſuffragiis, &accuſatores, approbante Tiberio, Dio. pœna mulctati; vſque adeo varium, anceps, & inconſtans erat hominis ingenium: quod idem Tacitus hoc anno exhibet etiam impuriſſimũ, vt vel legere pudeat, &cruentiſſimum; & ſubdit: Adeo, facinora & flagitia ſua ipſi quoque in ſupplicium verterant; iuxta illud Auguſtini. Iuſſiſti Domine, & ſic eſt, vt omnis inordinatus affectus ſibi ipſi pœna ſit.

Calendis Ianuarii præter morem omnes viritim in acta Imperatoris iurarunt, cum ante iuramentum ab vno editum, reliqui omnes, quaſi pedarii ſenatores, approbarent: quod videtur tum metus à ſingulis expreſſiſſe, & deſiderium probandi Tiberio fidem ſuam, qui omnibus probabat crudelitatem ſuam.

ANNVS MVNDI 4086. SEPT. ÆTAT. ET IESV CHRISTI AN. 34. B. VIRG. 49. IMPERII ROMANI 81. TIB. AVGVST. 20. Philippi Tetrarchæ 33. et vlt. Cayphæ Pont. 16. Præsid. Syr. Pomponio Flacco. 12. Ivdææ Procvratore Pontio Pilato 8. Olymp. CCIII. an. 1. Vrb. Cond. 785. Coss. Ser. Svlpicio Galba, et L. Cornelio Sylla, Ann. Ivl. 78. Avgg. 62. Actiac. vict. 64.

ÆRÆ CHRISTIANÆ ANNVS 33.

I. *Vltimus Christi annus.*

POSTREMVS hic annus Ieſu Chriſti Redemptoris noſtri commorationis in terris, in carne viſibili atque mortali, vt finem labori noſtro imponet, ita præcedentes quoque annos, Deo fauente, firmabit. Hanc porro Chronologiam, quam vltimo quem vides indice exhibemus, ſigillatim cõfirmare, tam ratione ipſa, quam autoritate conabimur, quãuis ipſa præcedentium annorum ſeries, ſuis vbique confirmata locis, validiſſimam ſecum afferat probationem. Deinde res huius anni tam ſacras, quam profanas breuiter perſtringemus. Hunc ergo annum Chriſti Domini, cum quo ſeptima mundi ætas ſumpſit exordium, quartum & trigeſimum appellamus, in quo per tres menſes inchoato, pro ſalute generis humani in crucem actus, in cruce mortuus, ac deinde ſepultus eſt: tertio die rediuiuus, quadrageſimo in cœlum elatus, & in patris æterni dextera collocatus, in omnem regnat æternitatem.

II. *Annus Christi 34. confirmatur.*

Primvm igitur cum diligenter probatum fuerit ex D. Lucæ Euangeliſta, & grauiſſimorum autorum interpretatione Chriſtum Dominum ineunte trigeſimo vitæ ſuæ anno, à Ioanne Baptiſta baptizatum; indeque natalis eius annus in 42. Auguſti, & Vrbis 751. euidenti ſupputatione relatus ſit. Deinde vero poſt vnum à baptiſmo recepto annum exactum, miraculum conuerſionis vini in Cana Galilææ confecerit, vt ex eodem loco, & ex Eccleſiæ catholicæ ſenſu, atque praxi, concurrentibus doctiſſimorum ſanctiſſimorumque virorum calculis probatum eſt, ſecutaque ſint tria Paſchata, quæ à Ioanne Euangeliſta c. 5. 6. & 12. memorantur, & rebus ipſis quas enarrant Euangeliſtæ diſtincta ſint, in quibus omnes ferme conſentiunt, neceſſe eſt huius anni initium, eſſe initium trigeſimi quarti vitæ Domini noſtri. Hæc probatio ex Euangeliſtis ipſis petita, & ex

Eccleſiæ catholicæ autoritate, vſq; validiſſima cenſeri debet, in qua nec vitioſus circulus committitur, ſed extrema potius mediaque inuicem, ita ſeſe confirmant ac muniunt, vt columna vna huius ædificii temporarii loco mota, luxari omnia, & tremefacta labaſcere neceſſe ſit.

III. *Eccleſia autoritate apud Bedam*

HANC eſſe Eccleſiæ ſententiam affirmat grauis in primis, atque eruditus autor, Venerabilis Beda, qui ante octingentos & quinquaginta annos floruit in Eccleſia; fuitque ſi quis alius, harum diſputationum ſcientiſſimus. Is ergo l. de ratione temporum c. 45. Vbi hanc materiam ex inſtituto tractat, *Habet*, inquit, *ni fallor Eccleſiæ fides, Dominum in carne paulo plus quam triginta tribus annis, vſque ad ſuæ tempora Paſſionis vixiſſe, quia videlicet triginta annorum fuerit baptizatus, ſicut Euangeliſta Lucas teſtatur, & tres & ſemis annos poſt baptiſma prædicauerit, ſicut Ioannes, in Euangelio ſuo, non ſolum commemorato redeuntis Paſchæ tempore perdocet; ſed & idem in Apocalypſi ſua. Daniel quoque in ſuis viſionibus prophetice deſignat. Sancta ſiquidem Romana & Apoſtolica Eccleſia, hanc ſe fidem tenere, & ipſis teſtatur indiculis; quæ ſuis in cereis annuatim ſcribere ſolet, &c.* Hæc & alia venerabilis Beda, ſententiam ſuam non obiter proferens, ſed autoritate Prophetæ, & Euangeliſtæ, & Eccleſiæ vſu confirmans. Ex quo intelligimus, non fuiſſe ipſum ſententiæ huius authorem, ſed Eccleſiam catholicam, quæ id ab Apoſtolis, & diſcipulis Chriſti, traditione didicerit, poſteritatique tradiderit.

IV. *Ex olympiadibus & eclipſi.*

TRIGESIMVS QVARTVS Chriſti annus ex Olympiad. quoq; probatur. Cum enim probatum ſit Chriſtum natum anno 3 Olymp. 194. inde vſque ad finem 202. in cuius quarto anno eclipſis illa nuncia mortis Chriſti toti mundo fuit, reperientur anni 34. inchoati, hoc modo

Ex Olympiade 194. vixit Chriſtus,	An. 1. m. 6.
Accedunt 7. Olympiades integræ.	An. 28.
Ex Olympiade 202. vixit	An. 3. m. 9.
vixit ergo	An. 33. m. 3.

Nec aliter dici poteſt, inquit Onuphr. ſi Phlegonis eclipſim ſuſcipere voluerimus; cuius in hac re teſtimonium tanti facio, quanti cuiuſcunque alterius ſcriptoris poſt Euangeliſtas, quibus adeo non ſolum non repugnat, ſed etiam quam maxime conuenit. Sic Onuph. vir omnium conſenſu doctiſſimus, atque accuratiſſimus. Sed de Olympiadibus paulo poſt iterum aliquid dicendum erit.

V. *Priuatis teſtimonijs.*

AFFERT pro eadem ſententia Baronius annus Chriſti 34. Ignatium ad Trallianos, qui ad tres annorum decades expletas vitæ Chriſti ante baptiſmum, adiungit triennium prædicationis, & quod excurrit, vſque ad diem mortis eius. n. 147.
Et omnino in hanc abire ſentētiam neceſſe eſt omnes, qui exiſtimant Chriſtum abſoluto trigeſimo vitæ anno fuiſſe baptizatum, cum triennium prædicationis, ſi fides habeatur Ioannis Euangelio, negari non poſſit. Diſerte autem pro 34. Chriſti anno inchoato ſtat præter Bedam, Marianus Scotus in Chron. Dionyſius Abbas dictus. Exiguus, apud Scal. l. 6. de Emend. & Onuphrium.

Et ex recentioribus chorum ducit Illuſtriſ. Card. Baron. in Appar. & Chriſti anno 34. Onuphrius in faſtis an. V.C. 786. & in Chron. qui pro eadem ſentētia laudat D. Chryſoſt. in orat. de S. Ioan. Bapt. Nicetam & Eccleſiam Græcorum; Item Albert. Magn. in comm. epiſt. Dionyſ. ad Polyc. Gerlandum Lotharingum, Ioan. de regio monte. Bernardum Mutinenſem, Campanum Nouarienſem, Paulum Foroſempronienſem, Lucam Guaricum. Quibus addendus eſt, Suarez.[a] Gordon. in apparatu t. 2. c. 4. & in anno Chriſti 34. Bellarmin. in Chronol. Tornellus in Annal. in fi. Henricus Samerius in Chron. Sebaſtian. Barad.[b] Alphonſus Salmeronus. t. 1. proleg. 38. in aſſert. 11. Georgius Heruatius Chron. capite 179. & 180. &c. Buntingus Mathematicus, & Chronologus per quam accuratus. Temporarius, Functius, Heluicus, aliique ſectarii.

a t. 2. in 3. p. diſp. 40. ſect. 1.
b t. 4. l. 1. c. 7 in 7. ſententia.

VI. *Anni inchoati B. Virg. & Imperij Rom.*

SED pergamus ad reliquas indicis noſtri partes, ex quibus hic annus confirmetur & explicetur. Illud autem memoria retinendum eſt, quod non ſemel monuimus, annos à nobis numerari inchoatos. Itaque ſicut hic Chriſti annus 34. non ponitur perfectus, ſed inchoatus duntaxat, ita & B. Virginis: quæ cum nata ſit 8. Septemb. & ab eo die anni eius incipiant numerari, conſequens etiam eſt

Chriſtum mortuum, cum illa vitæ annnm 48. ageret, nec adhuc abſoluiſſet.

Eodem modo Imperii Romani agebatur annus octogeſimus, cum Chriſtus paſſus eſt: quoniam Imperium Romanum incipit à deuicto Pompeio in pugna Pharſalica, quæ ſub Idus Iunias, vt ſuſpicatur Onuphrius, & tempore meſſis, vt Plutarchus in Pompeio ſignificat, contigiſſe memoratur, aut certe octogeſimus primus ſi placet à prima C. Iulii Dictatura initium ducere.

VII. *Qui conueniat annus Tiberij.*

DIFFICILIOR videtur anni Tiberii explicatio, obſiſtunt enim nobis cateruatim ſcriptores antiqui, apud quos magno conſenſu annus 18. Tiberii Dominicæ Paſſioni aſſignatur; At nos, licet dicamus 20. Imperii annum non fuiſſe adhuc inchoatum, certe negare non poſſumus, ex noſtra Chronologia Chriſti mortem, non in 18. ſed in 19. iam per 7. menſes cum dimidio inchoatum cadere. Sed id nos non ſoli aſſerimus, Præit Onuphrius in faſtis,[a] & in Chronico. Barad.[b] Franc. Suares.[c] Mariana de die mortis Chriſti c. 12. Tempor. in ſua Chro. Buntingus. Scalig. l. 6. de emend. c. de 5. Paſchate, Caluiſ. in Iſagoge Chronol. c. 48. & bona pars eorum qui hæc exactius, poſteriuſque examinarunt: idemque fateri cogitur Euſeb. in Chron. Si enim die 19. Auguſti mortuus eſt Auguſtus, vt Dio, Tacitus, & Suet. affirmant, Olymp. 198. anno 1. vt ait Euſeb. ſtatimque init Imperium Tiberius, certe annus tertius Olympiadis 202. quo ait Chriſtum occiſum, erit eiuſdem Tiberii non 18. ſed 19. quod nos aſſerimus, idemque ex annis vrbis expanſis digito tangi poteſt. De ſcriptoribus autem, qui tradiderunt Chriſtum 18. Tiberii paſſum, cum inueniatur 18. anni cum dimidio, dicendum eſt eos annos integros tantum numerare voluiſſe, fragmenta neglexiſſe; quod ipſa quoque Scriptura non raro facit.

a an. V.C. 786. b t. 4. l. 1. c. 7. 8. c t. 2. in 3. p. d. 40 ſ. 1. ſub 6.

VIII. *Præfectura Syriæ, & Tetrarchia.*

FVIT hic annus Pomponio Flacco in Syria Præſidi poſtremus. Tacitus enim l. 6. Annal. ſub finem huius eum defunctum tradit; ſicut & Ælium Lamiam, quem Tiberius diu ſpe illius præfecturæ lactauerat. Iſtius ſpei, & illius officio ſucceſſit proximo anno L. Vitellius Nepos, quo & Conſul fuit.

In qua fallitur Ioſeph

d l. 18. c. 6.

Ponimus etiam hoc anno Philippi Tetrarchæ mortem, Ioſephum ſecuti.[d] Qui tamen corrigendus eſt circa eiuſdem Philippi annorum numerũ, Philippus inquit, Herodis frater diem ſuum obiit, anno Tiberii principatus vigeſimo, cum ipſe præfuiſſet triginta ſeptẽ annis Traconitidi, &c. atqui ab anno V.C. 753. quo regnum Herodis ab Auguſto diuiſum eſt, partimque Archelao, & partim duobus eius fratribus Philippo & Herodi Antipæ attributum, anni tantum tres & triginta numerantur. Itaque toto quadriennio hallucinatur Ioſephus.

IX. *Eſſe hunc annum Olymp. 202. an. vlt.*

SED annus Olympiadis egregie confirmat iſtam ſententiam. Cum enim Chriſtus ad Paſcha occiſus fuerit, & anni Olympiadum incipiant in æſtiuo ſolſtitio, Chriſto moriente annus quartus Olympiadis 202. agebatur, quem diſertis verbis Phlegon Chriſti paſſioni attribuit, hoc ipſo quod ait in illum annum mirabilem Solis eclipſim contigiſſe. Phlegon porro numerat Olympiadas prout celebrabantur, ergo quartus ſecũdæ Olymp. progreditur vltra Paſcha, in quo Chriſto occiſus eſt. Nõdum cœperat tertia ſupra ducenteſimam: ſed annus Iulianus illã exeuntem, & hanc inchoantem, quæ Apollonium Epidaurium coronauit, amplectitur. Verba Phlegontis habentur apud Euſeb. in Chron. Scribit, inquit, ſuper his & Phlegon, qui Olympiadarum egregius ſupputator eſt, in 13. libro ita dicens. Quarto autem anno 202. Olympiadis, magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant defectio Solis eſt facta; dies hora ſexta ita in tenebroſam noctem verſus, vt ſtellæ in cœlo viſæ ſint, terræque motus in Bithynia Nicænæ vrbis multas ædes ſubuerterit. Hæc ſupradictus vir. Hactenus Euſebius; qui ſe ipſe condemnat, dum ponit anno 3. huius Olymp. Chriſtum paſſum, vbi recitat contra ſe Phlegontem. Itaque in Chronico græco, hæc habentur anno 4. Olymp. 202. Ex quo etiam loco confirmatur annus Tiberii 19. Nam ab Olymp. 198. an. 2. quo ponit initium Tiberii Euſebius, vſque ad finem Olymp. 202. nouemdecim anni inchoati reperiuntur, vt Salmeronus quoque Suares, & alii iam notarunt. 1.

IX. *Conuenire annos vrbis & Coſſ.*

1. & X.

DE anno V C. non eſt peculiaris vlla difficultas. Sicut enim in annis præced. ſic & in hoc Onuphrius vno anno tardior eſt faſtis capitolinis, quos ſecutus eſt Sigonius, & Stephanus Pighius. Itaque hunc annum ille vocat 786. quem ſequi-

tur Mariana c.12. hi vocant 785. nobiſcum, quomodo eum vocat Temporarius in Chronologia, Deckerius item, Buntingus, Heluicus, Caluiſius, & fere quicunque annos vrbis cum Olympiadibus componunt.

De Coſſ. Galbam & Syllam huic anno tribunt. Onuphr. in faſt. & in Chron. Temporar. quoque & Caluiſ. Scaliger l.6. Emend. c. de 5. Paſch. Vbi & annum Iulianum 78. agnoſcit. Marian. c.12. Deckerius &c. Eſt autem hic Ser. Sulpitius Galba, qui poſt annos 35. Imperator fuit, ordine ſeptimus, & primus extra Cæſaris & Auguſti familiam: agebat autem nunc ætatis annum 35. natus quippe anno V. C. 750. M. Valerio Meſſala, & Cn. Corn. Lentulo Coſſ. autore Tranquillo, l.7. n.4 vt illo ipſo anno annotauimus. Et hæc de anno mortis Chriſti dicta ſint; ſupereſt vt de menſe, & die, & de hebdomade feria aliquid dicamus.

XI. *Chriſtus cruci affixus menſe Martio.* ET ad menſem quidem quod attinet, nulla eſt dubitatio Chriſtum in Paſchate, & conſequenter in primo menſe Hebræorum, quem Niſan appellant, eſſe interfectum; neque enim alio menſe Paſcha apud Hebræos celebrabatur, iuxta præſcriptum Moſaicæ legis, niſi ſi quando neceſſitas aliqua cogebat aliquos, in ſecundum menſem eam celebritatem differre, vt diſerte ſcriptum eſt in l. Nu.[a] Sed quia menſes Hebræorũ lunares ſunt, & cum ſolaribus Romanis non conſentiunt, ſæpiſſime menſis ille primus, ad duos menſes Romanos pertinet, ita vt prior eius pars in Martium, poſterior in Aprilem cadat. Quæſtio igitur eſt vtro in menſe paſſus ſit Dominus.

[a] Nu. 9. 10.

Et communiſſima ſententia eſt omnium ferme Chriſtianorum, ab initio Eccleſiæ ſeculis omnibus repetita, Chriſtum dominum menſe Martio crucifixum Etſi enim de die illius menſis multæ fuerunt apud antiquos Eccleſiarum præſides controuerſiæ, omnes tamen in eundem Martium conſpirabant: donec exorti ſunt aliqui, qui fallacibus obſeruationibus nixi, cum viderent non poſſe lunam 15. cadere in feriam ſextam anno Chriſti 34. vniuerſa pene antiquitate repudiata, Chriſti paſſionem in Aprilem coniecerunt. Vanas autem & fallaces fuiſſe eas obſeruationes quantumuis aſtronomicas, docet ipſa eorum diſſentio, qui ſe illas ſequi profitentur. Ille autem quem dixi conſenſus in menſem Martium, mox cum de die eiuſdem menſis agemus, intelligetur.

XII. *Luna 15. Niſan.* QVOD ad diem primi menſis Hebræorum ſpectat, plerique omnes Catholici, latini præſertim, in eam ſententiam abeunt, vt Chriſtum fateantur, obſeruata lege plene, non in cibis ſolum legalibus, ſed in temporibus etiam, 14. luna, ſiue 14. die menſis primi exeunte, ad veſperam comediſſe agnum Paſchalem, decima quinta vero ſequenti morte affectum eſſe, 16. in ſepulchro iacuiſſe, 17. factum eſſe rediuiuum, vt late diſputat Suares,[b] idque ex Euangeliſtis deducitur, qui dicunt ante diem feſtum Paſchæ, erat is ex lege 15. dies, cœnam à Chriſto factam, ſ. 14. qui dicitur etiam primus Azymorum, quia eo veſpere incipiebant comedi panes azimi, proprie autem primus Azymorum erat ipſe dies 15 Quam hæc certa ſint, docet Venerabilis Beda l. de ratione temp. c.45. *Nam quod Dominus*, inquit, *decimaquinta luna feria ſexta crucem aſcenderit, & vna ſabbathorum, id eſt die Dominica reſurrexit à mortuis, nulli licet dubitare Catholico, ne legi pariter, & Euangelio videatur incredulus*. Sic ipſe.

[b] t.1. diſp. 40. ſ.3.

Eccleſia non celebrat cum Iudæis. ECCLESIA tamen Catholica, ne cum Iudæis, eorumque ſectatoribus quartadecimanis conſentiret, ſtatuit Paſcha Dominicæ reſurrectionis celebrandum eſſe in ea Dominica, quæ 14. lunã primi menſis proxime ſequitur. Is autẽ primus menſis appellatur, cuius 14. luna propius ſequitur vernum æquinoctium, vel in ipſum æquinoctium cadit, quod nunc 21. Martii conſtitutum eſt.

XIII. *Mortuus 8. Cal. Apri.* DE die vero Romani menſis Martii multæ extant ſententiæ, quarum communiſſima hoc tempore, maximeque probabilis eſt, Chriſtum Dominum mortuum eſſe 8. Cal. Aprilis, qui eſt 25. Martij, & 6. reſurrexiſſe, qui eſt 27. eiuſdem, Ita ſentit D. Auguſtinus.[c] *Mortuus eſt ergo Chriſtus*, inquit, *duobus Geminis Coſſ. octauo Cal. April. reſurrexit tertio die*,[d] *ſicut Apoſtoli ſuis etiam ſenſibus probauerunt.*[e] Et alibi, *Octauo, Cal. Aprilis conceptus creditur, quo & paſſus*. Et lib 83. quæſt. q.59. Idem dicit Hieron. in Martyrol. cuius hæc verba afferuntur, 8. Cal. Apr. Hieroſolymæ Dominus crucifixus eſt, & 6. Cal. Apr. Hieroſol. reſurrectio Domini noſtri Ieſu Chriſti celebrata eſt. Hæc habet qui notas edidit in l. Bedæ de ratione tẽp. c.45.[f]

[c] l.18. de ci. c vult. [d] id eſt 6. Cal April. [e] & l.4. de Trin c.5. [f] citat. & Salm l.g.3l verſ. fin.

quæ totidem verbis ſæpius repetuntur à D. Chryſoſt. ſi tamen ipſe eſt author, homil. de Ioan. Bapt. Et ante vtrumque Tertul. l. contra Iudæos c. 8. *Quæ paſſio*, inquit, *perfecta eſt ſub Tiberio Cæſare, Coſſ. Rubellio Gemino, & Ruſſo Gemino, menſe Martio, & Paſchæ die, octaua Cal. Aprilis, die prima Azymorum, quo agnum vt occiderët ad veſperam, a Moyſe fuerat præceptum.* Sic ipſe, ſed ne moremur ſingulos, audi Bedam l. de ratione temporum c. 45. *Quod*, inquit, *octauo Cal. April. crucifixus, ſexto Cal. earundem die reſurrexerit, multorum latinorum doctorum Eccleſiaſticorum conſtat ſententia vulgatum.* quam ibid. ipſe amplectitur. Sed & pleraque martyrologia in eandem ſententiam conueniunt, quibus recentiores ſubſcribunt, Suares,[a] nonnihil tamen dubius, ſicut Salmeron.[b] & Baronius.[c] At certo affirmat, & ex profeſſo probat Ioan. Mariana in præfat. l. de die mortis Chriſti, & cap. 13. & 17. & toto illo opuſculo. Albertus Magnus in comm. epiſt. Dionyſ. ad Polycarpum. Caſſiodorus in faſtis, & ibid. Cuſpin. Eadem ſententia exiſtimanda eſt eorum, qui Chriſti mortem in 7. Cal. conijciunt; vt ſeorſim dicam.

a diſ. 40. ſec 6 in fin.
b proleg. 38
c a. 34. n. 133.
2. ex. XIII.

XIV. *Feria ſexta, ſiue paraſceues.*

De feria porro ſexta Dominicæ paſſioni conſecrata, & conſequenter de ſabbato & Dominica ſequenti, Eccleſiæ traditio dubitare non ſinit; vt paulo ante ex Beda retulimus; ſed nec Euangelica veritas.[d] Nam Marcus ait tum diem fuiſſe paraſceues, quod eſt ante ſabbathum. & Luc.[e] *Et dies erat paraſceues, & ſabbatum illuceſcebat*, id eſt, incipiebat. Et Ioan. c. 19. 31. *Iudæi ergo quoniam paraſceue erat, vt non remanerent in cruce corpora ſabbatho*, quod ſcilicet imminebat, *erat enim magnus dies ille Sabbathi*, quoniam præter ordinariam feſtiuitatem habebat adiunctum ſecundum diem Azymorum. Et ex his interpretandus eſt idem Ioãnes, cum c. 19. 14. vocat hunc diem paraſceue Paſchæ, id eſt, paraſceue, quæ incurrit in feſta Paſchalia, non autem quæ ea antecedit.

d Matth. c. 15. 42.
e c. 23. 54.

Et his de tempore quanta potuimus breuitate expeditis, res geſtas, licet ab omnibus iam explicatas, percurramus, ne hic in extremo defeciſſe videamur.

XV. *Res hoc anno à Chriſto geſta.*

Cvm igitur cætera, quæ ab Euangeliſtis de Chriſto Domino enarrantur, præcedentibus annis commode attribui non potuerint, ad huius anni initia referenda ſunt, vſque ad Lazari mortem, quam paucis ante Paſcha diebus contigiſſe, Ioannis Euangelium dubitare non ſinit.

Quedã ab eo dicta ſæpius.

Lucæ igitur 17. quædam miſcellanea narrantur, quæ cum ab aliis Euangeliſtis alia occaſione narrata ſint, videntur ſæpius à Chriſto Domino recitata. Nonnulla enim ſæpius inculcata reperiuntur, vt illa, *erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi*, & illa, *multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Et illud, *Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis Prophetas &c.* eodemque modo quæ ſunt de vitando ſcandalo, de correctione fraterna, de efficacia fidei, de agnoſcenda propria inutilitate, de perſeuerantia orationis, & humilitate in ea adhibenda, quæ duabus parabolis ob oculos ponũtur, altera de iniquo iudice & vidua; altera de publicano & Phariſæo in templo orantibus; quæ à Luca c. 18. referuntur: quibus ſubiicitur interrogatio illius, qui à Chriſto petebat, quid ſibi faciendum eſſet, ad vitam æternam obtinendam: cui cum præcepta, deinde conſilia propoſuiſſet, illeque triſtis abiiſſet, data eſt occaſio tum Chriſto docendi quam difficiliter diuites ſaluarentur, tum Petro interrogandi quo præmio cuncta à Chriſti diſcipulis relinquerentur; cui Chriſtus promiſit centuplum, & vitam æternam: quæ habentur quoque Marci 10. Matthæique 19. Vbi ſubditur parabola de patrefamilias cõducente operarios in vineam ſuam, ad oſtendendum primos fore nouiſſimos, & vice verſa nouiſſimos primos.

XVI. *Chriſtus Lazarum ſuſcitat.*

Seqvitvr apud reliquos Euangeliſtas aſcenſus Chriſti in Hieruſalem inſtante Paſchate, cum illuc inſidens aſino ingreſſus eſt; ſed excitatio Lazari à Ioanne c. 11. recitata, & ſeceſſio eius ob inuidiam ex miraculo natam, & alia quæ ei connexa ſunt antecedunt, vt mox intelligetur.

Dum ergo Ieſus moraretur trans Iordanem, vbi Ioannes baptizarat, & quo à feſto Encæniorum fuerat profectus, vt aperte oſtendit Ioannes ipſe in fine cap. 10. Illuc Maria & Martha ſorores Lazari miſerunt, qui nunciaret morbum fratris ſui. Ille autem qui non ſanare ægrum, ſed mortuum, & ſepultum, & quatriduanum excitare cupiebat à mortuis, diſtulit biduum profectionem, eoque peruenit cum diſcipulis, cum quartum iam diem eſſet mortuus, quem nihilomi-

nus eodem Imperio poteſtati mortis eripuit, quo dæmones ipſos peccati, & mortis authores, è corporibus animiſque pellebat. Eo tam inſigni miraculo multi ex Iudæis, qui venerant ad Mariam & Martham, crediderunt in Ieſum.

XVII. *Pontifices cogunt concilium contra Ieſum.*

QVIDAM autem ex ipſis abierunt ad Phariſæos, & retulerunt tam miraculum, quam multitudinem eorum, qui eo perſuaſi ſi illi adiunxerãt. Qua re moti Pontifices & Phariſæi collegerunt concilium, in quo de ſententia Cayphæ Pontificis ſtatutum eſt Chriſtum occidendum eſſe, imo & edictum, vt ſi quis ſciret vbi eſſet, indicaret ipſis, vt apprehenderent eum. At Ieſus ad modicum ſeceſſit in ciuitatem quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum diſcipulis ſuis, vt ait Euangeliſta. Ioa.c.11.54

Chriſtus abit Hieroſolymam.

Cum autem iam immineret tempus præfinitum à patre, cruento filii ſui ſacrificio, qui aliquantulum quaſi timidus latuerat, dum Paſchale tempus expectat, aſſumptis duodecim diſcipulis, ſe dat in viam Hieroſolymam verſus, eiſque ſecreto enunciat, quæ ipſi proxime euentura erant, quamuis præ ſtupore non intelligentibus quæ dicebantur.

XVIII. *Poſtulatio filiorum Zebedæi, Illuminatio cæcorum.*

TVNC mater filiorum Zebedæi acceſſit ad eum, poſtulans primas ſedes in regno Chriſti pro filiis ſuis; quos ille vice verſa docuit ſectari humilitatem exemplo magiſtri ſui, inepta ambitione repudiata.

In ipſo autem itinere ante ingreſſum Iericho cæcum illuminauit, vt habetur Lucæ 18. extremo. Decimo nono vero ſubditur conuerſio Zachæi publicani in oppido Iericho facta. Et in progreſſu, cum iam prope eſſet Hieruſalem, vbi Apoſtoli quam primum regnum Dei, quod ipſi temporale ſuſpicabãtur, manifeſtatum iri credebant, narrauit eis parabolam de homine nobili abeunte in regionem longinquam ad accipiendum ſibi regnum, & interim dante ſeruis ſuis talenta ad negotiandum. Eodem tempore digreſſis à Iericho duo cæci occurrerunt, qui, ſicut & ille prior, voti compotes facti ſunt.

Conuerſio Zachæi.

XIX. *Chriſtus in Bethania.*

DENIQVE peruentum eſt in Bethaniam, oppidum Hieroſolymis diſtans quaſi ſtadiis quindecim, vt ait Ioannes c.11. vt mox inde digreſſus, cum triumpho intraret Hieroſolymam. Eo porro peruenit feria ſexta ad veſperam, vt ſex integri dies numerentur ante Paſcha, vt notat Ioan. c.12. & poſſet præparari cœna ſolennior ante ſabbathum: in ea enim multi futuri erant conuiuæ, & ne dicatur Dominus in ſabbatho iter feciſſe, & vt ſatis detur temporis, vt populus cognoſcere poſſet Chriſtum eſſe in Bethania, vt ei cum ramis occurreret. Cumque exceptus eſſet à Lazaro ea nocte, poſtridie facta eſt ei cœna in domo Simonis leproſi, vt ſcribunt Matthæus c.26. & Marcus c.14. ſed alieno loco. Agentes quippe de proditione Iudæ, retulerunt cauſam ſiue occaſionem, qua eius auaritia ex vnguento effuſo incenſa fuerat, vt Ianſenius erudite obſeruauit in 109. cap. Concordiæ.

Ibi exceptus conuiuio.

XX. *Diſpoſitio temporis ex communi ſententia.*

CVI etiam placet Chriſtum feria ſexta appuliſſe Bethaniam, ibique toto die Sabbathi permanſiſſe, & vnum idemque fuiſſe conuiuium, quod à Ioanne, & Matth. & Marco factum narratur in Bethania. Quæ eſt etiam opinio Caietani, & Toleti in eum locũ Ioannis, & annot. 2. Emanuelis Sà, in Matth. c.26. & in ſcholiis in eundem locum, Baradij. [a] Maldon. in c.26. Matth. verſ.6. Gordon. t.2. in geſtis huius anni. Vatabl. in 26. Matth. qui propterea verba Euangeliſtæ, acceſſit, effudit, indignati ſunt, verti poſſe ait per acceſſerat, effuderat, indignati fuerant quæ eſt aperta ſententia D. Auguſt. l.2. de conſenſu Euang. cap. 69. Vbi ait Matthæum & Marcum de vnguento per repetitionem dixiſſe, quæ aliquanto ante facta fuerant. Idem Beda in Matth. & Ambroſ. in c.7. Lucæ. Quamuis aliter ſentiat Baron. anno Chriſti 32. n. 27. Nec propterea ſequitur ante ſex dies Paſchæ initum à Iuda pactum cum Iudæis de prodendo Chriſto; ſed tunc animo agitatam proditionem, biduo vero ante Paſcha pactam fuiſſe, initio autem Paſchatis executioni mandatam. a t.3.l.7.c.1

XXI. *Ibi à Magdalena inungitur.*

IN hac ergo cœna quæ Sabbatho facta eſt, 19. Martii in domo Simonis quondam leproſi, Lazarus vnus erat è diſcumbentibus, Martha miniſtrabat, Maria vnxit vnguento pedes Ieſu, & quod ſuperfuit effudit ſuper caput eius: Chriſtus autem eius factum contra Iudam murmurantem defendit, & opus miſericordiæ, quale mortuis conferri ſolet in funebri officio, erga ſe factum profeſſus eſt.

Con-

confluxerunt eo multi, vt Ieſum viderent, & Lazarum, quem ſuſcitarat à mortuis: quē ideo principes ſacerdotum inuidia furentes occidere cogitarūt. Poſtridie Sabbathi, qui eſt dominicus dies, fuitque tunc Martii vigeſimus, venit Ieſus Hieroſolymam inſidens aſinæ, cui cum ramis & canticis occurrit turba plurima, ad quorum lætitiam Dominus præuiſam Hieroſolymorum ruinam paterno affectu defleuit, vt ſolent patres filiis in phreneſi concinentibus. Inde ingreſſus eſt Hieroſolymam, & commota eſt vniuerſa ciuitas, gratulans Ieſu Prophetæ à Nazareth; Pharizæis interim frementibus, & dicentibus, *Videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus poſt eum abijt.* *Excipitur Ieroſolymis cum ramis palmarum.*

INGRESSVS inde in templum cæcos & claudos ibi ſanauit, & ſcribas indignantes de puerorum canticis repulit, & gentilibus quibuſdam Ieſum videre cupiētibus, Chriſtus imminentem mortem ſuam, & fructum ex ea, in ſalutem omnium hominum oriturum prædicit, quando & vox de cœlo ad eum delata eſt prædictionem confirmans. Cumque nemo auderet Ieſum hoſpitio excipere, *circumſpectis omnibus, cum iam veſpera eſſet, rediit in Bethaniam cum diſcipulis, ibique manſit.* XXII. *Templum adit, & quæ ibi geſſerit.*

Et altera die mane, feria ſcilicet 2. Martii 21. reuertens è Bethania in ciuitatem eſuriit, & ficulneam maledictione areſecit: & ingreſſus in templum ementes & vendentes eiecit, vt ex Marco[a] intelligitur, exprobrans eis quod domum Dei facerent ſpeluncam latronum. Et cum veſpera facta eſſet, egrediebatur de ciuitate, inquit Marcus v. 19. qui & ſubdit de ſequenti die. *Eodem poſtridie redit.*

a Marc. 11. v. 12. & 13.

ET mane, feria nimirum tertia, Martii 22. viderunt ficum aridam factam à radicibus: quod cum Petrus miraretur audiuit à Domino quanta vis eſſet fidei & orationis. Et venerunt rurſus Hieroſolymam, & cum ambularet in templo, (quotidie enim hoc tempore docebat in templo, vt ait Lucas c. 19.) vnde paulo poſt, captus à cohorte militari, exprobrans dicebat, *quotidie eram apud vos in templo docens, & non me tenuiſtis.*[b] In templo ergo circumſteterunt eum ſcribæ & ſeniores, quærentes qua poteſtate hæc faceret, eiiceret ſcilicet vendentes de templo, permitteret ſibi à turbis acclamari, &c. Sed Dominus altera interrogatione de Ioannis baptiſmo os illis obſtruxit. Addidit etiam parabolā hominis, qui habebat duos filios, quorum alter verbo inobediens fuit, alter autem facto. Et rurſus alterā patrisfamilias, qui vineā, locauit agricolis homicidis: qua cum ſe perſtrictos ſentirent, voluerunt in eum manus mittere, ſed populi metu abſtinuerūt. XXIII. *Ficus areſacta.* *Colloquia cum Iudæis per parabolas.*

b Mar. 14. 49.

TERTIAM quoq; adiecit[c] de homine rege, qui fecit nuptias filio ſuo, ad quas inuitati venire noluerūt, & inſuper contumeliis affecerunt regis ſeruos, ſed nō impune. Rex quippe *miſſis exercitibus ſuis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum ſuccendit.* Deinde conuocari iuſſit Rex omnes obuios in quibus qui non habebat veſtē nuptialem ſupplicio affectus eſt. Quibus omnibus reprobatio Iudęorū, & vocatio gentium obſcure ſignificabatur. Quibus illi non ſolum emendati non ſunt, ſed etiam ſtudio perdendi doctorem ſuum, inierunt conſilium de eo capiēdo in ſermone, circa ſolutionem tributi dandi Cæſari: ſed diuina ſapientia irriſit eos, & confuſos à ſe dimiſit. Sadducæorum quoque quæſtionem contra reſurrectionem, de ſeptem maritorum vxore, ita diſſoluit, vt dicerent. Magiſter bene dixiſti, nec auderent vltra interrogare.[d] XXIV. *Indicat reprobationē Iudæorum, & Gentiū vocationē.* *Sadducæis ſilentium imponit.*

c Matt. 22.

AT Phariſæi æmuli Sadducæorum, audientes quod ſilentium iſtis impoſuiſſet, eum de magno legis mandato tentantes interrogarunt; qui & ipſi coacti ſunt teſtimonium perhibere veritati, dicentes, bene magiſter in veritate dixiſti. Sed eos viceuerſa interrogauit Dominus cuius filius eſſet Chriſtus. Cui quæſtioni cum ignari diuinæ incarnationis, ſatisfacere nequiuiſſent, nemo deinceps auſus eſt eum amplius interrogare.[e] Cum autem eorum correctio deſperata eſſet, turbas, diſcipuloſque ſuos monuit de prauis ipſorum moribus, ne exemplo eorum deprauarentur: præcipiens tamen vt eorum doctrinam & præcepta ſeruarent.[f] In eos autem tam ſeuera obiurgatione inuehitur, vt octies eis maledictionem interminetur: addida nihilominus paterna commiſeratione ob ruinam Hieroſolymitanorum occidentium Prophetas, & lapidantium eos, qui ad ſe miſſi eſſent, & negligentium paternam erga ſe Chriſti ſollicitudinem. XXV. *Et Phariſæis; quos etiam ſeuere obiurgat.*

d Matt. 22. Mar. 12. Luc. 20.

e Matt. 22.

f Matt. 23. Mar. 12. Luc. 20.

QVIBVS dictis, & laudata oblatione pauperculæ viduæ, egreſſus eſt de templo: cuius cum magnificentiam, ſtructuræ diſcipuli magiſtro demonſtra- XXVI. *Prædicit ruinam tēpli, & vrbis, & mundi.*

rent, ab eo tam templi quam vrbis luctuoſam deſtructionem didicerunt: quibus cõſequenter, tanquam figuræ rem figuratam, res aduerſas iuſtorum vſque ad finem mundi ſubnectit. Nominatim quæ ſũt de Antichriſto, & ſignis imminentis Iudicii, & aduentus ſecundi Filii hominis: docens etiam quomodo nos ad eius aduentum parare debeamus: allata de decem Virginibus parabola, & altera de diſtributis talentis, de quibus rationem exacturus ſit Dominus rediens ad ſeruos ſuos. Sed mox relicta parabola, quam ſeuerum iudicium facturus ſit, quam ſententiã pro bonis, & contra improbos laturus, apertiſſima oratione pronũciat. Matt. 25.

Et hæc feria 3. dicta ſunt, ad cuius veſperam, ſicut & prioribus diebus, Chriſtus montem Oliueti adiit, ibique pernoctauit, vt autor eſt Lucas.[a]

XXVII. Iudæis de Chriſto capiendo, conſultantibus ſuperuenit Iudas.

FERIA vero 4. cum conſummaſſet Ieſus ſermones hos omnes, denunciauit poſt biduum, computato præſenti die ac ſequenti, id eſt 23. & 24. Martii, fore Paſcha, & ſe traditum iri Iudæis, vt crucifigeretur. Quo tempore congregati ſunt principes ſacerdotum, & ſeniores populi in atrium principis ſacerdotum, conſultantes de Ieſu dolo tenendo & occidendo; quando Iudas, qui iamdudum gemebat damnum in vnguento effuſo factum ante paucos dies, venit ad eos, & cum eis pactus eſt ſe pretio 30. argenteorum eum traditurum, id eſt 30. ſiclorum, quorum ſinguli cum ſemunciam penderent, valebant 27. ſolidis cum dim. quoniam argenti vncia æſtimatur hoc tempore 55. ſolidis Turon. Tota ergo ſumma fuit 36. Franc. cum quadrante: quæ eſt etiam Villalpandi ſententia,[b] & Ianſenii Concord. c. 128. Emanuelis Sá, in notis in Matth. & in ſcholiis. Vatabl. in 26. Matth. & ibid. Maldonat. Cenalis l. de pond. & menſ. c. de Siclo, & eius abaco. Suaris, &[c] Baradii.[d]

Quis valor 30. argenteorum.

[a] c. 21. 37.

[b] c. 3. in Eze. p. 2. l. 2. c 30

XXVIII. Non eſſe libras argenti.

BARONIVS 30. argenteos totidem argenti libras æſtimat, id eſt 330. coron. 60. ſolid. ſingulos: quoniam ſingulæ libræ valent 11. aureis, vncia vero 55. ſolidis. Verum cum hæc pecunia apud Zachariam per ironiam dicatur, decorum pretium, non videtur ea phraſis triginta libris argenti ſatis conuenire. Et confirmatur ex D. Hieronymo, qui id precium vocat vilis mancipii. Nec ſatis credibile eſt Iudæos obtuliſſe 30. libras argenti proditori, pro opere exigui laboris: præſertim cum ſe ille vltro non rogatus aut quæſitus obtuliſſet, vt ait Suares l. c. Nam quod ea ex pecunia dicitur emptus ager in ſepulturam peregrinorum, multum roboraret hanc ſententiam, ſi probari poſſet ea ſola pecunia illum emptum fuiſſe.

[c] diſp 34. ſec. 1. in t. 2. 3. p.

[d] t. 4. l. 2. c. 10. ſi.

cap. 11. 13. [illegible] δοκιμάσθην ὑπ. ſeptuag.

Quæ geſta feria quinta.

Sequitur feria quinta, quam Lucas ca. 22. vocat diem azymorum, quia ad eius veſperam incipiebat eſus azymorum: & ne ambiguum eſſet, volens ſignificare lunam decimã quartam, addit, *in qua neceſſe erat occidi Paſcha*. D. etiam Marcus eũdem diem vocat primum azymorum, ſed ne id de decimo quinto die acciperetur, addit *quando Paſcha immolabant*.[e] Hac ergo die, quæ fuit 24. Martii, miſit Dominus Petrum & Ioannem ad parandum Paſcha; quod cum ille feciſſet, veſpere facto venit Dominus cum 12. Et cum agnum tanquam Paterfamilias ſacrificaſſet, eo mox aſſato, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo.

Agni eſus.

[e] c. 14. 12.

XXIX. Lotio pedũ, & Euchariſtiæ inſtitutio.

POST agni eſum, figuris veritatem ſufficere volens, & magnum Euchariſtiæ myſterium inſtituere, ſurrexit à cœna, & poſitis veſtimentis, lauit pedes diſcipulorum, Petro præ humilitate aliquandiu reſiſtente. Quo humilitatis, & charitatis exemplo tradito, ſimulque indicata puritate animi, qua cum ſumenda eſſet Euchariſtia, eam ſolennibus verbis conficit, ac conſecrat, diſtribuitque omnibus, præcipiens vt in poſterum idem in ſui memoriam facerent.

In cœna cõmuni Iudas occulte proditur.

Hanc celebritatem ſecuta eſt cœna communis, in qua Dominus prædicit ſe traditum iri Iudæis ab vno diſcipulorum, qui cum ipſo menſæ accumberet. Quo nuncio perterrefactis omnibus, ſinguliſque de ſe ſollicitis, & innocentiæ teſtimonium à Præceptore poſtulantibus, Dominus eum non patefecit publice, vt ſi vellet adhuc reſipiſceret. Eum tamen Ioanni, intincto pane illi præbito, indicauit: qua buccella accepta, Ieſu eũ dimittente, exiuit foras. Ex quo rerum ordine intelligitur, tum Iudam participem fuiſſe Euchariſtiæ, tum buccellam intinctam non fuiſſe Euchariſtiam, quãuis poſt eam Satanas dicatur introiſſe in illũ. Iam quidem introierat in illum, cum miſerat in cor eius, vt traderet magiſtrum: nunc autem permittente Domino executionem, ad pleniorem poſſeſſionem intrauit; interprete S. Auguſt. tract. 62. in Ioan.

Cvm autem ille exiſſet, & Chriſtus ſe clarificatum eſſe diceret, & iterum clarificatum iri, diſcipuli id de Chriſti morte intelligentes, de ſucceſſore, & primatu inter ſe agere cœperunt; ſed eam diſputationem propoſita ſua humilitate diſcuſſit; addita etiam communis honoris promiſſione in die iudicii, & in regno Dei; moxque de ſuo diſceſſu ſermonem inferens, *Filioli*, inquit, *adhuc modicum vobiſcum ſum*, moxq; nouũ eis mutuæ dilectionis mandatum iniungit. Quoniam vero dicebat Dominus ſecũ eos ire non poſſe, Petrus animoſe paratũ ſe exhibet ad carcerem, & mortem: cui Dominus trinam negationem prædicit, ante ſecundum Galli cantum. XXX. *Contentio Apoſtolorum de primatu.* *Prædicta Petro negatio.*

Quæ cum Petrum, & cæteros, qui eadem cum Petro pollicebantur, vehementer perturbarent, intulit ſermonem Dominus ad eos conſolandos, & contra imminens crucis ſcandalum confirmandos, quæ oratio 14. 15. & 16. capite Euangelii Ioannis continetur, & illis verbis terminatur. *In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum.*

Eam excepit oratio ad patrem,[a] ad quẽ mox erat tranſiturus, qua ſuos, more boni patris familias, illi commendat, vt ab eo protegantur, & per ipſius merita ſanctificentur. Nec pro eis tantum rogauit, ſed & pro nobis, qui deinceps per eorum prædicationem credituri eramus in ipſum. Quæ omnia, vt ait Suares,[b] poſt ſolis occaſum inchoata, Agni ſcilicet eius, ablutio pedum, inſtitutio Euchariſtiæ, cœna communis, dimiſſio Iudæ, & ſermo prolixus à Ioanne ſummatim recitatus, hęc, inquit, omnia non potuerunt certe paucioribus quam tribus, vel fortaſſe etiam quatuor horis perfici. Sic ipſe fere. Ex quo intelligitur ſi Chriſtus ſub horam ſextam veſpertinam cœnauit, nam illa hora Sol in æquinoctio occidit, ſub horam decimam egreſſum, & profectum ad montem Olиueti.

[a] Ioan. 17. — XXXI. *Chriſti oratio ad Patrem.*

[b] diſp. 40. ſect. 7.

His ita tranſactis, & hymno dicto, egreſſus eſt Ieſus cum diſcipulis ſuis domo in qua cœnatum fuerat, & ciuitate, itinere ad montem Olиueti ſumpto; ſed in villa Gethſemani relictis reliquis Apoſtolis, tres ſecum in montem deduxit: quibus orare iuſſis, progreditur ad orationẽ, in qua ſumma cum humilitate, atque angore animi corporiſque erat. Non enim poſitis ſolum humi genibus orauit, quod ait Lucas, ſed deinde etiam *procidit in faciem ſuam ſuper terram*, vt aiunt Matthæus, & Marcus. Triſtitiam autem immenſam illa primum verba aperte teſtantur, *Triſtis eſt anima mea, vſque ad mortẽ*, & illa poſtrema, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me.* Ergo mirum in modum triſtitia, pauore, tædio afflictus, ſemel, iterum, tertio orat, vt tranſeat ab ipſo calix amariſſimæ Paſſionis. Quando apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum: & factus in agonia prolixius orabat, & factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Addo his ſubinde nonnulla carmina, quæ pii lectoris curſum fructuoſe, vt ſpero, vel tantillum morentur: & addam authoris nomen cum occurret. Sic ergo in hoc myſterio cecinit vnus è noſtris Patribus. XXXII. *Abit in montem & orat.*

Gualfreduccius in Hieromenus.

Cum Deus immani transfixus pectora telo,
Sollicitus mæſto funderet ore preces.
Purpureum videre imbrem, ſenſere dolorem, (.·.)
Viſaque ſunt tales reddere ſaxa ſonos.
Huc pater, huc roſeas guttas, molleſcimus vltro,
Reddita ſunt hominum ſi fera corda ſilex.

De Angelo vero confortante.

Obſcura ſub nocte preces cum Rector Olympi.
Funderet, immiti ſaucius enſe animum; (.·.)
Vltima cæleſti ſolatia miſſus ab arce,
Lætitiæ autori nuntius ore tulit.
Miraris famulum veniſſe arcere dolorem,
Principis? optabat totus adeſſe polus.

Cvmqve tertio ad diſcipulos veniſſet, ſuperuenere qui à Pontificibus & Phariſæis miſſi fuerant, cum cohorte militari, quorum ductor erat Iudas, qui oſculo Ieſum turbis ſatellitum prodit. At Ieſus progreſſus, eos verbo primum pro- XXXIII. *Capitur, & ducitur ad Pontif.*

ſtratos, verbo erigit, & ſuis abire permiſſis, factaque ſui capiendi poteſtate, fruſtra reſiſtente Petro, magno tumultu capitur, crudeliterq; ligatur. Id apparet ſub mediam noctem factum eſſe. Nam in itinere aliquid tẽporis poſitum eſt, vſq; ad Gethſemani, & Oliueti montem. Inde videtur vna hora à Chriſto in oratione poſita; cum diſcipulis exprobraret, non potuiſſe eos ſecum vna hora vigilare, & tamen ſecundo & tertio ad orationem rediit, vt appareat ſub mediam noctem Chriſtum, in fine ſecundæ vigiliæ, fuiſſe comprehenſum, reductumque trans torrentem Cedron, vbi quidam impletum exiſtimant illud, *de torrente in via bibit.*

XXXIV. *Geſta apud Caypham.* INGENTI tumultu Hieroſolymam trahitur, & ſuadente commoditate viæ, & dignitate perſonæ, ducitur primum ad Annam ſocerum Cayphæ Pontificis, indeque ad Pontificem ipſum, in cuius domo facta eſt interrogatio de Chriſti doctrina, & diſcipulis eius: ibidem accuſatur, adiuratur, percutitur, reus mortis per tumultum inconſultiſſime proclamatur, & indigniſſimis tractatur modis. Ibidem Petrus ter Dominum negauit, & aſpectu eiuſdem Domini tactus, *egreſſus foras fleuit amare.* Hæc porro omnia eadem nocte in domo Cayphæ peracta ſunt; licet ex Ioanne videri poſſit vna negatio, & Chriſti prima examinatio facta in domo Annæ. Conſentiens tamen doctiſſimorum interpretum ſententia eſt, nullam factam fuiſſe moram in domo Annæ, ſed ei tantum oſtenſum, honoris & gratulationis cauſa, captiuum; Itaque illa verba Ioannis. *Et miſit eum Annas ligatum ad Caypham Pontificem,* per parentheſim legunt, & *miſit* interpretantur, *miſerat.* Ita Ianſenius c. 138. Concordiæ. Emanuel Sà, & Mariana in notis, & ſcholiis, Tolet. in Ioan.[a] Varablus in eandem locum. Maldon. in 26. Matth.[b] Baradius,[c] & Suares,[d] à quibus & alii citantur antiqui, & recentiores. Nec repugnat hiſce. Baron. in an. Chriſti 34. n. 70. & 71. Licet interrogationem de diſcipulis & de doctrina Chriſti factam putet ab Anna præſide magni concilii Sanedrin, in domo ſua.

[a] cap. 18. annot. 11.
[b] v. 57. 71.
[c] t. 4. l. 6. c. 18.
[d] diſp. 35. init. & ſec. 1

XXXV. *Quæ ibidẽ reliqua nocte geſta.* HÆC porro duraſſe vſque ad ſecundum galli cantum, qui contingit ſub horam tertiam, vel quartam poſt noctis medium, ſatis probabile eſt, quando Petrus exiuit foras, negationis crimen amara deploratione deleturus. Nam S. Lucas inter ſecundam & tertiam negationem, ait interuallum factam quaſi horæ vnius. Reliquum noctis tempus, vſque ad primam diei horam, in diuexando Chriſto à ſatellitibus ponitur. Nam *tunc*, inquiunt Euangeliſtæ, *viri qui tenebant eum illudebant ei cædentes, & expuerunt in faciem eius, & velauerunt eam, & colaphis eũ ceciderũt; alij autem palmas in faciem eius dederunt, & percutiebant faciẽ eius dicentes, Propheti̇za nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit, & alia multa blaſphemantes dicebant in eum.* Vbi habes quinque genera iniuriarum Chriſto Domino irrogatarum, ſputa, velationem, colaphos, alapas, contumelias verborum: quibus Eſaias addit vellicationem genarum. *Corpus meum*, inquit, *dedi percutientibus, & genas meas vellentibus*, Hinc Poëta. Cap. 50. 6.

Sordida diuinum maculant ſputamina vultum,
Sideroſque oculos ſordida vela tegunt.
Diræ alapæ faciem, colaphi membra omnia pulſant,
Probra aures; tortor depilat vngue genas.
Talia Verbigenæ cum ſint exordia pugnæ,
Heu qualem finem ſcena cruenta dabit.

XXXVI. *Mane apud Pontificem damnatur.* MANE autem facto, prima ſcilicet hora diei, feria 6. luna 15. primo die azymorum, ſiue ſolennitatis Paſchalis, iuxta ea quæ ſuperius diſputata ſunt, conuenerunt principes Sacerdotum, & ſeniores populi, & concilium inierunt, vt Ieſum morti traderent, quippe quem iam mortis reũ Pontifex cum ſuis proxima nocte pronunciarant. Nihilominus eum in concilium ſuũ adducunt, & interrogant an eſſet Chriſtus: quod cum ille non negaſſet, imo & ſe filium Dei profeſſus eſſet, illi ſatis ſe inſtructos rati ad accuſandum eum apud Pilatum, & exigendam damnationem eius, eum vinctum ad Pilatum duxerunt. Interea Iudas videns Chriſtum morti adiudicatum, quem fortaſſe crediderat ſeſe ex eorum manibus erepturum, crudeli pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos: & dato de Magiſtri ſui innocentia teſtimonio, ad laqueum infelix, potius quam ad Petri lachrymas, & pœnitentiam confugit.

XXXVII. *Iudæi non intrant in Prætorium Pilati.*

CVM autem Iudæi Ieſum à domo Caiphæ ad Prætorium Pilati adduxiſſent, ipſi non introierunt in Prætorium, ne immundi effecti, non poſſent paſchalium ciborum eſſe participes; non enim Paſchæ nomine Paſchalem agnum intelligit Ioannes, quippe quem præcedenti veſpera comederant, ſed cibos paſchales quales memorantur in Deuteron. *Immolabiſque Phaſe Domino Deo tuo de ouibus, & de bobus, in loco quem elegerit*, &c. & Numer. 28. 19. ait primo die azymorum, cæteriſque immolandos vitulos & arietes. Et Ezechias in celebratione Paſchæ multa taurorum atque ouium millia diſtribuit populo, quæ ſanctificata ſunt à ſacerdotibus, & Leuitis: & populo item mundo & ſanctificato tradita: exceptis iis qui de tribubus aliis venerant; qui tamen, diſpenſante, & orante pro eorum ſanctificatione Ezechia, ciborum ſanctificatorum fuere participes,[a] quod etiam apertius exprimitur in celebritate Phaſe ſub Ioſia,[b] Quam expoſitionē ſequitur Suar.[c] Tolet. in Ioan.[d] Emanuel Sa in notis. Baradius[e] Baron. anno Chriſti, 34. n. 29. Abulen. 2. p. Defenſ. c. 8. Quibus ego libenter aſſentior.

cap. 16. 2.

An diſtulerint Paſcha.

a 2. Par. 30. 15. 18. &c.
b 2. Par. 35. v 7. & 8.
c diſp. 40. ſect. 4. ante fin.
d c. 18. & c. 13 annot 3. & 5.
e t. 4. l. 1. c. 6. & l. 7. c. 3.

Ianſenius tamen & Maldonatus, ille Concord. c. 41. hic in 26. Matth. & Mariana in notis ſequitur eorum ſententiam, qui negant Iudæos agnum comediſſe tempore a lege præſcripto, quando & Dominus comedit, voluntque nomine Paſchæ agnum Paſchalem intelligi: qui tamen ſatis a prædictis ſcriptoribus refutantur, vt non ſit neceſſe nos in ea re operam ponere longiorem: præſertim cum eum locum excutiamus in Præfatione huius ſexti voluminis.

XXXVIII. *Accuſatur Dominus apud Pilatum, & Herodem.*

APVD Pilatum igitur Iudæi Chriſtum variis criminibus onerant, tribus maxime, quas expreſſit Lucas. Hunc inuenimus, aiunt, ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum regem eſſe: quæ ſunt tria crimina imminutæ diuinæ atque humanæ maieſtatis. Quæ cum Præſes parum probabilia iudicaret, atque innocentem crederet, propterea que liberare eum vellet, aut ſeſe ab eo expedire, audito eum eſſe Galilæum, ad Herodem Antipam Galilææ tetrarcham, qui Hieroſolymis erat illis diebus, eum mittit; ſed is illum quaſi amentem, propter ſilentium eius, contemptum, & veſte alba indutum ad Pilatum remiſit: cumque Herodes eo facto Pilati, honorem ſibi exhibitum arbitraretur, ei reconciliatus eſt. Et hæc ad octauam fere horam peracta ſunt.[f]

f Suar. diſp. 40. ſect. 7.

XXXIX. *Poſtponitur Barrabæ.*

HORA octaua Chriſtus reducitur ad Pilatum; apud quem nouis accuſationibus impetitur à Iudæis, ad extorquendam ab eo Chriſti necem. At ille alteram eius liberandi viam tentat. Nam occaſione feſti, & priuilegii populi, dimittere illum conatur. Populus vero, perſuaſione Phariſæorum & Scribarum, teterrimum homicidam autori vitæ antetulerunt; & hoc etiam argumento confirmatur Chriſtum in die feſto Paſchæ à Iudæis ſacrilegis morti traditum, quo vtitur Suares.[g] Indigniſſimum furentis populi facinus, & inconſultiſſimam optionem Petrus Apoſtolus eis, hoc ipſo anno exprobrauit dicens:[h] *Vos ſanctum, & iuſtum negaſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis, auctorem vero vitæ interfeciſtis.*

g diſp. 40. ſec. 4. med.
h Act. 3. 14.

XL. *Iubet Præſes Dominū flagellari.*

EA ſpe depulſus Pilatus crudeli ſupplicio, indignoque opprobrio rabiem Iudæorum exaturare cupiens, Chriſtum flagellari iubet, & tanquam theatricum regem ignominioſiſſime illudi; quo facto nihil à barbaris ac feralibus hominibus conſecutus, iniuriis ac cruciatibus innocentis, eius vltimum ſupplicium accumulauit. Ex quo etiam intelligitur, quam luctuoſa eſſet conditio Chriſti Domini, in manibus tortorum, qui hoc ipſo miſericordia eum proſequi videbantur, quo eum crudelius verberibus lacerarent, quaſi eum hac carnificina, ſupplicio crucis erepturi. Eam cogitationem pie lector, vt cum guſtu rumines, tibi carmine ſigno.

O triſtis pietas, clementia ferrea, flagris
Perdere vt inſontem ſit pietatis opus.
Compatere innocuo, nimiumque indigna ferenti,
Debita erant furtis iſta flagella tuis.

Addo perelegans ignoti Poëtæ dyſtichum.

In virgas, in flagra datur, rigat atria ſanguis;
Verbera deficiunt, non patientis amor.

XLI. *Eius ſupplicij quanta crudelitas.* Crudeliſſime flagellatum fuiſſe, præter cauſam prædictam ſuadet primum Iſaiæ vaticinium. Et nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo. Alterum Iobi figura. Nam de vtroque veriſſimum eſt illud; *A planta pedis, vſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas*: quod inter alios S. Vincentius Chriſto applicat. Tertio quod ait idem vir ſanctus flagellatum primo ſpinis, & vepribus acutiſſimis, quos quidam ſcorpiones vocant, ſecundo flagellis aculeatis; tertio catenis hamatis. Denique idem confirmatur teſtimonio Beatiſſimæ Virginis apud S. Brigittam, minime contemnendo.[a] *Inſtante*, inquit, *tempore Paſſionis filij mei, inimici eius rapuerunt eum, percutientes eum in maxilla, & collo.* De flagellatione vero hæc ſubdit. *a l. 1. Reuel. c. 10.*

XLII. *Ex reuelatione S. Brigittæ.* Dvctvs *ad columnam, perſonaliter exuit veſtes ſuas*: quanto autem cum pudore quis effari queat?

Ecce verecundum quod contegit omnia corpus
Riſibus heu nudum, verberibuſque patet.

Pergit. *Manuſque ſuas applicuit ad columnam*; (dicens cum Dauide, *Quoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper.*) *quas inimici ad columnam alligauerunt.* Ad primum ictum ego, quæ aſtabam propinqua, cecidi quaſi mortua, & reſumpto ſpiritu vidi corpus eius flagellatum, vſque ad coſtas, ita vt coſtæ eius viderentur, & quod amarius erat, cum retraherentur flagella, carnes ipſis flagellis ſulcabantur. Cumque filius meus totus ſanguinolentus, totus ſic laceratus ſtaret, vt in eo non inueniretur ſanitas, nec quid flagellaretur, tunc vnus concitato in ſe ſpiritu, quæſiuit; Nunquid interficietis eum ſic iniudicatum? & ſtatim ſecuit vincula eius. Hæc ibi.

XLIII. *Nouum coronæ ſupplicium.* Non fuerunt hæc ſatis militibus immanitate barbaris, & manibus cruori aſſuetis. Itaq; regni affectati reum crudeli tormento ludificari parant, ne ſolum caput, cui flagra pepercerant, à ſupplicio immune foret. Ergo cum iam flagellis conſciſſus ac laceratus eſſet; *Milites* Præſidis *ſuſcipientes Ieſum in Prætorio, duxerunt eum in atrium Prætorij, & congregauerunt ad eum vniuerſam cohortem, & exuentes eum, clamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius, & genu flexo ante eum illudebant ei. Et cœperunt ſalutare eum dicentes, Aue Rex Iudæorum, & conſpuebant eum, & percutiebant caput eius arundine, & dabant ei alapas.*

XLIV. *Eiuſdemq; multiplex opprobrium.* Qvibvs verbis quatuor noua tormenti, totidemq; opprobrii genera crudeles parricidæ excogitarunt, atq; executi ſunt. Noua fuit ignominia, quod ante tantam multitudinem procacium virorum, quos, vt ferro & ſanguini aſſuetos, nihil tangeret miſeratio, nudus iterum exponitur. Nouum tormentum, quod veſtes cum ſanguine frigido iam concreſcentes exuendo, omnia vulnera renouata ſunt. Nouum opprobium, quod coccinea clamyde detrita, ac ſemilacera obtegitur, vt fatuus quiſpiam in plebeia ſcena. Nouum tormentum, quod præduris, atque oblongis ſpinis caput vndique cingitur, ac duobus & ſeptuaginta locis vulneratur, vt ſcribit S. Vincentius in ſermone de Paſſione: qui etiam totum caput, vſque ad verticem, quaſi pileo intectum putat corona ſpinea. Nouum dedecus, quod tam crudeli diademati conſentaneum ſceptrum arundinem coniungunt. Nouum ſupplicium, quod eo ſceptro pulſatur caput, & ſpinæ altius infiguntur. Noua ignominia, quod genu flexo ſubſannatur, deſpuitur, Rex Iudæorum, nequiſſimæ ſcilicet, viliſſimæque nationis vocitatur; iterata denique alaparum pœna cruciatur.

XLV. *Oſtenditur populo.* Et liceat illis quidem hoc tempore in ramno, vel marino iunco, tam inhumaniter inſanire, dum adueniat tempus, quo & miles & Iudæus magno optauerit emptum intactum agrum Dei. Interea tu Chriſtiane, dum

Horrentes capiti tribulos infigit arundo,
Reſpice quod Regis ſit diadema tui.

Reſpice; prodit enim, adducente eum foras Pilato, portans coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum: credibile etiam eſt arundineum ſceptrum non depoſuiſſe. Et dum populus Præſidem audit, vel contemnentis, vel compatientis affectu dicentem, *Ecce homo*, cupientem certe, tam triſti ac lugubri ſpectaculo, inuidiam odiumque æmulorum eius placare ac frangere, erga hominem quem

miles reddiderat commiſeratione potius æmulatione quam dignum: Tu eum attende dicentem tibi,

Et tribulos, & flagra tuli, mortiſque dolores,
Et poteris Domini non memor eſſe tui.

SED illi nihilominus, oblato ſibi tam luctuoſo ſpectaculo, hominis crudeliſſime cæſi, adeo vt à planta pedis ad verticem capitis non eſſet in eo ſanitas, hominis ſpinis coronati, arundineo ſceptro, & lacera purpura illuſi, hominis colaphis liuidi, & ſputis deformati, & ſuper hæc omnia ſancti, & diuini hominis, & tam bene de ſe meriti hominis, efferati, *inſtabant magnis vocitus poſtulantes, vt crucifigeretur.* At ſcribis & Phariſæis immane clamantibus; XLVI. *Repudiatur ab eo.*

Et vulgo horrendas exululante cruces,

Tu in amorem Domini tui, & commiſerationem dolorum eius inardeſcens, dicito cum intimo ſenſu,

Sic tibi compatiar, ſic te mea viſcera plagant
Hauriat vt ſenſus luctus amorque meos.
In lacrymas abeant oculi, in ſuſpiria pectus,
Effodiantque animum vulnera mille meum.

RELVCTABATVR adhuc Pilatus, partim intus obmurmurante conſciētia, partim foris vxore admonente; ſed metus Cæſaris vicit omnia. Sæuus enim erat Tiberius, & recens manus eius Conſulari Seiani ſanguine ſtillabant. Itaque rurſus proteſtatus hominis innocentiam, ablutis manibus condemnauit eum, tradiditque voluntati eorum; qui ſibi, ſuiſque inæſtimabilem cladem, & vindictam vltro accerſentes clamabant, *ſanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Lactantius nullam putat à Pilato prolatam fuiſſe contra Chriſtum ſententiam: ait enim.[a] Tum Pontius & illorum clamoribus, & Herodis Tetrarchæ inſtigatione, metuentis ne regno pelleretur, victus eſt. Nec tamen ipſe ſententiam protulit, ſed tradidit eum Iudæis, vt ipſi de illo ſecundum legem ſuam iudicarent. Itáque ſentit Franciſcus Lucas. Prolatam tamen ab eo fuiſſe ſententiam, cum plurimi cenſent, tum ex Euangelio colligi poteſt. Quorſum enim ſediſſet pro tribunali, & abluiſſet manus? ſat enim fuiſſet dicere, facite quod vultis, ego enim non inuenio in eo cauſam. At aliquid amplius ſignificat S. Lucas cum ait *Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum.* Et S. Cyprianus; Volebat pius magiſter, cum iam damnationis ſuæ dictaretur ſententia, & prope eſſet vt figeretur in cruce &c. Quibus autem verbis prolata fuerit, incertum eſt, etſi multæ circumferuntur. De quibus vide Cor. Stengelium in hiſtoria Paſſionis. XLVII. *Damnatur à Pilato.*

a l. 4. c. 18.

cap. 63.

IVDÆI Ieſum ſuæ traditum poteſtati exuunt purpurea clamyde, & induunt veſtimentis ſuis, vt agnitus maiore confuſione per vrbem circumduceretur. Sed ne ſola confuſione affligeretur, acceſſit tormentum geſtandæ crucis, cui ne immoreretur additus eſt Simon, ſiue adiutor, ſiue ſucceſſor. Non pigebit autem hoc loco referre, quæ Chriſtianus Adrichemius, in ſua Hieruſalem tradit ex idoneis, & fide dignis autoribus, qui loca ſancta pie ac religioſe obierunt, ac dimenſi ſunt. Viam ergo crucis à palatio Pilati vſque ad Caluariam ſic deſcribit. A Palatio, inquit, Pilati per 65. pedes ad locum proceſſit, vbi crux ei impoſita eſt. (Eſt autem ſubiecta linea quadrans pedis vnius apud ipſum,) vnde tota ſpectante vrbe ſuper ſaucios humeros ſuam baiulans crucem, verſus caurum per ducentos pedes, ad locum vbi primo cum cruce cecidiſſe traditur, progreſſus eſt. XLVIII. *Ducitur ad ſupplicium.*

n. 118.

65.
200. ped.

INDE ſtatim per 153. pedes ad locum perrexit, vbi B. Maria cum Ioanne filio ſuo occurrit. Hinc autem per 179. pedes, ad quoddam triuium peruentum eſt, vbi Simon Cyrenæus crucem poſt Ieſum portare coactus eſt. Iſtinc porro per 478. pedes, ad locum vbi ipſi Veronica occurrit. Atque illinc per 842. pedes, ad portam Iudiciariam, vbi rurſum cum cruce lapſus eſt, (portabat ergo eam ſimul cum Simone.) Deinde vero ardua, ſaxoſa, atque paulatim aſcendente via verſus ſeptentrionem proceſſit, per 872. pedes, ad biuium quoddam, vbi mulieres plorātes allocutus eſt. Atq; iſthinc continuo per 404. pedes ad radicem mōtis Caluariæ, vbi vltimo cecidit. Deinde vlterius per 45. pedes ad locum vbi carnifices ipſi veſtes extraxerunt, vbi & vino myrrato felle mixto potatus eſt, dein- XLIX. *Dimenſio itineris Chriſti.*

153.
179.
478.
842.
872.
404.
45.
30.
35.
3238.
65.
3303.

de per 30. pedes ad locum vbi clauis cruci affixus eſt. Inde poſtremo per triginta quinque pedes ad locum, vbi de cruce pendens, in foramine crucis Caluariæ fixus. A palatio itaque Pilati vſque ad locum, vbi crux rupi affixa fuit, ſunt greſſus, ſiue paſſus mille trecenti viginti & vnus (dat ſingulis duos pedes cum dimidio) ſiue pedes ter mille trecenti & tres. Hæc Adrichomius.

L. *Iter ad Caluariam.*

Longa vtiq; via eſt nocturnis præſertim diurniſque tormentis fracto, ac ne tantilla quidem quiete, cibo, potuue recreato, & ſub ingenti pondere patibuli languenti. Inſtillemus in aurem eius, probris licet conuitiiſque aduerſariorum oppletam, pauculos hoſce threnos rudes licet, vt, in aliquam lugentis conſolationem, cum eo lugente lugeamus.

Scribarum & populi Præſes clamoribus actus
Extorquere ſinit quam petiere crucem.
Nec mora, concurſu ſpecioſa per atria facto,
Inueniunt diræ cuncta parata neci.
Apparent ſacri minitantia pondera ligni,
Et crux optatam monſtrat adeſſe necem.
Inſontem ſontem ſi quis non nouerit, illi
Præco tubæ ſonitu vociferantis ait.
Crux Ieſum excipiet falſum indignata Prophetam,
Qui dabit extremos ore gementes ſonos.
O fera barbaries, gens ingratiſſima, ſaltem
Inſtrumenta ſuæ ne ferat ipſe necis.
Dum trahit, & trahitur, tanto dum membra fatiſcunt
Pondere, puniceo rore cruentat iter.
Heu quoties prono terram petis ore, ruenſque
Opprimeris tanto pondere Chriſte crucis.
Heu quoties veſtem calcans, pede pulſus, & haſta,
Nodoſoue humeros fuſte refuſus humi es.
Ergo effuſa ſolo nimio ſub pondere membra
Languebant, media iam moribunda via,
Et moriturus erat, formidabatque ſatelles
Ne fugientem animam funderet ante crucem:
Quando reuertentem videt aduentare Simonem,
Additus iſte tibi Chriſte trahendo comes.
Quis tibi luctus erat, luctis pie Chriſte tuorum,
Sed quam diſſimilis luctus vterque fuit!
Lumina fronſque tibi ſtellabant ſanguine, at illis
Sudorem & lacrymas lumina fronſque dabant.

LI. *Cruci figitur hora ſexta.*

Crvcifixvs eſt autem Dominus ſub horam ſextam. Nam cum teſte Ioanne,[a] Pilatus Chriſtum hora quaſi ſexta condemnarit, ſexta certe fuit, ſiue meridiana cum in Caluariam peruentum eſt. Eadem hora crucifixionis colligitur, ex Matthæo,[b] & Luca,[c] cum dicunt tenebras ab hora 6. vſque ad 9. factas eſſe, toto ſcilicet tempore, quo viuus in cruce pependit. Quod autem Marcus [d] ait hora tertia fuiſſe crucifixum, multas habet expoſitiones, quas Suares late perſequitur,[e] quarum maxime probabilis eſt, primam, tertiam, 6. & 9. horam, maxime celebres fuiſſe, quæ ternas ſecum horas traherent, ad modum nocturnarum vigiliarum. Itaque Marcus ait Chriſtum crucifixum hora 3. id eſt ſexta nondum inchoata, & 3. nondum finita. Ita interpretatur eum locum Suares ibid. & Emanuel Sà in notis, Maldon. in c. 27. Matth.[f] Paradius,[g] Baronius in ann. Chriſti 34.[h] Torniellus.[i] Ianſen.[k] Tolet.[l] Ex antiquis D. Hieronymus, & Theophylactus mendum in numeros irrepſiſſe putant, quod non plane repudiat Tolet. ibid. Neque Mariana in notis in, Marcum.

[a] c. 19. 14. [b] 27. 45. [c] 23. 44. [d] c. 15. 25. [e] diſp. 40. ſect. 7. [f] v. 45. [g] t. 4. l. 7. c. 13 & 20. [h] n. 162. & ſeqq. [i] in anno vlt. n. 14. & ſeqq. [k] in c. 143. Concor. [l] in c. 19. Io. annot. 8.

LII. *Quæ ad mortem vſque contigerint.*

Hic porro fuit vltimus actus tragœdiæ huius, qua hora 6. cruci affixus eſt Dominus, & cum eo latrones duo, vt ex conſortio infamia creſceret. Additus eſt titulus cruci Rex Iudæorum, frementibus licet Iudæis apud Pilatum: acceſſerunt eorundem blaſphemiæ, & diuiſio militaris veſtimentorum eius, pro quibus manſuetiſſimus agnus benedicebat, eis veniam cum lachrymis poſtulans, &

exauditus eſt pro ſua reuerentia. Et cum vnus latronum exempla illorum imitaretur, ſocium obiurgantem audiuit; quo charitatis officio mox diuinam regni cœleſtis promiſionem accepit. Inde aſtantem matrem diſcipulo commendat, & diſcipulum viciſſim matri, vt inter ſe matris filiique munera expleant. Deinde in ſumma deſolatione cordis à patre ſe derelictum lamentatur; cumque exhauſtus ſanguine ac viribus, ſitim ſuam profiteretur, aceto potatur. Denique conſummatis omnibus, ſub horam nonam, cum tres ipſas horas crucis diros cruciatus pertuliſſet (quo tempore Sol Domino quodammodo compatiens, tenebras induxit in vniuerſam terram) ſpiritum ſuum Patri ſonora voce commendans, inclinato capite, in ſignum obedientiæ ad crucis vſque mortem perfectæ, ſpiritum, quem in ſua poteſtate habebat, emiſit. Creditur enim eũ retinuiſſe diutius, & alioqui citius naturam humanam cedentem ſuppliciorum acerbitati, vitam fuiſſe finituram.

LIII. *Prodigia à Chriſti morte qualia.*

Statimqve crebreſcunt prodigia, non quæ diſperdant ſceleratiſſimos homicidas, non euomit tellus incendia, quæ Hieroſolymam, aliaque circum loca late populentur, non cœlum horrendis remugit tonitruum fragoribus, non crebra fulmina in ſceleſtorum capita iaculatur, non denſa grandinis procella brutas animantes hominesque diſperdit, non cœli cataractas aperit, in nouam terrarum eluuionem, non concuſſione terræ ciuitates abſorbet. (nam quæ memorantur Aſiæ ciuitates, terra diſcedente atque dehiſcente periiſſe, ante annos ferme quindecim, Tiberii principatus anno quarto perierunt.) Obſtabat quippe efficax illa vox moribundi Saluatoris, *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Crebreſcunt nihilominus prodigia è cœlo, è terra, ex inferis, quæ fidem veriſſimi Redemptoris ſtabiliant; quæ peccatorum duriſſima corda ad pœnitentiam molliant, & aditum ad æternam vitam mortalibus hac morte reſeratum eſſe teſtentur.

Coſſ. Cæcilio Ruſo & Pōp. Flacc. a. V. C. 769.

LIV. *Eclipſis Solis & Lunæ*

Primvm enim Sol ſuæ reſtitutus eſt luci, qua tribus totis horis Chriſto patiente caruerat. *Videturque mihi*, ait Hieronymus, *clariſſimum lumen mundi, hoc eſt luminare maius retraxiſſe radios ſuos, ne aut pendentem videret Dominum, aut impij blaſphemantes ſua luce fruerentur.* S. quoque Cyprianus de bono Patientiæ. *Cum Sol*, inquit, *& radios, & oculos ſuos ſubtrahat, ne Iudæorum facinus aſpicere cogatur.* Verum hæc populariter dicta ſunt, aut poëticè: teſtem enim habemus oculatum Magnum Areopagitam, qui Heliopoli in Ægypto tunc vidit Lunam, Solem inter & terram poſitam ingenti miraculo. Nam incurſus ille Lunæ in Solem diuturnior fuit, quam natura ferat, & quod caput eſt, ille concurſus contingebat in plenilunio, qui naturaliter ſub nouilunium contingit. Nec minore miraculo Luna, mox in ſuum regreſſa eſt locum, vbi naturaliter eclipſim paſſa eſt, ſub Solis occaſum, & Chriſti Domini ſepulturam, vt notant Mathematici in hunc ipſum diem. Significat etiam Ioël Lunam hoc tempore viſam eſſe ſanguinolentam, cum ait, *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* Nam S. Hieron. ibi, *Sol*, inquit, *eſt verſus in tenebras, quando pendentem Dominum ſuum videre non auſus eſt, & Luna in ſanguinem; quod aut iuxta hiſtoriam factum eſſe credamus, & ab Euangeliſtis ſilentio prætermiſſum, aut &c.*

Epiſt. 7. ad Polycar. Epiſt. 11. ad Apolloph.

Bunting. in hunc diem.

Luna ſanguinolenta.

LV. *Sciſſio veli templi.*

Altervm prodigium in velo templi ſponte ſua bifariam diſciſſo, Deo quodammodo veſtem ſuam in morte crudeliſſima filii ſui dilacerante. Id tanto ante Sibylla prædixerat, apud S. Auguſt. & Lactantium. Templi vero ſcindetur velum, & medio die Nox erit tenebroſa, & prodigioſa tribus horis. Fuiſſe autē velum quo tegebatur oraculum, ſiue ſanctum ſanctorum, affirmat Sanctus Leo, Cyrillus, Beda, Euthy. & Theophyl. eoque facto indicatum ſecreta Iudæorum, prophana, aperta, & cunctis expoſita eſſe reddita. S. autem Hieronymus, & Origenes de exteriore velo ſciſſionem interpretātur. At Arias Montanus negat in templo Salomonico geminum fuiſſe velum; ac ne in ſecundo quidem templo, quamuis repugnante Ioſepho. In ſumma pluribus placere video ſciſſum fuiſſe velum illud ſacratius, illudque miraculum ſacerdotibus conuertendis fuiſſe deſtinatum.

l. 18. de Ciu. cap. 23. l. 4 c. 19. eius verba ſunt Ναοῦ δ' ἐσχισθῇ τὸ πέτασμα, ϗ ἤματι μέσσῳ Νὺξ ἔσται σκοτόεσσα πελώριος ἐν τρισὶν ὥραις in Mat. 27. l. 6. de bell. c. 6.

LVI. *Diſceſſus Spiritus ſãcti.*

Sed auget hoc miraculum S. Ephrem Syrus; *Spiritus ipſe Sanctus conſpiciens dilectum filium patris in ligno crucis pendentem, rupto mundiſſimo illo templi velo, quod a*

ſurſum erat, vſque deorſum, in ſpecie columbæ continuo de templo exiuit. Id prius etiam Tertulliano agnitum videtur, cum ait, *Sciſſum eſt templi velum, Angeli eruptione derelinquentis filiam Sionis.* Et author ſermonis contra Iudæos, apud S. Cyprianum. *Angelus in pœnitentiam conciſo velamine refugit.* Addit S. Hieronymus. *In Euangelio cuius ſæpe facimus mentionem*, Nazaræorum ſcilicet, *ſuperliminare templi infinitæ magnitudinis fractum eſſe, atque diuiſum legimus.* Neque improbabile eſt id terræ motu, qui tunc quoque factus eſt, contigiſſe, quem Origenes affirmat terræ Iudæ fuiſſe peculiarem, ſicut & ſignum veli, & ſciſſarum petrarum: de quibus S. Cyryllus Hieroſolymitanus antiſtes. Golgothas hic ſanctus, qui ſic elatus eſt, & ad hodiernum diem apparet, & hactenus monſtrat, vbi propter Chriſtum petræ ſciſſæ ſunt. D. Anſelmus in lib. de Paſſione Domini teſtatur lapidem, cui crux Chriſti Domini erat impoſita, tunc diſruptum fuiſſe. Extantque nunc Romæ in templo S. Ioannis Lateranenſis columnæ marmoreæ, Hieroſolymis translatæ, quæ per medium fiſſæ conſpiciuntur. Vt intelligeretur facile eſſe Domino ſcindere medios tanti ſceleris authores, per vltores Angelos ſuos.

In cap 27. Matth. — *Terræ motus.* — *Catech. 13.* — *Sciſſio petrarum.*

LVII. *Sepulchra patefacta.* MONVMENTA quoque aperta ſunt, non vtique ſola vi concuſſæ terræ, alioqui horrendas clades vniuerſæ vrbi attuliſſet ille motus; ſed Dei Angelorum miniſterio vtentis. Erant enim, vt plurimum, ſepulchris impoſiti lapides valde magni: aperta autem oſtenderunt corpora pleraque integra aromatibus condita, quæ poſt Chriſti reſurrectionem, in teſtimonium eius ab inferis excitati, reſurrexerunt, & venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparunt multis. Poſt reſurrectionem, inquam, fuit enim Chriſtus primitiæ dormientium, nec obſcure id dicit Euangeliſta. *Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, venerunt &c.* quod notauit S. Hieron. Apertio autem ſepulchrorum, communem prænunciabat corporum noſtrorum reſurrectionem, ſed maxime propinquam Chriſti Domini, & eorum qui eius teſtes erant futuri.

LVIII. *Reſurrectio Sanctorum.* DENIQVE multa corpora ſanctorum, qui dormierant ſurrexerunt: eorum ſcilicet qui in fide Meſſiæ, & in charitate Dei mortem obierant; perditis enim, & in inferno ſepultis hæc gratia facta non eſt. Sed de ſanctis, vtrum antiquis an recentioribus, id priuilegium datum fuerit ambigitur. Nam magnitudo ſanctitatis videtur antiquioribus fauere, excepto ſancto Præcurſore: ſed ratio huius teſtimonii videtur exigere, vt à perſonis cognitis, propterea que eius memoriæ, id teſtimonium daretur, ne non vera corpora, ſed phantaſmata putarentur. Dici poteſt aliquos de vtriſque reſurrexiſſe. Nam de Iobo id idoneis teſtibus docuimus anno Moſis 81. Eoque referri poteſt illud; *Et in carne mea videbo Deum Saluatorem meum.* De Iacobo item Iſraëlitarũ omnium parente: forte etiam de Moſe idẽ dici poſſet, qui euocatus paulo ante fuerat à Domino ad transfigurationem.

Nu. 791. — *a m. 2345. n. 3.*

LIX. *An ad immortalitatem.* ILLVD maiorem habet dubitationem, reſurrexerint ne ad vitam beatam, atque immortalem, an vero poſt datum de Chriſti Domini reſurrectione teſtimonium, iterum defuncti fuerint. Nam beatitudo animarum, qua donati ſunt viſa diuina Chriſti anima, exigebat corpora beata & immortalia: eiſque ſi rurſum contigit mori, non priuilegium factum eſt, ſed non leuis irrogata pœna iterum moriendi, nulla interim ſuperueniente culpa. Denique vt verbo, & exemplo ſuo Chriſtum, & ſeipſos reſurrexiſſe docebant, ita ſi iterum illi morerentur, ſuſpicionem darent nullam futuram reſurrectionem ad immortalitatem. Et hæc videtur ſententia S. Epiphan. S. Ambroſii, & S. Hieronymi, qui ſanctam ciuitatem, in qua apparuiſſe dicuntur, etiam de cœleſti Ieruſalem interpretantur. Eſt & S. Remigii, & S. Thomæ in 27. Matthæi.

Hæreſ. 75.

LX. *Non videri* CONTRARIA nihilominus ſententia videtur probabilior; cuius patronus eſt Apoſtolus ad Hebræos. qui negat ſanctos veteris teſtamenti conſummationem accepturos, ſine aliis ſanctis, corporibus ſcilicet & animabus ſuprema beatitudine donatis. Hæc eſt enim integra, & perfecta remuneratio, quam ibi Paulus ſignificat illo verbo, τελειωθῶσι. Nam animæ beatitudinem, ſine aliis ſanctis, in Chriſti morte receperunt. Legimus quoque apud S. Brigittam Beatiſſ. Virginem ita locutam. Animæ ſanctorum qui ſurrexerunt, cum filio meo aſcenderunt, ſed corpora expectant reſurrectionem &c. & alio loco. Scias, inquit, quod nullum corpus humanum in cœlo eſt, niſi corpusglorioſum filii mei, & corpus

l. 6 c. 94. l. 7. c. 28.

meum &c. Idem ſentit Auguſt. ep. 99. ad Euod. Theophyl. Euthymius. Et fauet ratio iſti ſententiæ. Sicut enim Moſes perfunctus munere, ob quod venerat ad transfigurationem, iterum quieuit in pace; ita & iſti, dato reſurrectionis Chriſti teſtimonio, iis qui Chriſtum ipſum videre poſt reſurrectionem eius non merebantur.

LXI. *Refellitur prior ſententia.*

Qvamvis autem beatis animabus beata corpora debeantur, quod ad perpetuum quidem ſtatum attinet, ad breue tamen tempus potuit Deus illis vitam in corpore mortalem dare, cum ipſi Chriſto ad triginta tres annos data fuerit. Neque vero datum eſt iſtis reſurrectionis priuilegium, ſed teſtificationis officium, quo perfuncti rurſum obdormierunt, vt ille quem S. Staniſlaus excitauit: & quidem ſine vllo dolore, Domino ita diſpenſante; vt Baradius nominatim affirmat. Non fuit autem neceſſarium eoſdem verbo, & exemplo teſtes fieri reſurrectionis, ſed verbo tantum, Chriſto autem ſingulare priuilegium hoc tempore debebatur, vt reſurgeret ad immortalitatem, & mors ei vltra non dominaretur. Et cum iſti Iudæis ſe reſurrexiſſe oſtenderunt, animos diſpoſuerunt ad credendam reſurrectionem ad immortalitatem, quam mox eis Apoſtoli prædicaturi erant. (t. 4. l. 7. c. 21 n. 21.)

LXII. *Teſtimoniũ pro Chriſti innocentia.*

His ergo prodigiis commoti ſunt circunſtantes, reuerſique ſunt percutientes pectora ſua. Idque S. Lucas affirmat de vniuerſa turba, quæ ſimul aderat ad ſpectaculum iſtud: in qua turba maxima pars Iudæorum erat. De cæteris nominatim refertur, & quidem primo loco, ab omnibus Euangeliſtis Centurio, qui pro Chriſti innocentia teſtimonium perhibuit. *Vere*, inquit Centurio, *filius Dei erat iſte.* Addo hic etiam elegans pij Poëtæ teſtimonium.

Gualfreducii.

Dextra patet, patet immanes per fulminis ictus
Læua, patet pectus, pes & vterque patet.
Spina terebrato ſtat vertice: ſanguine manant,
Tempora: concretæ diriguere comæ,
Candida plagoſi laniarunt membra Cyclopes,
Ebria ſanguineo flumine terra natat.
Hauſit anhelanti linguam ſitis arida: tingit
Labra veneniferi ſellis amaricies.
Non fueram tanti Pater optime, fecit vt eſſem,
Qui tibi me tanti vendit, auarus amor.

LXIII. *Sepultura Domini.*

Cvm autem imminente ſabbatho corpora de cruce tollenda eſſent, ſiue ad perficiendam ſiue ad explorandam Chriſti mortem, vnus militum lancea latus eius aperuit, ſanguine ſimul & aqua inde decurrente. Secuta eſt honorifica ſepultura, impenſa à Nicodemo & Ioſepho ab Arimathia, in monumento nouo, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat; ne reſurrectio obnoxia eſſet calumniis Iudæorum, qui dicturi eſſent, non ipſum, ſed aliud quempiam reſurrexiſſe.

Exigeret hic locus, vt de Chriſti Domini ſindone aliquid diceremus; quo in argumento videmus Alphonſum Paleotum Bononienſem Archiepiſcopum diligenter eſſe verſatum: cuius deinde opus Daniel Mallonius copioſiſſimo commentario illuſtrauit; qui cum ſint in manibus, non viſum eſt actum agere.

LXIV. *Sindon Veſuntionenſis.*

Reqviraret potius hunc à nobis laborē Veſuntio, maxima, ac nobiliſſima Sequanorum ciuitas, in ea ſacroſancta explicanda ſindone, qua vrbs illa vehementer illuſtratur, quæ quotidie ab illius vrbis lectiſſimis ciuibus honore maximo, cultuque celebratur, & ſemel iterumque quotannis, maximo populorum concurſu, religioſiſſime viſitur; nec irrito labore. Quotidianis enim pene prodigiis diuinitus illuſtratur, quorum & nos ipſi teſtes ſumus: vbi demones rugiunt, & non Martyris alicuius lipſana, ſed Domini, qui ſacroſancti corporis ſui contactu iſta linteamina conſecrauit, virtutem præſentem confitentur, & ſe dant in fugam. Verum hoc argumentum iuſto ac merito labori ornatiſſimi viri D. Chiffletii doctoris Medici, ciuiſque Veſuntionenſis debetur, &, vt audio, propediem dabitur in theatrum orbis Chriſtiani: itaque & hoc quoque labore leuabimur.

LXV. *Breuis myſteriorum Chriſti Domini commendatio.*

Svperest ergo, ne nihil proprii laboris in admirabile Domini noſtri funus honoris cauſa conferamus, vt dum ſanctiſſima hæc familia luctu lachrymiſque conficitur, nos mortuo Domino Epitaphium quod poſſumus inſcribamus. Imo naſcenti, & humanam ſibi naturam perpetuo nexu copulanti, Epithalamium, morienti Epitaphium, reſurgenti Epinicion canamus: quibus Chriſti Domini glorioſam charitatem, obſequioſiſſimã humilitatem, nobiliſſimumque triumphum grato animo prædicemus; quæ erit breuis, in huius operis extremo, eiuſdem Domini noſtri vitæ comprehenſio. Primi ergo hæc erit inſcriptio.

EPITHALAMIVM.

Regi ſeculorum mortali atque viſibili, vero Deo honor & gloria, in ſecula ſeculorum. Amen.

LXVI. *Verbum caro factum eſt.*

Ita est, Viator, ita est; ille Rex secvlorvm immortalis et invisibilis, ille vnigenitvs filivs Dei, splendor gloriæ, et figvra svbstantiae eivs; ille coaevvs et coaeternvs Patri, eivsdemqve cvm illo maiestatis, potentiae, sapientiæ, bonitatis, ille idem est qvem inæstimabilis charitas, et in perevntes homines misericordia traxit in terras, et virgineo inclvsvm thalamo, visibilem fecit atqve mortalem: Annvnciante Archangelo, prænvnciantibvs Prophetis, præfigvrantibvs Patriarchis, totidem egregiis paranymphis, divinæ natvræ cvm hvmana, in matrimonivm sempiternvm copvlandæ. Hic est qvi intaminata ex Virgine effvsvs in lvcem, militiam coelestis exercitvs, ad Epithalamivm sibi concinendvm accivit, et ad Reges ab Oriente evocandos, tvm interiore afflatos lvmine, tvm externa novæ stellæ lvce, dvctvqve, ad recens nati regis sacrosanctvm connvbivm præsentia sva cohonestandvm. Regis, qvi in testimonivm pacis, per haec nova foedera, Devm inter hominesqve conciliatæ, pacem toto orbe terrarvm composvit, Ianvm Romae clavsit, Herodem Hierosolymis contvrbavit, inania meditantem irrisit, et in victoriarvm svarvm rvdimentvm, Ægyptiae svperstitionis vanissima portenta tremefecit: natvmqve orbi terrarvm Salvatorem, cvi nomen admirabilis, consiliarivs, Devs, fortis, pater fvtvri secvli, princeps pacis, præsentia ipse sva nvnciavit. Hvic ergo novo Regi secvlorvm mortali, atqve visibili, vero Deo honor et gloria, in secvla secvlorvm. Amen.

EPITAPHIVM.

PARVVLVS HIC QVI NATVS EST NOBIS, ET FILIVS QVI DATVS EST NOBIS, FACTVS EST NOBIS OMNIA AD ÆTERNAM SALVTEM, FACTVS EST LEGIFER NOSTER VENIENS A DEO MAGISTER IN MVNDVM, VT REVELARET THESAVROS ABSCONDITOS SAPIENTIAE ET SCIENTIÆ DEI, ET MIRABILI METAMORPHOSI HOMINES ERRORIBVS CRIMINIBVSQVE DEFORMATOS, SAPIENTES REDDERET, ATQVE INNOCENTES. ERGO EIS VERBO, ATQVE EXEMPLO PRÆLVCENS, VIRTVTES OMNES AD SVMMVM APICEM EXTVLIT PERFECTIONIS; SANCTVS SANCTORVM, OMNIVM SANCTORVM FACTVS EXEMPLAR, FACTVS EST NOBIS PONTIFEX FVTVRORVM BONORVM, SANCTVS, INNOCENS, IMPOLLVTVS, SEGREGATVS A PECCATORIBVS, EXCELSIOR COELIS FACTVS; PER QVEM CONSVMMETVR PRÆVARICATIO, ET FINEM ACCIPIAT PECCATVM, DELEATVR INIQVITAS, ET ADDVCATVR IVSTITIA SEMPITERNA. ET VT LATIVS IN OMNES OMNIVM ÆTATVM MORTALES FVDERETVR VTILITAS VITÆ SACROSANCTÆ, AC DIVINORVM MERITORVM EIVS, INSTITVIT SEPTENA VASA MISERICORDIÆ, QVAE TOTIDEM GRATIAE FONTIBVS REDVNDARENT, VNDE GRATIS MORTALES OMNES HAVRIRE POSSENT, VBI REGENERANTVR ANIMÆ, CONFIRMANTVR, NVTRIVNTVR, SANANTVR, ARMANTVR, HONORANTVR, AC COELO PARIVNTVR. ADDIDIT INNVMERA PRODIGIA, QVÆ DOCTRINAM COELESTEM SVA ADMIRABILITATE ROBORARENT, ET ANIMOS BENEFICENTIA DEVINCIRENT.

LXVII. *Et habitauit in nobis*

CVM AVTEM QVATRIDVO IAM MORTVVM AC SEPVLTVM EXCITASSET AD VITAM, INIMICORVM, QVOS A SVIS SCELERIBVS AVOCABAT, QVORVM LVMINIBVS MAIORI SPLENDORE OFFICIEBAT, CONCITAVIT INVIDIAM, QVA INCITANTE MORTEM EIVS INFESTI QVÆRVNT; IRRITO VTIQVE CONATV, NISI CVM SVAM ILLE CONSENSIT IN MORTEM, QVONIAM TEMPVS MVNDI REDEMPTIONI DESTINATVM IAM APPETEBAT. ERGO FINE IVDAICIS RITIBVS IMPOSITO, ABLVTISQVE DISCIPVLORVM PEDIBVS, INSTITVTO AVGVSTISSIMO CORPORIS SVI SANGVINISQVE SACRAMENTO, A PRODITORE DISCIPVLO TRADENDVS IN SACRILEGAS IVDAEORVM, ATQVE GENTIVM PROPHANARVM MANVS, IN OLIVETANVM MONTEM PROCEDIT VLTRO. IBI MORTIFERA TRISTITIA, TAEDIO, PAVORE AFFECTVS ITA ERAT, VT SVDORE ET SANGVINE IN TERRAM DECVRRENTE MANARET: MOXQ. SATELLITVM IRRVENTIVM TVRBA, QVAM VERBO PRIVS AFFLIXERAT, CIRCVMSEPTVS, COMPREHENSVSQVE, LATRONVM IN MOREM CONSTRINGITVR, PVLSATVR, AD TRIBVNALIA REGVM, PRÆSIDVM, PONTIFICVM TRAHITVR, CALVMNIIS APPETITVR, IN TOTIVS POPVLI ODIVM VOCATVR, AD CRVCEM INSANIS CLAMORIBVS DEPOSCITVR: SCELESTISSIMO SICARIO COMPONITVR, AC POSTHABETVR, QVASI VERMIS ET NON HOMO, OPPROBRIVM HOMINVM, ET ABIECTIO PLEBIS.

LXVIII. *Christi Domini Paſsio.*

LXIX. *Mors & ſepultura.*

QVID MVLTA? VIDEAS TALEM AC TANTVM VIRVM CORAM PROCACIBVS OCVLIS IGNOMINIOSISSIME DENVDATVM, AD COLVMNAM IN VERBERA DELIGATVM, CONTRVCIDATVM FLAGELLIS; SPINIS CONVESTITVM ATQVE CONFIXVM CAPVT, NIGRANTES CALIGINE MORTIS OCVLOS, LIVENTES ALAPIS, ET FOETENTIBVS SPVTIS OBLITAS GENAS, CONCVSSOS COLAPHIS, ET SANGVINE MIXTOS IN ORE DENTES: SQVALENTEM BARBAM, ET CONCRETOS SANGVINE CRINES; TOTVM CORPVS DVDVM SPECIOSI FORMA PRÆ FILIIS HOMINVM, NVNC QVASI LEPROSI, ET A DEO A PLANTA PEDIS, VSQVE AD VERTICEM CAPITIS PERCVSSI, ET AFFLICTI; PROPTER SCELVS QVIPPE POPVLI SVI PERCVSSIT EVM. DENIQVE SVPPLICIO INDIGNISSIMÆ CRVCIS ADDICTVS, GESTATO SVO IPSE PER SVMMVM DEDECVS TORMENTVMQVE PATIBVLO, IN MONTEM REORVM ATTRAHITVR, NVDATVR, CRVCI TRIBVS QVATVORVE FERREIS CLAVIS CONFIGITVR, ELEVATVR, PENDENSQVE DEPANGITVR. IBI VICE CONSOLATIONIS SITIENS FELLE ET ACETO POTATVR, BLASPHEMIS VOCIBVS INVADITVR, A SVIS PENE OMNIBVS, ADEOQ; AB IPSO PARENTE DEO, IN SVMMO CRVCIATVVM AC MOERORIS ÆSTV DERELICTVS, VITA CVM OMNIVM CREATARVM RERVM ACERBISSMO LVCTV DEFVNGITVR, ET A SVIS HONORIFICE SEPELITVR; ANNO ÆTATIS XXXIV. INEVNTE, TIBERII XIX. MVNDI QVATER MILLESIMO LXXXVI.

EPINICION.

LXX. *Christi victoria, & gloria.*

VERVM ISTE LVCTVS OBSCVRATI SOLIS, SANGVINOLENTÆ LVNÆ, COELI DISCEDENTIS, TERRÆ INSOLITIS TREMORIBVS CONQVASSATAE, VELI TEMPLI LAPIDVMQVE DIFFISSORVM, APERTORVM DENIQVE SEPVLCHRORVM, NON SOLVM INNOCENTIÆ, SED ILLVSTRISSIMAE QVOQVE VICTORIAE SVNT ARGVMENTA. DIXERAT QVIPPE MAGNVS HIC PROPHETA. SI EXALTATVS FVERO A TERRA, OMNIA TRAHAM AD MEIPSVM. ET PRIMVM VICTOR REX NOSTER EFFECTVS, ACCEPTA OMNI IN COELO, TERRAQVE POTESTATE, INFERIORIBVS TERRAE PENETRATIS, CAPITALISSIMVM HOSTEM AD EIVS ARCEM POPVLABVNDVS PERSEQVITVR, ET REGNA TARTARI DEPRÆDATVS, NOBILISSIMIS ET NVMEROSISSIMIS SANCTARVM ANIMARVM SPOLIIS LOCVPLETATVR; HOSTEM IPSVM HORRENDVM EXVLVLANTEM VINCLIS, ET CARCERE FRENAT: ET GLORIOSISSIMAM ILLAM PHALANGEM SECVM DVCENS, FIT TERTIO DIE RESVMPTO CORPORE REDIVIVVS: DE TANTA VICTORIA, TANTAQVE VICTORIS GLORIA, PVLCHRITVDINE, MAIESTATE, ANGELIS ET HOMINIBVS, PŒANA CANENTIBVS, CŒLO TERRAQVE PLAVDENTIBVS. INDE POST CREBRAM SVORVM VISITATIONEM, ET CONSTITVTIONEM ECCLESIAE SVAE, DESTINAVIT IN OMNEM TERRAM DISCIPVLORVM SVORVM COPIAS, QVÆ MVNDI PRINCIPEM ETIAM IN TERRIS PROFLI-

GENT, OMNIVM LICET SCELERVM IMPORTVNITATE ARMATVM, OMNIVM IMPROBORVM COMITATV SEPTVM, ATQVE VALLATVM. MIRACVLORVM QVIPPE FVLGORE PERTERRITVM, NON SOLVM IPSE QVOTIDIE EVM FVNDIT FVGATQVE, SED FAMVLIS QVOQVE SVIS PROFLIGANDVM, ATQVE ADEO IMPVNE CONCVLCANDVM DEDIT. INTEREA IN COELVM GLORIOSISSIMO TRIVMPHO RECEPTVS, ET IVDEX VIVORVM ATQVE MORTVORVM CONSTITVTVS, AD IPSAM PATRIS DEXTERAM COLLOCATVR.

LXXI. *Triduũ ante Christi reſurrectionem.*

Altera autem die, quæ eſt poſt paraſceuem Iudæi cuſtodiam ſepulchri à Pilato impetrarunt. Sed milites non tam cuſtodierunt ſepulchrum, quam mox teſtes reſurrectionis obſtinatis in ſua peruerſitate Iudæis facti ſunt: & ita implerũ eſt illud, *& inimici noſtri ſunt iudices.* [a] Quod enim fecit per milites iſtos apud improbos, idē per corpora ſanctorum reſurgentiū apud probos fecit. Sabbati porro diem cum duabus noctibus Christi anima tranſegit in receptaculis ſubterraneis in quibus Patres erant, aliique in Dei gratia defuncti; expolians principatus, & poteſtates traducens confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo. Mulieribus interim expectantibus dum tranſacto ſabbatho, cum prima luce ad ſepulchrum venirent, vt ibi Christi corpus, pro ſua deuotione vngerent, quod feria ſexta temporis anguſtiis excluſæ, pietati ſuæ non feciſſent ſatis. Ergo conuenientes veſperi tranſacto ſabbato emunt aromata in ſequentem diem.

a Deu. 32. 31

LXXII. *Christi reſurrectio, & apparitiones aliquot.*

Dominvs autem ſummo mane reſumpto corpore factus eſt rediuiuus, omnibus dotibus glorioſi corporis præditus. Quo tempore multa etiam corpora ſanctorum, quæ dormierant ſurrexerunt, & multis apparuerunt, teſtes Christi reſurrectionis futuri. Christus autem, vt par eſt credere, ſtatim ad viſendam & cõſolandam matrem profectus eſt. Dum piæ mulieres valde diluculo veniunt ad monumentum, vbi ab Angelo, qui facto terræ motu aperuerat monumentum, quo penitus clauſo Christus Dominus exiuerat, de Christi reſurrectione docētur, & Petro, cæteriſque diſcipulis eã nunciare iubentur. Illis autem abeuntibus, Maria Magdalena perſeuerans cum lachrymis ad ſepulchrum, prima poſt B. Virginem Dominum rediuiuum vidit, indeque aliæ mulieres, quæ nuncium Apoſtolis de Christi reſurrectione perferebant: quibus tamen diſcipuli non crediderunt, ſed Petrus & Ioannes ad ſepulchrum cucurrerunt, nec Christum viderunt: mox tamen ſe iſtus Simoni oſtendit, & duobus diſcipulis euntibus in Emmaus, poſt diuturnum cum eis colloquium.

LXXIII. *Omnibus ſimul Apoſtolis.*

Deniqve eadem die ad veſperam, reuerſis illis in Hieruſalem, vbi erant vndecim congregati, narrantibus illis à ſe viſum Dominum, & agnitum in fractione panis, ſuperuenit Dominus ianuis clauſis, & ſtetit in medio diſcipulorum, eoſque ſalutans de reſurrectione ſua certiores fecit, palpandum præbuit, cibum etiam ſumpſit, & diuinam poteſtatem remittendi, retinendique peccata illis conceſſit.

Cum autem abfuiſſet Thomas eo tempore, mœrens de ſua abſentia, ne ea vehementius affligeretur, elegit non credere reſurrectionem, donec poſt octauũ diem apparens Christus iterum, ouem pereuntem ad ouile reduxit, & reſurrectionem ſuam magis magiſque confirmauit.

LXXIV. *Aliæ apparitiones.*

Post dies Azymorum tranſactos, abierunt diſcipuli in Galilæam, prout à Domino iuſſi fuerant, [b] vbi à 7. diſcipulis piſcantibus, poſt captã ingentem vim piſcium, agnitus eſt; &, ſumpto cum eis cibo, Petro Eccleſiam ſuam, id eſt oues ſuas commiſit, [c] iuxta promiſſionem ei factam.[d] Cumque ei mortem ſuam prædiceret, ille de Ioanne ſollicitus, iuſſus eſt à Domino eam curam deponere.

b Matt. 28. 10.
c Ioan. 21.
d Matt. 16.

Petro committit Eccleſiam.

Facta eſt, & alia apparitio in Galilæa, in monte Thabor, vt quibuſdam placet, vbi congregatis vndecim diſcipulis, vt ſcriptum eſt Matth. 28. Christus ſe videndum præbuit; quem illi vbi adoraſſent, accedens, teſtatuſque datam ſibi omnem poteſtatem in cœlo & in terra, iuſſit vt omnes gentes docerent, ſigna facerent, baptizarentque in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, addita promiſſione ſe cum ſuis futurum, vſque ad conſummationem ſeculi.

LXXV. *Aſcenſio Domini.*

Deinde *viſus eſt pluſquam quingentis fratribus ſimul*, *ex quibus*, inquit, [a] *multi manent vſque adhuc, quidam autem dormierunt: deinde viſus eſt Iacobo, deinde Apoſtolis omnibus*; In die ſcilicet Aſcenſionis. Cum enim Dominus dixiſſet prædicationem inchoandam Hieroſolymis, aperuiſſetque eis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas, & Spiritum ſanctum doctorem ac paracletum promiſiſſet, eumque Hieroſolymis expectari iuſſiſſet, inde eos foras adduxit in Bethaniam, vt ait Auguſt. vicum iuxta montem Oliueti, vnde cum eleuatis manibus benediceret eis, receſſit ab eis, & ferebatur in cœlum, & ſedit à dextris Dei. Ipſi autem adorantes regreſſi ſunt in Hieruſalem cum gaudio magno. Vnde poſtea, accepto Spiritu ſancto, profecti, prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.

LXXVI. *Concluſio hiſtoriæ ſacræ.*

Qvæ autem deinceps ſunt conſecuta, locupletiſſime prodidit in ſuis Annalibus Eccleſiaſticis Cæſar Cardinalis Baronius, cui deinceps lampadem libentiſſime tradimus, quandoquidem vltra id quod nobis animo deſtinatum fuerat à principio, in ſacra profanaque hiſtoria, ad annos quatuor & triginta progreſſi ſumus. Verum antequam te vltimum compellemus, amice lector, quæ ſunt huius anni reliqua in Romana hiſtoria expediamus; ea ex Tacito paucis accipe.

LXXVII. *Tiberii crudelitas in ſuos, alienoſque.*

Svlpicio Galba & Cornelio Sylla huius anni Coſſ. Imperator Tiberius neptes ſuas Druſillã & Iuliam Germanici, in Syria defuncti, & Agrippinæ filias, in matrimoniũ collocat, quarum nihilominus matrem, & fratrem Druſum hoc anno ſuſtulit; poſt illuſtres aliquot equites Romanos, prætorioſque viros calumniis circumuentos, mortique traditos, poſt mulieres in exilium eiectas, & aqua ignique interdictas, cunctoſque, qui carcere tenebantur, accuſatos ſocietatis cum Seiano, necari iuſſos. Fuerunt hi numero viginti, ſi Suetonio credimus. Nam c.61. vbi multa de Tiberii crudelitate congerit. *Nemo punitorum*, inquit, *non & in Gemonias abiectus, vncoque tractus, viginti vno die abiecti, tracti ſunt, inter eos pueri & fœminæ*. At Lipſius mille legendum putat, quod nota millenarii ∞. pro 20. ab exſcriptore accepta ſit, quod Tacitus longe maiorem numerum ſignificet, cum ait. *Iacuit immenſa ſtrages, omnis ſexus, omnis ætas, illuſtres ignobiles, diſperſi aut aggregati; neque propinquis aut amicis aſſiſtere, allacrymare, ne viſere quidem diutius dabatur. Circumiecti enim cuſtodes, & in mœrorem cuiuſque intenti, corpora putrefacta aſſectabantur, dum in Tiberim traherentur, vbi fluctuantia, aut ripis appulſa non cremare quiſquam, non contingere, &c.*

LXXVIII. *De cædem ſæuitie, ac libidine.*

Verum fortaſſe eo loco Tranquillus non hanc, ſed aliam quandam Tiberii crudelitatem narrat. Tota quippe eius vita multiplici ſæuitia ac crudelitate redundat, vt idem Suet. omnium latiſſime tradidit. Non omittam tamen infandum eius in Sex. Marium facinus, quod neſcias auaritiæne, an libidini, aut crudelitati, aut potius omnibus tribuas. Narrat Dio l. 58. & Tacitus l. 6. fuiſſe quendam Sex. Marium hominem longe ditiſſimum, & Tiberio chariſſimum; Is cum filiam ſuam pulchritudine præſtantẽ aliquò ablegaſſet, ne Tiberius eam pollueret, inceſti cum ea commiſſi accuſatus eſt, & cum filia periit, è ſaxo Tarpeio deiectus; moxque in eius fortunas præceps inuolauit.

LXXIX. *Mors Aſinii Galli.*

Post has ergo, aliaſque id genus cædes, ac flagitia, iiſdem Coſſ. Aſinii Galli mors vulgatur, ait Tacitus, quem egeſtate cibi peremptum haud dubium, ſponte vel neceſſitate incertum, habebatur. Conſultuſque Cæſar an ſepeliri ſineret, non erubuit permittere, vltroque incuſare caſus, qui reum abſtuliſſent, antequam coram conuenieretur. Scilicet medio triennio defuerat tempus ſubeundi iudicium Conſulari ſeni, tot Conſularium parenti. Hæc Tacitus. Conſul fuerat decennio ante, anno 775. cum C. Antiſtio Vetere. Recte autem conuenit Tacitus cum Dione, ex quo retulimus Aſinium coniectum in vincula, à Tiberii conuiuio digreſſum, an. V.C.782. Eum etiam calumniis mox in Agrippina interficienda onerauit; ſed Agrippinæ mortem Druſi eius filii, & fratris Neronis mors anteceſſit.

XXC. *Et Druſi filii Agrippinæ.*

Evm Tiberius extinxit fame, quum ſe miſerandis alimentis, mandendo tomento nonum ad diem detinuiſſet: nec ea re contentus, etiam calumniis infamem reddere voluit, quem biennio ante, dum Seianum metueret, ſuo loco Principem iuſſerat enunciari. Hic Druſus vbi exſpes vitæ fuit, meditatas in Ti-

berium compoſitaſque diras imprecabatur, vt quemadmodũ nurum filiumq; fratris, & nepotes, domumq; omnem cædibus compleuiſſet, ita pœnas nomini, generique maiorum, & poſteris exolueret. De morte Druſi conſentit etiam Sueton. *Auſus eſt*, inquit, *ſcribere Seianum ſe puniſſe, quod comperiſſet furere aduerſus Germanici filii ſui*, ex adoptione *liberos, quorum tamen ipſemet alterum ſuſpecto iam, alterum oppreſſo demum Seiano*, hoc ſcilicet anno *interemit; ſed & tertium Caium, cognomento Caligulam, interempturus erat, niſi ei Thraſyllus mathematicus ſpem vitæ longioris attuliſſet*. De Druſi morte vide & Suet. c. 54.

cap. 61.

XXCI. *Mors Agrippinæ vxoris Germanici.*

Nondvm, ait Tacitus, *dolor de morte Druſi exoleuerat, cum de Agrippina auditum eſt, quæ interfecto Seiano ſpe ſuſtentata vixerat. At vbi nihil à Tiberio de ſæuitia remitti vidit, voluntate ſua extincta eſt, niſi ſi negatis alimentis, voluntarius ſimulatus eſt finis.* Enimuero Tiberius ſæuiſſimis criminationibus exarſit, impudicitiam arguens, & Aſinium Gallum adulterum, eiuſque morte ad tædium vitæ compulſam. Eodem die defuncta eſt, quo biennio ante Seianus. 15. Cal. Nouemb. Iactauitque ſe Tiberius humanitatis, quod non laqueo ſtrangulata, neque in Gemonias proiecta foret: quo nomine etiam gratiæ illi actæ ſunt. Meminit etiam Sueton. Aitque Pandatariam fuiſſe relegatam à Tiberio: cui cum conuitiaretur, inquit, oculum per cẽturionem verberibus excuſſit. Rurſus mori inedia deſtinanti, per vim ore diducto infulciri cibum iuſſit: ſed & perſeuerantem, atque ita abſumptam, criminoſiſſime inſectatus eſt.

cap. 53.

XXCII. *Mors Cocceij Neruæ, & aliorum voluntaria.*

Havd multo poſt Cocceius Nerua omnis diuini humanique iuris ſciens corpore, fama, fortunis, gratia principis florens, moriendi conſilium cepit, integro rerum ſuarum ſtatu, veritus ne qua eum, vt tam multos, fortuna euerteret, & luctuoſo quopiam fato perderet (qui tamen nullo perire poterat luctuoſiore,) neque ab ea ſententia Tiberii ipſius precibus abduci potuit; ſed cibi abſtinentia mortem ſibi male conſultus accelerauit. Nec admodum diſſimilis caſus fuit Acuntii, tædio temporum mortem venarum reſolutione occupantis, ſub ipſum finem Imperii Tiberii, vt eſt apud Tacitum l. 6. Ann. fi. Eodemque tempore Plancina nupta olim Cn. Piſoni, & mortis Germanici conſcia, haud ignotis criminibus in iudicium vocata, ſua manu ſera magis quam immerita ſupplicia perſoluit.

XXCIII. *Tiberii benignitas in pauperes.*

Tot cædibus, nefandiſque aliis criminibus, quæ referre pudet, tot annos infamis Tiberius, hoc tamen anno, in populum vſuris oppreſſum, egregia liberalitate vſus eſt, diſpoſito per menſas millies ſeſtertio, factaque mutuandi copia ſine vſuris per triennium. Ea ſumma eſt quinque milionum librarum Turon. vt Cenali placet. Eodem ſcilicet tempore, quo verus mundi Imperator ac Redemptor Chriſtus Dominus, ſanguinem ſuum ac merita inæſtimabilis precii, in ſacramenta diſpoſuit, quibus in perpetuum debitis noſtris ſolueremur. Meminit huius liberalitatis Tiberii, Suet. c. 48. & Dio l. 58. in qua par eſt nos, & annum hunc, & Annales noſtros cum bona tua venia, candide lector, atque beneuole, aliquando terminare, cætera quæ biennii fere ſunt, vitæ regnique Tiberii, præcedentium ſimillima, & quaſi gemina, idem Suetonius in Tiberio, & Tacitus l. 6. & Dio 58. ſuggerent.

XXCIV. *Concluſio ad lectorem*

Sed & rogatum te velim, vt ſi quid rem tuam literariam publicamue, in ſacra profanaque hiſtoria, laborioſo ſcribendi labore iuuimus, Deum Opt. Max. eiuſque vnigenitum Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum, cum beatiſſima eius matre, quibus noſtra maxime deſudabat induſtria, ſtudioſius noſtro nomine deprecere, vt decurſis aliquando noſtræ huius mortalitatis annis, ſi qui forte huic ætati annorum quinque ſupra ſexaginta ſuperſunt, beata cum ipſis immortalitate perfruamur. Quæ veræ aut ignorantia noſtra, cuius nobis ſatis conſcii ſumus, aut negligentia peccata repereris, vt ea tu pro tua humanitate, aut amice priuatis ad me literis corrigas, aut beneuole condones; pro alterutro officio gratiam apud Deum, atque homines initurus; Nos autem Deo ipſo teſte, ſanctiſque eius Angelis profitemur, ſi quid forte errati, maioris præſertim momenti, hoc opere toto nobis imprudenter irrepſerit, id nos totum arbitrio ſacroſanctæ matris Eccleſiæ Catholicæ Apoſtolicæ Romanæ committere, & cum ea abiicere, atque abiudicare.

XXCV. *Gratiarum actio Chriſto Domino.*

At tu Ieſu Chriſte optime maxime, cuius infinita ſapientia condita ſunt vniuerſa in principio ſeculorum, cuius admirabili prouidentia in præſentem diem, ſeptem pene iam & quinquaginta ſeculis, gubernantur; cuius inæſtimabili bonitate reſtaurata ſunt vniuerſa in fine ſeculorum, tu nobis hic maxime compellandus atque orandus es; & cum gratiarum actione; quantam maximam capere poteſt pectus meum, celebrandus, qui infirmam nauim noſtram à te cum tua benedictione digreſſam, toto circumnauigato Oceano, ſpiritu tuo benigniſſime ſecundante, ad te aliquando reduxiſti. Quid mihi nunc ſupereſt, niſi vt cum famulo illo magni Patriarchæ Abraham, benedicam Dominum Deum meum, qui non abſtulit miſericordiam, & veritatem ſuam à me, & à terra paradiſi terreſtris, in qua conditus eſt homo, per omnes terras atque maria longe latéque diuagatum, perduxit in Bethleem, Nazareth, atque Caluariam domos Domini mei, in quibus natus eſt, educatus, ac mortuus, in quibus reſtauratus eſt homo.

XXCVI. *Iterataque operis conſecratio.*

Qvid mihi nunc ſupereſt, niſi vt nomini tuo ſacroſancto ingentem aram excitem, in qua hoſce tibi ſex libros, quaſi totidem agnos anniculos, ſingulis annis ſingulos natos atque eductos, iterum, ſæpius, ſemperque dedicem, atque conſacrem? Sed quoniam habemus altare, in quo victimam longe meliorem offeramus, recipe Domine munuſculum de manu ſerui tui, & patere, vt quoniam verus Salomon es, ſingula volumina in ſingulis gradibus throni tui collocentur, iiſq; deſcenſus tuus ad nos, per opera creationis, gubernationis, ac reſtaurationis mundi, Eccleſiæ tuæ ſanctæ, pro modulo noſtro, recte atque vtiliter explicetur. Sed quis ego ſum, aut quod eſt opus meum? tua ſunt hæc omnia, & quæ de manu tua accepimus, ſicut & ſanctus tuus Dauid, [a] quem tanto poſt imitatus eſt Iuſtinianus in dicando templo S. Sophiæ, dedimus tibi. *a 1. Par. 29. 14.*

XXCVII *Ac gratiarum actio.*

Tv iſti operi ortum dediſti, & voluiſti vt videret lucem, dum narrat quæ à te facta ſunt ante lucem, & ab ipſo primo lucis exordio: tu ei vitam, & perennitatem dabis, ne dicant tibi opera tua, *omnia enim opera noſtra operatus es nobis;* [b] *Domine nonne ad te pertinet quod perimus?* Tu ergo qui ei vitam dediſti, vitæ quoque diuturnitatem dabis, quantam noſti expedire gloriæ tuæ, atque vtilitati noſtræ. Neque enim boni parentis eſt, quos in lucem eduxerit filios, non etiam protegere, ac conſeruare; præſertim cum te, & diuitem, & liberalem negare non poſſis. Recordare quod peculiari nomine tui ſumus, & nomen ſanctum tuum inuocatum eſt, ſuper nos. *b Iſaiæ 26. 12.*

Matrique Virginis incomparabili.

Sed & tu quoque mater noſtra es, ô magna parens, Dei genitrix Virgo, & omnia noſtra tua ſunt, quia à filio tuo per te profecta ſunt, qui omnia nos habere voluit per Mariam: vtrique honor & gloria in omnem æternitatem. Amen.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 4086.

1.N.12. Porro de anno Olympiadis conſentiunt Phlegonti, Suares prædicta diſp. 40. ſect. 1. Salmeron. proleg. 28. Aſſert. 1. Cuſpin. in Caſſiodori Chron. Perer. l. 11. in Dan. q. 7. Onuphr. in faſt Gord. in Appar. t. 2. c. 4. Scal. l. 6. Emend. c. de 5. Paſchate, & in Euſeb. Caluiſ. in Chronol. & in Iſagoge c. 48. Tempor. in Chron. Phrygio, Functius, Barad. t. 4. l. 1. c. 7. Samerius in Chronol. Deckerius in Tabulis, Genebr. l. 2. Chron. Marian. l. De die mort. Chriſt. c. 12, & fere omnes qui Olympiadum circa Paſſionem Chriſti meminerunt.

2.N.XIII. Non enim omittendum quod habet Mariana in opuſculo De die mortis Chriſti c. 2. & 17. vbi affert argumentum, quod graues aliquot viros a communi ſententia deduxit. Conſtat enim anno Chriſti 34. literam Dominicalem in Calendario fuiſſe C. vt videre eſt ſupra in ann. V.C. 745. ex quo ſequitur recurrendo ad dies antecedentes literam G. cadere in feriam quintam, quæ eſt 8. Cal. April. At Chriſtus mortuus eſt feria ſexta, ergo non eſt mortuus 8. Cal. ſed 7. vide argum. ad oculum.

d 11. Cal. Apr. 22. Mart.	feria 2.	lun. 11.		
e 10. Cal. Apr. 23.	fer. 3.	Luna 12.		
f 9. Cal. 24.	fer. 4.	13.		
g 8. Cal. 25.	fer. 5.	Cœna	14	
A 7. Cal. 26.	fer. 6.	mors	15.	Paraſc. 1. azy.
b 6. Cal. 27.	Sabbato	Sepulc.	16.	2. azy.
c 5. Cal. 28.	Dom.	Reſur.	17.	pri. ſab. 3. azy.
d 4. Cal. 29.	fer. 2.			

Quoſdam ergo ait, hoc argumento conuictos, Chriſti mortem in 7. Cal. reiicere, & Reſurrectionem in quintum, vt ex antiquis Victorium Aquitanicum: ex recent. Lucam Gauricum & Onuphr. in faſtis, & Chron. & Maurolycum in Martyrologio. Reſpondet ipſe cum Paulo Foroſemproniensi, poſt correctum ab Auguſto errorem in intercalando commiſſum, rurſus à ſacerdotibus erratum fuiſſe, anno 13. biſextum celebrantibus, cum tantum 16. debuiſſent, quo factum eſt, vt vno die illo anno facto longiore, quam opus eſſet, conſequentibus annis literæ Dominicales fuerint vno die anticipatæ, atque adeo, vt anno Chriſti 34. cum litera Dominicalis debuiſſet eſſe C. errore admiſſo fuerit B. Ex quo aliud quoque incommodum natum eſt, vt illo die ad præcedentem annum adiecto, deinceps primus dies menſis eſſet ſecundus, ſecundus autem tertius, & 20. 21. & 25. 26. nimirum anno quo mortuus eſt Chriſtus Dominus. Patres autem numerantes, quaſi nullus error contigiſſet, dixerunt Chriſtum paſſum 8. Cal. April. & 25. Martii, qui tamen, propter errorem admiſſum, erat 26. Optandum erat, vt hæc coniectura idoneo aliquo teſte antiquo niteretur: non tamen temeraria eſt, nam ab effectu recte cauſam colligere licuit; & veriſimile eſt cum iuſſi eſſent Pontifices duodecim annis nihil intercalare, proximo per inſcitiam intercalaſſe, eumque errorem cum cæteris, qui ad rationem Paſchatis pertinebant, à Concilio Nicæno eſſe correctũ: quæ pluribus ille ibid. confirmat. Ex quo etiam fit, vt vna eademque ſententia exiſtimanda ſit eorum qui Chriſtum paſſum 7. Cal. & eorum qui 8. Cal. dixerunt: & eorum qui Reſur. in 5. & 6. Cal. retulerunt.

Qui autem dixerunt Chriſtum paſſum 11. Cal. Aprilis, id eſt 22. Mar. & 8. Cal. ideſt 25. Martii reſurrexiſſe, quod videtur à Theophilo Cæſarienſi dictum, faciunt Chriſtum à mortuis non tertia die reſurrexiſſe contra Chriſti promiſſionem, & ſymbolũ Apoſtolicum. Vide Bedam l. de ratione temp. c. 45. & ibi interpretem.

Regi ſeculorum immortali, atque inuiſibili, ſoli Deo honor & gloria,
in ſecula ſeculorum, Amen.

Benedicta ſit S. *Trinitas, & indiuiſa vnitas, confitebimur ei, quia fecit*
nobiſcum miſericordiam ſuam.

S. Maria, & omnes ſancti, intercedant pro nobis ad Dominum, vt
mereamur ab eo iuuari, & ſaluari.

FINIS.

INDEX

COPIOSVS ET ACCVRATVS

RERVM PRÆCIPVARVM, QVAE HOC SEXTO ET VLTIMO ANNALIVM ECCLEſiaſticorum Veteris Teſtamenti volumine continentur.

Qui inſtar Epitomes, vel locorum communium ſtudioſo Lectori eſſe poſsit.

A

ACHÆI Romanis auxilia offerunt, Anno Mundi 3885. num.13.

ACHÆOS inuadit Metellus Prætor, eorumque ducem Critolaum vincit, & ad mortem compellit, an.m.3907. n.25.vide infra L. *Mummius.*

ACHAICI belli ſemina, 3906.n 14.15.16.

ACHIABVS cognatus Herodis, 4013.n. 44.

ACHILLAS dux in Aegypto ad cædem Pompeii magni mittitur, a.m.4006. n.21. cumque cum Septimo in nauicula occidit, ibid. & nu.22. & ſeqq. Alexandrino exercitui præficitur contra Cæſarem, num.30. quem in eum excitat, n.31.& cum eo varie pugnat, ibid.

ACHILLAM adit Arſinoë filia Ptolem. ſoror Cleopatræ, a.4006. n.33. orta diſſenſione Achillas Arſinoë inſidiatur, & contra, an. 4007. nu. 10. ſed Arſinoë Achillam præoccupat, & per Ganymedem Eunuchum interficit, n.10.

ACME ancilla Liuiæ venefica, ann.mund. 4053.n.44.

ACRABATHANE in Idumæa, ann.mun. 3891. numer.32.

ACTIACVM bellum inter Octauium & Antonium erumpit, ann.mun.4022. num.1. mutuæ vtriuſque querelæ, numer.4.& in Senatu, numer.5.6. pecunias & arma parant, ibid. Antonio hoſte iudicato bellum Cleopatræ indicitur, nu.9.

ACTIACAE pugnæ apparatus, an. mun.4022. num.9. & 10. Cæſaris metus ac periculum, nu. 12. eius pugnæ tempus, 4023. n. 1.& 2 exacte, Antonius male à turba nautica paratus, 7. aliquot velitationes, ibid.

ACTIVM adit Octauius vbi erat Antonius, a. 4023.n.7.8. ſitus vtrorumque caſtrorum, ibid. Cæſar ambit pugnam ante collectas Antonii copias, 9. quas & diſtrahere cupit opera Agrippæ, num.10. Antonius nauali prælio, & equeſtri fit inferior, num.11. de transferendo bello deliberat, n.11.& 12.

ACTIACA pugna naualis, an. mun. 4023. nu. 13. & 14. Cleopatra maturius fugit, & eam ſequitur Antonius, numer. 15. prælium perſeuerat, nauale incendium, num.15. victoria Cæſaris, & quam turpis Antonij fuga 16. victoriæ dies in Epocham tranſit, 17. vide 4032. n. 43. &c. quæ edita victoriæ monimenta, ibid.

ADOR, ſiue Dora vbi ſita, an.m.3912.nu.17. de ea Ioſephus ſecum pugnat, ibid.

ADHERBAL miti ingenio à Iugurtha inuaditur, ann.mund.3936. no. 1. fruſtraque expoſtulat, ibidem. Cæſo à Iugurtha fratre Hiempſale Romam legatos mittit, ann. mund.3935. numer.2. ad pugnam à Iugurtha coactus, vincitur, ibid. Romam adit, numer.2. 1.

Adherbal Romanorum voluntate Numidiam cum Iugurtha partitur, ann.mund. 3935. numer. 3. vaſtanti regionem tarde obuiam venit, vrbes munire contentus, a. mun. 3937. 6. nocturna inuaſione victus profugit Cirtham, vbi obſidetur à Iugurtha, 3938.3. 2.

Adherbal calumniis Iugurthæ apud Romanos legatos appetitus ab eis deſeritur, an. mund. 3939. numer.7. interea premit Adherbalem, 3940. nu.9. qui opem à Romanis fruſtra implorat, n.9. 10. legatis pecunia victis, ibid. 3.

Adherbal ſuaſu Romanorum deditionem Iugurthæ facit, an.3941. à quo excruciatus necatur, n.2. 4.

Index

ADRICHOMIVS arguitur, a.m.3893. num.63.
3894. nu.64.

ADVLATIO magnæ fortunæ,4057.nu. 2. vide *Velleius*. Adulatio Pruſiæ regis, a.m. 3888.
numer.4.

ÆGYPTIARVM mulierum crudelitas in ſuos,
an. mund. 3939.n.3. & 4. nominatim Lao-
dicæ & Cleopatræ, ibidem. Aegyptiorum
motus,in Ptol. Euergetem, ann.mu.3916.
numer.20.

ÆGYPTIA ſacra vrbe pulſa,ann. mund. 4072.
num.6.

1. L. ÆMYLIO Paulo II. Coſ. obtigit bellum
Macedonicum in Perſen, an. mund.3886.
num.4. mittit legatos exploratores à qui-
bus diſcit rerum ſtatum, numer. 5. abit in
Macedoniam, ibid. pugnam cum Perſeo
prudenter differt,n.19.& 25.

2. *Æmylij* fortitudo, 3886.nu.23. & 25. Mace-
doniam deditione accipit, num.28. Perſei
fortunæ illachrymatur, numer. 30. re-
quirit, vt ſe populo Rom. permittat,ibid.
Captus ab Octauio, ad Æmylium Am-
phipolim abducitur,n.34.

3. *Æmylius* victor Perſen captiuum comiter
accepit, an.mund.3886. numer. 35. monet
ſuos exemplo mutabilitatis rerum hu-
manarum, ibidem. Satiat præda militem,
ann.87.n.72. & maxime 76. inuiſit Græ-
ciam, ibid.

4. *Æmylii* nimia in milites indulgentia, in eius
triumpho punitur, ann.mun. 3887. num.
78. 79. 80. & gloria, numer. 82. inuitat
Perſeum ad ſui cædem, 81. duos filios in-
fœliciter amittit, numer. 83. & quæ eius
cauſa, numer.84. eius mors, ann. mund.
3894. nu.72. deuictorum ab eo in ipſum
amor, ibidem, eiuſdem facultates & ab-
ſtinentia, ibid.

ÆMYLIVS Lepidus ſuccedit Mancino in Hiſ-
paniam, a.m.3918. nu.16. Vaccæos iniuſto
bello petit, & Romæ improbato, ibid.
Palentiæ clade, ignominiaque afficitur, n.
17. & Romæ punitur, num.18. eius clades
quanta,n.18.

ÆMYLIVS Scaurus obſcuro loco natus,an.m.
3939.num.6. de Liguribus Conſul trium-
phauit, ibi. Eloquentiæ præſidio ad ſum-
mam dignitatem peruenit,n. 6. legatus ad
Iugurtham,an.3940. pecunia victus, n.10.
vide & 3941. n.3.

ÆRA Chriſtiana vno anno tardior vero anno
Chriſti, an.mun.4054. nu. 1. multiplicitet
probatur eius initium,num. 1.2. & ſeqq.
quo anno Iuliano &c. in tit. anni, &c.

ÆRARII Romani copiæ ſub annum mund.
3897. num. 9. Aerarium militare ab Au-
guſto inſtitutum, ann.mun.4059. num.2.
Aerario exinanito ſacra bona capiuntur,
ann.mund.3965.numer.8.eius egeſtas poſt
Actiacam victoriam, an.mun.4026. nu.5.
eius cauſa,ibid.

ÆSAR Etruſca lingua Deus, omen apotheo-
ſeos Auguſti,an.mun.4067.n.2.

ÆTNÆ & Liparæ æſtus, ann. mund. 3928.
numer. 3. Iteratum Aetnæ incendium,
ann.mun.3933.num.10. cum magna clade
Catanenſium, & Senatus in eam beni-
gnitate,ibid.ſi.

AETOLI cauſa cladis in acie Romana, ann.
mund. 3883. numer. 21. à Romanis victi
memorantur à Machabæo, ann. mund.
3894. num. 20. à quibus ducibus, & quo
belli exitu,n.21.

AFRICA in prouinciæ formam redacta, a.m.
m.3908.n.32.

AFRICANI maioris mors repetitur, ann.mu.
3904. numer.8. minoris in Aegyptum le-
gatio, ann.mund. 3916. 21. eius cum Car-
bone contentio, an. mund. 3924. num.4.
mors eius,3925. nu.7. de ea coniux ſuſpe-
cta, nu.8. quot annis vixerit, num.9. 10.
quando natus, & quando Coſ. fuerit, ibid

AFRICANÆ res contra Tacfarinatem &c. an.
m.4073.nu.3.74.n.2.75.nu.4 a Dolabella
ibi debellatum, a.4077. n.3. Africana lues
ex locuſtis, an.m.3929.n.4.& 5.

M. Vipſanius AGRIPPA Coſ. a. m.4017.nu.1. 1.
V.C.716. pro Auguſto rem bene gerit in
Gallia, fit eius Nauarchus, & triumphum
omittit,ibid. nu.2. Aquitanos vincit, an.
4016. n.6. eius pugna & victoria ad Mylas
contra Pompeianos,4018. n.22.

Agrippa virtute Cæſar nauali prælio Pom- 2.
peianos vincit,an. m. 4018 nu. 27.& 28. à
Cæſare inſigniter honoratur, numer.34.
Methonem in Peloponneſo expugnat, a.
4023. nu. 7. aliaque in Græcia bene gerit
contra Antonium,n.7.& n 10.

Agrippa multum iuuit Actiacam victoriam, 3.
an.m.4023. nu.13. honoratur ab Auguſto
Romæ,4025. nu.13. & facit ſuæ centuriæ
collegam,n.15. & 4026. nu. 2. & Conſula-
tus,n.1.ei dat ſororis ſuæ filiá vxorem, ibid.

Agrippæ cum Auguſto intima familiaritas, a. 4.
mu.4026. nu.1. & Agrippæ erga eum mo-
deſtia & prudentia, ibid, & a. m. 4027.nu.
6. Ludos cum eo pro Actiaca victoria ex-
hibuit,nu.4. fit III.Coſ. ab Auguſto VII.
an.m 4027.n.1.

Agrippa Pantheon in 3. Conſulatu ædificare 5.
cœpit,a.4027.10.in Cæſaris gratiam ſepta
comitiorum ornauit,4028. nu. 7. vocauit-
que ſepta Iulia, n.7. Agrippam Herodes in
regno ſuo imitatur,n.8. alia eius opera in-
ſignia, 4029. 4.

Agrippa Pantheum perficit,an.mund. 4029. 6.
numer.4. in eoque Cæſarem honorat, ſi-
bique demeretur, ibid. Auguſti in eum
amoris & honoris inſignia, ibid. ei egre-
gias ædes apud ſe conſtruit Herodes, n. 6.
& 4030.nu.6.

Agrippam Marcello nepoti præfert Augu- 7.
ſtus,4031.nu.1. dato illi annulo deſperata
vita, ibid.& n 2. eundem ad vitandam of-
fenſionem mittit in Syriam, ibid. quam
per legatos regit, ibid. & ann. mun. 4032.
numer.1.

Agrippa fit gener Auguſti, dimiſſa eius nepte 8.
& accepta filia Iulia,ann.mu. 4033. n.3. &
Præfectus vrbi,ibid. ſuſcipit ex ea Caium,
4034.n.1. eius expeditio in Gallos,& Can-
tabros, an. 4035.nu. 34. Auguſtus eum ſibi
ſupparem facit, 4036.n. 1.

9. *Agrippa* Lucium ex Iulia ſuſcipit, a.m. 4037. nu. 1. venit in Syriam & Ieruſalem, & ab Herode excipitur, an. 4038. num. 6. Eum rurſus adit Herodes, an. 4039. n.1. & ab eo res in Ponto geſta, n.2. cum eo Epheſum adit, & Samum, n.3.

10. *Agrippa* Romæ honoratur, an. m. 4040. n. 1. redit e Syria, 41. n. 13. ei tribunicia poteſtas in aliud quinquennium datur, ibid. eius expeditio Pannonica; & in reditu mors, 4042. nu. 7. eius funus ab Auguſto celebratur, ibid. & 4047. n.3. eius virtutes, 4042. n.8. fuit egregium aulicæ vitæ exemplar, ibid.

1. Agrippa iunior Poſthumus, naſcitur ex Iulia, an.m. 4042. n. 8. adoptatur ab Auguſto, ibid. vna cum Tiberio, 4057. n. 7. accipit virilem togam, 4058. n. 5. abdicatur, & relegatur ab Auguſto, 60. n. 2. paulo ante mortem viſitur ab eodem Aug. cum ſpe reſtitutionis, a. m. 4067. n. 5. 6.

2. *Agrippa* reſtitutionem Liuia impedit, per Auguſti cædem, a.m. 4067. nu. 5. 6. ab eius cæde Tiberius inchoat principatum, numer. 14.

Pseudo agrippa à Tiberio circumuentus occiditur a.m. 4069. 7.

1. Agrippinam Germanici vxorem Plancia Piſonis vxor iuſſu Tiberii vexat, a.m. 4070. n.5. & 4071. n.4. Leſbi nouiſſimo partu Iuliam edit. 4071. nu. 2. eam maritus moriens conſolatur, a m. 4072. 3.

2. Agrippina Romam venit cum mariti reliquiis, ann. mun. 4073. n. 1. magnis erga ſe ſtudiis accipitur, ibid. Seianus eam ambitionis imperii apud Tiberium accuſat, a. m. 4076. n.6 & 77. n.1.

3. Agrippina pro ſobrina fruſtra Tiberium orat, 4079. nu. 5. ab eodem fruſtra coniugium petit, num. 6. Seianus ei ſuſpectum reddit Tiberium veneficii, vnde mutua odia, ibid. circumuenit & filios eius, n. 8. & an. 4080. n.5.

4. Agrippina crudeliter à Tiberio necatur, an. mu. 4086. nu. 91. id eſt biennio poſt Seianum, ibid. eam Tiberius calumniis onerat; ab eodem exilio, & fame cruciata, ibidem.

Agrippina Germanici filia Cn. Domitio nubit, 4081. nu. 6. inde ortus crudelis Nero, ibidem.

Albano in monte triumphi ambitioſi, a.m. 3911. nu. 16.

Albinovani ſcelerata ad Syllam defectio, a. m. 3972. n. 14.

Sp. Albinvs Coſ. ann. mund. 3944. numer. 1. Vib. Cond. 643. Maſſiuam nepotem Maſaniſſæ incitat ad regnum Numidiæ petendum, numer. 3. quem Iugurtha Romæ interfici curat, ibid. Numidiam adit ad exercitum, ibid.

A. albinvs a Iurgutha turpiter victus, an. mund. 3945. numer. 2. turpiorem init pacem, ibidem, quam Senatus improbat, numer. 3. Sp. ignominiam delere non potet, num. 3.

1. Alcimvs quando factus Pontifex Hebræorum, ann. m. 3893. num. 16. Hebræum nomen in profanum mutat, ibid. de ſtirpe Aaronis Pontificatum pretio obtinet, nu. 17. & 20. donariis templi ſublatis, n. 17. Demetrium regem excitat in ruinam Iudæ & Aſſidæorum, 18. 19.

Alcimus à rege mittitur in Iudæam cum Bacchide, ann. mund. 3893. numer. 20. Iudam fruſtra ad ſe allicit, num. 20. alios male credulos perdit, numer. 21. Iterum Demetrium contra Iudam adit, num 28. & obtinet Nicanorem, n. 29. 2.

Alcimus tertio regem adit, vt Nicanorem à Iuda diſtrahat, 3893. n. 35. & quo euentu, n. 37. In Iudæos venit cum Bacchide, num. 41. in ſucceſſu rerum felici moritur, 3895. nu. 1. vult deſtrui murum atrii Leuitici, n. 2. à Deo punitus cũ tormento moritur, n.3. 3.

Alexander & Laodice dicti, & crediti Romæ Epiphanis filii, ann. mund. 3900. nu. 8. petunt à Romanis auxilia contra Demetrium filium Seleuci, nepotem Antiochi magni, a. 3901. n. 15. & bellum in eum parant, nu. 16. Aleſander æmulus eius in Syria, 3902. n.1. 1.

Alexander occupata Ptolemaide regnat, an. mund. 3902. numer. 1. inquiritur in eius genus, num. 2. & 3. an fuerit ſuppoſititius, aut Epiphanis nothus, ibid. & nu. 4. & 3903. n. 7. à matre dictus eſt Alexander Balæ, ibid. 2.

Alexander Balæ Ionathæ amicitiam quærit, & ei dona largitur, ann. m. 3902. n. 1. 15. & ſeqq. an dederit Ionathæ Pontificatum, nu. 13. victo Demetrio, & in prælio cæſo regnare incipit, 3903. n.6. 3.

Alexander Ptolemæi Philometo affinitatem ambit, ann. mund, 3903. numer. 6. nuptiæ celebrantur, ann. mund. 3904. numer. 1. Ionatham aduocatum valde honorat, ibi. & n. 2. & 3. defenſionem parat contra Demetrii filium, 3907. n. 3. 4.

Alexander à ſocero proditur, ann. mund. 3908. numer. 1. 2. eius ciuitates fraude occupante, ibid. & calumniis onerante, nu. 5. an vere in ſocerum Alexandri inſidiæ, num. 5. priuatur vxore, & datur eius æmulo Demetrio, n. 7. 5.

Alexander Ciliciæ motus componit, ann. m. 3908. numer. 10. 11. in Syriam contra Ptolemæum venit, numer. 11. pugnat & ab eo vincitur, ibide, fugit in Arabiam, ibique occiditur, num. 11. & 12. quamdiu regnarit, nu. 18. 6.

Alexander, Cleopatræ matris artibus, pulſo fratre Ptol. Philometore Ægypto potitur, a. m. 3889. num. 48. mox interfecta matre, ciuium metu fugit, & Ptol. regno reſtituitur, ibid.

Alexander Lathuri frater à matre in regnum reuocatur, an. mun. 3955. numer. 1. eam mox petitus inſidiis interficit, an. m. 3964. num. 2. morte cognita à populo abdicatur, Lathurus regno reſtituitur, ann. m 3965. n 1. moriens populum Ro. relinquit hæredem, n. 2.

Alexander Alexádri filius Lathuri nepos a b

Alexandrinis rex factus, ab iiſdem 19. die perimitur, a.m. 397 :, n. 2.

Alexander Zebina, vide *Zebina*.

1. ALEXANDER & Ariſtobulus Herodis & Mariamnes filii Romam à patre miſſi, an. m. 403‘. nu. 3. beneuole ab Auguſto accepti, ibid. eos repetit Herodes, ann. mu. 4042. numer. 2. & 6. magnis ſtudiis apud ſuos excepti, ibid.

2. *Alexander* & Ariſt. ex inuidia Salomes inſidiis & calumniis petuntur, a.m. 4043. n. 1. dat vtrique vxorem pater, n. 2. diſſidia domeſtica opera Salomes augentur, ann. m. 4044. numer. 8. apud incautos iuuenes, ibidem.

3. *Alexandro* & Ariſt. opponit Herodes Antipatrum quem euehit, an. m. 4044. nu. 9. iſque clam patrem in eos exaſperat, ibid. etiam Romæ per literas, 4045. nu. 6. ſtatuit Herodes eos deducere Romam ibique accuſare apud Cæſarem, ibid.

ALEXANDER & Ariſt. Romam cum patre veniunt, an. m. 4046. numer. 8. apud Auguſtum accuſantur Aquileiæ, n. 11. à quo patri reconciliantur, num. 12. eorum inuidiam in Antipatrum imprudens pater accendit, n. 13.

ALEXANDRO infeſtus Herodes ab Archelao Cappadoce callide mitigatur, ann. mun. 4047. numer. 5. fugam cum fratre ad ſocerum meditatur, a. m. 4049. n. 5. apud Cæſarem per legatos accuſantur, nu. 6. & 50. num. 4.

ALEXANDER & Ariſtob. à patre in iudicio accuſati damnantur, 4050. n. 5. & per nouam calumniam damnati occiduntur, numer. 6. & in Alexandrio tumulantur, ibidem.

1. ALEXANDER Ariſtobuli filius Iudæam vexat, an. m. 3997. n. 2. contra eum Gabinius feliciter pugnat, nu. 3. in Alexandrio oppugnatus veniam petit, & obtinet, n. 4. turbat iterum Iudæam abſente Gabinio, an. 3999. num. 3.

2. *Alexander* iterum Iudæos ad defectionem adduxit, ann. m. 3999. nu. 5. cum Gabinio infelici euentu pugnat, numer. 6. vide *Iannæus*.

1. ALEXANDRA Iannæi Pontificis vidua regnare cœpit, 3979. n. 1. alias Salome dicta, ann. 3952. n. 1. dat filio Hyrcano Pontificatum, 3979. n. 1. ſe dat Phariſæis, n. 2. qui cædes perpetrant, ibid. & 3980. n. 1. & 81. 1.

2. *Alexandra* dimittit adminiſtrationem. Ariſtobulo filio regnum inuadente, an. mun. 3987. n. 3. moritur nono regni, 73. ætatis, ibid. eius mores, ibid.

1. ALEXANDRA Hyrcani filia ſocrus Herodis, filio ſuo Ariſtobulo Pontificatum ambit, a. m. 4019. n. 2. & ab Herode impetrat, n. 3. qui ab ea & filio timens ſibi, eos moleſtius obſeruat, a. m. 4020. n. 2. hi fugam in Aegyptum cogitant, n. 2. ſed eos deprehendit Herodes, ibid. eius pro filio luctus & vindictæ cupiditas, n. 5.

2. *Alexandra* ab Herode in vincula coniicitur, 4021. n. 7. & mox cum filia eius Mariamne in caſtello Alexandrio, 4024. n. 6 7. in filiam morituram exaſperatur, 4025. nu. 9. ab Herode iubetur interfici, n. 10.

ALLOBROGES victi, vide Cn. *Domitius*.

ALPHENI Vari fortuna, ann. m. 4055 ſchol. 1.

ALTARE holocauſtorum euertitur, reſeruatis lapidibus, a. m. 3890. n. 10. & nouum à Iuda excitatur, nu. 9. Altare aureum ab Antiocho Epiphane templo ſublatum, an. m. 3885. n. 32.

AMBITIONIS notatur Appii triumphus de Salaſſiis, & cur, 3911. 16. Ambitio Romæ ſeditiones excitat a. mun. 4035. nu. 31. vide & num. 33. in propinquos crudelis, an. m. 3930. num. 15. res Romanas perturbat, ann. 4002. nu. 4.

AMMONIVS amicus Alexandri Balæ, an. mun. 3908. nu. 5. inſidiarum artifex, eiuſdemque cædes, ibid. dominatus in Syria, num. 6. vide & n. 8.

AMPHIPOLIM Perſæus victus fugit, a. m. 3886. nu. 26. & quæ ibi generit, n. 27. vrbs ſeſe dedit Romanis, n. 28. eodem Perſeus captiuus deducitur, n. 34.

AMPHITHEATRI ruina, & ex ea clades, an. m. 4080. n. 1.

ANACLETERIA Ægypti reges celebrant, ann m. 3884. n. 3.

ANANELVS ab Herode in locum Hyrcani fit Pontifex, an. m. 4018. n. 4. quod hominis genus, nu. 5. de gradu deiicitur, eique ſuccedit Ariſtobulus, 4019. nu. 2. 3.

ANANVS Ioazaro in Pontificatu a Quirinio ſubſtituitur, a. m. 4062. n. 5. non videtur Annas, ibid.

ANDRISCI, qui & Pſeudophilippus, initia, a. m. 3902. n. 40. Iuuentium Prætorem cum exercitu delet, 3905. nu. 22. cum fouent Carthag. 3906. n. 11. contra eum feliciter pugnat Metellus, n. 12.

ANDRISCVS diuiſis copiis vincitur, an. mun. 3906. numer. 13. & proditione capitur, ibidem.

ANDRONICVS præfectus Antiochiæ pro Antiocho, an. m. 3882. n. 10. ſacrilegiis redimitur ad cædem Oniæ Pontificis, n. 11. quem perfide interimit, nu. 12. mox à rege cum ignominia interficitur, n. 12.

ANDRONICVS alius præfectus pro Epiphane in Garizim, an. 3856 n. 1.

ANDRONICVS Perſei præfectus cur ab eo iuſſus occidi, 3885. n. 13.

ANGELI quinque pro Iuda contra Timotheum pugnant, an. 3891. nu. 65. 66. 67. & vincunt, n. 68. & rurſum in expeditione contra Lyſiam, numer. 74. vide & 3891. numer. 99.

ANGELVS Gabriel prænunciat Zachariæ filium, ann. mund. 4051. nu. 11. & cur, ibid. 1.
Idem nuncius diuinæ Incarnationis, ann. mund. 4052. numer. 52. quo ex loco ſalutauit Virginem, num. 62. quo die, nu. 59. qua hora, n. 63.

Angelus idem nunciat paſtoribus Chriſtum 2.
natum, an. 4052. n. 85. explicatur, nu. 85 86. Angelorum canticum, n. 88. Angelica lux cur terreat, a. m. 4052. n. 85.

1. S. Annæ ortus, an. m. 4016. n. 12. Beatam Virginem filiam precibus impetrat, & offert Deo, an. mun. 4037. num. 8. fuiſſe ſterilem, num. 7. habitat in Nazareth, an. m. 4038. num. 1. in partu repletur Spiritu ſancto, n. 4.
2. S. *Anna* votam Deo Virginem offert, 4041. num. 1. & ſeqq. quæ vtriuſque parentis erga eam deuotio, nu. 5. quod oblationis meritum, num. 6.
3. *Annunciatio*, vide *Angelus*, *Incarnatio*, *Maria*.
Anni Græcorum dupliciter computantur, a. m. 3891. n. 79. Annus confuſionis & intercalationum, ann. m. 4008. nu. 28. quam fuerit longus, num. 29. inſtar eſt Biſſextilis, numer. 31. an vere biſſextilis fuerit, n. 36. quanta fuerit tempore Cæſaris eius neceſſitas, n. 38.
Annvs Iulianus primus, ann. m. 4009. num. 1. Annus concepti natique Chriſti, an. m. 4052. Annus eius primus, an. mun. 4053. annus primus Æræ Chriſtianæ, 4054. annus baptizati Chriſti, trigeſimus incipiens, a. mun. 4082. ſinguli ſuis locis accurate probantur.
Annos Iulii Cæſaris, Octauii Auguſti, Herodis, vide anno nati Chriſti, & in morte ſingulorum; Annos ſabbaticos, & Iubilæos, Actiacos & Auguſtorum, Græcorum & Romanorum, vide ſuis locis.
Annvm quando correxerit Auguſtus, ann. mund. 4041. fine, vel potius, ann. mund. 4046. n. 2. & 3.
Antichristvs ab Antiocho Epiphane figuratus, an. mun. 3879. nu. 3. & 4. & vtriuſque tempora ſimilia, ibid. vide etiam, an. m. 3890. n. 22.
1. Antigonvs Hyrcani filius, Ariſtobuli regis & Pontificis Iudæorum frater, in ſocietatem ab eo dominationis aſſumitur, ann. mund. 3951. numer. 4. per calumnias fit ſuſpectus fratri, num. 5. 6. & mox deceptus occiditur, nu. 7.
2. *Antigoni* de morte, Iudæ cuiuſdam vaticinium, an. mun. 3951. num. 8. & Ariſtobuli pœnitentia, n. 10.
1. Antigonvs Ariſtobuli filius de patris cæde apud Cæſarem queritur, a. m. 4007. nu. 31. intempeſtiuè apud eundem Hyrcanum & Antipatrum accuſat, & hic illum viciſſim, nu. 31. & 32. Iudæa potiri cupit, an. m. 4012. nu. 29. Herodes eum prælio ſuperat, & Iudæa expellit, ibid. Parthos qui Syriam duce Labieno occuparant, ſibi conciliat, & quo pretio, 4014. n. 22.
2. *Antigonus* ope Parthorum vi Hieroſolymam occupat, ann. m. 4014. n. 22. rexque conſtituitur, n. 24. Hyrcano patruo Herodis fautori aures adimit, ibid. vexat Herodis familiam, Ventidium à Iudæa largitione repellit, n. 35.
3. *Antigonum* adit Herodes cum exercitu, an. mun. 4014. num. 36. eumque Hieroſolymis obſidet, num. 37. ſub hyemem ſoluta eſt obſidio, numer. 38. Antigonus Ioſephum Herodis fratrem circumuentum occidit, an. mund. 4015. num. 8.
Antigonus iterum Hieroſolymis ab Herode obſidetur, an. mun. 4016. num. 11. & anno 4017. numer. 3. & 4. Expugnata vrbe Antigonus ſe Soſio dedit, à quo in vincula conijcitur, an. 4017. n. 5. & vinctus ad Antonium ducitur, n. 7. 4.
Antigonum Antonius in triumphum ducere cupit, eius mortem pecuniis redimit Herodes, an. m. 4017. n. 7. Antiochiæ ſecuri percutitur, nu. 8. ignauiæ male à Ioſepho accuſatur, n. 9. & 10. 5.
Antigonus ante ſecurim virgis cæſus ad palum, an. mun. 4017. num. 11. num in pugna cæſus, n. 12. plurima eius prælia contra Iudæos, n. 13. 6.
Antiochi magni res in Scriptura obſcuræ, ann. mund. 3894. numer. 13. & ſeqq. an captus viuus, numer. 15. magnitudo tributi eius, numer. 16. An poſſederit Indiam, num. 17. & 18. aut Mediam, numer. 18. aut potius Mœdiam Thraciæ vicinam, numer. 19.
Antiochvs Illuſtris, ſiue Epiphanes typus Antichriſti, an. m. 3879. num. 3. & 4. genus eius, nu. 5. quando regnare cœpit, num. 5. & 6. ratio nominis eius, num. 6. & 7. cur deſpectus a Daniele dicitur, & cornu modicum, 8. & impudens facie, &c. n. 9. 1.
Antiochus cur adularetur Romanis, an. mu. 3879. num. 8. & 3885. num. 20. eius in Syriam aduentus clandeſtinus, a. 79. nu. 11. & 12. adeſt Tyrio certamini, an. mun. 3880. num. 3. dolo ambit regnum Ægypti, n. 4. adit Ieruſalem, & Phœnicem, n. 6. 2.
Antiochi prior in Ægyptum expeditio, eiuſque cauſa, a. 3881. nu. 1. & ibi geſta ex Daniele, nu. 2. vincit Aegyptios, n. 3. Memphi maiorem Ptolemæum conſtituit, minorem Alexandriæ obſeſſum relinquit, num. 3. & 4. 3.
Antiochus Romam mittit legatos, præueniens Aegyptios, a. m. 3881. n. 8. cum muneribus, num. 9. ex ſua præda, ibid. Cyprum abſtulit Ptolemæo nepoti, an. 3881. num. 8. adit Tharſenſes tumultuantes, nu. 10. de morte Oniæ dolet, eamque vlciſcitur, n. 12. Oniam dilexit, n. 13. 4.
Antiochus in cauſa Menelai male iudicat, a. m. 3883. num. 2. & accuſatores innocentes perimit, nu. 3. ſtudet Romanis bello Macedonico, num. 4. Altera eius in Aegyptum expeditio, ann. mu. 3884. nu. 1. eius cauſa & occaſio, n. 2. 5.
Antiochi expeditio eadem 3885. nu. 1. iniqua eius à Ptolemæo poſtulatio, nu. 3. Iubetur à Senatu Alexandria, atque Aegypto abſcedere, eique paret, n. 5. Cypro quoque, licet claſſe victor cedit, ibid. Vide rationem temporis, a. 3886. n. 7. 6.
Antiochus cur Iudæos tanta clade affecerit, a. m. 3885. nu. 19. 20. 21. eius apud Rom. diſſimulatio, num. 20. An vi vrbem occuparit, numer. 22. eius vanitas & iactantia, numer. 25. 31. 34. templum ſpoliat vaſis omnibus, & pecuniis, num. 28. & ſeqq. detrahit aurum & arg. è ſacra ſupellectili, 7.

num.33. & profanat, vide ann. mun.3921. num.4.

8. *Antiochus* etiam abſens vexat Iudæos, ann. mund.3886. num.1. decreto iubet Iudæos à fide deficere, an. mun. 3887.num 7. 8. 9. & quæ nominatim prohibuerit, ibid.prædicitur Dei in eum vltio, nu.41.& 47. & 3888.n.29.& completur,91.n.9.

9. *Antiochum* pudet vinci à martyribus,an.m. 3887.nu.44. & 45.eius nequitia, num. 48. Eſt ſimulator & fraudulentus, an. mund. 3879.num.9.12. & ann.mun.3888. numer. 9. à Romano legato agnoſci nequit, numer.9.

10. *Antiochus* auditis ſecundis Iudæ præliis magnas cogit copias, ann.mund 3889. num. 15. apparatus eius ad bellum, numer.16. eius inopia mira & iuſta, numer. 17.quæ daret Lyſiæ mandata, nu.19.abit in ſuperiorem Aſiam,ibid.

11. *Antiochus* Eumeni ſocius in Romanos, an. mund.3889.numer.47. vterque Romanis ſuſpectus, ibid. & an.mu.3890.n.32. Eius mortis tempus, & anni regni, ann. mun. 3891.num.1. bellum eius in Artaxiam Armenum, num.3.

12. *Antiochus* quod templum in Aſia prædari voluerit, 3891. num. 4. vrbem fruſtra ingreditur, numer.5. fugatur, ibid. accipit nuncium cladium ſuarum in Iudæa,num. 6. percutitur à Deo, n.7. ei Scriptura inſultat, ibid. & n.10. 12.

13. *Antiochus* in lecto vehementius cruciatur, num.8. & apud amicos lamentatur, num. 9. agnoſcit cauſam morbi ſui,num.9.& 10 magnitudo morbi eius, n. 10. fatetur culpam ſuam, n.11. irrita pœnitentia,ibid.ſatisfactionem offert,n.12.

14. *Antiochus* moribundus ſcribit ad Iudæos, ann.m. 3891. num. 13. commendat filium ſuum, num.14. Philippum regni tutorem inſtituit, num.16. quo loco mortuus fuerit, n.17.eius ex Daniele Epitaphium, nu. 19.20.ex Scriptura eius elogia,n.20.

15. *Antiochi* aliud Epitaphium, an.m. 3891.nu. 22 & ſeqq. dicitur inſaniſſe, nu. 25. vide *Alexander* Balæ, nu.1.& 2. & Ioſephi de eius morte malum iudicium, num. 26. arguitur, n. 27. & ſeqq. corpus Epiphanis Antiochiam transfertur, nu.57.

1. ANTIOCHVS Eupator filius Ant. Epiphanis ab eo Lyſiæ committitur, 3889. n.18. eius regni initium, 3891. nu. 2. Hæres paternæ malitiæ, n.15. regno ſufficitur, n.58. Lyſias princeps militiæ eius,& prorex,ibid.

2. *Antiochus* à Lyſia perſuadetur pacem dare Iudæis,3891.nu.77.& 78. eius epiſtola qua ſuam Iudæis religionem & Remp. permittit,n.82. ſcribit ad Iudæos,num.83. inducit amniſtiam,n.84.ei fauent Romani contra Demetrium, & cur. n.120. vide *Eupator*.

1. ANTIOCVS filius Alexandri Balæ Tryphonis opera fit rex, victo fugatoque Demetrio, a.m.3910.n.8. eius tutor Tryphon,nu. 10. conciliat ſibi Ionatham & Simonem, nu. 10.& 11. an fuerit legitimus rex,3911.n.2.

2. *Antiochus* à Tryphone tutore occiditur, an. m.3912.n.24. opera chirurgorum,ibidem. mors eiuſdem ex Ioſepho,num. 25.& 26. quandiu regnarit,n.26.

ANTIOCHI Gryphi filii Demetrii ortus, ann. m.3913. n.1.initia regni eius, a.m.3929.nu. 1. vnde nomen Gryphi illi datum, num.1. Athenis eruditus,numer.2. fit rex à matre Cleopatra, ibid. Zebinam tyrannum interficit, nu.3. 1.

Antiochus Gryphus matrem veneno potat, quod illa filio parauerat,an.m.3930. n. 14. inde dictus Philometor, n.15. eius octennis quies, an. m.3931.n. 1. cum fratre Ant. Cyziceno bellum gerit, 3937.n.3. Cyzicenum acie vincit, & Antiochiæ obſidet, & in fugam compellit, a.m.3939.n.1. 2.

Antiochus Gryphus vxorem fruſtra à cæde ſororis reuocat,a.m.3939.n.2. ſed ea moxdat pœnas,a.m.3940.n.2. fratrem Cyzicenum alternis Syria pellit, ac pellitur, a.m. 3941. n.1. & 4953. n. 3. Heracleonis inſidiis occiditur, 3957. n. 5. ei ſuccedit filius Seleucus,a.m. 3958. n. 1. inde ſecundus filius Antiochus, 3961.nu.1.inde Philippus tertius,3962.n.1. Quartus Demetrius Eucærus,963. 12. Quintus Dionyſius,3668.1. 3.

ANTIOCHVS Demetrii frater cognomento Soter & Sidetes, à Cleopatra vxore Demetrii ducitur,3915. n.2 & 3. alia eius cognomina,ibid.ſcribit ad Simonem pontif. n.4. genus eius, ibid. ipſa epiſtola plena vanitate & promiſſis,n.5.& 6. 1.

Antiochi Sidetis initium regni,an. mu. 3916. n. 1. in Tryphonem inſurgit, & victum è ſuperiore Syria eiicit, nu. 1. & 2. eumque in vrbe Dora obſidet,ibid.& ann.m.3917. n.1. Simon ad eum mittit auxilia, quæ ille repudiat,n.2.& 3. 2.

Antiochus Triphonem fugitiuum perſequitur,& ducem Cendebæum contra Simonem mittit,an.m.3917.nu. 9. Tryphonem iterum obſeſſum ad mortem compellit, 3918.n.1. mox vrget bellum in Iudæos,11. 3.

Antiochus mortuo Simone obſidet Hyrcanum Hieroſolymis, 3920.nu.8. 9.10.eius pietas in Iudæos obſidione durante, 3921. n.4.repellit qui crudelitatem ſuadebant, n.5.pacem init cum Iudæis,n.6.& 7. 4.

Ant. Sidetes Parthicam cum Iudæis ſuſcipit expeditionem,3922.nu.1.eius luxus ex Iuſtino, nu. 2. tribus præliis Parthos fregit, ibid.& n.3.mortis eius cauſa,& modus ex Iuſtino,a m.3923.n.2. 5.

Antiochi Sidetis mors ex diuerſis, ann.mun. 3923. n.3. ex li.2. Mach. n. 4. 6. 7. 8. Deam Nanneam vxorem ducere voluit,nu 9.lapidibus in templo obruitur, ibid.& n. 10. non effugiſſe è templo,n.10. 6.

ANTIOCHVS Sidetis filius,3931 n.1. dictus Cyzicenus cum fratre Antiocho Grypho,diu armis contendit,ann.3937.n.3. Antiocheni pro eo contra Gryphum pugnant, an.m. 3939.nu.1.eumque vincit,ac regnare incipit,a.m.3940.n.1. 1.

Antiochus Cyzicenus pro Samaritis ſemel iterumque pugnat,3940.n.3.&.4. fratrem Gryphum alternis Syria pellit,ac pellitur, 2.

3941. num. 1. & 3953. num. 3. cum eo bel-
lum Seleucus Gryphi filius gerit, a. m. 3958
num. 1.

3. *Antiochus* Cyzicenus in prælio captus, à ne-
pote Seleuco neci traditur, a. m. 3958. n. 1.
monimentum auaritiæ eius, ibid. eius fi-
lius cum filio Gryphi diu de regno decer-
tant, n. 4.

1. ANTIOCHVS Pius Cyziceni filius regnare in-
cipit, an. mun. 3959. numer. 1. & victum
Seleucum filium Gryphi expellit, ibid.
duxit patris, & patrui viduam, n. 2. vnde
dictus Pius, ibid. an regno à Tigrane pul-
ſus, ibid. vbi regnare cœperit, n. 3.

2. *Antiochus* Pius fratrem Seleuci perimit, qui
& ipſe Antiochus dictus eſt, a. m. 3961. n.
1. pugnat cum duobus fratribus Gryphi
liberis, breuique extinguitur, 3964.

ANTIOCHVS Commagenus à Ventidio Sa-
moſatis obſidetur, ann. mund. 4015. nu.
4. mox obſidionem ab Antonio redi-
munt, nu. 5.

ANTIOCHVS Antiochi Pii filius dictus Aſia-
ticus, in Aſia Tigrane regnante delituit,
a. m. 3968. n. 2. vide & 3969. n. 1.

ANTIOCHENORVM ingens à Iudæis clades, a.
m. 3910. n. 3. 4. 5.

ANTIOCHIA ſeditioſa, an. mun. 3939. n. 1. & a.
4006. n. 19 ius Antiochenæ ciuitatis, an.
m. 3879. n. 15.

ANTIPAS Herodis filius quartam regni par-
tem ab Auguſto obtinet, a. m. 4054. nu.
13. receptus in gratiam Tiberii condit Ti-
beriadem, 4071. n. 6. Herodes quoque di-
ctus, & à Chriſto Vulpes, vide familiam
Herodis, a. 4013. n. 52.

ANTIPAS Idumæus caput Herodianæ fami-
liæ, auus Herodis, a. m. 3989. n. 1. vide ta-
men, n. 11.

1. ANTIPAS qui & Antipater eius filius Hero-
dis pater, vide familiam Herodis, a. mun.
4053. num. 52. quietas Iudææ res turbat,
a. m. 3989. numer. 1. potens & factioſus,
ibid. Hyrcano pontifici fugam ad Arabes
perſuadet, n. 2.

2. *Antipater* Aretæ regi Arabum perſuadet bel-
lum pro Hyrcano contra Ariſtobulum, a.
mun. 3989. num. 2. & 3. an fuerit diues,
num. 11. & 12. videri Aſcalonitam, ibid.
legatus eſt pro Hyrcano ad Pompeium,
a. m. 3991. n. 4.

3. *Antipater* in gratia apud Caſſium, eius vxor
& filii, an. mun. 4002. n. 3. curat Pitho-
laum à Caſſio interfici, ibid. Bello Ale-
xandrino pro Cæſare iuſſu Hyrcani arma
fert, relictis Pompeii partibus, a. m. 4007.
n. 17. Iudææ procurator, n. 32.

4. *Antipatri* geſta in bello Alexandrino, an. m.
4007. numer. 17. & 18. vna cum Mithri-
date Pergameno, ibid. alia eius geſta, 19.
& 20. reuocantur in dubium, numer. 21.
Iudæam à diſceſſu Cæſaris componit,
mœnia reſtaurat, &c. numer. 38. & 4008.
40.

5. *Antipater* filios ſuos gubernationi admo-
uet, an. mun. 4008. 40. vnde exorta in
eum, eiusque filios inuidia, numer. 47.
ab eo nominat vrbem inſtauratam Anti-
patrida, a. m. 4044. 7. à Malicho veneno
tollitur, a. m. 4011. n. 25.

ANTIPATER filius Herodis ex Doride Idu- 1.
mæa, euehitur à patre contra filios Ma-
riamnes, an. mun. 4044. num. 9. qui clam
patrem in eos exaſperat, ibid. Romam
mittitur quaſi regni heres futurus, n. 9. an
cum Agrippa, n. 10. & 11.

Antipater clareſcit Romæ, an. mun. 4045. n. 2.
6. & per literas odium patris in filios Ma-
riamnes acuit, ibid. aditum munit ad cæ-
dem patris, a. m. 4051. nume. 2. filiis fra-
trum interfectorum infenſus, n. 4. ſe Ro-
mam euocari curat, n. 5.

Antipater patri venenum parat, ann. mund. 3.
4051. numer. 5. & à ſuo procuratore dari
curat, ibid. aliud venenum Roma mittit
ad tollendum patrem, numer. 6. res He-
rodi innoteſcit, ibid. ipſe inſcius redit ad
patrem 4052. numer. 16. à quo male ac-
cipitur, nu. 17.

Antipater apud Varum veneficii in patrem 4.
accuſatur, an. 4052. numer. 17. & frater-
næ cædis per calumniam, numer. 18. alio-
rumque criminum, ibid. qualis eius de-
fenſio, numer. 19. damnatur à Varo, &
ab Herode vincitur, ibid. occiditur, 4053.
nume. 45.

M. ANTONII oratoris ortus, ann. mun. 3911.
numer. 16. fit Conſul, a. 3955. & Cenſor,
a. 3957. numer. 6. poſtulatus eſt ambitus,
ibid. iuſſu Marii & Cinnæ confoſſus in-
teriit, a. m. 3967. n. 10.

M. ANTONIVS Triumuiri pater temere Cre-
ticum bellum ſuſcipit, an. mun. 3986. n.
5. maléque gerit, num. 6. poſt multas pro-
uinciarum, & inſularum populationes
morbo perit, ibid.

C. ANTONIVS Coſ. cum M. Tullio, an. mun. 1.
3991. Vrb. Cond. 690. Catilina facile ſe
Antonio vſurum ſperat, numer. 35. eum
ſibi deuincit Cicero pactione prouinciæ,
ibid. iubetur Catilinam cum exercitu per-
ſequi, numer. 39. particeps coniurationis
ibid. & a. 92. n. 6.

C. *Antonius* in Catilinam cum exercitu pro 2.
fectus, illum in fugam cogit, ann. mund.
3992. numer. 5. 6. contra eum per Petre-
ium legatum pugnat, numer. 6. & vincit,
numer. 7. caput Catilinæ in vrbem mittit,
ibid. in Macedonia male rem gerit, num.
8. & mox accuſatur, ibid. vide & an. mun.
4005. num. 44. & ann. 4011. numer. 24.
eiusdem Caii mors, ibidem, & 4012. 9. n.
4. ante Præturam, ibid.

M. ANTONIVS Coſ. cum Iulio Cæſare V. 1.
Conſule, an. mun. 4010. num. 8. Magi-
ſter equitum eo II. Dictatore, 4007. num.
4. peruicit vt Cæſaris literæ in Senatu le-
gerentur, 4005. numer. 5. Tribunus pl. n.
5. & 7.

M. Antonium Cæſar ante pugnam Pharſali- 2.
cam euocat, an. mun. 4006. num. 7. ſini-
ſtro cornui præficitur, numer. 12. Solus
Antonius Magiſter equitum Remp. ge-
rit, 4007. num. 5. armatis vrbem ſtipatam

tenet, ibid. & turbas ſerat, quæ eo abſen-
te renouantur, n. 6.

3. *M. Antonius* legem tulit de Quintili in Iu-
lium mutando, a. m. 4010. numer. 9. Lu-
percum agit Conſul, & diadema Cæſari
imponit, numer. 10. & 11. Lupercorum
collegio præeſt vt flamen dialis, numer.
11. in Iulii cæde male ab Antonio abſtine-
tur, n. 19.

4. *M. Antonius* fugit & latet, mox Senatum co-
git, an. mun. 4010. num. 24. eo annitien-
te concordia, quam Tullius ſuaſerat, ſta-
bilitur, ibidem. Lecto Cæſaris teſtamento
turbat omnia, nu. 26. & oſtenſo populo
cadauere, laudatoque 27.

5. *M. Antonius* acta Cæſaris deprauat, agitque
tyrannicè, an. mun. 4010. numer. 30. O-
ctauium contemnit, pecunias ab vxore
Cæſaris capit, & Lepidum ſibi adiungit,
numer. 31. Antonium Octauius demere-
tur, numer. 34. mutua eorum ſimultas,
nu. 36.

6. *M. Antonius* Macedoniam à Senatu impe-
trat, an. mun. 4010. numer. 40. Mutinæ
D. Brutum obſidet, 4011. num. 3. Cicero
de eo hoſte iudicando agit, n. 3. decretum
Senatus de Antonio, quod ſpernens ho-
ſtis iudicatur, n. 4.

7. *M. Antonius* Mutinæ rem bene gerit, quem
Cicero Romæ vexat, ad quem compre-
hendendum Ventidium in vrbem cum
duabus legionibus mittit, a. 4011. numer.
7. eiuſdem aliquot ad Mutinam clades ac
victoriæ, numer. 8. & 9. cum morte
Coſſ.

8. *M. Antonius* Mutinæ obſidionem deſerit,
4011. numer. 10. Cæſar cum eo reconci-
liationem quærit, numer. 26. Antonius
Lepidum adit, nu. 27. ab eoque receptus
potens euadit, ib. & num. 28. ſe iungit Cæ-
9. ſari etiam per affinitatem, nu. 41.

M. Antonius opera Cæſaris de hoſte amicus
iudicatur à Senatu, an. mun. 4011. num.
42. cum Lepido, & Cæſare conſtituit
Triumuiratum, numer. 46. & 47. Cæſar
ei Ciceronem proſcribendum cedit, nu-
mer. 49. quem mox curat interfici, n. 54.

10. *M. Antonius* cum Cæſare expeditionem in
Caſſium & Brutum ſuſcipiunt, an. mund.
4012. numer. 4. Cæſar ab eo timet, 14.
Antonius pugnam contra Caſſiũ inchoat,
num. 16. ſuos ad pugnam contra Brutum
animat, n. 21.

11. *M. Antonius* Bruto exequias honorifice per-
ſoluit, 4013. 1. Græciam adit & Aſiam, n.
3. quantum donatiuum militibus ſuis pro-
miſiſſet, ibid. edit exempla clementiæ in
victos milites, nu. 3.

12 *M. Antonius* Cleopatræ propinquos in eius
gratiam necat, an. mund. 4013. numer. 4.
conuentum agit Epheſi, ad exigendas pe-
cunias, numer. 5. & quidem immenſas,
ibid. an Bithyniam adierit, vt vult Ioſe-
phus n. 6. & 7.

13 *M. Antonius* Cleopatram in Ciliciam euo-
cat, eique facile placatur, 4014. numer. 8.
eam adit in Ægyptum, vbi & hyemat nu-
mer. 9 Palmyram innoxiam dat militi di-
ripiendam, ibid. Cæſar eius ruinam medi-
tatur, a. 4014. n. 7. & 9.

M. Antonius ex Ægypto migrat, an. mund. 14
4014. numer. 8. Brunduſio excluſus Cæ-
ſari bellum parat, numer. 10. reconcilia-
tur, numer. 11. imperium Romanum inter
ſe diuidunt, numer. 12. & in vrbem ve-
niunt, num. 13. pacem cum Sex. Pompe-
io ineunt, n. 16. 17.

M. Antonius Orientem adit, reges & regna 15
conſtituit, an. 4014. numer. 18. quid de re
Iudæorum Antiochiæ geſſerit, numer. 21.
Romæ idem Herodem amice accipit, &
eum regem & amicum à Senatu renuncia-
ri curat, n. 29. 30.

M. Antonius Athenis Bacchum ſe dici vo- 16.
luit, cui Mineruam Athenienſes deſpon-
derunt, non gratis, an. mun. 4015. num.
2. negat Pompeio Peloponneſum, & in
eum bellum cum Cæſare parat, numer. 3.
oppugnat Samoſatam parum feliciter, n
5. 6.

M. Antonius Cleopatram Antiochiam ac- 17.
cerſit, eique totas prouincias largitur, an.
mun. 4015. numer. 7. duos ex ea liberos
ſuſcepit, ibid. Cæſar Antonium contra
Pompeium allicit, 4016. n. 6. moxque eius
auxiliis vti non vult, 7.

M. Antonij cum Auguſto ſimultas, & re- 18.
conciliatio opera Octauiæ, quæ vni ſoror,
alteri vxor erat, a. 4016. numer. 7. copias
commutant, ibid. Antonius redit in O
rientem, numer. 8. omnia ob Cleopatrã
inconſulte agit, ann. mund. 4018. nu
mer. 7.

M. Antonius bellum Parthicum Moneſi cõ- 19.
mittit, & quo præmio Xerxiſe comparat a
mun. 4018. numer. 6. male rem gerit cum
Parthis, nume. 9. 11. Armeniam confuſu:
plurimo cum labore repetit, n. 12. 13. qualis
in ſuos ægros eſſet, nu. 14.

M. Antonius deliberatam habet cædem ſui, 20.
an. mun. 4018. numer. 14. & 16. in Arme-
nia quieſcit, & in multa clade ſe victorem
putide prædicat, num. 15. & 16. inde pro-
fugit in Syriam, numer. 16. ad eum Sex.
Pompeius victus profugit, n. 29. & 34. & a.
m. 4019. n. 7.

M. Antonius in vino & crapula cum Cleo- 21.
patra degit, an. mund. 4019. 4. eum adit
vxor Octauia, quam Athenis iubet ſub-
ſiſtere, numer. 4. licet multis ſtipatam
donis, ibid. amittit occaſionem rei bene
gerendæ cum Medis contra Parthos, nu-
mer. 5.

M. Antonius conſilia Pompei contra ſe agno- 22.
ſcit, an. mund. 4019. numer. 9. qui à ſuis
deſertus ab Antonianis occiditur, nume.
12. an Antonii voluntate, num. 13. id gra-
tum Cæſari fuit, & ideo Antonium ho-
norauit, n. 14. fit Coſ. abſens, & abdicat,
a. m. 4020. n. 1.

M. Antonius adit Armeniam, ann. mund. 23.
4020. numer. 3. quæ belli cauſa, numer.
4. de eo capto vinctoque Alexandriæ triũ
phat, nu. 5. Armenii filius fit rex, & ab An

tonio vincitur, n.6. filia vero nubit Antonii filio, ibid.

24. *M. Antonius* Cæſarionem Ægypti ac Cypri regem conſtituit, ann. 4020. num.7. Antonii profuſa largitio prouinciarum, nu. 7. & 8. Antonii à Cleopatra captiuitas, n. 9. eum Herodes muneribus placat, a. m. 4021. n.6.& 7.

25. *M. Antonius* cum Medo ſocietatem init, an. mun. 4021. nu. 9. ſemina belli inter Cæſarem & Antonium, nu. 10. mutuæ eorum querelæ, a. 4022. n.4.5.6. Antonius Octauiam repudiat, n. 7. Antonium amici deſerunt, & Cæſarem adeunt, n. 7. 8.

26. *M. Antonij* teſtamentum in Senatu recitatur, quo magna ei conflatur inuidia, ann. mun. 4022. num. 8. ei conſulatus adimitur, & reipſa hoſtis iudicatur, bello Cleopatræ indicto, numer. 8. & 9. eius ad bellum contra Cæſarem apparatus, num. 9. 10.

27. *M. Antonius* Italiam petens retardatus Patris hyemat, an. mun. 4022. num. 12. male a turba nautica paratus, a. 4023. numer. 7 aliqui duces ab eo deficiunt, nu. 10. ſuos habet ſuſpectos, nu. 11. nauali & equeſtri prælio fit inferior, n. 11.

28. *M. Antonius* Actiaca pugna vincitur, an. m. 4023. nu. 13. & ſeqq. Cleopatram fugientem turpiſſime ſequitur, nu. 15. & 16. ſtupens cum Cleopatra Ægyptum petit, nu. 19. 20. legatos & munera ad Cæſarem mittit, 4024. n. 15. 16.

29. *M. Antonius* ad Alexandriam equitatu victor pedeſtri pugna vincitur an. mun. 4024. num. 17. ſibi manus infert fraude Cleopatræ, n.18 regnauit cum Cleopatra annis 14. vel 15. n. 25. quid factum vtriusque filiis, nu. 26.

30. *M. Antonij* familia cum vxoribus & liberis, a. m. 4024. n. 27.

1. L. Antonivs pietas Coſ. a. m. 4013. Triumviri frater, num. 1. eo Conſule bellum Peruſinum conflatum eſt, cuius ipſe pars magna fuit, an. mun, 4013. num. 12. excipit pulſos ſuis poſſeſſionibus, n. 13. adiungit ſe Fuluiæ viragini in gratiam viri eius Antonii, ibid.

2. *L. Antonius* triumphat de quibusdam Inalpinis non ſine conſenſu Fuluiæ, an. mun. 4013. nu. 14. eius copiæ contra Cæſarem, 15. vrbem occupat, ibid. Peruſiam adit, ibique à tribus exercitibus obſidetur, n. 17. & 4014. n. 2.

3. *L. Antonius* fame preſſus de pace concilia init, an. mun 4014. nu. 3. legatos ea de re mittit ad Cæſarem, ibid. quem mox ipſemet fidenter adit, n.4. parique fiducia accipitur, num. 5. deditione facta eum Cæſar apud ſe accipit, n. 6.

Apellem Perſeus cur interfecerit, a.m. 3881. n. 5. & 6.

Apionis Alexandrini fabula de ingreſſu Antiochi in templum, an. mund. 3885. numer. 36.

Apiones duo reges Ægypti, an. mun. 3979. nu. 5.

Appii triumphus de Sallaſſis cur notatus ambitionis, a. m.3911. n. 16.

Apollonivs legatus Epiphanis in Ægyptum a. m. 3880. n. 5. & 3881. n. 8. miſſus ab Antiocho miris modis ſæuit in Iudæos, 3887 n. 3. 4.

Apollonivs dux regius in Samaria, à Iuda victus occiditur, a. m.3889. n.8. 9. quis hic Apollonius, n.10.

Apollonivs dux iunioris Demetrii contra Iudæos, a.m.3907. n. 4. eius vanitas aduerſus Ionatham, n. 5.6.

Aqvæ ſextiæ Colonia, a. m.3931. nu.2. Ibi pugna Marii, 3952. 7.

Aqvilam auream Herodis Iudæi per ſeditionem concidunt, a.m. 4052. n.22. & 23. vt ab Herode caſtigati, ibid.

Aqvila & flamma omen imperii a.m.4054. num. 10.

M. Aqvilivs Coſ. a.m.3925. V.C.624. Aſiatici belli reliquias confecit, nu. 6. veneno fontes infecit, poſt triennium triumphauit, ibidem, & quæ cauſa tarditatis, ibidem.

M ſiue C. Aqvilivs Collega Marii bellum ſeruile confecit, Athenionem eorum ducem ſingulari certamine interfecit, ann. 3953. 11. accuſatus repetundarum à M. Antonio defenditur, & abſoluitur, a. m.3956. nu. 7.

Arabes latrones à Iuda ſuperantur, an. mu. 3891. nu. 92. Arabiam Herodes cum exercitu inuadit, vnde Cæſar illi infenſus, an. m. 4048. n. 10.

Aradon, ſiue Aradus quid, a.m.3916. n.10. & 3959. n. 3.

Aranacorvm in Hiſpania cum Romanis ſimulatio, a.3902. n. 35.

Arcam & tabulas legis an ſuſtulerit Antiochus, a.3885. n. 33.

Arbela vrbs an prouincia, an. mun. 3894. nu. 41.

Arbores immenſi pretii, a. m. 3962. num. 5. & 6.

Archelavs Rex Cappadociæ dat filiã ſuam filio Herodis, an. mun. 4043. numer. 2. & ſchol. 1. reconciliat Herodem genero ſuo Alexandro, ann. mund. 4047. numer. 5. inuiſat Tiberio, a. 4070. nu.3. & 4. eius in eum crudelitas, ibid.

Archelavs Herodis ex Marthace Samaritide filius, an. mun. 4053. numer. 52. Rex à patre moribundo conſtituitur, num.46. rex proclamatur, nume. 48. à regis titulo abſtinet, nu. 50. Romam petit cum regia familia, n.51. 1.

Archelaus cum Antipa de regno apud Auguſtum litigant, an. mun. 4054. num. 11. Iudicii exitus, numer. 12. Archelaus crudelitatis accuſatur, 4055. num.9. Archelaida vicum condit, 58. n. 7. eius nouæ nuptiæ a. m.4059. n.5. 2.

Archelai principatus quam diuturnus, a. m. 4061. numer.1.& 2. Romæ accuſatus, acceſſitur ab Auguſto, numer. 3. eius, vel Ioſephi ſomnium, numer. 4. redactus in ordinem in exilium deportatur, 4062. nu. 3.

2. & ſchol. 1. tetrachis ei non ſuccedenti-
bus, n. 3.

ARCHELAVS primo bello Mithridatico con-
tra Syllam bellum geſſit, a. m. 3965. n. 10.
& 66. n. 10. &c.

ARCHELAVS filius eius nouus exoritur in
Ægypto tyrannus contra Romanus, a. m.
3997. numer. 5. eum capit Gabinius, a. m.
3999. numer. 4. moxque dimittit pecunia
victus, ibid. moxque victum, captumque
interimit, ibid.

ARETAS rex Arabum offendit Auguſtum,
deinde reconciliatur, ann. mund. 4050.
nu. 3.

ARETAS Arabs Cœleſyriam tenet tempore
Tigranis, a. m. 3971. n. 3. Damaſco expedi-
tionem mouet in Iannæum, eumq; vin-
cit, ibid.

ARIARATHES Cappadox bello Macedonico
Romanis ſtudet, an. mun. 3883. numer. 4
in eoſdem humanitas, 3892. num. 42. eius
cum fratre, & Demetrio bellum, 96. nu.
5. & 6. Romæ cauſam ſuam agit, 97. nu. 8.
quo euentu, ibid.

1. ARISTONICVS Eumenis ex pellice filius, an.
mun. 3923. nu. 16. poſt mortem Attali in
uadit Aſiam, ibidem. Licinium Craſſum
Conſulem vicit, & interfecit, numer. 17.
quem vice verſa Perperna vincit, & agit in
fugam, 3924. n. 6.

2. *Ariſtonicus* à Perperna domitus & captus, &
in vinculis habitus eſt, an. mun. 3925. nu.
6. ductus in triumphum videtur, à M. A-
quilio, qui reliquias belli Aſiatici confe-
cit, ibid.

ARISTOBVLVS magiſter Ptolemæi Euergetis,
a. m. 3930. n. 9. ad eum ſcribitur epiſtola
initio 2 Machab. ibid. cur dictus regis
magiſter &c. ibid.

1. ARISTOBVLVS filius Hyrcani I. nepos Simo-
nis Machabæi, primus rex & pontifex
Iudæorum, an. mun. 3951. nu. 1. matrem
fame necauit in vinculis, num. 4. fratrem
quoque Antigonum, n. 7. qua de cauſa &
occaſione, n. 5. 6.

2. *Ariſtobuli* pœnitentia, an. mun. 3951. nu. 10.
& agnitio diuinæ iuſtitiæ, & mors, num.
11. dictus & Philellen, ibid. deuictos vi-
cinos coëgit ad circuncifionem, nu. 12. an
iniuſte, ibid.

1. ARISTOBVLVS Hyrcani II. frater regnum
Iudææ occupat, an. mun. 3987. numer. 1.
res innoteſcit Reginæ Alexandræ matri
eius, num. 2. & 3. in Hyrcanum fratrem
bellum mouet, 39 8. n. 1. eumque victum
redigit in ordinem, n. 2.

2. *Ariſtobulus* neque rex neque pontifex legiti-
mus viuo Hyrcano, an. 3988. numer. 2. cui
Antipater perſuadet fugam ad Arabes, &
populum cõtra Ariſtobulum incitat, 3989.
n. 2 qui & ab Areta Arabe vincitur, & in
templo obſidetur, nu. 3.

3. *Ariſtobulus* à Scauro pecunia victo regno re-
ſtituitur, an. mun. 3989. num. 5. & 3990.
num. 1. vincit Hyrcanum & Aretam, ib.
cæſo in pugna fratre Antipatri, ibid. mit-
tit legatos ad Pompeium ſicut & Hyrca-
nus, 3991. numer. 4. eorum querelæ, ibi-
dem.

Ariſtobulus abit à Pompeio iniuſſus, an. mu. 4.
3991. numer. 5. in eum mouet Pompeius,
numer. 6. ipſamque Hieroſolymam quo
ille confugerat, num. 6. & 7. à Pompe-
io veniam obtinet irritam, nu. 7. inde ex-
pugnato templo Ariſtobulus captus vin-
citur, n. 16.

Ariſtobulus cum duobus filiis totidemque fi 5.
liabus Romam à Pompeio vinctus abdu-
citur, an. mun. 3991. numer. 16. eius vitis
aurea, 3993. nu. 8. ductus in triumphum,
numer. 10. moxque interemptus eſt, vt
ait Appianus, numer. 11. repugnante Io-
ſepho, ibid.

Ariſtobulo in vinculis, Alexander eius filius 6.
natu maior ex itinere fugit, an. mu 3994.
num. 1. & 95. num. 2. Ariſtobulus Roma
fugit, cum Antigono filio, a. 3998. nume.
1. & 3. Iudæam iterum turbat, iterumque
vincitur, nume. 2. & captiuus ad Gabi-
nium adducitur, n. 3. & vinctus Romam
remittitur, ibid.

Ariſtobulus à Cæſare Roma in patriam re- 7.
mittitur, an. m. 4005. nu. 22. & qua ſpe, n.
24. à Pompeianis veneno tollitur, à Cæſa
rianis funeratur; iuſtum Dei in illum iu-
dicium, num. 25 eius quoque filius ſecu-
ri percuſſus, nu. 26. quid factum reliquæ
familiæ, n. 26. & 27.

ARISTOBVLVS frater Mariammæ, filius Ale- 1.
xandræ, an. mun. 4019. ei mater pontifi-
catum ambit, nu. 2. & ab Herode impe-
trat, num. 3. depoſito Ananelo, ibid. fu-
gam cum matre in Ægyptum tentat, 4020
nu. 2.

Ariſtobuli necem Herodes machinatur, ann. 2.
mun. 4020. nu. 2. & a. 4021. num. 3. eum
videre cupit Antonius Triumuir, 4019. n.
2. eum Herodes in aquis ſuffocat, 4021. n.
4. Propontificem egit annum vnum, ibid.
pro eo luctus, n. 5.

AREI regis Spartæ literæ ad Oniam Pontifi-
cem, a. m. 3911. n. 4. & 8.

ARSACES rex Perſidis & Mediæ, a. m. 3914. n.
2. comprehenſum Demetrium Nicano-
rem coniecit in vincula, ibid. & numer. 3.
fuit hic ſextus rex à primo Arſace, & no
minis III. numer. 4. eius filii duo, ibi-
dem.

ARSACES, qui & Orodes legatos ad Craſſum
mittit, a. m. 4001. n. 2. quos hic male con-
temnit, n. 3. vide Orodes.

ARTABANI regis Parthorum ad Germani-
cum legatio, a. 4071. n. 5.

ARX Sion, vide *Sion*.

ASCALON dedit ſe Ionathæ contra Apollo-
nium, a. 3907. n. 12.

ASCVLVM ciuitas à Pompeio expugnatur, a.
m. 3965. n. 7.

ASDRVBALES duo ſuccurrunt Carthagini, a. 1.
m. 3905. n. 13. 14. Aſdrubalis inſignis cru-
delitas in captiuos, a. 3907. nu. 19. ſub ar-
cis expugnationem dedit ſe Scipioni, an.
39 8. n. 23. à militibus conuitiis proſcindi-
tur, & ab vxore, ibid.

2. *Aſdrubalis* vxor duobus filiis iugulatis ſe in ignem conicit, an. mun. 3908. numer. 23. ducitur in triumphum, n. 31. vitam exegit in cuſtodia, ibid.

Asinivs Gallus quando & quomodo à Tiberio necatus, a. m. 4083. n. 8. & 9. vide & a. m. 4086. n. 79.

Asinii Pollionis de Parthinæis triumphus, a. m. 4015. n. 1.

Asphar lacus, a. m. 3894. n. 64.

Assamonæi qui apud Iudæos, an. mun. 3888. n. 13.

Assidæi apud eoſdem, a. 3888. numer. 27. & an. 3893. num. 19. Aſidæus Razias, ibi. n. 48. Aſidæi à perfido Alcimo decepti, & occiſi, an. m. 3893. n. 21. eum vt periurum populus auerſatur, ibid. de eorum inſtituto vide n. 48.

Astvres in Hiſpania rebellant, iterumque domantur, an. mun. 4032. 6. quæ eorum ſedes, 4028. numer. 2. quæ belli cum Romanis cauſa, numer. 3. res in eos geſta, a. m. 4029. num. 1. foſſilibus eruendis exercentur, n. 2.

Atargate, & *Atargatien*, a. m. 3891. nu. 98. & 101.

Athenæ à L. Sylla obſidentur, an. mu. 3967. num. 12. eas & arcem expugnat, numer. 14. Athenienſes Germanicum honorant, a. m. 4071. nu. 2. cum offenſione Piſonis Syriæ præſidis, n. 3.

Athenævs Attali frater claſſe Pruſiam inuadit, a. m 3901. n. 11.

1 Athenionis Cilicis ſeruile bellum, a. m. 3951. numer. 14. contra quem hoc anno Lucullus, ſequenti Seruilius, tertio Aquilius, ib. Lilibæum fruſtra oppugnat, & cladem à Mauris accipit, ib. Saluio iungitur, num. 15. Tricalam occupat, ibid.

2. *Athenio* à Saluio in vincula coniicitur, 3951. nu. 15. à Lucullo victus inter mortuos delituit, ibid. mortuo Saluio regnum Athenioni obtigit, 3952. num. 12. prædas agit tota Sicilia, non obſtante Seruilio, ibidem.

3. Athenio ab Aquilio Coſ. ſingulari certamine pugnans occiditur, a. 3953. n. 11.

Athenionis ducis Cleopatræ perfidia, a. m. 4022. n. 3.

Athenobivs legatus Antiochi Sidetis ad Simonem, an. m. 3917 n. 5. ad gloriam Simonis obſtupeſcit, nu. 6. redit ad Dominum cum ira, n. 8.

1. Attali de Pruſia querelæ, a. mun. 3899. nu. 2. Senatus Pruſiam ab eo bello per legatos reuocat, ibid. quo euentu, an. mun. 3900. n. 7. & 3901. n. 11. inter eos pacem conſtituit, 3902. 37.

2. Attalvs per Eumenis filius Romæ beneuole acceptus redit ad patrem, an. m. 3901 num. 13.

3. Attalvs frater Eumenis legatus Romæ, an. mun. 3887. numer. 55. Senatus in eum ſtudia, ibid. ab ambiendo regno fratris reuocatur à medico Stratio, nume. 56. eius virtus omnibus acceptiſſima, nu. 57. vide etiam ſchol. 4.

Attalvs Romanos inſtituit hæredes, an. m. 3920. num. 15. eiuſdem mortis genus, nu. 17. Attali ſiue Regum Pergami familia, n. 18. Attalicæ pecuniæ diuidendæ cauſa, an. 3921. n. 22. 4.

M. Attilivs ſucceſſor Mummii quid in Luſitania geſſerit, ann. mund. 3902. numer. 36.

Avaritia Perſei regis, an. mun. 3886. num. 6. & 8. ipſi quoque pernicioſa, num. 9. & 10. punitur, num. 32. Auaritia quorundam Iudæorum à Iuda Machabæo punita, an. 3891. numer. 64. inſignis auaritia militum Romanorum, an. mund. 3887. numer. 72. 76. 77. 1.

Auaritia & diuitiæ Lentuli Auguris, & infantia, a. 4040. numer. 2. ſacrilega auaricia Antiochi Cyzeni, 3958. nu. 1. & Zebinæ tyranni, a. m. 3919. numer. 3. Auguſti, an. mu. 4039. n. 5. 2.

Oct. Avgvsti ortus, an. mun. 3991. num. 45. à Iulio Cæſare adoptatur in teſtamento eiusque Tutor M. Antonius, a. m. 4010. 26 & 32. erat ex filia ſororis nepos, ibid. ſub cædem Iulii Apolloniæ vacat literis, operiens aui expeditionem in Parthos, numer. 26. 1.

Auguſtus primum ab Antonio contemnitur, an. mun. 4010. numer. 31. à Iulio ad imperium erudiebatur, numer. 32. mature factus exercitui gratioſus, ibidem, audita morte Iulii ad tempus quieſcit, 32. aſſumit Cæſaris nomen, & heredem ſe profitetur, nu. 33. 2.

Auguſti ætas cum ſe profeſſus eſt Iulii heredem, 4010. numer. 33. quam periculoſum negotium ſuſceperit, numer. 33. & 34. Antonium habet aduerſarium, quem demeretur, numer. 34. mox depoſiti petitione offendit, 35. Tribunatum petentem impedit. ibid. 3.

Auguſtus plebem demeretur, & mortuum patrem colit, 4010. numer. 35. eius cum Antonio ſimultas, numer. 36. & belli in eum apparatus. 37. ſe Bruto iungit contra Antonium, n. 38. initium imperii Auguſti a. m. 4011. nu. 1. & 2. 4.

Auguſtus affligitur Senatu coniuratos fouente, an. mun. 4011. n. 6. eius prætoriani delentur ab Antonianis, numer. 8 negat reconciliationem Bruto, n. 11. Panſæ morituri monitis fit infenſus Senatui, num. 12. a quo timetur & deprimitur, ibid. 5.

Auguſtus dolens ſibi prælatum Brutum, cupit redire in gratiam cum Antonio, 4011. n. 26. triumphum & conſulatum fruſtra petit, numer. 26. & 27. cum Lepido & Aſinio conſpirat, ibid. eum timet Senatus, n. 29. qui viciſſim ſuos milites in Senatum exaſperat, 30. 31. 6.

Auguſtus per Centuriones ſuos Conſulatum petit, an. 4011. numer. 32. 33. quo recuſato armatus vrbem petit, numer. 34. abſens à Senatu Conſul deſignatur, ſed mox factum reuocatur, nume. 35. proxima vrbis armis occupat, vrbem ingreditur, eique ſe vrbanæ legiones dedunt, 36. 7.

8. *Auguſtus* fit Conſul & aſſumit collegam Pe-
dium, 4011. num. 37. 38. prima conſulatus
acta, 39. Iulii percuſſores damnari curat,
ibidem, priuilegiis à Senatu ornatur. Eius
cum Antonio gratia, & affinitas, numer.
41.

9. *Auguſtus* Coſ. curat Antonium & Lepidum
amicos declarari, an. 4011. numer. 42. ad
eum legiones, D. Bruti deficiunt, nu. 44.
cum illis conſtituit triumuiratum, n. 47.
& proſcriptionem decernit, n. 49. depo-
nit conſulatum, n. 57.

10. *Auguſti* cum Antonio expeditio in Brutum
& Caſſ. a. 4012. nu. 4. ad exercitum pro-
perat Antonii metu, n. 14. nauali clade af-
ficitur, n. 19. & à Pompeio metuit, num.
20. Caſſium & Brutum vincit. n. 16. & ſeq.
fuſe.

11. *Auguſtus* redit in Italiam, an. mund. 4013. di-
uiſo cum Antonio Romano imperio, nu.
2. & n. 12. Brunduſii ægrotat, numer. 10.
militibus agros diſtribuere parat, numer.
11. eius cum Fuluia ſimultas repudiata
iſtius filia, numer. 14. Peruſiam obſidet,
num. 17.

12 *Auguſtus* ad Peruſiam victor vt ſe in hoſtem
geſſerit, 4014. numer. 2. & ſeqq. Auctus
Caleni copiis Romam venit, & Antonii
ruinam meditatur, numer. 7. & 9. pacem
& affinitatem Pompeii quærit, ibid. eius
in Antonium breuis motus, numer. 10.
& 11.

13 *Auguſtus* cum Ant. vrbem adeunt, 4014. n.
13. pacem cum Pompeio fame vrgente in-
eunt, numer. 15. & ſeqq. Cæſar Galliam
adit, numer. 18. Herodem Romæ hono-
rat, num. 30. bellum Siculum cum Sex.
Pompeio conficit, a. m. 4016. n. 2. & ſeqq.
& 4017. & 18. nu. 17. & ſeqq.

14 *Auguſti* & Antonii ſimultas & reconcilia-
tio, a. 4016. numer. 7. triplici exercitu Si-
ciliam petit, 4018. num. 18. ſemel iterum-
que male pugnat, nu. 24. deponit inſignia
ſua, vt in ſupremo periculo, ibid. vincit
generali certamine, n. 27.

15 *Auguſtus* Lepidum inſoleſcentem reprimit,
an. mun. 4018. num. 31. 32. res Siciliæ poſt
fugam Pompeii diſponit, num. 34. quî in
Vrbe exceptus, numer. 35. conſtituit
Remp. & accepit tribuniciam poteſta-
tem, 4019. numer. 6. de Pompeii morte
lætatur, n. 14.

16. *Auguſti* res in Dalmatia geſtæ, a. 4021. num.
1. 2. ſemina belli cum Antonio, numer.
9. & mutuæ querelæ, 4022. nu. 4. geſta-
que inimica, nu. 5. Cæſar ſe in Senatu de-
fendit, nu. 6. ad eum amici Antonii defi-
ciunt, num. 7. 8. eius in Antonium copiæ,
9. 10. metusque ac periculum, n. 12.

17. *Aug.* Brunduſio Corcyram venit, & inde
Actium, an. mun. 4023. nu. 8. ambit pu-
gnam, nu. 9. vincit, nu. 16. Antonianos
ſibi adiungit, 18. Italiam repetit, recipit
conſulatum, 4024. 8. militares turbas ſe-
dat 9. Ægyptum petit, 10.

18. *Auguſtus* Herodem beneuole accipit, an. m.
4024. nu. 11. & 12. 14. legati ab Anton. &
Cleop. ad Cæſarem, nu. 15. 16. Peluſium
capit proditione Cleopatræ, & naues, nu.
17. eum varie tentat, nu. 18. & 19. totam Æ-
gyptum recipit, num. 22.

Auguſt. Antyllum & Cæſarionem necat, an. 19.
4024. nu. 26. ab Herode magnifice exci-
pitur, n. 28. Auguſti in eundem liberali-
tas, n. 29. tempus triumphorum Auguſti,
4025. n. 3. quintus Cæſaris conſulatus, &
eius honores, n. 11. 12.

Auguſti in vrbem ingreſſus, 4025. num. 13. li- 20.
beralitas, opera publica, ſpectacula, num.
13. 14. 15. Imperatoris nomen accipit, &
Cenſuram gerit 15. Senatum purgat, ibid.
in eum Lepidus fruſtra coniurat, nu. 16.
vrbem luſtrat ac cenſet, a. 4026. n. 3. aliqua
eius opera, n. 3.

Auguſti ludi Actiaci, magnificentia priuata, 21.
& egeſtas Ærarii, an. mun. 4026. nu. 4. 5.
Hiſpaniam cum exercitu petit, numer. 6.
præ ſe fert principatus depoſitionem, an.
m. 4027. n. 1. cui Senatus non acquieſcit,
n. 2. quod ille ſibi firmat prouinciis retem-
tis, n. 3.

Auguſtus quando hoc nomen admiſit, ann. 22.
4027. nu. 4. 5. quanta tum Auguſti pote-
ſtas, num. 6. tribunitiam poteſt. cur reti-
nuerit, nu. 7. varia è Rep. gerit, nu. 8. Gal-
liam adit, atque Hiſpaniam. nu. 9. vbi init
octauum conſulatum, 4028. nu. 1.

Auguſti geſta in Hiſpania, a. m. 4028 num. 23.
2. & ſeqq. & 4029 nu. 1. redit in vrbem,
4030. n. 1. eius grauis morbus, a. 4031. n.
1. Agrippam Marcello præfert, n. 2. vis ei
ad Dictaturam fruſtra affertur, a. m. 4032.
nu. 2.

Auguſtus Cenſuram repudiatam reipſa ge- 24.
rit, a. 4032. nu. 3. in eum patefit coniura-
tio, nu. 5. num quam ei cauſam dederit,
ibid. Galliam Narbon. & Cyprum popu-
lo reddit. n. 6. Siciliam adit, n. 7. inde Græ-
ciam & Syriam, 4033. n. 1. & 4.

Aug quæ in Aſia geſſerit, an. mun. 4034. n. 25.
1. 2. A Parthis ſigna recipit, & captiuos,
prouincias componit, ibid. Excipit Indo-
rum legatos, nu. 7. Romam repetit, ei-
que in reditu ingeruntur priuilegia, nu.
13. Agrippam ſibi quaſi collegam facit,
4036. n. 1.

Auguſtus Senatum iterum legit, a. m. 4036. 26.
nume. 2. ad ſexcentos, ibid. adit Galliam
4038. nu. 5. cur abeſſe vellet ab vrbe, ibid.
Quirino templum dicat, num. 5. Rapinas
vnius præfecti recipit, nec punit, 4039.
numer. 5. inſigni auaritia, & iniuſtitia,
ibid.

Auguſtus in vrbem redit, an. mun. 4041. nu. 27.
7. vitat honores, & priuilegia oblata re-
cuſat, ibid. militiæ tempus ordinat, num.
8. fit Pontifex Max. nu. 10. eius clemen-
tia, n. 11. & 4058. n. 1. & ſeqq. libros Sybil-
linos expurgat, a. 4041. n. 12.

Auguſtus pater Patriæ quando dictus, a. m. 28.
4042. num. 2. 3. iterum morum magiſter,
numer. 9. eius liberalitas, & diuitiæ, ibi-
dem. Tiberium aſſumit in Agrippæ lo-
cum, numer. 10. eique filiam Iuliam deſ-

pondet

ſpondet, ibid. laudat Druſum mortuum,
4045. n. 4.
29. *Auguſtus* emendat annum, a. m. 4046. nu.
2. & 3. ei confirmatur imperium, num. 4.
luſtrum facit, ibid. vrbem a luctu adit, 5.
per ſuos bella conficit, n. 10. & 4028. nu. 6.
eius prudentia, a. 4046. n. 10. reconciliat
filios Herodis patri, n. 12.
30. *Auguſtus* Caium deducit in forum, 4048.
n. 2. 3. honorat Tiberium cum offenſio-
ne filiorum, num. 6. dat munus gladiato-
rium pro morte Agrippæ, an. mun. 4047
numer. 3. diuidit Vrbem in 14. regiones,
&c. ibid.
31. *Auguſtus* cur receperit 12. conſulatum, a. m.
4049. n. 1. iniuſte defenſores accuſari non
audit, nu. 4. edoctus recipit Herodem in
gratiam, 4050. n. 3. eius ad Herodem lite-
ræ, n. 4. eiusdem vxores, 4051. n. 3.
32. *Auguſt.* 13. Conſul Lucium in forum dedu-
cit, 4052. nu. 5. eamque celebritatem or-
nat ſpectaculis, n. 6. & ſeqq. eius anno 42.
Chriſtus naſcitur, n. 26. Iulia relegatur, n.
8. 10. Domini cognomen repudiat, 4057.
num. 5.
33. *Auguſtus* Germanicum in Pannoniam mit-
tit, a. m. 4060. 1. eius luctus ob cladem
Varianam, 4062. nu. 15. incumbit in re-
parandum bellum, nu. 16. punit famoſos
libellos, 4065. nu. 6. comburit fatidicos,
4041. n. 12.
34. *Auguſtus* condit teſtamentum, an. m. 4066.
n. 1. vltimum condit luſtrum, 4067. nu. 1.
omina mortis eius, n. 2. Tiberium in Illy-
ricum Beneuentum vſque deducit, nu. 3.
valetudine tentatus eum reuocet, ibid.
35. *Auguſti* mors ex diuerſis, an. m. 4067. n. 4.
& 5. quam de Tiberio haberet opinionem
nu. 4. eius mortis Liuia ſuſpecta, nu. 5. 6.
tempus mortis & eius ætas, n. 7. & ſeqq.
anni imperii eius, n. 9. & ſeqq. eius funus
12. apotheoſis 13. legata vt perſoluta à Ti-
berio, a. m. 4068. n. 1.
AVGVSTVS menſis quando appellatus, an. m.
4046. n. 1.
AVGVSTANVS annus & Auguſtorum, an. mu.
4046. n. 1.
AVGVSTALIA feſta in honorem natalis Au-
guſti, 4043. n. 5.
AVLICÆ vitæ egregium exemplar, a. m. 4042.
n. 8.
1. PTOL. AVLETES in Ægypto regnare incipit,
a. m. 3974. n. 1. dictus & Dionyſius, ibid.
vnde dictus Auletes, ibid. Lathuri filius,
n. 2. frater Ptol. Cyprii, cur putatus non
regii generis, ibid. obtinet Romanorum
amicitiam, a. m. 3995. n. 3.
2. *Ptol. Auletes* cur ægre obtinuerit Roman. a-
micitiam, 3995. num. 3. cur ab eo ſtudioſe
quæſita, nu. 4. & maximo pretio empta,
ibid. ab Ægyptiis regno pellitur, 3996. n.
2. ob tributa, ibid. Cypri Catonem adit,
& quod ei à Catone conſilium datum, n.
2. vide & 3997. n. 6.
3. *Auletis* expellendi cauſæ, an. mun. 3996. n.
3. eius filia fit regina ab Alexandrinis, filii
regno excidunt, numer. 4. legatos contra
eum Romam mittunt, ibid. Romæ petit
reſtitui in regnum, ann. mund. 3997. nu-
mer. 6. graſſatur in legatos cædibus, &c.
num. 7.
Auletis reductio Romæ impeditur, an. mun. 4.
3998. n. 4. per cauſam religionis, ibidem.
Epheſum abit deſperata reſtitutione, n. 5.
quæ varie in Senatu iactatur, ibid. cuius
auxilio deſperato ad Gabinium confugit,
a. 3999. n. 1. quem expugnat pecuniæ, n. 2.
Auletes reſtitutus à Gabinio modus, a. m. 3999. 5.
n. 3. per cædes potentiorum pecunias cor-
radit, n. 5. interficit Archelaum tyrannum,
ibid. tempus mortis eius, a. m. 4003. nu. 1.
morbo extinguitur, nu. 2. quatuor eius li-
beri, in quibus Cleopatra, ibid.
Auletis teſtamentum 4003. n. 3. liberos in tu- 6.
tela populi Rom. relinquit, ibid.
AVRVM coronarium, a. m. 3902. n. 22.
AZOTI res geſta à Machabæo, a. m. 3891. n. 54.
55. 56. Azotus cum phano ſuo, à Ionatha
ſuccenditur, ann. mun. 3907. numer. 11.
Azotiorum de Ionatha querelæ apud
Ptolemæum, 3908. nu. 2.

B.

BACCHIDES dux à Iuda vincitur, a. m. 3889 1.
n. 41. A Demetrio in Iudæam mittitur
cum Alcimo, a. 3893. n 20. multos ibi occi-
dit, & regionem Alcimo committit, n. 23.
redit ad Regem, ibid.
Bacchides redit in Iudæam cum Alcimo, an. 2.
m. 3894. n. 41. quærit Iudam, num. 42. init
cum eo prælium, n. 47. & probroſam ob-
tinet victoriam, nu. 50. mortuo Iuda Iu-
dæam recipit vrgente fame, n. 61. & vexat
Iudæos, n. 62.
Bacchides Ionathæ mortem parat, an. m. 3894 3.
n. 64. totam regionem communit contra
Ionatham & ſocios, n. 71. eosque diuexat,
ibid. abit ad Regem, 3895. num. 5. reuo-
catur ab impiis Iudæis, 3897. numer. 1. Io-
nathan & Simonem obſidet, n. 3. à quibus
contritus eſt, n. 4.
BÆAN, & Bæanitæ, a. m. 3891. n. 33.
BASSI præfectura Syriæ, an. mun. 4009. n. 26.
& 27.
BATO Dalmata excitat ſuos ad defectionem
à Romanis, quibus exprobrat auaritiam,
a. m. 4061. n. 7. & 4062. n. 10.
BELGIDÆ vrbis populus in Hiſpania Sena-
tum cunctantem ad defectionem, in Curia
concremauit, a. m. 3960. n. 6.
BELLOVACI, vide Cæſar, n. 19.
BELGÆ in Romanos coniurant, a. m. 3997. n.
15. Cæſar in eos mouet, n. 16. quos victos
perſequitur, & concidit, n. 16. 17.
BELLVM ſiue tumultus Gallicus & Liguſti- 1.
nus à Romanis compreſſus, an. m. 3879 n.
23. Bellum in Dardania opera Perſei, ibid.
qui Dolopes domat, 3880. n. 7. contra Cel-
tiberos in Hiſpania, n. 13. Populis in Ligu-
ria, 3881. n. 13.
Bellum Antiochi in Ægyptum, prius, an. mu. 2.
3881. n. 1. & ſeqq. poſterius 3884. numer.
1. 2. & 85. n. 1. 2. In Iudæos 3885. nu. 18. &c.

Index.

Omnes reges bello macedonico Perſei in-
tenti, 3883. n. 4. Romanorum in illud ap-
paratus, num. 5. 6.7.8. geritur, num. 18. &
ſeqq. & 3885.

3. *Bellum* à Caſſio Coſ. inconſulte ſuſceptum,
3883. n. 27. Bellum ad Vſcanam, 3884. n.
14. 15. bello Romano Perſeus Gentium
implicat, 3886. nu. 6.13. 14. &c. Perſei pu-
gna de ſumma rei, n. 22. 23. &c. finis belli
& regni Macedonici, n. 36. & 37.

4. *Bella* Iudæ Machabæi contra Antiochum
eiusque duces, Apollonium, 3889. nu. 8.
contra Seronem, nu. 11. 14. aliosque du-
ces, n. 15. & 20. contra Galatas, 32. 33. Ni-
canorem 37. 38. Timotheum & Bacchi-
dem, 42. 43.

5. *Bellum* Philometoris in Thebanos, ann. mu.
3889. n. 48. & 49. Lyſiæ in Iudæos, 3890.
nu. 2. victoria Iudæ, n. 2. bellum Epipha-
nis in Artaxiam, 3891. nu. 3. Iudæ in Idu-
mæos, a.m. 3891. n. 32. & in Bæanitas 33. &
Ammonitas 34. 35.

6. *Bello* vexantur Iudæi in Galaaditide, & Gali-
læa, a. 3891. n. 36. 37. expeditio Simonis &
Iudæ pro eis, 39. 40. &c. Iudæ prælium
ad Ephron, n. 47. 48. vide & 102. 103. Io-
ſephus & Azarias à Gorgia clade affecti,
nu. 50. & 51

7. *Belli* expeditio ad auſtrum & aquilonem, a.
m. 3891. n. 53. 54. contra fugitiuos, nu. 63.
contra Timotheum, n. 65. quem fugatum
perſequitur, 69. eiusdem cædes loco ex-
pugnato, 70. 71. vide etiam 97. & 98. cō-
tra Lyſiam 72. & ſeqq. & cum eo pax,
76. &c.

8. *Belli* expeditio in Ioppitas, 3891. num. 90. &
Iamnitas 91. & latrones Arabes 92. & ad
Caſphin 93. Tubianæos 95. contra Gor-
giam, nu. 106. 7. & 8. in Arcem Sionis,
3892. n. 2. 3. &c. in Eupatorem, nu. 11. &
12. & ſeqq. fuſe.

9. *Belli* expeditio Demetrii in Iudam, 3893. nu.
20. duce Bacchide, ibid. & Nicanore, 29.
& ſeqq. & iterum, nu. 40. Iudas cum Ni-
canore pugnat, n. 41. & vincit, ibid. illius
mors, n. 61. 62. eius exercitus deletur, 63.

10. *Belli* expeditio Demetrii in Iudam duce Bac-
chide, an. mun. 3894. nu. 41. 47. &c. in
Ionathan 68. 69. eiusdem Demetrii in
Cappadocia, 3896. numer. 5. 6. Bacchides
Ionathan & Simonem obſidet, n. 3. victus
pacem init, n. 4. 5.

11. *Belli* Dalmatici ſemina, 3897. nu. 7. initium
98. n. 2. 3. biennium tenuit, nu. 4. Celti-
berici cauſa & initia, 3901. nu. 2. &c. Lu-
ſitanicum bellum ſub Mummio, n. 8. 9. 10
Attali contra Pruſiam. nu. 11. & 12. pax in-
ter eos, 3902. n. 37.

12 *Bellum* Alexandri Balæ in Demetrium Sote-
rem, a. 3901. num. 14 15. 16. & 3902. num.
6. ab illo Demetrius bello victus occidi-
tur, an. m. 3903. n. 4. & 5. Romani bel-
lum Hiſpanum refugiunt, num. 9. quod
Marcellus finit, n. 11.

13 *Bellum* Punicum tertium Carthago parat, a.
mun. 3902. numer. 38. & 3903. numer. 16.
de eo deliberatur, 3904. num. 7. Luculli
bella in Hiſpania, 3903. nu. 12. 13. Galbæ
ibidem crudelitas, vnde exortus Viria-
thus, numer. 14. 15. bella ab eo contra
Romanos geſta, 3904. numer. 4. 5. 6. &
905. 20. 21.

Bellum Pœnorum cum Maſaniſſa, an. mun. 14
3904. numer. 9. 10. &c. Turbæ in Mace-
donia à Pſeudophilippo, numer. 14. 15. &
3905. numer. 22. Bellum Punicum ter-
tium, 3905. numer. 1. cauſa & occaſio bel-
li, n. 2. ad 19. & 3906. n. 9. 10.

Bellum Macedonicum contra Andriſcum à 15
Metello conficitur, an. mun. 3906. num.
12. 13. Achaici belli ſemina, numer. 14. 15.
16. Bellum Viriathicum, 3906. numer. 17.
& filii Demetrii contra Alexandrum Ba-
læ, 3907. 1. 2. 3. & Ionathan 4. &c. qui &
vincit, n. 10. 11. 12.

Bellica Scipionis expeditio in Africam, an. m 16.
3907. numer. 16. 17. ad 24. excidium Car-
thaginis opera Scipionis, an. mun. 3908.
num. 19. 20. & ſeqq. vſque ad 26. eiusdem
triumphus, n. 30. bello Numantino de-
ſtinatur II. Coſ. 3920. n. 11. & 12.

Belli Viriathici progreſſus, an. mun. 3907. n. 17.
24. & 3909. numer. 19. res à Lælio in eum
geſta, numer. 20. 22. & a. m. 3910. nu. 19.
20. Quintii cum Viriatho pugna, 3911. n.
15. Seruiliani, 3912. n. 36. & 37. & 3913. n.
11. 12. 13.

Bellum Achaicum ſub Metello, 3907. nu. 25. 18.
cum clade Critolai, ibid. deletur Corin-
thus, 3908. numer. 33. 34. &c. triumphus
Mummii, 3909. numer. 22. bellum Iu-
dæorum in Antiochenos, 3910. numer. 3.
4 5.

Bellum Tryphonis in Demetrium, an. mun. 19.
3910. numer. 8. 9. 10. & Demetrii in Io-
natham & Simonem, numer. 13. & ſeqq
& an. mun. 3911. numer. 9. 10. Tryphoni
in Iudæam expeditio, a. m. 3912. n. 13. & in
Galaaditim, n. 18.

Bellica expeditio Simonis in Gazæos, an. 3913 20.
numer. 1. 2. recipit Gazam, & arcem Sio-
nis, numer. 3. & 4. Demetrius victus. &
captus à Parthis, 3914. nu. 2. bellum An-
tio. Sidetis in Tryphonem, 3916. n. 1. 2. &
3917. n. 1.

Bellum Cæpionis in Viriathum, turpisque 21.
victoria, an. 3914. numer. 20. & ſeqq.
quam diuturnum Celtibericum bellum
& item cum Viriatho, nu. 24. 25. Bellum
Numantinum, numer. 25. 26. 27. & 3915
num. 7.

Bellum Bruti in Luſitania, ann. mund. 3916. 22.
num. 16. & 3917. numer. 11. 12. & à Popi-
lio, ad Numantiam, numer. 18. bellici
motus in Ægypto, numer. 20. & in Sy-
ria, numer. 22. Antiochus in Iudæos co-
pias mittit, ann. mund. 3917. numer. 9.
Mancinus infeliciter rem ad Numantiam
gerit, 13 14.

Bellum Iudæorum contra Cendebæum, ann. 23.
mun. 3918. nu. 5. & ſeqq. & n. 12 & Deme-
trii in Parthos, numer. 11. Æmylii iniu-
ſtum in Vaccæos, & Romæ improbatum.
n. 16. &c. Flacci in Illyrico, 3919. 11. Seruile

bellum in Sicilia, num. 12. 13. & 3922. nu. 7. 8. 9.
24. *Bellum* Hieroſoly. Sidetis contra Hyrcanum, an. mun. 3920. num. 8. 9. 10. vrgetur obſidio, 3921. n. 4. 5. 6. ſoluitur obſidio; & cur, num. 7. mouet in Parthos, 3922. nu. 1. bellici motus in Ægypto, 3922. num. 4. Bellum in Ariſtonicum, 3923. 16. & 3924. n. 6. & 25. n. 6.
25. *Bellum* Numantinum Scipionis, a. 3921. nu. 10. & ſeqq. fuſe, ibi Iugurthæ initia, nu. 17. de Numantia Scipio triumphat, 3922. numer. 5. 6. Hyrcani expeditio in Hyrcaniã an vera, 3923. n. 11. & in Syriam, n. 14.
26. *Bellum* Antiochi Gryphi in Zebinam, 3929. num. 1. 2. 3. bellum ad Fregellas, numer. 8. bellum Allobrogicum, nu. 10. in Saluios, 3930. num. 16. & 3933. numer. 8. 9. 10. & 3934. numer. 3. 4. &c. Balearicum, 931. num. 7. 8. Aruernicum, an. m. 3933. n. 10. & 34. num. 3. 4. 5. 6. & ſeqq.
27. *Bellum* Dalmaticum, an. mun. 3937. num. 4. Iugurthinum, 3936. n. 1. 37. nu. 5. 38. nu. 3. 39. nu. 7. 40. 9. 10. & 3941. num. 2. & 42. numer. 1. bellum Iugurthinum cum Romanis, a. 3943. n. 1. 2. &c. & an. 3945. n. 2. 4. 5. &c. ab Albino & Metello.
28. BELLVM Cimbricum, 3941. n. 4. & 5. & 3945. num. 13. & 3946. num. 8. & 3949. numer. 2. 3. 4. Cimbri in Hiſpaniam feruntur, 3950. n. 3. ibi victi Galliam repetunt, n. 4. Res in illos à C. Mario geſta, an. 3952. num. 5. 6. pugna ad Aquas Sextias, num. 7. res in eos à Catulo geſta num. 11.
29. BELLA Antiochi Gryphi & Cyziceni, ann. m. 3939. num. 1. 2. 5. & 3941. num. 1. & filiorum vtriuſque 3958. num. 4. Hyrcanus obſidet Samariam, nu. 5. vide 3940. nu. 1. & ſeqq. L. Caſſij Coſ. clades à Tigurinis, 3947. n. 7. bellum Luſitanũm geminum, 3949. nu. 1. & 3955. nu. 6.
30. BELLVM ſeruile alterum, ann. mun. 3950. nu 5. eo Sicilia turbatur, nu. 6. 7. rex ſeruorum, n. 8. Seruile bellum ſub Athenione & Saluio, an. mund. 3951. num. 14. & 15. & 3952. n. 12 ab Aquilio confectum, 3953. n. 11. & 954. nu. 9.
31. *Bellum* Cimbricũ in quinto Marij Conſulatu, ann. mund. 3953. nu. 5. & 6. prælium contra eos & victoria, nu. 6. 7. magnitudo cladis, nu. 8. bellum Cleopatræ in Syriam, 3956. n. 1. 2. 3 Didij in Celtiberos expeditio, num. 5. & 6.
32. *Bellum* Iannæi in Gazam, ann. 3957. num. 1. & ſeqq. Belli Italici cauſa, a. m. 3959. n. 4. Iannæi in Arabiam expeditio, 3960. num. 3. & clades, nu. 4. tumultuatur cum ſuis, 3965. n. 3. Demetrius in eum mouet, 3966. nu. 1. & 2. ab Areta vincitur, 3971. 3.
33. *Belli* Socialis tempus, ann. mund. 3963. num. 3. cauſa, æquitas, author, nu. 5. 6. prima belli origo, nu. 7. lege contra eos lata coniurauit, num. 9. 10. apparatus belli ibid. & a. m. 3964. nu. 3. varia prælia & clades, nu. 4. & ſeqq. 3965. n. 4. 5. res à Sylla & Pompeio in Italicos geſta, n. 6. 7. Italici belli reliquiæ, 3966. n. 3.
Belli Mithridatici diſpoſitio, a. m. 3964. n. 7. & 65. nu. 9. & 10. bellum paratur, nu. 11. & 12. ingens Mithridatis exercitus & victoria, num. 12. 13. magni Mithridatis ſucceſſus in Aſia & Europa, 3966. nu. 9. 34.
Belli ciuilis Mariani origo, a. m. 3966. n. 5. Sylla vrbem occupat, n. 6. Marius fugit, nu 7. augetur ciuile bellum, an. 3967. 3. Cinna fit conſul, dat Syllæ fidem, frangitque, ibid. tranſit ad Marianos, nu. 4. deiectus magiſtratu fugit, n. 5. 35.
Bellum patriæ Cinna infert, a. m. 3967. n. 5. vrbem cum Mario, & Sertorio oppugnat, n. 6. vrbe admiſſi repelluntur, num. 7. mox in eam admiſſi ſæuiunt cædibus, nu. 9. 10. & ſeqq. Sylla hoſtis iudicatur, nu. 11. Cinna & Marius ſe Coſſ. creant, 3968. n. 3. 36.
Bellum Demetrij in Philippum fratrem, ann. m. 3967. n. 2. & Syllæ in Græcia obſidentis Athenas, num. 12. quas expugnat, nume. 14. eius cum Archelao duce Mithridatis inſignis victoria, numer. 15. bellum Dionyſij Gryphi filij contra Damaſcum & Arabes, 3968 nu. 1. 2. 37.
Bellum Mithridaticum inſtauratur, ann. mun. 3968. num. 6. Syllæ alia de Archelao victoria. Mithridates pacem quærit, 3969. quam à Sylla accipit, num. 6. qui ad ciuile bellum maturat, num. 9. & ann. 3970. nume. 3. & 5. & ſeqq. 38.
Bellum ciuile Syllanum, ann. mund. 3970. nu. 9. eius copiæ augentur, num. 10. Coſſ. contra Syllam mouent, 3971. num. 4. qui tranſit per Italiam innoxius, ibid. pugnat ad Canuſium, & vincit, num. 5. conſulis exercitus deficit ad Syllam, n. 6. vtraque factio vrbem adit. 7. 39.
Belli Sertoriani occaſio, an. mun. 3971. num. 8. initia, 3973. n. 13. feliciter rem gerit, numer. 14. & 3974. nu. 5. ſuſcipit imperium à Luſitanis, ibid. Metellum vincit, 3975. nume. 7. 8. Sertorij vigor & alacritas, numer. 8. & 3976. 14. Gratus Hiſpanis 15. & 77. numer. 5. 40.
Bellum Syllanum inualeſcit, ann. mund. 3971. M. Luculli victoria, nume. 8. Metelli, 3972. numer. 5. Syllæ ipſius in Marium iuniorem, num. 6. rurſum Metelli, & Pompeij 7. Marius ſibi manus infert, mandata prius cæde inſignium virorum, nume. 8. & 9. 41.
Belli victor Sylla vrbem occupat armis, 3972. nu. 10. quæ in ea geſſerit, n. 11. crebræ deinceps eius victoriæ, n. 12. &c. ad vrbem iterum periculoſe pugnat, nu. 16. 17. 18. eius crudelitas in Samnites, & alios, num. 18. & ſeqq. vide *Proſcriptio*. 42.
Bellum Mithridaticum inſtauratur, ann. mun. 3972. nu. 31. & 32. Murena vexat Mithridatem, & à rege vincitur, 3973. nume. 11. & 12. qui ſubigit Boſphorum, 3974. num. 5. ipſo authore Tigranes Cappadociam inuadit, 976. nu. 13. 43.
Bellum Pompeii in Africa contra Domitium, an. mund. 3973. nu. 7. & 8. Seruilij Iſaurici in Cilicia, 3975. numer. 6. Lepidi in Catulum 3977. num. 1. & 2. Pompeii in Sertorium, 44.

numer. 6. Pompeius vincitur ac fugatur, num. 7.

45. *Bellum* Sertorianum ad Sucronem, 3978. nu. 4. victoria dubia, numer. 5. res geſta cum Pompeio, Afranio &c. 6. pugna ad Saguntum, numer. 7. fatigat Romanos duces, an. 3979. numer. 6. 7. à Mithridate in Rom. incitatur, nu. 8.

46. *Belli* Mithridatici nouus apparatus, an. mun. 3979. nu. 10. & 3980. n. 2 M. Cotta ab rege victus, n. 8. 9. Lucullus in eum mittitur, n. 10. 11. Rex Cyzicenos oppugnat, nu. 11. 13. fallitur, & cladem accipit à Romanis, n. 12. & 14.

47. *Bellum* Sertorianum Pompeius vrget, an. m. 3980. numer. 2. Sertorii res collabuntur opera Metelli, 3979. num. 11. & Perpernæ, a. 3980. num. 4. res tamen ſuas adhuc ſuſtentat, nu. 5. Bithyniam contra Rom. inuadit, n. 7.

48. *Bello* Mithridatico Rex fame ad Cyzicum vexatus ſoluit obſidionem, 3981. num. 3. Lucullus concidit Mithridaticos, nu. 4. oppugnat Lampſaci, num. 4. Mithridatis ex tempeſtate clades, n. 6. alia in eum Luculli proſpere geſta, n. 7.

49. *Belli* Sertoriani quando finis, 3981. nu. 8. Sertorii res collabuntur, n. 9. finis belli Sertoriani poſt decennium, an. m. 3982. numer. 12. coniuratio in Sertorium, numer. 13. modus cædis eius, & locus, numer. 14. Perperna a Pompeio victus occiditur, nu. 16.

50. *Belli* Spartacii principium, an. mun. 3981. n. 10. Gladiatores arma capiunt, numer. 11. qui duces in eos miſſi, numer. 12. vterque Coſſ. in Spartacum miſſus, 3982. num. 18. vincuntur, ibid. & n. 19. Craſſus in eundem mittitur, eumque vincit, 3983. n. 7. 8. 9. 10. 11.

51. *Bello* Mithridatio Lucullus à rege vincitur, a. m. 3981. n. 5. 6. 7. & viciſſim eum vincit, n. 8. ex quo fuga regis, n. 9. 10. mandat familiæ cædem ex deſperatione, n. 11. Lucullus in Tigranem mouet, 3984. n. 6. & vincit, n. 13.

52. *Bellum* Piraticum à Metello geritur, an. mun. 3984. num. 14. & an. 3986. numer. 5. vide *Bellum* Creticum, numer. 53. & an. mun. 3687. 10. Lucullus expugnat Tigranocertam, a. 3985. numer. 1. 2. cur ſineret hoſtem inualeſcere, n. 4. Niſibim expugnat, 986. n. 2. 3.

53. *Bellum* Creticum male ab Antonio geſtum, ann. mun. 3986. nume. 5. 6. & à Metello ibid. felicius, an. m. 3987. 18. Creta debellata, 3988. n. 18. Mithridaticæ res meliore ſtatu quam Luculli, a. m. 3987. numer. 4. 5. 7. clades ingens Romanorum, numer. 6. Lucullus pene deſertus à ſuis, n. 8. Mithridates ſua recuperat, n. 9.

54. *Belli* piratici origo, 3987. n. 10. receptaculum eorum Cilicia, nu. 11. quam late pateret hoc bellum, ibidem, ei præficitur Cn. Pompeius, n. 14. 15. quomodo geſtum, n. 16. in Cilicia debellatum, nu. 17. ei bellum Mithridaticum defertur. 3988. n. 7.

Bellum Ariſtobuli cum Hyrcano, an. m. 3988. n. 1. 2. Pompeii contra Mithridatem, nu. 7. qui ambit Pompeii amicitiam & pacem, n. 8. abeuntem perſequitur Pompeius, 10. Rex fugit, n. 11. mouet in Scythas, 3989. n. 6. 55.

Bellum Aretæ in Ariſtobulum 3989. num. 3. & victoria, ibid. regno à Scauro reſtituitur, num. 5. vincit Hyrcanum, a. m. 3990. nu. 1. Bellum Pompeii in Iberos & Albanos, a. m. 3989. n. 8. & 9. Stratonice prodit caſtellum Pompeio, 3990. 8. quod vlciſcitur Mithridates, n. 9. 56.

Bellum Pompeii in Syriam expeditio, an. mu. 3990. n. 10. res ab eo geſta Hieroſolymis, a. 3991. n. 5. & ſeqq. deinceps Iudæi ſubditi Romanis, n. 15. Opera Pharnacis filii regno ſpoliatus ſibi manus infert, a. 3991. n. 23. & ſeqq. 57.

Bellum Arabicum à Scauro confectum, a. m. 3992. n. 1. Bella Iulii Cæſaris in Gallia, a. m. 3996. n. 10. & 22. ſemina belli cum Heduis, n. 23. & cætera bella eius vide *Iulius Cæſar.* 58.

Bellum Gabinii in Iudæos, an mun 3997. nu. 2. 3. 4. & in Ægyptios pro Aulete rege, 3999. numer. 4. 6. 7. Craſſi Parthicum bellum, an. mun. 4000. nu. 2. & 4001. n. 1. & ſeqq. fuſe ad n. 18. & 19. Bellum Parthicum in Syriam transfertur, an. 4002. num. 2. 59.

Bellum Syriacum à Caſſio contra Parthos bene geſtum, a. m. 4003. numer. 3. & 4. 5. Bibulus Parthos inter ſe concitat, nu. 6 Ciceronis in Cilicia geſta, numer. 9. bellum ciuile Cæſarianum, a. m. 4005. nu. 1. vide *Iulius Cæſar, & Pompeius.* 60.

Bellum Curionis in Africa, a. m. 4005. n. 41. in fraudem à Iuba inductus deletur, num. 42. & 43. occaſio & cauſa belli Pontici, a. mun. 4007. nu. 39. Pharnaces Domitium ludificatur, & pugna vincit, numer. 40 41. & ſeqq. 61.

Bellum Ptolemæi cum Cleopatra ſorore, an. 4005. num. 45. ſemina & cauſæ belli Alexandrini, 4006. n. 28. vide Cæſar, & ann 4007. numer. 8. & ſeqq. Africanum bellum, & qui duces eius, an. mun. 4008. n. 2. 3. &c. 62.

Bellum Hiſpanicum Cæſaris contra Sex. Pompeium, an. mun. 4009. num. 4. 5. & ſeq. prælium ipſum decretorium, nu. 9. Tumultus in Syria Baſſo præſide, numer. 26 & 27. de bellis à cæde Iulii Cæſaris, vide *Antonius, Auguſtus, Pompeius.* 63.

Belli contra Caſſium & Brutum magnitudo, & finis, an. 4012. n. 26. initia belli Peruſini, 4013. num. 11. 12. 13. &c. Bellum Labieni pro Parthis in Syria, 4014. n. 19. 20. Res à Ventidio in eos geſta, nu. 33. 34. & 4015. num. 4. 64.

Bellum Siculum renouatur, a. mun. 4015. nu. 2. & ſeqq. geritur 4016. fuſe & 17. & 4018 num. 17. & ſeqq. Bellum in Comagenum nu. 5. & 7. anni 4015. Bellum Parthicum Antonii 4018. n. 6. 7. Herodis cum Arabe, 4022. nu. 2. &c. 65.

Index.

66. *Belli* Actiaci tempus, 4023. numer. 1. & ſeq. bellum Hiſpanicum integratur, an. 4030. num. 3. expeditio in Arabiam, numer. 4. bellum Ponticum Agrippæ, an. m. 4039. numer. 2. eiuſdem expeditio Pannonica, 4042. n. 7.

67. *Bellum* Germanicum Druſi, anm. 4043. nu. 3. 4. & 4044. nu. 4. Tiberii, 4046. num. 5. 47. n. 3. Tiberius Germaniam repetit, a. m. 4058. n. 6. 7. quæ ab eo geſta in Marcomannos, 4059. n. 3. & à Corn. Coſſo in Getulos, n. 4.

68. *Bellum* L. Piſonis in Thracia, a. m. 4043. nu. 6. & poſtea à Poppeio Sabino, a. 4079. 5. alia in Dacos & Dalmatas, 4044. nu. 4. Herodis cõtra latrones & Syllæum, 4048. 8. & 53. nu. 3. Caii in Syriam expeditio, a. m. 4052. n. 11. belli Parthici cauſa, nu. 12. euenta 14.

69. *Bellum* in Pannonia, Tiberii & Germanici, an. mun. 4060 numer. 1. & 4. & an. mu. 4061. numer. 6. 7. 8. Romana clades in Dalmatia, 4062. numer. 8. res ibi à Tiberio geſta, numer. 9. 10. Variana clades, n. 11. & ſeqq. ibi à Germanico parentatur, 4068. n. 3.

70. *Bellum* Germanicum Tiberii, an. mun. 4063. num. 1. & 64. num. 5. 6. eo adit Germanicus, 4066. num. 2 quæ ibi geſſerit, 68, nu. 2. 3. & an. 69. n. 1. 2. Germani inter ſe pugnant, 4070. n. 6. bellici motus compreſſi, 4074. nu. 2. A Dolabella in Africa debellatum eſt, 4077. 3.

Berœa vrbs vbi ſita, a. m. 3892. n. 8. ibi occiditur Menelaus pſeudopontifex, ibid.

Bethlehem Iuda, a. m. 4052. nu. 76. aditur à virgine & Ioſepho, n. 72. parua & glorioſa, n. 76. vbi ſita &c. ex Hieron. n. 77. Bethlehemi ſpelunca videtur pars domus vel diuerſorii, a. m. 4053. n. 10. & 11.

Bethsa eadem quæ Scythopolis, an. mun. 3912. n. 2.

Bethsvra præſidio à Iuda munitur, an. m. 3890. n. 29. obſidetur ab Eupatore, 3892. nu. 23. & ad deditionem cogitur 25. crebro occupata, & amiſſa, an. mun. 3910. nu. 14.

Bibliotheca Hebræorum à Iuda reparatur, a. m. 3930. n. 11.

Bibliothecæ Alexandrinæ incendium, an. m. 4006. n. 32. Iulius Bibliothecam Romæ cogitat, a. m. 4010. n. 8.

Bibvlo collegæ Cæſar inuidiam conflat, 3995. n. 7. qui ei fruſtra reſiſtit, n. 8.

Bibvli aduentus in Syriam, a. m. 4005. nu. 6. & 7.

Bitvitvs rex Aruernorum, an. mun. 3934. n. 3. Fabii contra eum geſta, itemque Domitii, n. 3. 4. 5. ingens eius clades, n. 6. bis victus triumphatur, nu. 7. patris eius opulentia, ibid. perfidia in eum à Romanis admiſſa, n. 8.

Blasphemant hoſtes contra Iudam Mach. & male pereunt, an. mun. 3891. num. 70. & 94.

1. Bocchvs rex Mauritanorum à Iugurtha ſocero victo aditur, an. m. 3946. n. 8. Metellus Bocchum à Iugurtha conatur abſtrahere, 3947. n. 2. Bocchus à Mario amicitiam Romanorum quærit, n. 5.

Bocchus & Iugurtha Romanos inuadunt, a. m. 2.
3947. n. 6. & rurſum, 3948. nu. 4. Volux Bocchi filius, ibid. Bocchus de pace cum Romanis agit, n. 5. ei Romæ venia & ſpes data, ibid. pacem à Sylla emit proditione ſoceri, n. 6. 7.

Bocchus ſpe pacis lactat Iugurtham, 3948. nu. 5.
8. quem vinctum Syllæ tradit, n. 9. hic iacta ſemina belli inter Syllam & Marium, ibid.

Bomilcar ſollicitante Metello Iugurtham ad deditionem impellit, a. m. 3945. num. 11. Inſidias ei parat, 3946. n. 5. à quo interficitur, n. 6.

Bosor & *Boſora* oppidum, a. m. 3891. res ibi à Iuda geſtæ, n. 40. & 41.

D. Ivnivs Brvtvs Coſ. a. V. C. 615. mundi, 3916. rem bene gerit in Luſitania, num. 16. eius in victos clementia, n. 17. vide etiam a. 3917. n. 11. Gallæci cognomen obtinet, n. 11. & 12.

M. Brvtvs ad coniurandum in Cæſarem in- 1.
uitatur, an. mu. 4010. n. 14. an ad antiquos Brutos pertineret, ibid. primus coniuratorum cum Caſſio, qui eius ſororem duxerat, n. 15. improuide ab Antonio abſtinet, n. 19.

Brutus creditus filius Cæſaris, 4010. n. 20. cæ- 2.
de patrata procedit in publicum ad confirmandum populum, n. 21. 22. è Capitolio ad Lepidum propinquum ſuum deſcendit, n. 25. ei Creta prouincia decernitur n. 29. inde Bithynia, n. 40. & rurſum Macedonia cum Illyrico, an. 4011. numer. 5. & 12. 13.

Brutus deſignatus erat à Cæſare Coſ. & præ- 3.
ſes Macedoniæ, a. m. 4010. nu. 29. & 39. maxima ei Caſſioque à Senatu data poteſtas, a. m. 4011. num. 5. & 13. Caſſium ad ſe euocat, Cæſare cum Antonio aduentante, n. 23. & 4012. n. 5.

Bruti comitas in C. Antonium, a. m. 4011. nu. 4.
24. Opera Octauii à Senatu damnatur, numer. 39. arma mouet in Lycios, 4012. numer. 7. immenſas cogit pecunias, quas in milites profundit, nu. 8. Antonium iubet interfici, n. 9.

Brutus Xanthios, & Patarenſes vincit, ann. 5.
4011. numer. 10. exemplum humanitatis eius, numer. 11. Caſſii cadaueri iuſta perſoluit, 19. confirmat ſuos, ibidem, & largitione conciliat, numer. 20. ad pugnam inuitus ab eis compellitur, n. 22.

Brutus inclinata re ſua montes petit, & à 6.
ſuis deſeritur, an. m. 4012. n. 24. ſe interficiendum præbet 25.

D. Brvtvs princeps ipſe quoque con- 1.
ſpirationis, ann. mund. 4010. numer. 15. ab Cæſare maxime dilectus, eum in curiam deducit, n. 16. 17. cum exercitu Galliã

ciſalpinam tenet, nu. 25. & 29. & 36. fuit
ſcriptus in heredibus Cæſaris, & tutoribus
Octauii, n. 26.
2. *D. Bruto* ſe iungit Octauius contra Anto-
nium, a. m. 4010. nu. 38. Mutinam oc-
cupat, ibid. vbi ab Antonio obſidetur,
4011. n. 3. inuito Senatu, n. 4. vnde hoſtis
iudicatur, ibid. Mutinæ fame laborat, nu-
mer. 7.
3. *D. Brutus* ad Mutinam pugna vincitur ab An-
tonio, an. 4011. numer. 8. mox victus de-
ſerit obſidionem, numer. 10. opera Cæ-
ſaris; quo cum reconciliari fruſtra cupit,
numer. 11 Senatus in eum fauor, numer.
11.
4. *D. Brutum* Antonius perſequitur in odium
Senatus, an. 4011. numer. 43. cum Plan-
cus deſerit, cogitat Macedoniam, ſex le-
giones tyronum eum deſerunt, mox 4.
veteranæ, n. 44. captus ad Aquileiam oc-
ciditur, n. 45.

C.

CADES in Scriptura triplex, a. m. 3910. in
ſchol.
CÆDES ſui ex infirmitate non ex fortitudine
a. 3891. n. 60. male à Ioſepho laudata, a. m.
4017. n. 9. & 10.
Q. SERVILIVS CÆPIO Coſ. an. Vrb. Cond. 613.
Mundi, 3914. pacem cum Viriatho inde-
core fregit, n. 20. eumque perſequitur, n.
21. & à ſuis per proditionem interfici cu-
rat, num. 22.
Q. SER. CÆPIO Prætor Luſitanos vincit, an.
m. 3946. n. 8. Coſ. a. 3948. Vr. C. 647. ſa-
crilegium Toloſæ admittit, numer. 10. an
verum ſacrilegium, ibid. Quantum, ibid.
& numer. 11. ſacrilegii pœna, numer. 12.
Proconſul amittit contra Cimbros exer-
citum, ann. mun. 4049. numer. 1. & 4.
populi in illum ira, numer. 5. imperium
illi abrogatum, ibid. & bona publicata,
ibid. imo & occiſus, n. 6.
Fannii CAPIANIS in Aug. coniuratio, 4031.
nu. 6.
L. IVLIVS CÆSAR Coſ. ann. Vrb. Cond. 663.
Mundi. 3964. belli Italici, an. 2. ei proro-
gatur imperium, 3965. nu. 4. re bene geſta
morbo extinguitur, ibid.
L. IVLIVS CÆSAR Coſ. 2. Vrb. Cond. 689. m.
3990. eo Coſ. coniuratio Catilinæ reno-
uatur, numer. 2. Præfectus Vrbi ab An-
tonio, a. 4007. num. 6. Vticæ interficitur
à Cæſare, a 4008. n 16.
SEX. IVLIVS CÆSAR Coſ. 2. Vrb. Cond. 662.
Mun. 3963. eo conſule bellum Italicum
ſuſcitatum eſt, num. 3. An facta in eius
cædem coniuratio ſchol. 3. vide, a. mun.
3964. n. 5.
SEX. CÆSAREM Cæſar Syriæ perficit, 4007.
num. 30. Herodes ei notus & charus, an.
4008. n. 46.
1. C. IVLIVS CÆSAR naſcitur, a. Vrb. Con. 653.
Mun. 3954. nu. 10. fauet legi Maniliæ de
Pompeio & cur, an. mun. 3988. numer.
6. Ædilis particeps coniurationis Catili-
nariæ cum M. Craſſo, a. m. 3989. nu. 10. &
rurſus, a 3991. nu. 42.
Cæſar Prætor conflat inuidiam Ciceroni, an. 2.
mun. 3991. num. 44. non audet teſtimo-
nium in Clodium dicere, 3993. numer. 15.
eius Prætura, & æs alienum, 3994. num.
5. vt ſe geſſerit in Prouincia Luſitania, n.
6. & 7.
Cæſar conſulatum petit omiſſo triumpho, 3.
3994. num. 7. eius largitio, numer. 8. ſe-
mina iacit primi Triumuiratus, nume. 9.
& 10. fit Coſ. cum Bibulo, an. Vr. Con.
694. mun. 3995. lege agraria ſibi plebem
conciliat, n. 5. inuito Senatu & Catone,
n. 6. eamque per vim tulit, 8.
Cæſar conflat collegæ inuidiam, fauorem 4.
Craſſo & Pompeio, an. 3995. numer. 7
equites ſibi adiungit, numer. 9. ſolusque
iam omnia moderatur, ibid. Acta Pom-
peii confirmat, numer. 9. obtinet cum
imperio vtramque Galliam, numer. 10.
firmat potentiam ſuam affinitatibus, ibi-
dem, ſubornat Vettium ad calumniam,
num. 11.
Cæſaris cum Cicerone ſimultas, 3995. numer. 5.
12 Clodio contra Cicer. fauet, ibid. & iu
uat in tribunatu obtinendo, n. 13. Cicero-
ni legationem ſuadet, a. 3996. n. 9. rex ipſe
in Galliam proficiſcitur, nu. 19. & contra
Heluetios rem gerit, 20. 21. 22. 24.
Cæſar bella quærit in Gallia, 3996. num. 22. 23. 6.
vide 3999. ſc. 4. ſemina belli eius cum Æ-
duis, n. 23 bellum contra Arioniſtum pro
Æduis, num. 25. 26. 27. In citeriore Gallia
viam munit ad imperium, nume. 28. obli-
gat ſibi annuos magiſtratus vt abſentis ra-
tio habeatur, 29. vide & an. 3998. numer.
16.
Cæſar copias in Belgas parat, an. mun. 3997. 7.
numer. 15. 16. quos victos perſequitur, &
concidit, n. 17. Ambiani & Rhemi ſe ipſi
dedunt, numer. 15. 17. Neruii Romanos
vincunt, moxque vincuntur, ac pene de-
lentur, n. 17. 18. vt & Aluatici, n. 19. Armo-
rici dedunt ſe, n. 20.
Cæſar rapinis Galliam vexat, & aurum vili
precio diſtrahit, a. m. 3997. n. 21. ab eo geſta 8.
in Gallia, anno 3. Alpiū accolas per Gal-
bam domat, an. mun. 3998. n. 9 Armori-
cià Romanis deficiunt, num. 10. & ſub-
iugantur, n. 11. & 12.
Cæſar per Sabinum vincit Lexouios, & per 9.
Craſſum Aquitanos, an. mun. 3998. num.
13. & 14. eius apud Morinos geſta, nume.
15. Lucæ conuentum habet amicorum, n.
16. vbi deſignantur Coſſ. Craſſus, & Pom-
peius, ad continuandam & fouendam
Cæſaris potentiam, n. 16. 17. 18. per vim, in-
ter regnum, largitionem, 18. 19.
Cæſari prouinciæ prorogantur, an. mu. 3999. 10.
num. 11. initia belli eius cum Germanis,
nu. 15. qui à Cæſare celeriter oppreſſi de-
lentur 16. Rhenum cum exercitu traiicit,
17. tranſit in Angliam, n. 18. per Morinos,
& quæ ibi geſta, 18.
Cæſaris claſſis æſtu afflicta 3999. nu. 19. ibique 11.
Romana res periclitatur, n. 19. 20. res ab eo

Treuiros geſta, a.m.4000.n.21. Dumnorigem Æduum interficit, nu.22. tranſit proſpero curſu in Britanniam, n. 22, eamque facit Romanis tributariam, ibid.

12. *Cæſar* per occaſionem inopiæ diſpertit legiones, vnde in eas coniuratur, a. m. 4000.23. & accepta clade Q. Ciceroni ſubuenit, numer.23. & 24. & hoſtem occurrentem profligat, ibidem. Motus apud Senones, à Labieno, cæſo Indutiomaro, compreſſi, num.25.

13. *Cæſar* anno 6. auget copias, a.m.4001.n.14. & quare, ibid. noui in Gallia motus, cito pacati, nu.25. res apud Treuiros à Labieno geſta, num.26. iterum Rhenum ponte iungit, moxque regreditur, n.27.

14. *Cæſar* Ambiorigem perſequitur, ann.mund. 4001. numer.27. res ab eo, & Cicerone ad Eburones geſta, num. 28. ſuis liberatis repetit Italiam, num.29. priuilegia Cæſari abſenti facta, a.m.4002.nu. 14. & 25. eoque abſente noui motus in Gallia, numer.15.

15. *Cæſar* ſucurrit ſuis periclitantibus, an. mund. 4002. num.16.17. res ad Auaricum geſta, numer. 18. Gergouia infeliciter à Cæſarianis tentata, numer. 19. Aedui deficiunt, ibidem, reconciliati clam belli conſilia agitant, 20.

16. *Cæſar* Nouiodunum amittit magno cum damno, an. mun. 4002. numer. 21. ſe Labieno iungit, ibid. Aeduorum in Cæſarem apparatus, & Vercingentorigis, quem ope Germanorum vincit, 23. & Gallorum auxilia, ibid.

17. *Cæſar* Aeduos, Aruernoſque domat, a. 4002. num. 24. & totam Galliam habet in poteſtate, ibidem, immenſas opes colligit, quas Romæ profundit, numer.25. ibique forum molitur, ibid. legionibus ſtipendium duplicat, &c.

18. *Cæſari* Cato fruſtra reſiſtere parat, an.mund. 4003. n.10. ei Coſ. Marcellus aduerſatur, n.12. & ſchol.2. Cæſar imperium retinere ſatagit dum Conſul fiat. Galli in eius copias variis ſimul locis bellum ſuſcipiunt, numer.14.

19. *Cæſar* Bituriges, Carnutes, Bellouacos magna celeritate ac felicitate ſuperat, ann.mund. 4003. numer.14. præſertim Bellouacos, qui tandem deditionem faciunt, aliique populi, numer. 15. geſta eius ad fines Ambiorigis, ad Pictones, & Carnutes, &c. num 16.17.

20. *Cæſar* Vxelodunum obſidet, & ſiti domat, ann.mund.4003. numer. 17. & 18. totam Galliam ſuis legionibus habet in poteſtate, numer.19. Coſſ. ei aduerſarii, an. V. C. 703. numer. 2. quorum vnus pecunia ad Cæſarem acceſſit, ibid. ſicut & Curio Tribunus, nu.3.

21. *Cæſar* in quiete Gallica maiora parat, ann.m. 4004. numer.7. adit Italiam, numer. 8.9. largitione milites demeretur, numer. 9. bellum ciuile inceptat, an. mun 4005. eius magnitudo, numer.1. cauſa ambitio, numer.4. eius poſtulata à Senatu, n.5.6.7.

In *Cæſarem* S. C. an.mun. 4005. num. 7. Tribuni ad eum profugiunt, n.7. & 8. arma in Cæſarem parantur, ibid. eum Labienus deſerit, num. 9. Cæſar oppida occupat, plerique vrbem metu deſerunt, nu. 9. & 11. 13. ipſe prouincia ſua armatus egreditur, num.10. 22.

Cæſaris querelæ, an.mund.4005. num. 10. & 11. multi ſe cum Domitio Cæſari dedunt, numer.14. Cæſar Pompeium Brunduſium ſequitur, numer.15. Brunduſini ſe Cæſari dedunt, numer. 16. Dominus Galliæ & Italiæ, Hiſpaniam cogitat, num. 17. aditque, n.28.29. 23.

Cæſar Siciliam, & Sardiniam deſertas ab aduerſariis occupat, ann.mun.4005.num.18. redit in vrbem, & quæ ibi ab eo geſta, numer. 20. & 21. Ariſtobulum dimittit in patriam, num.23.24. obſidet Maſſilienſes, num.29. 24.

Cæſaris geſta in Pompeianos in Hiſpania, an. mund.4005. num. 30. & ſeqq. qui ad deditionem coacti dimittuntur, numer.33. 34. Hiſpanias recipit, ac conſtituit, num. 38. Vincit Maſſilienſes, 32. ad deditionem cogit, n.38. 25.

Cæſar Vrbem adit, an. mund. 4005. num.38. ſeditionem ſuorum militum, vt compreſſerit, num. 39. Dictator fit abſens, numer. 38. quam præſens aſſumit, ac moderate gerit, numer. 40. eam quatenus depoſuit, ibid. Conſul deſignatur, nu. 40. poſt decennium à priore Conſulatu, ibid. 26.

Cæſar Imperium Romæ occupat, ann.mund. 4006. num.1.2. abit ab Vrbe abdicata dictatura, num.4. Epirum occupat, num.5. venit Dyrrachium, Pompeius quoque, n. 6. Cæſar acceſſit Antonium, num. 7. pax fruſtra tentata, numer. 8. Cæſaris ambitio, ibidem. 27.

Cæſariana de Pompeio victoriæ cauſa & initium, ann.mu.4006. num. 14. aciei Pompeianæ fuga & clades, numer.15. Cæſar fugientes perſequitur, numer. 17. & 19. Aſiam adit, & Aegyptum, eiuſque felicitas, numer. 25. vt ſe geſſerit erga Pompeium mortuum, n.26. 28.

Cæſari quæ contigerint Alexandriæ, ann. mu. 4006. numer. 27. eam ſedat tumultuantem, numer.28. & 29. renouatis turbis ibi pugnat, num.31. cognita morte Pompeii priuilegia in Cæſarem Romæ congeruntur, a.4007.n.3. 29.

Cæſar admittit Dictaturam, & Tribuniciam poteſtatem, an. mun. 4007. numer.4. & abſens Mag. eq. M. Antonio, ibid. redit in vrbem, & eam turbatam facile componit, n.6. extremo anno Coſſ. creat, nu.7. eius apparatus ad bellum Alexandrinum, n.8. & ſeqq. 30.

Cæſar Ptolemæo rege ſubmerſo Alexandriam occupat, ann.mund.4007. numer. 24. & 25. abit ex Ægypto, numer.28. differt reditum dum Aſiam componat, num. 29. honorat Hyrcanum & Antipatrum, nu.30.32.33. decretum pro Iudæis, numer. 33.36.37. 31.

32. *Cæſaris* res in Ponto geſtæ, an.m.4007.num. 41.42. & ſeqq. celeritas victoriæ, nu.43. 44. componit res Aſiæ & Ponti,45. Mithridatem loco Pharnacis conſtituit,ibid. vrbem repetit,& opes congerit, & quem in finem, numer.46. Romæ ſibi populum conciliat,ibid.

33. *Cæſar* egregie ferociam militum comprimit, an.m.4007 nu.47.48.49. Dictator & III. Coſ. cum Aemylio Lepido.4008. num. 1. bellum Africanum ſuſcipit contra Pompeianos, nu 2.3. traiicit in Africam, nu.4. vt ibi acceptus, num.5. Labienum & Petreium vincit,6.

34. *Cæſar* auctus copiis & commeatu hoſtem vexat, ann. mun. 4008. nu. 7. de ſumma rei decertare conatur, nu. 9. Scipionem vincit, num. 12.13. adit Vticam, vbi ſe Cato perimit, num. 14. vt ſe ibi geſſerit Cæſar, num.16. &c. Adit Sardiniam, nu.19. Romam venit,ibid.

35. *Cæſar* copias in Hiſpaniam mittit, a. 4008. n. 19. decreta in eius gratiam facta, numer. 20. Senatum populumque conſolatur, n. 21. quater triumphat, numer.22.23. 24. & quæ in eis inſignia, ibid. varia edit ſpectacula, numer. 25. conflat ſibi odium, num.26.

36. *Cæſar* varias edit leges, an.mun.4008. nu.26. annum corrigit,nu.27. & ſeqq. fuſe, vide *Annus*. Cleopatram Romam euocat,nu. 39. fit iterum Dictator & Coſ. an. mund. 4009.num.2. & 3. in Hiſpaniam celeriter contendit, num. 4. Pompeianos vincit, nu.9.10.11.

37. *Cæſaris* in Hiſpania periculum, ann. mund. 4009. numer. 13. etiam de propria cæde cogitat, numer.14. victor Romam redit, n.19. eius honores & priuilegia, ibidem, triumphus odioſus, eius & legatorum ipſius, numer. 20. & 21.alia eius priuilegia,nu.23.

38. *Cæſar* nouo Imperatoris nomine honoratur, ann.mun.4009. numer. 24.etiam diuinitate, n.25.& 4010. numer.11.quanto tempore dominatus fuerit, ann.mu.4010.n.3. ſumma eius laus ex clementia, nu. 4 bellum Parthicum cogitat,nu. 6. magiſtratus ad plures annos deſignat,7.

39. *Cæſaris* diuerſa opera glorioſa,a.m. 4010.n.5. & 8. quæ illi odium conflarint, numer.9. oblatum diadema non ſyncere reiicit,nu. 10.& 11. amat rex æſtimari ac dici,n.12.13. licet ominibus tardatus, in curiam à D. Bruto adducitur, n.17.

40. *Cæſar* pugionibus in curia confoditur, 4010. num.20. modus rei geſtæ, ibid. eius teſtamentum, quo lecto omnia turbantur, num.26.Cadauer populum mouet in coniuratos, n. 27. cadauere comburendo excitatur incendium, numer. 28. laudatur à Triumuiris,4012.n.3.

Cæsarea ab Herode inſtauratur, ann.mun. 4032. numer. 12. & 14. olim Turris Stratonis,ibid. tempus inſtaurationis controuerſum.n. 3.

1. Caius Agrippæ, & Iuliæ filiæ Auguſti filius naſcitur,a.m. 4034.n. 1. cum fratre Lucio adoptatur ab Auguſto in heredes imperii, an.mund.4037. numer. 1. Troiam oſtennis ludit, 4041.nu.9. exercitationes eius militares,a.4046.n.6.& 12.

Caius Lucius per iocum Conſulatum petit,a. 2.
m.4048 n.1 Auguſtus cupit vtrumque deſignari Conſulem,n.2. & deſignantur in 5. a 15. annum,n.2. quo die in forum ab Auguſto deducti, nu. 3.4. Caius fit princeps Iuuentutis, num. 5. C. & L. offenduntur in honore Tiberii,n.6.

Caius ab Auguſtuo XII. Coſ. in forum deductus, a. m. 4049. n. 1. expeditionem in 3.
Orientem parat, 4051. nu.1. proficiſcitur ad bellum Parthicum,4052. num.11.& 12. eius comites Lollius & Quirinius, nu.12. Adit Tiberium vitricum Rhodi commorantem,n.13.

Caius adit Ieruſalem, & templum Iudæorum contemnit, ann. m. 4052. numer.15. 4.
Auguſto probante, ibid. edictum Cæſaris & Cyrini ad Caium videtur pertinere,an. m.4052.nu.74. & 75. redit ab Oriente,an. 4053. n.3. abſens Conſulatum gerit, 4054. n.5.& ſeqq.

Caius quando mortuus,a.m.4057. nu. 1. eius 5.
cauſa, & modus,num.2.& 3. locus mortis ibid.funus eius.n.5.

C.Caligulæ Imperat. ortus, an. mun.4065. numer.6.

Callisthenes ianuas templi Hieroſolymis incendit,a.m.3889. & ipſe perit incendio, n 44.& 3890.n.6.

L. Calphurnius Beſtia Coſ. initium dat bello Iugurthino, a.m.3943. num.2. exercitum defert in Numidiam, ibid. auaritia victus pacem Iugurthæ vendit,num.3. eum ſui milites imitantur, ann. mund. 3944.numer.2.

Calphurnius Piſo Prætor in Hiſpania rem gerit, an.3943. nu.3. Cn.Calph. Piſo Coſ. cum Auguſto, V.C.730.

Campus magnus, qui & Eſdrelon &c.an.m. 3912.nu.5.

Canidius Iberos,& Albanos vincit,a. mun. 4018.nu.6. eos ſibi ſocios in Parthos aſſumit, ibid.

Canidius à Catone miſſus in Cyprum, a.m. 3996.18.& 97.n.8.

Caninius legatus Cæſaris Vxelodunum obſidet,an.m.4003. n.18, duces hoſtium capit,ibid. paucarum horarum Coſſ. an. m. 4009.n.22.

Canis in herum ſuum amor,ann.mun.4081. numer.3.

Canusium oppidum Apuliæ, an.mun.3971. nu.5 ad illud Norbani cum Sylla prælium, ibidem.

Cantabrorum ſedes in Hiſpania, ann. m. 1.
4028.numer. 2. quæ in eos Auguſto belli cauſa, num. 3. eum diu fatigant, numer. 4. iis victis Ianum claudit Auguſtus,4029 numer.2.

Cantabri à Cariſio male tractati rebellant, a. 2.
4032.n.6.iterumque domantur, ibid.ſeipſi incendio ac veneno interimunt,ibid.

CAPHARSALAMA eadem quæ Antipatris vrbs, 3895. 42.

CAPITOLIVM conflagrat, an. mun. 3971. nu. 7. cuius culpa, ibid. reparatur, an. mun. 3985. num. 4. donariis ſpoliat Cæſar, a. m. 4006 numer. 4. pro auro æs reponit, a. m. 3995. numer. 4.

C. Papyrius CARBO Coſſ. an. v. c. 633. an. mu. 3934. Opimium contra plebem defendit, numer. 1.

1. Cn. Papyr. CARBO Coſ. I. an. v. c. 668. mun. 3969. aſſumptus à Cinna III. Coſ. bellum cum eo in Syllam parat, num. 2. anno 669. m. 3970. cum eodem Coſ. perſeuerat, & bellum parat, numer. 5. & 7. occiſo per tumultum Cinna, redit in vrbem, numer. 8.

2. *Carbo* cum nouis Coſſ. contra Syllam pergit, 3971. numer. 4. quem Vulpem & Leonem vocat, numer. 6. nouos Syllæ ſocios hoſtes in vrbe declarari curat, numer. 7. fit III. Coſ. 3972. n. 4. legatus eius à Metello vincitur, n. 5.

3. *Carbo* cum nouo exercitu à Metello victus, an. mun. 3972. 7. Marcium mittit ad Marium obſidione liberandum, & rurſum Damaſippum, vtrumque irrito conatu, n. 7. 8. C. Carbo eius frater in curia occiditur, nu. 9.

4. *Carbo* apud Cluſium cum Sylla totum diem pugnat, an. m. 3972. nu. 11. dubia victoria, ibid. eius legatus Carinas ad Spoletum male rem gerit, n. 13. eius pugna temeraria contra Metellum, ibid.

5. *Carbo* Coſ. deſerta Italia temere deſperans profugit in Africam, ann. mund. 3972. nu. 15. eius exercitus deletur, ibid. ex Africa in Siciliam profugus, inde Coſſyram fugiens à Pompeio captus eſt, & vinctum atque obiurgatum occidit, eique inſultauit, numer. 26.

CARIA prouincia minoris Aſiæ, ann. mund. 3916. num. 9.

Ad CARNION, & *Carnaim* res à Iuda geſtæ, a. m. 3981. n. 45. 97. 98. & 101.

CARNEADES Philoſophus & orator, quando mortuus & quandiu vixerit, ann. mun. 3915. numer. 11. ſub eius mortem eclipſis, venenum ſponte bibit, ibid.

1. CARTHAGINENSES de Maſaniſſa Romæ queruntur, an. mund. 3882. numer. 23. ſollicitantur à Perſeo ad bellum contra Romanos, 3879. nu. 14. vide 3880. n. 7. quid eos ad tertium bellum impulerit, ann. mund. 3902. nu. 38.

2. *Carthagine* tres factiones ante tertium bellum Punicum, ann. mund. 3904. numer. 10. incipiente tertio bello punico Romanos placare ſtudent, a. 3905 num. 4. legatos Romam mittunt, num. 5. vt accepti Romæ, n. 6.

3. *Carthag.* dant Romanis trecentos obſides, an. mund. 3905. nu. 7. apud Romanum exercitum cauſam dicunt, numer. 8. ciues exarmantur, num. 9. & claſſem ſpe pacis incendunt, ibid. Luctus eorum nunciata euerſione Carthaginis, n. 10.

Carthag. legati vt accepti in vrbe cum tali nuncio, ann. m. 3905. numer. 11. vt in Curia, nu. 12. Defenſionem ex deſperatione parant, ann. mun 3905. numer. 13. idque ſummo omnino ſtudio, ibid. quæ eis fauerint, num. 14. vrbs fruſtra oppugnatur, numer. 15. 4.

Carthago damna Romanis infert, ann. mund. 3905. numer. 16. amittit Himilconem deficientem ad Scipionem, an. mund. 3906. numer. 9. recipiunt animos, nu. 11. fouent Andriſcum contra Rom. ibidem. diſplicet eis Aſdrubalis crudelitas in captiuos, 3907 numer. 19. 5.

Carthago à Scipione circumcluditur, & commeatu prohibetur, a. m. 3907. num. 20. ipſi nouum os portus ſolerter aperiunt, nec bene vtuntur inuentione ſua, numer. 21. Ad machinas Rom. natatu perueniunt, eas incendunt, & nudi armatos fugant, numer. 22. 6.

Carthaginis excidium, ann. mund. 3908. num. 19. quandò contigerit, ibid. & quomodo, num. 20. & ſeqq. ædium euerſio & incendium, numer. 20. 21. & mortalium ſtrages horribiles, ibid. præda & incendium diuturnum, n. 25. 7.

Carthaginis ortus & duratio ex diuerſis, ann. mund. 3908. num. 26. & ſeqq. fuſe; quandiu condita ante Romam, numer. 27. Carthago Colonia cur formidata, ann. mund. 3931. numer. 3. à quo deducta, & cuius rogatione, cum prodigiis, numer. 5. 6. 8.

CASAVBONVS ſectarius arguitur, an. m. 4055. ſch. 2. & 4058. ſch. 1.

Ad CASPHIM res à Iuda geſta, ann. mund. 3891. num. 93.

C. CASSII Coſ. temeritas in deſeranda ſua prouincia, & aliena adeunda, an. m. 3883. num. 27. 28. & iniuſtitia in quietis populis bello inuadendis, ibid.

L. CASSIVS Prætor ad Iugurtham mittitur, an. mund. 3944. numer. 1. quem Romam adducit, n. 2. fit Coſ. 3947. contra Tigurinos infeliciter pugnat, numer. 7. & cæditur, ibid. interfectus quoque L. Piſo eius legatus, & miles ſuperſtes ſub iugum miſſus, ibid.

C. CASSIVS Longinus Quæſtor M. Craſſi apud Parthos eum à bello fruſtra reuocat, an. mund. 4001. numer. 3. eiuſque ſalubre conſilium negligit, numer. 4. & 7. cornu vnum aciei illi commiſſum. Conſilium fugæ init re pene perdita, numer. 11. 1.

Caſſium cum Craſſo vinctos petunt, ann. m. 4001. numer. 12. cum 500. equitibus proripit ſe in Syriam, numer. 13. delatum imperium prius recuſatum neceſſitate recipit, ann. mun. 4002. num. 2. Parthos Syria repellit, ibid. 2.

Caſſius quæ in Syria & Iudæa geſſerit, ann. mund. 4002. numer. 3. & 4003. numer. 3. & 4. &c. 3.

Q. *Caſſius* Trib. pleb. ad Cæſarem confugit, a. m. 4005. n. 7. 8. & 22.

4. C. *Caſſius* in Corcyram ad Catonem ſe confert, an.mun.4008. moxque ad Cæſarem tranſfugit, num. 2. M. Bruti ſororem habet vxorem, an.mun.4010.nu 15. primus coniuratorum in cædem Cæſaris, ibid. Capitolio ad Antonium deſcendit, numer.25.

5. *Caſſius* Syriæ præſes à Cæſare deſtinatus fuerat, ei Africa à Senatu tribuitur, an.mun. 4010 numer.29.& 39. ſocios coniurationis bellum parare curat, num.39. commutatis ab Antonio & Dolabella prouinciis, ei Creta datur, n.40.

6. *Caſſius* Syriæ præficitur, & Bello contra Dolabellum gerendo,an.mu.4011. numer. 5. & cum M. Bruto reliquis ad Orientem prouinciis, ibid. & num. 13. in Syria arma parat & Iudæam vexat, num. 14. & 15. extorquens magna vi pecunias,ibid.

7. *Caſſius* vt Syriam prouinciam obtinuerit ante decretum Senatus, an. mund. 4011.nu. 16.17.18. augetur legionibus Allieni, ibid. & numer. 19. Dolabellam opprimit,num. 20. & 21. eius copias aſſumit, nu.22. Laodicenſes & Tarſenſes punit,ibid.

8. *Caſſius* Ægyptum aditurus à Bruto reuocatur, ann. mund. 4011. numer.23. & 4012. nu. 5. ducem Cœleſyriæ Herodem creat, num. 25. à M. Agrippa apud Senatum & Cæſarem accuſatus, damnatuſque, num. 39. 17. legiones habet cum Bruto, aut 20. numer.41.

9. *Caſſius* remittit Parthorum auxilia, ann.mu. 4012. num.6. Rhodios aggreſſus ſpoliat, numer.7. immenſas cum Bruto pecunias cogit, num.8. peruenit Philippos & concionem habet ad exercitum, numer. 12. quantus is foret, n.13.

10. *Caſſius* contra Antonium pugnat, ann. mun. 4012. numer. 16. euentus prioris pugnæ, numer. 17. Caſſii præpropera deſperatio, ibid. & voluntaria cædes, numer. 18. magno partium ſuarum damno, ibid. Brutus in Thaſum ſepeliendum miſit, numer.19.

1. L. CATILINIA homo audaciſſimus iratus ob repulſam Conſulatus, inſidias Cottæ & Torquato Coſ.deſignatis parat, an. mun. 3988. num.3. cum Autronio & Sulla coniurat,ann.m. 3989. numer.10. atque adeo cum Craſſo & Cæſare,ibid. & an. m. 3991. numer.42.

2. L. *Catilina* redintegrat coniurationem, ann. mund.3990. numer.2. eius cauſæ,num.2. & 3. quæ molitus hoc anno Catilina, n. 4. conſilium & fœdus inter coniuratos ſacrilegum,numer.5. innoteſcit,numer.6. Catilina iterum Conſulatu repellitur, numer. 6.

3. *Catilinaria* coniurationis progreſſio, ann.m. 3991. nu. 35. petit iterum Conſulatum,& Ciceroni ſtruit inſidias, ibid. bellum parat & Ciceroni cædem, nu. 36. quæ illi patefit, ibid. & obtinet S. C. in coniuratos, numer.37

4. *Catilina* in Senatu à Cicerone Coſ. exagitatur, ann.mund.3991.numer.38. abit cum ſuis & hoſtis à Senatu iudicatur, num. 39. patefit coniuratio, & primarii coniurati comprehenſi, 40. conuicti in Senatu, 41. damnatique, 42. dant pœnas, 43.

Catilinaria coniuratio extinguitur, 3992. nu. 5. 5. Metellus, & Antonius Catilinam perſequuntur, n.6. Catilina cum Petreio pugnat, & victus occiditur, n.7.

M. CATONIS ſenioris ad Pœnos legatio, an. m.3901. numer.12. ſuadet bellum, an.3902. num.38.& 3903. numer.16. omnibus conuentibus bellum in Pœnos vrget, ann.m. 3904. num.7. ficus profert punicas, ibid. vide & numer. 8. tempus mortis eius, ibidem.

M. CATONIS Prætoris filii Cenſorini mors, an.mun.3902. nu.39. huius Prætoris filius & Cenſorini nepos moritur, ann. mund. 3936, num.3. Conſul cum Marcio rege in Africa moritur, ibid. eius filius in Gallia Narbonenſi moritur,ibid.

C. CATO cum Acilio Balbo Coſ. an.m.3940. bellum in Thraſia infeliciter gerit, n.7. & 8. damnatur repetundarum, n.7. fuit frater eius qui Coſ. fuit quadriennio ante cum Marcio rege, ibid.

C. CATO Tribunus plebis fingit oraculum contra Auletem, a.mun.3998. n.4.& 5. vide & num.18.

Vettius CATO bello Italico Rutilium Coſ. cum copiis interficit, ann. mund. 3964. numer.5.

L. Porcius CATO Coſ. an.mun.3965. patruus Catonis Vticenſis, nepos Cenſorini, numer. 5. bello Italico à filio C. Marii occiſus eſt, ibid. collega Pompeii Strabonis, ibidem.

M. CATO Vticenſis capitalem ſententiam 1. in coniuratos dicit, an. mund. 3991. num. 42. reſiſtitque Cæſari, ibid. & rurſum Conſulatum & triumphum petenti, 994. n.7. largitionem contra eum probat, n.8. eum ſuſpectum habet, n.9.

Cato legi agrariæ Cæſaris ſuo cum periculo 2. reſiſtit, ann. mund. 3995. numer.6. & 8. Rhodi ſubſtitit Cyprio apparatui intentus, ann. mund. 3996. 2. conſilium Auleti datum, ibid. vociferatur in Coſſ. à Cæſare deſignatos, numer.5. in Cyprum à Clodio amandatur, n.16.

Cato Cyprum adit inuitus, an.m.3996. num. 3. 17. & 18. quam obtinet rege ſibi manus inferente, a.m.3997. numer 8. Bizantium adit, ibid. miſſo in Cyprum Bruto ſororis filio, ibid. Cypro reuertitur, ann. mund. 3998. numer.6. Naufragio & incendio affectus, ibid.

Cato vt exceptus Romæ, ann. mund. 3998. 4. num.7. in Præturæ petitione victus a Vatinio, ibid. & num.19. quando eam adeptus, nu.8. offenſus à Cicerone in re Clodiana, ibid. in repulſa præturæ à populo honoratur, n.19.

Cato rogationi pro Cæſare reſiſtit, ann.mun. 5. 3999. num.10. in vincula ducitur, ibid. liberatur, & rogatio per vim perfertur, n. 10. Pompeio denunciat ruinam à Cæſare

cui prouincias procurabat, n.13. defert ei
ſoli Conſulatum metu Dictaturæ, an.m.
4002. num.6.7.
6. *Cato* Conſulatum petit, & cur, an.mu.4003.
numer.10. cur paſſus repulſam, num. 11.
Siciliam obtinet dum Cæſar inuadit im-
perium, 4005. nu.18. arma parat, ſed ad-
uentuCurionis cognito ex prouincia pro-
fugit, ibid.
7. *Cato* victo Pompeio Corcyram ſe claſſe con-
tulit, aliique eum adeunt duces, an. mu.
4008. numer.10. Scipione in Africa victo
Cato Vticæ defenſionem fruſtra ſuadet,
numer.14. ſibi manus infert, ibid. cur di-
lectus Vticenſibus, n.15.
8. *Cato* filium ad Cæſarem mittit, an.mu.4008.
numer. 15. qui inuidet Catoni mortem,
ibid. in eum tamen mortuum ſcribit An-
ticatonem, ibid.
1. Q. Lutatius Catvlvs Coſ. cum Mario IV.
Coſ. an.m.3952. num. 4. à Cimbris cum
ſuo exercitu metu abit, num.11. rem bene
gerit contra eos apud Vercellam, an. mu.
3953. nu. 6. eius potius quam Marii vi-
ctoria fuit, num. 9.
2. *Catulus* & Marius de Cimbris triumphant,
an.mun. 3953. num. 10. ad mortem à Ma-
rianis quæſitus, ſibi ipſi mortem procu-
rat, a.m.3967.n.10.
Q. Lutatius Catvlvs cum Lepido Coſ. an.
mun.3976. inter ſe iurgantur, numer. 12.
atque etiam pugnant, a.m.3977.n.1.2. Ca-
tulus irridet iudicium de Clodii ſacrile-
gio, a.m.3993.n.16.
Cavares qui, an. m.3933.n.9. Domitii Æ-
nobarbi contra eos, vicinoſque populos
pugna, atque victoria, n.8.9.
Cayphas à Grato procuratore Iudææ fit
Pontifex, an.mund. 4071. numer. 1. an
fuerit cum Anna Pontifex, ann.mund.
4082. numer. 30. an potius ſolus, nu-
mer.31.
Celtiberi ab Appio Claudio victi, an.m.
3880. numer. 13. Ouans Vrbem ingredi-
tur, numer. 14. Celtiberici belli duratio,
initium, cauſæ, an. mund. 3901. num. 1. 2.
clades Celtiberorum & Roman. num.
4.5. eam prouinciam plerique refugiunt,
3903.n.9.
Censores ominoſi, an. m. 4032. numer. 3.
Cenſuram repudiatam Auguſtus reipſa
gerit, ibid.
Census prior à Quirinio factus in Iudæa,
an.mun.4052. nu.35. & maxime, nu. 74.
& 75. Alter eius Cenſus in Iudæa, ann.
mund. 4062. num.4. cum Coponio, ibid.
ex Ioſepho.
Cethæi qui populi in Scriptura, an. mund.
3894. numer.11. terra Cethim, n.12.
Chaldæi & Mathematici vrbe pulſi, an.
m.3916. nu 5.
1. Christi Domini concepti natique tempus,
an.mund. 4052. toto. maxime, 1.2. &c.
n.24. & ſeqq. n.54.55. & ſchol.3. Sectario-
rum ea de re deliria, num. 56. quis heb-
domadæ dies vtriuſque, n. 58. & 59. natus
feria 6. non dominica, n.60.

Christo in ſtabulo nato compatiendum, ann. 2.
mund. 4052. numer.78. Angelis collæ-
tandum, num. 79. In ſtabulo vere fuiſſe
glorioſum, nu.79.80. & Salomone glo-
rioſiorem, nu. 81. fecit glorioſas res viles
& deſpicabiles, ibid.
Christus reuelatur paſtoribus, an. mun. 4052. 3.
num.83. myſteria primi anni Chriſti, 4053.
num.1. Circuncisio, num.4. feria 6. ibid.
eius præputium vt repertum, num. 5.6.7.
&c. an diu in ſpelunca, vel ſtabulo man-
ſerit, n.9.10.11.
Christus in templo oblatus, & 5. ſiclis re- 4.
demptus, an. mun. 4053.num.19. vel 50.
eius ex Ægypto reditus, an. mund. 4055.
numer. 4. & ſeqq. mora minor biennio,
num.7. habitat in Nazareth, an. m.4056.
numer. 2.
Christus quotannis templum adibat cum pa- 5.
rentibus, an.m.4064. num. 1. an triduo
mendicarit, num. 2. non videri, num.3.
eius in templo diſputatio qualis, ibid. eius
baptiſma ſuſceptum anno 30. ineunte, an.
m.4082. n.1. fuſe.
Christi baptiſmatis tempus probatur ex an- 6.
nis expanſis Auguſti & Tiberii, an. mun.
4082. num.1. ad 18. ex verbis Lucæ, nu.18.
iuxta doctorum interpretationem, num.
19. & ſeqq. ſententia de 30. annis exple-
tis refutatur, n.28. & ſeqq.
Christi prædicatio quot annorum fuerit, an. 7.
mun.4082. numer. 31. & ſeqq. quæ eius
quinque paſchata, num. 33. anno ſui bap-
tiſmi non fuiſſe concionatum, numer.34.
35. an tria miracula eodem die diuerſis an-
nis fecerit, n.36.37 &c.
Christus quoto die hebdomadæ baptizatus, 8.
an. mun. 4082. num. 40. an baptizauerit
Ioannem, numer. 41. & 42. reliqua geſta
anni trigeſimi, num.4.. eius annus ſecun-
dus à baptiſmate, 4083.num.1. toto anno
quæ geſſerit, n.2 & ſeqq.
Christus an aliquos baptizauerit, an.mun. 4083. 9.
num.3. eius publica prædicatio, an. mun.
4084. num. 1. quæ anno vitæ 32. geſſerit,
num.2. & ſeqq. eius tertium paſcha, nu.
5. & ab eo tempore quæ geſſerit, num. 7.
eligit diſcipulos, n.8.
Christus ſermonem habet in monte, an.mun. 10.
4084. num.9. & ſeqq. eiuſdem paraphra-
ſis, num.10 11.12.&c. & ſcho.1. fuſe. Chri-
ſti annus 33. & quartum eius paſcha, ann.
mun. 4085. num.1. geſta eiuſdem, num.
1.2.&c.
Christi annus 34. & vlt. mund. 4086. num.1. 11.
confirmatur fuſe, numer. 2. & ſeqq. quî
conueniat annis Tiberii, numer.7. Olym-
piadis annus confirmatur, numer. 9 &
Vrbis, nu. 10. menſis mortis eius, & dies,
num.11. & ſeqq.
Christus anno 34. quæ geſſerit ante paſſio- 12.
nem, ann. mun. 4086. num. 15. & 16. ſub
paſſionem, num.17. & 18. & diſpoſitio vl-
timorum dierum, numer. 19. 20. & ſeqq.
quo pretio venditus, nu. 27. 28. eius ora-
tio, triſtitia, comprehenſio, n.32.33.
Christi Domini flagellatio, an.m. 4086. nu.40 13.

&c. coronatio, num. 43. & 44. oſtenditur
populo, à quo & reiicitur, nu. 45. & 46
damnatur à Pilato, num. 47. & ducitur
ad ſupplicium, nu. 48. dimenſio itineris,
49. iter ad Caluariam, n. 50.

14. *Chriſti* crucifixio, an. m. 4086. nu. 51. prodi-
gia, quæ ante mortem contigerunt, num.
52. & quæ à morte, num. 53. 54. & ſeqq.
teſtimonia pro eius innocentia, num. 62.
Chriſti ſepultura, num. 63. Sindon Ve-
ſuntionenſis, num. 64.

15. *Chriſti* myſteriorum breuis ἀνακεφαλαίωσις, &
commendatio, ann. mun. 4086. num. 65.
& ſeqq. per Epithalamium, num. 66. E-
pitaphium, num. 67. 68. 69. Epinicion,
numer. 70. triduum ante reſurrectio-
nem, n. 71.

16. *Chriſti* reſurrectio, & apparitiones aliquot,
an. mun. 4086. num. 72. 73. & ſeqq. Petro
committit Eccleſiam, num. 74. Aſcenſio
Domini, 75. eidem gratiarum actio ope-
re finito, num. 85. iterataque cõnſecratio,
num. 86.

Chronologia l. 1. & 2. Machab. 3891. nu. 79.
3892. num. 1. & 3893 num. 17. multiplici-
ter ſtabilita ratio temporis anno Chriſti
nati, & anno 1. & 30. & 34. & alibi
paſſim.

Ciborum delectus antiquatur ab Antiocho
Epiphane, an. mun. 3887. num. 9. pro eo
moriuntur Eleazarus, & 7. fratres, num.
20. & ſeqq. Cibum in os infercit Tibe
rius Agrippinæ, vt viuere cogat, 4086.
num. 91.

1. M. T. Cicero naſcitur, an. mun. 3948. num.
13. genus eiuſdem, numer. 14. in odium
Catilinæ deſignatur Conſul, ann. mund.
3990. num. 6. init Conſulatum cum C.
Antonio, 991. illi Catilina ſtruit inſidias,
n. 35. Cic. ſe communit, ibid.

2. *Cicero* ſpecie ſalutationis cædi deſtinatus, an.
mun. 3991. nu. 36. obtinet SC. in coniura-
tos, num. 37. exagitat Catilinam in Sena-
tu, nume. 38. induſtrie detegit ac compre-
hendit præcipuos coniuratorum, nu-
mer. 40.

3. *Ciceroni* populus gratulatur, an. mund. 3991.
num. 43. deinde illi conflatur inuidia, nu.
44. collegam Antonium ſibi deuincit, n.
35. eumque reum poſtea defendit, ſed fru-
ſtra, a. m. 3992. n. 8.

4. *Ciceronem* calumnia quidam affecerunt, ann.
mun. 3995. numer. 11. eius cum Cæſare &
Pompeio ſimultas, num. 12. Cæſar Clo-
dio in Cicer. fauet, ibid. eum Clodius
euertere aggreditur, & quibus artibus, a.
m. 3996. n. 5. & 6.

5. *Ciceronem* Clodius cum perfidia fallit, an. m.
3996. num. 7. lege lata de indemnatis, n.
8. illi Cæſar legationem ſuadet, nu. 9. quam
male repudiat, n. 10. & Pompeio ſe dedit,
ibid. adhibet pro ſe deprecatores, n. 11. fru-
ſtra ob aduerſariorum potentiam, nu-
mer. 11.

6. *Ciceronis* metus, animique abiectio, an. mun.
3996. nu. 12. fuga illi ſuadetur, num. 13. à
Pompeio deſeritur, num. 14. ab armis re-
uocatur, ibid. cum ignominia ſolum ver
tit, nu. 15. adit Theſſalonicam, ibid. Clo-
dius in eius bona inuadit, an. mun. 3996.
num. 15.

Ciceronem Pompeius reſtituere ſtatuit vexa- 7.
tus à Clodio, an. mun. 3996. num. 30 & 31.
de eo reducendo in Senatu agit per Nin-
nium, ibid. & rurſus, an. 3997. n. 10. etiam
ſeditioſe, ibid. lex fertur de Tullii reditu,
num. 11. redit que perhonorifice, n. 12. poſt
16. menſes, ibid.

Cicero redux in Senatu gratias agit, 3997. nu. 8.
13. agit pro domo ſua, num. 14. cur Ga-
binium accuſare noluerit, a. mun. 4000.
num. 15. patronum pro eo poſtea egit, nu.
17. haud laudabili patrocinio, 18. 19 de-
fendit Milonem, a. 4002. nu. 12.

Cicero Ciliciam prouinciam adit, a. m. 4003. 9.
num. 8. quid in ea geſſerit, num. 9. Impe-
rator appellatus eſt, ibid. dolet de Cato-
nis repulſa, & cur, n. 11. Cæſare vrbes Ita-
liæ occupante fugit ex vrbe, an. 4005. nu.
9. & nu. 12. cum Cæſare colloquium, nu.
20. molitur concordiam, ibid

Cicero Antonium exagitat, a. m. 4010. nu. 10. 10.
occiſo Cæſare omnes ad concordiam in-
uitat, nu. 24. agit de Antonio hoſte iudi
cando, a. 4011. nu. 3. nec fruſtra, num. 4
ſicut & de Dolabella, num. 5. pro Caſſio
agit in Senatu, n. 16.

Cicero Cæſaris vrbem occupantis colloquium 11.
obtinet, ann. mund. 4011. num. 36. decreta
proſcriptione, Cæſar Ciceronem cedit
Antonio, n. 49. 51. occiditur, n. 54. quo æ-
tatis anno &c. ibid.

Q. Cicero M. frater in ſeditione de eo re- 1.
uocando inter cadauera latet, an. mund.
3997. num. 10. magnum adit periculum in
Gallia, a. 4000. nu. 23. ei ſubuenit Cæſar,
nu. 24. legioni decimæ quartæ præficitur
à Cæſare, a. 4001. nu. 28.

Q. *Cicero* magnum à Sicambris periculum 2.
adit, 4001. n. 28. liberatur, n. 29.

Cilicia receptaculum piratarum, ann. mu.
3987. numer. 11. obtigit Ciceroni, an. mu.
4003. nu. 8.

Cimbrorum arma primum audita Romæ, 1.
a. m. 3941. nu. 4. v. c. 640. quæ eis veniendi
cauſa, nu. 5. rem cum eis male gerit Sila-
nus, 3945. n. 13. nec eorum primum impe-
tum Silanus, nec 2. Mamilius, nec 3. Cæ-
pio ſuſtinuit, ibid.

Cimbri Scaurum vincunt, a. m. 3946. n. 8 Ma-
nilium item Coſ. & Cæpionem procoſ. 2.
a. mu. 3949. nu. 2. maxima cum clade, nu.
3. luctus timorque Romæ, n. 4. C. Mario
Conſulatus & bellum in eos decernitur,
a. 3950. n. 1.

Cimbri in Hiſpaniam feruntur, an. mu. 3950. 3.
num. 3. ibi victi Galliam repetunt, n. 4. in
eos ſe Marius comparat, 4052. n. 5. eoſque
cunctatione fatigat, num. 6. contemptim
Italiam petunt, n. 7. ſubſequitur Marius
& pugnat ad Aquas ſextias.

Cimbrorum & Teutonum vxores fortes & 4.
caſtæ, a. mu. 3952. 8. Illi in colle moxque in
planicie ingenti ſtrage afflicti, numer. 9.
& 10.

& 10. res à Catulo in eos geſta,nu.11. Inde Marius factus V. Coſ. eos arcet ab Italia ciſpadana, 3913.n.5.

5. *Cimbrorum* à Mario poſtulata,a.3953.n.6.indicitur prælium, ibid. quæ fauerint Romanæ victoriæ, num. 7. Cimbrorum feritas, etiam mulierum, numer. 8. magnitudo cladis, ibid. victoria Catuli maxime fuit, numer. 9.

Cineris ſupplicium,quo affectus Menelaus pſeudopontifex, an. mund. 3892. numer. 8.& 9.

1. L. Corn. Cinna fit Coſ.an.2.bellorum ciuil. mun.3967.nu.3. fidem Syllæ dat, frangitque,ibid. tranſit ad Marianos,numer. 4.in foro pugnat contra Octauium collegam, ibid.vrbe abiens magiſtratu deiicitur, numer.4.

2. *Cinna* ab exercitu Nolano receptus patriæ bellum infert, ann. mund. 3967.numer 5. eamque cum Mario oppugnat,num.6.vrbe recepti repelluntur,numer.7.vrbe inopia laborante Senatus legatos mittit ad Cinnam.nu.8.

3. *Cinna* vrbe admiſſus cædibus in ea ſæuit,3967. numer. 9. 10. 11. ſe ipſe cum Mario Coſſ. creant,ann.mun.3968. Flaccum loco Marij demortui collegam aſſumit,quem mittit contra Syllam,numer. 4. tertium ſumit conſulatum,& collegam Carbonem,ann. 3969.num.2. qui bellum in Syllam parant, 3970.nu.5.

4. *Cinna* ſeipſum cum Carbone Conſulem in ſeq. annum deſignat & traiicit in Dalmatiam,3970.numer.7.Cinna à milite tumultuante occiditur,num. 8.

Circuncisio ab Antiocho Epiph.morte propoſita prohibetur,ann. mund.3887. num. 10.& graui ſupplicio vindicata,num.18.& 19. Circunciſio Domini facta,a.4053.n.4. feria 6. ibid. quo loco,n.8. an in ſpelunca &c. n.9.11. eius cauſæ,n.11.

1. Clades Fuluii Nobilioris apud Celtiberos & Numantiam, an.mu. 3901. numer.4.5. 6. Mummii in Luſitania, numer. 8. Manlii, & Calphurnii, ibidem. Clades Craſſi apud Parthos, ann. mund. 4001. numer. 9.& 10.

2. *Clades* euerſæ Carthaginis, an.mund. 3908. numer. 19. & 20. vide *Bellum*. Corinthi 3908.numer. 33.36.37. 38. ingens Gallorum clades,a.m.3934.n.6.

Claudii Imperatoris Druſi filii ortus, a. m. 4044. nu. 1. Appii *Claudii* vtilis ad Tigranem legatio,a.3983.num. 4. Mithridatem petit, numer, 5. redit ad Lucullum, numer.6.

Claudiæ Virginis Veſtalis fortitudo, ann. mund. 3911. numer. 17. gemina Claudia, ſchol.3.

Clementia Auguſti erga Lepidum dudum Triumuirum,a.m.4041.n.11. & aduerſus Cinnam coniurationis conuictum, ann. 4058. nu.1. & 2.quem & Conſulem fecit, ibidem.

Cleopatra mater Ptol.Philometoris,eum regno pellit,& iuniorem fratrem Alexandrum ſubſtituit, a.m. 3989.nu.48. a quo & occiditur,ibid.

1. Cleopatra Demetrii exulantis vxor, fratri eius Antiocho Sideti nubit,an. m.3915.nu. 2. & 3. offertque ei regnum Syriæ, ibid. & 3916. num. 1. filia Philometoris 4. viris nupſit, an. m.3923. nu. 15. excludit Ptolemaide maritum Demetrium, an.3926.nu. 1, & mox eum curauit interfici, a.m.3927. num.1.

2. *Cleopatra* filium ſuum Seleucum Demetrii filium interficit,a.m.3928.nu. 1.2. dum vult alterum filium Gryphum veneno tollere, id ea potare cogitur,ann.mund. 3930. nu. 14.

3. *Cleopatra* ſoror & coniux Ptol. Euergetis, à Demetrio ex Parthis reduci opem petit, & regnum Aegypti promittit, a.m.3923. num.15. & a. 3924. n.3.Demetrio redeunte in Syriæ Cleopatra ad eum fugit, 3925. num. 4.

4. *Cleopatra* Euergetis vxor regnum Lathuro maiori filio dare cogitur, ann.m.3938. n.2. ſed eum ſororem Cleopatram repudiare cogit, & Selenem minorem ſororem ducere, ibid.

5. *Cleopatra* Lathurum hoſtiliter perſequitur, a.m.3939.n. 4. regno pellit, 3948. num.1. Cleopatræ Iudæi adhærent,numer. 1.2. ei vxorem Selenem eripit, & exulare illum cogit, & bello in Cypro exulantem perſequitur,nu.3 & 3954. num.1. & ſeqq. & 3951.n.1.

6. *Cleopatræ* matris Lathuri in illum expeditio in Syriam, a.m.3956.n. 1. oppugnat Ptolemaidem ope Iudæorum,n.1. 2. & expugnat,n.3. & copias in Ægyptum ad repellendum Lathurum mittit, nu. 2. Iannæus cum ea fœdus init,n.3.

7. *Cleopatra* dum iuniorem filium Alexandrum Lathuri fratrem interficere cogitat, ab eo præuenitur, an.m.3964. nu. 1. re patefacta regno pellitur, & Lathurus reſtituitur,3965.n.1.

8. *Cleopatra* ſoror Lathuri ab eo derelicta, nubit Cyziceno, an. mu. 3938. numer. 2.& 3939. numer. 1. Eam Gryphina ſoror in templo ſacrilege interfici curat, numer. 2. & 4.

1. Cleopatræ pater Ptol. Auletes regnare incipit,a.m.3974.nu.1. ipſa vero cum fratre Dionyſ.a.m.4004. n.1. ex teſtamento patris iuncti matrimonio, a.m.4003.nu.2.& 3. bellum inter ſe gerunt,a. m. 4005. n.45. & 4006.n.21.

2. *Cleopatram* Cæſar fratri conciliat, a. m. 4006. n.27.eius cum Cæſare familiaritas, nu.28. Cæſar populum in eos infenſum ſedat, n. 29.mortuo maiori fratre minorem Cleopatræ dat maritum,a.4007.n. 25.27. quem veneno ſuſtulit,n.27.& 4013.n.4.

3. *Cleopatra* ex Cæſare filium ſuſcipit Cæſarionem,an.4007. nu, 28. Cæſar Cleopatram Romam euocat cum marito,4008.nu,39. quam honoribus& præmiis auctam remiſit,ibid.C. Caſſio auxilia negat,4011.n. 25. Dolabellæ 4. legiones miſit,n.19.& 23.

4. *Cleopatra* magna claſſe ad Cæſarem & Antonium nauigans naufragium facit, a. 4012. nu.5. obtinet Cæſarionem regem Ægypti dici, ibid. ſe dedit Antonio, a. m.4013 n.1. & 4. eam in Syriam euocat, magniſque donis officit, a. 4015. n.7.

5. *Cleopatra* duos ex Antonio liberos ſuſcipit, a. m.4015. nu.7. qui propter illam inconſulte agit omnia, 4018. nu. 7. veſtes & pecunias Antonii militibus defert, nu. 16. cum eo ludis & epulis vacat, an. m.4019. nu. 4. & 4020. n.9.

6. *Cleopatram* metuit Herodes, 4020. n.2. 4022. num.2. in eius gratiam Antonius de rege Armeniæ triumphat Alexandriæ, num.4. & 5. Cæſarionem regem regum appellat, Cleopatram regum reginam, ibid. quibus integras dat prouincias, num.7. & 8. & an. 4021. n.8.

7. *Cleopatræ* aduerſus Herodem perfidia, ann. mund. 4022. num. 3. Antonii in eius gratiam teſtamentum, numer. 8. ei bellum indicitur, n. 9. naues & pecunias magnas Antonio in bellum præbet, numer.10. extorquet vt bello adſit, numer.11. magno cum damno, ibid. fin. & ann. mun. 4023. num.12.

8. *Cleopatra* maturius ex pugna Actiaca fugit, 4023. n.15. quam Antonius ſequitur, num. 16. huius ſtupor, illius in reditu ſimulatio, & crudelitas, n.19. parat bellum contra Octauium, & filio regnum committit, num. 20.

9. *Cleopatra* legatis & muneribus tentat Auguſtum, a.m.4024. nu.15.16. qui eius proditione Peluſium cepit, 16. & naues Antonii ad Cæſarem transfugiunt, nu.17. Cleopatra fingit mortem, vt Antonius ſibi manus afferat, n.18.

10. *Cleopatra* ſtudet ſibi Cæſarem conciliare, an. m.4024. num.19. colloquium Cæſaris impetrat, ibidem, metu triumphi petit, vt ſibi mori liceat, numer. 20. ſeipſa perimit, & quo mortis genere, numer. 21. cum ea finitur regnum Aegypti, numer. 23. 24.

11. *Cleopatra* quandiu regnarit, 4024. n.24. quandiu cum Antonio, nu.25. quamdiu vixerit vterque, ibid. eorum filii Cæſario & Antyllus occiduntur, n.26.

Cleopatra filia ex Antonio ſuſcepta, etiam ipſa Cleopatra dicta, cui Lunæ cognomen, an. mun. 4015. numer. 7. dat ei Antonius Africam Cyrenaicam, a. 4020. num.7. ab Auguſto filio Iubæ regis cum paterno regno in matrimonium datur, an. mund. 4024. numer. 26. eiſque duos fratres Alexandrum, & Ptolemæum concedit, ibid.

P. Clodius in Lucullum ſororis ſuæ virum bello Mithridatico tumultuatur, an. mun. 3987. numer. 7. ab eo deficit, fit nauarchus, & à piratis captus perit, numer. 9.

1. P. Clodius ob violata ſacra bonæ Deæ in ius vocatur, an. mun. 3993. numer. 15. Cicero negat ei falſum teſtimonium, ibidem, corruptis iudicibus à Catulo irriſus euadit, numer. 15. 16. eius cum Tullio in Senatu altercatio, numer. 16. Cæſar eum ob adulterium non accuſat, a. m. 3993. nu.15. & 3995. n.12.

Clodius Tribunatum ambit, & cur, an. mun. 3994. nu. 4. Cæſar ei contra Cicer. fauet, an. m.3995. nu.12. & in tranſitu ad plebem numer. 13. Pompeio promittit nihil ſe contra Ciceronem in Tribunatu moliturum, num.13. 2.

Clodius Ciceronem euertere aggreditur, an. 3996. num.5. & quibus artibus, numer.6. eum perfide fallit, num.7. legem contra eum fert de indemnatis, n.8. ei diem dicit, eiuſque fautores frangit audacia, a. mun. 3996. n. 12. 3.

Clodius in bona eius ſæuit, a.3996. n. 15. Catonem amandat in Cyprum, licet inuitum, & cur n.16. 17. Pompeium quoque vexat, qui propterea reditum Ciceronis molitur, nu.30.31. eiuſdem violentia, & furor, num.31. 4.

Clodius reditui Ciceronis ſeditioſe repugnat, a.3997. n.10. ei reſiſtit Milo, n.11. qui eum interficit, ann. m. 4002. num.8. combuſto cadauere curia inceditur, nu. 9. Irrumpentibus Clodianis Milo fugit, numer. 10. 5.

Clypevs aureus Simonis Pont. Romam miſſus, a.3914. n.12.

Co inſula, vide ann. mund. 3916. numer. 10.

Cocceivs Neruavltro moritur metu aduerſarum rerum, a.4086. n.82.

Coelii monti incendium, an. mund. 4080. numer. 2. iacturam ſubleuat Tiberius, ibid.

Coelivs Caldus cur ita dictus, an. mu. 3960. numer. 5.

M. Cælivs in Prætura turbulentus, ſummotus à Repub. Conſularibus armis circa Thurios oppreſſus eſt, ann. mund. 4006. n.34. & 35.

Collegæ Conſulatuum Tiberii omnes infeliciter periere, a. m. 4074. n.1.

Collegivm Iulium Lupercorum, a. m. 4010. num.10.

Coloniæ maiores ſuis vrbibus, an. m. 3911. num.3.

Colvmnarvm partes & ornamenta, a.3912. num.21.

Conclvsio hiſtoriæ ſacræ, ann. mun. 4086. num. 76. concluſio operis ad Lectorem, num. 84.

Conivratio Catilinaria, vide *Catilina*.

Conivratio Murenæ in Auguſtum detecta punitáque, a. m. 4032. n.5. Cinnæ in eundem, a. m. 4038. n.1. & 2. Sammæi in Herodem, ibid. numer. 10. meritis extincta ſuppliciis, num.11. Sociorum Italicorum, 3963. n 9.10.

Conivratio Bruti & Caſſii &c. in Iul. Cæſarem, an. mu. 4010. num.14. quæ cauſæ eos mouerent, numer.10. & ſeqq. quantus coniuratorum numerus, numer. 15.

eorum de cæde deliberatio, eiuſque loco, nu.15.16.

CONIVRATI turbatum populum ſedant, & Capitolium petunt, an.4010.n.22 primus è coniuratis Trebonius à Dolabella occiditur, n.41.

CONIVRATIO Cæſaris cum Craſſo & Pompeio, a.mun.3998.nu.16.17.18. & an.3994. n.9.& 10. dicta Tricipitina, ibidem, vide *Triumuiratus*.

CONIVRATIO Perpernæ in Sertorium, an.m. 3982. numer. 13. Seiani in Tiberium, vide *Seianus*.

CONSTITVTVM pro fœdere in Script.an.3894. numer.16.

CONSVLVM inſtitutio, a.m.3894. nu.27. quomodo penes vnum Romæ poteſtas, n.28. eaque annua, n.29.

CONSVLATVS quando inchoatus Idibus Martii, a.mu.3901. nu.1. & quando à Cal. Ianuarii, a.v.c.600. mundi 3901. numer.1. Sylla Dictatore Coſſ. reſtituti, a.m.3972. num.31.

CONTINENTIAM quam laudet aut damnet Auguſtus, a.m. 4062.n.6. & 7 à barbaris, valde honorata, 3952.n.8.

De CONVIVIIS quid ſtatuerit Auguſtus, a.m. 4032.n.3.

CORINTHI clades, vrbiſque duratio, a.3908. nu. 33. Corinthiorum conatus ſub Diæo nu.34.35. Vbi ſita vrbs, nu. 33. eadem clades ex Floro, n.36. ex Polybio, 37. Zonara, 38. Corinthium æs, donariaq́, &c. numer. 35. & 38.

CORNELII liberti Syllæ facti ciues, an. mun. 3973.n.4.

CORNIFICIVS fame preſſus prælium petit, milites ſeruat non ſine laude, ann.mund. 4018.n.25.

COTYS Rex Thraciæ, & in eum Romanorum indulgentia, a.m.3887.n.vlt.

P. CRASSVS Mutianus Coſ. an. m.3923. expeditionem habet contra Ariſtonicum, n.16. Craſſi clades mirabilis, nu.17. mortis eius modus, ibid. arguitur auaritiæ, ibid. quæ habuerit eximia, ibid.

P. Lic. CRASSVS Coſ. cum Lentulo, an.v.c. 656. mundi 3957. rem bene geſſit in Luſitania, & triumphum retulit, nu.6. ſe ipſe interficit metu Cinnæ, an. m.3967. nu. 10. eius filius à Fimbria, ibid.

1. L. Licinius CRASSVS naſcitur, an. mun. 3914. n.1. v.c.613. Coſ. a. m.3959. cum Q. Mutio Sceuola, ille Orator, hic Iuriſconſ. nu.4. nulla ſua culpa belli Italici cauſa fuerunt, ibid. res à Craſſo geſta in prouincia, nu.6. & in Cenſura, 3962. n.3.& 4. moritur Marcio Philippo Coſ. 3963. initio belli Italici.

2. *Craſſi* cum Domit. Aenobarbo collega Cenſuræ contentiones, ann.mund. 3962.num. 4.& 5. eius ætas hoc anno, ibid. ſi. Rhetores vrbe pellit, n.3.

P. CRASSVS M. Craſſi diuitis filius, legatus Cæſaris apud Aquitanos rem bene geſſit, a.m.3998.nu. 14. inde miſſus ad patrem in Syriam venit, 4000.5. omen ruinæ eius, 10. cum ſuis telis à Parthis configitur, 4001. 9.

M. CRASSVS Prætura ſuſcepta contra Spartacum mittitur, a. m. 3983. num.7. fugitiuos decimat, ibid. Spartacum vincit, n. 8. & variis cladibus afficit, n. 9.& in pugna occidit, nu. 11. eius ſocios in crucem agit, ibid.& de iis ouat, nu.12. fit Coſ. an 3984. opera Pompeii, n.3. cui parum conſenſit, ibid. eiuſdem largitio, n.5. 1.

M. *Craſſus* diues mouetur à Iul. Cæſare ad Conſulatum cum Pompeio inuadendum, a. m.3998. nu. 17. & per vim Coſſ. II. deſignantur, n.18. & pro arbitrio gerunt, 3999. n.9. eiſque fruſtra reſiſtitur, n.10. & Craſſo abeunti in prouinciam, n.14. 2.

M. *Craſſus* in Syriam magna ſpe proficiſcitur, a.m.3999.n.14. vltro bellum cum Parthis ſuſcipit omiſſa Syria, a. m. 4000. n.2. eius iter ad Euphratem, n.3. eius cum Deiotaro colloquium & initia commoda in Meſopotamia, ibid. & n.4. 3.

M. *Craſſus* in Syriam ad hyberna retroceſſit, an.m. 4000. nu.5. Hieroſolymam venit & templum deprædatur, & immenſas effert pecunias, nu.5. & 6. eiuſdem ſacrilegia ex Ioſepho, n.6. Plutarcho, & Appiano, n.9. Luciano, n.11.& 12. 4.

Craſſus auditur legatione Parthorum, a.m.4001 nu. 2. quam contemnit, & ſuos bene monentes, nu.3. in primiſque regem Armeniorum, & C. Caſſium Quæſtorem, n.4. In pernicioſa conſilia trahitur, n.5. rurſus Armenum bene monentem reſpuit, n.6. 5.

Craſſus inſtante hoſte temere ſe gerit, an.mu. 4001. n.7. initium prælii cum Surena, n.8. Romani ſagittis configuntur, nec ſinuntur venire ad manus, nu.9. filium amittit, ibid. eiuſdem luctus, n.11. & fuga cum reliquiis exercitus, n.11. res committit Caſſio, a.4002.n.2. 6.

Craſſus à Parthis Carris obſidetur, ſpe fœderis illuſus, 4001. n.12. nocte fugit proditore duce, n.13. circumuenitur à Parthis, 14. ei ſuccurrit Octauius, ibid. ſpe pacis hoſtem adit, n.16. impoſitus equo abducitur, n. 17. ibi in rixa perimitur, n.18. 7.

Craſſo mortuo aurum in os infuſum, an.4001. num.18. caput in Armeniam ad ludibria miſſum, n.19. 8.

CRETENSES apud Liuium & Polyb. malorum facinorum authores aut participes. Vide *Achæus*. Cres quidam Oroandes furto aufert theſauros Perſei, a. m. 3886. n.32. Cretenſis transfuga conſilia Roman. Perſeo aperit, nu. 18. 1.

Cretes Perſeo contra Romanos ſtudent, a. m. 3886.nu. 13. Cambylus & Bolis Cretenſes Achæum proditione capiunt, an.m.3840. n.5. & ſeqq. Lagoras Cres vrbem Sardeis capit, ibid.n.1.& ſeqq. 2.

Creticum bellum publice geri cœptum, an.m. 3986.n.5. res ibi à M. Antonio Triumuiri patre male geſta, n.6. Metellus ibi triennio bellum geſſit, ibid & 3987. num. 10. & 18. legatos ad Pompeium mittunt, num. 19. 3.

Creta debellata, & in prouinciæ formam redacta, ann.mun.3988. nu. 18. Cretici inde 4.

nomen Metello cum triumpho datum, ibidem.

CRITOLAI clades, & cædes in pugna contra Metellum, an.mun. 3907. nu 25. ſub cladem Corinthi.

CRVDELITAS Aſdrubalis in captiuos Rom. a.m.3907.n.19.ingrata ciuitati Carthagini, ibid.quæ illius cauſa,ibid.& Romanorum in delenda ciuitate,3908.num.19. & ſeqq. Cleopatræ in ſuos,3939.n.4.

1. C.CVRIO Tribunus pl. diſertus, Cæſaris inimicus, ad eum magna pecunia traductus eſt,an.mun. 4004. num. 2. diſſimulanter ad eum tranſit, nu. 3. vt ſe in Pompeium pro Cæſare geſſerit, n.4.& 5. diſſimulanter, n.5. fine.

2. *Curio* in Senatu accuſatus abſoluitur, an.mu. 4004 nu.6. ad Cæſarem ſe contulit, ibid. cenſet vniuerſas Cæſaris copias in Vrbem ducendas,a.4005.n.5. literas eius Romam defert, nu. 6. in Siciliam Proprætor cum tribus legion.mittitur,n.18.

3. *Curio* cum copiis traiicit in Africam, an. mu. 4005.n.41. ſecundis aliquot prælijs vſus dicitur Imperator, ibid. Vticam obſidet, in fraudem inductus, à ſuperueniente Iuba deletur, n. 42. in eum priuatim infenſus Iuba,n. 43.

CVBIOSACTES Aegypti rex ad paucos dies, a.m.3996.n.4. cur ita dictus,ibid. à regina ſtrangulatus, ibid.

CYPRO cedit Ptolemæis Epiphanes,a.m.3885. nu. 5. Cyprum Romani ereptam ſeniori Ptolemæo, dant iuniori,a.3892.n. 47. Cyprus cur terra Cethim Hebræis,a. 3894 n. 12.vnde ductum id nomen,ibid.

CYPRVM Romani ſcribunt in gratiam Iudæorum,ann.mund 3916. numer. 8. & 11. res ibi à Catone geſtæ, vide *Cato*, numer.2. & 3.

CYRENE Africæ prouincia,a.m. 3916. nu. 11. data ab Antonio filiæ ſuæ Cleopatræ,a.m. 4020.nu.7.

CYRINVS Syriæ præſes, vide *Quirinius*.

1. Antioch. CYZICENVS frater vterinus Ant. Gryphi a.m. 3937. nu.3. plurimæ inter eos contentiones, ibid. Cyzicenus in acie ab eo victus Antiochiæ obſidetur, an.m.3939. nu. 1. eius vxor ab vxore Gryphi occiditur,nu 2.

2. *Cyzicenus* regni initium a.m.3940.nu. 1. vincit deiicitque regno Gryphum ad aliquot annos, ibid. vxorem eius interficit, n. 2. auxilium fert Samaritis,& à Iudæis vincitur, n.3.rurſum Aegyptiorum ope, iuuat Samaritas. ſed fruſtra,n.4.& 5.

3. *Cyzicenus* à Grypho iterum vincitur,& regno ſpoliatur,an.mu.3951. num. 1. ſe cladibus atterunt,3953.n.3. quorum bella Cleopatra fouet, nu. 5. & 3956 n.3. à Seleuco nepote in bello captus occiditur,an.m. 3958. numer.1.

Cyziceni ſacrilegium,an.m 3958 nu.1. eius filii 4. cum filiis Gryphi decertant, nu. 4.& filius Cyziceni cognatum Seleucum victum Syria expellit,a.m.3959.n.1.

D

DALMATICI belli ſemina, an.mun. 3987. n.7. initia 98.n 2. Dalmatiæ vrbs Delminium,ibid. obſidetur, num. 3. Dalmatæ cur rebellaſſent,an.mun. 4061. numer. 7. vide *Tiberius*. Ibi Romani cladem accipiunt, ann. mund. 4062. numer.8. vide etiam 9.10.

DAMASCVS capta à Metello, cum eo piratæ confugiſſent,an.m.3989.n.4. nec vaſtata, ibidem.

DANIEL prædicit cladem Iudæorum ſub Antiocho,an.m.3884.quam diuturna,& vnde 1. inchoanda, nu. 5. 6. 7.&c. eiuſdem vaticinium de 2. expeditione Antiochi in Aegyptum,an.3885. nu.6. & de clade mox ab eo illata,n.34.

Danielis prophetia de Antiocho tollente ſacrificia, an.m.3887. nu.12.13.quando edita, 2. ibid. de auxilio paruulo Machabæorum, a.m.3888.nu.10.& 11. eiuſdem prophetia, c.7. 25. an contineat durationem profanati templi,3890 n.21.22.

DEÆ Hieropolitanæ theſauros Craſſus expilat,4000.10.Id pertinere ad Ieruſalē ibid.

DECRETVM Iudæorum in gratiam Simonis, an.mun.3914. num. 15. de feſto encæniorum,an.m.3890.nu.25. Decretum Romanorum de Regibus propter Eumenem, a. 3888. n.5.& 6.

DEDITITII Demetrii à Senatu Rom.cur reiecti,a.m.3894.n.2.

DEFVNCTI precibus iuuantur, an. m. 3891.n. 3.idque fuit in communi vſu Iudæorum, n.113. & ſcho. vlt. idque ſancte & ſalubriter fieri,n.116.

DEIOTARVS Eumachum Mithridatis ducem reprimit,a.m.3980.nu.14. ædificat ſenex, an.m.4000.nu.4. eius cum Craſſo diuite colloquium,ibid.

DELMINIVM vrbs Dalmatiæ, vide *Dalmatia*.

DELVM ſcripſere Romani in gratiam Iudæorum,a.3916.n 9.

DEMETRIVS Seleuci filius nepos Epiphanis 1. Romam à patre obſes patrui loco mittitur,an. m.3879. nu.11.cuius audita morte miſſionem à Senatu petit, an.m.3891.nu. 117. non fuiſſe fratrem Antiochi,contra Iuſtinum,n.118.

Demetrio non patrueli eius Eupatori debitum 2. regnum, ann. mun. 3891. numer. 118. Romani parum æqui in Demetrium, nu. 119. eius ætas hoc tempore, ibid. cur ei Senatus non faueret, n.120. De fuga conſilium capit,a. 3892. n.46.

Demetrius cognomine Soter fugit ab vrbe, a. 3. mun.3893 regni Græcorum 151. nu. 1. cur dictus Soter,n.3. quis modus fugæ, n. 4.5. 6. ſcribit ex Lycia ad Senatum,n.8. à Syris libenter accipitur, ibid. Eupatorem, & Lyſiam iubet interfici,n.9.

Demetrius communit ſe in regno,an.mu.3893. 4.

num.11.conatur placare Romanos,nu. 12.
13.14. aditur ab Alcimo pro Pontificatu,
nu.15.17. Demetrius mittit Bacchidem &
exercitum contra Iudam, Alcimi rogatu
quem conſtituit Pontificem.n.20.
5. *Demetrius* mittit in Iudæın Nicanorem, an.
mun.3893.num.29. iubet ad ſe Iudam vin-
ctum adduci, nu.37. eius legati, & dediti-
tij vt Romæ accepti, a.m.3894.nu.2. Mor-
tuo Nicanore mittit contra Iudæos Bac-
chidem cum Alcimo, n.41.
6. *Demetrij* bellum in Cappadocia,an. m. 3896.
nu.5. odio habetur à vicinis regibus, a.m.
3901.n.3.& 5. bellum parat in æmulum A-
lexandrum, a. 3902.n.6.mittit duos filios
ſuos Gnidum, ibid. Ionatham ſibi con-
ciliare ſtudet, n.7.8.
7. *Demetrius* nouis literis amicitiam cum Iona-
tha ſtabilire conatur, an.m.3902.nu.20. &
ſeqq. tempus regni Demetrii, a.3903.nu.
1.& 2.eius mors, nu. 3. 4. & c. Deſeritur à
Iudæis,n.3.
1. Demetrivs Demetrii filius puer Romam à
patre mittitur, ann.m. 3901.nu.13. & cur,
ibid. redit in patriam, ibid. mittitur Gni
dum cum fratre Sidete imminente bello,
an.m.3902. 6. mortuo patre venit contra
Alexandrum Balæ,3907. n.1.
2. *Demetrio* Iuniori Antiochia, multique ſe de-
dunt, 3907.nu.2.3.4. dux eius Apollonius
contra Iudæos Alexandri fautores, nu. 4.
Dat ei filiam ſuam Philometor ereptam
Alexandro,a.m.2908.n.5.& 7. quæ marito
fuit in ruinam,ibid.
3. *Demetrij* Iunioris regni exordium, ann.mun.
3909.nu.1. dictus Nicanor,ibid.apud eum
Ionathas accuſatur ob arcis Ieruſalem ob-
ſidionem,ſed ab eo placatur muneribus,
& ab eo accipit priuilegia, an. mun. 3909.
n.6.7. & ſeqq.
4. *Demetrius* Nicanor exercitum ſuum impru-
denter & auare dimittit, ann. mun. 3909.
num.14.15 eius ſegnities ex Iuſtino,num.
18. à Tryphone metuens opem Ionathæ
petit, a.m.3910. nu. 2. liberatur ab Antio-
chenis ope Iudæorum,n.3.& ſeqq.
5. *Demetrius* in Iudæos ingratus, & imprudens,
a.m.3910.n.6. alienat à ſe Ionathan, nu.7.
in eum inſurgit Tryphon, cum eius fratre
Antiocho Sidete, nu. 8.eumque vincit,ac
fugat,ibid. quo fugerit,n.9. fuit legitimus
regni heres,3911.n.1.
6. *Demetrij* Nicanoris miles inſurgit in Iona-
than,an.m. 3910. n. 13. qui eum rurſus in-
cautum deprehendere ſtudet, ſed fruſtra,
a.3911.n.9.qui nocte dilabuntur, n. 10. eos
Ionathas perſequitur,11.Demetrio quam-
uis profugo Simon adhæret,3912.n.30.
7. *Demetrius* libenter admittit Iudæos, a. mun.
3912.n.31.eiſque pacem & libertatem ple-
nam concedit,n.33.34. Ad Parthos adit ad
auxilia contra Tryphonem, à quibus vi-
ctus captuſque eſt,3914.n. 2.3. 4.eius vxor
Cleopatra cum filiis Seleuciá tenet,3915.1.2
8. *Demetrio* rex Parthorum dat filiam ſuam,3918.
n.11.fugit nihilominus, & à fuga retrahi-
tur,n.12.rurſum fugit, rurſumque ex fuga
retrahitur,3921.nu. 1. Sidete fratre inua-
dente Parthos, ipſe ab eis remittitur in
Syriam,a.3922.n.23.vel 3923.n 1. 3.
Demetrius redux male ſe gerit in Syria,3923.n. 9.
15.Cleopatra opem ab eo petit, ibid. qui
adit Ægyptum, 3924. n. 3. ſed eo abſente
Syria deficit,ibid.redit in Syriam & Cleo-
patra ad eum fugit,a.m.3925.n.4.
Demetrio tyrannum ſuſcitat Euergetes Ale- 10.
xandrum Zebinam,an. 3925.n.4. cum quo
infeliciter pugnat,& regno pellitur, 3926.
nu.1.2. Tyri profugus vxoris iuſſu interfi-
citur,an. m. 3927.n.1. eius filius Seleucus à
matre perimitur,28.n.2.
Demetrivs Antiochi Grypi 4. fil. nepos 1.
Demetrii Nicanoris, cognomine Eucæ-
rus regnat apud Damaſcum,an.3963.n.1.2.
cum fratre Philippo Antiochum Pium
Cyziceni filium oppugnat, n.2. & 3964.n.
1. in Syria regnant, ibid.& 3965.n.3.
Demetrium Eucærum Iudæi contra Iannæum 2.
euocant,a.3965.n.3.& 3966.n.1. quos De-
metrius vincit, n. 2.moxque metu fratris
redit in patriam,ibi. Contra eum pugnat,
& vincitur,an.3967.n.2.& captiuus ad Mi-
thridatem mittitur, ibique in honore ha-
bitus,morbo defungitur,ibid.
Dercæto, & Atargate dea Syriæ, a.3891.101.
Devs Romanos caſtigat,a.m. 3884.n.15. Per- 1.
ſeo mentem eripit in deſerendo regno, a.
3885.n.10.cur permiſerit Ant. Epiphanem
templum ſuum ſpoliare, n. 30.an modica
tunc ira eius, n.29. & 3887.n. 49. & ſch.2.
Deus Iudæos repudiat, an.3885.n.30.dat vires 2.
Antiocho,n.34. eius prouidentia in Perſei
auaricia,3886.n.10. Deum facientes adiu-
uare patet in Æmylio & Perſeo,n.25.con-
ſolatur in martyribus,a.m.3887.n.37.
Dei iudicium mirabile,an.m.3887. nu. 42. in 3.
Perſæum & Aemylium Paulum, nu. 84.
Deus humilibus confundit fortia, a.3888.
n.12. Iudam cum ſuis protegit, etiam im-
miſſis Angelis, a.3891. vide *Angeli*, replet
mira fortitudine,n.75. id Lyſias ipſe agno-
ſcit,76.vide & 99.
Dei iudicium in Eupatorem, a.m. 3893.nu.10. 4.
Deus regibus fauet, a. 3912. n. 9.iudicium
eius in cæde innocentium,a.m. 4053.n.38.
aduerſus Tiberium, a.m. 4072.n.5.& an.
m.4076.n.1.Dei in C.Cæſarem prouiden-
tia.4008.n.6. & in Octauii victoria con-
tra Brutum & Caſſium, a.4012.nu.2.In C.
Fimbriam,a.m.3969.num. 8. In Herodem
triplex,4016.n.10.& 11.
Diævs dux Corinthiorum,a.m.3908.nu. 34.
eius vanitas, & ruina,n.34.& 35. ſuos, ſe-
que ipſe perimit,ibid.
Dictatvra in Sylla renouata, poſt annos 1.
120.a.m.3972.nu. 29. & 30. à prima vero,
415.eius inſignia in Sylla, & potentia, an.
3973.n.3.4. eam deponit, & an prudenter,
3975.n.2. Dictaturam Pompeius diſſimu-
lenter cupit,repudiatque,4001.22.23.
Dictatura datur Iul. Cæſari, a. m. 4005.nu.38. 2.
quam aſſumit, ac moderate gerit, numer.
40. ea intra 11. dies ſe abdicat, ibidem,
retinet tamen poteſtatem,n.40. & 4006.

num.4. Admittit in annum Dictaturam, 4007.num.4.
3. *Dictatura* III Cæſari data cum Conſulatu, an. 4008. num.1. & rurſum, ann.mun. 4009. numer. 2. ad decennium, num.13. retinuit ad mortem vſque, ibid. cæſo Cæſare Dictatura antiquatur, an.mun.4010, n. 29. reipſa retenta ab Auguſto, 4027.6.
4. *Dictatura* per vim offertur Auguſto, ann. mund.4032. numer. 2. quam tamen conſtanter reiecit, ibid.
Didii Prætoris res in Thracia geſtæ, an.mu. 3940.n.8. in Celtiberia, 3956.n.5.
Didivs Gadibus claſſi præeſt, an. mu. 4009. num.17. Pompeium fugientem perſequitur, ibid. cædi eius præeſt, moxque à Luſitanis interfi itur, n.18.
Q.Didivs in gratiam Herodis ſcribit ad Cæſarem, an.m.4024.nu.13. Præfectus Syriæ, ibid. impedit tranſitum gladiatorum ad Antonium, n.13.
Dies decreti qui, ann. mund. 3902. numer 26.
Dionis chronologia decennio confuſa, an. m.4048.n.7. parum videtur accuratus, a. 4059.n.1.
Diodorvs Siculus de Antiochi in templum ingreſſu quæ fabuletur, an.mu.3885. n. 35. eiuſdem ætas, 39 4.n.1.
Dionysii tyranni dicacitas, ann. mund. 3958. numer.1.
Dionysivs quintus Grypi filius Damaſcum occuppat, an.m.3968 n. 1. contra Arabas ducit, ibique victor cadit, n 2.
Dioscvrvs quis menſis Macedonibus, an. m.3891. n.80.
Dissimvlatio matris Machab. non loquentis tyranno ad mentem eius, ann. m. 3887.nu.46.
Divinatio morientium, ann. mund. 3887. numer. 41.
1. Dolabella proprætor in Luſitanos bene rem geſſit, ac triumphauit, an. mun.3955. numer.6.
2. Dolabellam pro ſe Conſulem eſſe iuſſit Cæſar eo anno quo occiſus eſt, a.m.4010. nu. 8. eodem cæſo Conſulatum inuadit, n. 13 Syriam prouinciam obtinet, 4010. numer.4. Trebonium crudeliter interficit, nu.41.
3. Dolabella hoſtis iudicatus à Senatu, an. mun.4011.num.5. Caſſius in eum bellum gerit, ibid. & nu. 16. miſit Allienum legatum in Ægyptum vnde habuit 4. legiones, quas ei Caſſius eripuit, num.17. & 19. eius mors, n.20. & 21.
Domini cognomen ab Auguſto repudiatum, a.m.4057.n.5. & à Tiberio, ibid.
Cn. Domitii res in Gallia geſtæ, a. m. 3933. n. 8. cur oppugnarit Cauares, n.9. Allobroges vicit, in quibus Delphinates, & Sabaudi, ibid. eius in illos pugna, n.10. An contra Aruernos pugnarit, a.3934.n.4
Cn. Domitivs Ænobarbus Cenſor cum L. Craſſo, an.m.3962.n.3. eorum contentiones, n 4. & 5.
Cn. Domitivs poſt Philippenſe bellum Antonii partibus adhæſit, a.m.4012. 5. Conſul Cæſarem vexat cum collega, ibid. ad Cæſarem ſub pugnam Actiacam deficit, 3923.n.10. moxque interiit, ibid.
Donativvm ſiue Congiarium Auguſti, an. mun.4064.nu 6. & 4068. n. 1. Iul. Cæſar, & Caſſius ac Brutus ea frequentarunt ſicut & Sylla dum arma infert Patriæ, vide ſuis locis.
Dora, vide Ador.
Drachma, & Didrachma, a.3880. n.3. & ſch. 1. & 3891. ſcho'.6.& 10.
M. Livius Drvsvs Coſ.a.v.c.641.m.3942. ei obuenit Macedonia: ab ea Thraces incurſantes repulit, n 2 itemque anno ſeq. vnde & triumphauit, ibid.
M.Liuius Drvsvs Tribunus pl. quomodo belli ſocialis author, a.m.3963.n. 6. 7. eius conatus irriti, n.8. occiditur, ibid. eiuſque leges antiquantur, n.9 eius inimicus Philippus Coſſ. ibid.
Drvsvs in Gallos & Germanos rem bene gerit, an.4042.nu.10. Germaniam repetit, & 1.
Rhenum tranſit, 4043.n. 3. & quæ ibi geſſerit, ibid. eiuſdem periculum, n. 3. honoratur ab Auguſto ſine titulo Imperatoris, numer.5.
Clau. Nero *Druſus* Coſ. a.m.4045. priuignus Auguſti, frater Tiberii, pater Imperatoris Claudii, moritur, nu.1. mortis locus, 2.
tempus, & modus, nu. 2. eius ætas funebriſque honos, nu. 3. triennio minor Tiberio, ibid.
Druſus ab Auguſto & Tiberio laudatur, an. mun.4045.n.4. putatus eſt Auguſti filius, 3.
ibid. Germanici cognomen illi, & filiis datum, ibid. honoratur ab exercitu & ciuitatibus, nu. 5. honores matri eius Liuiæ dati in ſolatium, ibid.
Drvsvs Tib. filius rem in Germania gerit, 1.
a.4071.n.1. fit patri collega in Conſulatu, 4074.nu.1. Tiberius ei petit tribunitiam poteſtatem, 4075. nu. 2. eius ætas & liberi, ibid. Seiano eſt inimicus, a.m.4076. nu. 4. & quare, ibid.
Druſus de Seiani potentia apud Tiberium queritur, a.m. 4076.4. Lento veneno ope 2.
vxoris eius à Seiano potatur, ibid. ex quo denique moritur, nu.5. Tiberius Senatum lugentem pro eo conſolatur, ibid. eiuſdem funus, laudatio, mores, ibid.
Drvsvm fratrem Agrippinæ Tiberius necat, 4086.77. Druſillam & Iuliam Germanici & Agrippinæ filias matrimonio tradit.
Drvsiani gladii, a.m.4076.n.5.
Libo Drvsvs res nouas non impune molitur, a.m. 4069.n.6.

E

Ecclesiæ iura præ ſynagogis Hæreticorum, a.m.3906. nu.4. inſtar ſunt Samaritanorum ad Iudæos, ibid.
Eclipsis prædicta à Sulpicio Gallo bello Macedonico, a.m.3886. nu.20. terret Macedonas, n. 21. Romanorum ritus in Eclipſi, ibid. Eclipſis ſolis ſub Auguſti mortem

an admittendæ, an. m. 4067. n. 11. an lunæ potius, ibid.

ECLIPSES Solis & Lunæ ſub Chriſti mortem, a. m. 4086. n. 4. & n. 9. & 54.

EDICTVM Cæſaris de quo Lucas, videri pertinere ad Caium, ann. mun. 4052. nu. 74. & 75.

ELEAZARI ſenis martyrium ſub Epiphane, an. mun. 3887. numer. 21. & 22. deſpuit ingeſtas carnes, numer. 22. eius tentatio ab amicis, & conſtantia, num. 24. & 26. mors 27. laus ibid. eadem hiſtoria ex Ioſepho, numer. 29. & ſeqq. examinatur, nu. 34.

ELEAZARVS vnum elephantum ſubfodit, an. m. 3892. n. 18. fuit frater Iudæ, ibid. eiuſdem glorioſa mors, n. 19. 20. 21.

ELEPHANTORVM in bello apparatus, & vſus, an. mun. 3892. numer. 14. turres eorum, numer. 15. Indici maximi ac fortiſſimi, ibi. Elephantorum Antiochi numerus, an. m. 3894. numer. 14. turbati in ſuos ſæuiunt, a. 3901. n. 5.

ELIMAIS eadem quæ Perſepolis, a. 3891. num 3. & 4.

ENCÆNIORVM dies indicitur à Iuda, 3890. n. 7. celebratur ſacrificiis poſt emundationem, num. 14. & 23. altero anno pontificatus Iudæ, numer. 18. celebritas in octiduum propagata, nu. 24. & 25. in modum tabernaculorum, ibid.

ENCÆNIORVM triplex feſtum, an. mun. 3890. numer. 27. decretum de feſto encæniorum, n. 25.

EPHEBIÆ ius emit Iaſon ab Epiphane, an. m. 3879. numer. 14. l. 1. Mach. c. 1. 15. & l. 2. c. 4. 9.

EPHRON à Iuda expugnatur, & deletur, ann. mund. 3891. num. 47. & 48. vide etiam, n. 101. 103.

EPIMANES, qui & *Epiphanes*, cognomen Antiochi, filii Antiochi magni, a. m. 3879. n. 7. vide *Antiochus*.

EPIPHANIÆ tempus num poſt biennium à Chriſti natiuitate, an. mun. 4053. num. 13. an potius initio anni primi, numer. 14. & ſeq. ex Patribus, & Doctoribus, n. 20. & ratione, ibid. & numer. 21. & rurſum, nu. 25. & 26.

EPIRVS redigitur in poteſtatem populi Roman. ab Anitio, a. m. 3887. n. 71.

EPITOME rerum à Machabæis geſtarum, an. m. 3914. n. 15. 16.

EPVLVM M. Craſſus populo præbuit in Conſulatu, decem millibus menſarum propoſitis, ann. mund. 3984. numer. 5. Tiberius autem mille menſis, 4064. numer. 6. fine.

EQVES neglector equi à Cenſoribus Romæ notatus, a. 3896. n. 3.

EQVITIBVS iudicia communicat C. Gracchus, a. 3930. n. 17.

ERASMI verſio libri Machabæorum Ioſephi infida, an. mun. 3885. nu. 12. & 3887 nu. 28. addit propria nomina Machabæorum ſeptem, n. 52.

ESAIAS an prædixerit templum Oniæ in Ægypto, a. m. 3889. num. 54. vera expoſitio prophetiæ eius, n. 55. & 56.

ESSENI qui, an. mun. 3895. nu. 19. & 34. Communem eorum vitam Iudas agit, ibid. vide *Aſsidæi*.

PTOL. EVERGETES, frater Ptol. Philometo- 1.
ris regnare cœpit, an. mun. 3909. numer. 2. ratio nominis, aliaque eius cognomina, numer. 3. per cædes in regnum ingreſſus, nu. 4. num ab Onia bello petitus, numer. 5. nepotem regno priuat, & vita, numer. 4.

Euergetes quotidianis cædibus cruentat Ægy- 2.
ptum, an. mund. 3916. numer. 20. nefarium eius matrimonium, ibid. & 3922. n. 4. populo inuiſus ob crudelitatem, ibid. Incenſa ab eo regia fugit in Cyprum, filium acceſſitum, ne fieret rex ab Alexandrinis, interficit, n. 4.

Euergetes filium ſuum ex ſorore ei comeden- 3.
dum tradit, an. mu. 3922. nu. 4. quæ bellum in eum gerit, 923. numer. 15. ſuſcitat Alexandrum Zebinam tyrannum Demetrio, 3925. numer. 4. Euergetis mors, & inconſultum teſtamentum, an. m. 3937. n. 1. & 2.

EVMENES vulgo Perſeo poſthabetur, an. m. 1.
3881. numer. 5. & quare, num. 6. quando Romam profectus, & quare, numer. 7. & 3882. nume. 17. omnia Perſei conſilia bellica patefacit, ibid. Ex inſidiis Perſei ſemiviuus effertur, n. 19. res Romæ innoteſcit, nu. 20.

Eumenes reualeſcit, 3882. numer. 22. eius co- 2.
piæ pro Romanis, 3883. numer. 8. ſe iungit eis cum fratribus, numer. 16. Eumenes à Perſeo tentatur, & fit Romanis ſuſpectus, 3886. nume. 8. Euandera qui eum occidere tentarat, in Samothracia à rege occiditur, 31.

Eumenes ſuſpectus Romæ, an. mun. 3887. n. 3.
55. & 3890. numer. 32. Romam veniens nouo decreto excluditur, an. mun. 3888. nu. 5. & 6. quam iuſte expenditur, numer. 7. quantum ei nocuerit id decretum, numer. 8.

Eumenes Pruſiam vexat, an. mun. 3889. num.
47. ſuſpectus Romanis, ſicut & Epipha- 4.
nes, ibidem. Eumenis ad vrbem ſolennis legatio fratrum ipſius regis, a. mun. 3890. nu. 31.

EVNVS Syrus belli Seruilis in Sicilia author, an. mun. 3919. n. 13. multos Romanorum Prætores vicit, ibid. eius clades & mors, a. m. 3922. n. 9.

EVPATOR filius Antiochi Epiph. regnare cœ- 1.
pit puer, an. mun. 3891. num. 58. ratio nominis, ibid. Eius ad Lyſiam proregem pro Iudæis epiſtola, n. 81. & 82. quæ illis concedat, ibid. eiuſdem regis epiſtola ad Iudæos num. 83.

Eupatori fauet Senatus Roman. contra De- 2.
metrium eius patruelem, an. mund. 3891. numer. 120. venit contra Iudam, 3892. numer. 11. & noctu accepta clade venit magno impetu, num. 14. Ad Bethſuram male rem gerit, n. 18. 23. 24.

3. *Eupator* Bethſuræos fame ad deditionem cogit, ann. mund. 3892. numer. 25. obſidet templum, & cogitur ſoluere obſidionem, numer. 29. confertur Sennacherib, ibid. eius regnum à Philippo turbatur, numer. 29. pacem init cum Machabæo, eumque honorat, n. 34.

4. *Eupator* admiſſus in munitiones Iudæorum pacem violat, an. mun. 3892. numer. 35. excuſatur Romæ ſuper cæde Octauii legati, nu. 45. quam diu regnarit, 3893. n. 2. à Demetrio iubetur interfici cum Lyſia, n. 9. luit peccata patris, n. 10.

Evpolemvs Iudæ legatus in vrbem, a. mun. 3879. nu. 22.

Evsebii Chronologia repugnat Scripturæ, an. mun. 3908. nu. 17. & 18. eius lapſus de euerſione Samariæ, & Ioanne Hyrcano, ann. mund. 3940. numer. 6. de Antigono contra Scaligerum defenditur, an. 4017. nu. 12.

Excoriati Machabæi in ſartaginem immiſſi, a. m. 3887 n. 36. 37. 29.

Expeditiones variæ Iudæ Machab. vide Iudas Machab. ſeptem, octoue à purgato templo, an. 3891. num. 32. ad 55. alias expeditiones Epiphanis duas in Ægyptum, vide Antiochus Epiph. & reliquas in *Bellum*.

Exprobratio, ſiue Inſultatio Scripturæ contra Epiphanem & Heliodorum, a. m. 3891. n. 7. & 3870. n. 13.

F.

1. Fabivs Æmylianus contra Viriathum miſſus, cunctatur cum eo decernere, a. mun. 3909. numer. 21. & 22. quid cum eo geſſerit, ann. mund. 3910. nume. 20. Coſ. rem geſſit contra Aruernos, an. 3933. num. 9. & 10.

2. *Fabius* ſuccedit Domitio in bello Gallico, a. mun. 3934. 3. an & cum Domitio rem geſſerit, numer. 4. pugnat cum Bituito rege Aruernorum, nu. 5. & eum ingenti clade afficit, numer. 6. dicitur hinc Allobrogicus, nu. 8.

Fabivs Cæſaris in Gallia legatus Mundam expugnat, an. mun. 4009. numer. 18. & Cæſaris voluntate triumphauit, numer. 1. eumdem conſulem ſibi ſuffecit, num. 22. qui vltimo die ſui conſulatus obiit, ibidem.

Fabvla de auro in Dauidis ſepulchro reperto refellitur, ann. mun. 3921. numer. 8. 9.

Fames Romæ, an. mun. 4058. numer. 4. & 4059. nume. 1. Fame L. Antonius ad deditionem cogitur, an. mun. 4014. num. 2. 3. fames vrbem vexat Sex. Pompeio Siciliam tenente, vnde populus Cæſarem & Antonium ad pacem cogunt, num. 14. 15. &c.

Fames in Iudæa cui Herodes fert opem, an. 4029. n. 8.

Famosi libelli iuſſu Augusti exuſti, an. mun. 4065. n. 6.

C. Fannivs Strabo Conſul opera C. Gracchi, an. Vrb. Con. 631. Mun. 3932. num. 1. Inde Opimii in Gracchum odium, ibid. Fannius mox Gracchum deſerit, n. 2. imo & oratione vexat, ibid.

Fatvm Ioſephus inducit, an. mun. 3887. ſch. 3. Iudas Machab. id non agnoſcit, a. 3894. nu. 46. vide 4050. n. 7. 8. fatum virorum Tiberius indagabat ad cædem, ann. 4073. ſchol.

Festvm ſuperueniens itineri tardat Iudæos, an. mund. 3922. numer. 1. imo & Roma nos Salios.

Ad Fidentiam M. Lucullus bene rem pro Sylla gerit, an. mund. 3971. nu. 8. vbi ſita, ibid.

C. Figvli res bello Dalmatico, ann. mund. 389?. numer. 3. 4. ſcite dictum filii eius, nu. 4.

Fimbriæ à Coſ. Flacco diſſentio, an. mun. 3968. num. 9. quem Fimbria interfecit. & ſe belli ducem conſtituit, ibid. quæ in Aſia contra Mithridatem geſſerit, ibid. Aſianos populos populatione vexat, 3969. numer. 3. 1.

Fimbria Ilienſes perfidioſe delet, an. 3969. n. 3. maiore clade & crudelitate quam olim Agamemnon, ibid. infenſus Syllæ, nu. 3. & 5. qui aduerſus eum progreditur, nu. 7. & Fimbria à ſuis deſertus ſibi manus infert, n. 7. & 8. 2.

Q. Fvlvii *Flacci* pontificis auaritia, an. mun. 3881. n. 12. fœda morte obit in pœnam ſacrilegii, a. 3883. n. 29.

Ser. Fvlvivs *Flaccus* Coſ. apud Illyricos bene rem gerit, ann. mund. 3919. numer. 11.

M. Fvlvivs Flaccus Coſ. an. Vrb. Con. 628. mundi 3929. & Triumuir agris diuidendis, res in vrbe turbat, numer. 6. eius rogationes, ibid. reſiſtit Senatui, ibid. Fuluius armatur contra Opimium & Senatum, an. m. 3933. n. 4. 1.

Flaccus cum Graccho pacem petunt, a. 3933 numer. 4. à Conſule in ius vocantur, & fugantur armis, ibid. Fuluius à balneo extractus, cum maiore filio obtruncatur, nu. 5. eius caput an repenſum auro, num. 6. fine. 2.

Flacci iunioris, & aliorum trium millium cædes, a. m. 3933. n. 7.

L. Valerivs *Flaccus* à Cinna II. conſule Mario mortuo ſufficitur in conſulatu, an. m. 3968. numer. 4. exoſus militi ob auaritiam & crudelitatem, mittitur à Cinna in Aſiam contra Syllam, ibid. 1.

Flacci iurgium cum Fimbria, 3968. in pugna vincitur Flaccus, & ex fuga retractus occiditur, &c. n. 5. 2.

L. Flaccvs Tribunus ple. rogationem pro Pompeii militibus fert, 3994. n. 3. Metellum Coſ. repugnantem mittit in carcerem, quem Pompeius eripit, ibid.

Fœdvs Roman. cum Iudæis, an. mun. 3894. numer. 33. 34. non videri reprehendendum, numer. 38. 39. 40 Itaque & recte à Ionatha renouatum eſt, ann. mund. 3911.

num. 2. & 3. & itidem cum Spartiatis, ibidem: renouatum etiam à Simone, a. 3914. num. 9. 10. & maxime, n. 12. 13. & 3916. n. 4. & ſeqq.

FOEMINARVM dominatus apud Ægyptios, a. m. 4004. n. 1.

FONS B. Virginis ad domum S. Elizabethæ, a. m. 4052. num. 66.

FORTITVDO eximia matris Machabæorum martyrum, a. m. 3887. n. 43. fortitudo Iudæ, a. 3889. n. 6. 7.

FORTVNÆ inconſtantis exempla duo in Æmylio Paulo, & Perſeo, an. mun. 3887. n. 83. & 84. fortunæ reduci ara conſecrata in reditu Auguſti, ann. mund. 4035. numer. 33.

FOSSA Mariana quæ, & vbi, an. mun. 3952. nu. 5.

FVGAM Machabæus auerſatur metu dedecoris, a. m 3894. n. 45.

FVGITIVI in Sicilia debellantur, an. mun. 3921. nu. 19.

Q. FVLVIVS Nobilior Coſ. ann. Vrb. Cond. 600. mun. 3901. Bellum Celtibericum inchoat, numer. 1. eius anceps cum Caro pugna, numer. 4. opem ei affert Malaniſſa, numer. 5. eius aliquot offenſiones, n. 6. defectionibus, fame, & frigore vexatur, nu. 7.

FVLVIVS FLACCVS vide ſupra.

1. FVLVIA M. Antonii triumviri vxor, plurimum autoritate valuit, an. mun. 4013. n. 14. ſocrus fuit Cæſaris, ibid. qui eius filiam repudiauit ob matris inſolentiam, ib. Duces Antonianos vrget ad ſoluendam Peruſiæ obſidionem, n. 18.

2. *Fuluia* cum liberis ſuis & Planco ad Antonium nauigat, an. mun. 4014. numer. 7. & Athenis occurrunt, numer. 8. eam ægram Sicyone relinquit, numer. 10. ibique moritur, ibid. mulier inquieti ingenii, ibid.

G.

1. GABINIVS Syriæ præfectus, an. m. 3997. num. 1. vide & 3905. nu. 2. Coſ. cum Piſone, 3996. Gabinius audaciſſimus, intimus Cæſari, ac gener, eius voluntate fit conſul, numer. 5. In Syria Alexandro Ariſtobuli filio reſiſtit, ac vetat excitari muros Hieruſalem, ann. mund. 3997. numer. 2.

2. *Gabinius* feliciter contra Alexandrum pugnat, & Alexandrium obſidet, 3997. nu. 3. reparat vrbes in Iudæa, numer. 4. expugnat Alexandrium, & Iudæam in quinque conuentus diſtribuit, numer. 4. Ptol. Auletes Gabinium ad reductionem eligit, 3999. n. 1.

3. *Gabinium* quæ impedirent à reducendo rege, 3999. numer. 1. à quo tamen pecunia expugnatur, numer. 2. Ægyptum adit, numer. 3. & vincit Ægyptios, num. 4. tyrannum capit, ac pecunia dimittit, rurſumq; vincit, ac tyrannum Archelaum perimit, nu. 5.

Gabinius ab Antipatro in Ægypto adiutus, 3999. nu. 5. cum in Syriam præmittit, & mox Alexandrum & Nabathæos vincit, n. 6. fauit Iudæis, & quomodo, nu 8. vt ſe geſſerit in prouincia, numer. 7. & 8. 4.

Gabinij reditus in vrbem, a. m. 4000. nume. 13. in odio graui eſt ciuibus, ibid. de maieſtate primum accuſatur non à Cicerone, nu. 15. & abſoluitur, n 16. Accuſatus repetundarum damnatur, licet patrono M. Tullio, n. 17. 5.

GADARENSES Herodem apud Auguſtum accuſant, a. m. 4034. n. 3. 4.

GÆTVLICI motus, & res ibi geſta à Cornelio Coſſo, 4059. n. 4.

SER. GALBA in Hiſpania Prætor Attilio ſuccedit, an. mun. 3903. n. 14. eius perfidia & crudelitas, ibid. accuſatur à Catone, numer. 15.

SER. GALBA Cæſaris legatus Alpium accolas vicit, & ad deditionem compulit, & rebellantes ingenti prælio ſuperauit, an. m. 3998. n. 9.

SVLP. GALBÆ ſeptimi Imperatoris ortus, an. mun. 4051. n. 1. toga virilis, 4067. numer. 1. graue illi periculum à Tiberio, an. 4073. ſchol.

GALILÆORVM ſecta, authore Iuda Galilæo, an. mun. 4063. num. 2. & 3. quæ eius occaſio, n. 2. damnatur, n 3. in Chriſtianos per calumniam deriuata, n. 4.

GALLÆCI cognomen D. Bruto partum victis Luſitanis, & Gallæcis, an. m. 3917. nu. 11. & 12.

GALLORVM ſubſidia Perſeus inconſulte perdit, an. mund. 3886. numer. 9. ſeruitutem morte voluntaria male redimunt, an. mu. 3936. n. 2.

GALLIAM in bella mouet Cæſar, eamque rapinis vexat, vide ſupra Cæſar, numer. 6. & 8. tota Cæſari ſubiecta, in qua immenſas opes colligit, quas Romæ profundat, vide ſupra *Cæſar*, n. 17.

GAMALA ciuitas, eius ſitus, & ratio nominis, a. m. 3972. nu. 2. eam Iannæus expugnat, n. 3.

GAVDIO mortuus Coſ. Iuuentius Thalna, a. m. 3891. n. 122.

GAVDIVM de ruina inimici improbum, a. m. 3918. n. 15.

GAZA obſidetur à Ionatha, an. mund. 3910. numer. 12. pacem init cum Gazenſibus acceptis obſidibus, ibid. Simon in eos expeditionem mouet an. m. 3913. nu. 1. vrbem obſidet, n. 2. & deditione accipit, nu. 3. & præſidio tenet, ibid. 1.

Gaza habitat Ioannes filius Simonis, an. mu. 3914. numer. 5. eadem vrbs Gazara quoque dicta, ibid. Gazam male vaſtatam dixit Ioſephus, n. 7. Eam poſſidet Simon, a. 3917. n. 5. cur occuparit, n. 7. 2.

Gazam vexat Cendebæus, inde Ioannes recurrit ad Simonem, qui eum cum fratre mittit ad bellum, 3918. nu. 4. & 5. manet in Gaza dum occiſus eſt Simon pater eius, a. 3919. n. 3. & 6. 3.

GENTIVS rex Illyriorum cum Perſeo in 1.

Romanos bellum ſuſcipit, an. mun. 3882.
numer. 26. lembos amittit 54. an. mund.
388. numer. 13. A Perſeo bello Romano
malitioſe implicatur, an. mund. 3886. nu-
mer. 6.

2. *Gentius* legatos Rom. in vincula coniicit, an.
3886. numer. 6. ſocios Romanorum ve-
xat, numer. 13. inuaditur ab Appio Clau-
dio, numer. 14. & ab Anicio Prætore, ibi-
dem, Ad Scodram victus petit inducias,
nu. 14.

3. *Gentius* dedit ſe Prætori, an. mun. 3886. num.
15. in vincula coniectus Romam cum fa-
milia mittitur, num. 16. de Gentio trium-
phatur, & quando, a. 3887. n. 85. & 86. ipſe
cum ſuis in cuſtodiam abducitur, nu-
mer. 86.

1. GERMANOS bello aggreditur Cæſar, an. mu.
3999. num. 15. quos celeriter opprimit, n.
16. Rhenum cum exercitu traiicit, num.
17. & rurſum 4001. n. 27. ope Germano-
rum vincit Vercingentorigem, an. 4002.
nu. 23.

2. *Germani*, vide *Cimbri*, *Teutones*, *Tigurini*, *Hel-
uetij* &c. Germanarum mulierum feritas,
an. mun. 4043. num. 4. Germanos Dru-
ſus bello petit, & adito periculo vincit, n.
3. & 4. vide *Tiberius*, & *Germanicus*.

1. GERMANICVS Cæſar, quem poſtea Tiberius
Auguſti iuſſu adoptauit, naſcitur, an. mu.
4039. num. 6. fi. pater Caligulæ, vixit an-
nos 34. ibid. mors, & honores patris eius,
vide Druſus. Germanici apud Dalmatas
geſta, a. 4062. n. 8. 9. 10.

2. *Germanici* conſulatus ante præturam, an. mu.
4065. num. 6. exhibet ſpectacula ferarum,
ibid. adit iterum Germaniam, 4066. nu.
1. quæ ibi ab eo geſta, 4068. numer. 2. 3.
Tiberius parum in eum æquus, ibidem,
ab eo metuens reuocat à Germania,
4069. 1.

3. *Germanicus* Germanos ſemel iterumque vin-
cit, 4069. numer. 1. 2. eius in victos ſeue-
ritas, & erga Tiberium modeſtia, numer.
2. 3. tempeſtate afflictus vincit nihilomi-
nus, num. 4. eius in militem liberalitas,
ibidem, à Tiberio reuocatur inuitus, nu-
mer. 5.

4. *Germanicus* de Germanis triumphat, an. mun.
4070. numer. 1. triumphi magnificentia,
numer. 2. deſtinatur à Tiber. in Orien-
tem, numer. 3. abſens conſulatum init,
4071. num. 2. eius ad Orientem iter, ibid.
honoratur Athenis, n. 2. res in Armenia &
Aſia ordinat, n. 4.

5. *Germanici* cum Piſone ſimultas, an. 4071. nu.
5. Artabani ad eum legatio, ibidem, viſit
Ægyptum, 4072. numer. 1. ei aduerſatur
Piſo, vnde contumeliæ, nume. 2. ægrotat
Antiochiæ, ibi. moritur Piſonem & Plan-
cinam incuſans, n. 3.

6. *Germanici* ætas & mores, an. mun. 4073. nu-
mer. 3. & 4. eum vrbs tota luget, an. mun.
4073. n. 1. eius funus, ibid. eius familiæ
ruinam molitur Seianus, a. m. 4076. nu. 6.
& 4079. n. 8. & 80. nu. 5. & Tiberius ipſe,
4077. n. 1.

GLADIATORES Antonio addicti eum adire nō
poſſunt, a. m. 4024. n. 10. Gladiatorium mu-
nus vetat Auguſtus iniuſſu Senatus dari,
an. m. 4032. n. 3. quod ipſe dat pro Agrip-
pæ morte, a. m. 4047. n. 4.

GLADIATORES dat iterum Auguſtus, & vena-
tiones, aliaque certamina, a. m. 4052. nu.
6. & 7.

GLADIATORIVM bellum ſiue Spartacium, a.
mun. 3981. n. 10. à Spartaco ſuſcitati arma
capiunt, n. 11. qui duces in eos miſſi, nu. 12
vide *Spartacus*.

GNIDVS vbi ſita, an. mun. 3902. numer. 6. eo
Demetrius mittit duos filios bellum ge-
ſturus in Alexandrum Balæ, ibid. vide &
a. m. 3916. n. 10. & 11.

GORGIAS cum Nicanore in Iudæam cum co- 1.
piis à Lyſia miſſi, ann. mun. 3889. numer.
20. incautos noctu conatur inuadere, nu.
34. Iudam victorem Nicanoris non audet
inuadere, n. 39. Ioſephum & Azariam cla-
de afficit, 3891. n. 51.

Gorgias Iudæos vexat, a. 3891. n. 61. Iudas con- 2.
tra eum pugnat, nume. 106. captus effugit,
eiusque milites fugiunt, n. 108.

GORTYNA vrbs ad quam Romani pro Simo-
ne ſcribunt, 3916. 11.

TIB. GRACCHVS pecunias Attali in populum 1.
diſtribui vult, an. m. 3920. num. 16. & 3921
numer. 20. initia ciuilis ſanguinis in ſedi-
tione, ibid. quæ moliretur Gracchus, nu.
21. lex eius agraria, n. 22. cauſa diuidendæ
pecuniæ Attalicæ, ibid.

Gracchi ſeditio, an. m. 3921. 21. Naſica conſo- 2.
brinus dux populo ad necem eius, ibid.
cædis modus, n. 21. & in ſchol. ex Velleio,
Appiano, Plutarcho, Oroſio.

C. GRACCHVS ſomnio ad Rempub. euoca- 1.
tur, ann. mund. 3927. numer. 2. Triumvir
agrorum diuidendorum, ibi. fit Quæſtor
Oreſte Coſ. Vrb. C. 627. eodemq; num. 2. &
3928. numer. 4. Eius Quæſtura laudabilis,
ibid. multum gratia valuit, & eloquentia,
ibid.

Gracchus magna contētione fit Tribunus ple- 2.
bis conſule Flacco, an. mun. 3929. nume.
6. Vrb. Cond. 628. qui Flaccus Triumvir
quoque electus fuerat, numer. 6. eius lex
frumentaria, numer. 8. fit II. Tribunus,
an. mun. 3930. numer. 16. Iudicia equiti-
bus communicat, num. 17. aliæ eius leges,
nu. 18.

Gracchus coloniam Carthaginem deducit, an. 3.
3931. numer. 3. ratio temporis, ibid. & n.
5. & 6. cauſa deducendi, ibid. eius opera
Fannius fit Coſ. Opimio repulſam paſſo,
3932. num. 1. vnde inter eos inimicitiæ, ibi-
dem.

Graccho Senatus & Fannius Coſ. aduerſantur, 4.
3932. numer. 1. aliis coloniis plebem de-
uincit, numer. 2. 3. eius leges antiquantur,
ann. mund. 3933. numer. 3. vnde ſeditio.
Gracchus in ius vocatur à Coſ. fugit, cæ-
ditur, caput auro rependitur, numer. 5.
6. Gracchos mortuos plebs honorat, 3934.
num. 2.

GRÆCORVM anni dupliciter computati,

an. mun. 3891. numer. 79.
GRYPVS rex Syriæ, vide *Antiochus Grypus.*
GVBERNATIO annua cur probanda, an. mun. 3894. numer. 29. perpetua nihilominus in ſupremis vſitata, ibid. eiusdem prorogatio perutilis, n. 30.
GVLVSSA filius Maſaniſſæ, an. mun. 3882. nu. 23. nunciat Romæ bellum à Pœnis parari, 3903. numer. 16. legatus eſt patris Carthaginem, 3904. numer. 10. perfide agit in Pœnos, n. 15.

H.

HALIARTVS in Bœotia expugnatur à Romanis, a. 3883. n. 17.
HALICARNASSVM Romani in gratiam Simonis ſcribunt, ann. mun. 3916. numer. 10. Dionyſ. Halicarnaſſeus venit in Italiam, a. m. 4024. n. 29.
HARPALI legati Perſei animoſa vox, a. mun. 3882. n. 18. regi nunciat bellum imminere à Romanis, ibid.
HERACLEAM Popilius occupat contra Perſeum, 3885. n. 13.
HERACLIDIS legatio pro nouo Alexandro Balæ, 3900. numer. 8. callidus veterator, ibid. Romæ impetrat reditum, & auxilia pro Syriæ regno contra Demetrium Soterem, 3901. n. 15.
1. HERODIS filii Antipatri ortus, an. mun. 3982. numer. 3. Antiquorum patrum de eius genere ſententia, 3989. num. 11. cenſendum Aſcalonitam, numer. 12. vide etiam, an. mun. 4017. numer. 16. 20. 21. 22. ad 28. Gubernationi ab Antipatro admouetur, a. m. 4008. n. 40. quo ætatis anno, nu. 41. & 44.
2. *Herodes* latronibus purgat prouinciam, ann. 4008. conſcio Syriæ præfecto, nu. 45. & 46. ambitus accuſatur, numer. 47. præficitur Cœleſyriæ, & terret cum exercitu Hieroſolymam, 48. fit à Caſſio dux Cœleſyriæ, 4011. n. 25.
3. *Herodes* Malichum patris interfectorem necat, an. mun. 4011. numer. 25. res ab eo in Iudæa geſta, ann. 4012. numer. 29. ducit vxorem Mariammen, ibid. vide an. mun. 4016. numer. 11. cum iam duxiſſet Doridem, ibid. accuſatur cum fratre apud Antonium fruſtra, 4014. n. 21.
4. *Herodes* fugit in Idumæam Parthis pro Antigono pugnantibus Hieroſolymis, an. mu. 4014. numer. 23. Arabiam, Ægyptum, ac Romam petit, nu. 25. quod profectionis tempus, n. 26. 27. Romæ opera Antonii rex declaratur, n. 28. 29.
5. *Herodes* Romæ ab Antonio & Auguſto honoratur, & fœdus init cum Romanis, an. m. 4014. num. 30. ratio temporis regni eius, numer. 31. & 32. eius familia ab Antigono vexatur, nu. 32. Herodes cum Antonio in Syriam venit, n. 35.
6. *Herodes* cogit copias contra Antigonum, an. 4014. num. 36. obſidere cœpit Hieroſolymam, numer. 37. alia ab eo in Iudæa hoc anno geſta, nu. 38. latrones expugnat, & Antonium adit, cum copiis, ann. mund. 4015. numer. 6. fratrem Ioſephum amittit, nu. 8.
Herodis expeditio ad vltionem fratris, an. mu. 4016. num. 10. hoſtem vincit, fugatque & Dei in eum multiplex prouidentia, ibi. obſidet Ieruſalem, numer. 11. ad quinque menſes, ibid. eam expugnat, 4017. n. 3. 4. & ſeqq. quo tempore, n. 6. 7.
Herodes extorquet pecunia ab Antonio necem Antigoni, an. mun. 4017. numer. 7. & 8. cauſa eius necis, ibid. an & quatenus Herode rege ſit ablatum ſceptrum de Iuda, numer. 15. & ſeqq. fuſe confirmatur eius genus, n. 20. & ſeqq. & ſchol. 2. 8.
Herodis regni initia cruenta, an. mun. 4017. numer. 29. obtinet Hyrcano reditum ex Parthis, an. 4018. numer. 3. dat nihilominus Ananelo pontificatum, numer. 4. eoque deiecto, dat Ariſtobulo, an 4019. nu. 3. fugam Alexandræ cum filio impedit, 4020. 2. 9.
Herodes Ariſtobuli necem machinatur, an. m. 4021. numer. 3. eamque perpetrat, nu. 4. Herodem propterea euocat Antonius, n. 6. abiens Mariamnes cædem mandat, numer. 6. Antonium muneribus placat, numer. 7. 10.
Herodes patruum necat Ioſephum, & ſocrum habet in vinculis, 4021. n. 7. Cleopatram reducit in Ægyptum, n. 8. Antonii iuſſu bellum cum Arabe ſuſcipit, an. mu. 4022. n. 2. 3. 11.
Herodes Actiacæ pugnæ nuncio turbatur, an. mu. 4024. 1. Hyrcanum necat per calumniam, numer. 2. Aditurus Cæſarem de rebus ſuis vt diſpoſuerit, nu. 6. cum Cæſare conſtanter agit, n. 11. inter amicos recipitur, n. 12. & 14. 12
Herodes ex Ægypto redit in Iudæam, & Auguſtum magnifice excipit, 4024. nu. 28 Auguſti in eum liberalitas, num. 29. Mariamnem veneficii damnari curat, an. m. 4025. numer. 8. 9. eius ... famulos tollit, ibid. 13
Herodes ſocrum Alexandram æger interfici curat, 4025. numer. 10. reliquam Hyrcani familiam tollit, nume. 8. & 10. egregia opera conficit in honorem Auguſti, maxime Athletica certamina, a. 4029. n. 5. 6. & 4032. n. 7 8. 14
Herodes laxat Iudæorum diſciplinam, 4029 nu. 7. fami fert opem, nu. 8. Ædes Cæſaream, & Agrippium ædificat, 4030. num. 6. nouæ eius nuptiæ, num. 7. & 8. condit caſtellum Herodium, numer. 10. & ſchol. 2. 15
Herodiana Ioſephi potentia improbabilis, 4030. nume. 11. in gratiam Cæſaris legem violat, eique templa excitat, num. 12. 13. coniuratos ſupplicio afficit, a. m. 4032. nu. 10. 11. Sebaſtem, & Cæſaream inſtaurat, num. 12. 16.
Herodes varia loca in Galilæa, & Peræa communit, an. 4032. num. 12. à Zenodoro & Gadarenſibus fruſtra accuſatus, ab Auguſto multum augetur, an. mun. 4034. num. 17.

3. 4. in fratrem eſt beneficus, nu. 5. in Paneade ædem excitat Auguſto, 5.

18. *Herodes* ſuſpicioſe agit cum ſuis, & liberaliter, an mun. 4034. 6. Herodem neque conſtruxiſſe, neque conſtruere potuiſſe templum Salomonico magnificentius, 4035. numer. 10. vide Ioſephus, num. 16. *Templum*, nu. 5.

19. *Herodes* mittit filios Alexandrum & Ariſtobulum Romam, an. mun. 4036. numer. 3. Agrippam magnifice excipit in Syria, 4038. numer. 6. Romam adit, & reperit filios ſuos, 4042. numer. 1. & reducit, numer. 6. qui calumniis domi appetuntur, a. 4043 n. 1.

20. *Herodes* duobus filiis ſuis dat vxores, an. mun. 4043. numer. 2. Cæſaream dedicat, 4044 numer. 5. magna celebritate, & ludorum apparatu 6. Condit, aut renouat Antipatridem, nu. 7 aliaque loca, ibid. domeſtica apud eum diſſidia, n. 8.

21. *Herodes* euehit Antipatrum contra filios Mariamnes, an. mun. 4044. numer. 9. quem Romam mittit, ibid. ipſe mox Romam cogitat ad filios accuſandos, 4045. num. 6. Romam, & inde Aquileiam venit, 4046 numer. 8. accuſat apud Auguſtum filios, num. 11.

22. *Herodis* filii ab Auguſto reconciliantur patri, 4046. numer. 12. dat accipitque munera, & nominatim diſpoſitionem de regno, numer. 12. 13. Iudæam repetit, ibid. & imprudens æmulationem inter filios accendit, nume. 13. Sepulchrum Dauidis dicitur ſcrutatus, 4047. n. 4.

23. *Herodes* in Alexandrum miteſcit opera ſoceri, 4047. numer. 5. Romam iterum cogitat, ibid. & adit, 48. n. 8. Arabiam cum exercitu inuadit, vnde Auguſtus illi infenſus, numer. 10. ad eum legatum mittit, 4049. nu. 4.

24. *Herodis* noua cum ſuis diſſidia, 4049. numer. 5. mittit Romam alios legatos, numer. 6. Eum Cæſari reconciliat Nicol. Damaſcenus, an. 4050. numer. 3. filios ſuos in iudicio condemnari curat, n. 5. non ſine Iudicum culpa, ibid.

25. *Herodi* venenum ab Antipatro præparatum innoteſcit, 4051. numer. 5. repudiat vxorem, & pontificem mutat, ibid. Agnoſcit iteratum Antipatri veneficium, numer. 6. de eo ſcribit ad Cæſarem, an. 4052. numer. 20. teſtamentum mutat, ibid. eius ætas, 21.

26. *Herodes* apud populum in ſeditione queritur, & ſeditioſos punit, 4052. numer. 23. pontificem mutat, ibid. tempus mortis eius, numer. 31. confirmantur anni regni eius, numer. 32. & ann. mund. 4053. numer. 11. 22. 23. moritur ſub feſta Paſchalia, numer. 24. & 39.

27. *Herodis* moribundi morbi, an. mun. 4053. n 40. & cauſa, numer. 41. fruſtra adhibet remedia, numer. 42. immane facinus ſub mortem parat, nu. 43. ſibi mortem afferre vult, n. 44. occiſo Antipatro mutat teſtamentum, & moritur, n. 46.

Herodis mores ex Ioſepho, a. m. 4053. n. 47 eius funus, & Epitaphium, nu. 49. ſchema familiæ eius, n. 52. 28.

Herodes Antipas condit Tiberiadem, 4071. numer. 6. fratris vxorem Herodiadem accipit, non inuitam 4080. numer. 6. ſuper alia eius ſcelera, numer. 7. repudiat vxorem, vnde bellum cum ſocero conflatum, num. 8. eius exercitus deletur ab eo, ibidem. Interficit Ioan. Baptiſtam, 4084. nu. 19.

Hiempsal Iugurtham libero reſponſo grauiter offendit, ann. mund. 3935. numer. 1. à Iugurtha per vim obtruncatur, numer. 2.

Hieronymi lapſus de Archelao, an. mund. 4062. ſchol. 1.

Hieropolitana Dea, ann. mund. 4000. nu. 10.

Hierosolymam primum adit Epiphanes, an. mun. 3880. numer. 6. iterum ab Ægypto rediens, an. mun. 3885. numer. 18. 19. & ſeqq. an vrbem vi occuparit, num. 22. cædes ibi perpetratæ, num. 23. poſt biennium occupatur cum exercitu ab Apollonio, a. m. 3887. n. 3. 4. 1.

Hieroſolymis ab Apollonio ſpoliatur ſuccenditur, muri diruuntur, cædibus repletur, captiui abducuntur, an. 3887. num. 4. ciuitas quoque Dauid occupatur, n. 4. & 5. A Iuda vrbs mœnibus cingitur, vt putat Ioſephus, 3890. n. 29. 2.

Hieroſolyma facile potitus Eupator, templum obſidet, an. mun. 3892. numer. 27. moxque obſidionem ſoluit, numer. 31. Vrbs erat in poteſtate alienigenarum ſub Demetrio, & Iuda, 3893. num. 23. & 40. 3994. n. 64. & 71. & 996. n. 1. 3.

Hieroſolymam Ionathas inſtaurat fauore Demetrii, an. mun. 3902. numer. 9. in eaque habitat, 3904. numer. 3. 3907. numer. 7. cogitat ædificare muros, an. mun. 3911. numer. 12. non vrbis, ſed in vrbe contra arcem, ibid. dicitur tamen exaltaſſe muros Ieruſalem, 3914. 19. 4.

Hieroſolymis Hyrcanus ab Ant. Sidete obſidetur, an. mun. 3920. numer. 8. 9. vide & 3921. 6. Ibidem Ariſtobulus à Pompeio obſidetur, 3991. numer. 7. vrbe admiſſus templum oppugnat, expugnatque, num. 8. 10. muros vrbis euertit, numer. 15. quos Gabinius reſtaurari vetat, ann. 3997. numer. 2. 5.

Hieroſolyma mœnia Cæſaris permiſſu ab Hyrcano inſtaurantur, an. mun. 4007. num. 33. Antigonus cum Parthis Hieroſolymã capiunt, ac diripiunt, an. mun. 4014. nu. 22. 24. obſidetur Antigonus Hieroſolymis ab Herode ad 5. menſes, an. mu. 4016. nu. 11. expugnatur, a. m. 4017. n. 3. 4. & c. de Templi obſidione vel expugnatione, vide Templum. 6.

Hierotimus ſiue Obeda rex Arabum, a. m. 3960. n. 4.

Himilco dux Pœnorum damna Romanis infert, an. mun. 3905. num. 15. & 16. equitum præfectus, ibidem. ſe dedit Scipioni,

3906. nu. 9. cum magno equitatu, cumque Guluſſa Maſaniſſæ aſſectatur, ib. cum Scipione Romam adit, ibique beneuole accipitur, ibid.

HISPANIÆ à Romanis quotannis deuictæ, a. m. 3894. n. 9. aurum & metalla eiusdem prouinciæ, ibid. vide *Celtiberi.* Hiſpanarum mulierum fortitudo, 3916. n. 17. quæ Auguſti geſta in Hiſpania, vide *Auguſtus*, nu. 22. & 23.

HISTRIONES Italia à Tiberio pulſi, an. mun. 4076. n. 6.

HORATIVS poëta quando natus, an. mund. 4033. num. 4. Vrb. Cond. 689. mortuus, a.m. 4046. n. 14.

HOROLOGIVM aqueum à quo, & quando inuentum Romæ, an. Vrb. Con. 595. Mundi 3896. n. 3.

HOROPHERNES ſiue Holophernes Cappadox, a.m. 3896. n. 5. & 6.

HORTENSII initia, a. m. 3959. n. 5.

HVMANITATIS eximium exemplum, an. mu. 3912. n. 39.

HVMILITAS fœda Ethnicis viſa, an. m. 3886. n. 15. Appiano in cauſa Gentii, n. 35. Adulatoria Pruſiæ humilitas, 3888. n. 4.

1. HYRCANVS, qui & Ioannes filius Simonis, a. mun. 3919. numer. 5. & 6. initium pontificatus eius, 3920. nu. 1. an obſederit Ptolemæum, num. 3. & ſeqq. Antioch. Sidetes eum obſidet Hieroſolymis, n. 7. & 8. eius ſæuitia in pauperes, 3921 n. 5.

2. *Hyrcanus* an pecunias ex Dauidis ſepulchro hauſerit, an. m. 3921. n. 8. & 9. ſequitur Sidetem in expeditionem Parthicam. 3921. 1. & 923. n. 11. de qua refutatur Scaliger, n. 12. redit in Syriam, & Medabam expugnat, n. 14.

3. *Hyrcanus* ſubiugat Idumæos, & ad ritus Iudaicos adigit, a. mun. 3924. numer. 1. eius potentia, & quies ad Demetrio Nican. nu. 2. mittit Romam legatos, ibidem, quo fructu, 3925. n. 2. & 3. cum Zebina tyranno fœdus init, 928. n. 2. Samariam per filios obſidet, 3939. 5.

4. *Hyrcanus* orat pro filiis Samariam obſidentibus & victoriam impetrat, 3940. num. 3. mox coguntur ſoluere obſidionem, num. 4. denique eam expugnat, & ſolo æquat, n. 5. de annis eius Euſebius arguitur, 3945. n. 1. eius mors, 3940 n. 9.

1. HYRCANVS filius Iannæi regnante Alexandra matre Pontificatui præficitur, 3979. n. 1. Ariſtobulus minor natu frater Hyrcani regnum occupat, 3987. n. 1. 2. quod mater Hyrcano reliquerat, a. 88. nu. 1. à fratre vincitur, ibid.

2. *Hyrcanus* ad priuatam vitam compellitur, an. 3988. numer. 1. eiusque frater occupat pontificatum, ibid. Antipater ei fugam ad Arabes perſuadet, 3989. numer. 2. eius ope reſtituitur pontificatui, n. 3. & mox ab Ariſtobulo ope Romanorum vincitur, 3990. n. 1.

3. *Hyrcanus* & Ariſtobulus legatos ad Pompeium mittunt, a. m. 3991. num. 4. Pompeius Ariſtobulum Hieroſolymis obſidet, n. 7. Hyrcano reddit pontificatum, n. 15. eum vexat Alexander Ariſtobuli filius, à Gabinio protegitur, 3997. n. 2. & 3.

Hyrcanus obſeſſus Hieroſolymis à Parthis & 4.
Antigono filio Ariſtobuli, a. m. 4014. nu. 22. legatum agens capitur, & in vincula conjicitur, nu. 23. ei Antigonus aures amputat, nu. 24. abductus in Parthos bene habetur, & Herode regnante cupit reuiſere patriam, a. m. 4017. n. 30.

Hyrcanus etiam apud Parthos pontifex, 4018. 5.
num. 1. reditum eius procurat, obtinetque Herodes, n. 2. 3. quem exceptum ficte honorat, ibid. nec reddit ei pontificatum, n. 4. audita clade Actiaca eum per calumniam necat, 4024. n. 2. varia eius fortuna, 3. & tempus pontificatus, n. 4. & 5.

I.

IAMNITÆ male in Iudæos animati, à Iuda puniuntur, a.m. 3891. n. 91.

IANNÆVS, qui & Alexander, filius Hyrcani 1.
mortuo Ariſtobulo fratre, regno, & pontificatui ſuccedit, a. m. 3952. n. 1. iniuſtum patris in eum odium, n. 1. 2. fratrem vnum inſidiantem interficit, alterum priuatum agere cogit, n. 3.

Iannæus ad Ptolemaidem proſpere pugnat, & 2.
vrbem obſidet, a. m. 3953. num. 2. vrbi Lathurus fert opem, n. 4. & 954. numer. 1. 2. Iannæus obſidionem ſoluit, & perfide cum Lathuro agit, n. 3. 4. qui Iudæam vexat, 955. 2. cui occurrit Iannæus, ibid.

Iannæus magna clade à Lathuro afficitur, an. 3.
m. 3955. num. 3. fœdus init cum Cleopatra, 56. n. 3. Gadaram 10. menſibus expugnat, & Amathuntem, ibid. mox cladem accipit à Zenone, & alia loca occupat, nu. 3.

Iannæus Raphiam & Anthedonem occupat, 4.
3957. n. 1. oppugnat, expugnatque Gazam n. 2. 3. eius perfidia, & crudelitas, num. 4. in eum ſeditio Hieroſolymis excitatur, 3958. n. 2. eiusdem crudelis vindicta, n. 3. domeſticis petitur inſidiis, 3960. n. 3.

Iannæus ſuſcipit expeditionem in Arabiam, 5.
ann. mun. 3960. numer. 3. quam domat, ibid. diruit Amathuntem caſtellum, num. 4. moxque totum amittit exercitum, n. 4. ægre elapſus Hieroſolymam fugit, ibidem, vbi ſeditioſo bello à ſuis ad ſextum annum vexatur, an. 3961. numer. 1. & 65. n. 3.

Iannæus à Demetrio Eucæro bello petitur, 6.
accitus à Iudæis, an. mun. 3966. numer. 1. à quo & vincitur, numer. 2. quo abeunte Iudæi rurſum Iannæum infeliciter inuadunt, 3967. nume. 16. eius immane in eos facinus, ibid.

Iannæi expeditio ad Dium, Eſſam, Gamalam, 7.
an. mund. 3972. numer. 1. 2. 3. eius morbus ex temulentia, an. mun. 3976. num. 1. mors, eiusque modus, & regni tempus, an. mund. 3978. numer. 1. & 2. conſilium vxori datum, ibid. cui ſuccedit in pontificatu Hyrcanus, 3979. n. 1.

Index.

De Iani portis decretum Auguſti, an. mun. 4044. nu. 4. iterum apertæ, 4026. nu. 6. iterum clauſæ, a. m. 4029. nu. 2.

1. Iason frater Oniæ ſummum ambit pontificatum, an. mun. 3879. numer. 13. Antiochum adit, emitque ab eo, num. 14. & ius proſtibuli, ibid. & quanta ſumma ſchol. 2. mutat nomen ſuum, num. 17. inuadit pontificatum, n. 19.

2. *Iaſon* tyrannica agit, a. m. 3879. n. 22. mittit pecunias ad ſacrificia Herculis, 3880. nu. 3. nunquam fuiſſe verum pontificem, an. m. 3882. n. 1. 2. conatur occupare Ieruſalem, 3884. n. 5. 7. 8. in ea cædibus graſſatur, fugaturque, ibid.

3. *Iaſonis* impii reliqua vita, a. m. 3884. n. 9. vbi, quando, & quomodo mortuus, ibid. ei ſuccedit Menelaus, 3882. n. 3. 4.

Idololatria, vide *Ritus* profani. Idolum & Idolia, Hieroſolymis excitantur, an. m. 3887. num. 9. & maxime, n. 11. & per omnes ciuitates Iuda, ibidem, diruntur, & abiiciuntur à Iuda in ſterquilinium, ann. m. 3890. n. 8. & 9.

Idola an in prædam cedere poſſint, an. mu. 3891. n. 109. & 110.

Idumæos Iudas inuadit in Acrabathane, an. mun. 3891. nu. 32. vexant Iudæos, nu. 61. & 62. bonam partem Iudææ occuparunt, nu. 53. & 107. ad Iudaiſmum ab Hyrcano victi tranſeunt, 3914. n. 1.

Ieiunium militum Iudæ, an. mun. 3889. numer. 12.

Ieremias apparet orans pro populo, an. mu. 3893. nu. 58.

Ierusalem quando hoſtiliter occupata ab Antiocho, a. m. 3885. n. 18. eius cladis variæ cauſæ, n. 19. vide *Hieroſolyma*.

Ignis nouus in Encæniis, a. m. 3890. nu. 13. an cum miraculo, ibid. Ilienses deleti à Fimbria, vide *Fimbria*.

Illyricæ res vt compoſitæ à Romanis poſt Gentium ſuperatum, an. mun. 3887. numer. 71.

Imagines veteri lege non vetitæ, an. mund. 4032. nu. 9. ibidemque circa eas arguitur Ioſephus.

Immortalitas animorum credita Iudæis, an. m. 3891. n. 113. & ex ea infertur reſurrectio, n. 114.

Imperii Romani exordium, a. m. 4006. n. 1. Imperii Græcorum finis, a. m. 3970. num. 1. & 2. anno eius 228. ibid. Imperii Lagidarum, ſiue Ægyptiorum finis, an. mund. 4024. num. 22. durauit annis, 295. ibi, numer. 23.

Incarnationis Verbi miraculum omnium maximum, a. m. 4052. n. 3. & 47. 48. 49. quo Virginis anno contigerit, n. 24. Prodigia octo in Chriſti conceptione, nu. 50. & 51. eius tempus, n. 54. & 55.

Incendii curatores ab Auguſto conſtituti, a. m. 4047. n. 3. vide 4059. n. 2.

India Pontica, a. m. 3894. n. 18.

Indorum Legati ad Auguſtum, an. m. 4034. nu. 7.

Infantium cædes à bimatu, & infra, an. mu. 4053. nu. 34. & 35. an vnum in locum collecti, nu. 37. in eorum cæde Dei iudicium nu. 38.

Ingenui ſeruitute liberantur à Romanis, an. m. 3950. nu. 5. & qua occaſione, ibid. id turbat Siciliam, nu. 6. & ſeqq.

De Inimicis gaudium & mœror, contra Ioſephum, a. m. 3908. num. 15. 16. in eos humanitas in magnis viris laudata, ibid.

Intercalationes gratioſæ, a. m. 3986. nu. 4. & 20. & ſchol. 1. Græcorum intercalandi modus, an. m. 4008. numer. 35. vt ſolari anno & Romano reſponderet, nu. 36. annus intercalationum, & confuſionis, nu. 27. & ſeqq.

Inuidia ſociorum Simonis non inulta, an. m. 3905. n. 17.

S. Ioannem Baptiſtam Angelus Zachariæ 1.
prænunciat, a. m. 4051. n. 11. & 14. quæ priuilegia eius, n. 14. & ſeqq. Ioannes Eliæ ſimilis, n. 16. eius fuga, a. mu. 4053. num. 33. quam Iudæis neceſſarius, an. mun. 4051. nu. 8.

S. Ioannes Bapt. vbi natus, circuncisus, ab- 2.
ſconditus, an. mun. 4052. nu. 66. an præſente Virgine natus, numer. 70. quæſitus ad cædem, vide ſchol. 5. ex apochrypho, quando prædicare cœperit, 4081. numer. 1. & baptizare antequam eum adiret Chriſtus. 2.

S. *Ioannes* an à Chriſto baptizatus, 4082. nu. 3.
41. non videri, 42. dat teſtimonium de Chriſto, 4083. nu. 4. cur in vincula coniectus, n. 4. 5. & vbi, ibid. quando necatus, ann. mund. 4084. numer. 19. 20. 21 Epitaphium eius, nu. 19. mors eius punita, 4080. n. 8.

S. Ioannis Euangeliſtæ ortus, an. mu. 4055. nu. 9.

Ioannes frater Ionathæ, ad Nabuthæos miſſus in via occiditur, a. m. 3894. n. 65. & 66. non impune, ibid. & 67.

Ioannes Simonis filius conſtituitur à patre 1.
princeps militiæ, a. m. 3914. nu. 5. patrem adit Cendebæo regionem vexante, n. 4. à quo in bellum mittitur, n. 5. cogit copias, nu. 6. pugnat & vincit Cendebæum, nu. 7. ex Ioſepho, 8. 9. 10.

Ioannes occiſo Simone patre cũ duobus fra- 2.
tribus, occidit illos, qui eum erant necaturi, a. m. 3919. nu. 3. cætera vide in Hyrcanus, n. 1. & ſeqq.

Ioazarus I. Pontifex, an. mun. 4053. num. 50. & in tit. ei Archelaus abrogat pontificatum, 4055. numer. 9. fuit filius Boëthi, Eleazari frater, in quem tranſlatus eſt pōtificatus, ibid. recuperat eum, 4061. nu. 3 iterum amittit, 4062. n. 5.

Ionathas cæſo Iuda fit princeps populi, an. 1.
mun. 3894. numer. 63. Bacchides ei mortem ſtruit, numer. 64. ipſe cum ſuis fugit, ibid. mittit fratrem ad Nabathæos, n. 65. pugnat cum Bacchide, n. 68. 69. pugnæ euentus, n. 70.

Ionathas 50. inſidiatores perimit, 3897. numer. 2. obſidetur cum Simone à Bacchide

n. 3. contra quem Ionathas rem bene gerit, num. 4. & mox cum eo pacem componit, n. 5. & habitat in Machinas, ibique populum iudicat, n. 6.

3. *Ionatham* Demetrius ſibi conciliat, eique reddit obſides, a.m. 3902. n. 7. & 8. Ieruſalem inſtaurat, & incolit, n. 9. munit montem Sion contra arcem, n. 9. Apoſtatæ metu eius diffugiunt relictis munitionibus, n. 10.

4. *Ionathæ* Amicitiam quærit Alexander, 3902. num. 11. & obtinet, nu. 12. an peccarit deſerto Demetrio legitimo principe, n. 12. & ſeqq. an ab eo pontificatum acceperit, n. 13. & 17. non acquieſcit promiſſis Demetrij, n. 31.

5. *Ionathas* adeſt nuptiis Alexandri cum Cleopatra, an. mun. 3904. a. 1. fit ex accuſatione glorioſior, n. 2. ab Alexandro, vehementer honoratur, n. 3. eripit Ioppen, Demetrio iuniori, & eius duci Apollonio, 39·7. num. 7.

6. *Ionatham* Apollonius fruſtra conatur concludere, a.m. 3907. n. 8. ſuccendit Azotum, & templum Dagon, nu. 11. Aſcalon ſe ei dedit, n. 12. Azotij odium Ionathæ, apud Philometorem quærunt, an. 3908. numer. 2.

7. *Ionathas* Ptolomæo, magnifice occurrit, 3908. n. 3. & redit in Ieruſalem, ibid. obſidet arcem Sionis. 3909. nu. 6. quod Demetrius iunior vetat, ibid. quem Ionathas adit cum muneribus, & beneuole accipitur, n. 8.

8. *Ionathas* non obtinet à rege expugnationem arcis, a. m. 3909. n. 9. ſed immunitatem, aliquot toparchiarum, ibi. & literas ea de re, n. 10. & 11. alia eiuſdem indulta, nu. 13. Petit Ionathas à Demetrio Nicanore tolli, ab arce præſidium, 3910. n. 2.

9. *Ionathas* mittit Demetrio contra Antiochenos tria millia militum, a. m. 3910. n. 3. qui regem liberant, ibid. eum mox alienat, à ſe Demetrius, nu. 7. Ionathas ſedat Antiocho Alexandri Balæ filio, inuitatus ab eo & Tryphone eius tutore, n. 10. 11. 12.

10. *Ionathas* pro Antiocho expeditiones vtiles facit, 3910. n. 12. pugnat cum Demetrianis, eoſque licet, à ſuis fere deſertus, vincit, & fugat, n. 15. 16. Iudæi qui agnitis inſidijs fugerant, certamen Ionatha redintegrant, n. 17. & 18. victoria data Ionathæ precibus, ibid.

11. *Ionathas* legatos Romam mittit, & ad Sparciatas, a.m. 3911. n. 2. renouandæ amicitiæ, n. 3. eius literæ, ad Sparciatas, n. 4. 5. & ſeqq. arcem ab vrbe ſecludit, n. 12. eius mors quando contigerit, 3912. nu. 1. occurrit Tryphoni Scythopolim. n. 3.

12. *Ionathas* nimium fidens Tryphoni dimittit exercitum, an. m. 3912. n. 4. capitur Ptolemaide cum ſuis, n. 5 diuinum circa eum iudicium, num. 8. quid ab eo peccatum videatur, n. 9. defenditur, n. 10. interficitur cum filijs. n. 19.

13. *Ionathas* magnifice ſepelitur & plangitur, a. m. 3912. n. 19. eius Epitaphium, num. 23. eius annorum ratio, n. 27. & 28. eius mors Romæ & Spartæ innoteſcit, a. m. 3914. nu. 9. & 10.

Ioppitarum facinus in Iudæos, a 3891. n. 89. vltio a Iuda expetita, n. 90. Ioppo à Simone vaſtata non eſt, contra Ioſephum, a. m. 3913. n. 8. vide, n. 6.

S. Ioseph ſponſus S. Virginis fuit virgo non viduus, a m. 4051. n. 21. 22. quæ illius tum ætas, n. 23. eius turbatio, n. 71. ab ea liberatur, ibid. cur timuerit Archelaum, a. m. 4055. n. 9. itaque ſeceſſit in Galilæam, ibid. 1.

S. *Ioſeph* cum vxore prægnante abit in Bethlehem. a. m. 4052. n. 72. abit cum eadem in Nazareth. 4053. n. 32. iubetur migrare in Ægyptum, n. 33. vel. 34. quando mortuus, inquiritur, an. m. 4065. n. 1. 2. 3. 4. an cum Chriſto reſurrexerit, n. 5. 2.

Iosephvs & Azarias, ſuſcipiunt expeditionem infeliciter, a. m. 3891. n. 50. a Gorgia conciduntur in fuga, n. 51. cauſa cladis. n. 52. an & occiſi fuerint, ibid.

Iosephvs Gorionidas, an Sadducæus, a. m. 3891. n. 114. vide & ſchol. 8. errat in annis Ionathæ, a. m. 3894. n. 63.

Iosephi fratris Herodis mors, a m. 4015. nu. 9.

Fla. Iosephvs aliquoties errat circa Pōtifices, a.m. 3879. n. 16. 17. 18. & rurſus quater, n. 20. & ſchol. 1. ſibi non conſtat de capta Ieruſalem ab Epiphane, a. m. 3885 n. 22. & in numero tam cæſorum, quam captiuorum peccat, n. 24. 1.

Ioſephus errat in tempore cladis Iudaicæ, & duas in vnam confundit, a. m. 3885. n. 24. in iuniore Onia ſibi non conſtat, n. 26. cauſam fugæ male aſſignat, n. 27. duas iterum hiſtorias in vnam confundit, a. m. 3887. num. 1. idolum diſſimulanter omittit, ibid. 2.

Ioſephus arcem male erigit Hieroſolymis, n. 6. peccat in Chronologia nu. 13. & in titulo templi Samaritani, n. 15. & in ſpontanea cæde mulierum cum ſuis infantitibus, n. 19. Arguitur in hiſtoria ſeptem, Machab. a. m. 3887. ſchol. 5. ſæpius, præſertim, pag. 77. 3.

Ioſephus errat in Pontificatu iudæ, a. m. 3889. n. 4. in tempore templi Oniæ, n. 50. in Chronol. de Iſaia, n. 53. & in reipſa, num. 54. in perſona Oniæ, Alcimi Menelai, n. 58. non ſeruat decorum in Ægypti regibus, num. 59. 4.

Ioſephus errat in duratione templi Oniæ, a. m. 3889. n. 60. vide tamen, ſchol. 3. in fi. peccat in morte Ant. Epiphanis, a m. 3891. n. 26. in victoria de Iazer Ammonitarum, n. 35. tacet auerſionem, ararum & combuſtionem ſculptilium, n. 55. & 56. 5.

Ioſephus omittit fere lib. 2. Machab. a. m. 3891. num. 71. & 3893. nu. 52. errat in ſolutione obſidionis arcis, a.m. 3892. n. 28. diſcedit à Scriptura, n. 32. Menelao tribuit crimina Iaſonis. 38. errat in annis à Cyro. ibidem, & aliquoties circa factum Alcimi, 3893. 24. 28. 6.

7. *Ioſephus* victoriam Iudæ Nicanori tribuit, a. mun. 3893. num. 41. & minuit vtriusque copias, n.52. eius parachroniſmus in morte Alcimi, a.94. n.6. & 41. & in pontificatu Iudæ, n.6. & 50. & in fœdere Iudæ cum Romanis, n. 36. & 37.

8. *Ioſephus* errat dupliciter circa pontificatum Iudæ, a. 3894. n. 50. & 3895. n.3. Auget cæſorum numerum, 3894. num.70. mala eius chronologia circa Alcimum, a. 895. nu. 4. male ait inſidiatores à Bacchide occiſos, 3897. n. 1.

9. *Ioſephi* Chronologia vana, & ſecum pugnans, a. 3902. n.16. male tractat Demetrii epiſtolam, n.31. quinquies errat in Apollonio Demetrii iunioris, a.m. 3907. nu. 13. & ſeqq. fingit Alexandri inſidias in Philometorem, 3908 n. 5.

10. *Ioſephus* conciliatur Scripturæ, an. mu. 3908. numer. 6. à qua iterum diſcedit, n.9. & 10 male laudat Philometorem, numer.15. & 16. de fratre eius Euergete, ſiue Phyſcone eiusdem fabula, an. 3909. nu. 5. victoriam Iudæorum de Antiochenis infidelitat tradit, 3910. n.4.

11. *Ioſephus* Nabathæos male facit inimicos Iudæorum, an. mun. 3911. ſchol. 1. errat de tempore capti Demetrii, ann. mun. 3912. numer. 7. de Dora vrbe ſecum pugnat, n. 17. in Simonis temporibus corrigitur, numer. 35.

12. *Ioſebus* male arcem Sionis ſolo æquat, an. m. 3913. nu.6. & 9. & montem complanat, n. 10. refellitur de Gaza, Ioppe, & Iamnia, n.7.8.9. de auxiliis à Simone miſſis Sideti, 3917. nu. 3. & de tempore alienationis inter eos, n. 4.

13. *Ioſephus* hiſtoriam Ioannis contra Cendebæū valde deprauat ac diminuit, 3918. num. 8. 9. 10. valde item mortem Simonis, an. m. 3919. num. 5. 7. item de vxore eius & filiis comprehenſis, nu. 6. & a.m. 3920. num. 3. 3. 4. 5. 6.

14 *Ioſephus* de pecunia in Dauidis ſepulchro refellitur, an. mun. 3921. n.8. & 9. ſeipſum corrigit in annis Hyrcani, an. mun. 3950. num. 9. & corrigitur eius chronologia, a. m. 3951. n. 2. 3. eiusdem hiſtoria de Tigrane dubia, 3984. n.8.

15 *Ioſephus* fallitur de Gabinio, & à Dione refellitur, ann. mun. 3999. numer. 7. & à M. Tullio, numer. 8. Auget improbabiliter pecunias templi à Craſſo ſublatas, ann. 4000. numer. 7. & 8. eius de Antipatro hiſtoria reuocatur in dubium, ann mun. 4007. n. 2.

16. *Ioſephus* fictitiam legationem videtur inducere, a. 4007. num.36. & 37. circa Herodis ætatem cum præpoſitus eſt Galilææ errat plus decennio, an 4008. numer. 41. 42. & ſeqq. examinatur de aduentu Antonii in Bithyniam, & Bruti morte, a. mun. 4013. n.7.

17. *Ioſephus* ſui ipſius cædem laudat, an. m. 4017. nu. 9. 10. de terræmotu refutatur, & Iudæorum mulcta fortitudine, 4023. n. 5. & 6. errat in præfectis Ægypti, a. m. 4050. n. 5. eiusdem in pontificibus annotandis negligentia, n. 8. & 9.

Ioſephus circa imaginum cultum arguitur, a. m. 4032. n. 9. ſicariis in Herodem coniuratis fauet, n. 11. Affingit Herodi multa ædificia, & ſumptus incredibiles, a.m. 4035. nu. 10. & ſeqq. falſe, & ſchol.1. quomodo non metuit infamiam, n.19. 18.

Ioſephus male & imperite finxit templum Herodianum, a. m. 4035. num. 21. & ſeqq. peccat etiam circa tempus inchoati, & abſoluti templi, nu. 26. & ſeqq. affectat magnificentiam gentis ſuæ, 4044. nu. 6.7. & ſchol. 1. 19.

Ioſephi chronologia perturbata, ann. mund. 4044. numer. 10. fatalem inducit neceſſitatem, ann. 4050. numer. 7. & 8. nuptias intempeſtiuas, an. mun. 51. numer. 2. errat in vxore Auguſti, nu. 3. & 4063. nu 6. In conſulatu Caii fallit aut fallitur, an. 4054. nu. 9. 10. 20.

Ioſephus ſomnia fingit, an. mun. 4061. num. 4. improbatur circa res à Tetrarchis, in honorem Auguſti geſtas, 4063. numer. 6. eiusdem profanatio templi fictitia, num. 7. & Salomes teſtamentum, ann. mund. 4064. nu. 4. errat in annis imperii Auguſti, 4067. n. 10. 21.

Ioſephus legis ſuæ imperitus, an. mun. 4079. numer. 3. de Herodiade arguitur, ann. mu. 4080. numer. 8. & de cauſa mortis S. Ioannis Baptiſtæ, ann. mund. 4084. numer. 21. 22.

IRA Dei quomodo in Iudæos modica, ann. m. 3888. nu. 12. eadem & magna dicitur, ibid. & 3890. num.23. vide ſupra Deus, numer. 1.

ISIDIS ſacra, vide *Ægyptia*. Iſidis cultu prohibat Cleopatra, a. m. 4020 n.8.

IVBÆ res cum Getulis, eiusque mors, ann. mund. 4059. numer. 4. Iuba, & Petreius excluſi à ſuis, poſt fugam ſe interficiunt, a. 4008. n. 17.

IVBILÆVS Moſaicus 26. an. 3933. numer. 1. inde ante & poſt quinquageſimus quisque eſt Iubilæus.

IVDÆI duce Iaſone ad ritus gentilitios ſe excitant, a.m. 3879. nu.21. & 22. eorum clades ſub Antiocho Epiphane quam diuturna, 884. n.5. & ſeqq. Iudæorum cædes in vrbe iuſſu Antiochi, 3885. nu. 23. quanta fuerit, ibid. & ſchol.1. 1.

Iudæorum in ea clade luctus, an. m. 3885. nu. 25. eorum à Deo reprobatio cum loco ipſo, n.30. auxilium paruulum, 3888. n. 10. reſpirare incipiunt, & reſiſtere inimicis, nu.16. Iudaicorum malorum incrementa, 3887. n. 2. & ſeqq. ab arce ipſa, n.4.5. 2.

Iudæorum plerique diffugiunt, in quibus Mathathias cum ſuis, a.m 3887. nu. 5. Iudæi iubentur à fide deficere, n.7. quod plerique faciunt, n.8. Iudæorum miſerrimus ſtatus, n.16. coguntur ad impias choræas, & ſacrificia, etiam à vicinis, n. 17. 3.

Iudæi venales, an. m. 3889. numer. 21. & 22. eorum de Galatis victoria, numer. 32. & 33. victores, ditatique lætantur, n.40. & pau- 4.

peribus miſerentur, nume. 41. luctus Iu-
dæorum pro templi vaſtitate, an. m. 3890.
nu. 7.
5. *Iudæorum* lætitia in renouatione templi, an.
m. 3890. n. 24. 25. in Galaaditide vexantur,
a. m. 3891. n. 36. & in Galilæa, n. 37 Iudæi an
equites pugnarent, a. m. 3891. num. 68. mira
eorum fiducia, n. 75.
6. *Iudæi* perfugæ Eupatorem contra Iudam a-
deunt, 3892. n. 3. 4. vt ſoluatur obſidio ar-
cis, nu. 5. eique bellum perſuadent, ibid.
ad preces confugiunt metu Nicanoris, a.
m. 3893. nu. 30. eorum lætitia cæſo Nica-
nore cum ſuis, num. 64. gratiarum actio,
ibidem.
7. *Iudæi* quantum grauarentur oneribus ſub re-
gibus Ethnicis, a. 3902. n. 21. & ſeqq. Iu-
dæa mortuo Iuda, & fame vigente cedit in
poteſtatem Bacchidis, a. m. 3894. n. 61. ami-
ci Iudæ fugiunt, latent, vexantur, illudun-
tur, n. 62.
8. *Iudæa* quieſcit ad biennium, ann. mun. 3895.
nu. 5. & 896. nu. 1. alia eius quies, 897. n.
6. Iudæi ſcribunt ad ſocios in Ægyptum,
an. 3911. num. 13. & 14. eorum libertas à
Simone parta, an. 3912. numer. 34. ſata-
gunt tollere ſchiſma cum Ægyptiis, 3930.
num. 12.
9. *Iudæi* Cleopatræ tyrannidem tutantur, ann.
mun. 3948. num. 2. ſubiiciuntur Roma-
no Imperio, 3991. numer. 15. Iudæorum
80. annorum libertas, num. 16. Iudæa à
Gabinio quinquepartito diuiditur, ann.
mun. 3997. n. 4. ob trophæa Herodis tur-
bantur, 4032. 9.
10. *Iudæorum* in propugnanda Hieroſolyma dili-
gentia, an. m. 4017. n. 4. ſceptrum quan-
do à Iuda fuerit ſublatum, nu. 15. 16. &c.
Arabes magna clade afficiunt, 4023. num.
4. Iudæi qualem Meſſiam expectarent,
4051. nu. 9. 10.
11. *Iudæis* neceſſarius præcurſor, an. mun. 4051.
num. 8. petunt ſubeſſe Præſidi Romano,
non familiæ Herodis, an. mun. 4054. n.
11. 12. & maxime, nu. 13. & an. mun. 4055
nu. 6. Iudæa ab Auguſto tripertito diuiſa,
4054. 13.
12 *Iudæa* Syriæ à Varo contributa, an. mu. 4061.
nu. 5. & 4062. num. 1. 2. 3. Iudæorum tu-
multus ob ſigna Cæſaris, 4079. numer. 2.
anathemata recte auerſantur, non imagi-
nes Cæſaris, numer. 3. eas tolli impetra-
runt, num. 5.
13 *Iudaica* ſacra vrbe pulſa, an. m. 4072. nu. 6. &
qua ex cauſa, ibid. Iudæi ſub Chriſti paſ-
ſionem quando paſcha comederint, an.
m. 4086. nu. 37. & in tota Præfat. 6. Volu-
minis.
1. IVDAS Machabæus fugit cum patre & octo
ſociis, an. m. 3887. nu. 5. & 88. numer. 12. à
patre princeps conſtituitur, nume. 31. init
principatum & pontificatum, a. 89. nu. 1.
ſub eo Iudæi florere incipiunt, ibid. fuit
primogenitus, n. 2.
2. *Iudas* vnctus à patre dicitur, a. m. 3889. num.
3. proluſio in res ab eo geſtas, numer. 5.
eius fortitudo, num. 6. 7. Quatuor prælia
committit contra regios duces, Apollo-
nium, n. 8. Seronem, n. 11. & ſeqq. Iudæ ex-
ercitus ieiunio fatigatus, n. 12.
Iudæ in Deum fiducia, 3889. nu. 13. De Sero- 3.
ne victoria, nume. 14. tertia Iudæ pugna
contra varios duces, nu. 15. quidam agni-
to periculo fugiunt, alii etiam dimittun-
tur à Iuda, nume. 23. alii conſtantes Deum
orant, & placant piis operibus, 24. 25.
Iudas ordinat exercitum ſuum, eiusque du- 4.
ces, 3889. numer. 28. eosque cohortatur,
numer. 30. 31. 36. magna pars male armis
inſtructi, numer. 35. & 36. Iudæ contra
Gorgiam prudentia, n. 34. pugna victoria-
que de Nicanore 37. miſericordia in pau-
peres, n. 41.
Iudas vincit Timotheum & Bacchidem, an. 5.
mun. 3889. numer. 42. eius oratio ante
pugnam cum Lyſia, an. 3890. numer. 3. &
victoria, ibidem. Suſcipit emundationem
templi, numer. 5. ipſum Iudæi adeunt,
num. 6. conſtituit præſidium interea con-
tra arcem, n. 8.
Iudas occupauit ciuitatem, 3890. num. 9. eius 6.
variæ expeditiones à mundato templo,
3891. num. 31. & ſeqq. & rurſum trans Ior-
danem cum Ionatha, nu. 40. & ſeqq. vbi
vrbes occupat, & ſuos obſidione liberat,
41. 42. redit in Iudæam, n. 49.
Iudas in reditu Ephronem expugnat, & de- 7.
let, an. mun. 3891. numer. 47. & 48. ſuos
reducit omnes incolumes, n. 49. & Deo
gratias agit, ibid. celebratur ex antitheſi
aliorum ducum, numer. 53. munitiones
expugnat, proditores auaros punit, nu-
mer. 64.
Iudæ glorioſa de Timotheo victoria, 3891. n. 8.
65. & ſeqq. Iudæ pugna contra Lyſiam,
numer. 72. & ſeqq. confugit ad preces 74.
quo fructu, ibid. init pacem cum Lyſia, n.
76. quæ cito rumpitur à Lyſiæ ducibus,
n. 88.
Iudas cur Romanos per legatos adierit, a. m 9.
3891. n. 85. vltionem ſumit, de Ioppitis, n.
90. precibus hoſtem fugat, numer. 108.
culpam ſuorum agnoſcit, numer. 109.
eius victoriæ incruentæ, num. 49. & 100.
quæ ab eo facta circa prædam idolorum,
nu. 111. & ſeqq.
Iudas obſidet præſidiarios Sionis, a. m. 3892. n. 10.
3. contra Eupatorem pergit propitiato
Deo, & ſoluta obſidione, nu. 11. & 12. eum
nocturnus inuadit, & clade afficit, nu. 13.
& 17. à rege honoratur, n. 34. opprimit de-
ſertores Alcimi ſocios, n. 27.
Iudas init cum Nicanore amicitiam, & eius 11.
ſuaſu duxit vxorem, an. m. 3893. n. 33. & 34.
& nihilominus communem Eſſenorum
vitam agit, ibid. an prolem ſuſceperit, nu.
34. cauet ſibi à Nicanore, n. 38. & ei caute
fidit, n. 41.
Iudas aperit inſidias Nicanoris, ann. mund. 12.
3893. numer. 41. cum eo pugnat, & vin-
cit, numer. 42. Iterum cum eo pugnatu-
rus ſuos hortatur, nume. 56. & animat nar-
rato ſomnio, nu. 57. ſub pugnæ tempus
Deum orat, n. 60.

13. *Iudas* cum Nicanore pugnat, cæditque 35. millia cum ipſo Nicanore, an. mun. 3893. n. 61. eius caput & manum mittit Hieroſolymam, numer. 64. Iudas potuit inire fœdus cum Romanis, an. mun. 3894. num. 38. 39 40.

14. *Iudæ* & ſociorum eius timor ſub vltimam pugnam contra Bacchidem, an. m. 3894. nu. 43. & 44. fugam auerſatur & dedecus, nu. 45. non agnoſcit aut timet fatum, numer. 46 in pugna incaute cadit, numer. 48. & 49.

15. *Iudæ* funus, & populi pro eo planctus, 3894. nu. 50. Iudas in multis Chriſti figura, numer. 51. & ſeqq eius epitaphium, numer. 59. & 60.

IVDÆ Galilæi ſecta, vide *Galilæi*, eius interitus & filiorum, ann. mund. 4063. numer. 5.

IVGO ſubmiſſi Romani à Iugurtha, a m. 3945. n. 2. & a. 3947. n. 7. fine.

1. IVGVRTHÆ initia & genus eius, an. mu. 3921. num. 17. feroci ingenio, & turbulento, nu. 18. Numantiam adit cum claſſe, ibid. Scipioni operam ſuam valde probauit, ibidem: adoptatur à Micipſa filio Maſaniſſæ, nu. 18.

2. *Iugurtha* Hiempſalem perimit, & qua de cauſa, an. mun. 3935. nu. 1. & 2. & Romanos vindices largitione corrumpit, num. 3. Inuadit Adherbalem alterum Micipſæ filium, 3936. 1. Numidiæ imperium petit, 937 n. 5.

3. *Iugurtha* Adherbalis exercitum fugat, eumque Cirthæ obſidet, ann. 3938. numer. 5. Romanorum legatis illudit, ann. mund. 3939. num. 7. Adherbalem dedititium necat, 941. nu. 2. Romæ de ſcelere ei condonando agitur, 3942. n. 1.

4. *Iugurthini* belli initium, & filii eius irrita legatio, a. 3943. nu. 1. à Calphurnio pacem emit, nu. 3. ea pax Romæ damnatur, ann. m. 3944. num. 1. à Caſſio Romam adducitur, & opera Bæbii ſe munit, 2. Maſſiuam Romæ interficit, n. 3.

5. *Iugurtha* Albinum vincit, an. mun. 3945. nu. 2. contra Metellum in Numidiam miſſum vi agere ſtatuit, num. 6. partem copiarum eius inuadit dubia victoria, nu. 7. Obſeſſam à Metello Zamam confirmat, & Marium aggreditur, n. 9.

6. *Iugurtha* Metelli caſtra inuadit, ann. mund. 3945. numer. 10. Bomilcaris ſuaſu deditionem facit, nu. 12. armis viriſque ſpoliatus timet, nu. 13 Bomilcarem in ſe conſpirantem necat, & cum Metello male pugnat, a. 3946. n. 6.

7. *Iugurtha* Thalam fugit, vnde à Metello pellitur, 3946 numer. 7. ad Bocchum Mauritaniæ regem fugit, numer. 8. cum eo Romanos inuadit, 3947. nu. 6. vinctus à Boccho Syllæ traditur nu. 9. anni, 948. & vinctus à Mario in triumphum ducitur, a. 3950. n. 1.

8. *Iugurtha* in carcere fame necatur, a. 3950. numer. 2.

1. IVLIA Auguſti filia Tiberio deſponſatur, an. mun. 4042. numer. 10. nubit 4044. num. 3. adulteria eius deprehenſa, 4052. num. 9. adulteri puniti, ipſa relegatur, n. 8 9. 10. 11. & vt ibi tractata, ibid. reducitur in continentem, 4057. n. 7.

Iuliæ infantem ali vetat Auguſtus, an. mun. 2.
4061. numer. 6. Iuliæ relegatæ mors, an. mun. 4067. numer. 18. Tiberii voluntate, ibid. &c.

IVLIÆ neptis Auguſti mors, a. m. 4081. nu. 5. eiuſdem vita, & mors, ibid.

IVLIVS Cæſar, vide *Cæſar*.

IVS illuſtrium ciuitatum, an. mun. 3873. numer. 15.

IVSTITIAE diuinæ congruentia, an. m. 3882. n. 12. & 16. & an. mun. 3891. numer. 7. & 3892. numer. 10. & alibi. Vide *Deus*, nu. 1. 2. &c.

IVSTINVS arguitur circa Demetrium Seleuci filium, an. 3891. numer. 118. Quam inſcienter agat de Iudæis, ann. mund. 3921. nu. 2.

L.

T. LABIENVS Cæſaris in Gallia Legatus, rem apud Treuiros bene gerit, ann. mun. 4001. n. 26. ei ſe Cæſar iungit, 4002 num. 11. A Cæſare deficit initio belli ciuilis, a. m. 4005. nu. 9. & cur, ibid. in Africa cum Petreio contra Cæſarem pugnat, 4008 n 6.

LABIENVS eius filius ad Parthos à Caſſio mittitur, a. 4014. n. 19. ad eos ſe adiungit, ibid. & cum iis Syriam occupat, n. 20.

LACONVM cum Hebræis cognatio, a. mun. 3884. n. 9.

C. LÆLIVS in Viriathum mittitur, a. m. 3909 n. 19. res ab eo geſta, 20. Lælii conſolatio poſt mortem Scipionis, a. 3926. n. 3.

LAGIDÆ quandiu in Ægypto regnarint, a. m. 4024. n. 23.

LAMPSACVM Romani pro Simone ſcribunt, a. 3916. n. 8.

LATRONVM excurſiones in Iudæam abſente Herode, a. 4048. n. 8.

LAVSA gemina in Scriptura, an. 3894. nu. 42. & 43.

LEGATI Romani ad Perſeum, & contra, an. 1.
mun. 3879. n. 23. & 24. item Perſei in Africam, ibid. Romani legati Carthagine redeunt, & mittuntur in Macedoniam, an. 3880. num. 7. Reſpondent Perſeum tergiuerſari & bellum parare, 3881 nu. 5.

IN *Legatos* Rom. Perſeus iraſcitur, a. m. 3882. 2.
nu. 24. & 25. eius legati Roma & Italia abire iubentur, a. m. 3883. n. 9 Legati Romani ad diuerſos ſub hoc tempus, nu. 10. Legati Alexandrini Romæ de Antiocho queruntur, 3885. n. 3.

Legati Roma ad Epiphanem miſſi, 3885. nu. 4. 3.
Popilius eum circulo circunſcriptum, ad reſponſionem adigit, n. 5. Legati varii Romam, n. 16. legati Rhodiorum vt accepti à Coſſ. in caſtris, in Macedonia, a. 3886. nu. 17. vide Rhodii.

4. *Legationes* poſt deuictum Perſeum, præſertim Attali fratris Eumenis, an.m.3887. nu. 55. à Maſaniſſa, num. 58. 59. Rhodiorum, 60. In legatos amicos Senatus Romani humanitas, nu.59. vide etiam 3888. n.3. de Pruſia.

5. *Legatos* Senatus mittit in Macedoniam, a. m. 3887.num. 69. & 70. Legatio Cotys regis Thraciæ, n.88.legati gratulantur Romanis Macedonicam victoriam, 3888. nu.8. legati Pruſiæ de Eumene Romæ querun tur, 3889.n.47.

6. *Legati* Eumenis Romam, & contra Romanorum ad explorandum Eumenem & Antiochum, 3890. num. 32. & alia Græciæ negotia, ibid.Legatos Romanos Iudæi adeunt, an. 3891. n. 85. qui eſſent hi legati, n.86.& 87.

7. *Legati* Roma miſſi ad regni Epiphanis adminiſtrationem, a.3891.n.120. qui Eupatoris tutores eſſent, ibid. quæ data illis mandata, n.121. legati ad Ariarathem Cappadocem, a.mun.3889. num.46. a. mu.n3892. numer. 42.

8. *Legati* Roma Cyprum miſſi, in gratiam iunioris Ptolemæi, a.m.3892.n.47.vide 3894. n.4. legatio Demetrii, vt accepta Romæ, 3894.nu.2.3. legatio Iudæ cur amicius Romæ accepta, num.3.& 33. quando miſſa, n.6.cur 7.

9. *Legati* Iudæ quinam eſſent, a. m.3894.n.32.obtinent amicitiam & ſocietatem, nu. 33. legatio C. Fannii, a.m.3896. n. 2. legatio Senatus ad Pruſiam à bello contra Attalum reuocandum, 899.n.2. alia legatio, 10. virorum priore irrita. 3900.n.7.

10. *Legati* Rom. quid cum Pruſia geſſerint, a. m. 3901.n.11. Legati Rom. ad Pœnos, n.12. altera de bello inchoando, a.3902.n.38. legatorum Simonis reditus, a.m.3916. nu. 4. legati minoris Africani in Aſiam & Ægyptum, n.19.

11. *Legatio* Iudæorum ad Romanos, a.m.3925.n. 2. Iudæis amiſſa iubentur reſtitui, nu.3. Romanorum pro Sibyllinis oraculis, 3678 n. 3. qui legati, & qua de cauſa, ibid. Lucullus legatos ad Tigranem mittit, qui Mithridatem repetant, 3982.n.11.

Legiones quot millia continerent, an. mun. 3883.n.6.

1. Lentulus Sura Coſ. an. v.c.682. vnde id cognomen, a.m.3985. nu.1. particeps coniurationis Catilinariæ, ibid.& a. m. 3991. 39. Allobroges ad coniurationem incitat, ibi. patefit coniuratio, comprehenditur cum ſociis, n.40.

2. *Lentulus* conuincitur in Senatu, a.3991. nu.41. ab eoque damnatur, numer.42. ad ſupplicium in carcerem palam ducitur, & occiditur, n.43.

Lentuli Auguris opes & auaritia, a.m.4046 n.2.eiuſdem infantia, ibid.

Leonidas quater victor in Olympicis, a.m. 3894.n.1.

M. Æmylius *Lepidus* Coſ.a.m.3976. à funere Syllæ res turbare parat, nu. 12. Syllæ acta reſcindere cupit, ibid. eius cum Catulo iurgia in bellum eruperunt, an. 3977.nu.1. victus fugit in Sardiniam, ibique tabe perit. & numer.2. hoſtis à Senatu iudicatus, num.3.

Lepidum & Antonium Cæſar ad conſpirandum trahit, a.m.4011. n. 26. Lepidus Antonio hoſti iudicato Alpium tranſitum præbet, n.27. vnde ipſe quoque hoſtis iudicatur, nu. 28. Cæſar vrbe potitus curat vtrumque amicum declarari, n.42. 1.

Lepidus & Antonius adeunt Cæſarem, a.4011. nu.46. & conſtituunt Triumuiratum, n. 2. 47. Paulum fratrem morti deſtinari paſſus eſt, n.49. eius crudelis triumphus, nu. 55. à Lepido Cæſar & Antonius alienantur, a. 4013.n.2.

Lepido Africa relinquitur in diuiſione Imperii per Cæſarem & Antonium, an.m.4014 3. nu.12. cladem ad Siciliam accipit à Pompeii duce, a.m.4018. num.21.inſoleſcit, & à Cæſare reprimitur, n 31. ſpes eius euerſæ, nu.32. confugit ad Cæſarem priuatus, ibidem.

Lepidus priuatus in vrbe viuit, an. mu. 4018. num.32. retinet Pontificatum, ibid. & in 4. exilium denique mittitur, nu. 33. eius filii irrita in Cæſarem coniuratio, 4025. nu.16. moritur, & eius Pontificatum accipit Auguſtus, a.m.4041.n.10.

Leptinis qui Octauium legatum in Syria occiderat, conſtantia, a, mun. 3891. num. 43. deditur Romanis cum Iſocrate, 3893. n.14. qui non recipiuntur, an. mun. 3894. num.2.

Lesbii Iudæi afflicti, ann.mun. 4039. nu.3. eis fauet Agrippa in gratiam Herodis, num.4.

Lex quanta in neceſſitate non obliget, ann. 1. mu.3887.num.30. legis Moſaicæ laus, n. 31. leges Æmylii datæ Macedonibus laudatæ, nu.75. lex Agraria Tib. Gracchi, a. m.3921.n.22. lex frumentaria C. Gracchi, 3929.n.8.

Leges latæ à C. Graccho, an. mu.3930. num.18. 2. Lex agraria Saturnini, 3954.n.6. Lex contra ſocios Italicos, an. m.3963. num.9. Lex de differenda in quinquennium prouincia, a. 4002 nu.5. Lex de pellendo Cicerone an. mu. 3956. nu.8.de reuocando, 97. numer.11.

Libri ſacri iuſſu Antiochi exuruntur, ann. 1. m.3887. num.12. expanduntur coram Domino, 889. numer. 26. quid in eis Ethnici ſcrutarentur, ibid. liber primus Machab. Hebraicè ſcriptus, a.3889. n.27. & ſchol.1. & 3891.n.3.

Librorum ſacrorum cura, a.m.3890. nu.30. libri 2. Machabæorum quomodo non conſentiant, 3892.n.6.7.

Libertinorum tribus, ann.mun.3887.num. 68. an vnica, ibid. Liberti primum apud Romanos militant, ann.mund.3965.numer.4.

Licinnius Auguſti præfectus Gallos rapinis vexat, a.4039.n.5.

Ligures vterque Conſul bello petit, an. mu. 3881. numer. 11. grauis cum eis pugna, &

cruenta victoria, nu.13. in eos ſæuitum à Coſ. improbante Senatu, n.14.
Lɪᴘᴀʀæ eſtus, an.m.3928.n.4.
Lɪᴛᴇʀæ Romanorum ad 5. reges, & multos populos in gratiam Simonis, a.m. 3916.n. 6 & ſeqq. Literæ Iudæorum ad ſuos in Aegypto, ann. mund. 3930. à numer. 1. ad 10.
1. Lɪᴠɪᴀ mater Germanici & Tiberii, a.m.4045 nu. 4. credit à genuiſſe ex Auguſto Germanicum, viuo priore marito, cui eam abſtulit Auguſtus, ibid. honoratur iure trium liberorum &c. nu. 5. in triumpho & Conſulatu Tiberii dat epulum matronis, an.4047. n.3.
2. *Liuiam* Ioſephus vocauit Iuliam, a. m. 4051. n.3. & Dio lib.1. mirabilem Auguſto vindictam perſuadet, 4058.n.2. ſuſpecta exacerbati Auguſti in iuniorem Agrippam, 4060. nu.2 ſuſpecta quoque mortis Auguſti, in gratiam Tiberii, & metu Agrippæ, 4067.n.5.& 6.
3. *Liuia* de morte Marcelli ſuſpecta, a. 4031. n. 5. Liuiæ mors, a.m.4082.nu. 44. Tiberius in eam ingratus, ibid. eius mores, numer. 45 & 46.
Lɪᴠɪʟʟᴀ Druſi vxor à Seiano corrupta, a.m. 4076 nu.4. marito venenum parat, ibid. eam vxorem a Tiberio Seianus petit, an. 4078. n.2. nec obtinet, ibid.
T. Lɪᴠɪɪ Chronologia nutat, a. 3886. nu.5.& 7 finis hiſtoriæ eius quæ extat, 3888.nu.1. eius mors, 4070.n.7.
M. Lɪᴠɪᴠs Salinator ſaltum Pyrenæum occupat, an.m. 3973.nu.13. per fraudem à C. Aunio occiditur, ibid.
Lᴏᴄᴠs honoris & dedecoris particeps, a. m. 3885.n.11.
M. Lᴏʟʟɪᴠs, vide *Caius*, & ann. mun.4052. ſchol.4.
1. Lᴠᴄɪᴠs Agrippæ & Iuliæ filius naſcitur, a.m. 4037. nu. 1. ab Auguſto cum fratre Caio adoptatur, ibid. quo die natus videatur, ibid. Caio Conſulatum à populo petit cum oſtentione Auguſti, ann. mun.4048. num.1.
2. *Lucius* in forum ab Auguſto Conſule deducitur, a.m.4052. nu. 5. anno ætatis 16. ibid. adit Hiſpaniam, a.4853. n.3. obit, 4055.n.2 18. menſibus ante fratrem Caium, ibidem, mortis locus & modus, n.3.
Lᴠᴄɪᴠs Conſul quis fuerit, qui Ptolemæo regi ſcripſit, a. m.3916. n. 4. & 5. lib. 1. Machab.c.15.v.16.
L. Licinius Lᴠᴄᴠʟʟᴠs Marcello in Hiſpania ſuccedit, a.m.3903 n. 9. & 10. eius crudelis auaritia, & perfidia in Vaccæos, nu.12. Palentiæ male rem gerit, nu.13. in Luſitania non male, ibid.
L. Lᴠᴄᴠʟʟᴠs bello Seruili contra Saluium profectus, Athenionem magno prælio vincit, a.m.3951.n.15. mox Tricalam obſidet, ibid. & inferior diſcedit, n.15.
M. Lᴠᴄᴠʟʟᴠs, Luculli Mithridatici frater, vnus è Sillanis ducibus ad Fidentiam rem feliciter gerit, a.3971.n.8.
1. L. Licinius Lᴠᴄᴠʟʟᴠs Coſ. a.v.c.679. auxilia Pompeio in Hiſpania procurat, & cur, a. m.3980.n.2. contra Mithridatem mittitur, n.10. eius copiæ, ibid. pugnam detrectat, quæ & mox diuinitus dirimitur, numer. 11.
Lucullus inducto in fraudem Mithridate magna cum clade, damniſque afficit, an. m. 3980.n.12.& 14. & 3981. num. 3. & 4. perfugas Romanos duces comprehendit, n.5. recuſat à Senatu tria millia talentum, ibid. Alia ab eo proſpere geſta, n.7. 2.
Lucullus cur in Mithridatem cunctaretur, a. m.3982.nu.4. ab eo equeſtri prælio vincitur, num. 5. prælium in planicie ſuitat, & mortem à proditore, numer. 6. iterum vincitur, numer.7. & mox vincit. num. 8. & fugientibus inſtat, n.10. & caſtra diripit, ibid. 3.
Lucullus luget regiæ familiæ interitum, a. m. 3982. nu.11. legatos mittit ad Tigranem, ibid. & 3983.nu.2. ſubleuat Aſiam ab oppreſſione fœneratorum, ibid. qui eum accuſant, n.3. populi Lucullæa feſta in eius honorem celebrant, ibid. 4.
Lucullus in Tigranem mouet, an. mun. 3984. nu.6. Euphratem non ſine prodigio traiicit, nu.7. cum Tigrane pugnat, & vincit, n.13. & 14. magnitudo victoriæ Romanorum, ibid. Expugnat Tigranocertam, an. 3985.n.1.& 2. 5.
Luculli in matronas continentia, 3985. nu.2. ſinit vltro hoſtem inualeſcere, & cur, n.4. ad Niſibim oppugnandam regreditur, an. 3986 n.2.& tandem hyeme capit, n.3 eius res parum ſecundæ, an.m.3987. num. 4. & ſeqq. 6.
Lucullus pene deſertus à ſuis, an.mun.3987. n.8. Lucullus tradit Pompeio bellum Mithridaticum, 3988. n.5. & ſeqq. triumphus Luculli, 3991. nu.33.34. & ſeqq. Lucullus magnificus: Xerxes togatus, n.35. 7.
De Lᴠᴅɪs qui ſtatuerit Auguſtus, ann. mun. 4032. num.3. Ludos quinquennales celebrat Herodes, num.7. eorum celebritas & pompa. num.8. Ludi ſeculares extra ordinem ab Auguſto editi, 4037. numer.1. alij Ludi, 4041.nu.9. 1.
Ludorum Græcia tranſlatio in Italiam, an.m. 3974.n.3. Ludi pro Auguſti reditu, a.4047. nu.3. 2.
Lᴠᴍɪɴᴠᴍ feſtiuitas apud Hebræos, an.mun. 3890.nu.25.& 26.
Lᴠɴᴀᴇ eclipſis, & circa eam militum ſuperſtitio, ann.4067.numer 11. alia eclipſis, & Luna ſanguinolenta, ſub Chriſti mortem, a.m.4086.n.54.
Lᴠᴘᴇʀᴄᴏʀᴠᴍ collegium in honorem Iul. Cæſaris, an.4010.n.9.10.
Lᴠsɪᴛᴀɴɪᴄᴀ res Romanis aduerſa, ann. mu. 3901.num.8. Luſitani à Cæpione vincuntur, ann.mund.3946.numer. 8. Luſitani à Dolabella ſubacti, 3955.nu.6.
Lᴠsᴛʀᴠᴍ poſtremum Auguſti, an.m. 4067. nu.1.
Lᴠᴛᴇʀɪᴠs Priſcus poëta imprudens & infœlix, a.m.4074.n.2.
De Lᴠxᴠ diſceptatur in Senatu, ann. mund.

4075.num.1.res ad Tiberium defertur, & quo ſucceſſu ibid. Luxus & vſus vaſorum aureorum SC. damnatus, an. mund. 4069. num. 6.

1. Lysias prorex Antiochi Epiphanis, ann.m. 3889. nume. 18. ei committit filium Eupatorem, ibid. & mandat ruinam Iudæorū, num. 19. qui tres duces in eos mittit, num. 20. eius à clade triſtitia, nu. 39. congregat ingentes copias contra Iudam, 3890. numer. 2.

2. *Lyſias* victus à Iudæis recedit Antiochiam, a.m. 3890. n. 3. & 4. ab Eupatore prorex conſtituitur, a.m. 3891. nu. 58. Philippus ab eo fugit, nu. 57. ingens prælium in Iudam parat, numer. 72. eius copiæ, & minæ, num. 73. vincitur cum magna clade, n. 75. fugit, 76.

3. *Lyſias* init pacis conſilia, a.m. 3891. num. 76. Regis ad eum epiſtola, 81. & 82. eum fratrem vocat, ibid. Lyſias inſurgit in Philippum æmulum, 3892. n. 30. perſuadet Eupatori pacem cum Iudæis, & ſolui obſidionem, n. 31. & 33.

4. *Lyſias* Octauium legatum curat interfici, an. 3892. n. 45. occiſum ſepelit, n. 43. Romam legatos mittit excuſaturos regem, numer. 45. à Demetrio iubetur interfici, an. 3893. numer. 9.

Lysimachvs Iudæus num Pontifex fuerit, an. mun. 3882. num. 5. ſuccedit Menelao, numer. 8. aut potius fit ei vicarius ad tempus, num. 9. Lyſimachi furta, ſiue ſacrilegia, & in eum populi tumultus, nu. 15. in ſeditione perimitur, nu. 16.

M

1. Macedonico bello omnes reges & populi intenti, a.m. 3883. n. 4. quanta pro illo Romanorum cura, nu. 6. & 7. obtigit Aemylio Paulo, an. m. 3886. nu. 4. occaſio pugnæ de ſumma rei, nu. 22. Romanorum victoria, n. 23. 24.

2. *Macedonicum* bellum confectum præpropere Romæ nunciatur, a.m. 3886. n. 29 eius belli finis, nu. 36. regni Macedonici duratio, num. 37. Macedonica præda, 3887. nu. 76. inuidioſa Macedonibus, & Romanis, ibidem.

Macedonia, vt à Romanis poſt victoriam conſtituta, an. mund. 3887. num. 69. & 70. deinde 73. 74. &c. Macedones iterum ſubacti à Romanis, an. mu. 3894. num. 11. Cur dicti Cethæi, ibid. duo bella quadriennii ſingula, ibid. eorum metalla, 3896. numer. 4.

Machabæorvm martyrium, ann. mund. 3887. numer. 35. & ſeqq. Laus matris eorum, num. 51. eorum genus, nomina, martyrii locus &c. a.m. 3887. numer. 52. & 53. ætas eorum ex patribus, n. 53. ex Scriptura, & Ioſepho, nu. 54. eorum Epitaphium, ibidem.

Machabæi duces electi à Deo ad ſalutem populi ſui, an. mu. 3891. nu. 52. 53. eorum principatus & Pontificatus quam diuturnus, a.m 4017. nu. 14. vide *Iudas*, *Ionathas*, *Simon* &c.

Machares filius Maſaniſſæ Romanis adhæret, ann. m. 3989. n. 6. territus ſucceſſibus patris, ſibi manus infert, a.m. 3989. n. 7. vt ſe in eum geſſerit pater, ibid.

Magorvm trium nomina & qualitas, an. m. 4053. num. 27. an ſinguli ſingula munera obtulerint, num. 28. Magi primitiæ gentium, vt paſtores Iudæorum, n. 29. tempus aduentus eorum, 4053. n. 13. & ſeqq. & ſchol. 1. & 2. vide *Epiphania*.

Magistratvs Romæ venales, an. m. 4001. numer. 20.

Maiestatis crimen omnibus delictis ſub Tiberio tributum, an. m. 4075. num. 4. & 4077. nu. 2.

C. Hoſtilius Mancinvs Coſ. a. v. c. 616. a. m. 3917. Ominoſa eius in Hiſpaniam profectio, n. 13. & 14. ibi magna clade vincitur, ibid. ad pacem compellitur, n. 14. reuocatur in vrbem, altero Coſ. in eius locum miſſo, ibid.

Mancini fœdus à Senatu damnatur, ipſe Numantinis deditur, an. m. 3918. nu. 13. deditionis modus, & æquitas, nu. 14. Innoxius Mancinus præ Varrone, n. 15.

Manilii rogatio de libertis, a. m. 3988. nu. 4. alia de bello Mithridatico Pompeii, Senatu repugnante, nu. 5. quam Cicero ſuaſit in gratiam Pompeii, ibid.

M. Clau. Marcellvs rem bene gerit in Hiſpania, a.m. 3902. n. 32. Ocilim ſubegit, ibid. ei ſucceditur, 3903. numer. 9. interim ipſe propere bellum finit, num. 11. naufragio perit, ibid.

Marcellvs legatus Marii egregie pugnat contra Theutones, ann. mund. 3951. nu. 9. & 10.

M. Marcellvs Coſ. a. m. 4003. Cæſari aduerſatur, n. 13. Satagit vt maturius Imperio ſpolietur, ibid.

C. Claud. Marcellvs Coſſ. a. V.C. 703. conſtanter reſiſtit largitionibus Cæſaris, an. 4004. n. 1. ſtudet Pompeio, a. 4004. n. 7. accuſat Curionem Cæſarianum, qui & abſoluitur, nu. 6. Marcellus Pompeium adit, eique vrbem committit, & legiones duas, ibid.

Marcellvs C. Marcelli, & Octauiæ filius, Auguſti nepos, priuignus Antonii, male curatus à medico moritur, a.m. 4031. n. 1. ei videtur Auguſtus Agrippam prætuliſſe, n. 2. ratio temporis mortis eius, n. 3. eiuſdem ædilitas magnifica, ibid.

Marcelli funus glorioſum, an. mun. 4031. numer. 4. laudatur à Marone, ibid, quæ nunc eius ætas, n. 5. Liuia de eius morte ſuſpecta, n. 5.

Marcomanni Romam terrent, a. m. 4059. num. 3.

S. Maria Dei mater concipitur, a.m. 4037. num. 2. genethliacon eius prius, num 3. & cauſa hilaritatis, nu. 4. eiuſdem natiuitas, a.m. 4038. n. 1. genethliacon poſterius,

nu. 2 3. eius præſentatio, a. m. 4041. n. 1. 2. ex parentum voto, ibid. & n. 3.

2. S. *Maria*, ſe Deo ſæpius conſecrauit, a. 4041. nu. 4. eius in templo vita, 4042. nu. 4. & 5. quæ preces, &c. ibid. viſitatur crebro ab Angelis, ibid. eius deſponſatio quando facta, 4051. nu. 17. & ſcho. 2. & cauſa eiuſdem, n. 18.

3. S. *Maria* cum Ioſepho verum fuiſſe matrimonium, 4051. n. 19. neque repugnare patres, n. 20. neque virginitatis votum, ibid. ætas 15. annorum B. Virginis confirmatur, 4052. nu. 24. an incomitata Elizabetham adierit, n. 64.

4. S. *Maria* ex itinere ad cognatam, adit Hieroſolymam, 4052. nu. 65. ſalutatio mutua, nu. 67. 68. 69. adeſt cognatæ parienti, nu. 70. Eius in partu admiratio, numer. 81. vt vera mater Dei concepti natique, numer. 50. & 83

5. S. *Maria* cum Ioſepho Ieſum in templum deferunt, an. m. 4053. n. 29. & 30. puerum oblaturi, ac redempturi, & puerperam purgaturi, n. 31. 32. cur non obtulerit agnum, numer. 31. reuertuntur in Nazareth, numer. 32.

6. S. *Maria* cum ſponſo in via Nazarethana de fuga monentur, ann. mund. 4053. numer. 32. vel 33. quæ noctu ſuſcipitur, numer. 33. vel 34. Gratiarum actio ad S. Virg. in fine totius operis, ann. mund. 4086. numer. vltim.

L. MARCIVS Philippus Prætor Syriæ Præſes, ann. mun. 3995. num. 2. quæ ibi geſſerit, ibidem.

L. MARCIVS Cenſorinus, Coſ. an. mu. 4015. Vrb. Con. 714. de Macedonia triumphat, num. 1.

1. MARIAMMEN filiam Alexandri Ariſtobulo geniti & Hyrcani ex filia neptem Herodes deſpondet vxorem, ann. mun. 4012. n. 29. & qua de cauſa, a. 4016. n. 11. ab Antonio euocatus eius cædem Ioſepho patruo mandat, 4021. n. 6.

2. *Mariamme* id ſecretum addiſcit, a. m. 4021. n. 6. eiuſdem cædem Herodes mandat abiens ad Cæſarem, ann. m. 4024. nu. 6. quod illa quoque diſcit, n. 7. & 4025. n. 6. & patefacit Herodi, ibid. calumniis appetitur ab Herodis ſorore, n. 7.

3. *Mariamne* ab Herode veneficii accuſatur, an. m. 4025. n. 8. & damnata interficitur, n. 9. vnde Rex intemperiis agitatur, n. 10. moxque illius matrem Alexandram interficit.

1. C. MARIVS Trib. pl. Senatum terret, & Coſ. iubet in carcerem abduci, a. m. 3935. nu. 5. legatus Metelli contra Iugurtham, an. m. 3945. n. 5. Iugurtha Marium ad oppidum Siccam inuadit, n. 9. Aſpirat ad Conſulatum, 3946. nu. 1. de Metello obloquitur, ibid. Gaudam, milites, & negotiatores ſibi conciliat, nu. 2.

2. *Marius* Romam à Metello dimittitur, 3946. nu. 3. eoque breui feliciter peruenit, ibid. fit Conſul, 3947. n. 1. & Metello ſubrogatur, ibid. eodem ingemiſcenie, n. 2. venit in prouinciam Marius, num. 3. præda ſibi militem conciliat, n. 4.

Marius aliquot oppida in Africa occupat, diripit, incendit, a. m. 3947. n. 5. L. Sylla eius quæſtor, nu. 6. ei prorogatur Imperium, 3948. nu. 4. pugnat ad Cirtham cum Iugurtha & Boccho, ægre victor efficitur, ibid. 3.

Marius iuſte à Deo per Syllam caſtigatur, a. m. 3948. nu. 9. inde ſemen belli ciuilis, ibid. Numidiam prouinciam ordinat, a. mun. 3949. nu. 1. Alter Marii Conſulatus cum triumpho, a. 3950. nu. 1. ei decreta eſt Gallia, ibid. gloria triumphi eius. 4.

Marii iuſtitia contra nepotem ſuum, 3950. num. 3. tertius eius Conſulatus, 3951. n. 13. Quartus, 3952. nu. 4. rem gerit cum Cimbris, & Teutonibus. n. 5. 6. adeuntes Italiam ſubſequitur, & pugnat ad Aquas Sextias, n. 7. 5.

Marii quintus Conſulatus, a. m. 3953. num. 5. reuocatur ad vrbem, vt imminentes Cimbros repellat, ibid. quid illi a Mario poſtularent, nu. 6. indicit prælium in diem tertium ad Vercellas, ibid. Syllæ & Marii æmulatio, n. 6. 6.

Mariana victoriæ quæ fauerint, an. mu. 3953. num. 7. cum Catulo triumphat, n. 10. ſextum Conſulatum maxime ambiuit, ann. mund. 3954. numer. 5. quem & pecunia per tribus pronunciata obtinuit, numer. 5. 7.

Marius Metellum Numidicum euertere ſtatuit, a. m. 3954. n. 5. in eum præuaricatur, nu 6. abit in Aſiam, & irritat Mithridatem, 3955. n. 5. cauſa ciuilis belli Mariani ex ambitione belli Mithridatici, a. m. 3966. num. 4. 5. 8.

Marius ad vrbem cum Sylla pugnat, & vincitur, a. m. 3966. nu 6. eius fuga & periculum, n. 7. Exul ciuitates obit vindictæ appetens, an. 3967. n. 6. Vrbem cum triplici exercitu oppugnat, ibid. cum Cinna vrbe admiſſus repellitur, n. 7. 9.

Marius in vrbe cædibus ſæuit, an. 3967. nu 9 10. &c. fit à ſeipſo III. Conſul cum Cinna, an. 3968. num. 3. ſtatimque Licinium Senatorem de ſaxo deiici iubet, ibid. 15. aut 17. die initi Conſulatus moritur, nu. 3. eius mores, ibid. 10.

C. MARIVS prioris filius, aut nepos, an. mu. 3972. n. 4. Coſ. a. V. C. 671. ab illo, qui liberis careret, adoptatus, ibid. anno 25. aut 26. Conſulatum inuaſit, nu. 4. à Sylla victus fugit Præneſte, n. 6. vbi à Sylla obſeſſus, à nemine liberari potuit, numer. 7. & 8. 1.

Marius fruſtra erumpere conatur, a. m. 3972. num. 8. ſibi manus affert, mandata prius inſignium virorum cæde, n. 8. & 9. 2.

MARTYRES Deum gaudio afficiunt, a. mun. 3897. n. 37.

MASALOTH in Arbelis locus vltimi prælii Iudæ, a. m. 3894. n. 41.

MASANISSA ſæpe iniurius eſt Pœnis, fretus Romanis, a. m. 3881. nu. 23. & 3901. nu. 38. Auxilium mittit Fuluio contra Celtibe-

ros,a.3901.nu.5. Eius filii *Maſgaba* legatio humaniſſima,an.mu.3887.nu.58. Senatus in Maſaniſſam, eiusque filios beneuolentia, num. 59.

1. *Maſaniſſa* Pœnos pugna vincit, licet valde ſenex,a.m.3904.nu.9. & pluribus,n.10. & 11.12.13. quando mortuus fuerit,a.m.3905. nu.18.& 19. nonnihil iratus Romanis, n. 14.& a.m.3906.nu.5.accerſit Scipionem ad ſe, & cur,ibid.

2. *Maſaniſſa* ſub aduentum Scipionis moritur, 3906.num. 5. iubet filios eius arbitrio acquieſcere , ibid.multa eius felicitas, nu.6. eius vitæ ac regni diuturnitas, & liberi, ibid. Stemma familiæ eius,n.8.

1. Massilienses à Liguribus vexati legatos Romam mittunt,ann. mund. 3899. num. 3. qui ab Opimio ſubacti ſunt, ann.mun. 3900.numer.1. vbi res geſta fuerit, num. 2. 3. 4. initio belli ciuilis ſe Pompeio dedunt, & ab eo confirmantur, a.mu. 4005. numer.28.

2. *Maſſilienſes* Cæſarem excludunt , moxque Domitium Pompeianum recipiunt , anmu. 4005. num. 28. & 29. à Cæſare obſi. dentur per Trebonium legatum , ibidem, cum Cæſarianis nauali prælio congreſſi vincuntur,n.32.

3. *Maſſiliæ* obſidio poſt cladem vrgetur , an.m. 4005. num.35. & nauali clade iterato affiiciuntur , num. 36. impetrant deditionis dilationem , numer. 37. eaque perfide abutuntur , ibid. interim MaſſiliamCæ. ſar peruenit, cui ſe vrbs dedit,quam conſeruat,& præſidio duarum legionum tenet, n.38.

1. Mathathias cum ſuis fugit in deſerta loca. an.m.3887. nu.5. Eius principatus, 88. nu. 10. à Daniele prædictus, nu.11. Exurgit ad bellum cum filiis, nu.13. eius luctus , n.14. & voluntariæ corporis afflictationes , numer.15.

2. *Mathathiæ* & ſuorum defectionis occaſio, a. m.3888. nu.16. inuitatur ad profanum ſacrificium, quod ille auerſatur, nu. 17. imo præuaricatorem , & regis miniſtrum interficit,& aram deſtruit; nu.19. & 1. Machab. 2.24.

3. *Mathathias* populum euocat ad defectionem, a.3888. nu. 20. iuſto & laudabili zelo, ibid. fit populi dux & Pontifex , nu. 21. egitque Pontificem , 21. 22. ad eum plerique confluunt,nu. 26. & contra eos regii miniſtri, nu.22. & obſeſſos die ſabbati perimunt,n.23 & 24.

4. *Mathathias* licitam in ſabbato defenſionem declarat , a.m.3888. nu.25. reſiſtunt regi,& Antiochi decreta violant,n.26. præuaricatores interimunt , nu.27. moriturus ſuos exhortatur, n.28. prædicit Antiochi mortem, nu.29.

5. *Mathathiæ* teſtamentum , a.m.3888. num. 30. moritur, & quod mortis tempus , nu.31. & Epitaphium, nu. 32. vide 1. Machab. c. 2. nu.70.

Mathematici Italia pulſi à Tiberio , an.m. 4069.nu.6.

Mecoenatis mors, eiuſque virtutes,a. mu. 4046. nu. 7. Heredem facit Auguſtum, ibid. literatorum præſidium,ibid.

Media gemina , in Aſia, & in Europa,a. mu. 3894.n.18.& 19.

Menelavs Pſeudopontifex Iudæorum , an. 1.
m.3882. nu.2. & 3. ne Leuita quidem fuit, & valde crudelis , n. 3.& 7. frater Simonis vexatoris Oniæ, numer.3. quod fuſe probatur, numer. 4. & 5. Regem adit, numer.6.

Menelaus Iaſonem ſupplantat, & fit Pſeudo- 2.
pontifex, an.mun. 3882. nu. 7. & Iaſonem expellit, ibid. non ſatisfaciens promiſſis amouetur, nu.9.conſentit Lyſimachi fratris ſacrilegiis,ibid.

Menelaus ipſe quoque ſacrilegia in templo 3.
perpetrat,an.mun. 3882. numer. 10. quibus emit Oniæ mortem , nu.11. Eiuſdem noua conſilia , a. 3883. nu. 1. euadit iudicii pœnam , quam in accuſatores deuoluit, n.2. in poteſtate permanet,n.3.

Menelaus fugit in Arcem Iaſone ciuitatem 4.
occupante,a.m.3884. nu.7. dux eſt Antiocho ad deprædandum templum , nu.28. perſeuerat in Pontificatu, ibid. Acuit crudelitatem præfectorum Antiochi, a. 3886. num 2.

Menelaus Pſeudopontifex morti addicitur, a. 5.
mu.3892. nu. 8. mortis genus , & tempus, numer.9.10.vide etiam, num.37. ex Ioſepho , nomine tenus Pontifex fuit , numer.39.

Menodorvs cum parte claſſis Siculæ deficit ad Cæſarem, an.m.4016. nu.2. dat initium pugnæ, ibid. ad Pompeium redit , num.6. Menodori iterata perfidia , an.mun. 4018. num.20.

Mensis intercalaris ex Macrobio, & Cenſotino,a. 4008. nu.30.

Menyt ellvs legatus Philometoris,a.m.3892. nu.47. iuuat Demetrii ab Vrbe fugam , a. 3893.n.5.

Mercatores Iudaicorum mancipiorum,a. m. 3889. nu.21. & 22. fugantur amiſſis pecuniis,n.38.& 40.

L. Cornelius Mervla flamen Dialis , a. m. 3967. num. 4. A Senatu Cinnæ Conſuli ſubrogatur , ibid. vrbem munit, copias Pompeii euocat, nu.6. ſub Cinnæ aduentum Conſulatu ſe abdicat , nu. 10. Inciſis venis ſeipſum perimit,ibid.

Messala legatus Cæſaris in Sicilia contra Pompeium, an.m .4018.n.23. à Cæſare in Leucopetra relictus, num. 24. Cæſarem à quo olim proſcriptus fuerat,humaniſſime recipit omnibus rebus indigum, num. 25. quem mox Cæſar collegam Conſulatus accepit, 4023.n.1.

Metalla Macedoniæ, vide an. mund. 3896. num.4.

Metellvs Prætor rem bene gerit in Macedonia contra Andriſcum,a.m.3906.n.12.13 ope Attalicæ claſſis , ibid. Macedonicus hinc appellatus,nu.13. Rem bene gerit in Peloponneſo contra Achæos, & ad Thermopylas,a.m.3907.n.25.

2. Q. Cæcil. *Metellus* triumphat de Macedonia, a.m.39 8.nu.39.repulſam patitur Conſulatus, ibid. Conſul tamen fuit triennio poſt, a.V.C.610. mundi 3911. in Celtiberiam venit, 3912.n. 38. ad Contrebiam victor, ibid. eius ſeueritas diſciplinæ militaris, ibid. egregium humanitatis exemplum, numer. 39. aliud odii grauiſſimi, numer.40.

C.Cæcil. METELLVS, Coſ. a.mun. 3935.eum Marius Trib. plebis in carcerem iubet abduci.

L. ſiue Q. Cæcil. METELLVS Dalmaticus, à deuictis Dalmatis, a.m.3937. nu. 4. idemque dictus Diadematus, & cur, ibid.

C. & M. Cæcil. METELLI fratres filii Metelli Macedonici, ille de Macedonia pacata, hic de Sardinia triumphant, a. m. 3941. num.3. C. repetundarum accuſatus præclare abſoluitur, n.3.

1. Q. Cæcil. METELLVS Numidicus Coſ. an.m. 3945. ei Numidia, & bellum Iugurthinum obtigit, nu. 4. exercitum ignauum Albini corrigit, ibid. recuſat Iugurthæ deditionem, n.5. prudenter cum fraudatore agit, nu. 5. dubia victoria cum eo pugnat, n.7. Numidiam populatur, n.8. Romæ ſupplicationes in eius honorem decretæ, ibid.

2. Q.Cæcil. *Metellus* Zamam obſidet, 3945. nu. 9. eius caſtra à Iugurtha male mulctata, n. 10. altera Zamæ obſidio, ibidem, quam deſerit Metellus, num.11. & regi per Bomilcarem inſidias parat, num. 11. Romam Marium legatum dimittit, a.m. 3946. n.3. Vaccenſes biduo à defectione fraude occupat, & diripit, nu. 4. præfectum capite plectit, n.5.

3. Q. Cæcil. *Metellus* feliciter cum Iugurtha pugnat, a.m.3946.n.6. quem Thalam perſequitur, n.7. & vrbem expugnat Iugurtha fugitante, ibid. ei Marius ſubrogatur, 3947.n.1. Abit in vrbem, & triumphum, ac Numidici cognomen obtinet, nu.3. in eum Marius conſpirat, an. 3954. nu.5. & præuaricatur, nu.6.

4. *Metellus* vrbe cedit, an. m. 3954. nu.6. ab exilio reuocatur magno omnium gaudio, a. m.3955. num.4. & 5. eius fauore Metellus Balearici filius factus eſt Conſul, a.m.3956 numer.4.

1. METELLVS reliquias Italici belli confecit, ann.mun.3966.num.3. Coll. eum fruſtra euocant in auxilium vrbis obſeſſæ, 967. numer. 7. Carbonis legatum Carinam profligat, an.mun. 3972. nu. 5. & rurſum alias Carbonis copias, n.7.

2. *Metellus* Carbonis & Norbani copias delet, an.mun.3972. nu. 13. ad eum legio Albinouani transfugit, num. 14. de Hiſpania cum Pompeio triumphat, an. mund.3983. num. vlt.

L. METELLVS Prætor rem bene gerit in Sicilia contra piratas, a.m.3984. nu. 14. ſuccedit Verri Prætori, ibid. fit Conſul 3986. moritur initio Conſulatus, n.1. fuit frater Cretici, ibid.

Q. Cæcil. METELLVS Creticus Coſ. an. mu. 3985. cum Hortenſio. Proconſul bellum Creticum gerit, 986. nu. 5. quod triennio vrget, ibid. quæ in Creta geſſerit, ibid. & maxime, a.m.3987.nu.18.

Pompeius non recte putatur, in illum iniquior, n.19 20.

METELLVS in Creta debellat, an.mun. 3988. eamque in prouinciæ formam redigit, n. 18. & Cretici cognomine auctus triumphauit, ibidem, & ann. mund. 3991. numer.4.

METELLVS Celer aditum Alpium Catilinæ præcludit, an. mu.3991. num. 6. Metellus Pius Conſul, a.m.4001.

Metrodorus Mithridatis legatus, cur à rege ſua occiſus, a.m.3981.nu.6.

MILITIÆ tempus Auguſtus ordinat, an.m. 4041.num.8. & præmia emeritæ militiæ, ibidem, & ſchol.1. & an.m. 4058.nu. 5.& ſchol.3.

MILO Clodium interficit, & quomodo, an. m.4002.nu.8. cauſam pro ſe dicit, nu. 10. & irrumpentibus Clodianis fugit, nu.10. Iudicium Milonianum Pompeius inſtituit, n.12. Cicer. in eo defendendo turbatur, & breui in exilium proficiſcitur, ibid. quanto cum ære alieno, nu.12. eius mors, 4006.34.35.

MINVCII res in Thracia geſtæ, an. mu.3944. numer.4.

MISERICORDIA in pauperes, an. mund.3889. nu.41.43

MITHRIDATICI belli diſpoſitio, & cauſa, an. m.3964. num. 7. cum eo vt amico agitur, ibid. contra tres Romanorum duces feliciter pugnat, prius à Romanis affectus iniuria, an. mun. 3965. num. 9. de qua expoſtulat, n.10. occupat Cappadociam opera Ariarathis, n.11. 1.

Mithridatis & Romanorum copiæ ad initium belli, an.mu. 3965. num.11. & 12. victoria Mithridatis, nu. 12. Nicomedis ditione potitur, & Romanis ducibus, quibus inſultat, nu.14. Q. Oppium captiuum circunducit, & M. Aquiliū præcipuum belli authorem, in cuius os aurum liquatum infudit, a.m.3965.n.13. 2.

Mithridatem Itali ſollicitant contra Romanos, eiuſque reſponſum, a.3966. n.3. Syllæ Mithridaticum bellum obtigit, nu.4. Mithridates certa die omnes Romanos & Italos interfici iubet, nu. 9. ad 150.millia, ibid. 3.

Mithridates Rhodios in fide Romanorum conſtantes fruſtra oppugnat, a.m.3966.n. 10. Macedoniam occupat, per Arcathiam filium, qui mox morbo extinguitur, a. m. 3967. numer. 12. cum Sylla per Archelaum pugnat, numer. 15. & ingenti clade afficitur, ibid. 4.

Mithridatis filius cum Fimbria prælis aliquot certat, ann. mund. 3968. numer.5. Rex exercitu renouato ſuſpectos imprudenter vexat, numer. 6. alia pugna à Sylla ad Orchomenon vincitur, n.7. ruſumque alia ab eodem, n.8. 5.

5. *Mithridates* pacem à Sylla opportune quærit, an.mun.3969. nu.4. eius conditiones, ibi. regis cum Sylla colloquium, numer. 6. & pax definita, ibid. bellum cum eo renouatur, an.mu.3972. nu.31. & qua occaſione, 32. Cholchis dat filium regem, quem mox interficit, ibid.

7. *Mithridatem* Archelaus deſerit, & Murenam in eum incitat, an. mun. 3972. numer. 32. qui Cappadociam inuadit, ibid. de eo Sylla triumphat, an. mu. 3973. nu. 5. & 6. Mithridates de Murena queritur Romæ, qui pergit regem vexare, n.11.

8. *Mithridates* Murenam vincit, an. mun. 3973. num. 12. pax renouatur autoritate Syllæ, Gabinio interprete, num.12. Rex otium à Romanis nactus ſubegit Boſphorum, eique filium Macharem regem dedit, an. m. 3974. fine.

9. *Mithridates* leges fœderis Romæ petit, an.m. 3974. nu. 5. vbi de eo Ariobarzanes queritur, ob retentam partem Cappadociæ, ibid. eaſdem leges petit Sylla mortuo, an. 3976. n.13. Generum Tigranem inducit ad inuadendam Cappadociam, ibid.

10. *Mithridates* à Sertorio in Romanos incitatur, a.3979. n.8. & fœdus inter ſe ineunt, ibid. & tertium bellum ſuſcipit contra Romanos, nu.8. & 9. ac præparat, n.10. & a.3980 num. 6.7. Lucullus bellum ambit contra eum, a.m.3980. n.2.

11. *Mithridates* ſacrificat Ioui, & Neptuno, an.m. 3980. numer. 6. Sertorii duces honorat, ibidem, ſuos in Romanos excitat, quibus Bithyniam eripit, deuicto Cotta, nu. 8. terra marique, numer. 9. Cyzicenos oppugnat, & in fraudem proditione inducitur, n.11.12.

12. *Mithridates* obſidens Cyzicum cladem accipit à Lucullo, an. mun. 3980. nu. 13. 14 fame vexatus ſoluit obſidionem Cyzicenam, an. m.3981. n.3. eius copiæ à Lucullo conciduntur, nu.4. eiuſdem ex tempeſtate clades, nu.6.

13. *Mithridates* ad Macharem filium 3. & Tigranem generum legatos auxiliorum cauſa mittit, a.m.3981. nu. 6. fugam cogitat, n.7. in Cabiris hyemat vnde Themiſcyræ, & aliis oppidis à Lucullo oppugnatis neceſſaria ſubminiſtrat, numer.7. & a. m. 3982. numer.4.

14. *Mithridates* Lucullum equeſtri prælio vincit, an.mun.3982. nu.5. & alia rurſus clade illum afficit, accipitque viciſſim, numer. 7.8. Ex clade modica immodico pauore fugit, nu.9. & euadit ad Tigranem, abeoque contemnitur, nu.10.

15. *Mithridates* familiæ regiæ mandat interitum, an.3982. nu. 11. in iis duæ ſorores, & duæ coniuges, ibid. Lucullus Mithridatem fugitiuum à Tigrane petit, 3983. nu. 5. quem Tigranes negat, n.6. ideoque in eum monet Lucullus, 3984. n.6.

16. *Mithridates* Tigranem victum, fugatumque conſolatur, ann.mun.3984. numer.15. renouant copias, & Parthos ſollicitant, ann. mund. 3985. numer. 3. Mithridates ducem Luculli Fabium vincit, a. m. 3986. num.4. à Triario duce fugatur, ibidem, quem mox ſtratagemate ad pugnam adactum vincit, a.3987. nu.4. & 5. quanta cum clade, nu.6.

Mithridates fruſtra inſidiis appetitur, an. mu. 3987. n.6. eius res meliore loco quam Luculli, nu.7. ſua recuperat Romanis conniuentibus, nu. 9. Mithridaticum bellum à Pompeio per Manilium quæritur, 3988. n.5. & impetratur, n.6. & 7. 17.

Mithridates ambit Pompeii amicitiam & pacem, ann. mu. 3988. nu.8. quod excitat in eius exercitu tumultum, nu. 9. Rex preſſus inopia recedit, ibid. eum Pompeius perſequitur, nu.10. Regii ex vano terrore turbati vincuntur, n.11. 18.

Mithridatis fuga, & varia conſilia, ann. mun. 3988. numer.12. Cur à Tigrane repulſus, ibidem, & 3989. numer.6. Machares filius metu ſibi manus infert, numer. 7. Stratonice Mithridatis vxor caſtellum Pōpeio prodit, 3990. nu. 8. eius filium ideo Rex occidit, nu.9. 19.

Mithridates promiſſis Pompeium lactat, a. m. 3991. nu. 19. regis vlcus in facie, ibidem. Magnos habet delectus, ſed inuitorum, nu.20. Multi ab eo deficiunt, num. 20. & 21. eius liberi deditionem faciunt, nu.20. filiæ nubiles ad Pompeium adducuntur, num.21. 20.

Mithridates Gallica auxilia cogitat, & bellum in Italia, ann. mund.3991. num.22. multas vrbes terræ motu amittit, ibidem, ei filius ſtruit inſidias, numer. 23. quibus patefactis reo dat veniam pater, ibidem, qui exercitum eius ad defectionem trahit, numer.23. 21.

Mithridatis filium Pharnacem exercitus regem petit, a. m. 3991. nu. 24. & proclamat regem, num. 25. ſenex fugam fruſtra petit, & mortem ſibi parat, ibid. veneno inuiolatus ferro moritur, numer. 26. an proprio, ibid. 22.

Mithridatici belli duratio, & regis ætas, ann. m.3991. n.27. & 28. Elogium Mithridatis, num.29. & ſepultura, ibid. ſchema familiæ eius, nu.30. eius filii quinque in triumphum ducti, a.m.3993. numer. 10. & duæ filiæ, &c. ibid. 23.

MITHRIDATES Pergamenus Cæſaris amicus, ei auxilia cogit in Syria, & Cilicia, a. m.4007. nu. 16. copias Peluſium ad eum adducit, vno die expugnat Peluſium, ibid. ei adeſt ex Iudæis Antipater, numer.17. & 18. 1.

Mithridatis geſta ad Ægypti Delta, ann. mun. 4007. numer.19. ex Hircio, ibid. ex Ioſepho, num.20. quæ reuocantur in dubium, numer. 21. Mithridates Cæſari iungitur, numer.22. 2.

MITHROBARZANES Tigranis legatus in Lucullum temere mittitur, an. mun. 3984. n. 9. cum Sextilio Luculli legato pugnans cadit, n. 10.

MOPSVESTIA vrbs vbi ſita, ann. mund. 3960. n. 1.

Mortis ſupplicium, ad 10. dies à ſententia dilatum SC. a.m. 4074. nu.3. mox ad 30. ibidem.

Mvlieris in tuenda caſtitate fortitudo, a. 3977. nu. vlt.

1. L. Mvmmii Prætoris clades in Luſitania, an. m.3901. nu.8. & victoria, numer. 9. & 10. & triumphus, ibid. Eius ſucceſſor. M. Attilius, ann. mund. 3901. numer.36. fit Conſul, an. mund.3988. Metello ſuccedit in bello Achaico, n.34.

2. *Mummius* plagam à Diæo ex inſidiis accepit, an.m.3908. nu.34. quem mox vincit, ibid. & ad cædem ex deſparatione compellit, numer. 35. mox Corinthum reliquamque Achaiam domat, numer. 33. 36. 37. 38.

3. *Mummius* de Achaia triumphat, an.m.3909. nu.22.23. notatur à Velleio imperitiæ, nu. 23. Strabo contra eum, vt contemptorem picturarum laudat, ibid. Achaici cognomen obtinet, nu.23. eiuſdem abſtinentia, ibidem.

1. L. Mvrena Prætor in Aſia præfectus, belli occaſiones triumphi cupiditate captat, an.m.3971. nu.2. & 3972. num. 31. ad eum Archelaus à Mithridate profugit, & in regem incitauit, nu. 32. Murena per Cappadociam, inuaſit Comanam vrbem, ibidem.

2. *Murena* quadringentos Mithridatis vicos incurſat. an. mun.3973. nu. 11. nonobſtante legatione Romana, ibid. mox magna cum clade vincitur, numer. 12. à Sylla ex ex Aſia reuocatus triumphat, ann.mund. 3974. num. 4.

Mvrena Conſulatum obtinet, an. m. 3992. quem Cicero à Catone accuſatum defendit. ibid.

Mvrena cognomen Varronis, qui contra Auguſtum cum Cœpione coniuraſſe fertur, an.mun.4032.num.6. aut alius L. Murena, vide ibid. ex Velleio.

Mvtivs Scæuola Augur, C. Marii repulſa Aedilis creatur, a.m.3937.n.5.

N

Naneam Deam in Perſide ducere voluit Antiochus Sideres, 3923.nu.9. eius ſacerdotes pro dote Sideti mortem afferunt, n. 9. & 10.

Narbo Marcius Colonia, ann.mund.3936. numer.1.

Scipio Nasica quanta libertate, an. m. 3916. num.13. quanta in eum populi veneratio, ibid. eiuſdem mox contemptus, num.14. quare dictus Serapion, ibid. eum hoc anno Conſulem vna cum collega coniecit in vincula C. Curiatius Trib. plebis, n.15. eius fuga & mors 3924. n.5.

1. Nativitatis & Conceptionis Christi annus, an. mund. 4052. in illum annum proluſio, n.1.2.&c. annus rebus geſtis omnium maximus, num.3. omnem noſtram regit Chronologiam, n.4. examinatur ea ratio temporis, & accurate confirmatur, n.24. & ſeqq.

Nati Chriſti annus 4052. confirmatur ex annis Imperii Romani, & Auguſti 42. n. 26. & ſeqq. Herodis 36. & 39. numer.30. an ſit biſſextilis, n.40. quota feria natus, & conceptus Dominus, n.58. 59. 60. 2.

Navmachia Auguſti in circo Flaminio, an. m.4052. num. 7. cum Coſ. XIII. Lucium deduxit in forum, n.5.

Nazarethana, quæ & Lauretana domus, in qua Annunciatio, & Incarnatio facta, an.m.4052.nu.61. Angeli & cubiculi ſitus, & diſpoſitio, n.62.

Nicanor dux Antiochi Epiphanis, an.mu. 3889. nu. 20. Patrocli filius, ibid. ſubeſt Ptolemæo, & Lyſiæ, ibid. mittitur cum exercitu in Iudæam, cum Gorgia, nu. 20. & fiducia victoriæ Iudæos nondum victos vendit, n.21. 1.

Nicanor magna clade à Iuda afficitur, an.mu. 3889. numer.37. præda, & ſpolia, nu. 38. eiuſdem fuga ementito habitu, numer. 45. A Demetrio mittitur contra Iudam, an. mun. 3893. nu.29. cur Iudæos odiſſet, ibidem. 2.

Nicanoris copiæ vnde conflatæ, ann. mu.3893. numer.29. inſidiis in Simonem agit, nu.31. & 32. pacis conſilia ſectatur, numer. 33. eumque init cum Iuda, numer. 34. qui eius ſuaſu ducit vxorem, ibidem. Eum mox iuſſu Demetrii conatur comprehendere, n.37. 3.

Nicanor iactat in Iudam minas, a.m.3893. nu. 38. redit ad Regem ſe purgaturus, nu. 39. Redit Hieroſolymam, & cupit Iudam fallere, numer.40. A Iuda victus adit arcem Sionis, num.43. videt templi ſacrificia, & contemnit, ibid. 4.

Nicanor minas in templum intentat, niſi Iudas ei dedatur, an.mu. 3893. nu. 41. inepta poſtulatione, n.44. eundem perſequitur, n.52. Nicanoris ſuperbia, nu. 54. & 55. eaque ſine fructu, ibid. 5.

Nicanor contra Iudam pugnat, a. mund.3893. numer.61. amiſſo exercitu cadit, num.62. & ſeqq. ei mortuo Iudæi inſultant, num. 64. & 65. 6.

Nicias præfectus Perſei, cur iuſſus occidi, a.m.3885.n.13.

Nobilior, vide *Fuluius.*

Norbæ vrbis Campaniæ clades, ſub dominatu Syllæ, a.3972.n.21.

C. Norbanvm Coſ. Sylla fallere cupit, a.m. 3971.nu.6. dat agris vaſtitatem, n. 7. Albinouanus ei mortem parat, nu.14. viſa defectione ſuorum Rhodum petit, ibique palam gladio ſe transfixit, ibid.

Norbani & Carbonis temeritas in capeſſenda pugna, contra Metellum, a.m.3972. nu.13. magna clade vincuntur, ibid.

Noviodvnvm Aedui occupant, magno Cæſaris damno, ann. mund. 4002. numer. 19. 21.

Ad Nvmantiam à Nobiliore clades data acceptaque, a.3901.n.4.5.&c. Numantini

Romanos ad 4. millia palantes trucidant, ibi fame frigore, defectionibus vexatur Nobilior, 7.

2. *Numantini* cum Marcello pacem ineunt, ann. mund. 3903. numer. 11. & cum Mancino, an. mund. 3917. numer. 13. vide *Mancinus*. Numantia bello inſtructa, an. m. 3914. nu. 25. quæ ibi à Q. Pompeio geſta, numer. 26. occulte pacem cum eis quærit, numer. 27.

3. *Numantinam* pacem à ſe confectam negat Pompeius, ann. mun. 3915. numer. 7. quæ à Senatu improbatur, ibid. Numantini Popilium Lænatem vincunt, numer. 7. Romam redit, ei ſuccedente Mancino, ididem, vide & an. mund. 3916. numer. 18.

4. *Numantia* vigeſimum iam annum Romanis inſultat, ann. mund. 3920. numer. 11. Scipionis in eam delectus & copiæ, numer. 13. Iugurtha ad eum Numantiam venit cum 12. Elephantis, numer. 14. quam propius adit Scipio, ann. mund. 3921. numer. 10.

5. *Numantini* Scipionem prouocant, vexantque, an. mun. 3921. n. 10. & 11. Numantia foſſa, valloque cingitur, & munitionibus, numer. 13. Amne, & auxiliis intercluduntur, numer. 14. auxilia fruſtra petunt, ibidem.

6. *Numantini* legatos ad Scipionem mittunt, a. mu. 3921. nu. 15. & ſuſpectos interficiunt, ibid. deditionem faciunt, multis ſeſe perimentibus, 50. triumpho reſeruatis, cæteri venæunt, n. 15.

7. *Numantia* ſolo æquatur, ager vicinis diuiditur, a. m. 3921. nu. 15. Alia quædam de Numantinis, n. 16.

Nvmidia, & quæ ad eam pertinent, vide in *Iugurtha*, *Metello*, *C. Mario*, *Adherbale* &c. Facta eſt prouincia Romanorum, an. m. 4008. numer. 18. à Cæſare in Africa victore, ab eoque data Saluſtio adminiſtranda, n 18.

Nvncivs victoriæ celerrimus, an. mu. 3886. nu. 29.

O

Obeda Rex Arabum, an. m. 3960. nu. 4. Iannæi exercitū delet, ib. An idē cum Hierotimo, ibid. legitur & Oboda. Obſides filii regum, a. m. 3879. n. 7.

1. Cn. Octavivs primus in familiam ſuam Conſulatum inuexit, ann. mun. 3889. nu. 46. Legatus cum duobus collegis in Aſiam mittitur, an. m. 3891. numer. 120. & qua de cauſa, ibid. quæ illis mandata dederit, n. 121.

2. *Octauius* Ariarathem Cappadocem adit, ann. mud. 3892. nu. 42. Laodiceæ in Syria occiditur, & qua ex cauſa, numer. 43. 44. 45. Leptines percuſſor, numer. 43. author Lyſias, num. 45. à quo & ſepellitur, numer. 45. & ea de re miſſi Romam legati, nu. 45. Romæ ſtatua honoratur, n. 45.

Cn. Octavivs cum Cinna Conſul; a. mun. 3967. cuius vim vi repellit, num. 4. vrbem munit, nu. 6. Cinna vrbe admiſſo capite truncatur, & pro roſtris primum ponitur, n. 9.

Octavivs M. Craſſi in Parthos legatus, an. mun. 4001. numer. 11. euadit cum Caſſio, numer. 13. Craſſo à Parthis circumuento ſuccurrit, n. 14. ei adeſt dum occiditur, n 17. & 18.

Octavii Auguſti genus, geſtaque omnia vſque ad mortem, vide in *Auguſtus*.

Octavia Auguſti ſoror, vxor M. Antonii 1.
Triumuiri, Antonium Cæſari reconciliat, 4016. numer. 7. ad Antonium venit, an. mund. 4019. numer. 4. Athenis ſubſiſtit iuſſu Antonii, ibid. quæ ad eum munera detuliſſet, ibidem, repudiatur ab Antonio, & ignominioſe eiicitur, 4022. numer. 7.

Octauia moritur, ann. mund. 4044. numer. 3. 2.
quando & Iulia eius neptis Tiberio nupſit, ibid. Octauia à fratre laudatur & valde honoratur, n. 2.

Odii improbiſſimi exemplum, a. m. 3902. n. 40. vide 3922. n. 4.

Omina verborum atque factorum, an. 3891. n. 44. & ſch. 5.

Onias Pontifex arguit ſacrilegum Mene- 1.
laum, ann. mund 3882. numer. 11. qui eius cædem ab Andronico redimit, ibidem, ab Andronico perfide occiditur, ibidem, communis pro eo luctus, nu. 12. & regis ipſius, ibid.

Oniæ laus, & funus, an. mun. 3882. numer. 14. 2.
Machabæo in ſomnis apparuit, ibidem, (de eo fallitur Hieron. ann. mund. 3889. nu. 51.) & 3893. nu. 57. oratque pro populo, ibid.

Oniæ iunioris fuga in Ægyptum, an. mund. 1.
3885. n. 25. quando & quare facta, nu. 26. & an 3889. n. 51. Quando excitarit templum Ægypti, n. 50. occaſio & cauſa ex Ioſepho, n. 52. in Ægypto templum à rege petit, n. 52. & 56.

Onias ad Heliopolim templum excitat, a. m. 3889. numer. 57. quæ ædificantis intentio, numer. 56. & 58. cupit Iudæos in Aegyptum traducere, ibidem, vide an. mund. 3895. nu. 5. an Euergetem bello petierit, a. m. 3909. nu. 5.

Q. Opimivs Coſ. a. m. 3900. nu. 1. ei Liguria obtigit, ibid. res ab eo bene geſtæ, nu. 3. & 4. Maſſilienſibus fauet, ibid.

L. Opimivs Coſ. an. mun. 3933. SC. armatur 1.
cum Senatu, armatur contra C. Gracchum, nu. 4. cuius caput auro rependit, n. 6. Opimium plebs perſequitur, quem Coſ. Carbo defendit, a. m. 3934. n. 1. plebis in eum vltio, n. 2.

L. *Opimius* legatur in Numidiam, an. m. 3935. 2.
nu. 3. muneribus à Iugurtha corrumpitur, ibid.

Orodes princeps Parthorum, an. mund. 4001. nu. 2. legatos mittit ad Craſſum, ibid. quos iſte male contemnit, n. 3. Artabazē in

Armenia bello premit, nu. 5. & 6. Orodis à Phraate filio mors, n. 19.
Pauli OROSII Chronologia parum tuta, a.m. 3931.n.4. & 22. 5.
OVIDII poëtæ mors quando contigerit, an. m.4070.nu.7. Barbari ei monumentum cur cõnſtruxerint, ibid.
OXIBII ab Opimio ſubacti, triumphatique, a.m.3900.n.3. 4.

P

PAMPHYLIA Aſiæ prouincia, an. m. 3916. nu. 9. eius ſitus, ibid. eo ſcribunt Romani, in gratiam Simonis, n.6. & 9.
PANIVM, & Paneas vbi ſit, a.m.4034. ibi. Herodes templum Auguſto marmoreum condit, n.5. ibi fontes Iordanis, ibid.
PANTHEON ab Agrippa inchoatum, ann.m. 4027.nu. 10. perfectum, 4029.nu. 4. vide Agrippa,
PARTHICA expeditio Sideris, an. mun.3922. nu.1. quem comitatur Ioannes Hyrcanus pontifex. ibid. M. Craſſi in eoſdem expeditio. vide M. *Craſſus. Phraates. Orodes. Antonius. Pompeius.* Regum Parthorum familia, a.3991.n.32.
PARTHICI belli cauſa ſub Auguſto, an. mun. 4052. nu.11.& 12. parthus phraates aduentu Caii terretur, n. 14. & iuſſis Romanorum parens, redit in gratiam, ibid.
PASCHA ſub Chriſti mortem quando comederint Iudæi, an.m. 4086. nu.37. & Præfat. ſexti tomi ad Lectorem.
1. PASTORIBVS Chriſtus reuelatur, an.m. 4052.
nu. 83. quo illi loco tum eſſent, nu.84. à
quo Angelo moniti de Natiuitate Chriſti,
nu.83. ab eo luce inopinata terrentur, nu.
83. 84. 85. gaudium magnum nunciatur,
numer. 86.
2. *Paſtoribus* cur ſignum datum, nu. 87. & quale
ſignum, ibid.
PATAVII ſeditionem ſedat Proconſul Aemylius, a.m.3880.n.12.
PATER patriæ dictus Auguſtus, an. m.4042. nu.2. ter ita ſalutatus, nu.3. vide etiam, a. m.4018. ſcho.2.
PAVSANIÆ ſcriptoris ætas colligitur, an.m. 3994. num. 1.
PECCATI purgatio, a. m. 3891.n.111. & ſacrificium expiationis, num. 112. peccatorum paritas apud Ioſephum, ann. mun.3887. numer.30.
Q. PODIVS Cæſaris legatus triumphat, an.m. 4009. num.21. Auguſtus Coſ. eum collegam aſſumit; fuit Iulii ex ſorore nepos & inter heredes ſcriptus, partem ſuam ceſſit Octauio, a.m. 4011. num.37. morbo extinguitur, n.51.
PENTECOSTES feſtum in itinere celebratum, 3891.n.105.
M. PERPERNA Coſ. an.mun. 3924. V.C. 623. ei Aſia obtigit, nu. 6. Ariſtonicum improuiſo adortum vincit, & fame ad deditionem cogit, ibidem. pergami morbo moritur, nu.6.
PERPERNA Sertorii legatus, an. m. 3978.nu. 1.
4. contra pompeium pugnat illius auſpiciis, n.4-5. aut contra Metellum ad Saguntum, n.7. Sertorio inuidens ab eo milites alienat, a.m.3980.nu.3. & 4. genus eius an clarum, ibid.
Perperna clam tumultus in Sertorium excitat, anu, mun.3981 num. 9. Coniurat contra ipſum, an. m.3982.n.12.13. non deprehenſus à Sertorio ei accelerat exitium, ibid. vocatum ad epulas in triclinio perimit, ibid. & nu.14. inde flagrat inuidia, nu.15. à pompeio victus à ſuis captus illius iuſſu tollitur, n.16. 2.
PERSEPOLIS eadem cum Elimaide, a. m.3891. num.3.
PERSEVS Philippi filius poſtremus Macedo- 1.
niæ rex, Romam legatos mittit, accipit-
que, a.m. 3879. nu. 23. & 24. de ſeruando
fœdere monetur, ibid. Dolopes ſubiugat,
a.880. nu.7. Achæos ſollicitat ac Græcos
in Romanos, n.7. & 8.
Pro *Perſeo* & contra eum in concilio Achæo- 2.
rum diſceptatur, 3880. nu. 9. & 10. perſei
ſcelera quædam; vulgo Eumeni præfer-
tur, a.m.3881.nu. 5.6. Apellem interficit,
ibid. odio eſt Romanis, n.7. bellum præ-
parat, a.82.n.17.
Perſei bellica conſilia Romæ innoteſcunt, a. 3.
mun.3882.nu.17. quantumuis ea ille cela-
ret, ibid. itaque legati reiiciuntur, nu. 18.
Inſidias Eumeni ſtruit, nu. 19. res patefit
Romæ, eiuſque in Romanos odium, nu-
mer.20.
Perſeus inſidias in Eumenem purgare cona- 4.
tur, an.m.3882. nu.21. eius legatis repulſis
ipſe hoſtis iudicatur, nu. 22. in eum bel-
lum paratur, ibid, mutuo & coram renun-
ciant amicitiam, n.25.
Perſeo bellum decernitur, an.3883. nu.5. Ro- 5.
mam legatos fruſtra mittit, num. 9. eius
cum Q. Marcio colloquium, nu. 11. quo
Perſeus ſpe pacis illuditur, nu.12. deliberat
de bello, & pugnare ſtatuit, 14. quantæ
eius copiæ, ibid.
Perſei prima velitatio cum Eumenianis, ann. 6.
m.3883. nu.18. altera pugna ſuperat, nu.
19. & 21. ſpe pacis non perſequitur victo-
riam, num.20. & 22. Claſſem Romanam
affligit, ibidem, ſe imprudentiæ accuſat,
nu.21.
Perſeus imprudentia iterum peccat, an. mun. 7.
3883. num.25. malus exitus ſecundi certa-
minis, numer. 25. & 26. res ei aliquandiu
proſpere cedunt, an. mun. 3884. numer.
15. imprudentia, vel ignauia peccat Ro-
manis in Macedoniam penetrantibus, 85.
numer.9.
Perſei inconſulta trepidatio, a. m. 3885.n.10. & 8.
pernicioſa deſertio locorum munitorum, quæ Romani occupant, ibid. mox reſipiſcit, nu. 12. eius ſtulta imperia, & pudor crudelis, nu.13. Gentium regem bello malitioſe implicat, 3886.n.6.
Perſeus Rhodios, Eumenem, & Antiochum 9.
tentat hoſtes facere Romanis, a.3886.n. 7.

conflat Romanis inuidiam, num. 8. Perſei auaritia ipſimet pernicioſa, num. 9. & 10. mare claſſe infeſtum habet, nu. 11. eius ignauia, nu. 25.

10. *Perſei* fuga, & ſuorum derelictio, an. mun. 3886. nu. 26. monitores ſuos confodit, & alios à ſe alienat, ibid. quæ geſſerit Amphipoli, n. 26. fugit Samothraciam, nu. 27. ſcribit ad Aemylium, n. 30. fugæ conſilium fruſtra capit, n 32.

11. *Perſei* pecuniæ ipſo deſerto auferuntur, a. m. 3886. num. 32. Ipſe cum familia ſe Romanis dedit, nu. 33. incuſans Deos ſuos, claſſe Amphipolim deuehitur; num. 34. vt exceptus à Conſule, ibid. eius laxa cuſtodia, a. m. 3887. num. 72.

12. *Perſeus* Romæ in triumphum ducitur, an. m. 3887. num. 81. ei molliciem exprobat Aemylius, & tacite ad cædem ſui incitat, ibid. eius exitus, n. 87.

Pervsinvm bellum, an. mun. 4013. num. 11. eiuſque cauſa, & difficultas, nu. 11. & 12. Peruſiam L. Antonius Coſ. petit, n. 16. vbi & obſidetur, nu. 16. & 17. fame victus deditionem facit, nu. 3. & ſeqq. vrbs ipſa incendio à direptione liberatur, n. 6.

Pestis Romæ, an. mu. 3880. n. 11. Et iterum, 3889. n. 46. rurſum, a. 4032. nu. 1. Africana peſtis, a. m. 3929. n. 4. 5.

1. Pharisæis licentiam aliquam permitti, ſuadet vxori Iannæus moriens, a. m. 3978. nu. 1. quod Alexandra permittit, 979. n. 2. cum Regina regnant, & cædes perpetrant, ibi. & 3981. nu. 1. & ſua inſtituta antiquata reſtituunt, n. 2. an. 79.

2. *Phariſæorum* mores ex Ioſepho, an. m. 3987. n. 3. eos Iannæus & Herodes afflixerunt, & Chriſtus vehementer arguit, ibid.

1. Pharnaces filius Mithridatis regnum patris inuadit, a. m. 3991. nu. 23. patefactis inſidiis veniam obtinet, ibid. redit ad ingenium 3. & patrem ad mortem cogit, n. 25. 26. à Pompeio regnum Boſphori mercedem parricidii accepit, a. 4007. n. 39.

2. *Pharnaces* Armeniam & Cappadociam infeſtam habet, & occupat, an. m. 4007. nu. 39. de eo Deiotarus queritur apud Domitium, quem Pharnaces ludificatur, & relicta Cappadocia retinet Armeniam, numer. 40.

3. *Pharnaces* contra Domitium & Deiotarum pugnat & vincit, a. m. 4007. n. 40. & victor Pontum occupat, ibid. in eum Cæſar expeditionem mouet, numer. 41. Pharnaces legatos ad eum mittit, ibid. Cæſaris reſponſum, ibid.

4. *Pharnaces* in Cæſarem pugnat, an. m. 4007. nu. 43. magna Cæſaris felicitate vincitur, ibid. Pharnaces caſtris expugnatis fugit, num. 44. Sinopem Domitio tradit, ibid. cum Alandro pugnans occumbit, &c. pluribus, n. 44.

Phasaelvs Herodis frater ab Antonio inuitis Iudæis honoratur, ann. mund. 4014. numer. 21. à Parthis Hieroſolymis comprehenditur, nu. 23. alliſo ad ſaxum capite vitam abrumpit, n. 24.

Phasaelvs turris & oppidum, an. m. 4044. numer. 7.

Phaselis vrbs, ann. mund. 3916. numer. 11.

Philarches occiditur, a. m. 3889. nu. 43. quis ille fuerit, n. 44.

Philippvs Phryx Præfectus pro Antiocho Epiph. Hieroſolymis, an. m. 3886. n. 1. vide 1.
& 3889. nu. 20. ab Epiphane moriente regni tutor conſtituitur, 3891. nu. 16. transfert corpus eius, & fugit in Ægyptum, numer. 57.

Philippus occupat Antiochiam, a. m. 3891. nu. 2.
29. æmulus Lyſiæ, ibid. victus à Lyſia afficitur ſupplicio, nu. 36.

Philippvs tertius Antiochi Gryphi filius in 1.
parte Syriæ regnat, ann. mund. 3962. nu. 1. de eo multum errat Scaliger, nu. 2. cum fratre Demetrio Antiochum Pium patruum ſuum oppugnat, a. m. 3963. n. 2. vide & 64. nu. 1.

Philippus externa ope Demetrium fratrem 2.
vincit, ann. mu. 3967. nu. 2. profectus Antiochiam totius Syriæ regno potitus eſt, n. 2. fin. In eum inſurgit Dionyſius frater, quintus Grypi filius, ann. mund. 3968. numer. 1.

Philippus Damaſcum fratri proditione eripit, 3.
eamque mox ſuperbia ſua amittit, an. m. 3968. nu. 1. vltimus Seleucidarum regnauit in Syria, a. m. 3969. n. 1. omiſſo Antiocho Aſiatico, ibid.

Philippus Herodis tetrarcha conſtituitur ab Auguſto, an. mun. 4054. nu. 13. eius mores, ann. 4080. numer. 7. Herodias eius vxor ſe dat Antipæ, num. 6. & 7. eiuſdem mores, ibid.

Philo Ciceronis in Philoſophia magiſter, a. 3966. n. 10.

Ptol. Philometor natu maior à matre re- 1.
gno pulſus, & in Cyprum ab legatus opera Epiphanis auunculi regno reſtituitur, a. m. 3881. nu. 1. 3. 4. ex Scriptura & Liuio, numer. 4. fratrem obſidet Alexandriæ, ibidem.

Philometor reconciliatur cum fratre, a. m. 3884 2.
numer. 2. anacleteria celebrant, nu. 3. obuiam mittunt Epiphani, vt eum à bello auertant, an. 3885. nu. 2. Philometor iterum à fratre pellitur, an. 3889. numer. 48. ex Pauſania.

Philometor per Romanos regnum cum fratre 3.
diuidit, num. 49. anni 3889. ea de re iterum Romæ diſceptatur, ann. mund. 3892. numer. 47. Senatus Philometori Cyprum eripit, & minori fratri adiudicat, ibidem. vide ann. mund. 3896. num. 6. fin.

Philometor ſpondet filiam ſuam Alexandro 4.
Balæ, ann. mund. 3903. numer. 8. Eius in Syriam expeditio, an. mund. 3908. num. 1. eiuſque cauſæ, ibid. amice vbique accipitur, ſed vrbes ipſe ſibi præſidio firmat, nu. 2. & 4. & odium in generum patefacit, n. 4.

Philometor Alexandrum calumniatur, vt ei fi- 5.
liã eripiat & det hoſti eius Demetrio, n. 5.

aſſumit ſibi duo diademata Syriæ & Ægypti, a.m.3908. nu.7.& 8. an inuitus contra Ioſephum ibid. & nu.9 moritur in Syria, num.12.

PHILOMETORIS mortis quæ cauſa,& modus, a.mun.3908.n.13. & 14. eius accuſatio, nu. 15.& 16. & mores ex Iuſtino, nu. 16. ratio temporis regni eius,n.17.

PHRAATES Rex Parthorum,à Cn. Pompeio ad pacem compellitur, eique Corduenem ereptam Tigrani dedit, ann. mun.3989. numer.9. vnde illi iraſcitur, ann. mund. 3990. num. 7. Rex regum ſalutari vult, ibidem, contra Tigranem cum Tigrane iuniore expeditionem ſuſcipit, numer. 7. duobus inter ſe prœliis decertarunt, priore Armenus, poſteriore Parthus vicit, an. 3991.n.17.18.

1. PHRAATES Orodis filius natu maximus, an. mun.4017. n.30.fratres ſuos occidit,mox etiam patrem, ibid.& nu.31.& 32. vide & a.m.4001. num.19. ab eo multi deficiunt, n.31. in quibus Monæſes, qui ſe dat Antonio, ibid. qui ei Parthicum bellum committit,a.4018.6.

2. *Phraates* eum ad ſe allicit,a. 4018. num. 7. recipitque, nu.8. Statianum Antonii legatum cum 10. millibus opprimit,& machinis bellicis potitur, numer.9. eius conſilia de pace irrita, numer. 12. eius ſæuitia Romanorum defectionem continet, n.13.

PHRAATES præcedentis, vt apparet, filius, minorem Armeniam occupat, a.m.4072. nu.12. Caio aduentante terretur, nu.14.& iuſſis parens redit in gratiam, ibidem. ad Auguſtum ſuperbe ſcribit, numer, 14.

[PI]LATVS Iudææ procurator, an.mun.4079. num.1. eius pleraque crimina, nu. 2. ſigna cum effigie Cæſaris quando intulerit in vrbem, numer.2.3. res ex Philone rectius, num.4.

1. PIRATICI belli origo à Mithridate,ann. mu. 3987. numer.10. incrementa, ibidem. Piratarum receptaculum Cilicia, numer. 11. quam late pateret hoc bellum, ibid. quam difficile, numer.12. defertur Pompeio,nu.14.

2. *Piraticum* bellum quomodo à Pompeio geſtum,3987.nu. 16. in Cilicia debellatum contra Piratas, n.17 & quanto tempore, ibid. res à Metello in eos geſta, a.m.3984. num 14.

Q. Piso Coſ. an. v.c. 618. mundi 3919. in Numantiam miſſus eam non attingit, ſed Palentinos, nu.10. an ex iuſto metu, ibidem.

M. Piso legatus Pompeii ab eo miſſus ad petendum Conſulatum, an.mu.3992.n.3. fit Coſ.3993.n.5.

1. Cn. Piso Præfectus Syriæ, ann. mun. 4070. num.5. à Tiberio electus ad Germanicum coërcendum, ibid. eo proficiſcitur, ann. mund.4071. num. 3. Germanico infeſtus, ibid. à quo naufragii periculo eripitur, numer.3.

2. *Piſo* ſibi legiones indulgentia conciliat, an. 4071.num.4. eius cum Germanico ſimultas, num. 5. ei acerbe aduerſatur & inimicè, an.mun.4072. num.2. dati veneni ſuſpectus, prouincia decedere iubetur, num. 3.

Piſo mortuo Germanico Syriam recuperare conatur, a.mun. 4072.nu.5. ſed repulſus Romam petit, ibid. vt Romæ acceptus, num.4. & 4073. nu. 2. accuſatur, & populus in eum furit, nu.2. ab vxore deſertus ſeipſe perimit,nu.3. 3.

PLANCINA Piſonis vxor contra Agrippinam ab Auguſta inſtruitur,a.4070.n.5. contumelias in eam iactat, ipſumque Germanicum,4071.n.4. populi in eam odium,& Tiberii fauor, 73. numer.2. deſerit maritum,ibid.

PLANCINÆ eiuſque filio M. Piſoni Tiberius dat veniam, ann.mu. 4073. n. 3. etiam ob commendationem patris,ibid.

PLENNIVS ex Lilybæo cum 8. legionibus à Pompeio è Sicilia fugiente accerſitur, a. m.4018. num.29. Is Meſſanam ſe confert, & cum Cæſarianis de pace agit,nu. 30. Lepidus exercitum eius ſibi conciliat, permiſſa vrbis direptione,ibid.

PLINIVS memoria lapſus, ann. mund. 3892. num.44.

PLVTARCHVS quando floruerit,ann.m.3968. num. vlt.

PORTA Luterius Priſcus apud Tiberium imprudens, atque infœlix, ann.mun.4074. num.3.

POLYBIVS author fugæ Demetrio Seleuci filio, an.mun.3892. num.46. & 3893. nu. 4. Longæuus, Scipionis Æmyliani præceptor, an.mu.3930.nu.18. mortis eius genus, ibidem.

Q. POMPEIVS Coſ. an.mun.3913. Metello in Celtiberia ſucceſſit, à quo bellum cum Numantinis inchoatum, nu.15. quæ ibi ab eo geſta, 3914. num. 26. multis affectus cladibus occulte pacem petit,num.27. cui ſucceſſit Popilius Lænas,ibid.

POMPEIVS Numantinam pacem negat, ann. mund.3915.num.7. quæ nec Senatui placet, ibid.

Cn. POMPEIVS Strabo Coſ. an. 3965. bellum Italicum ſortitus magnam edit ſociorum ſtragem, num. 5. & 7. & nominatim contra Aſculanos, ibid. de quibus triumphauit, nu. 8. Q. Pompeium interfici curat, an.mun.3966.nu.8. ad defenſionem, vrbis contra Cinnam euocatur à Coſſ.& de cœlo tactus perit,3967.n.6.7.

Q. POMPEIVS Rufus Syllæ cognatus, & in Conſulatu collega,an.m.3966.n.4.v.c.665 eius periculum, & cædes,n.8.

Cn. POMPEII magni ortus,an.mun.3948. nu. 15. v.c.647. Syllæ legatus Marcium cum 8. legionibus concidit, ann. 3972. num.7. inde ad Spoletum Carinatem cum ſuis, numer.13. & exercitum Carbonis ad Cluſiam,nu.15. 1.

Cn. POMPEIVS à Sylla in Africam contra Carbonem, in Siciliam contra eius amicos mittitur, ann. mund. 3972. nu.21. in 2.

Carbonem inhumaniter ſe gerit, n. 26. ex Africa triumphat cæſo Domitio & Hiera rege Numidarum, a. 3973. n. 7.

3. *Pompeius* quotennis primum triumpharit, a. mun. 3973. num. 9. 10. qui rem in Africa geſſerit, nu. 8. Sylla ægre illi triumphum permittit, nu. 10. in quo elephantos adhibuit, ibidem, & Magni cognomen obtinet.

4. *Pompeius* prenſat pro Lepidi Conſulatu improbante Sylla, ann. mu. 3976. numer. 2. Brutum perfide interficit, an. 77. nume. 2. profligato Lepido circa vrbem retinet exercitum, num. 4. dum ei decreta eſt Hiſpania, ibid.

5. *Pompeius* tranſit Alpes, expeditione contra Sertorium, an. mun. 3977. num. 4. tranſit Pyrenæum, numer. 5. ad Lucronem ſpe à Sertorio fruſtratur, numer. 6. aut etiam vincitur ac fugatur, numer. 7. Herennium & Perpernam circa Valentiam vincit, 78. 4.

6. *Pompeius* contra Sertorium dubio marte pugnat, an. mun. 3978. numer. 5. & 6. & ab eo vulneratur, ibidem, ab eodem vincitur ad Saguntum, vbi Memmius eius legatus cecidit, Metellus pene captus eſt, n. 7. Pompeius Roma ſtipendia petit, 3979. nu. 7.

7. *Pompeio* Lucullus auxilia cur procurarit, an. an. 3980. numer. 2. Perpernam victum occidit, 3982. numer. 16. ſemina diſſenſionum euellit, num. 17. & Hiſpaniam recipit, ibid. De Sertorio triumphat, an. m. 3983. n. 12.

8. *Pompeius* cum M. Craſſo Coſſ. an. mun. 3984. numer. 1. qua ætate Pompeii, ibidem, fit Coſ. præter legem, nec ſine populi metu, numer. 2. fauet potentiæ tribuniciæ, ibidem, eamque reſtituit, num. 4. Rogatio in gratiam Pompeii pro bello piratico, 3987. nu. 13.

9. *Pompeio* quanta data potentia ad bellum piraticum, an. 3987. numer. 15. quomodo id geſſerit, numer. 16. quanto tempore, numer. 17. ambitio Pompeii circa rem Cretenſem, n. 19. 20. & rem Mithridaticam contra Metellum, & Lucullum, an. mun. 3988. 5. 6.

10. *Pompeius* admittit imperium in bellum Mithridaticum, an. 3988. numer. 7. Mithridates ambit Pompeii amicitiam & pacem numer. 8. qui regem perſequitur, nu. 10. vincitque turbatos, n. 11. Tigranem filium patri conciliat, n. 14.

11. *Pompeius* Syriam eripit Tigrani, & Antiocho Aſiatico, an. mun. 3988. numer. 16. an recte, nu. 17. Res à Pompeio cum Iberis geſta, 89. nu. 8. & Albanis, num. 9. ei iratus Phraates, 990. num. 7. vxor Mithridatis ei prodit caſtellum, n. 8.

12. *Pompeij* in Syriam expeditio, an. mun. 3990. numer. 10. vincit Antiochum Commagenum, & Darium Medum, ibid. quæ cauſa expeditionis in Syriam, 3991. nu. 2. varii ad eum Legati cum muneribus, etiá ex Iudæis, n. 3. & 4.

13. *Pompeius* Iudæam adit infenſus Ariſtobulo, ann. 3991. numer. 5. 6. in Vrbem admiſſus templum oppugnat, numer. 8. expugnatque, numer. 10. adit ſancta ſanctorum, n. 11. abſtinet à ſacra ſupellectile, num. 13. & 14. reddit Hyrcano pontificatum, mœnia vrbis euertit, & Iudæam imperio Romano ſubiicit, nu. 15.

14. *Pompeius* Ariſtobulum vincit cum 4. liberis Romam abducendum, an. mun. 3991. nu. 16. Parthos Armenis conciliat, numer. 17. & qua de cauſa, numer. 18. eum promiſſis lactat Mithridates, numer. 19. inſignis Pompeii continentia erga filias Mithridatis, num. 21.

15. *Pompeij* geſta illuſtria in Aſia, an. mun. 3992. numer. 2. regibus conſtituendis, vrbibus condendis, &c. Romam Piſonem ad conſulatum mittit, numer. 3. eius reditus in vrbem populo formidoloſus, a. m. 3993. n. 3. 4. triumphi tempus, n. 2. & 5. pompa, &c. n. 7. & ſeqq.

16. *Pompeiani* theatri fundamenta, 3993. numer. 14. eius claritas obſcuratur, 994. nume. 2. repudiat Metellam etiam ſuſceptis ex ea liberis, ibid. ei reſiſtit Lucullus & Metellus, num. 2. 3. Cæſaris opera cum Craſſo conciliatur, n. 9.

17. *Pompeij* acta confirmantur, an. mun. 3995. n. 9. eius cum Cicerone ſimultas, numer. 11. & 12. Cicero ſe Pompeio fruſtra dedit Clodii metu, 3996. numer. 10. ab eo enim deſeritur, numer. 14. Pompeius à Clodio vexatur, n. 30. ideoque de reuocando Cicerone agit, 31.

18. *Pompeius* rei frumentariæ ad quinquennium præficitur, an. mun. 3997. numer. 13. altera lex pro eius potentia, ibi. Conſul cum M. Craſſo per vim deſignatur, 3998. nu. 18. inde magiſtratus pro arbitrio creant, 3999 nu. 9.

19. *Pompej* theatrum dicatur ſpectaculis, & pugnis leonum & elephantorum, an. 3999. numer. 12. vide & ſchol. 3. Dictaturam diſſimulanter cupit, an. mun. 4001. nume. 21. & 22. repudiat tamen, & Coſſ. creat, n. 23. metu Dictaturæ ſolus Conſul creatur, 4002. n. 6. 7.

20. *Pompeio* fit S. C. in cæde Clodii, ann. mund. 4002. numer. 11. Iudicium Milonianum inſtituit, numer. 12. ducta noua vxore ſocerum collegam aſſumit, numer. 13. concedit priuilegium Cæſari, n. 14. ei conflat inuidiam, 4004. n. 5.

21. *Pompeij* cum Cæſare ciuile bellum, an. mun. 4005. Vrb. Cond. 704. quantum fuerit, numer. 1. cauſæ eius, numer. 4. eorum per internuncios colloquia, num. 11. 12. Pompeius Brunduſium adit, quem Cæſar ſequitur, numer. 15. deſerit Italiam, ibidem.

22. *Pompeium* inter & Cæſarem pax fruſtra tentata, a. m. 4006. nu. 8. Cæſarem ad Dyrrachium vincit, nu. 10. eius culpa in non vrgenda victoria, ibid. alia eius inſignis culpa, n. 11. initium pugnæ, num. 13. & cladis eius, n. 14. & 15.

23. *Pompeij* fuga temeraria, an. mun. 4006. numer. 16. quem Cæſar perſequitur, nu. 19. in Ægypto perfide receptus occiditur, numer. 21. 22. 23. tempus vitæ & mortis eius num. 24. vt ſe in eum geſſerit iam mortuum Cæſar, n. 26. mortis nuncia Romæ, 4007. nu. 2.

1. Cn. & Sex. *Pompey* vlteriore Hiſpania potiuntur, an. mun. 4009. num. 4. 5. Cæſar contra eos expeditionem ſuſcipit, ibid. varia ibi inter ipſos prælia, n. 5. 6. 7. pugna ad Mundam & cauſa victoriæ, numer. 10.

2. *Pompeianorum* quanta clades, an. mun. 4009. numer. 12. quantum Cæſaris periculum, num. 13. Quid vtrique Pompeio factum, nu. 15. Canæum Carteiani dedere volunt, numer. 16 fugit & in ſpelunca æger occiditur, n. 17 caput ad ſe delatum Cæſar ſepeliri iubet, ibid.

3. *Sex. Pompeius* Siciliam poſſidet, an. m. 4012. numer. 4. vexatur à Cæſare nulio operæ pretio, ibid. ad eum plerique proſcripti profugiunt, ann. 4011. numer. 57. magna claſſe imminet Italiæ, numer. 20. anni 4012.

4. *Pompeium* à clade Bruti & Caſſii adit Statius Murcus cum copiis, ann. mun. 4013. nu. 1. & Iulia Antoniorum mater, 4014. 7. cum eo Cæſar pacem quærit, Antonii metu, nu. 9. venitur ad colloquium de pace, populo ob famem vrgente, numer. 14. 15.

5. *Pompeij* cum Cæſare & Antonio pax eiusque conditiones, an. 4014. 16. mutuis conuiuiis firmantur, 17. Pompeii in eos fides, ibid. bellum Siculum contra eum renouatur, 4015. numer. 2. & qua de cauſa, ibidem, præuiæ querelæ, & belli apparatus, nu. 3.

6. *Pompeij* libertus Menodorus deficit ad Cæſarem, an. 4016. numer. 2. cui etiam Sardiniam & Corſicam tradit, ibid. & dat bello initium, numer. 2. Priore pugna nauali Pompeius potiores tulit, numer. 3. Cæſarem etiam tempeſtas affligit, numer. 4.

7. *Pompeius* victoria vti neſcit, an. mun. 4016. numer. 5. ad eum Menodorus redit, num. 6. Pompeius Siciliam contra triplicem Cæſaris exercitum tuetur, 4018. n. 18. & 19 iterum victoria quam dabat tempeſtas non vtitur, n. 20.

8. *Pompeij* dux Papias Lepido cladem affert, an. 4018 nu. 21. & ab Agrippa viciſſim Pompeius, num. 22. qui male differt pugnam contra Cæſarem, n. 23. bis cum eo congreditur ſatis feliciter, nu. 24.

9. *Pompeius* male vexat Cornificium, 4018. nu. 25. cupit generale certamen, quod Cæſar admittit, n. 26. pugnatur vt de ſumma rei n. 27. Cæſariani ſuperiores euadunt, & de victoria iubilant, gementibus Pompeianis, nu. 28.

10. *Pompeius* turbatus fugit, an. mun. 4018. num. 28. qualis eius fuga, nume. 29. cum Cæſar non perſequitur, ſed res in Sicilia diſponit, numer. 34. Pompeius ad Antonium fugit, 4019. nu. 7. & noua init conſilia, ibid.

Pompeius Antonium & Parthos ſimul ſollicitat, 4019. nu. 8. ſpes ſuas infringit, nu. 9. 11.
Armeniam cogitat, deſeritur à ſuis, eum Antoniani perſequuntur, num. 10. quos turbat Pompeius, nec victoria vtitur, numer. 11.

Pompeius deditionem inconſtanter cogitat, 12.
4019. nu. 11. Ab Amynta fugiens comprehenditur, à Titio interficitur, n. 12. An Antonii voluntate, nu. 13. res certe grata Cæſari, n. 14.

Pœnitentiæ opera ad placandum Deum, an. mun. 3888. n. 15. & 3889. n. 12. & 25. & contra Timotheum, 3891. 65. irrita quorundam pœnitentia, vt Antiochi, &c. nu. 11. his operibus Iudas Deum propitiatur contra Eupatorem, 3892. 11.

In Pontifice Hebræo quæ requirerentur, 1.
an. mun. 3882. nu. 1. 2. Pontificatum Ethnici reges Hieroſolymis dare cœperunt, an. mun. 3902. numer. 12 & iunctus hoc tempore principatus, an. mun. 3892. numer. 39.

Pontifex quid haberet diuerſum à ſacerdoti- 2.
bus, a. mun. 4051. n. 13. Pontificatus Iudaicus valde turbatus, 4062. num. 5. 4068 nu. 1. fi. multi eorum annui, ann. mund. 4071. n. 1.

Popilii res geſtæ ad Numantiam, an. mund. 3916. n. 18.

Portenta, vide *Prodigia*, infra.

Præcursor Chriſti Iudæis neceſſarius, an. mun. 4051. numer. 8. vide S. Ioan. Baptiſta.

Prædicationis Chriſti publicæ initium, an. mun. 4084. n. 1. quot annorum fuerit, a. m. 4082. n. 32. poſſe dici 4. annorum, nu. 33. anno ſui baptiſmi non fuiſſe concionatum, numer. 34. 35. Sermo Domini in monte quando habitus, 4084. numer. 8. & ſeqq.

Prædones regnorum mox premuntur inopia, 3889. n. 17. Romani prætores prædones erant prouinciarum, a. m 4061. n. 7. & 4062. n. 10.

Prænestinorum modeſtia, & patientia nocet exemplo, an. m. 3881. n 11. crudelitas ibi à Sylla exercita, 3972. 10. & victoria de Mario, n. 6.

Præputii adductio, eiuratio Iudaiſmi, a. m. 3879. n. 19.

Præputii Chriſti inuentio, a. m. 4053. n. 5. 6. & ſeqq.

Prætores & Præſides Romani in prouinciis prædones, a. m. 4061. num. 7. & 4062. nu. 10.

Preces pro defunctis in communi vſu Iudæorum, an. mund. 3891. numer. 113. pro principibus ethnicis, a. 3911. n. 6.

Principatus iunctus Pontificatui, an. mun. 3892. n. 39.

Prodigia Romæ, ann. mund. 3889. numer. 46. Hieroſolymis 40. dierum, a. 3884. numer. 4.

Proditores odio habiti, etiam iis quibus proſunt, a. 3891. nu. 60. proditio eſt hoſti vitam pecunia dare, n. 64.

Prolvsio in 6. tomum cum gratiarũ actione, an. mund. 3879. numer. 1. in bellum ciuile Pompeianum, ſiue Cæſarianum, a. 4005. num. 1. 2. 3. in cædem Iulii Cæſaris, an. 4010. numer. 1. in bellum Philippenſe, num. 1. 2. in finem hiſtoriæ ſacræ, 3920 1. & initium Romani imperii, 4006. numer. 1.

Prorogatio imperii ſæpe neceſſaria, an. m. 3894. n. 30.

1. Proscriptio prima Syllæ 12. Marianorum, an. mun. 3966. numer. 6. qui hoſtes iudicati, bonis eorum publicatis, & data ciuium eos occidendi facultate, ibid. Altera proſcriptio contra Syllam, eiusque fautores, 3967. n. 9. 10. 11.

2. *Proſcriptio* quædam Marii iunioris, 3972. nu. 9. Secunda Syllæ proſcriptio, omnium cruentiſſima, numer. 22. & 23. & numeroſiſſima, ibid. toti ab eo populi proſcripti, n. 25. Metellus Sertorium proſcribit, a. m. 3979. n. 11.

3. *Proſcriptionem* proponunt Triumviri Octauius, Antonius, Lepidus, an. mun. 4011. num. 49. quam grauis & luctuoſa fuerit, numer. 50. quamque numeroſa, numer. 51. Alii ex aliis proſcribuntur, numer. 52.

4. *Proſcriptionis* edicti formula, an. mun. 4011. numer. 53. quando maxime exercita, numer. 54. Lepidus proſcribit ſi quis in eius triumpho non lætatus fuerit, numer. 55. rapinæ bonorum proſcriptorum, nu. 56. quos Sex. Pompeius excipit in Sicilia, numer. 57.

Provinciæ nouæ Romanorum, an. m. 3887. n. 68. earum rectores fere prædones, vide *Prædones*.

1. Prvsias Rex Bithyniæ cunctatur belli Macedonici fieri particeps, an. mun. 3883. n. 4. quamuis ducta Perſei ſorore, ibidem. Romam venit, ann. mun. 3888. numer. 2. quando Romanis conciliatus, & à quo, ibid.

2. *Pruſiæ* poſtulata Romæ, & Senatus reſponſa, an. 3888. numer. 2. 3. adulatoria eius humilitas, num. 4. Pruſiæ & Attali per legatos, 3899. numer. 2. & 3900. num. 7. & 3901 nu. 11. bellicus contra eum apparatus, numer. 12.

3. *Pruſiam* etiam Attali frater vexat, an. m. 3901. n. 12. pax inter eos inita, paciſque leges, a. m. 3902. n. 37.

Psevdo-Alexander in Iudæa, an. mun. 4056. nu. 2.

Psevdo-Agrippa, a. m. 4069. n. 7. eius ſeruus nomine Clemens, ibid.

Pseado Perſeus oritur in Macedonia, & opprimitur, a. 3912 n. 41.

Psevdo Philippus, qui & Andriſcus, eius initia, an. mun. 3902. nu. 40. Roma fugit, ſiue dimittitur, & turbat in Macedonia, 3904. numer. 14. vide *Andriſcus*.

Psevdo Scaliger, vide Scaliger.

Ptolemenses contra fœdus Eupatoris in Iudam tumultuantur, an. mun. 3892. num. 35. ob præfecturam Iudæ datam, num. 36. ſedantur à Lyſia, ibid. Ptolemaidem Iannæus obſidet, an. mund. 3953. n. 2.

Ptolemævs Dorimenis filius Menelaum ſupplicio eripit, an. mun. 3883. numer. 1. ſuggerit vicinis vt Iudæos cogant ad ethnicos ritus, 3887. numer. 17. vide 3889. numer. 20.

Ptolemævs Macer humanus in Iudæos, an. m. 3891. nu. 59. ad mortem compulſus eſt, ibid.

Ptolemævs iunior frater Philometoris eum Romæ accuſat, an. mun. 3900. num. 5. eius exilium, & diræ ab eo patratæ cædes, & populi in illum motus, a. m. 3922. num. 4. redit in regnum 926. nu. 2. eius mors & teſtamentum, 3937. n. 1. 2. Vide *Philometor* & *Euergetes*.

Ptolemævs filius Abobi, gener Simonis pontificis eius mortem machinatur, & quare, an. mun. 3919. n. 1. eum cum duobus filiis in conuiuio occidit, num. 2. eius conatus à patrata cæde, n. 3. eam hiſtoriam deprauat Ioſephus, n. 5. 6. & ſeqq. & a. m. 3920. n. 3. 4. & ſeqq.

1. Ptol. Lathvrvs filius Euergetis regnare incipit, an. mun. 3938. num. 1. eius nomina, ibid. populi voluntate inuita matre Cleopatra regnat, num. 2. vxorem tamen mutare ab ea cogitur, ibid. qualem matrem, & vxorem habuerit, 3939. n. 4.

2. *Ptol. Lathurus* à matre regno pellitur, an. m. 3948. n. 1. Iudæi mulieri adhærent, & tyrannidem tutantur, n. 2. Alexander eius frater in eius locum ſubſtituitur, nume. 3. Lathurum in Cypro quoque exulantem mater perſequitur, ibid.

3. *Ptol. Lathurus* è Cypro euocatur in Syriam, a. mund. 3954. n. 1. qui mox ſententiam mutant, numer. 2. ipſe Ptolemaidis obſidionem ſoluit, nu. 3. Iannæus proditorie agit cum eo, n. 4. Antiochum Cyzicenum contra fratrum iuuat, ibid.

4. *Ptol Lathurus* oppugnat Ptolemaidem, & Iudæam vexat, ei occurrit Iannæus, qui à Lathuro vincitur, ann. mun. 3955. num. 2. & 3. eius in Iudæos crudelitas, ibid. Ptolemaidem expugnat, Gaza potitur, numer. 3. fruſtra Ægyptum tentat, 956. numer. 2.

5. *Ptol. Lathurus* regno reducitur pulſo fratre, a. m. 3965. n. 1. anno regni 36. regnare deſiit & viuere, a. m. 3973. n. 1. nepos ei ad breue tempus ſuccedit, n. 2.

Ptolemævs Cyrenarum rex Romanos conſtituit heredes, a. mun. 3958. numer. 5. cognomento Apion, frater Lathuri ex pellice, ibid.

Ptol. *Cyprius* ſibi manus infert, an. mu. 3997. nu. 8.

Ptol. *Auletes*, vide ſupra Auletes.

1. Ptol. *Dionyſius* Auletis natu maior, cum ſorore natu maiore Cleopatra regnat, an. mun. 4004. numer. 1. anno ætatis vnde-

cimo. Ad eum profugit Pompeius, 13. ibi. & 4006. numer. 21. turbæ fratrem inter & ſororem, a. mund. 4005. nume. 45. hac ab illo expulſa, ibid. & 4006. n. 21.

2. *Ptol.* & Cleopatræ controuerſias iubet Cæſar apud ſe iure non armis definiri, an. mu. 4006. numer. 27. ſed Cleopatra iudicem in aduocatum vertit, num. 28. Ptol. ſorore apud Cæſarem viſa tumultuatur, Ægyptii regiam inuadere ſtudent, numer. 28.

3. *Ptolemai* regis nutritius Photinus turbas excitat, an. mu. 4006. numer. 30. Rogatu Alexandrinorum Cæſar Ptolemæum dimittit, a. 4007. n. 15. qui cito laruam deponit, ibid. & bellum redintegratur.

4. *Ptolemai* Dionyſii caſtra à Romanis expugnãtur, an. mun. 4007. numer. 23. ipſe à fuga mergitur, numer. 24. inuentum in Nilo cadauer cum lorica aurea, ibid. Iunior Ptolemæus ei ſuccedit, a. 4007. nu. 27. cum Cleopatra 15. annos natum veneno tollit, ibid.

PVNICVM bellum tertium incipitur, an. mund. 3905. numer. 1. eius cauſa, & occaſio, n. 2. 3.

PVRPVRÆ vſus Romæ, a. m. 3894. number. 25. & 26.

Q.

QVINTILII Varii mores, an. mun. 4061. num. 5 Præfectus Syriæ Iudæam Syriæ contribuit, ibid. eius clades in Germania, vide *Variana* clades.

QVIRINALIA quæ, anu. mund. 3887. numer. 85.

QVIRINI, ſiue Romuli templum dicat Auguſtus, a. 4038. 5.

QVIRINII ſiue Cyrini cenſus an extet in profana hiſtoria, a. m. 4052. n. 75.

QVIRINII cenſus poſterior cum Coponio, a. m. 4062. n. 3. & 4.

QVIRINII mors, a. m. 4074. nu. 2.

R.

RAMMII Brunduſini in Romanos amor, & fides contra Perſeum, a. mun. 3882. num. 20.

RAZIÆ hiſtoria quando contigerit, an. mun. 3893. num. 46. eius laus triplex, num. 47. gladio ſe petit, numer 50. an laudabiliter, numer. 51. Videri à Spiritu ſancto motum. Cur id factum improbet S. Auguſtinus, 51.

REDITVS Romanorum Pompeii tempore, a. m. 3993. n. 12.

RESVRRECTIO mortuorum credita Iudæis, an. mun. 3891. nume. 113. ſanctorum cum Chriſto reſurrectio, an tunc ad immortalitatem, an. mun. 4086. num. 58. 59. Non videri, nu. 60. & 61. Epinicion ad Chriſti reſurrectionem, n. 70.

REGVM & principum in ſubditos officium, an. 3891. num. 82. nolunt videri cogi, ibidem.

RESCVPORIS Thracis geſta, an. mun. 4072 nu. 1.

RHODII ſtudent Romanis, an. mun. 3882. n. 2.
27. & 3883. numer. 10. pacem Romanis ſuperbe imperant, an. 3885. num. 16. Macedones amice accipiunt, & ſuperbe de Romanis loquuntur, an. 3886. numer. 13. eorum legati vt accepti à Coſ. in caſtris, numer. 17.

Rhodij accerbe irriſi, & reiecti Romæ, nunciata Æmylii victoria, an. mun. 3886. nu. 30. & alioqui male accepti Romæ, 3887. nu. 60. in Senatu agunt cauſam ſuam, nu. 61. Quis cauſæ exitus, & vt eos Romani vlti fuerint, n. 65. 66. 2.

Rhodij ſocietatem Romanam recuperant, an. 3889. numer. 48. Rhodiorum erga Romanos fides, an. mun. 3966. num. 9. fruſtra à Mithridate oppugnantur, n. 10. eorum induſtria, & virtus, an. mun. 4007. num. 13. 3.

RHODOCVS proditor Bethſuræ, an. mu. 3892. nu. 24.

RITVS gentiles qui introducti, an. mu. 3879. numer. 19. & 20. quando, & quibus auctoribus contra Ioſephum, numer. 20. Iudæorum ea de re deliberatio, numer. 21. Ritus profani Hieroſolymis conualeſcunt, 3880. num. 1. & quorum opera, nu. 1. & 2.

ROGATIO, & S. C. de bello in Perſeum, an. 3883. num. 5. Rogatio de abrogando Syllæ imperio, & Mithridatico bello Mario decernendo, an. mund. 3966. numer. 5. Manlii pro bello piratico in gratiam Põpeii, 3987. nu. 13. de reditu Metelli, 3955. nu. 4.

ROMANORVM pietas, an. mun. 3879. numer. 1.
22. Perſeum oderant, an. mun. 3881. num. 7. Romani cunctanter bella ſuſcipere, ibid. eorum opes, numer. 10. religio in ſuperos, numer. 10. & 12. benignitas in legatos, nu. 10. graues incipiunt eſſe prouinciis, n. 11.

Romanus Senatus Conſulis ſeueritatem improbat, an. mun. 3831. 14. eorum ſocii in bello Macedonico, an. mun. 3882. num. 27. An in iis Rhodii, ibid. Eorum potentia & copiæ, 883. numer. 8. Calliditatem Q. Marcii cum Perſeo improbant, numer. 12. 2.

Romanorum copiæ in Macedoniam laborioſe ac tarde traiiciunt, an. mun. 3883. nume. 13. aduerſis rebus ferociores fiunt, nume. 22. 23. an. mund. 4069. numer. 4. eorum aduerſæ aliquot pugnæ, an. 3883. numer. 18. 19. periculum graue 24. Præfecti prouincias vexant, 3883. nu. 28. & 884. nu. 10. 11. 12. 3.

Romanorum clades ad Vſcanam, an. 3884. numer. 14. Deus eos caſtigat, numer. 15. irritæ oppugnationes vrbium Macedoniæ, an. mun. 3885. num. 14. & 15. Clades belli Numantini, Viriathi Sertorii, Spartaci, Italici, Syllæ, Pompeii, &c. vide ſuis locis. 4.

Romanos cur Iudæi adierint, an. 3891. numer. 5.

85. eorum ad Iudæos epiſtola, numer. 86. Reges in officio metu continent, an. mu. 3894. numer. 3. 4. 5. 22. eorum potentia & humanitas, numer. 7. eorum victoriæ in Galatia, 8. Hiſpania, 9. remotioribus locis, 10.

6. *Romani* amicitiæ cultores, an. mun. 3894. nu. 22. qui apud eos penes vnum poteſtas, numer. 28. num inuidia vacarent, & zelo, numer. 31. eorum in Philometorem iniuſtitia, an. mun. 3900. numer. 5. pro iuniore legatos mittunt, non auditis Legatis Philometoris, numer. 6. in Mancinum, vide *Mancinus*. In ſocios Italicos, 3963. n. 5.

7. *Romani* iubent Pœnos claſſem exurere, & exercitum dimittere, an. mun. 3904. nu. 7. mala fide cum Pœnis pro Maſaniſſa agunt, numer. 13. bellum in eos decernunt & copias cum vtroque Coſſ. mittunt, 3905. n. 6.

8. *Roma* æterna vnde, an. 3908. numer. 24. clades multæ confertim eam affligunt, ann. mun. 4032. numer. 1. in 14. regiones ab Auguſto diuiſa, an. 4047. num. 3. Romæ terræmotus, inundatio, fames, a.m. 4058. nu. 4.

9. *Romani* fœdus ineunt cum Numantinis, an. mun. 3922. numer. 5. iubent amiſſa Iudæis reſtitui, 925. numer. 3. Romæ renouatæ ſeditiones, numer. 7. multorum regum heredes, 3958. nu. 6. difficilia Romæ tempora, 3979. n. 3.

P. Rutilius Legatus Sceuolæ in Aſia, a. m. 3955. num. 6. & 3959. numer. 7. eius integritas, ibid. eius iudicium quando contigerit, 3961. numer. 3. quæ forma iudicii, numer. 4. exul Smyrnæ conſenuit, ibidem.

P. Rutilius Lupus Coſ. bello Sociali occiditur, a. 3964. n. 5.

S.

1. Sabbatum, & feſti Iudæorum dies ab Epiphane antiquantur, ann. mund. 3887. numer. 9. Iudæi ſabbathi die non reſiſtentes ab hoſtibus perimuntur, 3888. n. 24. idque ſæpius, ibid. Sabbatho licitam defenſionem declarat Matthathias, numer. 25.

2. *Sabbato* pugnam imperat Nicanor, an. mun. 3893. numer. 54. Sabbato contra templum à Romanis agger extruitur, ceſſantibus Iudæis, an. mu. 3991. nume. 8. num id opus impedire non potuerint, ibid. n. 9 Sabbatum obſeruantes ſine defenſione exuruntur, 3887. nu. 19.

3. *Sabbaticus* annus confirmat chronologiam noſtram, a.m. 3892. numer. 16. 17. 18. item 150. regni Græcorum, ibid. vide & 3920. nu. 7.

Sabinus Cæſaris Legatus apud Lexouios rem bene gerit, an. mund. 3998. numer. 13. Titii Sabini cædes iniuſta, & ſui in eum canis amor, a.m. 4081. n. 3.

Sacerdotes Iudæorum impii, an. mu. 3880 numer. 2. territi minis Nicanoris Deum orant, 893. numer. 39. & iteratis minis, iterant preces, numer. 45. eorum oratio, nu. 46.

Sacrorum locorum reuerentiæ exemplum inſigne, a.m. 3886. n. 12.

Sacrificia ab Epiphane Iudæis prohibentur, an. mund. 3887. nume. 9. Sacrificium expiatorium, an. mund. 3891. numer. 112. Humana ſacrificia S. C. vetita, ann. 3957. nu. 6.

Sacrilegium Fuluii Flacci Pontificis, eiuſque pœna, a. mun. 3881. nume. 12. Sacros Græciæ theſauros Sylla prædatur, a. mun. 3967. n. 13.

Salome ſoror Herodis perniciem filiis Mariamnes ſtruit, an. mun. 4042. numer. 6. & an. 4043. nu. 1. 2. dat filiam ſuam Ariſtobulo vxorem, & cur, ibid.

Salomes ſororis Herodis nuptiæ improbabiles, an. mun. 4051. numer. 10. dimittit vinctos poſt mortem fratris, contra eius iuſſa & preces, a.m. 4053. nu. 48. maritum repudiat, a.m. 4028. num. 9. eiuſdem mors a. m. 4064. n. 4.

Salviarum gens à C. Sextio proconſule victa, a.m. 3930. n. 16.

Salvius rex ſeruorum in Sicilia, & ab eo geſta, an. 3950. num. 8. vide infra Seruile bellum.

Samaritæ, Antiocho vexante Iudæos, negant ſe eorum cognatos. an. mun. 3887. n. 1.
14. adulantur Antiocho, ibid. eorum de templo ſuo poſtulatum, n. 15. Samaria ab Hyrcano obſeſſa, 3939. n. 5. à Cyziceno auxilium petunt, 3940. n. 3.

Samaritis iterum fert auxilium Cyzicenus, a. 2.
mun. 3640. nu. 4 vrbem capit Hyrcanus & ſolo æquat, Ioſephus, an. mun. 3940. nu. 5. 6. parum probabiliter, ibidem, mulieris Samaritanæ conuerſio, an. mund. 4083. n. 6. 7.

In Samothraciam fugit Perſeus, an. mun. 3886. n. 27. ibi à claſſe Romana obſidetur, num. 31.

Samos inſula, a.m. 3916. n. 9.

Sampsa, vide *Lampſacum*.

Samnites odit Sylla, & crudeliter tractat, a. m. 3972. n. 18. & n. 6.

Saturnini lex Agraria in gratiam Marii, an. mund. 3954. nu. 6. ſeditionem excitat, n. 7. obſidetur in Capitolio, n. 8. in Curia cum ſuis occiditur, ibid.

Gentius Saturninus Syriæ Præſes ſuccedit Piſoni, an. mund. 4072. numer. 5. mouet Tiberium ad Iudæos vrbe pellendos, nu. 6. & 7.

Q. Mutius *Scæuola* Aſiam Prætor laudatiſſime gubernauit, an. mun. 3955. numer. 6. cum L. Craſſo Conſul, an. mun. 3959. Vr. Cond. 658. triumpho collegæ obſtitit, n. 6. fuit Pont. Max. ibid. exemplar prouinciæ bene adminiſtratæ, n. 7.

Ioseph. dictus *Scaliger* arguitur de Ioue Græ- 1.
canico, an. mund. 3887. num. 15. & circa tempus templi Oniæ, an. 3889. numer. 6.

ſchol. 3. multipliciter errat. Errat & in pontificatu Iudæ & Ionathæ, a. 3902. numer. 18.

2. *Scaligeri* anachroniſmus & anhiſtoriſia, ann. mun. 3902. numer. 19. arguitur etiam, a. mun. 3908. numer. 17. & 18. & 4057. in ſcholio. Errat circa inſtauratam Sebaſtem, & Cæſarem ab Herode, an. mund. 4032. n. 13. arguitur, a. 4046. n.6. & 4048 in ſchol.

3. *Scaliger* ſecum pugnat de tempore à Chriſto nato, ad mortem Herodis, an. mu. 4051. numer. 31. & numer. 37. Errat de annis Actiacis, numer. 43. & ſeqq. & de morte Ouidii, ann. 4070. numer. 7. de expeditione Hyrcani pontificis, ann. mun. 3923. nu. 11. 12.

4. *Scaliger* refutatur de Antiocho Sidere, an. m. 3923. numer. 12. circa Philippum Gryphi filium arguitur, an. mun. 3962. numer. 2. errat de Seleucidarum annis, an. m. 3970. n. 2. eius chronologia reprehenditur quoque, a. 3951. n. 2.

5. *Scaliger* S. Hieronymum & Dionem falſitatis male accuſat, an. mun. 4007. numer. 26. decretum Cæſaris pro Iudæis improbat, de quo, & aliis multis arguitur, n. 34. & 35. Solinum male vexat de diebus intercalaribus, a. 4008. n. 32. & 34.

6. *Scaliger* male arguit Euſebium, an. mu. 4017. num. 12. & 13. errat iterum circa Antigonum regem vltimum Iudæorum, ibid. numer. 14.

1. M. ÆMYLIVS *Scaurus* homo nouus, an. mun. 3939. numer. 6. eloquentiæ ope emerſit, ibid. eiusdem autoritas, ibid. de Liguribus triumphauit, numer. 6. Conſularis, & princeps Senatus legatur in Africam, 3940 10. vbi pecunia à Iugurtha vincitur, ibid. & a. m. 3943. n. 2.

2. *Scaurus* pacem cum Iugurtha conficit, an. mu. 3943. nu. 3. quæ Romæ damnatur, 3944. nu. 1. à Cimbris vincitur, an. mund. 3946. nu. 8.

1. SCAVRVS Pompeii Legatus Damaſcum & Iudæam adit, an. mund. 3989. numer. 3. & 4. Legati Iudæorum opem à Scauro petunt, numer. 5. qui Ariſtobulum regno reſtituit, ibid. fit primus Syriæ Præſes, an. 3991. n. 16. & 93. n. 1.

2. *Scaurus* bellum Arabicum à Pompeio mandatum conficit, an. m. 3992. num. 1. triennio Syriæ præeſt 993. numer. 1. eius ſucceſſores, ibid.

1. P. CORN. *Scipio* Æmilianus, Africanus minor, in communi metu, ad bellum Celtibericum ſe offert, an. mun. 3903. numer. 10. Hiſpaniam adit Legatus Luculli Coſ. ibid. eius fortitudo ac fides ad Intercatiam, nu. 12.

2. *Scipio* ad Intercatiam ſingulari certamine victor, an. mun. 3903. numer. 12. miſſus in Numidiam à Lucullo, elephantos inde in Hiſpaniam adducit, numer. 16. mittitur Orator pacis cauſa inter Pœnos & Maſaniſſam, a. m. 3904. n. 13.

3. *Scipio* exarmat Pœnos, an. mun. 3905. num. 9. eius prudentia & fortitudo, num. 15. 16 17. à Senatu agnoſcitur, numer. 18. Romam a. Coſ. cum Himilcone mittitur, a. mun. 3906. numer. 9. Romæ ætate immatura fit Conſul, a. 3907. n. 16.

Scipioni conſuli extra ſortem datur Africa, 3907. numer. 16. ad quam vela facit, & aduentu ſuo liberat Mancinum cum copiis ab interitu, n. 17. diſciplinam militarem inſtaurat, n. 18. Megaram in vrbe occupat, ibid. 4.

Scipio intentius Carthaginem obſidet, & commeatu prohibet, an. mun. 3907. numer. 20. os portus obſtruit, & Pœni aliud aperiunt, num. 21. Aggerem occupat, ex eoque pugnat contra Pœnos, nume. 22. Nepherim occupat cum magna hoſtium clade, n. 23. 5.

Scipionis Legatis pleraque loca deditionem faciunt, an. mun. 3907. num. 23. in forum Carthaginis irrumpit, & viam in arcem molitur, a. m. 3908. n. 19. 20. 21. ad Byrſam euadit, ibid. exitum ab arce permittit, nu. 22. 6.

Scipio ſuper immenſa vrbis clade illachrymatur, an. mun. 3908. nume. 24. timet æternæ Romæ, ibid. Vrbem prædæ tradit, repeti curat donaria, numer. 25. de Carthagine triumphat, n. 30. quid argenti translatum, n. 31. 7.

Scipio ſecundum obtinet conſulatum, an. m. 3920. num. 11. anno 20. belli Celtiberici, ibid. an Coſ. illegitima ætate, n. 11. Priuilegia illi data, n. 12. delectus eius & copiæ num. 13. labore militem exercet, & caſtigat, n. 14. 8.

Scipio Vaccæos deuaſtat vnde Numantini petebant commeatum accedit Numantiam, 3920. num. 14. Eum Iugurtha cum Elephantis ex Numidia adit, ibid. propius accedit ad vrbem, a. m. 3921. n. 10. oblatam recuſat pugnam, ibid. 9.

Scipio ſuos fortes reddit minis atque muneribus, 3921. numer. 11 & 12. Numantiam foſſa, vallo, ac machinis obſidet, num. 13. amne & auxiliis excludit, numer. 14. vrbem ad deditionem coactam ſolo æquat, numer. 15. de illa triumphat, 3922. numer. 6. 10.

SCIPIONIS Naſicæ fuga, & mors, ann. mun. 3924. numer. 5. abdicat conſulatum, an. 3892. n. 41.

METELLVS PIVS SCIPIO, Collega, & ſocer Pompeii Magni, an. mun. 4002. numer. 13. Syriæ præſes, an. 4006. num. 9. quam multa exactione vexauit, eius auaricia, ibid. A Pompeio ad bellum euocatur, ibi. in poſtrema pugna mediam aciem tenet, nu. 12. 1.

Scipio bellum in Africa renouat, an. m. 4008. numer. 3. Iubæ famulatur, ibid. ei ſumma imperii à Varo & Catone defertur, nu. 3. eorum copiæ, ibid. cladem equeſtri prælio accipit à Cæſare, & Iubam euocat, numer. 8. 2.

Scipio arte à Cæſare ad pugnam adducitur, an. mun. 4008. numer. 9. pugnatur, elephanti 3.

Scipionis turbant ſuos, inde fuga, etiam Scipionis, n. 12. eius copiæ conciduntur, ibid. magnitudo cladis, n. 13. eiusdem interitus, n. 18.

Ad Scodram vrbem primariam Illyrici Gentius cum ſuis vincitur, an. mun. 3886. nu. 14. Rex ab Anicio Prætore cum ſuis recipitur, n. 16.

Scribonivs rex Ponti ſuppoſititius, an. mu. 4039. n. 2. qui mox à Boſphoranis interficitur, ibid.

Scrofæ cognomen cur L. Tremellio datum, a. 3912. n. 41.

Scythopoli res à Iuda geſtæ, ann. mund. 3891. nu. 104. Eadem eſt Bethſa, an. mun. 3912. 2.

Sebaste ab Herode inſtauratur, ann. mund. 4032. n. 12. & quo tempore contra Scaligerum & Euſebium, n. 13.

Seditio Tarſenſium, & eius cauſa, an. mu. 3882. numer. 10. in Lyſimachum Iudæum, in qua & necatur, num. 15. 16. Seditio in Iudæa à Iuda Galilæo, 4063. numer. 2. Alia Hieroſolymis ob profana Herodis opera, a. m. 4052. n. 22. & 23.

Seditio initio regni Archelai, an. mun. 4053. numer. 50. Alia ſeditio, eo Romæ de regno apud Auguſtum litigante, an. 4054. numer. 12. Seditiones crebræ pro conſulatu Romæ, 4033. numer. 2. 4035. numer. 31. 33.

Seditio Apulei Saturnini, Gracchorum, Cinnæ, Carbonis, Fimbriæ, &c. vide ſuis locis. Militum in Germania, 4067. 17.

Segeda, vide Belgida in Celtiberia, an. mu. 3960. n. 6.

Segestvs Germanus Romanorum amicus ab Arminio obſeſſus à Germanico liberatur, a. m. 4068. n. 2. 3.

Seivs Strabo Præfectus prætorio, an. mun. 4067. numer. 15. Inde filius eius L. Ælius Seianus, qui miſſus cum Druſo in Germaniam ad ſeditioſum militem, iuueni rector, numer. 15. promptus Tiberianæ ſæuitiæ adminiſter, an. mun. 4075. in ſchol.

Senatus in Seianum adulatio, an. mun. 4075. numer. 3. vide & numer. 4. multos quæſita cauſa perimit Seianus, ibidem, eius potentia, an. mund. 4076. num. 3. & cum Druſo Tiberii filio inimicitiæ, nu. 4. eius vxorem Liuillam polluit, & veneno armat in virum, ibid.

Seianus Apicatam vxorem poſt tres ſuſceptos ex ea liberos repudiat, a. m. 4076. nu. 4. & Liuillæ nuptias ſpondet, ibid. familiam Germanici tollere parat, Agrippinam viduam calumniis petit, ann. mund. 4076. n. 6.

Seianus Tiberium in familiam Germanici exaſperat, ann. mund. 4070. numer. 1. claros aliquot viros ab eo tolli curat, numer. 2. & 4078. numer. 1. Nuptias Liuillæ Druſi viduæ petit, num. 2. nec obtinet, ibid. Tiberio perſuadet migrationem ex vrbe, ibid.

Seiani artes in Agrippinam, ann. mun. 4079 numer. 6. abit ex Vrbe cum Tiberio, numer. 7. perniciem duorum Cæſarum machinatur, 8. eiusdem artes & calumnias in Agrippinam, eiusque filios, an. mun. 4080. nu. 5. Seiani honores, & Tiberii in eum inuidia, 4083. n. 12.

Seiano Tiberius perniciem ſtruit, an. mund. 4083. numer. 13. quando occiſus fuerit, 4084. numer. 22. 23. eius felicitas, nume. 24. Tiberii artes contra eum, ibid. Seianus agnoſcit populum ſibi minus fauere, nu. 25. dum ſperat tribunitiam poteſtatem, ſupplantatur, 26.

Seianus priuatus militibus in carcerem conicitur, a. 4084. nu. 27. & 28. Populus in eum furit, & à Senatu damnatur, nu. 29. raptatur in Tiberim, numer. 30. familia eius ignominioſe, crudeliterque tractatur, ibid. à populo in eius amicos ſæuitur, numer. 31. & à Tiberio, 4085. nu. 12. & 13.

Selevcia multiplex, ann. mund. 3908. numer. 4.

Selevcvs filius Demetrii Nicanoris regnare incipit, a. m. 3918. n. 1. qui mox à Cleopatra matre perimitur, n. 2.

Selevcvs Antiochi Gryphi filius ei ſuccedit, ann. mund. 3958. numer. 1. bellum gerit cum Antiocho Cyziceno patruo, & prælio captum morti dedit, ibid. mox autem Antiochus Pius Cyziceni filius prælio cum Seleuco congreſſus, victum Syria expulit, a. m. 3959. nu. 1. & 2.

Seleucus fuga delatus in Ciliciam, ibi tyrannicè agens cum ſuis in regia viuus exuritur, an. m. 3960. n. 1. & 2. Seleuci frater Antiochus dum fratrem vlciſci cupit, ab Antiocho Pio victus, vitam cum exercitu amiſit, a. m. 3961. n. 1.

Selevcidarvm reliquiæ Philippus tertius Gryphi filius, & Antiochus Antiochi Pii filius, qui dictus eſt Aſiaticus, an. m. 3968. nu. 2. vltimus Seleucidarum regnauit in Syria ille Philippus, 3969. nu. 1. finis regni Seleucidarum, ſiue Græcorum, 3970. 1. quamdiu durauerit, n. 1. & 2.

Sempronia coniux Scipionis de eius morte ſuſpecta, ann. mund. 3925. numer. 8. ſoror Gracchorum deformis, ac ſterilis, ibidem.

C. Sempronivs Tuditanus Coſ. an. m. 3925. iudex de agrorum diuiſione, num. 11. abit in prouinciam, vbi rem primo male geſtam victoria emendauit, & de Illyriis triumphauit, n. 11.

Senatvs Romanus improbat Coſſ. ſeueritatem, a. m. 3881. n. 14. & rurſum 3884. n. 11. & 12. Vt acceperit ſuperbam Rhodiorum legationem, 3885. nume. 17. Senatus ſuperis gratus, a. m. 3887. nu. 68. Belli Socialis author, 3963. n. 6.

Senatus in Pruſiam beneuolentia, an. mund. 3888. num. 3. Decretum eius circa Eumenem, n. 5. 6. arguitur iniuſtitiæ, n. 7. parum quoque æquus in Demetrium nepotem Epiphanis, a. m. 3891. num. 119. 120. eius regnum atterere cupit, n. 121.

3. *Senatus* audita morte Octauii legati, diſſimulat, an. mun. 3892. num. 45. ſi. iniuſte & malo fine iuniori Ptolemæo Cyprum tribuit, nu. 47. eius prudentia erga Demetrium Seleuci, a. 3894. n. 3. & in alios reges, n. 4. 5. 12.

4. *Senatorum* numerus Romæ à principio & deinceps, ann. mun. 3894. numer. 23. & 24. Auguſtus cupiebat trecentos, legit tamen ſexcentos, ann. mund. 4016. numer. 2. quoſdam inuitos Senatores facit, an. m. 4041. n. 9. S. C. à quot fieri oporteret, 4044. n. 2.

5. *Senatus* diſcordias amat inter principes, ac fouet, an. mun. 3901. num. 16. Senatores ſtrenam Auguſto dabant, an. mun. 4044. num. 2. Senatus Q. Sertorii in Hiſpania, a. mund. 3979. numc. 8. Sociorum Italicorum Cornificii, a. m. 3964. num. 4. Senatus multa molitus pro libertate contra Iulium, & Auguſtum, vide *Cæſar*, & *Auguſtus*.

SEPULTURA Chriſti Domini, an. mun. 4086. nu. 63.

SERON dux Syriæ ſub Apollonio, an. mund. 3889. nu. 11. res à Iuda cum eo geſta, num. 12. 13. 14.

1. Q. SERTORIUS Tribunus militum in Hiſpania ſub T. Didio conſule, an. mun. 3956. num. 6. Sueſſam Syllanis eripuit in Campania, inde profugit in Hiſpaniam, vbi cum ei non ſuccederetur, potens effectus eſt, a. m. 3971. n. 8.

2. *Sertoriani* belli initium, a. mun. 3973. numer. 13. vt Sertorius in Hiſpania inualuerit, ibid. eius legatus Salinator in ſaltu Pyrenæi cæſus à C. Annio Syllæ legato, num. 13. cuius præſidium mox oppreſſit, numer. 14.

3. *Sertorius* refugit Carthaginem nouam, 3973. numer. 14. traiicit in Africam, reditque in Hiſpaniam, ibid. cum Annio claſſe parum feliciter pugnat, ibid. Paccianum legatum Syllæ vincit in Africa, & imperium ſuſcipit à Luſitanis, numer. 14. eius copiæ, ibid.

4. In *Sertorium* Q. Metellus conſul à Sylla mittitur, an. mun. 3974. numer. 5. interea 4. aut 5. duces Syllanos vincit, ibidem, & an. 3975. nu. 7. in iiſque Metellum, nu. 7. 8. Sertorii vigor & alacritas, fugiendo vincit, ibid.

5. *Sertorius* Metellum prouocat ad ſingulare certamen, an. mun. 3975. num. vlt. eum valde exercet, ibid. & a. 976. numer. 14. & Aquinum eius ducem; fit gratus Hiſpanis quos erudit, numer. 15. & a. 77. numer. 5. ei ſe iungit Perperna cum copiis, ibid.

6. *Sertorius* ſpe Pompeium fruſtratur, 3977. numer. 6. quem etiam vincit ac fugat, num. 7. & rurſum ad Sucronem, numer. 4. 5. 6. & ad Saguntum, vbi pene Metellum cepit, nu. 7. fatigat Romanos duces, a. m. 3979. n. 7.

7. *Sertorius* per legatos excitat Mithridatem in Romanos, an. mun. 3979. num. 8. eius Senatus in Hiſpania, ibidem. Fœdus init cum Mithridate, ibidem, & numer. 9. Metellus Sertorium proſcribit, numer. 12. multi Sertoriani ad Metellum transfugiunt, an. 3980. 2.

Sertorius milites à ſe alienat, aut Perperna potius, an. mun. 3980. numer. 3. 4. res tamen ſuas ſatis ſuſtentat, numer. 5. Alter Annibal dicitur, ibid. multum apud Mithridatem poteſt, n. 6. res eius collabuntur, 981. n. 9. 8.

Sertorianum bellum quam diuturnum, an. m. 3981. numer. 12. coniuratio in Sertorium num. 13. modus cædis eius & locus, numer. 14. Perperna flagrat inde inuidia, numer. 15. quem victum Pompeius iubet occidi, numer. 16. 9.

Q. FABIUS *Seruilianus* Coſ. a. mu. 3912. res ab eo cum Viriatho geſta, nu. 36. ancipiti fortuna, nu. 37. rurſus in eum in Luſitaniam contendit, 3913. nu. 11. eius de latronibus victoria, ibid. transfugis manus abſcindit, n. 12. 13. 1.

Seruilianus pacem cum Viriatho fecit, ann. mun. 3913. nu. 14. quam frater eius Q. *Seruilius* Cæpio diſcuſſit, nu. 15. & an. mund. 3914. numer. 20. in eam rem adducto Senatu, ibid. eumque à ſuis interfici curat, nu. 23. 24. 2.

SERUILIUS Iſauricus de Iſauris, & Piratis triumphauit, an. mun. 3980. numer. 14. Coſ. 3975. ad quinquennium rem præclare geſſit in Cilicia & Pamphylia, n. 6. Iſauros ſubegit, ibid.

SERUILE bellum in Sicilia, ann. mun. 3919. numer. 12. Eius dux Eunus Syrus, numer. 13. multos Romanos duces profligarunt, ibid. à P. Rupilio Conſule confectum eſt, 3922. numer. 7. qui de iis fuit ouatione contentus, ibid. Ordo rei geſtæ, n. 8. mors Euni ducis ſeruorum, n. 9. 1.

Seruile bellum ſecundum in Sicilia, qua occaſione excitatum, ann. mun 3950. nu. 5. & 6. multi ingenui in Bithynia & Sicilia in libertatem vindicantur, ibid. 30. ſerui occiſis dominis libertatem arripiunt, aliis dant, nu. 6. 2.

Serui coacta manu, & munito loco occupato Licinij Neruæ prætoris vim irritant 3950. nu. 6. ſed mox fraude capiuntur, ibid. Alij rurſum ſeruorum motus, num. 7. qui augentur victoria, ibid. 3.

Saluius rex *Seruorum*, eiúſque copiæ, an. mun. 3950. nume. 8. quæ ab eo geſta ad Morgantiam, ibid. Sub Athenione ſeruile bellum ingraueſcit, 3951. num. 14. eum Saluius ſibi adiungit ſocium, & cum eo Tricalam occupauit, nu. 15. 4.

Seruorum rex Saluius Athenionem in vincula coniicit, an. mun. 3951. num. 5. moxque liberat ad pugnandum contra Lucullum ibid. Lucullus victor Tricalam obſidet irrito conatu, ibid. & ann. 52. nu. 12. ſicut & C. Seruilius, ibid. 5.

Seruiles belli reliquiæ ab Acilio conſule 6.

profligatæ, an. mun. 3953. nu. 11. quamdiu
durarit hoc bellum, ibid. Vide a. 3954. n.
9. ouans Capitolium adiit, ibidem. Aliud
Seruile bellum in Italia exortum, & à
Curtio Lupo compreſſum, an. mun. 4077
nu. 3. ſi.

SEXTILIVS Luculli Legatus, cum Mithrobar-
zane Mithridatis legato pugnat, ac vin-
cit, an. m. 3984. nu. 10. Tigranocertam ob-
ſidet, regiam Tigranis diripit, ibidem. Vr-
bem denique expugnat, an. mun. 3985. n.
1. 2.

SIBYLLINOS libros expurgat Auguſtus, a. m.
4041. n. 12.

1. ANTIOCH. SIDETEM vxor Demetrii euocat,
& leuirum ducit, 3915. 2. eius cognomina
n. 3. ad Simonem literæ, n. 4. earum ſen-
tentia, n. 5. Iudæis multa promittit, num.
6. reſponſio Simonis, ibid. à patre Deme-
trio Gnidum puer amandatur, ann. mun.
3902. n. 6.

2. Antio. *ſidetis* regni initum, an. mun. 3916. n.
1. frater Demetrii Nicanoris, filii Deme-
trii Soteris in Tryphonem inſurgit, & vi-
ctum fugat, obſideтque Doræ, num. 1. 2. à
Sida vrbe Pamphyliæ dictus creditur, nu-
mer. 10.

3. *Sidetes* obſidet Doræ Tryphonem, an. mun.
3917. nu. 1. Simon ad eum mittit auxilia,
nu. 2. quæ ille repudiat, ibid. & ab eo alie-
nat ſe, nu. 4. & copias mittit contra Iu-
dæos, nume. 9. Tryphonem compellit ad
mortem, a. m. 3918. n. 1.

4. *Sidetes* cæſo Tryphone bellum vrget in Iu-
dæos, a. m. 3918. nu. 12. eius opem euocat
Ptolemæus, qui Simonem interfecit, an.
m. 3919. n. 3. obſidet Hyrcanum Hieroſo-
lymis, 3920. n. 8. eius pietas, 3921. nu. 4. &
humanitas, n. 5.

5. *Sidetes* cur ſoluerit obſidionem Ieruſalem, a.
3921. nu. 7. eius expeditio Parthica, 922.
n. 1. eius luxus, nu. 2. Antiochi extrema,
3923. n. 1. mortis cauſa & modus, num. 2.
aliæ de eius morte ſententiæ ex 2. Macha.
n. 3. 4. 6. 7. 8.

6. *Sidetes* Deam Nanneam ducere voluit, an. m.
3923. numer. 9. Lapidibus obruitur, ibid.
res ex alia verſione declaratur, nume. 10.
eius funus curatur ab Alexandro Zebina,
a. m. 3925. n. 5.

1. SIMON Mathathiæ filius frater Iudæ vir con-
ſilii à patre dicitur, an. m. 3888. numer. 31.
Ideoque putatur natu maior, n. 30. quod
Iudæ conuenit, 3889. num. 2. eius expedi-
tio in Galilæam, an. 3891. n. 39. & victoria,
ibid.

2. *Simon* oppugnat cum Ioſepho fratre muni-
tiones ex ordinatione Iudæ, a. m. 3891. nu.
63. & 64. Eius periculum à Nicanore, an.
mund. 3893. numer. 31. 32. eius pugna &
victoria contra Apollonium, anni. 3907.
nu. 10.

3. *Simon* expugnat Bethſuram, an. mun. 3910.
nu. 14. occupat Ioppem, 3911. numer. 12.
aut potius nutantem confirmat, ibidem.
Amiſſo Ionatha offert ſe populo in auxi-
lium, a. 3912. num. 11. ab eo in ducem eli-
gitur, n. 12. tutatur Ioppem, ibid.

Simon conſentit Tryphoni petenti pecu- 4.
niam & obſides, an. mun. 3912. numer. 15.
& an recte, ibid. Simon magnificum ſuis
excitat ſepulchrum, n. 20. 21. &c. tranſit ad
Demetrium cum muneribus, numer.
30. ab eoque libenter admittitur, numer.
31. &c.

Simon plenam Iudæis libertatem acquirit, a. 5.
m. 3912. num. 34. qui annus in Epocham
vertitur, ibid. Simonis in Gazæos expedi-
tio, eiusque cauſa, an. 3913. numer. 1. ob-
ſidet Gazam, numer. 2. eamque deditio-
ne recipit, nu. 3.

Simon recipit arcem Sionis, an. mun. 3913. nu- 6.
mer. 4. poſt annos 27. Filium ſuum prin-
cipem militiæ conſtituit, numer. 5. pax
Iudæorum & Simonis gloria, 3914. num.
5. & in Remp. beneficia, num. 6. Romam
legatos mittit cum clypeo aureo, a. 3914.
nu. 12.

Simoni gratus eſt populus, a. m. 3914. num. 12. 7.
& ſeqq. eius electio in ducem & ſummum
ſacerdotem, n. 18. collocat in arce præſi-
dium, & exaltat muros Ieruſalem, nu-
mer. 19. eius cum Demetrio amicitia, &
honor, ibid.

Simonis amicitiam ambit Sidetes, a. m. 3915. 8.
num. 4. 5. 6. reditus legatorum Simonis
ex vrbe, 3916. & literæ Roman. in gra-
tiam Simonis, num. 4. & ſeqq. Simon au-
xilia Doram ad Sidetem mittit, quæ ille
repudiat, 3917. nu. 2.

Simon reſpondit Sidetis legatis, a. 3917. num. 9.
6. gloria Simonis, ibid. filios ſuos bello
præficit contra Sidetem, & eius legatos.
3918. num. 4. & ſeqq. mors Simonis, eiuſ-
que cauſa, a. m. 3919. num. 1. occaſio eius
& modus. nu. 2.

Simonis de morte hiſtoriam valdè deprauat 10.
Ioſephus, 3919. num. 5. & nominatim de
Simonis vxore & filiis, num. 6. Simonis
Epitaphium, num. 8. ſchema familiæ Ma-
chabæorum. nu. 9.

SINDON Chriſti Domini Veſuntione, a. mun.
4086. nu. 64.

SIONIS arx fuit in hoſtium poteſtate annis 27.
an. mun. 3913. num. 4. recipitur à Simone
Pontifice, ibid. quam Ioſephus ſolo æ-
quatam falſo dicit, num. 6. ſicut & mon-
tem complanatum, ibid. & numer. 10.
quando arx occupata, a. m. 3887. num. 4.
& 5.

SOCIALE bellum, quod & Italicum, & Mar- 1.
ſicum dictum eſt, & quando inchoatum
a. m. 3963. num. 3. & 4. eius Dux Pope-
dius, ibid. belli cauſa & æquitas, num. 5.
Belli geminus author, n. 6. ipſeque Sena-
tus, ibid. prima belli origo, nu. 7.

Socij Italici lege lata ciuitate priuantur, a. m. 2.
3963. nu. 9. qui coniurant mutuo, num. 10.
cædibus apud Aſculum in Romanos
graſſantur: coniuratione patefacta arma
corripiunt, legatos mittunt, num. 10. vide
& ſchol. 3.

Sociorum & Romanorum in hoc bellū copiæ, 3.
a. m. 3964. num. 3. nouam Romam cum

Senatu, Coſ. &c. Cornificii conſtituunt, nu. 4. Romanis multas inferunt clades, n. 4. & 5. & viciſſim accipiunt, n. 6. & 3965. n. 4. & 5.

4. *Socijs* fidem ſeruantibus ciuitas datur, an. m. 3965. numer. 4. res à Sylla in Cluentium geſta, numer. 6. & à Pompeio Coſ. contra Aſculanos, numer. 7. & à Metello contra Apulos, 3966. numer. 3. omnes populi Italiæ paulatim ciuitatem adepti ſunt, ibidem, quam diuturnum hoc bellum, ibidem.

Solinus male à Scaligero vexatur, an. mun. 4008. numer. 32. eius ſententia de anno confuſionis, numer. 33. explicatur, nu. 34. & ſeqq. & contra Scaligerum defenditur, ibid.

Solstitii dies anno Mund. 4018. numer. 18.

Soter multorum regum cognomen, an. m. 3893. n. 3. vide indicem, to. 5.

Spartam Romani in gratiam Simonis ſcribunt, a. m. 3916. n. 9. Spartiatarum literæ ad Simonem, 39 4. n. 11.

1. Spartacium bellum gladiatorium authore ac duce Spartaco, a. mun. 3981. numer. 10. arma capiunt, nu. 11. qui duces in eos miſſi, n. 11. irrito conatu, ibid. mox vterq; Coſſ. in eos mittitur, 3982. numer. 18. dubia victoria, ibid.

2. *Spartacus* vrbem petens Coſſ. vincit, an. mun. 3982. num. 19. vrbem relinquit, & quare, ibid. Craſſus in eum mittitur, an. mund. 3983. numer. 7. eumque magna clade afficit, numer. 8. 9. in fraudem inductus pugnat, numer. 10. & fortiter pugnans cadit, nu. 11.

3. *Spartaci* ſocii aguntur in crucem, 3933. numer. 11. de iis ouat Craſſus, n. 2.

Spectaculorum amans Auguſtus, a. m. 4052 nu. 6.

Statius medicus Attali ambitionem ſapienter curat, a. 3887. n. 56.

Stare pro ſubſiſtere, etiam non ſtatu recto, 3893. n. 45.

Statuæ foro ſublatæ, an. mund. 3896. numer. 3.

Strenam Senatores Auguſto dabant, an. m. 4044. n. 2.

Succeſsio doctrinæ, & pontificum, in Eccleſia veteri & noua, a. m. 3906. nu. 4. ea carent hæretici, ibid.

Succeſſor pro Vicario aliquando ſumptus, 3893. n. 36.

Suetonius aliquanto criminoſior, an. mun. 4057. n. 4.

Sulpicius Gallus præſcius Eclipſeon, ann. mun. 3886. numer. 10. Conſul, an. m. 3888. nu. 1.

Sumptuum moderatio ex S.C. ann. mund. 3893. nu. 68. irritum de Sumptibus & luxu ſtudium ſub Tiberio, an. mun. 4075. nu. 1.

Sycio vrbs antiqua Peloponneſi vicina Corintho, a. m. 3916 n. 9.

Sycurium quid, & vbi, an. mun. 3883. num. 15. ibi Perſeus ad prælium ſubſtitit, ibid. & eo redit, numer. 23.

Syllæus receptat latrones in Arabia, an. m. 4048. num. 8. cur Herodi infenſus, ibid. eum apud Cæſarem criminatur, nu. 9. re patefacta ab Auguſto damnatur, an. mu. 4050. n. 3.

1. L. Cornelii *Sylla* ortus, an. mund. 3916. numer. 15. Marii Quæſtor bello Iugurthino, an. mun. 3947. numer. 6. legatus ad Bocchum de pace, 948. nu 5. & rurſum, numer. 6. à Boccho deditionem Iugurthæ petit, & impetrat, numer. 7. accipitque vinctum 9.

2. *Syllæ* & Marii offenſionis initia, a. m. 3948 n. 9. L. Cæſaris conſulis bello Italico legatus, a. m. 3964. n. 3. Ariobarzanem Cappadociæ regno, & Nicomedem Bithyniæ inuito Mithridate reſtituit, num. 7. vide 1970. n. 3.

3. *Sylla* geſta bello Italico in Cluentium, an. m. 3965. n. 6. in Samnites & Hirpinos, ibid. fit Conſul, an. 3966. nu. 4. ei Marius bellum Mithridaticum inuidet, nu. 5. Sulpicius ei lege lata abrogat imperium, num. 4. 5.

4. *Sylla* redit in vrbem quam armis occupat, a. mun. 3966. num. 6. & Marium fugat, numer. 7. Græciam adit, numer. 10. Interim eius leges abrogatæ, amici necati, domus diruta, ipſe hoſtis iudicatur, an. mu. 3967. n. 11.

5. *Sylla* obſidet Athenas, an. mun. 3967. nume. 12. & expugnat, eiusque arcem, nume. 14. ſacros Græciæ theſauros prædatur, num. 13. & in Apollinem iocatur, ibid. magnam obtinet de Archelao Mithridatis legato victoriam, nu. 15.

6. *Syllam* fuga petunt Senatores, an. m. 3968. n. 4. eius pugna formidoloſa apud Orchomenon, n. 7. & alia de Archelao victoria, numer. 8. Bœotiam diripit, Thebanos odit & mulctat, nu. 9. pacem cum Mithridate facit, n. 4. 5. 6.

7. *Sylla* Fimbriam aggreditur, & adigit ad cædem ſui, a. m. 3969. num. 7. 8. ciuile bellum maturat, n. 9. res Aſiæ componit, a. 3970. n. 3. exigit ingentes pecunias, cum totius Aſiæ gemitu, num. 4. Redit in Italiam ad ciuile bellum, n. 5.

8. *Sylla* literas ſcribit ad Senatum minaces, an. mund. 3970. numer. 6. reſponſio Senatus, ibidem, iteratæ ad eum Syllæ literæ cum legatis, numer. 9. Eius copiæ Italiam petentis, ſubinde augentur, numer. 9. & 10. contra eum Coſſ. mouent, 3971. nu. 4.

9. *Sylla* tranſit per Italiam innoxius, ann. mun. 3971. numer. 4. eius ad Canuſium contra Coſſ. victoria num. 5. ad eum Conſulis L. Scipionis exercitus deficit, numer. 6 Sylla Vulpes & Leo, ibid. Marium ad Præneſte vincit, 3972. n. 6. & ad mortem compellit, 8.

10. *Sylla* copias ad vrbem mittit, 3972. num. 10. quam prælio victor occupat, ibid. quæ ſtatim in ea geſſerit, nu. 11. apud Cluſium cum Carbone pugnat, dubia victoria,

ibid. alias victorias obtinet per legatos ſuos, n. 12. 13.

11. *Sylla* ad vrbem periculoſe pugnat, 3972. nu. 16. 17. eius odium & crudelitas in Samnites, numer. 18. cum perfidia, ibidem, vt ſe geſſerit in Marium Coſ. & alios duces, & Præneſte vrbem, n. 20. ſibi confirmat Italiam, nu. 21.

12 *Sylla* Proſcriptionem proponit, quam exercet cruentiſſimam, an. mun. 3972. num. 22. 23. vide Proſcriptio. Statua equeſtri honoratur, & cognomine Felicis, nume. 27. an recte, ibidem, fuit flagellum Dei, nu. 28.

13. *Sylla* fit Dictator, Senatus, populique conſenſu, 3972. numer. 30. quam crudeliter exercuit, ibidem, permittit creari Coſſ. ſed vnum candidatum interficit, 3973. n. 3. eius potentia & dominatus, n. 4. Tribunatum debilitat, ibid.

14 *Sylla* Senatum ſupplet, Plebem libertis auget, an. mun. 3973. numer. 4. triumphat de Mithridate, numer. 5. & quæ triumphi gloria, nu. 6. triumpho Pompeii ægre conſentit, n. 10. transfert in vrbem Græciæ ludos, 3974. nu. 3.

15 *Sylla* Dictator & conſul ſimul, alia geſta eius, an. mund. 3974. numer. 4. deponit Dictaturam, an. 3975. numer. 2. an prudenter, ibidem, offert ſe reddendæ rationi, numer 4. qua fiducia depoſuit, num. 3. dat decimam Herculi, & epulum populo, 3976. 3.

16. *Sylla* Metellam vxorem moribundam repudiat, an. 3976. numer. 3. in morbum incidit, pediculis ſcatet, numer. 4. ſcribit commentarios de rebus ſuis, & viſa mortis eius prænuncia, numer. 4. Mors Syllæ & infelicitas, n. 5. etiam ſub mortem crudelis, n. 6.

17. *Sylla* moriens ſanguinem vomit, 3976. nume. 6. & 7. funeris eius pompa magnifica, numer. 9. funebriſque laudatio, numer. 10. Aromatum profuſio, ibidem, ſuprema felicitas index ſuppliciorum æternorum, nu. 11.

18. *Sylla* funus ſeditionis materia, an. mun. 3976 n. 8. & 12.

1. SYRIA ad Ptolemæos pertinebat ſub Antiocho Epiphane, a. mund. 3879. numer. 10. eam Seleucus & Epiphanes fratres ambiebant, numer. 11. quam hic fraudulenter obtinuit, num. 12. crebræ in Syriæ turbæ, 3916. numer. 22. an. mun. 4012. numer. 28. & alibi ſæpe.

2. *Syri* ad Tigranem confugiunt, eumque aſſumunt regem, an. mund. 3971. numer. 1. Syriæ præſides quales, an. mun. 3993. nu. 1. fit prouincia Romanorum, an. mund. 3988. n. 16.

T.

TABERNACVLORVM, ſiue ſcenopegiæ dies, a.m. 3890. 24. 27.

TABVLÆ æreæ propoſitæ in gratiam Simonis, a. 3914. 14.

TACFARINAS turbas renouat in Africa, an. mun. 4073. numer. 5. Romanos cæſo duce fugat, ibid. quam ignominiam L. Apronius mox vlciſcitur, numer. 3. rurſus in Tacfarinatem Iunius Blæſus proconſul feliciter pugnat, 4075. numer. 4. In eum à Dolabella debellatum eſt, occiſo Tafarinate, 4077. n. 3.

CORN. TACITVS paſſim res in deteriorem partem trahit, an. 4057. numer. 4. ſicut & Suetonius, ibid.

TEMERITAS & ſuperbia Tigranis, an. mun. 3984. n. 9. rurſum temere contemnit hoſtem, n. 12. mox magna clade victus fugit, n. 14.

TEMPLO Hieroſolymitano cladem affert Epiphanes, a. mun. 3885. numer. 28. & ſeqq. 1. Templi cum populo reprobatio, numer. 30. ſic apud Chriſtianos, ibidem. Templo eripit Antiochus 1800. talenta auri, tam in pecunia quam vaſis, numer. 31. & 32.

Templum iterum profanatur, & Olympio Ioui conſecratur, an. mun. 3887. numer. 10. 2. 11. Templum emundandum ſuſcipit Iudas an. mund. 3890. numer. 5. quæ eius hoc tempore facies, n. 6. emundatur, n. 8. loca diruta reparantur, 12. ſacrificatur, n. 14.

Templi contaminatio quamdiu durarit, ann. 3. mun. 3890. numer. 14. triennio ibi oblata impia ſacrificia, nume. 19. quomodo per tres annos cum dimidio, nu. 20. Templi ornatus, numer. 24. munitur ædificiis, & præſidio, n. 28.

Templum Hieroſolymis ab Eupatore obſidetur, an. mun. 3892. nu. 27. & 28. propugna- 4. tores fame vrgente dilabuntur, ibid. de templo Hieroſolymitano, & Samaritano diſceptatio, a. mun. 3906. nu. 2. victoria Iudæis tribuitur, n. 3.

Templum Hieroſolymis quando ab Herode 5. inſtauratum, an. m. 4035. n. 1. 2. 3. non fuiſſe excitatum à fundamentis, n. 5. & ſeqq. fuſe, nec potuiſſe ab Herode excitari, num. 10. & ſeqq. in eo multa peccat Ioſephus, vide *Ioſephus.*

Templum hoc Herodianum quando abſolutum 6. dicatum, a. m. 4043. n. 2. ſi. eius profanatio per oſſa mortuorum improbatur, a. m. 4063. nu. 7. Templum expugnat Pompeius, a. m. 3991. n. 8. & 10.

TEMPLVM Samariticum in Garizim, an. mu. 3886. numer. 2. dicatur Ioui Hoſpitali, 3887. n. 10.

TEMPLVM Ægyptum ab Onia iuniore conſtructum, an. mun. 3889. num. 50. quandiu ſteterit, nu. 60. Pleraque Auguſto erigit Herodes, vide Herodes, n. 16. & 17. & an. m. 4030. n. 13.

TEMPLA ſibi, matrique ſuæ erigi Tiberius aliis concedit, aliis negat, ann. mun. 4078 numer. 2. Templum Quirino dicat Auguſtus, an. 4038. numer. 5. Ioui tonanti, & Apollini palatino, ann. mund. 4032. numer. 6.

TERENTII poëtæ mors, an. mund. 3895. numer. 5.

TERRÆ-motu 12. vrbes in Aſia quaſſatæ, an. mun. 4070. num. 6. Terræ-motus in Iudæa Arabes excitat ad iniuriam, an. 4023. num. 2.

TETRARCHIA filiorum Herodis, a. m. 4054. nu. 13. Vide Toparchia.

THALA oppidum à Metello expugnatur, an. 3946. n. 7.

THEATRVM Lapideum Romæ inchoatum, a. m. 3900. n. 7. Theatri Pompeiani fundamenta, a. m 3993. num. 14. dicatur ſpectaculis, &c. 3699. n. 12. inceuditur, 4075. n. 3. quod ſe reſtauraturum Tiberius promittit, ibid.

THEATRVM Cornelii Balbi dicatum, & ſpectaculis illuſtratum. Edidit & Auguſtus quod appellauit Marcelli, an. mun. 4041. nu. 9. ligneo ex theatro clades, an. mun. 4080. n. 1.

THEBÆ deditæ Romanis, & quid ibi geſtum, an. mun. 3883. numer. 17. Thebanos Philometor poſt defectionem grauiter affligit, ann. 3889. numer. 48. vide tamen, num. 49.

THEORI quod legatorum genus, an. m. 3880. nu. 3.

THEVDAS præſtigiator, & ſeditioſus, an. mu. 4063. n. 5.

THEVTONICARVM mulierum audacia, & caſtitatis amor, a. m. 3952. numer. 8. Theutones contra Marcellum ſemel iterumque pugnant, ac vincuntur, numer. 9. & 10.

THRACES à Druſo repreſſi, an. m. 3942. nu. 2. ſicut ante à T. Didio, ibid. iterumq; mox deuicti, an. m. 3950. n. 4. Thracia à L. Piſone Auguſti Legato pacata, 4043. nu. 6. onerum cauſa tumultuantes compreſſi, a. m. 4079. n. 5.

THRASYLLVS Mathematicus Tiberii, in cæterorum expulſione retinetur, a. m. 4069. nu. 6.

TIBERIS inundatio maxima, an. mun. 4052. nu. 1. & rurſum 4058. 4.

TIBERIVS mons, qui ante Cœlius, & cur, a. m. 4080. n. 2.

1. TIBERII Cæſaris ortus, an. mun. 4012. num. 27. Vt. Con. 711. eius parentes, ibid. priuignus Auguſti, 4030. numer. 2. Quæſtor factus a ætatis 18. ab Auguſto fit procurator annonæ, an. mund. 4031. n. 2. & 6. qui eum aſſumit in Agrippæ mortui locum, a. 4042. 10.

2. *Tiberio* Auguſtus priorem vxorem adimit, & Iuliam filiam ei deſpondet, an. m. 4042. n. 10. & contra Pannonios mittit, ibidem, de quibus victis negat ei triumphum; cōprimit & rebellantes Damaltas, a. m. 4043. nu. 5.

3. *Tiberius* in Germania bellum gerit, ſuccedens Germanico, a. m. 4046. n. 5. titulum Imperatoris obtinet, n. 6. vide & a. m. 4043. n. 5. eum mox ſequitur Auguſtus Aquileiam vſque, n. 8. 9. deſignatur ab Auguſto conſul, a. 4046. n. 6.

Tiberius init conſulatum, an. m. 4047. num. 2. 4.
triumphat, & epulum dat populo, ibid. abit ex vrbe, & cur, a. m. 4049. n. 2. Vide & 4048. n. 6. Rhodi commoratur, & inuiſitur, 4049. n. 3. & 4050. nu. 1. reditum petit nec impetrat, 4053. n. 2.

Tiberius Rhodi commoratur Auguſti Legatus, an. mun. 4053. num. 3. fit ſuſpectus rerum nouarum, ibid. ei permittitur reditus in vrbem, an. mun. 4054. n. 10. redit 4055. n. 1. eum Auguſtus mortuo Lucio adoptare cupit, 4056. n. 1. 5.

Tiberium Auguſtus mortuo Caio adoptat, an. mun. 4057. numer. 6. Tiberius adoptat Germanicum Auguſti voluntate, numer. 7. mittitur in Germaniam, numer. 8. eandem repetit, an. mun. 4058. num. 6. quæ ibi geſſerit, ibid. 6.

Tiberius diutius hærens in Pannonia fit ſuſpectus Auguſto, an. mun. 4060. numer. 1. res ab eo apud Dalmatas geſta, 4062. num. 9. vincit ac de iis triumphat, numer. 10. triennio Illyricum domat, nu. 11. in Germania reſtaurat diſciplinam militarem, a. 4063. n. 1. 7.

Tiberij à ſicario periculum, an. mun. 4064. n 4. res ab eo in Germania geſta, n. 5. par ei ius cum Auguſto datum, numer. 6. tres eius triumphi, ibid. crimen & pœnam maieſtatis ad minora delicta extendit, an. m. 4065. n. 6. 8.

Tiberius principatum à cæde Agrippæ inchoat an. mun. 4067. nu. 14. eum diſſimulantem Senatus pro principe agnoſcit, num. 15. & 16. quo ætatis Tiberii anno, ibid. qualis in Iuliam pridem vxorem fuerit, nu. 18. 9.

Tiberius vt perſoluerit Auguſti legata, an. m. 4068. numer. 1. fit Pontifex maximus, ibidem. Germanico adq; taco in filium parum æquus, 4068. nu. 3. eius de Germanico conſilia, 4069. n. 1. reuocat è Germania inuitum, n. 5. 10.

Tiberius Mathematicos ex Italia pellit, & tamen Thraſyllo vtitur, an. mun. 4069. numer. 6. Germanicum mittit in Orientem, an. 4070. numer. 3. & 4. & Piſonem contra eum in Syriam deſtinat, numer. 5. & Druſum filium in Illyricum, ibidem. 11.

Tiberius opem fert vrbibus Aſiæ terræ motu afflictis, an. mund. 4070. numer. 6. creditus eſt author mortis Germanici, ne ſcilicet ſibi loco Druſi ſuccederet, a. 4072. n. 4. 5. & tamen Piſonem, quo viſus fuerat, deſerit, 4073. n. 2. 12.

Tiberius mortuo Germanico ſæuior fuit, an. m. 4073. n. 3. & in ſchol. 1. diſceſſum ex vrbe meditatur, a. 4074. num. 1. luxum vetat, dum ipſe pergræcatur, 4075. numer. 1. filio Druſo petit tribunitiam poteſtatem, n. 2. 13.

Tiberius ægro Druſo fortitudinem oſtentat in Curia, an. mun. 4076. numer. 5. & laudat mortuum, ibidem. Tiberii æmulatio in Germanici familiam, a. m. 4077. n. 1. opera Seiani, ibid. 14.

Tiberius abit ex vrbe, an. mund. 4079. n. 7. & cur, ibid.

15. *Tiberij* otium quale, an.m.4080.n.3. eius inſignis negligentia Imperii, præſidum, & vinctorum, nu.3.4. mora mortis pro pœna, ibidem, ſecretæ libidines, numer.5. eiuſdem ſuſpiciones, an. 4081. nu. 4. negligentia, nu.6.

16. *Tiberio* grata Sabini cædes, an.mun.4081.nu. 4. Ingratus eſt in Liuiam, an. 4082. nu. 44. eius morte ſolutior ad ſcelera, num. 46. crudelitas Tiberii, 4083.num.10. inuidia in Seianum, numer.11. & in eum artes, a.4084.n.24.

17. *Tiberij* metus à Seiano, an.mun.4084. nu. 28. & 4085. fine. crudelitas in amicos Seiani, 4085. nu.12.13. in ſuos, alienoſque, ann. 4086.nu. 77. 78. &c. Liberalitas Tiberii in pauperes, n.83.

1. Tigranes Armenus in Syria regnare incipit, ann.m.3971. nu.1. Syris ad eum in domeſticis cædibus confugientibus, nu. 2. regnauit ibi 18. annis, nu.1. & 3. an tranquilliſſimè, ibid. inuadit Cappadociam ſuaſu Mithridatis, a.3976. n.13.

2. *Tigranis* cum Metrodoro legato colloquium, a.m.3981.nu. 6. monetur a ſocero de contrahendis copiis, ibid.

3. *Tigranem* Iudæorum legati adeunt, a. mun. 3982. nu. 2. quando Syriam abierit, nu.1. 2. Mithridates victus euadit ad Tigranem, n.10. à quo eum depoſcit Lucullus per legatos, nu.11. & 3983. n.4.5.6.

4. *Tigranis* faſtus ac ſuperbia, 3983. num. 5. non vult dedere Mithridatem, nu. 6. in eum mouet Lucullus 984. n.6. Tigranis temeritas, & ſuperbia, nu. 9. eius copiæ, nu.11. temere contemnit hoſtem, n 12. pugnam parat, ibid.

5. *Tigranes* in Lucullum pugnat, ac vincitur, 3984. nu. 13. magnitudo cladis Tigranis, eiuſque fuga, nu. 14. quem Mithridates conſolatur, nu. 15. eius nouus delectus, ibid. & nouæ copiæ, an.m.985.nu.3. Parthos ambit, ibid.

6. *Tigranes* Mithridatem cur repulerit, an. mu. 3988. nu. 12. Tigranis iunioris cum patre diſſentio, ibid. à Pompeio patri conciliatur, nu. 13. 14. deinde vinctus Romam pertrahitur, 15. Tigranes iuſſu Pompeii Syria decedit, n. 16.

7. *Tigranes* an recte ſpoliatus regno à Pompeio, an. m. 3988. nu. 17. Tigranis cum Phraate Partho bellum, a. m. 3991.nu.17.18. pacem inter eos conciliat Pompeius, n.18. Tigranis Armeni familia, n.31.

1. Tigranocerta vrbs Tigranis regia, a.m. 3984. num. 9. quam Mancæo committit cum præſidio, ibid. obſidetur à Sextilio Luculli legato, n.10. eam Tigranes præſidio nouo firmat, n.10. & 11.

2. *Tigranocerta* expugnatur, ope Mercenariorum exarmatorum, an.m.3985.n.1. modus eius ex Plutarcho, & Dione. Luculli in ea continentia, n.2.

Tigurini cladem Caſſio inferunt, an. 3947. numer.7.

Timor Iudæ, & militum eius qualis, an.m. 3894. nu. 43.44.

Timotheus à Iuda Machabæo victus, an. m. 3889. nu.42.43. & 3891. numer. 34. 35. 42. 43. &c. Idem contra Iudam pugnat, ann. m.3891. nu.65. magna eius clades, nu. 68. fugit in Gazara, nu. 69. expugnatur à Iuda locus, nu.70. expugnatur cum fratre, & Apollophane, n.71.

Timotheus alius dux contra Iudæos, an. m. 3891. nu. 88. eius copiæ contra Iudam, nu.96. captus dimittitur propter captiuos Iudæos, nu.100.

Titius ob occiſum Sex. Pompeium Romanis odioſus, an.mun.4019.n.14. quæ cauſa mortis, n. 12.

Titus Liuius moritur, ann. mund. 4070. numer.7.

Togæ puræ & prætextæ tempus, ann. mun. 4048. numer. 4. & 4055. nu. 1. & 4058. numer.5.

Toparchia, præfectura, ciuitas, tetrarchia pro eodem accipiuntur, ann. mun. 3902. numer.24.

Tornielli opinio de tribus Epiſtolis initio, 2. Machab. improbatur, ann. mun. 3892. num. 40. & de morte Epiphanis, ibid. de Alcimi quoque Pontificatu, an. mu. 3893. num.15.16.

Transfugis Romanorum ad Pœnos quid factum à Scipione, a. m. 3908. nu. 22. 23. ſeſe concremarunt, aut à Scipione beſtiis obiecti, ibid.

Tribuni plebis, Coſſ. in carcerem coniecerunt, an.m.3916. numer. 15. Tribunatum Scylla debilitat, a.m.3973. n. 4.

Tribunitiam poteſtatem retinebant perpetuo Imperatores, & quare, an.m.4027. nu.7. eius ſpe Seianus periit, an.mu.4084. num. 26. eam Tiberius Druſo filio petit, 4075. nu. 2. eandem Auguſtus, & cæteri Impp. retinent. 4027.n.7.

Tributa Iudæorum ſub regibus Syriæ, an. m.3902. num. 22. Tributum in mulieres Romæ, an.m. 4011. num.56. Tributorum cauſa populi rebellant, ann. mun. 4074. numer.2.

Tripolis Syriæ vnde dicta, ann. mun. 3893. numer.8. ibi Demetrius amice accipitur, ibidem.

Triumphi Macedonici Aemylii ſpectaculum, an.m. 3887. nu. 79. 80. 81. & de eodem naualis Octauii, 85. & de Gentio & Illyrus, ibid. Triumphus Syllæ, Pompeii, Luculli, Cæſaris, Octauii &c. vide ſuis locis. Germanici magnificentia, an. mu. 4070. nu. 2. Scipionis, & Bruti, an. mun. 3922. nu.5.

Triumuiri agri diuidendi, ann. mun. 3925. numer.7.

Triumuiratus primi ſemina, an.mu. 3994. 1.
num. 9. Triumuirorum concordia origo ruinæ Reipub. ibid. numer. 10. arma in eorum poteſtate, an. 4001. n.21.

Triumuiratus ſecundus conflatus, an. mun. 2.
4011. nu. 47. Quæ triumuirorum poteſtas, quodue inſtitutum, num. 48. decernunt

Proſcriptionem, num. 49. vide *Proſcriptio*. Vrbem ingrediuntur, & nouum adeunt magiſtratum, n. 52.

3. *Triumuiri* omnia pro arbitrio in Republ. gerunt, ann. mund. 4011. numer. 57. ſecundus annus triumuiratus, ann. mund. 4012. numer. 1. Triumuiri Iulium mortuum honorant, & in eius vltionem maxime incumbunt, numer. 3. Triumuiratus neglecto Lepido fit duumuiratus, an. 4013. 2. & 4014. n. 12.

4. *Triumuiratus* in aliud quinquennium prorogatur, a. m. 4016. n. 8. Auguſtus Triumuiratum fere annos 12. tenuit, an. mu. 4023. numer. 1.

Trophæis excitatis Iudæi pueriliter turbantur, a. m. 4032. n. 9.

1. Tryphon dimiſſus à Demetrio Nicanore, res nouas molitur, ann. mun. 3909. num. 16. quis ille fuerit, numer. 17. vnde dictus, & alia eius nomina, ibid. Inſurgit in Demetrium, aſſumpto Antiocho Alexandri filio, a. 3910. n. 8

2. *Tryphon* Demetrium pugna vincit, & fugat, ann. mun. 3910. Ipſe occupat Antiochiam, ibid. & ſe tutorem Alexandri pupilli nominat, n. 10. conciliat ſibi Ionathan præfectura, & muneribus, ibid. & fratrem eius Simonem, n. 11.

3. *Tryphonis* in Iohatham, & regem pupillum molitio, ann. mund. 3912. numer. 2. fallit eum honore, & muneribus, numer. 3. & perſuadet ei dimittere exercitum, ibid. eum comprehendit Ptolemaide, numer. 5. & cæſis mille ſociis mili qui alios in Galilæa perderent, n. 6.

4. *Tryphon* adit Iudæam cum Ionatha in vinculis, an. mun. 3912. numer. 13. petit à Simone pecuniam, & obſides fraudulenter, numer. 14. moxque fidem datam fallit, numer. 16. venit in Galaaditim, ibique Ionathan cum filiis interficit, numer. 19.

5. *Tryphon* pupillum regem opera chirurgorum interficit, ann. mund. 3912. numer. 24. 25. &c. plagam magnam infert Reipubl. numer. 29. magnam Syriæ partem occupat, ann. mund. 3915. numer. 1. ei Cleopatra cum leuiro Sidete reſiſtit, numer. 2. in eumque inſurgit, ann. m. 3916. numer. 1.

6. *Tryphon* prælio à Sidete victus Doram fugit, vbi & obſidetur, ann. mund. 3916. numer. 2. & ann. mund. 3917. numer. 1. elabitur naui ex vrbe, numer. 8. eum in Orthoſiada Sidetes perſequitur, numer. 9. eius mors & mortis locus, a. 3918. n. 1. & 3. quandiu regnarit, nu. 2.

Tvrbæ militares initio Imperii Tiberii, an. mund. 4067. numer. 17. à Druſo filio Tiberii compreſſæ, ibidem. vide *Seditio*.

Tvrris Stratonis, vide *Cæſarea*. Duplex Stratonis turris, a. m. 3951. n. 8.

Tvtores regni Eupatoris Lyſias & Philippus, vide ſuis locis. Senatus ei tutores mittit, ann. mund. 3841. numer. 120. 121. Et Ptolemæorum contra Epiphanem, qui eorum ſe tutorem ferebat, a. m. 3879. nu. 12. & 3880. num. 4. vide & 3891. num. 121. & 3892. num. 45.

Tympani ſupplicium, a. m. 3887. nu. 21. & 27. & 28. ex Ioſepho, & turſum, numer. 40. & 50.

Tyrivm certamen ludicrum, ann. mun. 3880. numer. 3. compatiuntur innocentibus morte affectis, a. 3883. nu. 3.

V

Vacca Iugurthæ ciuitas in Numidia, à Romanis deficit, ann. mund. 3946. numer. 3. in eoſque epulantes ſæuit, ibidem. Biduo à Metello recipitur, ac diripitur, numer. 4. eius præfectus Turpilius dat pœnas, n. 5.

Varronis felix conſtantia in cauſa Seiani, an. m. 4085 n. 13.

Varronis Philoſophi ætas, & mors, an. m. 4026. nu. 6.

Terentius Varro Salaſſos deuicit, an. mun. 4029. numer. 3. ibi condit Auguſtam Prætorianorum, ibid.

Attius Varvs Prætor in Africa, ad Auximum victus fugit in Africam, eamque occupat, an. m. 4005. num. 19. Tuberonem Vtica prohibet, ibid.

Quintilius Varvs vide *Quintilius*. Varianæ cladis in Germania tempus, ann. mund. 4062. numer. 11. rei geſtæ modus, numer. 12. 13. & ſchol. 2. in Varianæ cladi ſaltu à Germanico parentatur, ann. mun. 4068. numer. 3.

Vasa ſacra Hieroſolymis prædatur Antiochus, ann. mund. 3885. numer. 29. & 31. Noua fiunt in Encæniis Iudæ, an. m. 3890. n. 12. an aurea, ibid.

Vasa aurea Romæ in communi vſu, an. m. 4069. nu. 6.

Vatinivs per vim & pecuniam renunciatur Prætor Catone depulſo, an. mu. 3998. numer. 19.

Vedii Pollionis crudelis gula, an. mun. 4039. numer. 6.

Velleivs Paterculus Tiberio adulatur, an. mund. 4052. numer. 13. 4049. numer. 2. & 3. an. mun. 4056. nu. 2. fin. 4057. numer. 8. an. mun. 4058. numer. 6. an. mund. 4060. numer. 4. in gratiam Tiberii male de Agrippa loquitur, nu. 3.

Velleivs in gratiam Tiberii Seianum laudat, ann. mund. 4073. in ſchol. vide & a. mun. 4061. num. 7.

Veli templi ſciſſio Chriſto patiente, an. mu. 4086. nu. 55. & 56.

Veneni indicia in corpore Germanici, an. m. 4071. n. 4.

Veniæ ſpem ſuis eripit Aſdrubal, a. m. 3907. numer. 19.

Ventidivs legatus M. Antonii Triumuiri rem contra Parthos præclare geſſit, ann. mund. 4014. numer. 33. Labienum vicit,

&interficit, caſtra diripuit,&c. num.34. Ventidij in Iudæam aduentus, eiuſque cauſa, nu.35.

Ventidivs Parthos iterum in Syria vincit, ann. mund. 4015. numer. 4. ibi Pacorus regis Parthorum filius occiditur, ibidem. Venditius non perſequitur hoſtem inuidiam Antonii veritus, numer. 4. magna approbatione triumphat, 4016. numer. 9. quædam in eo mira, ibid.

Verris Prætura in Sicilia, a. mun. 3983. nu.1. & 3984. numer.16. primum Prætor, an. V.C.68?. ibid.

Vespasiani Imperatoris ortus, an. m. 4062. numer.1.

1. Vestalis Claudiæ facinus egregium, ann. mun.3911. nume.17. Veſtalium periculum & clades, ann.mun. 4040. numer. 1. Veſtalibus Auguſtus gratificatur, an. mund. 4062. numer.7. libertinæ Virgines eis aggregatæ, ibidem, & ann. mund. 4058. numer.5.

2. *Veſtales* cuſtodes fœderis inter Sex. Pompeium, Cæſarem,& Antonium, an. mun. 4014. numer. 16. vide etiam an. 4022. nu. 8. Cuſtodes teſtamenti Auguſti, an. 4066. numer.1. & M. Antonii, ann.mun.4022. numer.8.

Vesvntio à Iul. Cæſare occupatur, ann. mund.3996. numer.26. ibi Chriſti Sindon honorifice cuſtoditur, ann. mund.4086. numer.64.

C. Vetilivs Prætor Galbæ ſuccedit in Hiſpania, ann.mund.3904. numer. 4. hoſtem in arctum cogit, ibidem, elapſum Tribolam perſequitur, numer.6. qui à Viriatho victus occiditur, ibid.

Viæ primum ſtratæ Romæ, ann. mun. 3880. numer.11.

Victoria celeriter nunciata, an. mun. 3886. numer. 29. victoria de Nicanore, cum feſto memoriali, ann. mund. 3893. numer. 67.

Virgilii poëtæ ortus, ann.mund.3984. numer.16. eiuſdem mors, ann. mund. 4035. numer.32.

1. Viriathvs in Hiſpania exoritur, & qua occaſione, an.mund.3903. numer.15. diſſuadet deditionem, & prudenter ſocios liberat à Vetilio, ann. mund. 3904.numer. 5. quem mox inſidiis circumuentum interficit, uumer. 6. eius Quæſtorem clade afficit, ibidem.

2. *Viriathus* Plautium Prætorem ſemel iterumque vincit, ann. mund. 3905. numer. 20. In Quintium alternatim victus, victorque, numer.21. Claudium Vnimanum delet, an.mund.3906. numer. 17. Nigidium Prætorem Vnimani ſucceſſorem delet, an. 3907.nu.24.

3. *Viriathi* res geſtæ cum Lælio, & Fabio maximo, ann.mun.3909. numer. 20.21.22. & contra Quintium, an. 3911. numer. 15. res ab eo contra Seruilianum geſta, ann.mun. 3912.n.36.& 37. & ann.mu. 3913. numer.11. & ſeqq.

4. *Viriathi* pax cum Romanis, eiuſque moderatio, ann.mun.3913.num.14. non diuturna, ibid. eam Cœpio indecore fregit, ann. 3914. nu.10. eum à ſuis Cæpio curat interfici, numer.22. eiuſdem funus & ſuorum amor, nu.23. 5.

Viriathus quandiu bellum geſſerit in Romanos, an.mun.3914. num. 13. & 14. bellum Viriathicum quando extinctum, numer. 25.

Visitat S. Virgo Elizabetham, an. mund. 4052.nu. 64. earum mutua ſalutatio, & colloquium, n.67.& 68.

Vltio diuina in Antiochum Epiphanem, a. mun.3887.numer. 41. in Cæſarem, ann. mun.4010. nu.21. in Tiberium, an. mun. 4076.numer.1. in Marium, ann.mu. 3948. numer.9.

Volvntas criminum apud Deum in culpa eſt, contra Ioſephum, an.mund.3887. numer.63. & ann.m. 3891. numer.26.& 27. & numer.91.

Voto dicata Deo à parentibus B. Virgo, an. mun. 4041.num.1.2.3.

Ad Vscalam Romani cladem accipiunt, an. 3884, numer. 14. eam expugnat Pruſias, numer.15.

Vtica ſe Romanis dedit, an. mun. 3905.nu. 4. magno damno Carthaginis, numer.5. Cæſar Vticam adit, an.m.4008.numer.13. eam fugitiui rogante Catone defendere non audent, numer.14. qui ſe ibi interficit, ibid.

Vticenſes cur Catonem diligerent, an.mun. 4008. numer. 15. Iuba eis infenſus, ibid. Cæſar vt ſe Vticæ geſſerit, n.16.

Z

Zabadæi Arabes à Ionatha percuſſi ſunt, an. m.3911.n.11.& ſcho. 1. l.1.Machab.12.31.

Zabides Idumæus, & fabula de eo ficta, 4063. numer.7.

Zacharias propheta pater S. Præcurſoris, an.mun.4051.nu. 7. filius ei promittitur, nnmer.11. Zachariam non fuiſſe Pontificem, numer.12.& 13. ex S. Luca, ibidem. Zachariæ domus ad Emaus, an. m. 4052. numer.66.

Zamam regni Iugurthæ primariam Metellus obſidet, an.3945. num.9.& 10. eum Iugurtha confirmat, numer. 9. eam ſecundo oppugnatam Metellus deſerit, numer. 10.& 11.

Zamarvs Indus vltro ſe in ignem mittit, gloriam ab Auguſto,& Athenienſibus affectans, a.m.4034.n.7.

Zarvs conditor Carthaginis, an. mun.3908. numer.26.

Zebdiel Arabs interficit Alexandrum Balæ fugitiuum, a.m.3908.n.12.

Zebina regni Demetrii Nicanoris æmulus, à Ptolemæo Euergete ſubmittitur, a.mun. 3925.nu.1.& 4. quis ille eſſet. ibid. corpus Sideris curat, n.5. Demetrius contra Ze-

binam male pugnat,3926.n.1.2.
21 *bina* victor Demetrii in Syria dominatur, ann.mund. 3928. numer.1. Hyrcanus cum eo fœdus init, numer.2. ſuperbe Ptolemæum ſpernit, ann. mund. 3929. numer. 2.cuius ope Antiochus Cryphus eum vincit, atque captum interficit,n.3.
Zelvs Mathathiæ laudabilis,an.mund. 3888. numer. 20. & 21. & Iudæ morituri,ann. mund.3894. numer.45. & ſeqq.Num Romani zelo & inuidia vacarent, ibidem. numer.31.
Zenodori tetrarchiam Auguſtus dat Herodi, an.m.4034. num.3. & qua de cauſa, ibid. eius mors,n.4.

FINIS.

INDEX

LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE, QVI PRAE CÆTERIS CANDIDO LECTORI VISI SVNT INDICANDI.

Ex libris Moſis.

Gen.c. 25. v.23. *Maior ſeruiet minori*, *ann. m.* 4017.*n.*24.

c.49.v9. *Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi aſcendiſti*, *an. m.* 4017.*n.*27.28.

c.49.10. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de fœmore*, *ann.m.* 4017. *numer.*15. & 25. & *ſeqq. fuſe.*

Exod.c.13 v.13. *Omne primogenitum de filiis tuis pretio redimes*, 4053.*n.*29.

c.16.v.7. *Et mane videbitis gloriam Domini &c.* 4052.*n.*79.80.

Leui.12.8. *Quod ſi non inuenerit manus eius*, *an. mun.* 4053.*n.*31.

c.26.7. *Perſequimini inimicos veſtros, & corruent coram vobis*, 3890.*n.*3.

Deu.15. 4. *Indigens, & mendicus non erit inter vos*, *an.m.*4064.*n.*3.

c.16.2. *Immolabis Phaſe Domino de ouibus & bobus. Præf. numer.*9.10.11. & *an. mu.* 4086.*n.*37.

Ex libris Reg. Paral. & Sap.

3.Reg. 21. 19. *In loco hoc, in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth*, 3951.*n.*11.

2.Para.19. v.2. *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris*, *a.m.* 3894 *numer.*39.

Pſal.39. ver.18. *Ego autem mendicus ſum, & pauper*, *ann.* 4064.*nu.*2.

Pſal.102. v.1. *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius*, *ann. mun.*3879.*nu.*1.

Cum quietum ſilentium contineret omnia, *nu.* 63. *anni* 4052. Sap.18.14.

Equus indomitus euadit durus, & filius remiſſus euadet præceps, *an.mun.* 3891. *numer.*93. Eccli.30. v.8.

Ex libris Propheticis.

Accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari, *a.m.*4053.*n.*15. Iſa.c.8.3.

Erit altare Domini in medio terræ Ægypti, 3889.*nu.*54. 55. c.19. v.19.

Seduxiſti me Domine, & ſeductus ſum, &c. *an.m.*3951.*n.*9. Ier.c.20.7

Vſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis, *ann.mun.* 3890.*nu.* 20. 21.22. Dan.7.25.

Egreſſum eſt cornu vnum modicum, & factum eſt grande, *a.m.*3879.*n.*8. c.8.v 9.

Et vſque ad principem fortitudinis magnificatum eſt, 3887.*n.*12. c.8.v.11.

Contra iuge ſacrificium propter peccata, *a.*3885.*n.*19. & 34. c.8.v.12.

Vſque ad veſperam & mane, dies duo millia trecenti, *ann. mund.* 3884.*nu.*5. & *ſeqq.* c.8.v.14.

Conſurget impudens facie, & intelligens propoſitiones, *a.*3879.*n.*9. c.8.v.23.

Et ſtabit in loco eius deſpectus, & non tribuetur ei honor regius &c. *ann. m.* 3879 *numer.*6.7. c.11.v.21.

Obtinebit regnum in fraudulentia, *an. m.* 3879.*nu.*6.12. & 3888.*n.*9. c.11.v.21.

Et brachia pugnantis expugnabuntur, &c. fuſe, *a.* 3881.*n.* 2.3. c.11.v.22.

c.11.v.29. 30. *Statuto tempore reuertetur, & veniet ad Auſtrum, a.m.3885.n.6.*
c.11.v.30. *Et venient ſuper eum trieres, & Romani, a.3885.n.21.*
c.11.v.31. *Et brachia ex eo ſtabunt, & polluent ſanctuarium, 87.n.13.*
c.11.v.34. *Cumque corruerint, ſubleuabuntur auxilio paruulo, 3888.10.11.12.*
Ioël. c. 2. ver.31. *Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, 4086.n.54.*
Agg. c. 2. v.4. *Quis vidit domum iſtam in gloria ſua prima, a.4035.n.6.7.8.*

Ex libris Machabæorum.

1.Mac.c.1. v.17. *Et cœpit regnare in terra Aegypti, an. m. 3880.n.4.*
c.1.v.18. *Intrauit in Aegyptum in multitudine graui, a.m.3881. n.4.*
c.1.v.21. *Poſtquam percuſſit Aegyptum in 143. anno a.m.3885.18.*
ver.23. *Et comminuit omnia, a.mu.3885. numer. 32.3.*
ibid. *Ornamentum aureum, quod in facie templi erat, 3885.32.33.*
ver.46. *Et iuſſit ædificari aras, & templa, & idola, 3887.n.9.*
ver.57. *Aedificauit idolum deſolationis ſuper altare Dei, 3887.n.11.*
c.1.64. *Et ſuſpendebant pueros à ceruicibus, per vniuerſas domos eorum, ann.mu.3887. nume.18.*
1. Macha. 2.v.16. *Mathathias, & filij eius conſtanter ſteterunt, 3888.n.16.*
c.2. v.24. *Et accenſus eſt furor eius ſecundum iudicium legis, a.m.3888[illegible]9.*
ver.27. *Omnis qui habet zelum legis ſtatuens teſtamentum, 20.*
ver.31. *Et abiiſſent poſt illos multi, nu.22.*
ver.62. *Gloria eius ſtercus, & vermis eſt, a.m.3888 numer. 28. 29.*
1. Macha. 3.48. *Scrutabantur gentes ſimilitudinem ſimulachrorum ſuorum. 3889.n.25. & 26.*
c.4.6. *Qui tegumenta, & gladios non habebant, 3889.n.5.*
c.4.29. *Et venerunt in Iudæam, & caſtra poſuerunt in Bethoron, a.3890.nu.2.*
c.5.45. *Et congregauit Iudas vniuerſos Iſraelitas, vt venirent in terram Iuda, a.m.3891. num.46.*
c.6.4. *Et reuerſus eſt in Babyloniam, a.m.3891. num.18.*
c.6.v.18. *Et hi qui erant in arce concluſerant Iſrael, &c.3892.n.2.3.*
ver.30. *Et erat numerus exercitus eius centum millia peditum &c.a.892.n.6.7.*
c.6.v.38. *Tubis exercitum commouere, & perurgere conſtipatos in legionibus eius, a.m.3892. numer.16.*
Et vidit Eleazarus filius Saura vnam de beſtiis, 3892.n.18. ver.43.
Propter legitima enim ipſorum, quæ deſpeximus, 3892.nu.33. ver.59.
Exiit Demetrius Seleuci filius ab vrbe Roma, 3893.n.9. c.7.v.1.
Et dextram eius, quam extenderat ſuperbe, &c.3893.nu. 65. c.7.v.47.
Audiuit Iudas nomen Romanorum, quia ſunt pot. a.3894.nu.7. 8.1.&c.
Philippum & Perſen Ceteorum regem, &c.ibid.n.11.& 12. c.8.v.5.
Si appropiauit tempus noſtrum moriamur, 3894.num.45.& 46.& 58. 1.Mac.c.9 ver.10.
Vt commodarent illis apparatum ſuum, qui erat copioſus, ann.mund. 3894.numer.65. ver.35.
Aqua vero Iordanis hinc & inde, a. mu. 3894.n.68. ver.45.
Conſtituimus te hodie ſummum ſacerdotem gentis tuæ, an.mund. 3902. nu. 11. 12.13.17.18. c.10. v.20
Qui ſint in munitionibus regis magni, an. 3902. nu. 27. ver.36.
Mecum eſt virtus bellorum, ſiue ciuitatem, 3907.n.5. ver.71.
Intrauerunt in Beth Dagon idolum ſuum, 3907.n.10. ver.83.
Pœnitet me quod dederim ei filiam meam, quæſiuit &c.3908.nu.5.& 6. c.11.v.10.
Impoſuit duo diademata capiti ſuo, a. mu. 3908.nu.7.8. ver.13.
Et omnes confines earum ſequeſtrari, 3908. nu.10.11.12. ver.34.
Præuaricati ſunt principes Demetrii in Cades, a.3910.n.13. ver.63.
Et vidit Ionathas quia tempus eum iuuat, 3911.n.2. c.12.v.1.
Reſcriptum epiſtolarum quod miſerat Oniæ, 3911.n.8. ver.19.
Vt non dimiſſus fugiat à nobis, a.m.3912. num.14. 1.Mach. c.13.16.
Ne inimicitiam magnam ſumeret ad populum, nu.15. ver.17.
Erat autem nix multa valde, & non venit, &c.nu.18. ver.22.
Tryphon cum iter faceret cum rege Antiocho adoleſcente, dolo interfecit eum, nu. 24. 25. ver.31.
Demetrius Rex ad verba iſta reſpondit, an. 3912.numer.31. 1.Macha. c.13.35.
Cum audiſſet populus Romanus ſermones iſtos, a.mun.3914.n.12. c.14.24.
Reſtituit enim ipſe fratres ſuos, & expugnauit inimicos, &c.num.13. ver.26.

ibid. Et ſtatuerunt ei libertatem,ibid.
v.34. Et quæcunque apta erant ad correctionem eorum,3914.n.2.
c.15.v.1. Et miſit Rex Antiochus filius Demetrij epiſtolas,a.3915.nu.4.
v.6. Permitto tibi facere percuſſuram proprij numiſmatis,n.6.
v. 7. Ieruſalem autem ſanctam eſſe,& liberam, ibid.nu.6.
v.8. Omne debitum regis, & quæ futura ſunt regi,n.6.
ver.16. L. Conſul Romanus Ptolemæo regi S. a.m. 3916.n.4.& 5.
v. 25. Rex applicuit caſtra in Doram ſecundo,an. m.3917.n.1.
ver. 32. Et vidit gloriam Simonis,& claritatem in auro &c.n.6.
c.16.v.3. Nunc autem ſenui, ſed eſtote loco meo, & fratris mei,a.3918.n.5.
2. Mac. 1. ver.1. Fratribus qui ſunt per Aegyptum Iudæis, &c.a.m.3930.n 2.&c.
ver.2. Et Iacob, ſeruorum ſuorum fidelium,ibid. numer.3.
ver. 7. Regnante Demetrio anno 169.nos Iudæi &c.3930.n.5.
2.Mac.c.1 v.7. In tribulatione,& impetu, qui ſuperuenit nobis, nu.13.anni 391.
ver.10. Anno 188. populus qui eſt Hieroſolymis &c.ibid.& n.6.7.& ann. mun.3951. numer.8.
ibid. Ariſtobulo magiſtro Ptolemæi regis, &c. ibid.nu.9.
c.1.v.12. Ipſe ebullire fecit de Perſide eos,qui pugnauerunt contra nos &c.ann. mund.3923. numer.8.
c.1.v.13. Nam cum in Perſide eſſet dux ipſe, & cum ipſo immenſus exercitus, cecidit in templo Naneæ &c.ann.mund.3923.numer. 8.& ſeqq.
ver.16. Apertoque occulto aditu templi &c. num. 9.& 10.
2.Mach. 4.7. Ambiebat Iaſon frater Oniæ ſummum ſacerdotium,a.m.3879.n.13.14.
c.4.[illegible] Propter impij,& non ſacerdotis Iaſonis ſcelus,3880.n.1.& 82.2.
c.4.v.16. Quos hoſtes, & peremptores habuerant, a. 3880.n.2.
c.4.v.19. Miſit Iaſon facinoroſos ab Hieroſolymis viros peccatores,ſiue ſpectatores, an. 3880.n.3.
c.4.v.21. Propriis vtilitatibus conſulens, a. mund. 3880.n.5.& 81.1.
c.4.v.25. Et feræ belluæ iram gerens, ann. m. 3882. numer.7.
ver.26. Qui proprium fratrem captiuauerat, &c. ibidem.
ver.29. Succedente Lyſimacho fratre ſuo, Soſtratus autem prælatus eſt Cypriis, a.3882. n.8.9.& 83.n.3.& 85.28.
Statim ad gentilem ritum contribules ſuos transferre cœpit,&c.an.m. 3879.n.19. & ſeqq.& 3882.n.2. 4.33.
Multis autem ſacrilegiis in templo à Lyſimacho commiſſis, ann. mund. 3882. numer.15. c.4. v.39.
Efferatis animis ciuitatem armis cepit, a. 3885.n.22. 2.Mach. c.5.v.11.
Erant autem toto triduo octoginta millia interfecti, 40. millia vincti, non minus autem venundati, an. 3885. numer. 23. & in ſchol. c.5.v.14.
Quaſi pro cognatione ibi refugium habiturus,3884.n.9. 2.Mach. c.5.v.9.
Ad vltimum in exitium ſui concluſus ab Areta, ibid.in ſchol. ver.8.
Modicum Deus fuerat iratus,an.m. 3885. numer.29. c.5.17.
Iudas Machabæus, qui decimus fuerat,a. 3887.n.5. c.5.27.
Miſit rex ſenem quendam Antiochenum, 3887.n.7. c.6.1.
Ducebantur in die natalis regis ad ſacrificia,3887.n.17. 6.v.7.8.
Intuens autem quemadmodum oporteret accedere,3887.22. 6.v.20.
Et cute capitis abſtracta, ann. mun. 3887. numer.36. c.7.v.4.
In qua cum diu cruciaretur &c. an. 3887. nume.37. c.7.v.5.
Et videbis qualiter te,& ſemen tuum torquebit,3887.n.10. 2.Mac.c. 7.v 17.
Antiochus contemni ſe arbitratus, ſimul & exprobrantis voce deſpecta,&c.ann. m.3887.n.44.45. c.7.v.24.
Et res neceſſarias ei præbiturum, ibidem. ibid.2,7. 24.
Ad hoc etiam ab Eſdra lecto illis ſancto libro,3889.28.29. c.8.23.
Intrauerat enim in eam quæ dicitur Perſepolis,3891.n.5. c.9.2.
Peregre in montibus miſerabili obitu vita functus eſt,n.17. c.9.28.
Obtulerunt ſacrificia poſt biennium,& incenſum,3890.nu.15.16.17.& 18. c.10.3.
Iudæi qui tenebant opportunas munitiones &c.3891.61.62. c.10.15.
Velle vos deſcendere ad veſtros, qui ſunt apud nos,3891.83.84. c.11.v.29.
Promittentes ſe paſcua daturos &c.3891. numer.92. c.12. v.11.
At Machabæus ordinatis circum ſe ſex millibus &c.3891.numer. 96. c.12.20.
In præſidium quod Carnion dicitur &c. a.m.3891.n.97.& 98. ver.21
Quos morte eius decipi eueniret, n.100 ver.24.

ver.27. Mouet exercitum ad Ephron ciuitatem munitam,3591,num.102.103.
ver.39. Doſitheus vero quidam de Bacinoris,eques, n.106.& 107.
ver.36.37. Inuocauit Iudas Dominum adiutorem, & ducem belli fieri incipiens,patria voce, &c.n.108.& a.m.3893.n.64.
2. Macha. 12.v.40. &c. Inuenerunt ſub tunicis interfectorum de donariis idolorum,&c. a.m. 3891.num. 109.& ſeqq.
c.12. 46. Sancta ergo,& ſalubris eſt cogitatio, pro defunctis exorare,vt à peccatis ſoluantur,a.m.3891.n.116.
2. Macha. 13.v.4 Iuſsit apprehenſum in eodem loco necari, a. m.3892.n.8.
v. 5. Hæc proſpectum habebat in præceps,ibid. numer.9.
ver. 9. Sed Rex mente efferatus veniebat,nequiorem ſe &c.3892.n.11.
c.13.v.21. Enunciauit myſteria hoſtibus Rhodocus quidam,892.n.24.
c.13.25. Indignantes ne forte fœdus irrumperent, 3892.num.35.
c.14.1.2. Sed poſt triennii tempus, cognouit Iudas Demetrium Seleuci tenuiſſe regiones aduerſus Antiochum,a.3893.n.11.
ver. 3. Alcimus autem qui ſummus ſacerdos fuerat &c. ibid.n.11.
ver.17. Simon vero frater Iudæ commiſerat cum Nicanore,3893.n.31.32.
ver.25. Quiete egit , communiterque viuebant, ibid.numer.34.
ver.26. Regni inſidiatorem ſucceſſorem ſibi deſtinaſſe,ibid.n.35.& 36.
ver.33. Et templum hoc Libero patri conſecrabo, 3893.n.38.
ver.42 Eligens nobiliter mori potius, quàm ſubditus fieri peccatoribus,a.m.3893.n.50.
Venit per mediam ceruicem,ibid.
2.Macha. ver.15.33. Manum dementis contra templum ſuſpendi,3893.n.65.
c.15.34. Omnes igitur cæli benedixerunt Dominum,3893.n.66.
ver.35. Suſpendi Nicanoris caput in ſumma arce &c.ibidem.

Ex libris Euangelicis.

Mat.1.19. Nollet eam traducere, voluit occulte &c. 4052.n.71.
c.2.v.16. Tunc Herodes videns quoniam illuſus eſſet à Magis,4053.20.& 34.
c.2.v.16. Et mittens occidit omnes pueros,an. 4053. n.34.&c.37.
c.2.v.16. A bimatu & infra , ſecundum tempus quod ex, an.m. 4053 num. 13.14. &c. & 25.
Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum &c. fuſe, a.4084.n.9.& ſeq. c.5.v.3.
Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, Præf. numer.4. Mat 26.2.
Et ecce velum templi ſciſſum eſt , &c. 4086.n.55.56. Mat.27. v.51.
Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius,nu. 57. & ſeqq. ver.53.
Et ſtatim ſpiritus expulit eum in deſertum, a.4082.n.31. Marc.1. v.12.
Primo die Azimorum quando Paſcha immolabant, Præf. nu.4. c.14.12.
Mercati ſunt ſindonem , & mixturam myrrhæ &c. Præf.n.14. c.15.v.46.
Nomine Zacharias, de vice Abia, a. 4051. numer.13. Luc.1.5.
Vxor tua pariet tibi filium &c. fuſe 4051. numer.14.& ſeqq. v.13.
Abijt in montana cum feſtinatione, a. m. 4052.nu.64. c.1.v.39.
Benedicta tu inter mulieres, & b.f.v.t.n. 67.68. 69. ver.42.
Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus,n.70. ver.56.
Exiit edictum à Cæſare Auguſto &c. an. 4052.nu.74.75. c.2.v.1.
Et peperit filium ſuum primogenitum,& pannis &.78. ver.7.
In præſepio,quia non erat eis locus in diuerſorio,4053.n 8.& ſeqq. ver.7.
Paſtores erant in eadem regione vigilantes, numer.56. anni 4052. c.2.v.8.
Et timuerunt timore magno, a. mu.4052. numer.85, c.2.v.9.
Et hoc vobis ſignum;Inuenietis infantem, numer.87. ver.12.
Reuerſi ſunt in Galilæam in ciuitatem ſuam Naz.4053.n.33. c.2.39.
Ibant parentes eius per omnes annos in Ieruſalem,a.4064 n.1. c.2.41.
Sub principibus ſacerdotum Anna & Caypha,a.4082 n.30. Luc.3.2.
Parate viam Domini, rectas facile ſem. eius,a.m.4051.n.10. c.3.v.4.
Adiecit & hoc ſuper omnia , & incluſit Ioannem,4080.n.6.7. c.3.10.
Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta,a.4082.n.17.18.& multis ſeq. c.3.v.23.
Venit dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha.Præf.n.4. Luc.22.7.
Adiudicauit fieri petitionem eorum,4086. numer. 47. Luc.23.24
Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis,ann.mund.4052. nu. 47.& ſeqq. Ioa.1.14.
Poſt hæc erat feſtus dies Iudæorum, &c.an. 4084.n.5. c.5.v.1.
Venient Romani,& tollent locum noſtrum c.11.v 48.

&c.3885.n.30.
c.18.v.28. *Non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha*, Præf.n.3.& 8.
18.v.24. *Et miſit eum Annas ligatum ad Caypham*, a.4086.nu.34.
c.19.14. *Erat autem paraſceue Paſchæ*, Præfat. n. 12. 13.

Ex libris Apoſtolicis.

Act.5. 37. *Poſt hunc extitit Iudas Galilæus*, an. mun. 4063, nu.5.& ſchol.
Ego multa ſumma ciuilitatem hanc conſecutus ſum, a.m.3879.n.15. Act.22.28
Omnis anima poteſtatibus ſublim. ſubdita ſit, a.m.4063.3. Rom.13.1
Admone illos principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe, 4063.n.4. Tit.3. v.1.
Acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos, 4065.n.5. Heb.11.35
Vt in eo quod detrectant de vobis tanquam de malef. 4063.num. 4. 1.Petr.2. ver.13.

FINIS.

ERRATA,

Ob quædam, poſtremo hoc volumine Annalium, partim male poſita, partim male præterita: quæ Lector beneuolus emendabit, dum noua, & emaculatior editio propediem Deo fauente cudatur.

PRÆFAT. nu. 6. marg. Malach. lege Machab.
p. 8. nu. 1. fi. lege politicæ Reip.
p 9. n. 6. in marg. adde, & Phœnicem.
p. 10. n. 11. marg. l. Greuis & iugis.
Ibidem l qui inciderant, ait. &c.
p. 13. n. 5 l. plura quam præſtando,
Ibid. n. 6. tam munifico erga omnes, &c.
& adde in marg. vide a. m. 3876. n. 2. 3. 4.
p. 15. n 12. l. obtegeret. Indignum, &c.
p. 17 nu. 3. fi. adde, vti neque nuper in Ptol. Philopatore, a. m. 3838. n. 9.
n. 5. marg l. Ambigua oratio, l. item, Intrauit in ſanctificationem, &c.
p. 32. n. 9. fi. l. de Atei ad Oniam, &c.
p. 33. marg. corrige nu. 12. 13. 14. 15. ibid. nu. 12. lege conſularem virum.
37. n. 12. l. omni ex parte, &c.
42. n. 31. l. velociter Antiochiam regreſſus eſt.
58. n. 22. l. oporteret accedere.
59. n. 22. l. vel potius προκύψας proſpiciens.
73. n. 87. l. præteritæ vitæ culpas.
p. 84. n. 30. l. natus maiorem, vt quidam putant, &c.
92. n. 26. Dele, ſategiſſe.
97. n. 51. marg. l. fuga Oniæ, eiusque &c.
99. n. 60. fi. l. annis 237. ſtetiſſe.
p. 112. n. 14. marg. l. quaſi dicat adiacentes.
p. 115. n. 27. l. quomodo ergo voluiſſe.
123. n. 66. marg. l. Quibus ſe armis muniat.
131. n. 105. l. hebdomadarum in Deuteron. vocatur.
135. ſchol. 3. fine l. à principio mutari.
p. 136. n. 3. marg. adde Quidam regem adeunt; & in textu l cum magnis copiis.
n. [illegible] l. contribulibus ſuis petunt.
p [illegible] n. 5. l. cum templum expurgarent, non expugnandi ſpe, &c.
p. 143. n. 30. l. cum Author libri ſecundi.
p. 154. n. 35. l. tabeſcebat inuidia, & mox, lege, aliena eſſent, n. 38. l. iuſſit ſibi tradi virum.
p. 170. n. 36. marg. l. Aliqua in eo errata Ioſephi.
p. 171. n. 37. marg. l. Alia eius errata.
175. n. 59. l. partim eos compulit, &c.
177. n. 65 l. voculæ duæ.
178. n. 71. marg. l. eosque vexant.
p. 183. n. 1. marg. l. Bacchidem reuocant, & n. 3. l. Bacchides Ionatham & Simonem obſidet.
p 203. n. 5. l. abreptus eſt in cœnum.
206. n. 2. marg. l. Ionathas fit ex &c.
213. marg. l. n xvi. xvii. xviii. xix.
224. n. 22. l. configerentur telis.
228. n. 9. l. & proditorem exhibuit.
230. n. 20. marg. l. viam ad arcem.
2[illegible]6. n. 3. l. Olympiade 156.
n. 4. l. Poſt quod non mitior.
n. 6. marg. l. Ionathas obſidet, &c.
p. 247. n. 9. marg. l. Demetrianis.
p. 276. n. 2. marg. l. quæ ille repudiat.
p. 325. n. 2. marg. l. Senatus Druſo contra Gracchum fauet.
330. n. 7. marg. l. triumphatur, 331. in titulo l. C. Cæcilio, &c.
345. n. 5. marg. l. fraude fraudatorem, &c.
353. n. 9. marg. l. Syllæ traditur.
358. n. 8 l. certaminum ſocios.
362. n. 14. l. aſtronomicæ diuinationis.
p 367. n. 7. marg. l. Quæ fauerint victoriæ.
370. n. 5. l. aſſeclam potius.
388. n. 1. l. fuit hic poſtremus.
p. 400. n. 1. l. Grypi tertius filius.
401. n. 5. l. moxque ex puteo.
40[illegible]. n. 3. marg. l. Fimbria Ilienſes.
414. n. 23. l. indicibus propoſuit.
415. n. 26. l. Ptolemæo per certos homines.
420. n. 10. marg. l. Sylla ægre conſentiente.
421. n. 1. l. Temporarius item, aliique.
426. n. 5. marg. l. & infelicitas.
432. n. 1. l. militiæ principem.
433. l. n. v. vi. vii. viii. ix. x. xi.
444. n. 15. l. A Sertorianis defecere.
448. n. 12. marg. l. & Metellus quoque.
460. n. 3. marg. l. Tumultus ex ambitione conſulatus.
461. n. 8. marg. l. Qui ambit Pompeii amicitiam, & pacem.
480. l. n. xxxiv. xxxv. xxxvi. xxxvii.
488. n. 16. l. & Tullianæ.
p. 493. n. 4. l. ex Cicerone 1. Auletis, &c.
491. n. 11. l. potentiores ipſo fuerunt.
498. n. 17. marg. l. coactum lege.
499. n. 19. marg. dele, Clodius contra eum, eiusque bona furit.
n. 22. marg. Araris concidit.
520. n. 17. marg adde, licet patrono Cicerone.
p. 524. n. 4. l. & collaudatum Armenum, & v. ſequent. egregiosque milites.
529. n. 27. marg. l. & Ambiorigem.
n. 28. l. decimam quartam reliquit, & mox in marg. Periculum legionis 14.
555. n. 6. l. damna, quæ poterat.
560. n. 24. marg. l. vitæ, & mortis eius.
n. 25. l. præſentium copiarum conf.
p. 568. n. 24. marg. l. Ipſe à fuga mergitur.
570. n. 30. marg. adde, Cæſar honorat Hyrcanum, & Antipatrum.
p. 600. n. 11. l. Hæc Lupercalibus.
613. n. 35. marg. l. xxv. & mox Malichus ab Herode, & n. 26. marg. l. in Senatum offenſio, ibid. in tex. mallent ad eum.
624. n. 17. in marg. dele Caſſii deſperatio.
627. numer. 29. l. deſponditque vxorem,

& mox, Doridem nomine.
628. n.1.marg.l. Copiæ deuictæ diſperguntur.
629.n.2.l.ſocios proderet.
p.6,8 n.26 marg l. Quod profectionis tempus.
643 n.6.l.duxit,eosque expugnauit.
p.676.n.3.l. apud Actium Antonius conflictatur.
p.709.nu. 2. dele, Tiberius Quæſtor curator Annonæ.
Ibid.l.inuitus,geſſitque per Tiberium, alterum,&c.
Ibid. l. quia ſuperioribus annis, quibus &c.
p. 710. n. 6. marg. adde Tiberius curator annonæ.
714. n.3.l. amicus Antigono filio Ariſtobuli.
715 n.7.l.Straboni autem non plane conſentit.
720.n.28.29. l. xviii. xix.
722. n.27.l.deficere, quod metuebat.
Ibid.n. 30. l. nec ad templi abſolut.
p. 723.n.32.marg.mors &c. dele,& pone, ibi. n.33.& loco n.33.cum ſuo titulo, pone, n. 34.
724.n. 2.l.admiſſurum neminem.
726. n.6.quis eſt qui venturus, ibid. l. ipſo momento.n.7.l.hoc anno virgo.
727.n 8.l.dignam mulierem,& mox l.ſinat excidere.
728.n.4.marg. l. Anna repleta.
745. n.4.marg. l. In theſi 15. & 16.
746.n.7.l.ex Virgilio & Horatio.
750.n.7.l. pertinet, ſed tantum ad ſequentem, cum, &c.
p.752.n,1. l. lux eſt celeberrima.
763.n.3.l.onera portare humeris.
n.7.l.ad Iuliæ res trahit.
765.n.14.marg.l & iuſſis parens.
767. n.24.Virgine conceptus, natusq; eſt.
770. n.34.marg. dele,plures in.
p.790.n.26.l.Et de Epiphaniæ tempore ſatis, reliqua late, &c.
791.n.29.l.D.Epiphanius lib.de pond.
p.802.n. 1. l. ante vtriusque horum obitum.
Ibid. l. poſt ſeceſſum anno (imò ſeptimo iuxta Velleium,ab anno ſcilicet 748. ad 754. etiam comput.
p.808.n.8.fi.l.regiam ab Archelao.
p. 817.n.3.fi.l.initio lib. decimi octaui.
n.6.marg.dele, Eiusdem libido.
p. 828. n.5.l. Marciæ aperuiſſe.
834. n.4. l. Oceano inuexit.
836.n.7.l. Miſſaque dii faciant.
842. n.2.l. poſt repudiatam multos.
p.845.n.5.l. demonſtrandam veniebat in Senatum, pro qua &c.
851.n.4.marg l.præſidum & vinctorum.
853.n.quintum transfer ſupra ad quinque, verſus, & ibi adde,n.vi.Romanæ clades à Tiberio diſſimulatæ.
865.n.45.l.de nece Marcelli, Auguſti,Germanici, &c.
875.n.20.marg. l. videri anno præſenti.
p.886.n.12.marg.l.non celebrat cum Iudæis.
p. 905.n.84.l.Quæ vero aut ignorantia.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google